



MAGNA

BIBLIOTHECA

VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE
SORBONICO IN ACADEMIA PARISIENSI THEOLOGO
collecta, & tertiò in lucem edita.

Nunc verò plus quàm centum Authoribus, & opusculis plurimis locupletata, historica methodo per singula sæcula, quibus Scriptores quique vixerunt, disposita, & in XIV. *Tomos distributa:*

OPERA ET STVDIO DOCTISSIMORVM IN ALMA VNIVERSITATE COLON. AGRIPP. THEOLOGORVM AC PROFESS.

TOMVS DECIMVS,

Continens Scriptores sæculi X. id est, ab Ann. Christi 900. vsq; ad ann. 1000.

PERMISSV SVPERIORVM.

Coll. Rom

Bi:

Soc. Jesu



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, sub signo Gryphi.
ANNO M. DC. XVIII.

Ex Legato Illustriss. Foscini.



SERIES AVTHORVM ET OPVSCVLORVM, HOC MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMO SIVE SÆCVLO DECIMO CONTENTORVM.

Asterisco * notati iam primum accesserunt.



DIOTÆ sub nomine vir quidam pius proprio nomine suppresso, scripsit contemplationum Libros V. Regulas vitam Christianam complectentes, Annotationes in Psal. 15. Contemplationem de B. Maria, extant pag. 1. & seqq. floruit hic Author ex sententia Card. Bellarmini anno 902.

* *Radulphus Flauiacensis Monachus ordinis S. Benedicti, floruit circa annum Domini 910. scripsit diuersa Opuscula, quorum aliqua recenset Trithemius, sed nos tantum habere potuimus Commentaria in Leuiticum, quæ ex antiqua edit. Coloniensi extant pag. 30. & seqq.*

* *Odo Abbas Cluniacensis obijt anno Christi 937, teste Sigeberto, scripsit lib. 4. de vita S. Geraldi, qui extant inter Vitas Sanctorum. Tractatus & sermones diuersi, & alia eiusdem opuscula ex Bibliotheca Cluniacensi studio Martini Marrier & Josephi Quercetani edita, extant pag. 215. & seqq. eiusdem Odonis moralium in Job libri XXX. ab eodem D. Martino Marrier editi, extant pag. 277. & seqq.*

Stephanus Eduensis Episcopus, viuebat anno Domini 950. scripsit Tractatum de Sacramento Altaris, extat pag. 412.

Pelegrinus, vel vt alij legunt, Peregrinus Episcopus Laureacensis, scripsit Symbolum fidei, quod extat pag. 423. vixit authore Coccio anno 970.

Moses Barcepha dicitur sæculo X. floruisse, scripsit Commentarium de Paradyso, extat pagina 424. scripsit præterea commentarium in Matthæum, Librum de multitudine & differentia sectarum, Librum de sex primis diebus conditi mundi, quæ necdum sunt edita.

* *Theodorus Presbyter & Canonicus Ecclesiæ Rhemensis postea Abbas S. Remigij, vixit tempore Lotharij Imperatoris, scripsit historiam Rhemensis Ecclesiæ, libris IV. distinctam, quam ex recognitione D. Georgij Coluenerij Doctor. & Præpositi Duaceni, cum eiusdem Notis alijsque quibusdam posuimus, pag. 466. & seqq.*

* *S. Odilonis Abbatis Cluniacensis Opuscula, siue Sermones ex Biblioth. Cluniacensi edita, extant pag. 600.*

* *Gerbertus Primum Remorum, dein Rauennatum Archiepiscopus, postea Roman. Pontifex Syluester Secundus dictus, vixit sæculo Decimo, & XI. de quo multa Baron. in Annalib. & Seuer. Binius in Concilijs, scripsit ante Pontificatum Epistolas breuiores plures, quas ex Bibliotheca Papyrij Maßoni habes pag. 615.*

FINIS.

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM ET ECCLESIASTICORVM SCRIPTORVM,

Sæculum Decimum.

IDIOTÆ VIRI SANCTI CONTEMPLATIONVM ET ORATIONVM LIB. III.

De Contemplatione diuini amoris, Lib. I.

Quid sit amor. Cap. 1.



AMOR dulcissime Domine Iesu Christe fons veri amoris, est affectio vehemens cordis & animæ ac mentis applicatio ad aliquid diligendum: inclinat enim amor amantem. Neque enim in hoc laborat, licet labor non amantibus grauis sit: namque difficultatem non nouit, sed impatiens est, nisi inueniat quod desiderat: nec aliud cogitat, quam quod diligit, nec accipit de dilatione solatium. Lucerna fulgoris est verus amor, ardens in mente per desiderium, & splendens in facie per exemplum. Et hic amor, iam nudus est, & purè naturalis, sed indutus fontani amoris radio iam infusus, iam purgatus, iam illuminatus & eleuatus supra naturæ potentiam, iam patiens, iam formatus, qui quum forma est, purè naturalis & per se agens, informis est, impotens & depressus. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris: amor infusus, fulgor oculi in lumine, vel verius, lumen efficax in fulgore. Amor cæteros affectus in se docit & captiuat. Viget namq; ipse amor, quũ præsto est quod amatur: & languet, quum abest: quod nihil aliud est Domine Deus, quam tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehemẽter amantis, absente eo quem amat. Natura quippe amoris est, semper amare, proprium postponere, & cõmune præferre, diuersa corda vnire, extraneum domesticum facere, corda iracundia ignita extinguere, pacem semper procurare. Amor confracta solidat, depressa subleuat, nutantẽ animum constantem reddit. Amor docet & addiscit, & inimicum nescit. Amor laudat, amor reprehendit, amor praua suspicione caret. Vbi amor defuerit, nihil valet quicquid agitur, contra, omnia valent quæ cum amore aguntur. Amor hominem lætificat, & à terrenis subleuat. Amor nunquam est otiosus, semper aliquid operatur, sed semper crescit & augetur. Amor vita est animæ: & qui non amat, mortuus est. Verus amor non requirit præmium, etsi mereatur. Sine amore, nec eleemosynæ largitio, nec martyrii susceptio, nec aliquorum bonorum operatio proficere ad habendam salutem potest. Amor hominem perficit, omnia sustinet, omnia patienter portat. Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat. Capit eum bonus & malus, iuuenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, diues & pauper, summus & infimus, liber & seruus, sæcularis & religiosus, debilis & fortis, nec est qui se valeat excusare, quin in alios dirigat radios puri amoris. O amantissime Domine Iesu Christe vnde nobis defluit amor, ego sceleratissimus peccator, semper frigidus fui, & ab amore multipliciter elongatus singularis fui & sequestratus, ac sine amore & delectatione degens, adeo quod frequenter etiam vixi cum odio & simultate. Adiuuare ergo me digneris, per tuum dulcissimum amorem, & accendere cor meum ad amorem tibi placitum, vt amem & diligam, quæ amare & diligere debeo, vt vitam amoris, in te amando, consequar sempiternam, Amen.

Vnde oriatur amor Dei. Cap. 2.

Oritur amor dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris, velut lachrymæ, quæ ab oculis in pectus cadunt, quia ab intellectu amor oritur, & cadit in cor per fidem. Sic sancti per fidem vicerunt regna. Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris, quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec vllo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei Patris, sicut tu Domine Iesu Christe, amantium vita, dixisti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, scil. per gratiam ad mei amorem. Intrat vero amor mentem hominum per auditum aurium: quia dum de aliquo, bona aliqua audiuntur: ex ipso auditu cõcipitur amor in corde audientis ad diligendum illum. Oritur amor, per locutionem bonam, quia principium amicitiæ, est bene loqui: male vero dicere, exordium inimicitiarum. Oritur amor, per bona obsequia præstita inuicem & recepta. Nam qui obsequium præstare nescit, iniustè petit, imo etiam in odium cadit. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnia diligis: si ista in corde meo cõtinua meditatione cogitarem, super omnia diligere te deberem: videlicet per fidem, quæ tibi placet, quod per ipsam omnes sanas & saluas, quia dicis: *Fides tua te saluum fecit*, & sine illa nemo tibi placere potest. Oritur etiam amor ad te amandum, per auditum, quia de te scriptum est: *Qui audit me non confundetur*: sed beati sunt qui audiunt: & qui te vero amore diligunt. Oritur etiam amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata, quia quicquid boni habemus, à te habemus: & vltra multa dona, teipsum nobis dedisti quum de cœlo propter nos descendisti, teipsum

Heb. 11.

Ioan. 6. Dei amor ex audita oritur.

Luc. 17.

A

Phil. 2. Psalm. 8.

ipsum exinaniens & formam serui accipiens, minoratus paulominus à Deo, quum etiam propter nos conuitia, flagella, opprobria, contumelias, sputa, & tandem mortem turpissimam crudelissimamq; sustinuisti. Sed ego ingratissimus peccator, licet tanta & magnifica dona tua cognouerim, & originē tanti amoris viderim: tibi tamen pauca aut nulla dona rependere curaui, sed totus ingratitudine plenus, tanquam quodammodo inimicus aduersum te me posui: tibi contraria & displicentia, corde, voce, & opere exercendo. Adiuuet igitur me, clementissime Domine Iesu Christe, amor tuus, remittendo quę iniquè egi, & inflāmet ad amorem tuum dulcissimum, vt te timendo & efficaciter diligendo, tibi placita agam feliciter, & adimpleam: iniqua autem toto corde & opere respuam, vt ad regnum perpetuo te amantium perueniam sempiternum. Amen.

Qualiter Deus nos dilexit. Cap. 3.

Dilexisti & amasti nos dulciter, benignissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris, dum carnem nostrā mortalem humiliter induisti, sola dilectione & amore inductus. Dilexisti nos sapienter, O amantiū vita, Domine Iesu Christe; quia carnem nostram mortalem induendo, omni peccato caruisti.

B

Dilexisti nos fortiter, quia mortē turpissimā & crūdelissimam pro nobis miseris voluntariè sustinuisti. Et licet nos in carne visitaueris, non tamen carnaliter amasti, sed in prudentia spiritus. Itaq; quos in carne quæsiuisti, dilexisti in spiritu, & redemisti in virtute. In carnis autem assumptione accōmodasti te nobis, in culpæ vitatione cōsuluisti tibi, & in mortis susceptione satisfecisti Deo Patri. Et sic Domine Iesu Christe, vita nostra, amicus dulcis, cōsiliarios prudens, & adiutor fortis fuisti. Et nisi amasses nos dulciter, non requisisses in carcere, sed adiunxisti affectioni & dilectioni sapientiam, quia tyrānum decepisti: adiunxisti etiā patientiā, quia offensum Deum Patrē placasti.

Christi aduentus in nostras animas.

Et sicut ad operandum salutē in medio terræ ex nimia dilectione semel venisti in carne visibilis, ita quotidie ꝓpter maximam dilectionem quam habes ad animas nostras, venis inuisibilis ad saluādas eas, mentes nostras tua potentia inuisibili illustrādo.

C

O clementissime Domine Iesu Christe, indeficiens amor, si tuam infinitā dilectionem considerarem, non oporteret me trāsfretare maria, penetrare nubes, montes transire, quia non grandis mihi restat via ad te amādum: solum enim opus est, vt curram ad meipsum, scil. ad compunctionem & confessionem, vt sic exeam de sterquilinio miserrimæ conscientię, vt illuc intrare valeas per gratiam & amorem. O misericordissime Domine Iesu Christe ego iniquissimus peccator dignus sum, & dignū me sentio odio non amore tuo, pœna, non gloria, quia licet non cognouerim ex tua immensa pietate tuā exuberantē dilectionem & amorem dulcissimum, tamen his obliuioni quomodo traditis, gratias tibi non rependi, nec meipsum disposui: vt tuā dilectionem in me ampliori gratia augeres. Sed tempus ad iracundiā & vindictam prouocaui ob miserabilem vitam meam, quā diuersis vitiis & peccatis contaminaui. Succurre mihi Domine Iesu Christe per tuum sanctū amorem, & sic me misericorditer dispone, vt amor tuus dulcissimus reformetur in me, per quem hic viuendo in gratia tua, in fine, amore tuo perfruar sempiterno. Amen.

D

Qualis est amor Dei. Cap. 4.

O amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor te intra te cohibere non valēs, qui præter te aliud cogitare nō sinis, fastidis cætera, contēnis omnia præter te, dulcorem capis, strenuè stringis, sapienter erudis, gloriosè illaqueas, ouetas delectabiliter, feliciter vris, in dicto expectatis, nec consilio tēperans, nec pudore refrenatis, quæ rationi subijceris: affectibus es desiderabilis, experientia dulcis, iucunditate plenus, fruitione æternus, satians & reficiens, nunquā fastidium generans. Nihil Domine Iesu Christe, fons veri amoris, amorē tuo suauius, nihil dulcius, nihil vtilius, nihilq; iucundius: Amor tuus Dñe non molestat, sed cō exultatione & gaudio stringitur, & cum securitate desideratur.

Diuini amoris effectus.

Vbi tuus amor est Domine, labor non est, sed sapor: seipso contētus est, cōfundit ordines, dissimulat vsum, ignorat modū, totumq; quod opportunitatis, quod rationis, ꝓ pudoris, & quod consilij iudicijve videtur, triūphat in seipso, & redigit in captiuitatē. Amor tuus, Domine, libertatem donat, timorē pellit, laborem non sentit, meritū non respicit, præmiū non requirit, fessos alleuiat, debiles roborat, mœstos lætificat, esurientes reficit, & deficientes iocundos reddit.

B

Amor tuus Dñe Iesu Christe, qui es fons amoris, imo amor ipse, dissimulat & expectat & sustinet delinquentem, eumq; benignè trahit, adducit, & conuerti facit ab errore viæ eius. Amor tuus Domine Iesu Christe, fons vitæ est: nec viuere anima potest, quæ nō hauserit ex illo: neque haurire potest, nisi pręsens fuerit ipsi fonti, scil. tibi qui es fons totius amoris. O fons veri amoris & immensæ dulcedinis, qui nunquam deficis, sed semper reficis: ego miserabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorū, magnam sitim amoris patior, quia à te fonte viuo sum nimiū elongatus. Respicere ergo me digneris misericorditer, & dedocere me ad te fontē amoris & dilectionis, vt hauriam aquam tanti amoris tui, illam bibam, illa recreer, illius suauitatem & saporem degustem: ex illa lauetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati, vt mundata ab omni inquinamento, tibi placeat & tibi seruiat, ac tecum viuat per amorem in infinita seculorum secula, Amen.

F

De violentia amoris Dei. Cap. 5.

O violentia diuini amoris, qua summus omniū, infimus factus est: hoc namq; fecit verus amor, dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potēs, suasu efficax. Nihil o Domine Iesu Christe, fons imò abysse amoris, violentius triūphat de te q̄ amor, propter quē temetipsum exinanisti, vt sciremus plenitudinem effusam esse, altitudinem adęquatā, & singularitatem associatam. Atq; violentia tui amoris, nos fœdos & deformes amauit: non sic tamen vt tales dimitteres, sed vt ex fœdis pulchros, & ex deformib. formosos faceres. Amasti.n. nos Domine Iesu Christe, abyssalis amor ex abysso amoris, & fecisti te, ꝓpter nos, hominē: sublecisti te, & suscepisti nos: inclinasti te vt nos erigeres, exinanisti te maiestate, vt impleres nos diuinitate: descēdisti vsq; ad nos, vt ascenderemus ad te. Non. n. est pater, nō mater, non amicus, non alius quisquā qui nos tantum dilexerit, quantū tu Dñe qui fecisti nos. Absorbeat igitur quæso, amantissime Domine, mentē meam ab omnib. quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis tui amoris, vt totus tibi inhæream, solaq; suauitatis tuæ dulcedine pascar, delecter, ac inebrier.

G

O Dñe Iesu Christe, quàm felix bonum est & q̄ desiderabile, violentiam tui amoris sentire, quæ pectora nostra radiis tanti amoris quotidie illustrat, pestes mētis sanat, secreta cordis illuminat, mentē fouendo saginat, & animam exhilarando corroborat. O quā dulcis est misericordia & suauitas amoris tui Dñe Iesu Christe, largitor amoris, qua perfruuntur illi qui præter te nihil diligunt, nihil quærūt, nihil etiam cogitare concupiscunt. Ad amorem tuū præueniendo nos inuitas: ꝑtipis, & pertrahis, tanta est violentia tui amoris. Nulla. n. est maior inuitatio, præreptio & pertractio ad amorē, quam præuenire amādo, quia animus q prius torpebat, quū se pręamari sentit, excitatur. Quod si iā feruebat, quum se amari & præamari didicit, magis accenditur. O amantissime Dñe Iesu Christe, licet me indicibiliter amaueris, ego tamen impijssimus peccator, cor lapideū & ferreum gerens, amorē tuum ignitū in pectore meo frigido non recognoui, & licet tuam dilectionem quā vltro impendebas, desiderarem mihi impendi, nolui tamē vice versa, dilectionem tibi rependere.

H

Auxiliari igitur mihi dignare pijssime Domine Iesu Christe, qui non potes non amare, & per violentiā tui dulcissimi amoris cōpelle rebellem animum meum ad te amandum, vt tibi placidè seruiā, & vitam obtineam in amore sempiternam. Amen.

Quomodo cognoscit anima se diligi à Deo. Cap. 6.

Scio benignissime Domine Iesu Christe, amor & amātium vita, quod qui vehementer diligit te, etiam a te infinities vehementius diligi non ambigit. Quodq; sua singulari intētione, solicitudine, cura, opera, diligētia ac studio, quo incessanter & ardēter inuigilat, quo pacto placeat tibi: multo magis omnia hæc in te indubitanter agnoscit. Amor. n. tuus, amorem animæ parit, & tua præcurrens intentio intentā animam facit, solicitudoq; solicitam. Qualem igitur se præparauerit anima tibi, talis tu eminenter per tuam infinitā misericordiam appares ei, quia scriptū est: *Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris*: quare & cum amāte amans, cū vacante vacans, cum intento intentus, & cū solicito solicitus.

Psalm. 17.

Tanta est Dñe Iesu Christe, amantiu summe benignitas & misericordia tua erga animas nostras, quod si anima ad te vigilat, multò prius vigilas & tu: si anima cō-

A surgit in nocte in principio vigiliarum, & accelerat quantu potest, etiã ipsas longe anticipare vigilias inuenierte, nec poterit te præuenire. Semper enim in tali negotio plus aliquid tribuis gratiæ tuæ, & plus semp amas: plus quoq; extenditur & dilatatur amor tuus ad ipsam aiã & ante & post. Quæ omnia deuota & tibi grata anima cõsiderans, & sic admirans tuam ineffabilẽ maiestatem, cætera nõ curat, sed tibi soli intendere gloriatur, & se tibi soli (te donante) postpositis curis omnibus, tota deuotione custodit. O amator amorum. O amantissime Dñe Iesu Christe, tanta & tam inæstimabili bonitate redundas, quod semper amãdo nos, nos præuenis, quærentibus te exhibes & occurris, diligis, imò tua immensa dilectio vsq, ad inimicos se extẽdit, nulli te negas, nullum spernis, sed oẽs mano amica vocas & recipis, nisi quantum per peccatum à te Inuito & nolente contumaciter, & inobedienter recedunt, sed adhoc tã immensa & exuberans est tua dilectio, quod in peccatis mise-
B rabiliter iacentes expectas ad pœnitentiam, & interdũ rebelles redire compellis. Adiuuare igitur me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris, & accende & illumina cor meum durum & rebelle ad amorem tuum, quo adiuuante, de peccatis & malis meis ꝑpte doleam, dignè per te satisfaciã, opera studiosa, & tibi placita corde puro, humili & amanti exerceam, vt tua gratia præueniente, assistente, & subsequente, sic in præsenti vita amore tuo viuam, vt illa finita, ad te gloriosè amandum, misericorditer vitam obtineam sempiternam, Amen.

De operatione amoris Dei. Cap. 7.

O admirãda diuinæ propitiationis dilectio. Serui digni non sumus. Tu aũt benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, amorem tuũ & dilectionẽ ostendendo & operando in indignis seruis tuis, & (vt de cæteris taceã) in me miserabili creatura tua, à multis variisq. periculis me liberasti, quia me deuiantẽ reduxisti, ignarum docuisti, dum peccarem, ad pœnitentiam expectasti, prostratũ erexisti, & ad te venientem largissima pietate tua suscepisti: omne meritum meũ nihil omnino esse potest in cõparatione operati-
C onis amoris tui. amor tuus dulcissime & amantissime Iesu Christe, operatur in me sine spe recipiendi à me, *quia bonorum meorum non eges*, neq; quicquam condignè amori tuo conferre possum, nec eum explicare sermone, quia tantus est & tam immensus amor tuus, quod dum peccabam, tu silebas dum non continebam à vitiis & peccatis, tu a verberib. abstinebas, dum perseuerabam in iniquitatibus multis & diuersis, tu vindictam differebas. Ad omnẽ tribulationẽ & necessitatẽ apertus mihi fuit dulcissimus amor tuus, & sinus tuæ infinitæ dilectionis expassus: nec cõsiderauit indignũ, sed necessitatib. meis omnibus subuenit. O amoris inæstimabilis operatio. Sic.n. Domine me visitasti, & cor meum durum mutasti, vt amara sentiam nunc illa, quæ antea malè dulcia mihi erant, & quæ lętabar tunc cũ malè in rebus pessimis agebam, nunc incipiam *tibi recogitare annos meos in amaritudine animæ meæ*. Quare ô Domine Iesu Christe, amator bone, qui commoues terram cordis mei & conturbas eam, sana obsecro, contritiones eius, quia commota est. Non recedat operatio tui dulcissimi amoris à me cre-
D atura tua; intret in animam meã, & mundet eam à fæcibus peccatorum, illustret eam incendio veræ dilectionis, excitet eam à tẽpore ignauiæ: tollat ab ea ignorantiam, & doceat quæ agere & exercere debeã. O misericordissime Dñe Iesu Christe, qui omnem amorẽ superas, cogitare non valeo, quanta dilectione me amasti, & q̃ liberaliter & gratis: quia licet te diuersis modis offenderem, nec à peccatis cessarem, tu tamen dissimulabas, nec ad puniendũ me accelerabas, imò tanquã ouem errantem & pereuntem, vt sacris humeris imponeres, requirebas, præ incomprehensibili amore quo cũcta quæ fecisti, amas. Gratias itaq; tibi ago, & tuo immenso amori, tuæq; immensæ pietati & clementiæ, & te humili corde ac simplici precor, vt tua dilectio me nõ deserat, sed mecũ sit, me adiuuet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis, vt hic ad tuũ placitum viuẽdo tibi semper seruiam, te incessanter diligam, & tandem ad dilectionem tuam perueniam sempiternam. Amen.

De magnitudine amoris Dei. Cap. 8.

Licet Domine Deus meus, mundus in maligno positus esset, & plenus miseria, tamen pro nobis in mundũ tuũ benedictum filiũ misisti, imò etiam ex abundantia tui amoris illũ in internũ transmisisti, vt inde suos extraheret: ad hoc
E enim misisti ipsum in mundũ, vt vẽditus nos redimeret, occisus viuificaret, iniurias passus honoraret, & in filios adoptaret. Misisti igitur verbum tuũ: misisti spiritum tuum, ꝓmittis vultũ, & ne quid in cœlestib. vacet, ad opera nostra solicitanda, etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium, & insuper humanam naturam in eadẽ persona diuinæ naturæ associari voluisti, Dilexisti nos Domine gratis, morti dãnatos, & vita indignos. Omnes.n. ducebamur, tanquam latrones ad supplicium, quia ad infernũ trahebamur, sed filius tuus superbenedictus nobis subuenit, & pro nobis fideiussit: quam fideiussionem semper in memoria habere debemus, sicut scriptum est: *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.* Tu Domine Deus meus, præ magnitudine amoris tui, non pepercisti filio tuo vnigenito, sed pro nobis omnibus illũ tradidisti, & ad te nos attraxisti, dum sororẽ nostrã, scilicet hu-
F manam naturam benedicto filio tuo inseparabiliter copulasti, sic enim scribitur: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Domine Deꝰ, ignis amoris consumens, gloriosius non potuit nubere caro nostra. Vnde si matrimonium inter homines sic attrahit eos, vt de inimicis valde amicus faciat, quantum deberet homines id attrahere ad amandũ te, q̃ sororem nostram, f. humanam naturam tuo benedicto filio inseparabiliter copulasti: Sed Domine Deus meus, ego sum ingratissimus ille & superbissimus peccator, qui tantam ingratitudinẽ amoris non cõsiderans, & tam mirabilem copulã non contemplans, me ad amandũ te, totum Filium & Spiritum S. vnum Deum & vnum Dñm non disposui, sed ad amanda mala: noxia & iniqua sui multipliciter inclinatus, & illa ad effectum frequenter perduxi. Adiuuare ergo me dignare misericordissime Domine indultor amoris, & dirige me, vt te super omnia diligam, & tua infinita beneficia recognoscam, mente teneam, & pro ipsis gratias tibi agam, & in fine vitam in amore mihi misericorditer concede sempiternam, Amen.

G De causa diligendi Deum. Cap. 9.

O misericordissime Dñe Iesu Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et te diligendi modus, est sine modo, quia infinite bonus sis, & omnimodus noster diligendi finitus diligẽdos est supra omnem modũ, & ideo nihil te iustius, nihilq; fructuosius diligi potest: infinitum namque Domine Iesu Christe, verè amatorũ amor, meritus est de nobis, quia nobis immeritis temetipsum dedisti. Tu es causa efficiens, & finalis amoris & dilectionis, vt occasionem habeas glorificandi nos, quia tu occasionem das, tu affectionẽ creas, tu desiderium consumas. Tu.n. fecisti hominem, imò factus es homo, vt te amemus. Tuus amor amorem nostrum præparat & remunerat, præcedit benignius & expectatur suauius, & diues es in omnib. qui inueniunt illũ. Se dat in meritum, se seruat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, & se distrahit in redemptionem captiuarum. Si tuum meritum quæritur, illud est præcipuũ quia tu prior dilexisti nos. Et ideo dignũ & iustum est, vt te redamemus, ꝓsertim si mente humili & deuota desiderare velimus tuã misericordiam, gratuitam dilectionẽ, inopinatã dignationem, inuictam mansuetudinem, & stupendã dul-
H cedinem. Quid.n aliud isti faciunt benignissime & superamabilis Domine Iesu Christe, diligenter considerata, nisi vt considerantis animum ad te visceraliter rapiant, vehementer afficiãt, faciantq; contẽnere omnia, præter te Dñe? Verus amor tuus clementissime Domine Iesu Christe, vacuus esse non potest, sed eius ꝓmium, incipienti proponitur, amanti ꝓmittitur, & perseueranti redditur. Anima te Dñe veraciter amans, aliud præter te, sui amoris præmium nõ requirit: aut si aliud requirit, profectò te non diligit. O mitissime Domine Iesu Christe, ego sum ille peruersissimꝰ peccator, qui te posthabẽdo in transitoriis & caducis amorem cordis mei posui, & illa quæ diu conseruare non poteram, tota mente dilexi. Adiuua me piissime Domine Iesu Christe, amator fortis, & dirige cor meum, vt te amẽ & diligam, mundana contemnens, ea tanquam inutilia & noxia penitus derelinquam, peccata odio habeam, de præteritis doleam, & condigne virtute amoris satisfaciam, & à futuris malis & peccatis præcaueam, vt tibi amore syncero & assiduo seruiẽdo & placendo, tandem tuã dilectionẽ

Psalm. 15.

Isai. 38.

A per infinita seculorũ secula adipiscar immortalem, Amen.

Qualiter Deus diligatur. Cap. 10.

Non mirum est Domine Deus meus, si infidelis minus diligit te, minus.n.te agnoscit. Sed quid est Domine de me miserabili creatura tua? Te.n. per veram fidẽ agnosco, & te teneo vitę meæ nõ solũ gratuitũ largitorem, largissimũ administratorẽ, pium consolatorẽ, solicitũ gubernatorẽ, sed insuper etiam copiosissimũ redemptorẽ, æternũ conseruatorem, ditatorẽ, & glorificatorẽ, vrget namq; ratio & iustitia naturalis, vt totũ me per amorẽ tradam tibi, à quo me totũ habeo: & si totũ me debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandũ sum tibi obligatus, quia me refecisti, nec tam facile me refecisti, q̃ fecisti: nã semel dicendo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura. & indigna. O benignissime Iesu amor meus, *quid retribuã tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi?* In primo enim opere, me mihi; in secundo vero, teipsum mihi dedisti, & tunc te mihi dando, me mihi reddidisti. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis quidẽ debeo. Quid ergo retribuã pro te? Nã etiam si me infinities repẽdere possẽ, nihil sum ego ad te. O

Psalm. 115.

B Domine Iesu Christe, languentes animos amore reficiens, si intelligentia q̃ mihi dedisti, vti vellẽ sicut deberem, cernerẽ manifeste quomodo. imo quam sine modo à me creatura tua amari merueris, qui prior dilexit me tant' & tantũ & gratis, tantillũ, & talẽ, & ingratum. Scio Domine, q̃ dilectio tua tendit in imensum & in infinitũ quia tu immensus es & infinitus. Quęso igitur Dñe, qualis finis debet esse mei vel modus amoris? Amor.n.meus Domine, non est gratuitus, sed rependitur debitus. O clementissime Domine Iesu Christe, amicos tuos viuificans amore, extẽde ad me peccatorem miserabilẽ exuberantem tuã dilectionem, vt te diligam, pro dono tuo, & modo meo minus quidẽ iusto, nã etsi quantũ debeo non possum, non possum tñ vltra quam possum: potero aũt plus, quũ plus donare dignaberis, nunquam tñ prout dignus haberis. Dignetur mihi tuũ amantissimũ amorẽ, quo te donante, te diligam & amẽ, tibi placeã, tibi seruiã, tua pcepta adimpleam, à te nunquã separer, sed tecum maneã agglutinatus amore in sempiternum, Amẽ.

C O immensitas amoris dulcissime Domine Iesu Christe, doce me quemadmodum diligam te: fac mecum tuã misericordiam, vt te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine auertar: prudẽter, ne decipiar: fortiter, ne opprimar, aut ab amore tuo vllo modo, siue mundi gloria, siue carnis illecebris aut voluptatib. abducar. Informes me Dñe tu qui sapientia es, ne seducat spiritu mendacij & erroris. Luceicas in me tu qui es veritas, ne aduersitatibus & scandalis offendar. Cõforta me tu qui es virtus, ne deficiam in tuo seruitio. Zelum meum inflammet charitas tua, tua scientia cognitionem meam dirigat, & constantia tua propositum bonũ firmet, vt prædictis munitus, sim in tuo amore feruidus, circunspectus, & inuictus, ne teporem habeam, ne caream discretione, & ne timidus efficiar, sed diligam te Dñm meum toto & pleno cordis affectu, diligam te tota rationis vigilantia & circumspectione, diligã te tota virtute, adeo vt nec mori pro tuo amore pertimescam. Sis suauis & dulcis Domine affectui meo, cõtra fallaces & malè dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat falsam dulcedinem

De triplici modo diligendi Deũ Cap. 11.

D dulcedo tua vera, quemadmodũ clauum clauus extrudit, & sis intellectui præuia lux, & lux rationi, non solũ ad cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & ab eorum versutiis fidei veritatem vindicandam, verumetiã vt nimiam & indiscretam vehementiam in mea conuersatione deuitem. Tu namq; Domine sapientia es, & vis amari dulciter, & sapienter; alioqui facillimè zelo meo spiritus illuderet erroris, si scientiam negligam. Scio namq; Domine quod nõ habet callidus hostis machinamentũ vllum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, q̃ si efficere possit, vt in ea incautè & sine ratione ambulem. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum, non cedens terroribus, nec succumbens laboribus. *Diligam te Domine fortitudo mea, quia tu es firmamentum meũ & refugium meũ, liberator meus, Deus meus, adiutor meus*, amor æternus, amor supereminens, amor cuius magnitudinis nõ est finis, amor cuius sapientiæ non est numerus, amor cuius pax exuperat omnem sensum. Diligam te non verbo solum ac lingua, sed opere ac veritate, vt tua

Deus sapienter amãdus.

Psal. 17.

gratia in præsenti suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante perueniam sempiternã, Amen. E

Toto corde te diligere ô Iesu immensitudo amoris, est non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi iniuriis, sed integrè te sic diligere ex toto corde, vt ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur quam ad te, nec delectetur in aliqua re magis, quã in te: minus.n.te amat, qui aliquid tecum amat, quod non pp te amat, totum namq; exigis, qui totum hominem fecisti, diligi enim debes Dñe ex toto corde, ratione & creationis, & recreationis: quia.n. hominem fecisti, & redemisti, debet se amori tuo. Et tanto magis debet se amori tuo quam sibiipsi, quantũ tu maior es ipso, pro quo teipsum dedisti. O benignissime Domine Iesu Christe, amor immense, frange, mollifica cor meum durissimum, vt si ad alium non valet eleuari, saltem ad purum amorem sensibilem flectatur, s. ad benedictam carnẽ tuam, & ad illa quæ in carne gessisti vel iussisti, vt omnia libenter audiam, studiosè legam, frequenter recolam, suauiter mediter, te annunciatum contempler deuotè, aut nascentem, aut lactantem aut docentẽ, aut ieiunantem, aut prædicantem, aut miracula facientem, aut morientem, aut resurgentem, aut ascendentẽ, aut ad iudicium venientem: sic animus meus stringatur in amore tuo, vt carnis deuitet vitia, fugiat illecebras, desideria maligna extirpet, & in te assiduè recreetur, atq; tuo dulcissimo amore pascatur. Scio Domine, quod per amorem tuũ vita carnalis excludetur, mundus contemnetur, & efficietur, ac perficietur vita spiritualis, vt ipsa in omnibus quæ oportet sentire, te sentiat, & vera fide firmetur, puritas conseruetur, diabolica circũuentio euitetur, augeatur exercitiũ virtutum, & amor tuus mihi dominetur, nec posthac separetur à me, sed sic in præsenti me gubernet, cõseruet, & viuere faciat, vt te adiuuante & donãte, amor in regno tuo, sit mihi vita sempiterna, Amẽ.

Quid sit diligere Deũ ex toto corde. Cap. 12. Cant. 6.

F

Diuini amoris effectus.

Diligendus es Domine Iesu Christe, totius amoris plenitudo, ex tota anima, scil. fideliter, sicut nos dilexisti qui maluisti animam tuã separari à corpore, quam animas nostras separari à te. Qui.n. diligit tota anima, non timet mortem, quia dilectio est cõdimentum dulcorans, nam nihil dulcius aut delectabilius amore. Sine amore omnia sunt insipida & amara: quę aũt sunt amara quantumcumq; sunt amara, fiũt dulcia amore, sicut sancti Patres in desertis probauerunt, vtentes pro alimento herbis & arborum corticibus, sicco pane & aqua frigida: terra pro lecto, lapide pro ceruicali, & cilicio pro vestimento, in quibus omnib. propter amorem tuum, saporem & delectationem & dulcedinem magnã sentiabant. Omnia namq; grauia & difficilia verus amor facit facilia, & quasi nulla. Ideo SS. Martyres, omnia tormentorum genera tanquã dulcia non solum patienter, sed etiã hilariter præ ardenti amore sustinebant: labor namq; non fatigat amorem, tormentum amorem nõ superat, amor quiete fit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio, sed dilectio quiescere nescit, requies.n. eius est inquietudo. Qui huius amoris gustu inebriatus fuerit, ad omne opus bonũ hilarescit, dolet & non sentit: laborat, & non lassatur, deridetur nec aduertit. Amorem animæ thesaurus nullus superat: nescit.n.homo pretium eius, quia omne aurum in cõparatione amoris, arena est exigua. Sine amore diues pauper est: & cũ illo pauper diues est, quia qui Deum tota anima amat, iã habet quem amat, nec enim verè diligere posset, si eum quem diligit non haberet. Amorem tuum Domine alienus amor non occupat, nec ei cõmiscetur, quia non possunt commisceri vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis. O clementissime Dñe Iesu Christe, incõprehensibilis dilectionis author & infusor, ego miserrimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea, sed amorem meum posui in mundanis, vanis & noxiis damnabilibusq; rebus. Et sic iste miserabilis amor, ducet me ad odium tuum perpetuũ, nisi tua infinita misericordia, infinitus amor tuus adiuuare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus gloriosus amor, qui me trahat ad te, relicto isto transitorio amore, vt in tua dilectione perpetuo valeam manere, Amen.

Quid sit diligere Deum ex tota anima. Cap. 13.

G

Deut. 30.

Diuini amoris effectus.

H

Piissime Domine Iesu Christe, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente, scil. memoranter, perpetuo ac perseueranter, vt omnes sensus hominis, scil. vo-

Quid sit diligere Deũ ex tota mente. Cap. 14. Prou. 17.

A

luntas intellectus, memoria, & omnes eorum operationes tibi vacent. Quod si in aliorum dilectione occupentur, iã ex tota mente, qui sic occupatur, te non diligit. Scriptum est enim: *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Talis igitur dilectio totius mentis est ligamen, viscum & glutinum, hominem tibi indissolubiliter vniens atq; ligans, quia amor est quædam vis mutua & virtus agglutinatiua, summa mouẽs ad infima, & nouissima i. subiecta, ad meliorum, id est, suprapositorum confirmationẽ, vt anima hæc glutino glutinata, tibi dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tantus est namq; amor à tota mente procedens, quod anima tibi vnita tali dilectionis glutino, nec pœna nec tormento, nec igne nec ferro, nec vllo alio supplicio potest dissolui, nisi adueniat peccati mortalis immunditia: imò citius Dñe Iesu Christe amantium portus, manus à brachio, caput à collo solueretur, & amoueretur, quam anima tali glutino amoris tibi vnita & coniuncta, à te aliquo modo separetur: res enim forti glutino glutinata, citius rumpitur & frangitur in aliis locis, quam in ipsa coniunctura. Sic etiam est de anima, vt patet de sanctis Martyribus, qui à tuo amore nullis pœnis poterant auelli, vel quantulumcumq; separari, facilius enim pes separaretur à tibia, & caput a ceruice, quã ipsi à te. O dilectio, quam magnũ est vinculum tuum, quo ligari potuit Deus? O Christe, opifex amoris, hoc vinculum te in cruce tenuit, quem oẽs funes totius mũdi nullatenus tenuissent. Amor benignissime Domine ex mẽte procedens, *est triplex funiculus, qui difficilè rumpitur*, quia te diligere debemus ex toto corde i. intellectu sine errore: ex tota anima, id est, volũtate sine contradictione: & tota mente & virtute i. memoria sine obliuione. Concede mihi misericordissime Iesu, largitor amoris potentissime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente, vt à te nunquã valeam separari, sed tecũ perpetuo in pfecto amore permaneam, Amẽ.

Cant. 2.

B

Quod amor est in tentatione armatura animæ. Cap. 15.

Homo scuto & armatura munitus amoris tui benignissime Domine Iesu Christe, in tentationis prælio stat inconcussus, inuincibilis, atque firmissimus, non timens etiã si cum eo tota acies dæmoniaca decertaret. Tu enim piissime Domine Iesu homini amorem habenti, bonus adiutor & fortis defensor assistis, quia tu amor es, & qui tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, vt verus & fidelis amicus qui libenter subuenit amico, suo, & eum defendit, sicut scriptum est: *Custodit Dominus oẽs diligentes se, & omnes peccatores* (id est, dæmones infernales, vel homines pestilentes) *disperdet*. Sed Domine, non sic est de alia virtute, quia tu, si quis sine dilectione aliquid faciat non sic præsto es ei, nec assistis ad adiuuandum. Dilectio vera in te Domine Iesu Christe, amator verissime, hominem inuincibilem reddit, eum enim ex omni parte protegit & defendit, quod nulla facit alia virtus, sed ex vna parte tantum. Nam abstinentia, à gula tantum defendit; pudicitia, à luxuria & ita de cæteris. Imo alia virtus sine dilectione, ex vna parte defendit, & ex altera succumbit, dum scilicet de eius actu & opere oritur iactantia, & nascitur vana gloria, vt patet in eleemosyna & ieiunio, quæ nihil valent, nisi tua dilectione directa sint & protecta. Et ideo diabolus hãc armaturam dilectionis inuadere summopere studet. Nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet, quia ipse in carne non premitur, vt in luxuriam dissoluatur: abstinentiã non timet, quia cibo non vtitur, qui necessitate corporis non vrgetur: distributionem rerum terrenarum non timet, si dilectio desit, quia diuitiarũ subsidiis non eget. Sed valde timet in nobis dilectionem verã qua te diligimus, & proximum, & semper eum cordis inuidet, quia dilectionẽ quam tenemus in terris, ipse tenere nolens, corruit è cælis. Dilectio tua Dñe Iesu Christe, ab omnibus diligi dignissime, omnem tentationẽ repellit, non alia virtus: nã alia virtus cũ peccato & informis esse potest, vt etiã morales virtutes Philosophis fuerẽ. Ideoq; non ab omni peccato, nec ab tentatione defendunt. Sed dilectio tua omni peccato cõtrariatur, & omni tẽtationi resistit: imo nec morte, nec tormento succumbit. Vinci nequit, imo de morte obtinet victoriam & triumphũ. Hanc veram dilectionẽ tribue mihi misericorditer Domine Iesu Christe, tota virtus & vigor amantium, vt tecum semper in amore maneam, Amen.

C

Psal. 140.

D

Quod per amorem peccatum remittitur. Cap. 16.

Tanta est vis amoris Domine Iesu Christe, quod per amorem peccata remittuntur. Non est enim peccatũ, quod dilectione tua non remittatur, non culpa, non noxa tam grauis vel enormis, quæ adueniente dilectione nõ expellatur, nõ macula tam fœda, tenax ac etiam inueterata, quæ non tua dilectione & amore dissoluatur, quia tua dilectio omni culpæ mortali contrariatur, nec cum aliqua esse potest: habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere, sicut calidũ frigus expellit. Sed non sic est de alia quacunque virtute. Vt patet de beata peccatrice, quæ tot peccata habuit, & tamen dilectionis virtute, omnia sunt ei dimissa, ab ore veritatis dictum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Licet enim abundanter fleuerit, pedes lachrymis lauerit, capillis tersarit, pedes osculata fuerit & vnxerit; tamen istis nõ attribuitur remissio, sed soli dilectioni, quia sine dilectione parum valuissent: sed fuerunt signa quædam scintillæ ignis, à dilectione præparata, quæ eatenus tibi grata fuẽre, quatenus ab amore imperata: dilexit namq; te multum, quia *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente.* quod euidenter patet in iis dilectionis signis quæ ostendit: dilexit enim te super omnia, sed non nimis, quia tu Domine nimis diligi non potes: imo modus diligẽdi te, sine modo est. Et in hoc etiã patet nobilitas & valor dilectionis eius, quia in excessu non amittitur, nec augmẽtum eius in vitiũ vertitur, sed in commodum & profectũ. Contra tamen homo potest nimis ieiunare, eleemosynas dare, orare, & sperare. Virtutes quoque morales si transcẽdant modum vel medium, in vitium & malitiam conuertuntur. O Domine Iesu Christe, amator bone, ego miser & vinosos peccator, ista mente reuoluens, nec mente, nec opere ad effectum perduxi, sed à vero amore & dilectione elongatus, & totus frigidus factus, in peccatis & vitiis innumerabilibus, tempus meũ miserabiliter cõsumpsi. Adiuuare me digneris misericordissime Dñe Iesu Christe, immẽse fons amoris, & vt peccata mea benignè remittas, dilectionem tuã mihi digneris infundere sempiternã, Amẽ.

E

Luc. 7.

F

G

Quod amor est via rectissima ad Deum. Cap. 17.

Vera dilectio benignissime Domine Iesu Christe qui es merces amoris, est via rectissima veniẽdi ad te, nec opus est aliqua alia virtute, in cuius exercitio potest esse via obliqua sed solum amore & dilectione, quæ ad cœlestem patriam verè ducunt, quia alia quæcunq; virtus, informis esse potest & cũ peccato, & ex eius actu sæpe oritur vana gloria, quæ vt ventus impedit viatorem, imo impellit in chaos inferni: Nã peregrè pergens, carnis afflictionem assumẽs, eleemosynas erogans, sæpè vento vanæ gloriæ impetitur, & dum ad pœnitentiam se credit, labitur in infernum. Non ergo Domine Iesu Christe, susceptor amoris & largitor, ieiuniũ, oratio, eleemosyna est via recta omnino, sed amor & dilectio tua, est via rectissima absq; deuio: via breuis, absq; tædio: via plana, absque tumulo: via clara, absq; nubilo: via secura, absque periculo: via iucunda cum bono socio, scilicet cum te Domine, amantissimo duce, via veniendi ad æterna gaudia, quæ non permittit viatorẽ ad dextram, quæ est prosperitas, nec ad sinistrã, quæ aduersitas est, declinare. Ista via amoris Domine Iesu Christe: dux amantium æternè, est vera non ficta, neq; palliata: via cordialis, non verbalis: via fructuosa, non otiosa: via nõ solum sermonis, sed etiam operis: via cauta, non improuida: prudens, nõ fatua, ita quod persona ametur, & culpa refutetur: via magna, nõ modica, ita quod *animam suam ponat quis pro amicis suis*: via constans, non momentanea, sicut tu Domine in fine ostendisti: *quos quum dilexisses tuos, in finem dilexisti eos*: si quis igitur ad patriam cœlestem velit celeriter peruenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui ob nimium amorem, etiam non amantium misereris; iniqua & peruersa atque falsa fuit dilectio mea, quia non fuit cordialis, sed verbalis: non vera, sed ficta: meos amicos in suis sceleribus & peccatis defendi, & sic *iniquos odio non habui*: amaui fortunã, & ea mutata, amorem mutaui. Parce mihi piissime Iesu, & veniam dare mihi dignare, & concede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, vt relicto vano amore, tibi non placito, te super omnia amem & diligam assiduè, & sine alicuius temporis interpositione: nec à tua dilectione separer, sed cum ea permaneam in sæcula. Amen.

H

Ioan 13.

Psal. 118.

A

Quod amor obtinet quęcunque petuntur a Deo. Cap. 18.

Psalm. 118.

Deut. 10. & 30.

Exod. 20.
Deut. 5.

Psalm. 44.

Amor & dilectio clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor, postulata à te prompte & facilè obtinet, quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis, quia scriptum est: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Tam exuberans est amor tuus dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quod tu diligenti te, vna cum spiritualibus bonis, bona etiam temporalia tribuis & concedis, sicut dictum est à te: *Si obedieritis mandatis meis, vt diligatis Dominũ Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, anima, & mente vestra: dabo pluuiam temporaneam & serotinam, vt colligatis fructũ vini & olei, & fœnum ex agris.* Ostendis etiam & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciẽs misericordiam in millia millium iis qui diligunt me.* Infundis etiam sapientiam tuam diligenti te, sicut scriptum est: *Vnum est altissimum, & sapientiam suam*, id est, datum suum, *præbet diligentibus se.* Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiam sicut scriptũ est: *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Diligentes igitur te Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impertiris. Sed non sic illis euenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt, non enim eos exaudis, sed potius te prouocant ad iram, quum aliqua à te petunt, quia cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. O misericordissime Dñe quoties te prouocaui, qui indignissimus & nefandissim⁹ peccator multa à te petij, & nullo dignus eram, quia te nõ dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido pijssime Domine Iesu Christe. Te fons inexhaustibilis amoris, quem à me, obsecro, non retrahas, sed illum mihi clemẽter concedas, quo inflãmare digneris cor meũ frigidum ad amandũ & diligendũ te, vt sperata dilectione trãsitoria & caduca huius miseræ vitæ, ad te eleuer per purã dilectionem in te manentem per assiduam contemplationem in secula seculorũ, Amen.

B

Quod amor Dei defendit & liberat à malis.

C

Cap. 19.

Dan. 6. & 14.

Psalm. 17.

D

Fidelis & verus amicus es Domine Iesu Christe, amator vigilantissime, qui diligentem te custodis, liberas & defendis a malo & periculo, sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente, qui coniectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. Vnde dixit: *Recordatus es mei Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem te, à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas a malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantis: *Diligam te fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & liberator meus: Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum: Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* O misericordissime Domine Iesu Christe, ineffabilis dulcedo amoris: inæstimabilis est dilectio tua, quæ semper adiuuat peccatorem, & defendit. Peccat enim miserabilis peccator praua suggestione & cogitatione, sed tu es diligenti te *fortitudo*, ne cogitatio possit introire. Quod si peccator vltra procedat, scilicet ad delectationem, tu es tunc ei *firmamentum*, ne possit delectatio inualescere. Cũ autem peccator ad consensum voluntati laxat habenas, tu Dñe illi es *refugium*, vt consensui cõtradicat. Quando vero defendit peccatum, tu ei *liberator es*, vt audacia abhorreat. Si latẽter peccare vult, tu illi es *adiutor*, qui vbiq; præsens es, ne id faciat: sed si patienter, tu es ipsius aduersus nequitiam *protector*. Si autẽ inducatur in consuetudinẽ, tu es ei *cornu salutis.* Si verò falso seducatur, vel desperatione aut induratione cõficiatur, tu eius, ne desperet, neue induretur, *susceptor es.* Fidelissimus igitur amicus es Dñe, & tua vera amicitia omnem aliã excedit amicitiã. Tu semper diligis, in vita & morte. Tu diligis in prosperitate & aduersitate, & etiam magis felicẽ mortuum quã infelicem viuum. Tu Domine plus in immensum amas q̃ ameris: & etiam amas, licet non ameris. Tu propter patres amas filios, imo pp vnum bonum in ciuitate vel societate, amas multos malos. O amantissime Iesu, ego miserrimus peccator, omni dilectione vacuus, sed malitia & iniquitate plenus, te vt debuissem, non dilexi, sed cor durum & vagũ habendo, ad diligenda frequenter mihi dãnosa & noxia ipsum applicui, q̃ erigere digneris, Domine, ad te amãdum semp vt vita & gloria mea, sit dilectio tua sempiterna, Amẽ.

E

Quod amor reficit hominem. Cap. 20.

F

Apoc. 3.

Non honor, non pecunia, neque aliqua terrena substãtia, nec etiam virtus, nec ars aliqua, vel scientia, benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, potest implere animam, & satiare cõscientiam, sed sola & vera dilectio tua. Nam dilectio, aut est cum gratia, aut sine: at sine ea nõ potest esse dilectio vera. Illud autẽ quod in via potest solũ reficere & quietare animas, est gratia, cũ qua similiter est dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, sicut scriptum est: *Si diligamus inuicem Deus in nobis manet:* non potest esse pauper, quia Deum habet quem amat. Et quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonũ, habet in conscientia. Qui habet aurũ in arca, diues non est, sed qui te habet in conscientia, diues est. Vnde scribitur de te: *In me sunt diuitiæ & gloria, vt ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.* O misericordissime Domine Iesu Christe, in amore ditissime, q̃ ditari cupit & satiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentẽ reficit, perficit, & eidẽ sufficit. Nã qui vera dilectione caret, etiam si oẽs diuitias mundi haberet, & insuper sapientiam, fortitudinem, simplicitatem, pulchritudinẽ, omnes denique virtutes à Philosophis conscriptas, pauper tamen & miserabilis esset, quia illis non contentus, alia semper appeteret. Ideo de quodam diligẽte terrena, scribitur: *Tu dicis quia diues sum & locuples, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper nudus, & cæcus: Suadeo tibi, emere aurum ignitum, vt locuples fias.* O clementissime Domine Iesu Christe, amor consumens, quãtam doctrinam nobis peccatoribus ostendisti, pro saluatione nostra, monendo, vt emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio: quia sicut aurum excellit omnia alia metella, sic dilectio oẽs alias virtutes. Debet autẽ hoc aurum esse ignitum amore tuo, & dilectione tua, summè inflammatum. Neq; emitur nummo vel denario, sed bona voluntate, bono desiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur, & nihil charius est, cum possidetur. O pijssime Iesu locuples in amore, ego sum miser & miserabilis, pauper, nudus & cæcus, da mihi aurũ ignitum, hoc est, dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, vt ea reficiatur & quietetur in te, & ipse ditatus gratia & dilectione tua ad regnũ amoris perueniam sempiternũ, Amen.

G

Quod amor Dei est insistendum. Cap. 21.

Deut. 8 & 10.

Eccles. 1.

H

†Leuitas pro facilitas.

Insistẽdum est clementissime Dñe Iesu Christe, amator bone, dilectioni tuæ, quia dilectio non est nisi boni, & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater creatione & deitate: tu es frater redemptione & humanitate: tu es Dñs naturalis, non extraneus: quicquid habemus, à te habemus, & in fine a te expectamus præmium sempiternum: & ideo conueniẽs est vt te diligamus, & tuæ dilectioni continue insistamus sicut scribitur: *Audi Israel, quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, seruias ei in toto corde tuo, anima & mente tua, custodiasque mãdata Domini, vt bene sit tibi?* Israel, est quilibet fidelis Christianus per fidem te videns, qui ad diligendum te maxime est astrictus, quia à te magis dilectus, nam dilexisti nos, & lauisti in sanguine tuo. Tu consulis nobis, & mones dulciter nõ acriter, quę a nobis requiris: scilicet vt te timeamus, dum dicitur, vt timeas Dominum Deum tuum. Vnde in timore tui originem suam habet dilectio, quia scriptum est: *Timor Domini, initium dilectionis*, quæ vires accipit, & augetur exercitio aliarum virtutum a dilectione imperato. Et ideo dicitur: *Et ambules in viis eius*, id est, in bonis operibus vt potè eleemosyna, ieiunio, oratione, & cæteris: ex his enim vegetior redditur dilectio, sicut ignis lignorum appositione. Cõpletur autem dilectio tui Dñe, ex affectu interioris amoris, ideo dicitur: *Vt diligas Dominum Deum tuũ.* Cõpletur etiam ea actu exterioris honoris, ideo dicitur: *Vt seruias ei in toto corde tuo, anima & mente tua.* Conseruatur deniq; mandatorum tuorum obseruatione, ideo dicitur: *Custodiasque mandata Domini, vt bene sit tibi.* O benignissime Domine Iesu Christe, quem iustissimum est amari, vtilem & salubrẽ regulam te diligendi nobis clementer dedisti nam summæ æquitatis est, vt te timeamus: summæ † leuitatis, vt in viis tuis ambulemus: summæ bonitatis, vt te diligamus: summæ dignitatis, vt tibi seruiamus: summæ æquitatis & sanctitatis, vt mandata tua custodiamus. O pijssime Dñe Iesu Christe, non ponderes peccata mea ad vindictam, sed misericorditer mi-

A

ter mihi ea condonare digneris, desque mihi gratiam tuam vt per timorem tui oriatur in me vera dilectio, per affectũ interioris amoris, & per actũ exterioris honoris cõpleatur, & per obseruationem mandatorum tuorum conseruetur, vt mihi bene sit, te amando nunc & in perpetuum, Amen.

De vtilitate & facilitate amoris Dei.

Verba tua verissima sunt misericordissime Domine Iesu Christe, exemplum & forma amoris, qui dixisti: *Iugum meũ suaue est, & onus meum leue*, hoc est, Domine te veraciter diligere & amare quod summe suaue est & leue, adeo q̃ nullus habet, nec habere potest causam aut excusationem aliquam te non diligendi. Vnde si alicui dicatur, quod ieiunet, dicere potest, corpus habeo fragile: si dicatur ei quod det, potest dicere, *Pauper sum*: si dicatur ei vt oret, & limina sanctorum visitet, potest dicere, *infirmus sum*. Sed quum ei dicitur: *dilige Deum & proximum*, nullam habet excusationẽ. Quare benignissime Domine Iesu Christe, delector amoris, scio quod tam facile est te diligere, quod ea hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non euacuatur,

B

quia dilectio proprie consistit in anima, & inde sequitur, quod qui amat non laborat. Non est dilectio supra facultatem hominis, ita quod non possit eam perficere: nec est dilectio longe ab eo scilicet vltra cognitionem eius, ita quod non possit eam apprehendere, sed vt iuxta hominem scilicet in ore eius & in corde vt adimpleat eam, & diligat te Domine qui es summe gloriosus, summe delectabilis, & summe pretiosus. Amicitia namque est respectu boni, honesti, delectabilis, aut vtilis, quę omnia sunt in te Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone. Ea dilectione, homo viuit vita gratiæ, & multiplicat bona opera, vt terram viuentium possideat. Facilis est Domine Iesu Christe superamande, dilectio, à qua nullus cuiusque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciam? oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem & non facio: scio clementissime Domine, me nullo modo aliter tibi placere posse nisi per dilectionem. Ad illam meum animum nõ

C

conuerto, illã vilipendo, ad illã habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio, in illis permaneo, in illis delector, in illis ferè continuè prostratus miserabiliter iaceo. Respicere ergo me dignare piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis, & misericordiæ: *dele iniquitatem meã maximã*: & inclina cor meũ prauum & peruersum ad te diligendũ & amandum. Non recedã à te neq; à tua benignissima volũtate, sed quicquid præcipis, faciã: quicquid prohibes, euitẽ totis viribus, cogitatione, locutione & opere, vt te donante, dilectionem tuã obtineam sempiternã, Amen.

Quod diligere Deũ est summè leue. Cap. 25.

Fructus & vtilitas Domine Iesu Christe, totius dilectionis autor, quæ ea dilectione tua acquiritur; non solum est æterna gloria, de qua dictum est, *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparasti diligentibus te*, sed etiã est vtilitas magna in hac vita, quia diligẽs te Domine, castigatur à te, sicut à patre dilectus filius: si contingat eũ deficere vel errare, dulciter corrigitur & castiga-

D

tur, qui de seruo extraneo non curat. Vnde magnũ signum amoris tui est Domine, correptio & immissio flagelli. Sed homines desperatos & peruersos, quo libet ire permittis,

1. Corint. 2

& in præcipitium peccatorum incidere, *quia quem diligis castigas, & flagellas omnem filium quem recipis*. Diligẽs te Domine, pacifice conuersatur: est enim in pace conscientiæ, & tranquillitatis iucunditate, non in simultate & odio: Diligens te Domine, diligẽs et per te à malo præseruatur. Sicut enim homo pupillam oculi sui sedulo custodit, & eã summe diligit, sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis & defendis. & custodis ne in peccatum labatur, neve à Diabolo affligatur. Scriptum est enim: *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit animas sanctorum suorũ, de manu peccatoris liberabit eas*. Custodis animas, non curem carnis splendidam, non possessiones & terras, quia talia tibi chara non sunt. Sed custodis animas sanctorum, ne in peccatum labantur, & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur. Diligens te Domine Iesu Christe, amantium gloria, multũ honoratur, q̃ a actus diligendi est, actus tuus & Angelorum, non dæmonum. Tu enim diligis, quia scriptum est: *Ego diligentes me diligo*. In Angelis autem est vis & actus maximi amoris, quo ad te, quo ad eos q̃ sui sunt consortij, & quo ad nos: diligunt enim adeo, q̃ ordo supremꝰ ab ardore charitatis nominatur Seraphim. Diligentem te Domine suscipis ad pœnitentiam, eidem remittis offensam, & tua maxima pietate inenarrabiliq; benignitate, ac inæstimabili largitate gratiam misericorditer donas & tribuis. O misericordissime Iesu quãta miseria ego nequissimus peccator plenus sum, qui pspecta tanta vtilitatẽ tui amoris, te propter temetipsũ diligere debebã? Quod si pauper teipsum diligere nolebam, saltem propter me ipsum & vtilitatem meam te diligere debebam, vt ex inordinato amore, tandem venirem ad verum amorem tuum, qui est diligere te non ob aliud, sed ꝓpter teipsum solum. Mihi ergo digneris succurrere benignissime, & creare in me cor mundum, vt ab ijs quę tibi displicent abhorrendo, & ea penitus execrando, te diligam & amem, tibi seruiam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam, vt te vere. ordinate', non ob aliud quam ob teipsum diligam per infinita se-

F

culorum secula, Amen.

Quod amor est vestis pretiosa animæ. Cap. 24.

Matth. 22.

Inuitatus ad tuas cœlestes nuptias dulcissime Domine Iesu Christe, amantissime cœlestis sponse vestem nuptialem deferre debet, ne si forte *intret sine veste nuptiali, eijciatur* iussu tuo *extra, & proiiciatur in tenebras exteriores, vbi semper est, & erit fletus & stridor dentium*. Ista vestis ò benignissime Domine, est amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes. Ista vestis ea pretiosis filis, id est, tuis beneficijs homini collatis, est contexta, & subtili magisterio facta & decorata, quæ designatur p tuam *tunicam inconsutilem*, quæ nec scissa fuit nec diuisa, quia amor neque diuidi debet, neq; scindi.

Ioan. 9. b.

Et qui eum diuidunt vel scindunt, peiores videntur quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt. Ista vestis nuptialis Domine Iesu Christe, spõse amoris, summe potens & efficax existit, quia defendit hominem à frigore cupiditatis, & ad tuum amorem hominem inflammat, ipsumque exornat plurimum & venustat. Ista

G

vestis nuptialis, sola distinguit filios regni & perditionis, quia qui eam fert, regnum tuum intrabit vt conuiua tuus & filius charissimus qui vero ea caruerit, etiam si deferat omnes alias virtutes, expelletur à regno tuo. Ista vestis *operit multitudinem peccatorum*. Ista vestis commendabilis est colore & valore, est enim deaurata, vel potius aurea, iuxta illud: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Et sic ista

Psalm. 44.

vestis ornat animam, quod sine isto ornatu indigna est anima cœlum ingredi. Ista vestis nuptialis munit hominem, quia *fortis est vt mors, dilectio*. Eius etiam pretiositas patet ex

1. Cor. 13.

materia, q̃a si pretiosum sit quod trahitur ex metallis, gemmis & animalibus, longe pretiosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ex te venit, & à te procedit. Ex eà quoque regimur, viuimus, & ditamur: qui enim hanc vestem habet nihil ei deest: & sine ista, nihil ei prodest. O misericordissime Domine Iesu Christe, cœlestis sponse, ego miserabilis peccator nudus sum, & quum hanc vestem nuptialem non habeam, nõ sum dignus vt intrem ad tuas cœlestes nuptias, sed vt proijciar in tenebras exteriores.

H

Succurre ergo mihi piissime Domine Iesu Christe, æterni nuptialis conuiuij dispensator largissime, & da mihi tua benignitate hanc vestem gloriosissimam, vt inuitatus & vocatꝰ ad tuas sempiternas nuptias: illuc cũ veste nuptiali intrem, ibiq; cũ amicis tuis, amore tuo perpetuo fruar, te laudẽ, te admirer, te glorificẽ æternitatis regem, & gloriosissimũ sponsum viuentẽ & regnantẽ in secula seculorũ, Amẽ.

Quod amor à malis animã custodit. Cap. 25.

Verus amor Domine Iesu Christe, amantium conseruator, custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione sine inuidia, quæ vehementer corrumpit: inde enim prouenit, vt anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, vt in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur, quia sicut vi-

Ambitionis quis sit

gor naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectãt animã. Custodit Domine verus amor ab ambitione, quæ est quum quis quærit sui exaltationem, & proximi dejectionẽ, vt sic altior factus, à plurib. videri possit, & in admiratione haberi: nã verus amor sui exaltationẽ & proximi dejectionẽ non quærit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio ꝓprii boni, ex quo solet fieri vt homi

ni nul-

A in nullo modo cura de bonis proximi, imo cum scandalo sua repetat: quærit namque propria commoda, & negligit aliena. Verus autem amor quæ sua sunt, non quærit, sed quæ tua sunt Dñe. Custodit etiam verus amor à magna cogitatione super iniuriis vindicandis: talis autem cogitatio quasi ferrum in vulnere semper hæret, & ideo scribitur: *Auferte malum cogitationum ab oculis meis.* Verus namque amor Dñe, omnia remittit pp te: repellitque non solum actum, sed etiam omnem cogitationem. Custodit Dñe verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis animæ & elongationis à te, quoniam talis iniquitas summe tibi displiceat. Sed verus amor Dñe, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa oia & singula mente revolvo, sentio meum vero amore elongatum, quia inuidia plenus fui & sum, meipsum exaltaui, & proximum deieci, mentitus dilexi, animum habui vindictæ cupidum, in malis gaudium concepi, & denique ad omne malum, propter amoris tui defectum multipliciter pronus fui. Adiuua me

B pijssime Dñe Iesu Christe, largitor & conservator amoris, & da mihi verum amorem indeficientemque, vt ab ijs quæ tibi displicent, abhorream, & quæ tibi placent, recipiam, teneam, & adimpleam, vt in finem tuam gloriam perenniter, & sine fine diligam. Amen.

Quod amor continet in se doctrinam veritatis. Cap. 26.

Perfectus amor clementissime Domine Iesu Christe, qui oes perficis amantes, docet veritatem, quia in dilectione tota lex pendet & Prophetæ. Quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa comprehendit, quia scriptum est: *Plenitudo legis est dilectio.* Nam tota lex, immo tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quæ faciunt ad tuam & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmatiuis, aut inhibet & dissuadet illa quæ impediunt & dirimunt dilectionem, vt liquet in præceptis negatiuis. Quid ergo est quod scribitur: *Qui proximum diligit, legem implet,* nisi quod qui diligit proximum, diligit & te Deum? quia eadem est virtus & dilectio qua quis vtrunque diligit, vt idem est radius quo quis solem & terram intuetur, sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit, te autem in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo ô Domine Iesu Christe, sol amoris, miserabilis profecto est & stulta & exprobrabilis insania, quod scilicet

C relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerum homo adhæreat. Sed benignissime Dñe Iesu Christe, ad verum amorem relictor, ego grauissimus peccator dando meipsum voluntariè quodammodo in reprobum sensum, tuam veram & animæ meæ contemnendo, dilexi vanam voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatem, non considerans quod qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: dilexi frequenter mundanam vanitatem, contra consilium Scripturæ dicentis: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem?* interdum dilexi

Psalm. 4.

irrationabiliter cognationem & propinquitatem meam plus quam te, & sic non eram te dignus, quia *qui amat patrem aut matrem plus quam te, non est te dignus,* aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta, frequenter contumelias, detractiones ac conuitia. Et ideo dignus eram vt maledictio mihi veniret, sicut scriptum est: *Dilexit maledictionem & veniet ei.* Dilexi interdum vindictam &

Psalm. 108.

malitiam & iniquitatem, quas reprehendit Scriptura dicens: *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem.* Ista fuit ô superamande Dñe Iesu Christe, mi-

Psalm. 51.

serabilis & iniqua vita mea, non attendentis Scripturam di-

D centem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Sed tu

1. Ioan. 2.

misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare, & illustra mentem meam, vt te perfecte diligam, vt sic informetur anima mea doctrina veritatis, vt tecum qui es amor & veritas, in amore & veritate viuam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

De amore quo Deus diligit hominem. Cap. 27.

Amantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem qui seruat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit: & quia tu purus es, & omnium maxime purus, ideo diligis puros, sicut scriptum est: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.* Sic enim dilexisti beatum Ioannem Euangeli-

Prouer. 22.

stam, de quo scribitur: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus.*

Ioan. 21.

Diligis etiam Domine hominem qui tenet sapientiæ claritatem atque veritatem quia scriptum est. *Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia est, quia non potest venire commodum, atque*

Sap. 7.

E *honor de amicitia stulti.* Ideo Dñe dilexisti Salomonem, sicut scribitur: *Vocauit Dominus Salomonem, & dilexit eum.* Diligis 2. Reg. 12.
Domine Iesu Christe, amator innocentissime, illum qui amat innocentiæ lenitatem, sicut dicitur: *Scio Domine Deus* (ait David) *quod probas renes & corda & simplicitatem, & non dolositatem diligis.* Diligis etiam Dñe, amicitiam amicitiæ repetentem, & seruantem amicitiæ firmitatem, sicut tu Domine dixisti: *Ego diligentes me diligo,* hoc namque iustum est, quod Prou. 6.
qui diligitur, diligat. Sic enim Moysen dilexisti, sicut scribitur: *Dilectus Deo & hominib. Moyses.* Diligis Domine Iesu Chri- Eccles. 45.
ste, amantium liberalissime, illum qui ostendit effectu beneficentiæ suæ largitatem, *quia hilarem datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.
Largi enim & pij diliguntur à te, sicut patet etiam de Martha, cuius animus erat largitate & pietate fœcundus. Ideo scribitur: *Diligebat Martham Iesus.* Diligis Domine illum qui sectatur iustitiam, & æquitatem, quia scriptum est: *Qui sectatur iustitiam diligitur à Domino.* Sic enim dilexisti Domine Ioan. 11.
Samuelem æquitate solidum, sicut scriptum est: *Dilectus à* Eccles. 46.
Deo Samuel Propheta. O dulcissime Domine Iesu Christe, omnium perfectea mator, dum omnia prædicta in mentis meæ secreto considero, erubesco, imo corde deficio præ ti- F
more, quia non sentio in me miserabili peccatore, aliquam ex causis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob opposita odio habere. Sed tamen ad tuam immensam clementiam confidenter accedo, vt parcere mihi digneris, & remittere misericorditer oia peccata mea, & sic me disponeris in cogitatione, locutione & opere, vt per innouationem tibi placeam, & causam habeas me diligendi, vt te diligentem me, per infinita sæculorum sæcula vicissim rediligam. Amen.

Quod amor est excellentissima virtus. Cap. 28.

Inter cæteras virtutes benignissime Domine Iesu Christe, superamabilis excellentissime, vera dilectio est excellentissima, & ideo oleo comparatur, quia sicut oleum alijs liquorib. supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & pretiosum, vt filius tuus nominetur: qui autem illam non habet, despectus est, & erit coram te sicut stilla situlæ, de quo & similibus scribitur: *Ecce gentes quasi stil-* Esa. 40.
la situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt, & quasi puluis exiguus. Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æ-
stimator iustissime, quod licet talis exerceat opera de ge- G
nere bonorum, parui tamen valoris sunt, si dilectionem non habeat, nec ex ipsis operib. quantumcumque fuerint pretiosa, obtinere valebit regnum cælorum, nisi ea facit in dilectione & amore: hæc enim vera dilectio vnit hominem tibi tanquam capiti, & fidelibus tanquam membris. Ideo hæc vnio valde chara debet esse homini: sicut enim vnitas quæ est inter caput & corpus, diligitur: sic etiam incôparabiliter diligi debet vnitas, quæ est ex vera dilectione, inter te & hominem: & abscissionem ac separationem tantæ vnitatis summopere cauere debet homo, & fugere plusquam proprij capitis abscissionem. Sine hac vera dilectione nullum verum bonum adest homini, imo in vanum & frustra habentur cætera bona, saltem quantum ad salutem æternam obtinendam. Si autem homini adsit vera dilectio, habet omnia bona vel in se, vel in alijs. Vera dilectio Dñe, est scientia & sapientia, de qua scribitur: *Dilectio Dei, honorabilis sapientia.* Vnde Eccles. 1.
non solum scientia esse videtur, quia scientia in multis hominem regere non pôt, vera autem dilectio potest. O misericordissime Dñe Iesu Christe, amantium rector & guber- H
nator, quoties hanc vnionem veræ dilectionis ego miser & sceleratus diuisi & fregi, perpetratione multorum & diuersorum peccatorum, & proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datum ad operandum bonum perdidi? Adiuua me pijssime Dñe, & dele iniquitates meas, & reforma in me veram dilectionem, qua mediante opera talia hic adimpleam, quod ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam. Amen.

De amore Dei & proximi. Cap. 29.

Ordinata dilectio clementissime Domine Iesu Christe qui omnia per amorem ordinas, est amor verus ad te & proximum. Nam hominis amor ordinatur ad te est, si te amet propter te & super omnia. Si autem amor quo quispiam te amat, & propter ista temporalia, nô est amor ordinatus, sed tibi contumeliosus, quia qui te amat pp temporalia, plus amat temporalia quam te. Vnde cum tali amore pponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumelia & offensa tua: nô enim est amor ordinatus, nisi tu super oia ameris, quum tu

in im-

A

in infinitum melior sis omni creatura. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus pp te, & quia æquè ad te ordinatè amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quã in amentur, non est talis amor ordinatus, neq; sic amans, est te dignus: duo.n. sunt præcepta à te nobis data, dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint pręcepta tamen vnus est amor, quia alius amor non est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquã diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare. Cogitatio namq; hominis Domine Iesu Christe, verę dilectionis ordinator, semper debet esse ad te diligendum, & proximũ, te quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mẽte, proximum aũt sicut seipsũ, vt scil. caueat inferre ꝓximo, quæ sibi inferri nollet, & impendat ei beneficia quæ sibi vellet impendi. Ista namq; benignissime Domine, semper sunt attendenda, semp cogitanda, semper retinẽda, & semper totis virib. exercenda & adimplenda. Per amorẽ autem ꝓximi & cognoscitur amor

B

tuus Domine, conseruatur & nutritur: nã qui verè te amare negligit, diligere proximũ nescit. O misericordissime Dñe Iesu Christe, qui solã amas ordinatam dilectionẽ, quid dicam, aut quid faciã ego durissimus peccator, qui præ maxima duritia cordis mei, non te ordinatè dilexi, neq; proximum propter te, sed frequenter pp vtilitatẽ propriam cõsequendã, aut damnum euitandũ, & ita non fuit in me verus amor, sed adulterinus: Auxiliari mihi digneris piissime Iesu, charitatis, & pulchræ dilectionis ordinator, parcendo mihi peccatori, & misericorditer impartiendo mihi clementiã tuam, & cor meum lapideũ sic mollificando, vt ad te tota mente conuertat, te diligam, & proximum pp te, vt tecum inordinata charitate viuam in æternum, Amen.

De amore inimicorũ Cap. 30.

Magnum est dulcissime Domine Iesu Christe, qui nihil odis, si erga hominẽ, qui nihil mali mihi fecit, sim beneuolus & pacificus. Sed Dñe illud multo maius est, & magnificentissimæ benignitati tuæ similius, si meũ diligam inimicũ, & ei qui malũ mihi intulit, & adhuc inferre vult si possit, bonũ semper velim & faciã si possim: à tua gratia & benignitate, Dñe hoc procedit. Nihil tibi in natura similius

C

est, quam homo qui maleuolis & inimicis, se lædentibus, placabilis est. Qui.n. diligit inimicũ, imitatur te qui dilexisti nos, quũ adhuc inimici essemus: & non solũ dilexisti, sed & tunc ꝓ nobis mori morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogasti. Nobis quoq; præcepisti, vt inimicos diligeremus, sicut scriptũ est: *Diligite inimicos vestros & benefacite ijs qui oderunt vos.* Et sequitur præmiũ ꝙ promittis: *Vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* Vna namq; est & summa Domine Iesu Christe, cui propriũ est misereri & parcere, probatio dilectionis, si nos eũ diligamus, qui nobis aduersatur, & bona nostra impedit. Probari etiam solet dilectio per solã odij aduersitatẽ. Vnde sicut homo vincitur humana felicitate, sic diabolus vincitur inimici dilectione. O Domine Iesu Christe, in amore misericordissime, & in misericordia amantissime, scio ꝙ separatio à te, mors est animæ: & cõtra vnio per dilectionẽ tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitam corporalẽ, & mortẽ timet: sic & amare debet veram dilectionẽ, & vitare odium, quia *qui non diligit, manet in morte:* in morte.n. culpæ, iã talis est, & debitor est mortis æternæ. O clementissime Dñe Iesu, à quo exulare non potest amor, licet tibi non sint occulta q̃ ego nefandissimus peccator gessi, tamẽ corde & ore confiteor me iniquè vixisse, & præ mea malitia & iniquitate, vera dilectione caruisse. Inter alia Dñe quæ malè concepi & egi, est quod inimicum odio habui, & licet scirẽ ex mandato tuo ꝙ eum diligere deberem, vilipendi tñ & spreui mandatum tuum. Simultatẽ contra multos concepi, & conceptã corde & animo compleui, & si quandoq; facto non cõpleuerim, ad detractiones tñ & infamationes processi. Succurre mihi ô Christe, per tuum benedictum & misericordẽ amorem, veniam mihi concedendo, vt vitã meam miserabilẽ emendem, & sic te diligam & alios pp te, vt hic amor nunquam deficiat, sed in vitam perduret sempiternam, Amen.

Matth. 5.

Ioan. 3.

D

Contra amorem sui ipsius. Cap. 31.

Quis est benignissime Domine Iesu, per quẽ & cum quo æternus processit amor, qui se verè diligit? Credo & scio, Domine, quod ille solus nouit se vere diligere, qui veraciter amat, & sedulo agit, vt quæras summum & verũ bonum amando fruatur. A te Domine manat vera amicitia, quam non temporalib. cõmodis, sed gratuito amore mereri conuenit: nemo enim potest veraciter seipsum amare, q te veraciter non amauerit: nam te amando, seipsum amat: te autẽ non diligendo, seipsum non diligit, quia amor proprius & priuatus oculum mentis vehementer claudit, & est omniũ causa, radix & fomes malorũ. O Domine Iesu Christe Sol vnde fluunt radij amoris, quãta insania plenus est ille, qui solummodo seipsum amat? Nã talis peruersio amoris est fundamentum abiectæ charitatis, & crescit vsq; ad contẽptum tui. Duo nanq; amores ciuitates duas faciunt, i. Ierusalẽ & Babylonẽ. Cęlestem Hierusalem facit amor tui vsq; ad contemptũ sui, sed infernalem Babylonẽ facit amor sui vsq; ad contemptũ tui. O iniquũ & peruersum amorẽ, qui sic me miserũ peccatorem colligauit, & incitauit vt verum amorem abijcerẽ & contemnerem, & se toto corde amplecterer, se desiderarẽ, se tenerem, se vterer totis viribus, & se celando in occulto pectoris in culpã facilè praui cordis laberer & operis. O misericordissime Dñe Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es, quid faciã ego iniquissimus peccator. Quẽ amatorem potero inuenire qui me diligat, quũ nullũ dilexerim, nisi meipsũ, & in peccatis innumerabilib. vixerim? Quis me liberabit à ventura ira? à rugientibus pparatis ad escã, & a laqueo infernali? Meipsum iuuare nõ possum, neq; te requirere audeo, quum te non dilexerim. Imò quia neminẽ dilexi neminẽ audeo in adiutorium meũ inuocare. Sed ad tuã immensam pietatẽ recurro, ô amor, qui errantes reducis, q *misericors es & miserator, & neminẽ vis perire, sed saluas sperantes in te.* Succurre ergo mihi, & da veniã de peccatis & gratiã, vt nunquã me respiciam, sed te, vel me in te, vt diligã te toto corde nec à tua dilectione vnquã recedere valeã, sed ipsam conseruẽ nunc & in vitã æternã, Amẽ.

E

Vera amicitia quæ sit.

Amor sui ... lex.

F

Contra amorem mundi. Cap. 32. Amoris mundi incõmoda.

Scio & expertus sum ego ingratissimus peccator, clemẽtissime Iesu, supercœlestis amator, quod amor mundi animas quas ingreditur quietas esse non patitur: semper.n. suspicionibus vanisq; terroribus solicitat eas. Talis namq; amor mundanus, premit amores suos, & nõ adducit eos ad bonum: sed qui tali amore vtitur, à tuo amore Domine excluditur. Talis amor mundanus cũ tuo amore non iungit, nec ei congruit, neq; ad societatẽ filiorum tuorũ peruenit, qui se à carnali generatione non diuidit. Amor mundi Domine, sese cũ suis consolationib. ne dicam desolationibus, vndiq; ingerit: per auditũ namq; quasi per fenestras irruit, & mentes suorum amatorum vehementer occupat, animã polluit, charitatem violat, proximum lædit, te Dominum spernit, amorẽ tuum repellit, totum hominẽ capit, ac eundem decipit: cum labente labitur, & cum eum tenere quispiã credit, de facili euanescit: non consolatur, sed cõtristat: non permanet, sed fugit. Eius dulcedo in amaritudinẽ vertitur, eius pulchritudo in horrorem mutatur, eius desiderium in pœnam conuertitur. Qui huiusmodi amorẽ amplectitur, decipitur, & præcludit sibiipsi ingressum tui amoris, quia vbi amor mundi inhabitat, nõ ingreditur amor tuus. O benignissime Iesu Christe, amor increate, væ mihi impiissimo peccatori, qui creaturam amando, te creatorẽ deserui, propter condita conditorẽ reliqui, trãsitoria dilexi, & sempiterna spreui; desolationes ꝓ consolationib. suscepi, pœnam pro gloria, mortem pro vita, peccatũ pro virtute, & mendacium pro veritate. O misericordissime Domine, respicere me digneris oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorẽ seculi, & da mihi gratiam vt te amem & diligã corde & opere, nec ab amore tuo separer, sed in ipso pmaneam in perpetuũ, Amẽ.

G

H

Contra amorem diuitiarum. Cap. 33.

Certa experientia didici benignissime Dñe Iesu Christe, sine mensura diues in amore, quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quã terrenis æstuare desiderijs: nam terrenarum diuitiarũ amor insatiabilis est, & longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo, talium quoque diuitiarum acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, & amissio magni doloris. Qui illas amat, te Dominũ amare non potest, sed cum ipsis labentibus labitur in perditionem, & qui eis innititur per amorẽ, cum ipsis defluit in mœrorem: qui enim eas inuenit, requiem perdit: & quũ vigilat, augmentum cogitat: quũ dormit, fures somniat, in die est afflictus, & in nocte pauidus, semper autẽ mendicus.

O cle-

A

O clementissime Domine Iesu Christe, cuius amor nullum fallit, video per effectum quod laqueus est in auro: viscū in argento: & pedica in prædio: quia qui aurum perit, strangulatur: qui argentū, visco hæret, & qui prædia, alligatur. Qui mane quærit lucrum, vesperi reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid agitur. Ad tuum, Domine, extremū iudicium, sine vlla temporis intercapedine, & cōtinuè volens nolens properat, & amat quod necessario relinquit, id vero negligit ad quod necessario peruenit: amat namq; illa quę possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciāt: quæq; arctius parta quam concupita constringunt. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus verè amandus es, ego nefandissimus peccator, quæ scripsi, & scribo, sciui & veraciter scio talia esse, sed ista est malitia mea & iniquitas, ingratitudo & superbia, quod omnia tibi placita, consilia & præcepta tua, proteruo animo contempsi & spreui, & ad miseras diuitias mundi cor meū penitus inflexi, illas cōcupiui & desideraui, & vt eas acquirerē, laboraui, & ad hoc

B

ipsum vigilaui, & quascunq; vias adinuenire valui, adinueni. O piissime Domine, adiuuare me digneris, & delere tua maxima misericordia omnia peccata mea, segregare mentem meam à desideriis terrenis, eleuare illam ad diuitiarū cœlestium desiderium, quæ in tuo solo consistunt amore, vt eas auxilio tuo consecutus, te perpetuo diligam, & tuo amore fruar in secula seculorum, Amen.

Contra amorē per [illegible] mulierum. Cap. 34.

Amor carnalis benignissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, & verè in spiritu & spiritualiter amāde, insatiabilis est, quia extinctus reaccēditur, & post copiā rursus inops fit, animumq; virilem effœminat, & præter passionem quā sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis obliuium est & insaniæ est primus. Talis peruersus amor turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis & altissimis cogitationib. ad paruas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Insuper, qui tali amori coniūgitur, tentationib. continuis subiacet. Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suauis, blāda percussio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenū, malum spontaneum, sapida iugulatio & omnium rerū

C

Gen. 3.

calamitas. Nam Adam & Euam de paradisi deliciis eiecit, cęlestes terrenos fecit, humanū genus in infernum demersit, vitam abstulit mundo, laborem & pressuram inuenit, & malum quod ad mortem perducit, fœdat pueritiā, perdit iuuentutem, & incitat ac inquietat emortuā carnem & senectutē. Talis amor Domine Iesu Christe, sanctitatis, mūditiæ & puritatis amator, est veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malū, naturalis tētatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, mali natura boni colore depicta, cōtinua solicitudo, indesinēs pugna, quotidianum damnum, domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentū, continentis viri naufragium, adulterii vas: perniciosum prælium, & pondus grauissimum. O misericordissime Domine Iesu Christe, casti cōditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo pretiosissimo sanguine redemisti, tuam misericordiam supplex imploro, corde & ore efflagito, vt cor meum fragile, longè facias à tali amore. Erue me à tanto periculo, defende me à tā miserabili casu,

D

protege me à tanta circumuentione inimici. Libera me misericordissime Domine à tāto laqueo perditionis, da mihi fortitudinem resistendi, concede mihi veniam peccatorū. Eleua mentem & cor meum, vt te amem, & timeā, tibi placeam & seruiam, te verum Deum corde, ore & opere confitear & agnoscam, & tua infinita misericordia me non repellas. Fac me pseuerare in bonis & tibi acceptis operibus, vt in præsenti sic viuam, & semper ad vlteriora procedam, vt in fine huius transitoriæ vitæ meæ, vitam inueniam in amore tuo sempiternam, Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI DE CONtemplatione vera patientia,

LIBER II.

De tribulationibus & aduersitatibus. Cap. 1.

OMnipotens sempiterne Deus, misericordiam nobis miseris tribuis incessanter, dum tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ non ex odio procedunt, sed potius ex amore. Nam superbenedictum filium tuum, coæternum & connaturalem, quem dilexisti, & diligis, sicut scribitur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, tribulationes multas & diuersas propter nos miseros peccatores sustinere voluisti. Vnde filiis adoptatis sufficere debēt, si sic à te misericorditer diligantur, sicut diligis filiū tuum propriū. Quod si superbenedictus filius tuus nos diuersis flagellationibus flagellat, non ea hoc se nobis ostēdit inimicū, sed potius verum amicū, sicut ipse suis discipulis dicebat: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*, & *Quos amo, arguo & castigo*. Vnde quamuis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera quā aduersa, quia hæc quidem sæuiendo erudit, illa aūt blandiendo seducit. Hęc illuminat hominem, illa excæcat; ista mētis oculos aperit, illa claudit. O Deus meus vehementer peccatori irasceris cum permittis cuncta ei ad votum succedere, & postea eū supplicia tolerare. Non est.n. Christianæ dignitatis his tēporalib. exaltari, sed potius deprimi, quū mali nihil habeāt in cœlo, & boni nihil in mundo. *Flagellas* namq; *filium quē diligis*, das disciplinā, vt non auferas misericordiā. cædis contumacē, vt reddas ei promissam hæreditatem. Nec mirū si hic flagellas paruulos, quos exinde grādes quæris hæredes. Flagellas igitur & erudis & custodis, & illis ad tēpus parcis, quos in æternum damnabis. O vniuersorum creator & gubernator, multas & diuersas tribulationes & aduersitates mihi miserabili peccatori misericorditer dedisti, non ex odio, sed amore, vt me retraheres ab iniquitatib. meis, & cor meum prostratum ad te eleuares, & vt mala relinquerē, & te quærēdo humiliter, bona & mihi profutura opera exercerem. Sed tribulationes & aduersitates mihi misericorditer datas impatienter tuli: nulla virtus patiētiæ mihi comes affuit, quāuis scirē me tantis tribulationib. dignum pp nefandissima scelera quæ cōmisi. Adiuua me misericordissime Domine Deus meus ne peream in hac vita, præsta mihi patientiam in aduersis, per quam hic disponar, vt purges peccata mea præsentia, & à futuris caueam, & sic opera tibi grata hic adimpleam, vt in fine vitæ meæ grata sint tibi seruitia mea in vitam sempiternam, Amen.

E

Matth. 3.

Ioan. 14.

Hebr. 12.

F

G

De miseria mortalis vitæ. Cap. 2.

Vita præsens, Domine Deus meus, laboribus & tribulationibus plena est. Nam cum luctu agitur, & cū lacrymis amittitur. Tanta igitur est tribulatio huius miseriæ, vt nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiā aliud morte deterius, quū vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel vnicū diē. Causa vero seu occasio pręcipua huius tribulationis, fuit peccatum primorum parentū. Nam quū duæ sint partes hominis s. corpus & anima, tu Dñe Deus meus vtrique parti locum delectabilem pparaueras, corpori quidē Paradisum voluptatis in terris, animæ vero cœlū splendidū in supernis, vbi modo sunt animæ sanctorum, & Angelorum chori. Non .n. bonitas tua Dñe Deus meus, homini tribulationē attulit, sed peccatū. Vnde nobiscum egisti non solū iustissime, sed etiā misericordissime & maxime si respiciamus ad dānationem Angelorum irreuocabilē. Quum.n. tolerabilior sit superbia in diuite q̄ in paupere, & Angelū illum sideribus clarius micantē, irreuocabiliter damnaueris pp suam superbiam: constat Domine Deus meus, te misericordissime egisse cum vermiculo qui contra te superbiuit, præceptum tuū transgrediendo. nā huius tribulatio tēporalis est, illius vero perpetua. Vnde sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ tuæ, scil. misericordia & iustitia

H

tua. Quod si pp peccatum primorū parentum tribulamur, quanto magis tribulationes in nobis peccatorib. augendæ sunt, qui quotidie peccamus, & innumerabilibus peccatis inuoluimur & delictis? Ideo magis misericorditer nobiscum agis, piissime Dñe, tribulationes immittendo q̄ terrenas consolationes, quia qui exceptus est à passione & tribulatione flagellorū, exceptus etiā erit à consortio electorū filiorum, quia scriptū est: *Væ vobis qui habetis hic consolationē vestram*. At de tribulatis patientiā habentibus, scribitur: *Beati qui lugent, quoniā consolabimini*, &: *Beati eritis quū vos oderint homines*, q̄ est magna tribulatio in hoc mundo. Patienter igitur tolerandæ sunt tribulationes quæ adducūt tribulatū patientē ad consolationē perpetuam. Sed ego miserrimus, quid dicā, aut quid faciā? quia impatientissimus fui, & sum in tribulationibus meis, quas iustissime sustineo, non solū propter peccatum primorum parentū, sed etiam propter multitudinem peccatorum meorū quæ hactenus commisi

Matth. 5.

& ad-

A

& adhuc quotidie per malitiam meã committo. Succurre igitur mihi Domine Deus meus, tolle ingratitudinem meã & aufer iniquitates meas: concede mihi veram & firmam patientiam in præsentibus tribulationibus meis, & in futurum in tua laude perpetuã consolationem æternam, Amẽ.

Quod pa-tienter ferenda est tribulatio, & in ea gloriandum. Cap. 3. 2. Cor. 12. 1. Cor. 10.

Virtus in infirmitate, i. in tribulatione, *perficitur* misericordissime Domine De⁹ meus, quia hostem nostrum, scilicet corpus debilitat, quod cõcupiscit semper aduersus spiritũ, quem fortiorem reddit, ex quo occasio datur Domine, vt gratia tua augeatur sicut scriptũ est: *Fidelis est Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cũ tentatione prouentum*, i. virtutis augmentum. Tribulatio namq; materiã habet pugnæ. Vnde fit vt occasionem præbeat victoriæ, & per consequens coronæ, quia *non coronabitur nisi qui legitime certauerit*. Et ideo Apostolus libenter gloriabatur in infirmitatibus suis: quia homo nobilis creatura est, ad gloriã regni cœlestis creata, ideo naturaliter vult gloriari. Sed necesse est vt faciat in quo gloriari debeat, ne forte glorietur, vnde potius debuerat cõfundi. Gloriari igitur debet in tribulationibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi, i. gratia Christi: nã qui tribulationes patienter subiret, ipsum imitatur, cui assimilari gloria magna est, sicut scribitur. *Magna gloria est, sequi Dominũ*. Tribulatio igitur est patienter sustinenda, quia mentẽ sanat, vt patet de quodam sancto, cuius vulnus corporis, sanauit vulnus mẽtis. Tribulatio, est medicina tua Domine Deus meus. Ideo qui tribulatus est, mente gaudere debet, quando datur ei tribulatio, tanquam magnã spem habeat salutis recuperandæ, quia talis medicus qualis es, sanitatẽ illius procuret. Tribulationes debita nostra soluunt: & hæc est valde magna misericordia tua benignissime Domine, q pro pœnis futuris des tribulationes præsentes, quæ nullæ sunt respectu futurarũ: dãti namq; præsentes tribulationes timentibus te, in significationẽ, *vt fugiant a facie arcus*, i. pœnæ futuræ. Tribulatio insuper inducit odium præsentis vitæ: nã sicut cibus adhæret vasi in quo coquitur, nisi moueatur, & perdit saporem debitum, debitumq; colorẽ: sic cor hominis adhæret isti mũdo, nisi moueatur per tribulationes, iuxta quod scribitur: *Conglutinatus est in terra venter noster*. Tua namq; misericordia Domine Deus electis tuis iter asperũ præbes, ne delectati in via, obliuiscãtur quæ sunt in patria. O Domine Deus, hactenus cæcus fui, ingratus, negligens & iniquus, non. n. considerabã quare tot flagellis & tribulationib. affligebar, nec patientiam vllam habebã, quum tuam misericordiã non cognoscerem, propter superbiam & iniquitatẽ meam. Nunc aũt tibi gratias humiliter ago, quia ipsius cognitionẽ mihi largitus es. Concede ergo mihi tribulato patientiam & emẽdationem vitæ, vt tibi hic placeam, deuotoque ac humili corde in tribulationibus seruiam, & in futuro seculo in consolatione & securitate in vitam sempiternam, Amen.

B

Psalm. 59.

C

Psalm. 43.

Quãta bona afferat tribulatio. Cap. 4.

Aperi oculos tuos rex æterne, aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam, vt aspectus tui benignitate eam cum patientia tolerem, & cum gratiarũ actione sustineam: quia si sic misericorditer mecum agas, operabitur in me tribulatio carnalium affectionum extinctionem. Nam sicut mare Ægyptios operuit, & Israelitis nõ nocuit: sic amaritudo tribulationum opera vitiorũ impediat, & virtutum opera incitabit, sicut scriptũ est: *Curatio* i. tribulatio, *cessare faciet peccata maxima*. Tribulatio reddit hominem securum iudicij, quia *non consurget duplex tribulatio*. Ostendit præterea salutẽ æternam, quia *si compatimur & conregnabimus*. Quia sic tu Domine Iesu Christe, latronem tibi in cruce confitentẽ audisti, & eidem dixisti: *Hodie mecum eris in paradiso*, socium tribulationis à communione tua nõ patieris repelli. Tribulatio excitat cor hominis ad deuotionem, quia scriptũ est: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt*. Et rursum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine*. Post tribulationem Domine Deus meus, consolationẽ donas, sicut patet in D. Paulo, cui post multas variasq; tribulationes patienter toleratas, cõsolationes indicibiles donasti, quando illum rapuisti vsq; ad tertium cœlũ, & audiuit secreta verba quæ non licet homini loqui. Ideo postea libẽter gloriabatur in infirmitatibus suis, vt inhabitaret in eo virtus Christi, vt & factum est, quũ illi dictum fuerit: *Sufficit tibi Paule gratia mea*. O Domine Deus quõ consolari poteru, aut debeo, quũ tribulationes & aduersitates mihi datas non sustinuerim, neque adhuc sustineã patienter, quas cognoscere possum te misericorditer donante, ad vtilitatẽ animæ meæ mihi datas, vt me pientissime flagellares? Auxiliari igitur mihi dignetur misericordia tua Dñe Deus me⁹. Da mihi veram notitiam meipsius, & aufer à me ingratitudinem omnem. Corrobora cor meum, vt patienter sustineã tribulationes, vitam meam emendẽ, de peccatis satisfacere studeam dignam pœnitentiã agendo, vt à te remissionem obtineam, qui solus peccata dimittis: firmum cum effectu propositum habeam ad vomitum peccati postbac non redeundi, sed studiosa, & fructuosa, tibique placita opera sic agam, vt decursis huius periculosæ vitæ spatiis, regnum securitatis in tuo sempiterno seruitio ex dono tuæ misericordiæ consequar sempiternum, Amen.

Exod. 14.

D

Rom. 8

Luc. 23.

Psalm. 15.

Psalm. 82.

2. Cor. 12.

2. Cor. 12.

E

Ob quas causas tribulamur in hoc mundo.

Dominator cœli & terræ, scio quòd post transgressionẽ parentũ, in hoc mundo miserabili diuersis tribulationibus affligimur, pp indictum necessitatis, propter exemplũ authoritatis, & pp præmiũ vtilitatis. Tribulamur namq; & diuersis flagellis affligimur, propter indictũ necessitatis, nam passio tribulationis est nobis indicta à te post transgressionẽ mandati tui, & necessitas à natura, q sicut scribitur: *Impossibile est, vt homo sit, & nõ patiatur tribulationes*, quia illud oportet fieri q à te est indictũ, & natura necessariũ: nam sicut infirmitas quæ à circumstantiũ & superiorũ corporum impressionib. infligitur necessario radices agit in homine, ita quod vix aliqua medicina curari possit: sic necesse est quod tribulationes quæ à causis superioribus s. à te, à tua iustitia & misericordia, & à naturæ necessitate generaliter omnib⁹ sunt indictæ, patiamur, & q ab ipsis quamdiu viuimus, affligamur. Tribulamur etiam pp exempli authoritatem, quia si tu benignissime Domine Iesu Christe, & alij quoq; sancti tribulationes sunt passi, & per tribulationes cœleste regnũ ingressi, multo fortius necesse est, vt nos qui continue peccamus, tribulationes sustineamus. Tribulamur denique & affligimur, pp præmij vtilitatem, scriptũ est enim: *Sicut socij passionũ estis sic eritis & consolationũ*, quia introitus gloriæ cœlestis, patientibus & tribulatis est promissus; & illis reuera dabitur, qui mũdi tribulationes patiuntur: & si *passiones huius tẽporis condigna nõ sint ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis*, ò redemptor meus misericordissime Domine Iesu Christe, respicere me digneris oculo tuæ infinitæ pietatis, ego enim fatuus & stultus hucusq; fui, quia licet diuersis tribulationibus & aduersitatibus me affligeres, nõ cognoscebã tamẽ qualis inde vtilitas sequeretur, & ideo maxima cũ impatiẽtia eas toleraui: ita q frequenter me fere perduxerũt ad diffidentiam vsq; tui sancti auxilij. Parcere igitur mihi iniquissimo peccatori digneris clementissime Domine Iesu Christe, & tanquam fatuitatem & dementiam remittere, vt tuas tribulationes agnoscam, & cum patientia eas humili corde suscipiam, & gratias tibi pro ipsis agam, & te misericorditer donante, te laudem in vitam æternam, Amen.

F

2. Cor. 1.

G

Rom. 8.

Quod afflictiones temporales, sunt paternæ correptiones. Cap. 6.

Magna est misericordia tua clementissime Domine De⁹ meus, erga nos miseros peccatores, quia nos affligis tribulationibus diuersis temporaliter & paternè. Temporaliter enim tribulas & affligis peccatorẽ, vt de commissis criminibus puniatur, sed paternè hoc agis, vt deuiantem reducas, & errantem erigas, & de morte æterna eum eripias. Timorẽ ei incutis, vt eum ab amore mundi retrahas & auellas. Et sic occulto tuo iudicio in hac vita tribulatione percutis, ne via pro termino, & peregrinatio pro patria diligatur. Tua igitur paterna tribulatio, producit mœrorẽ & cõpunctionem, inducit timorem & contritionẽ: educit languorem & infectionẽ, adducit vigorem & curationẽ, sicut scribitur: *Reuertamur ad Dominũ, quia ipse cepit, & saluabit nos: percutiet, & sanabit nos: vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt*. Effectus igitur tribulationis quãuis sit amarus, & toleratu difficilis, est tamen potentissimus ad sanãdum, & ad diuinæ gratiæ subsidium conueniendum. Dissoluit nãque per cõpunctionem, confortat & consolidat per spẽ & consolationem: corrodit carnem putridam, & extenuat p dolorem, roborat & conglutinat per sanitatis spiritalis instaurationẽ. Animã quoq; à morte & corruptione inferni præseruat p vitæ æternæ collationẽ. Hæc insuper tribulatio calcat supbiã, respuit auaritiã persũdat luxuriã, fugat furorẽ

H

Isa. 27.

& for-

A

& format in tribulato verũ amorẽ. O benignissime Domine Deus meus, ego peccator ingratissimus tibi fui, quia per flagella tua nolui meipsum corrigere & emendare, sed magis fui obstinatus & induratus, & ad deteriora inclinatus persimilis incudi, quæ quanto magis percutitur, tanto magis induratur. Ideo timeo ne de me dicatur, quod de mihi similibus dictum est: *Domine percussisti eos & nõ doluerunt, vulnerasti & à viis suis non sunt reuersi.* Succurre ergo mihi misero peccatori benignissime Domine, vt flagella tua sint mihi salutaria, non damnabilia: sint mihi ad correptionem & emendationem peccatorum meorum, non ad vindictam & vltionem, & per illa humiliter ad te reuertar, vitam meã miserabilem emendem, & in tua gratia perseuerem, vt in fine vitam in tua laude & gratiarum actione, misericorditer consequar sempiternam, Amen.

Quod Deus patienter nos expectat ad pœnitentiam & commendat o... vitæ Cap.

O diuina patientia, quæ nihil aliud est quam longanimitas tuæ expectationis, qua scilicet nos expectas ad pœnitentiam, nolens nos peccatores continuo iudicare, sed patienter sustinens mala nostra. Neque propter hoc subtrahis à nobis peccatoribus beneficia tua. Nam *solem tuum facis oriri super bonos & malos, & pluis super iustos & iniustos*, tanta patientia roboratus, patienter expectas vniuersos, ideo de te scribitur: *Patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Tu enim es Deus iudex iustus, fortis & patiens nec irasceris per singulos dies.*

B

Matth. 5.
2. Petr. 3.
Psalm. 7.

O misericordissime Domine Deus meus si tu patiens es erga nos miserabiles peccatores super peccatis & iniquitatibus nostris, quanto magis patientes esse debemus in tribulationibus & aduersitatibus nostris, quas propter scelera & peccata nostra quotidie sustinemus? non enim est patientia in prosperis, sed potius in aduersis. Et ideo dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miseris tolerãtur. Et ideo sine dubio leuius tolerare debemus minora quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa quæ tibi inferimus. Debemus insuper tribulationes ipsas patienter sustinere, propter magnitudinem valoris & vtilitatis. Sicut enim agricola patienter sustinet labores propter spem fructus quem expectat: sic, quia propter mundi labores & tribulationes fructus æternæ gloriæ ex tuæ prouidentiæ sola benignitate expectam⁹, ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: *Patientes estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce enim agricola expectat pretiosum terræ fructum, patienter † ferens donec accipiat.*

C

Iacob. 5.
† Ferens.

Sed ego miserrimus & sceleratissimus peccator, quamuis scirem & sciam, quod patienter me expectas, quia misericordia tua est, quod nõ sum cõsumptus, quodque propter peccata mea horribilia tribulationes multas & aduersitates mihi donas, tamen impatientissimus fui, & illas cum magna impatientia toleraui, & vnde tibi placere debeam, & pœnam peccatorum diminuere, displicui, & pœnam adauxi. Adiuua me igitur benignissime Domine Deus meus, & sicut me hactenus misericorditer expectasti adhuc me patientissime expectando peccata mea dele, de quibus pœnitentiam agam, & condigne satisfaciam, tua gratia adiuuante, vt in fine ex misericordia tua peruenire merear ad laudes tuas in gloriam & vitam sempiternam, Amen.

D

Quod tribulationes patimur, ne in æternum propter peccata nostra puniamur.
Cap. 8.
Abac. 3.

Quum iratus fueris mitissime Domine Deus meus *misericordiæ recordaberis*. Ira tua paterna est erga nos miseros peccatores, quæ licet ad vtilitatem nostram sit, videtur tamen in nos quandoque sæuire. Hęc ita quæ tribulationes nobis inuehit, est misericors, quia ad finem pium & misericordẽ, & ad saluationem nostrã. Et licet Domine Deus meus sæpè exterius appareas durus per iustitiam & correctionem, tamen interius es valde mitis & pius per compassionem & benignissimam intentionem. Ideo tuam tribulationem patienter sustinere debemus, quum certi simus quod propter bonum nostrum tribulationem illam frequenter infligis. Quapropter de te scribitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, quoniam secundum altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.*

Psalm. 102.

Quum autem tribulamur, occasionem patientiæ nobis donas, eo quod tribulationes parum durare soleant, & cito deficere ac cessare. Hæc autem patientia placat seueritatem, seruat mentis tranquillitatẽ, sedat iræ ferocitatem, retinet cordis humilitatem, habet loci vtilitatem, arcet carnis agilitatem, & implet diuinam voluntatem.

E

Præterea tribulatio, neque respectu pœnarũ futurarum, quæ nobis propter iniquitates nostras debentur, aliquid est, neque respectu gloriæ, quam speramus, *non enim condignæ sunt tribulationes præsentis temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quare ô *Pater misericordiarũ & totius consolationis, qui consolaris nos in omnibus tribulationib. nostris*, misericorditer respicere me digneris miserrimum peccatorem diuersis tribulationibus & angustiis afflictum & tribulatum. Nam licet peccata mea innumerabilia tribulationes longè maiores & acriores incessanter pati meruerint, tamen tua immensa & infinita misericordia exuperat omnes iniquitates meas. Ad hanc igitur misericordiam exuberantem recurro, & illã humiliter inuoco, precor & obsecro, ne me ad debitam vltionem peccatorum meorum, sed ad plenam ipsorum remissionem & veniam respiciat: vt vita mea culpabilis & misera, cõuertatur in vitam gratiæ & virtutum, quæ me inimicum, tibi amicum verum faciat, & vitã in laude & glorificatione tua pariat mihi sempiternam, Amen.

Rom. 8.
2. Corint. 1.

F

Quod tribulatio sit res necessaria.
Cap. 9.

Ad nostram doctrinam scriptum est clementissime Domine Deus meus, vt omne gaudium existimemus quum in tribulationes varias inciderimus, quia tribulatio est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni. Res enim necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur, & tristitia, quæ in gaudium mutatur: gaudium, inquam, longum quod nemo tollet à nobis, gaudium multiplex & gaudiũ plenum. *Tribulatio namque probationem operatur*, & dulcia ad gloriam. Gloriandum igitur est in tribulatione, in qua est spes gloriæ. Quinimo in tribulatione gloria continetur sicut spes fructus in semine. *Illud enim tribulationis nostræ quod in præsenti momentaneum est & leue, in æterna gloria magnũ gratiarum pondus operatur in nobis.* Nullus enim sanctorum coronatus est sine flagello vel certamine. Abel iustus occiditur, Abraham propter vxorem, vitam periclitatur amittere: & sic de aliis, qui aduersitates & flagella tribulationũ perpessi sunt. Solus Salomon in deliciis fuit, & ideo fortè corruit.

Iacob. 1.
2. Cor. 4.
Gen. 4.

G

Salomonis deliciæ.

Adiutrix enim virtutis est tribulatio, quam tu benignissime Domine Deus, electis tuis das hic in terrenis, vt eos remuneres in supernis, quia dum eos flagellas, ipsos eligis & erudis ad hæreditatem æternam: qui vero cum hominibus flagellari noluerit, cum dæmonibus flagellabitur. O misericordissime Domine Deus meus, ego sceleratissimus peccator, omni nequitia plenus, consolationes terrenas semper desideraui, toto corde quæsiui, & totis viribus suscepi. Non peperci animæ meæ, non peperci sanguini, qui pro me effusus est, non timui horrendum animæ meæ periculum, neque ignem ei præparatum declinaui. Sed in deliciis permanere volui, in quibus castitas periclitatur: sicut veritas in multiloquio, & charitas in hoc peruerso seculo. Adiuuet me piissime Domine Deus meus, tua immensa misericordia, vt possim de præteritis pœnitere, in præsenti gratiam obtinere, & futuram perpetuarum laudum tuarum gloriã magna cum fiducia præstolari. * Non me retardet conscientia peccatorum, quia vbi illa abundauerunt, superabundare potest gratia: non terreat tua benigna tribulatio, quæ non est condigna ad præteritam culpam quæ à te remittitur, necnon ad præsentem consolationis gratiam, quæ à te immittitur, nec ad futuram gloriam quæ à te gratis promittitur. Sed te miserante eam suscipiam patienter, & humili corde gratias agam, vt vitam te perenniter laudantium consequar sempiternam. Amen.

* Hoc sic intellige ex decreto Conc. Trid. sess. 6. cap. 16 Consequimur omnes nos gloriã etiam nostris meritis ex gratia Dei, quæ nobis gratis donauit, vt nostra opera merita essent gloriæ.

H

Quod in tribulatione abscõditur gloria.
Cap. 10.
Psalm. 90.

Later benignissime Domine Deus meus, in tribulatione, gloria abscondita nobis, quia tu dixisti: *Cum ipso sum in tribulatione.* Quid igitur Domine Deus meus, aliud interim requiram quam tribulationem? Nam *mihi adhærere tibi bonum est*: descendis namque vt *prope efficiaris his qui tribulato sunt corde*, vt nobiscum sis in tribulatione nostra, ex hoc vtique quod in ipsa tribulatione sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, & quis persisteret sine te? Bonum est mihi Domine, tribulari, dummodo tu sis mecum. Melius est mihi in tribulatione amplectire, & in camino tribulationis habere te mecum, quam esse sine te. Aurum probat

A

fornax, & viros iustos tentatio tribulationis, vbi cum eis es Domine: Sicut vnguenta redolere non solent nisi agitentur, & aromata fragrantiam suam emittere nisi incendantur; ita viri iusti virtutes, tribulationibus maxime innotescere solent. Ideo tribulationes & angustias patienter tolerant, & præsertim quia scripturæ in hoc seculo nihil aliud promittunt quam tribulationes & angustias, pressuras & augmenta dolorum, & abundantiam tentationum: ad ista nanque nos præparare oportet, ne imperati deficiamus, nam sine ferro aut flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodiemus. Nec ille bonus esse præsumitur, quem malorum prauitas non probauit. Quis enim sanctorum sine tribulatione coronam adeptus est? Nam in cunabilis Ecclesiæ, non defecit premens iniquitas, & iustitia patiens. Nec omnes qui patiuntur, sunt principes patientiæ, sed qui passione recte vtuntur ij patientiæ munere coronantur. O benignissime Domine Deus meus, ista sciui & scio, sed opere non compleui: accedente enim ad me tribulatione, accessit illico

B

impatientia, turbatio, ira, & indignatio, quæ sunt perditio animæ, quia patientia caruerunt, sed tu misericors Domine, non considera hanc impatientiam meam ad pœnam & punitionem, sed ad vitæ emendationem, misericordiam obtinendam. Patientiam in meis tribulationibus mihi tribuas, quia scio quod apud te infructuosa non erit. Et si sæuit contra me ignis tribulationis, tu mecum sis, vt misericordia tua me confortet & roburet, & in fine cum perpetuo laudantibus te, vitam obtineam sempiternam. Amen.

Quod malignus nihil potest in eos qui patienter tribulantur.
Cap. 12.

Scio Domine Deus, quod *omnes qui volunt piè viuere in te, persecutiones patiuntur.* Habet enim ille nequissimus inimicus laqueos & iacula, vt pote callidissimus venator humanum, sitiens sanguinem animarum, alios enim appetit telis insidiosæ suggestionis, quibus multos vulnerat, quorum renuis est patientia; alios voluptatibus irretire laborat, quibus multitudinem copiosam concludit. Et ideo in tribulatione magnum adesse gaudium oportet, in qua non habet malignus, vnde non deiiciat. Nihil enim proficiet inimicus in eo quem tribulatio comprehendit,

C

dum tamen per impatientiam non deiiciatur, sed potius in te validissime confortetur, & de sua tribulatione & aduersitate gaudeat & lætetur. Ægro namque de quo desperatur, medicus concedit, vt cuncta quæ concupiscit, accipiat: qui vero sanari posse creditur, cum à multis prohibet, quæ appetit. Gaudium autem & spem de æterna hæreditate suscipiunt, qui hic tribulationibus flagellantur, quia tu Domine Deus, quos saluandos in perpetuum cernis, sub disciplinæ regimine astringis, & transitorio verbere affligis, vt ita ad æternæ hæreditatis patriam præparentur obtinendam. Sicut enim amatores huius mundi multa aduersa & diuersa patiuntur; ita neque seruis Dei omnia in hoc mundo prospere succedunt, vt *in die malorum, memores sint bonorum*, ne pusillanimes fiant & impatientes: & contrario die bonorum, memores sint malorum, ne extollantur & dicant *in abundantia sua: Non mouebimur in æternum.* Sicut enim secularium prosperitas, stultum secularem occidit, sic & abundantia spiritualis indoctum spiritualem occidere potest. O superbenedicte per secula seculorum

Cur aduersa iustis eueniant.
Psalm. 29.

D

Domine Deus meus, ego iniquissimus peccator iudicio rationis abusus, prospera mundi potius concupiui & amaui, quam aduersa: & sic incommodum meum potius quam commodum quæsiui & dilexi. Succurre mihi misericorditer piissime Pater, qui neminem vis perire, sed salutem desideras animarum. Fac me currere per viam mandatorum tuorum, illa obseruando animo diligenti. Sit mihi tua correctio ad salutem, non ad mortem, ad tuam gratiam obtinendam, non ad iram tuam incurrendam, vt quum in regnum tuum venerim, te possim benefactorem & liberatorem meum perenniter laudare & benedicere. Amen.

Quod Deus sanat percussiones, quas infligit.

Misericordissime Domine Deus meus, tibi proprium est misereri & parcere. Quod si percutis virga, & non baculo, nisi raro percutis. Et quum percusseris, sanas. paterna siquidem vox est hæc: *Percutiam, & ego sanabo:*

E

Percutis enim, vt emendes, non vt vindices, quia tanquam Pater misericors, flagellas filium quem diligis. Sed in initio flagellatus, quod te Patrem pium esse ignoret murmurare solet & se innocentem, te autem crudelem pronunciare. Quia vero bonitas tua ei subuenit, per flagellum potentiam virtutis tuæ sentit, & tuam sapientiam per intellectum capit, quia talis sapientia *attingit fortiter* per flagellum, *& disponit suauiter* per intellectum, dum ei inspiras quod gaudeat in tribulationibus, & scias quoniam *patientiam tribulatio operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem nõ confundit.* Et tunc se nõ quasi seruum puniri, sed quasi filium per flagella erudiri agnoscit, vt hæreditatem accipias. Nequaquam igitur contemnenda est tribulatio quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam, quæ ita magnum quoddam bonum, & datum optimum, quia elationem deprimit, lasciuiam refrenat, intemperantiam edomat, & denique omnes illicitos motus mentis & corporis suffocat & elidit, ceruicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frenat, iram sedat, intellectum format, & dirigit in

Cap. 12.
Deut. 32.
Hebr. 12.
Sap. 8.
Iacob. 1.
Tribulationis cõmoda.

F

viam pacis, erudit ad scientiam, exercet ad timorem vt coronet ad gloriam. Tribulatio namque, contra carnis concupiscentiam dat continentiam; contra oculorum concupiscentiam, constantiam; & contra ambitionem seculi, humilitatem. O benignissime Domine Deus meus, quanta mentis cæcitate fui percussus, qui tribulationes mihi vtiles esse non cognoui? Quia mole huius mortalis corporis aggrauatus eram, terrenis intricatus curis, carnalium voluptatum fæce infectus peccatis inuolutus, consuetudine praua induratus, multis criminibus irretitus, in omni bono opere frigidus, in diuersis malis prostratus & induratus, procliuis vere ad quæcunque vitia, & ineptus ad honesta. Propter quæ nefandissima peccata mihi tribulationes dedisti, vt animæ pestes in oie lauarentur. Quare gratias ago Domine Deus meus, qui me sic dignatus es visitare ad emendationem vitæ meæ. Tu vero dona mihi veram & firmam patientiam, vt ab omnibus vitiis emundatus, consolari in te misericorditer valeam in æternum. Amen.

G

Inter alia debita mea benignissime Domine Deus meus. ad quorum solutionem astringor, & obligatum me sentio, est pœna, ad quod debitum primi parentes me obligauerunt, propter peccatum contra te commissum. Quare si mihi affuisset vera cognitio meorum, gaudere semper debebam, dum pœnæ tribulationis me premebant, & affligebant, quia tunc sustinendo patienter tribulationem, debitum meum soluebam, De quo misericors Deus gratias tibi agere debebam, quia scio quod talem solutionem debiti, si patienter eam suscepissem, compensasses ex largiflua gratia tua, in acquisitione gloriæ sempiternæ, ad quã misericorditer me creaturam tuam vocasti. Tribulatio etiam mihi iuste debebatur propter vitia & peccata innumerabilia quæ commisi, quia qui peccat, debitor est pœnæ, & pœnam luere debet. Et ideo si oculos mentis apertos habuissem, non moleste tulissem sed patienter omnes tribulationes & aduersitates mihi datas per te Domine Deus meus, quoniam in præsenti me affligebas, & satisfactionem de peccatis recipere volebas cẽtuplu minorem quam sit futura pœna. Tribulatio namque quæ cum patientia toleratur, attrahit te ad tribulatum, quia oculo misericordiæ respicis hominem tribulatum, desolatum & afflictum, vt ipsum, recrees, soleris, & liberes ab incendio

In tribulationibus est gaudendum.
Cap. 13.
Satisfactio de peccatis.

H

afflictionis, sicut de te scribitur: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi vt liberarem eum.* Sic igitur piissime Domine Deus meus, oculo tuæ dulcissimæ pietatis respicis hominem, pro mundi afflictionibus, infirmitatibus, & tribulationibus languentem, qui si cum patientia omnia toleret, fiduciam, virtutem, & constantiam ei tribuis, doloremque tribulationum eius temperas & extinguis, & eum ad sanitatem & prosperitatem perpetuam misericorditer adducis. O clementissime Domine Deus meus, scio quod iustissime me affligis, multiplicando in me tribulationes: hoc autem facis, vt sic ad te redeam, qui propter infinita peccata nequiter perpetrata, recesseram à te. Præsta mihi veram firmamque pa-

Exod. 3.

A

tientiam, & tibi gratias corde contrito incessanter agam, & tua gratuita beneficia misericorditer à te collata & multiplicata mente assidua recolem, vt sic debitum peccatorum exoluam, & de ipsis quantum in me erit, satisfaciam, vt ab illo debito tua misericordia liberatus, & tuæ gratiæ restitutus, ad tibi perpetuo seruiendum, tuam gloriam obtineam sempiternam. Amen.

Satisfactio. Quod varij sunt afflictionum & tribulationum modi. Cap. 14. *Iob.* 1. *Tob.* 3. *Dan.* 3. *Exod.* 14. & 15. *Ioann.* 9.

Misericors & miserator Domine, dum considero indicia tua quæ incomprehensibilia sunt, & vias tuas quæ inuestigabiles existunt, timor & tremor concutiunt mentem meam, quæ nubilo ignorantiæ obscurata non discernit, ad quem finem tribulationes tuæ tendant. Aliquos namque affligis & tribulas, probando sicut Iob & Tobiam, qui cum probi sanctique essent, fuerunt tamen afflicti. Alios affligis & purgas, sicut Nabuchodonosor, qui flagellis & tribulationibus resipuit. Alios affligis & damnas, sicut Pharaonem, qui flagellis magis induratus perstitit. Alios affligis, vt tu glorificeris, sicut accidit in cæco nato, qui cæcus oculis natus fuerat, non propter peccata sua, aut suorum, sed vt manifestarentur opera tua in illo. Alios affligis & tribulas, & desperati moriuntur, vt hic incipientes infernum suum, de tormento transeant ad tormentum, sicut legitur de Antiocho, qui post acerbas afflictiones in doloribus mortuus est, & damnatus, de quo & similibus dixisti: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* O misericordissime Domine de quotum numero sim ego miser tribulatus, ignoro, & in hoc tabescit anima mea, cor meum turbatur, mens languet, & viscera cruciantur tibi soli notum est, qui das tribulationes quando & quantum vis, nec audet quisquam quærere, cur hoc facis. Sed ad infinitam misericordiam tuam corde contrito & humiliato recurro, vt qui mihi tribulationes donas, si eas mihi ad probationem, quia talibus dignus non sum, dare nolis, saltem non des eas mihi ad damnationem, sed ad emendationem; vt scilicet per eas emendem miserabilem vitam meam. Scio quod sicut in medicamentis illa communiter sunt vtiliora, quæ amariora sunt; sic mundi attritio, correptio, & tribulatio, quamuis sensualitati & carni sit medicina amara, tamen animæ & spiritui est vtilis & proficua, medicinalis & fructuosa, quia scilicet retrahit hominem à peccato, & facit vt contemnat præsentia, & acceleret ad futura, sicut scriptum est: *Conuersi sunt à peccatis suis propter afflictionem suam amaram.* Tribue igitur mihi clementissime & misericordissime Domine Deus, virtutem patientiæ in tribulationibus meis, vt peccata relinquam, me emendem, & per veram satisfactionem ad te accelerem, vt hic me recipias in tua gratia, & in futurum ad te iugiter laudandum, honorandum & glorificandum, in tua gloria sempiterna. Amen.

B

2. Mac. 9.

Hier. 18

C

Quod tribulationes euehunt nos ad regnum cœlorum. Cap. 15. *Act.* 14.

Scio mitissime Domine Deus meus, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum tuum.* Nam sicut nauis per mare transiens, multis ventorum impulsibus, multis aquarum fluctibus, multis demq; piratarum insultibus subijcitur, nec vnquam antequam ad portum venerit, tuta aut secura iudicatur: sic homo quamdiu nauigat per mare istius amaræ & periculosæ vitæ, semper de vna tribulatione in aliam ducitur, cumque iam euasisse se crediderit, subito tribulationes nos sentit. Et ita tribulationes huius miserabilis mundi nunquam euadit, quousq; ad terminum mortis pertingat, vnde scribitur: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Sex tribulationes quibus in hoc mundo affligimur, sunt dolor, esuries, timor, infirmitates, casus. Septima, est mors in qua malum temporale huius miseriæ vitæ non amplius nos tangit. O benignissime Domine Deus meus, ex pijssima dispensatione misericordiæ tuæ, in præsenti seculo tribulamur, vt scilicet dum iter præsentis vitæ plenum tribulationibus innenerimus, per ipsas tribulationes compulsi, ab iniquitatibus & peccatis recedamus, & per bona opera ad cœlestem patriam properemus, & æternæ vitæ terminum totis viribus affectemus. Et ideo propria humanæ conditionis ratio est mundi miserijs subiacere, & tribulationes sustinere, quia etiam *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Tribulationes namque præsentes, sunt tributum, ad quod soluendum natura est obligata: sunt onus, ad quod portandum est subiugata: sunt iugum, ad quod trahendum est ordinata. Et idcirco debemus eas benigniter portare, & humiliter sustinere. Sed ego miserabilis peccator ista sciui & scio, & effectu ipso didici, & memoria tenui, sed ad effectum non perduxi, quia licet ita in veritate esse scirem, tamen illa scientia vti nolui, sed ad magnas impatientias animam meam laxaui: ac si tribulationes & aduersitates ipsas iniustissime sustinerem. Parce misericors Deus, parce tantæ ingratitudini & iniquitati meæ. Noli respicere peccata mea ad vltionem & vindictam, sed immensa bonitas tuæ misericordiæ ea deleat & remittat, vt tuæ pietatis suffultus auxilio, cum patientia hîc viuam, & in fine non amplius tibi inutilis in vitam tibi perenniter seruiam sempiternam. Amen.

D

Luc. 24.

E

Quod tribulationes corporis sanant vulnera mentis. Cap. 16.

Domine Deus meus, quotidie tribulamur & affligimur per mentis inconstantiam, per carnis molestiam, per rerum temporalium amissionem, amicorum perditionem, aduersariorum detractionem, iram, inuidiam, vindictæ cupiditatem, & animi perturbationem. Ideo talis tribulatio, medicinalis est animæ, & ad salutem plurimum operatur, si cum patientia & vitæ emendatione sustineatur. Dolor enim infertur infirmis, vt consequantur sanitatem: discipulis vt assequantur sagacitatem, paruulis vt obliuiscantur lactis dulcedinem & voluptatem. Sic autem est de tribulatione dicendum, qui dolor tribulationis & afflictionis fecit vt vulnera peccatorum sanentur, virtutes & boni mores discantur, & lac mundanæ dulcedinis obliuione mandetur. Et sic est vtilis medicina homini, quia quamuis primo desolationem afferat, præstat tamen postea multiplicem consolationem, sicut scribitur: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Benignissime Domine Deus meus, tribulationes sunt sagittæ tuæ, quibus nos vulneras, & affligis. Nam sicut sagitta infixa corpori, dolorem infert, & remedium quærere compellit: sic tribulatio dolorem affert cordi nostro, & nos mouet, & impellit vt in te aliud solatium requiramus, scilicet in cogitatione boni æterni, ideo scribitur; *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* O clementissime rex & *pater misericordiarum, Deus totius consolationis,* quanta clementia premor, quanta duritia cordis astringor, & quanta distantia à te elongor? Tu motus magna misericordia super me peccatore, me afflixisti diuersis tribulationibus, vt mundum & mundana contemnerem, hostes debellarem, de peccatis dolerem, mentem meam ad te eleuarem. Sed ego miser & omni miseria plenus tribulationes impatienter tuli, nec propter illas mundana contempsi, sed meis hostibus consensum præbui, & mentem meam ad terrena prostraui, & sic post flagella effectus sum durior. O creator meus, non despicias creaturam tuam, non consideres delicta mea, sed aperi exuberantem bonitatem tuam, qui me peccatorem nefandissimum iustificet, immundissimum mundet, prostratum erigat, inconstantem corroboret, vt sic tribulationes tuas patienter sustineam, quo tibi semper seruiendo, & nunquam posthac inobediendo, ad consolationem perueniam sempiternam. Amen.

F

Psalm. 93.

Psalm 18. *2. Cor.* 1.

G

H

Quod diuina virtus in tribulationib. nostris agnoscatur potentior. Cap. 17.

Dulcedo cordium Domine Deus meus, animarum suauitas, & gloria te diligentium: aufer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, cor humile & contritum, vt agnoscam tribulationes tuas mihi tam vtiles & salubres, quam hactenus eas impatienter ferendo, damnosas esse reputaui. Et quis benignissime Domine Iesu Christe, miseriam & tribulationem inter dona tua non computet? quum tu dicas Apostolo: *Sufficit tibi gratia mea,* & , *Virtus mea in infirmitate perficitur.* Vnde idem Apostolus dicit: *Quum infirmor, tunc fortior sum & magis potens.* Sed ego miser, sapientia huius mundi suffultus, quæ stultitia est apud te, id tribulationem esse putabam quod consolatio est his qui recti sunt corde, vnde idem Apostolus dicit: *Nihil pro me, nisi in infirmitatibus meis gloriabor.* Nam quod impatientia simplicium reputat, id humiliter patientia ad solatium cedit, quia quum patientiæ fructus, oculo piæ mentis consideratur & pensitatur, alleuiatur onus,

2. Cor. 12. *Ibidem*

2. Cor. 12.

dulcescit

A dulcescit afflictio, & in ipsorum pressura grauaminum futuræ consolationis primitiæ iam prægustantur. Ideo sancto viro afflictione corporis, & substantiæ temporalis amissione tribulato: qui afflictus est, inquit, erit in gloria. O misericordissime Domine Deus meus, quia secundum *duritiam cordis* mei & *impœnitentiam*, hactenus *thesaurizaui mihi iram in die tremendi sui iudicij*: tu pijssime mecum agens, iram tuam conuertisti in gratiam, non tribulari me voluisti, ne grauius tribularer. Ideo si tuam pijssimã bonitatem mente humili cognoscerem, pura animi voluntate velle deberem, quod corpus meum ieiunia frangerent, cilicia constringerent, labores grauarent, vigiliæ exiccarent, insurgerent in me tribulationes, me frigus incuruaret, conscientia mea contra me murmuraret, caput doleret, pectus arderet, stomachus inflammaretur, vultus palleret, & vita mea in dolore deficeret, & anni mei in gemitibus, sicque crucem tuã portando deficerem. O Domine Deus meus, *ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*; vt in tua laude requiescam in die tribulationis. Scio namque quod post cultoram sequetur vendemia, & post afflictionem lætitia, B cedentque contumeliæ te miserante ad coronam, quam mihi in fine dierum meorum, ad gloriam & honorem tui sanctissimi nominis misericorditer concedere digneris per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Rom. 2. *Abac. 3.*

Quod Deus tribulatos extrinsecus, consolatur intrinsecus. Cap. 18.

Tu misericordissime Domine Deus meus *visitas hominem diluculo, & subito probas illum*: visitas & probas, vt sic spiritum eius à spiritu maligno custodias, vt postea tibi dicat: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Nam flagello tuo pijssimo puluis excutitur, quam ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit, & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Sic enim irasceris vt mansuescas, affligis vt parcas, prosternis vt erigas. *Nam sicut in nobis passiones tuæ abundant, ita per te consolatio nostra abundat.* Plena namque est miserationibus ira tua, & iudicia animaduersionis quam temporaliter exerces in tuos, certa sunt tuæ pietatis indicia. Ideo inter delicias & dolores, ira & misericordia tua in flagellis sapienter agnoscuntur. Et quamuis in præsenti omnis correptio amara sit, tamen in futuro reddet fructum pacatissimum. Ideo bonum est tribulari, vt inter nos cruciatus absorbeat vexatio temC poralis, quia scriptum est: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* O benignissime Domine Deus meus, scio & vere quidem scio, quod maior est culpa mea quæ præcessit, quam tribulatio quæ me premit. Donum tuum gratuitum est, quod tribulor, tua gratia est, quod affligor: non enim semper medicus dulcia ministrat ægroto, sed frequenter amaras porrigit potiones: infirmitas siquidem cui cibus delicatior causam præbuit, poculo amaro purgatur, & apostemata quæ ex otio & crapula succreuerunt, adustione sanantur, & incisione purgantur. Sed clementissime Domine Deus meus, spero in tua infinita & immensa misericordia, quod in me *non consurget duplex tribulatio*, neque, *iudicabis me bis in idipsum.* Fac mecum misericordiam tuam, vt præsentes tribulationes patienter & æquanimiter sustineam, quia spero, quod hæc tribulatio ex tuæ miserationis dono redimet tribulationem æternam; patior namque pro iniquitatibus meis; sed vtinam datum esset desuper pro iustitia pati, quia *Beati qui patiuntur propter iustitiam.* Verum quia pro peccatis meis tribulationem patior; sufficit mihi si patientiam mihi dones, ne deficiat præ pusillanimitate spiritus, & D præ tempestate caro debilis & toties flagellata, vt cum finis vitæ meæ aduenerit, regnum laudis tuæ obtineam sempiternum Amen.

Iob. 10. Tribulari bonum est. *Psalm. 65.* *Matth. 5.*

Quod tribulatio si sine patientia caret fructu. Cap. 19.

In labore & ærumna protrahis vitam meam miseram, clementissime Domine Deus meus, datus sum in opprobrium & derisum his qui sunt in circuitu meo, æquanimiter tolerare non valeo, quod afflictio super tribulationem vulnerum mentis meæ additur, & per diuersa flagella assidue multiplicetur. Nimia impatientia Domine Deus meus frangor, non considerans quod omnis cordis & corporis afflictio citra profectum & fructum salutis est sine patientiæ condimento. Tu enim pijssime Domine nequaquam *obliuisceris miserari, neque continebis in ira misericordias tuas, sed iratus, misericordiæ semper recordaris.*

Abac. 3.

E Nam qui flagellum tuum cum æquanimitate & bona patientia sustinet: et indubitanter ira tua cedit in gratiam, & tribulatio in consolationem, quia sæpius temporaliter punis, vt æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis. Scriptum namque est, quod in ædificio templi, omnes lapides prius malleis tundebantur. Sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, varijs infortunijs & concussionibus prius poliuntur, quam in ædificio cœlestis habitaculi collocentur: sicut neque in horreum reponitur granum, antequam flagellis aut triturantium pedibus sit excussum. O mitissime Domine Deus meus, ego miserabilis peccator datus fui quodammodo in reprobum sensum, quia prædicta cognoui, & quid agere deberem inspirasti, sed tuas inspirationes salutiferas longe à meipso proieci, & erigendo ceruicem meam durissimam, maxima impatientia & animi turbatio sic mentem meam concussit, vt tua benigna flagella mihi vtilia esse non cogitarem, sed damnosa. Succurrere mihi digneris pijssime Domine Deus meus, & compati miseriæ meæ. Ignoscas mihi, F quia misericors es & benignus, sentiam bonitatem tuam, non appareant peccata mea ante conspectum diuinæ maiestatis tuæ ad vindictam sumendam de ipsis, sed potius ad tuam misericordiam obtinendam, desque mihi gratiam hic bene viuendi, vt sic gratiam te in perpetuum laudandi & benedicendi possideam sempiternam. Amen.

Quod cum tribulationem sentimus, tunc maxime de Dei miseratione confidendum est. Cap. 20.

Opto, ne irascaris mihi pater misericordiarum, ea ira qua corrigis deuium, & non ea qua errantem in viam salutis & vitæ reducis; nam non quum nescio, sed quum sentio te iratum, tunc maxime confido te esse propitium, quia *quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Damnandis & reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem quæ interimit. Concedat ergo mihi tua benignissima pietas, ne perturber pusillanimitate spiritus: ad hoc enim quantum potest, laborat aduersarius meus, vt holocaustum meum deuotionis pinguedine vacuetur, vt & minus acceptum sit tibi, & conscientia mea in spirituali gaudio minus exhilaretur, sicque ex pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas gene- G retur. Non perturber, sed cum patientia tolerem si transitoria mihi auferantur, si contumeliæ ingerantur, si supplicia irrogentur. Ostende mihi cui irasci debeam, & fac vt ei irascar. Irasci namque debeo ei; quod solum mihi nocere potest, quod solum potest facere, vt omnia alia mihi obsint. Sed quidnam illud est? Certe Domine Deus meus, iniquitas propria. Pone inimicitias inter me & ipsam, vt eam à me expellam; neque ei consentiam, sed forti animo resistam. Fac vt irascar ei, ne appropinquet mihi, sed fugiat à me, imo ab ea fugiam, quum mortem æternam animæ meæ ipsa desideret, & te cupiat separare à me. Illi irascere Domine, & malignos ac pestiferos motus ipsius reprime, ne mihi valeat vllatenus dominari. Scio Domine, & mihi notum fecisti, quod mihi nulla nocebit aduersitas, si mihi nulla dominata fuerit iniquitas. Quibus te irascitur, cæteris non mouebitur, sed ei aderit consolatio de spe salutis æternæ, in quam translatis peccatis quæ separabant ipsum & te Deum & H Dominum, per tuam gratiam erigetur, & exhilarabitur. Adiuuare igitur me digneris benignissime Domine Deus meus. Cum patientia eas aduersitates sustinere valeam quæ non destruant, sed potius erudiant, auferant iniquitates, & inserant virtutes, quibus tibi placeam, tibi seruiam, à te non separer, sed obtineam à misericordia tua vitam tecum in tuo seruitio sempiternam, Amen.

Quod nã sit signum firmæ mãsionis in Deo. Cap. 21.

Signum euidentissimum est Domine Deus meus, quod homo in te firmiter manet, quando per aliquas passiones & tribulationes, quantumcumque difficiles & graues, non separatur à te, nec à tua dilectione. Sed quanto magis affligitur, tanto minus diuiditur, sed fortius coniungitur. Talis autem fuit superbenedictus Filius tuus, qui mortem sustinuit acerbissimam cum summa patientia, tibi Patri suo perfectissime obediendo, cuius imita-

A

Quod amor obtinet quæ ipse petuntur a Deo. Cap. 18.

Psalm. 118.

Amor & dilectio clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor, postulata à te promptè & facilè obtinet, quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis, quia scriptum est: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Tā exuberans est amor tuus dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quod tu diligenti te, vna cum spiritualibus bonis, bona etiam temporalia tribuis & concedis, sicut dictum est à te: *Si obedieritis mandatis meis, vt diligatis Dominū Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, anima, & mente vestra: dabo pluuiam temporaneam & serotinam, vt colligatis fructū vini & olei, & fenum ex agris.* Ostendis etiam & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciēs misericordiam in millia millium his qui diligunt me.* Infundis etiam sapientiam tuam diligenti te, sicut scriptum est: *Vnum est altissimum, & sapientiam suam*, id est, datum suum, *præbet diligentibus se.* Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiam sicut scriptū est: *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Diligentes igitur te Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impertiris. Sed non sic illis euenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt, non enim eos exaudis, sed potius te prouocant ad iram, quum aliqua à te petunt, quia cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. O misericordissime Dn̄e quoties te prouocaui, qui indignissimus & nefandissim⁹ peccator multa à te petij, & nullo dignus eram, quia te nō dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido pijssime Domine Iesu Christe. Te fons inexhaustibilis amoris, quem à me, obsecro, non retrahas, sed illum mihi clemēter concedas, quo inflāmare digneris cor meū frigidum ad amandū & diligendū te, vt sperata dilectione trāsitoria & caduca huius miseræ vitæ, ad te eleuer per purā dilectionem in te manentem per assiduam contemplationem in secula seculorū, Amen.

Exod. 20. *Deut.* 5.

Deut. 10. & 50.

Psalm. 44.

B

Quod amor Dei defendit & liberat à malis.

C

Cap. 19. *Dan.* 6. & 14.

Psalm. 17.

Fidelis & verus amicus es Domine Iesu Christe, amator vigilantissime, qui diligentem te custodis, liberas & defendis a malo & periculo, sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente, qui coniectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. Vnde dixit: *Recordatus es mei Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem te, à malo, & a leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas a malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantis: *Diligam te fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & liberator meus: Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum: Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* O misericordissime Domine Iesu Christe, ineffabilis dulcedo amoris: inæstimabilis est dilectio tua, quæ semper adiuuat peccatorem, & defendit. Peccat enim miserabilis peccator praua suggestione & cogitatione, sed tu es diligenti te *fortitudo*, ne cogitatio possit introire. Quod si peccator vltra procedat, scilicet ad delectationem, tu es tunc ei *firmamentum*, ne possit delectatio inualescere. Cū autem peccator ad consensum voluntati laxat habenas, tu Dn̄e illi es *refugium*, vt consensui cōtradicat. Quando vero defendit peccatum, tu ei *liberator es*, vt audacia abhorreat. Si latēter peccare vult, tu illi es *adiutor*, qui vbiq; præsens es, ne id faciat: sed si patienter, tu es ipsius aduersus nequitiam *protector*. Si autē inducatur in consuetudinē, tu es ei *cornu salutis*. Si verò falso seducatur, vel desperatione aut induratione cōficiatur, tu eius, ne desperet, neue induretur, *susceptor es*. Fidelissimus igitur amicus es Dn̄e, & tua vera amicitia omnem aliā excedit amicitiā. Tu semper diligis, in vita & morte. Tu diligis in prosperitate & aduersitate, & etiam magis felicē mortuum quā infelicem viuum. Tu Domine plus in immensum amas q̃ ameris: & etiam amas, licet non ameris. Tu propter patres amas filios: imo pp vnum bonum in ciuitate vel societate, amas multos malos. O amantissime Iesu, ego miserrimus peccator, omni dilectione vacuus, sed malitia & iniquitate plenus, te vt debuissem, non dilexi, sed cor durum & vagū habendo, ad diligenda frequenter mihi dānosa & noxia ipsum applicui, q erigere digneris, Domine, ad te amādum

D

semp vt vita & gloria mea, sit dilectio tua sempiterna, Amē

E

Quod amor reficit hominem. Cap. 20.

Non honor, non pecunia, neque aliqua terrena substātia, nec etiam virtus, nec ars aliqua, vel scientia, benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, potest implere animam, & satiare cōscientiam, sed sola & vera dilectio tua. Nam dilectio, aut est cum gratia, aut sine: at sine ea nō potest esse dilectio vera. Illud autē quod in vita potest solū reficere & quietare animas, est gratia, cū qua similiter est dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, sicut scriptum est: *Si diligamus inuicem Deus in nobis manet*: non potest esse pauper, quia Deum habet quem amat. Et quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonū, habet in conscientia. Qui habet aurū in arca, diues non est; sed qui te habet in conscientia, diues est. Vnde scribitur de te: *In me sunt diuitiæ & gloria, vt ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.* O misericordissime Domine Iesu Christe, in amore ditissime, q ditari cupit & satiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentē reficit, perficit, & eidē sufficit. Nā qui vera dilectione caret, etiam si oēs diuitias mundi haberet, & insuper sapientiam, fortitudinem, simplicitatem, pulchritudinē, omnes denique virtutes à Philosophis conscriptas, pauper tamen & miserabilis esset, quia illis non contentus, alia semper appeteret. Ideo de quodam diligēte terrena, scribitur: *Tu dicis quia diues sum & locuples, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper nudus, & cæcus: Suadeo tibi, emere aurum ignitum, vt locuples fias.* O clementissime Domine Iesu Christe, amor consumens, quātam doctrinam nobis peccatoribus ostendisti, pro saluatione nostra, monendo, vt emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio: quia sicut aurum excellit omnia alia metella, sic dilectio oēs alias virtutes. Debet autē hoc aurum esse ignitum amore tuo, & dilectione tua, summè inflammatum. Neq; emitur nummo vel denario, sed bona voluntate, bono desiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur, & nihil charius est, cum possidetur. O pijssime Iesu locuples in amore, ego sum miser & miserabilis, pauper, nudus & cæcus, da mihi aurū ignitum, hoc est, dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, vt ea reficiatur & quietetur in te, & ipsa ditatus gratia & dilectione tua ad regnū amoris perueniam sempiternū, Amen.

F

Apoc. 3.

G

Quod amori Dei est insistendum. Cap. 21.

Deut. 8. & 10.

Eccles. 24.

H

†Leuitas pro facilitas.

Insistēdum est clementissime Dn̄e Iesu Christe, amator bone, dilectioni tuæ, quia dilectio non est nisi boni, & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater creatione & deitate: tu es frater redemptione & humanitate: tu es Dn̄s naturalis, non extraneus: quicquid habemus, à te habemus, & in fine à te expectamus præmium sempiternum: & ideo conueniēs est vt te diligamus, & tuæ dilectioni continue insistamus sicut scribitur: *Audi Israel, quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, seruias ei in toto corde tuo, anima & mente tua, custodiasque mādata Domini, vt bene sit tibi?* Israel, est quilibet fidelis Christianus per fidem te videns, qui ad diligendum te maxime est astrictus, quia à te magis dilectus, nam dilexisti nos, & lauisti in sanguine tuo. Tu consolis nobis, & mones dulciter nō acriter, quę à nobis requiris: scilicet vt te timeamus, dum dicitur, vt timeas Dominum Deum tuum. Vnde in timore tui originem suam habet dilectio, quia scriptum est: *Timor Domini, initium dilectionis*, quæ vires accipit, & augetur exercitio aliarum virtutum à dilectione imperato. Et ideo dicitur: *Et ambules in vijs eius*, id est, in bonis operib⁹ vtpote eleemosyna, ieiunio, oratione, & cæteris: ex his enim vegetior redditur dilectio, sicut ignis lignorum appositione. Cōpletur autem dilectio tui Dn̄e, ex affectu interioris amoris, ideo dicitur: *Vt diligas Dominum Deum suū.* Cōpletur etiam ex actu exterioris honoris, ideo dicitur: *Vt seruias ei in toto corde tuo, anima & mente tua.* Conseruatur deniq; mandatorum tuorum obseruatione, ideo dicitur: *Custodiasque mandata Domini, vt bene sit tibi.* O benignissime Domine Iesu Christe, quem iustissimum est amari, vtilem & salubrē regulam te diligendi nobis clementer dedisti: nam summæ æquitatis est, vt te timeamus: sūmæ † leuitatis, vt in viis tuis ambulemus: summæ bonitatis, vt te diligamus: summæ dignitatis, vt tibi seruiamus: summæ æquitatis & sanctitatis, vt mandata tua custodiamus. O pijssime Dn̄e Iesu Christe, non ponderes peccata mea ad vindictam, sed misericordi-

te mi-

A

ter mihi ea condonare digneris, desque mihi gratiam tuam vt per timorem tui oriatur in me vera dilectio, per affectũ interioris amoris, & per actũ exterioris honoris cõpleatur, & per obseruationem mandatorum tuorum conseruetur, vt mihi bene sit, te amando nunc & in perpetuum, Amen.

De vtilitate & facilitate amoris Dei.

Verba tua verissima sunt misericordissime Domine Iesu Christe, exemplum & forma amoris, qui dixisti: *Iugum meũ suaue est, & onus meum leue*, hoc est, Domine te veraciter diligere & amare quod summe suaue est & leue, adeo quod nullus habet, nec habere potest causam aut excusationem aliquam te non diligendi. Vnde si alicui dicatur, quod ieiunet, dicere potest, corpus habeo fragile: si dicatur ei quod det, potest dicere, *Pauper sum*: si dicatur ei vt oret, & limina sanctorum visitet, potest dicere, *infirmus sum*. Sed quum ei dicitur: *dilige Deum & proximum*, nullam habet excusationẽ. Quare benignissime Domine Iesu Christe, delector amoris, scio quod tam facile est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non euacuatur,

B

quia dilectio propie consistit in anima, & inde sequitur, quod qui amat non laborat. Non est dilectio supra facultatem hominis, ita quod non possit eam perficere: nec est dilectio longe ab eo scilicet vltra cognitionem eius, ita quod non possit eam apprehendere, sed vt iuxta hominem scilicet in ore eius & in corde vt adimpleat eam, & diligat te Domine qui es summe gloriosus, summe delectabilis, & summe pretiosus. Amicitia namque est respectu boni, honesti, delectabilis, aut vtilis, quę omnia sunt in te Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone. Ex dilectione, homo viuit vita gratiæ, & multiplicat bona opera, vt terram viuentium possideat. Facilis est Domine Iesu Christe superamande, dilectio, à qua nullus cuiusque status, gradus aut conditionis exsistat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciam? oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem & non facio: scio clementissime Domine, me nullo modo aliter tibi placere posse nisi per dilectionem. Ad illam meum animum nõ

C

conuerto, illã vilipendo, ad illã habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio, in illis permaneo, in illis delector, in illis ferè continuè prostratus miserabiliter iaceo. Respicere ergo me dignare piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis, & misericordiæ: *dele iniquitatem meã maximã*: & inclina cor meũ prauum & peruersum ad te diligendũ & amandum. Non recedã à te neq; à tua benignissima volũtate, sed quicquid præcipis, faciã: quicquid prohibes, euitẽ totis viribus, cogitatione, locutione & opere, vt te donante, dilectionem tuã obtineam sempiternã, Amen.

Quod diligere Deũ est summè leue. Cap. 25.

Fructus & vtilitas Domine Iesu Christe, totius dilectionis autor, quæ ex dilectione tua acquiritur; non solum est æterna gloria, de qua dictum est, *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ preparasti diligentibus te*, sed etiã est vtilitas magna in hac vita, quia diligẽs te Domine, castigatur à te, sicut à patre dilectus filius: si contingat eũ deficere vel errare, dulciter corrigitur & castigatur, qui de seruo extraneo non curat. Vnde magnũ signum

D

amoris tui est Domine, correptio & immissio flagelli. Sed homines desperatos & peruersos, quo libet ire permittis, & in præcipitium peccatorum incidere, *quia quem diligis castigas, & flagellas omnem filium quem recipis*. Diligẽs te Domine, pacifice conuersatur: est enim in pace conscientiæ, & tranquillitatis iucunditate, non in simultate & odio: Diligens te Domine, diligẽter per te à malo præseruatur. Sicut enim homo pupillam oculi sui sedulo custodit, & eã summe diligit, sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis & defendis, & custodis ne in peccatum labatur, neve à Diabolo affligatur. Scriptum est enim: *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit animas sanctorum suorũ, de manu peccatoris liberabit eas.* Custodis animas, non cutem carnis splendidam, non possessiones & terras, quia talia tibi chara non sunt. Sed custodis animas sanctorum, ne in peccatum labantur, & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur. Diligens te Domine Iesu Christe, amantium gloria, multũ honoratur, quia actus diligendi est, actus tuus & Angelorum, non dæmonum. Tu enim diligis, quia scriptum est: *Ego diligẽtes me diligo*. Io Angelis autem est vis & actus maximi amoris, quo ad te, quo ad eos qui sunt consortij, & quo ad nos: diligunt enim adeo, quod ordo supremus ab ardore charitatis nominatur Seraphim. Diligentem te Domine suscipis ad pœnitentiam, eidem remittis offensam, & tua maxima pietate inenarrabiliq; benignitate, ac inæstimabili largitate gratiam misericorditer donas & tribuis. O misericordissime Iesu quãta miseria ego nequissimus peccator plenus sum, qui perspecta tanta vtilitate tui amoris, te propter temetipsũ diligere debebã? Quod si pauper te ipsum diligere nolebam, saltem propter me ipsum & vtilitatem meam te diligere debebam, vt ex inordinato amore, tandem venirem ad verum amorem tuum, qui est diligere te non ob aliud, sed propter teipsum solum. Mihi ergo digneris succurrere benignissime, & creare in me cor mundum, vt ab ijs quę tibi displicent abhorrendo, & ea penitus execrando, te diligam & amem, tibi seruiam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam, vt te vere, ordinate, non ob aliud quam ob te ipsum diligam per infinita seculorum secula, Amen.

E

F

Quod amor est vestis pretiosa animæ. Cap. 24. *Matth.* 22.

Inuitatus ad tuas cœlestes nuptias dulcissime Domine Iesu Christe, amantissime cœlestis sponse vestem nuptialem deferre debet, ne si forte *intret sine veste nuptiali, eijciatur iussu tuo extra, & proijciatur in tenebras exteriores, vbi semper est, & erit fletus & stridor dentium*. Ista vestis ô benignissime Domine, est amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes. Ista vestis ex pretiosis filis, id est, tuis beneficijs homini collatis, est contexta, & subtili magisterio facta & decorata, quæ designatur per tuam *tunicam inconsutilem*, quæ nec scissa

Ioan. 9. 2.

fuit nec diuisa, quia amor neque diuidi debet, neq; scindi. Et qui eum diuidunt vel scindunt, peiores videntur quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt. Ista vestis nuptialis Domine Iesu Christe, spõse amoris, summe potens & efficax existit, quia defendit hominem à frigore cupiditatis, & ad tuum amorem hominem inflammat, ipsumque exornat plurimum & venustat. Ista vestis nuptialis, sola distinguit filios regni & perditionis,

G

quia qui eam fert, regnum tuum intrabit vt conuiua tuus & filius charissimus qui vero ea caruerit, etiam si deferat omnes alias virtutes, expelletur à regno tuo. Ista vestis *operit multitudinem peccatorum*. Ista vestis commendabilis est colore & valore, est enim deaurata, vel potius aurea, iuxta illud: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Et sic ista

Psalm. 44.

vestis ornat animam, quod sine isto ornatu indigna est anima cœlum ingredi. Ista vestis nuptialis munit hominem, quia *fortis est vt mors, dilectio*. Eius etiam pretiositas patet ex

Cant. 8.

materia, quia si pretiosum sit quod trahitur ex metallis, gemmis & animalibus, longe pretiosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ea te venit, & à te procedit. Ex ea quoque regimur, viuimus, & ditamur: qui enim hanc vestem habet nihil ei deest: & sine ista, nihil ei prodest. O misericordissime Domine Iesu Christe, cœlestis sponse, ego miserabilis peccator nudus sum, & quum hanc vestem nuptialem non habeam, nõ sum dignus vt intrem ad tuas cœlestes nuptias, sed vt proijciar in tenebras exteriores.

H

Succurre ergo mihi piissime Domine Iesu Christe, æterni nuptialis conuiuij dispensator largissime, & da mihi tua benignitate hanc vestem gloriosissimam, vt inuitatus & vocatus ad tuas sempiternas nuptias: illuc cũ veste nuptiali intrem, ibiq; cũ amicis tuis, amore tuo perpetuo fruar, te laudẽ, te admirer, te glorificẽ æternitatis regem, & gloriosissimũ sponsum viuentẽ & regnantẽ in secula seculorũ, Amẽ.

Quod amor a malis animã custodit. Cap. 25.

Verus amor Domine Iesu Christe, amantium conseruator, custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione sine inuidia, quæ vehementer corrumpit: inde enim prouenit, vt anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, vt in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur, quia sicut vigor naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectãt animã. Custodit Domine verus amor ab ambi-

Ambitio- [illegible] quis sit

tione, quæ est quum quis quærit sui exaltationem, & proximi deiectionẽ, vt sic altior factus, à plurib. videri possit, & in admiratione haberi: nã verus amor sui exaltationẽ & proximi deiectionẽ non quęrit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio proprij boni, ex quo solet fieri vt homi

ni nul-

A

ni nullo modo cura de bonis proximi, imo cũ scandalo sua repetat: quęrit namq; propria commoda, & negligit aliena. Verus aũt amor quę sua sunt, non quęrit, sed quę tua sunt Dñe. Custodit etiam verus amor à magna cogitatione super inimicis vindicandis: talis aũt cogitatio quasi ferrum in vulnere semper hæret, & ideo scribitur: *Auferte malum cogitationum ab oculis meis.* Verus namque amor Dñe, omnia remittit pp te: repellitq; non solum actum, sed etiam omnem cogitationem. Custodit Dñe verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicũ, & signum magnę corruptionis animæ & elongationis à te, quum talis iniquitas summe tibi displiceat. Sed verus amor Dñe, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa oĩa & singula mente reuolno, sentio me à vero amore elongatũ, quia inuidia plenus fui & sum, meipsum exaltaui, & proximũ deieci, me nimis dilexi, animũ habui vindictæ cupidũ, in malis gaudiũ concepi, & denique ad omne malum, propter amoris tui defectum multipliciter pronus fui. Adiuua me

B

piissime Dñe Iesu Christe, largitor & cõseruator amoris, & da mihi verũ amorẽ indeficientẽq; vt ab ijs quæ tibi displicent, abhorreã, & q̃ tibi placẽt, recepiã, teneã, & adimpleã, vt in fine tuam gloriam perenniter, & sine fine diligã. Amẽ.

Quod amor continet in se doctrinã veritatis. Cap. 26.

Perfectus amor clementissime Domine Iesu Christe, q oẽs perficit amantes, docet veritatẽ, quia in dilectione tota lex pendet & Prophetæ. Quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa comprehẽdit, quia scriptum est: *Plenitudo legis est dilectio.* Nam tota lex, immo tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quę faciunt ad tuã & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmatiuis, aut inhibet & dissuadet illa q̃ impediunt & diminuit dilectionem, vt liquet in præceptis negatiuis. Quid ergo est quod scribitur: *Qui proximum diligit, legem implet*, nisi quod qui diligit proximum, diligit & te Deum? quia eadem est virtus & dilectio qua quis vtrunque diligit: vt idem est radius quo quis solem & terrã intuetur, sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit, te autẽ in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo ô Domine Iesu Christe, sol amoris, miserabilis pro-

C

fecto est & stulta & exprobabilis insania, quod scilicet relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerum homo adhæreat. Sed benignissime Dñe Iesu Christe, ad verum amorẽ relictor, ego grauissimus peccator dando meipsum voluntariè quodammodo in tributum seruium, tuam veram & animę meæ contemnendo, dilexi vanam voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatem, non considerans q̃ qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: dilexi frequẽter mundanam vanitatem, cõtra consilium Scripturę dicẽ-

Psalm. 4.

tis: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem?* interdum dilexi irrationabiliter cognationem & propinquitatem meã plus quam te, & sic non eram te dignus, quia *qui amat patrem aut matrem plus quam te, non est te dignus*, aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta, frequenter contumelias, detractiones ac conuiuia. Et ideo dignus etiam vt maledictio mihi veniret, sicut scriptũ est: *Di-*

Psalm. 108.

lexit maledictionem & veniet ei. Dilexi interdum vindictã & malitiam & iniquitatem, quas reprehendit Scriptura dicẽs:

Psalm. 51.

Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatẽ magis quam loqui æquitatem. Ista fuit ô superamande Dñe Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attendentis Scripturẽ di-

D

1. Ioan. 2.

centem: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.* Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare, & illustra mentem meam, vt te perfectè diligam, vt sic informetur anima mea doctrina veritatis, vt tecum qui es amor & veritas, in amore & veritate viuam per infinita sæculorum sæcula. Amen.

De amore quo Deus diligit hominem. Cap. 27.

Amantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem qui seruat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit: & quia tu purus es, & omnium maxime purus, ideo diligis

Prouer. 22.

purus, sicut scriptum est: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicũ regem.* Sic enim dilexisti beatũ Ioannem Euangeli-

Ioan. 21.

stem, de quo scribitur: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Diligis etiam Domine hominem qui tenet sapientiæ claritatem eiq; veritatem quia scriptum est. *Neminem diligit Deus,*

Sap. 7.

nisi qui cum sapientia est, quia non potest venire commodum, neque

E

honor de amicitia stulti. Ideo Dñe dilexisti Salomonem, sicut

2. Reg. 12.

scribitur: *Vocauit Dominus Salomonem, & dilexit eum.* Diligis Domine Iesu Christe, amator innocentissime, illum qui amat innocentiæ lenitatẽ, sicut dicitur: *Scio Domine Deus* (ait David) *quod probas renes & corda & simplicitatem, & non dolositatem diligis.* Diligis etiam Dñe, amicitiam amicitiæ repen-

Prou. 6.

dentem, & seruantem amicitiæ firmitatem, sicut tu Domine dixisti: *Ego diligentes me diligo*, hoc namque iustum est, q̃ qui diligitur, diligat. Sic enim Moysen dilexisti, sicut scri-

Eccles. 45.

ptum: *Dilectus Deo & hominib. Moyses.* Diligis Domine Iesu Christe, amantium liberalissime, illum qui ostendit effectu be-

2. Cor. 9.

neficentiæ suæ largitatem, *quia hilarem datorem diligit Deus.* Largi enim & pij diliguntur à te, sicut patet etiam de Martha, cuius animus erat largitate & pietate fœcundus. Ideo scribitur: *Diligebat Martham Iesus.* Diligis Domine illum qui

Ioan. 11.

sectatur iustitiam & æquitatem, quia scriptum est: *Qui sectatur iustitiam diligitur à Domino.* Sic enim dilexisti Domine

Eccles. 46.

Samuelem æquitate solidum, sicut scriptum est: *Dilectus à Deo Samuel Propheta.* O dulcissime Domine Iesu Christe, o-

F

mnium perfecte amator, dum omnia prædicta in mentis meæ secreto considero, erubesco, imo corde deficio pre timore, quia non sentio in me miserabili peccatore, aliquam ex causis prędictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob opposita odio habere. Sed tñ ad tuam immensã clementiam confidenter accedo, vt parcere mihi digneris, & remittere misericorditer oĩa peccata mea, & sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, vt per innouationẽ tibi placeam, & causam habeas me diligendi, vt te diligentẽ me, per infinita sæculorũ sęcula vicissim rediligã. Amen.

Quod amor est excellentissima virtus. Cap. 28.

Inter cæteras virtutes benignissime Domine Iesu Christe, superamabilis excellentissime, vera dilectio est excellentissima, & ideo oleo comparatur, quia sicut oleum alijs liquorib. supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & pretiosum, vt filius tuus nominetur; qui autem illam non habet, despectus est, & erit coram te sicut

Esai. 40.

stilla situlæ, de quo & similibus scribitur: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi puluis exiguus.* Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æ-

G

stimator iustissime, quod licet talis exerceat opera de genere bonorum; parui tamen valoris sunt, si dilectionẽ non habeat, nec ex ipsis operib. quantumcunq; fuerint preciosa, obtinere valebit regnum cœlorum, nisi ea facit in dilectione & amore: hæc enim vera dilectio vnit hominem tibi tanquam capiti, & fidelibus tanquam membris. Ideo hæc vnio valde chara debet esse homini: sicut enim vnitas quæ est inter caput & corpus, diligitur: sic etiam incõparabiliter diligi debet vnitas, q̃ est ex vera dilectione, inter te & hominẽ: & abscissionem ac separationem tantæ vnitatis summopere cauere debet homo, & fugere plusquã proprij capitis abscissionem. Sine hac vera dilectione nullum verum bonum adest homini, imo in vanũ & frustra habentur cætera bona, saltem quantum ad salutem æternam obtinendam. Sicut homini adsit vera dilectio, habet omnia bona vel in se, vel in alijs. Vera dilectio Dñe, est scientia & sapien-

Eccles. 1.

tia, de qua scribitur: *Dilectio Dei, honorabilis sapientia.* Vnde non solum scientia esse videtur, quia scientia in multis hominẽ regere non põt, vera autem dilectio potest. Omnipotentissime Dñe Iesu Christe, amantium rector & guber-

H

nator, quoties hanc vnionem vere dilectionis ego miser & sceleratus diuisi & fregi, perpetratione multorum & diuersorum peccatorum, & proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datũ ad operandum bonum perdidi? Adiuua me piissime Dñe, & dele iniquitates meas, & reforma in me veram dilectionẽ, qua mediante opera talia hic adimpleã, q̃ ad regnũ amoris æternũ tandẽ pertingere valeam. Amen.

De amore Dei & proximi. Cap. 29.

Ordinata dilectio clementissime Domine Iesu Christe qui omnia per amorem ordinas, est amor verus ad te & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te & super omnia. Si autem amor quo quispiam te amat, & propter ista temporalia, nũ est amor ordinatus, sed tibi cõtumeliosus, q̃a qui te amat pp temporalia, plus amat temporalia quã te. Vnde cũ tali amore pponitur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumelia & offensa tui: nõ enim est amor ordinatus, nisi tu super oĩa ameris, quum tu

imm-

A

in infinitum melior sis omni creatura. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus pp te, & quia æquè ad te ordinatè amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quã te amentur, non est talis amor ordinatus, neq; sic amans, est te dignus: duo .n. sunt præcepta à te nobis data, dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint præcepta tamen vnus est amor, quia alius amor non est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquã diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare. Cogitatio namq; hominis Domine Iesu Christe, veræ dilectionis ordinator, semper debet esse ad te diligendum, & proximũ, te quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mẽte, proximum aũt sicut seipsũ, vt scil. caueat inferre proximo, quæ sibi inferri nollet, & impendat ei beneficia quæ sibi vellet impendi. Ista namq; benignissime Domine, semper sunt attendenda, semp cogitanda, semper retinẽda, & sempectoris virib. exercenda & adimplenda. Per amorẽ autem proximi & cognoscitur amor

B

tuus Domine, conseruatur & nutritur: nã qui verè te amare negligit, diligere proximũ nescit. O misericordissime Dñe Iesu Christe, qui solã amas ordinatam dilectionẽ, quid dicam, aut quid faciã ego durissimus peccator, qui præ maxima duritia cordis mei, non te ordinatè dilexi, neq; proximum propter te, sed frequenter pp vtilitatẽ propriam cõsequendã, aut damnum euitandũ, & ita non fuit in me verus amor, sed adulterinus: Auxiliari mihi digneris pijssime Iesu, charitatis, & pulchræ dilectionis ordinator, parcendo mihi peccatori, & misericorditer impartiendo immensã clementiã tuam, & cor meum lapideũ sic mollificando, vt ad te tota mente conuertat, te diligam, & proximum pp te, vt tecum in ordinata charitate viuam in æternum, Amen.

De amore inimicorũ. Cap. 30.

Magnum est dulcissime Domine Iesu Christe, qui nihil odis, si erga hominẽ, qui nihil mali mihi fecit, sim beneuolus & pacificus. Sed Dñe illud multo maius est, & magnificentissimæ benignitati tuæ similius, si meũ diligam inimicũ, & ei qui malũ mihi intulit, & adhuc inferre vult si possit, bonũ semper velim & faciã si possim: à tua gratia & be-

C

nignitate, Dñe hoc procedit. Nihil tibi in natura similius est, quam homo qui maleuolis & inimicis, se lædentibus, placabilis est. Qui .n. diligit inimicũ, imitatur te qui dilexisti nos, quũ adhuc inimici essemus: & non solũ dilexisti, sed & tunc p nobis mori morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogasti. Nobis quoq; præcepisti, vt inimicos di-

Matth. 5.

ligeremus, sicut scriptũ est: *Diligite inimicos vestros & benefacite ijs qui oderunt vos.* Et sequitur præmiũ q promittis: *Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.* Vna namq; est & summa Domine Iesu Christe, cui propriũ est misereri & parcere, probatio dilectionis, si nos eũ diligamus, qui nobis aduersatur, & bona nostra impedit. Probari etiam solet dilectio per solã odii aduersitatẽ. Vnde sicut homo vincitur humana felicitate, sic diabolus vincitur inimici dilectione. O Domine Iesu Christe, in amore misericordissime, & in misericordia amantissime, scio q separatio à te, mors est animæ: & cõtra vnio per dilectionẽ tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitam corporalẽ, & mortẽ timet: sic & amare

Ioan. 5.

debet veram dilectionẽ, & vitare odium, quia *qui non diligit, manet in morte*: in morte .n. culpæ, tã talis est, & debitor

D

est mortis æternæ. O clementissime Dñe Iesu, à quo celari non potest amor, licet tibi non sint occulta q ego nefandissimus peccator gessi, tamẽ corde & ore confiteor me iniquè vixisse, & præ mea malitia & iniquitate, vera dilectione caruisse. Inter alia Dñe quæ malè concepi & egi; est quod inimicum odio habui, & licet sciuẽ ex mandato tuo q eum diligere deberem, vilipendi tñ & spreui mandatum tuum. Simultatẽ contra multos concepi, & conceptã corde & animo compleui, & si quandoq; facto non cõplerem, ad detractiones tñ & infamationes processi. Succurre mihi ô Christe, per tuum benedictum & misericordẽ amorem, veniam mihi concedendo, vt vitã meam miserabilẽ emendem, & sic te diligam & alios pp te, vt hic amor nonquam deficiat, sed in vitam perducet sempiternam, Amen.

Contra amorem sui ipsius. Cap. 31.

Quis est benignissime Domine Iesu, per quẽ & cum quo æternus processit amor, qui se verè diligit? Credo & scio, Domine, quod ille solus nouit se vere diligere, qui veraciter amat, & sedulo agit, vt qui es summum & verũ bonum amando fruatur. A te Domine manat vera amicitia, quam

E

Vera amicitia quæ sit.

non temporalib. cõmodis, sed gratuito amore metiri conuenit. nemo enim potest veraciter seipsum amare, q te veraciter non amauerit: nam te amando, seipsum amat: te autẽ non diligendo, se ipsum non diligit, quia amor proprius & priuatus oculum mentis vehementer claudit, & est omniũ causa, radix & fomes malorũ. O Domine Iesu Christe Sol vnde fluunt radij amoris, quãta insania plenus est ille, qui solumodo seipsum amat? Nã talis peruersio amoris est fundamentum abiectæ charitatis, & crescit vsq; ad contẽptum tui. Duo namq; amores ciuitates duas faciunt, i. Ierusalẽ & Babylonẽ. Cœlestẽm Hierusalem facit amor tui vsq; ad contemptũ sui, sed infernalem Babylonẽ facit amor sui vsq; ad contemptũ tui. O iniquũ & peruersum amorẽ, qui sic me miserũ peccatorem colligauit, & incitauit vt verum amorem abijcerẽ & contemnerem, & se toto corde amplecterer, se desiderarẽ, se tenerem, se verer totis viribus, & se celando in occulto pectoris in culpã facilẽ praui cordis laberer & operis. O misericordissime Dñe Iesu Christe, qui

F

solus amari dignissimus es, quid faciã ego iniquissimus peccator. Quẽ amatorem potero inuenire qui me diligat, quũ nullũ dilexerim, nisi meipsũ, & in peccatis innumerabilib. vixerim: Quis me liberabit à ventura irà à rugientibus pparatis ad escã, & a laqueo infernali? Meipsum iuuare nõ possum, neq; te requirere audeo, quum te non dilexerim. Imò quia neminẽ dilexi neminẽ audeo in adiutorium meũ inuocare. Sed ad tuã immensam pietatẽ recurro, ô amor, qui errantes reducis, q *misericors es & miserator, & neminẽ vis perire, sed saluas sperantes in te.* Succurre ergo mihi, & da veniã de peccatis & gratiã, vt nunquã me respiciam, sed te, vel me in te, vt diligã te toto corde nec à tua dilectione vnquã recedere valeã, sed ipsam conseruẽ nunc & in vitã æternã, Amẽ.

Contra amorem mundi. Cap. 32. Amoris mundi, incõmoda.

Scio & expertus sum ego ingratissimus peccator, clemẽtissime Iesu, supercœlestis amator, quod amor mundi animas quas ingreditur quietas esse non patitur: semper .n. suspicionibus vanisq; terroribus solicitat eas. Talis namq; amor mundanus, premit amores tuos, & nõ adducit eos ad bonum: sed qui tali amore vtitur, à tuo amore Domine excluditur. Talis amor mundanus: cũ tuo amore non iungit, nec ei congruit, neq; ad societatẽ filiorum tuorũ peruenit,

G

qui se à carnali generatione non diuidit. Amor mundi Domine, sese cũ suis consolationib. ne dicam desolationibus, vndiq; ingerit: per auditum namq; quasi per fenestras irruit, & mentes suorum amatorum vehementer occupat, animã polluit, charitatem violat, proximum lædit, te Dominum spernit, amorẽ tuum repellit, totum hominẽ capit, ac eundem decipit: cum labente labitur, & cum eum tenere quispiã credit, de facili euanescit: non consolatur, sed cõtristat: non permanet, sed fugit. Eius dulcedo in amaritudinẽ vertitur, eius pulchritudo in horrorem mutatur, eius desiderium in pœnam conuertitur. Qui huiusmodi amorẽ amplectitur, decipitur, & præcludit sibi ipsi ingressum tui amoris, quia vbi amor mundi inhabitat, nõ ingreditur amor tuus. O benignissime Iesu Christe, amor increate, væ mihi impiissimo peccatori, qui creaturam amando, te creatorẽ deserui, propter condita conditorẽ reliqui, trãsitoria dilexi, &

H

sempiterna spreui; desolationes p consolationib. suscepi, pœnam pro gloria, mortem pro vita, peccatũ pro virtute, & mendacium pro veritate. O misericordissime Domine, respicere me dignare oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorẽ seculi, & da mihi gratiam vt te amem & diligã corde & opere, nec ab amore tuo separer, sed in ipso pmaneam in perpetuũ, Amẽ.

Contra amorem diuitiarum. Cap. 33.

Certa experientia didici benignissime Dñe Iesu Christe, sine mensura diues in amore, quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quã terrenis æstuare desiderijs: nam terrenarum diuitiarũ amor insatiabilis est, & longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo, taliũ quoque diuitiarum acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, & amissio magni doloris. Qui illas amat, te Dominũ amare non potest, sed cum ipsis labentibus labitur in perditionem, & qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem: qui enim eas inuenit, requiem perdit: & quũ vigilat, augmentum cogitat: quũ dormit, fures somniat, in die est afflictus, & in nocte pauidus, semper autẽ mendicus.

A

O clementissime Domine Iesu Christe, cuius amor nullum fallit, video per effectum quod laqueus est in auro: viscū in argento: & pedica in prædio: quia qui aurum petit, strangulatur: qui argentū, visco hæret, & qui prædia, alligatur. Qui mane quærit lucrum, vespere reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid agitur. Ad tuum, Domine, extremū iudicium, sine vlla temporis intercapedine, & cōtinuè volens nolens properat, & amat quod necessario relinquit, id vero negligit ad quod necessario peruenit: amat namq; illa quę possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciāt: quæq; arctius parta quam concupita constringunt. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus verè amandus es, ego nefandissimus peccator, quæ scripsi, & scribo, sciui & veraciter scio talia esse, sed tāta est malitia mea & iniquitas, ingratitudo & superbia, quod omnia tibi placita, consilia & præcepta tua, proteruo animo contempsi & spreui, & ad miseras diuitias mundi cor meū penitus inflexi, illas cōcupiui & desideraui, & vt eas acquirerē, laboraui, & ad hoc

B

ipsum vigilaui, & quascunq; vias adinuenire valui, adinueni. O piissime Domine, adiuuare me digneris, & delere tua maxima misericordia omnia peccata mea, segregare mentem meam à desideriis terrenis, eleuare illam ad diuitiarū cœlestium desiderium, quæ in tuo solo consistunt amore, vt eas auxilio tuo consecutus, te perpetuo diligam, & tuo amore fruar in secula seculorum, Amen.

Contra amorē peruersū mulierum. Cap. 54.

Amor carnalis benignissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, & verè in spiritu & spiritualiter amāde, insatiabilis est, quia extinctus reaccēditur, & post copiā rursus inops fit, animumq; virilem effœminat, & præter passionem q̄ sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis oblitio est & insaniæ est ꝓximus. Talis pueri lus amor turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis & altissimis cogitationib. ad paruas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Insuper, qui tali amori coniūgitur, tentationib. continuis subiacet. Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suauis, blāda percussio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce vene-

C

Gen. 3.

nū, malum spontaneum, sapida ingulatio & omnium rerū calamitas. Nam Adam & Euam de paradisi deliciis eiecit, cęlestes terrenos fecit, humanū genus in infernum demersit, vitam abstulit mundo, laborem & pressuram inuenit, & malum quod ad mortem perducit, fœdat pueritiā, perdit iuuentutem, & incitat ac inquietat emortuā carnem & senectutē. Talis amor Domine Iesu Christe, sanctitatis, mūditiæ & puritatis amator, est veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malū, naturalis tētatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, mali natura boni colore depicta, cōtinua solicitudo, indesinēs pugna, quotidianum damnum, domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentū, continentis viri naufragium, adulterii vas: perniciosum prælīū, & pondus grauissimum. O misericordissime Domine Iesu Christe, casti cōditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo pretiosissimo sanguine redemisti, tuam misericordiam supplex imploro, corde & ore efflagito, vt cor meum fragile, longè facias à tali amore. Eripe me à tanto periculo, defende me à tam miserabili casu,

D

protege me à tanta circumuentione inimici. Libera me misericordissime Domine à tāto laqueo perditionis, da mihi fortitudinem resistendi, concede mihi veniam peccatorū. Eleua mentem & cor meūm, vt te amem, & timeā, tibi placeam & seruiam, te verum Deum corde, ore & opere confitear & agnoscam, & tua infinita misericordia me non repellas. Fac me pseuerare in bonis & tibi acceptis operibus, vt in præsenti sic viuam, & semper ad vlteriora procedam, vt in fine huius transitoriæ vitæ meæ, vitam inueniam in amore tuo sempiternam, Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI DE CONtemplatione vera patientia,

LIBER II.

De tribulationibus & aduersitatibus. Cap. 1.

OMnipotens sempiterne Deus, misericordiam nobis miseris tribuis incessanter, dum tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ non ex odio procedunt, sed potius ex amore. Nam superbenedictum filium tuum, coæternum & connaturalem, quem dilexisti, & diligis, sicut scribitur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacuit*, tribulationes multas & diuersas ꝓpter nos miseros

E

Matth. 3.

peccatores sustinere voluisti. Vnde filiis adoptatis sufficere debēt, si sic à te misericorditer diligantur, sicut diligis filiū tuum propriū. Quod si superbenedictus filius tuus nos diuersis flagellationibus flagellat, non ex hoc se nobis ostēdit inimicū, sed potius verum amicū, sicut ipse suis discipulis dicebat: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*, & *Quos amo, arguo & castigo*. Vnde quamuis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera quā aduersa, quia hæc quidem sæuiendo erudit, illa aūt blandiendo seducit. Hęc illuminat hominem, illa excæcat; ista mētis oculos aperit, illa claudit. O Deus meus vehementer peccatori irasceris cum permittis cuncta ei ad votum succedere, & postea eū supplicia tolerare. Non est.n. Christianæ dignitatis his tēporalib⁹ exaltari, sed potius deprimi, quū mali nihil habeāt in cœlo, & boni nihil in mundo. *Flagellas* namq; *filium quē diligis*, das disciplinā, vt non auferas misericordiā, cædis contumacē, vt reddas ei promissam hæreditatem. Nec mirū si

Ioan. 14.

Hebr. 12.

F

hic flagellas paruulos, quos exinde grādes quæris hæredes. Flagellas igitur & erudis & custodis, & illis ad tēpus parcis, quos in æternum damnabis. O vniuersorum creator & gubernator, multas & diuersas tribulationes & aduersitates mihi miserabili peccatori misericorditer dedisti, non ex odio, sed amore, vt me retraheres ab iniquitatib. meis, & cor meum prostratum ad te eleuares, & vt mala relinquerē, & te quærēdo humiliter, bona & mihi profutura opera exercerem. Sed tribulationes & aduersitates mihi misericorditer datas impatienter tuli: nulla virtus patiētiæ mihi comes affuit, quāuis scirē me tantis tribulationib. dignum pp nefandissima scelera quæ cōmisi. Adiuua me misericordissime Domine Deus meus ne peream in hac vita, præsta mihi patientiam in aduersis, per quam hic disponar, vt purges peccata mea præsentia, & à futuris caueam, & sic opera tibi grata hic adimpleam, vt in fine vitæ meæ grata sint tibi seruitia mea in vitam sempiternam, Amen.

G

De miseria mortalis vitæ. Cap. 2.

Vita præsens, Domine Deus meus, laboribus & tribulationibus plena est. Nam cum luctu agitur, & cū lacrymis amittitur. Tanta igitur est tribulatio huius miseriæ, vt nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiā aliud morte deterius, quū vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel vnicū diē. Causa vero seu occasio ꝓcipua huius tribulationis, fuit peccatum primorum parentū. Nam quū duæ sint partes hominis s. corpus & anima, tu Dn̄e Deus meus vtrique parti locum delectabilem ꝓparaueras, corpori quidē Paradisum voluptatis in terris, animæ vero cœlū splendidū in supernis, vbi modo sunt animæ sanctorum, & Angelorum chori. Non .n. bonitas tua Dn̄e Deus meus, homini tribulationē attulit, sed peccatū. Vnde nobiscum egisti non solū iustissime, sed etiā misericordissime & maxime si respiciamus ad dānationem Angelorum irreuocabilē. Quum.n. tolerabilior sit superbia in diuite q̄ in paupere, & Angelū illum sideribus clarius micantē, irreuocabiliter damnaueris pp suam superbiam: constat Domine Deus meus, te misericordissime egisse cum vermiculo qui contra te superbiuit, præceptum tuū transgrediendo. nā huius tribulatio tēporalis est, illius vero perpetua. Vnde sicut exaltantur cœli

H

à terra, sic exaltatæ sunt viæ tuæ, scil. misericordia & iustitia tua. Quod si pp peccatum primorū parentum tribulamur, quanto magis tribulationes in nobis peccatorib. augendæ sunt, qui quotidie peccamus, & innumerabilibus peccatis inuoluimur & delictis? ideo magis misericorditer nobiscum agis, piissime Dn̄e, tribulationes immittendo q̄ terrenas consolationes, quia qui exceptus est à passione & tribulatione flagellorū, exceptus etiā erit à consortio electorū filiorum, quia scriptū est: *Væ vobis qui habetis hic consolationē vestram*. At de tribulatis patientiā habentibus, scribitur: *Beati qui lugent, quoniā consolabuntur*, &: *Beati eritis quū vos oderint homines*, q̄ est magna tribulatio in hoc mundo. Patienter igitur tolerandæ sunt tribulationes quæ adducūt tribulatū patientē ad consolationē perpetuam. Sed ego miserrimus, quid dicā, aut quid faciā? quia impatientissimus fui, & sum in tribulationibus meis, quas iustissime sustineo, non solū propter peccatum primorum parentū, sed etiam propter multitudinem peccatorum meorū quæ hactenus commisi

Matth. 5.

A

& adhuc quotidie per maliciam meã committo. Succurre igitur mihi Domine Deus meus, tolle ingratitudinem meã & aufer iniquitates meas: concede mihi veram & firmam patientiam in præsentibus tribulationibus meis, & in futurum in tua laude perpetua consolationem æternam, Amé.

Quod patienter ferenda est tribulatio, & in ea gloriandum. Cap. 5. 2. Cor. 12. 1. Cor. 10.

Virtus in infirmitate .i. in tribulatione, *perficitur* misericordissime Domine De⁹ meus, quia hostem nostrum, scilicet corpus debilitat, quod cõcupiscit semper aduersus spiritũ, quem fortiorem reddit, ex quo occasio datur Domine, vt gratia tua augeatur, sicut scriptũ est: *Fidelis est Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cũ tentatione prouentum*, i. virtutis augmentum. Tribulatio namq; materiã habet pugnæ. Vnde fit vt occasionem præbeat victoriæ, & per consequens coronæ, quia *non coronabitur nisi qui legitime certauerit.* Et ideo Apostolus libenter gloriabatur in infirmitatibus suis: quia homo nobilis creatura est, ad gloriã regni cœlestis creata, ideo naturaliter vult gloriari. Sed necesse est vt faciat in quo gloriari debeat, ne fortè glorietur, vnde potius debuerat cõfundi. Gloriari igitur debet in tribulationibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi, i. gratia Christi: nã qui tribulationes patienter sustinet, ipsum imitatur, cui assimilari gloria magna est, sicut scribitur. *Magna gloria est, sequi Dominũ.* Tribulatio igitur est patienter sustinenda, quia mentẽ sanat, vt patet de quodam sancto, cuius vulnus corporis, sanauit vulnus mẽtis. Tribulatio, est medicina tua Domine Deus meus. Ideo qui infirmus est, mente gaudere debet, quando datur ei tribulatio, tanquam magnã spem habeat salutis recuperandæ, quia talis medicus qualis es, sanitatẽ illius procuret. Tribulationes debita nostra soluunt: & hæc est valde magna misericordia tua benignissime Domine, q̃ pro pœnis futuris des tribulationes præsentes, quæ nullæ sunt respectu futurarũ: tradũt namq; præsentes tribulationes n mentibus te, in significationẽ, *vt fugiant a facie arcus* .i. pœnæ futuræ. Tribulatio insuper inducit odium præsentis vitæ: nã sicut cibus adhæret vasi in quo coquitur, nisi moueatur, & perdit saporem debitum, debitumq; colorẽ: sic cor hominis adhæret isti mũdo, nisi moueatur per tribulationes, iuxta quod scribitur: *Conglutinatus est in terra venter noster.* Tua namq; misericordia Domine Deus electis tuis iter asperũ præbes, ne delectati in via, obliuiscantur quæ sunt in patria. O Domine Deus, hactenus cęcus fui, ingratus, negligens & iniquus, non. n. considerabã quare tot flagellis & tribulationib. affligebar, nec patientiam vllam habebã, quum tuam misericordiã non cognoscerem, propter superbiam & iniquitatẽ meam. Nunc aũt tibi gratias humiliter ago, quia ipsius cognitionẽ mihi largitus es. Concede ergo mihi tribulato patientiam & emẽdationem vitæ, vt tibi hic placeam, deuotoque ac humili corde in tribulationibus seruiam, & in futuro seculo in consolatione & securitate in vitam sempiternam, Amen.

Psalm. 59.

B

C

Psalm. 43.

Quãta bona afferat tribulatio. Cap. 4.

Aperi oculos tuos rex æterne, aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam, vt aspectus tui benignitate eam cum patientia tolerem, & cum gratiarũ actione sustineam: quia si sic misericorditer mecum agas, operabitur in me tribulatio carnalium affectionum extinctionem. Nam sicut mare Ægyptios operuit, & Israelitis nõ nocuit: sic amaritudo tribulationum opera vitiorũ impediet, & virtutum opera iuuabit, sicut scriptũ est: *Curatio* .i. tribulatio, *cessare faciet peccata maxima.* Tribulatio reddit hominem securum iudicij, quia *non consurget duplex tribulatio.* Ostendit præterea salutẽ æternam, quia *si compatimur & conregnabimus.* Quia si tu Domine Iesu Christe, latronem tibi in cruce confitentẽ audisti, & eidem dixisti: *Hodie mecum eris in paradiso*, socium tribulationis à communione tua nõ patieris repelli. Tribulatio excitat cor hominis ad deuotionem, quia scriptũ est: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt.* Et rursum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.* Post tribulationem Domine Deus meus, consolationẽ donas, sicut patet in D. Paulo, cui post multas variasq; tribulationes patienter toleratas, cõsolationes indicibiles donasti, quando illum rapuisti vsq; ad tertium cœlũ, & audiuit secreta verba quæ non licet homini loqui. Ideo postea libẽter gloriabatur in infirmitatibus suis, vt inhabitaret in eo virtus Christi, vt & factum est, quũ illi dictum fuerit: *Sufficit tibi Paule gratia mea.* O Domine Deus quũ consolati potero, aut debeo, quũ tribulationes & aduersitates mihi datas non sustinuerim, neque adhuc sustineã patienter, quas cognoscere possum te misericorditer donante, ad vtilitatẽ animæ meæ mihi datas, vt me pientissime flagellares? Auxiliari igitur mihi dignetur misericordia tua Dñe Deus me⁹. Da mihi veram notitiam meipsius, & aufer à me ingratitudinem omnem. Corrobora cor meum, vt patienter sustineã tribulationes, vitam meam emendẽ, de peccatis satisfacere studeam dignam pœnitentiã agendo, vt à te remissionem obtineam, qui solus peccata dimittis: firmum cum effectu propositum habeam ad vomitum peccati posthac non redeundi, sed studiosa, & fructuosa, tibique placita opera sic agam, vt decursis huius periculosæ vitæ spatiis, regnum securitatis in tuo sempiterno seruitio ex dono tuæ misericordiæ consequar sempiternum, Amen.

Exod. 14.

D

Rom. 8.

Luc. 23.

Psalm. 15. Psalm. 82.

2. Cor. 12.

2. Cor. 12.

E

Ob quas causas tribulamur in hoc mundo.

Dominator cœli & terræ, scio quòd post transgressionẽ parentũ, in hoc mundo miserabili diuersis tribulationibus affligimur, pp indictum necessitatis, propter exemplũ authoritatis, & pp præmiũ vtilitatis. Tribulamur namq; & diuersis flagellis affligimur, propter indictũ necessitatis, nam passio tribulationis est nobis indicta a te post transgressionẽ mandati tui, & necessitas à natura, quia sicut scribitur: *Impossibile est, vt homo sit, & nõ patiatur tribulationes*, quia illud oportet fieri q̃ à te est indictũ, & natura necessariũ: nam sicut infirmitas quæ à circumstantiũ & superiorũ corporum impressionib. infligitur necessariò radices agit in homine, ita quod vix aliqua medicina curari possit: sic necesse est quod tribulationes quæ à causis superioribus .s. à te, à tua iustitia & misericordia, & à naturæ necessitate generaliter omnib⁹ sunt indictę, patiamur, & q̃ ab ipsis quamdiu viuimus, affligamur. Tribulamur etiam pp exempli authoritatem, quia si tu benignissime Domine Iesu Christe, & alij quoq; sancti tribulationes sunt passi, & per tribulationes cœleste regnũ ingressi, multo fortius necesse est, vt nos qui continue peccamus, tribulationes sustineamus. Tribulamur denique & affligimur, pp præmij vtilitatem, scriptũ est enim: *Sicut socij passionũ estis, sic eritis & consolationũ*, quia interminus gloriæ cœlestis, patientibus & tribulatis est promissus; & illis reuera dabitur, qui mũdi tribulationes patiuntur: & si *passiones huius tẽporis condignæ nõ sunt ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis*, ô redemptor meus misericordissime Domine Iesu Christe, respicere me digneris oculo tuæ infinitæ pietatis, ego enim fatuus & stultus hucusq; fui, quia licet diuersis tribulationibus & aduersitatibus me affligeres, nõ cognoscebã tamẽ qualis inde vtilitas sequeretur, & ideo maxima cũ impatientia eas toleraui: ita q̃ frequenter me ferè perduxerũt ad diffidentiam vsq; tui sancti auxilij. Parcere igitur mihi iniquissimo peccatori digneris clementissime Domine Iesu Christe, & tanquam fatuitatem & dementiam remittere, vt tuas tribulationes agnoscam, & cum patientia eas humili corde suscipiam, & gratias tibi pro ipsis agam, & te misericorditer donante, te laudem in vitam æternam, Amen.

F

2. Cor. 1.

G

Rom. 8.

Quod afflictiones temporales, sint paternæ correptiones. Cap. 6.

Magna est misericordia tua clementissime Domine De⁹ meus, erga nos miseros peccatores, quia nos affligis tribulationibus diuersis temporaliter & paternè. Temporaliter enim tribulas & affligis peccatorẽ, vt de commissis criminibus puniatur, sed paternè hoc agis, vt deuiantem reducas, & errantem corrigas, & de morte æterna eum eripias. Timorẽ ei incutis, vt eum ab amore mundi retrahas & auellas. Et sic occulto tuo iudicio in hac vita tribulatione percutis, ne via pro termino, & peregrinatio pro patria diligatur. Tua igitur paterna tribulatio, producit mœrorẽ & cõpunctionem, inducit timorem & contritionẽ: educit sanguinem & infectionẽ, adducit vigorem & curationẽ, sicut scribitur: *Reuertamur ad Dominũ, quia ipse cepit, & saluabit nos: percutiet, & sanabit nos: vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Effectus igitur tribulationis quãuis sit amarus, & toleratu difficilis, est tamen potentissimus ad sanãdum, & ad diuinæ gratiæ subsidium inueniendum. Dissoluit nãque per cõpunctionem, confortat & consolidat per spẽ & consolationem: corrodit carnem putridam, & extenuat p dolorem, roborat & conglutinat per sanitatis spiritalis instaurationẽ. Animã quoq; à morte & corruptione inferni præseruat p vitæ æternæ collationẽ. Hæc insuper tribulatio calcat superbiã, respuit auaritiã, persũdat luxuriã, fugat furorẽ

H

Isa. 27.

& for-

A

& format in tribulato verũ amorẽ. O benignissime Domine Deus meus, ego peccator ingratissimus tibi fui, quia per flagella tua nolui meipsum corrigere & emendare, sed magis fui obstinatus & induratus, & ad deteriora inclinatus persimilis incudi, quæ quanto magis percutitur, tanto magis induratur. Ideo timeo ne de me dicatur, quod de mihi similibus dictum est: *Domine percussisti eos & nõ doluerunt, vulnerasti & à vijs suis non sunt reuersi.* Succurre ergo mihi misero peccatori benignissime Domine, vt flagella tua sint mihi salutaria, non damnabilia: sint mihi ad correptionem & emendationem peccatorum meorum, non ad vindictam & vltionem, & per illa humiliter ad te reuertar, vitam meã miserabilem emendem, & in tua gratia perseuerem, vt in fine vitam in tua laude & gratiarum actione, misericorditer consequar sempiternam, Amen.

Quod Deus patienter nos expectat ad pœnitentiam & emendationem vitæ. Cap. 7

B

Matth. 5. 2. Petr. 3. Psalm. 2.

O diuina patientia, quæ nihil aliud est quam longanimitas tuæ expectationis, qua scilicet nos expectas ad pœnitentiam, nolens nos peccatores continuo iudicare, sed patienter sustinens mala nostra. Neque propter hoc subtrahis à nobis peccatoribus beneficia tua. Nam *solem tuum facis oriri super bonos & malos, & pluis super iustos & iniustos,* tanta patientia roboratus, patienter expectas vniuersos, ideo de te scribitur: *Patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Tu enim es *Deus iudex iustus, fortis & patiẽs nec irasceris per singulos dies.* O misericordissime Domine De' meus si tu patiens es erga nos miserabiles peccatores super peccatis & iniquitatibus nostris, quanto magis patientes esse debemus in tribulationibus & aduersitatibus nostris, quas propter scelera & peccata nostra quotidie sustinem'? non enim est patientia in prosperis, sed potius in aduersis. Et ideo dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miseris tolerãtur. Et ideo sine dubio leuius tolerare debemus minora quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa quæ tibi inferimus. Debemus insuper tribulationes ipsas patienter sustinere, propter magnitudinem valoris & vtilitatis. Sicut enim agricola patienter sustinet labores propter spem fructus quem expectat: sic, quia propter mundi labores & tribulationes fructus æternæ gloriæ ex tuæ prouidentiæ sola benignitate expectam', ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: *Patientes estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce enim agricola expectat pretiosum terræ fructum, patienter † ferens donec accipiat.* Sed ego miserrimus & sceleratissimus peccator, quamuis scirem & sciam, quod patienter me expectas, quia misericordia tua est, quod nõ sum cõsumptus, quodque propter peccata mea horribilia tribulationes multas & aduersitates mihi donas, tamen impatientissimus fui, & illas cum magna impatientia toleraui, & vnde tibi placere debeam, & pœnam peccatorum diminuere, displicui, & pœnam adauxi. Adiuua me igitur benignissime Domine Deus meus, & sicut me hactenus misericorditer expectasti adhuc me patientissime expectando peccata mea dele, de quibus pœnitentiam agam, & condigne satisfaciam, tua gratia adiuuante, vt in fine ex misericordia tua peruenire merear ad laudes tuas in gloriam & vitam sempiternam, Amen.

C

Iacob. 5. † Ferens.

D

Quod tribulationes patimur, ne in æternum propter peccata nostra puniamur. Cap. 8. Abac. 3.

Quum iratus fueris mitissime Domine Deus meus *misericordiæ recordaberis.* Ira tua paterna est erga nos miseros peccatores, quæ licet ad vtilitatem nostram sit, videtur tamen in nos quandoque sæuire. Hęc ita quæ tribulationes nobis inuehit, est misericors, quia ad finem pium & misericordẽ, & ad saluationem nostrã. Et licet Domine Deus meus sæpè exterius appareas durus per iustitiam & correctionem, tamen interius es valde mitis & pius per compassionem & benignissimam intentionem. Ideo tuam tribulationem patienter sustinere debemus, quum certi simus quod propter bonum nostrum tribulationem illam frequenter infligis. Quapropter de te scribitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, quoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Quum autem tribulamur, occasionem patientiæ nobis donas, eo quod tribulationes parum durare soleant, & cito deficere ac cessare. Hæc autem patientia placat seueritatem, seruat mentis tranquillitatẽ, sedat iræ ferocitatem, retinet cordis humilitatem, habet lucri vtilitatem, arcet carnis agilitatem, & implet diuinam voluntatem. Præterea tribulatio, neque respectu pœnarũ futurarum, quæ nobis propter iniquitates nostras debentur, aliquid est, neque respectu gloriæ, quam speramus, *non enim condigna sunt tribulationes præsentis temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quare ô *Pater misericordiarũ & totius consolationis, qui consolaris nos in omnibus tribulationib. nostris,* misericorditer respicere me digneris miserrimum peccatorem diuersis tribulationibus & angustiis afflictum & tribulatum. Nam licet peccata mea innumerabilia tribulationes longè maiores & acriores incessanter pati meruerint, tamen tua immensa & infinita misericordia exuperat omnes iniquitates meas: Ad hanc igitur misericordiam exuberantem recurro, & illã humiliter inuoco, precor & obsecro, ne me ad debitam vltionem peccatorum meorum, sed ad plenam ipsorum remissionem & veniam respiciat: vt vita mea culpabilis & misera, cõuertatur in vitam gratiæ & virtutum, quæ me inimicum, tibi amicum verum faciat, & vitã in laude & glorificatione tua pariat tibi sempiternam, Amen.

E

Rom. 8.

2. Corint. 1.

F

Quod tribulatio sit res necessaria. Cap. 9.

Ad nostram doctrinam scriptum est clementissime Domine Deus meus, vt omne gaudium existimemus quum in tribulationes varias inciderimus, quia tribulatio est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni. Res enim necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur, & tristitia, quæ in gaudium mutatur: gaudium, inquam, longum quod nemo tollet à nobis, gaudium multiplex & gaudiũ plenum. *Tribulatio namque probationem operatur,* & ducit ad gloriam. Gloriandum igitur est in tribulatione, in qua est spes gloriæ. Quinimo in tribulatione gloria continetur sicut spes fructus in semine. *Illud enim tribulationis nostræ quod in præsenti momentaneum est & leue, in æterna gloria magnũ gratiarum pondus operatur in nobis.* Nullus enim sanctorum coronatus est sine flagello vel certamine. Abel iustus occiditur, Abraham propter vxorem, vitam periclitatur amittere: & sic de aliis, qui aduersitates & flagella tribulationũ perpessi sunt. Solus Salomon in deliciis fuit, & ideo fortè corruit. Adiutrix enim virtutis est tribulatio, quam tu benignissime Domine Deus, electis tuis das hic in terrenis, vt eos remuneres in supernis, quia dum eos flagellas, ipsos eligis & erudis ad hæreditatem æternam: qui vero cum hominibus flagellari noluerit, cum dęmonibus flagellabitur. O misericordissime Domine Deus meus, ego sceleratissimus peccator, omni nequitia plenus, consolationes terrenas semper desideraui, toto corde quæsiui, & totis viribus suscepi. Non peperci animæ meæ, non peperci sanguini, qui pro me effusus est, non timui horrendum animæ meæ periculum, neque ignem ei præparatum declinaui. Sed in deliciis permanere volui, in quibus castitas periclitatur: sicut veritas in multiloquio, & charitas in hoc peruerso seculo. Adiuuet me pijssime Domine Deus meus, tua immensa misericordia, vt possim de præteritis pœnitere, in præsenti gratiam obtinere, & futuram perpetuarum laudum tuarum gloriã magna cum fiducia præstolari. * Non me retardet conscientia peccatorum, quia vbi illa abundauerunt, superabundare potest gratia: non terreat tua benigna tribulatio, quæ non est condigna ad præteritam culpam quæ à te remittitur, nec ad præsentem consolationis gratiam, quæ à te immittitur, nec ad futuram gloriam quæ à te gratis promittitur. Sed te miserante eam suscipiam patienter, & humili corde gratias agam, vt vitam te perenniter laudantium consequar sempiternam. Amen.

Iacob. 1.

1. Cor. 4.

Gen. 4.

G

Salomonis deliciæ

* Recte id intellige ex decreto Conc. Trid. sess. 6. cap 16 Consequimur enim nos gloriã etiam nostris me- H ritis ex gratia Dei, quæ nobis gratis donamus, vt nostra opera merito assequantur gloriã.

Quod in tribulatione abscõditur gloria. Cap 10. Psalm. 90.

Latet benignissime Domine Deus meus, in tribulatione, gloria abscondita nobis, quia tu dixisti: *Cum ipso sum in tribulatione.* Quid igitur Domine Deus meus, aliud interim requiram quam tribulationem: Nam *mihi adhærere tibi bonum est:* descendis namque vt *prope efficiaris his qui tribulato sunt corde,* vt nobiscum sis in tribulatione nostra, ex hoc vtique quod in ipsa tribulatione sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, & quis persisteret sine te? Bonum est mihi Domine, tribulari, dummodo tu sis mecum. Melius est mihi in tribulatione amplecti te, & in camino tribulationis habere te mecum, quam esse sine te. Aurum probat

fornax,

A

fornax, & viros iustos tentatio tribulationis, vbi cum eis es Domine: Sicut vnguenta redolere non solent nisi agitentur, & aromata fragrantiam suam emittere nisi incendantur; ita viri iusti virtutes, tribulationibus maxime innotescere solent. Ideo tribulationes & angustias patienter tolerant, & præsertim quia scripturæ in hoc seculo nihil aliud promittunt quam tribulationes & angustias, pressuras & augmenta dolorum, & abundantiam tentationum: ad ista nanque nos præparare oportet, ne imperati deficiamus, nam sine ferro aut flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruemus. Nec ille bonus esse præsumitur, quem malorum prauitas non probauit. Quis enim sanctorum sine tribulatione coronam adeptus est? Nam in cunabilis Ecclesiæ, non defecit premens iniquitas, & iustitia patiens. Nec omnes qui patiuntur, sunt principes patientiæ, sed qui passione recte vtuntur, ij patientiæ munere coronantur. O benignissime Domine Deus meus, ista scivi & scio, sed opere non compleui: accedente enim ad me tribulatione, accessit illico impatientia, turbatio, ira, & indignatio, quæ sunt perditio animæ, quia patientia caruerunt, sed tu misericors Domine, non considere eshanc impatientiam meam ad pœnam & punitionem, sed ad vitæ emendationem, misericordiam obtinendam. Patientiam in meis tribulationibus mihi tribuas, quia scio quod apud te infructuosa non erit. Et si sicut contra me ignis tribulationis, tu mecum sis, vt misericordia tua me confortet & roboret, & in fine cum perpetuo laudantibus te, vitam obtineam sempiternam. Amen.

B

Quod mali nullum nihil possunt in eos qui patienter tribulantur. Cap. 11.

Scio Domine Deus, quod *omnes qui volunt piè viuere in te, persecutiones patiuntur*. Habet enim ille nequissimus inimicus laqueos & iacula, vtpute callidissimus venator hominum, sitiens sanguinem animarum, alios enim appetit telis insidiosæ suggestionis, quibus multos vulnerat, quorum tenuis est patientia; alios voluptatibus irretire laborat, quibus multitudinem copiosam concludit. Et ideo in tribulatione magnum adesse gaudium oportet, in qua non habet malignus, vnde non deiiciat. Nihil enim proficiet inimicus in eo quem tribulatio comprehendit, dum tamen per impatientiam non deiiciatur, sed potius in te validissime confortetur, & de sua tribulatione & aduersitate gaudeat & lætetur. Ægro namque de quo desperatur, medicus concedit, vt cuncta quæ concupiscit, accipiat: qui vero sanari posse creditur, cum à multis prohibet, quæ appetit. Gaudium autem & spem de æterna hæreditate suscipiunt, qui hic tribulationibus flagellantur, quia tu Domine Deus, quos saluandos in perpetuum cernis, sub disciplinæ regimine astringis, & transitorio verbere affligis, vt ita ad æternæ hæreditatis patriam præparentur obtinendam. Sicut enim amatores huius mundi multa aduersa & diuersa patiuntur; ita neque seruis Dei omnia in hoc mundo prospere succedunt, vt *in die malorum, memores sint bonorum*, ne pusillanimes fiant & impatientes: & contra in die bonorum, memores sint malorum, ne extollantur & dicant *in abundantia sua: Non mouebimur in æternum*. Sicut enim secularium prosperitas, stultum secularem occidit, sic & abundantia spiritualis indoctum spiritualem occidere potest. O superbenedicte per secula seculorum Domine Deus meus, ego iniquissimus peccator iudicio rationis abusus, prospera mundi potius concupiui & amaui, quam aduersa: & sic incommodum meum potius quam commodum quæsiui & dilexi. Succurre mihi misericorditer piissime Pater, qui neminem vis perire, sed salutem desideras animarum. Fac me currere per viam mandatorum tuorum, illa obseruando animo diligenti. Sit mihi tua correctio ad salutem, non ad mortem, ad tuam gratiam obtinendam, non ad iram tuam incurrendam, vt quum in regnum tuum venerim, te possim benefactorem & liberatorem meum perenniter laudare & benedicere. Amen.

C

Cur aduersa iustis eueniant.

Psalm. 29.

D

Quod Deus sanat percussiones, quas infligit.

Misericordissime Domine Deus meus, tibi proprium est misereri & parcere. Quod si percutis virga, & non baculo, nisi raro percutis. Et quum percusseris, sanas. paterna siquidem vox est hæc: *Percutiam, & ego sanabo*:

E

Cap. 2.
Deut. 32.
Hebr. 12.

Percutis enim, vt emendes, non vt vindices, quia tanquam Pater misericors, flagellas filium quem diligis. Sed in initio flagellatus, quod te Patrem pium esse ignorat murmurare solet & se innocentem, te autem crudelem pronunciare. Quia vero bonitas tua ei subuenit, per flagellum potentiam virtutis tuæ sentit, & tuam sapientiam per intellectum capit, quia talis sapientia *attingit fortiter* per flagellum, *& disponit suauiter* per intellectum, dum ei inspiras quod gaudeat in tribulationibus, & scias quoniam *patientiam tribulatio operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem nō confundit*. Et tunc se nō quasi seruum puniri, sed quasi filium per flagella erudiri agnoscit, vt hæreditatem accipiat. Nequaquam igitur contemnenda est tribulatio quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam, quæ ita magnum quoddam bonum, & datum optimum, quia elationem deprimit, lasciuiam refrenat, intemperantiam edomat, & denique omnes illicitos motus mentis & corporis suffocat & elidit, ceruicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frenat, iram sedat, incessum format, & dirigit in viam pacis, erudit ad scientiam, exercet ad timorem vt coronet ad gloriam. Tribulatio namque, contra carnis concupiscentiam dat continentiam; contra oculorum concupiscentiam, constantiam; & contra ambitionem seculi, humilitatem. O benignissime Domine Deus meus, quanta mentis cæcitate fui percussus, qui tribulationes mihi vtiles esse non cognoui? Quia mole huius mortalis corporis aggrauatus eram, terrenis intricatus curis, carnalium voluptatum fæce infectus peccatis inuolutus, consuetudine praua induratus, multis criminibus irretitus, in omni bono opere frigidus, in diuersis malis prostratus & induratus, procliuis vere ad quæcunque vitia, & ineptus ad honesta. Propter quæ nefandissima peccata mihi tribulationes dedisti, vt tantæ pestes in me sanarentur. Quare gratias ago Domine Deus meus, qui me sic dignatus es visitare ad emendationem vitæ meæ. Tu vero dona mihi veram & firmam patientiam, vt ab omnibus vitiis emundatus, consolari in te misericorditer valeam in æternum. Amen.

Sap. 8.

Iacob. 1.

Tribulationis commoda.

F

Inter alia debita mea benignissime Domine Deus meus, ad quorum solutionem astringor, & obligatum me sentio, est pœna, ad quod debitum primi parentes me obligauerunt, propter peccatum contra te commissum. Quare si mihi affuisset vera cognitio mentis, gaudere semper debebam, dum pœnæ tribulationis me premebant, & affligebant, quia tunc sustinendo patienter tribulationem, debitum meum soluebam, De quo misericors Deus gratias tibi agere debebam, quia scio quod talem solutionem debiti, si patienter eam suscepissem, compensasses ex larga tua gratia tua, in acquisitione gloriæ sempiternæ, ad quā misericorditer me creaturam tuam vocasti. Tribulatio etiam mihi iuste debebatur propter vitia & peccata innumerabilia quæ commisi, quia qui peccat, debitor est pœnæ, & pœnam luere debet. Et ideo si oculos mentis apertos habuissem, non moleste tulissem sed patienter omnes tribulationes & aduersitates mihi datas per te Domine Deus meus, quoniam in præsenti me affligebas, & satisfactionem de peccatis recipere volebas cētuplo minorem quam sit futura pœna. Tribulatio namque quæ cum patientia toleratur, attrahit te ad tribulatum, quia oculo misericordiæ respicis hominem tribulatum, desolatum & afflictum, vt ipsum, recrees, soleris, & liberes ab incendio afflictionis, sicut de te scribitur: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi vt liberarem eum*. Sic igitur piissime Domine Deus meus, oculo tuæ dulcissimæ pietatis respicis hominem, præ mundi afflictionibus, infirmitatibus, & tribulationibus languentem, qui si cum patientia omnia toleret, fiduciam, virtutem, & constantiam ei tribuis, doloremque tribulationum eius temperas & extinguis, & eum ad sanitatem & prosperitatem perpetuam misericorditer adducis. O clementissime Domine Deus meus, scio quod sollicitè me affligis, multiplicando in me tribulationes: hoc autem facis, vt sic ad te redeam, qui propter infinita peccata nequiter perpetrata, recesseram à te. Præsta mihi veram firmamque pa-

G

In tribulationibus esse gaudendum. Cap. 13.

Satisfactio de peccatis.

H

Exod. 3.

A

dulcescit afflictio, & in ipsorum pressura grauaminum futuræ consolationis primitias iam prægustantur. Ideo sancto viro afflictione corporis, & substantiæ temporalis amissione tribulato: qui afflictus est, inquit, erit in gloria. O misericordissime Domine Deus meus, quia secundum *duritiam cordis* mei & *impœnitentiam*, hactenus *thesaurizaui mihi iram in die* tremendi tui iudicij: tu pijssime mecum agens, iram tuam conuertisti in gratiam, non tribulari me voluisti, ne grauius tribularer. Ideo si tuam pijssimam bonitatem mente humili cognoscerem, pura animi voluntate velle deberem, quod corpus meum inedia frangerent, cilicia constringerent, labores grauarent, vigiliæ exiccarent, insurgerent in me tribulationes, me frigus incuruaret, conscientia mea contra me murmuraret, caput doleret, pectus arderet, stomachus inflammaretur, vultus palleret, & vita mea in dolore deficeret, & anni mei in gemitibus, sicque crucem tuam portando deficerem. O Domine Deus meus, *ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*, vt in tua laude requiescam in die tribulationis. Scio namque quod post culturam sequetur vendemia, & post afflictionem lætitia, cedentque contumeliæ te miserante ad coronam, quam mihi in fine dierum meorum, ad gloriam & honorem tui sanctissimi nominis misericorditer concedere digneris per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Rom. 2.

Abac. 3.

B

Quod De⁹ tribulatos extrinsec⁹, consolatur intrinsecus. Cap. 18. Iob 10.

Tu misericordissime Domine Deus meus *visitas hominem diluculo, & subito probas illum*: visitas & probas, vt sic spiritum eius à spiritu maligno custodias, vt postea tibi dicat: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Nam flagello tuo pijssimo puluis excutitur, quam ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit, & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Sic enim irasceris vt mansuescas, affligis vt parcas, prosternis vt erigas. *Nam sicut in nobis passiones tuæ abundant, ita per te consolatio nostra abundat.* Plena nanque est miserationibus ira tua, & iudicia animaduersionis quam temporaliter exerces in tuos, certa sunt tuæ pietatis indicia. Ideo inter delicias & dolores, ira & misericordia tua in flagellis sapienter agnoscuntur. Et quamuis in præsenti omnis correptio amara sit, tamen in futuro reddet fructum pacatissimum. Ideo bonum est tribulari, vt totos nos cruciatus absorbeat vexatio temporalis, quia scriptum est: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* O benignissime Domine Deus meus, scio & vere quidem scio, quod maior est culpa mea quæ præcessit, quam tribulatio quæ me premit. Donum tuum gratuitum est, quod tribulor, tua gratia est, quod affligor: non enim semper medicus dulcia ministrat ægroto, sed frequenter amaras porrigit potiones: infirmitas siquidem cui cibus delicatior causam præbuit, poculo amaro purgatur, & apostemata quæ ex otio & crapula succreuerunt, adustione sanantur, & incisione purgantur. Sed clementissime Domine Deus meus, spero in tua infinita & immensa misericordia, quod in me *non consurget duplex tribulatio*, neque, *iudicabis me bis in idipsum*. Fac tecum misericordiam tuam, vt præsentes tribulationes patienter & æquanimiter sustineam, quia spero, quod hæc tribulatio ex tuæ miserationis dono redimet tribulationem æternam; patior nanque pro iniquitatibus meis; sed vtinam datum esset desuper pro iustitia pati, quia *Beati qui patiuntur propter iustitiam.* Verum quia pro peccatis meis tribulationem patior; sufficit mihi si patientiam mihi dones, ne deficiat præ pusillanimitate spiritus, & præ tempestate caro debilis & toties flagellata, vt cum finis vitæ meæ aduenerit, regnum laudis tuæ obtineam sempiternum Amen.

Tribulari bonum est

C

Psalm. 65.

Matth. 5.

D

In labore & ærumna protraho vitam meam miseram, clementissime Domine Deus meus, datus sum in opprobrium & derisum his qui sunt in circuitu meo, æquanimiter tolerare non valeo, quod afflictio super tribulationem vulnerum mentis meæ additur, & per diuersa flagella assidue multiplicetur. Nimia impatientia Domine Deus meus frangor, non considerans quod omnis cordis & corporis afflictio citra profectum & fructum salutis est sine patientiæ condimento. Tu enim pijssime Domine nequaquam *obliuisceris misereri*, *neque continebis in ira misericordias tuas*, *sed iratus*, *misericordiæ semper recordaris.*

Quod tribulatiō sine patiē- tia est fructu. Cap. 19.

Abac. 3.

Nam qui flagellum tuum cum æquanimitate & bona patientia sustinet: ei indubitanter ira tua cedit in gratiam, & tribulatio in consolationem, quia sæpius temporaliter punis, vt æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis. Scriptum nanque est, quod in ædificio templi, omnes lapides prius malleis tundebantur. Sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, varijs infortunijs & concussionibus prius polluntur, quam in ædificio cœlestis habitaculi collocentur: sicut neque in horreum reponitur granum, antequam flagellis aut triturantium pedibus sit excussum. O mitissime Domine Deus meus, ego miserabilis peccator datus fui quodammodo in reprobum sensum, quia prædicta cognoui, & quid agere deberem inspirasti, sed tuas inspirationes salutiferas longe à meipso proieci, & erigendo ceruicem meam durissimam, maxima impatientia & animi turbatio sic mentem meam concussit, vt tua benigna flagella mihi vtilia esse non cogitarem, sed damnosa. Succurrere mihi digneris pijssime Domine Deus meus, & compati miseriæ meæ. Ignoscas mihi, quia misericors es & benignus. sentiam bonitatem tuam, non appareant peccata mea ante conspectum diuinæ maiestatis tuæ ad vindictam sumendam de ipsis, sed potius ad tuam misericordiam obtinendam, desque mihi gratiam hic bene viuendi, vt sic gratiam te in perpetuum laudandi & benedicendi possideam sempiternam. Amen.

E

F

Opto, ne irascaris mihi pater misericordiarum, ea ira qua corrigis deuium, & non ea qua errantem in viam salutis & vitæ reducis; nam non quum nescio, sed quum sentio te iratum, tunc maxime confido te esse propitium, quia *quum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Damnandis & reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem quæ interimit. Concedat ergo mihi tua benignissima pietas, ne perturber pusillanimitate spiritus: ad hoc enim quantum potest, laborat aduersarius meus, vt holocaustum meum deuotionis pinguedine vacuetur, vt & minus acceptum sit tibi, & conscientia mea in spirituali gaudio minus exhilaretur, sicque ex pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas generetur. Non perturber, sed cum patientia tolerem si transitoria mihi auferantur, si contumeliæ ingerantur, si supplicia irrogentur. Ostende mihi cui irasci debeam, & fac vt ei irascar. Irasci nanque debeo ei; quod solum mihi nocere potest, quod solum potest facere, vt omnia alia mihi obsint. Sed quidnam illud est? Certe Domine Deus meus, iniquitas propria. Pone inimicitias inter me & ipsam, vt eam à me expellam, neque ei consentiam, sed forti animo resistam. Fac vt irascar ei, ne appropinquet mihi, sed fugiat à me, imo ab ea fugiam, quum mortem æternam animæ meæ ipsa desideret, & te cupiat separare à me. Illi irascere Domine, & malignos ac pestiferos motus ipsius reprime, ne mihi valeat vllatenus dominari. Scio Domine, & mihi notum fecisti, quod mihi nulla nocebit aduersitas, si mihi nulla dominata fuerit iniquitas. Qui huic irascitur, cæteris non mouebitur, sed ei aderit consolatio de spe salutis æternæ, in quam translatis peccatis quæ separabant ipsum & te Deum & Dominum, per tuam gratiam erigetur, & exhilarabitur. Adiuuare igitur me digneris benignissime Domine Deus meus. Cum patientia eas aduersitates sustinere valeam quæ non destruant, sed potius erudiant, auferant iniquitates, & inferant virtutes, quibus tibi placeam, tibi seruiam, à te non separer, sed obtineam à misericordia tua vitam tecum in tuo seruitio sempiternam, Amen.

Quod cū tribulationem sentimus, tunc maxime de Dei miseratione confidendum est. Cap. 20.

G

H

Signum euidentissimum est Domine Deus meus, quod homo in te firmiter manet, quando per aliquas passiones & tribulationes, quantumcumque difficiles & graues, non separatur à te, nec à tua dilectione. Sed quanto magis affligitur, tanto minus diuiditur, sed fortius coniungitur. Talis autem fuit superbenedictus Filius tuus, qui mortem sustinuit acerbissimam cum summa patientia, tibi Patri suo perfectissime obediendo, cuius imita-

Quodnā sit signum firmæ mansionis in Deo. Cap. 21.

A tor fuit Paulus clementissime Domine, dum dicebat: Rom. 8. *Certus sum quod tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, persecutio, & gladius non poterunt nos separare à charitate Dei.* Ambulauit etiam Domine superbenedictus Filius tuus vias duras pœnarum, tribulationum, Esa. 53. & afflictionum cum summa patientia, *sicut agnus coram tondente se obmutescens, & non aperiens os suum.* Qui igitur Domine Deus meus desiderat tecum manere, debet ambulare vias duras tribulationum & afflictionum cum lætitia cordis & patientia, alioqui non apparebit filius Ioan. 8. tuus, sed seruus. Scribitur namque quod *seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet.* Nam seruus offendens Dominum, non flagellatur, sed è domo expellitur, & odio habet Dominum suum, cumque quantum potest, fugit, & ideo dicitur, quod *seruus non manet in domo in æternum.* Filius autem Patrem offendens, flagellatur à Patre, sed è domo non expellitur, nec habet Patrem suum odio, neque ab eo fugit, & idcirco dicitur, quod *Filius manet in domo in æternum.* B Qui ergo Domine propter flagella & tribulationes huius mundi separatur à te, non est Filius tuus, sed seruus: qui autem est filius tuus, quantumcumque flagellatus, non separatur à te, neque à domo tua, sed magis diligit te, quia per flagellum cognoscit se magis diligi à te. Purgantur enim Domine palmites in vite, *vt* Ioan. 15. *fructum plus afferant.* Sic tu Domine Deus meus, purgas in electis tuis peccata per afflictiones & flagella, vt fructus virtutum & tuarum gratiarum plus afferant, quemadmodum apparuit in sanctis Iob & Tobia, & multis alijs. O benignissime Domine Deus meus, tuam misericordiam supplex imploro, vt in hac parte non sim seruus, sed filius, tua flagella & tribulationes suscipiendo patienter, vt nunquam à te separari valeam, sed in domo tua semper tibi obediendo & seruiendo tecum maneam per infinita seculorum secula. Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI DE CONTEMPLATIONE CONFLICTVS CARNIS *& Animæ, Contemplationum,*

C

LIBER III.

De conflictu diuitiarum & paupertatis. Cap. 1.

OMnipotens & misericors Deus, inclina aures tuæ pietatis & misericordiæ ad me fragilem & miserum peccatorem, in bellis continuis & periculosissimis constitutum, magnamque vim & violentiam assidue patientem, quæ euadere nullo modo valeo per meipsum, nisi immensa clementia tua adiuuare me digneris. Te namque misericorditer inspirante, anima mea mundi diuitias vilipendit, sciens quod diuitiæ pungunt eam, lacerant, & affligunt, quoniam inducunt eam in tentationes, prouocant ad peccandum, auferunt charitatem, tollunt quietem, sunt momentaneæ, & sine labore mentis & corporis non acquiruntur, sine timore non possidentur, absque dolore non amittuntur. Et ideo *beati* Matth. 5. *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, quia tales nec intrinsecus per auaritiam vruntur, nec extrinsecus per controuersiam læduntur, sed sursum per desiderium eriguntur, & *eligunt abiecti esse in domo tua Domine,* Psalm. 83. *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Sed miseri-D cordissime Domine Deus meus, caro mea misera, stimulante mundo labili contra animam dimicat, natura ei repugnat, & consuetudo resistit, vt vincant animam, & superent, & de ipsa triumphent. Abhorret namque caro misera & infirma paupertatem, & diuitias amplectitur, quia paupertas est ei dura, & diuitiæ suaues, & ita nimia importunitate & violentia nititur animam subiugare. O munde immunde, hæc pugna à te procedit, bellum ingeris, & sensualitatem fatuam prouocas in tui adiutorium. Sed quare sic impugnas animam meam tuis momentaneis diuitijs, cum quibus perdis & concupiscentia tua? Tu enim multa promittis, & pauca reddis, imo sic fallax es & defectuosus, vt quos hic tuis diuitijs extollis, in fine nudos dimittas: nihil in te amator tuus habet, nisi dolorem & lachrymationem, laborem & fatigationem, honorem, & confusionem, transitum & corruptionem, fraudulentiam & deceptionem. E Et licet videaris nutritor corporum, tamen carcer es animarum. O durum bellum, fortis vis, grauis difficultas, magna violentia, quæ sic infeliciter animam meam trahis ad infernum: O Domine Deus meus omnipotens, qui dixisti, & facta sunt, mandasti, & creata sunt, qui cuncta fecisti, & nosti antequam fierent, tibi sunt, futura præterita, vel potius tibi sunt præsentia omnia tam præterita quam futura, qui vocas stellas & dicunt, adsumus: *qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos flammam ignis, tuæ voluntati nihil omnino resistit, tibi nullum verbum est impossibile, tibi venti & mare obediunt, & tibi flectitur omne genu cælestium, terrestrium & infernorum.* Fac mecum misericordiam tuam, vt in isto conflictu grauissimo non desperem. Tu enim recipis non solum pœnitentes, verumetiam trahis ad te peccatores. *Tu patiens es & misericors & præstabilis super malitiam, suauis ac mitis & copiosus in misericordia, omnibus inuocantibus te.* Te igitur humilime toto corde inuoco, da robur & fortitudinem spiritui meo, vt mundum labilem vincat, & carni miseræ viriliter dominetur, ac illas diuitias solummodo F diligat quas *fures non effodiunt, nec furantur*, teque solum vitæ æternæ thesaurum inueniat & perenniter diligat. Matth. 5 Amen.

De conflictu gulæ & abstinentiæ, luxuriæ & continentiæ. Cap. 2.

Adhuc Domine Deus meus, grauissimam & assiduam pugnam patior. Quum enim prima inhibitio facta fuit homini, de ciborum extitit abstinentia, quam dum ipse custodiuit, feliciter perstitit: ad abstinentiam & ieiunium frequenter spiritus meus se disponit, vt sic possit iram tuam placare, abs te veniam impetrare, pœnam vitare, nequitiam extirpare, munditiam retinere, & gratiam obtinere, ista enim omnia ieiunium operatur. Sed misera caro se illi ex aduerso opponens, auiditatem edendi commouet, gulam incitat, appetitum prouocat, voluptates ingerit, diuersitatem ciborum exquirit, varietatem saporum affectat, contemnit sufficientiam, & superfluitatem desiderat: & non solum in varijs ferculis & lautis cibarijs desiderium suum ponit, sed etiam horam præuenit ex appetitu inordinato. Nam voluptas sub necessitate latitans, dum necessitas solum debitum sibi quæG rit, suum expleri desiderium appetit: tantoque facilius illam gula in præceps rapit, quanto honestiore nomine necessitatis se contegit. Verum Domine Deus meus, quia frenum abstinentiæ non restringo, grauior pugna insurgit: cingulo namque castitatis laxato. Venerem amplectitur misera caro cogitationibus importunis. Familiaris autem nimium est iste hostis, & ideo difficilius potest euitari: habitat namque non procul, sed intra, nam virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vm-Iob. 40. bilico ventris eius. O misera caro, quid te mouet, vt meam animam velis spoliare virtutibus, & deijcere in infernum? Tu namque cunctis virtutibus denodata es, Gen. 3. ideoque diceris caro à carendo, quia cares omni bono. Tu es illa terra Adam, quæ fuit à Deo maledicta. *Male-* Iob. 10. *dicta*, inquit, *terra in opere tuo, non dabit fructus suos, sed spinas, & tribulos germinabit tibi*, id est, desideria mala & delectationes in te germinabuntur. Tu misera caro, cares status firmitate, quia modo es sana, modo ægra, modo tristis, modo læta, modo turpis, modo pulchra, modo viuens, modo mortua, & *quasi flos transis & velut vmbra fugis, & nunquam in eodem statu permanes.* Tu cares H mentis puritate & quicquid tangis aut tibi sociatur, maculas. Tu cares morum honestate, nisi stimulis coarcteris. Et quid tibi caro misere proderit, si animam meam præcipitaueris in gehennam quum tibi quoque cum ea, pœna gehennæ post tremendum iudicium præparetur, si in hoc tuæ ditioni subiugaueris ipsam? O Domine Deus meus, scrutans corda & renes, qui pluuiæ guttas, & arenam maris dinumeras, Deus scientiarum Dominus, qui omnia scis, omnia penetras, perspicax occultorum omnium explorator, tu non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, qui venisti quærere & saluare quod perierat, qui dixisti: *Non egent qui sani sunt medico, sed male habentes.* Effunde igitur super me misericordiam tuam, ne tan-

A

tam vim patiar, quæ animam meam sic miserabiliter captiuet, sed comprime hostium vires, & carnem miseram animæ meæ subiugare cum effectu dignare, vt de ipsis victoriam obtinens, te laudem liberatorem meum in perpetuas æternitates, Amen.

De conflictu humilitatis & inanis gloriæ. cap. 3.

Quid amplius faciam Domine Deus meus? vexat enim me multipliciter aliud luctæ genus, scilicet inanis gloria, quia mundani fauoris aura me miserabiliter demulcet, laudum præconia mihi applaudunt, & adulationis lingua blanditur, & sic caput meum nequissimi peccatoris, tale oleum impinguat. Rapior in altum, attollor ad summum, erigor in excelsum, inferiorem me non reputo, humiliorem præsertim corde non exhibeo, nec minorem me ostendo. Sicut autem præconia me exhilarant & extollunt, sic opprobria me deiiciunt & conturbant. Et licet quandoque laudem humanam non appetam, oblatam tamen cum delectatione suscipio. O humani generis inimice, inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, & omnium voluptatum persuasor, quare sic vexas animam meam? Quid te ad hoc inducit?

B

Quid tibi prodest hæc importuna vexatio, quum potius scias hoc tibi nocere? Quia quanto magis ad peccandum inducis, tanto amplius tua pœna augescit. O Domine Deus meus qui es iudex iustus, fortis & longanimis, & metuendus super omnes Deos, requirensque tua vsque ad nouissimum quadrantem: qui nec prece, nec pretio, nec odio declinas à semita rectitudinis, sed via regia semper incedis, nullum malum deseris impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquis. Quis ergo stabit ante conspectum tuum, *quam horrendum sit incidere in manus tuas? Quod si iustus vix saluabitur, ego impius & peccator vbi parebo?* Sed absit Domine Deus meus, vt de tua misericordia desperem, quoniam miserationes tuæ super omnia opera tua: *non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum tuam misericordiam saluos nos fecisti.* Multum Domine peccauit Cain, quando interfecit Abel, sed magis peccauit, quum ait: *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear.* Absit enim Domine vt maior sit iniquitas mea quam misericordia tua, quum defectus à bono qui est iniquitas, summo bono comparari non possit, quod est misericordia tua Deus. Ne autem hac elatione extollar amplius, compesce Domine vires inimici, & da mihi misericorditer veram humilitatem, quæ in me violentum modum elationis cohibeat, & prudenter excessum arrogantiæ moderetur, vt in humilitate tibi placeam, tibique humiliter seruiam in sæcula sæculorum, Amen.

C

De conflictu diligentium & non diligentium inimicos. cap. 4. *Matth. 5.*

Tuam maiestatem latere non potest sempiterne Deus meus, quod vim nimiam patior, quia dum spiritus meus inclinatur iuxta præceptum tuum ad diligendum inimicos, ad orandum pro persequentibus & calumniantibus, ad remittendas iniurias illatas & ad benefaciendum his qui odio me habent, vt inde anima mea efficiatur filia tua, nec non ad ferenda omnia aduersa patienter: caro mea miserrima cum suis adiutoribus pro viribus repugnat, iniuriam reuocat ad animum, accenditur ad iram, rapitur in furorem, præ magna impatientia vindictam perquirit, damnum inimici procurat, in verba contumeliosa prorumpit, murmurat, & detrahit, & sic animæ meæ reluctatur, eamque nititur captiuare. Quare ô tu qui es verus Dauid manu fortis, qui vicisti vrsum, superasti leonem, prostrasti Philisthæum, adiuua in hoc periculoso duello. Confido namque de tua magna misericordia non solum me veniam adepturum, sed etiam gloriam obtenturum. Pono enim Domine Deus meus ante oculos meos mulierem quæ erat in ciuitate peccatrix, quæ multa, te testante, peccata habuit. Pono ante oculos mulierem deprehensam in adulterio. Pono ante oculos meos latronem, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, & deinde suspensus in cruce. Pono ante oculos meos Dauid, prius adulterum & homicidam, postea factum Prophetam. Qui omnes Domine, materiam confidentiæ mihi præbent de sua infinita misericordia. Sed quia scripturæ in hoc mundo promittunt tribulationes & angustias, pressuras & augmenta dolorum, abundantiamque tentationum, tu misericors Domine, dignare me præparare ad patientiam, ne deficiam imparatus.

1. Reg. 17.

Luc. 7.

D

Ioann. 8.

Marc. 15. *Luc. 23.*

E

Compelle igitur Domine rebellem carnem meam, vt subiiciatur spiritui, nec ei vltra dominetur, vt possim animam meam in patientia possidere, & ad suum seruitium ad quod eam creasti, conseruare in sempiternum. Amen.

De conflictu malarum & bonarum cogitationum. cap. 5.

Importune vexor, & magnam violentiam patior Domine Deus meus, quia variæ & noxiæ cogitationes dissipant cor meum, & separant ac diuellunt animam meam à te. Ista est mihi Domine pugna domestica, quæ quanto est familiarior, tanto grauior est, & periculosior. Sed quis Domine Deus, creator & redemptor meus, malarum cogitationum insultum vitare possit? Scio vtique Domine, quod non est in hominis potestate, facere ne surgant, vtinam sit in eius virtute, facere ne crescant, quia paruulæ me vehementer affligunt, adultæ perimunt violenter. Primos quippe motus Domine non possum non sentire. Ista pugna Domine mihi assidua est nec me dimittit, siue vigilem, siue dormiam, aut quippiam boni cogitem, dicam, aut faciam, semper enim vbique me inuadit, nec importunitate grauatur, nec continuatione lacessit, nec tempore perit, sed per vsum vetus est, & per augmentum quotidie renouatur. Ista sunt iacula quæ præmittit insidiator antiquus: isti sunt præcursores, proximum aduentum inimici generis humani denunciantes. O benignissime Domine Deus meus, adiuua me in hac pugna, quia tu es Creator & Redemptor meus

F

hominem namque creasti & redemisti. Magnum quidem est, quod redemisti, nam creando *factus est homo ad imaginem & similitudinem tuam*: sed redimendo factus fuisti, Domine totius bonitatis & clementiæ, ad imaginem & similitudinem hominis, quia *temetipsum exinaniuisti formam serui accipiens.* Magnum autem est habere similitudinem tuam, sed maius est quod tu assumpsisti imaginem & similitudinem nostram, maius inquam ratione dignitatis & etiam vtilitatis. Quis ergo diffidere possit, Domine Deus meus, quin miserearis illius quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam? Nemo certe. Sed multo quoque minus dubitare valeat Domine, quin tu miserearis illius propter quem exinaniuisti temetipsum, formam serui accipiens. Miserere igitur mei Domine per meritum sacratissimæ incarnationis & passionis tuæ, & pugna pro me in hoc quotidiano prælio, vt non vincar, sed vincam per cogitationes bonas & operationes studiosas, & triumphem de ipso, vt sanctis cogitationibus tibi seruiam in secula seculorum. Amen.

Gen. 1.

Philip. 2.

G

Prælium quotidianum.

De conflictu malæ carnis consuetudinis. cap. 6.

Ad fortificandum Domine Deus meus, prædicta certamina contra animam meam, inualuit consuetudo inueterata quæ adiuuat carnem miseram ac defendit: durum namque est illi apprehendere disciplinam, & proinde conatur spiritum restringuere ne transeam de dulcibus ad amara, de placidis ad molesta, de prosperis ad aduersa, de epulis ad ieiunia, de voluptate ad pœnitentiam, de fabulis ad silentium, de somnulentia ad vigilias, de simultate ad dilectionem, de vanis cogitationibus ad sanctam contemplationem, de inani gloria ad humilitatem, de lubricitate ad continentiam, de diuitiis transitoriis ad paupertatem, & de libertate carnis ad seruitutem Dei. O Domine Deus meus, durum est istud bellum, magna est ista violentia, imo tanta, quod sine potentissimo adiutorio tuo vincere non valeam. Adiuuare igitur me digneris misericorditer, tu Domine qui tantum dilexisti mundum, *vt filium tuum vnigenitum dares pro mundo*, cuius sanguis clamat pro nobis ad te, *qui exauditur in omnibus pro sua reuerentia.* Aduocatum enim habemus apud te, Iesum Christum, iustum, qui semper interpellat pro nobis, signa passionis ostendens, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: redempti enim sumus, *non corruptibilibus auro vel argento, sed pretiosissimo sanguine agni immaculati.* Tibi Domine Deus meus attribuimus, quicquid pertinet ad potentiam: diuinam autem potentiam euidentius nihil manifestat, quam iustificare impium, hoc est trahere peccatorem, iuxta quod legitur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas.* Melius enim est iustificare, quam creare, quum creando detur natura, iustificando vero & auferatur culpa, & conferatur gratia. Ostende igitur Domine omnipotentiam tuam in me miserabili peccatore, vt quamdiu in præsenti seculo militabo, victoriam de inimicis meis te adiuuante obtineam, *quia non est alius qui pugnet pro me, nisi tu Deus meus*, cui seruire quem laudare

Hebr. 5. *1. Ioann. 3.*

H

1. Petr. 1.

A

dare cupio in sempiternum. Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI DE INNOCENTIA PERDITA, CONTEMplationum,

LIBER IV.

Excitatio animæ post innocentiam perditam. Cap. 1. Ephes. 5.

O Anima sceleratissima, non vita, sed morte perpetua ex tuis actibus digna, redi ad te, quæ longe fuisti à te, excita teipsam de somno mortis, surge à lecto in quo vulneribus sauciata diutius iacuisti: require medicum te valentem & volentem curare: labora vt illi placeas fugiendo curas & occupationes labilea, quas hactenus eius præcepta, doctrinam & consilium spernendo, tota mentis intentione amplexa es. Surge de arida terra & sterili delectationis carnis & mundi. Respue illa quæ diu possidere non potes: abhorre ea quæ te præparant ad interitum,

B

appete cum affectu illa quæ perpetuo possidere vales & fœlicem te facere possunt. Intra secretum cubiculum mentis tuæ, vt ipsam valeas cognoscere, ibi paululum requiesce & exclude cætera præter Deum & te. Excute torporem, discute conscientiam tuam; & diligenter examina odiosam Deo & horribilem vitam tuam. Scias te esse coram illo cui nihil est incognitum, nihilque impunitum remanet. Considera quid es, & quid fuisti. Namque sola Dei misericordia, ex nihilo creata, ad eius imaginem facta, sacro fontis lauacro regenita, virtutibus & gratijs adornata, Dei Filia, Iesu Christo desponsata, eius fide decorata, sancti Spiritus amica, rationis capax, contra aduersarios tuos armatura inexpugnabili armata, socia Angelorum, particeps hæreditatis æternæ, templum æterni regis habens ad tuam custodiam Angelum delegatum. Tantique pretij fuisti, vt totus mundus tibi comparari non posset, & vt tuo creatori à quo facta es, & per quem facta es, & ad quem facta es, seruires, effecta fuisti, & ideo cuncta tibi subiecit, vt tibi seruirent. Adde quod pretium tuum quo redempta es, à mor-

Psalm. 8.

C

te perpetua liberata, non fuit aurum & argentum, sed sanguis & mors Iesu Christi Filij Dei, donum sine pretio, gratia sine merito. Ad tuum præsidium, sororem & sodalem tibi misericorditer concessit, scilicet innocentiam, per quam in periculis tuta fuisti, vbique secura, vbique libera, sancti spiritus inspiratione ducta, Dei coniuncta consortio, à malis omnibus aliena, & à terrenis actibus separata, charitate Dei & proximi illuminata. Per hanc sororem Deo placuisti, amicitias cum eo contraxisti, & gratum seruitium exhibuisti. Ipse vero ex vnione amoris tecum assidue mansit, te custodiuit, exaudiuit, donis spiritualibus dotauit, tibi opportuna & necessaria ministrauit, & ab omni re sinistra & aduersa te illæsam præseruauit. O anima ingratitudine plena, argue teipsam coram Deo, eo quod hucusque de cunctis eius beneficijs ingrata fuisti, & eius misericordias quam plurimas agnoscere renuisti.

Quanta mala innocentia perdita afficiat.

O anima mea, anima infœlix, peccatis innumerabilibus inquinata, considera nunc statum tuum. Abiecisti innocentiam sororem tuam fidelem, à prædio mentis tuæ, & locum eius occupari fecisti, introducendo inimicam eius scilicet iniquitatem, per quam creatorem &

D

Cap. 2.

benefactorem tuum à te miserabiliter proiecisti, & diabolum intromisisti, cuius imago per ipsam innocentiæ inimicam facta es, periura Deo, adultera Christo, inimica Spiritui sancto, virtutibus & gratiis spoliata, fide mortua, promissione Dei priuata. Armatura spirituali sponte derelicta, tuis hostibus voluntarie te subiugasti, & particeps effecta es damnationis æternæ. Per iniquitatem bonum incommutabile respuisti, & in cœno peccatorum te prouoluisti: contempsisti benignum, & adhæsisti maligno: cœlum ad quod possidendum electa fueras, vilipendendo amisisti, & regnum tenebrarum acquisisti. O perditam & miseram acquisitionem. Con-

E

solationem requisisti, & desolationem inuenisti, noluisti benedictionem daram recipere, & elongabitur à te: induisti iniquitatem sicut vestimentum, ideo perdidisti id quod facta eras, plena enim eras, & vacua facta es: videbas lucem, & cæcitatem incurristi: viuebas spiritu, quem (quantum in te est) sponte oppressisti. Exul facta es à patria quam perdidisti nequitia tua, amplectendo cum delectatione temporalia, spiritualia contempsisti, mundum amasti, & timuisti plus quam Deum. Bona voluisti prædicari & apparere, sed non existere: amicam huius seculi te fecisti, & inimicam Dei te constituisti: Deum & omnia in tui vltionem prouocasti, nec tibi aliquod remedium procurasti. O anima misera, considera qualem te Deus fecerat, & qualem tu te fecisti: de filia iræ filiam gratiæ te fecerat, & tanquam sacrilegam filiam diaboli te fecisti. Hæc & multa alia tibi cum iniquitate pariter aduenerunt, adeo enim misere corruisti quod per teipsam surgere non possis; sic vulnerata es, quod per te sanari non queas; sic maculata, quod per te mundari non valeas. Erige ergo totam mentem tuam corde compuncto, ad il-

F

lum qui erigit elisos: accede ad illum qui sanat contritos corde; adiunge te illi qui omnium sordium est mundator, vt te misericorditer subleuet, sanet, & ab omni iniquitate emundet.

Quanta bona innocentiam comitantur. Cap. 3.

O anima mea perquam miserabilis, dic mihi in quo te læsit Innocentia, per quam tot bona & gratias recepisti? Dic mihi, quæso, in quo te læsit, vt eam à te nequissimè proijceres, & in locum eius, iniquitatem quæ illi inimicatur, surrogares? Nonne innocentia soror tua tecum nata est, & tecum ad nuptias Christi venit, quando ipsum in sacro baptismate in sponsum recepisti, & thalamum eius gratiis & virtutibus ornatum introisti? Fœliciter tecum nutrita est, siue vigilares, siue dormires, tecum semper erat, tecum fidem nouit, te dilexit, tibi in omnibus operibus tuis comes fidelis fuit, & salutem tuam procurauit. Nunquam per se aut ex factis suis à tuo consortio declinauit, nisi quando ex magna ingratitudine tua eam à te maligne eiecisti, & iniquitatem in thalamum tuum (proh pudor) excepisti. O nefandam commutationem, crudelem casum, lamentabilem lapsum, intolerabilem dolorem, importabilem cruciatum. Cecidisti

G

ô anima nequam, per huiusmodi commutationem, de sublimi in profundum, de gratia in peccatum, de virtute in vitium, de gloria in pœnam, de cœlo in infernum, de vita in mortem, de salute in infirmitatem, de bono in malum, de gaudio in mœrorem, de consolatione in desolationem, de securitate in timorem, de fœlicitate in miseriam, de libertate in seruitutem. Dominum à quo bona cuncta procedunt deserendo, eius inimicis, imo etiam hostibus proprijs à quibus omnia mala prodeunt, adhæsisti. O perfida anima, quid egisti? Non *est hæc mutatio dexteræ excelsi.* Abominabilis es Deo, odiosa Angelis, horribilis sanctis, fœtida omnibus, intolerabilis tibi ipsi: melius tibi fuisset, si creata non fuisses, quam si creatorem tuum contemnendo, & in resæuiendo, temetipsam peremisses. Dic lacrymabiliter, dic, heu mihi, quia cecidi, quia peccaui, Deum & sanctos contra me prouocaui, iram tremendi iudicis in me concitaui. Væ mihi, quia sic perperam egi, sic inconsulte feci. Quis eruet me de manu potenti, & brachio extento contra me? Quis præseruabit me

Psalm. 76.

Matth. 26

H

à ventura ira, à morte æterna, à laqueis infernalibus, à rugientibus præparatis ad escam, nisi tu misericors saluator & redemptor meus? Tibi nanque proprium est misereri & parcere, qui omnipotentiam tuam parcendo semper & miserando manifestas. Inclina ergo aures tuæ pietatis ad me, ne desperem de te, sed respirem in te cum fiducia, & remaneam de tua misericordia per teipsum, & propter teipsum, & perpetuo consolata.

Ad Deum confugiendum esse & in eo sperandum. Cap. 4.

O anima mea desperatione circundata, mentem tuam erige & eleua ad Deum, spera in eo cum fiducia, surge & sta, produc de corde gemitus; clama die noctuque. O innocentia soror mea, vbi es? Quo tendisti? Qua arte, quoue ingenio me dereliquisti? Quo tandem loci deuenisti? Sed væ mihi animæ peccatrici, quia corde maculato & pollutis labijs hanc sororem meam audeo nominare

quam

A quam offendi, quam violaui, imo quod execrabilius est, quam sic penitus à meipsa pepuli, sic abieci, quod eam recuperare non valeo. Extranea & peregrina facta est ipsa mihi, imo præ iniquitate mea ego illi, & quamuis tot bona mihi præparauit, ego tamen ingrata cum iniquitate amicitiam contraxi. O iniquitas, quare me illudendo circumuenisti? quare innocentiam sororem & amicam meam à me eiecisti, quæ me gratam fecerat saluatori meo? quare me cepisti, colligasti & subiugasti, & mihi Deum Angelos & sanctos abstulisti, eosque mihi inimicos constituisti? Quare me bonis & gratijs omnibus crudeliter spoliasti, & inermem solamque in conflictu & inter aduersarios me reliquisti? Nil enim lucri ex eis consequi poteras, quæ sic ma (nescio qua de causa) prostituisti. Quid tibi malefeceram, vt me sic tractares? Quis te docuit, vt ad talia prouocares, informares, & perpetrare faceres? Quæ ratio te mouit. Nihil enim mihi tecum, non nou eram te, non quærebam, non curabam, à te elongata eram; debitrix tibi vlla in re nun eram. Cur me morti perpetuæ & damnationi æternæ obligasti, & sine consolatione, imo cum desolatione seu desperatione

B reliquisti? Abstulisti enim à me amicos & protectores meos, vt cum iniustitia tua me perderes. Meum quoque pastorem qui mihi alimoniam præbere solebat, & sub quo vitam ducebam, abire fecisti, vt sic egens & inops facta, fame perirem. Sed & lupum rapacem ad me introduxisti, à sustentatione negata, vulnerata sum, imo interfecta & enecata. O pastor pastorum, oue m errantem require, & repertam impone super sacros humeros tuos, reduc eam ad caulas gregis: sana infirmam, pasce famelicam, imo iam fame morientem, vigila super eam, ne amplius lupus rapax inuadat, rapiat, & enecet eam.

Quod nulla necessitate, sed sponte perditur innocentia. Cap. 5.

O nullius valoris homuncio, vermis inutilis, dum præmissa considero, datus sum in reprobum sensum, & obliuionem, mihi ipsi excæcatus sum, rationabile iudicium perdidi, in magnam dementiam incidi, quia imputo alteri factum quod sponte perfeci, scilicet innocentiam expellendo, & iniquitatem introducendo.

C Sciebam & vere cognoscebam, quod ante oculos meos erat vita & mors, bonum & malum, gloria & pœna, & quum liberum arbitrium haberem eligendi alterum ex his, elegi tanquam fatuus & iniquus, mortem, malum & pœnam. Et licet prædictæ electionis cogitatio & primi motus non essent in mea potestate, tamen mera delectatio, consensus, & operis consummatio à mea voluntate pendebant: nec cogi ab aliquo poteram, nisi voluntate consensissem ad quod ego feci, imo quod perniciosius mihi est, frequenter tentationes præueni, ita vt iam non possem dici patiens, sed agens. Inimicis meis adhæsi, & suggestioni eorum consensum præbui. Primitias iuuentutis meæ Deo debitas, ad eorum voluntatem expendi. Nullum peccantem, quamuis à peccatis retrahere possem, retrahere volui, imo ad peccandum, verbis & factis impuli, aut saltem ad facinora perpetranda exemplum dedi. Dum qui me genuit, dereliqui, & oblitus sum Domini creatoris mei. Ex actibus meis dignus sum odio, non gratia. Quanto diutius misericorditer me Deus sustinuit, & ad pœnitentiam expe-

D ctauit, tanto durior corde fui, & contra eum ac eius præcepta ceruicose insurrexi. Fides in me propter bonorum defectus mortua fuit. Dei inspirationes longe à me proieci, & quæ meæ saluti contraria erant, libenter suscepi. Labores corporales ad salutem animæ meæ promouentes, vitaui. Antiquis & vsitatis peccatis non contentus, noua & insolita adinueni, & opere consummaui. Semel ac iterum & sæpius ad vomitum redij. Nulla facinora reperiuntur, quibus non fuerim vel mente vel corpore contaminatus. Et quanto magis ad finem vitæ accelero, tanto magis peccatis inuoluor. Ecce bone Iesu, qualiter tempus à diebus originis meæ expendi, ecce in quibus studium meum consumpsi, in quibus laboraui, cum quibus amicitiam contraxi, quæ dilexi, quibus parui, & quibus (te spreto) obediui. Non habeo quid dicam, quid respondeam, qualiterve me excusem, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

E Sed tu Domine Iesu Christe, à cuius misericordia spes & salus mea dependet, quique tempus viuendi mihi tribuisti, tempus pœnitendi & emendandi mihi misero & indigno misericorditer concedere digneris: tu namque creator meus es, ego vero non possum non esse creatura tua, fiat tamen de me, qui solus parcere & iustificare potes voluntas tua.

Quod postea misera anima cognoscitur per solam Dei misericordiam seuclandi. Cap. 6.

O creator & reformator meus Domine Iesu Christe qui neminem vis perire, nec lætaris in perditione animarum, audi me nefandissimum peccatorem. In vespera vitæ meæ positus sum, plenus vitijs & peccatis non paucis, sed innumerabilibus: non modicis, sed maximis; cor meum à conscientia pulsatur: fallax mundus in quo dormio, deficit, corpus ruinam minatur, vita breuis est, finis dubius, exitus horribilis. Mors me vndique expectat, nihi diabolus insidiatur. Tempus transit, iudicium tuum appropinquat. Te & omnia alia contra me prouocaui, quia nihil mihi innoxium reseruaui, imo te vocantem me ad vitam effugi, & hostem me ad mortem persequentem suscepi. Torquet me conscientia mea, terret me futura damnatio quam merui, & quam ex actibus meis eui-

F tare non valebo. Si me considero, horror mihi est intolerabilis, si me non respiciu, mors mihi est ineuitabilis, fugere non possum, comparere non audeo, quia tot accusatores habeo, quot peccata. Tu es iustus accusator meus, tu es verax testis actuum meorum, tu es rectus iudex meus. Tui conuiuidices me accusant, tui & mei inimici cum quibus amicitiam inij, mei sunt accusatores importuni. Nemo pro me loquitur, aut loqui audet. Qui me iuuare poterant, ignominiose abieci, & meos impugnatores in sinum meum recepi. Nunc solus prostratus taceo, omni auxilio destitus, & à quolibet confusus & derisus. In proximo est dies iræ tremendique iudicij, in quo omnia facta mea vsque ad animæ cogitationem discutientur, reuelabitur ignominia mea, & videbitur opprobrium meũ, quia arbor sterilis & infructuosa fui, in ignem æternum proiectus ardebo, & ab his quibus me sociaui, cruciabor: quia data sententia damnationis æternæ rapient me, & sine interuallo & absque fine crudeliter tormenta mi-

G nistrabunt, à quibus in æternum non cessabunt, nec vlla amplius misericordiæ via mihi patebit. Nihil enim mihi superest nisi exuberans misericordia tua, in illa & per illam respiro, quia benignus & misericors es, nec vis mortem peccatoris. Memor esto quod creator meus es tu, & ego creatura tua, ne perdes opus tuum propter peccata mea. Tu es redemptor meus & saluator. Salua igitur me peccatorem per gratiam tuam, quam damnare potes per iustitiam: es misericors erga miserum, da pœnitenti veniam, & noli secundum mea demerita ferre sententiam. Sed sicut tua misericordia principium vitæ meæ præuenit, sic finem eiusdem concludat, & mecum perpetuo maneat.

Deploratio ad veniam obtinendam. Cap. 7.

O misericors & miserator Deus, quis miserebitur mei, quis auxiliabitur mihi, aut quis consolari me valebit, nisi latitudo charitatis tuæ, altitudo potentiæ tuæ, longitudo meritorum passionis tuæ? Nam dum cogitata perpendo, & perpetrata mente reuoluo, hebetudine cordis deficio, obtenebratur mihi animus qui in stuporem vertitur, & dolore conficitur, quia veste innocentiæ (qua tua gratia indutus fueram) penitus reiecta, vesti iniquitatis à bo-

H nia despecta, me à planta pedis vsque ad verticem capitis cooperui impudenter, qua me formatum deformaui, qua similis tibi eram, & factus sum tibi dissimilis. Prostratus sum & elisus, & non possum me erigere, nec recipere sursum. Villicus sum iniquitatis, apud te multipliciter diffamatus, quia dissipaui bona naturæ, gratiæ, & fortunæ, pauper & spoliatus sum, viuendo inique. Hic fame pereo, & egestate laboro. Surgo igitur & venio ad tuam misericordiam & dico corde lacrymantis & pœnitentis: *Pater* misericordiarum, & Deus totius consolationis, *peccaui in cælum & coram te, & substantiam* naturæ, gratiæ & fortunæ, tanquam prodigus *expendi viuendo inique, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis.* Recipiat me misericordia tua ad osculum, da mihi vituli saginatum, scilicet tuam gratiam qua anima mea impinguetur: da mihi lacrymas

Luc. 16.

Luc. 15.

A tibi placentes, & ad te habentes liberum ingressum, quæ longe recesserunt à me. Ne obliuiscaris me, nec auertas faciem tuam à me, illumina oculos meos, & ostende mihi faciem tuam. Veni ad me, quia longe recessi à te. Doce me venire ad te. Ad te enim venire non possum, nisi tu doceas me quia tu es via. Procul fac à me omnem errorem, quia tu es veritas. Libera me à morte repentina & æterna, quia tu es vita. Tu qui es misericors, non permittas me à tua misericordia fieri alienum, & qui expectas ad pœnitentiam peccatorem, benignè suscipe ad te reuertentem. Veniat super me misericordia tua, ignosce mihi per clementiam tuam, ne vltionem tuam in perpetuum sentiam. Non te ostendas mihi durum, qui me inæstimabili pretio redemisti. Audi me clamantem, & aperi ostium pulsanti. Non abiicias creaturam tuam quam misericorditer creasti. Si ex malitia mea recessi à te, fac vt benignitas tua reuocet me ad te, vt per pœnitentiæ dolorem consequar à misericordia tua, quod per baptismum mihi clementer concessisti, vt quum dies exitus vitæ meæ aduenerit, tu mihi pius iudex & propitius defensor sis, vt qui tibi in hoc mundo fui seruus inutilis, in
B tua beatitudine & felicitate perpetua, ineffabiles laudes tuas concinnam, & facie ad faciem te intuens, tibi vtiliter seruiam, te laudem, honorem & glorificem per infinita seculorum secula. Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI, DE CONtemplatione Mortis.

LIBER V.

Quid sit mors. Cap. 1. Sap. 1.

MOrs dulcissime Domine Iesu Christe, nihil aliud est, quam finis, & defectus vitæ, quando scilicet anima desinit corpus viuificare. Mors namque Domine, non est aliquid positiuum, sed priuatiuum: tu enim Domine mortem *non fecisti, nec lætaris in perditione viuorum.* Verum sicut cætera omnia quæ sunt hic, naturaliter corruptioni obnoxia sunt, vt patet in animalibus, arboribus & fructibus. (Hoc autem facit contrarietas quatuor elementorum, quorum vnum continue agit in alterum, & proinde neces-
C Eccles. 14. se est quod corruptio sequatur, & quod res deficiant, quia scriptum est: *Opus corruptibile in fine deficiet:*) ita nos quoque, quia ex elementis contrariis constamus, ideo varietati & mutabilitati subiecti sumus: vanitati namque subiecta est omnis creatura. Hinc est quod necesse est omnes homines per mortem corrumpi & deficere, & multiplici subiacere miseriæ. Sicut enim Domine Iesu Christe, omnes stellæ quæ ab oriente veniunt, quamuis sint magnæ claritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundum diuersos circulos: aliæ tardius, aliæ ocius sese à nostris aspectibus abscondunt: sic etiam homines vniuersi qui ab oriente, id est, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquandiu rutilent & clarescant, necesse tamen est quod tandem ad occasum mortis, alij tardius, alij citius secundum cursum durationis quem à te acceperunt veniant, decidantque, & à mundi aspectibus sese subtrahant & recedant. In Adam namque Domine, id est in peccato Adam,
1. Cor. 14. *omnes moriuntur*, nisi tu qui omnia potes, aliter ordines. O misericordissime Domine Iesu Christe, scio quod mortem naturalem non possum euadere. Cuius memoriam etsi quandoque habeam in mente, & me moriturum veraci-
D ter credam, quia tamen eam tanquam fatuus, imo tanquam demens, quasi procul sit, considero, vitam meam miseram emendare negligo, & conuersionem meam differo, ac in voluptatibus & delectationibus corporalibus, peccatisque variis & diuersis tempus meum miserabiliter expendo & consumo, vix de anima mea ac tuo beneplacito aliquantulum cogitando. Adiuuet me tua misericordia Domine Iesu Christe, & secundum peccata mea non retribuas mihi, sed ignoscere mihi digneris, vt anima mea, cum mors eam à corpore separabit, te adiuuante ad regnum tuum, vbi tua sola voluntas fit & tuum beneplacitum, perueniat sempiternum, Amen.

De origine mortis. Cap. 2.

Peccatum præcessit Domine Deus meus, & secuta est mors: quod sane si cauisset homo, in æternum mortem non gustasset: peccando itaque vitam amisit, & mortem inuenit, quoniam tu Domine ita prædixeras. Et iustum E quidem erat, vt si peccaret homo, moreretur, tu siquidem Domine, vita es animæ, & anima est vita corporis: peccando igitur voluntariè, nolens Desiit viuere & sponte repulit vitam quum voluit viuere. Noluit regi à te Domine, ideo per se regere corpus non potest: & quia non paruit tibi suo superiori, suo inferiori imperare non valet: tu namque omnium conditor, tuam inuenisti creaturam tibi rebellem, & ideo Anima eius inuenit pedissequam suam, id est, carnem sibi rebellem. Quia vero non potuit diuidi à te Domine Anima nisi peccando, neque corpus ab ipsa Anima nisi moriendo, nihil profecto congruentius est, quam vt mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, & voluntaria necessariam. Cum igitur benignissime Domine Iesu Christe, hac gemina morte secundum naturam vtramque homo damnatus esset, altera quidem spiritali, culpabili & voluntaria: altera vero corporali, pœnali & necessaria, vtrique tu Deus homo, vna tua corporali, pœnali, ac voluntaria, benigne ac potenter occurristi, & per tuam mortem, nostram destruxi- F sti. Sed ego impiissimus & sceleratissimus peccator, tuam gratiam & clementiam non agnoscendo, neque tibi pro tanto beneficio redemptionis, gratias humiliter agendo, peccata multa enormia & nefanda frequenter & voluntarie commisi, ob quæ vtraque mors iustè & digne mihi debetur, & merui vt corpus vermibus, & anima ignibus deputetur. Verum benignissime Domine Iesu Christe, in tua immensa misericordia confido, quæ longe maior est quam iniquitas mea: teque humiliter rogo, vt mihi digneris misericorditer ignoscere, peccata clementer remittere, & gratiam bene hic viuendi concedere, vt anima mea à morte, tua misericordia & magno tuæ mortis beneficio, præseruetur æterna, Amen.

Statutum est, piissime Domine Iesu Christe, *hominibus se-* Quod necessarium est mori. Cap. 3. Hebr. 9.
mel mori. Statutum quidem in pœnam grauissimam, propter peccatum primorum parentum. Ista namque Domine est lex ligans hominem, quæ nunquam habuit, nec habitura est saltem quantum ad cursum communem in aliquo exceptionem. Istam enim mortalitatem, id est, moriendi necessitatem, transfuderunt primi parentes in po- G steros, quia peccauerunt, sicut è diuerso immortalitatem transfudissent si non peccassent. Mortis autem modus, est subitus & imperceptibilis, nihilque certius est morte, hora autem mortis ac loco & modo nihil incertius. Nescit enim Domine Deus meus, homo finem suum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad locum, nec quantum ad modum. Quis enim benignissime Domine potest scire quando morietur, vel vbi, vel qualiter, vtrum scilicet bene an male? Certe Domine Iesu Christe, nemo. Ideo scribitur: *Non verearis iustificari vsque ad mortem. A mane enim* Eccles. 18.
vsque ad vesperam mutabitur tempus, tempus quidem viuendi, & tempus moriendi, & tempus mercedem recipiendi. Viuens ergo & sanus, Domine, debet homo confiteri tibi, & conuerti ad te, & non expectare vsque ad horam mortis, quia subito veniet mors, cuius morsus est rapidus & incurabilis, quia *homo quum mortuus fuerit, hæreditabit bestias serpentes &* Eccles. 10. & 19.
vermes. bestiæ namque deuorabunt corpus, serpentes vero & vermes ipsum corrodent, & in ipso requiescent. O peccati stipendium. O naturæ debitum. O ineuitabile iudicium. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in ter- H ram, quæ non reuertuntur: omnes enim homines vadunt ad mortem, & subter terram manent, & nullus inde reuersus super terram. O misericordissime Domine Iesu Christe, casus iste naturæ, qui est mors, valde horribilis est, plenusque omni calamitate & miseria. Hunc casum ineuitabilem Domine, ego miserabilis peccator, non præuidi, imo vt verius loquar, præuidere non curaui, abstinendo à vitiis & peccatis & inhærendo bonis operibus & virtutibus, & disponendo me ad suscipiendum hunc casum cum innocentia & puritate mentis. Succurre igitur mihi clementissime Domine Iesu Christe, & parce mihi quia nihil sunt dies mei. Concede mihi gratiam vt continue viuendo & moriendo, te verum Deum agnoscam, & te agnoscendo, laudando, & glorificando vitam mihi acquiram sempiternam, Amen.

Assidua

A

Ad quid prosit memoria mortis. Cap. 4.

Assidua memoria mortis benignissime Domine Iesu Christe, prodest ad hominis humiliationem. Vnde antiqui volentes se humiliare, ponebant cineres super capita sua, in memoriam mortis, & quod in cinerem redigerentur, sicut scribitur: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et alibi: *Quid superbis terra & cinis:* Prodest etiam Domine Iesu Christe, memoria mortis, ad fugienda peccata, nihil enim tam reuocat à peccato quam frequens mortis cogitatio, sic scribitur: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis.* Qui enim recolit mortem, cogitare debet quod peccatum causa est mortis, quia sententia data fuit Adæ, *quod quacunque die de fructu vetito comederet, moreretur.* Et alibi: *Sordes eius in pedibus eius, quia non est recordata finis sui.* Prodest insuper Domine Iesu Christe, ad deprimenda carnalia desideria, & ad abigendas tentationes varias & diuersas quæ separant animam à te, nihil enim tantum valet ad domanda desideria, quantum cogitare, qualis sit ipsa futura mors! Prodest etiam Domine Iesu Christe, ad erogationem eleemosynarum: non enim sunt Domine bona hominis quæ secum ferre non potest: sola namque misericordia comes est defunctorum. Sed ad quid præterea pijssime Domine Iesu Christe prodest? Certe ad prouocandum & inducendum peccatorem ad veram pœnitentiam. Nam cum audisset Ezechias rex, quod mori deberet, fleuit amaré, & tunc tu Domine, mutas sententiam protogasti, & alias gratias ei fecisti. Rex etiam Niniuæ audiens quod ciuitas subuerti debebat, induit se sacco, & egit pœnitentiam, & tunc Domine sententiam subuersionis reuocasti. Quanto igitur Domine, homo magis appropinquat, tanto magis debet bona agere, & de peccatis commissis humiliter pœnitere. Sed ego induratus peccator hoc sciens pœnitere non curo, sed in peccatis perseuero, de quibus non doleo. Compellas igitur pijssime Domine Iesu Christe, cor meum durum ad veram pœnitentiam, & ignoscere mihi clementer digneris, vt memoriam mortis semper habendo à vitijs cessem, & pro tui nominis gloria bona agam, vt te iuuante mortem non sentiam sempiternam, sed vitam in laude tua nunquam morituram, Amen.

Genes. 3. Iob. 34. Sap. 2. Gen. 2. Is. 4. 7.

B

Is. 10. 38. 2 Par. 32. Ionæ. 3.

C

Quod mors debet præuideri. Cap. 5.

Præuidenda est & consideranda clementissime Domine Iesu Christe, mora propria, ne præoccupemur. Bonorum, vt ad bonum animemur; Malorum, vt in nostris affectibus temperemur. Est namque Domine Iesu Christe, consideratio mortis nostræ, vtilis ad nostram præmunitionem, *quia iacula præuisa minus feriunt.* Et ideo si mortem cogitando præuiderimus, minus sua percussio cum ipsa venerit, nos grauabit. Talis enim consideratio inducit humilitatem, & causat securitatem, quia si mors continue præuideatur, securius expectatur, sicut scribitur: *Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt si tua fors tulerit possis obuiam ei exire: est namque magna sapientia, frequenter cogitare de morte.* Consideratio mortis bonorum, Domine Iesu Christe, est vtilis ad nostrā animationem, quia boni qui mortui sunt, in te sperauerunt, & contra hostes animæ fortiter dimicarunt, & ideo talium exempla nos ad similia animare debent, & similibus de causis consolari, vt sic quilibet possit cum sibi similibus dicere: Vadamus, moriamur cum eo. Consideratio etiam mortis malorum Domine Iesu Christe, est vtilis ad nostram cautionem, vt desistamus à concupiscentijs, ne vt & illi, præoccupemur in oculis mortis. Et ideo Domine Christe, mors tam nostra quam aliena præcogitari & memoriæ mandari debet, quia scriptum est: *Memor esto, quoniam mors non tardabit.* O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta miseria & iniquitate plenus sum ego pessimus peccator, qui cogitationes & considerationes meas non habui circa mortem propriam, neque circa alienam, sed potius circa mundana & vana, circa voluptates & delectationes corporales, circa otiositates & negligentias, & circa vitia & peccata enormia. In his enim tempus vitæ meæ mirabiliter consumpsi. Adiuuare ergo me digneris pijssime Domine Iesu Christe, & concedere mihi gratiam vt de peccatis commissis doleam, & totis viribus satisfaciam, & ad tuum beneplacitum semper viuam studiose operando, vt mortem præuidendo temporalem, ad laudes tuas curram in vitam sempiternam, Amen.

Ioann. 11.

D

Eccles. 14.

E

Quid operetur bona mors. Cap. 6.

Lucrum est, mori, clementissime Domine Iesu Christe, homini qui bona morte moritur. Nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem, & ideo scribitur: *Mihi enim est mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Gloria cuiuslibet hominis Domine, est sanctitas vitæ, quæ cito in hac vita fragili perdi potest, vtpote per vnum consensum peccati mortalis. Quandiu igitur Domine Iesu Christe, homo viuit, quantumcunq; sit sanctus in periculo est, vt euacuetur gloria sua, id est, vt perdat sanctitatem suam, sed per bonam mortem euadit omne periculum amittendi gratiam tuam. Mutat itaque Domine timorem in securitatem. Et propter hanc commutationem Helias petijt, *animæ suæ vt moreretur:* erat enim in timore maximo, fugiens Iezabelem. Mutat enim pijssime Domine Iesu Christe, homo per bonam mortem laborem in tranquillitatem, quia scriptum est: *Melior est mors* (scilicet bona) *quam vita amara: & requies sempiterna, quam languor perseuerans.* Heu Domine Iesu Christe, tota vita præsens & misera, amaritudinibus respersa est, laboribus inquieta, sollicitudinibus turbulenta, & languoribus plena. Ergo Domine melius est bene mori, & bene moriendo statim euolare, vel saltem appropinquare, & intrando securitatem habere, ad locum refrigerij, lucis, & pacis, & sempiternæ quietis; quam in hac vita in qua ista mala sunt, diutius esse. Propter istam namque commutationem, sanctus ille Ionas quando erat in labore & sudore, dicebat; *Melius est mihi mori, quam viuere.* O benignissime Domine Iesu Christe: fac sentiam ego miser peccator suauitatem tui dulcissimi amoris, & remitte mihi misericorditer peccata mea quæ commisi. Concede mihi ex benignitate tua bene viuere, vt bene moriar, & mors sit mihi lucrum non damnum: vt te auxiliante à secunda morte non lædar, sed in vita tibi gratias agam, te laudem, te glorificem sempiterna, Amen.

Philip. 1. 1. Cor. 9. 3. Reg. 19. Eccles. 30.

F

Iona 4.

Rursum quid operetur bona mors. Cap. 7.

O clementissime Domine Iesu Christe, te miserante & iuuante, commutat homo per bonam mortem inopiam in satietatem, quia scriptum est. *Melius est mori, quam indigere.* Sed heu pijssime Domine Iesu Christe, quamuis indigentijs bonorum tam spiritualium quam corporalium, seu temporalium viator subijcitur: huic nihil (quantæcunque sit excellentiæ in diuitijs & opibus, & complacentiæ in delectationibus) potest sufficere & eius desiderium quietare: Ergo Domine, melius est eas commutare, & bene moriendo illuc intrare vbi est omnis excellentia bonorum, & superabundantia bonorum, vbi erunt *delectationes in dextera tua vsque in finem*, id est, sine fine, vbi tua Diuinitas videbitur, amabitur, & perpetuo tenebitur. Propter hanc commutationem Domine, scilicet egestatis in satietatem, dicebat sanctus ille Tobias, in maxima paupertate constitutus: *Expedit mihi magis mori quam viuere.* Commutat etiam Domine Iesu, bene moriendo, tristitiam in iucunditatem, sicut scriptum est: *Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum.* Heu Domine, quot mala sunt in mundo? Ecclesia est diminuta, Christianitas conturbata, & quæ erat longe lateque per orbem diffusa, nunc est fere ad vnum accidentalem angulum redacta. Impij dominantur, boni tribulantur, & mala sine numero multiplicantur. Melius est ergo commutare statum bene moriendo, & transire statim ad locum vbi propter sublimitatem & æquitatem iudicis nihil erit confusum, nihilque turbulentum, aut quod possit aliquam tristitiam ingerere, quam esse diutius in hoc mundo. Propter hanc commutationem, scilicet tristitiæ in iucunditatem Domine, dicebat Apostolus, *quod cupiebat dissolui, & esse tecum.* Ergo etsi mors corporis sit, quantum est, de se, multum formidabilis, tamen bona mors, propter istas commutationes est multum optabilis, quia per ipsam tanquam per ianuam intratur ad vitam. Idcirco ô mitissime Domine Iesu Christe, ex tua exuberanti misericordia tribue mihi gratiam bene moriendi, vt ad vitam indeficientem te authore tua laude perenni perueniam, Amen.

G

Psalm. 15. Tob. 3. 1. Mach. 3.

H

Philip. 1.

Homo

A

Quod mors debet cum patientia sustineri. Cap. 8.

Homo moriturus benignissime Iesu Christe, non magis contristari aut conqueri debet, si ad mortem peruenit, quam nauigans si ad portum ad quem nauigabat, celerius quam credit pertingit. Est enim Domine Iesu Christe mors, portus ad quem continue nauigamus; & ideo si ventus & casus fortuitus, subito & ex inspectato ad illum portum perducit, dolere non debet homo, sed potius cum patientia tolerare. O clementissime Domine Iesu Christe, erubescentia confundor in meipso, dum considero quod cum patientia mortem sustinere non possum, prout frequenti cogitatione mente reuolui: dum enim sacras scripturas lego & exempla multorum, grauius in animo cogitationem meam impatientem fero. Lego Eleazarum propter obseruationem legis antiquæ, magis gloriosam mortem, quam odibilem vitam amplectentem, voluntarie iuisse ad supplicium. *(2. Mac. 6.)* Lego Socratem condemnatum ad mortem, quia inscitiam aliorum carpebat, qui licet prope cunia liberari potuisset, maluit tamen mortem sustinere, & de morte vsque ad mortem cum discipulis disputauit. *(Socratis obitus.)* Multiq; itoque alij philosophi, mortem patienter sustinuerunt, vitam præsentem & miserabilem contemnendo. Sancti etiam in [illegible] nouo Testamento, & præcipue Martyres, pro honore nominis tui Domine Christe, mortem patientissime sustinuerunt, & cum gaudio ac libenti animo receperunt. M[illegible] que alij quotidie moriuntur, qui mortem cum patientia suscipiunt, considerantes quod quicquid fieri necessario est, hilari animo ferri debet.

B

O piissime Domine Iesu Christe, si multi & diuersi innocentes mortem cum patientia tolerant: quid de me iniquissimo peccatore fiet, qui non sum innocens, sed multis & varijs peccatis ac vitijs inuolutus? Certe cum magna patientia mortem expectare deberem, quia mors propter peccatum mihi debetur. Et sic, si possibile esset non vna morte, sed pluribus essem dignus. Adiuua me igitur misericordissime Domine Iesu Christe, & respice me non secundum peccata mea, sed cum infinita misericordia tua, mihi peccata remittendo clementer, vt sic vitam meam ordinando, disponendo, & emendando transigam, vt in fine mortem patienter sustinendo, vitam in choro te perenniter laudantium consequar sempiternam, Amen.

C

Quod mors debet pro formidine non timeri. Cap. 9. 1. Cor. 15.

Mors non est timenda viro iusto, mitissime Domine Iesu Christe, tum quia certa & necessaria, tum quia breuis est & transitoria, tum quia vtilis est & meritoria. Certa est mors Domine, sicut scriptum est, *Omnes in Adam moriuntur.* Est etiam breuis & transitoria, quæ timenda esset, si nobiscum semper esse posset: sed necesse est aut [illegible] non veniat, aut quod veniat & transeat. Est insuper Domine Iesu Christe vtilis ac meritoria, quia mors nihil aliud est quam carceris finis & laboris consummatio ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, onerum grauissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum euasio, omnium malorum consumptio & diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. Ideo scriptum est: *Melior est dies mortis die natiuitatis, quare noli metuere iudicium mortis.* Sed benignissime Domine Iesu Christe, loquitur Scriptura de viris iustis non de iniustis, de quorum numero ego miserabilis peccator sum, qui mortem merito timere debeo, cum ignorem ad quem locum per ipsam iturus sim. Ideo illi dicere possum Domine Iesu Christe: O mors quam amara est memoria tua homini in-

D

Mors peccatori metuenda.

iusto! Amara namque est Domine & terribilis abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate deficientibus bonitate, carentibus aduersitate, & [illegible] infirmitate. O piissime Domine Iesu Christe: quanta cordis amaritudine repleri debeo, quia ab [illegible] ad [illegible] aduersitate, nec diuturna affligor infirmitate? Nonne [illegible] amaram & terribilem mortem [illegible] Sed misericordissime Domine Iesu Christe, bonitatem & clementiam tuam humiliter [illegible], & [illegible]. vt [illegible] re mihi digneris, & compati fragilitati meæ. Dirige me in beneplacito tuo [illegible] inductus, quæ colligendo grana [illegible] am hyemem, sic præcaueam mihi contra futuram mortem, virtutes & gratias, ac etiam bona opera te adiuuante aggregando, vt mortem, cum venerit, non timeam, sed ad tuam gloriam misericorditer perueniam sempiternam, Amen.

E

De præsentia ineuitabili mortis. Cap. 10.

Quocunque se vertat homo, mitissime Domine Iesu Christe, semper habet mortem præsentem, mors vbique nos expectat, vbique nos inuadit. Nostrum viuere, est mori, nam prima die natiuitatis nostræ, vita nostra longior est quam vnquam postea futura sit: quotidie enim, singulis horis, demitur aliquid de illa longitudine cursus nostri. Et hinc est Domine Iesu Christe, quod quanto plus viuimus, tanto magis vita nostra minuitur. Quotidie namque morimur, & vnum diem de vita nostra mors subtrahit nobis & furatur: & ideo Domine dum crescimus, vita nostra decrescit. Infantiam amisimus deinde pueritiam, postea adolescentiam: sed & hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Ecce benignissime Domine Iesu Christe, quanta sit nobiscum præsentia mortis: cum qua etiam quotidie vitam nostram dilabi velut aquam, facit. Sicut enim aqua congelata propter feruorem solis liquefieri solet, & in terram & lutum dilabi: sic vtique Domine Iesu Christe, nostra fragilis & aquea conditio, quæ nihil aliud est quam carnea quædam moles aliquantulum coagulata,

F

quando feruore mortis percutitur & vrgetur, necessario diffluit, & in terram decidit & mutatur, vt dicere queat vnusquisque: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea*, de terra enim facta sunt hæc omnia, & in terram pariter reuertentur. *(Psalm. 21.)* Et sicut aqua dilabens in terram à terra absorbetur, ita quod amplius non videtur: sic homo in terram per mortem cadens, ita consumitur & destruitur, quod nunquam amplius in hac mortalis sortis conditione inuenitur. *Et quis est homo* Domine Iesu Christe, *qui viuet & non videbit mortem*: Certe nullus. *(Psalm. 88.)* Nam à muliere initium factum est peccati, & propter ipsam omnes morimur. O piissime Domine Iesu Christe, respicere oculo pietatis & misericordiæ me nefandissimum peccatorem, & compati mihi dignare: quia licet mortem & eius præsentiam frequenter cogitauerim, & te etiam iustum iudicem esse non ignorauerim, tamen ob id nolui desistere à vitijs & peccatis, sed in ipsis miserabiliter continuando perseueraui. Et ideo miserere mei clementissime Domine Iesu Christe secundum magnam misericordiam tuam, vt te miserante, mortem euadam sempiternam, & vitam inueniam in tuo seruitio perpetuam, Amen.

G

Quod mors est timenda tanquam dubia. Cap. 11. Eccles. 9.

Nemo scit benignissime Domine Iesu Christe *vtrum odio an amore dignus sit*: ideo mors est timenda tanquam dubia: nam si mihi certo constaret Domine, quod in puncto mortis crediturus essem in te, id est habiturus essem fidem viuam, & formatam charitate, ac operantem per dilectionem; non dubitarem quin mors mea futura esset bona, & fœlix transitus ad vitam æternam; sed mihi non constat certo, quod habeam, aut habiturus sim tunc fidem viuam, formatam charitate operantem per dilectionem. Quamuis mihi certo constet, quod fidem habeo per quam credo. Nemini autem, nec de se, nec de alio, certo constat, quod fidem habeat per quam credat in te, formatam charitate, sine qua mors hominis bona esse non potest, quia nemini certum est, se aut alium charitatem habere. Et ideo Domine, quamuis homo de se & de alio quod talem habeat fidem, per multa signa verisimiliter coniectare possit; nullam tamen de illa certitudinem habere potest, nisi per te misericorditer ei reueletur. Et sic Domine, cuilibet homini mors sua & cuiuslibet alterius dubia est, quia nullam

H

habet certitudinem de fide prædicta, quamuis de bonitate hominis probabiles coniecturas habere possit. Quapropter mors hominis est multum timenda. Sed heu miser & miserabilis ego peccator quid faciam Domine Iesu Christe, quia non solum coniecturas, sed etiam certitudinem habeo, me non habere charitatem aut fidem viuam, formatam charitate, sed multa & innumerabilia peccata, non leuia quidem illa, sed & grauia, immo grauissima, in quibus vixi, & persisti per totam fere vitam meam, saltem ex quo mihi intellectum tribuisti, & cognitionem discernendi inter bonum & malum, vitam & mortem. Auxiliari igitur mihi digneris tu auxiliator misericordissime, ignoscendo & remittendo peccata mea nefandissima quæ commisi, vitam & exitum ab hac vita bonum mihi concedere, vt tecum

A

Quod mors simpliciter est timenda. Cap. 12.

cum per charitatem formatam, viuam per infinita seculorum secula, Amen.

Tu benignissime Domine, dum morti propinquus fuisti, cœpisti pauere & tædere, & dixisti: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Timuisti igitur dulcissime Domine Iesu Christe, & tristis fuisti quodam timore, & tristitia quadam naturali quæ tantum fuit in appetitu sensitiuo, nec in aliquo tetigit appetitum rationalem, secundum quem conformabas te voluntati Patris, dicens: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Si igitur pijssime Domine Iesu Christe, timuisti mortem, eo modo quo dixi, quæ erat patri tuo gratissima, & generi humano fructuosissima: ego miserrimus & sceleratissimus peccator mortem valde timere debeo, præsertim quia nescio in quo statu & quomodo moriar. Nam Domine Iesu Christe, in articulo mortis, nisi tu auxilieris, diabolus quam maxime potest homini insidiatur tentans eum super omnia de veritate fidei, & suadens ei infidelitatem & desperationem. Is enim, etiam Beato Martino in exitu eius astitisse legitur. Cui Beatus Martinus dixit: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, sed sinus Abrahæ me recipiet.* Immo vero, quod maius est, te patiente in cruce, idem astitit credens, aliquid de suo in

B

Ioann. 14.

tua beatissima anima reperire: sicut scribitur: *Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam.* O misericordissime Domine Iesu Christe, dum ista lego, dum ista cogito & mente sæpius reuoluo, magna timoris anxietate quatior. Timeo namque illum diem, expauesco horam, horresco insidiatoris dolosi præsentiam: quia quærit animam meam, vt eam secum perducat in damnationem æternam. O clementissime Domine & redemptor, quam ex immensitate misericordiæ tuæ, tuo pretiosissimo sanguine redemisti, eam custodi assidue, & præsertim in illo puncto mortis per tuam maximam pietatem, ne inimicus in ipsa aliquid valeat vsurpare, sed merita tuæ sacratissimæ passionis defectus eius suppleant, vt tua sancta protectione, cum æterna laude gloriam tuam possideat sempiternam, Amen.

De potentia mortis. Cap. 13.

C

Insuperabilis est potentia mortis pijssime Domine Iesu Christe, quia non vnum solum, sed omnes superat scilicet fortes & debiles, lætos & tristes, egenos & diuites, incolas & aduenas, iuuenes & senes, bonos & malos, viros & mulieres. Et vt omnia flumina intrant mare; sic quotquot in hanc fluctuosam vitam veniunt, mare, id est, amaritudinem mortis necessario subintrant, mors enim, est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. Et sicut mare est hospitium omnium fluuiorum; sic mors est finalis repositio omnium mortalium, & ideo scribitur: Scio quod morti trades me, vbi constituta est domus omnium viuentium. Hanc autem mortem benignissime Domine Iesu Christe, nec potentia fortiores, nec scientia doctiores, nec pecunia ditiores, nec eminentia digniores superare valent, quia moritur robustus & sanus, doctus pariter & indoctus, diues & egenus: sic quod nulla ætas, nullus sexus, nulla conditio mortem euadere queat, quæ incessanter quotidie homines deuorat & suis legibus subiugat. Nec iuuare potest hominem amicorum turba, non familiæ multitudo, non auri vel argenti plenitudo, non vindemiarum vbertas, non densitas segetum, non iucunditas pratorum, non aliud quicquam. Non enim mors inopiæ parcit, non

Omnes moriuntur

D

diuitias reueretur, non defert generi cuiusquam, non moribus, non ipsi denique ætati: vbique enim senibus est in ianuis, iuuenibus in insidijs. O misericordissime Domine Iesu Christe nulla arte mundi hanc mortem naturalem euadere possum, sed me semper sequitur, & insidias mihi parat quocumque vadam, & quicquid cogitem, dicam, aut faciam, mihi minatur, propinquum aduentum suum mihi ostendit per multiplicitatem diuersorum signorum. Succurre mihi misericorditer benignissime Domine Iesu Christe, parcendo peccatis, concede mihi vt peccata præterita toto corde defleam & expurgem, & à futuris abstineã corde & opere, vitam præsta puram, iter para tutum, vt cum naturalis mors aduenerit, cum magna patientia eam suscipiam, & te semper agnoscam: à deceptione spirituum malignorum me defende, vt anima separata à corpore, ad tuum regnum cum perenni laude perueniat sempiternum, Amen.

E

Quam sint incerta in morte. Cap. 14.

Incertus est status hominis in morte, pijssime Domine Iesu Christe: nescit enim homo in quo statu moritur, scilicet bono an malo, & qualem mors inuenit hominem, talem homo inuenit mortem. *Nescit* quoque *homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta.* Incertus est etiam locus mortis, quia nescit homo, quo in loco morietur, quia mors insidiatur homini in omni loco; & in omni loco hominem expectat. Incertum est item Domine genus mortis: vtrum scilicet gladio, igni, aqua, an alio mortis genere quis moriatur: nescit enim homo finem suum, sed quemadmodum capiuntur pisces hamo, sic capiuntur homines in tempore malo. Hora denique ipsius mortis incerta est, & ideo præcipis Domine vigilare, dicens: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, scilicet mortis. Nam ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter & sine reditu transit, & comparatur vmbræ, quæ semper sequitur corpus. *Dies enim hominis, sicut vmbra declinant.* Nec est aliud vita præsens, quam cursus ad mortem,

Matth. 25.

Matth. 3.

F

& quamuis homines laborent, vt diu viuant, & non ad terminum vitæ perueniant: nihil tamen est Domine viuere nisi ad finem currere. Quare ipsi ambulant quo peruenire nolunt, & currunt voluntarij ad terminum, quem refugiunt. Incerta sunt igitur benignissime Domine Iesu Christe in morte omnia, quæ festina festinanter inuadit, neque pro quacunque re inducias vnius horæ facit. O clementissime Domine Iesu Christe, quanta fatuitate sum plenus, immo dementia ego sceleratissimus peccator, peccato inquam corde, ore, opere, & omissione, qui mortem ante oculos non posui, sed retro, & memoriam ipsius in obliuionem commutaui, incertitudinem aduentus eius non timui, neque ob id peccare desij, sed voluptatibus illecebrosis animum meum subdidi. Heu pijssime Domine Iesu Christe, adiuua me, secundum multitudinem misericordiæ tuæ. nec sic à morte rapiar improuisus, sed te miserante vitam meam miserabilem emendem, & incerta mortis me non terreant, neque mihi noceant, sed amor tuus & laus tua sint mihi vita & gloria sempiterna, Amen.

De morte iustorum. Cap. 15.

G

Pretiosa est mors iustorum in conspectu tuo Domine Iesu Christe, imo nihil pretiosius est illa morte, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & gratiæ cumulatius augeantur: si tamen dicenda sit mors, quæ tibi mortuum faciat, & in lucrum cedit morientis. Ista est, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua & perfectæ securitatis ingressus ac initium retributionis. Vnde sit, vt vir iustus viuat, quia bene moritur, non enim dici debet mortuus simpliciter & omnino. Triplex namque est vita benignissime Domine Iesu Christe, cui triplex mors opponitur, scilicet vita naturæ, cui opponitur mors corporalis, quæ nihil aliud est Domine, quam animationis cessatio, & recessus animæ à corpore. Vita gratiæ, cui opponitur mors spiritualis, quæ est peccatum mortale, per quod anima priuatur gratia quæ est vita eius. Est etiam vita gloriæ, cui opponitur mors gehennæ seu inferni, quæ est principalis carentia diuinæ visionis, quam comitatur in adultis pœna sensualis, & animæ tormentorum. Quare teneo dulcissime Domine Iesu Christe, qui moritur corporaliter non moritur, te miserante & adiuuante, simpliciter & omnino, nisi mortem illam mors spiritualis comitetur & gehenna sequatur. Vnde Domine Iesu Christe, quando aliquis moritur corporaliter, cuius vitam comitatur vita gratiæ, & sequitur vita gloriæ, saltem in re vel in spe firmissima

H

quæ nullo modo confundit sperantem, nullo modo potest dici simpliciter & omnino mortuus, *beati* namque sunt Domine, *qui in te moriuntur.* O misericordissime Domine Iesu Christe, scio me veraciter mortuum fuisse morte spirituali, & sic perdidisse vitam gratiæ, quia tempore vitæ naturæ innumerabilia fere peccata commisi scienter, deliberate, corde, ore & opere. Succurrat ergo mihi clementissime Domine Iesu Christe misericordia tua, vt à morte spirituali in præsenti resurgam, & viuam vita gratiæ, & concede mihi ex immensitate pietatis, vt finita vita naturæ per mortem corporalem, viuam vita gloriæ in tua perenni laude in æternum, Amen.

Nihil

A

De morte criminali. Cap. 6.

Nihil aliud est dulcissime Domine Iesu Christe mors criminalis, quam mors peccati, quę animam occidit, & hominem peccatorem mortuum reddit, quia sicut mortuus opera sensuum non exercet, sic certe peccator ad gloriam sempiternam obtinendam non mouetur per bonam operationem, nec per laudis confessionem, *quia mortui non laudabunt te Domine.* Nam per peccatum Domine anima separatur à te, & sic mortua reputatur, quia sicut corpus varijs modis interficitur, sic anima per diuersa peccata necatur & occiditur. Habet autem benignissime Domine Iesu Christe, diabolus hostis antiquus, multos modos quibus ipsam animam interficit, & spiritualiter necat. Quosdam namque per superbiæ suspendium interficit, suspendit namque illos alte per elationem, & honorum pariter & diuitiarum ambitionem. Qui ideo instabiles & vani sunt, quia sicut res quæ suspensa est, instabilis & vaga est, & ad flatum venti facile mouetur, sic superbi ad flatum venti diabolicæ suggestionis, quocumque velit malignus, facillime impelluntur. Quosdam, per *incendium auaritiæ* perdit,

Prouer. 30.

quæ profecto *est ignis qui numquam dicit sufficit.* Nonnullos

1. Reg. 17.

B

gladio inuidiæ perimit, inuidia enim est gladius Goliæ, qui proprium magistrum occidit, quia inuidi antequam alios interficiant, gladio inuidiæ torquentur, vt de eis dicatur:

Psalm. 36.

Gladius eorum, intrat in corda ipsorum. Alios veneno luxuriæ

Deut. 32.

interficit. Illud autem est *venenum aspidis*, inducens hominem ad dormiendum, quem postea dormientem enecat, sic enim luxuria primo hominem dormire facit per delectationem, quem tandem per consensum occidit. Alios sagittis iracundiæ & vindictæ quibus eos vulnerat, interficit. Alios per submersionem, aquis deliciarum corporalium suffocat. Alios per oppressionem acediæ interimit, quia eos torporis oneribus opprimit, ita enim oneribus pigritiæ onerati sunt & grauati, quod se ad aliquod bonum nequeunt erigere. O misericordissime Domine Iesu Christe, ista tertia est mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum mole constringit, qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis iam addictus mortuus videtur. Ista morte mortuus fui frequenter Domine Iesu Christe, ex iniquitate mea maxima. Et ideo resuscitare me digneris pijssime Domine per tuam exuberantem clementiam, vt in præsenti seculo viuam per gratiam, & in futuro per tuam laudem & gloriam sempiternam; Amen.

C

De morte spirituali seruali. Cap. 17.

Summe appetenda est benignissime Domine Iesu Christe, mors siue mortificatio sui ipsius, quæ nihil aliud est homini, quam sui ipsius delectationis cruciatio, & ad humilitatem vel patientiam reductio. Vir enim iustus & perfectus Domine Iesu Christe, dicitur tibi mortuus, quia sicut mortuus ad voluntatem portantis regitur, nec se mouet, nec sentit, nec clamat, sed omnia quæ sibi fiunt sustinet, sic vir bonus & iustus & sibi ipsi mortuus, ad voluntatem alterius permittit se regi per obedientiam sine rebellione, & per sacras scripturas omnia quoque sustinet cum patientia & tolerantia, vt de eo vere dici possit: *Qui mortuus est peccato,*

Rom. 6.

iustificatus est à peccato. Tales namque Domine dicuntur mortui, quia non dicuntur viuere mundo, sed tibi Domine. Et de istorum morte potest etiam dictum tuum intelligi benignissime Domine Iesu Christe: *Nisi granum frumenti ca-*

Ioan. 12.

dens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Tales enim dicuntur granum frumenti, propter interiorem perfectionem: dicuntur vero mortui, propter interiorem dilectionem, & multum fructum afferre propter vberiorem vitæ suæ spiritualis conditionem, quia carnem suam mortificant & affligunt, prompti & obedientes, deuoti & compatientes, docti & erudientes. Et tamen dulcissime Domine Iesu Christe, tales viri in hoc mundo habentur pro mortuis, & pro vilibus,

D

Sap. 5.

& despectis, & sunt de quibus scribitur: *Visi sunt oculis insipientium mori.* Sed non sic est Domine, sed prout ibi sequitur: *Illi autem sunt in pace.* Ideo tibi Domine Iesu Christe possunt dicere: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* O misericordissime Domine Iesu Christe, dum prædicta lego, & mente reuoluo, non sentio me tali morte mortuum, sed viuo huic misero mundo, & ideo per peccatum tibi mortuus sum. Succurrat igitur mihi bonitas tua, & parce peccatis meis ex tua infinita misericordia, vt

Psalm. 43.

E

tibi in confessione misericordiæ & tanti beneficij tui, viuam in æternum, Amen.

De morte peccatoris. Cap. 18.

Mors peccatorum, pessima est Domine Iesu Christe. Mala siquidem est in amissione mundi, peior in separatione carnis: & pessima, vermis & ignis contritione duplici. Habebit namque peccator horrorem in exitu, dolorem in transitu, pudorem in conspectu suo, & pauorem nimium, cum dimissis omnibus quorum erat illi præsentia iucunda, gratus aspectus, cohabitatio familiaris de nota patria egrediens, ad incognitam penitus veniet regionem, cui etiam occurrent terribiles creaturæ, horribilesque laruæ hostium antiquorum. O benignissime Domine Iesu Christe, quis

Psalm. 33.

iuuabit peccatorem in die tantæ necessitatis? Qui rapietur enim à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? *Opus cuiusque suum quale fuerit, ignis probabit*, ibi enim aurum vertetur in scoriam, & peccatoris impunita reuelabitur, *ibi omnes iustitiæ eius, quasi pannus menstruatæ reputabuntur.* O Domine Iesu Christe, qualis pudor erit, & qualis confusio, post tanta beneficia à te misericorditer peccatori præstita, eundem tam tepidum, tam imperfectum, tamque vacuum apparere ante faciem tuam? nihil enim fere, nisi peccata portabit, vt cum ipsis condemnetur morte æterna,

1. Cor. 3.

Esa. 64.

F

Rom. 6.

quia stipendia peccati, mors: & cum mors sit omnium pœnarum maxima, congrue per mortem illa intelligitur pœna quæ est æterna & summa, in qua peccator luctum habebit inconsolabilem, ignem inextinguibilem, & mortem interminabilem, quia de peccatoribus scribitur: *Veniat mors su-*

Psalm. 54.

per illos, & descendant in infernum viuentes. O pijssime Domine Iesu Christe, *qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*, respice me iniquissimum peccatorem oculo pietatis & clementiæ, & concede mihi gratiam, vt peccata quæ contra te nequiter perpetraui, hic agnoscam, & de ipsis te iuuante ad tuum beneplacitum satisfaciam, libera me misericorditer à morte pessima & æterna, vt cum mors naturalis miserum & fragile corpus meum te ordinante resoluerit, anima mea à morte æterna exclusa, ad te solum qui vita es viuentium, magnificandum & glorificandum, in gloriam tuam perueniat sempiternam, Amen.

Quid faciet in morte corporali benignissime Domine Iesu Christe, miserabilis peccator multis & diuersis peccatorum sordibus inquinatus, qui mundari non curauit (dum viueret) lacrimis contritionis & doloris, iustificationis gratiam impetrando, sed in sordibus iacendo continue amplius sorduit? Veniet pijssime Domine Iesu Christe mors, & non tardabit, inuadetque corpus tam acriter, tantaque angustia & dolore illud afficiet, quod pœnam maiorem non potuit vnquam aliquis in hoc mundo seu in hac vita sentire. Incomparabilis enim erit dolor ille cum separabitur anima à corpore, adeo quod non poterit tunc peccator aliud cogitare, quam quod tunc in corpore sentiet, maximum videlicet & grauissimum dolorem: nullum enim eius membrum quantumcunque modicum, neque vlla particula in toto corpore peccatoris, quæ non illo dolore inexplicabili inuoluatur. Ideo Domine scribitur, quod *non est in*

Item, de morte peccatoris. Cap. 19.

G

Psalm. 6.

morte, qui memor sit tui. Anima etiam ipsius peccatoris, pijssime Domine Iesu Christe, multis doloribus & anxietatibus illo tempore subiacebit, quia cum egredietur, occurrent ei opera quæ fecit, siue bona fuerint, siue mala, & illa velit nolit, aspiciet oculis intentionibus suis, & iudicabit in se mala quæ fecit, & tormenta sibi præparata anxietate nimia cogitabit, quæ sibi videbit è proximo miserabiliter imminere. Videbit insuper tunc misera anima ad augmentum sui doloris, Angelos Tartareos promptos & paratos ad ipsam rapiendam, vt separatam à corpore deducant ad perpetuos cruciatus. O misericordissime Domine Iesu Christe, fac me confugere ante horam illam tam terribilem & horrificam ad tuam immensam clementiam & misericordiam, vt de tantis peccatis meis doleam magna contritione cordis, illa cum magna mentis humilitate confitear, cum firmo proposito non redeundi ad ipsa perpetranda, ac de ipsis satisfaciam secundum pijssimam voluntatem tuam, vt cum à misericordia veniam de ipsis & remissionem obtinuero, inter laudatores tuos adscribi merear in vitam sempiternam; Amen.

H

Mors benignissime Domine Iesu Christe, est sine discre-

tione

A tione, quæ ex præuaricatione emersit: est crudelis, quæ ex antiqui serpentis fallacia prodijt: est etiam fatua, quæ ex mulieris insipientia venit: est iniqua, quam iniquitas peperit: est inconsiderata, quam seductio adduxit. Procedit Domine Iesu Christe, festinanter, frequenter ex flagellis præsentibus, ex doloris vehementia, ex corporis corruptione, & ex pœna peccati. Illam pessime Domine Iesu Christe, de die in diem, imo de momento in momentum expecto, illam me oportet necessario sustinere, non potest eius terribilis aduentus tardari: quia ad ianuam pulsat non possum ei resistere, sed continue magis appropinquat. Idcirco misericordissime Domine Iesu Christe, ad te tanquã ad refugium tutissimum venio, & tuam immensam clementiam supplex oro, vt digneris mihi ante mortis aduentum concedere veram de omnibus peccatis meis pœnitẽtiam, per veram confessionem, & iustum dolorem. Sit illa pœnitentia Domine cum lachrymis, sicut fuit illius mulieris quæ *stans retro secus pedes tuos, lachrymis cœpit rigare ipsos.* Concede mihi dulcissime Domine Iesu Christe, in illa hora præcipue, gratiam remittendi ex corde iniurias & damna mihi illata per alios, sicut tu fecisti tuis crucifixoribus in hora mortis tuæ dum dixisti: *Pater, dimitte illis.* Concede mihi etiam mitissime Domine Iesu Christe, in illa hora deuotam Eucharistiæ perceptionem, vt audire possim cum tuis fidelibus, hanc tuam dulcissimam vocem: *Ecce prandium meum paraui vobis, venite ad nuptias.* Ad nuptias inquam, Ecclesiæ militantis, pro perceptione ipsius prandij, id est, altissimi sacramenti corporis & sanguinis tui, & ad nuptias etiam Ecclesiæ triumphantis, ad quas, *quia grandis restat via,* cibus iste viaticum est potentissimum, in *cuius virtute ambulat* Christianus *vsque ad montem Dei,* id est, vsq; ad cœlum, sicut per figuram huius ambulauit Helias *vsque ad montem Dei Oreb.* Habet enim illud viaticum *omne delectamentum, & omnis* spiritualis *saporis suauitatem.* Cuius quidem perceptione confortetur cor meum Domine Iesu Christe, te id misericorditer donante, vt secure de hoc mundo ad tuum transire valeam regnum, & ad tuum seruitium sempiternum, Amen.

Que debeat homo facere in morte. Cap. 20.
Luc. 7.
B
Luc. 23.
Matth. 22.
3 Reg 19
Sap 16.

C

IDIOTAE VIRI SANCTI, REGVLAE vitam Christianam complectentes.

PRima regula. Si homini videtur dura vita virtutis, quia continue oportet nos pugnare aduersus carnem & Diabolum & mundum: Recordetur quod quamcunque elegerit vitam etiam secundum mundum, multa illi aduersa, tristia, incommoda, laboriosa patienda sunt.

Secunda regula. Recordetur quod in rebus mundi diutius pugnatur, & laboriosius & infructuosius, in quibus labor est finis laboris, & tandem pœna æterna.

Tertia regula. Recordetur stultum esse, credere ad cœlum posse peruenire nisi per huiusmodi pugnam: sicut & caput nostrum Christus non ascendit in cœlum, nisi per crucem, nec debet serui conditio melior esse conditione Domini.

Quarta regula Recordetur non solum esse ægre ferendam hanc pugnam, sed optandam, etiam si nullum inde nobis præmium perueniat, solum vt conformemur Christo Deo & Domino nostro, & quotiens resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis, cogita cuinam parti Crucis Christi conformem te reddaris: vt quando gulæ resistens, gustum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placeet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: Et si resistis superbiæ, recordare illum, qui quum in forma Dei esset, pro te formam serui accepisse, & humiliatum vsque ad mortem crucis: & quum ita tentaris, recordare illum qui Deus erat, & omnium hominum iustissimus, quum se tamen videret quasi latronem & illudi, & conspui, & flagellari, & opprobrijs omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis signum ostendit, sed patientissime, omnia ferens, omnibus mansuetissime respondebat: & sic discurrendo per singula, inuenias nullam esse passionem quæ te Christo aliqua ex parte conformem non efficiat.

D
Matth 27.
Philip. 2.
Luc. 23.

Quinta regula. Quod in illis duodecim armis, nec in quoquam alio humano remedio confidas, sed in sola virtute Iesu Christi, qui dixit: *Confidite, ego vici mundum;* & alibi: *Princeps mundi huius eijcietur foras,* quare & nos sola eius virtute confidamus, & mundum posse vincere, & Diabolum superare. Et ideo debemus semper petere eius auxilium per orationem & intercessionem sanctorum suorum.

Ioan. 16.
Ioan 12.

Sexta regula. Recordare quum vnam vicisti tentationem, semper aliam esse expectandam, quia *Diabolus* semper *circuit quærens quem deuoret:* quare oportet semper seruire in timore, & dicere cum Propheta: *Super custodiam meam stabo.*

1. Pet. 5.

Septima regula. Non solum non vincaris à Diabolo quum te tentat, sed vincas ipsum, & hoc est quando non solum non peccas, sed ex ea re vnde te tentauerat, occasionem sumis alicuius boni: vt si opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriam incidas, tu illud statim non opus tuum, sed vt beneficium Dei cogitans humilias te, & iudicas parum gratum te esse Deo de beneficijs eius.

Isa 21.
F

Octaua regula. Cum pugnas, pugnes quasi vincendo deinde perpetuam pacem habiturus, quia forte hoc tibi dabit Deus ex gratia sua, & Diabolus amplius non redibit, confusus de tua victoria: sed quum vicisti, geras te quasi mox pugnaturus, vt in pugna semper victoriæ, & in victoria semper sis memor pugnæ.

Nona regula. Vt quamuis te sentias vndique bene munitum & paratum, semper tamen fugias occasiones peccandi, quia vt dicit sapiens: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Eccles. 3.

Decima regula. Vt in tentationibus semper in principio occurras, & *allidas paruulos.* Babylonis ad petram. *Petra autem erat Christus:* Quia sero medicina paratur.

Psalm. 136.

Vndecima regula. Recordare quod licet in ipso conflictu tentationis ardua videatur pugna, tamen longe dulcius est vincere tentationem quam ire ad peccatum, ad quod te inclinat. Et in hoc multi decipiuntur, quia non comparant dulcedinem victoriæ dulcedini peccati, sed comparant pugnam voluptati, & tamen homo qui millies expertus est quid sit credere tentationi, deberet semel saltem experiri, quid sit vincere tentationem.

1. Cor. 10.
G

Duodecima regula. Propterea quod tentatis, ne credas te à Deo derelictum, aut Deo parum gratum esse, aut parum iustum & perfectum, memor sis, quod postquam Paulus vidit Diuinam essentiam, patiebatur tentationem carnis qua permittebat Deus eum tentari ne de superbia tentaretur, in quo etiam homo debet aduertere, quod Paulus qui erat vas electionis, *& raptus vsque ad tertium cælum,* tamen erat in periculo, ne de suis virtutibus superbiret, sicut ipse dicit de se, *ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus est mihi stimulus carnis meæ qui me colaphizet.* Quare super omnes tentationes homo debet maxime se munire contra tentationem superbiæ, *quia radix omnium malorum superbia est,* contra quod vnicum remedium est, cogitare semper, quod Deus *se humiliauit pro nobis vsque ad crucem,* & mors nos vel inuitos eo vsque humiliabit, vt simus esca vermium.

1 Cor 12.
Ibidem.
Phil. 2.

H

IDIOTAE VIRI SANCTI ANNOTATIONES in Psalmum decimum quintum.

Conserua me Domine.

SI quis perfectius vult recognoscere statum suum, vnum habet periculum, ne de sua virtute superbiat. Ideo Dauid loquens in persona iusti, de statu, incipit ab hoc verbo: *Conserua me.* Quod recte consideratum, omnem amouet occasionem superbiæ: nam qui potest aliquid ex se acquirere potest illud ex se sibi conseruare. Qui ergo petit à Deo conseruari in statu virtutis, significat per hoc quod nec à principio ipsam virtutem ex se acquisiuit: qui autem recordatur virtutem se consecutum non virtute

A propria, sed virtute Dei, non potest de ea superbire, sed magis humiliari coram Deo, iuxta illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Duo sunt ergo verba quæ semper habere debemus in ore, alterum scilicet *Miserere mei Deus*, quum scilicet recordamur peccatorum. Alterum est: *Conserua me Deus*, scilicet quum recordamur virtutum.

1. Cor. 4.

Quoniam speraui in te.

Hæc vna res est quæ facit nos à Deo impetrare quod petimus, quum scilicet nos impetraturos speramus. Etsi duas has conditiones obseruabimus, vt nunquam petamus à Deo nisi ea quæ nobis sunt salutaria, & vt id quod petimus, ardenter petamus cum firma spe quod Deus nos exaudiat, nunquam erunt irritæ orationes nostræ. Quum igitur non impetramus, est, aut quod illud nobis est noxium: nescimus enim quid petamus, vt inquit Christus, & Iesus dixit: *Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis*. hoc enim nomen Iesus, saluatorem significat, & ideo nihil petitur in nomine Iesu, nisi quod est ad salutem ipsi petenti. Aut non exaudit, quia si bona petimus, non bene petimus, hoc est cum parua spe: qui autem timide sperat, frigide petit, ideo dicebat Iacobus: *Postulet autem, in fide nihil hæsitans.*

Marc. 18. Matth. 18.

B

Iacob. 1.

Dixi Domino: Deus meus es tu.

Postquam muniuit se contra superbiam, incipit describere statum suum. Totus autem status iusti consistit in hoc verbo: *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Quod verbum licet videatur fere omnibus commune: pauci tamen sunt qui illud possint vere dicere: Illud enim quis habet pro Deo, quod habet pro summo bono: & illud habemus pro summo bono, quo solo habito, si cætera desint, putamus nos esse fœlices: & quod vnum si desit, etiam si habemus omnia alia bona, putamus nos esse miseros: dicit igitur auarus pecuniæ, *Deus meus es tu*, quia etiam si ei desint honor & sanitas, & virtus, & amici, modo pecuniam habeat, contentus est. Et si habeat omnia illa bona quæ diximus, & pecunia desit, putat se esse infœlicem. Gulosus item, crapulæ: & incontinens, libidini: & ambitiosus, imperio siue gloriæ dicit: *Deus meus es tu.* Vide igitur quam pauci possint dicere: *Dixi Domino: Deus meus es tu*: quia illi solis Deus sufficit; ita vt si ei proponantur omnia regna mundi, & vniuersa omnia, & terrena bona, non tamen vt illa consequeretur, vel Deum offenderet. In hoc igitur dicto consistit totus status hominis iusti.

C

Quoniam bonorum meorum non eges.

Reddit rationem propositi sui, quare scilicet soli Domino dicat: *Deus meus es tu.* Ratio autem est, quoniam solus Deus bonis nostris non eget: nulla enim creatura est quæ non indigeat aliis creaturis, quantumuis imperfectioribus, vt probant Philosophi & Theologi, quia si illæ non essent, ista non essent, quia destructa vna parte vniuersi, destruitur totum vniuersum: Destructo autem toto, destruuntur omnes partes: omnes autem creaturæ sunt partes vnius vniuersi, cuius vniuersi ipse Deus non pars est, sed principium nihil ab eo dependens: nihil enim acquisiuit Deus ex hoc quod creauit mundum; & nihil perderet, si totus mundus annihilaretur: Solus ergo Deus bonorum nostrorum non eget. Debemus enim erubescere, illum habere pro Deo, qui bonis indiget nostris, qualis est omnis creatura. Præterea non debemus habere pro Deo, hoc est pro summo bono, nisi illud in quo est summum bonum: in nulla autem creatura est omne bonum: soli igitur Domino debemus dicere: *Deus meus es tu.*

D

Sanctis qui sunt in terra.

Post Deum maxime debemus amare illos qui sunt Deo maxime coniuncti, quales sunt Angeli & beati in patria: ideo postquam dixit Domino: *Deus meus es tu*: subdit, quod Deus.

E

Mirificauit voluntates suas.

Hoc est, mirabiles fecit amores eius, & desideria eius, ergo sanctos *qui sunt in terra eius*: hoc est, in cœlesti patria, quæ dicitur terra Dei & terra viuentium: & verum, si consideremus quanta sit illius patriæ felicitas, quantaque huius mundi miseria, quanta ciuium illorum bonitas & claritas, desiderabimus semper hinc discedere, vt illic habitemus. Hæc autem & similia quum meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuosæ sint meditationes nostræ. Sed ex qualibet meditatione aliquam semper acquirere virtutem debemus: vt ex hoc videlicet: de bonitate illius patriæ superioris debemus acquirere virtutem hanc, vt mortem non solum fortiter feramus & patienter quum venerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit; sed vltro etiam appetamus, cupientes scilicet ex hac valle miseriarum discedere, vt in illa felici patria cum Deo & sanctis eius regnemus. Quum ergo iustus descripsit statum suum, qui totus est in affectu erga DEVM & diuina, despiciensque ex alto statum hominum malorum, dicit:

F

Status impiorum.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.

Per infirmitates autem intelligit idola, & ita habet textus Hebræus: sicut enim bonus vnum habet Deum quem colit, ita mali multos habent Deos & idola, quia multas scilicet voluptates, multa desideria vana, passiones diuersas quibus seruiunt. Ideo autem multas quærunt voluptates, quia nullam inueniunt quæ eos quietet, & ideo *in circuitu ambulant*. & subdit postea: *acclamauerunt*, quia scilicet post sua desideria præcipites ruunt & inconsiderate: vnde edocemur, vt non minus ipsi celeriter curramus ad virtutes quam ipsi currant ad vitium, nec Domino nostro minus diligentes seruiamus, quam ipsi seruiant Domino suo Diabolo. Iustus autem considerans statum malorum, proponit firmiter, sicut & nos semper debemus facere, nullo modo velle eos sequi, & dicit:

G

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. nec memor ero nominum.

Dicit autem *de sanguinibus*, tum quia idololatræ solebant collecto sanguine victimarum circa eum suas agere ceremonias, tum quia tota vita malorum relicta ratione sensualitatem sequitur, quæ in sanguine sita est. Dixit autem quod non solum non vult sacrificare idolis, sed nec nominare ea, quod tantum dici & fieri potest, ostendens per hoc, quod non solum homo perfectus debet abstinere ab illicitis voluptatibus, sed etiam à licitis, vt magis totus feratur in cœlum, & contemplationi diuinorum purius vacet: & quia aliquis posset credere quod esset stultitia, priuare sese omni voluptate, subdit:

Dominus pars hæreditatis meæ.

H

Quasi dicat, non mireris si omnia alia relinquo vt Deum possideam, in quo etiam alia denique bona possidentur. Debet hæc esse vox cuiuslibet boni Christiani: *Dominus pars hæreditatis meæ*, quia nos Christiani, quibus Deus ipse pro hæreditate promittitur, debemus erubescere aliquid præter ipsum desiderare, & quia posset videri alicui præsumptio, audere hæc sibi promittere, idem subdit.

Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Quasi dicat, Domine Deus meus, bene scio quod quum nihil sim respectu tui, viribus meis non possum ascendere ad te possidendum, sed tu es qui trahes me ad te per gratiam tuam, & tu es qui te ipsum dabis mihi possidendum.

Vtrum-

A Vt consideret deinde iustus quanta sit hæc felicitas, vt ei Deus pro hæreditate contigerit, subdit;

Funes ceciderunt mihi in præclaris.

Pars enim & sortes antiquitus per funes diuidebantur: & quoniam multi sunt qui licet ad hanc felicitatem sint vocati, sicut sunt omnes Christiani, ipsam tamen nihili faciunt, vtpote quam pro leui sæpe voluptate commutant, ideo subdit.

Hæreditas mea præclara est mihi.

Quasi dicat, sicut ipsa est præclara, ita ego eam præclaram reputo, & omnia alia respectu eius, vt dicebat Paulus, *sicut stercora reputo*, quoniam autem habere hoc lumen intellectus, vt homo cognoscat felicitatem sibi à Deo datam, donum Dei est, ideo subdit:

Benedicam Dominum qui tribuit intellectum.

B Quoniam autem sæpe homo iudicat secundum rationem seruire Deo, sensualitas autem & caro repugnant: tunc autem homo perfectus est, cum non solum anima eius, sed & caro in Deum feruntur, iuxta illud: *Cor meum & caro mea exaltauerunt in Deum viuum*, ideo subdit:

Et vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Id est renes ipsi in quibus maxima solet esse inclinatio ad concupiscentiam, non solum inclinant me ad malum, sed potius increpant, hoc est retrahunt etiam vsque ad noctem, id est continue, vt etiam ipsi vltro proprium corpus affligant. Afflictio enim sæpe per noctem solet designari, ostendit deinde quæ sit radix tantæ priuationis, & dicit:

Prouidebam Deum semper in conspectu meo.

C Nam si quis Deum semper haberet ante oculos pro regula omnium operationum suarum: & in omnibus operationibus suis, nec propriam vtilitatem, nec gloriam, nec voluptatem quæreret, sed solum vt Deo placeret, breui perfectus euaderet: & quia qui ita agit, semper in omnibus prosperatur, ideo dicit:

Ipse à dextris est mihi ne commouear.

Ostendit deinde quanta sit fœlicitas iusti viri, quia scilicet erit in æternum fœlix, & in anima & in corpore, ideo subdit:

Propter hoc lætatum est cor meum.

Id est, anima mea læta est, sciens post mortem sibi cœlum esse paratum.

Et caro mea requiescet in spe.

Id est, quamuis ipsa non lætetur, quasi receptura statim post mortem statum suum, requiescit tamen in sepultura,
D cum hac spe quod resurget in die iudicij cum anima sua immortali & splendidissima, & hoc totum declarat in sequenti versiculo: nam quia dixerat quod anima lætabatur, subdit rationem:

Quia non derelinques animam meam in inferno.

Et quia dixerat, quod caro requiescebat in spe, subdit rationem dicens:

Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Quia quod fuit *corruptibile, resurget incorruptibile*, & quia Christus fuit primus qui intrauit Paradisum, & nobis viam aperuit, & fuit primus qui resurrexit, & resurrectio eius est causa nostræ resurrectionis, ideo ista quæ diximus E
de Resurrectione, principaliter de Christo intelliguntur, sicut declarauit Petrus Apostolus, & secundario intelligi possunt de nobis, in quantum sumus membra Christi, qui solus non vidit corruptionem, quia corpus eius in sepulchro putrefactum non fuit. Quoniam igitur via bene viuendi ducit nos ad perpetuam vitam animæ & corporis, ideo subdit:

Notas mihi fecisti vias vitæ.

Et quia tota fœlicitas huius vitæ consistit in aperta visione & fruitione Dei, ideo subdit:

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

Et quia fœlicitas in æternum durabit, ideo subdit

Delectationes in dextera tua vsque in finem.

Dicit autem in dextera tua, quia fœlicitas nostra cōpletur in visione & fruitione humanitatis Christi, qui sedet in dextera maiestatis in excelsis, iuxta illud Ioann. F
Hæc est tota merces, Vt videamus Deum, & quem misisti, Iesum Christum.

IDIOTÆ, VIRI SANCTI, DE VIRGINE MARIA, CONTEMPLATIO.

PROLOGVS

O Homo quicunque es, probationem vitæ ingressus, misericordia Domini nostri Iesu Christi indiges, sine qua saluari non potes. Accede igitur per deuotam mentis contemplationem, ad gloriosissimam virginem Mariam G
matrē eius: quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus & habiturus est omne bonum, scilicet superbenedictum Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est omne & summe bonum, & sine quo nihil est bonum, cum solus bonus sit. Inuenta itaque virgine Maria, inuenitur omne bonum: ipsa nanque diligit diligentes se, immo sibi seruientibus seruit. Ipsa super benedicto Filio suo irato potentissime reconciliat seruos & amatores suos: Tāta quoque est eius benignitas, quod nulli formidandum est ad eam accedere; tantaque misericordia, quod ab ea nemo repellitur. Imo donis & charismatibus adificat seruos suos, vt superbenedicti Filij sui, & Spiritus sancti digna fiant habitatio. Ipsa, preces & sacrificia seruorum suorum, & maxime quæ sibi exhibentur, repræsentat in conspectu diuinæ maiestatis, quia est aduocata nostra apud Filium, sicut Filius apud Patrem: imo apud Patrem & H
Filium procurat negotia & petitiones nostras: & sæpe, quos iustitia Filij potest damnare, matris misericordia liberat, quia thesaurus Domini est & thesauraria gratiarum ipsius. Donis spiritualibus ditat copiosissime seruientes sibi; & potentissime protegit eos à triplici aduersario, Mundo, Carne, & Diabolo: quia salus nostra, in manu illius est. Post filium suum, Dominica est vniuersa creatura, & in futuro sæculo glorificabit seruientes sibi si eam honorificauerint in præsenti. Et ideo iuxta consilium cuiusdam deuoti serui eius; Mariam semper cogita, Mariam semper inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Cæteri enim Sancti, iure quodam patrocinij, pro sibi speciali-

A *ter commissis plus possunt prodesse in curia Altissimi quam pro alienis. Beatissima vero virgo Maria, sicut est omnium regina, sic & omnium patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus. Longe enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem deuotionem consolationis suauitate; præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ. Et sic non est qui se abscondat à calore eius; id est, à charitate & dilectione ipsius. Vt autem à tua memoria non recedat, sequuntur aliquot Contemplationes quas deuote legas, prout deuotio tibi à Domino suggeretur.*

Quomodo Virgo Maria nos attrahat.

Cap. I.

Trahe me post te, ô benedicta virgo Maria; benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum, ante sæculum, in sæculo, & post sæculum. *Trahe me post te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Trahe me post te*, quia retinet me peccatorum ponderositas. *Trahe me post te*: quia me colligat carnalis concupiscentiæ voluptas. *Trahe me post te*, quia decipit me hostium peruersorum maligna calliditas. *Trahe me post te*, vt perueniendi ad te augeatur mihi celeritas. Sicut enim *nemo venit ad tuum Filium* superbenedictum, *nisi Pater traxerit eum*: sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidiis traxeris eum. Trahe igitur me torpentem, vt me reddas currentem. Trahe me peccantem, vt me reddas pœnitentem. Trahe me ignorantem, vt me reddas scientem, vt curram in odorem vnguentorum tuorum; id est in fragrantium sanctarum virtutum tuarum, quæ velut vnguenta redolent & fragrant, dolores mitigant & vulnera sanant. Tua vnguenta fragrantissima sunt: scilicet cœlestis sapientia, spiritualis gratia, & immarcessibilis gloria. Verbis enim tuis & exemplis doces veram sapientiam; quia doctrix es sapientiæ Dei: peccatoribus impetras gratiam, quia aduocata es miserorum; & honorantibus te promittis gloriam, quia thesauraria gratiarum existis. Impetra tuis assiduis postulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nunciem, tuam exemplarem & deificam vitam prædicem; scripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam; imo, in via æterna laudes tuas & super benedicti Filij tui concinam, quia scriptum est; *qui elucidant me vitam æternam habebunt*: quod si de tuo Filio, qui est Dei sapientia, id dictum est: de te etiam quæ es eius super exaltata & super benedicta mater, id negandum non est.

De pulchritudine virginis Mariæ.

Cap. II.

S. Virgo Deipara tota pulchra, in Conceptione.

Tota pulchra es, ô plusquam gloriosa Virgo Maria! *tota pulchra es, & macula non est in te: tota pulchra es* in anima, per virtutum & charismatum omnium perfectam pulchritudinem: *tota pulchra es* in tua Conceptione, ad hoc solum effecta vt templum esses Dei altissimi: *tota pulchra es* ex generatione Verbi diuini; qui est splendor paternæ gloriæ, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Tuæ gloriosæ animæ nihil vnquam affuit turpitudinis, vitij aut peccati: & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ & virtutis: Tot enim habuisti pulchritudines, quot virtutes: & singulas in altiori gradu quam concessum fuerit post filium tuum superbenedictum, puræ creaturæ: in his nanque similem non habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes virtutes tam actiuæ quam contemplatiuæ conuenerunt, & præ cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt. Per virtutes actiuas, habuisti voluntatem mundissimam: per contemplatiuas, mentem purgatissimam. Nō defuit tibi puritas Angelorum non fides Patriarcharum, nō scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, nō patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocētia aut humilitas Virginum: In summa nullo genere vacasti virtutum, ô virgo plusquam beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum: sed omnium Sanctorum priuilegia omnia habes in te cōgesta. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus, quia *Spiritus sanctus superueniens in te, & virtus altissimi obumbrans tibi*, quæ eras omni virtutum ornamento prædecorata, pulchritudinem, puritatem, sapientiam & omnium virtutum gratiam adauxit & splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus sancti quæ te vno momento templum Dei irradiauit, & decorem tuum manifestauit & auxit: sicut Sol in semper ornatum thalamum incidens, gloriam eius occultatam repente nobis ostendit & illustriorem fecit. *Tota igitur pulchra es* Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto: & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum. Quantum enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei, tanta est inter contemplationem tuam & aliorum Sanctorum distantia. Sicut enim singularem actiuam à Christi cœpisti vitam: videlicet eius humanam & diuinissimam naturam portare, lactare, lauare, pannis inuoluere, fouere, nutrire, lenire, amplecti, osculari, cęteraque eidem humanitatis officia exhibere: sic & dulcedinem suę diuinitatis tibi singulariter degustandam indulsit, quia tota pulchra eras & macula non erat in te. Sed ô pulcherrima mulierū, qua temeritate audeo venire ad te. Ego turpis cogitatione & opere, ad te mundam, ego immundus: ad te immaculatā, ego immaculatus: & non solum maculatus, sed & vulneratus; imo non solum vulneratus, sed etiā in conspectu tuo & benedicti filij tui mortuus propter innumerabilia peccata quæ cogitatione, consensu & opere longis temporum spatiis contraxi: & ita animam meam per susceptionem sacri lauacri purificatam multipliciter fœdaui, & sordibus vitiorum inquinaui, adeo vt abominabilis facta sit & tibi & filio tuo superbenedicto. In tua autem pietate confidens: ô præbenedicta, cumbenedicta, & postbenedicta virgo Maria, te supplici corde precor, vt animæ meę pio compatiendo affectu, apud misericordissimū filiū tuum intercedere digneris, quo eam immundam mundet: sicut ipsam puram fecit per baptismum, ita rursum hoc tēpore puram reddat per pœnitentiæ & reconciliationis gratiam, vt tandem cum electis tuis vitam, ad te & superbenedictum filium tuum laudandum, obtineam sempiternam. Amen.

Luc. 1.

Macula peccati originalis nunquam fuit in virgine Maria.

Per quæ designatur speciositas Mariæ.

Cap. III.

Speciositas tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septuplicem speciem quæ in sacra scriptura inuenitur. Est namque species oliuæ, de qua scribitur: *Quasi oliua speciosa in campis*. Est species columbæ de qua canitur: *Vidi speciosam sicut columbam*. Est species Libani, de qua dicitur: *Species eius vt Libani*. Est species cœli, de qua legitur: *Species cœli rum visione gloriæ*. Est species ignis in nocte de qua scribitur: *Operiebat tabernaculum quasi species ignis*. Est species arcus, de qua scribitur. *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum, valde enim speciosus est*. Est etiam species Solis, de qua scribitur: *Est enim speciosior Sole*. Species oliuæ consistit, inter cętera in viroris amœnitate. Sic tua species, ô beatissima virgo Maria, consistit inter alia in fidei sinceritate. Et sicut viror paciferæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua quæ pacem inter Deum & hominem reperit, delectat oculum mentis. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione & varietate circa collum: Sic ô beatissima virgo Maria, species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatuum, & doctrinę veritate, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, & magistra Apostolorum. Vnde & beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas descriptio Dominicæ incarnationis

Eccles. 24.

Cant. 5.

Num. 9.

Eccles. 43.

arcu

A attribuitur; Euangelij seriem ø te virgine Maria, didicisse traditur. Species Libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore: & significat, ô gloriosissima virgo Maria, candorem tuæ fœcundæ virginitatis, quia tu es de qua dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eũ spiritus Domini.* De tua autem supereminenti virginitate iuste dici potest, quod scribitur: *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus,* species cœli, est in visione gloriæ: & significat in te sanctissima virgine Maria, contemplationis sublimitatem, de qua scribitur: *Species mulieris exhilarat faciem viri,* per quod intelligere quis possit, altitudinem contemplationis acceptam esse & placẽtem in conspectu diuinæ pulchritudinis. Species ignis consistit in ardore & splendore: in te autem ô beatissima virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens. Et sicut tu regina virginum nominaris, sic charitas illa tua, regina virtutum appellatur, quia virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur. Arcus cœlestis non fit ex radijs Solis in humida nube & significat incarnationem Filij tui superbenedicti in te: nunc enim Sol iustitiæ qui est splendor patris ingressurus in mundum ascendit super nubẽ leuem, id est, sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati: quod factum est de tua carne in tuo virginali vtero, & sic facta est visibilis imago Solis iustitiæ cum profusionis gratiarum plenitudine: vt sit visibilis imago Solis cum fit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ. Species Solis consistit in splendentium radiorum emissione, & significat in te aduocata nostra Virgine Maria largam gratiarum effusionem in omnes qui se conuertunt ad te, quæ es Sole speciosior, & emissione gratiarum fœcundior. Tua ergo species, Virgo Maria, fuit in corporis castitate, in conscientiæ puritate, in exteriori conuersatione, & in diuinorum contemplatione. Munda igitur cor meum immundum & inquinatum, ô pijssima Virgo Maria: & tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in seruitio tuo & superbenedicti filij tui placeam tibi in vitam sempiternam, Amen.

Virgo Maria doctrix & Magistra Apostolorum. D. Lucæ. Didicit Euangelium a Virgine Maria.

Eccl. 36.

Isa. 11.

B

C

Quod Maria sit templum Dei absolutissimum.

C A P. IV.

INter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam qua naturæ nostræ vnitus est filius tuus: speciale opus fuisti, ô beatissima virgo Maria! qui, ad hoc, te fecit; vt, quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus Opifex, primo considerat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat; & humanam quæ corrupta erat; & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed ad hæc omnia fecit te Deus, virgo Maria, sanctissimam; vt ea tuo superbenedicto fructu, Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur. Ædificauit ergo Angelis, te reginam, hominibus, medicinam; Creaturæ inferiori, libertatem. Sed prius ædificauit Angelis cœlum; & hæc est domus gloriæ: dæmonibus & damnatis hominibus Infernum, & hæc est domus iustitiæ: hominibus lapsis Mundum, & hic est carcer miseriæ, quia emisit Dominus Adam de Paradiso voluptatis vt operaretur terram de qua sumptus est. Idem autem carcer, patria fuit bestiarum. Pisces posuit in aquis, aues in aëre, & stellas in firmamento. Et quia prius cæterorum hospitijs intenderat, nunc suo proprio intendit hospitio. Ideo dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum*; id est, te virginem Mariam; vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem. Et non solum sibijpsi soli te fecit; sed te Angelis dedit instaurationem, hominibus & nostræ naturæ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in matrem, dæmonibus in hostem; detentis in limbo in ereptionem. Nam in principio cum ceciderant Angeli; natura erat corrupta, Deus offensus, & diabolus victor. Sed per te, ô superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur & vnitur, diabolus vincitur & conteritur, quia de te scilicet [illegible] *ipsa conteret caput eius*. Sapientia igitur te [illegible] in domum; siquidem amissæ erant animæ quæ nihil aliud factæ erant, nisi vt esset in eis habitatio sapientiæ, & hoc si permansissent, sanctæ. Sed quia corruptæ erant omnes & peccato vacillauerant, idcirco gloriosissimam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam & fortem quæ nullo modo vacillare posset; ideo *excidit columnas septem* ad te fortiter & sublimiter sustentandam. Septem columnæ quibus firma semper stetisti; sunt septem dona Spiritus sancti, quæ te inuenerunt in te, & nunquam te deseruerunt: per quæ stetisti firmiter & perseueranter in omni gratia & virtute. Sed, benignissima virgo Maria, licet superbenedictus filius tuus animam meam in domum elegisset ad habitandum in ea per gratiam; tamen ergo proditor & falsus hospes, ipsum ignominiose eieci per peccatum. Adiuua me ergo, pijssima Virgo Maria, vt tuis precibus mundetur hæc misera domus ab omni peccato; & ora illum vt in ea habitet hic per gratiam, & in futuro sæculo per suam præsentiam ad gloriam suam sempiternam. Amen.

D

Gen. 3.

Cant. 3.

Limbus.

E

Gen. 3.

Cant. 3.

F

De nomine Virginis Mariæ.

C A P. V.

VOcabitur tibi nomen nouum, ô beatissima Virgo Maria, quod os Domini (scilicet filius Dei qui est os Patris) per Angelum nominauit, videlicet, *gratia plena.* Postea vero nomen Mariæ expressit, dicens; *ne timeas Maria:* dedit enim tibi Virgini Mariæ, tota superssancta Trinitas, nomen quod post nomen superbenedicti Filij tui, est super omne nomẽ; vt in nomine tuo omne genu flectatur, vti manifeste patet, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam & virtutem. Non enim est in vllo alio nomine post nomẽ superbenedicti Filij tui, tam potens adiutorium; nec est vllum aliud nomen datum sub cœlo hominibus, post dulce nomen Iesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur; quia super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos; vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit. Fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria; prius clara fuit quandiu in mundo morata fuisti: sed post Assumptionem tuam in cœlum, diuulgata fuit per omnia mundi climata nam in prædicatione Apostolorum, *in omnem terram exiuit sonus*, tui sanctissimi nominis, & manifestum toti mundo factum est. Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo! quod ad inuocationem ipsius, cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & infernus conturbatur. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit & penetrat duritiam cordis humani. Ideo scribitur; *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta mentis.* Sic etiam dicere tibi possumus: Lucerna Dominæ, id est Mariæ, quæ doctrix & magistra maris interpretaris: spiraculum hominis; quia peccator per te respirat in spe veniæ & gratiæ: quæ inuestigat; id est, inuestigare facit, omnia secreta mentis, id est, abscondita cordis. O misericordissima Virgo Maria; ego sceleratissimus peccator talis sum & talem me feci, quod nomen meum præ confusione non ausim nominare, quia nomen Christiani habebam, sed nunc peccatoris. Idcirco adiuuare me digneris pijssima Virgo Maria; vt Christianus re & nomine euadam: & sic perseuerando, gratiam, te & tuum filium regem æternum laudandi, obtineam in vitam æternam. Amen.

Luc. 1.

G

Psalm. 18.

Prou. 20.

H

Quod Maria sit apud Deum, gratiarum inuentrix.

C A P. VI.

INuenisti gratiam apud Deum, ô dulcissima Virgo Maria, gratiam (inquam) corporalem, quia fuisti vas innocentiæ purissimæ sine macula & labe, & virginitatis primipila, sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida; & sine dolore puerpera. Inuenisti Virgo Maria, gratiam spiritua-

A lem; quia fuerunt in tua mente, deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & Martyrium cordis. Inuenisti virgo Maria, gratiam cœlestem; quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei Conceptio. Sed qualiter, ô felicissima Virgo Maria, istas gratias inuenisti? Certe (ô superbenedicta Virgo Maria) sicut Eua gratiam amisit per superbiam, inobedientiam, & curiositatem vanam; sic tu, è diuerso, gratiam inuenisti quam nunquam amisisti, quæ futura eras omnium humillima, obedientissima, & in Dei scientia solidissima. De tua humilitate scribitur: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* De tua obedientia: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Etiam solidæ eras sapientiæ, vt Deum solum magnificares, & in eo solo exultares, sicut de te in tuo Cantico scriptum est; *Magnificat anima mea Dominum; & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Has autem gratias, humillima Virgo Maria, non tantum propter te habuisti, sed etiam propter nos, vt multipliciter nos adiuuares: & ideo adiuuas in vita præsenti tam bonos quam malos. Bonos; eos in gratia conseruando: vnde de te canimus, *Maria mater gratiæ.* Malos, eos ad misericordiam reducendo: ideo dicitur, *Mater misericordiæ.* Adiuuas etiam in morte, ab insidijs Diaboli protegendo: ideo subditur; *tu nos ab hoste protege.* Adiuuas quoque post mortem animas suscipiendo, & eas in cœlum deducendo: & ideo subinfertur; *& hora mortis suscipe.* Adiuuas tribulatos, dando eis patientiam: tentatos, dando eis victoriam: & in Dei amore famelicos, dando eis refectionem internam. O benignissima virgo Maria, ego peruersus & iniquus peccator, me tentatum sentio & prostratum ab inimicis quibus in multis peccatis consensum præbui, & eundem opere compleui. Adiuua ergo me, clementissima virgo Maria, perditæ gratiæ reparatrix, & da mihi patientiam in tribulationibus, victoriam in tentationibus, & pœnitentiam de commissis: Impetra veniam de præteritis, tribue in præsentibus cautionem, præsta in futuris aduersus omne malum fortissimam resistentiam; vt sic reliquum vitæ meæ in præsenti sæculo transigam, quo tandem adipiscar tuas & superlaudabilis Filij tui perpetuas laudes in vitam æternam: cui, cum Patre & Spiritu sancto, æqualis honor, immensa potestas, & interminata gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Præseruatio a labe Originis, in virgine Maria.

Luc. 1.

Ibidem.

B

Maria, mater gratiæ.

C

RADVLPHI FLAVIACENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI, COMmentariorum in Leuiticum libri XX.

Ex Trithemio de Scriptor. Ecclesiast.

D RAdulphus Flauiacensis, monachus ordinis sancti Benedicti, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in omnibus litteris humanitatis suo tempore doctissimus, ingenio subtilis, sensu profundus, eloquio dulcis, ornatus & disertus, in exponendis voluminibus sacris acutus, & multum egregius. Scripsit duo magna & præclara volumina.

In Leuiticum Libr. viginti. Cum aliquando sermo de Iuda.
In epistolas Pauli Libr. quatuordecim.
Historiam Francorum Libr 1.
Chronicam quoque breuem Lib. 1.

Alia insuper multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Sunt qui dubitant, eum monachum fuisse Fuldensis cœnobij in Germania.

E

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LIBROS VIGINTI SVPER LEVITICVM Moysi,

PRAEFATIO.

*CVm inter socios aliquando sermo de Iudæorum contentionibus haberetur, quibus veritatem obruere, & suam nobis conantur inducere cæcitatem: dum nunc pro nobis, nunc pro illis ratio redderetur, visum est nobis, inter verba quorundam auditorum animos fluctuare: & sicut minus eruditorum festatus habet, tanquam flatibus contrarijs, sic diuersis persecutionibus actos, nunc huc, nunc illuc assensum suum in partes alterutras declinare. Licet igitur hoc aperte * pronunciare confunderentur, vultu tamen ipso videbantur protestari, se quid magis sequendum esset, penitus ignorare: nisi quod ecclesiastica doctrina, quam cum lacte matris biberant, quasi quoddam præiudicium sustinebant. Ingemuimus revera, & cum dolore cœpimus retractare, quod licet multis communis sit veritas nostræ professionis, paucis tamen est concessa ipsius intelligentia veritatis. Difficile est autem vt immobilem fidei suæ constantiam seruet, & non vacillet aliquantulum, cum cœperit contrarijs obiectionibus inquietari: quisquis ideo tantum credit, quod alios credidisse cognoscit, sola scilicet multitudinis autoritate confisus: minus tamen scripturis imbutus, nondum intelligit quod credit. Quamuis enim non parum ad credendum nos mouere debeat, quod fides primo contrarium, nunc fides subditur mundus: quod fides ipsa tot miraculis declarata, tot martyrum cruore testificata est: singulare tamen fidei firmamentum in scripturis habetur, dum hoc luce perspicua nostris temporibus videtur expletum, quod ante multa annorum præsignatum & prænunciatum intelligimus, tum patrum sacramentis, tum oraculis prophetarum. Vnde Beatus Petrus cum ad insinuandum Domini IESV diuinitatem vocis paternæ mentionem fecisset, quam ipse audierat de cœlo allatam cum esset cum eo in monte sancto: quia tamen etiam per malignos spiritus similia fieri possunt ad hominum deceptionem, ad scripturas continuo nos reuocauit, dicens:* Sed habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. *In tabernaculo quoque testimonij post operimentum tolicenum, factum est aliud operimentum de pellibus arietum rubricatis. & super hoc duo tertium de pellibus hyacinthinis. Primum namque ab ira diuina protegit impœnitentia, fides vero nostra munimentum est in autoritate sanctorum martyrum, qui Christianæ fidei testes & fidelium duces, pro eiusdem fidei defensione vsque ad effusionem sui sanguinis certauerunt. Sed quia etiam in hæresibus martyres inuenti sunt, qui obstinatione diabolica, nec timore mortis veternosam sui erroris impietatem abijcere voluerunt: inter ipsos quoque martyres scriptura diiudicat, & sanctorum ab iniquis causam discernens, eorum qui pro vera fide passi sunt, potentius commendat. Habet itaque fides catholica contra calumnias persecutorum, velut contra imbrium vim, in pellibus arietum rubricatis, in morte scilicet martyrum pretiosa, operimentum suum: sub isto tamen secura non erit omnino, nisi pelles hyacinthinæ superextendantur. Hyacinthus siquidem sereni aeris speciem habet: & eorum scriptis qui cœlestia sapuerunt, pietas martyrum comprobatur. Hoc igitur perpendentes, cum aduersus Iudæorum subsannationes armari vellemus, ad sacra legis considerationem apposuimus animum: cuius subditi ipsi videri volunt, sed eius intentionem nequaquam intelligunt. Non enim intuentur claritatem vultus Moysi. Quod ex eorum libris facile probari potest. Nam cum per prophetam testetur ipse legislator, quod dederit eis præcepta non bona: quis non videat quod in præceptis illis non ipsam iustitiæ bonitatem, sed iustitiæ solam dicat esse imaginem? Quod enim maxime nunc verbis agitur, hoc in illo populo prophetico, etiam visibilibus signis tunc exhibebatur: vt non sola pronuntiatione vocis, sed etiam*

F

* insinuare.

Scripturarum meditatio necessaria.

G

2. Pet. 1.

H

Ezech. 20.

rerum

A rerum sacramentis fieret significatio veritatis. Hoc in multis eorum operibus tam manifeste apparet, vt contradictionis nullus locus sit. Iezechiel Propheta perfodit sibi parietem, in caligine efferitur, in humeris portatur in conspectu eorum: & qua
Iezec. 12. intentione ista egerit, docet dicens: Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet eis. Item præcipiente Domino, gladio acuto radit pilos, ducens eum per caput suum & barbam: & tertiam partem eorum igne comburit in medio ciuitatis, & tertiam concidit gladio in circuitu eius, tertiam vero dispergit in ventum. & quod figuraliter ista faciat, mox osten-
Iezec. 5. dit, ex persona Domini dicens: Pro eo quod sanctum meum violastis in omnibus offensionibus vestris, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus: tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo. Tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam: & gladium meum euaginabo post eos. Multa similia in hoc pro-
Isa. 20. pheta reperies. Isaias autem ad imperium Domini soluit saccum de lumbis suis, & calceamenta soluit de pedibus suis. & quid hac nuditas illius portenderet, Dominus ipse docet, dicens: Sic-
B ut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus, sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Ægypti nudam & discalceatam. Non ergo satis erat si hoc verbis prænuntiaretur, nisi etiam imagine quadam visibili, in propheta habitu captiuitas ista præfiguraretur.

Ierem. 13. Recole Ieremiam: possidet lumbare iuxta præceptum Domini, ponens illud super lumbos suos: & postea tollit ipsum, & abscondit in flumine Euphrate: quod absconditum computrescit, ita vt nulli vsui aptum esse possit. Item accipit laguncu- lam testeam a senioribus populi & egrediens ad vallem filij Ennon, conterit illam in oculis eorum. Facit sibi vincula & catenas, & mittit ad reges gentium vicinarum: & in omnibus his quid significare velit, suis verbis exponit. Rex Dauid cum filio suo Salomoni tradit expensas templi, & quid agen-
1. Par. 28. dum sit instituit eum: quantum mysterium in his lateat, quæ
* instruun-tur. visibiliter * construuntur, docet dicens: Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem omnia opera exemplaris. Opera igitur quæ non solum videntur, sed etiam intelliguntur, præter speciem quam corporeis oculis offe-
C rebant, vtique signa erant: & aliud quod à prudentibus tantum caperetur, figuraliter continebant. Non enim credendum est, quod exemplar cuius ista dicuntur opera, cuius videlicet trahunt imaginem, alicubi Dauid corporaliter ostensum fuerit, cui simile construendum dictaret: sed Spiritu sancto docente, & quasi in corde illius scribente: intellexerat quid hominis credendum, quid sperandum, qualiterque esset viuendum: quæve conuersationis humanæ, spei, fidei, in rebus materialibus congrua posset imago formari. Inde & Moyses ipse cum de his quæ ad tabernaculum pertinent, Deo secum loquen-
Exod. 25. te doceretur: Inspice, ait Dominus, & fac secundum exemplar quod tibi in monte ostensum est.

Quid igitur succenset mihi Iudæus, si dicam Mosaicas traditiones vmbraticas esse, & solam veritatis imaginem continere: cum & ipse testetur iuxta exemplaris sibi propositi formam hæc omnia se constituisse: & dum hoc ordinaret, aliud intendisse: & cæteros quoque sapientes illius temporis, qui per Spiritum sanctum agebantur, hunc tenuisse morem, vt maxime per parabolas populo loquerentur: & plerumque verbis non contenti, locutionis formam visibilibus signis imitarentur? Hinc
Exod. 34. est quod Moyses iste cum populum alloquitur, faciei suæ velum
D superducit, eo quod respicere non possent claritatem vultus eius filij Israel. Per hoc enim satis indicat, quod ea quæ tradere intendit, ipsi non intelligunt: lucem quippe tantæ sapientiæ mentes infirmæ non capiunt. Vnde opponitur eis quædam crassitudo carnalium sacramentorum, in quibus saltem retineant veritatis imaginem, quorum ægra nondum sustinet acies veritatem.

Hinc iterum est, quod quoties egreditur ad tabernaculum, id est, ad diuina tractanda se confert: plebs vniuersa consurgens, & stans in ostijs papilionum suorum, quando scilicet maxime iuxta vires se erigit, & vt legislatoris dicta vel facta intelligat, exit quantum potest ab occupatione rerum domesticarum, non nisi dorsum illius aspicere potest: & hoc, donec ingrediatur tentorium. Ingresso autem eo tabernaculum fœderis, & intus cum Deo agente, columna nubis in ostio tabernaculi
E stans, coram eorum oculos excitat, ipsum vero in interioribus prorsus abscondit.

Errant ergo qui Moysi tergum attendentes, putant quod humana fame iaceat: & quasi mentis inopes, tam multa inutiliter & sine ratione decernat. At ipsi vera ratione inualidi sunt, qui in ostio tabernaculi, in prima, scilicet, fronte secretorum cœlestium conspicientem caliginem sacramentorum, illam penetrare non possunt: nec Moysen illum cum quo loquitur Deus, interius inuestigare sufficiunt. Putant quod carnalibus hostijs
Psalm. 50. delectetur Deus, cum manifeste dicat ei Dauid: Si voluisses sacrificium, dedissem: vtique holocaustis non delecta-
Psalm. 49. beris. Item ipse Dominus: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Ostendens autem, quas acceptet hostias: Immola, inquit, Deo sacrificium laudis. Et, sacrificium Deo spiritus contribula-
Psalm. 50. tus. Et ad ipsum, Tu acceptabis, inquit, sacrificium iustitiæ. Non igitur Deus carnales hostias amat, sed talibus hostiis, quid amet, designat. Sicut ergo supra dictum est, non sunt bona huiusmodi præcepta, sed tamen boni ipsius ac religionis formam habentia. Indicabo tibi homo, Michæas loqui-
Mich. 6. tur, quid sit bonum. Quid dignum offeram Domino? Nun-
F quid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nequaquam: sed indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Item per Ieremiam Dominus:
Ierem. 7. Holocaustomata, inquit, vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non sum locutus cum patribus vestris: & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis, dicens. Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. Ipsis itaque suis autoribus conuincuntur Iudæi, quia cum signa pro rebus accipiunt, legislatoris intentionem ignorant: nec quid per eadem signa docere velit, intelligunt.

Ad hæc autem signa discutienda dedimus animum, atque ad Leuiticum conuertimus nos, qui in Moysi libris obscurior habetur, quique legentibus fastidium potius quam ædificationem solet afferre, quod eorum à se acumen crassiore quadam vmbra
G repellere videatur. De cæcitate vero Iudæorum temporibus nostris quisquis dubitat, scripturas sacras aut non legit, aut legens nequaquam intelligit. Si enim omnis humana cesset disceptatio, quomodo fieri potest vt mentiatur Deus, qui per legem, per prophetas hoc eis minatus est, quod sua cognitione priuandi essent: & sicut sine rege, sine principe, sine sacrificio, quod manifeste videmus impletum, sic & sine Deo vero futuri? Nam ad Moysen loquens Dominus: Ecce, inquit, tu dormies cum patribus tuis: & populus iste consurgens, fornicabitur post Deos alienos in terra ad quam ingredietur. Ibi dere-
Deut. 31. linquet me, & irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo: & irascetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Vnde & Isaias: Expectabo, ait,
Isa. 8. Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum. Ideo se præstolari dicit, quia postquam multitudo gentium intrauerit, tunc Israel saluus erit. Nam &
Osee 3. per Osee Dominus ipse populum alloquens: Dies, inquit, multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed &
H ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum. Manifestum est, quia dies multos & prænunciauerunt & expectauerunt Iudæi Christum venturum ex semine Dauid: sed quoniam veniens non est receptus ab eis, nunc expectantur ab eo donec veniant & quærant eum. Quod igitur nunc Christum non habentes, sine Deo vero sint, in Paralipomenon reperies. Sub Asa quippe rege, Azarias filius Obed, facto in se spiritu Domini, egressus in occursum exercitus: Dominus, ait,
2. Par. 15. vobiscum est, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote doctore, & absque lege. Cumque reuersi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum suum Israel, & exquisierint eum, inuenient. Hoc est sine dubio my-

A *sterium, quod in Apostolo legimus:* quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec intraret gentium plenitudo. *Sed hæc prælibasse sufficiat. Sequenti etenim explanatione quoties opportunitas nobis occurrerit, multis & manifestis testimoniis declarabitur tam vocatio gentium, quam perfidia Iudæorum.*

OPeris ergo huius talis distinctio est. Primus liber holocausta describit & similæ sacrificia, vel eorum quæ de simila fiunt, & frugum primitias. Huius sunt capitula decem.

De holocausto bouis. I.
De holocausto ouis. II.
De holocausto auium. III.
De sacrificio similæ. IV.
De sacrificio cocto in clibano. V.
De sacrificio sartaginis. VI.
Sacrificium de craticula. VII.
Mel & fermentum prohibetur à sacrificio. VIII.
Vt sal in sacrificio ponatur. IX.
De primitiis frugum quæ Domino offeruntur. X.

B SEcundus ad pacificas hostias transit, addens etiam hostiam pontificis pro peccato eius, & hostiam pro populi ignorantia. Huius sunt capitula quinque.

De boue pacificorum. I.
De oue pacificorum. II.
De capra pacificorum. III.
De vitulo qui offertur pro peccato pontificis. IV.
Si omnis turba deliquerit, vt offerat vitulum pro peccato suo. V.

TErtius reliquas hostias pro peccatis distinguit, habens capitula decem.

Si princeps peccauerit, vt offerat hircum pro peccato suo. I.
De capra quæ pro peccato offertur. II.
De oue pro peccato. III.
De alieni peccati dissimulatione vel consensu. IV.
Qui votum non reddiderit, quomodo satisfaciat. V.
Qui pecus non habuerit, vt offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum. VI.
Qui non potest offerre aues, offerat similam. VII.
C *De his qui in sanctificatis delinquunt.* VIII.
Vt omnis reus in satisfactione, sacerdotis se subdat arbitrio. IX.
Vt qui proximum læserit, satisfaciat. X.

QVartus ad caput redit, & holocausta retractans, nonnulla repetit quæ dixerat, sed plura addit. Idem & de similæ sacrificiis facit, inserens etiam oblationem Aaron & filiorum eius, quam offerre debent in die vnctionis suæ. Retractat etiam hostias pro peccato, iungens pro delicto. Huius sunt capitula quinque.

Quæ sit lex holocausti. I.
Quæ sit lex sacrificij. II.
Oblatio Aaron & filiorum eius in die vnctionis suæ. III.
Quæ sit lex hostiæ pro peccato. IV.
Quæ sit lex hostiæ pro delicto. V.

H QVintus quod reliquum erat de his, quæ tractata fuerant, similiter repetit. & dans leges pacificorum, illas quæ pro gratiarum actione sunt, ab eis discernit quæ vel voto, vel sponte fiunt. Huius sunt capitula quatuor.

Quæ sit lex hostiæ pacificorum. I.
D *De hostia quæ voto vel sponte offertur.* II.
Vt adeps hostiarum non comedatur. III.
Qui offert victimam pacificorum, offerat simul & sacrificium. IV.

SExtus, iam his omnibus consummatis, vnctionem describit Aaron & filiorum eius, & cætera quæ per septem dies in eorum consecratione completa sunt. Huius sunt capitula quinque.

De consecratione Aaron filiorumque eius. I.
Vnguitur tabernaculum cum Aaron & filijs eius. II.
De vitulo pro peccato in die consecrationis Aaron. III.
De holocausto arietis Aaron & filiorum eius. IV.
De ariete consecrationis. V.

SEptimus octauæ diei tractat ceremonias, & quæ in illa facta vel dicta sunt. Huius sunt capitula sex.

De octaua die consecrationis Aaron & filiorum eius. I.
De morte filiorum Aaron. II.
Prohibentur filij Aaron fratrum suorum plangere interitum. III.
E *Prohibentur Aaron & filij eius vinum bibere, quando intrant tabernaculum.* IV.
Præcipitur Aaron & filiis eius, vt comedant sacrificium quod remansit. V.
De hirco pro peccato qui combustus est. VI.

OCtauus de animantibus agens, ab immundis munda discernit: in quadrupedibus, piscibus, volatilibus, quid comedendum, quidve cauendum sit docens, reptilia vero generaliter immunda diffiniens. Iungit & mulieris purificationem parientis. Huius capitula sunt sex.

De quadrupedibus mundis & immundis. I.
De piscibus. II.
De auibus. III.
De minutis animantibus. IV.
De reptilibus. V.
De purificatione mulieris parientis. VI.

NOnus lepræ varietates insinuat, habens capitula nouem.

F *De lepra carnis & cutis.* I.
De lepra carnis viua, & de lepra efflorescente. II.
De lepra cicatricis quæ in vlcere apparuit. III.
De lepra cicatricis quæ in combustura apparuit. IV.
De lepra capitis & barbæ. V.
Vt sacerdos non sit temerarius in iudicio. VI.
De lepra caluitij & recaluitij. VII.
De habitu leprosi. VIII.
De lepra vestium vel pellium. IX.

DEcimus emundationem continet leprosi: & lepra domorum qualiter tractanda sit, separatim exponit. Huius sunt capitula tria.

De emundatione leprosi. I.
De paupere qui non potest inuenire quæ præcipiuntur. II.
De lepra domus. III.

VNdecimus quoque tribus capitulis terminatur.

De viro qui patitur fluxum seminis. I.
De legitimo concubitu. II.
G *De muliere menstruata.* III.

DVodecimus sua illustratur materia, pontificem in sanctuarium introducens. Huius sunt capitula duo.

De ingressu pontificis in sanctuarium. I.
Quo tempore pontifex ingrediatur in sanctuarium. II.

TErtiusdecimi multiplex est materia, & diuersa in eo capitula continentur.

Vt nullus hostias offerat nisi ad ostium tabernaculi. I.
Vt nullus sanguinem comedat. II.
Vt nullus comedat morticinum, vel captum à bestia. III.
Vt nullus ad proximam sanguinis sui accedat. IV.
Vt tendant ad similitudinem Dei per diuinorum custodiam mandatorum. V.

QVartidecimi capitula sunt hæc.

Prohibet commixtionem diuersitatis fieri in semine animalium, in semine agrorum, in textura vestium. I.
De ancilla nobili quæ pretio non est redempta. II.
Vt auferant præputia lignorum pomiferorum. III.
Diuersorum traditio præceptorum. IV.
H *Vt quicumque dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur.* V.
Qui fecerit aliquid ex his quæ superius prohibita sunt, morte moriatur. VI.

QV[illegible]tusdecimus dat sacerdotibus legem, tactum interdicens* [illegible] tuorum: [illegible] etiam quibus de stirpe Aaron [illegible] cat ministrare, quibus edere de sanctificatis. Dehinc ad populum descendit. & remouens omnes à sanctificatis, qui de familia non sunt sacerdotum, hostiarum quoque differentiam ponit, quæ à populo offerendæ sunt, quæ offerri, quæ reijci debeant, quove tempore ad offerendum sint idoneæ. Huius capitula sunt sex. * morticinorum.

Vt non contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum. I.
Vt pontifex, id est, sacerdos maximus, ad nullum omnino mortuum ingrediatur. II.
Vt homo de semine Aaron qui maculam habet, non accedat ad sancta. III.

A *Vt omnis homo in quo est immunditia non accedat ad sancta.* IV.
Vt immaculata sint quæ domino offeruntur. V.
Vt nullum pecus ante octauum diem Domino offeratur. VI.

Sextusdecimus liber & septimusdecimus & octauusdecimus, de festiuitatibus agunt filiorum Israel, interpositis quibusdam quæ ad eandem materiam pertinebant, & capitula sextidecimi sunt hæc.

De septima diei obseruatione. I.
De paschalibus ferijs II.
De manipulo primitiarum. III.
De panibus primitiarum. IV.

Septimidecimi capitula sunt quinque.

De prima die septimi mensis. I.
De decima die septimi mensis. II.
De ferijs tabernaculorum. III.
De lucernis candelabri. IV.
De panibus propositionis V.

B Octauus autem decimus in principio suo sub figura cuiusdam Ægyptij, qui iurgatus est in castris cum viro Israelite, futurum describit Antichristum, & continuo festiuitates repetentes, anni septimi vacationem, sed & iubilei remissionem subiungit. Huius capitula sunt ista.

De Antichristo. I.
De vocatione anni septimi. II.
De remissione iubilei. III.
De temperando pretio vendendarum possessionum. IV.
Promittit Deus benedictionem suam anno sexto. V.

Nonusdecimus de possessionibus venditis decernit; quod aut redimendæ sint ante iubileum, aut in iubileo recipiendæ. Serui quoque qualiter tractandi sint, & qui Hebræi fuerint, vt redimantur aut veniente iubileo, libertati restituantur. Iungit deinde promissiones diuinas, quanta bona promittit Deus obtemperantibus sibi. Huius capitula sunt octo.

Vt terra non vendatur in perpetuum. I.
De possessionibus venditis redimendis, aut in iubileo recipiendis. II.
C *De domo vendita intra vrbis muros.* III.
De domibus vrbium leuiticarum. IV.
Vt non accipiant vsuras à fratribus suis. V.
De Israelite cui se vendiderit frater suus. VI.
De Hebræo qui se peregrino alicui vendiderit. VII.
Quid diuinis præceptis obtemperantes præmij consequantur. VIII.

Vicesimus Dei comminationes eaponit, quæ transgressoribus intētantur, de votis tractat, primogenita decimasque Domino consignat, habens capitula hæc.

Quæ vindicta contemptoribus inferatur. I.
De votis, si quis Deo suam animam spoponderit. II.
Si quis animal aliquod vouerit. III.
Si quis vouerit domum suam. IV.
Si quis agrum suum vouerit. V.
Quod primogenita Domini sunt. VI.
Quod omnes decimæ Domini sunt. VII.

PROLOGVS ALIVS.

D Tertius in Moysi libris, Leuiticus appellatur. Leuitæ quippe erant, qui in tabernaculo ministrabant, & quia hic describuntur sacrificia, quæ dum per ipsos offerebantur, idcirco liber idem, Leuiticus appellatur. Notandum autem quod tituli in libris aliquando ex nomine autoris, aliquando ex materia, nonnunquam ex vtroque ponuntur. Ex nomine autoris, vt est liber Isaiæ, seu Ieremiæ. Ex materia, sicut dicimus liber Genesis, eo quod rerum naturam describat. Ex vtroque, vt est Augustinus de ciuitate Dei, Boëthius de consolatione Philosophiæ, Tullius de amicitia, & multa similia. Scripturæ autem sacræ mos est, etiam à principiis seu ab aliqua parte præcipua, libros suos intitulare. A principio, vt Matthæus: *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi.* A præcipua vero parte, vt est liber Numeri. In eodem quippe hoc excellit, quod filii Israel egressi de Ægypto, secundo numerati referuntur. Iste igitur & sacrificia ad Leuitarum officium pertinentia in exordio suo describit, & post hæc omnia Leuitis eisdem, seu ab ipsis obseruanda, seu per eos in populo tradit dispensanda.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER PRIMVS.

De holocausto bouis.

CAP. I.

E *Vocauit autem Dominus Moysen, & locutus est ei de tabernaculo testimonij, dicens.* LEVITICI cap. 1.

Huius libri initium, præcedentis respicit finem, dum dicitur: *Vocauit autem.* In Exodo quippe tabernaculum erectum & F consummatum descripserat: nunc vero subiungitur, quod de eodem tabernaculo Dominus cum Moyse sit locutus. Sed mysterium indagemus. Tabernaculum Dei aliquando corpus Christi, aliquando cælestis illa ciuitas, vbi angelorum est conuersatio, aliquando Ecclesia quæ in terris peregrinatur, nonnunquam vero sancta scriptura intelligitur. (Tabernaculi significatio.) Corpus enim Christi, tabernaculū Dei dicimus, vt in Psalmo: *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, in manifesto. (Psal. 18.) Hoc etiam templum appellat, vbi dicit: *Soluite templum hoc.* (Ioan. 2.) Tabernaculum vero Dei, angelicam societatem accipimus, vbi ait Apostolus: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, per proprium sanguinem introiuit.* (Heb. 9.) Ecclesia vero tabernaculum Dei dicitur in Psalmo: *Introibimus in tabernaculū eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* (Psal. 131.) Sed & scriptura, domus Dei tabernaculum in quo latet Deus, intelligitur: cum per Euangelium de illo narratur paralytico, quem quatuor viri portantes, cum non possent adire præ turba, per tegulas submiserunt in medium ante Iesum. (Marc. 2. Luc. 5.) Christus namque sub opacitate sanctarum recōditus scripturarum, cum ab infirmis G mentibus repellente turba phantasmatum, & variarum cogitationum tumultu impediente, adiri non possit: vsu sanctæ lectionis, remoto velamine literæ tanquam regulis ipsum celantibus, inuestigandus est. Tabernaculum vero testimonij, seu corpus Christi, seu Angelorum habitatio, seu sancta ecclesia, siue etiam scriptura sancta: ideo dicitur quia & Dominus, vt ipse ait, *ad hoc in mundum venit, vt testimonium perhiberet veritati*: (Ioan. 18.) & per Angelos suos seu per fideles suos, necnon & per ipsam scripturam quotidie de æternis impiorum supplicijs, & de futura iustorum gloria, præstantur. Igitur de tabernaculo suo Dominus cum Moyse locutus est: vt exinde aduerteremus, quia aut per corpus vnigeniti loquitur cum hominibus Deus, iuxta illud Apostoli: (De tabernaculo loqui. Heb. 1.) *Nouissime locutus est nobis in filio*; aut per Angelos, qui ipsius voluntatem nobis annunciant: aut per ecclesiæ filios, quia multifariè olim locutus est Patribus in Prophetis: sed & per Apostolos & Martyres, seu per alios sanctos, quibus dictū est: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (Matth. 10.) H Similiter & in scripturis spiritum sanctum loquentem deprehendimus, iuxta illud Iezechielis: *Quocunque ibat spiritus, illuc pariter & rota gradiebantur. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* (Ezec. 1.) Sed iam quid de tabernaculo Dominus cum Moyse locutus sit, audiamus.

Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio ac de armento, masculum immolatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum.

In hostijs legalibus quædam holocausta, quædam vero hostiæ pacificæ dicebantur. (Hostiarū diuisio. Holocausta. Hostiæ pacificæ.) Holocausta tota in altari cremabantur: vnde dicta holocausta, quasi tota incensa. Hostiarum autem pacificarum solis crematis adipibus, cætera in Sacerdotum seu ipsorum qui obtulerant, cedebant vsū. Sed quia iuxta Apostolum omnia hæc figuraliter fiebant in illis, ad nos eadem referamus: & quid mysticè in ecclesia signent, discutiamus. (1. Cor. 10.) Duo quippe hæc sunt conuersationis genera. Quicunque ergo ex fidelium numero seculo huic renunciantes, ex† integro diuinis se mancipant (†in toto.)

obse-

A

Holocaustus quis offerat. Hostias pacificas, quis.

obsequijs, holocaustum se Deo exhibent: quia vinculis coniugalibus liberi, & carnis voluptatibus non compati, omnes affectus suos ad cœlestia quærenda conuertunt. Hostias vero pacificas offerunt, qui ad culmen perfectionis minus idonei, quanquam celsiora virtutum merita minime assequantur, per mediocrem tamen conuersationem pacem cum Deo faciunt, pro viribus præcepta seruantes, ne odium illius per criminalem offensam incurrant. Et licet omnia sua non deserant, de his tamen quæ possident, fideliter domino ministrant. Et licet carnis corpus, ea videlicet quæ adhuc carnaliter diligunt, nondum quidem spiritualis feruore absumantur: sed sanctificantur quidem, sine criminis videlicet admixtione, ex magna tamen parte offerentium voluptati deseruiunt. Sed de holocaustis prius agendum est. Tria igitur genera sunt holocaustorum. Primum, bouis: secundum, ouis et capræ: tertium, auium, turturis scilicet aut columbarum. Sunt itaque nonnulli, qui in perfectorum numero currentes, cum robore vigeant corporis, labores suos fraternis subseruiunt vtilitatibus. Illi bouis immolant holocaustum: quia quicquid laborando præualent, totum circa proximorum obsequia domino consecrant.

Genera holocaustorum tria.

B

Sunt vero alij imbecilles, virtute corporis destituti, qui cum laborare non sunt idonei, si quid in hoc mundo possident, omnium instar vellus suum alijs cedunt, & tanquam lactis dulcedine, sic operatum innocentia & morum simplicitate possessores pascunt. Restat holocaustum auium: quod illis non immerito assignabimus, qui scientia opum abundantes, ad hoc vacant, vt Deum agnoscant. Hi quanto minus inferius occupantur, tanto facilius in superiora contemplationis alis leuantur. Holocaustum igitur bouis, quod lex primum proponit, vt cœpimus, exequamur. *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam domino de pecoribus, id est, de bobus & offerens victimas: si holocaustum fuerit eius oblatio ac de armento, masculum immaculatum offeret.* In hostijs pacificis nulla habetur discretio maris & fœminæ, vtrunque enim offerri potest: in holocaustis vero masculina sola recipiuntur, fœminis repudiatis. Ad illam enim mediocrem vitam, incitus etiam infirma sufficiet: ad perfectionis vero celsitudinem & omnium quæ mundi sunt renunciationem, non nisi virtus idonea est. Masculum ergo immaculatum offeret, qui scilicet labores quos Deo consecrantur, ex aliqua parte per criminis admixtionem fœdentur. Teste enim Salomone, *qui in vno offenderit, multa bona perdet.* Caueodum itaque ne bonum quod agitur peruersa intentio adiuncta corrumpat. Sed quoniam in bono opere non solum malum nimium cauendo, sed & prius quoque sancti laboris intentio dirigenda est, subiunxit statim: *Ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum.* Tabernaculum quippe testimonij, vt iam supra exposuimus, societas illa cœlestis intelligitur. Quisquis ergo per bonum quod agit, placari sibi dominum concupiscit, in omni suo opere necesse est, non fauores humanos [illegible], sed regni cœlestis ingressum expectet. Hinc est enim quod nos monet dominus: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cœlis est.* Sequitur.

C

Ecclesia. 9.

Matth. 6.

Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.

Manus impositio, deuotionem offerentis insinuat. In omni enim placito, cum ad propositam sententiam diuersorum consensus expetitur, per manus appositionem significatur. Tunc quippe his quæ dicta sunt, se fauere demonstrant, cum manu sacrum modant. Cum igitur offerentis manus super hostiæ suæ caput ponitur, innuitur nobis quod voluntarie Deo sacrificandum sit, vt acceptabilis eidem fiat oblatio. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Sic quoque in expiationem illius proficiet. Nam si quis tribuat & cum mala voluntate bonum expleat opus, peccatorum veniam non meretur: quia pro tanto nec minimæ bonæ voluntatis. [illegible]

Manus impositio.

D

2. Cor. 9.

Luc. 8.

Immolabitque vitulum coram domino.

Non coram hominibus, vt videatur ab eis, sed coram domino, vt ipse scilicet videat & approbet Deus. [illegible]

E

Et offerent filij Aaron sacerdotis sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

Filij Aaron in lege nonnunquam rectores ecclesiæ, nonnunquam vero quilibet fideles accipiuntur. Ipsi quippe summi membra sunt sacerdotis, audiantque ab Apostolo: *Vos genus electum, regale sacerdotium.* Ad vtrosque ergo referamus quod dicitur. Sancti etenim doctores auditorum suorum fundentes sanguinem offerunt, dum admonitione assidua ex eorum cordibus cupiditates prauas eijciunt. Sanguis namque sicut vita carnis est, sic in prauis desiderijs carnalium operum subsistentia. Funde sanguinem, & caro morietur: tolle malam voluntatem, nec erit qui malum operetur. Fundunt ergo filij Aaron sanguinem, quia doctores sancti assiduitate sua de discipulorum cordibus malitiam expellunt. Sed quoniam propter Dei timorem hoc agitur, hæc ipsa effusio, Dei oblatio est. Tu quoque si desit episcopus, si pastor incuriosus sit: pastoris circa te vices exequere, & mentem tuam studio adhibito mundam Deo præbe. *Fundentes,* inquit, *per altaris circuitum.* Altare, Christus seu ecclesia hic intelligitur. Dominus quippe Christus, altare nostrum est, quia oblationes nostras ei imponimus. Per ipsum enim si quid boni agimus, patri acceptum fieri posse speramus. Vnde & Petrus Apostolus in epistola sua: *Offerentes,* inquit, *spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Sed & sancta ecclesia, altare nobis est. Sola namque esse dinoscitur, in qua domino pie sacrificatur. Munus vero nō recipitur, quod extra eam offertur. Vnde & per Moysen filiis Israel præcipitur, vt altare facerent de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit. Mater nempe ecclesiæ ex electis & viuis construitur lapidibus, quibus fidei seu religionis integritatem machæra diaboli non detraxit. Vt igitur altare hic Christum accipiamus, per circuitum altaris fundendus est sanguis noster: vt scilicet dum Christi virtutes mente reuoluimus, vitiosos affectus a nobis eiiciamus. Verbi gratia, dum mansuetudinem illius recolimus, nostram iracundiam abdicamus: attendentes eius humilitatem, superbiæ nostræ renunciamus: singularem illius munditiam considerantes, nostram impudicitiam detestamur. Sicque singulas eius virtutes mente perlustrantes, si ei conformari cupimus, nostra a nobisipsis mala abscidimus. Si vero nomine altaris sancta hic ecclesia significatur, per eius circuitum sanguinem fundimus, dum sanctorum qui in ea nunc sunt aut fuerunt, sanctitatem considerantes: in singulis quaquauersum oculos tendimus, correctionis nostræ exempla videmus. Sed notandum, quod hoc altare ante ostium tabernaculi esse perhibetur. Interim quippe dum adhuc ex fide Christiani viuimus, & in hac ecclesia quæ in terra est peregrinamur, cœlestis illius patriæ introitum suspiramus. Sequitur:

1. Pet. 2.

sanguinē fundere vel offerre, quid.

F

1. Petr. 2.

Deut. 17.

G

Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident: & subijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra quæ cæsa sunt, desuper ordinantes.

Hostiæ nostræ pellem detrahimus, cum minime vitæ nostræ superficie contenti, interiora illius subtilius perscrutamur. Multa enim videntur bona, quæ non sunt. Vnde & artus illius in frusta concidendi sunt: vt scilicet conuersationis nostræ actiones singulas examinantes, ne sub virtutum specie vitia lateant, solicite discutiamus. Plerunque enim timor humilitatem se simulat, superbia confidentiam, effusio largitatem mentitur, auaritia parcitatem. Solicita ergo in examine vitæ discretio habenda est, & ab hostia nostra superficies remouenda. Ignis vero in altari nostro subijcitur, si a nobis ibidem lignorum strues ante componatur. Ignis enim iste, charitatis feruor est, qui per spiritum sanctum nobis tribuitur. *Charitas* namque *Dei,* vt ait Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Subijcit autem hunc ignem cordi nostro spiritus sanctus, non ab imo inferens, sed ab occulto. *Vbi enim vult, spirat: sed tu nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Hoc itaque quamquam eius sit gratiæ, tibi tribuitur: quia per humilitatem & solicitudinem tuam ab eo, vt fiat, impetratur. Si enim tu ligna congesseris, subijciet ipse ignem. Ligna quippe sunt cogitationes sanctæ, quæ calorem illius concipimus, & nutriunt excitatum. Scriptum

Hostiæ pellem detrahere.

H

Ignis quid.

Rom. 5.

Ioan. 3.

Ligna quid.

[A] namque est: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* [Sap. 1.] Et contra: *Ego sapientia habito in consilijs, & eruditis intersum cogitationibus.* [Prou. 8.] Si igitur in labore sancto deficere nolumus, ignem istum sedulis precibus nobis subministrari rogemus. Mox enim vt feruor charitatis in corde torpuerit, & manus fatigata ab opere cessabit. Omnis enim labor amanti tolerabilis videtur: à negligente vero, etiam si leuis sit, intolerabilis indicatur. Vt ergo quod rogamus, etiam impetrare possimus: componamus in altari ligna, vt scilicet per sancta studia & scripturarum meditationem assiduam, igni Spiritus sancti materiam præparemus. Super ligna vero, cæsa membra ordinanda sunt. [Membra quid.] Membra, vt supra ostendimus, singulæ sunt actiones. In his ergo ordo quidam seruandus est, vt scilicet potiora inferioribus præponantur, & singulis quibusque locus congruus, & tempus, & persona seruetur. Verbi gratia. Sancta actio quanquam laudabilis sit, nimia tamen assiduitas, sapientiæ studijs obsistit. Certis itaque temporibus intermittenda est, vt percipiendæ sapientiæ vacatio necessaria concedatur. Scriptum est enim: *Sapientiam scribe in tempore otij: & qui minoratur actu, percipiet eam.* [Eccles. 38.] [B] Item in ipsis laboribus nostris alij proximorum animabus concurrunt, alij corporibus. Et certum est, corporalia commoda spiritualibus postponenda. Vnde & sancti Apostoli, [Act. 6.] vt verbo Dei vacare possent, septem constituerunt qui mensis ministrarent. Item cum omnibus hominibus subueniendum sit, maxime tamen domesticis fidei. [Galat. 6.] Cum arguendi, laudandi, obsecrandi sint homines: qui male agunt, arguendi: qui vero bene, laudandi: & vt in melius proficiant, obsecrandi sunt. Sic & de locis vt aliquid dicamus, in templo orandum, in agro autem laborandum est. Super ligna ergo cæsa membra ordinanda sunt, vt scilicet iuxta quod sanctæ scripturæ dictauerit autoritas, quæ nobis sanctorum cogitatuum materiam præbet, disponamus opera nostra, quibusque prout maioris vtilitatis sunt, maiorem solicitudinem impendentes. Quæ vero ea sunt quæ ordinari præcipit, apertius exequitur, dicens:

Caput videlicet & omnia quæ adhærent iecori, intestinis & pedibus lotis aqua.

[G] Ista inter cætera non sine causa nominatim expressit, nisi quia ipsa maxime obseruanda & ordinanda sunt. Caput enim hostiæ nostræ, interior intentio est, [Hostiæ caput.] quæ in omni opere nostro principatum tenet. Hæc igitur in primis super ligna ordinanda est, euangelicis scilicet præceptis coaptanda: vt iuxta Domini mandatum, simplex & munda sit, ne forte per illius deprauationem, totius laboris nostri reprobatio subsequatur. [Matth. 6.] *Si enim oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam totum corpus tuum tenebrosum erit.* Iecor vero hepar appellat. Quæ autem adhærent iecori, adipes sunt. Nempe vbi nos in hoc libro legimus, *reticulum iecoris*: Septuaginta dixerunt *pinnam hepatis*, id est, adipem eius. Adipes igitur hostiæ nostræ, [Adipes hostiæ.] affectus nostri sunt, congrua ad succendendum materies, sed interest plurimum quo inflammentur incendio: aut etiam vtrum per negligentiam torpeant, & quasi sine igne remaneant. Sunt enim nonnulli, qui carnales iam voluptates abijciunt, nec tamen feruore debito ad spiritualia desideria consurgunt. Quorum vero affectus ad huius mundi concupiscentias ardentius incitantur, horum adipes igne contrario peruertuntur. [D] Nos itaque super lignorum compositionem adipes nostros ordinare debemus, vt affectuum varium discursum, ad diuinæ voluntatis regulam reuocare conemur. *Intestina*, inquit, *& pedibus lotis aqua.* [Intestina quid.] Quæ sunt Intestina? Quid pedes? Intestina nostra, animæ interiora sunt: in quibus dum multa inutilia seu etiam noxia & illicita versamus, quasi stercora in ventre portamus. Pedes vero, actiones nostræ sunt: [Pedes quid.] quæ quoties terrenum aliquid operantur, quasi terram tangendo, sordes pulueris contrahunt. Delinquimus enim sæpius modum excedentes, dum edimus, bibimus, seu cætera quæ necessaria sunt, corpori procuramus. Vnde fit, vt quasi dum necessitati occurrimus, frequentius in nostro opere congregemus puluerem culpæ. Lauanda igitur intestina, lauandi sunt pedes: vt congruis fletibus abluti, sacrificijs diuinis fiant idonei. Potest & per pedes, actionis cuiuslibet finis ipsius vitæ nostræ consummatio intelligi. [E] Salubriter igitur hoc præcipitur: vt si quid boni agimus, si in omni vita nostra Deo militamus, totius laboris nostri terminum abluamus fonte lachrymarum. Vix bonum opus compleri potest sine alicuius peccati admistione. Metuendum itaque est, ne dum completæ deuotionis remuneratio expectatur, à nobis etiam reatus admissi pœna exigatur.

Adolebitque ea sacerdos super altare, in holocaustum & suauem odorem Domino.

Altare, in quo omnis (quam supra descripsimus) compositio fit, lignorum scilicet, cæterorumque membrorum, [Altare quid.] cor nostrum est, iuxta illud sapientis: *Oblatio iusti impinguat altare.* [Eccles. 35.] Iustus quippe per mentis pinguedinem & sanctæ deuotionis affectum, oblationem suam Deo acceptabilem reddit. In hoc ergo altari struuntur ligna, cum (sicut prædiximus) sanctæ congregantur cogitationes. [Strui ligna.] Adduntur quoque hostiæ membra, cum sanctæ mentis studium efficacia boni operis comitatur. Sacerdotis vero est ea adolere, id est, succendere. Solus enim pontifex ille summus, qui habet potestatem super ignem, sicut de eo in Apocalypsi legitur, [Apoc. 14.] & cogitationes & opera nostra inflammare potest, [F] iuxta illud Psalmistæ: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* [Psalm. 103. Heb. 1.] *Ignem* quippe istum venit ipse *mittere in terram: & quid volo*, inquit, *nisi vt accendatur?* [Luc. 12.] Adolebit igitur ea sacerdos super altare, in holocaustum. Holocaustum (vt supra ostensum est) Deo efficimur, qui & corde & corpore diuinis iugiter mancipamur *obsequijs. [*obsequijs.] *Et suauem odorem Domino.* Non more humano Dominus odores naribus exterioribus discernit: sed quia bonis odoribus delectamur, fœtoribus autem offendimur: boni odoris apud Deum omne illud est, quod iustitiæ illius habetur acceptum.

De holocausto ouis.

C A P. II.

SEcundo loco, ouis sequitur holocaustum. Sunt namque (vt prædiximus) nonnulli, qui omnibus quæ mundi sunt abrenunciant, omnia studia sua ad Deum conuertunt: [G] quia tamen viribus destituti non sufficiunt laborare, placent Deum sola innocentiæ sanctitate. Scriptum quippe est: *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* [Psalm. 83.] Verba ergo legis hæc sunt:

Quod si de pecoribus oblatio est, de ouibus, siue de capris, holocaustum immaculatum & absque macula offeret.

Notandum quod oui capram coniungit. Capra autem aut hœdus, quod scilicet hoc genus animantis olidum luxuriosumque sit, in scriptura sacra peccatorum gerit imaginem. [Hœdus aut capra quid.] Inde est, quod agnus paschalis iuxta Septuaginta de ouibus & capris sumi iubetur: quia Christus, qui pascha nostrum est, [1. Cor. 5.] ex iustis & peccatoribus carnem assumpsit. Sed & Daniel in quadam sua visione, Alexandrum Macedonum regem, hircum caprarum nominauit, græcorum scilicet, luxuriam notans, [Dan. 8.] à quibus ille originem duxit, sed & in iudicio oues à dextris, hœdi autem à sinistris statuendi sunt. [Matth. 25.] Cum igitur capra peccatoris seu peccati typum teneat, quid est quod in holocaustum Deo iubetur offerri? [Quæstio.] Nunquid acceptum fieri potest Deo peccatum nostrum? Sed sciendum est, quod cuius non placet executio, placet mactatio. [H] Offertur ergo Deo capra, non viua, sed mortua: quando quem offendimus pecoati perpetratione, placamus abolitione. Idem vero comparentur ouis & capræ holocaustum: quia in eodem vbi prioris malitiæ vetustatem deponimus, innocentiæ nouitatem Domino consecramus. Quæri autem potest, cum bos & ouis sanctitatis speciem gerant, cur in sacrificio mactentur, cur non potius viua offerantur. [Quæstio.] Neque enim virtus, nisi iustitiæ acceptabilis Deo est exterminatio. Ad quod nos respondemus, bouis & ouis immolatione, non sancti laboris seu innocentiæ exterminium designari, sed quia nemo iustus nascitur: *non enim prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale*, [1. Cor. 15.] ad hoc etiam ea quæ iustitiæ formam habent, immolata Deo non viua offeruntur, vt tamen inde aduertere liceat, nullum per sanctitatem posse consecrari, qui nō carnis concupiscentiam prius

macta-

A

mactauerit, quam eum carnis origine traxit. Vbicunque tamen in hostijs Christi typus agitur, per mortem victimæ, non vitij, sed carnis in eo mors demonstratur. Sed ad propositum redeamus. *Si de ouibus aut capris erit oblatio, holocaustum anniculum & absque macula offeret.* Superius autem masculum, hic vero anniculum præcepit esse quod offerendum est. Ergo forsitan & fœminam ouem siue capram si [illegible] bonum compleuerit, holocaustum fieri cōcedit. Non [illegible] virtus eadem quæ ad labores exequendos, ad bonum [illegible] solam retinendam necessaria est. Quid est ergo quod in [an]niculo signari voluit? In anno solis circuitus expletur. Timendum ergo simplicioribus de inconstantia fuerit, ne scilicet vouere præsumerent, quod postea explere non possent.

Eccles. 5.

Melius est enim non vouere, quam post votum non reddere. Prius itaque mentis propositum solidandum, & tum demum opus tantum aggrediendum est. Vt enim cuiusdam

Seneca.

sapientis verbis vtar, *diu deliberandum est, quod semel statuendum est.* Hoc itaque in anniculo significatum est. Quod vero dicitur, *& absque macula*, iam supra exposuimus: quia oblatio quæ Deo offertur, iniquitatis admixtione maculanda

B

non est. Si enim innocentiam erga proximos custodimus, cauendum est ne nosmetipsos per intemperantiam corrumpamus. Innocens quippe minime iudicabitur, qui sibi nocuisse, iniquitatem diligens, comprobabitur.

Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino.

Bonorum simplicitas, per prudentiam acuenda est. Vnde Dominus: *Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Simplices igitur sint, vt nemini struant insidias, nullius læsionem exquirant. Prudentes vero, vt malorum dolos semper prævideant: & ad euitandas hostium inuisibilium fraudes, soliciti reddantur atque suspecti. Hostia igitur hæc quæ simplicibus ascribitur, ex latere altaris quod ad aquilonem respicit immolatur coram Domino: quia iusti, Dei quidam fauorem exquirunt: maligni vero, insidias cum omni cautela prospiciunt. Quis enim per aquilonem signetur, incognitum non est: ille scilicet qui dixit, *ponam sedem meam ad aquilonem.* Quod tamen dicitur, *coram Domino*, iuxta literam sic aduertendum est. Introitus tabernaculi, ad orientem erat: domus autem interior, id est, sancta sanctorum, ad occidentem. Altare quoque holocausti, extra tabernaculum erat, in atrio ante ostium. Intus vero in sanctis quasi sedes Dei erat: propter arcam & Cherubim qui eam tegebant, sicut scriptum est: *Congregauit David omnes electos ex Israel, vt adducerent arcam Dei exercituum, sedentis in Cherubim super eam.* Cum igitur ad ostium tabernaculi victimæ mactabantur, siue etiam cum ad latus altaris: per idem tamen ostium vsque ad velum sanctuarij, mactantium admittebatur intuitus. Et hoc est quod dicitur, *coram Domino*, id est, in conspectu sanctorum. Sequitur:

Matth. 10.
Simplices.
Prudentes.
Aquilo, quid.
Isa. 14.
C
2. Reg. 6.

Sanguinem vero illius fundent super altare filij Aaron per circuitum. Diuidentque membra, caput & omnia quæ adhærent iecori, & imponent super ligna, quibus subijciendus est ignis. Intestina vero & pedes lauabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare, in holocaustum & odorem suauissimum Domino.

Hæc omnia cum iam supra exposita sint, repetere superfluum puto.

De holocaustis auium.

D

CAP. III.

Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus & pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare.

Aduertendum attentius, quod Dominus cum aues sibi in holocaustum offerri iubeat, non cygnum expetit, qui magnitudine corporis præstat, qui plumarum candore nitidus, colli etiam protensione caput in altum leuat: nec mergulo delectatur, qui frequentius aquis immergitur: non accipitrem, qui mortibus pascitur alienis: sed turturem petit & columbam, quorum columba Societatis, turtur vero castitatis amator est. Vtraque tamen hæc auis gemere, non canere, solet. Per auium ergo holocaustum, scientiæ studium superius significari ostendimus. Manifestum est igitur, à Domino non illam approbari scien-

Quid cygnus.
Quid mergulus.
Quid accipiter.

tiam, quæ sibi magna videtur, iuxta illud Isaiæ: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris:* vel quæ de eloquentiæ nitore gloriatur, vt de quibusdam scriptum est: *Posuerunt in cœlum os suum.* Sed nec illa placet, quæ sicut mergulus aquis, sic carnalibus voluptatibus absorbetur: nec illa quoque accepta, quam accipitris instar malitia comitatur: sed turturem amat Dominus, amat & columbam. Ergo *scientiæ cum pace sanctimonia associanda est, sine quibus nemo videbit Deum.* Monemur quoque in auibus istis illam magis scientiam appetendam, quæ gemitum, non extollentiam doceat, quæ miseriam nostram nobis aperiat. Hæc est enim illa vera scientia, de qua Salomon ait: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Vera est illa, quæ intelligit vbi sit: quæ dicere cum Psalmista potest, *tribulationem & dolorem inueni:* quæ æternæ metu damnationis semper solicita est, vnde ipse ibidem præmittit, dicens: *Pericula inferni inuenerunt me.* Si igitur de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus & pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare. Quis sit sacerdos qui hostiam nostram offerre debeat, superius in bouis holocausto expositum est. Hic vero notandum est, quod auium holocaustum, non ad ostium tabernaculi sicut bouis, non ad latus altaris vt ouis, sed ad ipsum altare offertur. Altare enim, cor nostrum intelligi supra ostendimus. Soli igitur sunt, qui perfecte ad corda redeunt: qui per scientiæ studium ad sanctam meditationem, apud se in arcano mentis habitare noscuntur. Offert itaque sacerdos hostiam ad altare, siue doctor tuus qui te ad hoc informat, siue tu ipse, dum de profectu tuo satagis: & mentem tuam per exteriora prius vagantem, ad seipsam redire compellis. Vnde apte subsequenter præcipitur:

Isai. 5.
Psalm. 72.
Hebr. 12.
Eccles. 1.
Psalm. 114.
Ibidem.

E

F

Et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris.

Ad collum quippe caput retorquetur, vt quasi corpus suum respicere videatur. Cum enim mandata Dei addiscimus, discutere se vnusquisque debet, verum hæc etiam opere expleamus. *Scienti namque bonum & non facienti, peccatum est illi.* *Ac rupto*, inquit, *vulneris loco.* Sic caput à corpore per illud vulnus separabatur, vt non tamen prorsus abrumperetur. Innuitur ergo, quod à cura carnis mens abstrahenda sit, non omnino: sed sicut ait Apostolus, *carnis curam ne feceritis in desiderijs.* In necessitatibus itaque carni prouidendum est, non libidinibus eius seruiendum. Rupto igitur vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Sanguis appetitum significat. Sicut enim ex sanguine suo caro viuit, sic anima ex appetitu. Si appetitus illius carnalis est, & ipsa obtemperat ei, vitam quoque eius carnalem esse necesse est. Si vero appetitu agitur spirituali, spiritualiter etiam viuit. Qualis ergo appetitus eius, talis & vita illius. Appetitus enim, vitæ origo est. Vnde & hic & multis alijs in locis, appetitus formam sanguis obtinet. Altare vero cor nostrum intelligi, iam supra ostendimus. Crepido quoque altaris, basis illius dicebatur. Nam pro crepidine, fundamentum alibi ponitur. Sed & basim pro crepidine, septuaginta interpretati sunt. Fundamentum itaque cordis nostri quid aliud est, nisi de quo dicitur: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus.* Sanguis ergo qui rupto vulnere defluit à corpore, ad fundamentum decurrat: vt appetitus & amor noster, qui à carnalibus voluptatibus recedit, in Christum transeat, quem animæ ista studio lectionis assiduæ in scripturis discit. Hoc enim vox illa promittit, vbi dicimus: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Defecit à vanitatis appetitu, vt ardenter iam sitiat veritatem. Decurrat itaque sanguis noster in basim, vt ex affectu Domino nostro cantemus: *Diligam te Domine virtus mea.* Quem enim virtutem nostram dicimus, quasi basim nostram appellamus. Sequitur:

Iac. 4.
G
Rom. 13.
Sanguis quid.
Crepido.
1. Cor. 3.
H
Psalm. 118.
Psalm. 17.

Vesiculam vero gutturis & plumas proijciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent.

Recolendum, quod studiosorum oblationem tractamus. Quid vero studiosis, his videlicet qui scientiæ operā dant, quidnam eis tam timendum, quantum tumor elationis est? Scientia enim inflat. Huius igitur auis nostræ vesicula gutturis proijcienda est, tumor scil. qui de eloquentiæ pompa

1. Cor. 8.
Vesica.

A orii solet, excludendus. Plumæ vero quæ sunt assi pere-grinarum studiorum leuitas, vt versificandi peritia, dialecticorum garrulitas? quæ omnia bonæ menti dominum metuenti, & circa lamenta potius occupatæ, nihil remedij, nihil valitatis poterunt conferre. Plumæ ergo & ipsæ proijciantur, vt à seruis Dei huiusmodi studia contemnantur. Non enim leuibus & superfluis mens, quæ Deum quærit, occupanda est. Vbi autem hæc proijci debeant, lex signanter expressit. *Proijcietque*, inquit, *ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent.* Per orientem, vnde mundo lux immittitur, diuinæ cognitionis illuminationem intellige. Ad orientem ergo inflationem nostram abijcimus, cum Dei magnitudinem aliquatenus contemplantes, de nobis humilia sentire incipimus. Quanto enim quisque minus videt, tanto minus sibi displicet. Et quanto maioris gratiæ lumen percepit; tanto amplius quod de se plangere debeat agnoscit. Vnde beatus Iob cum præmisisset, *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te*: statim subiunxit: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam.* Ex cognitione igitur diuina & luctum concepit, & elationem deposuit. Isaias quoque postquam dominum sedentem super solium excelsum vidit, ad seipsum rediens ait: *Væ mihi quia tacui, quia pollutus labijs ego sum.* Sed & Iezechiel de quatuor animalibus loquens dicit: *Cum fieret vox super firmamentum, stabant, & submittebant alas suas.* Ad vocem quippe desuper venientem alas deponere, est cognita superna potentia, virtutes proprias humiliare, & consideratione creatoris, nihil de se aliud quam abiecta sentire. Ad orientem ergo vesicula tumoris abijcitur, cum Deo cognito homo humiliatur. Ad orientem quoque plumæ cadunt, quia fidei diuinæ lumine percepto, mentem quam penetrat timor Dei, quam salutis suæ cura solicitat, nunime superfluis studijs operam dare delectat. Sed quid est cum ad orientalem plagam ista proijci iubeantur, quod locus cineris huic officio deputatur? Et quidem locus iste prope altare erat, in quam concrematorum holocaustorum cineres deponebantur. Sed quid concremata holocausta, nisi iustorum est vita consummata? Cineres vero, reliquiæ scilicet illius concremationis, ab altari deponuntur: quia quod iustis post hanc vitam restat à præsenti exercitio, & spiritus in requiem, & caro in sepulturam recipiuntur. Sed si hoc solicitus perpendas, si anxius sustineas quod protinus futurus sis post mortem vermis, post vermem abiectissimus puluis, quis hic superbiæ, quis leuitati relinquitur locus? In loco ergo cineris, id est, in mortis meditatione, vesiculam cum plumis proijce: vt dum iugiter finem tuum conditionemque mortalitatis cogitas, inanem iactantiam cum superfluis omnibus deponas. Hinc est enim, quod Abraam Dei collocutione illuminatus, cum seipsum respiceret, & quid protinus futurus esset attenderet, quasi in loco cineris ad orientem vesiculam proiecit, cum humiliatus protinus intulit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Vides itaque prope altare locum esse, in quo auiculæ nostræ vesicula cum plumis proijcienda sit: quia studioso cuique iuxta est, vt scilicet ex propria conditione cognitionem concipiat, quæ expulsa superbia eum etiam à superuacuis ad consilij grauitatem compellat. Sed iam procedamus.

Plumæ. — Oriens. — Iob. 42. — B — Isai. 6. — Ezech. 1. — Cineres. — C — Gene. 18.

Confringetque ascellas eius, & non secabit, nec ferro diuidet eam.

D Quid in ascellis, alarum scilicet radicibus quæ volandi officium possident, nisi virtus contemplationis accipitur? Rationis enim lumine quasi alarum agilitate, ad superna tendimus. Istæ igitur ascellæ frangendæ sunt, id est, in cognitionis diuinæ profectu omnis præsumptio reprimenda, vt virtutem contemplandi nemo sibi tribuat, vt nemo, ad spiritualem meditationem vires suas sufficere præsumat. Has enim ascellas frangere noluerunt, de quibus scriptum est: *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Has autem fregerat, qui dicebat: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alius: *Dominus illuminatio mea.* Et, *Tu illuminas lucernam meam Domine.* Ascellas ergo frangere, est acumen ingenij non sibi tribuere, sed sub diuino munere humiliter

Ascellæ. — Rom. 1. — 2. Cor. 3. — Psalm. 26. — Psalm. 17. — Ascellas frangere.

E infirmitatem propriam cogitare. Vbi aptissime subiunxit: *Et non secabit, nec ferro diuidet eam.* Proprium quippe superborum est, & de se præsumentium, diuisiones in Ecclesia facere, & communi fidei contraria dogmata prædicare. Non est igitur auis nostra secanda, nec ferro diuidenda: quia quicunque cæteris amplius aliquid in scientia profecerint, caueant omnimodis necesse est, ne corpus Christi diuisione ex suæ eruditionis præsumptione, doctrina patrum recedere præsumant. Sic enim & ipsi diuiduntur, dum fidei perdunt integritatem: & quod alij per eos patiuntur, ipsis imputandum est, teste Salomone: *Quia qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.* Siquidem scissionis eiusdem vitio ab eo exigetur, & quod alijs intulit vulnus, ipse quoque patietur. Notandum vero iuxta literam, quod ruptio illa vulneris de qua prædiximus, non ferro, sed tortione, vel quoquo alio modo fieri solebat: Ferri quippe sectio, omnino non admittebatur. Sequitur.

Eccl. 10.

Et adolebit super altare, lignis igne supposito.

F Quod in corporalibus exercitijs supra ostendimus, idem in spiritualibus studijs obseruandum est: vt scilicet cum lectioni operam damus, in cogitationibus nostris non adipiscendæ gloriæ appetitus, sed ædificationis propriæ viuat intuitus. Ardeat ergo super altare nostrum lignis ignis, non alienus, sed domesticus: vt in studijs nostris non œstro diabolico agitemur, sed diuino spiritu incitemur.

Holocaustum est & oblatio suauissimi odoris Domino.

Si superiora quæ de hac aue dicta sunt, recolas: videbis profecto, quam acceptabilis Deo eius oblatio sit. Auis quippe ista quæ ad altare offertur, scientia videlicet per quam sibi mens redditur: cuius caput corpus suum respicit, quia in omnibus quæ legit, vitam suam subtiliter discutit, cuius rumpitur vulnus, dum caro mortificatur, cuius sanguis ad crepidinem altaris decurrit, quia affectus illius, visibilibus contemptis, Christum sitit, vesiculæ quoque cum plumis proijcitur, dum elatio omnis & superfluitas ab ea respuitur. Franguntur etiam ascellæ, cum intelligentiæ lumen non sibi, sed Deo ascribitur: postremo, cum per pacis & fidei integram obseruantiam, fortis respuit sectionem, scientia ergo quæ tot virtutibus illustratur, miraris si boni odoris coram Domino esse perhibeatur? Completo autem holocaustorum numero, lex ad similæ sacrificium transit, de quo etiam quid sanciant, audiamus.

G

De sacrificio similæ.

CAP. VI.

ANima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, fundetque super eam oleum.

Leuitici cap. 2.

In præcedenti libro legimus, quia postquam cuncta completa sunt, quæ ad constructionem tabernaculi pertinebant, *operuit nubes tabernaculum, & gloria domini impleuit illud.* Scito ergo quod omnia Moysi & verba & facta, intus quidem gloria Dei plena, exterius vero nube adoperta sunt. De qua nube ibidem subiungitur, quia *Non poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante.* Iudæi quippe, quorum typum Moyses hic gessit, à legis intelligentia excluduntur. Tanta est enim in spiritu excellentia & fulgor, tanta in litera vilitas & caligo, vt lippientes eorum oculi nec istam penetrare, nec illum valeant tolerare. Nos igitur quorum oculis verum lumen effulsit, vt reuelata facie gloriam Dei speculari possimus, in legis litera spiritualem sensum inuestigemus. Et vt ad propositum redeamus capitulum, imprimis quam rationabili ordine legislator vagatur, perspiciamus. Tria namque holocausta descripserat; bouis, ouis & auium. In quibus, ouis quidem holocaustum non iuxta gradus profectum, sed ad solam infirmorum susceptionem insertum est: vt scilicet qui ad labores non sufficerent, saltem innocentiam custodirent. A bouis vero holocausto, ad auium oblationem compotens ascensus est. Quisquis enim ad sapientiæ studium anhelat, necessarium prius habet laboris exercitium: per quod videlicet moribus castigatis, ad percipiendam sententiam fiat idoneus, sicut scriptum est: *Fili, concupisti sapientiam? conserua iustitiam, & dominus præbebit illam tibi.* Post auem vero simila sequitur: quia quisquis

Exod. 40. — H — 2. Cor. 3. — Eccles. 1.

A per studium sapientiæ terram mentis inhabitat, purgationi
illius insistere debet: vt nequaquam exteriori sanctificatione
contentus, sicut à conuersatione sua prauos recidit actus,
Simila. sic & a mente sua eorundem extirpet affectus. Hæc est.n.si-
mila, puritas.s.conscientiæ. Nam simila, pura farina est, fur-
furis admixtione purgata. Huic autem similæ oleum super-
funditur: quia mens côcupiscentia carnali tanquã furfureis
integumentis exuta, diuina charitate repletur. Teste quip-
1 Ioan. 2. pe Ioanne, *si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo.*
Charitas enim oleum est, iuxta illud Salomonis: *Oleũ de ca-*
Eccles. 9. *pite tuo non deficiat.* Quid vero causæ esse credis, quod simila
hæc non oleo côspergi, & sic offerri: sed dum offertur, oleũ
super eam fundi iubetur? Nonne innuitur nobis, quia hoc
Iacob. 1. *datum optimum &* hoc *donum perfectum de sursum est, descendens*
à patre luminum? Charitas.n. *diffusa in cordibus nostris, non a nobis,*
Rom 5. *sed per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hunc vero ordinem
quem in holocaustis & similæ oblatione ostẽdimus, Salo-
mon in libris suis expressit: cum primo loco prouerbia, se-
cundo ecclesiasten, tertio cantica canticorum instituit. In
B primo quippe morum correptio, in secundo mentis ad al-
ta volatus, per quem omnium quæ sub sole fiunt, vanitas
deprehenditur: in tertio, per cœlestis illius sponsi deside-
rium, defecatæ mentis impinguatio declaratur. *Anima igi-*
tur cum obtulerit oblationem sacrificij Domino. Notãdum quod
de holocaustis agens, hominis, non animæ, ea assignauit, di-
Leuit. 1. cens: *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus.*
Hic autem, *anima,* inquit, *cum obtulerit oblationem sacrificij*
Domino. Homo quippe ex anima constat & corpore. In il-
lis ergo tribus totus homo operatur, anima imperãte, cor-
pore obtemperante: aut laboribus insudans, aut solius in-
nocentiæ iura custodiens, seu etiam circa spiritualia sensus
suos exercens, legendo, scribendo, audiendo & loquendo.
Similæ vero oblatio, animæ est propria: quia quicquid de ea
dicitur, anima apud se intus inuisibiliter operatur. Vnde
Psalm. 55. Psalmista: *In me sunt,* ait, *Deus vota tua.* Sed & hoc aduerten-
dum, quia post holocausta, oblatio hæc sacrificiũ nomina-
tur. Non.n. sicut nos cômuni sermone terimus, indiscrete
omnes oblationes dominicas lex sacrificia appellat: sed si-
C gnanter & distincte has holocausta, illas hostias pacificas,
alias vero sacrificia nominat. Similæ ergo oblatio sacrifi-
cium dicitur, quia per ipsum offerẽs sanctificatur. Tria nẽ-
1 Tim. 4. pe quæ præmisimus, sine ista prodesse non poterunt. *Nam cor-*
2. Cor. 13. *poralis labor sine ista inutilis est,* teste Apostolo, qui ait: *si distribuero,*
inquit, *oẽs facultates meas in cibos pauperum, charitatem autẽ non*
habeam, nihil mihi prodest. De quorundã quoque innocentia
quæ superficietenus custoditur, tenemus Salomonis sen-
Prou. 11. tentiam, in qua dicitur: *Manus in manu, non erit innocens ma-*
lus: videlicet quia multi sunt, qui quamuis exterius opere
quiescant, apud se tñ in corde multa mala versant. Quid.n.
prodest quod multæ lectionis vsu bona cognouimus, nisi
piæ deuotionis affectu eadẽ eligam⁹? Merito ergo post ho-
locausta similæ oblatio sacrificij nomen sortita est, q̃ mẽtis
puritatem & diuinæ dilectionis pinguedinem nobis insi-
nuat. Ait itaque: *Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Do-*
mino, simila erit eius oblatio: fundetq; super eam oleum. Sequitur:
Et ponet thus.
Thus. Thus orationis speciem habet, teste Psalmista qui ait:
Psal. 104. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Post olei ve-
ro infusionẽ, huic similæ thus imponitur: quia non nisi a-
mantium virtus orationis est. Amor nẽpe desideriũ parit,
D desiderium orantes facit. Vera namq; postulationis non in o-
Orationis vis. ris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores e-
nim voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba
nostra, sed desideria. Æternam quippe vitam si ore peti-
mus. Si vero desideramus, ea corde, etiam cum ore conti-
Psalm. 9. cescimus, tacentes clamamus. *Desiderium enim pauperum ex-*
audiuit Dominus, & desideria cordis eorum audiuit auris tua.
Ac deferet ad filios Aaron sacerdotis.
Vt iam supra ostensum est, per filios Aaron, aut docto-
res animarum, aut quilibet intelliguntur fideles. Primo in-
tellectu simila nostra ad filios Aaron deferenda, & per eos
offerenda est: quia subditorum virtutes, prælatorũ doctri-
na informandæ, iudicio examinandæ, orationibusque cõ-
mendandæ sunt. Vt autem in filijs Aaron omne electorum
genus accipiamus, idcirco oblationes Dominicæ per filios
Aaron iubentur offerri, vt exinde aduertere liceat, nulliu⁹ E
oblationem à Deo accipi, nisi summi sacerdotis nostri pe⁹
bonam conscientiam & fidem nõ fictam, filius efficiatur.
Offerentes ait beatus Petrus, *spirituales hostias acceptabiles Deo* 1 Pet. 2.
per Iesum Christum. Quomodo aũt hostiam suam per Chri-
stum acceptare confidit, qui à membris illius alienus exi-
stit? Igitur similæ huius oblatio, ad filios Aarõ per eos Do-
mino præsentanda defertur: vt nos, si puritatem mentis
nostræ acceptam Deo fieri volumus, in membris Christi,
qui summus nobis est pontifex, numerari curemus.
Quorum vnus, inquit, *tollet pugillum plenum similæ & olei, ac*
totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suauissi-
mum Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aa-
ron & filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domini.
Vnus iste filius Aaron, Christum designat, qui de stirpe
Aaron ad nos exiuit. Ipse enim de vtraque tribu, sacerdo-
tali scilicet & regia, carnis originẽ traxit. Testatur hoc Eu-
angelista, qui Mariã Elisabeth cognatam fuisse perhibuit. Exod. 6.
Vtraque enim hæc tribus, cognatione semper adinuicem
probatur esse coniuncta, datis nuptum fœminis de tribu F
in tribum. Nam ipsum Aaron legimus vxorem duxisse E-
lisabeth filiam Aminadab, qui Iudæ abnepos fuit, ex qua
quatuor genuit filios, & inde tota sacerdotalis tribus de-
scendit. Sic & regum tempore, Ioiada summus pontifex fi- 2. Par. 22.
liam Ioram regis in coniugem accepit. Dñs itaque sicut Da-
uid proles, sic etiam Aaron fuit: vnde Ipse quoque verus &
rex & pontifex ad nos processit. Vnus ergo ex filijs Aaron,
vnus, quia singularis: *dilectus enim* (ait) *meus candidus & rubi-* Cant. 5.
cundus, electus ex millibus. Vnus itaque ex filijs Aaron, tollet
pugillum plenum similæ & olei, & incendet corã Domi-
no: reliquum autem erit Aaron & filiorũ eius. Anima quæ
per spiritus sancti gratiam veræ dilectionis pinguedinem
concepit, partitur in duo cũ & Deum diligere discit & pro-
ximum. Inde est quod Dñs in euangelio: *Diliges,* inquit, *Do-* Matth. 22.
minum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est primum & maximũ Mar. 12.
mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuũ
sicut teipsum. Hinc est quod coccus qui in veste sacerdotali
ponendus erat, bis tingi præcipitur: quia sancti amoris flã- Exod. 13.
ma in sanctorum cordibus geminatur. Hinc est quod Eli- G
seus à magistro admonitus, vt quod vellet peteret, eiusdẽ
magistri sui spiritum in se duplicari petijt: *Precor,* inquiens, *vt* 4. Reg. 2.
fiat spiritus tuus duplex in me. vt liquido daretur intelligi, quia
quicunq; sanctorum spiritum possident, nec Deũ sine pro-
ximo, nec proximum diligunt sine Deo. Hanc igitur chari-
tatis distinctionem etiam hic licet aduertere, cum similæ
huius pars in altari Domino concrematur, pars vero alia
Aaron filiorumque eius vsibus deputatur. Aliquando e-
nim Deo vacandum, aliquando autem proximis, si quid
possimus vtilitatis, verbo vel facto conferendum est. De
prima igitur parte sic dicitur: *Tollet vnus ex filiis Aaron pugillũ*
plenum similæ & olei, ac totum thus: & ponet memoriale super al-
tare, in odorem suauissimum Domino. Notandum quod similæ
pars sola, thuris vero non pars, sed ipsum thus totum Do-
mino incendi præcipitur. Orationis enim sacrificium, non
nisi Domino soli offerendum est. Nam & si sancti rogantur
à nobis, non tamen vt nos ipsi saluent: *Domini siquidem est*
salus: verum vt nobis salutem impetrent, postulãtur. Alio- Psal. 3.
qui *maledictus qui spem suam ponit in homine.* Hæc est igitur la- Iere. 17.
tria quæ soli debetur Deo, adorandi & sacrificandi deuo-
tio. Nẽpe ab illo solo salus humana & petenda & speranda
est. Similæ vero partẽ cum oleo ille filius Aarõ manu strin- H
git, & concremandũ altari imponit: quia Christus dexteræ
suæ virtute, mentis nostræ infirmitatẽ à multiplicitate ter-
renarum cogitationũ colligit, & collectam extollit: vt spi-
ritu illius adiuti, saltem ad horam in oratione Dño astare,
& compunctionis igne coram ipso ardere possimus. Neq;
enim similæ partem mediam, sed tantum pugillum plenũ
in altari cremari præcepit: vt intelligamus hanc veræ ora-
tionis potentiam, nec ipsis perfectionibus nisi raro posse
conferri. Pars igitur illa manu stringitur vt Dño offeratur:
quia mens nostra constricta, leuatur: sparsa vero, ad ima re-
labitur. Hinc Propheta Iezechiel in quadam sua visio-
ne. *Emissa,* inquit, *similitudo manus apprehendit me in cincin-* Ezech. 8.
no capitis mei, & leuauit me spiritus. Quid enim per cincinnum
capitis, in quo capillorum multitudo conglobatur, nisi
cogita-

A cogitationum nostrarum adunatio designatur? Propheta igitur per cincinnum apprehensus & leuatus est: quia quisquis multitudinem corporeorum phantasmatum a se abijcere, & mentem suam constringere non negligit, manu superni adiutorij ad altiora conscendit. Hanc etiam in canticis, (Cant. 5.) *Quæ est, inquit, ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus?* Sancta quippe anima sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit: quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit: nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Filius ergo Aaron partem similæ nostræ pugillo claudit, & altari imponit: quia Christus virtute sua, mentis nostræ dispersionem à terra colligit, & constrictam, ad superna sustollit. Sed notandum quod dicitur, *ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino.* De hac quippe oblatione in Ecclesiastico (Eccles. 35.) legimus: *Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam illius non obliuiscetur Deus.* Multum est enim apud Deum meriti, cordis contritio & compunctio lachrymarum: quia (Psal. 50.) *sacrificium Deo spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Lachrymæ sunt, quæ Samuelis ortum impetrauerunt: (1. Reg. 1.) quæ aperuerunt Thobiæ oculos, (Thob. 11.) & à nuru eius dæmonium excluserant. (Thob. 8.) Ipsæ sunt, per quas Mariæ Magdalenæ (Luc. 7.) crimina sub vnius horæ momento B deleta sunt: & de quibus illius doctoris nostri Augustini genitrici responsum est: *Vade, an sanctus ille, a me ò mulier, sic viuas, fieri non potest vt filius harum lachrymarum pereat.* Quod si plena potentiam lachrymarum comprehendere vis, Euangelicam recole historiam: vbi legimus post mortem Lazari: (Ioan. 11.) cum Dominus venisset Bethaniam, Martham ei obuiam fuisse. Quæ de fratris morte apud eum conquerens, resurrectionis illius à Domino promissionem accepit. Denique vocata Maria, affuit: & corruens ad pedes Iesu: *Domine,* inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Iesus autem videns eam plorantem tremuit spiritu, & turbauit seipsum, & ait: *Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide. Et lachrymatus est Iesus.* O vis, ò potentia lachrymarum, quæ cœli ac terræ Dominum, eum qui Angelorum hominumque sapientia est, ad lachrymandi humilitatem infirmitatemque deposuerunt. Maria vero, vitæ contemplatiuæ & eorum qui charitatis flamma erga Deum ardent, figuram gerit. De illa C quippe dictum est: (Luc. 7.) *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et, (Luc. 10.) *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Denique totam Euangelij retexe historiam, & nusquam Dominum Iesum lachrymatum reperies, nisi hic cum Mariæ (Ioan. 11.) ploranti compatitur, seu cum miseræ ciuitatis excidium præ(Luc. 19.)nunciasse refertur. *Ponet ergo,* inquit, *memoriale coram Domino. Non enim frustra audiet Deus, & omnipotens clamorem pauperum suorum non obliuiscetur.* (Iob. 35. Psalm. 9.) Est autem valde necessarium, vt cum de nobis in compunctione afficimur, etiam proximorum vitam zelemus. Sic ergo amantando compunctionis afficiat, vt tamen à proximorum solicitudine non auertat. Quid enim prodest, si amantes nosmetipsos, † relinquimus (†negligimus.) proximos? Hoc est itaque quod subiungitur: *Quod autem reliquum erit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius.* Noster quippe Aaron, Dominus scilicet Iesus, ad se refert, quicquid filijs suis, minimis videlicet ministris suis, dilectionis & piæ solicitudinis viderit impensum. Vnde ipse in iudicio dicturus est: (Matth. 25.) *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Sanctum sanctorum, inquit, de oblationibus Domini.* Notandum quia etiam parua illa quæ Aaron filijsque eius relin- D quitur, inter oblationes Domini computatur. Cum enim fratribus obsequia nostra pie impendimus, in hoc ipso Domino seruimus. Sed de similæ oblatione hæc dicta sunt. Transit vero lex ad ea quæ de simila fieri solent, & tria ponit sacrificia, de clibano, de sartagine, & de craticula. Et primi quidem legislatio hæc est.

De sacrificio cocto in clibano.

CAP. V.

CVm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo.

Suspensiua & quasi imperfecta oratio ista est. Nihil quippe de hoc sacrificio lex amplius loquitur, sed sartaginis sacrificium protinus subinfertur. In intellectu itaque perficienda, sicque legendum est: *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento offerre poteris,* id est, si ea his quæ de simila fiunt, quæcumque offerre volueris, hæc tibi prima supperit oblatio, panes poteris offerre. Sed quid panes post similam? Quæ inquam est ista consequentia, vt post oblationem similæ, cui oleum superfusum est, panes quoque præcipiantur offerri? Si scita volueris, huius etiam oblationis sacramentum aduerte. Non.n. post holocausta bouis seu auium, panum subintulit sacrificium: sed illis similam oleo superfusam annexuit, & subsequenter sacrificium in clibano coctum ordinauit. Quid namque (Clibanus) per clibanum, qui sibi commissa æstu & ardoris immictate inuoluit, nisi prelium huius mundi & tribulatio, fideles vndique coangustans, intelligitur? De qua ex persona martyrum Psalmista canit: (Psalm. 117.) *Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini quia vltus sum in eos. Circumdantes circumdederunt me, & circumdederunt me sicut apes.* Hæc vero tentationis immanitas, perfectis quidem probatio, infirmis vero subuersio est. Quod in ipso Apostolorum principe manifestissime apparet, qui ante olei superfusionem, ante spiritus sanctificationem, ad ancillæ vocem exanimuit: & mortem timens, vitam (Matth. 26. Marc. 14.) negauit. Post acceptum vero spiritus donum, nec ipsos principes reueretur: sed denuntiantibus illis, ne in nomine Iesu cuiquam loquatur, constanter respondet. (Act. 5.) *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Non igitur statim post sanctæ operationis initium, post intellectus veritatis illuminationem, camino tribulationis admittendus est, sed robur spiritus petendum & expectandum, ne quod perfectis sit vincendi occasio, imperfectis fiat præsumptionis subuersio. Nam ante passionem suam Dominus cum discipulorum corda ab humanitatis errore tolleret, & quod de filio hominis credere deberent eis insinuasset, scriptum est quia tunc præcepit eis, vt nemini dicerent quod ipse esset Christus. (Marc. 8. Luc. 9.) Nondum enim ad ea sustinenda idonei erant, quæ pro nominis huius confessione pati oportebat. Vnde & Petro, eadem iam imminente passione, dictum est: (Ioan. 13.) *Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.* Sed & omnibus illis post resurrectionem suam: (Luc. 24.) *Sedete, inquit, in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Docuit vtilitatis repromissione: G (Ioan. 15.) *Cum autem venerit, inquit, paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ille testimonium perhibebit de me.* Adueniente quippe spiritu, cum augmento diuinæ agnitionis, data est eis constantia vincendæ humanæ persecutionis. (Ioan. 15.) *Et vos,* inquit, *vos testimonium perhibebitis.* Quæ enim spiritu intus docente perceperunt, hæc abiecto timore pristino, foris loquendo & alijs ministrabant. Antequam ergo simila nostra clibani incendijs committatur, oleo superfundenda est: quia nisi mens humana virtute spiritus antea solidetur, igne tribulationis admoto, non coqui poterit, sed consumi. Ergo post impinguatam similam panes, quos supra dictum est ratione, subinferens; *Cum obtuleris, inquit, sacrificium coctum in clibano, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo.* Notandum quod quicunque passionis clibano examinantur, panes dicti sunt: quod virtute constantiæ roborati, & quasi Christi cibus effecti, post tribulationis clibanum, in corpus illius cœleste (id est, in societatem Angelicam) transferuntur. Vnde Irenæus Lugdunensis, de inclyto martyre loquens Ignatio. *Sicut dixit,* inquit, *Quidam ex nostris pro martyrio Christi damnatus ad bestias:* H *Frumentum ego sum Dei, bestiarum dentibus molar, vt panis mundus efficiar.* In panibus ergo duo lex seruari præcepit, vt scilicet absque fermento sint & oleo conspersi. Scriptum est: (In epistola Ignatij ad Romanos.) *Non in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Fermentum itaque vetus, fermentum peccati hic accipe. Nam (1. Cor. 5.) beatus Petrus fidelibus loquens: *Nemo, inquit, vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* (1 Pet. 4.) Si autem vt Christianus, non erubescat. (Matth. 5.) *Beati omnes qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Panes ergo quos Deo offerimus, absque fermento sint: vt cum mala ab hominibus patimur, non reatus criminis vindicetur in nobis, sed fides et pietas impugnetur. *Conspersos* (inquit) *oleo.* Testatur nempe Apostolus: (1. Cor. 13.) *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Dehinc sacrificium de sartagine, subiungitur his verbis:

A

De sacrificio sartaginis.

CAP. VI.

Et lagana azyma, oleo lita.

Sensus ad superiora respicit. Præmiserat enim: *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento.* Quod sic intelleximus: Si de simila offerre volueris sacrificium, aut coctum in clibano, aut de sartagine, siue etiam de craticula offeres: cum obtuleris coctum in clibano, panes offeres absque fermento. Nunc autem subdit, *Et lagana azyma.* Tanquam diceret: De simila non solum panes, sed etiam lagana offerre poteris. Sequitur:

Si oblatio tua fuerit de sartagine,

Id est, si eadem lagana obtuleris, de panibus siquidem nihil amplius loquitur.

Simila, inquit, conspersa oleo & absque fermento, diuides eadem minutatim, & fundes super eam oleum.

B Sartago.

Per sartaginem, mentium frixura intelligitur. Quid autem ita sanctorum mentes, vt zelus Domini frigit & excruciat? De hac sartagine ad Iezechielem dicitur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum, inter te & inter ciuitatem.* Sartago enim ferrea, murus ferreus inter Prophetam & ciuitatem ponitur: quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eundem zelum postmodum inter se & auditores suos fortem munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correptione dissoluti. Merito ergo post olei superfusionem, de simila hac non solum clibani, sed etiam sartaginis formatur oblatio: quia idem spiritus qui tempore belli, cum adhuc fidei pietas ab infidelibus impugnaretur, patientiæ virtutem in tribulationis camino sanctis præbuit: ipse tempore pacis ecclesiasticæ, contra peccantium vitia zelum eorum accendit. Vnde mista vtriusque temporis rationem, voce Psalmistæ sancta ecclesia, cum quid ab infidelibus passa sit, præmisisset: *Multi, inquiens, qui persequuntur me & tribulant me, a testimoniis tuis nō declinaui:* protinus etiam qualiter fidelium erroribus succenseat, subdidit dicens: *Vidi præuaricantes, & tabescebā, quia eloquia tua non custodierunt.* Igitur si oblatio tua fuerit de sartagine, simila erit conspersa oleo. Sancti enim doctores cum verba asperæ increpationis mouent, charitatis amore feruiunt, non inflatione elationis intumescunt. Mori namque pro eis parati sunt, quos quasi vsque ad mortem sæuientes affligunt. Peruersi vero pastores nonnunquam cum per increpationis zelum subditorum vitia corrigere videntur, si quid ab eis forte perpessi sunt, iniurias suas occulte vindicant: & pietatis speciem prætendentes, interius furoris stimulis excitantur. De quibus per Prophetam dicitur: *Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Nisi enim a subditis cupiditati eorum seruiatur ad votum, aliqua crimina eis obiicientes, quasi zelo diuino succensi, subditos persequūtur: & malitiæ suæ deseruientes, pietatis imagine palliantur. Quo contra de simila hac subiungitur: *& absque fermento.* Legislator noster cum contra præpositi superbiam, Abbatis zelum accenderet, & cum si incorrigibilis esset, de monasterio eiici præcepisset: de cauenda tamen fermenti mistura admonere illum curauit, dicens: Cogitet tamen Abbas, de omnibus iudiciis suis se Deo redditurum rationem, ne forte zeli aut inuidiæ flamma vrat animam. Si igitur simila quæ in sartagine frigitur, oleo conspersa, vt doctoris asperitas ex dilectionis radice consurgat: sit absque fermento, vt in intentionibus suis malitiæ pestem non abscondat. Sed notandum, quod non solum oleo conspergi, sed & superliniri præcipitur, cū præmittitur: *Et lagana azyma, lita oleo.* Lenitas quippe mansuetudinis non solum in corde esse, verumetiam in corripientis verbis foris apparere debet: vt videlicet ille q corripitur, tanto libentius diligentis vulnera suscipiat, quanto ob vtilitate suam omnia fieri nō ignorat. Fiat ergo quod per quendā sapientē dicitur: *Obiurgationi semper aliquid blanditiæ admisce.* Hanc corripiendi formam Apostolus nobis in seipso repræsentat, cum Galatas arguens, nunc in eos acrius inuehitur, nunc vero eis paterna pietate blanditur. *O insensati, inquit, Galatæ, quis vos fascinauit veritati non obedire?* Et post pauca: *Sic stulti estis, vt cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?* Sed post huius increpationis asperitatem, qua eorum dilectione ad huiusmodi verba descenderit, eis minime tacuit cum subiunxit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et: *Fratres, obsecro vos, nihil me læsistis.* Lagana ergo nostra non solum oleo conspersa, verumetiam oleo lita esse debent: vt scilicet doctoris mens, de eius qui corripitur dilectione non tantum sibi conscia, sed & auditoribus aliquorum verborum interpositione sint manifesta. *Quam bonum est*, ait filius Sirach, *correptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugiens voluntarium peccatum.* Hoc igitur fit, cum peccator corripientis se mansuetudine comperta, eius piam indignationem gratanter amplectitur: & increpantem diligens, aduersus reatum suum in iracundiā suscitatur. *Sic enim*, inquit, *effugies voluntarium peccatum.* Ergo si violenta & contumeliosa adhibeatur increpatio, licet ad tempus propter timorem, operis praui fiat intermissio, voluntatis tamen prauæ non sequetur mutatio. Sed de similæ nostra quæ adhuc præcipiantur, attendamus. *Diuides eam minutatim.* Sæpius contingit, vt cum doctor ad increpationis verba descenderit, modum excedat: & quos quā oportuit delinquentem obiurgans, cum sanare debuerat, amplius lædit. Vnde & lex eius inducit parabolam, qui cum proximo simpliciter ad cædenda ligna in syluam pergit: & ferro de manubrio egrediente, proximum occidit, Ciuitatem refugii ad quam confugere debeat, designat. Cum proximo simpliciter in syluam pergimus, cum pia intentione ad distinguenda proximorum vitia nos conuertimus. Ligna cædimus, cum eorum errata increpamus. Ferrum de manubrio fugit, cum increpatio modum transit. Proximus occiditur, quia charitas in eo extinguitur. Simila igitur minutatim diuidenda est, vt zelus nostri impetus temperetur: & singula verba nostra examinantes, ne quid contumeliosæ, ne quid immoderatius proferamus, solicitius perpēdamus. Autor Romanæ eloquentiæ quid de his senserit, si diuinis inseramus eloquiis, nō incongruum videri existimo. Nimirum cum omnis sapientia a Domino Deo sit, etiam illi qui perfectam Dei cognitionem minime habuerunt, Dei tamen munere illuminati, quod veritatis attingere potuerant, nobis vtilius quam sibi, scriptum reliquerunt. Ait ergo: Obiurgationes nonnunquā incidunt necessariæ: in quib. vtendum fortasse & vocis contentione maiore, & verborū grauitate acriore. Id agendum etiam, vt ne ea facere videamur irati. Sed ad vrendum & secādum, sic ad hoc genus castigandi, raro inuitique veniemus: nec vnquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil cōsiderate potest. Magna autem ex parte clementi castigatione licet vti, grauitate tamen adiuncta: vt & seueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Ac etiam illud ipsum quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius id causa qui obiurgatur, esse susceptum. Idem alibi: Omnis, inquit, animaduersio & castigatio, contumelia vacare debet. Diligenter gentilis huius verbis consideratis, perspicuum fiet, quomodo simila nostra oleum mansuetudinis non solum intus habere, sed etiam foris ostendere debeat: qualiter iræ fermentū repellendū, & in ipsa obiurgatione cum qua cautela & moderatione agendum sit. Restat propositi capituli particula nouissima, in qua prædictis similæ minutiis oleum iubetur superfundi. Quid igitus hęc olei in extremo superfusio, nisi pietatis & dulcedinis abūdantiam significat? Necesse est quippe, vt post increpationis acerbitatem, post disciplinæ districtionem, mens ægra verborum iaculis confossa, si eius correptio & digna reatus sui pœnitentia apparuerit, pastoris clementia refoueatur: vt si quid forte rancoris cōtra ipsum pastorem inter verba asperitatis contraxerat, fomentis subsequentibus aboleatur. Redi ad Apostolum. Cum ad Corinthios scribens, super eius immunditia qui nouercam suam coniugem fecerat, eos argueret: *Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gētes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Deh hoc reum ipsum anathematis sentētia feriēs: *Ego, inquit, absens corpore, pręsens autem spiritu, iā iudicaui vt pręsens, eū q sic operatus est, tradere huiusmodi sathanæ in interitū carnis.* In secūda vero epistola eū & eorum

Inceum

Margin notes (left): Sartago. — Iez. 4. — Psal. 118. — C — Ibidem. — Mich. 3. — Benedict. — D
Margin notes (right): E — Gala. 3. — Ibidem — Gala. 4. — Ibidem — Eccl. 20. — Eccl. 20. — F — Deut. 19. — Cicero — G — Eccl. 1. — 1. Offic. 38. — 1. Offic. 38. — H — 1. Cor. 5. — Ibidem

A

2. Cor. 2.

luctum & illius pœnitentiam cognouisset, paterna eos refouet pietate, dicens: *Cui aliquid donastis, & ego. Sufficit ei qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt è contra magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in eo charitatem.* Ecce hoc est oleum superfundere, menti sauciæ post zeli austeritatem blandimentorum fomenta adhibere. Hæc de sartaginis sacrificio si paulo latius disseruimus, nemini onerosum sit. Res etenim diligenti indigens discussione, tractabatur: in qua qui non à recto tramite exorbitet, vix aliquis inuenitur. Iam craticulæ oblationem paucis explicabimus.

Sacrificium de craticula.

CAP. VII.

Hic locus non conuenit cum vulgata editione.

SI autem de craticula sacrificium aquæ simila,

Id est, si obtuleris sacrificium de craticula, quod sicut cætera, de simila fiat, *oleo conspergetur.*

B

Craticulæ ignis non vndique inuoluit, clibani more: sed inferius superposita torret. Sancti igitur doctores cum vitia subditorum redarguunt, & prauæ eorum obuiant voluntati: si quid molestiæ ab eis sustinent verbo contumelioso, seu substantiæ temporalis aliqua diminutione, quasi craticulæ adustionem patiuntur. Sed & quilibet fideles, cum seu à prauis hominibus, seu ab inuisibilibus inimicis, siue etiam voluntate & deliberatione propria, dum carnem mortificant, & seipsos affligunt, mediocre aliquid sustinent, quod non nimis opprimat, nec patientiæ humanæ vires excedat, craticula est: cui superpositi, æstuando quidem, sed assiduo sanguntur. Hæc ergo simila huiusmodi igne torrenda, iubetur oleo conspergi. Cauendum etenim est, ne charitas nostra molestiarum assiduitate fatigata, aut erga Deum cuius dispositione hæc patimur, aut erga homines à quibus hæc patimur, extinguatur.

Quam offeres Domino, tradent manibus sacerdotis.

C

Cur nostra oblatio manibus sacerdotis offerenda tradatus, iam supra expositum est.

Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis domino. Quicquid autem reliquum fuerit, erit Aaron & filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus domini.

Quod de hac tertia dicitur, etiam de duabus præcedentibus oblationibus accipiendum est: vt pars scilicet earum super altare domino incendatur, pars vero reliqua Aaron filijsque eius seruetur. Vt enim de clibani sacrificio prius agam, sancti martyres partim pro diuina fide, partim vero pro fraterna vtilitate passionis tormenta sustinuerunt. Vide martyrem propter Deum patientem. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: In hoc laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum.* Agnoscis cuius hæc verba sint. Ipse & pro fratribus se pati ostendit, cum dicit: *Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.* Zeli quoque spiritalis eadem reperitur distinctio. Quæris hominem ad diuinas iniurias impatientem? Recole voces Eliæ: *Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel.* Phinees quoque zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. Quod & si aliquem quæris de proximorum profectibus pie solicitum, Paulus occurrat. *Æmulor,* inquit, *vos Dei æmulatione.* Et, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* In craticulæ quoque sacrificio eadem reperies. Nam quotidianis afflictionibus aut spiritui sancto templum in nobismetipsis paramus, aut fraternis vtilitatibus in aliquo consulimus. *Castigo corpus meum,* ait beatus Apostolus, *& in seruitutem redigo, ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar.* Sed & sancti doctores, seu quilibet fideles, idcirco in ecclesia carnalium mores portant, vt correptos eos, si fieri possit, quandoque socios habeant. Nunc sequentia videamus.

1. Tim. 4.

2. Tim. 2.

3. Reg. 19.

Num. 25.

D

2. Cor 11.

1. Cor. 9.

Omnis oblatio quæ offertur domino, absque fermento fiet.

Impugnat seipsam legis litera. In sequentibus quippe, panes fermenti præcipiuntur offerri. Sed nimirum verba literæ dum collata sibi conuenire nequeunt, aliud in se aliquid quod quæratur, ostendunt. Ac si quibusdam vocibus dicant: Dum nostra nos conspicitis superficie destrui, hoc in nobis quærite: quod ordinatum sibique congruens, apud nos valeat intus inueniri. Ad spiritualem igitur intelligentiam confugiamus. Vbi enim litera soluitur, spiritus stat: quia hic aliud, ibi vero aliud fermentum significat. *Omnis,* inquit, *oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet.* Manifestum est, & eam quæ de craticula offertur, quamuis ibi dictum non sit, oblationem hac comprehendi. Sicut igitur ista habuit sacrificij partitionem, quæ præcedentibus refunderetur: ita & illæ habuerunt absque fermento, quod in sensu huic superfunderetur. Et ipsa itaque, vt cæteræ, sine fermento esse debet. Nam & à malis hominibus cum affligimur, videndum est ne forte improbitate nostra hoc ipsum patiamur. Antiqui quoque hostis sæuitiam experientes, timendum nobis est, ne insti iudicis iustitiam accusemus, & murmurationis malo interius corrumpamur. Sed & in carnis maceratione inanis gloriæ corruptela vitanda est, iuxta illud dominicum: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Matth. 6.

E

Mel & fermentum prohibentur à sacrificio.

F

CAP. VIII.

NEc quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini.

Mel, dulcedo spiritualis nonnunquam intelligitur, vt est illud Salomonis: *Comede fili mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.* Sic & doctrina sapientiæ, animę tuæ: quam cum inueneris, habebis spem in nouissimis, & spes tua non peribit. Hic vero, cum lex à Domini sacrificio mel repellat, voluptas carnalis accipienda est, quę Domino placere non potest. *Qui enim* (ait Apostolus) *in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quicquid igitur illud est, vnde nos posse placere præsumimus: sicut malitiæ peste vacuum, sic à voluptate carnis fieri debet extraneum. Quod enim iam hic secundum carnem nos delectat, qua fronte retributionem diuinam in futuro expectat? Difficile vero est intellectu quod subiungitur.

Mel quid. Prou. 25.

Acceptio a elio alit. Roma. 8.

G

Primitias tantum eorum offeretis & munera, super altare vero non ponentur in odorem suauitatis.

Quid nanque est, quod Dominus eorum etiam quę despicit, primitias muneraque non respuit? Explicemus, vt poterimus. Si cui quod verius sit eluxerit nullum à nobis præiudicium sustinebit. Siquidem obscuram nobis videri sententiam non negamus. Iuxta ergo præmissam fermenti figuram, videamus quomodo fermenti primitiæ & munera Domino offeruntur: cum tamen ipsum nec altari imponi, nec odorem suauitatis Domino valeat exhibere. Sæpe contingit, vt quod bona intentione incipitur, dum minus cauemus, in vitium conuertatur. Sæpe enim bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat. Sæpe se bene inchoatæ iustitiæ nostræ ex latere ira subiungit: & dum zelo rectitudinis immoderatius mentem turbat, cunctam quietis intimæ salutem sauciat. Fermentum itaque irę seu inanis glorię, per se quidem placere non potest: tamen veniam, primordia sua prætendere potest & quasi primitias offerre. Excusabilis enim fit culpa, ad quam non deliberando accedimus, sed per ignorantiam & infirmitatem declinamus. Amici beati Iob, bona quidem intentione ad consolandum eum venerant: sed hoc quod pia mens mundum Deo obtulit, locutio præcipitata vitiauit. Qui tamen boni studij & rectæ fuerant intentionis, per eum postea in quem excesserant, reconciliari meruerunt. Beatus Apostolus de seipso fatetur: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Sed huius fermenti, crudelitatis scilicet tantę, quomodo Deo primitias offerat, & piæ intentionis merito se veniam obtinuisse testetur, audiamus: *Misericordiam consecutus sum,* ait, *quia ignorans feci in incredulitate.* Zelo quippe Dei mouebatur: & quod contra Deum agebat, propter Deum se facere æstimabat. Munera quoque de fermento offeruntur Domino, cum aliquis vsuris seu etiam rapinis & furtis assue-

H

Iob. 2.

Iob. 42.

1 Cor 15.

1. Tim. 1.

A rus, deuoto compunctus misericorditer erogat; quod crudeliter aggregauit. Si enim conuersus egerit pœnitentiam, & reatus sui medicinam à te quæsierit: quid tandem dabis ei consilij, nisi vt amicos faciat sibi de mammona iniquitatis: (Luce 16.) & si non inuenit quibus reddat quod rapuit, bene ipse distribuat quod male vsurpauit? Quæ tamen munera non eius sunt meriti, quomodo si de iustis laboribus daretur eleemosyna, sufficit eis, vt præteritæ rapacitatis dignam satisfactionem obtineant. Hoc est quod dicere videtur: *primitias tantum & munera offeretis, super altare vero non imponetur in odorem suauitatis.* Mellis quoque primitias Domino offerre possumus, cum (verbi gratia) simplici oculo edendi vsum suscipientes, vt scilicet ad Domino seruiendum vires corpori præbeamus, repente in voluptatem lapsi, gulæ desiderio satisfacimus. Inde igitur venialis iste reatus est, quod rectum nostræ intentionis propositum, infirmitas humana detorsit in vitium. Quod si quis infirmiori animi destinatione licitis vtatur voluptatibus, & dulcioribus cibis se assuescens, gulæ illecebris serpiat, si easdem delicias suas indigentibus communicet, quasi de melle offert Do-

B mino munera: quæ tamen suauitatis odorem nequaquam Domino exhibeant, sed reatum dissolutionis illius vtcunque excusent. Non enim magni est eleemosyna meriti, quæ ex superabundanti & cum nimia deliciarum resolutione tribuitur. Illa omnino, illa accepta est, quæ si ei indigentia consulitur, vt & tribuentis nonnulla indigentia subsequatur. *Vnus speciosa, ait Dominus, ex eo quod abundabat eis, miserunt in gazophylacium: hæc autem pene omnia quæ habuit misit, totum victum suum.* (Mar. 12. Luc. 21.) Ex fermento itaque & mellis primitias Domino muneraque offerimus, cum quædam nostra reprehensibilia, bonis suis principijs coram Domino humiliter excusamus: & si quid perperam consummauimus, postea in vsum virtutis conuertentes, culpam præcedentem, boni operis subsequentia tegimus. Neque fermentum neque mel coram Domino ponetur in altari: quia quod vitiosum est, nunquam à Domino poterit approbari.

Vt sal in omni sacrificio ponatur.

C CAP. IX.

Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies.

(Sal.) Sal, prudentiæ & sapientiæ formam habere testatur Dominus in Euangelio, vbi discipulos suos monet, dicens: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* (Marc. 9.) Hoc est sal quod Eliseus in aquas Iericho misit, & sterilitatem earum sanauit. Siquidem conquerentibus viris ciuitatis illius, quod aquæ eorum pessimæ essent & terra sterilis, dixit ad eos Eliseus: *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal.* (4. Reg. 2.) *Qui cum attulissent, egressus ad fontes aquarum, misit in eos sal, & ait: Hæc dicit Dominus, Sanaui aquas has, & non erit in eis vltra mors neque sterilitas.* Aquæ illæ steriles, Mosaicæ sunt sanctiones: (Aquæ steriles.) quarum superficies pene nil habet quod legentem ædificet, nil quod delectet. Quæ enim (quæso) ædificatio est, quod Moysen præcepisse legimus iugulare arietes, mactare hircos, septima quaque die ocij otia agere, & renascentem lunam quot mensibus solenniter celebrare? Quid (rogo) habet voluptatis, quod recens natis mutilantis membris teneris iubetur vulnus infligi? quod alius oculis

D priuari, alius manibus truncari iubetur, occidi maledicus, adultera lapidari? Sed *afferte*, ait, *mihi vas nouum, & mittite in illud sal.* Tanquam diceret: Cum ad legis lectionem accedit is, cor nouum afferte, & spiritualem vobis intelligentiam à Domino impetrate: & sic fiet vt in litera occidente, (Cor nouum ad legis lectionem adferendum.) vitam vestram inueniatis, & fiet vt ex amaris fontibus dulcissimas aquas hauriatis. Præcipit itaque Dominus in sacrificio suo sal apponi. *Quicquid, ait, obtuleris sacrificij, sale condies.* Hoc est ergo quod dicitur, Cum magna cautela & solicitudine Domino imperat ministrari. *Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter.* (Iere. 48.) Inde est & illud Apostoli: *Fratres, obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* (Rom. 12.) Scriptum quippe est: *Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti.* Recte autem offertur, cum recta intentione quid agitur. Sed non recte diuiditur, si non hoc

E quod pie agitur, etiam subtiliter discernatur. Quod nimirum qui agere dissimulat, etiam recte offerens peccat. Sæpe ergo & quod bono studio gerimus, dum discernere caute negligimus, quo iudicetur fine, nescimus: & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Hoc discretionis sal in sacrificio suo nequaquam posuerant, quorum insulsam deuotionem Apostolus reprehendit, dicens: *Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* (Rom. 10.) Prima ergo sanctorum discretio est, ne sub boni specie mala perpetrent: secunda, ne virtutum occasione in vitia declinent. Nonnunquam etenim insidiantia vitia, virtutum speciem assumunt: vt quasi immoderata ira, iustitia: & dissoluta remissio, misericordia vult videri. Sæpe inclusus timor, humilitas: sæpe effrenata superbia, aperta libertas apparere. Sic ex occasione virtutum vitia oriuntur: velut cum ex doctrina arrogantia, ex iustitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor nasci solet. Sanctorum ergo prouida discretio

F dum sollicite circumquaque conspicit: primo, ne mala quælibet virtutis similitudine decepta: secundo vero loco considerat, ne bona incaute faciat. Nullum ergo sacrificium inconditum relinquere oportet, sed sale omnia condienda sunt. Quod etiam sale, non tacetur. Sequitur enim:

Nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.

Nullus sensui suo se committere debet ad seruitutem Domini accedens, sed diuinæ cedere authoritati. Fœdus enim Dei, testamentum Dei dicitur, id est, scriptura sancta tam vetus quam noua. (Fœdus Dei.) Hoc itaque sale optimo sacrificia nostra sapida reddantur, vt scilicet omnia interiora nostra ad diuinorum præceptorum regulam componamus. Vnde Dominus per Moysen filijs Israel præcepit, dicens: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* (Deut. 4.) *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Item: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* (Deut. 12.) Sed & Dominus pharisæorum superstitionem arguens: *Quare, ait, transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* (Matth. 15.) Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias,

G dicens: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* (Isa. 29.) Non igitur auferamus sal fœderis Dei nostri de sacrificio nostro: sed diligenter quid præceperit attendentes, quod præcipit, hoc faciamus: quod autem non præcepit, nec ad implendis præceptis illius in aliquo vtile est, tanquam superfluum & superstitiosum in religione repudiemus. Nam & si sine rationem quidem habentia sapientiæ, secundum præcepta & doctrinas hominum, damnat tamen ea Apostolus, & contemnenda pronunciat. (Colos. 2.) Non igitur, inquit, auferas sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. Sed quia de sacrificijs solis hoc præceperat, nunc de omni opere tuo quod Domino offers, generaliter concludit, dicens:

In omni oblatione tua offeres sal.

Placere enim Deo non poterit, quod non ad normam voluntatis eius correctum fuerit. Nam si in rebus humanis tanta cautela agendum, admonuit quidam de mundi hominis sapientibus, vt diceret: Omnis actio temeritate & negligentia vacare debet: quid de Dei rebus æstimandum est? (Ciceronis sententia.) Sed de similæ sacrificijs hucusque sufficiant.

H *De primitijs frugum quæ offeruntur Domino.*

CAP. X.

Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes eas in morem farris.

Omnibus notum est, non nisi de maturis segetibus similam fieri solere. His ergo quæ de simila fiunt, sacrificijs pertractatis: nec illud omittitur, quod de eisdem segetibus ante maturitatem Domino offertur. Sciendum vero quod primitiæ dicuntur & fructus primitiui, & quod de eisdem iam adultam congregatis, antequam in humanos cedant vsus, primitias in Domini fuerint oblationem. Hic autem (Primitiæ.)

A

Far.

primitiæ primi fructus dicentur. Munus ergo primitiarum si obtuleris domino, torrebis eas igni, & confringes in morem farri. Far legimus genus esse segetis, tritico similis: quæ qualiter excuti soleas, nobis incognitum est. Lex tamen non diceret, vt in morem farris primitiæ torrerentur, & frangerentur, nisi hanc farris consuetudinem cognosceret. Quicquid autem illud sit, quod iuxta literam dicitur in morem farris: ad mysterij indagationem sata est, quod spicæ igne torreri & confringi iubentur. Quia enim per similæ sacrificia, perfectorum & eorum qui iam sunt moribus maturi, virtutes legislator descripserat: nunc ad eos etiam stylum vertit, qui teneri adhuc in via domini & recentes, iter tamen perfectionis ingrediuntur. Horum itaque rudimenta informat, qua disciplina se regere, & qua humilitate & patientia principia sua domino debeant commendare. Dicit ergo: *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum domino, de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni, & confringes in morem farris.* Notum est, quia spicæ virentes, nisi igni adustæ & confractæ, palearum integumenta minime deponunt. In hunc modum nec mentes neophytorum, desideriorum carnalium humoribus adhuc grauidæ, absque tribulationis igne

B

& propriæ voluntatis confractione, mundanorum affectuum paleas minime à se abijciunt. Nam adustionis ignem sibi adhibent, cum abstinentia corpus affligunt, laboribus subdunt, vigilijs frigoribusque fatigant. Ad huius rei exemplum, Dominus mox baptizatus, quadraginta dieb. ieiunauit: & populus ille antiquus de Ægypto adductus, eremi vastitatem & solitudinis illius ariditatem, quadraginta annis sustinuit. Spicarum autem confractio, in propriæ voluntatis abrenunciatione consistit. Confringit enim homo seipsum, quando suis voluntatibus contradicit: & non suo, sed alterius arbitrio viuere incipit. Legislatorem nostrum hic respiciam, qui quod Moyses depinxit in frugibus, in moribus expressit. Hic igitur continentium & perfectam viam arripientium rudimenta imbueret, quasi ignem spicis virentibus adhibens, in primo gradu timorem Dei & carnalium desideriorum castigationem proponit: secundo & tertio, de earum confractione nos admonens:

Matth. 3. & 4.

Abbas Benedictus.

C

Secundus, inquit, humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere. Tertius vero, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans dominum de quo dicit Apostolus: *Factus obediens vsque ad mortem.* Sequitur in lege:

Philip. 2.

Et sic offeres primitias tuas Domino fundens super ea oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.

Oleum.

Quod oleum, nisi cordis hilaritatem significat? Vnde, *Vnxit te*, inquit, *Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Funde ergo super primitias tuas oleum: vt cum propter Deum alterius imperio te subdis, obedientiæ laborem libenter feras. *Hilarem* enim *datorem diligit Deus.* Thus quoque imponere debes, id est: in opus quod aggredieris, diuinum auxilium precibus assiduis impetrare. *quia oblatio Domini est.* Ad malum quidem nobis sufficimus, ad bonum vero opus diuino adiutorio semper indigemus. Ait namque Deus ille magister: *Sine me nihil potestis facere.* Prædictus ille pater noster, in primo humilitatis gradu oleum nos superfundere primitiis nostris monet, cum dicit: Bono animo à discipulis obedientiam præberi oportet, quia *hilarem datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obediat discipulus, & non solum ore, sed etiam in corde si murmurauerit: & si impleat iussionem, tamen iam acceptum non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. De thuris quoque impositione nos instruit, cum in præfatione operis sui: Ad te, inquit, sermo meus dirigitur, quisquis abrenuncians proprijs voluntatibus, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis in primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas. Libet hic etiam ex scriptura filij Sirach versiculum vnum inserere, & organorum spiritus sancti admirabilem consonantiam commendare. *Bono animo, inquit, gloriam redde Deo: & ne minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Quod hic habes, bono animo gloriam redde Deo: hoc doctor noster dicit, bono animo à discipulis obedientiam præberi oportet. Humana enim humilitas, Dei gloria est. Nam contempserat Deum homo, quando in

Psal. 44.

2. Cor. 9.

Thus.

Ioan. 15.

S. Benedictus.

D

Idem

Eccles. 35.

Gene. 3.

B

paradiso positus, Dei præceptum transgressus est. Nunc vero cum propter amorem Dei non solum Deo imperanti, sed etiam alteri homini humilis se subdit, gloriam Deo reddit. Item quod hic legis, *ne minuas primitias manuum tuarum:* doctor noster exposuit cum ait: Nam cum malo animo si obediat discipulus, iam acceptum non erit Deo. Quod est enim minuere primitias, nisi meritum suum eis detrahere? Finem huius sanctionis accipe.

Eccles. 35.

De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti & olei, ac totum thus.

De parte reliqua cuius sit, non dicitur: sed ex præcedentibus euidenter intelligi datur. Constat enim quia Aaron erat & filiorum eius. Quod igitur & hæc oblatio vt sacrificia cætera, in duo partitur, & pars illius Deo, pars hominibus ascribitur: euidenter ipse qui cætera, in primo humilitatis gradu exponit. Hæc ipsa, inquit, obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepide, non tarde aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur: quia obedientia quæ hominibus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit.* Habeat igitur Deus in oblatione nostra partem suam, vt per bonam voluntatem coram ipso mens sanctificetur: habeat & homo suam, vt pro gratia ipsius quod ad eum peruenire poterat, responsum nolentis caueatur. Sed hoc aduertendum, quod pars illa quæ Deo separatur, in memoriam muneris iubetur offerri. Totum quippe munus nostrum Deo commendat, quod in subiectionis nostræ humilitate, timoris illius respectum habemus: quod seu cogitatione, seu actione eum maxime offendere formidamus. Alioqui hominibus tantum placuisse, nullius meriti est. Hinc ad hostias pacificas transeuntes, primo huius operis nostri libello finem demus.

S. Benedictus.

F

Luc. 10.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER SECVNDVS.

De bobus pacificorum.

CAP. I.

G

QVod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem siue feminam, immaculatam offeret coram Domino.

Leuitici cap. III.

Quid intersit inter holocausta & hostias pacificas, iam supra expositum est. In holocaustis enim, perfectorum vita: in hostijs vero pacificis, mediocris conuersatio designatur. Sunt quippe nonnulli, qui quamuis summa virtutum fastigia non ambiant, offensam tamen Deum habere refugiunt: indeque licet bona summa non expleant, mala tamen summa deuitant. Isti ergo hostias pacificas, seu (vt septuaginta transtulerunt) salutares offerunt: quia saluari quidem volunt, sed sufficit eis si saluentur, quamuis inter extrema sanctæ Ecclesiæ membra computentur. Hostiarum igitur pacificarum, eadem pene quæ superior, diuisio est. Alia namque bouis, alia ouis, alia vero capræ oblationem continet. Bouem immolat, quisquis in seculari vita mediocrib. deditus de ipsis laboribus suo Deo ministrat. Ouem offert, qui laborare non sufficiens, & infirmitate, & senio, seu etiam paupertate à misericordiæ actibus vocatus, per solam innocentiam Deo placet. *Pax omnibus in terra hominibus bonæ voluntatis.* Sed & capræ hostiam litat, quisquis veterem conuersationem melioris propositi castigatione immutat. Quas duas oblationes, ouis scilicet & capræ, licet in vnum prius redegerit, hic tamen distinguit, vt & vtriusque meritum commendet euidentius, siquidem vtrumque magnum est, & recedere à malo, & facere bonum: & nos de vtraque plenius instruamur, qualiter & innocentiam Deo consecrare, & vitia nostra corrigere debeamus. Aurum nulla hic fit mentio, quia contemplationis vires perfectionib. tribui solet. Nam & si in seculari vita multi sapientiæ & scientiæ diuitijs donati sunt, sciendum tamen, quia abre-

Pacificarum hostiarum diuisio.

H

Qui offerat bouem. Qui ouem. Luc. 2. Qui capram.

A nunciationis perfectio non in abiectione substantiæ, sed in mentis virtute consistit. Multi enim non habent & cupiunt, multi habent & contemnunt: *& sunt* (sicut dicit Apostolus) *qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtentes, & possident tanquam non possidentes.* (1 Cor. 7. 2 Cor. 6.) Isti igitur qui in rebus carnalibus spiritualiter agunt, Spiritus sancti charismatis dignissimi sunt. Alioqui de sapientia loquens Iob, testatur: (Iob. 28.) *Quia abyssus dicit, non est in me: & mare loquitur, non est mecum: nec inuenietur in terra suauiter viuentium.* Verba igitur legis hæc sunt: *Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem siue fœminam, immaculata offeret coram Domino.*

Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi: fundentque filij Aaron sacerdotis, sanguinem per circuitum altaris.

Cur hic marem seu fœminam, cum superius marem tantum de bubus præceperit offerri? ratio ibidem reddita est. Sed & omnia quæ in hoc capitulo pronunciant, cum iam B supra explanata sint, repetere hic non est necessarium. Sequitur autem:

Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domini, adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis intrinsecus est. Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suauissimi odoris Domino.

(Adeps.) Adeps, vt supra ostensum est, affectus noster est. Qui cum per varia & noxia distrahitur, diuersorum vitiorum nomina sortitur. Cum enim ad congregandam pecuniam, auaritia: cum ad corporis sui corruptionem, impudicitia: cum ad proximi læsionem deflectitur, malitia: cum vero dominari alijs appetit, superbia nominatur. Qui si ad vitium concupiscentiam se conuertat, virtutum omnium radix & origo est. Adeps ergo noster, pinguedo scilicet interna, & laudabilis & reprehensibilis est. Laudabilis, cum in Deum tendit: reprehensibilis, cum in eorum quæ carnaliter oblectant, appetitum cadit. Pro bono adipe rogat Psalmista: (Psalm. 62.) *Sicut adipe*, inquit, *& pinguedine repleatur anima mea.* De malo habes in Moysi cantico: (Deut. 32.) *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* Et Esaias: (Esa. 6. iuxta lxx. Actu. 28.) *Incrassatum est cor populi huius.* Affectus ergo noster in varia distractus, desideriorum C turbam & quasi adipum multitudinem parit. Notandum vero quod in hostijs pacificis, adipum pluralitas distinguitur: cum supra in holocaustis simpliciter dictum sit, (Leuit. 1.) *membra quæ cæsa sunt, desuper ordinantes*, caput videlicet & cuncta quæ adhærent iecori, vno nomine adipis comprehendens. Cor enim seculare, per multa patitur: cor vero quod charitatis igne plenius succensum est, ad vnum reuocatur. Hinc dicitur (Luc. 10.) *Martha Martha, solicita es & turbaris erga plurima.* Inde autem, (Ibidem.) *Porro vnum est necessarium.* Cuius etiam vox est in Psalmo: (Psalm. 26.) *Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.* Quatuor vero sunt, quæ in hoc loco sex commemorat. Adipem qui operit vitalia, pinguedinem quæ intrinsecus est: de binis renes cum adipe, quo teguntur ilia, coniungit: quarto reticulum, id est, adipem iecoris, renibus addit. Adeps qui operit vitalia, eum qui ad hanc vitam habetur, affectum significat. Delectat enim nos viuere: & si fieri posset, ad mortem non accedere nunquam vellemus. In vitalibus vero sedes est, & quasi quoddam vitæ huius retinaculum. (Pinguedo intrinseca.) Pinguedo quoque quæ intrinsecus est, eorum D innuit amorem quæ in hac vita possidentur: vt est domus, agri, pecunia, pater & mater, & alij propinqui: quæ omnia in hac vita si abundent, & ad votum suppetant, quasi beatos videntur facere possidentes. (Psal. 143.) (Renes duo.) Iam in duobus renibus quid intelligitur, nisi genuina illa voluptas, quæ ex coniunctione maris & fœminæ procedit? Hoc & ipse numerus indicat, quod duo sunt renes: vt quasi duarum personarum, ad quas voluptas illa pertinet, mentionem factam intuearis. His autem adeps quo teguntur ilia, siue (vt alibi dicitur) qui est iuxta ilia, adiungitur. (Ilia.) Ilia situ ipso membrorum, genitalibus appropinquant. Adeps igitur iste qui renibus in sacrificio copulatur, voluptas illius denotat affectum: qui tamen cum ilia tegere aut ilibus iuxta esse describitur, cautela nobis timoris tribuitur: vt scilicet cogitemus, quia si mens prauæ concupiscentiæ subditur, non longe est vt etiam corpus prauo operi substernatur. Mors E enim secus introitum delectationis posita est. In iecoris vero, id est, hepatis reticulo, quid nisi nocendi appetitum accipimus? (Iecur.) Hepar siquidem fons sanguinis est. Et quid per sanguinem, nisi crudelitas figuratur? (Sanguis.) Vnde & beatus Gregorius illud Esaiæ sic exponit, vt dicat: (Esai. 1.) *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*, id est, opera crudelitate. Hos igitur omnes adipes Dominus sibi sequestrari, & in altari coram se incendi præcipit: vt videlicet affectus isti in altari mentis diuino igne assumantur, non vt prorsus absumantur, quod proculdubio perfectæ beatitudinis essent: sed vt per creatoris amorem isti affectus, per quos creatura seu licite seu illicite concupiscitur, ad iustum modum mensuramque legitimam reuocentur. Nam si amatur hæc vita, ab imperfectis nimirum, qui sanguinem suum (quod de auibus supra ostendimus) ad basim altaris nondum transtulerunt: si amantur ea quæ in hac vita possidentur, ab illis scilicet qui omnibus renunciare nequaquam sufficiunt: necesse est tamen, vt amori diuino hæc omnia postponantur, vt videlicet si eo articulo fidelis quilibet constringatur, quo aut ista perdere, aut à F Deo compellatur recedere, quamuis ægre, quamuis cum dolore, malit diuelli ab omnibus, quam pietatis iura apud se violare. *Qui enim amat patrem aut matrem plus quam me*, ait Dominus, *non est me dignus.* (Matth. 10.) Quod & si tempore pacis ecclesiasticæ necessitatis huius desit examen, debet tamen semper ipsam fidelis anima subtiliter discurere, quid cui intus in corde præponderet, amor seculi an Dei: temperandusque est ea mensura præsentium appetitus, vt quamdiu placato Deo possideri poterunt, habeantur: si vero ea negetur facultas, abijciantur. In hac deliberatione mens iugiter conseruanda est, vt etiam si ab hominibus deprehendi euidenter non possit hoc optimum mentis propositum, Deo tamen quem intima nostra non latent, fiducialiter cantetur. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* (Psalm. 56.) Quanquam & hac pacis tranquillitate nonnulli manifesti fiant, voluptatum amatores magis quam Dei. Siquidem non fide solum prodita, sed & vitæ probitate perdita, Deo renunciatur. Quisquis igitur furtis, rapinis, seu etiam vsuris mauult, Deo offenso, arcam suam implere, quam cum pace ipsius paupertatem pati: huius adipes interiores ignis sacer nondum ad se rapuit, quia apud ipsum amor creatoris appetitum præ- G sentium intra leges suas minime conclusit. Necessario itaque in hostijs pacificis adipum concrematio commendatur: quoniam licet inuita carnali, compescendi tamen sunt carnales affectus, ne per eorum intemperantiam subito etiam ipsa conuersationis mediocritas, qua seruata pax est homini, deseratur. Nam & renes cum adipe, qui ilibus iuxta est, huic igni traduntur: quia in coniugijs viuit quidem coniugalis effectus, sed ne per illicita diffluat, timore diuino constringitur. Vnde Dauid precatur, dicens: (Psal. 25.) *Vre renes meos Domine.* Sed nec hoc sufficit ad pacem cum Deo custodiendam, nisi etiam cum virtute continentiæ, pax ad proximos & animi mansuetudo seruetur. Vnde dicitur: *Et reticulum iecoris cum renunculis.* Malitiæ nanque refrenatio, libidinis temperantiæ associanda est: iuxta illud Apostoli: (Hebr. 12.) *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Quod dicitur, *sine qua*: & ad pacem, & ad sanctimoniam referendum est. (Ephes. 5.) Sicut enim fornicatores & adulteri & immundi, sic nec rapaces, fures, maledici regnum Dei possidebunt. Ergo si in mente adhuc carnali contra lædentem, H contra iniuriantem ira subrepserit, aut animi bonitate denuo mitigetur, aut saltem eo qui læsit, satisfaciente & veniam poscente, eijciatur. *Si enim non dimiseritis*: ait Dominus (Matth. 6.) *hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis delicta vestra.* Isti sunt itaque adipes cum renibus, quos Dominus carnibus hostiæ vsibus humanis concessis, in oblationem suam secerni præcepit: quia videlicet quicquid boni operis à fidelibus agitur, hoc hominibus vtile est, ab hominibus quoque videri & laudari potest. Affectuum quoque sanctificatio, non nisi diuinis oculis manifesta est: *cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* (Rom. 2.) Sciendum vero quod hanc quadrifariam affectionis humanæ diuisionem, Apostolus in epistola sua sub tribus gradibus comprehendit. *Apparuit*, inquit, *gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo.* (Tit. 2.) Vbi enim pie viuendum præcipit, adij-

A pem vitalium siue pinguedinem quæ intrinsecus est, Domino uber adolet. Pietas. Pietas siquidem est, quando Deus tanto affectu colitur, vt vita ipsa & quicquid in vita amatur, amortalibus subijciatur. Sobrietas. In sobrietate quoque, de renum adustione nos admonet. Subrietas quippe est temperantia voluptatum. Iustitia. Sed & in iustitiæ præcepto, iecoris adipem igstringit: quia profecto iustitia est, cum proximorum lectiones minime ambiuntur, sed rationis æquo libramine singulis quæ sua sunt, distribuuntur. Quæ vero de bouis hostia dicta sunt, omnia pene in ouis oblatione replicantur. Prætermissis igitur quæ iam tractata sunt, pauca quæ hic mutantur, discutiemus.

De oue pacificorum.

CAP. II.

Si vero de ouibus fuerit eius oblatio & pacificorum hostia, siue masculū, siue fœminam obtulerit, immaculata erunt. Si agnum obtulerit coram Domino, ponet manum super caput victimæ suæ, quæ B *immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij, fundentq; filij Aaron sanguinem eius per altaris circuitum. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia, & vtrunque renunculum cum adipe qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis, & adolebit ea sacerdos super altare, in pabulum ignis & oblationis Domini.*

Cum siue masculum siue fœminam offerri concedat, quod de agno solum prosequitur, ideo fit, quia quæ unguis de masculo sancit, eadem & de fœmina subintelligenda relinquit. Hoc iam in sacrificijs & in primitiarum munere supra notauimus, quia scriptura sancta quædam manifeste loquitur: quorundam vero, licet de eis taceat, per ea quæ aperte exprimit, veritatem insinuat. *Quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij.* Bouis victimam, tam in holocaustis quam in pacificis, ad ostium applicari: ouē vero, in holocaustis ad latus altaris mactari præcepit: nunc autem, *si agnum obtulerit*, inquit, *immolabitur in vestibulo tabernaculi.* C Vestibulum tabernaculi, atrium erat coram tabernaculo. Siquidem tabernaculum triginta cubitis in longum, & decem in latum, compactis tabulis erigebatur. Circa ipsum vero atrium tentorijs cingebatur, centum cubitis in longum, & quinquaginta in latum. In cuius parte orientali ante introitum tabernaculi, altare holocausti collocabatur: & hoc dicebatur vestibulum tabernaculi. Ibi igitur hostiæ seu in tabernaculi introitu, seu ad latus altaris, siue etiā (vt de ista dicitur) vbicumque in eodem vestibulo, immolabantur. Quod itaque bos ad ostium, ouis vero non ad ostium, sed vbicunq; remotius in vestibulo iubentur offerri, significatum arbitror, quia vnicuique quanto in obsequijs diuinis fuerit cura propensior, tanto & accedendi ad Deum fiducia constantior erit. Vnde bos ille maximus, qui plus omnibus laborauerat, non trepidans neque hæsitans, sed cum omni constantia spei suæ certitudinem nobis in- Tim. 4. sinuat, dicens: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero, reposita est mihi corona iustitiæ.* Sed & be- 2. Pet. 1. atus Petrus in epistola sua: *Magis satagite fratres, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et cum ad quatuodam virtutum exercitium exhortatus eos fuisset: Ibidem D *Hæc, inquit, facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnū Domini ac Saluatoris.* Patet itaque, quia quicunq; pp verba labiorum Domini, vias duras & laboriosas custodiunt, ad ostium tabernaculi cœlestis liberum accessum inueniunt. Qui vero sola innocentia & simplicitate contenti sunt, timeant semper necesse est, ne tanquam inutiles & infructuosi, beatitudinis illius participatione iudicentur indigni: nō quod eis desperatio ingeratur, sed quia non eadem quę fortioribus, spei certitudo tribuitur. Non enim scriptum est, omnis ar- Matth. 3. & 7. bor quæ facit fructum malum: sed *omnis quæ non facit fructū bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vnde isti qui ad laboressinualidi sunt, qui spiritualium virtutum fructum non afferunt, saltem per humilitatē placere debent, vt quo magis indignos se iudicant, eo facilius dignus efficiant. Non ergo immolabitur ouis ad ostium tabernaculi, in vestibulo tamen. E Vestibulum. Vestibulum nobis fides est, qui per fidem tendimus ad speciem. Quandiu credimus quod nondum videmus, quasi extra adhuc sumus. Cum autem peruenerimus, iam fides non erit, sed species. Extra vestibulum ergo nulla hostia immolatur, quia extra fidem spes salutis non datur hominibus. Heb. 11. Quippe *sine fide impossibile est placere Deo.* Postremo ad adipes descendens: *Et offerent*, inquit, *de pacificorum hostia sacrificium Domino.* Diligenter aduertendum est, quod post simulę sacrificia, secundo hic sacrificium nominat. Dicuntur enim sacrificium & adipes pacificorum, qui Domino offeruntur. Vnde, nisi quia & ipsi sicut simila, non opera exteriora, sed mentis sanctitatem designant? Sequitur. *Adipem & caudam totam cum renibus.* Hoc de boue prius non dixerat. Siquidem quatuor adipum genera, quæ in bouis hostia præcepit offerri, hic quoque subiunxit his verbis: *Et pinguedinem quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia.* Quod idem videtur dixisse superius, vbi de boue ait: *Adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis intrinsecus est.* Quod enim hic dicitur, *pinguedinem quæ operit ventrem*: ibi dictum videtur, *adipem qui operit vitalia.* Quod hic dicitur, F *atque vniuersa vitalia*; ibi dictum adiecto, *& quicquid pinguedinis intrinsecus est*, id est, in ipsis vitalibus. Duo vero reliqua manifestius ponuntur. *Et vtrumque renunculum cum adipe qui est iuxta ilia, reticulumq; iecoris cum renunculis.* Renes & renunculi, quamuis in partibus corporis aliud & aliud sint: siquidem renes posteriora pecudis nominantur, renunculi vero sub renibus in adipe latitant: in significatione tamen plerumque nihil distant. Nam & renes pro renunculis, & renunculi pro renibus, dum lex aut ea quæ iam dixerat replicat, aut alia similia narrat, poni solent. Hic tamen aliquid differre existimo, nempe vbi tam distincte commemorantur, vt cū renes prius cum cauda offerri præcepisset, postremo de renunculis, & vtrunque, inquit, renunculum cum adipe qui est iuxta ilia. Totum igitur capitulum hoc ab initio repetentes, & quod amplius additum, & quod aliter dictum est in eo, discutiamus. *Et offerent de pacificorum hostia sacrificium* Gregor. *Domino, adipem & caudam totam cum renibus.* Beatus Gregorius super Iezechielem: Magna, inquit, legentium debet G esse discretio, aut in sacro eloquio cum quilibet vnus sermo dicitur, non semper vnam eandemque rem significare credatur. Et cum multis hoc perdocuisset exemplis, cum de vna, ait, porta Propheta diutius loqueretur, recte fides intellecta est, quia vna est omnium electorum fides. Cum vero aliæ portæ nominantur, intelligi ora prædicatorum possunt, per quæ vera vita cognoscitur. Idem & nos in hoc loco dicere possumus; cum sigillatim lex adipem ponat, distinctum ab illa adipum pluralitate quam deinceps subiungit: non idem per hunc, quod per illos, significare videtur. Adipem itaque hunc, affectionem sanctam & piam deuotionem, qua Deo seruitur, intelligamus. Dicitur igitur: *Offerent adipem & totam caudam cum renibus.* Hoc totum, vt supra diximus, huius hostiæ legislatio, cæteris amplius habet. Et vide quam necessario. Scriptum est enim: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Et cui tantum de Iere. 48. negligentia, quam simplicibus & ociosis timendum est? Videmus namque quam plurimos, qui dormiendo, comedendo, vanis sermocinationib. intendendo, vitam consumentes: quia tamen à furtis, rapinis, homicidijs manus continent, religiosissimos se arbitrantur. Præmia iustorum & peccatorum supplicia non cogitant: peccatis alienis insultant, sua non vident. Multi huiusmodi & in vi- H ta seculari, & in continentium conuersatione inueniuntur: qui tamen bonis corporaliter admixti, quasi oues gregem sequentes, pene absque deliberationis propriæ iudicio, absque remunerationis æternæ intuitu, formam viuendi quam ab alijs sumunt, multitudinis attonitæ tracti, speciētenus custodiunt. Isti ergo deuotionis adipem non habent: quia innocenter viuendo, non vt Deo placeant, sed vt hominibus conformentur, inuigilant. Horum innocentia inutilis est: quia quicqd fecerit homo, nisi ex charitate hoc fecerit, nihil ei prodest. Adipem itaque pietas in hostia nostra ponere debemus, & cum adipe caudam totam offerre. In cauda, finis est corporis. Quid igitur in cauda pecudis, nisi consūmatio sanctæ deuotionis accipitur? Et vide quos potissimum de perseuerantia monuerit. Non

A enim de boue caudam offerri præcepit, sed de oue. Reuera namque, vt in ouis holocausto supra ostendimus, simplicibus & desidiosis de inconstantia timendum est. Nam & ibi anniculum præcepit esse quod offerebatur, vt videlicet huiusmodi homines nequaquam vouere præsumerent, quod non diutina prius deliberatione solidassent. Scriptum est enim: *Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* (Prou. 15.) Qui enim sanctis laboribus se exercent, lucris quotidianis & propositi sui successu lætificati: voluptate maxima significantur, & in maius proficiendi desiderium quotidie succenduntur. Qui vero laborem omnem refugientes, pigritiam amplectuntur, animi acedia languentes, & fastidio suo grauati: in aliud transire quasi melius aliquid reperturi, & consilium sæpe mutare coguntur. Nobis ergo, si volumus adipi nostro caudam coniungere, solicite vigilandum est, & precibus assiduis rogandus est Deus, vt qui cœpit in nobis bonum, ipse perficiat: & sanctæ deuotionis oblatio, vsque ad finem debitum illibata permaneat. Sed notandum, quia caudam cum renibus offerri præcepit. Renes hic non (vt supra) solam concubitus illecebram, sed omnem carnis voluptatem insinuat. (Renes.)
B Renes ergo cum adipe Domino incendendi sunt, vt ignis diuinus & illum inflammando prouehat, & istos aduerendo compescat. Licet enim vnus sit erga diuersa, tamen modo contrario vim suam exercet: vt & quod sibi consentaneum est nutriat, & quod contrarium, consumat. Ad vtraque quoque cauda tota coniungenda est, vt tam sanctæ seruitutis affectio, quam carnalium voluptatum restrictio, indefessa & consummata perseuerantia compleatur. Quæ autem sint carnis illecebræ, quæ per amorem spiritualem castigandæ sunt: sub quatuor adipum typo, quos iam supra in bouis hostia distinximus, ostenditur: *Expinguedinem*, inquit, *quæ operit ventrem atque vniuersa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis.* Quod prius per renes in bouis hostia, hoc per renunculos hic significauit. Hoc solum notandum intueor, quod vbi prius adipem, qui operit vitalia, posuerat; hic, adipem qui operit ventrem, nominauit. Nec sine causa hoc factum existimo. Adeps quippe qui operit ventrem
C ventris concupiscentia est, estque huiusce ille, qui pro ventris saturitate nimie solicitus est. Hunc vitiosam maxime edomandum indicat: quia illos potissimum gulæ tangit illecebra, dum otij sui nauseam sustinent, & quærunt vbi requiescant. Post hunc adeps qui in vniuersis vitalibus reperiri potest, sacro igni absorbendus committitur: vt nullius rei, quanquam huic vitæ necessaria sit, amor charitati diuinæ anteponatur. Tertio, duo renunculi cum adipe suo: quarto, iecoris adeps altari imponitur. *Et adolebit*, inquit, *ea sacerdos super altare, in pabulum ignis & oblationis Domini.* Mirum quod carnales isti affectus, qui spirituali igni contrarij sunt, in pabulum eius esse perhibentur. Per eos enim spiritus extingui potius quam vegetari crederetur. Sed recolendum quod iam supra disputatum est, concupiscendi scilicet fontem, naturaliter animæ insitum: hoc solum in ea reprehensibile esse, quod eam vim per quam in Deum consurgere debuit, ad hæc infima & abiecta deponit. Affectio itaque humana per hæc visibilia multipliciter sparsa, igne ardet concupiscentiæ, & plurimos affectus parit. Qui tamen, si ad Deum conuersi & quasi altari impositi fuerint, alium ignem concipiunt, & alias flammas enutriunt. Adipes igitur altari applicati, Domino offerantur, vt sacer
D ignis pabulum ab eis accipiat: quia motus animi per quos carnaliter viuitur, nisi ab impetu suo reuocentur, non est in homine vnde Deus ametur. Quod vero additur, *& oblationis Domini*, sic intelligendum est, quia ipse ignis oblatio Domini est. In pabulum ignis & oblationis Domini, id est, in pabulum illius ignis qui Domino offertur.

De capra pacificorum.

C A P. III.

SI capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, ponet manum suam super caput eius, immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonij, & fundent filij Aaron sanguinem eius per altare circuitum. Tollentque ex ea in pastum ignis Domini, adipem
E *qui operit ventrem, & qui tegit vniuersa vitalia. Duos renunculos cum reticulo quod est super illos iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis. Adolebitque ea sacerdos super altare, in alimoniam ignis & suauissimi odoris.*

MInime prætereundum est, quod cum ouis hostia ob operis infirmitatem à tabernaculi introitu elongata sit, capræ victima in ipso introitu iubetur immolari. Si enim cuipiam timorem conuersationis suæ indicit infirmitas, si cuiusquam desumptionem debilitat: nonne eius potissimum, quem præteritorum facinorum remordet conscientia? Quid est igitur quod peccatoribus tanta accedendi conceditur libertas, cum hi qui, quamuis magnis virtutibus vacuam, innocentem tamen se recolunt transcurrisse vitam, longius stare præcipiantur? Sed cognosce scripturæ sanctæ intentionem: quia pene vbique peccatores, si conuerti voluerint, in spem reuocare conatur. Inde est quod sæpius eorum proponit exempla, in quibus *cum prius abundasset peccatum, superabundauit gratia*: vel qui ab statu iusti- (Roma. 5.)
F tiæ miserabiliter lapsi, fructuosa postmodum pœnitentia, primam meritorum gratiam transcenderunt. Habes Dauid, Petrum, publicanum prius, postea Euangelistam Matthæum, sed & Paulum Apostolum, qui cum se inter peccatores primum computet, *sed misericordiam*, ait, *consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt.* Vides cum publicanis (1.Tim. 1.) & peccatoribus manducantem Dominum Iesum, & voce piissima protestantem: *Non veni vocare iustos sed peccatores.* (Matth. 9.) Ipse surgens à mortuis, non genitrici sanctissimæ primitus se manifestauit: sed sicut Euangelista ait, *surgens mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.* (Mar. 16.) In his omnibus ea intelligitur Dei dispensatio, vt misericordiæ spem recipiant, qui malorum suorum memoria perturbati, cito poterant desperare. In his vero quorum innocentiam supra commendauimus, non humilitas nimia erigenda, sed præsumptio incauta fuerat reprimenda: quia adeo sibi quod magnorum criminum conscientia non vrgentur, blandiri solent, vt licet ad omne opus bonum pigri, ingressum tamen supernum sibi patere non dubitent. Non igitur cum oue capra ab ostio elongata est,
G ne dum istis datur cautela timoris, incurrant illi præcipitium desperationis. Dehinc in capræ oblatione adipes illos quatuor, quos prius in ordine ponens, non adipem qui operit vitalia, sed sicut de oue, adipem qui operit ventrem, nominauit. Et hic quoque sic dici oportebat. Quicunque enim vitæ veteris immunditiam derelinquit, si non vult ad ea relabi quæ deserit: in primis necesse est ventrem restringat, ne forte dominante gulæ vitio per carnis illecebram, quicquid fortiter aggressus est, perdat. Moros quippe Ierusalem princeps coquorum destruxit: quia venter (Iere. 52.) cui à coquis multa cura seruitur, virtutes animæ dum non restringitur, perdit. De renibus vero lex nullam fecit mentionem, sed renunculos pro eis posuit: quia vt supra diximus, duo hæc aliquando eandem significationem complent: & mutuo pro se inuicem renes pro renunculis, & renunculi pro renibus poni solent. Sequitur:

Omnis adeps Domini erit iure perpetuo, in generationibus & cunctis habitationibus vestris: nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis.

H Quæstio est, de quo adipe dicat, an eorum solum animalium, quæ coram tabernaculo Domino mactabantur, an omnium omnino, etiam eorum quæ passim per domos à filijs Israel in vsus proprios occidebantur. Hoc enim videtur innuere, vbi ait: *In generationibus & cunctis habitationibus vestris.* Sed & quod in fine sic conclusit: *nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis.* Sicut enim de sanguine vniuersale præceptum est, nullius quippe animalis sanguinem (Gene. 9. Leuit. 7. Deut. 12. & 15.) comedere licebat: videtur & de adipe vniuersale esse. Sed sequentia legis intentionem apertius declarant. Longe quippe inferius cum pacificorum legislationem recapitularet: *Adipem*, inquit, *cadaueris morticini, & eius animalis quod à bestia captum est, habebitis in vsus varios.* Patet ergo quia quod (Leuit. 7.) dicitur, omnis adeps Domini erit, non vniuersale præceptum datur. Manifeste quippe legis ipsius præcepto, morticinorum adeps in vsus cedit humanos. De quo igitur adi-

A pe dicere intendat, *Omnis adeps Domini erit, & adipem non comedetis*, declaratur ibidem cum præmittitur: *Adipem bouis & ouis & capræ non comedetis.* Rursumque: *Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* Manifestum est itaque, quod de illo adipe dicat, qui de hostia bouis, & ouis & capræ Dño sequestrabatur, & super altare incendi præcipiebatur. Quod autem additur, *in generationibus & cunctis habitationibus vestris*: per generationes futuras postmodum ætates: per habitationes vero, singularum ætatum diuersas ciuitates & oppida, & omnes omnino habitationes filiorum Israel comprehendit. Dicit ergo: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo, in generationibus & cunctis habitationibus vestris*, id est, per omnes ætates futuras, quibus regnum Israel subsistere habet: & per omnes mansiones vestras hoc obseruabitis, vt quicunque ad tabernaculum hostiam Domino oblaturus ascenderit, adipem hostiæ suæ comedere non præsumat: sed iuxta præceptum, Domino illum incendat. Sed mysterium requiramus. Adeps hostiæ, deuotionem offerentis insinuat. Hunc Domino incendit, quisquis in sancti propositi executione, diuinam magno desiderio gratiam expetit: qui Dei, non suam in opere suo gloriam requirit. Qui vero munus diuinum sibi applicat, qui se, non muneris largitorem laudari affectat: adipe suo vescitur, quia deuotionis suæ laudibus saginatur. *Nec adipem ergo*, inquit, *nec sanguinem omnino comedetis*: quia nec praui operis appetitum recipere debes, nec si quid boni egeris, tibi applicare. Sanguis enim, vt longe superius declaratum est, carnalis appetitus typum habet. Sicut enim in sanguine vita carnis est, sic in appetitu praui operis, fomes subsistit conuersationis carnalis. Funde sanguinem, & continuo caro morietur: tolle malam voluntatem, & cessabit qui mala operetur.

Ibidem.

Ibidem.

Adeps hostiæ.

B

Sanguis.

De vitulo qui offertur pro peccato pontificis.

Cap. IV.

C

POst holocausta, post pacifica, ad hostias quæ pro peccatis offerendæ sunt, lex transitum facit: congruo satis ordine, vt quia hucusque tam perfectos quam mediocres, qualiter in præceptis Dei agere deberent, docuerat: nunc, si quid contra eadem præcepta per humanam infirmitatem aut ignorantiam perpetratum esset, qua satisfactione purgaretur, imbueret. Hostias igitur pro peccatis descripturus, ab illa incipit, quæ totius mundi tulit offensam: quam ille pro nobis obtulit, qui & sacerdos & hostia factus, sanguine suo patri mundum reconciliauit. De hac quoque & nos locuturi, ab ipso petimus, vt auferat velamen de cordibus nostris, quo claritatem vultus Moysi intueri possimus, & intelligamus quam verum sit, quod de ipso Iudæos arguens, protestatus est: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.* Vere enim, si sit qui intelligat, spirituales hic radios facies Mosaica vibrat. Sequitur itaque:

Ioan. 5.

Leuitici Cap. 4.

Locutus est Dominus ad Moysen: dicens: Loquere filijs Israel, Anima quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quippiam fecerit: si Sacerdos qui est vnctus, peccauerit, & delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.

D Anima, substantia est inuisibilis, pars hominis, ex qua homo cum corpore compositus est. Hæc triplicem habet vim. Prima est, qua in corpore & per corpus viuitur, vita sensualis: qua corpus vegetat, & per corporis sensus exteriora ista sentit ac discernit. Secunda est, quam apud se exercet: per quam non solum ea quæ corporis sensus attingunt, multo apertius perscrutatur ac discutit: sed & multa à sensib' aliena perquirit, & plerumque cum bene viget, & ad ipsius Dei notitiam erumpit. Hæc non tantum in natura quid lateat, verum & in moribus humanis deprehendit quid deceat. Hæc ratio dicitur: cuius etiam exercitium, quo circa secretorum indagationem vtitur, ratiocinatio vocatur. Huius quoque finis, cum ad eorum quæ diu quæsiuit, notitiam peruenerit, intellectus seu intelligentia nuncupatur. In hac parte memoriam computandam existimo: quæ licet & in his reperiatur animantibus quæ ratione carent, in rationalib. tamen rationis con-

Anima. Triplex animæ vis.
1.
2.

E sors & cooperatrix est. Nam sine ea ratio nec ad incognita procedere, nec cognitorum scientiam poterit retinere. Nimirum quippe cum talentia quærimus, ex cognitis ad incognita ratiocinando transimus. Quod si nulla est cognitorum memoria, necesse est vt & incognitorum nobis inuentio denegetur. Tertia animæ vis, in appetitu est: quæ seu ad ea quæ per corpus sentit, seu ad scientiæ lumen & sapientiæ pulchritudinem, voluptate quadam animam rapit. Hæc igitur in quibusdam, corporis voluptatib. delectatur: in quibusdam vero, contemptis carnis illecebris, ad mores optimos & ad vitæ honestatem pingere conatur. De hac itaque triplici animæ virtute scriptum est: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Ex corde s. vt animæ affectus in Deum tendant. Ex anima, vt hoc etiam quo in corpore viuit, & per corpus opera Dei sentit, in laudem eius amoremque proficiat. Ex mente quoque, vt humana cogitatio, memoria, ratiocinatio, inuestigando Deum & cognoscendo deseruiat. Omnis ergo animæ virtus, charitati diuinæ militare debet: quod breuiter quidam Euangelista conclusit, dicens: *Et ex omni virtute tua.* Anima itaque cum substantialiter dicitur, & vitam sensibilem, & rationis acumen, morumque appetitus in se comprehendit. Dicitur autem & aliter anima, non vt substantia illa incorporea, sed vita eius infima, quæ in corpore & per corp' subsistit, intelligitur. Inde scriptum habes: *Factus est homo in animam viuentem.* Et, *qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Sed & quod paulo ante commemorauimus, ex toto corde, & ex tota anima Deum diligendum. Huc igitur cum homo totus incumbit, cum sensib. suæ carnis deditus, à spiritualium contemplatione excluditur, animalis siue carnalis appellatur. Inde habes in Apostolo: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* quia vt diximus, mediam illam partem appetituum infime immergens, superioris (id est, rationis) lumen amittit. Sed & carnales vocat quosdam idem Apostolus: *Non potui*, inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Lac vobis potum dedi, non escam.* Sensibus enim suis dediti, spiritus mysteria capere idonei nondum erant. Inuenies quoque huiusmodi hominem non solum animalem aut carnalem, sed & carnem animamque vocari. Habes in Genesi: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Appetitus quippe humanus inter ima & summa medius, cum plerunque in vtraque diuisus, sibi ipsi contrarius sit, quod ille expertus fuerat, qui dicebat, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: in quancunque partem totus transierit, eius merito & nomen sortitur: & cum solis carnis voluptatibus pascitur, caro nominatur. E contra vero si spiritualium trahitur pulchritudine, si in sapientiæ amplexus æstuans, voces illas suas facit: *Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui mihi sponsam assumere eam, & amator factus sum formæ illius*: audiet ab Apostolo, *Vos in carne non estis, sed in spiritu.* Vnde & spiritualis seu etiam spiritus, qui eiusmodi est, nuncupatur. Apostolus ad Corinthios: *Spiritualis*, ait, *iudicat omnia.* Et in Psalmo: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Animam vero, nuncupari hominem, non ad substantiæ significationem sed ad infirmitatis vitijque denotationem, lex tibi in hoc loco erit in testimonium. *Anima*, inquit, *cum peccauerit per ignorantiam.* Animam quippe hominem appellauit, qui animalem vitam agens, & in his infimis quæ per corpus sentit, occupatus: diuinam voluntatem aut per ignorantiam nescit, aut per infirmitatem implere non sufficit. Nam vbi nos per ignorantiam legimus, septuaginta non volens transtulerunt. *Anima cum peccauerit non volens*, id est, non pertinaciter ad peccandum prona, nec deliberatione inhærens: sed aut ignorantia, vt diximus, aut infirmitate reatum incurrens. Quisquis enim & peccat & peccare deliberat, huic non hostia quam offerre debeat, assignatur: sed inter leprosos de castris eijciendos, de quibus multa in sequentibus dicenda sunt, annumeratur. *Anima itaque cum peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit: si Sacerdos qui est vnctus, peccauerit, delinquere faciens populum.* Antequam reis, quid singuli pro seipsis offerre debeant, assignet: illam præmittit hostiam, quam pro peccatoribus obtulit, qui peccati omnis immunis apparuit. Inde quippe ista præcedit in ordine, quæ meritum alijs

3.

Deut. 6. Matth. 22.

Mar. 12.

F

Genes. 2. 1 Cor. 15. Matth. 10.

Luc. 10. Deut. 6.

1 Cor. 2.

1. Cor. 3.

Genes. 6.

G

Rom. 7.

Sap. 8.

Rom. 8.

1. Cor. 2. Psal. 103. Hebr. 1.

H

A contraxit, quicquid enim pro se faceret homo, ad obtinendam veniam nequaquam sufficeret, nisi peccatorum poenitentiam, iusta illius vituli immaculati hostia commendaret. Huius itaque sub legalis sacerdotis typo persona inducitur, qui & peccasse asseritur. Dicit itaque: *Si sacerdos qui est unctus, peccaverit, delinquere faciens populum.* Sacerdos unctus quis sit, res est notissima, ille nimirum, cui dicitur: Psal. 109. *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedec.* Et: Psal. 44. *dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis.* Isai. 53. 1. Pet. 2. *Iste peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius, sed consortio se peccatoribus:* unde qui excipere proprio non contraxerat reatum, aliorum reatum sibi imputavit. Habes in psalmo vocem ipsius, hoc protestantem: Psal. 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Longe a salute mea verba delictorum meorum. Delicta sua dicit, delicta membrorum suorum, quorum caput ipse per humanitatis susceptionem effectus est. Item in alio, cum praemisisset, quae non rapui, tunc exsolvebam, quae aperte illius vox est, subiunxit: Psal. 68. *Deus, tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.* B Deliquit igitur Sacerdos iste, non in se, sed in membris suis. Populum quoque delinquere non fecit: sed tamen populi peccata, tanquam ipse in eis reus esset, expianda, non habenda suscepit. Unde Isaias: Isai. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et post pauca, patre loquente: Ibidem. *Propter scelus populi mei percussi eum: & iniquitates eorum ipse portabit.* Hic itaque unctus sacerdos, qui a suis liber, aliorum tulit delicta: quid pro eis quos expiat, offerre debeat, audiamus. *Offeret pro peccato suo vitulum immaculatū Domino.* Quomodo peccatum ipsius dicat, iam praemisimus. Vitulum vero immaculatum obtulit: quia seipsum, in quo nulla erat reatus macula, pro peccatoribus immolandum exhibuit, Apostolo testante: Gala. 2. *Quoniam dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Nam vitulus, ipse in psalmo dictus est, propter cornua crucis, quibus de Diabolo triumphavit, & orbem universum ventilavit: Psal. 28. *Vox Domini confringentis cedros, & comminuet eas tanquam vitulum libani.* Vitulum libani, Christum appellavit: qui de antiquorum iustorum propagine tanquā de monte cādidato, C carnis originem duxit. Cedros quoque libani, seculi huius potestates, de nitore temporali gloriantes, quas ad humilitatis dominicae imitationem, gladius verbi divini deposuit. Offeret ergo Sacerdos noster vitulum immaculatum pro peccato suo.

Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino.

Bene ad ostium tabernaculi testimonij, nā mors ipsius, vitae nobis ostium fuit, quae supernum dominatus ingressum aperuit. Antiqui enim patres usque ad adventum Domini, quamlibet iuste vixerint, ducti ad regnum non sunt: nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus interpositione suae mortis aperiret. Vitulus ergo iste in introitu tabernaculi coram Domino immolatur: quia mors Christi, ut reis veniae aditum praeberet, patri singulariter placuit. Unde etiam voce de caelo lapsa, ab eodem patre audivit. Matth. 3. & 17. *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Sequitur:

Ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino.

Manus impositio, ut superius dictum est, devotionem offerentis significat. Dominus igitur super caput victimae suae manum posuit, quia sponte sua mortem sustinuit. D Unde Isaias: Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et ipse Dominus: Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso. Hoc mandatum accepi a patre meo.* In Psalmo quoque postquam praemiserat, Psal. 39. *holocaustum pro peccato non postulasti, tunc dixi ecce venio: ut facerem, inquit, voluntatem tuam Deus meus, volui.* Ecce hoc est manum imponere, voluntate seipsum offerre.

Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illud in tabernaculum testimonij. Cumque intinxerit digitum in sanguinem, asperget eum septies coram Domino contra velum sanctuarij. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti, in introitu tabernaculi.

Haec est illa sanguinis illatio in tabernaculum, quae semel in anno fieri solebat. Hic tamen non consummatur. In sequentibus quippe, non solum in tabernaculum primum, in quo altare thymiamatis erat, cuius cornibus sanguinem in hoc loco praecepit imponi: E sed ultra velum quoque, intra ipsa sancta sanctorum, sanguinem istum inferri reperies. Quod cur hoc in loco tacuerit, cum illa tractare coeperimus, ratione reddita, satis apparebit. Quanta vero sit sanguinis huius dignitas, quis non videat? quis non obstupescat, quod cum aliarum victimarum sanguis extra tabernaculum praeciperetur effundi, hic tabernaculo illatus, altari aureo imponitur, aspergitur contra velum, quasi illum parietem terrena a caelestibus dividentem sua virtute scissurus, dehinc interiora penetrans, ac e regione aspersus oraculi, primo ipsum oraculum, secundo tabernaculum, tertio altare exterius sua aspersione mundare perhibetur. Beatus Apostolus in epistola ad Hebraeos, cum de hac tractaret legis consuetudine: Heb. 9. *In priore, inquit, tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorū officia consummantes. in secundo autem, semel in anno solus pontifex, non sine sanguine.* Paulo autem inferius, quid haec legis umbra portenderet, quis esset pontifex iste, quis sanguis quem tabernaculo inferebat, manifestissime subdidit, dicens: Ibidem. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum,* F id est, *non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Qui enim aliquanto tempore per carnis mortalitatem cum hominibus fuerat, unde ipse post resurrectionem suam discipulis loquitur, dicens: Luc. 24. *Haec sunt verba quae dicebam vobis cum essem vobiscum. morte interveniente, per gloriam resurrectionis ad angelorū transiit immortalitatem.* Ut igitur ad propositum redeam capitulum, hauriet pontifex qui vitulum offert, de sanguine ipsius vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij: & intingēs digitum in sanguinem, asperget eum septies coram Domino ante velum sanctuarij. Ponetq; de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti, in introitu tabernaculi. Sciendū quod in tabernaculo testimonij duo erant altaria: unum holocausti, alterum thymiamatis. G Altare holocausti, foris in atrio ante ostium tabernaculi: altare vero thymiamatis, in tabernaculo ante sanctuarij ingressum contra arcam, velo tantum interposito, collocabatur. Altare holocausti, aereum: illud vero, aureum erat. Quid igitur per altare holocausti, nisi praesens ecclesia designatur? Ipsa enim adhuc foris stat, & patriae supernae ingressum expectat. Hoc quoque quod altare aereum est, huic intellectui suffragatur. Aes quippe valde sonorum est. Nos vero quandiu hic sumus, ex fide vivimus, quae Rom. 10. *fides ex auditu est.* Aes itaque altaris, fidem significat, quae ex sono concipitur auditionis. Altare quoque illud interius, quod aureum erat & gratissimū Domino dicitur, angelicos designat ordines: qui claritate perfunduntur divinae contemplationis, & accepti Deo sunt: quia nullū omnino, quo displicere possent, culpae vestigium contraxerunt. In altari holocausti, carnales victimae caedebantur, quarum sanguis per altaris circuitū funderetur: quia in hac praesenti Ecclesia si Deo placere volumus, & carnem a pravis operibus compescere, & affectum peccandi a nobis excludere opus habemus. In altari autem aureo, nō nisi thymiama incenditur: quoniam beata illa angelorum societas, non nisi virtutum suarum odore Domino famulatur. In sanctis vero, propter arcā etiam H Cherubim, qui alis suis obumbrant eam, quasi sedes Dei erat, sicut scriptum est: Psal. 79. *Qui sedes super Cherubim.* Velum quoque, quod sancta ab exteriori tabernaculo dividebat: discordiam illam figurat, quae a pace divina homines sequestrabat. Pōtifex igitur noster cum sanguine tabernaculum intravit: quia filius Dei in terra quidem pro hominibus passus est, sed passionis illius virtus & meritum caelos penetravit. Non localis, sicut in legis umbra, sanguinis huius translatio fuit: sed quemadmodum opera humana aut bona aut mala, cum multum excreverint, usque ad ipsum Deum pertingere memorantur. De bonis quippe habes in Psalmo: Psal. 87. *Intret in conspectu tuo oratio mea.* Et quod Cornelio dictum est: Act. 10. *Corneli, orationes tuae & eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Domini.* De malis iterum: Gene. 18. *Clamor Sodomorum venit ad me.* Operibus namque huma-

A nis quandiu non respondet Deus, quasi non videre existimatur. Cum vero aut bonis præmia, aut malis supplicia debita rependit, tunc ad eum peruenisse opera nostra perhibentur: quia tunc demum quod eum non lateant, hominibus declaratur. Sic itaque Dominus Christus sanguinem suum tabernaculo intulit: quia morte sua etiam cælestia ad hominum miserationem inflexit. Quod vero Pontifex ille legalis digitum tingit in sanguinem, potestas illa mortis spontaneæ, in Pontifice nostro iterum commendatur. Digitis enim operamur. Sacerdos itaque sanguini digitum imponens, manifeste ostendit, quia Dominus Iesus vt pateretur, opus eius fuit. Ipse etiam tincto in sanguine digito, contra velum sanctuarij coram Domino septies aspersit. quia teste Apostolo, *per crucem interfecit inimicitias in semetipso: & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, in vnum nouum hominem faciens pacem, creatori suo homines reconciliauit.* Ephes. 2. Septenarius quippe numerus, quia septies sanguis aspergebatur: propter septiformem spiritum, per quem remissio fit, ipsius reconciliationis nostræ figuram exprimit. B Contra velum igitur sanguis aspergitur coram Domino. quia Christus per mortem suam patre repropitiato, & sublata veteri discordia, hominibus indulgentiæ aditum patefecit. Vnde & eo in cruce suspenso, Matth. 27. *velum templi scissum est*: quia quod legis vmbra prænunciauerat futurum, hoc Euangelica veritas declarabat expletum. Hic etiam sanguis, altaris aurei cornibus impositus est: quia pontificis nostri passio, etiam angelicam tetigit celsitudinem, vt cum hominibus in pacem rediret. Vnde Apostolus: *In ipso,* inquit, *complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habere, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Colos. 1. Nec solum ad pacem, verum & ad reuerentiam humanam ciues cælestes adduxit pro hominibus celebrata passio diuina: quod manifeste in eo apparet, quia ante Christum passum adorabantur à patribus Angeli, & tacebant: post passionis vero eius C completa mysteria, beatus Ioannes cum Angelo loquens, & ab eo secreta cælestia audiens: *Cecidi,* inquit, *ad pedes eius, vt adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Apoc. 19. & 22. Tetigerat ergo istum sanguis Christi: quia reuerentia illius motus, naturam illam sibi prosterni non patiebatur: quam apud Dominum suum tanti esse cernebat, vt morte propria ab eo redimeretur. Contra velum itaque sanctuarij aspergitur sanguis, cum Deus: super altaris vero cornua sanguis idem ponitur, cum Angelica celsitudo hominibus reconciliatur. In agni paschalis immolatione mortem Christi significari, nemini incognitum est. Ibi quoque huius tanti mysterium sacramenti reperies. Nam de sanguine eius, hoc filijs Israel Moyses mandauit: *Fasciculum hysopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & vtrunque postem.* Exod. 12. Manifeste hic forma crucis exprimitur. Cum enim sanguis in vase aliquo super terram iuxta limen poneretur, & ex eo primo super liminare, secundo hinc & inde postes vtique aspergerentur: quis tam cæcus est, vt non videat crucis hic speciem deformatam? Sed & mysterij illius quod prænotauimus, figura in eodem deprehenditur. D Nam cum sanguine in terra posito prius superliminare, postea postes vterque tanguntur: quid aliud innuitur, nisi quod Christi passio cum in terra celebrata sit, tamen summum omnium Deum primitus ad misericordiam flexit: dehinc partem dexteram cum sinistra, Angelos scilicet cum hominibus, siue Iudæos cum gentibus, fœderauit? Postremo sanguis vituli nostri ad altare holocausti exterius refertur, & in basim illius funditur: quia mortis Christi voluntas hominibus maxime confertur. Non enim pro Angelis passus est Christus: quia vtique qui se peccato non vendiderant, redimendi non erant. Sed nota quia sanguis ille in altaris basim funditur. Basis altare portat, & basi sue altare innititur. Si igitur altare ecclesia, quæ basis eius, nisi singulorum fidelium conscientiæ, intelligitur? In singulis quippe quicquid apparet boni operis, ex radice surgit bonæ voluntatis. In corde etenim charitas illa est, de qua Apostolus dicit: *In charitate radicati & fundati.* Ephes. 3. Vita itaque fidelium, quæ altaris instar exterius portat hostiam sanctæ conuersationis, ne corruere possit, solidatur interius basi charitatis. Quid est igitur quod vituli sanguis ad altaris basim E funditur, nisi quod electorum conscientiæ Christi passione mundantur? Testatur hoc Apostolus in epistola ad Hebræos: *Si,* inquit, *sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Hebr. 9. Libet nostri altaris sacramentum inspicere, & qualiter legalibus vmbris conformetur, considerare. Sacerdotes enim nostri, & ipsi eundem de quo agimus, vitulum mystice immolantes: eandem sacramenti formam verbis, quam lex aspersione sanguinis, repræsentat. Nam altari astans sacerdos noster, inter cætera sic dicit: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ. Notum est omnibus, quia sacerdos dum sacra mysteria celebrat, mortem Domini iuxta Apostolum annuncians, quasi vituli sanguinem manu portat. 1. Cor. 11. F Hunc quo aspergat, quo imponat, seu potius per manus sancti angeli aspergi imponique deprecetur, attende. Angelus vero ibi, non nisi Pontifex ille summus de quo agimus, intelligitur: missus scilicet à patre ad homines, & ab hominib. ad patrem remissus, vt hominum causas apud patrem peroret, mediator Dei hominumque. Dicit itaque sacerdos: *Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ.* Quid est hoc aliud, nisi quod legalis ille sacerdos agebat, sanguinem altari aureo imponens, quod hic sublime nominatur, & contra velum coram Domino aspergens? Dehinc quasi sanguinem eundem ad basim altaris holocausti referens: vt quotquot, inquit, ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus sanguinemque sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Deum itaque angelosque ipsius, hominibus repropitiari, ipsis vero hominibus rogat subueniri. Sed ad legis verba redeuntes, sequentia videamus.

G *Et adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quam omnia quæ intrinsecus sunt. Duos renunculos & reticulum quod est super eos iuxta ilia & adipem iecoris cum renunculis, sicut offertur de vitulo hostiæ pacificorum, & adolebit ea super altare holocausti.*

Vt aliorum peccata Dominus Iesus expiare posset, inde factum est, quia (vt supra diximus) ipse omnis peccati immunis fuit. Nam si & ipse peccati pondere grauaretur, nó qui peccatoribus subueniret, sed cui potius peccatori subueniretur, dignus esset. Hæc autem perfecta eius munditia & consummata innocentia, adipum concrematione significatur. Quatuor quippe isti adipes, vitalium, interiorum, renunculi cũ adipe suo, & adeps iecoris, quid mysterij contineant, satis (vt æstimo) superius disputatum est. Pari etenim forma sicut in pacificis, sic & de vitulo hoc lex adipes præcepit offerri. Sciendum tamen, quod sicut hoc, non ad æqualitatem dicitur, sed ad aliquam similitudinem. Perfectam namque Domini sanctitatem imitantur quidem qui sunt ex parte eius: & vnusquisque tanto perfectius, quanto & ipse perfectior fuerit, sed cum omnes ei assimilari contendant, nullus tamen æquari. Sap. 2. H Vnde scriptum est in libro Iosue, quia cum essent filij Israel transituri Iordanem, præcones per castrorum medium transeuntes, clamare cœperunt. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotum stirpis Leuiticæ portantes eam: vos quoque consurgite & sequimini præcedentes. Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam.* Iosue 3. Sicut dicit B. Gregorius, arca testamenti ille nobis factus est, de quo scriptũ nouimus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Colos. 2. Arca ergo Dei populum præcedit, quia Christus viam iustitiæ præeundo suis ostendit. Inter arcam & populũ spatium relinquitur, quia sanctitati dominicæ nullus adiungitur. In interuallo illo duo cõputantur millia passuum: quia intus & exterius perfecta vnigeniti sanctificatio, adoptatorũ omnium gratiam antecellit. Vnde omnibus præcipitur: *Cauete ne appropinquetis ad arcam.* Iosue 3. Fugienda est enim illius hæretici detestabilis præsumptio, qui ait: Non inuideo Christo facto Deo, quia si voluero, possum & ego similiter fieri. Adipes itaque vituli huius, sicut etiam pacifico-

rum, concremari iubentur: sed ex parte sic est, ex parte vero
A longe differenter. Nam vt hoc manifestius fiat, sigillatim
inspiciantur. Adeps vitalium de pacificis Domino incen-
ditur, cum vitæ huius appetitus temperatur ab hominibus,
ne diuinæ voluntati anteponatur: vt licet ametur vita ista,
non tamen propter amorem illius, præcepta dominica cō-
temnantur. De vitulo vero isto longe aliter. Christus enim
vt hic viueret, non nisi patri obedire, & hominibus subue-
nire appetiit. Testatur hoc ipse vbi ait: *Meus cibus est, vt fa-*
Ioan. 4. *ciam voluntatem patris mei.* Et Apostolus de eo: *Fidelis sermo &*
omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum
1. Tim. 1. *peccatores saluos facere.* Vnde & ipse temporali dispensatione
completa, libens morti appropinquabat: & discipulos hac
de causa tristatos, consolabatur, dicens: *Si diligeretis me, gau-*
Ioan. 14. *deretis vtique, quia vado ad patrem.* Item de pacificis pinguedo
interior Domino offertur, cum licet ametur bona præsen-
tia quæ in hac vita possidentur, tamen si talis fuerit disposi-
tio diuina, antequam Deus grauiter offendatur, æquanimi-
ter amittuntur. Sed vide vituli huius differētiam. Christus
namque non cum mundialium amore in seipso pugnauit,
B nec illum, vt diuinæ cederet voluntati, repressit: sed omnia
prorsus mundi huius prospera contemnens, oblatum re-
gnum respuit, & interroganti se Pilato respondit: *Regnum*
Ioan. 6. *meum non est de hoc mundo.* Renunculi quoque cum adipe
Ioan. 18. suo, sed & iecoris adeps de pacificis Domino sanctifican-
tur: cum aut libidinis æstus, aut iracundiæ impetus, ab ho-
minibus refrenatur. In Christo vero multo excellentius
adipes ipsi concremati sunt. Caro etenim illius quæ de car-
nalium propagine descendit, spiritu sanctificante, nihil cō-
motionis huiusmodi à parentibus traxit. Adipes itaq; vitu-
li huius non immerito pro peccato offerri præcipiuntur:
quia Domini consummata sanctitas, quæ nullius vitij in-
terpellatione turbata est, expiandis peccatoribus sola ido-
nea fuit. Notandum quoque, quod lex cum eodem modo
sicut in pacificis factum est, ita & de hac hostia adipes offer-
ri decernat: nulla tamen renum hic fit mentio, qui supra
in boue pacificorum cum adipibus annumerantur, sed re-
nunculi pro renibus in adipum ordine describuntur. Vnde
manifestum est, quod iam supra notauimus, aut in renun-
C culis, quia renibus adhærent, à parte totum etiam renes
comprehendi: aut quia eandem explent significationem,
pro renibus renunculos poni. Postremo, *& adolebit*, inquit,
ea super altare holocausti. Altare holocausti, quod ante taber-
naculi introitum positum erat, præsens ecclesia est, quæ
adhuc regni cœlestis ingressum expectat. Sancti ergo cum
illuc peruenerint, angelis æquales effecti, in altari aureo
sola virtutum thura cremabunt. Hic vero quasi exteriori-
bus adhuc sacris inseruientes, pro viribus cum carne con-
fligunt, ad plenum tamen peccati labe carere non possunt.
Sed hoc Christus singulariter potuit, qui in altari holocau-
sti adipes suos integre concremauit: quia hic etiam cum
peccatoribus mortalem agens vitam, omnes affectus suos
spiritus virtute, diuinæ voluntati coniunxit. Sequitur:

Pellem vero & omnes carnes, cum capite & pedibus & intestinis
& fimo & reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum,
vbi cineres effundi solent. Incendetque ea super lignorum struem, quæ
in loco effusorum cinerum cremabuntur.

Pelle, carnibus, pedibus & intestinis enumeratis, cum in
fine concludit, & reliquo corpore: satis apparet, illa mem-
brorum enumeratione nil aliud agi, nisi vt tota corporis
D materies comprehenderetur. Non igitur de singulis quid
significent, sed corpus vituli cur concremari præcipiatur,
requirendum est. Nam cum inferius de holocaustis pellem
offerenti decernat habendam: *Sacerdos*, inquiens, *qui offert*
holocausti victimam, habebit pellem eius: hic, vt totam corporis
substantiam complecteretur, neque pellem reliquit, sed et-
iam ipsam cum cæteris membris igni deputauit. Locus
vero cinerum extra castra quis sit, quo vitulum istum com-
burendum iubet efferri, in sequentibus declarabit. Man-
dat enim lex, holocausta tota nocte super altare cremari,
mane vero efferri extra castra in locum mundum, & ibi vs-
que ad fauillam consumi. Hic est locus cinerum, de quo
nunc agitur. Sicut igitur vituli huius immolatio, Christi
passionem significat, sic concrematio resurrectionem. In
ignis quippe splendore, claritas resurrectionis eius ad-

tiui, velut absorbens mortem victoria. De qua claritate E
ante passionem patrem rogans, ait: *Pater, venit hora, clarifi-* Ioan. 17.
ca filium tuum. Vitulus ergo in castris occiditur, sed extra
castra comburitur: quia Christus in Iudæa passus, à genti- Act. 13. & 28.
bus creditur resuscitatus. Iudæis quippe verbum repellen-
tibus, ad nationes salus ista migrauit: vt adimpleretur quod Isa. 52.
Isaias prædixerat, *quia quibus non est narratum de eo, videbunt:* Rom. 15.
& qui non audierant, contemplati sunt. Zacharias quoque: *Ex-*
ulta, inquit, *satis filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi iustus & salua-* Zach. 9.
tor, pauper & ascendens super asinum, & disperdam quadrigam Matth. 21.
ex Ephraim, & equum de Ierusalem: superbiam scilicet vtrius-
que populi, Israel & Iudæ. Et causam subdens, *Et dissipabi-* Zach. 9.
tur, inquit, *arcus prælij:* hi scilicet, qui aduersus prædicatores
fidei pertinaciter rebellarunt. Post id regem illum saluato-
rem & iustum sermonem retorquens: *Loquetur*, ait, *pacem* Ibidem.
gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad
fines terræ. Hanc autem Christi apud suos paupertatem, &
apud exteros gloriam: tamdudum Ioseph præfigurauerat, Gen. 37.
à fratribus venditus, & ab alienigenis honoratus. Moyses
quoque à parentibus expositus, & à filia Pharaonis in rega- Exod. 2.
le palatium assumptus. Sic enim Christum, quem Iudæa
parens in mortem tradidit, gentilitas dudum ab eo aliena, F
de morte triumphasse, & ad cœlos credidit ascendisse.
Vnde & fide sua mundata est. Quod & hic innuitur, cum
dicitur: *Efferet vitulum extra castra in locum mundum.* Mun-
dum quippe dicit, hoc est, mundandum. Sic enim & in Eu-
angelio de Caipha loquens Euangelista: *Prophetauit*, inquit,
quod Iesus moriturus esset pro gente, nec solum pro gente, sed vt Ioan. 11.
filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Filios
Dei dixit: qui vtique nondum erant filij Dei, sed futuri e-
rant. Hæc est figura quæ prolepsis dicitur, in scripturis vsi-
tatissima, quando per anticipationem aliqua nominantur:
sicut Abraam inter Bethel & Hai fixisse tabernaculum re- Gen. 12.
fertur, cum locus ille à nepote suo Iacob, Bethel primum
cognominatus sit. Et multa huiusmodi reperies. Sic & in Gen. 28.
hoc loco locus mundus dicitur, in quo vitulus concrema-
tur: vt eius sanctitatis, quam gentilitas per fidem resurre-
ctionis Christi adeptura erat, iam nomen anticipetur. Sed
non est prætereundum, quod fimus concremandis mem- G
bris annumeratur, & cum eis cremari præcipitur. Fimus Fimus.
quippe vituli, crucis est ignominia, contumeliæ & impro-
peria, quæ omnia in Christi gloriam conuersa sunt. Tanto
enim gloriosior & amabilior eius clementia cunctis gen-
tibus innotuit, quanto indigniora ab hominibus pro ho-
minum saluatione perpessus est. Sed quid est quod ait, *in*
locum mundum, vbi cineres effundi solent? In cinere, concrema-
tionis reliquiæ sunt. Quid itaque cinis, nisi fama quæ resur-
rectionem dominicam consecuta est, intelligitur? Gentili-
tas ergo locus est cineris, apud quam viget memoria domi-
nicæ resurrectionis. *Et incendet ea super lignorum struem.* Ligna
ista quæ sunt, nisi dicta prophetica, quæ in cordibus nostris
quasi ignem excitant, cum gloriam resurrectionis Christi
nobis insinuant? Vitulus itaque noster lignis superponitur
vt comburatur: quia dum quod in Christo completum
est, cum antiquorum prænunciationibus confertur, fides
resurrectionis eius inefragabilis innotuit. Hoc maxime
illi deprehenderunt, qui per legendi assiduitatem scriptura-
rum familiares effecti, per gratiam quoque spiritus intel-
ligentiæ donum assecuti sunt. Hinc est quod in fidei nostræ
professione de eo sæpius canimus, quia resurrexit tertia die H
secundum scripturas. Ipse quoque in die resurrectionis
suæ discipulis suis se manifestans: *Sic*, inquit, *scriptum est, &* Luc. 24.
sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis. Vitulus ergo
in loco cineris super lignorum struem comburitur: quia
gentilitas redemptionis sui memor, dum scripta prophetica
legit, & in eo completa intelligit, ore lætabundo decan-
tat: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtu-*
tum: qui quod per Prophetas promiserat, Psalm. 47.
exhibuit per seipsum.

A

Si omnis turba deliquerit, vt offerat vitulum pro peccato suo.

Cap. V.

Quod si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum est Domini, & postea intellexerit peccatum suum: offeret vitulum pro peccato suo, adducetque eum ad ostium tabernaculi: & ponent seniores populi super caput eius manus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos qui vnctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino, in tabernaculo testimonij. Reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij. Omnemque adipem eius tollet & adolebit super altare, sic faciens de hoc vitulo, quomodo fecit & prius. Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum, quia pro peccato est multitudinis.

B

Manifestum est, eandem quam pontifici, turbæ hostiam assignari. Vitulum enim hic posuit, sicut & ibi. Ad ostium quoque tabernaculi adduci eum, & coram Domino immolari præcepit. Sed & sanguinem eius introferri, aspergi contra velum, & cornua altaris aurei ex eo tangi. Deinde eiusdem sanguinis ad altare holocausti relatio, adipum oblatio, ipsiusque vituli concrematio extra castra, eadem quæ in primo, repetita est. Hic tamen, cum dixisset: *Si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est.* quod addidit, *& postea intellexerit peccatum suum*, in primo non addiderat. Neque enim dictum est, si sacerdos qui est vnctus, peccauerit, & postea intellexerit peccatum suum; sed tantum, *si peccauerit*, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum. Quod non sine causa prætermisit. Pontifex quippe noster Dominus Christus, in se quidem non peccauit, vt supra dictum est, sed in eis quos sibi compaginauit. Horum peccatum nec ipse vnquam ignorauit, qui omnia prænoscit antequam fiant: nec donec ipsi qui per ignorantiam peccauerunt, peccatum suum agnoscerent, hostiæ suæ oblationem distulit. Pro ignorantibus quippe [illegible] sum obtulit, quod in oratione eius apparet, qua pro Iudæis in cruce pendens, patrem rogauit, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vnde & Apostolus: *Commendat*, inquit, *charitatem suam Deus in nobis: quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impijs mortuus est.* Non ergo præuenit eum humilitas & pœnitentia nostra, sed præuenit nos ipsius misericordia. Elegit nos antequam elegissemus eum: & non quærentes se, quæsiuit: nobisque negligentibus, ipse pro nobis solicitus, vulneribus nostris sanguinis sui antidotum præparauit. Prius itaque pontifex noster pro peccato suo hostiam obtulit, quam peccatum suum intellexisset, id est, quam hi intellexissent, quorum propter corporis * vnius compaginem, opera omnia & passiones vsque ad peccati opus, quod maxime ab eius munditia abhorret, sibi assignauit. Non igitur dicendum fuit, *Si sacerdos qui est vnctus peccauerit, & postea intellexerit peccatum suum offeret vitulum pro peccato suo*, nempe hostia illius, peccati notitiam præcessit. Sed quia Christi morte cæcus a natiuitate mundus illuminatus est, & homines qui prius nec Deum sciebant, nec quam immaniter in eum deliquissent intelligebant, per g[illegible] ipsius ad Dei no[illegible] am suamque reducti sunt: merito secundo, cum de turbæ hostia tractasset, antequam quid pro peccato suo offerre deberet diceretur, præmittendum fuit: *Si peccauerit, & intellexerit peccatum suum.* Nemo enim peccatum suum digne plangit, nisi antea se peccasse intellexerit. Nec fieri potest, vt congrua solicitudine hostiam qua purgari possit, ei prouideat, qui reatum suum adhuc ignorat. Deinde, in hostia pontificis ipsum iuuenimus manum super caput vituli posuisse: hic autem, seniores populi hoc facere dicit. Vtrumque enim re vera in Christi passione expletum est, quod scilicet & Iudæorum scelere mortis eius manus habuerint aduersus eum, voce nefaria iudici conclamantes: *Crucifige crucifige eum*: iuxta quam locutionem de Dauid Saul loquebatur: *Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus philisthinorum*, id est, non à me occidatur, sed à phi[illegible]

Luc. 23.
Rom. 5.
Ioan. 15.
*huius.
D
Ioan. 19.
1.Reg. 18.

[illegible] qu[illegible] mortem [illegible] omnis illi quod male in eum, cum molirentur [illegible] possent, nisi ab ipso potestatem acciperent. Vnde Pilato dictum est: *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.* Deliberauerat igitur filius Dei pro hominibus pati: sed quia hoc per amicos explere non poterat, malitiam inimicorum ad voluntatis suæ conuertit obsequium. Ideo cum dixisset lex, *ponent seniores populi manus super caput eius*: addidit, *coram Domino.* Nisi enim pietati potentia pro redemptione nostra mori filium placuisset, Iudaica impietas omnino inefficax remansisset. Hæc sunt quæ de hoc vitulo differentiora primo dicuntur: in quibus tamen, vt ostensum est, primi vituli immolatio repræsentata est. Cum ergo nec ista discrepent, & cætera omnia eadem quæ primitus, repetita sint: manifestum est, quia (vt diximus) eadem populi quæ pontificis, oblatio est. Obtulit enim Christus se pro nobis, offerimus & nos ipsum. Obtulit ille moriendo, offerimus nos credendo. Iudæi enim per diuinæ misericordiæ spem receperunt, quod ipsum iudicem suum, pro salute sua passum cognouerunt. Quisquis itaque peccatorum suorum veniam consequi desiderat, mortem Domini sui pietati paternæ prætendat: Alioqui quicunque adhuc Deum pro hominibus passum credere detrectat, nondum inuenit hostiam, per quam peccatis suis diuina iustitia propitia fiat. Vnde scriptum est in libro regum, quod quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: *Percute me. At ille noluit percutere eum. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo atque percussit. Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulnerauit.* Quis est iste filius Prophetarum nisi Christus, de Patriarchis & Prophetis carnis originem ducens? Quis socius illius nisi genus humanum, cui per infirmitatis nostræ susceptionem associatus est? Dicit itaque vnicuique nostrum Dominus Iesus: *Percute me.* Quasi diceret: Si salutem cupis, pro salute tua percussum me crede. Est hæc locutio in scripturis frequens, vt cum dicit Apostolus: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum?* Hoc est Christum deducere. Sicut enim quantum ad fidem suam pertinet, deducit Christum, quisquis eum ascendisse non credit: nec ille vtique percutit, qui percussum credere respuit. Homo itaque qui Prophetam percutere noluit, recessit ab eo, & à leone inuentus est atque percussus: quia quisquis à Christo per infidelitatem recedit, leonis illius fauces non euadit, de quo scriptum est: *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Notandum autem, quod primus cui dixit Propheta, *percute me*, percutere eum noluit, secundus autem percussit: quia Iudaicus populus, cui primum annunciatum est, vt Deum eum crederet, & ab eo salutem speraret quem neci tradiderat, mortem Christi expauit: gentium vero populus, ad quem Iudæis repellentibus verbum, translatum est, credere non distulit: & fidei suæ merito, sicut leonis morsus euasit. Vnde & legislator in huius sanctionis consummatione conclusit, dicens: *Ipsum autem vitulum efferet extra castra atque comburet, quia pro peccato est multitudinis.* Quæ enim quæso ratio est, vt quia pro peccato multitudinis offertur, ideo extra castra vitulus efferri debeat atque ibi comburi? Sed agnosce mysterium, & de nubibus istis quæ fulgura prodeant, animaduerte. Ideo quippe Christi mors & resurrectio etiam gentibus exteris annunciata est, quia (teste Euangelista) *non pro gente solum mortuus est, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum*, id est, non pro paucis qui ex Iudæa credituri erant, sed pro gentium multitudine, quæ in ouili sanctæ Ecclesiæ congregata est. Indignum etenim erat, vt is cui per Prophetam dicitur, *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*, angusto Iudææ angulo includeretur. Hoc est ergo quod dicitur: *Efferet eum extra castra atque comburet, quia pro peccato est multitudinis*: vt Christus, qui pro gentium salute mori venerat, prædicatorum ministerio eisdem gentibus viuus innotesceret.

E
Ioan. 19.
F
3.Reg. 20.
Rom. 10.
G
1.Pet. 5.
H
Ioan. 11.
Isai. 49.
Act. 13.

A

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER TERTIVS.

Si princeps peccauerit vt offerat hircum pro peccato suo.

CAP. I.



I peccauerit princeps, & fecerit vnam è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capra immaculatum.

Postquam lex quid pro reatu humano mediator noster obtulerit, fidemque nostram quæ tantæ rei accommodanda est insinuauit: iam vnusquisque quid pro se agere debeat, vt veniam consequi mereatur, adiungit. B Neque enim aut sanguis Christi expiat omnes, aut fides sola sufficiet, vt inter eos quos expiat, numeremur, nisi sanguinis Christi vtilitatem, congruæ pœnitentiæ satisfactione mereamur. Vnde scriptum est in Exodo: *Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerint & sanctificauerint filij Israel.* (Exod. 28.) Aaron quippe noster eas tantum fidelium iniquitates portat, & passionis suæ supplicio expiat, quarum confessionem Deo obtulerint, & sanctificauerint eas, hoc est, digna emendatione correxerint. Huius satisfactionis qualitatem, præsenti in loco pro personarum varietate, varie quoque distribuit. Aliam namque principi, aliam animæ cuilibet de populo terræ, hostiam imponit. Principem itaque, quemlibet ex doctoribus & sanctioribus, iuxta quod scriptum est: *Constitues eos principes super omnem terram: &, principes populorum congregati sunt cum Deo Abraam:* (Psalm. 44. Psalm. 46.) animam vero, quemlibet popularem, sicut supra plenius disputatum est, appellauit. C Principis itaque quanto scientia maior & sanctitas eminentior, tanto si peccauerit, reatus vehementior erit. *Seruus* namque *qui scit voluntatem Domini sui, & non facit digna, plagis vapulabit multis.* (Luc. 12.) Et Petrus Apostolus de quibusdam. *Melius erat illis non cognoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum conuerti.* (2. Pet. 2.) Principis itaque reatum maiorem, durior necesse est pœnitentia subsequatur. Hic cum ergo et lex deputat, non capram: [illegible] quia prius in mandatis Domini viriliter egerat, vnde & principis nomine honoratus est: nunc postquam à iustitiæ culmine inimici subreptione seu proprio vitio deiectus est, fortis se zelo contra seipsum erigat: & in criminis sui vindicta, non fœminam, sed marem exhibeat. Dicitur itaque: *Si peccauerit princeps, & fecerit vnam è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum.* Ego peccati notitiam non eam hic accipio, qua vnusquisque qui male agit, scit peccatum esse quod agit: sed eum solum peccata sua veraciter cognoscere æstimo, qui peccatum quam perniciosum sit, quantave pœna plectendum, pauido corde perpendit. (Peccati cognitio Vera confessio.) Multi namque sunt, qui iudicio mentis de operibus suis male sentiunt: quia tamen gaudium suum carnale turbari nolunt, criminum suorum magnitudinem, quidque etiam per ea mereantur, D considerare refugiunt. Si quis autem gratia diuina præuentus, vocem audierit Domini monentis, *Redite præuaricatores ad cor:* (Isa. 46.) & quod per Ieremiam dicitur: *Vide vias tuas in conuallo, scito quid feceris:* (Ierem. 2.) si super operibus suis erubescens, detestatus ea fuerit, tunc demum peccata sua cognouisse dicendus est: quoniam non ea, vt prius, quasi bona sequitur: sed quod æterna supplicia parturiant, prudenter considerans detestatur. Sicut enim non cognoscit Deum, qui non eum vt dignus est diligit: teste Ioanne, quia *qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*: sic nec peccatum cognoscit, quisquis non ei odij dignam vicem rependit, quod ergo dicitur, *si peccauerit princeps per ignorantiam*, hoc est, dum minus quid mali in peccato sit, vel quæ pœna peccatum sequatur, attendit. *Et si intellexerit peccatum suum*, id est, si ad se quandoque reuersus, quid egerit, quidve meruerit, in mentis trutina appendere non neglexerit: *offerat hostiam Domino, hircum de capra immaculatum.* E

Quod ait, *hircum de capra*, teste beato Augustino, modus locutionis est. Sic solet, inquit, loqui scriptura, *occiderunt hœdum caprarum*, in Genesi de fratribus Ioseph: & in Psalmo, *sicut agni ouium*: (Genes. 37. Psalm. 113.) quasi possit esse aut hœdus nisi caprarum, aut agnus nisi ouium. Quod vero additur, *immaculatum*: ideo dicitur, ne scilicet virtus reatus satisfactio, alterius admixtione maculetur. Vnde beatus Gregorius in homilijs: Pœnitentiam, inquit, agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. (Quid sit pœnitentiam agere.) Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat: adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Sequitur:

Ponetque manum super caput eius.

Non enim coactam, sed spontaneam agere pœnitentiam oportet: nec humano timore ad hoc compelli, sed amore diuino & propriæ salutis intuitu prouocari.

Cumque immolauerit eum in loco vbi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est.

F Videtur pœnitentiæ meritum, sicut superius cum de pacificis capiam in introitu tabernaculi immolari præcepit, iterum commendare. Scripturæ quippe sanctæ intentio est, peccatoribus si conuerti voluerint, spei fiduciam reformare. Vnde lex (quod nunc in manibus est) hircum qui pro peccato offertur, in loco holocausti immolandum decernit: vt scilicet, peccatores, si dignos pœnitentiæ fructus attulerint, si euulsis de cordis agro vitiorum spinis, abundantiores iustitiæ fruges germinauerint: eundem cum his qui nunquam in peccatum prolapsi sunt, & ab initio perfectionis iter gradiuntur, meriti gradum adepturos se esse confidant. Vnde in Iezechiele porta ad aquilonem, ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad orientem. (Ieze. 44.) Omnes enim qui Deo in conuersatione nati, in innocentia perstiterunt, portam ad orientem habent, quia eis cœlestis regni aditus patet à lumine quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi, torporis sui frigore sunt depressi, si per pœnitentiam redeunt, portam ad aquilonem habent: G quia eis etiam post peccati sui frigora, regni aditus per misericordiam patet. Ea igitur habere dicitur porta ad aquilonem, quæ habet porta ad orientem: quia conuersi peccatores sic plerumque ditantur virtutibus, sicut illi sunt ditites, qui cadere in peccatis vitauerunt. Dicatur ergo: *Cumque immolauerit eum in loco vbi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est.* Non enim super peccatis nostris humana tantum indignatio, quantum diuina timenda est. Idcirco quicunque pro peccatis suis obtulerit, coram Domino offerat: vt scilicet Deum potius quam homines, spiritus contribulati sacrificio propitiare intendat. Cum igitur immolauerit princeps hircum in loco holocausti, *tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius.*

Sacerdos, aut Christi, aut præpositi cuiuspiam typum habet. Sanguis vero hostiæ pro peccato, lachrymæ sunt peccatoris, & maceratio pœnitentiæ. Papa Gregorius in homilijs: (Gregor.) Per spinam, inquit, signati sunt doctrinæ spiritualis viri: qui dum de peccatis ac virtutibus disserunt, corda audientium pungunt: sicque mentem dolore compunctionis perforant, vt ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ, lachrymæ decurrant. H Item, Pœna quam pro peccato suo aliquis sustinet, siue inferat eam ipse sibi, siue per iudicium diuinum quoquo modo eam patiatur, sanguis vocatur. Vnde habes in Psalmo: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* (Psal. 57.) Tunc enim iustus corrigitur, cum peccatorem viderit flagellari. Et in hoc eodem libro: *Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriantur, quia scelus operati sunt, sanguis eorum sit super eos*, (Leu. 20.) id est pœnam recipiant quam meruerunt. Altare quoque holocausti quod sit, iam supra diximus, præsens scilicet ecclesia: cuius cornua, eminentiores quosque populorum, videlicet rectores, & quicunque in ea sanctitatis merito excellunt, & quasi singulares sunt, intelligimus. Basis vero quæ altare portat, ipse Deus est: *qui portat omnia verbo virtutis suæ*, (Heb. 1.) quique de electis suis per Isaiam repromittit, dicens: *Ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.* (Isa 46.)

A Si igitur recordemur Christum dicentem, *Sine me nihil potestis facere*, & quia *confessio & magnificentia opus eius*: bonum est (Ioan. 15. Psal. 110.) nobis pœnitentibus, si congrue pro peccatis nostris satisfacere volumus, vt in sanguine hostiæ nostræ ipse digitum mittat, id est, per gratiam spiritus sui qui digitus eius est, nobis cooperetur. (Rom. 8.) *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nullus namque digne potest plangere quod praue commisit, nisi spiritus Christi eum adiuuerit. Neque negligenter cogitandum est, quod sanguine isto prius cornua altaris tanguntur: deinde, quod reliquum est, ad basim ipsius refunditur. Docemur quippe per hanc sanguinis partitionem, luctu & afflictione nostra primum doctoribus satisfaciendum: deinde per eorum absolutionem, nimirum quibus claues regni commissæ sunt, ad diuinam indulgentiam pertingendum. (Matth. 18.) Doctoribus quippe dictum est, *Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo.* Sed & quicunque sunt electi, si sanctitatis gratia præditi sunt, Deo eos familiares esse non dubium est. Accedendum itaque
B ad illos, vulnera per confessionem pandendo, flendum coram eis, vt altaris cornua sanguine nostro tangantur, præpositi scilicet nostri, seu etiam quique religiosi, fletibus nostris ad compassionem flectantur: sicque commissa nostra & meritis leuent, & potestate relaxent. Decet enim peccatorem hæc humilitas, vt sine mediatore aliquo iusto petere indulgentiam non præsumat. Sic namque amici Iob, per (Iob 42. Act. 10. Act. 9.) ipsum in quem peccauerant, reconciliati sunt. Cornelius quoque per Petrum, sed & Saulus per Ananiam ad Christi gratiam accedere meruerunt. Sed sufficere non debet humana gratia. Illa enim maxime, illa tota intentione poscenda est, sine qua salutis humanæ nulla spes esse potest. Cum ergo iam homines tibi ignoscunt, tunc ad Deum gemitum tuum conuerte, & adeptus sanctorum patrocinijs, quod reliquum est sanguinis, ad basim altaris funde: vt scilicet apud Deum pro te quod potes agas, gemas coram illo, & spiritus contribulati sacrificium illi offeras. Vnde scriptum est: (Eccles. 17.) *Precare ante faciem Dei, & minue offendicula.* Hoc autem sacerdos facere dicitur, digitum suum in sanguine tingens: quia Christus spiritus sui instinctu nos & docet quid agere de-
C beamus, & iuuat vt explere possimus. Si vero sacerdos quilibet doctor hic accipitur, ipse quoque in sanguine nostro digitum tingere debet, pœnitentiæ scilicet nostræ cooperari per doctrinam suam: & sanguine eodem primum cornua altaris tangere, deinde quod reliquum est, ad basim altaris fundere: vt admonitione eius instruamur, qua humilitate & homines iustos placare, & Deum nobis repropitiare possimus. Sequitur:

Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet. Rogabitque pro eo & pro peccato eius, ac dimittetur ei.

Omnis qui de præteritis malis suis pœnitentiam agit, si eam prodesse sibi exoptat; caueat omnimodis necesse est, ne eadem rursum committat. Scriptum est enim: (Eccles. 3.) *Qui diligit Dominum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis.* Item: (Eccl. 34.) *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis audiet? Quod si memoriæ retinemus, per adipum concremationem in pacificis, affectuum carnalium temperantiam & moderationem designatam esse: manifestum est, eandem pœnitentibus necessariam fore, ne proprijs
D concupiscentijs superati, quod deseruerant cogantur repetere.

De capra quæ pro peccato offerebatur.

Cap. II.

*Q*Vod *si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quicquam ex his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatum suum: offeret capram immaculatam, ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti. Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti: reliquum fundet ad basim eius. Omnem autem auferens adipem, sicut auferri solet de victimis pacificorum; adolebit super altare in odorem suauitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei.*
E
Eadem in animæ oblatione repetita sunt, quæ de principis hostia fuerant præmissa. Hoc solum refert, quod huic capra, illi hircus deputatus est. Cuius differentiæ ratio iam superius reddita est. Principis enim nomine, sanctus quilibet, qui motibus carnis suæ præesse, & rationis frenum imponere didicit, designatur. De quibus Salomon: *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram.* (Eccl. 10) Anima autem, quilibet popularis ob morum infirmitatem, vocatur. Cuius fragilitati in tantum compatitur lex, vt si peccauerit, non acriorem, nec (vt ita dicam) virilem pœnitentiam ei imponat; sed remissiorem & quasi fœmineam, quam pro statu imbecillitatis suæ possit sustinere: ne scilicet pondere eius absterreatur, & viam salutis refugiat. Hoc est itaque quod dicitur: *si peccauerit anima, offeres capram immaculatam.* Non est autem prætereundum, quod in Græco secundum septuaginta pro hirco & capra, chimarus & chimarra legitur. Chimarus vero & chimarra, fœtus caprarum sunt chimerini, id est, qui circa
F hyemis tempus nascuntur. Nam bis per annum capris parientibus, quidam fœtus tempore hyemis, quidam vero æstatis generantur. Per [illegible] itaque, pœnitentiæ tristitia satis patenter videtur expressa.

De oue pro peccato.

Cap. III.

*S*I *autem & de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ouem scilicet immaculatam: ponet manum super caput eius, & immolabit eam in loco vbi solent holocaustorum hostiæ cædi. Sumetque sacerdos de sanguine eius digito suo. & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius. Omnem quoque auferens adipem, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini. Rogabitque pro eo & pro peccato eius, & dimittetur ei.*

Post hirci seu capræ oblationem, etiam ouem conuersos offerre præcepit. Necesse est enim, vt si veram de malis nostris pœnitentiam agimus, vitæ de cætero inno-
G centiam Deo consectemur. Vnde Psalmista Domino loquitur, dicens: *Iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.* (Psal. 98.) Iudicium scilicet, vt electi pro malis suis seipsos iudicent: iustitiam vero, vt mala eadem in reliquum emendent. Isaias quoque per vitæ correctionem peccata aboleri ostendit, dicens: (Isai. 1.) *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse. discite bene facere. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Cum vero in hac legislatione eadem quæ supra, repetita sint; hoc solum notandum existimo; quod sicut hirci & capræ, sic etiam ouis sanguine cornua altaris tangi & basis illius infundi præcipiuntur. Hinc enim colligimus, quia & ipsa innocentia post peccati abrenunciationem, si non pro præsentibus, tamen pro præteritis luctum habere debet & afflictionem, per quam Deus & ministri eius ad compassionem flectantur. Non enim sufficit peccata deseruisse, nisi congrua satisfactione, quod inique perpetratum est, aboleatur. Licet ergo iam in bo-
H nis actibus constituti simus, adhuc quia mali fuimus, plangere debemus. Vnde monet scriptura: (Eccl. 5.) *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Beatus Apostolus postquam iam Christo crediderat, cum iam de magnitudine dilectionis suæ, qua erga eum flagrabat, fidenter protestaretur: (Rom. 8.) *Certus sum quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro:* quod tamen carnali amore distractus primitus extiterat, vehementius plangebat, dicens: (Rom. 9.) *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* David quoque qui arguente se propheta, iniquitatem suam humiliter confessus est dicens, *Peccaui*, continuo audiuit: *Transtulit Do-*

A

2. Reg. 12.

minus peccatum tuum à te, non morieris. Ipse tamen postmodum ob eiusdem sceleris perpetrationem, Deo iudicante, multa sustinuit. Vnde à facie filij fugiens, & à seruo maledicta suscipiens, cum diuinam adhuc erga se indignationē intelligeret, bono animo flagella quæ promeruerat sustinens, militis indignationem humili voce compressit, dicens: *Dimitte eum vt maledicat mihi.* Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. Iuxta igitur legis decretum, sanguine ouis quæ pro peccato offertur, & cornua altaris tangenda sunt, & basis illius infundenda, quia etiam vitæ innocentia, quæ pro redemptione veterum delictorum Deo consecrantur, sua afflictione (seu dum se homo ipse flagellat, seu dum flagellantem patrem æquanimiter tolerat) & diuinam indulgentiam, & humanam debet acquirere compassionem.

2. Reg. 16.

De alieni peccati simulatione vel consensu.

Cap. IV.

B

HVmani reatus quæ sit expiatio, siue ab eo qui omniū salus est omnibus prouisa, siue ab vnoquoque homine tibi prouidenda, quatuor his vel quinque capitulis disputatum est. Quæ vero ea sint quæ Dominus mandauit non fieri, quorum transgressoribus hic consulitur, in præsenti quidem tacetur: sed in his ipsis Mosaicis voluminibus diuersis locis copiosissime pertractatur. Nam in Exodo decalogum habes, in quo dicitur tibi: *Non habebis Deos alienos, Non assumes nomen Dei tui in vanum. In sabbato nihil seruilis operis faciendum. Patri & matri non maledicendum. Non occides. Nō mœchaberis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices.* Quæ igitur sint ea, quæ Domini lege prohibentur, plurib. (vt dictum est) locis à legislatore sancitur. Hic vero non de morborum qualitate, sed de eorū remedio pertractatur. Ne tamen alicui videretur, illum solum reum esse, qui quod lege prohibitum est facit, non etiam qui facientem non arguit, aut facienti consentit: modica digressione, sola alieni peccati dissimulatione aut cōniuentia, reum quēlibet fieri ostendit. Inde est quod sequitur:

Exod. 20.

C

Leuit. cap. V.

Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisq; fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.

Hæc de alieni peccati dissimulatione dicuntur, post etiam consensus arguitur. Hic itaque primum locutio notāda, qua dicitur: Si peccauerit anima: & deinde, testisq; fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est. Nō dixit, quod aut ipsa vidit, aut conscia est, cum de anima loqui cœpisset. Patet itaque quod animam hominem vocet: & ideo, ipse & conscius, posuit, ad hominem iuxta intentionem suā verba conuertens. Hanc in locutionibus Deuteronomij beatus Augustinus sic notat locutionem, dicens: Si deprehendit homo furans animam. Animam, inquit, pro homine posuit. Deinde sequitur: *Et opprimens eum vendiderit.* Noluit dicere eam, quod esset magis consequens, quoniam animam dixerat: sed eum, id est, hominem, in cuius significatione dixerat animam. Quod autem dicitur, *si peccauerit anima & audierit vocem iurantis*: in quibusdam exemplaribus, *iurantis*: alicubi vero, *adiurantis* legi, vtrumque congrue & vtiliter intelligi potest. Nam iurantis, & in quæstionibus Leuitici beatus Augustinus, de hoc ipso tractans capitulo, posuit: Si ergo iurantis legere voluerimus, hic erit in litera sensus: Si quis furti reus aut homicidij aut adulterij, falso se innocentem esse iurauerit: quicunque testis est iniquitatis ipsius, per hoc quod aut vidit, aut quoquo modo conscius est: si peccauerit vt eo iurante taceat, & non indicet quod nouit, portabit iniquitatem suam. Adiurantis autē, quod alibi legi, non multum curassem, nisi quod Salomonis verba in parabolis hoc magis approbare videntur. Ait enim: *Qui cum fure partitur, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.* Manifestus est itaque sensus, in facto furto seu quolibet alio crimine perpetrato, si facta fuerit adiuratio, vt prodat qui nouit: quisquis conscius est, si tacuerit, reus erit. Nulla est hic allegorica figura: profunda tamē mouetur quæstio. Si aliquo furti aut homicidij reo, & pro crimine suo, si de eo constiterit occidendo, aliquis qui cōscius est, adiurantem, aut eū falso iurantem audierit: quid magis eligere debeat, aut prodēdo reum neci tradere, aut tacendo pœnitentiæ reseruare. Si enim prodiderit, crudelis propter hominis condemnationem: si vero tacuerit, transgressor propter legis præuaricationem iudicabitur. Hanc beatus Augustinus in Leuitici quæstionibus proponit: sed hæc ipsa est, quæ Domino à Iudæis intentata est. Statuerunt siquidem adulteram coram eo: & legis præcepto commemorato, quæsierunt ab eo quid decerneret. *Si enim dimittendam,* inquit, *censuerit, contra Moysen dixisse probabitur. Si lapidandam, immisericors ab omnibus, qui modo mansuetudinem illam amplectuntur, habebitur.* Sed huius ambiguitatis nodum, dilucide temporum ratio perspecta dissoluit. Alia est enim legis seueritas, alia noui testamenti remissio & indulgentia. In Deo siquidem vtraque commendātur: & iustitia & misericordia, sicut scriptum est: *Misericordia & ira ab illo.* Et Salomon: *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus.* Quia igitur diuina iustitia erga humana delicta, tanta quandoque vtitur seueritate, vt nullius flectatur precibus sicut scriptum est: *quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*: placuit ei propter illos qui nimium de ipsius misericordia blādiuntur, ad seueritatis huius argumentum, primitus per legem absq; retractione peccata humana percutere. Quia vero iuxta vocem Psalmistæ, *apud eum propitiatio est,* non cōtinuit in ira sua misericordiam suam: & tempore ab æterno disposito, per mediatoris aduentum rigor ille legalis laxatus est, & pœnitentiæ tempus peccatoribus indultum. Vt igitur ad propositum redeam, si quis tempore veteris testamenti, alieni furti aut homicidij conscius erat, in iudicio conuentus, absque reatu suo illud occultare non poterat. Deo enim peccatorem punire præcipiente, humana clementia, inobedientia potius & contumacia dicenda est. Hinc est quod Abraam, qui Deo iubente nec dilecto filio pepercit, tantam apud ipsum gratiam adeptus est. Ecōtra vero Saul, quia contra imperium Domini pepercit peccatoribus Amalech, ad quos delendos missus fuerat: regē quoque Agag viuum adduxit, de gregibus quoque optima quæque quasi hostias Domino oblaturus reseruauit: de regno deiectus est, & à Samuele audiuit: *Melior est obedientia quam victima* & quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Dauid quoque, qui tantæ mansuetudinis fuit, vt inimico acerrimo in potestatem accepto parceret, & mortuū eum plangeret: scriptum est tamen de eo, quia apud Achis regem Geth constitutus, percutiebat omnem terram, nec relinquebat viuentem virum aut mulierem, & quia hoc fuit ei decretum omnibus diebus quibus habitauit in terra Philisthinorum. Rex autem factus, cum Rabath filiorum Ammon vrbem regiam expugnasset, tanta crudelitate erga populum eius vsus est, vt serraret eos, & super eos ferrata carpenta circumageret, cultrisque diuideret. Cuius seueritatis exempla multa in antiquorum patrum gestis reperies. Eo itaque tempore quo præcipiebat Deus, dicēs: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clam dicēs, Eamus & seruiamus dijs alienis: nō parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies*: nec iudici, nec testi, in huiusmodi causis contra diuinum imperium reis parcere licebat. Placebat enim dispositioni diuinæ, tunc temporis delicta hominum non solum corrigere, sed etiā iudicare. Postquam vero ipse qui legem dederat, districtionem suam temperauit, dicens: *Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: sola amodo in iudicandis reis vtilitatis humanæ ratio habenda est, vt quod vtilius homini iudicaueris, aut accusare scilicet eum & reatum eius prodere, aut certe ad tempus dissimulare, & ægritudinem eius pia longanimitate portare, hoc facias. Quod si alienum peccatum ea intentione dissimulaueris, quasi faueas illi, non vt correptioni eius congruum tempus inquiras, omni tempore reprehensibilis es. Inde est enim quod sequitur:

Dent. 24. iuxta lex.

D

Prouer. 19.

Quæstio nodosa.

E

Ioan. 8.

Eccli. 5.

Eccle. 7.

F

Prou. 5.

Psal. 129.

Psal. 79.

Gen. 22.

G

1. Reg. 15.

1. Reg. 24. & 26.

1 Reg. 27.

2. Reg. 12.

Deut. 13.

H

Ioan. 5.

Anima quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à

A *bestia est, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ: rea est, & deliquit.*

Immunda in lege dicebantur, immunditiæ humanæ signa, in rebus sensibilibus vane constituta. Alioqui apud Deum nihil est immundum, præter peccatum. Per morticina ergo & occisa, figuraliter lex de vitiis spiritualibus agit: vnde congrue proponit, dicens: *Anima quæ tetigerit aliquid immundum.* Si enim de corporalibus immunditiis ageret, nec anima cum incorporea sit, per se tangere potest: nec homo ob huiusmodi tactum, quantum ad supra memoratam infirmitatis denotationem, anima dicendus est. Quod enim quæso vitium est, mortuum tetigisse, seu etiam sepelisse? Sed per mortuum significatur peccatum, eo quod peccando anima moriatur. Vnde scriptum est: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* (Eccli. 34.) Anima itaque immundum tangit, quando peccato alieno consensum iungit, id est, quando alieno exemplo corrupta, nutum voluntatis ad culpam inflectit. Huiusmodi tactus, & iuxta naturam & iuxta infirmitatem, animę vocabulum congruit. Occisum autem a bestia, eum intelligimus, qui inimici suggestione & seductione in peccatũ labitur. Hæc est enim bestia, de qua in laude Christi, qui via nobis factus est, per Isaiam dicitur: *Hæc erit vobis directa via, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi.* (Isa. 35.) Per se autem moritur, quisquis propria deliberatione iniquitati subiicitur. Horum igitur omniũ tactus, immundus est. Sed quia nullus moritur, qui prius non vixerit: nec à iustitia aliquis corruisse dici potest, qui prius in iustitia non steterit: sunt autem multi qui in vitiis nati, & in vitiis enutriti, iustitiæ vitam nunquam experti, quam maxime vitandi sunt, per reptilium tactũ eos expressit. Hæc enim, quæ ob id solum immunda dicuntur, quia aut p se mortua, aut à bestia occisa sunt: dum viuerent, munda fuerunt. Reptilia vero omnia immunda sunt. Nã de vtrisq; in sequentibus hoc modo sancitur: *Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit.* (Leuit. 11.) C De reptilibus vero: *Omne,* inquit, *quod reptat super terrã abominabile erit.* (Ibidem) In reptilibus ergo illi exprimuntur, non qui aliqua subreptione in terrenorum concupiscentiam labuntur: sed qui toto corpore terræ adhærentes, tota vita, tota intentione terrena sequuntur. *Anima* itaque *quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ: rea est, & deliquit.* Nõ sine causa interpositum existimo, *& oblita fuerit immunditiæ suæ.* Quid enim sibi vult hæc conditio, vt dicatur, *si oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est & deliquit:* Si igitur tetigerit immundum, & immunditiæ suæ oblita non fuerit, nunquid non immunda erit? Sed nota quia parcitur humanæ fragilitati. Quis est enim qui nesciat, quis est quem non ipsa experientia doceat, humanorum affectuum, inuito nonnunquam etiam ipso qui patitur, labilem discursum? Si igitur repentè affectus tuus ad aliqua illicita se inflectat, quod est quasi mortuum tangere: si tu sentiens statim repugnaueris, si temetipsum vehementius reprehenderis, nequaquam propter hunc tactum iudicaberis immundus; imo si de teD ipso tibi cesserit victoria, corona donaberis. Si vero huiusmodi cogitatione illectus neglexeris, si libenter in ea mortuus fueris, etiam si opere non expleas, nefandaq; affectes: pollueris, eo quod immundum corde tangens, temetipsũ non arguis. Hæc est obliuio, de qua lex loquitur. Obliuisci etenim est paruipendere, & in hac causa hominem incuriosum existere. Si ergo oblita fuerit, rea est & deliquit: quia hoc pro culpa ei imputatur, si prauo affectu illecta, minime reluctatur. Sequitur:

Et si tetigerit quicquam de immunditia hominis, iuxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognouerit postea, subiacebit delicto.

In legalibus vmbris multæ designabantur hominis immunditiæ, sicut pollutio dormientis, fluxus menstruatæ, seu eius qui fluxum seminis patiebatur. Si vero ad spiritualem recurras intelligentiam, omne peccatum, magnum aut paruum, capitale seu veniale, hominis immunditia est. Cui quicunque libens affectum iungit, iuxta peccati mensuram polluitur. Et ideo vniuersaliter concludens: *Anima* inquit, *quæ tetigerit quicquam de immunditia hominis, iuxta omnem impuritatem quâ pollui solet, oblitaq; cognouerit postea, subiacebit delicto.* E *Si cognouerit, tunc subiacebit,* id est, si torpore expulso, semetipsam discusserit: si malo cogitationum suarũ, oculos se conditoris offendere intellexerit, tunc subiacebit delicto. quod enim subiaceat, sic apparebit. Hæc locutio frequens est. Elias in libro Regum. *Qui exaudierit per ignem, ipse erit Deus:* (3. Reg. 18.) quod est, ipse habebitur Deus. Et Dominus Iudæis: *si cæci essetis, non haberetis peccatum,* (Ioan. 9.) id est, si cæcos vos cognosceretis, & hoc humiliter confiteremini, à peccatis vestris liberari possetis. *Nunc autem dicitis,* inquit, *quia videmus, peccatum vestrum manet.* Non dixit, nunc autem videtis: sed, *vos dicitis,* inquit, *quia videmus:* quomodo cæcos eos iuxta opinionem suam negasset, apertius.

Qui votum non reddiderit, quomodo satisfaciat.

Cap. V.

F

CVm igitur humanorum delictorum lex superius expiationem intimasset, breuiter quasi ex latere vnũquemque nostrum, vt non solum tactu proprio, sed etiam alterius participatione pollui timeret, admonere curauit. Quo expleto, iam ad ordinem redit, dicens:

Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret vel bene, & idipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaq; intellexerit peccatum suum: agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnam de gregibus siue capram. Orabitq; pro eo sacerdos & pro peccato suo.

Quod dicitur, *anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis:* itemque, *& idipsum iuramento & sermone firmauerit,* eiusdem verbi repetitio est. Notandus autem in vtroque conuersus ordo dicendi. Magis enim congrue dictum videretur, Anima quæ protulerit labiis suis & iurauerit: rursumque, & idipsum sermone & iuramento firmauerit. Nam ad verbi G confirmationem, postquam iuramentum præmissum est, sermo superfluit. Idem tamen sensus habetur. Sed modus (vt diximus) locutionis est, quem in libro Iudicum beatus Augustinus, vbi de Iahel quæ Sisaram interfecit, scriptura loquitur, sic notat, dicens: *Perforauit caput eius & percussit,* (Iud. 4.) id est, percussit & perforauit. Sed & hic ordo constructionis est: *Anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis.* i. quæ labiis suis protulerit & iurauerit, *& idipsum iuramento & sermone firmauerit,* id est, prius sermone, & postea iuramento. Nam iuramento (vt diximus) præmisso, sermo nil conferret. Aut fortè in iuramento mentis propositum, quod intus coram Deo consilij deliberatione statuitur: in sermone verò, sonus qui labijs profertur, & hominibus aperit quod deliberatum est, non incongruè accipitur. Sed iam videamus quid sit, quod ab anima cum deliberationis iuramento statuitur, vt aut malè aliquid faciat, aut bene. Quisquis male agere proponit, certum est quia ipso nutu quo iniquitatem affectat, delinquit. Sed & hoc certum esse debet, quod si malum animi propositum vsque ad opus perduxerit, peius facit. Nam si malum est illud vel proposuisse, peius est H vtique etiam opere consummasse. Hinc dominici interfectores in psalmo vehementius arguuntur, cum dicitur. *Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.* (Psal. 63.) Hoc est enim prauum sermonem pessime confirmasse, donec Christum (vt destinauerant) sagittarent, à proposito non destitisse. Econtra vero Dauid pro interficiendis quæ erant Nabal, & iniuria sua vindicanda iurauerat: sed ad preces Abigail flexus, non (1. Reg. 25.) tantum doluit quia malè iurasset, quantum gauisus est quia male iurata opere non explesset. Adeo perseuerantia in malo, non constantia, sed pertinacia: nec fides, sed incorrigibilis perfidia dicenda est. Hic tamen videmus, quia seu bonum seu malum sit quod cum iuramento proponitur, dominico præcepto consummari præcipitur: si quis vero illud frustrauerit, reus decernitur. Sciendum itaque quod malum, non solum peccatum quo anima corrumpitur, sed etiam molestia quælibet, qua temporaliter corpus affligitur, nominatur. Vnde Isaias, loquente Domino: *Ego,* inquit, *Dominus, & non* (Isa. 45.)

A *est aliud, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum.* Thren. 3. Ieremias quoque: *Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente, ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala?* Amos. 3. Amos etiam: *Si erit, inquit, malum in ciuitate quod Dominus non fecit?* In quibus omnibus malum, non peccatum, sed afflictio præsens intelligitur, qua diuino iudicio pro meritis suis peccatores percutiuntur. Pari modo, cum animam ream fieri legimus, quę seu male seu bene quid facere iurauerit, nisi expleuerit: malum hic non pro culpa, sed pro pœna accipiendum est, cum quis peccata sua iudicans, carnis suæ afflictionem Deo vouit. Male ergo sibi facit, quisquis, quia Deum contempserat, sibi iratus, pœnas debitas a se exigit. Bene vero agere, est vitijs abrenunciando bonis operibus insudare. Patet itaque, vt supra diximus, quia post modicam digressionem prætermissum ordinem ceperit. Cum enim superius de peccatorum satisfactione agere, in hirco & capra quam pro expiatione sua reos offerre præcepit, pœnitentiæ eorum austeritatem figurauit: in oue vero, quæ similiter eis imposita est, innocentiam quæ pœnitentiæ associanda est, designauit. Hanc igitur sanctionem legislator respiciens: *Anima, inquit, quæ iurauerit, vt vel* B *bene quid faceret vel male,* id est, quæ vel carnis suæ in pœnitentia afflictionem, quæ per hircum & capram supra designata est: aut vitæ innocentiam, quæ nihilominus in oue expressa est, *Deo vouerit. Oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato.* Si enim votum reddere morata est, peccauit: sicut scriptum est, Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Ergo *si oblita votum sui, postea intellexerit,* id est, si negligens prius reddere, quod vouerat, postea super hoc ipso se reprehenderit: *agat pœnitentiam pro peccato,* digna scilicet satisfactione diluens quod neglexit. Hoc enim primum necessarium est. Deinde quid? *Et offerat agnam de gregibus siue capram.* Tanquam diceret: Quod prius vouerat, & nondum reddiderat, reddat. Male & bene faciat, carnem affligens, & bonis operibus insistens. Hæc namque est ouis & capra, bonorum operum executio, & malorum pœnitentia. Nec contrarium videatur, quod siue ouis siue capra offerri iubetur, cum nos vtranque offerendam diximus. Siue enim C aliquando copulatiuum est: vt cum dicimus, 1. Cor. 12. *siue serui siue liberi, omnes vnum sumus in Christo,* id est, & serui & liberi. Et in Leui. 13. hoc eodem libro: *Vestis linea siue lanea quæ lepram habuerint, aut certe pellis vel quicquid ex pelle confectum est, ostendetur sacerdoti.* Hic enim siue, aut, vel, pro & particula accipiuntur. Non vnum quippe eorum tantum, aut hoc, vt illud: sed & linea & lanea vestis, & pellis & quicquid ex pelle conficitur, si lepram habuerit, ostendi sacerdoti præcipiuntur. Sic & in præsenti, cum dicit, *offeret agnam siue capram,* vtrunque ei iniungit. Quod vero *agnam de gregibus* ponit, hoc fortasse aduertendum est: quoniam inferioribus, & his maxime qui adeo negligentes sunt, vt votorum suorum obliuionem admittant, ardua & quæ paucorum sit, non est intelligenda conuersatio: sed vulgaris, & quę cuiuslibet etiam inualidæ vires non opprimat. Quanquam vitanda est in huiusmodi nimia discussio. Forte enim in hoc loco nonnisi locutio est. August. Vnde beatus Augustinus in libro recapitulationum scripsisse se septem libros de septem libris diuinarum scripturarum commemorat, id est, Moysi quinque, & vno Iesu Naue, & altero Iudicum, notatis locutionib. singulorum, quæ minus vsitatæ sunt linguæ nostræ: quas pa- D rum aduertendo, sensum quærunt qui legunt, cum sit locutionis genus, & nonnunquam exsculpunt aliquid, quod à veritate quidem non abhorreat: non tamen hoc sensisse autor à quo id scriptum est, inuenitur: sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in literis sacris obscura, cognito locutionis genere, illucescũt. Propter quod, inquit, cognoscenda sunt eadem genera locutionum, vbi sententiæ patent: vt etiam vbi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat.

Qui pecus non habuerit, vt offerat duos turtures, aut duos pullos columbæ. E

C A P. VI.

Leuit. 5. *Si autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum: vnum pro peccato, & alterum in holocaustum: dabitque eos sacerdoti.*

Multa hominum erga Dei cultum & suam salutem negligentia, sed maior Dei erga homines longanimitas & misericordia. Ecce enim cum peccatoribus pœnitentiæ & vitæ correctionis remedia ostensa sint, si quis salutis iter aggressus defecerit: & in suo proposito segnior factus, bonũ quod inchoauerat, implere distulerit, diuina adhuc patiẽtia supportatur. & quandiu viuendi longiora spatia recipit, expectatur vt impleat quod promisit. Si vero morte imminente, aut graui infirmitate incumbente, exequendi voti facultas adempta fuerit, nec sic deseritur: sed si vel tunc F conuerti voluerit, quanquam irriserit Deum, votum ei faciens, & quod vouerat non persoluens, via illi ostenditur qua saluetur. Adeo erga omnes illius Angelicæ salutationis seruatur pollicitatio, vt etiam illi qui bonum quod affectant, implere non possunt: pro solo tamen voluntatis nutu, diuinæ reconciliationis mercedem recipiant. Quid igitur his qui eiusmodi sunt, consilij detur: quis satisfactionis modus, legis ipsius sanctione illis iniungatur, audimus. *Si autem, inquit, non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, seu duos pullos columbarum.* Qui sunt qui ad pecus offerendũ non sufficiunt, iam prælibauimus: illi scilicet, qui mortis propinquitate seu infirmitatis pondere præpediti, iniunctam sibi pœnitentiam explere, seu iustis laboribus se subdere amodo nequeunt. Offerant igitur duos turtures, siue duos pullos columbarum. Turtur enim & columba pro cantu gemitum habent. Qui ergo nec seipsum affligere, nec iustitiæ opus exequi sufficit vt promiserat, gemat. Duplicẽ autem gemitum eum habere oportet: siue quia malum egit, quod non potest digna satisfactione abluere: vel quia bonum quod Deo vouerat, nõ vacat explere. Inde est quod de duobus turturibus seu pullis columbinis dicitur: *vnum* G *pro peccato, & alium in holocaustum.* Turtur quippe seu pullus columbæ pro peccato offertur, cum graui cordis contritione criminum reatus defletur. In holocaustum vero alter cedit, cum mens quæ a bonis operibus vacasse se plangit, eorum desiderio, si tempus & spatium detur, totam se accendit. Quod vero turtures seu pulli sacerdoti dari præcipiuntur: ostenditur, non nisi per prælatos, seu certe per summum omnium pontificem Christum, si illi defuerint, peccatorum satisfactionem posse acceptari. Sequitur:

Qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur.

Quid per pennulas nisi virtutes animæ significantur, quibus illa ad cœlum volat? Caput ergo turturis qui pro peccato offertur, ad pennulas retorquetur: cum mens quę hominis caput est, & pro peccatis suis anxia dolet, lætalem execrans dulcedinem vitiorum, virtutum concipit appetitum. *Ita, inquit, vt collo hæreat, & non penitus abrumpatur.* Dignum quidem est, vt qui vitam totam in delicijs egit, qui voluptatibus illam absumpsit: saltem iam morte vicina, & ætate fessa, si vanitatem studiorum suorum intelligit, si H iam scit plangere quod vitam perdidit, caput à corpore secernat, mentis scilicet intentionem à procurandis carnis voluptatibus auertat. Nec tamen caput ipsum penitus abrumpendum est: quia cura quæ carnis desiderijs negatur, sustentandis necessitatibus debetur. Sequitur:

Et asperget de sanguine eius parietem altaris: quicquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est.

Eadem pene de hirco & capra, quæ pro peccato offeruntur, superius sancita sunt: nisi quod ibi sanguine hostiæ cornua altaris, hic vero paries ipsius aspergi præcipitur. Nam quod ibi quicquid reliquum est, ad fundamentum altaris fundi, hic vero distillari iubetur: non hoc mysterij varietas, sed hostiarum diuersitas facit. Non enim tanta de auicula, quanta de pecude sanguinis copia profluere po-

A rest: & ideo congrue pecudum sanguis fundi, auium vero dicitur distillari. Cur ergo sanguine hostiarum ibi cornua altaris tangi, hic vero paries aspergi iubeatur, hoc solum requirendum est. Nemo dubitat vnumquemque, quanto grauius excesserit, tanto maiori humilitate satisfacere oportere. Quisquis itaque reum se intelligit, si dum vitæ & bonæ valetudinis spatia longiora sperare potest, ad satisfactionem redit, sufficit ei vt cornua altaris suo sanguine tangat, vt scilicet aliquos gregis Christi pastores, suo fletu & contritione ad compassionem flectat: quorum ope & potestate, vt prædictum est, à peccatorum suorum vinculis absoluatur. Qui vero & grauiter se deliquisse meminit, & pœnitentiæ tempus indultum consumpsisse, imo etiam emendationis promissæ & non persolutæ voto Deo illusisse: necesse est, vt diximus, quanto grauius à conscientia sua accusatur, tanto magis se abijciat: & quoslibet fideles suo iudicio sibi anteponens, non supremos solum, verum quoscunque sibi familiaritas iunxerit, quoscunque competens & tempus & locus obtulerit, profusis lachrymis ad compassionem moueat, & aduocatos sibi fieri exposcat. Hoc est altaris parietem sanguine aspergere, quoslibet etiam mediocres, luctu & contritione nimia ad misericordiam prouocare. Quod vero sanguinis superest, ad fundamentum altaris fundendum est: quia vt de hirco prius ostendimus, adeptis humanis patrocinijs, ad impetrandam diuinam indulgentiam, cordis contriti intentio conuertenda est. *Quia*, inquit, *pro peccato est*. Necesse est igitur vt sanguis ipsius ad altaris fundamentum transeat: quia peccati remissio à Deo maxime & petenda & speranda est.

Alterum vero adolebit in holocaustum, vt fieri solet. Rogabitque pro eo & pro peccato eius, & dimittetur ei.

Cur post primum turturem seu pullum columbæ qui pro peccato offertur, ex altero fiat holocaustum, iam supra intimatum est. Non enim solum gemere debet anima quod perperam egit: sed etiam quod in bonis actibus sterilis fuit, plangere: & plangendo, bene agendi desiderio (si amplius liceat) se inflammare. Cuius exequendi etiam si facultas negetur, affectus tamen à Domino acceptatur. *Alterum*, inquit, *adolebit in holocaustum, vt fieri solet*. Hoc solum hic accipio, quod non in esum sacerdotum cedere, sicut illa hostia quæ pro peccato offerebatur: sed in altari tota nocte cremari, quemadmodum de omnibus holocaustis sancitur, turturiste siue pullus columbæ, qui holocaustum fit, præcipiatur. Nam de vesicula & plumis ad orientem proijciendis, & nonnullis alijs, quæ in auibus spontaneorum holocaustorum (in quibus perfectorum & eorum qui scientiæ studio se tradunt, forma expressa est) uberius superius distincta sunt, nullam iterationem habere existimo. Siquidem eos qui pro peccatis suis vix vtcunque satisfaciunt, sublimia illa non attingunt. Cum igitur remedium doceat, qui retroactæ ætatis salutem suam contempserant, lex diuina præbeat, per quod, si explere illud potuerint, etiam in extremo vitæ margine salui fiant: nemini tamen salutis suæ curam censeo procrastinandam, quasi pollicendo sibi post diuturna flagitia, bonam vitę consummationem. Manifesta quippe & euidens illa gratia est, nec in hominis ditione posita, quando sub articulo mortis imminentis, sub tempore iam deficientis ætatis, spiritu vbi vult spirante, repente anima peccatoris sua lachrymis baptizatur: & peccandi appetitum abijciens, in affectum iustitiæ tota conuertitur. Quod si spiritus infirmitatem nostram non adiuuerit, vt ipse postulet pro nobis, id est, postulantes nos faciat, anima humana stolida & insensibilis remanebit. Omni ergo vitæ nostræ tempore, omni momento quisquis sibi huius spiritus gratiam adesse senserit, quisquis stimulo ipsius ad satisfactionem se excitari deprehenderit, ne differat: ne dum hodie negligit, cras eadē gratia priuatum se inueniat. Multi enim nec sub mortis periculo peccata sua digne deflere potuerunt, nec viuum bene operandi affectum concipere. De quibus mox subiungitur.

Ioan. 3.

D

Rom. 8.

B

C

Qui non potest offerre aues, offerat similam.

Cap. VII.

Q*Vod si non quiuerit manus eius offerre duos turtures vel duos pullos columbæ, offeret pro peccato similam, partē ephi decimā.*

E Sin pecore sancti laboris exercitium, in auibus vero sanctorum affectuum motus designatus est; quando sic est anima, vbi pedem non potest ponere boni operis, volat desiderio bonæ voluntatis: quid in simila nisi latentium cogitationum & criminum, in quibus peccator sibi soli notus est, per confessionem expositio intelligitur? Simila quippe, res inanimata & sine sensu est. Sic & homo qui subtracta iam boni operis facultate, pro malis suis nec viuo dolore transfigitur, nec boni operis ardenti desiderio succenditur: gratia priuatus, quicquid agere præualet, pene motu vitali caret. Quod tamen in potestate habet, faciat: similam offerat, & mala quæ apud se celabat, per confessionem sacerdoti prodat. Supra quippe iam diximus, cogitationum subtilitatem per similam designari. Cum enim rei incorporeæ figura in corpore aliquo ponenda esset, illi potissimum congruebat, quod pro nimia subtilitate corpoream crassitudinem pene videtur effugere. Simila. Simila siquidem pura farina est, à furfuris admixtione secreta. De hac itaq; decimam partem ephi offerre præcipitur. Quid in decimatio, nisi perfectio intelligitur? Dignum est enim, vt qui

F peccatorum suorum confessionem facit, consummet eam: omnia quæ ad memoriam reuocare potest, Domino pandens, non alia prodens, alia abscondens. Sequitur:

Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est: tradetque eam sacerdoti.

Quod oleum in ea non mittitur, inde est: quia his qui eiusmodi sunt, certa misericordiæ spes non promittitur. Confessio quippe quam nullos comitatus fructus boni operis, quamque interni gemitus non commendant, incertum est vtrum à Domino recipiatur. Multos quippe videmus timore mortis confiteri: si tamen contigerit eos conualescere, mala quibus per confessionem abrenunciauerāt repetunt, & canum more ad vomitum redeunt. Cum ergo confiterentur, nunquid humanus oculus interiora eorum penetrare poterat, vt aduerteret eos crimina quæ prodebant, nondum detestari, sed timore exterritos quasi eis valefacere? Deo vero omnia manifesta sunt. Homo itaque, sicut confessionem huiusmodi vtrum vera an falsa sit, ne Prou. 26. 2 Pet 2

G quis examinare sic nec iudicare de ea potest; nec certā veniæ spem confitenti promittere. Beatus Augustinus in quodam sermone ad pœnitentes: Quisquis, inquit, positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam: & accipit, & mox reconciliatur, & vadit: fateor vobis, non illi negabimus quod petit, sed non præsumimus dicere, quia hinc bene exit. Non præsumo, non vos fallo. Fidelis bene viuens, bene hinc exit. Baptizatus ad horam, bene exit. Agens pœnitentiam ad vltimū, & reconciliatus, si securus hinc exeat, ego securus non sum. Nunquid dico, damnabitur? Non dico: sed non dico etiam, liberabitur. Vis te à dubio liberare? Age pœnitentiam dum sanus es. Si eam egeris veram pœnitentiam, & inuenerit te nouissim^o dies, curre vt reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quādo peccare iam non potes: peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verū dicis. Vnde scio? Illud scio, hoc nescio. Nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem. Duæ res sunt. Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurū sit, ego nescio. Aug.

H Dimitte itaque incertum, & tene certum: & melius tibi erit. Vt ergo ad nos redeamus: *Non mittet*, ait, *in eam oleum, nec thuris aliquid imponet*. Thus orationis formam habet, sicut scriptum est: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Cum ergo thus prohibetur imponi, quasi orationis fiducia homini detrahitur. Qui e.n. peccata sua nec probabili^s viuēdo corrigere, nec saltē ea digne deflere potest, puto verecūdia exigit, vt indignū se diuina misericordia iudicet, nec impudenter & quasi libera fronte eam sibi cōferri exoret. Petat tū, sed quasi non petendo speret, sed quasi desperando dom & se indignū venia cognoscat, & tamen sola Dei misericordia fieri posse credat vt saluetur. Hui^s orationis forma est, vbi Deū rogantes dicere solemus: vt dimittat quæ cōscientia metuit, & adiiciat quod oratio non præsumit. Quodammodo enim quasi cum metu & reuerentia petimus, q̄ nos petere, non præsumere meritorum nostrorum æstima- Thus. Psalm 140.

A tione testamur. Sic & Propheta: *Quis scit, inquit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Vult itaque nos diuinam indulgentiam, si [illegible] certamus, spem [illegible] quam concipere, sed [illegible] in nobis augeat, nō vult certam dare. Nemo [illegible] pauper iste oleum [illegible] quam offert, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. Quasi diceret: Non [illegible] certè se indubitanter præsumptam indulgentia, nec eam liberaliter petere debet [illegible] peccati postulat veniam, cuius dignam non [illegible] satisfactione [illegible]. Quod vero eandem similam sacerdoti tradere iubetur, manifestum est, quia confessionem [illegible] sacerdoti debet offerre qui confitetur. De quo & [illegible] tur. Ioel 2.

Qui plenum ex toto pugillum hauriens, cremabit super altare in memoriam eius qui obtulit, rogans pro illo & expians. Reliquam vero partem ipse habebit in munere.

Quanto minus vnusquisque de suis confidit meritis, tanto magis indiget vt iuuetur alienis. Quapropter bonus pastor, qui subditi pene desperati recipit confessionem, intercessionis suæ misericorditer beneficium eum pendat, vt apud Deum (si fieri possit) pro reo obtineat, quod reus ipse meritis suis obtinere se posse desperat. Hoc est ergo quod dicitur, vt de simila oblata plenum pugillum hauriat, & super altare cremet in monimentum eius qui obtulit: quia B peccatoris confessione recepta, & cognitis eius criminibus, si charitatis flammam altari cordis succenderit, necesse est vt periclitanti compatiens, pro diluendis quæ sibi reuelata sunt, eius criminibus, saltem breui tempore in precibus coram Domino vsque ad lachrymas compungatur. *Rogans pro illo & expians*, id est, quantum in se est, expiare contendens. Voluntatem quippe pro opere posuit, modo locutionis satis vsitato, vt cum de Deo in Iob legitur: *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Restitit dixit, pro resistere conatus est. Nemo enim resistere Deo potest. *Reliquam vero partem ipse habebit in munere.* Metuo in peccatoris confessione partem accipit, in propriæ videlicet mercedis lucrum illam retorquens, qui vt acceptabilis fieret, suis precibus eam iunxit. Iob 9.

De his qui in sanctificatis delinquunt.

C CAP. VIII.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Anima si præuaricans ceremonias per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit: offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij: ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti. Qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

Non solum delinquunt homines cum prohibita faciunt, sed etiam cum iussa non exequentes, falsam tamen laudem à simplate iustitiæ per hypocrisim aucupantur: aut si quid ex his quæ Dominus mandauit, agere videntur: non ea tamen pietate qua oportet, illud exequuntur. Ideo lex postquam de his egit, qui aliquid à Deo prohibitum perpetrat: nunc ad eos transit, qui in sanctificatis excedunt. Sanctificatorum autem diuersa habetur ratio, neque enim omnia pari lege sanctificantur. Quorundam quippe ea est sanctificatio, vt soli Aaron & his qui de familia eius mundi sunt, D vtenda concedantur, immundis seu alienigenis omnibus repudiatis: alia vero ita Domino soli consecrata sunt, vt in humanos vsus cadere omnino prohibeantur. De sanctificatis ergo, quæ filijs Aaron legis decreto habenda traduntur, quia in sequentibus manifesta & plena datur sententia, nullam hic fieri æstimo mentionem. Quapropter ad ea sola disputatio reuocanda est, quæ sacris ceremonijs & diuinis sacrificijs deputata, ab omni humano vsu excipiuntur, horum vnius tantum exempli gratia commemorabimus, vt si qua & cætera sunt, quod de hoc dictum fuerit, etiam de illis intelligatur. Primum itaque in Exodo Dominus Moysi sic Exod. 30. præcepit, dicens: *Quando tuleris summam filiorum Israel, iuxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit in eis plaga cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Diues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam quæ collata est à filijs Israel, trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Ex primis itaque de hac possumus dicere pecunia, quia sanctificata erat Domino. Neque enim filijs Aaron eā concedit, sed in vasis seu alijs rebus tabernaculo necessarijs eā præcipit collocari: vt in obsequijs diuinis iugiter perseuerans, eorum qui obtulerunt, sit monumentum perpetuum coram Domino. Quisquis itaque de hac pecunia detraheret [illegible] quam præsumpsisset, delinquebat in sanctificatis. Huic autem, si expiari voluisset, aries & damni restitutio, iuxta quod præsens legislatio decernit, necessaria erat. Sed in [illegible] ta [illegible] tum requiramus. Hæc enim pecunia quid mysterij contineat, discutiendum est: deinde quis sit qui eam minuit, quis aries, seu ipsius pecuniæ reformatio, per quam delinquentis reatus absoluitor. Si igitur quæ de hac pecunia dicta sunt, cogitauerimus: continuo apparebit, quid etiam per illam significetur. Nam cum præcipitur, vt omnis qui transit ad nomen, offerat eam, diues nihil addat, & pauper nihil minuat: quis non videat, non morum hic sanctitatem, in qua sanctorum diuersa est gratia, dum alius plus, alius minus ad profectum nititur: sed fidei integritatem F describi, quæ sanctis omnibus communis est, in qua nec [illegible] quicquam addere, nec pauperi detrahere licitum est? Hæc itaque recte per dimidium sicli exprimitur. Siclus quippe viginti obolos habet. Quapropter decem oboli qui in Siclus. Obolus. sicli dimidio reperiuntur, numeri sui perfectione perfectā fidei doctrinam insinuant. Nam idem siclus mensuram Mensura templi. templi habere præcipitur. Quisquis enim plenā fidei mensuram habere satagit, necesse est vt eam non hæreticorum quorumlibet, sed orthodoxorum patrum doctrinę conformet. Denarius itaque iste in se quidem perfectus est: sed tamen sicli non plenitudinem, sed medietatem continet: quia fidei nostræ plenitudo, totum quidem habet quod salutis sit humanæ, verum ad plenitudinem illam visionis Dei, quæ in futuro repromittitur sanctis, vix dimidium explet. Vnde Apostolus: *Ex parte, inquit, cognoscimus, & ex* 1 Cor. 13. *parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Si igitur intelleximus quid in sicli medio (quod pretium pro animabus suis ab omnibus filijs Israel offerendum est) designetur, iam illud facile intellectu erit, quis sit qui huic summæ aliquid detrahere præsumit. Quisquis namque hæreticorum fauens erroribus, creden- G di formam quam tradit ecclesia, in aliquo minuere conatur dominicæ pecuniæ violentus exstitit, dum fidei dogma quod à patribus Spiritus sancti magisterio confirmatum est, ipse [illegible] contrarium instigatus, [illegible] late præsumit. De quibus Psalmus: *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt.* Si igitur qui Psalm. 10. eius [illegible] modi est, aliquando resipiscens, si errorem suum detestatus, reatus sui veniam implorauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus. Quis est immaculatus aries iste, nisi quem Abraam à filij immolatione reuocatus, hærentem in vepribus inuenit, & pro filio immola- Genes. 22. uit: Christus itaque aries iste intelligitur. Hunc pro delicto suo offerre debet, qui in sanctificatis delinquit. Sed quærendum, cum idem ipse supra per vitulum expressus sit pro peccato tam suo quā populi hostia factus, cur hic per arietem designetur. Manifesta vero patet ratio. Quicunque fidei catholicæ veritatem temeritate præsumunt, doctrinę Christi contrarij existunt. Non ergo isti Christum ducem, sed aduersarium habent. De quibus [illegible] loannes in epistola sua: *Omnis,* 2 Ioann. *inquit, qui* [*] *præcedit & non permanet in doctrina Christi, Deum* [*] recedit. *non habet.* Præcedunt enim, quando Christo doctori [illegible] obedire, sed doctrinam [illegible] corrigere moliuntur. Si igitur tanti reatus propitiationem quærunt, Christum sibi H ducem constituant: & eius magisterio humiliter se [illegible] subdentes, errorem pristinum [illegible] tingant. Sic fiet vt quem prius aduersarium habebant, iam arietem factum, propitiatorem inueniant. Horum forma in decem illis leprosis apparuit, qui medelam [illegible] suis suppliciter postulantes, steterunt à longe, & exclamauerunt, dicentes: *Iesu præceptor, miserere nostri.* Luc. 17. Ecce cum à Christo sanari desiderant, quasi arietem sibi constituentes, præceptorem vocant. Qui ergo in sanctificatis delinquit, arietem pro se offerat, id est, quisquis dogmatibus ecclesiasticis refragari ausus est, per Christi doctrinā se corrigat: vt ipsum iam habens doctorem fidei, per ipsum mereatur reconciliari. Sed quid est quod huic arieti duorū

siclorum

A siclorum precium ponitur? *Offeret arietem*, inquit, *qui emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij.* Notum est omnibus, argentum metallum sonorum esse. Siclus itaque qui argenteus est, veræ fidei confessionem insinuat. *Quisquis enim* (ait 1. Ioan. 4. Ioannes) *confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet.* Aries ergo iste sicli pretio emitur, quia Christus per veræ fidei confessionem acquiritur. Sicli tamen in pretio duo sunt: quia Christus & corde credendus, & ore confitendus est. Rom. 10. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit a mortuis, saluus eris.* Confitere igitur in corde tuo, vt Deus vocem tuam audiat: confitere & ore, vt fides tua hominibus innotescat, & vtriusque sicli precium persoluisti. Siclus tamen iste sanctuarij pondus habere præcipitur, vt fidei tuæ professio, ecclesiasticæ traditionis formam imitetur. Si enim Christum nominãs, aliud de illo sentias quam Catholica tradit fides, siclum quidem habes sed quia pondus in illo sanctuarij nõ inuenitur, aries iste tali commercio minime tibi confertur. Sciendum vero quod vbi Hebraica veritas, quam nostra translatio sequitur, duos siclos ponit: septuaginta transtulerunt, qui emi B possit quinquaginta siclis argenti siclo sanctuarij. Spiritu enim prophetico (vt credimus) interpretantes, multa in verbis mysticis ad placitum suum mutauerunt, vbi tamen spiritualis sensus idem esset: hinc maxime legis intentionẽ ostendentes, eamque figuratiue loqui insinuantes, quod legem interpretantes, quasi aliud a lege proferunt, eadem tamen quæ lex, alijs figuris exprimunt. Ad gentes namque legem transferentes, non illum ceremoniarum ritum, cui tunc temporis Iudæi seruiebãt, illis tradunt: nimirum quas (si Prophetæ fuerunt) ab eodem in fine temporum, cum ad fidem venissent, reuelandas prospiciebant: sed quod earundem ceremoniarum velamine tegebatur, nunc eisdem, nunc alijs verbis eis insinuant. Defenduntur Septuaginta. Dicant enim qui errasse eos existimant, quo pacto credendum est, septuaginta sapientes eatenus errasse, vt per ignorantiam pro duobus siclis quinquaginta ponerent, & non potius scienter, rationabili, scilicet, aliqua causa perspecta, siclorum numerum commutarent? Nam in verbis eorum præter hoc quod a veritate Hebraica dissonant, literæ sensus nec sibiipsi constat. Aries enim duobus quidem aut tribus siclis emi solet. C in quinquaginta autem siclis, equi potius vel alicuius magni animalis pretium est. Quid igitur ipsa numeri mutatio sibi velit, & tanta literæ dissonantia quomodo in spiritu conueniat, aduertendum est. Lex in siclo confessionem (vt dictum est) fidei commendans, binario siclorum numero, quod & in ore, & in corde habenda esset, nos docuit. Septuaginta vero quinquagenarium numerũ in siclis ponentes, quis tantæ gratiæ autor esset, vt homines Deum cognoscere & confiteri potuissent, significauerunt. Numerus quippe iste Spiritui sancto consecratus est, propter septenarium per seipsum multiplicatum: in quo perfectio requiei, quæ per Spiritum sanctum datur hominibus, expressa cognoscitur: in quo etiam quinquagenarij summa consistit, monade addita, eo quod nos erga multa occupati, turbamur & soliciti sumus: ad vnum vero reuocari, quiescimus. Inde est quod quinquagesimo die Spiritus sanctus Act. 2. Apostolis missus est. Quinquaginta ergo illi sicli, quibus aries iste comparatur: quia confessio fidei qua Christus acquiritur, per Spiritum sanctum hominibus datur. 1. Cor. 12. *Nemo enim potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Sed iam sequentia D videamus. *Ipsumque quod intulit damni, restituet: & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti.* Damnum quod homo iste pecuniæ sanctificatæ intulerat, hoc est, quia fidei integritati aliquid detrahere præsumebat. Hoc igitur restituere debet, vt ex integro quicquid continet fidei plenitudo, totum confiteatur. *Et quintam*, inquit, *partem ponet supra.* Quinque sunt corporis sensus: & quicquid homo homini innotescit, per hos quinq; sensus ab anima in animam transit. Recte igitur per quinarium, occultorum manifestatio intelligitur: quia (vt diximus) nisi per hos quinque sensus, nihil ab homine homini reuelatur. Restituet itaq; damnũ quod intulit, vt ex integro credat quod credit ecclesia: sed insuper & quintam partem addere oportet, eam scilic. quæ ad exteriorum sensuum operationem pertinet. Quam etiã tradet sacerdoti, si ecclesiasticis præpositis, per quos ad corpus Christi vnitatem recipiatur, se primũ errasse, & nũc errorem suũ correxisse confiteatur. De quo & subdnur: *Qui* E *rogabit pro eo offerens arietẽ, & dimittetur ei. Offerens*, inquit *arietem*, id est, hoc ipsum pro eius indulgentia diuinæ pietati prætendens, quod homo iam correctus Christi doctrinam sequitur, cui prius in errore positus refragabatur. Is enim spectare potest hominem per Christum reprobari, quem iam non aduersari Christo cognoscit, sed humiliari. Super sanctificata itaq; pecunia præsens capitulum explanatum est. Sed quoniam sanctificatorũ iterũ nos ponere supra promisimus, in quibus omnia quæ dicta sunt, aduertere liceret, duo reliqua paulo breuius perstringamus. In Exodo itaq; etiam vnguentum Domino sanctificari præcipitur, ex quo vngatur tabernaculũ, & omnia vasa illius, Aaron quoq; & filij eius. De quo etiam dicitur filiis Israel. *Hoc oleum sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo.* Exod. 30. Quod quomodo dictum sit, quæri potest, cum Aaron filijq; eius ex eo vngi præcipiantur. In promptu tamen est aduertere, eam quæ ad vsum carnalem pertinet, prohiberi vnctionem non eam quæ ad sanctificationem. Vnde non dicitur: Homo F non vngetur ex eo, sed *caro hominis non vngetur ex eo*: vt voluptatem potius carnis amputatam intelligas, quã officium consecrationis. Non vngetur quoq; dictum est, quod licite fieri non possit vt vngatur. Alioquin sen errore, seu temeraria præsumptione fieri posset, vt ab aliquo eius vnctio vsurparetur. Nam de hoc etiam præsens legislatio agere videtur. Sed has angustias patiatur litera: in spiritu vero liberi asserimus, omnino fieri non posse vt caro hominis hac vnctione vngatur. Vnctio quippe illa est, de qua Ioannes fidelibus loquitur: *Vnctio eius docet vos de omnibus.* 1. Ioan. 2. Quod de Spiritu sancto eum dixisse nulli dubium est, de quo Dominus discipulis loquens: *Rogabo*, inquit, *patrem, & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Ioan. 14. Et in Genesi: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Gen. 6. Vnguento itaq; isto caro hominis vngi nõ potest: quia qui cunque viuunt secundum carnem, Spiritus sancti nesciunt vnctionem. Sequitur tamen lex de eodem loquens, & dicit: *Homo quicunq; tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.* Exod. 30. Hoc ad Spiritum sanctum videtur non posse referri, cum de illo Dominus testetur, quod alienus accipere eum non potest. Sed sunt nonnulli, qui quod non habẽt, habere se simulant. Quicunq; ergo hac vnctione per meritum suum priuati, vnctos se ex ea videri appetunt: isti cum ab ea alieni sint, fallaciter eam sibi vsurpant. G Isti itaq; in sanctificatis delinquunt: quia quod non habẽt, se habere mentientes: contra fas, cum ipsi indigni sint, oleo consecrato se vngunt. Hæc locutio frequens est, vt cũ Dominus dicit Iudæis: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra.* Luc. 16. *Iustificatis* dixit, id est, iustos vos esse iactatis. Sic & hoc vnguẽto vngunt se, qui eo vnctos se esse simulant. In illo antiquo populo omnes pseudoprophetæ, cum spiritu seductorio pleni essent, Spiritum sanctũ se habere gloriabantur. Vnde & in libro regum Michea cõtra Achab regem impium prophetante, & falsos Prophetas illius arguente: accessit Sedechias filius Chanaan, & percussit Micheam in maxillam, & dixit: *Mene ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* 3 Reg. 22. Sed & sub nouo testamento hæretici, de quibus Iudas Apostolus: *Animales*, inquit, *Spiritum sanctum non habentes*: Iud. 1. omnes tamen se eius vnctione sanctificatos videri affectabant. Vnde Beatus Ioannes fideles admonet, dicens: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* 1. Ioan. 4. H Si igitur iam satis constat, qui sint alieni, qui oleo sanctificato vngere se præsumunt: videamus & quod sit eorum remedium, si quis ab hac temeritate animum voluerit reuocare. Offeret itaque arietem, vt per Christi doctrinam superbiam suam corrigens, humilitatẽ quam Christus docuit amplectatur: & sic eum iam ducem habens, per eum reconciliari suppliciter deprecetur. Restituet quoq; damnum quod intulerat, si se virtutibus vacuũ cogitans, nomen sanctitatis fallaciter vsurpatum, eis qui digni sunt derelinquat. Quinta etiam pars insuper additur, si & quod prius superbe egerit, & quod ab eadem superbia resipuerit, humiliter cõfiteatur. Quæ sequuntur, vt supra explanatum est, sic & hic accipiẽda sunt. Tertium in his quæ promisimus, locum teneat adipes, de quibus in hoc volumine

A Leuit. 5. Moysen supra præ[illegible] adeps [illegible] iure perpetuo. In quibus [illegible] nostri figurantur Domino illos subtrahi[illegible], quisquis bonum exequens, non diuinam gratiam, sed sua[illegible]am, aut lucrum aliquod temporale inquirit. Pro quo [illegible] aliquando ad se reuersus satisfacere voluerit, arietis supradi[illegible] hostiam quærat, vt Christi præceptis humiliter se subdens, audiat [illegible] in Euangelio monentem: Matth. 6 *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est.* Cui præcepto si obtemperare voluerit, & à stultitia sua liberari, per eum quem iam ducem sequitur, poterit repropiciari. Qui etiam damnum quod intulit poterit reformare, si affectus suos a vanitate subtrahens, ad diuinæ gratiæ appetitum studuerit reuocare. Quintam addet partem, si errorem suum corrigens, Domino per sacerdotem eius suam obtulerit confessionem. Sed de illo reatu qui in sanctificatis committitur, ista sufficiant.

B

Vt omnis reus in satisfactione sacerdotis se subdat arbitrio.

Cap. IX.

Postquam igitur eorum qui circa religionem errant, per doctrinam Christi qui verus nobis iustitiæ doctor & sanctificationis autor apparuit, corrigendum censuit errorem: nunc de omni peccato vniuersalem tradit legem, vt quicunque in aliquo Domini mandatum transgressus fuerit, reatus sui satisfactionem non suo disponat arbitrio, sed sacerdotis sui iudicio se subdens, modum pœnitentiæ non negligat explere, quem ab illo acceperit. Hoc est ergo quod subditur:

Anima si peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his quæ Domini lege prohibentur: & peccati rea, intellexerit iniquitatem suam: offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemque peccati. Qui orabit pro eo quod fecerit nesciens, & dimittetur ei quia per errorem deliquit in Dominum.

C Superius cum hircum seu capram pro peccatis offerenda decerneret, varietatem hostiarum distinxit pro varietate personarum. Sed quia non solum peccantium, verum & peccatorum diuersitas consideranda est, vt iuxta mensuram culpæ extendatur mensura vindictæ, hoc est, quod hic decernitur. Qui reus est, iubetur vt ad sacerdotem accedat: & peccati sui æstimationem illi committens, quod ille iudicauerit, hoc iste deuotus implere contendat. *Offeret itaque sacerdoti arietem immaculatum, iuxta mensuram æstimationemque peccati:* si eum quasi doctorem ac patronum sibi constituens, hanc potestatem illi concesserit, vt dignæ pœnitentiæ secundum quod reatus sui modum ipse æstimauerit, pondus sibi imponat, vt immaculatæ vitæ viam ostendat: si se denique promiserit secuturum, quo sacerdotis præcesserit documentum.

Vt qui proximum læserit, satisfaciat ei.

Cap. X.

Matth. 22. Nouimus duo esse principalia præcepta: primum, vt ex toto corde diligatur Deus: secundum, vt proximus. Hunc ordinem & hic seruari reperies. Cum enim paulo D ante iniuriæ & contemptus sui satisfactionem Dominus exegisset ab his, qui aliquid eorum quæ sibi sunt consecrata vsurpant: secundo loco nec proximi contemnit iniuriam, sed si quoquo modo hominem ab homine lædi contigerit, læsionem ipsam humili satisfactione præcipit expiari.

Leuitici capus VI. *Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens:*

Hoc illatum est, cum superius & Dominus loqueretur. Facit hoc sæpe scriptura, cum aliquid aliud vult dicere, iterum inducit loquentem, qui iam loquebatur.

Anima quæ peccauerit & contempto Domino, negauerit depositum proximi sui, quod fidei eius creditum fuerat.

Contempto, inquit, Domino. Hic manifeste ostendit, quia in iniuria proximi, Dominus timendus est.

Vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit.

Multi enim sunt qui vim palam infe[illegible] possunt: sed E rem proximi [illegible], & [illegible]am suam ad commune iu[illegible]icium referentes, corrupto iudice, ex eius sententia quasi iuste, quod [illegible]um non est, inuadunt.

Si rem perditam inuenerit, & infitians insuper peierauerit: & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines.

Hic tamen notandum, quod de his solum agitur quæ ad iniuriam pertinent proximi, nimirum cum de diuina iniuria satis superius tractatum sit.

Cuncta delicti, reddet omnia quæ fraude voluit obtinere integra.

Alter enim qui violentus extitit, indulgentiam suæ violentiæ non poterit obtinere, nisi prius restituat, si tamen restituendi habet facultatem, quicquid proximum defraudauit.

Et quintam insuper partem addet Domino, cui damnum intulerat.

Hoc tunc demum complebit, si apud eum quem læserat, reatum suum confessus, indulgeri sibi ab eo humiliter fuerit deprecatus. Neque enim vt prius, cum diuina causa tractaretur, sacerdoti: sed homini cui damnum illatum est, F aut damni restitutio, aut quintæ partis adiectio præcipitur assignari. Quid vero ad ius sacerdotis pertineat, subiungitur.

Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta mensuram æstimationemque delicti. Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis quæ faciendo peccauit.

Quia enim peccatum quod in hominem committitur, etiam Deum respicit: homine primum placato, sibi quoque satisfieri Dominus præcipit. Modus quoque satisfactionis hic erit, sicut in præcedenti capitulo tractatum est, quemcunque præpositi iudicium illi constituerit.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER QVARTVS.

PRÆFATIO.

G Verum illum euangelicum, qui labore suo Ioan. 6. quinque panes, quos Dominus benediceret, & quibus turba reficeretur, exhibuit: adhuc præ oculis habemus, dum videmus Esau, qui in carnali legis obseruatione foris venationem qua pater reficeretur, inquirit, sed præuentus à fratre iuniore, siquidem *præueniet*, inquit, *Aethiopia manum eius Deo*, Gen. 27. Psal. 67. *quia populus gentium apud se inuentis moribus suis escas patri acceptas murauit.* Vnde patris decreto fratris Dominus constitutus, seruum eum habet: quia Esau ad refectionem & ædificationem nostram panes portat, quorum onere grauatus, dum dentibus inualidis ad eorum interiora non penetrat, crustam solum rodere contentus, panes alijs baiulans, ipse ieiunat. Hoc & Isaias prædixerat, Iudæos arguens & dicens: Isa. 29. *Inebriamini, & non à vino, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Quasi diceret. Abscondet sensum eorum à vobis, vt non intelligatis eos. *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati. Quem cum dederint scienti literas, dicent:* Ibidem *Lege istum. Et respondebit. Non possum, signatus est enim.* Et post H pauca de populo eodem: *Peribit*, inquit, *sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Denique Ibidem gratiam quam ex diuina misericordia adepti sumus, prænuncians: *Nonne adhuc*, inquit, *in modico & in breui, & conuertetur Libanus in Chermel, & Chermel in saltum reputabitur?* Per Carmelum quippe qui Iudææ mons est, ple- Ibidem. bem Israeliticam: per Libanum vero, gentilitatis altitudinem, quæ de gloria & ardore seculari tumebat, designauit. Libanus itaque in Carmelum conuersus est, quia oleaster Rom. 11. syluestris & antea infructuosus, vt fructum faceret, pinguedini oliuæ insertus est. Carmelus quoque in saltum reputatus est: quia Iudaicus populus qui primum cælestes ferebat fructus, desertus à Christo, in syluam redactus est. *Et audient*, Isa. 29. inquit, *in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* Hoc de nobis dictum, & in nobis

impletum

A impletum aduertimus & gaudemus. Nos igitur qui à summo omnium magistro misericorditer edocti, vnum ex quinque, quibus puer iste oneratur nec pascitur, panem frangendum & dispertiendum suscepimus: ipsius gratia adiuti, euoluere eum & à palearum integumentis (ordeaceus enim est) enucleare, vt cœpimus, exequamur. De hostijs & sacrificijs hucusque tractatum est. Holocausta, similæ sacrificia, hostias pacificorum, item eas quæ pro peccatis offerebantur, legislator descripsit. Sed quia de nullis quantum sufficere iudicaret, locutus est: à capite repetens, quod minus est singulis addit, morem pictoris imitãs, qui aliquam depingens imaginem, eius lineamenta prius ponit: & quasi totam consummat, cum in ea nihil perfecerit. Mox denique membra singula recurrens, colores addit: & singulis quod deesse videt, apponit. Pari forma legislator omnia retractans quæ dixerat, quibusdam repetitis quæ iam tradiderat, quędam noua addit. Ad holocausta itaque quæ prima posuerat, primum recurrit, ita inferens:

B

Qua sit lex holocausti.

CAPVT I.

L*Ocutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Aaron & filiis eius.*

Nota quod illis traduntur ceremòniarum ritus, per quorum officium dispensantur.

Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte vsque mane.

Si de holocaustis quę superius dicta sunt, reuocemus ad memoriam, ista necessario addi perspiciemus. Supra quippe de holocausto bouis seu ouis sancitum est, vt ad ostium tabernaculi immolandum adduceretur: mactatum & in frusta concisum, altari superponeretur incẽdendum. Aues quoque ferro quidem non incidi, sed tamen super altare adoleri, lignis igne supposito, præcipiuntur. Sed neque de pecoribus, neque de auibus dictum est, quanto tẽpore in igne relinqui, vel quo post concremationem efferri deberent. Hoc est itaque quod hic suppletur. Dicit C ergo: *Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte vsque mane.* Intelligẽdum quia quacunque hora diei, seu mane seu vespere, holocaustum incenderetur, sequenti nocte tota super altare relinquebatur. Nobis vero innuitur, vt si holocaustum nosipsos Deo obtulimus, si flamma sancti Matth. 24. amoris ardere cœpimus, perseueremus: *nec præ abundantia iniquitatis refrigescat charitas nostra*, sed sicut scriptum est de Prou. 31. forti muliere matre nostra, *nõ extinguatur in nocte lucerna nostra.* Lucerna quippe nostra, ipsa charitas est: quia *præceptum* Psal. 18. *Domini lucidum, illuminans oculos.* Ipsa enim quo gressum tendamus operis, intus nos erudit: & dũ quæ agimus, alijs ostendit, quo sequi debeant, eisdem accendit. Si ergo post tenebras noctis pręsentis, ęternum nobis mane oriri cupimus, pro custodia lucernæ huius vigilemus & soliciti simus: quoniam quisquis hic dum ad viuit in conspectu hominum, ignis sui flammam seruauerit, post vocationem D suam, decedentibus tenebris & vero mane illucescente, Baruc. 3. sub Dei præsentia in æternum fulgebit. Vnde scriptũ est: *Stellæ quoque dederunt lumen in custodiis suis. Vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit eas*: Sequitur:

Ignis ex eodem altari erit.

Hoc videtur pręcipere, vt non aliunde afferretur ignis, nempe alienus ille dicitur, qui aliunde allatus est: sed vt perpetuus ignis in altari conseruaretur, ex quo (cum opus esset) holocausta succenderentur. Mysterium quoq; huius rei si requiras, ignis alius est in nobis naturalis, alius naturæ contrarius. Nam charitatis ardor, quo Deus amatur & proximus, iste est ignis domesticus, à creatore naturæ insitus, non à corruptore, ad ipsius consumptionem naturæ, suppositus. Cum vero ardet anima vestra cupiditate auaritiæ, cum ardet ira, ardet luxuria, & si qua huiusmodi sunt: iste ignis alienus est, minime dignus ea quo dominicę hostię succendantur, sed per quem magis dominica iracundia prouocetur. Sequitur:

Vestietur Sacerdos tunica, & feminalibus lineis: tolletq; cineres, quos vorans ignis exussit, & ponẽs iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis: indutusque aliis, efferet eos extra castra. & in loco mundissimo vsque ad fauillam consumi faciet. E

Iam prædiximus, holocausta ignes suos vsque in mane conseruare oportere. Mane autem facto quid de his fieri debeat, nunc subditur. Iubetur Sacerdos sacris vestibus indui, & cineres ab altari deponere in loco præparato propter ipsum altare. Hic aũt locus in orientali parte erat, sicut lõge superius in holocausto auium notatum est, vbi sic de eodem dicitur: *Vesiculam vero gutturis, & plumas proiiciet* Leuit. 1. *propter altare ad orientalem plagã, in loco, in quo cineres effũdi solent.* De quibus cinerib. manifestius hic expõnitur. Dehinc Sacerdos veste mutata, cineres ipsos extra castra ferre præcipitur, & ibi in loco mundissimo vsque ad fauillam consumere. Non dicitur, vt de altari illos accipiat, & statim efferat: sed prius deponere eos, & iuxta altare collocare iubetur: vnde assumptos, in locũ euehat designatũ. Magna hic sacramenti profunditas, magna spes reposita mortalibus, magna consolatio morientibus. Si enim in cõcrema- F tione illa quę in altari fit labor vitæ nostræ accipitur, quãdiu spiritu feruentes in sanctis operibus nos exercemus, quid cineres, reliquiæ scilicet illius concremationis, nisi quod post vitam vnicuiq; nostrum restat, designant? Notum autem teste scriptura, quia *iustorum corpora in pace sepulta, anima quoque eorum in manu Dei sunt*, & quia *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant a laboribus suis.* Hæ sunt iustorum reliquiæ, quoniam sunt reliquię homini pacifico. *Iniusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt.* Cineres itaq; ab altari deponuntur, quia iusti a labore in requiẽ suscipiũtur. Cineres ad orientẽ collocãtur, quia *iustis (sicut in Iob legitur) meridianus fulgor cõsurgit ad vesperam*, ad occasum scilicet vitæ præsentis, claritas subsequentis. Et cum putantur consumpti, oriuntur vt lucifer. Inde est quod sanctorum obitus natalitia vocari ecclesiasticus vsus obtinuit: quia quod sunt infanti angustiæ materni vteri ad huius aëris libertatem, hoc est, *iustis* huius conuersationis ęrumna ad futurę gloriæ amplitudinem. Locus quoq; in quo cineres deponuntur, altari iuxta est quia secundum vitæ præsentis meritum, retribuitur vnicuique post obitum. Non elongantur cineres ab altari: quia nec homines à meritis suis disiũguntur, sed *sequuntur eos opera eorum, & recipit vnusquisq; prout gessit in corpore, siue bonum siue malum.* Sacerdos qui cineres deponit, tunica & feminalibus lineis induitur: quia Christus, qui distinctione sententiæ suæ homines *morte* mulctat, vt suos morientes consolaretur, terrenum corpus assumpsit, in quo & ipse moreretur. Linum quippe ex terra est, nec in festibus illis, quid tunica, quid feminalia significent, inquirendum est: sed sicut de diuite illo, qui *purpura & bysso induebatur*, dicit B. Gregorius, quia per purpuram & byssum regia exprimebatur dignitas: Qui enim, inquit, purpura & bysso indutus dicitur, recte regni filius vocatur: sic & hic in tunica & feminalib. lineis, quibus totũ Sacerdotis corpus operiebatur, Christi corpus ex terra sumptum non incongrue figurabatur. Quid ergo murmuras homo, si vt dignus es, moriaris? *Et Domini Domini exitus mortis.* Quid inq̃ indignaris ad eam quam promeruisti, sentẽtiam mortis? Ecce ipse saluator tuus ipse Deus sanitatum tuarum, vt per omnia tibi similaretur, & te in his quæ iustè pateris, consolaretur seruilem formam induit: & quæ tibi, non sibi debebatur, mortis pœnã pro te sustinuit. Gratias misericordiæ ipsius. Communicet nobis (quæsumus) vitam suam, qui nobiscũ pariter tulit mortem nostram. Præbeat se fidelibus suis videndum in gloria, qui pro ipsis vir dolorum factus & sciẽs infirmitatem, sine specie & decore visus est in terra. Sequitur nanq; & de cinerib. supradictis, quia Sacerdos aliis indutus vestibus, efferet eos extra castra. Quid est cineres extra castra ferre, nisi iustos post animarum suarũ requiem, post corporum suorum resolutionem, in alterius vitæ gloriam, quæ ab huius consuetudine longe diuersa sit, transfigurare? Sacerdos vestem mutat qui hæc agit: quia Christus non in forma serui, in qua prius visus & despectus est, sed in maiestatis suæ gloria, vt seruos suos glorificet, apparebit. Vnde Apost. *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit expectãtib. se in salutem.* Cineres vero in locũ mundissimum efferuntur,

Sap. 3. Apo. 14. Psal. 36. Iob. 11. Ibid. G Apo. 14. 2. Cor. 5. Luc. 16. Psal. 67. H Isa. 53. Matth. 25. Heb. 9.

A &ibi vsque ad fauillam consumuntur. Quis est locus mundissimus extra castra, nisi perfecta † beatæ ciuitatis illius munditia, omnem excedens huius temporis sanctitatẽ, quæ in hac vita à quoquam nostrum acquiri potest? *Tunc enim Christus exhibebit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Quod & in vestibus illius quando in monte se trãsfigurauit, ostẽsum est, sic quippe legim⁹, *quia vestimenta eius facta sunt splendida & candida nimis, velut nix,* qualia fullo non potest candida facere super terram. Consummata etenim sanctorũ syncertitas, & Ecclesiæ (quæ vestis Christi est) candor iam ibi præfigurabatur: qui in illa patria tantus erit, quantum nullus hic purgator studiosus sui ipsius acquirit. Vnde in Apocalypsi quoq; dicitur, *quia ciuitas Ierusalem erat ex auro mundo, simili vitro mundo.* Ibi itaque prorsus consumentur cineres sanctorum: quia nec in corporibus eorum vlla relinquetur corruptio, nec in animabus vitium. *Cum enim corruptibile hoc induerit incorruptionem tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam.* Notandum vero quod hic ipse locus sit ad quem superius vitulus qui pro peccato differtur, concremandus efferri iubetur. Nequaquam tamen ibi mundissimus, sed mundus

[Margin: † bonæ; Ephes. 5.; Matth. 17; Marc. 9.; Apoc. 21.; 1. Cor. 15.; Ose. 13.; Leuit. 4.]

B dicitur. Præsens quippe Ecclesia quæ ex gentibus congregata est, ibi significatur: ad quã gloria resurrectionis Christi translata, & vbi annunciata, ac credita est. Tunc igitur locus iste iure mundus tantum, non mundissimus dictus est: quia Ecclesia fidelium fide sua iam hic quidem mundari incipit, sed licet peccato pro viribus resistat, fieri tamen non potest, vt quandiu hic viuit, plene peccati contagio careat. Cum vero vita beata signatur, non immerito locus mundissimus nominatus: quia felix illa ciuitas, confracto peccati aculeo & prorsus eliminato, non in se hostem habet, cũ quo confligere & de quo triumphare cogatur: sed post multiplices triumphus, iam pace quietissima coronatur. Sequitur.

Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies. Et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.

C Hoc Papa Gregorius sic exponit, dicens: Altare Dei, est cor nostrum: in quo iubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinẽter ascendere. Cui per singulos dies Sacerdos ligna subijciat ne extinguatur. Omnis enim Christi fide præditus, membrum vtiq; summi Sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus Apostolus dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Et sicut Ioannes Apostolus dicit, *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Sacerdos ergo in altari ignem nutriens, quotidie ligna subiiciat: id est, fidelis quisq; ne in eo flamma charitatis deficiat, in corde suo tã exempla præcedentium, quam sacræ scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est, in excitatione charitatis vel exempla patrum, vel præcepta dominica ministrare. Quia enim interna charitas nostra, ipsa quotidie huius vitæ conuersatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, vt dum per visum se nostræ vetustatis extenuat, per patrum testimonia & exẽpla reuiuiscat. Et bene illic præcipitur, vt mane per dies singulos congregentur. Hæc quippe non fiunt, nisi cũ nox cæcitatis extinguitur. Vel certe, quia mane prima pars

[Margin: 1. Petr. 2.; Apo. 5.]

D diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc priori loco quisque fidelium cogitet, vt quod in se iam iamque quasi deficit, quibus valet nisibus studiũ charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini (.i. in corde nostro) citi⁹ extinguitur, nisi solerter adhibitis exẽplis patrũ & dominicis testimonijs reparetur. Bene autem subiungitur: *Et imposito holocausto desuper, adolebit adipẽ pacificorũ.* Iam quisquis in se hunc ignem charitatis accendit, semetipsũ vtiq; desuper holocaustum imponit: quia omne vitium, quo in se male viuebat exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobã per immutationis gladiũ mactat: in ara se sui cordis imposuit, & igne charitatis accendit. De qua hostia pacificorũ adipes redolent, quia interna nouæ vitæ impinguatio, pacem inter nos & Deum faciens, odorem de nobis suauissimum reddit. Quia vero eadem charitas in cordibus electorũ inextinguibilis manet apte subditur: *Ignis iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* Ignis iste non deficit, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus feruor charitatis accrescit. Huius tanti doctoris verbis nos nihil addere præsumimus, quia nec opus est: nisi quod lectorem monemus, vt aduertat eadẽ, qua hæc in principio descripta sunt lege, holocausta ex integro ignibus imponi, de pacificis vero adipes solos cremari.

E

Quæ sit lex sacrificij.

CAP. II.

HAec est lex sacrificij, & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino & coram altari.

Supra cum de sacrificio post holocausta tractasset, *Anima,* inquit, *cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio.* Huic oleũ infundi, thus supponi præcepit, sicq; ad filios Aarõ deferri. Quorum vnus similæ cum oleo plenum pugillum, & pariter totum thus tollere, impositumque altari coram Domino, iussus est concremare. Reliqua vero eiusdem similæ pars, Aaron filijsq; illius deputata est. Quis tamen, vtrum omnib. de stirpe eius, an exceptis alijs, separatim quibusdam: ipsique quibus iure cederet, quid ex ea agere, vtrum comedere eã deberent, aut quibus placuisset, comedendam præbere seu vendere potuissent: quod si comedi eam ab illis necesse esset, vbi & quomodo comederetur, minime determinatum est. Hæc sunt igitur omnia quæ nunc adijciuntur. Si enim quæris, quibus ex stirpe Aaron hæc iure competat, maribus solis eam assignat. Si in quos vsus quæris, illã acciperent: *mares,* inq̃, *tantum stirpis Aarõ comedent eã.* Si vbi quæris, & quomodo: *in loco,* inq̃, *sanctuarij tabernaculi & sine fermẽto.* Vbi tamen notandũ sanctuariũ hic nõ illud accipiendum, quod dicitur sanctum sanctorum: sed quia omnis locus tabernaculi sanctus erat, atriũ eiusdẽ sanctuarium vocat. Hoc enim in hostia quæ pro peccato offertur, paulo post manifestius apparebit, de qua eum eadẽ sanciat quę de similæ sacrificio: *Sacerdos,* inquit, *comedet eã in loco sancto, in atrio tabernaculi.* Atriũ autẽ, sicut in Exodo legimus, spatium illud vocatũ est, quod circa tabernaculum tentorijs cingebatur, centũ cubitis in longũ, & quinquaginta in latum. Ipsis quoq; maribus stirpis Aaron, si quæris, reliquæ sacrificiorũ qua lege distribuerẽtur, nec hoc prætermittitur. Inferius quippe vnicuiq; eorum, eius sacrificij quod obtulerit, reliquias concedit. Sed iam mysterium requirentes, capitulatĩ verba legis disseramus, vbi tamen iuxta literam oĩa quæ præmisimus, in promptu erit aduertere. *Hæc est lex sacrificij & libamentorũ, quæ offerent filij Aaron coram Domino & corã altari.* Sacrificium quod sit, satis apparuit, sed libamenta quæ dixerit, inquirendum est. Libamentũ enim *hic* intelligitur pars illa, quæ de sacrificio sumpta & altari imposita, corã Domino cremabatur. Hoc inferius cũ de † pacificis agitur, euidenti⁹ declaratur. *Qui offert,* inq̃t, *victimam pacificorũ Domino, offerat simul & sacrificium,* id est, libamenta eius. Quod si etiam requiras, quæ sint ipsa libamenta, statim subdit: *Tenebit manibus adipem hostiæ & pectusculũ. Cum ambo oblata Domino consecrauerit, tradet Sacerdoti.* Manifestũ est, quia illa pars quæ de hostia Domino consecrabatur, sacrificium seu libamentum vocata sit. Nam & Septuaginta hoc sic edisserunt: Offerens sacrificium salutare Domino, offeret munus suum Domino de sacrificio salutari. Libamentũ ergo est libatio, id est, modica assumptio, quæ de sacrificio in munus dominicum sequestrabatur. Nam & Apostolus dicit: *Si libatio sancta, & massa.* Libatio, id est, pauci qui ex Iudæis assumpti sunt. *Hæc est igitur lex sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino & coram altari.* Congruentius dicere videretur, coram Domino super altare. Pars enim illa quæ Domino sequestrabatur, super altare concremabatur corã illo. Quod tamẽ fortassis ideo dictum sit, quia simila illa in vase aliquo posita, cũ à Sacerdote offerretur, ponebatur ante altare. Ex qua iam oblata, sumebat Sacerdos plenum pugillum, & super altare incendebat. Quisquis vero memor eorũ quæ supradicta sunt, quid per sacrificium significetur intelligit, in his quoque verbis magnum potest aduertere sacramentum. In sacrificio quippe non operum bonorum exsecutio, quæ corã hominibus lucent: sed mentis sanctitas, in qua homo Deo soli sibiq; cognit⁹ est, intelligitur. Sacrificiũ itaq; & libamentum eius corã Domino & corã altare

[Margin: F; Leuit. 2.; Exo. 27. & 40.; G; Libamentum.; † sacrificiis.; Leuit. 7.; Ibidem.; Rom. 11.; H]

offer-

A offertur, quia mentis sanctimonia, seu cum diuino se amore succendit, seu cum proximorum necessitatibus pie se impendit, teste Deo & offerentis conscientia exhibetur. Sequitur.

Tolletque Sacerdos plenum pugillum quæ oleo conspersa est, & totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suauissimi Domino.

Hæc supra iam dicta & explanata sunt. Quapropter ad alia transeuntes, ea quæ necdum discussa sunt, videamus.

Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filijs suis absque fermento, & comedet in loco sanctuarij tabernaculi.

Quod Aaron cum filijs suis, Christum cum membris significet, si quis ad superiora recurrerit, agnoscet. Illis itaque similæ reliquiæ comedendæ decernuntur: quia sancta mens post orationis & lectionis studia, quibus Domino se præsentat, & amore illius inflammat, cum proximorum [illegible] tatibus se impendit, ipsius eorum cedens, quasi ab eis comeditur, quoniam in suarum necessitatum prouidentiam & remedium eis confertur. Cum autem circa fraterna obsequia occupatur, ipso Christo famulatur. Ipse namque in iu-

B dicio suo dicturus est: *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Aaron itaque filijque eius, partem similæ

Matth. 25.

residuam comedunt, cum Christus membraque ipsius, piæ mentis solicitudinem, quæ si charitas fraterna sineret, tam Deo vacare mallet, in suos vsus suscipiunt. *Et † comedent*

comedet.

eam absque fermento. Hic offerentis vigilantia maxime necessaria est, ne fer[illegible] efficetur simila, quæ filiorum Aaron epulis inferenda est. Magnopere enim obseruandum est, vt quicunque proximis consulere nititur, simplici oculo hoc faciat. Nam si vitia illius redarguit, cauendum est iracundiæ fermentum: vt charitate magis quam furore incitatus, ad eius obiurgationem descendat. Huiusmodi enim [illegible] iracundiæ suæ seruiat, iustitiæ tamen minister videri [illegible]t. Sed cum grauius intus fermento corruptus sit, corrumpit & ipse eum quem immoderate corripit, & morbum auget quem minuere debuit. Vnde scriptum est: *Concupiscentia spadonis deuirginat iuuenculam, ita & qui facit per vim iudicium*

Eccli. 20.

iniustum. Spado ad coitum nuo spe trahitur potestatis, scit enim se gignere non posse, sed ardore concupiscentiæ in-

C stigatur. Corrumpere itaque virginem potest, impregnare non potest. In hunc modum & qui ad proximi increpationem, non vtilitatis alicuius consideratione ducitur, sed furoris sui impetu raptatur, dum sine mensura culpas vindicat, lædit non subuenit: & qui semen melioris propositi infundere debuit, grauius corrumpit. Huic à Domino dici-

Luc. 4.

tur: *Medice, primum cura teipsum.* Et: *Hypocrita, eijce primum trabem*

Matth. 7.

de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Tanquam diceret: Si similam tuam proximis tuis præcibare te simulas, aufer ab ea fermentum, vt salubris ei sit: & per solicitudinem quam eis impendis, aliquid conferas vtilitatis. Est & aliud fermentum, non minori vigilantia curandum. Cum enim proximorum siue spirituali, siue corpori[illegible] necessitati concurrimus, pascendo esurientem, sitientem potando, vestientes nudum, hospitem suscipientes, seu etiam incisum verbo doctrinæ erudientes; [illegible]enda est plurimum inanis gloriæ pestis, ne quicqu[illegible] o[illegible] operis in superficie fructificat, prauæ intentionis fermento depereat. *Cum facis (ait Dominus) eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt glori-*

Matth. 6.

ficentur ab hominibus. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.

D Comedent ergo filij Aaron reliquias sacrificij absque fermento, vt scilicet mens religiosa cum proximorum curam susceperit, cum eorum vsibus se contulerit, simplici intentione hoc faciat: vt nec culpas redarguens, iræ suæ libidini seruiat: nec necessaria procurans, inani gloriæ. *Et comedent eam in loco sanctuarij tabernaculi.* Illicitum est, nisi in loco sancto, similam consecratam comedi. quia studium animæ religiosæ, quæ se à mundi actibus sequestrauit, non in secularibus, sed in solum quæ ad Deum pertinent, debet proximis exhiberi. Cum igitur nuptiarum causa tractatur, cum augendæ pecuniæ, cum honorum seculi huius a[illegible]quirendorum ratio habetur: indignum est, vt mens Deo consecrata, quæ ipsa negligit possidere, alijs studeat pro[illegible] curare. Nisi ergo in loco sancto, non comede[illegible] filij Aaron reli-

E [illegible] fidelium quique quamdiu adhuc nego[illegible] [illegible]us impendant, illicitum est vt mentes religiosas [illegible] curis [illegible] inuoluat. Si quis autem animæ suæ curam habue[illegible], [illegible] eruditio[illegible] [illegible] cit. [illegible] est, vt qui [illegible] bonis [illegible] cepit, circa [illegible] ationem fraternam [illegible] bentes se occupet & quemad[illegible] dum ipse adiutus est vt ad Deum veniret, [illegible] & ipse quos p[illegible], vt redeant, iuuet. Com edu[illegible] in his [illegible] iam quæ carnis sunt, si necesse fuerit, habe[illegible] proximorum [illegible] d sicut sui, in necessarijs duntaxat [illegible] in huius[illegible] odi proximorum [illegible], [illegible] expleant voluptatem: quanquam si sint aliq[illegible] per quorum industriam ista vale[illegible] [illegible], omn[illegible] & [illegible] spiritualia pos[illegible] [illegible] honore [illegible] fiat in eis quod [illegible] est *Vacate & [illegible] quoniam ego sum Deus. Sapientiam*

Psalm. 45

[illegible] tempore ocij, & qui minoratur actu, percipiat eã.

Eccles. 3.4

[illegible] extra locum [illegible] similam sanct[illegible] filijs Aaron [illegible] fide[illegible]lium gra[illegible], *qui Deo militare [illegible] implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Sequitur.

2. Tim. 2.

Id[illegible] autem non fermen[illegible], quia pars eius in Domini offer-

F *tur incen[illegible].*

Præ[illegible] erat, absque [illegible] mededam & subiunx[illegible] *autem non [illegible] abitur, quia pars eius in Domini offertur incensum.* Quæ [illegible] huius partiti[illegible], superius diu[illegible] [illegible] nostræ studi[illegible] propter geminam [illegible] nem, D[illegible] & proxi[illegible], [illegible] aliquando Deo vacare [illegible] & orati[illegible] studentes, aliquando vero proximorum necessitat[illegible] solicitudine procurrentes. Necesse est autem vt mens, quæ subin[illegible] se ad Deum recurrere, & incensum [illegible] orationis offerre desiderat, ei carpsi fraterna obsequia [illegible] se exhibeat. Si enim vitia aliena redarguit, cauendum fermentum malitiæ, cum scriptum sit: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Si

Psalm. 65

in necessarijs proximo cõsulit, cauenda est pestis inanis glo-

G riæ, quoniam debilitatus orantis [illegible], nec [illegible] fiduciam habet [illegible] petrandi, quam exteriori suo labore fraudulenter egisse se recolit: & cum pietatis prætenderet speciem, plus tamen concupiscentiæ laudis humanæ, quam fraternæ charitati, deseruisse. De qu[illegible] lob: *Quæ enim spes est hy-*

Iob. 27.

pocritæ, si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius? Rapit hypocrita: qui quod [illegible] est vsurpat, laudem scilicet virtutis quam in superficie prætendit, cum interius virtute [illegible] sit. Sed non liberat Deus animam eius: quoniam *si*

1. Ioan. 3.

reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro & nouit omnia. Numquid ergo, inquit, *clamorem eius audiet Deus, cum ve-*

Iob. 27.

nerit super eum angustia: aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum in omni tempore? Simila igitur nostra ideo fermentari non debet, quia de illa pars in Domino incendi oportet. Aloquin nisi fermento purgetur, indigna est quæ Domino præ[illegible] enetur. Fit hic vtilissima conuersa. Sicut enim simila ista iccirco à fermento purganda est, vt pars eorum Domino possit incendi: sic è conuerso ideo sæpius Domino præsentanda est, vt à fermenti commixtione possit sequestrari. Anima enim quæ frequenter ad orationem se confert, compunctionis m[illegible] china super se leuata, & Spiritu sancto illuminata, ibi di[illegible] quam pia affectione proximis subueniendum, & quanta soli[illegible] tudine interius secretum ab omni fermento mundand[illegible] sit. Quod si intentio in aliquo depraua[illegible] fuerit, orationis & contemplationis lumini se reddens, cito deprehendit ac facile corrigit, os suum ape-

H riens & attrahens spiritum cuius virtute roborata, nullum vitium sibi dominari permitt[illegible]. Qui autem assidue in actionibus versantur, In m[illegible] [illegible] delinquunt & nesciunt: corrumpu[illegible] [illegible] scuntque interius, & non sentiunt. De quib[illegible] sub Eph[illegible] [illegible] pecie per Prophetam dicitur: *Ephraim vitula*

Ose. 10.

docta diligere [illegible]. Comederunt alieni robur eius, & nesciuit, sed & [illegible] in eo & ign[illegible] rauit. Mane quippe fit animæ, quoti[illegible] [illegible] nte[illegible]plation[illegible] & meditati[illegible] studium æ[illegible] [illegible] gerit. Vesperam autem patitur, mox vt ad tenebras [illegible] tionis [illegible] relabitur. Quæ tamen in po[illegible] [illegible] tenebr[illegible] descendat, opus est vt [illegible] iterum amissum c[illegible] [illegible] petat, & studijs spirit[illegible] [illegible] se restituat. Vnde Moyses post ve[illegible]peram statim [illegible] mane subiunxit, dicens. *Factum est vespere & mane dies vnus. Et factum est vespere & mane*

Gene. 1.

A *dies secundus.* Quod per omnes sex dies repetitur. Necesse est enim, vt per omnes sex mundi huius ætates, humana anima has vicissitudines patiatur, donec septima illucescente, nulla amplius vespera subsequatur. Nam & Salomon nos

Eccles. 11. admonet, dicens: *Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud.* Quod si vtrunque simul, melius erit. Et quasi illam Mariæ partem collaudans: *Dulce*, inquit, *lumen, & delectabile est oculis*

Luc. 10. Eccl. 11. *videre solem.* Hæc est similæ nostræ partitio, de qua iam diutius egimus: quæ mane habet in diuina contemplatione, cum Domino præsentatur: vesperam autem in humana conuersatione, cum filiorum Aaron vsibus confertur. In qua tamen si quid corruptelæ deprauationisque contraxit, lumini reddita, citius reprehendit. Dicatur itaque: *Ideo non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum.* quasi diuinæ claritatis speculum subinde respexerit, ad illius rectitudinis lineam se dirigere valebit. Sequitur.

Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.

Magna laus sacrificij, in quo tamen hostiam pro peccato atque delicto ei coniungit, quod sanctum sanctorum nominatur.

B Non hoc de holocaustis, non de hostijs dixerat. Quapropter huius præconij ratio quærenda est. Sancta quidem sunt etiam opera iustorum seu perfectorum, seu mediocrem vitam sectantium, sed alia est sanctitas, quæ malis quoque communis esse potest: alia, quæ bonorum propria est. Opera enim quasi vestimenta sunt sanctorum, sicut scriptum est:

Psal. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Hæc autem etiam mali nonnunquam vsurpant, testante Domino in E-

Matth. 7. uangelio: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sanctitas vero interior, sanctitas morum, propria bonorum possessio est. Merito ergo sancta sanctorum dicitur: quia vbicunq; ipsa est, etiam opera exteriora sanctificantur: sine ipsa vero, formam quidem pietatis habere possunt, sancta autem esse non possunt. De qua adhuc subditur:

Mares tantum stirpis Aaron comedent illud.

Qui sunt mares, nisi qui ex numero fidelium virtuti operam dant? Filiæ vero sunt, quæ licet per fidem summo Sacerdoti adhærentes Christo, secularibus tamen desiderijs

C subditæ sunt, & appetitu carnaliū voluptatum eneruātur. Mares igitur soli similam sanctam comedent: quia his qui iustitiæ famem patiuntur, religiosorum cura impendenda est, quo ad destinatum pertingere queant. Fœminæ vero ab eius esu prohibentur: quia indignum valde est, vt mens quæ spiritualibus exercitijs se deuouerat, sua solicitudine & cura prouideat, qualiter prægnantibus circa variarum escarum desiderium languentibus satisfaciat.

Legitimum ac sempiternum est in generationibus vestris de sacrificijs Domini.

Sempiternum dicitur, non quod fine careat, sed quia finis ei a legislatore non constituebatur: perpetuo vtique tempore, quandiu ritus illi legales manerent, ab illo populo obseruandum. Hæc est scripturarū locutio, sicut de seruo illo cuius auris ad postes tabernaculi subula perforatur,

Exo. 21. dictum est: *Habebis eum seruum sempiternum*: cum seruire æternaliter non possit, cuius vita æternaliter non subsistit. Sed seruus sempiternus dictus est, quod nullus ei seruitutis præstituebatur finis, tota vtique vita seruiturus. Sic & Poeta Horatius:

Seruiet æternum, qui paruo nesciet vti.

D Complet legislator sanctionem hanc de sacrificijs, sic concludens:

Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.

Tria sacrificiorum genera in hoc volumine deprehendimus. Sacrificium similæ, & eorum quæ de simila fiunt, videlicet sacrificium de clibano, de sartagine, de craticula. Item adipes pacificorum qui coram Domino incendebantur, sacrificium superius appellauit. Tertio sacrificiorum dicitur, hostia pro peccato & ꝓ delicto. Primum hic vbi habes quod sanctum sanctorum est, & quia tangentem sanctificat: postea expressius, & nominatim in consummatione huius recapitulationis: *Ista est*, inquit, *lex holocausti & sacrificij pro peccato & pro delicto.* De sacrificijs similæ, & de hostijs pro peccato & pro delicto, manifeste definitur quia sancta sanctorum sunt: & quod quilibet ea tangens, sanctificatur. De adipibus vero licet taceatur, idem sentiendum

E existimo: cum & causa vtrobiq; communis sit, & vniuersalis de omnibus sacrificijs videatur hic lex data, cū dicitur: *Legitimum ac sempiternū est in generationibus vestris de sacrificijs Domini: omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.* Virtus igitur sacrificiorum tanta est, vt etiam tangentes sanctificet. Tanguntur autem dupliciter; aut affectu solo, aut quod perfectius est, etiam imitatione. Tanguntur affectu, cum morū sanctitas, seu pœnitentiæ humilitas & contritio, quæ in alio aduertitur, ab alto appetitur. Imitatione quoq; tanguntur, cum virtus affectata, gratia comitante acquiritur. Primus tactus sanctificat per bonam voluntatem, secundus excellentius per bonæ voluntatis executionem. Non est ista holocaustorum siue pacificorum gratia. Vt enim in singulis hoc ostendam, si quis bonis holocaustum tetigerit, non continuo sanctificatur: quoniam si labores iustī alicuius imitatus fuerit, forte nequam est oculus eius: sicque totum corpus exterioris eius operationis, tenebrosum fit. Si autem tetigerit, sanctorum scientiam æmulatus, nescio quo animo hoc faciat. Dictum est enim de quibusdam: Honos

F alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloria. Si igitur in meditatione legis diuinæ, non suam † ædificationem, sed scientiæ quærit inflationem, aūis tangēs holocaustum, adhuc immundus est. De pacificis vero par habetur ratio. Qui

† eruditionem.

vero mundicordem, qui pacificum tetigerit, quod est sacrificium similę oleo superfusę: si quis mentis se iūxerit, quę propter iustitiam persecutionem patitur, quod est sacrificium clibani aut craticulæ: si quem ex sanctorum imitatione zelus domus Dei comederit, quod est sartaginis sacrificium tangere: qui misericordium affectum seu lugentium humilitatem sibi assumpserit, vt scilicet pacificorum adipes, aut hostiam quæ pro peccato atque delicto offertur, tetigisse videatur: omnes hos tactus suos beatos facit, quia sanctificatos reddit. Sancta ergo sanctorum sunt sacrificia, quoniam in eis certa sanctitas inuenitur. Vnde & Dominus virtutes quibus anima sanctificatur, enumerans, certam eis beatitudinem repromittit, dicēs: *Beati pauperes spiritu. Beati mundo corde.* &c. Ad hostias vero operum visibilium

Matth. 5.

cum venisset, qui possunt & sanctificari per sacrificiorum coniunctionem, & inutiles esse si sine sacrificijs offerātur: cauendum monuit, dicens: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est.*

G Matth. 6.

Oblatio Aaron & filiorum eius in die vnctionis suæ.

Cap. III.

IN priore sacrificiorum tractatu, post similæ sacrificium, tria quæ ex simila fieri solent, subiunxit: de clibano, de sartagine, de craticula. De quibus quia sufficienter ibi tractatum est, nihil hic repetit: præter q̄ inferius de illa parte quę sacerdotibus deputata est, q̄ cui cedat distinguit, dicēs: *Omne sacrificium similæ quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis à quo offertur.*

Leu. 7.

In præsenti vero, illorum vice post similæ recapitulationē vnum annectit, de quo nihil adhuc dixerat, pontificum videlicet sacrificium, quod in die vnctionis suæ Domino iubentur offerre. Quod quia & ipsum ex simila fit, & in sartagine frigitur, congrue post similam subinfertur.

Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc est oblatio Aaron & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ. H

Notandum de quibus filiis agatur. Non enim de omnibus loquitur endit, sed de his solum qui patri decedenti & sibi singulatim in summo pontificatu succedebant. Summos quippe pontifices singulares esse debere, lex ipsa decreuit. Hi ergo quid in die vnctionis suæ offerant, audiamus.

Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno: medium eius mane, & medium vespere. quæ in sartagine oleo conspersa frigetur.

In hac sanctione cum literæ sensus apertus sit, mysteriū perscrutandum est. Summus pontifex noster quis sit, nulli fidelium incognitum habetur. Huius typus, in illo legali pontifice Aaron & in successoribus eius, præcessit. Sed quoniam Christo Domino cælos adeunte, multi sunt

A qui vices illius in terris agunt: ideo existimo à sancto Propheta David temporibus suis loco illius summi pontificis 1. Par. 24. viginti quatuor ordinatos, qui in diuinis ministeriis vices suas agerent: & honorem quem solus ille prius obtinebat, inter se communicarent: hoc significante Spiritu sancto, vnum esse summum pontificem Christum, habere tamen Psalm. 44. eum participes suos, præ quibus oleo exultationis à patre vnctus, ipsis etiam eiusdem actionis gratiã impartiret. Sunt igitur viginti quatuor qui vices illius in mundo agunt: quia & in nouo & veteri Testamento per Dei gratiam multi sancti patres inuenti sunt, qui ouilis dominici veri custodes, luporum insidias solicite prouiderunt. Quos vtrosq; duodenarius duplicatus insinuat. Vnde & in Apocalypsi Ioannis Apoc. 4. & 5. per viginti quatuor seniores, eorundem forma exprimitur: Omnibus igitur hęc oblatio imponitur: qui in terris Christi vicarij, rectores animarum fidelium ab ipso instituuntur. Omnibus pręcipitur, vt in die vnctionis suæ decimam partem ephi similæ offerant in sacrificio sempiterno. Et Pontifices quidem quando consecrabantur, visibili vnguento B vngebatur, quod & in nostris adhuc seruatur: sed visibile illud vnguẽtum, inuisibilis vnctionis Spiritus sancti sicut speciem, sic etiam operationem habet. Per illam quippe, si idoneos se ei præbeant, Spiritus sanctus hominibus datur. Sic de David, postquam à Samuele vnctus est, scriptura te- 1. Reg 16. statur: *Quia directus est spiritus Domini in David a die illa & in reliquum.* Videant itaque qui ad tantum officium eliguntur, qui in hoc consecrantur, vt per eos alij sanctificentur, qua- Eccli 34. les accedant. Scriptum est enim: *Ab immundo quid mundabitur?* Mundos igitur eos esse, oportet, qui alienæ mundationis curam suscipiunt. Vnde Papa Gregorius virtutes boni pastoris enumerans: Sit, inquit, cogitatione mũdus, actione præcipuus. Nec communi munditia debet esse contẽtus qui post alijs: quoniam sicut excedit eos ordine, sic debet excedere sanctitate. Vnde doctor supradictus: Ideo, ait, pastor vocatur, vt quomodo homo inter pecora sua, sic ipse in populi multitudine sapientia & virtutibus ornatus sucedat. Hoc & lex in præsenti decernit. Pontifici enim nõ solum similam, verum & ipsius similæ decimam assignat offerendam. Quid autem in simila, nisi animæ puritas: quid C vero in similæ decima, nisi eiusdem puritatis perfectio intelligitur? Decimam ergo partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno. Sempiternum, sicut prius, accipiendum est, quod viuente homine nunquam intermittitur. Inde est quod dicitur: *Medium eius mane, & medium vespere.* Mane & vespere, initium & finem intellige. Qui igitur pastoralem curam suscipit, ad tantum officium mentem mũdam curet afferre: quod tamen non sufficit, nisi in eadem munditia ad finem vsq; studeat perseuerare. Ad hoc enim similæ suæ partem mane, & partem vespere offerre præcipitur: vt nouerit vnusquisque minus hoc esse, si vitijs eradicatis, & virtutibus necessarijs acquisitis, iniunctam curam pia intentione susceperit: tunc vero tandem sacrificium suũ consummari, si oblationis suæ deuotionem cuius matutinam partem iam Domino persoluit, ad vesperam vsq; Prouerbium. extenderit. Solent enim (vt dicitur) honores corrumpere mores. Sed pastor bonus quomodo cauet sua, sic commissorum sibi studiose corrigit vitia. Ideo de hac simila subiungitur, quod in sartagine oleo conspersa frigetur. Quæ sit enim frixura sartaginis, iam supra expositum est. Frigitur quippe mens iusti, cum zelo spirituali vritur, cum Psal. 118. videt præuaricantes, & tabescit: cum omnia quæ in domo D Dei reprehensibilia deprehendit, pro temporis opportunitate corrigere contendit. Sed vt frigatur, prius oleo conspergitur: quia cum sęuit iustus contra delinquentes, animaduersio illius ex charitate magis quam ex malitia consurgit. Sequitur,

Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum Domino, Sacerdos qui patri iure successerit.

Hoc est quod iam diximus. De illo solo agitur, qui in summo pontificatu patri decedenti succedebat. Sed videamus quid innuat. Vox summi põtificis nostri in Psalmo est, quæ & in Euangelio, cum vẽdentes & ementes de templo flagello eiecit, commemoratur: *Zelus domus tuæ comedit me.* Psalm. 68. Ioann. 2. Hunc imitantur qui sunt ex parte eius. Quicunque enim iure ei succedunt, quicunque in quouis regimine vices eius agendas suscipiunt, debent & ipsi eodem zelo ardere, E proque corrigendis quæ à sibi cõmissis minus recte agi deprehenderint, soliciti esse. Hinc Phinees zelando zelum Dei, Num. 25 1. Reg. 2. accepit Testamentum sacerdotij æterni. Eli autem qui filios corrigere neglexit, cum ipsis filijs & morte mulctatus, & sacerdotij hæreditate priuatus est. Apostolus quoque ait: Roma. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Spiritus autem Christi ideo in columba & igne monstratus est, quia om- Matth. 3. Actu. 2. nes quos repleuerit, simplices & ardentes facit. Simplices puritate, ardentes æmulatione. Offerat itaque Sacerdos similam oleo conspersam, frixam & calidam: vt cor eius & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ fiat accensum. De qua adhuc subditur:

Et tota cremabitur in altari.

Huc inter sacrificium sartaginis, quod in præsenti sacerdotum esse dicitur, & illud superius quod animæ cuilibet assignatur, distat: quod istud totum incenditur, illius pars Domino, pars autem filijs Aaron deputatur. *Tota* igitur *cremabitur in altari.* Et adiunxit:

F *Omne enim sacrificium Sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.*

Quod sacrificium ad conscientiam hominis, non ad opera exteriora pertineat, iam sæpius disputatum est. Quid est ergo quod sacrificium sacerdotum igne consumi præcipitur, nisi quod mens boni pastoris, amore iustitiæ penitus absorbenda docetur? *Tunc acceptabis* (inquit) *sacrificium iu-* Psalm. 150. *stitiæ.* Mens itaque quæ iustitiæ legibus tota iam se subdit, sacrificium suum igne sacro consumit. Ab eius esu omnes prohibentur: quia illicitum est, vt à pastore pro adipiscenda cuiuscunque hominis gratia, iustitia declinetur. Comedit enim similam pastoris, qui eum à regula veritatis ad suæ prauitatis patrocinium inflectens, de eius consensu voluptatem capit. Notandum autem quod cum dicitur, *nemo comedat ex ea,* etiam ipse à suæ similæ comestione arcetur. Sicut enim alienæ peruersitati obtemperare non debet, vt à iustitia declinet: sic nec in iudicãdis subditis, suæ libidini deseruire. Vnde beatus Gregorius in homilijs: Sæpe, inquit, in soluendis ac ligandis subditis, pastor suæ motus voluntatis, non autem causarum merita sequitur. Sicque fit, vt i- G psa ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hãc pro suis voluntatibus, non pro subiectorum moribus exercet. Sæpe fit, vt erga quemlibet proximorum odio vel gratia moueatur pastor. Iudicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Præcipit itaque lex, vt nemo comedat de sacrificio Sacerdotis: quod scilicet mens pastoris boni, diuinæ subdita voluntati, nec suæ nec alterius seruiat prauitati. Nota lector diligenter signorum varietatem, & animaduerte comestionem in varios significandi actus transire. Superius quippe de sancta simila sancitum est, vt pars eius in escam filiorum Aaron cederet, pars autẽ Domino sequestraretur. Vbi intelleximus sanctificatæ mentis diuersum studium, quæ nunc spirituali exercitationi vacare præcipitur, nunc vero fraternæ vtilitati seipsam impẽdere. In præsenti ergo cum sacrificium Sacerdotis in vsus humanos transire prohibetur, nunquid intelligendum est, quod nemo ex ea vtilitatem capere debeat, nullus per eam sustentetur, nullus adiuuetur? Absit. Sacerdotum quippe maxime est, proximorum necessitatibus solicitudine sua cõcurrere. Mutatur itaque (vt diximus) rei ipsius significatio: & per eum comestionem H primo iustitiæ necessitatis sustentatio, secundo voluptatis illicitæ satisfactio designatur. Cum enim & proximis consulẽdum, & à iustitia non sit recedendum: hinc filij Aaron sanctam similam comedunt, vt eorum infirmitas maiorum prouidentia gubernetur: hinc à sacerdotalis sacrificij esu omnes homines remouentur, vt scilicet consensu & fauore ecclesiastici rectoris, nullius libidini seruiatur.

Quæ sit lex hostiæ pro peccato.

Cap. IV.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco, vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino.

A In primo tractatu post sacrificia hostias pacificas subiecit, nouissime autem hostias pro peccato. Nunc vero ordine mutato, quia sacrificia & hostias pro peccato paris meriti esse pronunciauerat, tractatu etiam eas coniungit. Dicit ergo: *Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino.* Hæc dignitas cur huic hostiæ attributa sit, qui scire desiderat, ad superiora recurrat. Sequitur:

Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quicquid tetigerit carnes eius sanctificabitur.

Hoc est in quo sacrificijs eam coæquat, vnde & sacrificiũ in sequentibus nominat. *Sanctum* (inquit) *sanctorum est.* Sũt nonnulli qui in magnis criminibus sibi conscij non sunt, sed de ipsa innocentia sua superbientes, alios despiciunt. Multos vero reperies, qui post grauium criminum perpetrationem resipiscentes, & de trãsactis malis grauiter se accusant, & in reliquum vitam suam perfecte emendant. Isti ergo quos & conscientia præteritorum humiliat, & amor B iam iustitiæ sanctificat, illis præponuntur, qui licet velut innocentes appareant, tamen superbia corrumpuntur. Hoc parabola testatur euangelica, in qua Dominus ouis perditæ & inuentæ exemplo præmisso, statim subdidit: *Dico vobis,* Luc. 15. *quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quã supra nonaginta nouẽ iustis qui non indigẽt pœnitentia,* id est, qui se non indigere existimant. Pharisæi quoque & Luc. 18. Publicani recole historiam. Pharisæus orans, merita sua iactabat, dicens: *Gratias tibi ago Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores, adulteri: velut etiam publicanus iste. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus autem à longe stans, nec cœlum respicere audebat: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Et Dominus de vtroque ferens sententiam, *Dico,* inquit, *vobis quia descendit hic iustificatus ab illo in domum suam.* Istorum igitur mala humilitas abscondit, illorum bona superbia perdit. Teste enim Papa Gregorio, qui sine humilitate virtutes congregat, in vento puluerem portat. Et vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. Sciendum tamen quia sicut virtus sine humilitate, sic nec humilitas sine virtute accepta C est. Placet enim peccatorum humilitas, sed qui peccare iã nolunt. Alioquin nec de oue perdita nisi inuẽta, nec de peccatore nisi pœnitentiam agente, gaudium esse in cœlo Dominus testatus est. Luc. 15. Vnde & hæc ipsa hostia de qua nunc agimus, quæ pro peccato offertur, superius immaculata esse præcipitur: quia quicunq; gratum vult esse quod pro trãsactis peccatis suis se humiliat, necesse est amodo peccandi voluntatem deponat. Peccatorum igitur pœnitentia, sancta sanctorum ideo dicitur, quia nonunquam post multiplices lapsus resipiscentes, & iustitiæ sectatores feruentissimi, & ipsius iniquitatis cui succubuerunt, expugnatores validissimi: quodque vtrunque bonum amplius commẽdat, pro præteritorum conscientia humiles & pauidi inueniuntur. At contra hi qui de innocentia sua gloriantur, plerunque & si iustitiæ seruiunt, tepide & negligenter hoc faciũt: iniquitatem, a qua immunes videntur, nonnisi quia peccandi occasio deest, euitant: quodque his deterius est, inertia resoluti, & in hoc conuersationis languore constituti, superbiunt. Sunt tamen plerique iusti, in quorum vita D tantum est gaudium, vt eis quælibet peccatorum pœnitẽtia præponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum malorum sibi sunt conscij & tamen in tanti ardoris afflictione se exerunt, ac si peccatis omnibus coãgustentur. Cuncta enim illicita respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur. Lamentis gaudent, in cunctis humiliant semetipsos: & sicut nonnulli peccata operum, sic ipsi peccata cogitationum deplorant. Quid itaque istos, ait beatissimus Gregorius, nisi iustos & pœnitentes dixerim, qui se & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti semper in opere perseuerant? Hinc ergo colligendum est, quantũ Deo gaudium faciat, quando humiliter plãgit iustus: si facit in cœlo gaudium, quando quod male gessit, per pœnitentiam damnat iniustus. Pœnitentiæ ergo & humilitatis hostia, & iustos gratiores reddit: & ipsos etiam qui post perpetrata facinora resipiscunt, eis qui de innocentia sua superbiunt, anteponit. Sãcta ergo sanctorum est. *Sacerdos qui offeret, comedet eam in sancto loco.* Quis est Sacerdos qui hanc E hostiam immolat, nisi qui per doctrinam suam peccatorem ad pœnitentiam vocat? Iste ergo hac hostia vescitur, cũ super peccatoris conuersione delectatur. Hanc hostiam Pharisæus ille comedere respuebat, qui pœnitẽtis mulieris despiciens lachrymas, Dominum qui se tangi ab ea patiebatur, reprehendebat, dicens: *Hic si esset Propheta, sciret vtiq; quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. Dominus autem qui pœnitentiam eius suscepit, hostiam quam pro peccatis suis offerebat, comedit. Vnde beatus Gregorius: Ad Pharisæi, inquit, prandium Dominus discumbebat: sed apud pœnitentem mulierem mẽtis epulis delectabatur. Apud Pharisæum veritas pascebatur totus. Sacerdos itaque qui offeret, comedet eam in loco sancto, *in atrio tabernaculi.* Quid est in loco sancto hostiam pœnitentis comedere, nisi eum qui à peccatis suis auertitur, non iam damnandũ credere, sed in sanctorum numero computare? Hinc in Exodo legitur, *quia si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuẽtus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur.* Exo. 22. F Fur qui domum alienã effringit aut suffodit, ille est, qui proximi sui conscientiam aut vi aliqua, aut praua suasione corrumpens, innocentiæ thesaurum subtrahit. *Ex his sunt,* ait Apostolus, *qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* 2. Tim. 3. Hunc furem quisquis sub noctis tenebris percusserit, innocens erit: quia quandiu prauitatis suæ caligine cæcatur, quisquis eum morte dignum pronunciauerit, non peccabit. Hoc est enim occidere eũ, quomodo Iob dicit Deo: *Sordibus intinges me,* id est, intinctum monstrabis. Iob. 9. *Si vero orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, ipse quoq; morietur:* quia si peccatori sol iustitiæ ortus fuerit, & affectum veræ pœnitentiæ ei infuderit, quisquis ab spe veniæ eum excluserit, desperationis mucrone furem confodiens, homicidium perpetrauit: ideoque & ipse mortis sententia dignus erit. Hostia igitur ista in loco sancto comedenda est quia quisquis iam scit plangere quod perperam gessit, à sanctorum spe repellendus non est. *Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.* Ille huius hostiæ carnes tangit, qui affectum suum pœnitentis humilitati coniungit. Qui G vero tangit, sanctificatur: quoniam quicunq; eos imitatus fuerit, ipse quoque à peccatorum suorum nexibus relaxatur. Vide pœnitentem ad hostiæ suæ tactum nos inuitantẽ, & tactu ipso sanctificationem nobis promittentem: *Fidelis,* 1. Tim. 1. inquit, *sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiã consecutus sum, vt in me primo ostẽderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem illorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Ad hoc itaq; peccator iste se misericordiam consecutum fatetur, vt alij eum tangentes, id est, conuersionis illius exemplum imitantes, & ipsi sanctificentur. Venit in mentem piscis ille immanis, qui Thobiam Thob. 6. pedes suos lauantem inuasit, & volebat deuorare eum. Extractus tamen ab eo in siccum, cœpit palpitare ante pedes illius. Post hæc autem medicamentum præpotens eidem exhibuit. nam cordis eius virtutem, docente angelo, hãc esse cognouit, vt prunis superpositum, fumo suo omne genus dæmoniorum expelleret, siue à viro siue à fœmina. Piscis iste immanis, quilibet sæuus persecutor intelligitur qui Christi membra pedes suos lauantia, id est, operum sordes H abluentia, ad prauitatis suæ consortium trahere conatur. Talis erat blasphemus ille & persecutor, cui de cœlo clamatum est: *Saule Saule, quid me persequeris?* Act. 9. Hunc Thobias ab aquis suis extraxit: quia Christus gratia sua à carnali conuersatione eum segregauit. *Postquam,* inquit, *placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ.* Gala. 1. Extractus autem palpitare cœpit: quoniam cœlesti illa voce audita, tremens ac stupens dixit: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Ipse quoq; crudelitatis pristinæ postea memor, cordis contriti sacrificium Deo offerebat, dicens: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei.* 1. Cor. 15. Huius cordis particulam quisquis à dæmone oppressus sibi assumpserit, imponat illam prunis ardentibus, & pessimum inuasorem fumo eius exturbare valebit. Si enim peccati pondere pressus, & inimici laqueis irretitus, humilitatem huius quondam sæui persecutoris & cordis contritionem, ipse quoque

A ardentibus intus æstuans cogitationibus, imitari potuerit, virtutem fumi istius inimicus experietur: quia compunctionis tuæ mœrore, & pœnitentiæ amaritudine fugabitur. Carnes igitur hostiæ huius sanctæ tangentem sanctificant, quia pœnitentiū gemitus imitatorem emundant. Sequitur.

Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto.

Dicit beatus Gregorius, à bonis pastoribus materna viscera subditis exhibenda: vt si fagari eos domesticis tentationibus, & carnis suæ motibus infestari contigerit: ad pietatem & consolationem pastoris, quasi ad tutissimum portum ab internis fluctibus refugere, periculumq; imminens pussint euadere. Praua, si qua ab eis occulte commissa sunt, ad doctoris notitiā non vereantur perferre, & pœnitentiæ medicinam ab eo suscipere. Fit autem plerumq; vt pastoris conscientia, auditis subditorum tentationibus, & ipsa tentetur: & velut aqua aliorum manus abluens, vnde illis mūditiæ causam præbet, ipsa sordidatur. Quod tamen doctoribus non nimis formidandum est. Nam tanto citius à suis liberantur, quando misericordius aliorum tentationibus fatigantur. Dicatur itaq; de hostia pro peccato: *Si de sanguine*

B *ne illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto.* Sanguis enim huius hostiæ, opera sunt corruptionis, quib. peccator succubuit. *Libera me*, inquit, *de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* (Psalm. 50.) Hæc itaq; cum per confessionem pastori deteguntur, plerumque licet ad corpus vsque non transeant, tamen vestem aspergunt: quia quamuis consensum non impetrent, excitant appetitum. Quod enim vestis ad corpus, hoc ad consensum est appetitus. His ionumeris carnis motibus expositus patet: consensus autem non absq; vitæ illius periculo adeundus, in remotiore animæ parte latet. Vestis sæpe sine noxa corporis aut maculatur, aut scinditur, sic & appetitus plerumque absque salutis humanæ dispendio, consensu viriliter resistente, per illicita multa raptatur. Vestis ergo sacerdotis qui hostiam pro peccato offert, sanguine illius aspergitur: cum mens pastoris, cognitis carnalibus subditorum motibus siue carnis operibus, ipso etiam nolente, titillatur. Lauanda itaque est, sed in loco sancto potest lauari: quoniam qui non suo vitio, sed sola cōpassione, vt proximo fluctuanti subueniat, huiusmodi perturbatione vexa-

C tur, non necesse habet, donec se expiet, à sacris officijs sequestrari. Et lauat ergo vestem suam, & in loco sancto est: quia illecebra carnali qua externus afficitur, pro viribus sine dilatione pusgat: sed tamen quod hanc pugnam sustinet, augmentum ei est retributionis, non imminutatio sanctitatis. Sequitur.

Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum fuerit, defricabitur & lauabitur aqua.

Vasa in quibus hæc hostia coquitur, corpus & anima pœnitentis est, nam cum pro reatibus suis Domino satisfaciat, & anima illius doloris igne cruciatur, & corpus abstinentia cęterisq; pœnitentiæ laboribus maceratur. Sed animam vas æneum, propter naturæ suæ immortalitatem: siquidem æs vix vlla rubigine potest cōsumi: & corpus vas fictile, quod de terra factum sit, intellige. Vas ergo fictile frangitur, sed vas æneum defricatur & clarius redditur: quia corpus quidem afflictione præsenti atteritur, sed anima ad naturæ suæ claritatem reuocatus. Alioqui quid menti apud Deum æs, quam testam comparasse existimas, vt illa frangi iubeatur,

D hoc autem integrum reseruetur? Inde est quod dicit Apostolus: *Licet is qui foris est, homo noster corrumpatur, interior tamen renouatur de die in diem.* (2. Cor. 4.)

Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius, quia sanctum sanctorum est.

Supra de simila: *Mares*, inquit, *tantum stirpis Aaron, comedent illud.* Hic vero, *Omnis*, ait, *masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius.* Ibi omnes præter mares exclusit, nec tamen mares omnes ad comedendum compulit. Hic autem masculos omnes de genere sacerdotali hac lege constringit, sed alium neminem excludit. Sed ibi cur non nisi mares admiserit, iam dictum est: cur vero in præsenti masculos omnes compellat ad comedendum, nunc dicendum

(Duplex fortitudo.) est. Mares sunt, qui fortitudine pdditi sunt. Sed fortitudo alia reproba, alia Deo placens & sancta. Reproba, fortitudo est, cum homo aliquid virtutis per Dei donum adeptus, sibi eam tribuens, largitori ingratus existit: & de ea super

E biens, proximorum infirmitatibus minime condescendit. De huiusmodi Dominus in Psalmo, superbam Pharisæorū iustitiam notans, conqueritur, dicens: *Ecce ceperunt animam meam, irruerūt in me fortes.* (Psalm. 58.) Fortitudo vero illa à Domino approbatur, quæ nec sibi quod habet tribuit: & alios qui id muneris necdum assecuti sunt, nequaquam cōtemnit. Horum vox est in Psalmo, Domino proclamantium: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* (Ibidem.) Et, *Diligam te Domine fortitudo mea.* (Psal. 17.) Has etiam Apostolus præcipit, dicens: *Infirmum in fide suscipite.* (Psalm. 14.) De vtriusque autem beatus Gregorius: Vera, inquit, iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem. Dicatur itaque de hostia pro peccati: *Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus illius*, quia quicunque veraciter iusti sunt, peccatoribus ad pœnitentiam redeuntibus non indignantur, sed cum Angelis Dei de eorum conuersione lætantur. Sequitur.

Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

F • Superius cum hostias pro peccatis descripsisset, pontifici populoque vniuerso vitulum assignauit, in typum videlicet Dñi & saluatoris, qui pro † vniuersi populi sui reatu (†vniuersis.) hostiam patri seipsum obtulit. Huius vero vituli carnes nō sacerdotibus comedendas concessit, sed extra castra offerri, & ibi concremari præcepit. Vnde hic cum de cæteris hostijs, hirco. s. principis, capra seu oue cuiuslibet animæ, item turture & pullo columbino, qui de duobus vouis pro peccato offerebatur à paupere illo, qui pecus offerre non poterat: sed & de ariete eius qui in sancta deliquerat, seu qui paµ no violentus extiterat: cum inquam de his omnib. legem cōmunem dedisset, vt carnes earum escis filiorū Aarō deputarentur, cōgrue subiunxit: *Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij, non comedetur, sed comburetur igni.* Tanquam diceret: Quia illam comedere eis non licet, istas saltem accipiant in vsus suos. Quod nec à nostra vacat ædificatione. Dicit. n. Apostolus: *Quādiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* (2. Cor. 5.) Sancti itaque doctores hostia illa quæ cæsa est pro peccato, cuius sanguis illatus est in tabernaculum testimonij, in præsenti vesci

G non possunt: quia Christi vultu, quem magno desiderio requirunt, in hac carne viuentes, satiari non possunt. Nō comeditur ergo hostia illa, sed igni comburitur: quia Dñs Iesus interim desiderantium se subtrahitur sensibus, sed tamen à mortuis resurrexisse, & per resurrectionis gloriam ad immortalē vitā creditur transmigrasse. Quia igitur illa hostia filiorum Aaron vsibus denegatur, aliæ conceduntur: quia quandiu eis corporalis Christi præsentiæ gaudiū differtur, proximorum profectus qui per eorum doctrinam ad Deum redeunt, interim eos consolatur. Menti. n. sponsum suum fortiter amāti, dum mora præsentis vitæ vna solet esse consulatio, si per hoc q; ipsa ab eius visione differtur, multi ab erroribus suis conuertuntur: multi post peccatorum suorum satisfactionem, ad virtutum meritum reuocantur. Vnde in cantico canticorū spōsa dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* (Cant. 2.) Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum iam opus inchoantes, & desideriū cæleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ iā bonorum mentes, quę ad fructum perueniunt boni operis

H de ortio sanctæ conuersationis? Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus & stipari malis: quia si illum quem desiderat videre, adhuc non permittitur: magna est ei consolatio, si de aliorum profectibus lætetur.

Quæ sit lex hostiæ pro delicto.

CAP. V.

HAec quoque est lex hostiæ pro delicto. Sancta sanctorum est. Iccirco vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto. (Leuitic. cap. VII.)

Quid intersit inter peccatum & delictum, scrupulosissime a doctoribus nostris quæsitum est. Nam indifferenter ea sæpissime accipi, vt siue peccati nomine siue delicti, quęlibet culpa intelligatur, certissimum est. Ioannes in Epistola sua*: *Sanguis*, inquit, *Iesu mundat nos ab omni peccato.*

A Apoca. 1. Item in Apocalypsi: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Hic per peccatum, omnem reatum comprehendit, à quo Christi morte fideles mũdantur. In Euangelio Dñs: *Si dimiseritis,* inquit, *hominib. peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si aũt non dimiseritis hominibus nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. Indifferenter hic & peccatum & delictum pro quolibet reatu positum est. Leuit. 4. In hoc ipso volumine superius. *Si peccauerit,* inquit, *aĩa, vt faciat quicquã ex his quæ Dominus lege prohibentur, atq; delinquat.* Peccauerit & delinquat, idem est. Leuit. 5. Item *Anima si præuaricans ceremonias per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit: offeret pro delicto suo arietem.* Multa sunt huiusmodi, in quib. & peccatum delictum dici, & delictũ peccatũ vocari reperies. In hoc loco tñ aliquam q̃rere differentiam cogit ipsa scriptura, quę dicit ꝓ peccato & pro delicto hostiam offerri, quas & separatim & aliquantulum differẽter describit. Iezechiel quoq; Propheta, in vltima sua visione: *In vestibulo,* inquit, *portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde, vt immoletur super eas holocaustum & pro peccato & pro delicto.* Ezech. 40. August. De hac differentia B. August. in quæstionibus Leuit. ita dicit: B Peccatum est perpetratio mali, delictum aũt desertio boni. Pōt etiam videri illud esse delictum, q̃ imprudenter, i. ignoranter: illud peccatum, q̃ scienter committitur. Indifferenter tñ plerunq; dicuntur, vt & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appelletur. Græce autem delictum duob. modis dicitur, paraptoma & plemelia. In paraptomate tãquã decidere intelligitur, q delinquit. Vnde cadauer quod Latini a cadendo dicũt, Græce ptoma dicitur. Qui ergo peccãdo malũ facit, prius delinquẽdo à bono cadit. Et plemmelia similiter nomen est negligentiæ. Nã græce negligentia amelia dicitur: quia curæ non est q̃ negligitur. παρά-πτωμα. πλημμέ-λεια. πτῶμα. ἀμέλεια. Gregor. Papa Greg. super Iezechielem, ita hæc duo discernit: Peccatum est, malũ facere: delictum vero, bona derelinquere q̃ summopere sunt tenenda. Vel certe peccatum in opere est, delictũ in cogitatione. Inueni & alias alibi differentias, sed istæ nunc sufficere possunt. In præsenti quippe peccatũ ad opus visibile, delictum vero ad mẽtem referri existimo. C quod scilicet in mente sicut radix vitiorũ, sic ruinæ humanæ principium est cum ab affectu iustitię mens ipsa recedit. Circa cogitationum quoq; obseruantiam, maxima est hominum negligentia: vt iure plemmeliæ nomen reatui illi q̃ totos committit, possit aptari. Vnde Salomon nos excitat dicens: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Prou. 4. Congruũ vero erat, vt sicut lex per holocausta hostiasque pacificas, item per sacrificia nus de bonorũ & exteriore & interiore iustitia instruxerat: ita etiam culparum differentiam satisfactionemq;, & earum quæ per opus visibile etiam hominibus innotescunt, & earum quæ in conscientia, solo Deo teste, cõmittuntur, doceret. Quod igitur sanctam sanctorum hanc hostiam dicit, quod locum holocausti ei decernit, humilitatem illam, quæ pro reatus interioris satisfactione Deo offertur, paris meriti esse pronunciat cum ea, quæ visibilis operis offensam placat. Sequitur:

Sanguis eius per gyrum fundetur altaris.

Mouet me, cum hostiam pro delicto & pro peccato pene in omnibus coniungat, cur sanguinem hostiæ pro delicto, D more holocaustorum & pacificorum per gyrum altaris fundi: & non ad instar hostiarum pro peccato, cornua ex eo altaris tangi, reliquumq; ad basim illius fundi præceperit. Si igitur priora recolimus, q̃ scilicet per sanguinem hostiæ pro peccato, pœnitentiæ cruciatus intelligitur: tactus vero ille cornuum altaris seu ad basim eiusdem reliquiarũ fusio, hoc nobis innuit, quod contritione pœnitentis & prius pastores ecclesiastici, quorũ potestate à reatu suo absoluatur, & postea diuina clemẽtia ad pietatem flectenda est: videtur, lex ab huius afflictiuois pondere eos, qui pro delictis satisfaciunt, releuasse: vt quasi prauæ voluntatis, quam tantum conceperant, nec ad opus vsq; perduxerant, erectio, ipsiusque conscientiæ sanctificatio, videatur posse sufficere. Hoc enim sanguinis per gyrum altaris fusionem, quam huic hostiæ lex adscribit, in holocaustis & pacificis diximus significare: carnalia scilicet appetitus, ad exemplum Christi siue sanctorum patrum, quia altare nobis sunt, quod imitando eos eis superponimur, expulsionem. Qui igitur voluntatis nudum ad peccati consensum inclinauit, cito tamen antequam illud opere perpetraret, à peccandi voluntate resiliuit: E non est ei necessaria illa afflictionis austeritas & publica pœnitentia, quæ criminalium operum reis imponitur: tantummodo sanguinem per gyrum altaris fundat, considerata videlicet Christi sanctitate, patrumque præcedentium, affectum illicitum cui consenserat, & per confessionem vomat, & per execrationem à se eijciat. Admoneo lectorem, vt vbiq; dictorum veritatem rimetur: & si alicubi meã tramite deuiasse compererit, corrigat potius quam sequatur. Quę tñ ad p̃dictæ sententiæ confirmationẽ interim occurrũt, his accipe. Inde est, quod filia illa archisynagogi, quæ in domu patris defuncta fuerat, secrẽto paucis (nõ tamen nullis) astantibus, à Dño resuscitata est. Adfuit enim Marc. 5 cum Dño Petrus, cui ecclelesiæ sanctæ cura commissa est: Luc. 8. adfuit & Iacobus, qui luctator: cum Ioanne, qui Dei gratia interpretatur: & pater materq; puellæ. Vbi forte datur intelligi, quia quorum mors nondum à domo conscientię ad operis foueam erecta est, facilius ad vitam redire possunt: si tamen adsit solicitudo quę nouum hominem parit, si per F confessionis humilitatem pastor ecclesiasticus ad occultorũ admittatur cognitionem: si ille qui resurgere cupit, Dei præuenientis gratia cõtra peccatũ cui se subdiderat, luctari, ac illud expugnare non negligat. Lazarus è contra quem iam Ioan. 11. terra sorbuerat, quem lapis presserat, multis sororũ lachrymis, ipso etiam Domino flente, voceq; fortiori mortuũ inclamante, multis astantib. & videntibus, ad vitam reuocatus est. Quicumque ergo in lacum illiciti operis descenderunt, quos iam praua premit consuetudo quorũ mors iam publicata est: qui etiam quibuslibet videntib. aut scientib. peccare non erubescunt, maiore opera resuscitanda sunt. Multæ sunt eis lachrimæ necessarię, multi gemitus: publica quoq; illis pœnitẽtia iniungenda est, vt omnib. quos illorum peruersitas scãdalizauerat, nunc conuersione satisfiat. Gregor. B. papa Greg. quid de his sentiat, in lib. Pastorali his verbis explicat, dicens: Nonnunquã ita mens barathro tẽtationis absorbetur, vt nullatenus renitatur: sed ex deliberatione sequitur hoc, vnde ea delectatione pulsatur: & si facultas exterior suppetat, rerũ mox effectib. interiora vota consummat. G Quod videlicet si iusta animaduersio districti iudicis respicit, nõ est iã cogitationis culpa, sed operis. Huiusmodi tñ ita terrendi sunt, vt minime frangantur. Sæpe. n. misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo hęc exire ad opera non permittit. Vnde recte per Psalmistã dicitur: *Dixi, pronũciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Psal. 31. Qui .n. impietatẽ cordis subdit, q̃ cogitationum iniustitias pronũciare velit, indicauit. Deniq; ait, *Dixi pronunciabo:* atq; ilico adiunxit, *& tu remisisti,* Quã super hæc sit facilis venia, ostẽditq; a dum se adhuc promittit petere, hoc q̃ se petere promittebat, obtinuit: quatenus, quia vsq; ad opus non venerat culpa, vsque ad cruciatũ non perueniret pœnitẽtia: sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset. Hæc tanti doctoris verba quisquis diligenter attenderit, puto quia omnibus quæ super hoc capitulo dicta sunt, citius fidem dabit. Sequitur:

Offerent ex ea caudam & adipẽ qui operit vitalia, duos renũculos, & pinguedinẽ quæ iuxta ilia est, reticulumq; iecoris cum renunculis. Et adolebit ea sacerdos super altare. Incensum est Domini pro delicto. H

Quod ex hac hostia caudã offerri præcipit, illud confirmat quod diximus, delictũ in eis q̃ cogitando & iniquitati consentiendo cõmittimus, accipiendũ. Quia. n. circa cogitationũ obseruantiã maxima est hominũ negligentia, monetur quicunq; lubricos affectuũ motus corrigere cupit, vt hostiæ suæ caudã offerat .i. vt huic proposito suo perseuerantiæ finẽ iungat. Vix. n. ad interiorũ suorum solicitudinẽ quisq̃ expergiscitur: quod si experrect⁹ fuerit, in breui lassescit. In adipũ vero cõcrematione, sicut in hostijs ꝓ peccato: ita & hic eadem, q̃ in pacificis tradita est, forma obseruatur. Quæ q̃d mysterij cõtineat, si q̃s scire voluerit, ibi requirat. Nam plenius ibi de hac disputatũ est. Hic vero hoc dixisse sufficiat, quia cum per adipum concremationem affectuũ nostrorũ sanctificatio intelligatur, iure in hac hostia post sanguinis effusionem ipsa subiungitur. Quicunq; enim prauæ voluntatis contagione se purgat, necesse est vt per spiritus sancti calorem affectus suos à quadam terrenarum volu-

A

ptatum dispersione constringens, ad supernorum desiderium eos attollat.

Omnis masculus de genere sacerdotali, in loco sancto vescetur his carnibus, quoniam sanctum sanctorum est.

Hoc super hostia pro peccato, paulo ante iam explanauimus. Sequitur:

Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto.

Sicut, non semper ad æqualitatē ponitur, sed ad aliquā similitudinem. Quod in Epistola Ioannis apparet, vbi dicitur: 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet hanc spem in ipso, sanctificat se, sicut & sanctus est.* Nemo enim in sanctitate Deo æquari potest, sed tamen pro modulo nostro debemus assimilari. Dicatur ergo: *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto*: quia licet hominés lateat, coram Deo tamen qui cordis nostri abscondita, cum peccato consensum præbeamus, peccatū explemus. Matth. 9. Quanquam enim puella illa de qua prædiximus, à domo patris Ioan. 11. elata non esset, at mortua erat. Et Lazarus igitur mortuus, & illa, hoc solum intererat, quod Lazarus iam fouea claudebatur, quo illa nondum descenderat. Sic itaque & illa mors est, quæ in conscientia consummatur: & illa, quæ vsque ad conceptæ iniquitatis executionem prolabitur. Sed

B

quoniam grauior vltima quam prima, vtraque quidem hostiæ oblatione placanda: quæ tamen grauius habet crimen, ampliorem exigit satisfactionem.

Vtriusque hostiæ lex vna erit: ad sacerdotem qui eam obtulerit, pertinebit.

Non omnibus eadem lex est harum duarum hostiarum, in nonnullis siquidem discernitur, sed in hoc vere vna est vtriusque, quod subiungitur, quia scilicet & hæc, & illa ad sacerdotem pertinet qui eam obtulerit. Quis autem sit qui hostiam pro peccato aut pro delicto offerat, iam supradiximus: ille videlicet, qui per doctrinam & exhortationem suam, ab hoc siue ab illo reatu suo peccatoré reuocauerit. In huius ergo hostia quam offert, vsus redit: quia iuxta A- Iacob. 5. postoli Iacobi testimonium, *si quis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Et Salomon. Prou. 12. *De fructu, inquit, oris viri replebitur venter eius, & germina labiorum illius saturabunt eum.*

C

Qui enim proximum erudit, foris loquens meretur, vt & ipse per spiritum sanctum intus imbuatur. Sicq; dum alios docet, de fructu oris sui ventrem suum replet. Germina quoque labiorum suorum saturat illum: quia de labijs suis hunc fructum percipit, vt pascatur ipse dum alios pascit.

Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.

Hoc post omnia quæ supra de holocaustis sancita sunt, adhuc addendum fuerat. Cum enim in huius voluminis exordio de bouis holocausto sacerdotibus præcepisset, vt detracta pelle, hostiæ artus in frusta conciderent: membra quidē cæsa cremari præcepit, de pelle vero quid *fieret, nō *facerent. decreuit. In recapitulatione quoque prorsus de hac re tacuit, tandem vero hic quod vbiq; prætermiserat, adimpleuit. Dicit ergo: *Sacerdos qui offert holocausti victimā, habebit pellem eius.* Pellis holocausti quæ est, nisi exterior huic mundo renunciantium substantia? Iob. 2. *Pellem* (ait) *Pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.* Tanq̃ diceret: Dū ferit in carne sua metuit, exterioris substantiæ damnum æquanimiter accipit. Qui igitur proximum sua exhortatione & eruditione ad cælestia pertrahit, pellis holocausti quod offert, le-

D

gali decreto illi conceditur: vt scilicet discipuli sui terrenam (si qua est) substantiam, sibi forte aut etiaquorum curam gerit, necessariam, in vsus proprios sortiatur. Nam & Aposto- 1. Cor. 9. lus hoc paruipendit, dicens: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Supra cū in bouis holocausto versiculum illum tractaremus, vbi præcipiuntur sacerdotes detracta pelle, hostiæ artus in frusta concidere, beatum Gregorium sequentes, sic exposuimus, quod Leui. 1. scilicet tūc hostiæ nostræ pellem detrahimus, cum minime vitæ nostræ superficie contenti, interiora illius subtilius perscrutamur. Ex hoc aūt loco alium quoq; in illis verbis sensū deprehendimus. quia videlicet tunc holocausto pellis detrahitur, cum is qui perfectam aggreditur vitam, exteriori substantia spoliatur, iuxta illud Domini præceptum: *Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quæ habes. & da pauperibus: & ve-* Matth. 19. *ni, sequere me.* Hac nempe pelle detracta, opportune mem-

brorum fit cæsio: quoniam cū exterioris occupationis nubes auertitur, serenitate oculis interioribus reddita, singulorum operum examen & notitia possidetur. Cōuenio autem eos qui in his omnibus literam solum sequuntur. Ecce lex iubet, vt sacerdos qui offert holocausti victimā, habeat pellem eius. Quid si holocaustum de turturibus fuerit aut pullis columbarum? Nunquid auicula illa excoriāda erit, vt pellis eius ad nihil vtilis, tradatur sacerdoti? Ridiculum est ita sentire, maxime cum lex in auiū holocausto de hac re prorsus tacuerit. Sed respondebunt forsitan, in boue tantum & oue hoc præceptum seruādum. Hæc. n. animalia pelles habere, quæ aliquam vtilitatem sacerdotibus conferre, possint. Contenti ergo sint angustijs suis. Nos vero liberiori pede gressum mouentes, & libertatem spiritus sequentes, libere astruimus, omni holocausto pellem detrahendam & sacerdotibus deputandam, non bouis solū aut ouis, sed maxime auium, non illarum legaliū, sed spiritualium. Qui enim sapientiæ student, & intelligentiæ pennis ad Deum volare cupiunt, hi maxime à terrena possessione & exteriori occupatione expediendi sunt, vt hi in eis quod scriptum est: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Et iterum, Psalm. 45. *Sapientiam scribe in tempore otij: & qui minoratur actu, percipiet illam.* Eccles. 38. Sed iam sequentia videamus.

E

F

Et omne sacrificium similæ quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis à quo offertur siue oleo conspersa, siue arida fuerit.

Superius cum sacrificiorum legem dedisset, sacrificiorū partem maribus stirpis Aaron concessit edendā. Sed quoniam minime determinauerat, quis quam tolleret: nunc q; de hostia pro peccato & pro delicto dixerat, ad sacrificia transfert, dicens. *Omne sacrificium similæ quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis à quo offertur.* Notanda vero locutio est. Quisquis enim superiorem sacrificiorum descriptionē relegerit, manifeste reperiet sacrificiorum partem Domino incēdi, partem autem filijs Aaron deputari. Nunc tamen non dicitur, omnis sacrificij pars eius erit sacerdotis, à quo ipsum sacrificium offertur: sed *omne sacrificium*, totū videlicet pro parte ponens, quæ locutio græca appellatione synecdoche nuncupatur. Et litera quidem sic stare poterit, si tamen spiritualem sensum respiciamus, videbimus quia non aliter dici o-

G

portuit. Cum enim prius de sacrificiorum partitione ageretur filijs Aaron partem *sacrificiorum* concessit lex: non hūc aut illum qui acciperet designans, sed filios Aaron in differenter insinuans. Vbi intelleximus quod mens religiosa q̃ per sanctam similam exprimitur, non sic spiritualibus suis studiis debet occupari, vt proximorum, qui filij sunt summi sacerdotis, necessitates cōtemnat: sed omnium, prout potuerit, vtilitatib. studeat impartiri. Nunc autē cum sacerdos qui sacrificium offert, introducitur, & illi sacrifici[illegible] habendum decernitur: nō nisi doctores ecclesiastici intelligi possunt, & longe alius sensus est. Sicut enim de hostia pro peccato & pro delicto diximus, ita & in hoc loco docemur: q̃ quicunque proximum ad vitæ sanctitatem erudit, bonā sibi mercedem in* futurum acquirit. Nō igitur sacrificij pars *futuro ei fuerat assignanda, nisi [illegible]te a parte totum intelligeretur, sed ipsum sacrificiū: qm̃ quicquid boni alius nostra cooperatione & cohortatione consumat, totū in nostram gloriā & mercedē redūdat. Vnde Apost. Thessalonicensib. loquitur dicēs: 1. Thes. 2. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum Iesum estis in aduentu eius? Vos .n. estis corona nostra & gaudium.* Sed quid est quod de simila dicitur,

H

siue oleo conspersa, siue arida fuerit? Et quidē si ad superiora recurramus omnia similæ sacrificia, & illud quod in clibano coquitur, & ea q̃ in craticula aut in sartagine præparantur, oleo conspergi præcipiuntur. Cur igitur de simila sacrificiorū dicitur, siue oleo conspersa, siue arida fuerit: quasi quædam sacrificia oleo cōspersa sint, quædam vero non sint conspersa? Sed notandum q; sacrificiū de clibano & de craticula, quanquam oleo cōspergātur, non tamen olei frixura coquuntur. Ad comparationem itaque sacrificij sartaginis, quod post olei conspersionem in oleo frigitur, & post olei frixionem minutatim diuisum, tertio quoque superfunditur oleo, illa duo clibani & craticulæ, arida vocantur. Vnde forsitan hic coniunctim commemorantur, cum in prima descri-

A ptione separatim posita, sacrificio sartaginis interposito, inueniantur, sed nec à mysterio eadem vacant verba. Nam & in sacrificiis spiritualibus quædam arida, quædam vero olei admixtione pinguia deprehenduntur. Sicut enim oleum lætitiam spiritualem designat, iuxta illud Psalmistæ, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*: aridam similam offerunt, de quib. dicitur: *Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*, quod quidem de infirmioribus Christi membris dictum videtur. Non enim in lachrymis seminabat ille ipsius Christi magnus præco, quando dicebat: *Ego iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De* * *cætero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Hæc verba, quantum intelleximus, exultantis sunt, non plorantis. Offert ergo similam aridam, qui mentem infirmam adhuc sub tribulationis pondere ingemiscentem, ne deficiat, consolatur. Offert vero oleo impinguatam, qui ad illam spei certitudinem sua exhortatione proximum prouehit, vt dicere cum Apostolo possit: *Gloriamur in tribulationibus*. Et, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Et hæc autem & illa acceptus est: quia qui proximo in virtutibus eius cooperatur, earundem virtutum cum operante coronam patitur. Sequitur,

Psal. 44.
Psalm. 125
2. Tim. 4.
* rel. quo
Rom. 5.
Rom. 8.
B

Cunctis filiis Aaron æqua mensura per singulos diuidetur.

Quæritur quomodo æqua esse poterat, cum vnusquisque eius quod offerebat, sacrificii partem sortiretur. * Aut credibile est, nunquam plura vnum offerre quam alium? Siquidem per dies forsitan vel hebdomadas ministrant. Et cuicunque contigisset tempore vicis suæ tabernaculum populi deuotione amplius in muneribus frequentari, offerebat, vnde & plures partes accipiebat. Non igitur in quantitate partium, sed in dignitate accipientium, æqualitas illa seruabatur. Si enim eligeretur, qui plus quam cæteri definita obseruatione acciperet: alius, qui minus, nõ esset ibi æqualitas, vbi personarum acceptio esset. Cum vero lex communis circa omnes seruatur, vt vnusquisq; quod offert hoc habeat: dum nulli quicquam de suo iure subtrahitur, nec alicui quod alter debeat habere, cõfertur, æqua mensura per omnes ducitur. Nam licet aliquis dum plura offert, plura accipiat, non tamen in hoc aliis præfertur: quia & alii cuius tempore ministerii sui quodcunque contigerit offerre, cõceditur omnium partes suscipere. De ministris quoq; ecclesiasticis q spiritualia Deo sacrificia offerunt, eadem ratio habenda est. Et in ipsis nanque æqua seruatur mensura, cum licet qui plus laborauerit, plus mercedis accepturus sit, absque vlla tamen defraudatione operis sui, vnusquisq, quod agit, hoc recipit. Vides consortium tuum ampliori mercede donatum? Noli indignari, nulla est personarum acceptio apud Deum. Si vis parem mercedem, noli esse piger ad parem laborem. Potes & tu æqualem coronam accipere, si volueris æqualiter laborare. Hucusque Deo duce, prosperis auris cucurrimus: sed quoniam aeris intemperies & horarum breuitas manus amodo nostras impedit, à quibus & styli & calami labor exigitur, interim tempori cedendũ est. Quod si diuina clementia nobis vitam concesserit, & tempus reddiderit opportunum ad percurrenda quæ restant velis reparatis, qui tractatu præcedenti vix portum relinquimus, maris huius vasti etiam vlteriora tẽtabimus.

* An.
C
Rom. 2.

D

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER QVINTVS.

Quæ sit lex hostiæ pacificorum.

CAP. I.

GRatias * omnipotenti Deo qui nostra dispensat tempora, cuius beneficio (vt speramus) serenioris huius auræ opportunitatem attigimus. *Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores visi sunt in terra nostra*: ergo quod coeptum † officium etiam lingua nostra. Cum legislator omnia quæ primo tractauerat, recapitulare proposuisset: hactenus holocaustorum legem, sacrificiorum, sed & hostiarum pro peccato, prosecutus est. Vbi & hostiam pro delicto, de qua prius nihil dixerat, adiunxit. Restat vt & hostias pacificas simili modo retractet: & quicquid primus tractatus super his minus habuit, nunc consummet. Sequitur ergo:

* Ago omnes.
Cant. 2.
E
† opus.

Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admixtione conspersas, panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis.

Veniat in mentem, quia cum peccata nostra separent inter nos & Deum nostrum, mediator noster Christus Dominus medium hunc parietem soluit, dum nos sanguinis sui effusione à peccatis nostris abluẽs, patri reconciliauit. Vnde de eo dicitur, *quia ipse est pax nostra*. Tantam ergo illius gratiam qui plene intelligunt, si ingrati nolunt esse, quib. obsequiis, quave deuotione beneficiis eius respondeant, lex hac prima sanctione declarat. Sed quoniam & *vnusquisque nostrum pro salute sua satagere debet*, & quod potest agere, vt ad Dei pacem digna conuersatione pertingat, iuxta illud quod de vnoquoque electo suo ipse Dominus per Prophetam loquutus, dicens. *Pacem faciet mihi, faciet pacem mihi*: denuo lex ad eas quas iamdudum proposuerat, victimas pacificas redit: & multa super his quibus primo supersederat, decernit. Nos igitur hanc quæ præmittitur hostiã gratiarum, eodem quo describitur ordine prosequentes, singula quę de ea dicta sunt, discutiamus. *Hæc est*, inquit, *lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento, conspersos oleo*. Animaduerte quod cum hostiarũ pacificarum legem proposuisset, repente quasi in aliud se transferẽs: *Si pro gratiarum*, inquit, *actione fuerit oblatio*. Puto, in mentem ei venit, quod antequam nos pacis nostræ curam haberemus, alter misericordia præuenit nos qui sanguine suo pacem nobis restituit, cuius inenarrabili gratiæ, si quis eam plenius intelligeret, non paruo deuotionis affectu respondendum foret. Legem ergo pacificorum proponens, hostiam gratiarũ præmisit, tanquam diceret, Ego quidem quo conuersationis genere vnusquisq; ad pacem diuinam redeat, executurus sum: primum tamẽ ei qui salutis nostræ præcipua causa est, quæ dilectionis seu obsequiorum recompensatio debeatur, aperiam. Dicat ergo: *Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absq; fermẽto*. Quid p panes intelligendum sit, supra diximus, cum de sacrificiis tractantes, vbi lex post similam panes de clibano subiungit, sanctos martyres accepimus: qui tribulationis igne vndique circundati, & ibidem quasi in clibano decocti, in Christi viscera quasi ab eo comesti, in cœlestem scilicet illam angelorum societatẽ translati sunt. Quomodo igitur pro gratiarum actione id est, pro beneficiorum diuinorum quadã recõpensatione, nos panes istos debeamus offerre, Ioannes in epistola sua declarat, dicens: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ipse prior pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Ac si patenter diceret: si tantæ gratię eius ingrati non sumus, offeramus ei panes, vt eundem quem pro nobis ipse passus est, nos pro eo seu pro membris illius ignem tribulationum sustineamus. Panes vero illi absque fermento erunt, vt videlicet quod patimur, sine culpa nostra patiamur, iuxta illud beati Petri Apostoli: *Nemo (inquit) vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*. Item: *Quæ enim gloria est si peccantes & colaphizati suffertis? sed si benefacientes & patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. *Conspersos (inquit) oleo. Si enim tradidero corpus meum vt ardeã, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Et lagana azyma vncta oleo*. Lagana in sartagine frigebantur. Per hæc igitur feruorẽ zeli spiritualis superius in sacrificiis designari ostendimus ab eo itaque qui beneficiis diuinis gratias rependit, lagana offerenda sunt: quia quicunq; caritate diuina tangitur, cum contemni Deum à peccatoribus videt, zeli sui feruore contra eos accenditur. Vnde est illud: *Vidi præuaricantes & tabescebam, Quia eloquia tua non custodierunt*. Et, Ta-

Isa. 59.
Ephes. 2.
F
Eccles. 9.
Isa. 27.
G
1. Ioh. 3.
H
1. Pet. 4.
1. Pet. 2.
Matth. 5.
1. Cor. 13.
Psal. 118.
Ibidem

A *hescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Sed quia zelus iste ad malorum increpationem iustos quos vrit, solet excitare: cauendum autem summopere est, dum alium quemlibet peccantem arguimus, ne dum quasi corrigere eum videmur, iracundiæ nostræ satisfaciamus: ideo lagana ista azyma esse iubentur, à malitiæ videlicet fermento aliena. Item quia licet pia intentione hoc agatur, modus tamen adhibendus est, & zeli ipsius feruor temperandus, ne scilicet mens delinquentis ad impatientiam decidat, dum sine mensura increpationem aduersum se deseuire considerat: additur, *vncta oleo.* Oleo siquidem lagana nostra vngimus, cum in ipsa increpatione mitius agentes, inter verba aspera quasdam blanditias, quibus caritas interior innotescat, admiscemus. Vnde B. Apost. discipulum suum admonens, ait: *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes: patientem cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, &c.* 2.Tim.2. Nam quod zeli intemperantia caritas soleat amitti, habes in Apocalypsi Ioannis: vbi dum Angelus Ephesi laudaretur, quia malos sustinere non posset, continuo subiungitur: *Sed habeo aduersum te pauca quod caritatem tuam primam reliquisti.* Apoc.2. *Coctamque,* (inquit) *similam.*

B Quid in hoc loco per similam, nisi diuinorum beneficiorum recogitatio accipitur? Hæc enim aliarum oblationum radia & fundamentum est. Ille quippe vel pro Domino pati, vel zelo eius accendi poterit: cui, quantum à Domino gratiæ consecutus sit, mente non excidit. Vnde Apostolus ad Hebræos scribens: *Recogitate,* inquit, *eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Heb.12. Hæc autem simila cocta esse præcipitur, vt hæc scilicet meditatio assidue in cordib. nostris versetur. Sicut enim ait beatus Gregorius in quadam homilia paschali, vbi de coquendis agni carnibus agit, omne quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus. Quia vero omnis qui Deum diligit, etiam proximos, si quos à fide illius viderit alienos, ad cognitionem eius & amorem attrahere prædicando non negligit, recte subiungitur: *Et collyridas olei admixtione conspersas.* Cullyrida siquidem, quam alijs in locis lex crustulam vocat, panis erat crustas solas & vix aliquid micæ interioris habens. In hac ergo simplex doctrina intelligitur, quæ non mysteriorum interna, sed tantum inchoa-

C tionis Christi sermonem rudibus adhuc auditoribus tradit, iacendo fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum resurrectionis mortuorum & iudicij æterni. Heb.6. Hanc doctrinæ formam se apud Corinthios seruasse testatur Apostolus, cum dicit: *Non enim iudicaui scire me aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* 1.Cor.2. Collyrida vero ista olei admixtione conspergitur, cum doctores nostri non indoctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus loquuntur. Ibidem. Sequitur: *Panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis.* Videant literæ sectatores, qualiter, hunc locum transeant. Si enim literæ hæreamus, lex hic sibi contraria sancit. Nempe supra cum de sacrificijs ageretur, sic legimus: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet: nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Leuit.2. Quid est igitur quod panes fermentati in hoc loco præcipiuntur offerri? Ipsa literæ repugnantia, nos ad spiritualem sensum compellit. Edocti enim ab Apostolo, omnia hæc figuraliter dici, intelligimus aliud esse fermentum malitiæ & nequitiæ, de quo ipse præcipit, dicens: *Epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ,* quod & lex ab omni dominica oblatione excludit: 1.Cor.10. 1.Cor.5.

D aliud, de quo in euangelio legitur, quia *simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.* Matth.13. Luc.13. Mulier siquidem illa aut Ecclesia est, quæ fidei diuinæ fermentum tribus mundi huius partib. commisit, donec multiplicatio fidelium numero, totum occuparet: aut vnaquæque fidelis anima, quæ fidem eandem intra pectoris sui recessus conseruat, donec ex toto corde, ex tota anima, ex tota *mente Deum diligere discat. †Sic & in hoc loco cum panes fermentatos iubemur offerre, non ad illud fermentum mente recurrimus, quod lex à diuinis remouit sacrificijs: sed hoc solum aduertimus, quod panis cui fermentum immittitur, non in ea exilitate remanet qua azymus esset: sed crustas suas ab inuicem separans, micas extendit & ampliat. In his ergo doctrinam, non iam illam primam, quæ fidei simplicitate contenta est, sed eam potius intelligimus, quæ ad mysteriorum disputationem transit, & interna scripturarum proficientibus discipulis tradit.

*virtute
†Sed

E Post collyridas ergo panes fermentati sequuntur: quia post fidei rudimenta, prudens doctor dum auditorum suorum intellectum augeri perpendit, profundiora quæque & mystica libentius eis committit. Vnde & Paulus cum præmisisset quod iam commemorauimus, *Nihil me iudicaui scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: sapientiam autem,* inquit, *loquimur inter perfectos.* 1.Cor.2. Et Dominus in Euangelio, cum in Petri nauiculam ascendens, iussisset ei à terra reducere pusillum, indeque allocutus esset turbas, continuo subiunxit, *Duc in altum:* manifeste insinuans, facilia prius & quæ via à terrena conuersatione discrepent, populis prædicanda: dehinc si qui eorum capaces apparuerint, secretorum notitia non fraudandos. Luc.5. *Et panes* (inquit) *fermentatos, cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis.* Igitur hostia gratiarum pro pacificis immolanda est: quia dum pro pace nobis reddita ei qui pacis nostræ autor est, gratias agimus, hostiam ipsi offerre debemus: cui omnia quæ modo prænotata sunt, panes scilicet azymi conspersi oleo, & lagana azyma oleo vncta, coctaque simila, cum collyridis panibusque fermentatis, adiungenda sunt.

F Quæ est hæc hostia, nisi quod immolat semetipsam anima, quæ dum Dei morte saluatam se recolit ipsa per eius caritatem à visibilium amore occumbit? *Valida est enim vt mors dilectio,* Cant.8. quia sicut mors corporis à corpore animam separat, sic Dei amor in anima vitæ præsentis voluptatem mactat. Ad huius vero hostiæ oblationem nos hortatur Apostolus, cum dicit: *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* id est mortui esse debent. *Et vnus* (inquit) *pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* 2.Cor.5. Quid vero de panib. fermentatis lex subiungat, audiamus.

Ex quibus vnus pro primitijs offeretur Domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem.

Scriptum est, *Non potest homo à seipso accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cælo.* Ioan.3. Sed cum in omni bono opere misericordia diuina præueniat nos, si quærat homo quid ei retribuat, non inuenit, nisi & hoc ipsum à Deo accipiat. Itaque diuina largitas & beneficijs suis nos obligat: & obligatos, ne ingrati remaneamus, eiusdem gratiæ suæ multiplicitate nos adiuuat. *Quid retribuam Domino,* ait Psalmista, *pro omnibus quæ retribuit mihi.* Psalm.115.

G Cumque calix salutaris quem retribueretur, æstuanti recurreret, non de eo dicere præsumpsit, reddam: nisi præmisisset, accipiam. Vnde & legislator cum multa enumerasset, quæ homo gratus saluatori suo rependere deberet: quod de nouissimo subintulit, de cæteris omnib. intelligendum reliquit. Ait namque de panibus fermentatis: *Ex quibus vnus pro primitijs offeretur Domino.* In cuius oblatione quid aliud significatur, nisi doctrinæ gratiam quæ per illos panes designata est, principium & originem habere à Domino? *Dominus enim dabit verbum euangelizantibus.* Psalm.67. Et Apostolus: *Quid,* inquit, *est Apollo? quid vero Paulus? Ministri eius cui credidistis & vnicuique, sicut Dominus dedit.* 1.Cor.3. Hoc igitur & lex satis apte significat, cum de panib. prædictis vnum pro primitijs offerendum sequestrat. Sed quid est quod de eodem pane præcipitur, & *erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem?* Quis est sacerdos qui hostiæ nostræ sanguinem fundit? Et quidem si priorum meminerimus, per sanguinem hostiæ appetitus noster interior designatur. Sicut enim caro nostra sanguine suo viuit, sic appetitus animæ eandem aut spiritualiter aut carnaliter viuere facit. Si enim carnalibus concupiscentijs obtemperauit, carnalis erit. Quod si spiritualibus rapiatur, *itidem spiritualis efficitur.

*eadem

H Funditur ergo hostiæ nostræ sanguis, cum à nobis appetitus carnalis excluditur. Quod summus pontifex apud nos agit: quia Christus per gratiam suam nos sanctificans, & per Spiritum S. charitatem suam in cordib. nostris diffundens amorem mundi huius à nobis repellit. Idem vero qui leuat ab imis, prouehit ad summa: & qui purgat vitijs, ditat virtutibus. Vnde & in Iob legitur: *Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos:* Iob.28. per terram quippe, terrea conuersatio: per silicem, boni operis fortitudo: per torrentes vero aureos, doctrinæ cælestis affluentia designatur. Pro terra itaque silicem dat cum carnalem & abiectam vitam bonæ operationis fortitudine mutat. Pro silice quoque torrentes aureos præstat, cum boni operis laborem, cælestis sapientiæ mercede remunerat. Dicatur ergo de pane primitiarum, Eius erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem: vt intelliga-

A telligamus, ad mediatoris gratiam pertinere, non solum quod vitia nostra nos deserunt, sed maxime quod malis

*eis. nostris decedentibus, bona * eius succedunt. Sequitur:

Carnes carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane.

Diem vnam, totam hanc vitam dici, habemus in psal-
Psalm.85. mo, vbi legimus: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui.* Diem quippe tribulationis suæ, dixit vitam præsentem, quæ tota tentatio est. Secunda vero erit dies in æterna vita, iuxta
2.Pet.1. illud B. Petri: *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat.* De huius mane diei dicitur in psalmo: *Ma-*
Psalm.5. *ne astabo tibi.* Carnes igitur hostiæ nostræ prima die edẽdæ, nec in mane sequens relinquendæ sunt: vt quicunq; per amorem diuinum mortificare se nititur, cõplere quod aggressus est, non moritur: quoniam quicquid minus hic egerit, postquam mane futurum illuxerit, perficere non valebit.
Exod.12. Tempus quippe tunc non erit operandi, sed quod egeris recipiendi. B. Gregorius cum de agno pascali præceptũ legis exponeret, vbi dicitur, *Non remanebit ex eo quicquam vsq;*
B *mane*: Christum, inquit, dicta magna sunt solicitudine discutienda, quatenus priusquam dies resurrectionis appareat, in hac præsentis vitæ vocatione, omnia mandata illius intelligendo & operando penetrentur. Item cum de panibus azymis, qui cum agno edi solebant, loqueretur. *Panes*, inquit, *sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet.* In quibus tanti Doctoris verbis satis apparet, quid sit carnes hostiæ comedere: seu quod præcipimur, de eisdem carnib. nihil in crastinum reseruare. Sed de hostia gratiarum hæc sufficiant, nunc sequentia videamus.

De hostia quæ voto vel sponte offertur.

CAP. II.

*quispiã. *SI voto vel sponte * quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet.*

Postquam legislator gratiarum hostiam quam præmit-
C tere voluit, pertractauit: iam ad hoc accedit quod primũ proposuerat, vbi dixit: *Hæc est lex hostiæ pacificorum.* Ipsas ergo hostias pacificas hinc retractare incipit, dicens: *Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die.* Magna est inter Deo seruientes distantia. Quidam namq; perfectiores, hoc ipsum quod ad obsequium sui creatoris assumpti sunt, omnibus huius mundi diuitiis & honorib. anteponunt, illamq; vocem sui capitis, etiam suam faciũt:
Ioan.10. *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est.* & complent in eis quod Apostolus de se suique similib. testatus est, dicẽs:
1.Cor.2. *Nos spiritum non huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Hi itaque quanto plenius gratiam diuinam intelligunt, tanto magis vt seruiant, instant: & tamen licet quæ præcepta sunt, faciant om-
Luc.17. nia, seruos se inutiles vocant. Sentiunt enim, quod beneficia Dei compensare non possunt vllis obsequijs. Hoc affectu agebatur B. Apostolus, qui enim præmisisset quod Deus pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illum: & quia ipse filius mortuus est & resurrexit, & ad dexterã Dei est, & ibi interpellat pro nobis: tantæ beni-
D gnitatis consideratione compunctus, exclamauit & dixit:
Rom.8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? Certus sum quia neq; mors, neque vita neq; creatura aliqua poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Inde est, quæ in laude Sion, matris scilicet nostræ ecclesiæ,
Psal.101. canitur in Psalmo, *quia Respondit Domino in via virtutis suæ*, id est in fratribus suis, qui virtutis illius sunt, quique ad mensam magnam sedentes, diligenter considerant quæ apponuntur tibi, scientes quia talia eos oportet præparare. Istis
Prou.23. igitur lex gratiarum hostiam ascribit, qui magno affectu in Deum currentes, monitione & adhortatione humana nõ indigent, sed & si quid impedimenti se ingesserit, impetu suo obstantia cuncta dirumpunt. Sunt alij longe ab his dispares, qui voluptatib. carnalibus diutius assueti, & vinculis earum tenacius irretiti, audiunt vocem diuinam in ec-
Ephes.5. clesia, & Apostolum clamãtem: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Excitantur ergo quandoque cooperante spiri- E tu Dei, & vt pacem cum Deo reforment, redduntur solliciti. Aegre tamen veniunt, & nutantibus adhuc vestigiis, quia pristinæ conuersationis adhuc visco grauati, nondũ illa feruntur vehementia. Horum igitur infirmitati se cõ-
format Apostolus, maternisq. blanditus circa eos vtitur, *2.Cor.5.*
dicens: *Legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Huiusmodi ergo adhortationibus animati, primum quidẽ voto, deinde sponte hostiã Deo seipsos immolant. In initio namq; * *conuer-
conuersationis suæ, voluptatum memoria quibus assueuerant, acrius impugnantur: sed contra seipsos rigidi, & voti sationis.*
sui non immemores, in proposito quod aggressi sunt, fortiter perseuerant. Primo itaq; quæ sit voluptas spiritus pene ignorantes, voti tamen sui sponsione ad carnis suæ mortificationem adstringuntur, donec ad charitatẽ perueniãt
illam quæ foris mittit timorẽ, per quã vniuersa quæ prius *1.Ioan.4.*
non sine formidine obseruabant, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiant custodire, quod est
sponte hostiam suã Deo offerre. Omne enim ad quod pro- F
prio ducimur affectu, sponte agimus. Quod vero contra voluntatem nostram exequimur, in hoc etiam si non alius nobis, tamen nosipsi nobis violenti sumus. Nec solũ in vitiorum mortificatione, verũ & in bonorum operũ executione, quid voto, quid sponte agatur, discernendũ est. Qui-
dam enim dum pauperum necessitati subueniũt, iusti illi' *Iob.29.*
viscera in opere suo repræsentant, quia ait: *Pater eram pauperum.* Quidam vero non quod eosdem pauperes diligant, sed quia si minime tribuant, iram superni iudicij formidãt, multa pauperib. largiuntur. Hos igitur ad opera misericordiæ non egestatis alienæ compassio, sed voti sui necessitas, quod scilicet præceptis diuinis se obedire spopónderunt, astringit. Et vt beatus in hoc loco testatur Gregor. aliud est bonũ opus ex præcepto facere, aliud ex affectu. Minor ergo qui voto, quã qui sponte hostiam Deo offert. Nec tamen qui sponte offert, statim illam perfectionem humilitatemve, quam lex supra in hostia gratiarum descripsit, assequitur, nonnunquam etenim licet bona quæ præualet, libenter operetur: dum tamen non cogitat quanta plura debeat, & G
quia quod agit, non Deo prodest, sed sibi: *Dixi enim* (inquit) *Psalm.15.*
Domino, Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges: meritum suum immoderate præfert: & cum non omnia, sed quædam quæ præcepta sunt agat, nõ tamen seruum se inutilẽ vocat. Hactenus, qui sint qui voto, & qui sponte Deo offerant hostiam, seu in quo isti ab hostia gratiarum discrepent, prolixius forsitan quam modus exigeret, executi sumus. Hanc tamen moram venia dignã existimamus, quia dum putei huius fluenta exhaurire, & ad fundum eius pertingere nitimur, vena diues citius nos lassare potuit, quam deficere. Nunc igitur cur his hostiis vt comedi debeãt, biduum lex assignet, cum supra hostiæ gratiarum non nisi vnum dederit diem, declarandum est. Sic enim dicitur: *Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, eadem similiter comedetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet.* Notum est omnibus, vitam iusti, diem vocari, iuxta illud quod ad iu-
stitiam conuersis peccatoribus dicitur: *Fuistis aliquando tene- Ephes.4.*
bræ, nunc autem lux in Domino. Duo vero sunt sanctæ conuer-
sationis genera, imo (vt ita dicam) duæ sunt sanctorũ vi- H
tæ, actiua & contemplatiua. Hæc in duabus Iacob vxoribus in duabus Lazari sororibus, in duobus diebus quos
apud Samaritanos fecit Iesus designatæ sunt. Ibi † nempe *Genes.29.*
præfiguratum est, corpus eius, id est, ecclesiam quæ ex alie- *Luc.10.*
nigenis congregandã erat, vtroq; modo Deo seruituram. *Ioann.4.*
Nonnunquam ergo bonum quod actiua inchoat, cõtem- *†nanque.*
platiua consummat. Martha quippe quandiu solicita est &
turbatur erga plurima, fieri non potest, vt non ex occupa- *Luc.10.*
tionis suæ puluere quantulascunq; contrahat sordes culpæ. Ipsa quoq; exterior occupatio, quia ab intimo suo extrahit animam: minus quæ apud se intus vitia lateãt, videre permittit. Cõtemplatiua verò, quæ ab exteriorib. interius reuocat mentem & multas occasiones delinquendi subtrahit, & eam perspicacius sibi ostendit. Ista igitur sanctitatem consummat, ista pacẽ integram orationis & sanctæ meditationis studijs cum Deo reformat hoc igitur in

A legē figuratā existimo, cū ei qui voto seu sponte hostiā Deo offert, duo dies in quibus eiusdē hostiæ carnes comedi debeant, conceduntur. In primis namq; homines cum à seculari conuersatione recedunt, actiuę vitę exercitiū habēt necessarium, in quo tñ cum perfectionis culmen nequiuerint attingere, ad contemplatiuam transire licebit: in qua tanquā in die secunda, quod minus sanctitatis prima habuerat, acquiri poterit. *Quicquid vero tertium inuenerit dies, ignis absumet.* Post hæc enim duo religionis genera, quę in hac vita habētur, solum retributionis tempus quod post vitam futurum est, relinquitur: cui si carnes hostiæ nostræ reseruētur, ignis eas ne comedi debeant, absorbebit: quia si quicquam eorū quæ geri oportet, in tempus illud distulerimus: vis diuini iudicij, vt amplius expleri valeat, nobis facultatē negabit. Hoc autem biduum hostiæ gratiarum lex non indulsit: qa quicumq; perfectionem quæ in hostia illa descripta est, assecutus fuerit: non iam secundum diem quę perficiatur, sed æternum quo remuneretur, expectat Sequitur:

B *Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti.*

Quis sit dies tertius, quo nec carnes victimæ pacificorum, iam satis dictum est. Locutionis autem scripturarū est, nonnunquam voluntatem pro opere accipere: vt in Iob legi- Iob. 9. tur, *Quis restitit Deo, & pacem habuit?* Restitit namq, dictum est, quasi resistere voluit. Resistere enim Deo nemo potest. Exod. 8. Et de magis in Ægypto scriptum est: *Fecerunt sicut Moyses vt educerent cyniphes, & nō potuerunt.* Fecerunt, id est, facere conati sunt. Multi reperiuntur huiusmodi. Quamobrem cum legis, *si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit:* ne sic accipias, quasi aliquis ex eis tunc possit comedere, sed quoniam multi dum tempus habēt opportunum, pigri sunt ad benefaciendum: die vero tertio cum iustos remunerari viderit, steriles se fuisse gementes, boni operis laborem (si facultas detur) magnopere affectabūt, voluntatem illam secam lex pro opere posuit, cum dixit: *Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti.* Ac si diceret: Si quis dū sibi vacat, ad opus iustitiæ piger, tunc cum iam tempus transierit, bona voluerit operari: Eccles. 9. C irrita fiet eius deuotio, nec proderit offerenti. *Quodcunque* (ait Salomon) *potest manus tua facere, instanter operare:* quia nec opus, nec ratio est apud inferos quo properas. Aut certe qa carnes pacificorum sunt misericordiæ opera, quibus in gratiam creatoris post culpā reducimur, Illi carnes hostiarum nostrarum comedūt, qui eleemosynas nostras in vsus proprios suscipiunt, & per eas sustentantur. Sed si quis tunc comederit, id est, si nos hic ad compassionem duri, cū miseria in his quibus subueniri possit, iā non erit, sero misericordes esse voluerimus, irrita fiet hæc oblatio. Quia vero non solū huiusmodi voluntas tunc inutilis est, sed etiā praua opinio nunc plurimum noxia, si quis æternitatis tempore hæc nostræ mortalitatis subsidia credat esse necessaria, quod à quibusdam Millenarijs, qui mille annos carnalis conuersationis post resurrectionem inducere conati sunt, satis pueriliter disputatum est, apte subiungitur:

Quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit.

1. Cor. 15. D Contaminatur enim fides nostra, si de gloria immortalitatis tā carnaliter senserit, vt postq̄ absorpta fuerit mors in victoriā *postquam corruptibile hoc induerit incorruptionem.* beatos iam & sanctis Angelis coæquatos, rursus ad concubitus immunditiā, ad ventris & gutturis illecebras existimet esse redituros. Sed quoniam quo tempore comedendę sint carnes victimarū nostrarum, audiuimus: nunc quam syncere, & sine criminis alicuius admixtione exercenda sint misericordiæ opera, doceamur. Sequitur:

Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur sed comburetur igni.

Caro victimæ nostræ immundum tangit, cum opus pietatis flagitij alicuius aut facinoris crimini admiscetur. Vnde vir S. Iob opera sua enarraturus, quæ misericorditer indi- Iob. 29. gentibus impenderat proximis, præmisit dicens: *Iustitia indutus sum.* Ille quippe bene agit quæ pia sunt, qui curat prius seruare quæ iusta: vt collatus in proximos nuꝰ misericordię de iustitiæ fonte ducatur. Nā multi pauperibus quasi opera misericordiæ impendūt, sed iniustitiæ facta non deserūt. Qui si veraciter proximis misericordiā facere studerent, sibiipsis E prius debuerant iuste viuē do misereri. Vnde scriptū est. *Mi-* Eccli. 30. *serere animæ tuæ placens Deo.* Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc iniuste viuēdo fit impius sibimetipsi? Vñ per quendā sapientem dicitur: *Qui sibi nequā est, cui bonus erit?* Eccle. 14. Lōge incomparabiliter melior est homo quā res. Qui ergo indigenti proximo exteriorē substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia nō custodit, rem suā Deo tribuit, & se pctō. Tunc vero est apud Deum oblatio veræ rectitudinis, cū de radice iustitiæ prodeunt rami charitatis. Quo contra de superbo & impio diuite, per Eliphaz dicitur: *Non credat frustra* Iob. 15. *errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* Quoties (ait B. Greg.) post culpam eleemosynas facimus, quasi pro prauis actibus pretium damus. Nonnunquā vero diuites elati, inferiores opprimunt, aliena rapiunt, & rō quasi quædā alijs largiuntur. & cū multos deprimant, aliqñ quibusdam quasi opem defensionis ferūt: & pro iniquitatibus quas nunquā F deserunt, dare pretiū videntur. Sed tunc eleemosynæ pretium nos à culpa liberat, cū perpetrata plangimus & abdicamus Nam qui & semper peccare vult, & quasi semp eleemosynam largiri, frustra pretium tribuit. quia non redimit animā, quā à vitijs non compescit. Dicatur itaque; *Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni:* quoniam eleemosynæ quas alicuius criminis commixtio polluit, à Deo non suscipiuntur, quin potius æternis ignibꝰ deputantur. A patribus quoq; hoc obseruatum est, vt quicunq; capitalis alicuius culpæ reus publice conuinceretur, donec resipisceret, oblationes eius ab ecclesia non susciperentur. Qui rō latent vt iudicium fugiant humanū, nec censura reijciantur ecclesiastica, diuinum (vt diximus) latere non possunt. Dictum est, quando & qualiter edi debeat hostia pacificorum: dicatur & à quibus.

Qui fuerit mundus, vescetur ea.

Non ad illam, quā tactu immundi immundam factā dixerat, hoc referendum est: sed quoniā de carne sanctificata præceperat, vt nihil tāgeret immundū, addidit quoq; vt nō nisi à mundis comedi debuisset. *Qui fuerit* (inquit) *mundus, vescetur ea.* Cum carnes huius victimæ sint opera misericordiæ, quas comedere intelligitur, quicunq; per eas sustentādus, in vsus suos illas suscepent, cū præcipit lex, vt qui mū- G dus est, vescatur eis, illud accipio quod alibi legitur: *Si bene* Eccli. 12. *feceris scito cui benefeceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Da bono & non recipies peccatorē. Benefac humili, & non dederis impio.* Vbi tñ non hoc intelligendū est, quasi misericordiæ nostræ largitas vel ab impijs & peccatoribus reuocetur, cum potius voce dominica cœlestis patris exemplo, *qui solem suum oriri* Matth. 5. *facit super bonos & malos,* moueamur etiam inimicis benefacere, sed quod quibuscunq; fideliū substantia rogatur, aut quia iam iusti sunt, aut certe si nondū sunt, vt esse quandoque possint, vita eorum mortalis, piorum liberalitate sit sustentanda. Sic enim, etiam cum impio damꝰ ea intentione, vt quandoq; ad pietatem conuersus, & ipse in nostro numero deputetur; non impio damus, sed ei quem ex impio fieri cupimus. Vbi si quis est qui sanctū se simulet, cum immundus sit, & dantem fallat vt aliquid accipere mereatur: aut certe si iniquum eum esse constat, nec iustorum liberalitate potest ab iniquitate compesci, iste est qui carnes sanctas pollutus comedit. Hic igitur attendat quid sequatur, vt ex H diuinæ legis sententia audiat quid meretur:

Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populo suo.

Nā & qui se corā hominibus iustificant, cum intus pleni sint hypocrisi & iniquitate, & comedunt domos viduarum Matth. 23. oratione longa orantes: vnde & est de his Dñs, quod amplius Luc. 20. accepturi sunt iudiciū, & hi de quorū peruersitate constat, qui tñ iustorum misericordia sustentantur, vt quandoque conuersi corrigantur: si tanta abutuntur benignitate, vt in malitia sua perdurantes, incorrigibiles persistētes, testatur de eis Apostolus, *q thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Ego tñ hanc legalem sententiam magis ar- Rom. 2. bitror ad ecclesiasticos viros pertinere: qui q altari deseruiunt, de altari participantur; *qui peccata populi comedunt,* quia 1. Corint. 9. oblationes quas pro peccatis suis populꝰ Deo offert, in vsus Ose 4. proprios accipiunt: vt scil. pro eisdem peccatis apud Deum intercessores effecti, Deum hominibus intercessionibꝰ suis

A concilient. Hi itaq; si ad te propitiandũ populo Deum cõstituti, motum suorũ peruersitate eum exacerbẽt: nulli dubiũ, quin de populo Dei, in cuius medio nunc interim quãquam indigni versantur, sub extremo futuri iudicis examine cum dedecore eijciantur. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* Sed ne quis opere tantum peruerso, & non etiam prauitatis consensu existimaret animam pollui, iuxta quod Apostolus eum de criminalibus ageret, testatus est, dicens: *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus:* lex continuo subiunxit, & ait: **Rom. 1.**

Et quæ tetigerit immunditiam hominis vel iumenti, siue omnis rei quæ polluere potest, & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis.

Quantum ad literam attinet, quæ sit hominis immunditia, aut iumentorũ, siue earum rerum quæ hominũ immũdorum attactu polluebãtur, multifarie in sequentibus declarabitur. Sed vt allegoriam quã cœpimus prosequamur, tangere immunditiam, est quamcunq; alterius iniquitatẽ ex consensu affectare. **B** Homines vero & iumenta, cũ in malam partem accipiuntur, hi sunt, qui sapientia callent seculari: & qui rationis acumine priuati, more pecudum carnis suæ voluptatibus immerguntur. **Psal. 35.** Quorum omniũ quisquis consenserit vitijs, etiam si ab eorum executione occasione aliqua impediatur: homines quidem latet, qui malũ quod per opera non prodit, exterius deprehendere nequeunt: sed Deum qui corda nouit, latere non potest. Et iste igitur à carnium sanctificatarum esu prohibetur: aut si edere præsumpserit, diuino iudicio condemnatur.

Vt adeps bestiarum non comedatur.

CAP. III.

Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, Adipem bouis & ouis & capræ non comedetis.

Per hæc tria animalia, quæ in holocaustis seu hostijs pacificis primo posuerat, quælibet intelligenda est victima quæ Domino offertur. Sed adipis victimarũ esum, iampridem nobis interdixerat in consummatione pacificorum, & hic idem repetijt: *Adipem bouis & ouis & capræ non comedetis.* **C** Tanquam diceret: Cum aliquid boni agitis, ipsum pietatis affectum ne transferatis ad vos, vt vobis illud ascribatis. *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* **Philip. 2.** Breuiter transimus; quia iam supra de hoc ipso plenius disseruimus. Sequitur:

Adipem cadaueris morticini, & eius animalis quod à bestia captum est, habebitis in vsus varios.

Alios esse qui sponte in peccati mortẽ labũtur, alios vero qui inimici fraude decepti moriuntur, & hæc esse animalia quæ lex morticina, id est, per se mortua, aut à bestia asserit capta, iam supra diximus. Adipes igitur horũ, sunt varij affectus, quibus amatores huius mundi, qui Deo mortui sunt, rapiuntur. Sed hos comedere quidẽ non debemus, quia eorũ praua desideria ab omni munda cõscientia repellẽda sunt, in vsus tamẽ varios habere præcipimur. Huiusmodi quippe homines sibi inutiliter viuũt: sanctorum tñ vtilitati deseruiunt. Multi namq; filiorum Dei, quamdiu hac fragili carne vestiuntur, multa habent necessaria, quæ sibi ipsi ministrare non possunt. Verbi gratia: Non possunt sibi domos ædificare, non possunt arare & serere, nec vestes sibi texere valent. Cum hæc igitur omnia opus habeãt, nec tamen sibi **D** eadem præparare * queant; prouidit misericordia diuina, *** valeant.** quæ etiã malis bene vti solet, vt essent aliqui seculi amatores: qui licet carnali intentione hæc didicerint, tamen accepto præmio suo, in huiusmodi sanctorũ necessitatibus obsequantur. Amant itaq; isti præsentia: sed vt ea quæ in hoc mundo cõcupiscunt, valeant adipisci, huiusmodi se exercitijs tradunt. Manifestũ itaque quod adeps ipsorũ, affectus scil. ille quo mundialia quærunt, cum in seruorum Dei non transeat cibum, transit in vsum. Transeo ad illos qui carnis suæ illecebris seruiũt, intueor quia concubitus voluptate carere non possunt, nonnunquam aut ex legitimo connubio aut etiã ex fornicatione suscipiunt filios: qui paternos detestati mores, in sanctitate & religione Deo deseruiũt. Si enim ab initio fides Christianæ totum genus humanum cælibem amplecteretur vitam, iampridẽ mundus habitatoribus ca-

E ruisset: & ecclesia sancta quos ad cœlum transmitteret, non haberet. Ex hoc igitur ipso, quod magna pars hominũ fœmineis carere non potest illecebris: agitur Deo disponente, vt in ecclesiæ filijs bonũ permaneat castitatis. Item sunt aliqui superbi, & honoribus temporalib' inhiant: inde quoq; plerunq; contingit, vt in regimine ecclesiæ constituti, non Dei timore, aut eorũ qui sibi commissi sunt dilectione, sed solius perceptæ dignitatis intuitu, pro ecclesiæ defensione inuigilent. Ipsi quoq; qui ira & odio cõtra bonos desæuiũt, bonorum militant vtilitati, dum patientiæ virtute exercitatis prœmia æterna multiplicant. Inde namq; est quod ipse humani generis inimicus, dum contra Christianum nomen infremuit, tot martyrum millia sua insania coronauit. Dicatur itaque: *Adipem cadaueris morticini & eius animalis quod à bestia captum est, habebitis in vsus varios:* quoniam cum singula mente perlustro, quicquid in hoc mundo etiam à malis geritur, ad bonorum vtilitatem fieri perpendo. Nam & Apostolus hoc testatur, dicens: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* **Rom. 8.** Et Salomon: *Qui stultus est,* inquit, *seruiet sapienti.* **Prou. 11.** **F** Sequitur:

Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.

Duobus modis adipẽ quem Deo offerre deberemus, comedimus: cũ aut in bono nostro opere intentionẽ ad eum non erigimus, vt diuinã quæramus gratiam, sed laudis humanæ pascimur voluptate: aut si recta quidẽ intentio est, ad nos illam referimus: id est, nobis, nõ Deo, ascribimus. Primus itaq; dum iustitiæ suæ mercedem temporalem quærit, iustorum mercede priuatus, à iustorũ etiam populo separabitur. Alter quoq; dum munus Dei sibi ascribit, necesse est vt gratiã perdat, pro qua gratus non fuit. Quod Propheta Dauid etiã sibi imprecatur, dicens: *Si non humiliter sentiebam sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus super matre sua, ita retribues in animam meam.* **Psal. 130.** Quisquis autem iustitiæ meritum perdiderit, certum de eo est, quod & iustorum societate carebit. Deinde lex subiungit:

Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibum, tam de auibus quam de pecoribus.

G Hoc iterum, cum iam prohibuisset, hic repetijt. Sed vt vehementius ab hoc cibo deterruisset, hic quoque addidit:

Omnis anima quæ ederit sanguinem peribit de populis suis.

Si quis plene præcedẽtia recolit, intelligere potest, nonnunquã per sanguinẽ, naturalẽ animæ appetitũ significari: qui aliqñ rectus, aliquando vero reprehensibilis est: rectus, cũ iusta appetit: reprehẽsibilis vero, cũ per carnalia desideria defluit: nonnunquã vero, eo quod in sanguine vita carnis sit, per sanguinẽ, carnale vitiosumq; desiderium exprimi. Communiter quippe per sanguinem appetitus accipitur, cum de auibus holocaustorum præcipit lex, vt rupto vulneris loco, decurrat sanguis ad crepidinem altaris: **Leuit. 1.** vbi intelleximus, appetitum perfectorum, qui ab huius vitæ amore recedit, transire debere ad Christum. Neq; enim carnalis amor ad Christum currere poterit. Alioqui si ad eum accesserit, iam carnalis non erit. Sed naturalis mentis impetus, qui prius per voluptates defluebat, cũ sanctificari homo cœperit, mutato cursu, in affectum spiritualem reflecti valebit. Item per sanguinem, carnalem tantum cupiditatẽ significari intelleximus, cũ lex de victimis boum aut ouiũ sanguinem fundi præcepisset. **H** Sic quippe expressum est, quia quisquis Deo seipsum immolat, necesse est vt à consensu suo prauos carnis motus excludat. Hic itaq; tam ab auium quam ex pecorum sanguine prohibemur. *Sanguinem,* inquit, *omnis animalis non sumetis in cibum, tam de auibus quam de pecoribus.* Doctores sancti cum eruditione sua quenquam ad scientiæ studium prouehunt, quasi spiritualem auem Deo offerunt. Huius autem sanguinem non comedunt: quia amorem discipulorum non conuertunt in se, sed ad Christum transmittunt. Plene enim sponsi iram in seipsum prouocat puer, qui ad sponsæ ministerium deputatus, loco sponsi se amari affectat. Vnde Beatus Apostolus fidelis ecclesiæ minister: *Non nosmetipsos,* inquit, *prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum.* **2. Cor. 4.** *Nunquid Paulus,* ait, *pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* **1. Cor. 1.** Sed neq; pecorum si quæ Deo immolant, san-

guinem

guinem edocet. quia cum simpliciores erudiunt, pestem cupiditatis quam de eorum cordibus excludunt, & ipsi quoque à se abijciunt. *Castigo*, ait Apostolus, *corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte alijs prædicans ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9.

Qui offert victimam pacificorum, offerat simul & sacrificium.

CAP. IV.

LOquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: *Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.*

Libamentum quid sit, longe superius diximus: modica scilicet assumptio, quę aut de similę sacrificiu, aut de hostia pacifica in partē Domini sequestrabatur. Vnde & Septuaginta cum hoc transferrent capitulum, sic ediderunt: Offerens sacrificium salutare Domino, offeret munus suum Domino de sacrificio salutari. Sacrificium quoq; non quālibet hostiam vocari diximus, sed signanter similæ oblationem & hostiam pro peccato & pro delicto: & vnde nunc agimus, adipes pacificorum qui Domino incenduntur, hoc nomine significari. Dicat ergo: *Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.* Quæ sint autem eadem libamenta, deinde subiungit.

Tenebit manibus adipem hostiæ & pectusculum. Cumq; ambo oblata Domino consecrauerit, tradet sacerdoti. Qui adolebit adipem super altare, pectusculum vero erit Aaron & filiorum eius.

Iuxta nostram translationem, idem intelligimus sacrificium quæ & libamenta, cum dicitur: *Offerat sacrificium, id est, libamenta.* Hæc autem sunt adeps cum pectusculo. Iuxta Septuaginta vero editionem, sacrificium quidem adeps cum pectusculo dicitur: sed de hoc sacrificio adeps sol' qui Domino incenditur, pars Domini vocatur. Quod contrarium non est. Fieri enim potest, vt etiam adeps cum pectusculo, eo quod ambo Domino consecrentur, pars Domini vocētur, & adeps solus, quia solus Domino adoletur, in partem Domini deputetur. Sed iam mysterium indagemus. Cū designaret quæ essent libamenta quæ iusserat offerri. *Tenebit*, inquit, *manibus adipem hostiæ & pectusculum.* Pectusculū fidem significat, quod sicut in pectore sapientia sedem habeat, & fidelium sapientia, fides diuina est. Adeps v[illegible] ... affectus compassionis est, de quo B. August. in libro de charitate: Si nondum, inquit, idoneus es mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Sed perueniat viscera tua charitas, vt non de iactantia facias: sed de intimo adipe misericordiæ, vt consideres illum in egestate positū. Nam pascit inquit esurientem charitas, pascit & superbia. Vestit nudum charitas, vestit & superbia. Sed audiat ab Apostolo ille, qui non habet ch[ar]itatem: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Quisquis ergo offert hostiam pacificorum Domino, consecret ei & adipem, [v]t qui sua pauperibus erogat, pura intentione hoc faciat. Consecret & pectusculum, vt integram Deo fidē exhibeat. *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Sed nota diligenter quod dicitur. *Tenebit manibus adipem hostiæ & pectusculum.* Manibus enim tenenda, & præ se semper ferenda, sunt pietatis adeps & integritas fidei, ne se elabatur, ne ab aliquo seductore corrumpatur. Plerique siquidem negligentes, dum largitate sua quid appetant non discernunt, inde vanitati seruiunt, vnde Deo se placere cōfidunt. Sic & veritatem fidei suæ dū solicite non inquirunt, in exterriorum dogmatum prauitatem labuntur: & contingit eis, quod sponsæ suæ in Canticis Dominus comminatur: *Nisi cognoueris te*, inquit, *ô pulchra inter mulieres, exi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos* (id est, sordidas cogitationes tuas) *in tabernaculis pastorum.* Non in tabernaculo vnius pastoris, qui dixit, *Ego sum pastor bonus*: sed in tabernaculis eorum, de quibus subditur: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.* Tenebit itaque *manibus adipem hostiæ & pectusculum*, id est, fortiter retinebit, vt nec intentionis eius simplicitas deprauetur, nec fidei integritas violetur.

August. — 1. Cor. 13. — Hebr. 11. — Cant. 1. — Ioann. 10. — Ibidem

Cumque ambo oblata Domino consecrauerit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare.

Iste est sacerdos qui & Angelus in Apocalypsi nominatur, de quo etiam dicitur, *quoniam dat[a] sunt [e]i [in]cen[s]a [mul]ta, qua daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* Ipse est namq; Dominus Christus, cui quicquid [b]oni agimus, committimus: & eo mediante, pat[rem] placatum speramus. *Offerentes*, ait B. Petrus, *spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christū.* Ipse vero sacerdos adipem sibi[?] aditum super altare Domini incēdit, quia pontifex noster Christus affectum pietatis per quem proximis indigentibus subuenimus, prouenit adiuuatque per spiritum suum, vt ex fraterna charitate ad diuinam consurgere possimus. Apoc. 8. — 1. Petr. 2.

Pectusculum vero erit Aaron & filiorum eius.

Cur non potius dictum est, erit ipsius, cum de sacerdote prius ageretur? Nonne videtur illud astruere quod dixim', quia in sacerdote qui adipem incendit, Christus intelligēdus est? Vnde cum ad Aaron filiosq; eius descenditur, quasi ad alios sermo detruatur: vt primo quid summo omnium pontifici deinde quid vicarijs illius cōueniat, distinguatur. Per Aaron itaq, filiosq; eius, pastores sanctæ ecclesiæ designantur. His hostiæ pectusculum lex concedit: vt videlicet instruat nos, fidei regulam non ab hæreticis aut schismaticis suscipiendam, nec ab vnoquoque sibi pro arbitrio fingendam: sed quia in hac parte doctores orthodoxos audire, & eis oporteat obtemperare. Sequitur:

Armus quoque dexter de pacificorum hostijs, cedet in primitias sacerdotis.

Omnis bonus doctor, duplici debet doctrina suis præesse discipulis: id est, vt omnia bona & sancta, factis ampli' quam verbis ostendat. si qua vero discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda. Alioquin si vita illius contemnitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Armus itaq; dexter in primitias cedit sacerdotis, vt per hoc ipse admoneatur, quod primitus eum sancta operari oportet, quam sancta docere: ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiatur, & in illam merito cadat Apostolicam exprobrationem: *Qui alios doces, teipsum non doces?* Et: *Medice, primum cura teipsum.* Quo contra de Domino scriptum est: *Cœpit Iesus facere & docere.* Accipiat ergo sacerdos pro primitijs armum dextrum: vt intelligat, quia sicut populi fidem debet informare verbo, sic & religionem suo præueniente exemplo. Vnde & apte subiungitur: Actu. 1. — 1. Cor. 9. — Rom. 2. — Luc. 4. — Actu. 1.

Qui obtulerit sanguinem & adipem filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua.

Sanguis victimarum Deo non offertur, sed eius effusio. quia carnalis concupiscentia Deo acceptabilis esse non potest, sed eius abrenunciatio. Offertur tamen sanguis eo ipso quod coram Deo effunditur: quia iniquitas quę displicebat in corde seruata, placet expulsa: sicut scriptum est, *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate.* Et, *non apparebis in conspectu eius vacuus.* Tanquam diceret: Si propter mandatum Dei dereliquisti iniquitatem, gratum munus ei obtulisti, nec in conspectu illius vacuus apparuisti. Sacerdos ergo qui offert sanguinem & adipem, ipsi conceditur & armus dexter: vt scilicet qui populum Dei docet & mala abijcere, & in bonis operibus Deo deuotum esse, eundem in vtroque studeat præire. Sequitur: Eccle. 35. — Deut. 16. — Eccle. 35.

Pectusculum enim eleuationis, & armum separationis tuli à filijs Israel de hostijs eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti ac filijs eius lege perpetua ab omni populo Israel.

Error non solum in fide, sed etiam in opere cauendus est. Scriptum est enim: *Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, nouissima autem earum ducunt ad mortem.* Item: *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.* Iob quoque: *Viro*, inquit, *cuius abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Cum igitur in tanta ignorantiæ caligine simus constituti, vt viam ciuitatis supernæ vix aliquis queat inuenire (*pauci sunt enim*, ait Dominus, *qui inueniunt eam*): nullus de simplicioribus & minus eruditis, aut credendi formam, aut normam viuendi à seipso debet suscipere, sed respicienda est maiorum autoritas, & quod illi credendum seu agendum docuerunt, hoc semper tenendum. Dicat ergo: *Pectusculū eleuationis, & armum separationis tuli à filijs Israel.* Pectusculum eleuationis, est fidei integritas, quæ de terris ad cœlestia homines eleuat. Exterriorum namq; dogmatum prauitas nunquam ad cœlos leuat, sed demergit in ima, attestante Salomone, Prou. 14. — Prou. 12. — Iob 3. — Matth. 7. — * Dict.

A mone, qui sub specie mulieris ... tetricis de hæretica peruersitate perhibet, dicens: *Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* Hoc ergo pectusculum à filijs Israel tollitur: quia nulli de popularibus, quæ sit veritas fidei, de suo definire conceditur. Datur autem filijs Aaron, quoniam doctorum sapientiæ huiusce rei committitur auctoritas, qui tamen nec ipsi de corde suo proferunt quæ dicunt, sed uberiore spiritus gratia ad indaginem tantæ rei pertingunt. Armus quoque separationis à filijs Israel aufertur, daturque sacerdotibus: quia non est iudicij popularis, ab ecclesiæ cœtu se segregare, alienumque ab ecclesia viuendi modum apprehendere: quod multi schismatici facere præsumpserunt, quasi detestari quorundam carnalium in catholica mores. Huc igitur pastorali relinquendum est diligentiæ, vt quos dignos cognouerint, eijciant: aut si tantæ potestatis sunt vt eijci non possint, deuitent. Quoscunque vero censura nondum separauit ecclesiastica, nos qui subditi sumus, vsque ad tempus extremæ ventilationis tolerare oportet, non condemnare. *Tuli,* inquit, *à filijs Israel, & dedi*

B *Aaron sacerdoti lege perpetua.* Quomodo lex hæc dicatur *perpetua,* iam supra exposuimus: non ad æternitatem, scilicet, sed ad temporis vniuersitatem. Sic enim & poeta locutus est:

Horatius. *Seruiet æternum, qui paruo nesciet vti.*

Æternum dicit, id est, quoad vixerit. Ita & nos legem istam perpetuam intelligimus: quia & populus ille quamdiu legibus suis vti potuit, huiusmodi ritum obseruauit: & cum ille defecit, vmbra illa in nostra veritate permansit. Sequitur:

Hæc est vnctio Aaron & filiorum eius.

Postquam holocaustorum leges, similæ sacrificium, pacificas hostias, necnon & hostiam pro peccato atque delicto, legislator tractauit & retractauit: quid hucusque actum sit, nunc paucis sermonibus comprehendit. *Hæc est,* inquit, *vnctio Aaron & filiorum eius.*

In ceremonijs Domini, die qua obtulit eos Moyses, vt sacerdotio fungerentur.

Hoc ideo præmisit, quod longe superius inter cæteras populi oblationes, etiam Aaron filiorumque eius descripserat oblationem, quam in die vnctionis suæ præcipiun-

C tur offerre. *Hæc est vnctio Aaron & filiorum eius.* Tanquam diceret: Hic est ritus vnctionis illius, & eo sacrificij genere consecranda est, quod superius designaui.

Et quæ præcepit dari eis Dominus à filijs Israel, religione perpetua in generationibus suis.

Et quæ præcepit dari eis Dominus, id est, hæc sunt quæ præcepit eis dari Dominus, videlicet de holocaustis pellem, de sacrificijs similæ partem, de hostijs pacificorum armum dextrum & pectusculum, hostiam pro peccato & pro delicto. Hæc enim omnia superius sacerdotibus habenda concessit. Et adhuc subditur:

Ista est lex holocausti.

De ipsa quippe multa locutus est.

Et sacrificij pro peccato atque delicto.

Ecce hostiam pro peccato atque delicto, sacrificium vocat: cui etiam cum eam retractaret, paria cum sacrificijs similæ iura concessit, sanctam sanctorum eam dicens: & quia

Leu. 6. *omnis qui tangit eam, sanctificatur.*

Et pro consecratione.

Subaudiendum est, ista est lex sacrificij pro consecratio-

D ne. De sancta simila loquitur, per quam holocaustorum victimæ consecrantur. Quod cito poterit intelligere, quisquis ad ea legenda quæ iam pridem super hac ipsa simila disputauimus, piger non erit.

Et pacificorum victimis.

Repetendum, & ista lex est sacrificij pro pacificorum victimis. Adipem namque hostiæ & pectusculum, quæ Domino consecrantur, paulo ante sacrificium nominauit.

Et pacificorum, inquit, *victimis, quas constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.*

Notandum quod Moyses ea quæ ad populum deferret, in monte Sinai à Domino audiuit: populus vero non vt in monte, sed vt in deserto Sinai oblationes suas Domino offerret, mandatum accepit. Moyses siquidem in monte cum Deo colloquium iungens, plus mente quam corpore exaltatus est, tantorum mysteriorum capax effectus, populus vero

E præ infirmitate sua, montis ascensus non patuit: sed tamen vt Deo sacrificare & oblationes suas offerre potuisset, ab Ægyptia conuersatione in solitudinem exire consensit. Aliquando vt in Exodo (Moyse attestante) legimus, quamdiu in Ægypto esset, Deo sacrificare non posset. Cum enim diceret Pharao: *Ite, sacrificate Domino in terra hac, respondit Moy-* Exod. 8.

*ses: Non potest ita fieri, sed * viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro sicut præcepit nobis.* Omnis enim qui Deo placere desiderat, necesse est vt mente, locutione & opere, ab Ægyptiorum peruersitate discedat. Moyses ergo in monte Deo secum loquente, suscepit legem: & populus per Moysen edoctus, in deserto Domino sacrificauit: sed & ille magna quæ intellexit, & iste minora quæ potuit, ex dono conditoris accepit. Vnde & mons & desertum Sinai vocatur, quod interpretatur mensura mea: quoniam tam magnorum quam pusillorum gratia, ad dantis tantum arbitrium, teste Apostolo qui ait: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ephes. 4.

* iter.

F

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI.

LIBER SEXTVS.

PRÆFATIO

IN Exodo legimus Moysen conscendisse in montem, vbi collocutione diuina de his quæ geri oportebat, edoctus est. Præcepit ei Deus vt faceret arcam, mensam propositionis & candelabrum, tabernaculum quoque, in quo hæc omnia suis in locis reponerentur. Nouissime de vestibus Aaron filiorumque illius componendis, mandatum ei dedit. Post quæ omnia, quo ritu ipsi pontifices consecrarentur, instituit. Postquam vero Moyses de monte descen- Exod. 19.

G dit, replicatur quo ordine hæc omnia completa sint quæ præceperat Dominus, donec ad consecrationem pontificis ventum est. Erecto itaque tabernaculo, & quæcunque ad tabernaculum pertinebant, intra * aut circa dispositis, vestibus quoque pontificis filiorumque illius præparatis, Exodus concluditur: & sola sacerdotum consecratio in aliud volumen differtur. Cum igitur statim in initio tertij huius voluminis putaretur hoc, quod narrationi eius deerat, additurus: alia quædam interposuit, locutum scilicet, sibi non iam de monte vt prius, sed de tabernaculo quod erexerat, dominum: & ceremonias has victimarum & sacrificiorum, in quibus nunc vsque Iudæi omnes, instituisse. Quibus completis, tandem quod in prædicta narratione minus fuerat, quo ordine, scilicet, ad Domini imperium, Aaron filijque eius consecrati sint, in hoc loco subiungit. Quod si requirat aliquis, quæ causa fuerit, vt ante eorum ordinationem isti ceremoniarum ritus interponerentur: existimo hoc rationis fuisse, quia consecrandi sacerdotes, prius de his quæ ad cultum tabernaculi pertinebant, imbuendi, quæ in ipso fuerant officio constituendi. Nam & nunc in ecclesia Dei nullus pontificatu dignus est, nisi qui nouerit qua-

* &

H liter perfectorum vitam informare: & secularem adhuc vitam agentibus, qualiter religionis rigorem debeat temperare. Instrui eum prius oportet, quod conuersis peccatoribus pœnitentiæ adhibeat medicamentum, & singulis quibusque sibi commissis, qui nunc sint corrigendi, nunc informandi, nunc increpandi, nunc obsecrandi, quomodo semetipsum debeat conformare. Præmissis igitur quæ necessaria iudicauit legislator, tandem ad id quod pridem prætermiserat, accedit, dicens:

De consecratione Aaron filiorumque eius.

CAP. I.

LOquutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, & duos arietes, & canistrum cum azymis: & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi.* Leuitici cap. VIII.

A Hæc omnia quid sibi velint, continuo singula in suis locis explicabimus. Sequitur:

Fecit Moyses vt Dominus imperarat. Congregataq́ omni turba ante fores, ait: Iste est sermo quem iussit Dominus. Statimque obtulit Aaron & filios eius.

Notandum quod pontificem filiosque illius consecraturus, turbam congregat: iam hinc nostrorum pontificum electioni & consecrationi formam præbens, vt scilicet quicunque eliguntur, cum assensu fidelis populi constituantur. Deinde subiungitur:

Cumque lauisset eos, vestiuit pontificem subucula linea.

Nota quod sacerdotes induturus, prius eos lauat: congruo satis ordine, vt quicunq; ad sacerdotium accedũt, primo præcedentiũ delictorum veniam consequantur, primo deponant sordes vitiorũ, & sic demum suscipiant ornaméta virtutum. Sciendum vero quod de his vestimentis multa
Exo. 38. in Exodo disputatio iacet, vbi & copiosissime à legislatore tractantur. Hic autẽ quoniam ab eo breuiter perstringũtur
B nobis quoq; de tantis rebus pauca loqui necesse est. Prima
Linum. itaq; in vestibus sacerdotalibus subucula linea ponitur. Linum quod de terra originem ducit, & multo labore multaque industria natiuum deponit colorem, vt ad hunc quem in veste habet, perducatur candorem, virtuté exprimit castitatis. Caro siquidem nostra ab ipsa parentum propagine corruptelam trahens, multa nostra vigilantia & infatigabili intentione opus habet, vt eam cum qua nata est, immunditiam abijcere, & honestatis nitorem valeat possidere. Sed quia non solum cum labore acquiritur, sed & cautelam multam exigit, vt acquisita seruetur, subucula induta subditur:

Accingens eum balteo.

Quid enim per balteum, quod subuculam lineam astringit, nisi virtutis ipsius custodia designatur? Neq; enim cum remissione & negligentia castitas poterit retineri: sed cohibendus est visus, obstruendus auditus, lingua refrenanda, ipsa etiam cogitatio à noxijs euagationibus restringenda. Nam de oculorum obseruatione S. Iob nos instruit, dicẽs:
Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidem de virgine.* Quisquis enim per oculorum fenestras incaute exterius respicit, plerunq; in delectationem peccati etiam nolens
C cadit, atq; obligatus desiderijs, incipit velle quod noluit. Vnde & Prophetę mens, quę subleuata sæpe mysterijs interius
2. Reg. 11. intererat, quia alienam coniugem incaute vidit, obtenebrata postmodum, sibimet illicite coniunxit. De auris
Prou. 4. quoq; diligentia Salomon nos admonet, dicens: *Remoue à*
1 Cor. 15. *te os prauum.* Et Apostolus: *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* De oris quoque custodia, cuiusdam sapientis accipe sententiam: *Turpia, ait, ne dixeris, paulatim enim pudor per verba dissoluitur.* Idem: *Transibit sermo in * affectum, si honesta loqua-*
*effectum *mur.* Iam circa cogitationes quanta solicitudo habenda sit,
Prou. 4. Salomonis item voce monemur, dicentis: *Omni custodia serua cor tuum.* Malum enim luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namq; aduersarius noster, cum ab effectu operis repellitur, secreta polluere cogitationis molitur. Vnde & serpenti à Domino dicitur: *Pectore & ventre re-*
Gen. 3. *pes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita, vsq; ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quãdo eos quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogita-
D tione. Subucula ergo linea balteo accingitur, cum virtus sanctissima castitatis, prouida solicitudine munitur. Sed iam quod post subuculam & balteum in vestes Aaron conferatus, audiamus.

Et induens tunica hyacinthina.

Hyacinthus, aeris colorem præfert. Quid igitur per tunicam hyacinthinam, nisi cœlestis cõuersatio exprimitur? Dignum est enim, vt pontifex cum corruptionis opera declinat, etiam à mundi huius tumultibus in quantum licet,
2. Tim. 2. se subtrahens, militiæ diuinæ aptum se præbeat. *Nemo* quippe *militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* Tunica itaq; hyacinthina vestitur pontifex, si vitam angelicã in terris agens, creber sit in oratione, assiduus in lectione: si se magis verbi Dei in ecclesia prędicatorem, quam in forensibus conuentibus causidicum exhibeat: si terrenas diuitias magis erogare studeat, quam congregare. Quo contra pro his qui cœle-
E stiũ mysteriorum dispensatores cõstituti, terrenis se implicant, Ieremias deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurũ,*
Thren. 4. *mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Aurum quippe obscuratum est: quia sacerdotalis vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optim* est mutatus: quoniã habitus sacerdotalis tunica abiecta hyacinthina, per terrena & contemptibilia opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarij intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis pectore, nisi cum sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Sacerdotes igitur sunt lapides sanctuarij, qui apparere semper debent in secreto Dei. Quos nunquam necesse est foris conspici, id est, nunquã in extraneis actionibus videri. Sed *dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum:* quia hi qui per vitam & oratiõné intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacãt. Post lineam itaq; & balteum, tunica hyacinthina tribuitur
F sacerdoti: vt si iam nouit peruigili solicitudine carnis suæ voluptates restringere, consequenter relicta etiam occupatione terrena, spiritualibus exercitijs vitam suam studeat colorare. Sequitur:

Et desuper humerale imposuit.

Quarto loco post lineam, balteum, tunicã, vestibus sacerdotalibus humerale addidit, quod ab humeris nomen accepit. Tunica siquidem erat absq; manicis, solummodo Humerale
vsq; ad renes descendens. In huius parte anteriori super pectus quadrangulata apertura erat, quæ rationale recipiebat. Quia igitur in humeris onera portare solemus, per humerale patientiæ virtus intelligitur: quæ proximorũ vitia quamdiu corrigere non potest, animi longanimitate consueuit portare. Qui enim locũ prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare: vt ipse sua mansuetudine iram sæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in alijs, ipse vulneratus afflictionibus sanet. Sed de eodem superhumerali quid subiungat, audiamus.

Quod astringens cingulo, aptauit rationali, in quo erat doctrina & veritas.

Potuit fieri vt hęc duo nomina, doctrina & veritas, in rationali illo, quod quadrangulũ mensuram palmi tenebat, & quatuor lapidum ordinibus decoratum pectori pontifi-
G cis imminebat, scripta haberentur. Doctrina enim & veritas non in ornamẽto aliquo pectorali, sed in ipso verorum pontificũ pectore possunt reperiri. Rationale igitur illud doctrinam & veritatem significare potuit, non exhibere. In Aaron itaq; pectore rationale vittis ligaminibus imprimitur, quatenus pontificis cor nequaquã cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat: ne indiscretũ quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum alijs constitutus, ea grauitate vitæ semper debet ostẽdere, quantam in pectore rationem portet. In hoc autem rationali doctrina & veritas esse perhibentur: quia doctrina veritatis in pectore pontificis debet esse reposita, vt sit scriba doctus in regno Dei: & cum opportunum fuerit, *proferat de thesauro suo noua & vete-*
Matth. 13. *ra.* Sed notandum diligẽter, quod superhumerale & rationale aptata sibi inuicem, & cingulo constricta narrantur. Connexione enim mutuã opus habent, nimirũ cum vnum sine altero non possit subsistere. Nã neq; patientia quæpiam intentione & discreta moderatione caret, patientia dicẽda est: nec doctrina quam patientia deserit, tranquillitatis suæ
H tenorem retinere valebit. Sunt enim plurimi, qui nõ amore diuino, sed seruili timore aut terrena cupiditate, dum ab aliena persona aut damnũ metuunt, aut lucrum expectant, contumelias sibi illatas æquanimiter portant. Sed huiusmodi patientia, ignominiosa potius est q̃ laudabilis. Rursus, si quispiam intentione commotus, minus tamen discrete agens, ea tacitus sustineat, quæ corrigere & arguere debuerat: negligens & remissus iste, non patiens, appellandus est. Quantũ vero doctrina per patientiam innuetur, testis est Sa-
Prou. 19. lomon qui ait: *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Tanto minus ergo vnusquisq; doctus deprehenditur, quanto minus patiens inuenitur. Iracũdi enim doctores cum regiminum loca percipiunt, quo impellente ira in mentis vesaniã deuoluuntur, eo etiam subditorum vitã, dissipata quietis trãquillitate, confundũt. Quos cũ furor agit in præceps, igno-

(A) tant quicquid irati faciunt, ignorant quicquid à semet irati patiuntur. Humerale itaq; rationali aptetur, vt coniunctæ pariter virtutes, sibi inuicem suffragentur. Sequitur:

Cidarim quoque texit caput.

Non est nostræ locutionis vt sic dicatur, texit caput cidarim, vt dici solet, docuit me lectionẽ, seu induit me tunicã. Sed habet Hebræa lingua locutiones suas, quã puto interpres in hoc loco vt sequeretur, minus latine loqui elegit: & linguæ quam transferebat, proprietatem expressit. *Cidarim* ergo (inquit) *texit caput.* Sciendum ꝙ nullũ est opus virtutis, ꝙ nõ similitudine aliqua possit decipere intuentẽ. Verbi gratia, Virtus est castitas: multi tñ honestatis præferunt speciẽ, quorũ mens deliberatione corruptionis viciata est. Virtus est patientia, si quis inimicanti se aut lędenti, nec verbo nec facto vicem rependat, in corde vero contra eũ odiũ teneat: vt dicit B. Greg. nõ est virtus mansuetudinis, sed velamẽ eorum furoris. Itẽ si quis secularis conuentus fugiens, spiritualibus se tradat studijs: adhoc in dubio est, qua intẽtione hoc agat, ne forte adeptione scientię inflari magis appetat, quã ædificari. (B) Per omne ergo ꝙ agimus, mens potius discutienda est, quam operis superficies. (Matth. 6.) *Si enim oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuum lucidũ erit. Si autem nequã fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Vnde & lex post subuculam, post tunicam, post superhumerale & rationale, cidarim capiti pontificis imponit. (Cidaris. Exod. 28.) Cidaris enim ista, vt in Exodo legimus, tiara byssina erat. In capite vero pontificis, mens intelligitur. Post prędicta itaq; ornamenta caput illius tiara byssina decoratur, vt in exhibitione operum visibilium, de cordis munditia conueniatur. Sequitur:

Et super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificationem, sicut præceperat ei Dominus.

Septẽ posuit ornamenta sacerdotalia, lineam .s. cum balteo, tunicã hyacinthinã, humerale cũ rationali, postremo cidarim, cui & laminã superponi præcepit. (Septem dona Spiritus sancti. Isa. 11.) Septem namq; sunt Spiritus sancti charismata, omnibus nouissima, quæ enumerat Isaias, dicens: *Spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini.* Horũ autem duo quidẽ suprema, sunt sapientia & intellectus: (C) vnũ vero infimum, id est, timor: & ideo vbicunque in scripturis seu verbis, seu figuris significantur, illa locũ supremũ, hoc vero nouissimum, tenere solent. Quatuor aũt media, consilium .s. & fortitudo, scientia & pietas, non eundẽ seruant ordinem: sed quoniã secundo loco post timorem simul ad hominẽ accedunt, & simul in eo operãtur, non singulatim vnũ post aliud, idcirco varie ordinari solẽt, vt quæ hic primo loco, alibi secundo ponãtur: & nunc duo sub vno designantur, nunc vero vnũ in duo membra partitur. (Ordo donorum.) Et vt euidentius fiat ꝙ dico, manifestũ est mox vt homo ad Deũ conuertitur, primo loco eũ ei⁹ occupare timorẽ. Deinde consiliũ succedit, quo sibi ipse persuadet à vitijs declinandũ, ne iudiciũ diuinũ incurrat. Cui subsequenter fortitudo necessaria est, vt ꝙ deliberauit, implere præualeat. (Leu. 19.) Sed qm̃ dictum est, *diliges proximum tuum sicut teipsum*: timor Dei qui ad suæ salutis curam eũ excitauit, etiã de proximorũ salute solicitum esse compellit. Accedit igitur pietas, vt etiã aliorum necessitatibus cõcurrere velit. Huic vero, ne erret, scientia est necessaria. Nam si temporalia beneficia erogat, videndũ est cui det, & quando, & qua mẽsura. Si vero animarũ languoribus velit subuenire, & ad viã veritatis errantes reducere, ars est artiũ, medicina animarum. (D) His igitur gradibus cõscensis, & longa exercitatione in cõsuetudinẽ ductis, paucissimis & perfectissimis duo extrema conferri solent, intellectus & sapientia. Intellect⁹ enim hic accipitur, non iã quo discernamus quid in hac vita mortali aut nobis aut his quos diligimus, cõducibile sit: hoc nẽpe consiliũ aut scientia est, sed quo ad æternorũ notitiam pertingimus, luminis diuini per contemplationem participes effecti. Sed qm̃ nihil prodest Deũ nosse, nisi & diligatur: sequitur sapientia quæ hominẽ consummat, si diuinorũ quæ intellectu cœpimus, etiã saporem & dulcedinẽ sentiamus. (Iustitia tripartita.) Notandũ vero, ꝙ cum omnis humana iustitia tripartita sit: nimirũ cum nihil aliud homini præcipiatur, nisi vt se sanctificet, proximo cõparatur, in Deũ autem vero affectu recurrat .i. vt sibi & proximo creatoriq; suo, vnicuique ꝙ debet, hoc reddat: (Tit. 2.) quæ diuisio & in Apostolicis literis apparet, vbi (E) idẽ Apostolus sobrie & iuste & pie viuendũ nos edocet: sobrie .s. ad nos, iuste ad proximũ, pie ad Deũ: nihil omnino prætermissum est, quin in his septẽ donis S. Spiritus, omnis gratia quæ humanæ saluti necessaria est, comprehensa intelligatur. In timore .n. fides est. Alioqui pro peccatis suis timere non potest, qui Deum aut esse non credit, aut facta humana iudicaturum diffidit. Itẽ, timor iste sine spe prodesse non poterit. Nã si desperauerit, nec salutis suæ consiliũ quæsiturus est. Vt ergo aliq̃s timeat, credere primum oportet diuinã super homines esse prouidentiã, & futuram eorũ discussionẽ: vt vero per timorem se corrigat, sperare, si conuersus fuerit, ipsius misericordiam. (Psal. 110.) Timor ergo ex fide genitus, & spei admixtus, ipse est initium sapientiæ. Per hũc igitur homo iã salutis suæ consilium requirit, & audit ꝙ ille (Act. 10.) Cornelius centurio, qui Deum timuisse & eleemosynas fecisse perhibetur, audiuit, vt incarnationẽ diuinam pro humana salute cognoscat & baptizetur. (Mar. 16.) *Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hoc consilio accepto, suscipit sacramenta ecclesiæ, quæ saluti suæ audit esse necessaria: (F) & accepta fortitudine, cunctis resistit criminibus, quæ fidei suæ doctor contraria esse. Si vero etiã pietatis & scientiæ donũ fuerit consecutus, in omni proximorũ necessitate & affectu ad subueniendũ mouetur, & peritia nõ destituitur. Quod si post hęc omnia intellectu & sapientia donetur, vt Deũ nosse valeat & amare, nihil est ꝙ gratiæ eius amplius addatur, nisi forte hæc omnia quæ cõmemorauimus, adhuc imperfecta sint vt perficiantur. Quod si hęc omnia plena fuerint, consummatus est homo: neq; enim est quisquã profectus spiritualis, qui in his septẽ charismatibus non inueniatur. Nunc igitur ꝙ supradiximus, quatuor illa media, consiliũ & fortitudinẽ, scientiam & pietatẽ, diuersis in locis ordine poni diuerso: & nunc duo sub vno concludi, nũc autẽ vnũ in duo partiri, vt valeam⁹ ostẽdere, pauca ponamus exempla. In prima mundi creatione, sciendũ est, ꝙ nostra recreatio & renouatio exprimatur. (Gen. 1. Primæ diei creatio.) Prima ergo die dixit Deus, *Fiat lux.* In qua luce, prima fidei nostræ illuminatio designata est: quæ etiã hominem cõsilio instruit, qua tõe salutem quã perdidit, valeat reparare. In hoc itaq; vno * Dei opere, prima duo Spiritus sancti charismata, timor & consiliũ, continentur. (* diei.) (G) Sed quia quicunq; saluari desiderat, necesse est vt carnẽ suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigat, nec est alia vitæ spes: secunda die factum est firmamentum, ꝙ diuideret aquas superiores ab inferioribus. (II.) Hæc est quæ fidem consiliumq; sequitur, constans & firma mentis deliberatio, quæ voluptates carnales cõculcat & abijcit, spirituales aũt appetit & extollit. (III.) Tertia die cõgregatæ sunt aquæ inferiores in locum vnum, & apparuit arida: quæ & ipsa Deo iubẽte fructus suos protulit. Iã igitur illa mentis deliberatio ꝙ apud se proposuerat, incipit operari: & à consensus sui terra salsos fluctus submouens, in solum appetitum eos concludit, vt voluntatis agro iam libero, fructus germinet pietatis. In secundo ergo & tertio die fortitudinis virtus exprimitur, cui tamen in tertia die opus pietatis annectitur. (IV.) Quarto autẽ die cum iubente Deo luminaria cœlestia prodierunt, scientiæ lumen figuratum est: per ꝙ ipsius veri solis Iesu Christi, aut sanctorũ patrum exemplis illustrati, in viæ huius caligine operis nostri pedem dirigere valeamus. Hũc ordinẽ ex parte seruauit B. Petrus in epistola sua, dicens: (2. Pet. 1.) *Ministrate in fide vestra virtutem.* Sed continuo illum mutauit, cũ virtuti non abstinentiam subiunxit, per quam steriles voluptatũ aquæ à cordis agro repelluntur: (H) sed virtutis scientiã iungens, deinde quis ex vtraq; fructus subsequatur ostendit, sic eas ordinans: *In virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam.* Vbi additur & pietas, quæ beneficio eiusdem patientiæ, fructus suos possit afferre. Sic enim sequitur: *In patientia autem pietatem.* Sed vt certũ prosequamur dierum numerũ, quinto die ex aquarũ substantia, volatilia & natatilia creata sunt. (V. Gen. 1.) In quibus quid aliud quam intellectus potentia exprimitur, qui non iam more scientiæ in exteriorũ operum dispositione versatur: sed aut cogitationũ arcana, velut occultas aquarũ rimatur semitas: aut cõsiderata creaturæ visibilis dispositione, ad ipsi⁹ creatoris speculationẽ leuatur? In sexto die qui hominem Deo plasmante exhibuit, sapientia intelligitur, in qua hominis virtus omnis cõpletur. (VI.) Possemus dicere, quis horum ordo

A etiam in euãgelicis beatitudinibus habeatur: sed prolixiori huic digressioni nostræ iam frena stringenda sunt, & ad propositum reuertendum. Quomodo igitur hęc S. Spiritus dona in vestib⁹ pontificis, quas tractare cœpimus, figurata intelligantur, discutiamus. In linea quæ exteriorē mundiciam signat, timorē accipe. Primus est enim progressus eius, si non affectus, saltem opera corruptionis abijcere. Sed quia virtus ipsa castitatis, ne dispereat, munienda est: accedit cõsilium sensus cohibendi, & hoc est balteus. In tunica vero hyacinthina, sponē habeas fortitudinis & illius cœlestis firmamenti, cũ anima protectis aquis inferioribus terrenæ occupationis, spiritualibus studijs tanquam aquis superiorib⁹ decurrit. Iam in superhumerali, quid nisi pietas intelligitur? Piũ est namque, dũ proximo succurrere vis, eiusdē vitia donec corrigatur, æquanimiter tolerare. Quinto loco rationale manifestæ scientiæ formã tenet. In cidari quoque quæ interioris mũditiæ typus est, intellectus apparet. *Beati enim mũdo corde, quoniã ipsi Deum videbunt.* Quæ Dñi sententia, & ipsa in Euangelio sexto loco posita est. Restat laminæ solius ratio, quæ super cidarim ponebatur, vt sapientiæ figurã in ea B demonstraremus. Hæc igitur lamina aurea erat, & nomen Domini tetragrammaton (id est, quatuor literarũ) insculptũ habebat. Aurum, diuinæ contemplationis claritatē designat. Illius ergo frons lamina aurea adornatur, cui⁹ facies interior lumine speculationis diuinæ perfunditur. Teste namque Apostolo, *inuisibilia Dei à creatura mundi*, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed quia multi fecerunt *qui, cum cognouissent Deũ, non sicut Deum glorificauerunt*, aut gratias egerunt, quib⁹ nihil profuit Deũ cognouisse nec honorasse: ideo lamina pontificia consecrata dicitur, vt in sanctorũ cordibus Dei cognitio dilectioni societur, per quã & consecretur. Nominũ vero inscriptio, nõ ob aliud singulis quibusque rebus apponitur: nisi vt visoribus, quæ ipsa sit res, aut quod officij gerat, dinoscatur. Verbi gratia: Si sit imago in pariete, superscribis Petrus aut Paulus: vt nomine addito, cuius personã illa imago teneat, intelligatur. Aliter enim sciri non posset. Si vero res aliqua per se ipsam se ostendat, nõ necesse est titulũ apponi, C cũ rei euidentia ipsa sibi pro titulo sit. Nempe si quis statuam viuentis hominis inscribat homo, quasi per hoc ostensurus hominē eũ esse, merito superfluus indicabitur: qui hoc voluit signis ostendere, quod in rei cernitur veritate. Quod ergo nominis inscriptio in rebus dubijs, hoc perfectius agit rei euidētia in manifestis. Et quia nonnunquã nominis officiũ gerit, nominis vocabulũ aliquando suscipit. Vnde & de Domino dicitur, quod in vestimento & in femore suo scriptũ habeat, *Rex regũ & Dominus dominantiũ.* Caro quippe Christi, qua pro salute nostra se induit, quæ et femoris nomine designatur, eo quod de Patriarcharũ stirpe descenderit: nõ aliquas notas aut elemēta literarũ impressa habuit, per quæ Christũ regē doceret: sed quia ante incarnationem suã gentibus incognitus erat, quia *notus in Iudæa* tantum *Deus*: homo aũt fact⁹ per carnē assumptã, miraculis coruscans, Deũ se probauit: hoc in ipsa carne scriptum fuit, quod per eandem tanquam ibi scriptum esset, cognosci potuit. Legalis igitur pontifex in fronte Dei nomē lamina insculptũ portabat: nostri vero pontifices nõ nomē quatuor literis deformatũ, sed rem tanti numinis in vultu præferunt, cũ mentis verticem à terrenarũ cogitationũ erigentes caligine, radios in se solis æterni suscipiunt: vt D si nõ per naturã, tñ per gratiã Deo iam vniti, diuinitatis ipsi⁹ participium sumãt. Vnde B. Apostolus de se suique similibus testatur, dicens: *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Magnarum itaque mentium est, puritatis beneficio in alta sustolli: vt æterno lumini spũ coniuncti, tantã foris proximis virtutē sanctitatis exhibeãt, quatenus tanquam diuini nominis titulũ in fronte præferrent, quicunque eos perspexerint, Deũ in eis habitare nõ dubitēt. Pastor quippe (vt ait B. Greg.) non solũ debet esse singulis per compassionē proxim⁹, sed etiã præ cunctis contemplatione suspensus: vt eo verius cõmissorum sibi ædificationi sufficiat, quo spiritu leuatus, intus audit quod exterius dicat. Vnde & pontifex ille legalis, cuius frons lamina ornabatur aurea, inferius in extremo tunicæ margine aurea portabat tintinnabula: nobili imagine nos instruens, quia spiritualis quisque doctor quod in alto per lumen contemplationis haurit,

[Margin notes, left: Concatenatia septem donorum cũ vestibus pontificis. — Matth. 5. — Aurum. — Rom. 1. — Ibidem. — Apoc. 19. — Psalm. 75. — 2. Cor. 3. — Exod. 28.]

E hoc inferius per sonũ prædicationis populis infundit. Hucusque de vestibus pontificalibus tractasse sufficiat: iam ad vlteriora, sero quidem, & nimiæ prolixitatis (vt vereor) arguendi, transibimus.

Vngitur tabernaculum cum Aaron & filijs eius.

CAP. II.

Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua. Cumque, sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud & omnia vasa eius, labrumque cum basi sua sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit.

Hæc omnia Moysi à Domino præcepta fuerant, cum de construendo tabernaculo mandatũ illi in monte dedisset, nondum tamen fuerant expleta. Nam de his in Exodo, Domino præcipiente, sic legimus: *Facies vnctionis oleum sanctum, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum & vtensilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & vniuersam supellectilem quæ ad cultum pertinet. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos vt sacerdotio fun-* F *gantur mihi.* Vnctio ista quæ sit, manifeste docet in Actibus Apostolorum B. Petrus, de Domino loquens: *Quomodo*, inquit, *vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute.* Et Ioannes discipulis suis: *Vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.* Vngitur ergo tabernaculũ oleo, cum filij ecclesiæ vt domus Dei efficiantur, & in Christi membra transeant, Spiritu sancto consecrantur. Teste enim Apostolo, *si quis spiritum Christi non habet, hic nõ est eius.* Vngitur arca in sanctis sanctorũ collocata, cum eadē ecclesia nõ in hac peregrinatione fidei sanctificationem; sed iam in cœlesti patria iustitiæ perfectionem, circumdata ea omni parte auro, id est, diuinæ visionis claritate illustrata, per eiusdem spiritus gratiam adipiscitur. Cãdelabrũ quoque hac ipsa vnctione sanctificatur, cũ lucerna fidelium bona sc. eorum opera, per quę coram hominibus lucent, vt eis prodesse possint, ab eodem spiritu charitatis gratiam consequuntur. *Si enim linguis hominum loquar & Angelorum, & si in cibos pauperum omnes facultates meas distribuero, etiã si tradidero corpus meum vt ardeat, postremo quicquid aliud egero: si charitatē non habuero, vtile mihi esse non poterit.* Mensa autem, G scripturæ sacræ formam habet. Ipsa est quippe quæ nos ad Deum tendentes, ne deficiamus, reficit. Vnde Psalmista: *Posuisti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Nã & mensa hæc in parte aquilonis stabat: vt daretur intelligi, quia contra impet⁹ aduersarij nobis ad consolationem attributa est. Mensa itaque oleo vngitur, quia scriptura sacra non humano sensu, sed per Spiritum sanctũ nobis administratur. Vnde B. Petrus in epistola sua: *Non voluntate*, inquit, *humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et Iezechiel: *Quocunque ibat spiritus, illuc pariter & rota gradiebantur. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Altare etiam thymiamatis hac vnctione sacratur, cum mēs nostra ad offerēdum Deo orationis incensum, Spiritus sancti aspiratione adiuuatur. *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Verba Apostoli sunt. Hæc omnia intra tabernaculum erant, & hic breuiter comprehenduntur, cum dicitur: *Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua.* Moxque ad exteriora transiens, *Cumque*, inquit, *sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud & omnia vasa eius.* Hoc est altare holocausti ante fores tabernaculi situm, quod fidei typum H tenere iam supra diximus. Hoc igitur septem vicibus aspergitur: quia fides nostra, septiformis spiritus operatione ab omni errore purgatur. Hoc oleo vngitur, cum fidei integritas, expulsis erroribus, eiusdem spiritus doctrina nobis consecratur. Vasa vero eius quæ sint, in Exodo aperte legitur: *Fecit*, inquit, *altare holocausti, & in vsus eius parauit ex ære vasa diuersa: lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos & ignium receptacula, craticulamque eius in modum retis fecit æneam: & subter eam, in altaris medio arulam, fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum.* Hæc sunt vasa altaris. Sed quoniam grandem & laboriosam *exigunt disputationem, nec in præsenti nisi de sola eorum vnctione agitur: nos ab hac sarcina ceruicē leuam⁹, hoc solum super vnctione ipsa interpretantes, quia nec fides, nec quicquid ad fidē pertinet, absque charitatis adiutorio san-

[Margin notes, right: Exod. 30. — Actu. 10. — 1. Ioan. 2. — Rom. 8. — Matth. 5. — 1. Cor. 13. — Psal. 22. — 2. Pet. 1. — Iezech. 1. — Rom. 8. — Exod. 27. — *requirũt.]

A *Iacob. 2.* *Gal. 5.*

ædificare potest. Fides namq; *sine operibus*, teste Apostolo Iacobo, *otiosa est*. Operari autem sine charitate non potest: quia *fides est*, vt ait Apostolus, *quæ per dilectionem operatur*.

Labrumque cum basi sua sanctificauit oleo.

Exo. 30. *Exod. 38.*

De hoc labro in Exodo, Domino præcipiẽte, sic legitur: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonij & altare. Et missa aqua, lauabunt in eo Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculũ testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Et in sequentibus: *Fecit Beseleel labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Hoc labrum B. Greg. sic nobis interpretatur, dicens: Labrum æneũ Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debeant & sancta sanctorum ingredi: quia lex Dei prius nos lauare per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam nõ sit indigna. Quod labrum bene de speculis mulierum perhibet factum, quę ad tabernaculi ostium indesinenter excubabant. Specula quippe mulierũ, sunt pręcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt: & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Quæ quandiu in hac vita sunt, æternum tabernaculũ ingredi nequaquã possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant: quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrũ sacerdotibus de speculis mulierum fecit: quia lex Dei lauacrum compunctionis ad abluendas peccatorum nostrorũ maculas exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt, intuenda nobis cœlestia præcepta præbet. Tanta itaq; autoritate muniti, fidenter in labro isto legem diuinam accipimus. Labrum vero de speculis factum, basi sustentatur: cũ claritas noui testamenti, veteris testimonio roboratur, vt ait Apostolus: *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis.*

B

Rom. 3.

Notandum vero quod cum & mensa & basis sanctam designent scripturam, diuersas tamen eius exprimunt operationes: labrum sc. quod à peccatis nostris per compunctionẽ nos abluit: mensa vero, quæ in huius eremi vastitate nos pascit. Vnde labrũ exterius ante ostium, mensa vero intra tabernaculũ collocata est: quia scriptura sacra & his qui ab ecclesia Dei criminũ aliquorũ perpetratione alienati sunt, vt redire possint & maculas suas abluere lauacrum exhibet salutare: & hi ipsi cum iam intus fuerint, vt in sancta conuersatione proficiant, eandem pabulũ sibi vitale ministrantem inueniunt. Labri igitur vnctio, ipsa est quæ & mensæ, quæ Spiritum sanctum scripturæ ipsius autorem demonstrat. Sequitur:

C

Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit.

Quæritur, quid post sacerdotaliũ vestium sacramẽtum, Aaron hac vnctione consecutus sit: quippe cum in illo septemplici habitu, septiformis Spirit⁹ sancti gratia (vt supra ostendimus) contineatur. Sed sciendũ quod sacra vnctio non semper nouã & inexpertam prius sancti Spirit⁹ inducit operationem: sed iam ante præmissam aut confirmat, aut multiplicat. Inde est quod Dauid rex bis in regem vnctus est: primo à Samuele, cũ adhuc puer esset: postea iam iuuenis, cũ post regnũ tribus Iudę, super omnẽ Israel, mortuo Isboseth rex eleuaretur. Sed & B. Apostoli, qui iam à primo tempore ex quo cœlesti adhæserant magisterio, & baptizati fuerant, sanctum habebant spiritũ: ad augẽdum tñ ipsius gratiæ donum, bis post resurrectionẽ dominicam eundem Spiritum sanctum susceperũt. Non est ergo mirum, si pontifex postquã in typum earum quæ ad opus tantũ præparauerat, virtutũ, sacris vestibus induitur, ad confirmandam seu etiã augendam eam quam iam acceperat gratiã, mystico consecratur vnguento: quia quanto sublimiori grauatur officio, tanto ampliori doni cœlestis indiget incremẽto. Nã quanta eiusdẽ vnctionis virtus sit, exempla nos docẽt. De Dauid enim postquã à Samuele vnctus est, testatur scriptura, quod *directus est spiritus Domini in Dauid à die illa & in reliquũ*. Saul quoq; licet à Dño postea reprobat⁹ sit, ea tñ die qua à Samuele olei lenticula perfusus est, mutatus est in virum aliũ *& veniens ad cuneũ prophetarũ, insiliente in se spiritu Dei, cœpit prophetare in medio eorũ*. Caiphas, qui in illo concilio in quo de Christi morte tractatũ est, sententiã protulit, dicens: *quia expedit vt vnus homo moriatur pro populo*: vt ait Euangelista, hoc à semetipso nõ dixit, sed solum pp sacramentum pontificalis vnctionis, quã licet indignus susceperat, cũ esset pontifex anni illius, prophetauit. Hinc colligi datur, quantũ timentibus Deũ & pie accedentib⁹ sacra conferat vnctio, si nec apud illos vacare potuit, qui alieni à Deo, aut certe cõtinuo alienãdi, sacramẽti solã formã gerebant.

1. Reg. 16. *2. Reg. 2. & 5.* D *Ioan. 20.* *Act. 2.* *1. Reg. 16.* *1. Reg. 10.* *Ioan. 11.* E

Quæstio. Monet ẽt cum tabernaculũ Dei ecclesia sit, Aaron vero pontificũ personã gerat, qui summum in sancta ecclesia locũ tenent: quid causæ fuerit, vt tabernaculũ ad sanctificationẽ Aaron anticiparet: videretur enim quod illi⁹ consecratio pręcedere deberet tẽpore, qui pcedebat dignitate. Nũc vero prius vnctũ est tabernaculũ, omnisq; supellex illius, & nouissimus Aaron eodẽ oleo perfusus.

Solutio. Videtur itaq; lex pontificũ arrogantiã repressisse, ne forte aliqs eorũ gratiã Dei quę populo cõfertur, si forte minister eiusdẽ fuerit, à se arbitraretur procedere: intelligeret vero omnis plantus, quia plãtare quidẽ & rigare pro gratia quã accepit, potest: *sed neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, nisi solus qui incrementum dat, Deus. Præceptor*, ait B. Petrus, *per totã noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autẽ tuo laxabo rete. Et cũ ad imperiũ magistri retia laxassent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Inde postea ab ipso audierũt: *Quia sine me nihil potestis facere.* Vngitur tabernaculũ, & dein pontifex: vt tu ducentis, quia nõ pp pontificem ecclesia, sed pp ecclesiam pontifex cõsecratur. Nã etsi nonnulli pastores populi fidẽ præcesserũt tẽpore, vt Apostolus Paulus, qui multas ecclesias in ipso fidei fundamento locauit: in ordinatione tñ & prouidentia creatoris, præcessit fides populorũ Pauli sanctitatẽ, cũ non tam Pauli gratia, ecclesia ad diuinũ cultũ congregata est, quam vt ecclesia per eum congregaretur, hæc gratia Paulo est concessa. Testatur hoc & ipse Thessalonicensibus, dicens: *Sitis*, inquit, *quales fuerimus in vobis propter vos.* Sequitur:

1. Cor. 3. *Luc. 5.* F *Ioan. 15.* *1. Thess. 1.*

Filios quoque eius oblatos vestiuit tunicis lineis, & cinxit balteo, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus.

Non oẽs filijs, quas patri, vestes imponit: quia vnusquisq; quantũ eminet dignitate, eminere debet etiã sanctitate. Lineã igitur solã cum balteo & mitra acceperũt filij Aaron: vt quicunq; ad sacerdotiũ vocantur, etiã si inferioris sint ordinis, si non possunt ad sublimiores virtutũ gradus conscendere, saltẽ vel hæc minora obseruare studeãt, & vt castitatis suæ soliciti sint custodes, & mentẽ ab omni lætali concupiscentia mundã exhibeãt. Nec prætereũdum quod dicitur, quia oblatos vestiuit eos Moyses. Non n. ipsi ad tantũ * honorẽ se ingesserũt, sed ab alio oblati sunt. Vnde & Apostolus: *Nec quisquã sibi sumit honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* De vnctione vero filiorũ Aaron nihil hic dicitur, cũ in Exodo Dñs Moysi præcepisse legatur: *Cunctorũ consecrabis manus, sanctificabisq; illos, vt sacerdotio fungãtur mihi.* Sed legislator dum multa quæ sibi præcepta fuerãt, se cõplesse innuit: ẽt pauca de quib⁹ tacuit, subintelligenda reliquit. Qui n. plurima compleuit, pauca præterire nõ potuit. Aaron itaq; sol⁹ capite vnctus est, quod sacerdotũ princeps cõstituebatur: aliorũ vero tantũ manus oleo cõsecratæ. Nempe hoc eis officium cõmittebatur, vt sancta tractarẽt, de victimis adipẽ & sanguinẽ offerrẽt, & de similæ sacrificijs pugilli sui mensuram, partẽ suam Dño sequestrarent, & altari concremandã imponerẽt. Qui ritus vsq; hodie seruatur. Nã regũ & pontificũ capita oleo sacro perfundũtur: qui aũt minoris ordinis sunt sacerdotes, vnctionẽ istã in manibus solis accipiunt. Feminalia quoq; quæ tã Aaron quã filijs eius Dñs fieri mandauit, hic cõmemorata non sunt. De quibus sic in Exodo legim⁹: *Facies*, ait Dñs, *feminalia linea, vt operiant carnẽ turpitudinis suæ, à renibus vsq; ad femora. Et vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingrediũtur tabernaculũ testimonij, vel quãdo appropinquãt ad altare vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriãtur.* Hãc igitur vestẽ quanquã in ea quæ in manib⁹ est, lectione à legislatore prætermissa sit: nos ob ædificationẽ legentiũ, vt sacerdotalis habit⁹ nostro tractatu totus contineatur, præterire non possumus. Videntur itaq; feminalia linea, eo quod linũ de terra sit, mentis humilitatẽ & præcedentiũ criminũ memoriã designare. Ipsa est enim quæ turpitudinẽ nostram corã Deo operit, sicut scriptum est. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quæ quod tegi nisi per confessionẽ non possint, ipse postea insinuant, cũ subiungit: *Quoniã tacui, inueterauerũt ossa mea.* Ergo quãdiu à cõfessione tacuit

G *+ ministerium.* *Heb. 5.* *Exo. 28.* H *Exo. 28.* *Psal. 31.* *Ibidem.*

in vetu-

A (Ibidem) in vetustate permanerent, nec tegere sua peccata poterat. Postea autem conuersus, quid ait? *Dixi confitebor aduersum me iniustitiā meam Domino.* Vt igitur inter beatos esset, *quorum tecta sunt peccata*, tandem peccatis suis velamētum superposuit confessionis. Hæc feminalia Paulus quoque se induerat, cum in tabernaculo Dei minister constitutus, dicebat: (1 Tim. 1.) *Qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus. sed misericordiam consecutus sum.* Et, (Ibidem.) *Fidelis*, inquit, *sermo, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* His igitur Aaron filijque illius turpitudinem suam à renibus vsque ad feminalia operire præcipiuntur: vt quicquid delectatione praua, seu opere illicito peccauerunt, humili confessione abscondant. Alioqui iniquitatis rei morientur. Neque enim poterit reatus impunitus esse, cui non studuerunt velamentum humilitatis obijcere. Ex istimo itaque legislatorem ob id in hoc loco vestem illam inter vestes sacras non annumerasse, quod in ea non tam virtutis forma sit, quam vmbraculum vitiorum. Nam & in Exodo (Exod. 28.) vbi de ea præcipitur, sequestrata ab alijs, & vnctione sacerdotum interposita, sola describitur. B Videtur quoq; lex Pontifici filiisque ipsius detulisse, quod simplici vestis huius commemoratione contentus fuit: ne sępius eam replicando, nomine turpitudinis suæ, sacerdotibus incuteret verecundiam. Tegēda quippe illa fuerat feminalibus, non toties verbis eis obijcienda. Illi namque super iniquitate sua apertius obiurgandi, & in conspectu illius frequē ti exprobratione reuocandi sunt, qui intuitum mentis suæ ab ea auertunt. & confundi pro peccatis suis refugiunt. Inde est quod Ieremias plebem Israeliticam vehementius obiurgat, dicens: (Iere. 2.) *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbā borith, maculata es in iniquitate tua corā me, dicit Dominus. Quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulaui? Vide vias tuas in conualle, scito quid feceris.* Multa quoque subiungit huiusmodi. Qui tamen cur tam acri inuectione circa eam vtatur, manifeste declarat, dicens: (Iere. 3.) *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Cum igitur in hoc loco legislator de feminalibus tacuit, puto quod sacerdotum pudori pepercit, malens eorum conscientiæ secretam considerationem & accusationem turpitudinis suæ committere, quā voce sua toties in medium eam proferre. C Hucusque de vestimentis Aaron filiorumque eius, necnon & eorundem vnctione actum sit: iam quid officij illis impositum sit, discutiendum est.

De vitulo pro peccato in die consecrationis Aaron.

Cap. III.

OBtulit & vitulum pro peccato.

Iste est vitulus, cuius immolationem inter hostias quæ pro peccato offeruntur, primam supra posuerat, Christus scilicet Dominus, qui pro generis humani reatu seipsū in ara crucis immolatum obtulit. Sed quoniam eius passio non solum opere complenda, sed etiam populis prædicanda fuerat, eliguntur ministri quibus hoc officium iniungatur, vt morte illius audita & credita, à sua mundus morte saluetur. (Ioan. 3.) D *Sicut enim Moyses exaltauit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Moyses itaque vitulum hunc offert, cū diuina pagina Christum pro nobis seipsum obtulisse nos docet. Hac locutione in parabola euangelica redeunte illo adolescente filio, pater seruis suis de hoc eodem vitulo præcepit, dicens: (Luc. 15.) *Adducite vitulum saginatum, & occidite.* Occidite dicit B. Augustinus, id est, occisum prædicate. Lex itaque coram Aaron filiisq; eius vitulum pro peccato mactat, cum Doctorum scientiam de Christi passione informat. Sed quia per eorum prædicationem eadem passio populis intimanda erat, ideo subiungitur:

Cumque super caput eius posuissent Aaron & filij eius manus suas, immolauit eum hauriens sanguinem.

Huius itaque vituli Aaron filijque eius manus capiti imponunt, vt intelligant suæ illum fidei committi, quatenus qui pro mundi salute passus est, eorum labore atque instātia mundo innotescat. Hinc de seipso Paulus Apostolus testatur, dicens: (Galat. 1.) *Cum autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini.* Item ad E Ephesios. (Ephes. 3.) *Mihi sanctorum omnium minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo qui omnia creauit.* De sanguine vero huius vituli quem Moyses hauserat quid fecerit, audiamus.

Et intincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum.

Superius cum huius vituli hostia describeretur, dictum est, quia sanguis eius per Pontificem in tabernaculum illatus est, & de eo super cornua altaris thymiamatis positum quod autem reliquum fuit, fudit sacerdos in basim altaris holocausti, in introitu tabernaculi. Quod quid mysterij contineat, qui scire voluerit, ibi requirat. Hic autem non Aaron, sed Moyses qui eum obtulerat, sanguinem eius hausit: & cornua altaris non thymiamatis, (Leuit. 4.) interius, sed holocausti, tincto digito tetigit. Altare itaque holocausti, ecclesiā superius interpretati sumus: cornua vero illius esse, qui sanctitate ampliori & sapientia sublimiores in illa existunt. F Hic igitur cornua sanguine vituli Moyses principaliter tāgit: quia scriptura diuina eorum cordibus qui scientia & charitate amplius abundant, memoriam passionis Christi altius imprimit. Sed quoniam cætera quoque turba fidelium, quanquam minoris deuotionis, tamen & ipsa pro modo suo obliuionē illius fugit, de altari prorsus sobliuiscitur.

Quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius.

Satis (vt reor) manifestum esse intelligentibus debet, quis iste sanguis sit, cuius tactu altare expiatur & sanctificatur: ille nimirum, de quo (cum de Christo loqueretur) Ioannes in apocalypsi perhibuit, dicens: (Apoc. 1.) *Qui dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Sed reliquiæ sanguinis ad basim funduntur altaris, cum tanti sanguinis recordatio non solum sublimiores tangit, sed etiam inferioribus tradita eorum fide perpetualiter viuit. Sequitur:

Adipem autem qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duosque renunculos cum arbuinulis suis, adoleuit super altare, vitulum cum pelle & carnibus & fimo cremans extra castra, sicut præceperat ei Dominus.

G (Leuit. 4.) Hæc eadem superius in hostijs, pro peccato, de hoc ipso vitulo scripta reperiuntur, vbi quia satis exposita sunt, nostrum laborem iterum non requirunt.

De holocausto arietis Aaron & filiorum eius.

Cap. IV.

OBtulit arietem in holocaustum.

Post documenta fidei, etiam conuersationis fidelium pastoribus cura habenda est. Qui enim fidei prædicat integritatem, ne fides ipsā apud auditores suos otiosa sit, necesse est vt & vitæ eos doceat sanctitatem. Hūc ordinem in verbis suis seruauit ipse Dominus, cum Apostolis suis præcipiens, ait. (Matth. 28.) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Prius docete quid credant, deinde docete vt etiam mandatorum meorum regulam obseruēt. Doctrina autem hæc non tam in verbo constat, quam in exemplo. H Magis enim ad bene agendi voluntatem excitatur, qui alium videt bene agentem, quam si tantum audiat præcipientem. Lex itaque postquam vitulum pro peccato obtulit, quem Aaron filijsque ipsius prędicandum commisit, iterum arietem offert in holocaustum. quia monet eos, vt si fidei sunt doctores, auditoribus suis in bonis operibus studeant esse duces. Offert holocaustum coram eis, non hostiam pacificam: cum eos hortatur, vt si magistri sunt, non popularem, sed perfectam arripiant conuersationem. Offert inquam, quia offerre eos, docet. Huic autem arieti Aaron filijque ipsius super caput manus imponunt, cum pastores ecclesiæ quod sacta lex eis suggerit, se obseruare promittunt. Hoc enim sequitur:

Super cuius caput cum imposuissent Aaron & filij eius manus suas, immolauit eum, & fudit sanguinem eius per altaris circuitum. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput eius & artus & adipem adoleuit igni, lotis prius intestinis & pedibus: totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suauissimi odoris Domino sicut præceperat ei.

A Leuit. 1. Hic est [illegible] tus offerendi holocau[illegible], de quo quia satis in principio huius operis dictum est, sequentia videamus.

De ariete consecrationis.

C A P. V.

O*Btulit & arietem secundum in consecrationem sacerdotum.* Quæ ratio est offerendi huius secundi arietis, post primi oblationem? *Obtulit*, inquit, *arietem secundum in consecrationem sacerdotum*. Ergo prioris oblatio nonne sanctificat offerentes? Qui enim in sua conuersatione perfectum fidelibus religionis præbet exemplum, nõne sanctus dicendus est? Scriptum est tamen: *Maledictus qui spem suam ponit in homine. Omnis enim homo mendax, Deus solus verax est.* Et re vera in tantis tenebris humanæ ignorãtiæ, quis est homo cui error non sit timendus, nisi solus ille qui & * homo & Deus est? Ipse quippe solus dicere potuit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Quicunque ergo in populo Dei duces constituuntur, ne errent quia homines sunt, & post se in perditionem etiam alios trahant: necesse est vt eũ qui errare non potest, sibi ducem proponant: hoc est, si in grege fidelium arietes ipsi sunt, expedit eis vt Christum, cuius ducatu consecrentur, & ab errore liberentur, arietem sibi constituant. Inde B. Apostolus cum discipulos suos ad suam imitationem prouocasset, dicens: *Imitatores mei estote*: ne de eius errore timere deberent, cuius vestigiis ipse inhæreret statim subdidit, dicens: *Sicut & ego Christi.* Hinc ipse Dominus ei, quem totius ecclesiæ ducem constituerat, post resurrectionem suam præcepit, dicens: *Sequere me.* Moyses itaq; post vituli hostiam, post arietem primum, secundum quoq; offert in consecrationem sacerdotum. quia scriptura sacra quæ doctores instruit quid de Christo populis prædicent, quæ monet eos vt suo exemplo ad religionẽ fideles exci[illegible]nt, eadem ne a iustitiæ exorbitent tramite, eius quem præ[illegible]ant Christi formam illis imitandam proponit. Huic quoque arieti Aaron filiiq; illius super caput manus imponunt, cum iuxta legis monita, eius regulam se obseruare promittunt. Inde est quod sequitur:

C *Posuerunt que super caput illius Aaron & filii eius manus suas. Quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine, tetigit extremum auriculæ dextra Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis.*

Iam incipit consecratio S[illegible] nidem hoc dictum erat, arietem hunc in consecrationem [illegible]cerdotum offerri. Vbi satis apparet, quantæ dignitatis & excel[illegible]tiæ sit, qui etiã pontifici filiisque ipsius, per quos ad inferiores ordines consecratio descendit, c[illegible]fert gratiam san[illegible]tis. Tangit itaque Moyses sanguine [illegible]is extremũ auriculæ dextræ Aaron, vt [illegible] ipso pont[illegible]ndium sanct[illegible]et. Auris namque dextra quæ est, [illegible]æ contemptis fabulatoribus [illegible]quorum, percipiendæ applicat sapientiæ? Ista tamen ne decepta pro doctrina salutari venenum hauriat, sacro sanguine munitur: cum d[illegible]ina euangelica quæ Christi veritatem [illegible]e, ne in errorem incidat, informatur. Huius sanguinis tactu Paulus discipuli aurem consecrabat, cum post multa monita salutaria ne aliena dogmata susciperet, instruebat, dicens: *Hæc doce & exhortare. Si quis aliter [illegible]et, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Iesu Christi, & ei [illegible] secundum pietatem est doctrinæ, su[illegible] erbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones [illegible]pugnas verb[illegible]m.* tu homo Dei, hæc fuge. Item. *O Timothee, de[illegible]um custodi, deuitans prophanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Sed quæ putas causa est, [illegible] diceretur, Tetigit autem e[illegible]us dextram [illegible] *auriculæ dextra illius.* An forte idem est, sed mod[illegible] locutionis est? Nescio vtrum hoc innuere voluerit, neq[illegible] per [illegible]sonantia ad scientiæ fontem posse per[illegible]e: guttas tam[illegible] illius, & quasi extrema quædam & [illegible]lia signa, conferre. Quia vero non sola pontificis scient[illegible] sed & vitæ ipsi[illegible] qualitas sanctificandæ [illegible], ne ãries gr[illegible]s Christi si pr[illegible]us à iustitia deuiet alios dece[illegible]ptus decipiat, manus eius dex[illegible]æ ac pedis pollices, [illegible] antur. Quid enim per manum, ni[illegible]o nostra designatur? Manus vero dextra [illegible] opus pietatis, per quod D[illegible]o pl[illegible]ere cont[illegible] nius. [illegible]s quoque [illegible] quia, [illegible]

plam, si [illegible] is regn[illegible] quamus. Manus ergo [illegible], arietis huius magis sanguine consecratur [illegible] exemplo, vt iam prædiximus, ne in religionis semita ab[illegible]et, dirigitur. Sequitur:

[illegible]*btulit & fi[illegible] Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati te[illegible] extr[illegible]um auriculæ singulorum dextra, & pollices manus ac pedis dextr[illegible] fudit super altare per circuitum.*

Nota o[illegible] est [illegible]do. Primus Aaron deinde filii eius, postremo vero [illegible]are, huius arietis sanguine consecratur. Sic enim regula fid[illegible] & norma iustitiæ inuiolata perenniter in ecclesia custoditur, si per Christum Apostoli, per Apostolos vero sequens ordo doctorum, sed & per istos vniuersalis ecclesia doceatur. Hoc est namq; altare, per cuius circuitũ sanguis iste funditur. Vnde & Apostolus Petrus fideles omnes Christi doctrina muniens, tanquam sanguine arietis altare perfundens, dicebat: *Memores estote eorum quæ prædixi verborum sanctorum Prophetarum & Apostolorum vestrorum, & præceptorum Domini & saluatoris.* Et Dominus ipse: *Oues*, inquit, *meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Sed de hoc ariete quid lex adiiciat, audiamus. 1 Pet. 1. Ioan. 10.

Adipem vero & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus suis & armo dextro, separauit.

Adeps huius arietis, gratia est spiritualis, quæ homini Christo concessa est. Vnde Psalmista pro hac gratia supplicans, ait: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Adeps itaque huius arietis separatur, quia Christi gratia ab aliis hominibus longe discernitur. *Vnicuiq; enim nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi.* De ipso autem dicit Ioannes Baptista, *quia non ad mensuram datus est ei spiritus.* Ipse etiam Ioannes vidit spiritum descendentem & manentem super eum: quod signum singulare accepit, quia hic est qui baptizat in Spiritu sancto. In cauda autem finis est corporis. Cauda igitur arietis, Christi consummatio est. Sed cauda ista separatur, quia eius consummatio magno interuallo à nostra distinguitur. Ipse quippe passus, tertia die resurrexit: nos vero cum defuncti fuerimus, nostram resurrectionem in fine temporum expectamus. De his autem quæ sequuntur, de pinguedine, scilicet, quæ operit intestina, reticuloque iecoris & duobus renibus cum adipib. suis: in vitulo qui pro peccato offertur, qui ipsius Domini, (sicut & aries iste) personam tenet, multa superius disputauimus. Vbi cum lex de istis adipibus præciperet, vt offerren[illegible] adolerentur super altare holocausti, sicut fieri solet [illegible] vitulo hostiæ pacificorum: diximus, Sicut hoc, non ad [illegible] qualitatem debere accipi, sed ad aliquam similitudi[illegible] magnam quippe inter hos & i[illegible]os adipes esse distan[illegible] Quod eiusdem legis hic apparet, cum eosdem separandos le[illegible]feste decernit. Armus vero dexter, dominica[illegible] significat. Vere enim omnia dextra ipse habuit. & nih[illegible] iniusti[illegible] *Peccatum quippe non fecit nec dolus inuentus est in ore eius.* Qui armus quoq; cum cæteris separatur: quia (vt eodem perhibente didicimus) *quæ nemo alius fecerat, ipse fecit.* [illegible]d & si quis alius magnum aliquid facere potuit, ne[illegible] quibus polliceri dignatus est, dicens. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* eius virt[illegible]tatis potuit. Ipse vero in his quæ fecit, alterius auxilio non indiguit. Aliorum itaque opera bona, eo cooperante, fiunt: quæ autem ipse per se facit, alii soli tribuenda sunt. Omnia [illegible]tur quæ ad illum pertinent, aliorum hominum * omnium virtutes excellunt. Sequitur:

Psal. 62. Ephes. 4. Ioan. 3. Ioan. 1. Leu. 4. Armus. 1 Pet. 2. Ioan. 14. * omnes.

Tollens a[illegible] [illegible] de canistro azymorum quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes & armum dextrum, tradens simul omnia Aaron & filiis eius.

De hoc canistro in Exodo, Domino ista õmnia ordinãte, sic legimus: *Tolle vitulum de armento & arietes duos immaculatos, panesq; azymos, & crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo: lagana quoq; azyma, oleo lita. De simila triticea cuncta facies & posita in canistro offeres.* Ergo in canistro illo mul[illegible] panes erant, & multa lagana, quæ p[illegible] sacerdotibus offerebantur. Sed de panibus vnus, de laganis quoq; vnum, cum adipib. arietis, cauda & armo dextro, separabatur. Quod vero superius diximu[illegible] L[illegible] [illegible]ol[illegible]

Exod. 29.

A
Canistrũ.
Panes azymi.
Lagana.
Collyrida.

ridã dicit, in Exodo crustulã appellari. Canistrum quod de virgulis contexitur, sanctã designat scripturam, quæ varia nobis patrũ & dicta & exempla ad ædificationẽ proponit. Panes vero absq; fermento, quam figurã habeant, iam sæpe dictum est. Significant enim sanctorum tolerantiã, qui quasi in camino, sic in igne pressurarũ temporalium sine reatu sui causa decocti sunt. Lagana vero zelum eorum spiritualem exprimunt, quo contra peruersos arserunt. Collyrida, simplicẽ doctrinã. De his omnibus in præcedenti libro diutius tractatũ est. Igitur ad consecrationem sacerdotũ canistrum cum panibus & laganis apponitur, cum de sacris codicibus patrum præcedentium & zelus, & patientia quã imitari debeant, illis recitatur. Est in hoc canistro & collyrida, cũ symbolũ fidei nostræ paginæ omnes diuini attestantur eloquij. De his autẽ panibus vnus sequestratur, & adipibus iungitur arietis, cũ dominica passio ab aliorũ sanctorum passionib⁹ magno interuallo distare docetur. Ipse .n. absque omni suo prorsus peccato, nostris peccatis debitã sustinuit mortem: alij vero omnes qui mũdi huius pressuras sustinuerunt, etsi non in homines qui eos affligebant, tñ in Deum peccauerant.

B
Isa. 5.
Isa. 27.
Ibidem.

Vnde Isaias in Cantico vineæ meri, id est, sanctæ ecclesiæ, quæ non labruscas vt illa antiqua vinea, sed diuinæ charitatis attulit merũ: de martyrum passionibus agẽs, qui Dei dispositione tanta perpessi sunt: *Nunquid*, inquit, *iuxta plagã percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est?* Dominus quippe percussit Israel, de quo prædixerat, *florebit & germinabit Israel*, cum Apostolos suos hostibus tradidit percutiendos. Interfectos etiã vineæ suæ ipse occidit, cũ sanctos martyres filios ecclesiæ, ab impijs occidi permisit. Plaga tñ ipsius & mors quã pro nobis pertulit, longe ab illorũ plaga & morte dissimilis fuit. Quod ostẽdit ipse Propheta, cũ subdidit: *In mensurã contra mensuram, cũ abiecta fuerit, iudicabit eam.*

Ibidem.

Tanquã diceret: Ipsa mensuram tribulationis & præsentis humilitatis, iuxta iniquitatum suarum mensuram sustinebit: tu vero cum pro nobis mortẽ gustasti, quæ non rapueras, exoluisti. Separetur itaq; panis vnus de panibus absq; fermento, qui in canistro positi sunt: quia nullus eorũ quos innocenter passos sacra quælibet testatur pagina, dominicæ innocentiæ poterit comparari.

C

Illi enim etsi non ob eam quæ sibi obijciebatur causam, ob diuinæ sc. nominis confessionem, digni erant morte: non tñ ita à reatu erant immunes, vt mortis sententiam quæ generi humano imposita est, euadere deberent. Sed cũ pane isto etiã lagana separantur. Cum enim lagana hæc azyma esse præcipiat lex, vt scil. qui proximum arguit, puro dilectionis affectu absq; omnis perturbationis & iracundiæ fermẽto hoc faciat: nullius hominis zelus tã simplex & purus fuisse credendus est, quã illius cuius singulari innocentiæ & mansuetudini Spiritus sanctus testimonium perhibẽs, in columbæ specie super eũ voluit apparere.

Matth. 3.

Arduum namq; est, & omnino humanam excedit virtutem, zeli feruore succendi, & nunquã vel intus motibus cordis, vel exterius in verbis modum excedere. Collyrida quoq; cum cæteris separari præcipitur. Notandum quod cũ multi panes, multa lagana posita sint, collyrida non fuit nisi vna. *Vna enim* (ait Apostolus) *fides, vnum baptisma.*

Ephes. 4.

Nam quicquid simplex fidei regula tradit, ab omnibus catholicis indifferenter obseruatur. Hæc tñ crustula cũ adipibus arietis separatur: quia fidei veritas licet ab omnib⁹ catholicis prædicetur doctoribus, dominica tñ autoritate specialiter cõfirmatur.

D

Namque de nostra resurrectione speramus, ipse non solũ verbo docuit, sed & exemplo suo asseruit. Vnde & Apostolus cõtra eos qui de tãta hac spe nostra desperabant, hoc argumento vtitur, dicens: *Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidã dicũt in vobis, quod resurrectio mortuorũ non est, neq; Christus resurrexit. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, & in * ipso omnes viuificabuntur.*

1. Corin. 15
* Christo.

Separatur itaq; collyrida, & adipib. arietis iungitur: quoniam omnes alij quod per eum didicerũt, hoc annunciauerũt nobis: ipse vero *quod vidit & audiuit, hoc testatus est.* Vnde & ipse ad Nicodemum ait: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis.*

Ioan. 3.
Ibidem.

Merito itaq; fidei dogma illi specialiter ascribitur, cuius testimonio & autoritate principaliter solidatur. Postquam ergo Moyses de ariete adipes, caudam & armum separauit, postquam de canistro panem & laganum & collyridam segregans illis superposuit, tradit omnia sacerdotibus. Lex quippe sacra quæ de hac (quam notauimus) Domini excellentia magistros imbuit, vt eandem fidelibus intiment, officio illorũ committit. Sequitur:

E

Qui postquam leuauerunt ea coram Domino, rursum suscepta de manibus eorum, adoleuit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio, in odorem suauitatis sacrificij Domini.

Leuant ea quæ sibi tradita sunt filij Aaron, quando magistri ecclesiæ in auribus fidelium dominicas virtutes suis laudibus extollunt. Et coram Domino hoc faciunt, testimoniũ scil. perhibente veritati quã prædicant, Deo. Sed omnia illa corã Domino eleuata, rursum Moysi manibus reddunt: cũ ea quæ docent, ne falsa esse videantur, scripturarũ autoritate refundunt: cum se non de suo sensu hæc proferre, sed de fontibus diuinis hausisse insinuant. Moyses vero suscepta de manibus eorum super altare adolet holocausti. Altare quippe holocausti, sunt corda fidelium, nondum intra tabernaculũ posita, sed adhuc pro ingressu regni cœlestis sollicita.

F

In his itaq; adipes arietis cũ superpositis sibi adolentur, cum fideles populi redemptoris sui virtutes & tota mẽte diligunt, & ad imitandum pro posse suo totis visceribus inardescunt. Hæc vero oblatio consecrationis est. Consecrantur namque hac fide & deuotione populi. Vnde & ea quæ de saluatore suo bona audiunt, ardentius & corde retinent & opere complent, quia tali studio suo se sanctificari non dubitant. Sequitur:

Tulit & pectusculum, eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.

Dubium est de quo hoc dicatur, de Moyse, an de Aaron. Nam de Moyse prius loquebatur lex, dicens quod arietis adipes de manib⁹ sacerdotum susceptos, super altare adoleuerit. Vbi statim quasi de eodem loquens, subdidit: *Tulit & pectusculum, eleuans illud coram Domino.* Sequens etiam versus, ad Moysen sine dubio referendus est. Nam sequitur:

Assumensque vnguentum & sanguinem qui erat super altare, aspersit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius ac vestes eorum.

Hoc nisi de Moyse nõ dicitur. Videretur ergo & hoc vnde agimus, ad Moysen sine dubio referendum, nisi hãc opinionẽ nostram reuocaret, quod nusquã legisse me recolo, Moysen hostiæ cuiusquam aut sacrificij partem aliquã sibi assumpsisse.

G

Ad Exodum ergo reuertamur, vbi omnia quæ hic narrantur expleta, à Domino præcipiuntur implenda. Ibi itaq; Domin⁹ ad Moysen de his sic loquitur: *Sumes quoque pectusculũ de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabisq; illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem suam.*

Exo. 29.

Ecce manifeste lex pectusculum arietis Aaron habendum decreuit. Insolita ergo & multum notanda locutio hæc est, qua in Leuitico vtitur legislator: vbi tam latenter personam pontificis interponit, vt cum & præcedens & sequens versus manifeste Moysen exprimat, medius sine adiectione nominis ipsius, Aaron teneat. Nam vt quod dico manifestius fiat, ipsius literæ textum ex ordine pono. De Moyse agẽs scriptura: *Susceptos*, inquit, *adipes de manibus sacerdotum adoleuit super altare. Tulit & pectusculum, eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. Assumensq; vnguentum & sanguinem qui erat super altare, aspersit super Aaron.* Cũ & in primo & in tertio versu tam aperte Moysi persona expressa sit, quis in medio Aaron non nominatũ intelligendũ crederet nisi & hoc aperte alia scriptura monstraret?

H

Sed ad mysteriũ veniamus. *Tulit Aaron pectusculum, eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam.* Quid est arietis pectusculum, nisi sapientia quæ homini Christo cõcessa est?

Pectusculum.

Hoc pectusculũ Aaron in partem suã suscipit: quia doctorum est quanto amplius vulgi sensum excedunt, tanto perfectius Christi doctrinã & intellectu capere, & altius mente retinere. Pectusculum arietis in partem suam susceperat Apostolus, cum dicebat: *Nos autem sensum Christi habemus.* Vnde & dicere non dubitabat: *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius seculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.*

1. Cor. 2.
Ibidem.

Pectusculum arietis in partem suam accepit discipulus ille, qui supra pectus magistri recumbens in cœna, inde sumpsit quod postea eructauit, dicens: *In principio erat verbum.* Sed pectusculum hoc Aaron eleuas coram DOMINO, cum sacri do-

Ioan. 13.
Ioan. 1.

A ctores Christi sapientiam veris laudibus & Deo acceptis ex-
Col. 2. tollunt. Inde est quod Apostolus de eo loquens: *In quo*, in-
quit, *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: quem etiam
1. Cor. 1. secundum diuinitatem suam, Dei virtutem & Dei sapientiā
appellat. Sciendum vero quod in Exodo etiam armū dex-
trum arietis cum pectusculo, Dominus Aaron habendum
concessit: quanquam legislator de eodem armo nihil hic
Exod. 29. dixerit. Ibi quippe Domino præcipiente sic legitur. *Sanctifica-*
bis & pectusculum consecrationis, & armū quem de ariete separasti,
quo initiatus est Aarō & filij eius cedentq; in partē Aaron & filiorum
eius, iure perpetuo à filijs Israel: quia primitiua sunt & initia de victi-
*oritur *mis eorū pacificis, quæ offerunt Domino.* Hic non contemnēda*
nascitur quæstio. Ecce enim armum cū pectusculo de hoc
ariete cōsecrationis, Dominus Aaron concedit, cum in Le-
uitico armus idem cum adipibus arietis inuenitur incen-
sus. Sic namq; superius legimus: *Tollens Moyses de canistro panē*
& collyridam laganumq; posuit super adipes & armum dextrū, tra-
dens simul omnia Aaron & filijs eius: Qui postq̄ lauauerūt ea co-
ram Domino, rursum suscepta de manib. eorum, adoleuit
super altare holocausti. Nō ergo armus in Aarō, sed in Do-
mini partem cessit, qui cum adipibus arietis super altare in
B sacrificio Dñi concrematus est. Quid ergo dicemus? Nun-
quid aliud Moyses quam Dominus præceperat, fecit? Ne-
quaquam. Nam & in Exodo Domino loquente, eadem cō-
trarietas inuenitur. Ibi namq; etiam ipse armus cum cæteris
Exo. 29. incendi præcipitur, Domino dicente ad Moysen: *Tolles adi-*
pem de ariete & caudam & aruinam: multisque enumeratis, *ar-*
mumq;, inquit, *dextrum: ponesq; omnia super manus Aaron & fi-*
liorum eius. Suscipiesq; vniuersa de manib. eorum, & incendes super
altare in holocaustum. Vniuersa, inquit, *suscipies & incendes*. Hic
& armum videtur comprehendere. Et tamen postea quod
Ibidem. præmisimus, subdit: *Sanctificabis pectusculum consecratū & ar-*
mum quem de ariete separasti, cedentq; in partem Aaron. Nihil ita-
que video quo ista contrarietas dissoluatur, nisi vt dicamus
hoc quod habet scriptura, vniuersa à Moyse suscepta & in-
censa, per hyperbolen dictum vniuersa, id est pene vniuer-
sa, armo excepto: vt intelligamus cū illa omnia Aaron ma-
nibus traderentur, armum eum in partem suam iuxta præ-
ceptum Domini detinuisse, & cætera Moysi reddidisse: quę
Moyses ab eo suscipiēs, vniuersa incenderit sup altare. Sūt
C locutiones in scriptura quam plurimæ huiusmodi. Dicitur
Exod. 8. in Exodo, *quia omnis puluis terræ Aegypti versus est in cyniphes*: &
tamen legimus postea quod magi conati sunt facere simili-
ter, & non potuerunt. Vnde ergo conati sunt educere cyni-
phes, si non erat aliquis puluis qui in cyniphes nōdum es-
set conuersus? Dictum est itaq; *omnis puluis*, id est, pene om-
Exod. 9. nis. Et paulo post: *Mortua sunt*, inquit, *omnia animantia Aegy-*
ptiorum. Non longe tamen inferius monetur Pharao, vt cō-
greget iumenta sua. Non ergo omnia animantia mortua
erant, sed pene omnia. In euangelio Dominus: *Non surrexit*,
Matth. 11. inquit, *inter natos mulierum maior Ioanne baptista*. Quasi vni-
uersaliter conclusit. Quod tamen non vniuersaliter intelli-
Ibidem. gendum ipse docuit, cum subiunxit: *Qui autem minor est in*
regno cælorum, maior est illo. Nemo, itaq; dixit, id est, pene
nemo: quippe cum se solum excluserit. Simile est quod in
manibus habemus. Cum enim vniuersa Moysen dixit sus-
cepisse & concremasse, quomodo hoc intelligi voluerit, in-
ferius innotuit, cum armum non concrematum, sed Aarō
relictum fuisse nos docuit. Vniuersa vtiq; dixit præter ar-
mum. Aaron itaq; de ariete concremationis, armum cum
pectusculo in partem suam sortitur: quia doctores sancti nō
D solum ad intelligēda Christi verba vulgo acutiores, sed ad
opera quoq; ipsius imitāda fortiores & promptiores existūt.
Easdem vero partes ipse Aaron de hostijs pacificis filiorum
Israel in primitias suas accipit: quia prędicatores sanctę ec-
clesiæ sicut magistri sui Christi verbo & exemplo principa-
liter informantur, sic ipsi sua doctrina & conuersatione po-
pulum sibi commissum in fide & religionē præueniūt. Ha-
bent itaque pectusculum arietis, cum scientiæ Christi fa-
miliarius communicant. Habent pectusculum pacifico-
rum cum plebs per eos edocta, quod de eo rectum credit,
suum esse exultant. Iterum habent armum arietis, cum
Christi opera in se efficacius repræsentant. Habent ar-
mum pacificorum, cum plebs suo informata exemplo,
quod rectè viuit, suæ mercedi imputandum confi-

E dunt. Sequitur quod iam supra posuimus, sed non expo-
suimus.

Assumensque vnguentum & sanguinem qui erat super altare, a-
spersit super Aaron & vestimēta eius, & super filios illius ac vestes eorū.

Quid sibi vult hæc vnguenti sanguinisq; aspersio? Non-
ne iam Aaron vnctus fuerat, & filiorum illius manus con-
secratæ? Quid igitur rursus vnguento aspergitur? Sed nota
grande & vtile mysterium. Omnis homo, quanquam iam
sanctificatus sit aut baptismo aut quolibet alio sacramento
quamdiu viuit inter tentationes huius seculi, nō potest esse
1. Ioan. 1. sine peccato. *Si tamen confessi fuerimus* (ait B. Ioannes) *delicta*
nostra, fidelis est & iustus, vt dimittat nobis delicta nostra & purget
nos ab omni iniquitate, non tantum præterita, sed & si qua cō-
traximus ex hac vita: quia non potest homo quamdiu car-
nem portat, non habere vel leuia peccata. Sed quomodo
fiet ista purgatio? *Sanguis*, inquit, *Iesu purgabit nos ab omni de-*
Ibidem. *licto*. Ergo si peccas, nec potes omnino cauere quin aliquā-
do pecces, continuo vide, continuo displiceat, continuo
damna. Manet super altare vnguētum, manet sanguis quo
aspergaris & purificeris. Est enim in ecclesia gratia Spiritus
F sancti: est fides passionis Christi, per quam peccati tui veniā
Ioann. 5. consequaris. Hanc quotidianæ pœnitentiæ purgationem
significauit & illa pedum lauatio, quam Dominus in cœna
discipulis exhibuit. Nam rogante Petro vt non tantum pe-
des, sed & manus & caput sibi abluerentur, respondit ipse
Dominus: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mun-*
dus totus. Totus vtiq; præter pedes. In sancto. n. baptismo ho-
mo totus abluitur: veruntamē cum in reb. humanis postea
viuitur, vtiq; terra calcatur. Quotidie itaq; pedes lauat no-
bis, qui interpellat pro nobis. Dicatur ergo: *Assumensq; vn-*
guentū & sanguinē qui erat super altare, aspersit super Aaron & ve-
stimenta eius, & super filios illius ac vestes eorum. Vestimenta sa-
cerdotum sunt opera iustitiæ, quibus coram hominibus ad-
Psalm. 131. ornatur, sicut scriptum est: *Sacerdotes tui induantur iustitiam*.
Sed quoniam hæc vestimenta nonnonquam aliqua inter-
ueniente iniquitate cōtaminantur, necesse est vt hac asper-
sione mundentur. Asperguntur vero sacerdotes cum vestib.
quando & eorum consciētia à reatu prauæ cogitationis, &
eorum conuersatio à reatu praui operis absoluitur. Deim-
de subiungitur:

G *Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coqui-*
te carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas.

De quibus carnibus dicat ambigitur, nisi quod in Exo-
do aperte distinguitur. Ibi enim loquitur Dominus Moysi,
dicens: *Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes eius in*
Exod. 29. *loco sancto, quibus vescetur Aaron & filij eius*. Superius igitur de
adipibus, cauda, armo & pectusculo secundi arietis quid
fieri oporteret, decreuerat: nunc reliquas carnes illius co-
qui mandat, & sacerdotum vsui deputat. Vt quid ergo ar-
mum solum cum pectusculo in partem Aarō deputauerat,
cum nunc totum arietem in vsus suos accipiat? Constat q̄
mysterij ratio ibi fuit, non sacerdotalis peculij prouidētia.
Quod enim de illis duobus membris pectusculo & armo
dictum est, de toto vtique ariete dici posset, quod scilicet
ad partem Aaron pertinebat, nimirū qui in illius vsus trans-
iturus erat. Sed in his omnibus cum magis doctrinæ nostrę
ratio habeatur, quam transitoriæ illorum hominum vtili-
tatis: sic dicuntur & sic geruntur, quomodo significandi re-
H gula postulat, non quomodo vsus hominum corporalis vi-
deretur exigere. Cum enim dixit legislator, armum seu pe-
ctusculum in partē Aaron cedere: magis intendit spiritua-
lium doctorum describere virtutem, quā legalis illius pon-
tificis possessionem. De carnibus vero quas coqui iussit, &
à sacerdotibus cōedi, quid significent videamus. Superius
aures digitosq; eorum sanguine huius arietis tetigerat: vbi
intelleximus, quod lex diuina tā doctrina quam exemplis
Christi sacerdotes informet, ne ipsi aut peruersa docere,
aut à tramite iustitiæ deuiare præsumant. Sed quid prodest
monita legis suscipere, nisi studeamus ea eorū opere exple-
re? Post tactum itaq; sanguinis, qui doctrinæ imbutionem
designat, carnes quoque arietis comedi præcipiuntur: vt
quem delectauit Christi verba audire, & opera illius in-
tueri, exempla quoque virtutum ipsius non pigeat imitari.
Quæ tamen antequā comedantur, coquenda sunt: vt opera
dominica mēte solicita perscrutentur, & ardenti cogitatione

in affectus

A in affectus nostros traijciantur. Vt enim ait B. Gregorius, cum de coquendis agni carnibus loqueretur: quasi mente coquimus, quicquid subtiliter cogitamus. Sequitur:

Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: Aaron & filij eius comedent eos.

Panes consecrationis, quod sanctorum patientiam designent, paulo ante dictum est. Cum carnibus ergo arietis & panes edendi sunt: vt Dei Sacerdotes primum capitis sui, deinde etiam sanctorum Patrum ædificentur exẽplo. Hi autem panes in canistro continentur, quia per scripturam sacram virtutes eorum nobis insinuantur. Quia tamẽ infirmi sumus, & ad imitanda fortia Patrum opera deficimus, continuo subinfertur:

Quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

B Relinquitur de carne & panibus quod non edimus, cũ infirmitate nostra præpediti, virtutes sanctorum perfectè imitari non possumus. Sed hoc igni tradimus, cum quod illi tanta potuerunt, ex ampliori quã acceperant, gratia fuisse cognoscimus. Igni tradimus hoc quod non possumus edere, cum fortitudinẽ illorum ad quam pertingere non valemus, Spiritui sancto ascribimus. Nõ enim *volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei*. Et quia *vnicuiq; datur gratia non secundum suum arbitrium, sed secundum donantis mensuram*. Sequitur. Rom. 9. Ephes. 4.

De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, vsque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio, sicut in præsentiarum factum est, vt ritus sacrificij compleretur.

C Quæritur quomodo tabernaculo nõ exirent, cum paulo ante præceptum eis sit, vt arietis carnes coquerent ante fores tabernaculi, & ibi eas comederent. Itaq; extra ostiũ tabernaculi erant, cum hoc faciebant. Sciendum itaque quia per tabernaculi ostium, atrij exterioris introitum voluit intelligi, quod circa tabernaculum centum cubitis in longum, & quinquaginta in latum extendebatur. In cuius orientali parte ante fores tabernaculi, intra velum quod in introitu atrij pendebat, altare erat holocausti: circa quod & spatia in quibus hostiæ cædebantur, aut etiã à sacerdotibus edebantur. Manere itaq; in loco sancto sacerdotes præcipiuntur, nec egredi dẽ ostio atrij septem diebus. Septẽ dies omnem vitam præsentem designant, quæ septem diebus voluitur. In sancto vero loco demoratur, quisquis in sanctis operibus occupatur. Præcipitur ergo sacerdotibus ne de loco sancto exeant septem diebus. i. ne quamdiu hic viuunt, ab obseruatione diuinæ legis recedant. *Septem*, inquit, *diebus finitur consecratio*. In hac enim tantum vita sanctitas acquiri potest: transacta autem vita, præmium sanctitatis recipitur. Hic erat ritus sacrificij veteris, in quo nostræ purificationis virtus continebatur. Deinde subiungitur:

Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruantes custodias Domini, ne moriamini, Sic enim præceptum est mihi

D Diem ac noctem, prosperitatem & aduersitatem intellige. Sunt quidam qui per diem de loco sancto exeunt, quia nimia temporalium rerũ abundantia aut extolluntur, aut intemperanter vtentes corrumpuntur. Per noctẽ vero de tabernaculo exit, qui inimici tentationibus fatigatus, à iustitia recedit. Sed die ac nocte in tabernaculo manendum lex præcipit, vt scil. nec prosperitas nos corrumpat, nec aduersitas frangat. Concluditque ea quæ præmiserat, breui clausula dicens:

Feceruntque Aaron & filij eius cuncta, quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER SEPTIMVS.

PRAEFATIO

Relegamus quid hucusque actum sit. Loquens Dominus cum Moyse de tabernaculo, mandauit ei de oblationibus populi, dans holocaustorum legem & sacrificiorum similæ: sed & pacificorum & hostiarum pro peccato, ritum disponens. Quæ etiam omnia recapitulans, plenius edidit. Tandem accedens ad consecrationem Sacerdotum, primum sacris eos vestibus induit. Deinde offerens vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, quoẽ annunciare siue qualiter viuere deberent, edocuit. Obtulit & arietem consecrationis coram eis, proponens eis hostiam imitandam potius illis, quam offerendam ab illis, Quibus etiam præcepit, vt septem diebus à tabernaculo non recederent. Hæc est tractatorum summa, cuius fines attigimus. Inde sequentia videamus. E

De octaua die consecrationis Aaron & filiorum eius.

CAP. I.

F *Acta autem die octaua, vocauit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu Israel, dixitque ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, vtrunque immaculatos, & offer illos coram Domino.* F Leuitic. cap. IX.

Hæ sunt hostiæ quas prius immolauerat coram eis, quarum capitibus ipsi manus imposuerant: promittentes aut eum se prædicaturos quem lex insinuabat, aut sic victuros quomodo docebat. Quia vero Deus non est irridend⁹, tandem octaua die conueniuntur, vt quod vouerant, hoc exsoluant. *Tolle*, inquit ad Aaron, *de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, & offer illos coram Domino*. Primo Moyses vitulum hunc & arietem coram Aaron obtulerat, quasi instruens eum: nunc vero præcipit, vt ipse Aaron eos offerat, tanquam exigens ab eo vt faciat quod didicerat. Sed quid causæ fuit, vt ad hoc opus octaua die eligeretur? Nimirum quia Christus die octaua à mortuis resurrexit, & nobis in se credentibus octauo tempore, post sex scilicet mundi huius ætates, & septimam requiem animarum, eandem resurrectionem promisit. Sub hac spe agendum est quicquid agimus boni, vt octauo die hostias nostras Deo offeramus, sub spe s. octauæ resurrectionis. Hinc B. Gregorius de Iob in moralibus ait: Cum septem filij per dies singulos cõuiuia facere describuntur, & peractis diebus conuiuij, Iob septem sacrificia offerre perhibetur: aperte historia indicat, quod B. Iob octauo die sacrificium offerens, mysterium resurrectionis colat. Qui enim octauo die offerre septem sacrificia dicitur, plenus septiformis gratiæ spiritu, pro spe resurrectionis Dño deseruisse perhibetur. Aaron itaq; octauo die offert vitulum pro peccato, cum Christi mortem populis prædicans, per hanc fidẽ resurrectionem illis promittit. Offert & arietem holocausti sui in ipso die, cum pro eadem spe, spretis mundi huius oblectationibus, diuinis se mancipat obsequiis. Sciendum tamen quod allegorice dies octaua tempus designet gratiæ, in quo fides resurrectionis manifeste populis declarata est. Ante aduentum enim Christi solam hanc vitam sciebant homines, promissionis spem non habentes. Postquã vero Deus pro nobis mortem nostram sustinuit, tertia die resurgens, verbo & exemplo ad spem nos resurrectionis erexit. Offert itaque Aaron vitulum pro peccato octauo die, mystice præfigurans, quod cum venisset plenitudo temporis, ille pro peccatis nostris immolandus esset, qui sua morte & resurrectione resurgendi spem hominibus daret. Et hoc quoque notandum, Aaron in sequenti lectione geminam habere personam: & nunc Christi, nunc autem ecclesiasticorum præsulum formam prætendere, quod melius suis in locis annotabitur. Sequitur. G Iob. 1. H

Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum & sine macula, in holocaustum, bouem & arietem pro pacificis, & immolate eos coram Domino.

Hæ sunt hostiæ populi, quarum ritum tradiderat Dominus Moysi loquens cum eo de tabernaculo. Nec tamen omnes hic commemorantur. Nam de holocaustis, hostia auium: de pacificis, capra & ouis reticetur. Sed cum de omnibus aut plures aut præcipuæ commemorantur, restat vt etiam illæ quarum tacentur nomina, subintelligantur. Populus ergo oblationes quas præceperat Dominus, in die octaua offerre incipit: quoniam Israel ille carnalis licet

A bona temporalia à Deo expectaret, populi tamen spiritualis figuram gerens, quid nos dum diuinis insistimus obsequijs, à Deo sperare oporteat, in suo opere demonstrat. Nā nec sacrificia similæ prætermisit legislator, sed prædictis victimis eā adiungi præcepit, dicens:

In sacrificio singulorum, similam oleo conspersam offerentes.

Simila autem hæc cum sicut in principio operis huius ostensum est, puritatem mentis designet, non omnibus hostijs pari modo annectitur. Alia est enim perfectorum puritas eorum qui seipsos holocausta Deo offerunt, & ex integro cunctis mūdi huius spretis oblectationibus, religioni se mancipant: alia pacificorum, eorum qui quamuis Deo placere studeant, adhuc tamen mundanis actibus occupātur: alia item pœnitētium, eorum scilicet qui nuper ad pietatem conuersi, voluptatum quibus paulo ante renunciauerant, desiderijs intus grauiter impugnantur. Perfecti itaque mente Deo vacant: & meditationi siue orationi intenti, etiam otiosa cogitare deuitant. Qui autem in seculari

B vita suæ religionis tenorem habent, si non otiosa, aut certe criminosa, sicut ab operibus, sic etiam ab affectib. suis excludunt. Illi vero qui tertium locum tenent, qui adhuc plangunt quod nuper admiserunt, etsi affectuum suorum molestiam sustinent, tamen consensum refugiunt. Cum igitur omnes cōmuniter peccandi voluntatem à mente excluserint, vnusquisq; eorū hostiam suam simila, quāquam dissimili, puritatis suæ Domino commendant. Sequitur:

Hodie enim Dominus apparebit vobis.

Hoc est quod dixeram, quia dies illa tempus gratiæ designat, quando Deo in carne apparente, mundus qui prius sine Deo fuerat, Christi fide imbutus, tandem ad pietatis cultum conuersus est. De hac eius apparitione Apostolus

Tit. 2. ait: *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo.* Et Ieremias: *Post hæc in terris*

Baruc. 3. *visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Tulerunt ergo cuncta quæ iusserat Moyses, ad ostium tabernaculi. Vbi cum omnis staret multitudo, ait Moyses: Iste est sermo quem

C *præcepit Dominus. Facite, & apparebit vobis gloria eius.*

Notanda conditio quæ eis præponitur. *Si, inquit, feceritis quæ Dominus imperauit, apparebit vobis gloria eius.* Ista est gloria de qua scriptum est. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vni-*

Ioan. 1. *geniti à patre.* Gloria Christi fuit in virtute signorum, per quam adhuc mortalis coram hominibus glorificatus est. Hanc eius gloriam viderunt tunc discipuli, vident & nunc vsque fideles Christiani, qui opera illius per euangelium audiētes, gloriam ipsius mente conspiciunt. Hæc eius gloria inimicis illius apparere non potuit: quia etsi videbant signa quæ faciebat, non tamen intelligebant. Vnde scriptū

Psalm. 27. est. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos.* Opera enim faciens in illis quæ nemo alius fecerat, Deum se mortalibus insinuabat. At illi videntes

Isa. 6. non videbant, vt ait Isaias: *Videntes videbunt, & non videbunt.*

Matth. 13. Ioan. 12. *Excæcatum est cor populi huius.* Inuidia igitur illos excæcauerat. Quamobrem si volumus Christum agnoscere, salubre

D consilium non aspernemur, *Facite, ait, & apparebit vobis gloria eius.* Obedientia nanque mandatorum ipsius, merenda est eius notitia, vt fiat quod scriptum est: *A mandatis tuis in-*

Psal. 118. *tellexi.* Nam & discipuli illi qui cum eo post resurrectionem

Luc. 24. eius in via ambulabant, audiebant eum loquentem, nec tamen agnoscebant. Postquam vero eum hospitio susceperunt, aperuit oculos pietatis opus, quos cœlestis doctrina non aperuerat auditus. Fuit etiam Christi gloria in resurrectione & ascensione illius. De hac enim ad patrem ait: *Pa-*

Ioan. 17. *ter, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Siue enim clarifica, siue glorifica dicatur, ex vno græco translatum est, quod est δόξασον. Hanc eius gloriam viderunt amici, & non viderunt inimici, sicut scriptum est: *Domine, exaltetur manus tua, & non videant.* Hanc eius gloriam etiam

Isa. 26. nunc non vident inimici quicunque non credunt: non vident etiam illi, qui credere se dicentes, reproba conuersatione nunquam se de illa cogitare ostendunt. Vnde ipse

Ioan. 14. passioni iam proximus, ait: *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.* Cui cum Iudas Apostolus responderet, *Domine,*

Ibidem. *quid factum est, quia vobis manifestaturus es teipsum, & non mundo? ait illi Iesus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, Et*

E *pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ecce exposita est causa, quare se suis manifestaturus est, non alienis, quos mundi nomine appellat. Et ipsa causa est, quod hi diligant & mandata eius obseruent: illi autem non diligant, nec mandatis eius obediant. Est ergo quædam Christi manifestatio interior, solis compertorum mentibus & præcepta illius facientibus, contemptoribus vero prorsus incognita. *Facite*, igitur, inquit, *& apparebit vobis gloria eius.*

Dixitque ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo.

Hic Aaron veri pontificis Christi typum gerit, cum vitulum pro peccato suo immolare iubetur. Ipse enim (vt iā superius diximus) peccatum nō habuit, sed populi sui peccatum sibi imputauit, pro quo & patri seipsum obtulit. Sed quid est quod à Moyse iussus, ad immolandum accedit? Quis est enim tantæ potestatis homo, vt filio Dei aliquid imperare præsumat? Christus tamen moriēs, Moysi quodammodo obediuit: quia quod Moyses & alij prophetæ prædixerant, in seipso compleuit. Vnde est illius vox in Psal-

F mo: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam* Psalm. 39.

Deus meus volui. Sed & Euangelista Matthæus, cum comprehensum eum ab hostibus dixisset: *Hoc, inquit, totum fa-* Matth. 26

ctum est, vt impleretur scriptura prophetarum. Nōne ergo Moysi moriendo obediuit, qui quod lex ante verbis aut signis prænunciauerat, operibus impleuit? Addidit quoque Moyses, loquens ad Aaron:

Offer holocaustum.

Hic mutatur persona Aaron, & ad pontifices ecclesiasticos refertur. Holocaustum quippe hoc, vt supra ostendimus, ipsorum est.

Et deprecare (inquit) pro te, & pro populo.

Hoc vtrum ad Christum, an ad pontifices referatur, parum interest. Nam & Christus ante passionem suam pro se

Ioan. 17. orauit, cum subleuatis in cœlum oculis, ait: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Pro populo

Ibidem. quoque orauit, cum inferius adiunxit: *Pater, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Et ego pro eis rogo, non pro mundo: sed pro*

G *his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Pontifices quoq; sancti non pro se tantum, sed & pro populo sibi commisso Deum rogant, cum seipsos hostiam Deo immolant. Sequitur:

Cūq; mactauerit hostiā populi, ora pro eo sicut præcepit Dominus.

Quæritur, q̄d dicat hostiam populi. Duas enim præmisit hostias, vitulum quem præcepit vt offerret eum Aaron pro peccato suo, & holocaustū arietem illius. Nulla ex his dicta est hostia populi. Sed si priorum meminerimus, liquet quæ ipsa est hostia populi, quam pontifex p̄ peccato suo offerre præcipitur. Superius enim in hostijs pro peccato, cum lex pon-

Leu. 4. tifici vitulum assignasset, cuius & ritum descripsit, vitulum quoq; sub eorum ritu p̄ populi ignorantia censuit offerendum: satis aperte insinuans, quod eadem hostia & pontificis est & populi: quia videlicet cum pontifex peccatū suum hostia expiat, in peccato suo non nisi populi peccatum expurgat. Sequitur:

Statimque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro

H *peccato suo, cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui.*

Constat, filios populi illius veteris, Dei filios antea nominatos, sicut ipse dixit per Isaiam Prophetam: *Filios genui*

Isa. 1. *& exaltaui, ipsi autē spreuerunt me.* Hi ergo filij qui tanta boni sui gratiā referre debuerāt, & quasi vinea à summo agricola

Isai. 5. bene exculta, vuas, non labruscas, afferre: amarissimū fructum protulerunt, dū mortis calicem illi propinauerūt. Inde est, q̄ Noe de vinea quā plantauerat, bibit & inebriatus

Genes. 9. est, & nudatus in tabernaculo. q̄a Christus de manu populi quē de captiuitate extraxerat, & in repromissionis terra collocauerat, populum passionis suscepit. Vnde & in morte obdormiuit. Tunc. n. nudata est mortalitas carnis eius,

1. Cor. 1. *Iudæis scandalum, gentibus autē stultitia.* Immolat ergo Aaron vitulum, cuius sanguinē offerunt ei filij sui: quia Christus cū seipsum in ara crucis immolandū p̄buit, sanguinis sui effusionē de manu filiorū sustinuit. Potest & sic intelligi quod dicitur, q̄ filij Aaron sanguinē hostiæ suæ patri obtulerunt: cū Christi membra, quos affectu quē erga eos habet, filios

Marc. 2. nominat, dicens: *Non possunt lugere filij sponsi, quamdiu cum illis*

Matth. 9. *est sponsus:* causam moriendi illi dederunt, nempe pro salute eorum mortuus est. Sed de eodē sanguine adhuc subditur:

A *In quo tingens digitum suum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim eius. Adipemque & renunculos & reticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adoleuit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi. Carnes vero & pellem eius extra castra combussit igni.* E

Hic est ritus huius vituli pro peccato: de quo quia satis supra tractatum est, in manifestis immorandum non est. Sequitur:

Immolauit & holocausti victimam, obtuleruntque ei filij sui sanguinem eius.

Hoc est holocaustum arietis, quem pro seipso Aaron offerre iussus est, cuius sanguinem obtulerunt ei filij illius. Si sanguis holocaustorum est effectus carnalis, qui ab vnoquoque perfecto abijciendus est, vt in principio operis huius de holocaustis tractantes disseruimus: sanguinem huius victimæ offerunt Aaron filij ipsius, quia pastor ecclesiastici officij necessitate stimulatus, dum in doctrina sua commissorum sibi culpas redarguit, voce sua admonitus, in se quoque si quid vitiosum est, citius deprehendit. Offerunt B ei filij sanguinem hostiæ suæ, quem per altaris circuitum fundat: quia dum erudit per eum satagunt, ad corrigenda sua & aliorum vitia dormientem forsitan & negligentem exuscitant. Vnde sequitur:

Quem fudit per altaris circuitum. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite & membris singulis obtulerunt.

Cum enim boni discipuli doctoris sui monita prompta mente suscipiunt, & alacriter quæ præcipit exequuntur, ipsum etiam doctorem ad bonæ operationis studium accendunt. Hostiæ siquidem suæ illi membra offerunt, cum verbis illius edocti, de singulis quæ eum agere oporteat, factis potius suis quam verbis suggerunt. Vnde & in Iezechiele [Iezec. 40. & 42.] pauimentum ædificij, quod in monte idem Propheta conspexit, & gazophylacia eo fuerant ordine distincta, vt & gazophylacia intra pauimentum, & pauimentum intra gazophylacia fuerit stratum. Habet enim pauimentum in circuitu gazophylacia: quia vitam audientium erudit quotidie & custodit lingua doctorum. Sed habent ipsa quoque gazophylacia in circuitu pauimentum: quia sæpe etiam doctorum cor, vitiorum tentationibus tangitur, vt modo e- C leuetur iactatione superbiæ, modo iræ stimulis inflammetur. Sed cum bonorum auditorum vitam considerant, eamque profecisse suis exhortationibus pensant, erubescunt se tales non esse: & tanto se in monte stabiliunt, quanto pene in culpa labebantur. * Nam cum ipsa sua doctoribus ver- [*Cum enim] ba ad memoriam redeunt, erubescunt non seruare quod dicunt. Boni itaque pastores hostiæ suæ sanguinem & membra de manu filiorum suscipiunt, cum aut per doctrinam quam eis impendunt, aut per religionem quam in eis aspiciunt, vitia sua quæ abijcere, seu bona quæ agere debeant, deprehendunt. De quibus membris subditur:

Quæ omnia super altare cremauit igni, lotis prius aqua intestinis & pedibus.

Hic est ritus holocausti: de quo qui audire desiderat, ad ceremonias holocaustorum in principio operis huius, recurrat. Sequitur:

Et pro peccato populi offerens, mactauit hircum.

Nonne paulo ante vitulum quem pro peccato suo Aaron D obtulerat, populi hostiam appellauit? *Cumque*, inquit, *mactauerit hostiam populi, ora pro eis sicut præcepit Dominus.* Sed alia est hostia quam pro omnibus nobis saluator obtulit: alia, quam vnumquemque pro seipso offerre necesse est. Neque enim dormientes & negligentes Christi morte saluantur, sed qui voci illius obtemperant, dicentis: *Pœnitentiam agite, appro-* [Matth. 4.] *pinquabit enim regnum cælorum.* Per hircum itaque populi pœnitentia figurata est. Mactato autem hirco, quid subiungat audiamus:

Expiatoque altari, fecit holocaustum.

Quid est quod post hirci mactationem expiatur altare, vt holocausto locus idoneus præparetur, nisi quod per pœnitentiam corda nostra mundantur, vt mundata, diuinæ exinde religioni subdantur? Notandum autem quod idem ordo seruatur, quem paulo ante Moyses in suis verbis, cum hæc præciperet, exhibuit. Primo nanque Aaron vitulum & arietem pro se offerri mandauit, quod eum fecisse modo legimus. Et deinde, *Ad filios quoque Israel*, inquit, *loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum in holocaustum.* Hoc est itaque holocaustum, de quo dicitur: *Expiato altari, fecit holocaustum.* Vbi & subditur:

Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur.

Libamenta dicit, portiones illas quæ de singulis oblationibus in partem Domini sequestratæ, cum holocausto in altari concremabantur: vt de similæ oblationibus plenus pugillus sacerdotis, & adipes de pacificis siue hostijs pro peccato. Sequitur:

Et adoleuit ea super altare, absque ceremonijs holocausti matutini.

De holocausto matutino in Exodo ita legitur: *Præcepit Dominus Moysi de sanctificatione altaris holocausti, dicens: Hoc est* [Exod. 29.] *quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum vespere: decimam partem similæ conspersæ oleo tunso, quod mensuram habeat quartam partem hin: & vinum ad libandum, eiusdem mensuræ in agno vno. Alterum vero agnum offeres ad vesperam, iuxta ritum matutinæ oblationis, & sanctificabitur altare in gloria mea.* Altare holocausti, ecclesia est, vt sæpe dictum est. Hæc agni illius oblatione sanctificatur, de quo scriptum: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mun-* F *di.* Huius agni holocaustum, matutinum fuit: quia iustitiæ [Ioan. 1.] mane, mundo apparuit. Est & vespertinum, quia vsque ad seculi vesperam ecclesia per ipsum sanctificatur. *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem se-* [Matth. 28.] *culi.* Sed & per singulos dies mane offertur, cum singulis fidelibus eius gratia fidei lumen aperitur. Offertur & vespere, cum eius auxilio credentis iustitia consummatur. Toties quippe offertur pro nobis, quoties oblationis suæ vtilitatem confert nobis. Decima similæ quæ agno adiungitur, perfectam animæ illius designat puritatem. Oleum vero quo simila conspergitur, eam quam nobis exhibuit, innuit dilectionem. Tunso, id est, tribulationibus probato. *In hoc enim* (ait Ioannes) *cognouimus charitatem Dei, quo-* [1. Ioan. 3.] *niam ipse pro nobis animam suam posuit.* Quaternarius numerus qui in olei mensura seruatur, eiusdem dilectionis exprimit insuperabilitatem. Hic enim numerus pro perfectione & soliditate solet poni. Vnde & quatuor sunt euangelia, ad designandam irreuocibilem eorum autoritatem. Et ligna arcæ quadrata fuerunt, vbi sanctorum fortitudo expressa G est. Quadratum nanque, in quocunque latere suo stat, sic & sanctorum virtus, & in aduersitate & in prosperitate positi sui rigorem conseruat. Quapropter & in prædicta simila, cum olei quarta pars hin adiungitur, consummatam erga nos significat Christi charitatem, sicut ipse ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro a-* [Ioan. 15.] *micis suis.* Seruatur & in vini libatione mensura eadem, quia de eius morte gaudium indeficiens generi prouenit humano. De quo ipse ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum,* [Ioan. 16.] *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et sanctificabitur*, inquit, [Exod. 29.] *altare in gloria mea.* Dei gloria est, non nostra, quod nos non quærentes se quæsiuit, non eligentes elegit, non inuocantes se prior vocauit. Sed quoniam nos quoque pro salute nostra aliquid agere oportet, iubeat lex nostrum offerri holocaustum, etiam post ceremonias holocausti matutini, *ne* [1. Cor. 6.] *scilicet in vacuum gratiam eius accipiamus*: sed iuxta beati Pe- [2. Pet. 1.] tri vocem, *omnem curam subinferentes, ministremus in fide nostra virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in ab-* H *stinentia patientiam: satagite per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciamus.* Sequitur.

Immolauit & bouem atque arietem, hostias pacificas populi.

Iam & has hostias post holocausta præceperat Moyses offerri, vt præcedens lectio demonstrat. De quibus adhuc subditur:

Obtuleruntque ei filij sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitu.

Offert pontifex hostias pacificas Domino, cum de plebe aliquas animas ad pietatis cultum conuertit. *Qui enim con-* [Iacob. 5.] *uerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte & operit multitudinem peccatorum.* Harum quoque hostiarum filij sui sanguinem illi offerunt, cum fideles quos verbo erudit, per confessionem conscientias suas illi aperiunt, ostendentes vitiorum putredinem, quam de visceribus eorum admonitionis paternæ manus eijciat.

* *Adipem autem bouis, & caudam arietis, renunculosque, cum adipibus suis & reticulum iecoris, posuerunt super pectora. Cumque cremati essent adipes in altari, pectora eorum & armos dexteros separauit Aaron, eleuans coram Domino, sicut præceperat Moyses.* [*Adipes.]

A

Quid putamus causæ esse, vt adipes concremandi pectoribus superponerentur? Responde mihi Iudeę. Moyses iste tuus, quem ad cęlum laudibus effers, vt quod tot inutiliter agit? Taceo enim de moribus pecorum, quas se non appetere Dominus per Prophetam testatur, dicens: (*Isai. 1.*) *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris.* Taceo de holocaustis, quæ perhibet Domino odorem suauitatis afferre, quasi habeat nares, quib. odoretur Deus. Prætereo & adipes hostiarũ, quos Domino in partem suam sequestrat, tanquam talis pinguedine delicias diuinis epulis paraturus. Sed & sanguinem prætermitto, quem ita abominabilem Deo perhibet, quasi non sit creatura eius qui fecit omnia bona valde. Præsentem locũ discutio, & huius quod adipes concremandos non cremandis pectorib. superponi audio, rationem à re exposco. (*1. Cor. 10.*) Nónne verum tibi videtur, quod Apostolus noster asserit, hæc omnia non solum figuraliter dici cum scribũtur, sed etiam in figura facta esse cum celebrarentur? Alioqui delirare videbitur tanti viri sapientia, & puerorum more in extis & caudis & adipibus pecorum ludum exercere. (B) Quæramus ergo huius facti mysterium. Satis enim apte noui testamẽti sanctitas hic præsignata est. Redemptor quippe noster veniens, legis transcendit præcepta: & ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleuit, dicens: (*Matth. 5.*) *Scriptum est, Non adulterabis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Per Muysen quippe luxuria perpetrata: per autorem vero munditiæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc est quod Angelus qui Ioannem alloquitur, zona aurea ad mamillas cinctus esse perhibetur. (*Apo. 1.*) Quis enim testamenti noui munditia etiam cordis luxuriam frenat, Angelus qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea stringit: quia qui supernæ patriæ ciuis est, non iam timore supplicij, sed amore charitatis immunditiam deserit. Adipes itaq; super pectora concremantur, cum affectus carnales non solũ retrahuntur ab effectu operis, sed in ipsa conscientia igne diuini absorbentur amoris. Sed quid est quod cauda arietis cum adipibus super pectora posita perhibetur? In cauda sicut finis est corporis, sic & consummatio intelligitur propositæ conuersationis. (C) (*Eccle. 2.*) Et ipsa itaque pectori imponitur, cum quilibet accedens ad seruitutem Dei, propositi sui perseuerantiam apud se constituit: & hoc quod aggressus est, se vsque ad finem custodire promittit. Alioqui quomodo perseuerabit in opere sanctitas, si in corde plantata non fuerit perseuerandi voluntas? Quod vero dicitur Aaron pectora & armos sibi sequestrasse, hoc estius illius, de quo in lege pacificorum satis actum est. Quamobrem sequentia videamus.

Et extendens manum ad populum, benedixit ei.

Populus post oblationes hostiarum merito deuotionis suæ per pontificem benedicitur, vt illud impleatur quod scriptum est: (*Heb. 6.*) *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Sequitur.

Sicque completis hostijs pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.

Hostias pro peccato, dicit vitulum pontificis, & populi hircum. Notat autem hic beatus Augustinus, scamnum ligneum aut aliquid simile, altari appositum propter eius altitudinem: (D) quæ cum trium cubitorum esset, non facile quenquam sacerdotum administrandum admittebat sine aliquo additamento. Gradus enim fieri non licebat prohibente Domino: (*Exod. 20.*) *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Ex illo itaq; scamno non adhærente, ne gradus esset, sed ad horam apposito, vt ministrantib. in adiutorium fieret, descendisse videtur Aaron completo ministerio suo. Quod si mysteriũ requiris, rursus in persona Aaron typum Christi considera. Ipse enim oblatis hostijs populi, descendit ad populum: illud in opere suo repræsentans, quod Dominus omnib. obsequentibus sibi pollicitus est, dicẽs: (*Ioan. 14.*) *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Descendit itaq; Aaron ad illos, qui per manus eius hostias suas Deo obtulerant: vt nos intelligamus, quia quærentes regnum Dei, & diuinis obsequijs inhærentes, Christi gratia nunquam deserit. (E) (*Matth. 18.*) *Vbicunque enim sunt duo vel tres congregati in nomine illius, ipse est in medio eorum.*

Ingressi autem Moyses & Aaron tabernaculum testimonij, & deinceps egressi, benedixerunt populo.

Completo officio suo, ingreditur Aaron tabernaculum: quia Christus peracto patris imperio, reuersus est in cęlum. Inde Apostolus: (*Heb. 9.*) *Christus*, inquit, *assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactũ, introiuit.* Et ipsius Christi vox est in Psalmo: (*Psalm. 131.*) *Si introiero in tabernaculum domus meæ, donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob.* Postquam itaque locum in terris patri suo, & tabernaculum in hominib. doctrina sua & sanguinis sui precio præparauit, ipse quoq; in tabernaculum illud cæleste introijt. Intrat cum eo & Moyses, imo quodammodo præcedit eum: quia lex & Prophetæ sicut mortem eius ante prædixerãt, sic & resurrectionem, & ad cælos ascensionem. Vbique Moyses illum comitatur: quia vox Prophetarum per omne quod agit, illi adiungitur. Nam & egrediente eo tabernaculum, Moyses cum eo est. (*Actu. 3.*) *Interim quidem*, vt ait, Apostolus Petrus, *oportet vt cælum eum suscipiat vsque in tẽpora restitutionis omnium: sed suis temporibus ostendet eum beatus & solus potens, rex regum & Dominus dominantium.* (*1. Tim. 6.*) (F) Ille ergo qui ingressus est cæleste tabernaculum, iterum regredietur ad nos, veniens ad iudicium suum. Quem & hic quoque Moyses comitabitur: (*Actu. 1.*) quia vox Prophetarum de hoc eius reditu non tacuit, quæ orbem per eum iudicandum tanto ante prædixit. (*Psalm. 95. & 97.*) Redit, & cum eo est Moyses: quia in hoc quod per eum agitur, Prophetia cõpletur. *Deinceps* (inquit) *egressi, benedixerunt populo.* Pauloante de Aaron dictum est, quod extendens manum ad populum benedixit ei: & nunc secũdo dicitur, quod egressi Moyses & Aaron de tabernaculo, benedixerunt populo. Quæ est huius secũdæ benedictionis ratio? Vide quia non caret mysterio. In præsenti etenim dat nobis benedictionem suam ipse qui legem dedit, cum per spiritum suum nos iuuat, vt implere possimus quæ præcepit. Vnde & amplius Psalmus, cum timentis Deum virtutes enumerasset dicens: (*Psal. 127.*) *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce*, ait, *sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Benedicit ergo in præsenti timentes se Deus, quando iustitiæ fructus in eis multiplicat. Sed hanc benedictionem alia sequetur benedictio. (G) Siquidem expectat iustitia fidelium coronam suam, (*2. Tim. 4.*) *quia reposita est*, inquit, *mihi corona iustitiæ.* Et Psalmus: (*Psalm. 64.*) *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Annus benignitatis Dei, tempus est gratiæ: in quo ipse dedit hominibus benignitatem suam, vt terra nostra daret fructũ suum. Sed huius anni corona benedicetur, quia labori sanctorum in ęterna vita merces ineffabilis compensatur. Benedicit itaque nunc Christus suos, cum fructum iustitiæ in ipsis multiplicat. Benedicet & secundo, cum de cælesti tabernaculo ad nos exiẽs, dabit gratiam pro gratia: (*Ioan. 1.*) quia iustitiam quam dedit, æternę beatitudinis pręmio coronabit. In qua benedictione Moysen habet secum: quoniam quod tunc complebitur, per scripturas ante prænunciatur. Benedicit quippe ecclesiam lex, quam in nouissimo benedicendam prædicit. Sequitur:

Apparuitque gloria Domini omni multitudini.

Paucis verbis & fulguris instar, in nouissima prophetiam vibrauerat: nunc ad præsentia reuertitur. (H) Dicit cõpletum esse, quod populo ante promiserat, dicens: *Facite, & apparebit vobis gloria eius.* Fecerant quod iusserat, iustum erat vt exhiberetur eis quod spoponderat. Et hoc est quod dicitur: *apparuitque gloria Domini omni multitudini.* Sed cuiusmodi hæc gloria fuerit, coutestim manifestatus cum subditur:

Et ecce ignis egressus à Domino, deuorauit holocaustum & adipes qui erant super altare.

Quæritur, de quo holocausto hoc dixerit. Duo enim genera holocaustorum supra posuerat, arietẽ pontificis, & holocausta populi. De primo dictum est, quia caput & mẽbra singula de manu filiorum suscipiens Aaron, cremauit super altare. Sic & in secundo. *Fecit*, inquit, *holocaustum, & adoleuit super altare.* Cum igitur & primum & secũdum holocaustum manu Aaron sit incensum, quid est illud quod ignis egressus à Domino, deuorasse perhibetur? (*Leuit. 6.*) Sed si legẽ recolimus holocausti, vbi tota nocte super altare concre-

A mari iubetur: pater, quia carnes illæ mox [illegible] impositæ, non poterant consumi: sed sequentis noctis spatium in ipso igne facientes, mane quoque extra castra efferebantur, & ibi in loco mundo, si quid nondum crematum fuerat, cremabatur. Nunc autem aliter factum est. Non enim in consumptione carnium, iuxta morem, lenta vis ignis fuit: sed egressus ignis à Domino, de tabernaculo scilicet exiens, aut de cælo descendens, vel [illegible] de ipso altari, per Dei voluntatem solito vehementius exardescens, hora eadem vorauit holocaustum. Et hæc fuit virtus miraculi, de qua continuo subditur:

Quod cum vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

Hanc quoque dixit gloriam Dei: quia gloria Dei est, quotiescunque aliquid agit vnde glorificetur ab hominibus. Sed & de resurrectione Lazari dicit ipse Dominus Marthæ:
Ioan. 11. *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Quæ vero sit facti huius significatio, non abs re erit inuestigare. Ignis enim egressus
B à Domino, Spiritus sanctus est, qui à patre filioque procedit. De quo ipse Dominus. *Ignem veni mittere in terram.* Hic
Luc. 12. ergo ignis in terram missus, id est, hominibus datus, holocausta vorat, quia perfectorum corda in suum amorem rapiens, & ab effectibus mundanis secernens, omnem eorum virtutem & studia ad diuinam transferri meditatio. Vnde ille magnus Christi amator, huius spiritus igne absorptus, dicebat. *Mihi viuere Christus est.* Et, *Viuo autem iam non e-*
Philip. 1. Galat. 2. *go, viuit vero in me Christus.* Adipes vero pacificorum, non tamen ipsas hostias pacificas vorat ignis iste: cum mentes religiosorum secularium in affectum diuinæ dilectionis accendit, non tamen eas in [illegible] gentate, vt à mundanis negotiis prorsus alienare, & spiritualibus se studiis velint occupare: Cum autem religio diuina iam in prælatis quam in subditis floret, hæc est Dei gloria: quam videntes homines, non possunt nisi glorificare & laudare tanti muneris autorem. Inde enim per Prophetam scriptum est: *Operuit cælos gloria*
Haba. 3. *eius, & laudis eius plena est terra.* Cælos quippe Dei gloria o-
C perit, cum prædicatores sanctæ Ecclesiæ Spiritus sancti gratia illustrati miraculis coruscant, & cælesti sapientia pleni, doctrina sua terram inebriant, angelicam inter homines conuersationem agentes. Ad huius gloriæ contemplationem terra illius laude repletur: quia homines terrena adhuc sapientes, qui ad eius maiestatem contemplandam oculos leuare non possunt, dum vident homines Dei præsentia glorificatos, inhabitatorem ipsorum benedicunt Deum. Nec prætereo quod iam à patribus nostris notatum est, aliud esse cum qui in faciem, aliud vero cum retro ca-
In faciem cadere. dere dicitur. In [illegible] namque cadunt, qui sponte sua se deiiciunt. Ibi enim cadunt, vbi vident: quia peccatorum suorum memores, aut magnitudinem admirati diuinam, scientes & volentes coram Deo sese abiiciunt. Retro autem
Retro cadere. cadere, est, improuidum & inopinatum ad æternam mortem descendere. Retro enim nobis est, quod ab oculis nostris auersum, nobis absconditum est. Hinc est quod de Domini persecutoribus dicitur: *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Et, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita,*
Ioan. 18. Gene. 49. *mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Hic autem:
D *Quod cum vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.*

De morte filiorum Aaron.

CAP. II.

HActenus in sacerdotii veteris cæremoniis, noui sanctitas & excellentia adumbrata est. Sed quia illa vmbra erat, non veritas, & superueniente die inclinari habebat: occasus illius in morte filiorum Aaron, expressus est.
Hebr. 7. *Quia enim,* vt ait Apostolus, *per sacerdotium Leuiticum consummatio non erat, necesse fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere Sacerdotem.* Veteris itaque illius sacerdotii, quod antiquatum est & senuit, morientibus & diuino igne absumptis, futurus designabatur interitus. Quod vt magis appareat, filios quoque Eli sacerdotis ad memoriam reuocemus: quorum etiam obitus, manifeste antiqui illius ritus mutandi & sacerdotii transferendi figura fuit, dicente Domino ad

E Eli: [illegible] *domus tua, & domus patris tui mi-*
1 Reg. 2. *nistraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me. Sed quicunque glorificauerit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni & Phinees: in die vna morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet.* Iratus Dominus contra Eli, nequaquam principaliter filiorum morte multandum eum testatur: sed suipsius reprobatione, & honoris priuatione pontificalis: filiorum vero interitum, non summam diuinæ vltionis, sed signum potius futuræ calamitatis esse prædicit. In Isaia quoque per expulsionem & mortem pontificis, idem expressum est. *Ingredere, ait Dominus, ad eum qui habitat*
Isai. 22. *in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum: Quid tu hic, aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulchrum,* existimabas enim te vsque ad mortem in loco perseueraturum. *Ecce Dominus,* inquit, *asportari te faciet, sicut asportatur*
F Ibidem. *gallus gallinaceus.* Gallus est vtique, quicumque bene præest in templo Dei, quia voce sua ad vigilandum excitat populum Dei. Sed iste gallus gallinaceus vocatur, quasi muliebria sectatus, & voluptatum amator magis quam Dei. Vnde & à ministerio sancto remouendus pronunciatur.
Ibidem. *Et quasi amictum, sic subleuabit te.* Si amictus erant illæ antiquæ cæremoniæ, ergo quasi vmbra veritatem tegebant, non exhibebant. Vnde & remouendæ quandoque fuerant, vt lux veritatis quæ sub eis velabatur, euidentius appareret. *Quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam, ibi*
Ibidem. *morieris.* Lata est siquidem porta & spatiosa via terrenarum concupiscentiarum, quæ ducit ad perditionem: cuius
Matth. 7. planitiem & delicias secuti temporis illius Pontifices, reprobati à Deo & officio suo priuati sunt. Mittit autem illuc Dominus quando non retrahit, sicut de quibusdam ipse loquitur in Psalmo: *Dimisi eos secundum desideria cordis eo-*
Psal. 80. Isai. 22. *rum, ibunt in adinuentionibus suis. Expellam te de statione tua, &*
G *de ministerio tuo deponam te.* Noui quoque sacerdotii formam inducens: *Et erit,* inquit, *in die illa vocabo seruum meum*
Ibidem. *Eliachim, & induam illum tunica tua.* & cætera quæ sequuntur, quæ magis ad verum Pontificem Christum, quam ad aliquem alium referri possunt. Vt igitur iam ad nostra descendamus, verba legis ex ordine ponenda sunt:

Leuit. cap. X. *Arreptisque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.*

Vt supra iam legimus, iuxta præceptum Domini, in altari holocausti ignis semper ardebat. Inde vero sumebatur ignis, quoties Pontifex super altare thymiamatis incensum adoleret, aut si quando thuribulorum vsum per manus sacerdotum cultus diuinos exposceret. Nam in libro Numerorum cum plaga desæuiret in populum, præcepit Moyses Aaron, dicens: *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte in-*
Num. 16. *censum desuper, pergens cito ad populum, vt roges pro eis. Quod cum fecisset Aaron, stetit inter mortuos & viuentes, & plaga cessauit.* In Apocalypsi quoque legitur stetisse angelus ante altare, qui
Apoc. 8. accepit thuribulum, & impleuit illud de igne altaris. I-
H gnis itaque altaris, sacer erat. Qui vero aliunde sumebatur, deputabatur alienus, & ministeriis diuinis indignus. Credendum est ergo forsitan filios Aaron, cum vi subiti ignis holocausta deuorata conspicerent, nouitate miraculi perturbatos, non ausos fuisse accedere ad altare: sed aliunde festinanter rapto igne & thuribulis imposito, pro gratiarum actione incensum Domino obtulisse. Sed si recte, inquit, offeras, recte autem non diuidas, peccasti: creditur, eos obsequii deuotionem piè Domino exhibuisse, sed quia ignem alium quam eius præceptum acceperant, thuribolis suis imposuerunt: inobedientiæ quidem non caruerunt reatu, crimen vero damnabile significauerunt magis quam admiserunt. Nam & mors eorum, æternæ mortis figuram potius quam veritatem exhibuit. *Omnia enim in figura contingebant illis.* Quis ergo
1. Cor. 10. est sacer ignis, nisi quem IESVS misit in terram, charitas
Luc. 12. Rom. 5. scilicet Dei & proximi, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis?* Hunc incensum imponendum est, quod Deo offertur: quia nulla oratio illi ac-

A ceptus est, quæ non hoc affectu excitatur. Nam si ardeat ira conscientia tua, ardeat odijs, ardeat auaritia, ardeat luxuria, in thuribulo cordis tui ignem portas alienum. cui si incenso imposito ad Dominum accesseris, vt coram ipso in eius ministerio constitutus, mortem eorum quos odio habes, ab eo exposcas: proximorum pecuniam quam per auaritiam sitis, exposcas: rerum omnium abundantiam, per quam luxuriæ tuæ satisfacias, exposcas: iam tamque expecta, quando egressus ignis diuini iudicij te absorbeat & ad æternæ mortis damnationem trahat. Hæc est enim oratio de qua scriptum est: *Et oratio eius fiat in peccatum.* *Psal. 108.* Octaua itaque die Nadab & Abiu offerentes ignem alienum, incensi sunt: quia tempore Christianæ fidei iam luce veritatis propalata, ritus ille antiquus abolitus, & legales sacerdotes, quia non pro charitatis deuotione, sed pro terrena cupiditate Dño ministrabant, officio suo priuati sunt. Inde est enim quod per Malachiam Dominus eos reprobat, dicens: *Mala. 1* *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* Ille nãque ostium claudit, qui Deo seruiens, aditum concupiscentiæ obstruit, vt gratis Deum colat, dum obsequij sui magis B diuinam gratiam, quam terrenum aliquod commodum remunerationem expectat. Sed & nominibus suis isti filij Aaron illorum hominum temeritatem & præsumptionem satis insinuant. Nadab quippe, interpretatur spontaneus: Abiu, pater meus. Manifeste ergo illi expressi sunt, qui ad honorem sacerdotij sponte se ingerebant, cum nemo nisi vocatus accedere debeat: & qui nõ iustitiæ merito, sed carnalis posteritatis priuilegio sacerdotale officium vsurpabant. Expulsi sunt itaq; illi de ministerio suo, & sacerdotalis dignitas ad ecclesiasticos principes translata est. Nostro quoq; tempore quicunque in sacris ministerijs positi, igne vtuntur non sacro: veniet dies octaua resurrectionis, in qua diuini ignem experientur examinis. Sequitur:

Dixitq; Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens Aaron, tacuit.

Contristatus fuerat pater super repentina filiorum morte, & acri dolore percussum cor eius: sed tamen diuini percepta censuræ iudicij, tacuit nec quod Dei voluntate factũ C audiebat, reprehendere præsumpsit. Sic sancti Patriarchæ & Prophetæ qui paterno affectu populo illi præerant, cum per spiritum Prophetæ spoliandum eum in consummatione temporum sacerdotij gloria & diuina priuandum gratia præsentirent, licet gentis suæ calamitatem charitatis visceribus ægre ferrent: inde tamen consolabantur, quod illius hæc erat dispositio, cui nulla contraire potest humana conditio. Attende Ieremiam, quo dolore contritionem virginis filiæ populi sui prosequatur, dicens: *Iere. 14.* *Deducant oculi mei lachrymas per diem & noctem, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei.* Et ad ipsum Dominum conuersus: *Ibidem* *Nunquid*, ait, *proijciens abiecisti Iudam? Quare percussisti nos ita vt nulla sit sanitas?* Quod quia de Christianis dixerit temporibus, statim aperuit eum subiungit: *Ibidem.* *Expectauimus pacem, & non est bonum: tempus curationis, & ecce turbatio.* Expectabant enim *Heb. 5.* Iudæi Christum, omnibus obtemperantibus sibi causam salutis futurum. Sed quia cum *Ioan. 1.* *in propria venisset, sui eum non receperant*: facta est inter eos non modica turbatio, alijs dicentibus, *Ioan. 7.* *bonus est*: alijs, non, *sed seducit turbas*. Siquidem *Ioan. 5.* *Angelus in piscinam descẽderat, & turbabatur aqua.* Propheta itaq; D cum per hoc quod futurum præuidebat, apud Dñm quereretur quid responsi ab eo acceperit, statim subintulit, dicens: *Iere. 15.* *Et dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Eijce illos a facie mea, & egrediantur.* Postquam Diuini vocem etiam ipse in autoris sententiam transiens, & in ira contra eundem populum succensus: *Ibidem.* *Quis*, inquit, *miserebitur tui Ierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro peccatis tuis?* Ruinam itaq; populi sui humano plangebat affectu: sed cum iustitiam superni respiceret iudicis æquo animo ferebat, quod diuini examinis regula disponebat. Possem & in alijs Prophetis idem ostendere, nisi prolixitati parcendũ foret. Solum inducam Apostolum, qui hoc iam videbat expletum quod antiqui prænunciauerant explendum. *Rom. 10.* *Fratres*, inquit, *voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.* Sed cum intelligeret diuinæ mysterium hoc

E esse prouidentiæ, quæ omnia concludebat sub peccato, & cæcitas ex parte contigit in Israel, profunditatem sapientiæ & scientiæ Dei admiratus omnia opera ipsius irreprehensibilia esse confitebatur dicens: *Rom. 11.* *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula Amen.* Plangat igitur Aaron filiorũ mortem, quia pater est: sed tamen creatoris sui cedat voluntati, quia seruus est. Quid vero ad eum per Moysen locutus sit Dominus considerandum est. *Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Sanctificatur apud homines Deus, cum se sanctum esse demonstrat. Inde est quod in oratione nostra petimus, dicentes: *Math. 6* *Luc. 11.* *Sanctificetur nomen tuum*, id est, sanctum innotescat hominibus nomen tuum. Alioqui Deus sanctificari non potest, qui semper sanctus est. Quomodo autem sanctitatem suam hominibus Deus aperit, nisi cum de peccatoribus vltionem capiens, se eorum nequitiæ consentire ostendit? Inde est quod Leuitæ cum propter idololatriam, etiam fratres suos & filios occidentes, vltores essent, ait illis Moyses: *Exod. 32.* *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, aut fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Tunc quoque sanctificati F sunt, quando de populi impietate vltionem sumpserunt. Dominus igitur in cũ peccatores vindicat, sanctũ se esse demonstrat, & inde à populo glorificatur dicẽte Salomone: *Prouer. 24* *Qui dicit impio, iustus es: maledicent ei populi, & detestabuntur eum tribus. Qui arguunt, laudabũtur: & super illos veniet benedictio.* In his aũt qui appropinquant ei, primum vindicat Dominus: vt quia alijs (quod suum erat) non sunt norma viuendi, ad aliorum correptionem diuini in seipsis cẽsuram repræsentent iudicij. Inde est quod in Iezechiele exterminatoribus illis diuina voce præcipitur: *Iezech. 9.* *A sanctuario meo incipite.* Vbi & Pheltias princeps populi, repente mortuus introducitur: *Ezech. 11.* Eadem quippe & ibi mysterij ratio habetur quam nos quoque in præsenti tractamus. Sequitur:

Vocatis autem Moyses Misaele & Elisaphan, filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos: Ite, & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra. Confestimque pergentes tulerunt eos sicut iacebant, vestitos tunicis lineis, & eiecerunt foras, vt sibi fuerat imperatum.

Exo. 6 In Exodo, vbi Moysi & Aaron genus describitur, legim⁹ G Quod Caath filius Leui, genuit Amram & Oziel, quorum Amram genuit Moysen & Aarõ. Filij autem Oziel, Misael & Elisaphan. Hi sunt quibus præcipitur, vt fratres suos qui mortui fuerant, tollant, à conspectu sanctuarij. Fratres aũt dicuntur, locutione scripturæ, quilibet consanguinei. Sed ad mysterium veniamus. Mors filiorum Aarõ, iam dictum est, quod veteris sacerdotij designet interitum. Mortui itaque sacerdotes de conspectu sanctuarij fratrum suorum opera tolluntur: cum ritus ille antiquus qui per Christi aduentum finem accepit, per Apostolos ipsius populi filios, à cultu sanctitatis iam alienus ostenditur. Asportate .n. mortuos extra castra, est, omnes qui adhuc illi superstitioni dediti sunt, à consortio fidelium sequestratos docere. Ipsa est locutio quam supra designauimus, cum per illum Euangelicum patrem familias seruis præcipitur: *Luc. 15.* *Adducite vitulum saginatum, & occidite*, i. occisum prædicate. Qui sunt autem qui mortuos efferunt? Misael & Elisaphan. Satis apte his omnibus ministri noui testamẽti expressi sunt. Misael quippe interpretatur, attrectatio Dei: Elisaphan, Dei mei specula. Illos itaque accipimus, *1. Ioan. 1* H *qui hoc quod erat ab initio, audierunt & viderunt, oculis suis perspexerunt, & manus ipsorum tractauerunt de verbo vitæ.* Qui etiam cũ Apostolo dicere possunt: *Nõ reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Isti autem duo filij sunt Oziel, quod interpretatur, fortitudo mea Deus. Ministri quippe gratiæ, non de viribus suis præsumunt, iustitiam suam sibi arrogantes, vt iustitiæ Dei non sint subiecti: sed omnem spem suam in diuina largitate collocant, dicentes: *Psal. 17.* *Psalm. 58.* *Diligam te Domine fortitudo mea. &, quia fortitudinem meam ad te custodiam.* Notandum autem quod mortui cum sacris vestibus eijciuntur: quia progenies Aaron, quæ pro sola carnis origine sacerdotium sibi vsurpat, necnon & ipse ritus antiquus, à diuina religione alienus docetur.

A

Prohibentur filij Aaron fratrum suorum plangere interitum.

CAP. III.

LOcutus est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar atque Ithamar filios eius: *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio.*

Notandū quod filijs Aaron diuino iudicio interemptis ipsi quoque sunt filij Aaron, quibus post eorum obitum sacerdotij iura delegantur. (Rom. 11.) *Non enim repulit Deus plebem suam quam præsciuit.* Sed de stirpe Aaron aliqui rami fracti sunt, à quibus etiam pontificalis dignitas sublata est: attamen in Apostolis eiusdem sanguinis participibus, ipsius sacerdotij gloria amplior & longe præstantior perseuerauit. Vnde Propheta Iezechiel cum exterminium gentis suæ iam in spiritu fieri præuideret, cum morte quoque pōtificis (quod paulo ante tetigimus) inferius subiecisset (Ezech. 11.) *Factum est cum prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuum est: & cecidi*, inquit, *in faciem meam, clamaui voce magna & dixi: Heu heu Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel?* Quid

B

vero consolationis acceperit, continuo innotuit cum subiunxit: (Ezech. 11.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, fratres tui, fratres tui viri propinqui tui & omnis domus Israel vniuersi quibus dixerunt habitatores Ierusalem, longe recedite à Domino, nobis data est terra in possessionem.* Plangebat siquidem fratrum suorum illius temporis sacerdotum, deiectionem: fratrum tamen carne, non spiritu: quia licet sanguine propinqui, at moribus longe * disiuncti. (*dissiuncti) Dicitur ergo ei responso diuino. *Fratres tui, fratres tui*, vt bina nominis huius repetitione eos intelligeret, cum quibus illi non sola carnis propinquitas, sed spiritus maior esset affinitas, fratres inquam tui & viri, qui vere propinqui tui sunt, subaudiendum, quia gloriam sacerdotij quæ istis aufertur, in se diuino collatam munere lætabuntur. Plangebat quoque totius populi futuram calamitatem: sed pro consolatione audit, quia omnis domus Israel quę ab habitatoribus Ierusalem eijcienda & abominanda fuerat, gratiam

C

diuinam quam illi perdiderant, foret adeptura. Vbi quæ alia quàm primitiua ecclesia, quæ de filijs populi illius congreganda est, intelligitur? Hos enim alij fratres sui de synagogis suis expulerunt: & alienos à Deo æstimantes, cum eos interficerent, (Ioann. 16.) *obsequium se præstare Deo arbitrati sunt.* Sed ad nostra redeamus. Præcepit Moyses Aaron & filijs eius Eleazar atq; Ithamar, dicens: *Capita vestra nolite nudare*, Per hos tres, tectè trinitatis prædicatores * accipiuntur. (* intelliguntur.) Aaron siquidem, mons fortis interpretatur: Eleazar, Deus meus adiutor: Ithamar, est amarus. Quæ omnia ad doctores nostros congrue referuntur. Ipsi enim sunt montes, qui translati sunt in cor maris (Psalm. 45.) videlicet in nationes dispersi, & ad debellandum mundi principem directi. Quorum fortitudo in prophetæ persona describitur, cum voce diuina ad eum dicitur: (Iere. 1.) *Dedi te hodie in ciuitatem munitā, & in columnam ferream, & in murum æneum omni populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt: quia tecum ego sum, ait Dominus, vt liberem te.* Ipsi tamen cum præuaricantes viderint, zelo suo tabescunt. (Psal. 118.) Vnde eos respicit, quod per alium prophetam

D

dicitur: (Iere. 1.) *Abij amarus in indignatione mea.* Sed quoniam Dei auxilio sustentantur: *Manus*, inquit, *Domini erat mecum, confortans me.* (Ibidem) Quid igitur istis tribus præcipiatur cōsideremus. *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere.* Mos erat lugentium, vestimenta scindere: & capitibus nudatis, puluerem aspergere. (Iob 1.) Vnde Iob, audita morte filiorum, scidit vestimenta sua. (1. Reg. 4.) Et in Regum libro legimus, quod capta arca Dei ab allophylis, venit in Silo vir de Beniamin scissa veste, & puluere aspersus caput, qui & nunciauit Eli. Dum itaque Aaron filijsque ipsius, ne capita nudent aut vestimēta scindant, interdicitur: manifeste, ne mortem fratrum plangere debeant, prohibentur. Vnde subiungitur.

Fratres vestri & omnis domus Israel plangant incendium quod Dominus suscitauit. Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis. Oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos.

Primo quærendum, cur nō sinantur flere mortuos suos; cum hæc potius pietas videretur: secundo, quid est quod tabernaculi eis interdicitur exitus, cum iam illi septē dies completi essent, de quibus superius dictum est, (Leuit. 8.) *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus*, & quia septem diebus finitur consecratio. Vt igitur primam partem primitus pertractemus, sciendum quia non compassionem quæ consanguineis solet impendi, detestatur Dominus, cum hoc sanctos Patriarchas & Prophetas fecisse legamus. (Gen. 23.) Nam Abrahā mortua Sara, venit vt plangeret & fleret eā. (Gen. 37.) Iacob quoq; mortuū existimans Ioseph, scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filiū multo tempore. (Gen. 50.) Ipso vero mortuo Iacob, Ioseph cū fratrib. suis & cunctis senibus domus Pharaonis, descrens patrē in terrā Chanaan, venit ad areā Adad, (* Azad) quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt septem dies. Sed & Iosia rege mortuo, scriptum est quod vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias autem maxime. (2. Par. 35.) In Ecclesiastico etiam legimus, quod luctus mortui septem diebus (Eccle. 38.) legitime celebratur. Et pcipiendo ibidem: *Fili, in mortuum produc lachrymas.* (Ioan. 11.) Postremo ipse Dominus, nonne ad sepulchrum Lazari lachrymatus esse perhibetur? Quid est ita-

F

que, quod Aaron ac filij eius plangere mortuos suos prohibentur? Cum enim dicitur eis, *fratres vestri plangant incendium*: in promptu est aduertere, illis interdici, quod alijs tantum conceditur. Viget igitur hic potissimum figura, vt alijs libri huius locis. litera tamen ita saluari potest: iustum siquidem est, vt omnia quæ diuinæ placent prouidentiæ, licet voluntati nostræ contraria sint, æquo animo perferamus. Quamobrem indignum erat, vt Sacerdotes qui sicut officio, sic animo Deo coniungi debent: mortem quam Deus reis suo intulerat iudicio, immoderato dolore prosequerentur. Maxime sanctificationi parcendum fuit, ne aut sacras vestes quibus nuper consecrati fuerant, scinderent: aut pontifex capiti suo quod sacrum perfuderat vnguentum, puluere forsitan pro doloris nimietate conspergendo, tiaræ ornatum detraheret. Sed in his omnibus mysterium perscrutandum est. Mors enim filiorum Aaron, vt præmissum est, veteris sacerdotij designat occasum. Hic per Christi veri pontificis aduentum factus est. Ipse quippe in hoc se Moysi Domino ostendit, quod legi quæ per

G

Moysen data fuit, quando voluit, finem dedit, & ceremonias legales euangelicis decretis euacuauit; quam tamen eius potentiam, sacerdotum pharisęorumque typus quam moleste acceperit, euangelicæ atque Apostolicæ testantur literæ. Dicebant non esse hominem ex Deo, qui sabbatum non custodiebat. (Ioann. 9) Et cum transiret sabbato per sata, discipulis vellentibus spicas & manducantibus, calumniabantur ei dicentes: (Matth. 12. Luc. 6.) *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbatis.* Quibus ipse cuius potestatis esset aperiens, & quia quod prius illicitum fuerat eo prohibente, iam fieri licebat eo permittente, respondit: (Mar. 2.) *Dominus est filius hominis, etiam sabbati.* In actibus Apostolorum comprehenso beato martyre Stephano, & adducto in concilium, hæc fuit aduersus eum accusatio illorum: (Act. 6.) *Homo iste*, inquiunt, *non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem, quod Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses.* Hinc igitur erat mœror hic insania aduersus fidem Christianam, quod ritus suos veteres aboleri dolebant. Tantum

H

deferebant Moysi, vt quęcunque per eum sibi tradita fuissent, arbitrarentur amplius mutari non posse: nec quenquam Moyse maiorem aut similem ei surrecturum, qui non solum veteres remoueret vmbras, sed & fidei lucem iustitiæque veritatem mundo aperiret. Signa namque illa legalia, in hoc ostensum est, quod signa fuerunt quia mutari potuerunt. Alioqui diuinæ iustitiæ veritas immutabilis est. Semper enim iustum & religiosum est, vt diligatur Deus, diligatur & proximus, qui finis præcepti est. (1. Tim. 1.) Hæc tamen charitas virtutesque reliquę quę ex ipsa oriuntur, signis varijs pro tempore, nunc his, nūc illis, tanquam in pictura hominibus imaginatæ sunt. Quæcunque ergo signa illa vetera mutari nolebant, nec illa signa esse, non veritatem: neq; ipsius per quem tradita fuerant, voluntatem intelligebant. Cum enim ipse Moyses Prophetam eis prædixit suscitandum de fratribus suis, quem audire eos (Deut. 18.) oporteret iusta omnia quæcunque locutus fuisset illis: vtique quem in omnibus audiri voluit, etiam in traditio-

A numinis suarum m[illegible] contemni prohibuit. Idem quoque (Exod. 34.) cum loquens ad populum velaret faciem suam, non enim pati poterant filii Israel splendorem vultus illius, satis innuebat verbis & factis suis, aliud esse quod intus habebat luminosi spiritus intelligentia: aliud, quod exterius praetendebat sacramentorum visibilium superficies carnalibus hominibus assignata. Postremo, ipse Moyses terram repromissionis ingredi non potuit: sed ascenso vertice montis Phasga, cum terram eandem contemplatus esset, ibi occubuit. (Deut. 34.) Quae est autem repromissionis terra, nisi sancta ecclesia patribus olim repromissa? Siquidem dictum fuerat Abrahae: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* (Genes. 21.) Hanc igitur terram Moyses videre potuit, sed intrare non potuit: quia sanctam ecclesiam ex gentibus congregandam, spiritu revelante, praescivit: cui tamen ceremonias suas quibus populum antiquum informaverat, non invenit. Ascendit ergo (Deut. 34.) verticem montis Phasga, quod interpretatur abscisus, & ibi defecit: quoniam mox ut populo suo Christum quem promiserat, praesentem exhibuit, tanquam soli stella maiori B cessit. (Dan. 2.) Hic est quippe lapis, qui abscisus est de monte sine manibus, qui postea crevit & factus est mons magnus, quem Moyses ascenderet & deficeret: quia postquam scripturam legalem ad spiritualem sensum sublevatam, in omnibus traditionibus suis Christum sonare intelleximus, velamine (Num. [illegible]4.) proiecto, solum Christum amplexi sumus. Sic & Aaron in monte Hor diem clausit. Hor siquidem lumen interpretatur. Aaron ergo in monte Hor mortuus est: quia veteris sacerdotii ritus, postquam ad montem luminis Christum pervenit, ex hinc ad sensus mysticos elevatus, finem accepit. Interdicitur itaque sacerdotibus, ne fratrum suorum sacerdotum obitum lugeant: quia post Christi adventum, sive eruditus eorum zelus divina censura damnatur: qui gementes vetera aboleri, doctrinae Apostolicae & ecclesiasticis institutionibus contradicebant. Praecipitur etiam non capita sua nudent. (Ephes. 1. & 5.) *Caput nostrum Christus est.* Capiti igitur suo ornatum detrahit, quicunque Domino Christo honorem debitum non persolvit. Huic autem eum decet honor, ut (Heb. 3) quasi filius in domo sua omnia ad arbitrium suum dispen- C set: in qua domo Moyses quanquam fidelis, famulus tamen, non Dominus fuit. Hic honor verum pontificem decebat, (Hebr. 7.) qui non secundum legem mandati carnalis, sed secundum virtutem vitae insolubilis factus est: ut eo iam praesentato, cederet umbra, quae in eius typum praecesserat. Alioqui paris ioris cum eo esset, si eo iam praesente, adhuc illa perseveraret. Caput itaque suum ornatu proprio spoliat, qui quantum in se est, Domino Christo debiti honoris privilegium negat. Sed & vestimenta sua scindere prohibentur. Vestimenta quippe Sacerdotum, sunt populi fideles, qui circumstant eos & illis adhaerent, fidei dogmata & vivendi formam ab eis suscipientes. Sicut enim universalis ecclesia regis sui Christi vestis est, de qua dicit Apostolus, (Ephes. 5.) *ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam:* sic unicuique bono praesuli dum plebs commissa per dilectionem iungitur, quasi vestit eum, & gloriae illi circundat ornatum. Vestimenta igitur sua scindunt, quicunque in populo sibi commisso schismata nutriunt. Vestimenta sua scindebant, qui ecclesiasticae doctrinae contraria annunciantes, post illustratum luce Evangelica mundum, adhuc umbras lega- D les observandas censebant. Unde scriptum est in Actibus (Act. 15.) Apostolorum, quod Paulo & Barnaba morantibus in Antiochia, quidam descendentes de Iudaea, docebant *Fratres: quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvari.* Facta est itaque seditio non minima, & Paulus cum Barnaba ascenderunt ad Apostolos in Ierusalem super hac quaestione. Ubi cum starent in conventu, iterum quidam de haeresi Pharisaeorum, qui tamen iam crediderant, surrexerunt dicentes: *quia oportet circumcidi eos, *praecipere quoque servare legem Moysi.* (*Praecipere †cervices) Tunc Petrus: *Quid tentatis,* inquit, *imponere iugum super † cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Sed per gratiam Domini Iesu credimus salvari, quemadmodum & illi. Post quem Iacobus, *Iudico* ait, *non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Nonne aliis verbis dicere videntur: Parcite sacerdotes, parcite licet cete-

E niouiis vestris [illegible] an [illegible] caput suum nudare praesumat, [illegible] casum [illegible] tuum vestrorum tanquam [illegible] mortem aequo animo non fe[illegible], Christo potestatis suae ius auferre contenditis? Cavete ne contumeliam il[illegible]ciatis, dum per fidem eius solum & [illegible]m mundum [illegible] non posse arbitramini. Christus nobis sufficit ad salutem. Cavete inquam, ne dum pondus inutile super vertice[m] discipulorum quaeritis imponere, vestes vestras scindatis, & dum aliud Iudaei, aliud gentiles in ecclesia sentiunt, populo Dei schisma faciatis. *Capita ergo,* inquit, *vestra nolite nudare, [illegible] vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini. Dico vobis,* ait beatus Apostolus, (Gala.) *quia si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* Moritur itaque, qui caput suum nudat: quia dum aliunde quam de Christi gratia salutem expectat, ipsum Christum qui vita & salus est, a se alienat. In schismate quoque fraterno mors est, teste Salomone: *quia qui scindit ligna, vulnerabitur ab illis.* (Eccle. 1[illegible]) Qui enim Ecclesiam dividit, & ab unitatis compage proximorum corda disiungit: mortem quam aliis infert, non e- F vadit. *Ne moriamini,* inquit, *& super omnem coetum oriatur indignatio.* Tunc enim etiam populus cum praesule suo iram supernam meretur, cum praesulis aut blasphemiam, aut divisionis crimen imitatur. Alioqui, quid peccassent filii Israel si Aaron aut filii eius capita nudarent, sive etiam vestimenta scinderent? Figurari ibi posset reatus populi, non inveniri. Quod & si plaga sequeretur, non deesset quidem populi culpa, cui iuste ultio inferretur: quam tamen ad causam aspicit, significare posset divinam iustitiam, non exhibere. *Fratres vestri & omnis domus Israel plangant incendium quod Dominus suscitavit.* Plangant, inquit, id est, vos sinite ut plangant, nec eos imitemini. Pontifices siquidem qui concilium collegerunt, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem:* (Ioan. 11.) loci sui desolationem metuentes, & honoris privationem gemebant, & ad Christi gloriam livore percussi tabescebant. Omnis quoque Israel ille carnalis, dolens vetera aboleri, & nova introduci indignans, Christi doctrinae resistebat. Porro Apo- G stolus luctum abiiciens istum: *Si quis videtur,* ait, *con[illegible]dere in* (Philipp. 3.) *carne, ego magis, circumcisus octava die ex genere Israel, secundum legem Pharisaeus. Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam. Vos autem* ait Moyses, *non egrediemini fores tabernaculi.* Hoc est itaq; quod secundo loco quaerendum supra proposuimus, cur Sacerdotibus etiam die octava tabernaculi negetur egressus. Sed si advertamus quid sit exire de loco sancto, a sanctitate scilicet recedere, septem quoque dierum & octavae figuram ad memoriam revocemus: [illegible]aret, quia non solum diebus septem in tabernaculo, sed octava maxime manendum fuit. Tota enim vita ista, quae septem diebus volvitur, cum labore & solicitudine religionis claustra ab omnibus sanctificatis servantur: octava vero illucescente, postquam incluserit Ierusalem caelestis filios [illegible]os, confortatis seris portarum (Psal. 14[illegible]) suarum, ibi erit sanctitas sine defectu, securitas sine metu, nulla exeundi suspicione beatos deinceps solicitante. In H huius ergo diei typum, etiam post septem dierum observationem, dies octava [illegible] sacerdotibus iuxta tabernaculum celebrata est. Sed notandus est ordo verborum. *Fratres,* inquit, *vestri plangant incendium quod Dominus suscitavit, vos autem non exibitis de tabernaculo.* Videtur dicendum fuisse, vos autem non plangetis. Sed idem est. Exirent quippe de tabernaculo, si plangerent: quia iustitiae sanctitatem amitterent, si contra divinae providentiae dispositionem murmurarent. *Oleum quippe sanctae unctionis est super vos.* Idonea satis causa, cur plangere non debeant super religionis illius veteris abolitione, imo etiam pro totius patriae suae, quae divino facta est iudicio, desolatione: quoniam Spiritum sanctum quem eis non contulerat legis observantia, contulit Christi gratia. Unde Apostolus Galatas arguens, ait: (Gala. 3.) *Hoc solum a vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei:* Et alibi: (Heb.) *Nihil,* inquit, *ad perfectum adduxit lex. Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia.* (Galat. 3.) *Littera vero occidit, spiritus autem vivificat.* (2. Cor.) Oleum igitur sanctae un[illegible]onis habentes, [illegible]tum procul abiicite: quia in-

dignum

A dignum est vt terrena dispendia immoderatius defleant, quibus cœlestium gratiarum compensatio tanta refusa est. Sequitur:

Qui fecerunt omnia iuxta preceptum Moysi.

Prohibentur Aaron & filij eius ne vinum bibant, quando intrant tabernaculum.

CAP. IV.

*Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui quando * intratis tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia praeceptum est sempiternum in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quae locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* (* intrabitis.)

Quæritur de Aaron & filijs eius, vtrum perpetuo vino abstinuerint. Cum enim quotidie ad altare accederent ad B hostias offerendas, si non alias, certe holocaustum matutinum & vespertinum, quod vtrunque quotidianum erat, ergo omni die tabernaculum intrabant. Tabernaculum quippe etiam ipsum atrium vocari, in quo altare holocausti positum erat, iam supra ostendimus, vbi eis præcipitur (Leuit. 8.) de ostio tabernaculi non egredi septē diebus. Sed & ipsum tabernaculum quotidie intrabāt, ad componendas lucernas candelabri, vt in Euangelio legimus, dicente Domino (Exo. 27.) ad Moysen: *Præcipe filijs Israel vt afferant tibi oleum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij. Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino.* Et infra de altari thymiamatis ad Moysen loquitur Dominus, dicens. (Exo. 30.) *Adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans mane. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocat eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.* Si igitur sine cessatione omni die & ad altare immolaturi accedebant, & in ipsum intrabant tabernaculum, propter ea quæ vsus exterior exigebat: perpetuo itaque vino abstinebant, iuxta hoc quod eis diuina voce præcipitur, vt intraturi tabernaculum, vinum non bibant: nisi forte fi- C lij Aaron cum plures essent, in ministerio sibi succedebant, vnusquisque tempore vicis suæ hanc vini abstinentiam seruaturus. De Aaron vero si verum est, quod quidam inter doctores præcipuus asseruit, sui tantummodo iuris esse, super altare thymiamatis adolere incensum: certum est, quod quotidie tabernaculum intrabat, vnde & vini vsum nunquam admittebat. Quod tamen nescio vnde probari possit. Si enim ideo solus hoc fecisse creditur, quia de solo dicitur, *adolebit incensum super eo Aaron*: ergo & lucernas solus composuisse credendus est, quoniam de solo illo statim sequitur (Exo. 30.): *Quando componet lucernas, incendet illud.* Hoc autem etiam ad filios illius, qui non pōtifices, sed tantum sacerdotes erant, pauloante pertinere ostendimus, vbi de lucerna candelabri dictum est, *collocabunt eam Aaron & filij eius.* Sunt autem & nonnulla, quæ ad cremationem incensi, cum summo pontifice etiam minoris gradus sacerdotes necessario videntur admittere. Cum enim illa nullo die posset intermitti mane & vespere, fieri non poterat vt summus pontifex aliquando nō ægrotaret, vel in via esset, siue quacunque alia occasione, quæ multæ in vita mortalis D hominibus accidunt, à tabernaculi ministerio abstraheretur, ne incensum offerre potuisset. Quid enim? Nonne & ad vxorem suam aliquando accedebat, saltem vt susciperet filium qui in eodem sibi pontificatu succederet? Alienum quippe successio illa nō recipiebat: Ergo quoniam ex muliebri coitu vsque ad vesperam hominem immundum fieri lex decernit, immundos autem omnes non solum ab introitu tabernaculi, sed & ab hostiarum esu, omnique cibo sanctificato, donec mundentur, repellit: patet, vt æstimo, quia oblatio illa incensi, cuius ritus perpetuus erat, & quotidie bis repetebatur mane & vespere: non per Pontificem qui solus tunc temporis erat, poterat expleri: sed necesse erat, hanc vicarijs illius nonnunquam committi. Sed quid plura dicam? Omnes dubitationis nebulas hodierna lectio depulit, quæ ex Paralipomenon volumine improuisa sane auribus nostris insonuit. Sic enim ibi scriptum est:

E *Aaron vero & filij eius adolebāt incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis,* in omne opus sancti sanctorum. (1. Par. 6.) Ozias quoque rex, cū adolere vellet incensum super altare thymiamatis, statim ingressus post eum Azarias sacerdos Domini octoginta viri fortissimi, restiterunt regi atque dixerūt: (1. Par. 26.) *Non est tui officij vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum:* hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Patet igitur vt æstimo, cremationem incensi super altare interius, non ad pontificem solum, sed ad sacerdotes quoque reliquos pertinere. Cum itaque Aaron ad tabernaculum accedens, per seipsum quæ cultus diuinus exigere videbatur explebat, abstinebat a vino iuxta legis imperium. Cū vero alteri ministerium cōmittebat, poterat vino vti, quia tunc tabernaculum non intrabat. Hucusque præceptum legis iuxta literam discutientes, quomodo à temporis illius ministris obseruari potuerit, inuestigauimus: nunc quæ illius dandi ratio siue vtilitas fuerit, videndum est. *Vt habeatis,* ait Dominus, *scientiam discernendi inter sanctū & prophanum, inter pollutum & mundum.* Polluta & munda quæ lex appellet, in (Leu. 11.) F promptu est aduertere. *De animalib. omne quod habet,* inquit, *diuisam vngulam, comedetis. Quicquid autē ruminat quidem & habet vngulam, sed non diuidit eam, non comedetis illud, & inter immunda reputabis.* Sic de piscibus eos qui habent pennulas & squamas, mundos dicit: *quicquid vero,* inquit, *pēnulas & squamas non habet, eorum quæ in aquis mouentur, abominabile vobis & execrandum erit.* Multa addit his similia, in quibus mundorum & immundorum cuius hominum manifestam distinctionem ponit. Quid igitur? Totane ista est vtilitas, propter quam Aaron filijque ipsius etiam modici vini vsum, (1. Tim. 5.) quem Apostolus discipulo suo concedit, intrātes tabernaculum debeant abijcere, vt scilicet camelum à boue, suem ab oue discernere sufficiant, mustelam quoque & murem, lacertam & vespertilionem valeant internoscere? Ridiculum est hoc, & à sapientia tanti scriptoris prorsus alienum. Quærēda est igitur loci huius mystica profunditas: & primo sciendum, allegorice vinum in diuersa posse transferri. Vinum quippe in laude accipitur, cum de populo Dei per prophetam Zachariam dicitur: (Zacha. 9) *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* G Hoc est vinum, quo in die Pentecostes inebriati sunt Apostoli vnde & dicebāt de eis, (Act. 2.) *quia musto pleni sunt isti.* Est aliud vinum, de quo dictum est. (Deut. 32.) *Fel draconum vinum eorum.* Vinum quippe reprobum, est omnis peruersa cupiditas, quæ mentem inebriat & euertit, sicuti est auaritia, luxuria, superbia, immoderata iracundia. Qualibet namque harum mens grauata & consopita fuerit, acumen discretionis amittit: vt aut discernere non possit quid sequi debeat, aut si diiudicare iustum ab iniusto potuerit, tamē sequi contemnat. Hanc ebrietatem in populo suo factam, Ioel Propheta his verbis deplorat, dicens: (Ioel. 1.) *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Per erucam quippe quæ toto corpore repit, luxuria: per locustam quæ breues saltus dat, inanis gloria: per bruchum cuius totum corpus in ventre est, gastrimargia: per rubiginem, quæ etiam ferrum solet consumere, iracundia designatur. Multi autem sunt, qui dum quasi vitijs abrenunciant, non ad virtutes se conferunt, sed de vno vitio in aliud migrant. Verbi gratia: Cum luxuriam abdicant, de castitate inanem & temporalem gloriam captant: quod & si hanc expulerint, quasi humana proiecta H verecundia, ventris & gutturis voluptatibus licēter se subiugant: quarum tamen si iugum excusserint, nunquam liberi, semper captiui, labore iui sui abstinentiæ in acediam & impatientiam dilabentes, iracundiæ intus rubigine cōsumuntur. Quæ quam detestanda sit ebrietas, propheta statim innuit cum subiungit. (Ioel. 1.) *Expergiscimini ebrij & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* id est, qui cum voluptate & prompto animo vestris cupiditatib. indulgetis. Ab hoc itaque vino iure sacerdotes prohibentur, quotiescunque tabernaculum ingrediuntur. Sacerdotibus namque tabernaculum intrare, est, ad discutiendas causas fidelium, qui illis commissi sunt, animum applicare. (Tabernaculum intrare, quid.) In hoc enim tabernaculo (id est, in ecclesia) primum quidem quasi quasdam victimas cæduot, & sanguinē earū effunduut: cū quosdam carnaliter adhuc viuētes, gladio verbi interficiūt, & vitiosū

A appetitum tanquam sanguinem ab eis eijciunt. Quos denuo in ipsum tabernaculum introducentes, corpori videlicet Sanctorum associantes, tanquam lucernas in domo Dei constituunt: cum in sanctis operibus eruditos, ad exemplum religionis alijs proponunt. Viuunt quoque thymiamata super altare aureum, cum in quibusdam perfectioribus virtutem orationis accendunt. Quæ omnia cum discretione & timore diuino agenda sunt, ne aut iræ suæ perturbationibus incitati eos arguant, qui laude digni sunt: aut laudis suæ gratia, seu etiam quæstus intuitu, eos ad exemplum in altiori gradu constituant, quorum vita reproba non disciplinam moribus, sed ruinam videntibus inferat. Hinc est quod per Prophetam quidam arguuntur, cum *Ezech. 13.* dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat. Et non victurum viuificare nititur, qui peccatori debito iustis honore blanditur. Quicunque igitur causas fidelium tractandas suscipiunt, necesse est vt in B tabernaculi cælestis ministerio sobrij assistant. Iudicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sus vel odia vel gratiam sequuntur. Hinc est iterũ quod *Exod. 28.* de Aaron voce dominica dicitur: *Gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.* Sacerdoti quippe iudicium filiorum Israel in pectore suo coram Domino gestare, est subditorum causas pro sola interni iudicis intétione discutere, vt nihil se ei humanitatis admisceat in hoc, quod diuina positus vice dispensat: sed dum consideratur terror eius qui super omnia præsidet, videlicet iudic summi, non sine magno regatur timore subiecti. Hæc sunt illa Lamuelis verba, quibus erudiuit eum mater sua: *Prou. 31.* Noli, inquit, *regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum, ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Lamuel siquidem interpretatur, in quo est Deus. Instituit ergo mater Ecclesia filium suum, eum qui, Deo secũ morante, etiam ad proximorum curam suscipiendam conFortatur, vt reges suus, sensus videlicet spirituales, quibus C humana anima regitur, in sobrietate custodiat: ne carnalis vino voluptatis inebriati, causam filiorum eius, qui cũ diues esset, pro nobis pauper factus est, ad suæ libidinis vo- *2. Cor. 12.* tum inclinent: *Dixit itaque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in ta-* *Matth. 18.* *bernaculum testimonij, ne moriamini.* Qui autem, ait Dominus, *scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quia præceptum est sempiternũ in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum,* *Prophanus. Pollutio.* *inter pollutum & mundum.* Prophanus est, qui siue per infidelitatem, siue per criminosam vitã, à Deo alienatus est. Pollutio vero est, quæ etiam iustis aliquando contingit, culpæ scilicet alicuius contaminatio. *Doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manũ Moysi.* Notanda locutio, quod cum Dominus loquatur ad Aaron, de se tanquam de alio loquitur, dicens: *Quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* Hæc enim locutio in scripturis frequens est, vbi prima persona quæ loquitur, aut secunda cui loquitur, tanquam tertia introducitur. Vnde fratres Io- *Genes. 42.* seph cum eo sermonem habentes: *Pacifici, inquiunt, sumus,* D *nec quicquam serui tui machinantur mali.* Non dixerunt, Nec quicquam machinamur mali. Ioseph quoque ad Pharao- *Genes. 41.* nem: *Quæ facturus est,* inquit, *Deus, ostendit Pharaoni.* Cum illi loqueretur, tanquam de altero dicit. Item cum prohibe- *Exod. 20. Deut. 4. & 5.* ter Deus, loquens ad Moysen, ne adorarentur dij alieni: *Dominum,* inquit, *Deus tuus, Deus zelator est.* Nec prætereundum, quia congruo satis ordine post mortem Nadab & Abiu, qui offerentes ignem alienum, igne diuino consumpti sunt: hi qui remanserant, Aaron & alij duo filij ipsius, quoties tabernaculum intrauerint, vinũ bibere prohibentur. Idem quippe per ignẽ alienum, quod per vinũ in hoc loco intelligitur: feruor scilicet quidam reprehensibilis, & carnalis æstus concupiscentiæ, quo quicunq; succẽsi sunt, accedere ad Deum idonei non sunt. Necesse igitur erat, vt ab illo reatu viuentes reuocarentur, propter quem mortis sententiam alios incurrisse videbant, vt fieret quod scriptũ *Psal. 57.* est: *Iustus cum viderit iustitiam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

Præcipitur Aaron, & filiis eius, vt comedant sacrificium quod remansit. E

Cap. V.

Locutus est autem Moyses ad Aaron & Eleazar atque Ithamar filios eius, qui residui erant: Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est.

Quid de hostijs seu oblationibus populi mandauerit Dominus Moysi, loquens ad eum de tabernaculo testimonij, lectio docet superior: & post ad easdem hostias offeréndas octaua die consecrationis Sacerdotum, Moyses populum inuitauerit. Vbi quoniam holocausta, hostias pacificas, necnon & hostias pro peccato immolatas, sacrificia quoque oblata legimus: de holocaustis habes superius, quæ super altare incensa sint cum libamentis suis, aliarum scilicet hostiarum adipibus, necnon & similæ portione, quæ F ad Dominum pertinebat. Nunc quid de altera portione seu etiam cæteris hostijs pacificis, aut pro peccato actum sit, dicendum fuerat. Præcipit ergo Moyses Aaron & filiis eius, vt partem similæ, quæ de dominica oblatione remanserat, comedant absque fermento in loco sancto, quia sanctum sanctorũ est. Hoc ipsum enim Dominum disposuisse, cum superius Moysi loquens, sacrificiorum legem daret, quisquis priorum meminit, non ignorat. Vnde & sequitur:

Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

Sed & pacificorum pectusculum cum armo dextro, qui sacerdotibus ex Domini præcepto debebatur, consequẽter eis assignat, dicens:

Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui, ac filiæ tuæ tecum.

Meritò quæritur, cum partem similæ quam de sacrificio G Sacerdotes accipiebant, solis maribus comedendam con- *Leuit. 6.* cesserit: sic enim superius de illa præcipitur, *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud:* cur ad esum pectusculi seu armi dexteri, qui de hostijs pacificis eisdem Sacerdotibus sequestrabantur, etiam filiæ Aaron admittantur. Sed nostra edendi figuram in diuersa refertur. Similia enim (quod iam supra expositum est) iccirco mulierum epulis denegatur, ne seculares homines enerniter adhuc mundi huius voluptatibus inhærentes, mentem Deo sanctificatam, ad sua studia transferant: aut pro suæ vero libidinis negotiis mũdialibus implicent. Hic vero, cum pectusculum & armum non solum filij, sed & filiæ Aaron comedere iubentur: satis apte significatum est, & fortes & infirmos, doctrina Pótificis imbuendos, & exemplo illius esse informandos. Vn- *Rom. 1.* de B. Apostolus: *Sapientibus,* inquit, *& insipientibus debitor sum.* Sequitur:

Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel, eo quod armum & pectus & adipes qui cremantur in altari, eleuauerint coram Domino, & pertineant ad te & filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

H Boni doctores pectus pacificorum eleuant coram Domino, cum fidem populi sua doctrina ab errore sustollũt. Eleuant & armum, cum sibi commissos sanctitate vitæ præcedentes, ad sanctiora nos & sublimiora tendere persuadent. Sed & adipes coram Domino leuant, cum plebis affectus à mundi cupiditatibus ad amorem cælestium sua exhortatione perducunt. Merito ergo pectus & armum de hostiis populi in partem suam recipiunt, quia nimirũ suæ mercedis esse faciunt bonum omne quod in aliis iuuant. Notandum vero, quod cum adipes vna cum armo & pectusculo eleuent: non tamen sibi eos assumere, sed coram Domino cremare iubentur. Pastor quippe morti obnoxius est, si Ecclesiæ sibi commissæ affectum non amore diuino succendere, sed ad se potius referre contendat: tanquam si seruus aliquis Domini sui voluntate sponsæ ipsius obsequiis deputatus, adulterina cogitatione, vice Domini ab sponsa amari concupiscat. Pertractans autem holocaustis similæ, sacrificiis, & hostiis pacificis, solus restabat hircus pro peccato. Nam de vitulo pro peccato quid a-

A ctum sit, superiora patenter ostendunt. Sequitur ergo:

De hirco pro peccato, qui combustus est.

C A P. VI.

INter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit. Iratusque contra Eleazar atque Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & data est vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini, præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere eam debueritis in sanctuario, sicut præceptum est mihi?

Minime existimãdum est, quod hircus iste ab aliquo scienter in ignem missus sit vt cõbureretur: sed ignis ille qui egressus a Domino, deuorauit holocausta, etiam hunc ibi iacentem exussit, ignorantibus forte sacerdotibus, aut
B præ tristitia quam de fratrũ morte conceperant, minus curantibus. Superius autem docet lectio, de hostia pro peccato Dominum præcepisse, vt à sacerdotibus comederetur in loco sancto, præter illum vitulum quem summus Pontifex pro sua & populi ignorãtia offerebat, cuius sanguis in sancta sanctorum inferebatur, & corpus cum pelle & fimo extra castra cõcremandum efferebatur: vt in hac eadẽ die consecrationis sacerdotũ octaua, de vitulo quẽ Aaron pro peccato suo obtulit, factum legimus, & in principio voluminis huius, vbi hostiarum pro peccato ritus traditur, latiꝰ de eadẽ re disseruimus. Hircus igitur iste, qui pro peccato oblatus est, cũ de sanguine illius non sit illatũ in sancta sanctorum, à sacerdotibus vtique fuerat comedendus. Vnde Moyses exustum eum reperiens, contra filios Aaron iratus est, quod iuxta Domini præceptum non comedissent hostiam pro peccato. Cui satisfaciens,

Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino. Mihi autem accidit quod vides. Quomodo
C *potui comedere eam, aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri? Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.*

Litteræ huius sensum breuiter cucurrimus, vt allegoriæ fructũ latius prosequamur. Continet enim locus iste haud ignobile sacramentum. Hircus igitur hic de quo agimus, populus est gentiliũ: qui verbum Christi prædicantis, *Pœni-*
Math. 4. *tentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*, quem superba Iudæa contempserat, ad se transmissum, prompta mente suscepit. Hæc nanq; est ouis illa centesima, quæ post
Luc. 15. longos errores suos, pastoris humeris reportata est ad gregem: super qua amplius gauisus est quam super nonaginta nouem quas in montibus reliquerat: super Iudæis scilicet, quos ob superbiam reprobauerat: qui dum iusti sibi viderentur, & quasi non egentes pœnitentia, ad centenarium peruenire non potuerunt. Nam iustitiam quæ ex lege est
Galat. 5. præferentes, à gratia exciderunt. *Nihil enim ad perfectum ad-*
Hebr. 7. *duxit lex*. Gentilitas vero post idolorum cultum, post innumera flagitia ad Deum conuersa, peccata sua confiteri non erubuit: vnde humilitatis merito & alta cordis cõtritione,
D auxilium diuinæ gratiæ, vt iustificaretur, promeruit. Quod satis congrue exprimit Lazarus ille, qui interpretatur adiu-
Luc. 16. tus, qui iacebat ad ianuã diuitis hulcerosus. Lazarus quippe in cute vulnus habuit: quia gẽtilis populus mala non erubuit confiteri quæ fecit. Quid est enim peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Sed Lazarus vulneratus, *cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat*, quia gentilẽ quenque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat. Vnde & in hac lectione quam præ manibus habemus, sacerdotes arguuntur, quod hostiam pro peccato non comederint: quia indè ira diuina contra Iudæorum superbiam succensa est, quod solos se Deo dignos existimãtes, ad conuersationem gentilitatis indignari potius, quam ei qui ouem perditam ad gregem referebat, congratulari elegerunt. Comederent enim hostiam pro peccato, si pœnitentia gentium delectati, Deo gratias pro mundi salua-
Luc. 7. tione referrent. Dominus, quippe Iesus hostiam hanc comedit, cum peccatricem mulierem, sed quod peccauerat iã

E deflentem, lauandis pedibus suis admisit. Apud Pharisæum (ait B. Gregorius) veritas pascebatur foris: apud peccatricẽ mulierem, sed conuersam, pascebatur intus. Sed quoniam mulier hæc & ipsa quoque in materiam nostram transit, cũ eam Pharisæus ille à Domino susceptam vidisset, ipsum etiam suscipientem Dominum reprehendit. Vidit illam Dominus familiariter effectam: vidit, & inuidit: quia cum Iudaicus populus gentilitati Deum prædicari conspicit, sua apud se malitia tabescit. De quibus beatus Apostolus:
1. Thes. 2. *Qui Dominum occiderunt, inquit, Iesum & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent: & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui vt salua fiant, vt impleant peccata sua semper.* Hic est senior filius, qui reuerso fratre adoles-
Luca 15. cente, & à patre cum gaudio recepto, cum de agro rediẽs appropinquasset domui, & audisset symphoniã & chorũ: accersito vno de seruis, interrogans quid hoc esset, audiuit fratrem suum venisse, & ad aduentum illius occidisse patrem eius vitulum saginatum: qui etiam indignatus, nolebat intrare. Hi sunt illi operarij vineæ, qui quod primi in
Math. 20. F vinea laborauerunt, indignantur & murmurant, nouissimos sibi in mercede æquari. Nam populus ille antiquus ꝓ parte electorum, vineæ operatus asseritur: pro parte vero reproborum & superborum, qui gentiles in suam societatem recipi indignati sunt, de murmure accusatur: *Nos*, in-
Gala. 2. quiunt, *natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Noluit igitur filij Aaron comedere hircum pro peccato: quia pharisaicus typus, gentilitatis pœnitentiam recusat suscipere. Sed hircum quem illi despiciunt, diuinus ignis absumit: quia gentiles quos Iudæi execrabantur, post diuturnos errores suos, post innumera flagitia ablutos per pœnitentiam & sanctificatos, spiritus sanctus in suum amorem conuertit. Vnde & mulier illa, de qua iam supra diximus, cui plus
Luc. 7. dimissum fuerat, teste Domino, plus amabat: *& dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* B. Apostolus Petrus cum diuina reuelatione admonitus ad Cornelium intrasset, disceptabant aduersus eum qui erant ex circumcisione,
Actu. 11. dicentes: *Quare introisti ad viros præputium habentes?* Qui tamẽ quoniam contẽtiosi non fuerunt, nam & de populo illo re-
G liquiæ saluæ fiunt, cum audissent hostiam hanc cælestibus
Rom. 11. flammis exustam, comederũt eam: quia cum narrante Petro, eos pro quib. scandalizabãtur, spiritum sanctum accepisse cognoscerent: tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicen-
Actu. 11. tes: *Ergo & gentibus pœnitentiam Deus ad vitam dedit.* Quod quia latitudo femoris Iacob, multitudo scilicet generis eius, in qua percussus adhuc claudicat, facere noluit, reprobata est. Obsecro lectorem, vt prolixitati nostræ in hoc loco indulgeat: & vocationi nostræ, totius scripturæ tam nouæ q̃ veteris auctoritatem testimonium ferre lætus potius videat, quam nauseam patiatur. Siquidẽ iuuat, nec inutiliter, multa in vnum conferre, tanq̃ pretiosum quippe multis & varijs specieb. vnguẽtum cõficitur, cum diuersarum in scriptura sententiarum concordia demõstratur. Moyses † igitur contra filios Aaron, q̃ hostiam pro peccato non comedissent, † itaque irascitur: quia lex diuina contra Iudæorum superbiam, q̃ peccatorum pœnitentiam non recipiant, vehementius in-
H dignatur. Vnde & per Micheã Prophetã eorũ elatio incre-
Mich. 2. patur, cum dicitur: *O Israel, ne loquamini dicentes.* Et si nunquam quæreremus quis est sermo, pro quo eos arguit: *Non stillabit*, inquit, *super istos nec apprehendet confusio, dicit domus Iacob.* Quod dicit istos, filios Dei qui ex gentibus congregandi erant, ꝓ oculis habet: sicut & Ioannes Baptista Pharisæos ad humi-
Matth. 3. litatem prouocans, *facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere intra vos, patrem habemus Abraam: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Dicebãt ergo Iudæi quia non stillaret super istos, dũ nationes prius idololatriæ deditas, gratiam diuinam nunquam percepturas existimabant. *Nec apprehendet*, inquiunt, *confusio* illos scilicet qui pro
Rom. 6. peccatis suis humiliati & confusi sunt, quibus etiã per Apostolum dicitur: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* At contra Michæas: *Nunquid abbreuiatus*
Mich. 2. *est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius?* q. d. *Non est abbreuiata charitas Dei, vt circa vos solos debeat remanere: nec tales sunt cogitationes eius. Vos enim existimastis ob solam carnis propaginem, quam de Abraam trahitis, vos Dei dilectione dignos esse. Nonne*, inquit, *verba mea bona sunt cum eo qui recte* Ibidem

A gradietur? Hoc & illi murmuratori operario, de quo supra
Matth. 20 diximus, responsum est: *An oculus tuus nequam est, quia ego bo-*
nus sum? Accepisti denarium qui debebatur tibi, quæ tibi fiet inju-
ria, si alij hoc ipsum donem indebitum? Tolle tu quod tuum est, ego
quod meum est, ad arbitrium meum dispensabo. Rursum per Isaiã
Isa. 65 superbiam eorum detestans Dominus: *Qui dicunt*, inquit,
recede à me non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus e-
runt in furore meo, ignis ardens tota die. Et per Salomonem: *Ge-*
Prov. 30. *neratio*, ait, *quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordi-*
Heb. 10. *bus suis.* Impossibile enim erat, sanguine hircorum & tau-
Prov. 5. rorum auferri peccata. *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & pal-*
pebræ eius in alta subrecta. Notandum vero quod non contra
Aaron, sed contra filios eius Moyses iratus asseritur: vt tu
ad tempora nouissima, & ad successores potius Aarõ, pro-
pheticam pertinere intelligas. *Cur non comedistis*, ait Moyses,
hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & da-
ta est vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in
1. Pet. 2. *conspectu Domini: Omnis electorum generatio, genus electum est &*
B *regale sacerdotium.* Filij igitur Aaron, membra scilicet sum-
mi Pontificis, sunt omnes qui verè iusti sunt. Ad omnes i-
taque pertinet, vt comedant hostiam pro peccato: quia o-
mnis sanctus cum viderit peccatorem conuerti ab errore
viæ suæ, gaudere debet: & quantum potest, vt laqueos ini-
quitatis euadat, precibus suis eum adiuuare. Vera enim iu-
stitia, vt ait B. Gregorius, compassionem habet: falsa iusti-
tia, indignationem. Inde igitur (vt supra diximus) Iudæi
diuinam iram promeruerunt, quia ad conuersionem gen-
tium indignari potius quam compati maluerunt. Irascitur
ergo Moyses contra Eleazar atque Ithamar filios Aaron,
sed tamen patris voce postea placatur: quia furor domini-
cus qui nunc in populum illum succensus est, ob patrum
pietatem in fine temporum ad mansuetudinem conuerte-
tur. Vnde & à principio, cum iam huius animaduersionis
suæ loquendo quasi quasdam scintillas iaceret, nouumq;
hunc populum quem tandem dedit, Moysi promitteret:
Exod. 32. *Dimitte, ait, me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos,*
C *faciamque te in gentem magnam. Moyses autem rogabat Dominũ*
Deum suum dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra popu-
lum tuum? Recordare Abraam & Isaac & Israel seruorum tuorum,
quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum
*sicut stellas cæli. Quiescat obsecro ira tua, & esto placabilis super *ne-*
*nequitia *quitiã populi tui.* Placatusque est Dominus, ne faceret malũ
quod locutus fuerat aduersus populum suum. Itemque I-
Isa 63. saias: *Quare errare*, inquit, *nos fecisti Domine de viâ tua? indu-*
rasti cor nostrum, vt non timeremus te? Conuertere propter seruos
tuos, tribus hereditatis tuæ. Verba tamen Aaron non sunt præ-
tereunda. *Oblata est*, inquit, *hodie victima pro peccato, & holo-*
caustum coram Domino, mihi autem accidit quod vides. Hodie
quod dicit, tempus hoc designat, in quo plenitudo gentiũ
ad fidem intrat. Ex his quippe Sion illa construitur, pro
Psal. 50. qua olim Psalmista Domino supplicãs: *Holocausta*, inquit,
vestris non delectaberis, sed benigne fac Domine in bona voluntate
tua Sion, & ædificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrifi-
cium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare
tuum vitulos. Offertur ergo hodie hostia pro peccato & ho-
locaustum: quia gentilitas per pœnitentiam ad Deum cõ-
D uersa, quanto sibi plura ignosci perpendit, tanto ampliori
circa ipsum charitate flagrascit. *Mihi autem*, inquit, *accidit*
quod vides. Quid enim tibi accidit: *Subito filios amisi: in quo-*
rum morte quia à fletu abstinere nequeo, quomodo placere potui Do-
mino in cæremoniis mente lugubri? Videtur itaque his verbis
carnalibus Iudæis excusatio qualiscunque prætendi, cur
in gentium electione lætati non sint. Cum enim gentes ad
cultum Dei vocatæ sunt, cultus ille antiquus quem lex tra-
diderat, finem accepit. Vnde quam plurimi eorum, æmu-
latores paternarum suarum traditionum, & zelum Dei ha-
Rom. 10. bentes, sed non secundum scientiam: religionis suæ occa-
sum, tanquam mortem filiorum Aaron, impatientissime
pertulerunt: quorum ignorantiæ misericordia vtique de-
bebatur, sicut & Apostolus cum ob legis æmulationem se
1. Tim. 1. etiam fidelium persecutorem fuisse dixisset, *sed misericordiã*,
inquit *consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quia i-
gitur sub electione gentium, Iudæi gratia Dei priuati & pa-
tria expulsi sunt, quasi impedimento eis fuit, ne de aliorũ
profectu gauderent, quod tanta circa se videbant quæ plã-

E gerent. Vnde & per Isaiam dicitur: *Multiplicasti gentem, non*
Isa. 9. *magnificasti lætitiã.* Quæ tamen tristitia Deo displicuit: quia
tanta electorum esse debet cum voluntate Dei concordia,
vt & in his quæ pereunt, quanquam chari tibi sint, iustitiã
illius æquo animo feras, & in his qui saluantur, gratiæ ipsi⁹
congaudeas. Hæc est quippe illa Ionæ offensio, qui à Do-
mino fugiens, ne pœnitentiam gentibus prædicaret, diui-
no iudicio pisci ad deuorandum traditus est. Dicat ergo:
Nunquid potui placere Domino mente lugubri? Nequaquam. Iona 2.
Hæc quippe est tristitia mortem adducens, cum quis alie-
no profectu inuidens, de aliorum salute tristatur. In lon-
gum voluminis huius corpus pertraximus: quia dum con-
secrationem sacerdotalem hic volumus pertractare, nec
in aliud principium extremam eius particulam reseruare,
aliorum modum parumper excessimus. Hinc ad cibos
populi, mundorumque & immundorum differentiam,
transeundum est.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI, F

LIBER OCTAVVS.

PRÆFATIO.

QVarta iam voluitur æstas, tertia consumpta,
in qua varijs occupationibus distracti, mul-
tisque anxietatibus fatigati, opusculo huic
nostro nihil contulimus. Nunc concessa no-
bis requie munificentia tua Domine Iesu, te
remige, ad interiora maris huius velificare conabimur. Se-
quitur ergo:

De animantibus mundis & immundis. G

CAP. I.

L*Ocutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Dicite filijs* Leuit. cap.
Israel: Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis ani- XI.
mantibus terræ.
Superius cum sacerdotalem perfectionem legislator
suis traditionibus adumbraret, præcepit Aaron & filiis e-
ius, vt carnes arietis immolati, panesque consecrationis e-
derent, & de ostio tabernaculi non exirent. Vbi reuera, si-
cut tunc plenius demonstratum est, doctorum studium &
sanctitas consummata depingitur: qui electioni assiduæ o-
peram dantes, & Domini Iesu patrumque præcedentium
vestigia eadem colligentes, à sancto loco non exeunt, quia
ab illorum imitatione pedem operis non auertunt. Nunc
ad vulgi escam disponendã descenditur. quod quia in me-
dijs versatur turbis, sensibusque suis deditum est, vt magis
præsentia attendere, quam præterita cogitare sufficiat: per
multiplicem animantium, piscium, volucrum, seu etiam
reptilium varietatẽ, quæ illi in esu aut conceditur aut sub- H
trahitur, quos in populi multitudine seu imitari seu auer-
sari conueniat, edocetur. Sciendum vero quod omnis cre- 1. Tim. 4.
atura Dei bona est, præter illam quæ proprio vitio depra-
uata est, vt homo malus & angelus malus. Vnde & in Ge- Genes. 1.
nesi scriptum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde*
bona. Noe quoque post diluuium dicitur: *Omne quod moue-* Genes. 9
tur & viuit, erit vobis in cibum. Sed & Dominus in Euange- Matth. 15.
lio: *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem.* Apostolus Tit. 1.
quoque *Omnia munda mundis.* Volens tamen legislator ho-
minum mundorum immundorumve, seu etiam virtutum
vitiorumque, quibus homines mundi immundive fiunt,
differentias ponere: quasdam elegit creaturas, quas pro
naturæ suæ nonnulla congruentia, his siue illis significan-
dis apposuit: & mundorum signa, munda dixit: immundo-
rum vero imagines, immundas nominauit. Est hoc in scri-
pturis frequens, vt res significans, eius sortiatur nomen cu-
ius typum gerit. Inde scriptum est: *Petra autem erat Christus,* 1. Cor. 10.
cum Christum vtique significaret, non Christus esset: Et
quia *Panem Angelorum manducauit homo*: cum manna illud

A non Angelorum cibus fuerit, sed Angelorum cibum significauerit. Iuxta hanc igitur regulã, lex quæ pene cuncta sub figura gerebat, leprosos immundos asseruit: cũ omnis corporalis infirmitas, si per patientiam supportetur, mundare ac sanctificare animas consueuerit. Sed & cadauera mortuorum, omnesque qui tangerent illa, immunditiæ arguebat: cum mortuorum sepulturas ad religionis officiũ pertinere, nulli dubium sit. Sic & loco isto animantia quædam comedenda cõcedit, quædam interdicit: (Gen. 9.) Cum Noæ, vt supra ostendimus, diuinus sermo nihil eorum subtraxerit. Sed illic simplex eorum natura, hic vero considerabatur figura. Nam & in his quæ Deus cum Noe locutus est, aliquid typicum traditur, dum sanguinis esus prohibetur. (Ibidem.) *Quasi olera*, inquit, *virentia tradidi vobis omnia: excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Si igitur caro munda, cur sanguis immundus est, nisi quod mysterii causa sanguinem subtraxit, qui carnes ob naturæ suæ puritatem concessit? B Qui ergo sanguinem solum sibi ad significandum assumpsit, ipse postea eorundem etiam animantium corpora sacramentis supposuit. Adeo in potestate eius erat quid figuris traderet, quid vero naturæ suæ relinqueret, velut si (Minium.) minium quis præ manibus habeat, & ex parte characteris formet: ex quanta vero placuerit, parietem decoret. Hinc signa respicis: illinc, cum eadem sit materia, sola tamen coloris illius pulchritudine delectatis. Pari modo & legislator de quibusdam animantibus quasi characteres fecit, cũ in illis munditiæ seu immunditiæ nostræ typum posuit, licet primitus illa omnia pro creationis suæ dignitate esse munda testatus sit. Quod autem discretione hac, tam hominum quam pecudum ratio habenda sit, liber Actuum Apostolorum manifestè nos docet. Nam cum beato (Act. 10.) Petro Apostolo vas illud cælitus ostenderetur, in quo erant quadrupedia omnia & serpentia terræ & volatilia, dictum est ei: *Surge Petre, macta & manduca.* Qui cum abhorreret, dicens: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum*, rursus audiuit: *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris.* C (Ibidem.) Quod quomodo ipse intellexerit, satis aperte postea innotuit, cũ loquens Cornelio: *Mihi*, inquit, *ostendit Deus neminem immundum dicere.* Homines itaque in illis quadrupedibus siue serpentibus expressos aduertit: quæ cum immunda diceret, diuina vox eum corripuit. Si igitur satis iam constitit, figuratiuam hanc esse ciborũ differentiam, quæ censura legali populo distinguitur, nunc ad earundem figurarum discussionem accedendum est. *Hæc sunt*, inquit, *animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.*

Omne quod habet diuisam vngulam & ruminat in pecoribus, comedetis.

Notandũ quod diuersa posuerit legislator animantium genera, primo quadrupedia, deinde natantia, tertio volatilia: in quibus omnibus, varias hominum conditiones designat. Per quadrupedia enim, quæ vastioris corpulentiæ sunt, & operosiore membrorum suorum motu amplius fatigantur, quosdam locupletes exprimit: qui aut negotiatione, aut agricultura, siue quibuslibet huius vitæ exercitiis, in bonorum temporalium possessione dilatantur. Per aues vero, illos intellige, qui in honorib. & dignitatib. D constituti, ad alta subuolant: & quasi aliorum mortalium mensuram excedunt. In vtroque autem hoc genere quia sunt quidam qui placeant, quidam qui displiceant: neque enim aut possessiones multæ, si iustè aut liberaliter dispensentur, possessorem suũ condemnant: aut dignitates temporales, si diuinæ legi subdantur, potentes quosque reprobant, sicut scriptum est: (Iob. 36.) *Deus potentes non abiicit, cum & ipse sit potens*: in vtroq; ergo (vt diximus) genere datur populi Dei distinctio, quos sequi, quosue fugere ac detestari cõueniat. (1. Reg. 16.) Sed quoniã *homo videt in facie, Deus autem intuetur cor*, pisciũ quoq; distantia quadrupedibus volatilibusq; interponitur. Pisces namq; qui sub aquis latent, cogitationes affectusque humanos, qui in singulorum mentibus occultantur, cõgruè designant. Vt igitur non solam conuersationis nostræ superficiem operaq; visibilia, sed etiam mentiũ intima diuino discuti examine nobis certum foret: ante quadrupedes & volucres etiam pisciũ naturam sanctio legalis discernit, & in quolibet genere vitæ humanæ, mentium af-

E fectiones motusq; intimos quosdã probati, quosdam improbati, nobis innotescit. Deinde introducuntur quædam animantia minuta & abiectissima, vt est mustela & mus, lacerta talpa, quæ immunda esse iudicantur. Hæc igitur necessitatis formam & violentæ paupertatis tenere videntur. Neque. n. ad iustitiam satis est, pauperem fuisse. Sunt namque multi qui malum quod animo concipiunt, opibus destituti, explere non possunt. De quibus Salomon. (Prouer. 11.) *Manus in manu, non erit innocens malus.* Tanquam diceret. Malus etiã cum manũ in manu tenet, & otio torpet, innocentiam tñ non seruat: quia malum quod opere explere non sufficit, voluntate & assidua meditatione consummat. Vnde etiã quidam sapiens, cũ quæsisset quid stulti proprium: *Non posse*, inquit, *& velle nocere.* Sunt ergo quam plurimi, qui etiam propter nimiam inopiam hominibus sunt ignoti, Deo aũt propter morum ignobilitatem, contemptibiles & immundi. Ne igitur pauperes oẽs sanctos æstimaremus, docet lex quam in pauperum numero distinctionem facere debeamus. F Nouissime reptilium sermo infertur, quæ omnia immunda sine exceptione aliqua decernuntur. Videmus enim nonnullos, qui quasi toto corpore per terram trahuntur: quia neglectis cælestibus, omni mentis annisu terrena sectantur. De quibus per Psalmistam Domino dicitur: (Psalm. 72.) *Quia omnes qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Breuiter igitur ac summatim quæ de mundis immundisve dicenda sunt, prælibauimus, nunc ad principium reuertamur, & eam quæ super quadrupedibus datur sanctio, operosius perscrutemur. *Omne*, inquit, *quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.* Per pecora lex quælibet quadrupedia nobis insinuat, à parte totum significans. Alioqui lepus & chirogrillus, qui cum pecorib. hic annumerantur, pecoris nomen non suscipiũt. Inter pecora ergo discernens, ea sola munda asserit, quæ & ruminant & vngulam diuidunt. Quæ vero aut ruminantia vngulam non findunt, aut vngulam diuidentia non ruminãt, siue quæ neq; ruminant, neq; vngulam diuidunt, immunditiæ notam suscipiũt. Quid igitur in ruminatione ista seu vngulæ diuisione mysterii contineatur, magnopere considerandum est. G Ruminatio siquidem ad cibum pertinet: vngulæ distinctio, ad pedes. Cibus vero noster, sermo Dei est. (Matth. 4. Deut. 8.) Non, enim *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Operãdo quippe, aut ad Deum, aut ad infernum iter facimus. Vnde sanctus ille rogabat, dicens: (Psal. 118.) *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* Ruminant itaque sancta animalia, quia verbũ Dei quod aure percipiunt, in ventrem memoriæ recondunt: hocq; sæpius quasi ad os cordis reuocantes, frequẽti retractatione cõminuunt. Sed quid prodest præcepta Dei memoria retinere, & eadẽ opere non explere? Cũ ruminatione ergo cibi cælestis, et sãpes diuidẽdus est: vt distinctio boni maliq;, super qua mens nostra per legem diuinã imbuitur, in operibus quoq; nostris manifestetur, dicatur ergo: *Omne quod habet diuisam vngulã, & ruminat in pecoribus, comedetis.* Comedimus munda animalia, cum iustorum exẽpla considerantes, eorũ sanctitatem pro viribus nostræ cõuersationis corpus traiicimus. Comedenda itaq; sunt animalia, quæ & ruminant, & vngulam findunt: quia illi soli imitatione digni sunt, qui diuini verbi meditatione quid H agere, quid non agere oporteat edocti discretionem illam quam intellectu perceperunt, in actibus quoque suis ostẽdunt. Sequitur:

Quicquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed nõ diuidit eam, sicut camelus & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. Chirogryllum qui ruminat, vngulamq; non diuidit, immundus est. Lepus quoque, nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit.

Hæc omnia ex his quæ prædicta sunt, manifesta esse nõ dubito. Patet enim, immundos esse eos, qui memores quidem sunt mandatorum cœlestium, sed non ad faciendum ea. Qui ruminant, & vngulam non diuidunt: quia per intellectum & eruditionem, bonum à malo seiungunt sed in pede operis, licita ab illicitis nõ discernunt. Notandũ * tamen existimo, animalium ruminantium & vngulas non diuidentium, tria posita esse exempla, camelum scilicet, chirogryllum & leporem. Quorum camelus, enormis est magnitudinis: chirogryllus, spinosus & hericio similis: lepus

(* vero) (Chirogryllus siue chirogryllus.)

A autem, formidolosus. Tria igitur sunt quæ hominem impediunt, vt quanquam verbum Dei auditu perceperint, & mente retineant, citra sacræ tamen operationis vtilitatem remaneant: superbia scilicet, secularis occupatio, & secularis formido. Propter superbiam quippe multi qui scripturas sacras intelligunt, ad humilitatem quam Christus ibidem præcepit, deponere seipsos refugiunt. Hæc in camelo intelligitur qui dum caput in altum leuat, tumidos & elatos congrue designat. Per chirogryllum vero occupatio immoderata intelligitur: quam & terræ spinosæ in parabola seminantis dominus comparat, dicens: *Aliud cecidit inter spinas, & crescentes spinæ suffocauerunt illud.* Exponensq; quod dixerat. *hic est*, inquit, *qui audit, sed solicitudo seculi & fallacia diuitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficitur.* Chirogryllus ergo seu terra spinosa merito vocatus, qui diuini verbi semina suscipit: sed varijs occupationibus irretitus, ad fructum ea boni operis non perducit. Lepus verò timidos designat: quos etiam per terram petrosam Dominus expressit, dicens: *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio suscipit illud. Non habet autem*
B *in se radicem, sed est temporalis. Et facta persecutione & tribulatione propter verbum, continuo scandalizatur.* Timidi igitur sunt, qui cum in Ecclesia quid credere, quidue agere debeant, imbuti fuerint: difficultates quæ fidei professioné sequuntur, pati recusantes, à proposito sanctitatis resiliunt. De quibus etiam per Iob dicitur. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Nam qui modica & temporalia propter pietatem sustinere refugiunt, immensa & æterna ob impietatem supplicia sustinebunt. Sequitur:

Matth. 13. *Ibidem.* *Ibidem.* *Iob. 6.*

Et *sus, qui cum vngulam diuidat, non ruminat.*

Postquam lex illa animalis quæ ruminant, sed vngulam non diuidunt, immunda esse asseruit: eorum quoq; immūditiam quæ vngulam diuidunt, sed non ruminant, subsequenter exponit. Sunt enim nonnulli, quos notat Apostolus, dicens: *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Quibus etiam Dominus exprobrans: *Irritum*, inquit, *fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Isti igitur vngulā diuidunt, sed non ruminant: quia superstitiose multa obseruantes, non ex autoritate legis diuinæ, sed ex sua traditione agēnda aut nō agenda cō-
C stituunt. Isti quoque per suem designati sunt, quod sæuū animal est & immundum. Magna nanque stultitia est, cum propositum nobis sit Deo placere, vnumquenque super religionis censura non diuinam voluntatem consulere, sed pro libidine voluntatis propriæ sibi religioné statuere. Sed nec mundare potest huiusmodi obseruatio. Dum enim homo quædam superstitiose circa habitum suum decernit, animæ suæ immunditiam non attendit. Vnde pro Iudæis solas carnis iustitias obseruantibus, Isaias ait: *Factæ sunt quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ coram te.* Sus igitur qui vngulam diuidit, & non ruminat, immundus est: quia licet à quibusdam abstinueris, quorum tibi vsum sanctio diuina non interdixerit, dum pro tuo arbitrio sequenda aut fugienda discernis, iustitiæ veritaté obtinere non poteris. Postquam igitur legislator tam ea quæ ruminant & vngulam non diuidunt, quam quæ vngulam diuidunt & non ruminant, immunda esse asseruit: restabat vt & de his quoque loqueretur, quæ nec ruminant, nec vngulam diuidunt, sed
D hoc in posterioribus reseruauit. Nunc autem generalem de omnibus sententiam subiungens:

Rom. 10. *Isai. 64.*

Horum carnibus, inquit, *non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis.*

Ille carnibus immundis vescitur, qui alienam prauitatem imitatur. Tangere vero cadauera immundorum, est, mortuis iniquorum operibus consensum dare. Sunt enim quam plurimi quos solus inquinat tactus: quia licet opus prauū facultate subtracta non expleant, prauo tamen sese operi desideriorum motibus applicant. Sicut igitur vitatur peruersa actio, ne humanos aspectus offendas: sic etiam vitanda est voluntatis deprauatio, ne occulto inspectori displiceas. Sequitur piscium differentia.

De piscibus.

Cap. II.

E *Hæc sunt quæ gignantur in aquis, & vesci licitū est. Omne quod habet pennulas & squamas, tam in mari quam in fluminibus & stagnis, comedetis.*

Iam superius diximus, per piscium genera mentium humanarum diuersitates signari. Hæc igitur quasi fluctib. operiuntur: quia curis premuntur innumeris, & cogitationis æstibus agitantur. Vnde scriptum est: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*: potentes scilicet huius seculi, sub prouidentia & gubernatione temporalium dignitatum. Et quidē felices, quicunq; mundanis subtracti tumultibus, quietem sibi cōparauerunt. Nos tamen secularium conuersationem in his sanctionibus discutiendam suscepimus. Isti igitur qui in medijs versantur curis, subinde secretū petere, & terrenarum cogitationum vndis se exuere necesse habent. Ibi vero
F dum Deum mente recolūt, dum vitam futuram ad memoriam reducunt, dum quicquid nunc eos tantopere solicitat, transitorium esse perpendunt, quasi aeris libertati, sic contemplationis huius se inferunt serenitati. Hoc autē nemo facere præualebit, qui non earundem curarum affectum ab internis animæ suæ sensibus exclusetit: vt magis ibidem necessitate ligetur, quam voluntate. Quod si & voluptas aliqua in huiusmodi affectionibus fuerit, necesse est vt frenum moderationemq; accipiat, ne desiderium homini memoriamq; * æternitatis excutiat. Isti igitur per pennatos squamatosq; pisces congrue designantur. Pisces nāque qui pennulas habent, dare saltus super aquas solent. Squamæ vero eorundem piscium tegumenta sunt, & quasi ad repellendum impetum fluctuum, piscibus cōcessa. Muniēnda est igitur mens quodam rigore virtutis, vt occupationis appetitum (si fieri potest) nunquam ad se admittat, vt etiam cum laborat, quiescendi desiderium semper retineat. Solus enim est, qui etiam exteriores curas recte administrare valeat, amor quietis. Notandum vero existimo, quod
G pisces isti aut in mari, aut in fluminibus, vel etiā in stagnis esse perhibētur. Hæc enim triplex aquarum natura, triplicem mentium nostrarum statum designat. Mare namque salsum & impotabile, flumina vero dulcia, sed per naturalem cursum ad alium locum defluentia: stagna vero & potabilia sunt, & in eodem loco consistunt. Vnde & stagna à stando dicta, quod defluus amnium cursus ibi stare cogatur. Pari forma & mens humana cum sibi relinquitur, in amaritudine est. Vnde & sanctus ille dicebat: *Ad meipsum, anima mea conturbata est.* Sed perfecti viri cum apud se tædium sustinent, ad Deum oculos leuant, vt inde consolationem accipiāt. Ideo ille cuius anima ad se turbata fuerat: *Propterea*, inquit, *memor ero tui de terra Iordanis.* Qui vero adhuc sensibus suis dediti sunt, & secularibus trahuntur desiderijs: cū apud se requiem non inueniunt, ex rebus materialibus varias delectationes exposcunt. Sunt igitur mare, cum apud se tædio tabescunt: sunt flumina, cū desideriorum motu ad aliud tendunt: stagna vero sunt, cūm rebus quæsitis & acquisitis quasi securi quiescūt. Siue igitur in mari, siue in fluminibus, seu etiam in stagnis pisces fuerint: nisi pennulas & squamas habuerint, mundi esse nō poterunt: quia quolibet horum statu mens detineatur humana, vt scilic. aut an-
H xietatibus amarescat, aut multa industriæ sagacitate varia mundi huius oblectamenta perquirat, siue etiam super optatæ felicitatis adeptione gaudeat: nisi subinde se ab huiusmodi cogitationib. explicuerit, & veritatis reddiderit contemplationi, vt omnia quæ in præsenti aut horret aut diligit, diuino amori & æternorū postponat desiderio: mūda vtiq, non erit, quia fidei integritatem & iustitiæ rectitudinem conseruare non poterit. Vnde & subiungitur:

Iob. 26. *æternorū* *Squamæ* *Stagna.* *Psalm. 41.* *Ibidem.*

Quicquid autem pennulas & squamas non habet, eorum quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis & execrandum erit.

Qui enim (vt prædiximus) quodam virtutis munimine ab interiorib. suis & cupiditatis & timoris nimietatem nō excludit, vt scilicet nec immoderato facultatum suarū teneatur desiderio, nec vehemētiori cuiuslibet infortunij metu cōcutiatur, ab statu iustitiæ sine mora deijcitur. Teste

A
1. Tim. 6.
Horatius

namque B. Paulo Apostolo, *radix omnium malorum est cupiditas*. Et Poeta ille:

Perdidit, inquit, *arma, locum virtutis deseruit, qui*
Semper in augenda festinat & obruitur re.

Sequitur:

Carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis.

Quod dicit, vitabitis, ad tactum referendum est. Quasi diceret: Non tantum eorum esum cauere, sed tactum vitare debetis. Quod super immundis quadrupedibus iam superius expositum est: quod scilicet peruersitatem alienam nec imitari, nec saltem affectare oporteat. Deinde cuncta quæ de piscibus dixerat, breui clausula legislator consommat, dicens:

Cũcta quæ non habẽt pennulas & squamas in aquis, polluta erũt.

Hinc ad aues transeundum est.

De auibus.

B

CAP. III.

HAEc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis.

Iam superius diximus, per aues sublimitatem dignitatũ temporalium designari. Quia vero dignitas ipsa vitium nõ est, sed nisi diligentius caueatur, vitiorum nutrix est. honores quippe (vt dici solet) mutant mores, idcirco auium datur differentia, vt in eisdem honoribus qui probabiles, qui vero improbandi sint, haud dubiis cognoscamus indiciis. *Hæc sunt ergo quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis.*

Aquilam & gryphem & halietam & miluum ac vulturẽ, iuxta genus suum: & omne coruini generis, in similitudinem suam: struthionem & noctuam & larum & accipitrem, iuxta genus suum: bubonem & mergulum & ibin, cygnum & onocrotalum & porphyrionem, herodionem & charadrion iuxta genus suum, vpupam quoque & vespertilionem.

C

Notandum video, quod de quadrupedibus agens legislator, *hæc sunt*, inquit, *animalia quæ comedere debetis*. Sic & de piscibus, *hæc sunt*, ait, *quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est*. Cum autem ad aues transisset, ab immundis cœpit: *Hæc sunt*, inquiens, *quæ de auibus comedere non debetis*. Quod propter multitudinem reproborum potentium factum esse videtur. Inæstimabile est enim, quantum vitiis incrementum præbeat licentia potestatis. Dum enim omne quod libet, licet: dum male gesta nullius autoritate redarguuntur, sed (quod peius est) quæ redarguere oportuerat, peruerso fauore laudantur: superbia modum humanum transcendit, iracundia in amentiam conuersa, quasi quæ aduersum sanguinẽ sitit: luxuria habenis proiectis, quid liceat, quid nõ liceat, nequaq̃ discernit. Vnde & Dñs Iesus humanæ vitæ norma, cum ad regnum quæreretur, fugit: satis salubriter nos edocens, sublimitates seculi huius aio fugiendas, aut si rationabiliter susceptæ fuerint, cum magna cautela tractandas. De potestatibus igitur locuturus legislator, quia maximam in eis abundantiam iniquitatis deprehendit, multitudinem eorum qui displicebant, multifaria auium enumeratione primitus expressit: ac deinceps eorum qui in sublimitate positi, humiles modestique esse student, paucitatem paucis absoluit, sed nec earundem quæ positæ sunt, auium numerus prætereundus. Non. n. casu factum existimo, quod vicenariam summam obtinuerint. Vicenarius igitur perfectæ ætatis typum gerens, siquidem à viginti annis & supra, filij Israel decreto legali deligebantur ad arma, hoc in loco virium humanarum confidentiam signat. Lea itaque potẽtes quos improbat, sub vicenario numero stringit: hanc primã ducens esse radicem peruersitatis eorum, quod confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriãtur. Quos contra Apostolus discipulo loquens: *Præcipe*, ait, *diuitibus huius sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo*. Nunc igitur prædictarum auium natura typusque inuestigandus est, & quam breuissime potesimus, explicandus. Aquila ergo, quæ inter cæteras aues altiora volando petere solet, superbiã exprimit potentiũ, de quibus scriptum est: *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra*. Vnde & per Iezechielem Prophetam

Luc. 6.
D
Exod. 30. & 38.
Psalm. 48.
1. Tim. 6.
Aquila.
Psalm. 72.

E
Iezech. 17.
Gryphes l. ingrypes.

Diabulus, seu superbus ille Nabuchodunosor, nomine aquilæ designatus est: *Aquila*, inquit, *grandis magnarum alarũ, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri*. Gryphes, animal est pennatum & quadrupes. Hoc genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus: omni parte corporis sunt leones, alis & facie aquilis similes, equis vehementer infesti: nam & homines visos discerpunt. Per hos itaque potentium crudelitas congrue designatur, qui à charitatis & benignitatis sole remoti, ferina circa mortes humanas insania debacchantur. Halietus rapina pascitur: sed quia viribus destituitur, minutis tantum auibus quibus præualet, infestus existit. Sunt huius generis quam plurimi: qui in solos pauperes violenti, ostendũt in alijs non voluntatem sibi deesse, sed potestatem. Miluus, cum rapere voluerit, improuisus adest: & fere in omni rapina sua maxima insidijs vtitur. Sunt in prædonibus multi similes: qui vbi viribus non fidunt, incautis insidiantur. De his miluis contra Edõ Isaias loquitur, dicens: *Illuc congregati sunt milui, alter ad alterum*. Vultur rixis ac bellis gaudet propter cadauera præliorum, in tantum vt etiam sequatur exercitum. Quibus igitur vultures isti comparandi sunt, nisi his qui seditiones vrbiũ affectant, principum sequuntur exercitus: vt quorum prosperitati molesti esse non poterant, fortiorum viribus confractos expolient? Coruus vero auis nigra, cadaueribus inhians, eorum typum gerit, qui per infidelitatẽ siue per carnis immũditiam decolorati, erga seipsos primitus homicidę, etiam mortibus pascuntur alienis. Hucusque sub specie auium de illis egit lex, qui quacumque potestate seculari abutuntur ad scelera. Sed quoniam inueniũtur quam plurimi, qui honores quos ambiũt, sub sæculari habitu attingere non valentes, ad hoc solum speciem religionis assumũt, vt desideratam celsitudinem quasi contemnentes, citius assequantur, sub struthionis introducuntur imagine. Scriptum est enim: *Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris*. Struthio ergo pennę eorum similitudinem habet, sed volãtus eorum celeritatem non habet. Ita hypocritę bonorum vitam simulant, sed veritatem sanctæ actiuuis non habent. Post struthionem noctua sequitur. Hanc septuaginta glaucum dixerunt. Dicitur autem in nocte acuti esse visus: sole vero apparente, minus vtilitate oculorum frui. Qui igitur per noctuam intelligendi sunt, nisi de quibus scriptũ est: *Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt?* Larus vero, animal est & in aqua & in terra viuens: quia sicut auis quidem volat, vt aquatile autem natat. Sunt & inter militares huius generis quam plurimi, qui nunc militiæ laboribus atteruntur, & quasi in arido versantur, nunc vero luxuriæ petulantiæque fluxu resoluuntur.

Esai. 34.
Vultur.
F
Coruus.
Struthio.
Iob. 39
G
Noctua.
Iere. 4.
Larus.
Accipiter.

Accipiter mansuescit quidem, sed possessoribus suis ad rapinam deseruit. Eos ergo designat, qui circa nocendi appetitum remissiores effecti, ad Dominorum tamen nutum deprædationes pauperum exequuntur. Accipitrum vero genera Plinius sexdecim esse dicit. Bubo, vt idẽ Plinius testatur, in vrbibus aut omnino in luce visus, dirum ostẽtum est. Nocte pastum quærit. Cur autem die delitescat, & solis noctibus videatur, causa omnibus manifesta est, quod. s. aues reliquas vereatur. Omnibus quippe adeo odiosus est, vt visus mox ab omnib. conclametur, aut etiam discerpatur. Quid igitur per bubonem istum intelligẽdum est, nisi turpitudines execrandæ adulteriorum, incestuum, earumq; quæ contra naturam committuntur, immunditiarum? Iste nanq; semper noctem quærunt, quia *lucis manifestationẽ refugiũt. Si tamen aliquando ad publicum prodire præsũpserint, aues diurnæ, omnes scilicet honestatis amatores, facto grege, bubonem aggrediuntur: quia zelo diuino succẽsi, opus tenebrosum redarguere non cunctantur. Exemplo nobis est Baptista Ioannes, qui cum Herodis adulterio obuiare non timuit, capitis abcisionem sustinuit. Cauendum est itaq;, ne aliquis potentiorum in aliqua huiusmodi immunditia deprehensus, perniciosi fauoris silentium sortiatur, & quasi bubo iste liberam prodeundi recipiat facultatem. Nam omnino si contigerit, dirum ostentum est. Certũ est enim, vrbis illius seu etiam religionis in proximo esse subuersionem, diuinamque adesse illam animaduersionem succendi, quæ tanti sceleris sine obstaculo aut contradictione susceperit propagationem. Inde est quod postquã

lib. x. c. 8.
Bubo.
lib. x. c. 12.
H
Lucem manifestationis.
Marc. 6.

A

Gen. 18.
Genes. 19.

Sodomitæ peccatum suũ prædicare cœperunt, nec abscõderũt, dictum est: *Clamor Sodomorum venit ad me: missiq́ sunt angeli, qui eos igne & sulphure concremauerunt.* Sed de bubone ista sufficiant.

Mergulus.

Mergulus sequitur: cuius natura hæc est, vt aquis se immergat, & sub vndis diutius immoretur: eos vtique designans, qui voluptatibus carnis suæ prorsus absorbentur.

Ibis.

Ibis auis est in Aphrica, longũ rostrum habens, valde mansueta, generi tamen serpentino ferox. Serpentes enim arripit & deuorat. Per hanc autẽ illi congrue videntur designati, qui proximis quibusque in hac temporali prosperitate molestiam inferre deuitant: sed erga seipsos crudeles, flagitiorum venenis animas suas interimunt.

Cygnus.

Cygn⁹ vero candoris eximij, qui protensione longi colli, ea altitudine terræ atq; aquarum cibum trahit, eorum prætendit speciem, q vestitus sui splendore plus æquo gloriantes, de sola terrenarum rerum abundantia, contemptis cœlestib. consolationem accipiunt.

Onocrotalus

B

Sequitur onocrotalus, auis quæ sonitum facit in aqua, olorum similitudinẽ habens: nec distare æstimaretur omnino: nisi faucib. ipsius inesset alterius vteri genus. Hic omnia inexplebile animal congerit, vt sit mira capacitas. Mox perfecta rapina sensim in os reddita, in veram alunm ruminantis modo defert. Gallia hos septentrionalis, proxima oceano, mittit. In his quos alios nisi auaros accipimus, qui in apothecarum suarum vtero tantũ victualium congregare solent, vt multis annis eadem consumere non possint? congerunt tamen vndecunq; aurum, argentum, vestes innumeras & horrea cumulant: postea. s. cũ opportunum fuerit, in vsus proprios expensuri, & quasi in veram necessitatis aluum relaturi. Harum ergo auium etiã

Isa. 34.

Isaias contra Edom meminit, dicens: *Possidebũt eam onocrotalus & hericius & ibis & coruus.*

Porphyrio seu pelicanus.

Porphyrio quem septuaginta pelicanum nominãt, secundum Plinium solo morsu bibit, omnẽ cibum aqua subinde tingens, deinde ad rostrum pede veluti manu afferens. Iste, vt existimo, cõtumaciæ nobis formam prætendit. Sunt enim nonnulli, q nihil ad alterius imperium, nihil ad alterius arbitrium operis suscipiunt: sed solum q aqua tinctum fuerit, videlicet quod voluptati suæ cõsentaneum, hoc manu ꝓpria, deliberatione scil. propria, sibiipsis assumunt.

C

Herodius siue falco

Psal. 13.

Sequitur herodius, quẽ nos vulgari verbo falconem dicimus, velox rapidusq; in prædamullis comparandus, quorum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinẽ.

Charadriõ

Sed & charadrion auis garrula, nimiam quorundam redarguit loquacitatẽ.

Vpupa.

Vpupa siue opopa, quæ nidificat in stercoribus, gemitum in cantu similat: eorum speciẽ pfereos, quos terrenis inhærentes, tristitia seculi grauat.

Vespertilio.

Vespertilio quoq;, qui & vltimus in hoc auium ordine ponitur, circa terram volat, & vespera tantum: vnde & nomen accepit: pennis etiam pro pedibus vtitur quando ambulat. In isto ergo satis congrue expressi sunt, q secu- lari scientia præditi, circa terram volant: quia sola terrena sapiunt, meridiemq; diuinæ cognitionis ignorant. Cumq; incedendum quoquam fuerit, pennis pro pedib. vtuntur: quia proficere tantum in secularibus æstuantes, eandẽ scientiam non ad alios fructus, nisi ad lucra connectunt. Porro sciendum est, has ipsas aues, quas hic legislator in vitiorum figurã assumpsit, alijs scripturarum locis virtutibus assignati: adeo non volatilium natura reprehenditur, sed ꝓ diuersis earũdem auium qualitatib. in varias significationes transfertur.

D

Deut. 32.

Nã & aquila Dei ipsius typum gerit in Deuteronomio, vbi de eo dicitur: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.*

Iob. 28.

Vultur Christo cõparatur in Iob, vbi de Iudaico populo dicitur: *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculus vulturis.*

Cant. 5.

Coruus Christus in membris suis intelligitur in Canticis: *Comæ eius sicut elatæ palmarũ, nigræ quasi coruus.* Possem de Herodio, accipitre, seu etiam quibusdam alijs idem ostẽdere: sed satis est pauca plibasse. Enumeratis igitur legislator nominatim auibus, quas vitãdas censebat, generalẽ quarundã subdidit sententiã, dicẽs:

Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

Quoniam terrena corpora quatuor subsistunt elemẽtis, per volucres in quatuor pedib. incedentes, diuites intelliguntur, qui psentibus innituntur.

Psalm. 51.

De quib. in Psalmo: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarũ, & præualuit in vanitate sua.* Hyperbolicè tñ hoc lex locuta est, quã figuram iam supranotauim⁹.

E

Nam dum omnes volucres quæ sup quatuor pedes incedunt, immundas dixisse videretur, nonnullas tamen excipiens, continuo subinfert:

Quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per qua salit super terram, comedere debetis: vt est bruchus in genere suo, & athacus, atq; ophiomachus ac locusta, singula iuxta genus suum.

Omnes qui terrena facultate subnixi sunt, quasi super quatuor pedes incedunt. Si tñ de eadem abundantia sua non psumunt, nec affluentibus diuitijs cor apponunt, sed

Psalm. 61.
Philip. 3.

iuxta Apostoli sententiam, quæ retro sunt obliuiscentes, in anteriora se extendunt: isti quasi longiora retro habẽt crura, per quæ saliunt super terram: quia per spiritum adiuti, à posterioribus se suspendunt: & mentem ad æterna sustollentes, salutarem saltum faciunt. Istos ergo lex pp præsentem non reprobat abundantiam: quia licet multa possideant, ad vsum ea, nõ ad superbiam siue luxuriam retorquent: erogandoq; ac dispensando quæ possidẽt, ex abundantia transitoriæ facultatis meritum comparant æternitatis.

F

Bruchus.

Bruchus vero, quem lex nobis ad exemplum proposuit, cum sit modicæ quantitatis & fusci coloris, eorum nobis prætendit speciem, qui in religionis habitu constituti, si temporalib. subleuentur honoribus: nec mentis deserunt humilitatem, nec habitus sui mutant deformitatem.

Locusta.

Porro locusta equini capitis, quæ etiam quadã coloris sui gratia decoratur, iure militantibus aptabitur: qui splendore habitus sui publicæ cõsuetudini satisfacientes, omnem temporalem gloriam paruipendunt: & se etiam dum foris eleuant, intus abijciunt.

Athacus siue attacus

Athacus cuius naturæ sit, nusquam adhuc legere potui.

Ophiomachus.

Ophiomachus vero contrarius est serpentibus. Ophis .n. dicitur serpens, machus pugnans, quasi cũ serpentib. pugnans. Quod cuilibet electo aptissime cõuenit, qui diabolo vitijsque carnalibus incessanter resistit. Sequitur:

Quicquid autem ex volucribus quatuor habet pedes, execrabile erit vobis.

G

Mira locutionis species, multumq; notãda. Cum enim præmisisset, in quadrupedibus volatilibus illa mũda esse, quæ longiora retro habent crura: non subiunxit, quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, sed sicut prius quasi absolute, *quicquid ex volucribus quatuor habet pedes, execrabile erit vobis.* Quid tñ in prima siue vltima sententia excipiendũ sit, docet media. Deinde subiungitur:

Et quicunq; morticina eorum tetigerit, polluetur: & erit immũdus vsque ad vesperam.

Tactus (vt sæpe iam diximus) morticinorum, consensus iniquitatis intelligendus est. Immundus ergo est, qui tangit, vsq; ad vesperam: quia nisi feruor praui desiderij in illo prius occubuerit, quandiu scilicet in eadem voluntate permanserit, mundus esse non poterit. Sequitur:

Et si necesse fuerit vt portet quippiam horum mortuorum, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad solis occasum.

Plus est portare immũda, quã tangere. Tangimus quippe solo affectu. Portare vero est, aut diuturnæ tentationis molestiã sustinere, aut peccati põdus super seipsum per operationem suscipere. Ad cuius oneris grauedinẽ multi necessitate coguntur, dũ cupiditatib. suis resistere volentes, nec valentes, superantur.

H

Quæ tñ excusatio, illos maxime qui Christi sanguine redẽpti, & eius gratiã sunt adepti, absolutos non reddit. Omnibus quippe qui eiusdẽ gratiæ participes sunt, loquitur Apostolus, dicens:

Rom. 6.

Peccatũ vobis nõ dominabitur. Quicunq; igitur hac gratia destitutus, à cõcupiscentijs suis superatur: fatendum est, quia aut non legitime decertauit, & idcirco spiritus auxilium non promeruit: aut forte in spirituali certamine non de Deo, sed de viribus suis præsumpsit: ideoq; sibi relictus, corruit: siue etiam dũ staret superbus fuit, & alios iacentes despexit: ostensusq; est sibi forsitan, vt infirmiorib. cõpati potius q̃ indignari doceret: & in suo lapsu disceret, qd de proximis iudicaret. Siue ergo his siue alijs de causis q̃ nos fortassis latent, diuinũ iudiciũ non latent, aliqñ contingat, vt is qui cõtra vitia sua erigit, destitutus succũbat: sibi tñ imputare debet homo q victus est, & immundum se iudicare. Vnde & legislator in psenti de immundis volatilib. agens, *si necesse*, inquit, *fuerit vt portet*

quippiam

A *quippiam horum mortuum, lauabit vestimẽta sua, & immundus erit vsque ad solis occasum.* Vestimentorum nostrum, exterior visibilisque conuersatio intelligenda est, quæ si prauo opere contaminata fuerit, lauanda est vtique per pœnitentiam, & digna satisfactione purganda. Ipse tamen qui onus immundum portauit, immundus erit vsque ad solis occasum: quia vt iam supra dictum est, nisi prius in ipsa conscientia praui appetitus feruor occasum fecerit, ad plenum mundari non potest. Hucusque de volucribus. Ac deinde repetens legislator quadrupedia quædam quæ prætermiserat, addit dicens:

Omne animal quod habet quidem vngulam, sed non diuidit eam, nec ruminat, immundum erit.

Superius quippe sola illa quæ aut ruminant, & vngulam non diuidunt: aut vngulam diuidunt, & non ruminant, immunda esse docuerat. Nunc autem illa quoque iungit, quæ neutrum habent, homines scilicet, qui nec verbum Dei mente tractare, nec opera sua discernere consueuerunt. De quibus etiam subiungitur:

B *Et quicquid tetigerit illud, contaminabitur.*

Subaudiendum est, si mortuum fuerit. Nusquam enim lex immundorum animantium, nisi mortuorum, tactum improbat. Vbi illud quoque, quod sæpe iam diximus, ostẽditur: non creaturam vituperari, quæ vtique si vitiosa foret, & viuens & mortua reprehensibilis esset: sed tamen cum ad vitia significanda assumpta fuerit, congruentius vtiq; mortua quam viuens, quod scilicet huiusmodi homines Deo mortui sunt, hoc officium implent. Sequitur:

Quod ambulat super manus de cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.

Plures legis interpretes huius capituli, & vnusquisque quid mysticum hic sensisset, edisserens: literæ sensum quomodo stare possit, quæ vnque maius mihi scrupulũ mouet, præteriuit. Quæ sunt enim manus quadrupedum? Si pedes anteriores, quod animal incedens tam anterioribus quam posterioribus non innititur? Sed neq; alias manus in quadrupedibus inuenio. Existimo ergo aliquo artificio, aut na-

C turali, siue etiam (vt fieri solet) homine instituente posse cõtingere, vt quadrupes aliquod duobus posterioribus suspensis pedibus, anterioribus solis feratur incedens: & hoc esse, quod quasi monstrosum naturæque contrarium lex execratur: vt homo qui ad summa sempiterna bona vocat* est, posteriora sua magnipendens extollat, & anteriora paruipendens deponat. Huiusmodi autem peruersitatis & affectatio & imitatio fugienda est. aut si contigerit, satisfactione congrua diluenda. Vnde sequitur:

Qui tetigerit morticina eorum, polluetur vsque ad vesperum. Et qui portauerit huiusmodi cadauera, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam: quia omnia hæc immunda sunt vobis.

Hæc, quod superius exposita sunt, piget repetere, vt celerius ad sequentia transeamus. Nam subditur:

De minutis animantibus.

Cap. IV.

D *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ mouentur in terra, mustela & mus & crocodilus, singula iuxta genus suum.*

Mustela — Hæc sunt minuta illa & abominabilia animantia, quæ vitiosa paupertatis formam prætendere iam supra ostendimus. Mustela quippe animal est dolosum, per quam pauperum fraus redarguitur. Dicitur autem mustela, quasi

Mus. — mus longus. Mus ob edacitatem semper laborat, & propter ventris ingluuiẽ multa quotidie pericula sustinet. Sũt plerique similes, qui in rerum omnium penuria non ad æternorum expectationem cor leuant, vt pro tribulatione præsenti quam tolerant, conferri sibi à Domino delicias æternas deposcant: sed sine vlla cogitatione futurorũ viuentes, bene secum actum existimant, si quotidianis laboribus vẽtris vndecunque saturitatem conquirant. Crocodilum (vt

li. 8. cap. 25. Crocodilus. — dicit Plinius) habet Nilus quadrupes malum, & terra pariter ac flumine infestum. Vnum hoc animal terrestre, linguæ vsu caret: vnum superiore mobili maxilla, imprimit morsum. Alias terribile, pectinatum, stipante se dentium

*excellit — serie. Magnitudine * excedit plerunq; duodeuiginti cubi-

E tos, parit oua quanta anseres, vnguibus tantum armatus est, cõtra omnes ictus cute inuicta. Dies in terra agit, noctes in aqua. In hoc quadrupede tam pessimo, non nisi latronum imaginem video, qui terra pariter ac flumine infesti sunt: quia nunc semitas, nunc maria obsident, transeuntibus insidiatores. Caret vsu linguæ: quia multoties inopinãter aggrediuntur: & non indictis inimicitiis, graues se exhibent inimicos. Superiore mota maxilla, morsum faciunt: quia Diabolo instigante cui subditi sunt, in omni crudelitate eius voluntati deseruiunt. Terribiles cultiq; habitu, stipata dentium serie, pluribus scilicet ad aliorum necem in vnum collectis. Oua pariunt, sperantes in iniquitate sua, ad malefaciendum armis accincti: spiritualium vero virorum iaculis propter cordis duritiam nullum aperientes aditum, diem in terra agentes, nocte vero in aqua delitescentes. Cum enim arriserit eis complendi facinoris opportunitas, subito erumpũt:

F quamdiu aũt nemo occurrit qui præda fiat, quasi noctem passi, prodere se nolunt. Hoc porro animal, quamuis enormis sit magnitudinis, minutis tñ animantibus annumeratũ: quia huiusmodi homines sicut Deo execrabiles, ita etiam & mundo despectui habentur. Adiungit quoque lex quædam alia *Migale,* inquiens, *& chamæleon & stellio & lacerta & talpa. omnia hæc immunda sunt.*

Migale — Migale dictum est, quasi mus gulosus, est autem & fraudulentũ & dolosum. Nam cum dolo rapit, quæ ventri postea committit. In vno igitur hoc animante, vtriusque vitij forma deprehenditur, & furti scilicet & edacitatis. Chamæ-

Chamæleon (alias cameleõ) — leon non habet vnũ colorem, sed diuersa est varietate conspersum, vt pardus: cuius corpusculum ad colores quos videt, facillima conuersione variatur, cum aliorum animalium non sit ita ad conuersionem facilis corpulentia. In infirmitate mansuetum esse se fingit, cum sit immansuetum animal. Agnosce in hominib. Chamæleontem. Sunt enim plerique qui omnib. placere cupientes, vniuersorum se voluntati conformãt: facillimaq; cõuersatione variati, diuersos alternant colores dum scilicet cum irascentib. irascuntur, detrahunt cum detrahentibus: & eiusdem ipsius quem

G prius vituperãdo depresserant, mox si abiit qui laudet, laudibus fauent. Huiusmodi homines quandiu nulla potestate præditi sunt, immoderata adulatione omnibus blandiũtur. Quibus tñ si potestas contigerit, quæ in cordibus eorũ

2. Reg 15. — primo latuisset crudelitas, continuo manifestant. Testis est Absalon, qui ante regni peruasi tyrannidem, omnib. blandum se exhibens, adulabatur: mox vero vt principatus culmen arripuit, scelestissimus parricida, quantum in eo fuit, nec patri pepercit. Vnde & Sapiens quidam: *Multorum,* inquit, *quia imbecilla sunt, latent vitia: non minus ausura cum illis vires sua placuerint, quam illa quæ iam felicitas aperuit.* Instrumẽta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria, vt paria pessimis audeant, fortunæ fauore deficiunt. Eadem velle cognosces? da posse quantum volunt. Sed de Chamæleonte hucusque. Stellio quoque ac lacerta, vene-

Stellio. Lacerta. Talpa. — nata reptilia, quanquam sint infima, tamen sunt malitiosa. Talpa cæcum est animal, quod de terra generatur. Dicũt

H enim eam de terra simul & pluuia creari. Huius consuetudo est, terram fodere, & ipsos arenæ super se cumulos excitare. Huic igitur assimulandi sunt pauperes, qui terrenas diuitias quas nunquam assequuntur, semper voluunt in animo: solaque cupiditate cæcati, dum terrenas cogitationes cordi accumulant, supernum lumen nunquam respiciunt. Isti ex terra pluuiaque simul oriuntur, dum partim sua peruersa voluntate & sensu terreno, partim alterius persuasione tales efficiuntur. Sequitur.

Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperam. Et super quod ceciderit quicquam de morticinis eorũ, polluetur.

Tangit ille immunda, qui propria deliberatione alterius immũditiæ cor apponit. Super nonnullos vero cadũt morticina cũ subita tentatione quispiã præuentus, aliquod huiusmodi desideriũ incurrit. Polluitur tñ & ipse, quod minus caut' contra inimici insidias, malignã eius persuasionẽ vel ex improuiso susceperit. Quæ aũt sint, quæ huiusmodi casu contaminari possunt, lex diligentius distinguẽdo subiũgit:

Tam vas ligneum & vestimentum, quam pelles & cilicia. Et in

A *quocunque sit opus, tingetur aqua, & polluta erunt vsq; ad vesperam, & sic postea mundabuntur. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intro ceciderit, polluetur: & idcirco frangendum est.*

Superius in hostijs quæ pro peccatis offerri iubētur, per vas æneum & vas fictile, animam corpusque hominis intelleximus: quod scilicet illa æterna immortalisque sit, corpus autem ex terra formatum. Hic autem legislator pro vase æneo ligneum posuit: quia anima licet immortalis sit, cum tamen vitiosam suggestionem tam facile suscipit, inconstantiæ & mobilitatis notam incurrit. Quod per lignum congrue intelligitur, cui cum ære aut lapide, pōderis multa inæqualitas est. Dicatur ergo: *Super quem ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur.* tam vas ligneum & vestimentum, quam pelles & cilicia. Per vas ligneum, anima instabilitate sua reprehensibilis: per vestimentum vero facies corporeæ aspectus motusq; membrorum exteriores intelligūtur. Hi nanque conscientia viriata & concupiscentiæ carnalis igne succensa & ipsi continuo deprauantur, ita vt neq; in vultu
B neq; in sermone, in incessu quoq; seu in totius corporis statu, eadem q̃ fuerat seruetur honestas, aut primę visionis sobrietas teneatur. Per pelles vero illi designātur, q iam multa abstinentiæ religionisque consuetudine, carnis suæ vitia mortificauerunt. Qui tñ ne securitate noxia resoluantur, & sui custodiam negligant, repentinos tētationū incursus pcauere monentur. Sic & cilicia, illi scilicet qui pro perpetratis adhuc recens criminibus pœnitentia macerantur: ne ea improuiso inimici laqueis irretiti, ad vomitum suum redeant, saluberrime præstruuntur. *Et in quocunque*, inquit, *sit*
2. Petr. 2. *opus*, omne scilicet vas in quocunque fit opus, *tingetur aqua.* Postquam nonnullos specialiter cōtra inimici insidias vigilare præmonuit, omnib. vniuersaliter iustis hanc cautelā adhibet, dicens *Omne vas in quo fit opus, si ceciderit morticinum super illud, tingetur aqua, & pollutum erit vsq; ad vesperum.* Omnes nanque qui creatori suo deseruiunt, vasa sunt spiritus sancti, quia in ipsis & per ipsos idem spiritus operatur. Omnibus igitur generaliter repentini criminum lapsus cauēdi sunt, ne si morticinum ex improuiso cadens susceperint, necesse habeāt tingi aqua, pœnitentiæ videlicet satisfactio-
C ne purgari. Cur autem vas quod aqua tingitur, immundū maneat vsq; ad vesperam, iam supra expositum est. De vase etiam fictili, in quod horum quicquam intro ceciderit, cur frangendum sit, ea his quæ in hostiis pro peccato dicta sūt, facile intelliguntur: quod scilicet corpus per operationem aliquid harum immunditiarum in membris suum recipiens, austeriori pœnitentia sit plectendum. Sequitur:

Omnis cibus quē comedetis, si fusa fuerit super eū aqua, immūdus erit. Et omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit. Et quicquid de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum erit.

Insitata est ista constructio. Cum .n. cibum potumve populi illius contaminari posse dixisset, causam qua contaminaretur, subiungens? *Et quicquid*, ait, *de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum erit.* Sic igitur ordinanda est huius capituli tota cōtextio: Omnis cibus quem comederis, & omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, quicquid de morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immundum
D erit. Cibus autem potusq; sanctorum, iustitia est, iuxta il-
Matth. 5. lud dominicum: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Præmonuerat igitur lex adhibendam esse vigilantiam, ne quis in bono opere positus, aut malorum suorum pœnitentiam agens, repentinis inimici insidijs à sancto proposito reuocaretur: nunc vero hoc etiam obseruandum insinuat, ne bonum opus quod agitur, prauitatis admixtione contamineretur. *Omnis* (inquit) *cibus quem comede-*
*bibetis *detis & omne liquens quod * bibitis si aliquid de morticinis ceciderit super illud immundum erit.* Non .n. acceptabile esse opus bonū poterit, quod per criminis admixtionem fuerit fœdatum,
Eccl. 9. teste Salomone: quia *qui in vno offenderit, multa bona perdet.* Hinc est superius, quod hostiæ quę offerebantur, immaculatæ esse præcipiebantur. Mirum est autem, hoc loco, cum cibum qui comedendus erat tactu morticinorum pollui posse doceret, cur præmiserit legislator, si fusa fuerit super eum aqua. Quid enim? Si cibus aqua prius perfusus nō fuerit, tactis morticinis, mundus remanebit? Dicat Iudæus literæ suæ æmulator, & hanc legislationis istius qualemcū-

E que proferat rationem, quod .s. corpus aridum non tam facile polluti cadaueris sordes contrahit, sicut aqua perfusū. Nos vero ridicula ista paruipendentes, qui mystice eis omnia præcipi, & mystice ab eis fieri cognouimus, facti huius mysterium perscrutemur. Res est vulgata quam dico, omne peccatum tribus gradib. consummari, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio sine delectatione, non polluit; delectatio vero peccatum inchoat, sed consensus aditus consummat qui igitur in bono opere se exercet, quasi mundo cibo vescitur, potuque saluberrimo recreatur. Hic si persuasionem imitandæ prauitatis alienę susceperit, si nō eum delectat q audit, persuasione sola contaminari non poterit. Inijcitur ergo cibo illius quasi cadauer morticinū, dum religioso ipsius studio cogitatio prauitatis ingeritur. Quæ tamen si hominis mentem inuenerit aridam, videlicet ab illuuie prauæ delectationis alienam, nihil pollutio-
nis inferet: quia Dño attestante, *spiritus immundus etiam in locis* Matth. 12.
arida quærit requiem, sed non inuenit. Cibus igitur qui tangit Luc. 11.
F morticina, si aqua nō fuerit perfusus, contaminari non potest: quia deuotio nostra iniquitatis perfusione suscepta, si mens mollitie muliebri resoluta non fuerit, si feruore virili succensa, ab ipso cordis ostio quod contra fas sibi sentit inferri, propulerit, coronatur potius quā maculatur. Quod si tactus morticini perfusum aqua, cibum nostrum offenderit, sordes suas illi communicat: quia mens prauæ delectationis veneno infecta, cum admutum sibi serpentis sibilū quasi iniectum morticinum senserit, æstu carnalis concupiscentiæ succensa vsque ad prauitatis consensum cito collabitur. Tactus ergo morticinorum quosdam polluit, quosdam vero non polluit: quia tentatio aduersarij qua illicita quæque cordibus nostris inijcit, iustitiamque nostram qua coram Deo pascimur, sordidare contendit: sicut madidos necat, sic aridos coronat. Sequitur:

Sine clibani, siue sytropodes, destruentur & immundi erunt.

Hyperbatō est * ista, sententiæ cum verbis ordinem mu- *istud.
tans. Sic enim intelligendum est: immundi erunt, & idcirco destruentur. Per clibanum vero, sicut supra in sacrificijs similiter dictum est, sanctorum martyrum patientia, quę tribulationibus quasi ignis ardorib. circuncincta est, designa-
G tur. Sed quemadmodū azyma esse præcipiuntur, q ibidem de clibano offeruntur: ita & hic à tactu morticinorū clibanus prohibeī, vt videlicet q passione sua coronari appetit, non p p iniustitiam, sed propter iustitiam patiatur. Vnde &
scriptum est: *Nemo vestrum patiatur quasi fur, aut homicida, aut* 1. Pet. 4.
maleficus, aut alienorum appetitor. Qui enim mala patiens, male agere vel malis etiam consentire non deuitat, patientiæ suæ meritum obfuscat. Sytropodes quoque vasa sunt fictilia, pedes habentia, in quibus cibi parantur. Per hos igitur,
Doctores intelligimus, qui cū Apostolo dicere possunt: *Ha-* 2. Cor. 4.
bemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Hi .n. quasi verbi cibus discipulis parant, dum sacra doctrina mētes eorum reficiunt. Et clibani itaq; & sytropodes tactis morticinis polluuntur, destruendiq; sunt: quia nisi cuncta quæ immunda sentiunt, declinare studuerint, & illi suæ patientiæ, & isti suæ doctrinæ gloriam perdunt.

Fontes vero & cisterna, & omnis aquarū congregatio, munda erit.

H Cōtraria videtur lex loqui. Si enim quippiam per appositionem morticinorum contaminari potest, quid magis quam cisterna, in quam cadauer delapsum cū putrefactū fuerit, totam aquam illam corruptione sua abominabilem reddit? Sed literæ imbecillitas ad spiritum nos mittit. Fōtes enim sunt Doctorum mentes, in quibus bibita aqua quam
dedit eis Iesus, factus est *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioann. 4.
Ipsi quippe aquas spiritualis scientiæ, spiritu sancto ministrante, in cordibus suis concipiunt, quas linguarum meatibus minus eruditis postea infundūt. Ipsi ergo fontes, auditores vero illorum per cisternas siue per aquarum congregationes congrue designantur: quia veritatis dogmata quæ à doctoribus percipiunt, fideliter apud se congregant & conseruant. Sed quoniam incumbit prædicatorib. sanctis necessitas, vt non solum de virtutibus, sed etiā de vitijs disputent: illas scilicet laudando, ista autem reprehendendo: coguntur in meditatione sua vtraq; suscipere tā de vitijs quam de virtutibus, q deinceps in populi aurib. loqui debeant, antea mente pertractent. Suscipiunt igitur intra

A seipsos morticina, dum inuestigandæ flagitiorum naturæ, cogitationum suarum venas aperiunt. Sed neque ipsos, neque cisternas quibus influunt, auditorum videlicet conscientias, ista cadauerum susceptio contaminare potest: quia reprehensibile non est, si scito vitia inuestiges vt extirpes, si eo animo etiam manu apprehendas vt euellas. Sequitur.

Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

Nonne iam superius hoc dixerat? Quare hoc repetijt? Sed rationem perpende. Dixerat sub imagine fontium vel cisternarum, Doctores discipulosve illorum, tactis morticinis, mundos remanere: & tanquam causa ab eo requireretur, subiunxit statim. *Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.* Ac si diceret: Qui eo animo cogitationem vitijs admouet, vt eorum perpetrationem affectet, hic tactu suo immundus est. Isti vero quasi tangentes non tangunt: *qui (*quia) illicita quæq; mente tractantes, affectum eorum procul repelluot. Sed de morticinis istis adhuc subiungit:

B *Si ceciderint super sementem, non polluent eam. Sin autem quispiam aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.*

Simile quid de cibo supra tractauimus. Sed nota quam congrue post fontes & cisternas sementem legislator introduxerit. Fontes enim, vt prædiximus, sunt corda doctorum: cisternæ, conscientiæ auditorum. Medius inter eos docentium sermo discurrit: dum quod ipsi mente concipiunt, loquendo alijs infundunt. Sermo vero iste, semen est, Domino dicente: *Semen est verbum Dei.* (Luc. 8.) Sed quoniam eadem ore proferuntur, quæ prius mente tractantur; sancti prædicatores sicut vitiorum cogitationem vt ipsi instruantur, sic & disputationem vt alij ædificentur, suscipiunt. Habes sanctum Apostolum talia proferentem, quibus quodammodo noster offendatur auditus. *Nolite*, inquit, *errare. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt.* (1. Cor. 6.) Deinde ad coniugatorum cubilia disponenda descendit, & ea

C loquitur quæ quiuis ex nobis vel mediocriter religiosus, in communi locutione dicere vel audire decliuet. *Vxori*, inquit, *vir debitum reddat, similiter & vxor viro.* Et, *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus.* (1. Cor. 7.) Habes quoque in alijs scripturarum locis, nunc adulterium homicidiumque Dauid (2. Reg. 11.), nunc Iudæ cum nuru sua concubitum (Genes. 38.), nunc Cain fratricidium (Genes. 4.): multaque huiusmodi scelera, plenissima narratione describi. Quid igitur? Nunquid reprehensibilis pollutave indicabitur scriptura, quæ styli sui serie turpitudines huiusmodi comprehendit? Absit. Vt enim supra dictum est, sementis tacta morticinis non côtaminatur. Cur autem non contaminetur, breuis est responsio: quod scilicet immunda tangens, non fuerit aqua perfusa. Sancti quippe viri qui talia nobis scripserût, non malo animo mala tractabant: & ab eorundem criminum delectatione velut exsiccati, cum posterorum memoriæ traderent, non nos ad similia prouocare, sed à similibus reuocare studebant. In cômuni etiam locutione interest plurimû, quo animo quisq; quid dixerit. Nam si obiurgans alium, ad hoc solum vt corrigat, peccata sua ei obijciat, non peccat. Nam & Apostolus cum ea quæ supra diximus, tam horrenda flagitia Corinthijs scribens enumerasset, *Et hæc*, inquit, *fuistis.* (1. Cor. 6.) Quid est

D enim, quod tantus iste vir tam grauem quasi contumeliam fidelibus inferens, innoxius deputatur, cum voce dominica, *quisquis fratri suo fatue dixerit, dignus gehennæ ignibus iudicetur?* (Matth. 5.) Sed locutionis ipsius sementis, aliorum se cognitijs velut quibusdam morticinis applicans, quia aqua perfusa nô fuerat, munda remanebat. Neque enim malitiæ venenum mentem eius infecerat, nec delectabat eum proximos dehonestare: sed quam inhonesti fuerint ad memoriam reuocando, honestatis illis amorem inserere. Et nos itaque cum verbum aliquod durum contra fratrem proferimus, quasi morticino tangimus, quia peccatum perpetrasse putamur. Sed attendat vnusque conscientiam suam. Si oculo simplici proximum obiurgat, locutionis ipsius semêtis vitiosæ delectationis aquam nescit, & iccirco nullam sub tactu morticini maculam contraxit. Dicat ergo lex: *Si quispiâ aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.* Si enim ad hoc aliena vitia loquaris, vt persuadeas: si

E ea intentione fratri quod peccauit obijcias, vt abiectiorem illum, non correctiorem efficias: aqua prauæ delectationis infectus, morticinum tetigisti, & pollutionem eius tibi contraxisti. Sequitur:

Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui tetigerit cadauer eius, immundus erit vsque ad vesperam.

Mortuum dixit, non occisum. De illis quippe tantum agit, quæ aut ægritudine, aut quoquo modo per se moriuntur. Quæ mors vtique ad significandam peccati mortem, satis apte assumitur. Nemo enim peccat inuitus. Notandum vero, quod ex omni parte cautio legalis circumspectos nos reddit. Superius quippe omnium immundorum, quadrupedum, piscium, volatilium, esum nobis interdixerat & tactum, vbi ab iniquorum consortio nos omnimodos sequestrauit. Nunc vero amplius addit, vt si etiam mûdum aliquod animal quod côedere licebat, mortuum fuerit: esum quoq; illius, sicut & immundorum, tactûq; vitandum.

F Si enim iustus quispiam, quem imitari laudabile fuit, peccati mortem incurrerit: cauendum, ne propter pristinam illius sanctitatem quam venerati sumus, peruersitati quoq; in q̃ lapsus est, cômunicare velimus. Hoc quicunq; nô obseruauerit, pœnitentię remedijs indigebit. Vñ subiungitur:

Et qui comederit ex eo quippiam siue portauerit, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam.

Hæc quoniam in superioribus satis explanata sunt, sequentia videamus.

De reptilibus vt assumantur in cibum.

CAP. V.

Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

Qui enim contemptis cœlestibus, ad amorem terrenorû omnia sua deposuerunt desideria, isti abominandi sunt, nec imitatione digni.

Quicquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.

Non possunt ista esse nisi serpentia, quæ cum pedibus

G incedant, pectus tamen terræ apponunt, caudamque quoque per terram trahunt. Videtur autem lex eos significasse, qui cum terrenis diuitijs subnixi sint, quæ in quatuor (vt supra diximus) elementis consistunt: tota mente eisdem incumbunt, nec nisi terram sapiunt. Vnde & corpus reliquum per terram trahitur: quia in omnibus quę faciunt, terrenis tantummodo lucris insudatur. Qui etiam varijs occupationibus quasi multis pedibus distenduntur. Quia.n per pedes actiones solent intelligi, quasi tot pedibus incedunt, quot actionibus se impendunt. Quo contra per quendam sapientem dicitur: *Fili, ne in multis sint sensus tui.* Sequitur: (Eccli. 11.)

Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis.

Satis insinuat legislator, tactum istum immunditiamq; ad animas nostras, non ad corpora pertinere.

Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quoniam ego sum sanctus.

Notandum quod Dominus etiam per legem ad filiorum adoptionem homines præparat, quos ad suæ sanctitatis similitudinem inuitat.

Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram.

H *Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt essem vobis in Deum.*

Beneficia sua commemorat, vt ad præceptorum obedientiam deuotiores eos efficiat.

Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.

Repetitio ista, plurima commendatio est. Innuit enim quanta solicitudine obseruari oporteat, quæ præcepti repetitione adeo inculcat, sicut scriptum est: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* (Psal. 118.) Deinde concludens legislator omnia, quæ de mundorum immundorumque discretione præmiserat; *Ista est*, inquit *lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viuentis quæ mouetur in aqua & reptat in terra, vt differentias noueritis mundi & immundi, & sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis.*

Sequitur mulieris purificatio parientis: cui vt sufficere possimus, modica nobis pausatio concedenda est.

De purificatione mulierum parientium.

Cap. VI.

A Leuitici Cap. 12. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis †eius.* (†suæ.) *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta & sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.*

Nihil in lege esse quod aut vtilitate careat, aut ratione, firmissime tenendum est, cum veritas dicat: *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* (Matth. 5.) In hac tamen sanctione si literam solam sequamur, quæ ratio esse poterit, cum partum hominis culpæ legislator asscribat? Nam si de conceptione ageret, & propter concubitus voluptatem testaretur eam à reatu immunem esse non posse, vtiq; daremus assensum, Psalmistæ vocibus edocti, in iniquitate conceptos nos esse, & quia in peccatis conceperũt nos matres nostræ. (B — Psalm. 50.) Sed de coitu specialis in sequentibus dabitur sententia, & purificatio decernetur. Nunc igitur cum de solo filiarum Euæ partu tractetur, quas materna adhuc premit conditio, dum pariunt in doloribus filios: partus eiusdem cruciatus videretur potius, si quid in conceptu cõtractum est, expiare, quam nouam contaminationem afferre. Deinde cum nemo peccet nisi volens, quæ ratio est vt mulier maiori stringatur reatu, si fœminam pepererit, quam si genuerit masculum? Neque enim hoc in arbitrio illius positum est. Nam multoties cum prolem masculinam anxia concupiscat, contra votum suum filiam parit. Legalis itaque consuetudo in hac quoque sanctione recognoscenda est, qua figuratiue pene omnia loquitur: sicut & leprosos immundos asserit, & sepultores mortuorum tactu ipso cõtaminari decernit. Postremo Domini vocem teneamus, qua ait: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* (Matth. 5.) Aliquis igitur in verbis quæ proposuimus, & in consuetudine illa antiqua (C) mysticus requirendus est intellectus, quem nõ soluerit Dominus Iesus, sed adimpleuerit. Siquidem iuxta literam traditio hęc ab ecclesia eius non obseruatur. Solummodo námque mulieres nostræ ob venerationem imitationemq; beatæ virginis Marię, quę legi nihil debens, sponte in hac parte legi se subdidit, ab ecclesiæ introitu quadraginta continent diebus: (Luc. 2.) verum post editam prolem, septem dierum quæ descripta est immunditiam, siue etiam sobolis masculinæ vel fœmininę differentiam, omnino postponunt. Mysteriũ itaq; constitutionis huius inuestigandũ est, qualiter scilicet ecclesia spiritualiter impleat, quod lex carnaliter tubebat. In superioribus libri huius quæ iam tractata sunt, vt omittamus pontificum consecrationem, siue hostias quibus qui peccabant, satisfaciebant: oblationes populi lex distinxit, quasdam perfectis assignans, quas & holocausta nominauit: quasdam carnalibus adhuc, quas hostias pacificas nuncupauit. Postremo quod & nos recens tractauimus, sub specie mundorum, immũdorumue animantium, quos imitari, quosq; aduersari conueniat, fideles edocuit: (D) nunc vero de pariente loquens, & eam post editam prolem immundam fieri decernens, non minimum intelligentibus ædificationis attribuit. Est autem quidam partus spiritualis, de quo per Prophetam dicitur: (Isai. 26.) *Domine, à timore tuo concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.* Mens quippe quæ sola terrena sapuerat, imo quæ in vetustate sua prius desipuerat, verbo Dei imprægnata, bonam concipit voluntatem, quam parturit deliberando, parit operando. Proles igitur eius est nouus homo ex vetere factus, renouatus interius spiritu mentis suæ, & ambulans exterius in nouitate vitæ. Conscientiam quippe illius si interroges, credit quod nõ crediderat, sperat quod futurum prius nesciebat, amat quoque quod antea contemnebat: & è contrario negligit, quod magnopere desiderabat. Hæc est eius occulta immutatio. Cæterum si qualitatem conuersationis discutias, videbis fornicatorem iam caste viuere, aliena (E) rapientem, iam sua erogare: contumelias alijs inferentem, iam ab alijs illatas cum patientia supportare. Huiusmodi fœcunditatem, & in sanctis mulieribus olim expressam aduertimus, sicut de vxore Manuæ quę diu sterilis fuerat, scriptum est, quod visitante se Angelo, Samsonem genuerit. (Iudic. 13.) Manue autem interpretatur requies. Designatur igitur per ipsam, quod mens quæ mundanis negotijs diu versata, spirituales fructus non attulit: si quietem sibi coniunxerit, si vacare voluerit vt Deum agnoscat, theoricis illuminationibus roborata, fortem virum proferre poterit. Sic & Sunamitis illa sancti Elisei hospes, cum filium postulasset, audiuit: *In tempore isto & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium.* (4. Reg. 4.) Vnusquisque enim qui spiritum nouum à Domino postulat, iuxta fidei votorumque suorum mensuram in qua precem fundit, plus minusue spiritualis profectus accipit. Sed in sobole hac distinctio habenda est. Aliquando nanque filius, aliquando vero filia est quæ nascitur. Quod facile aduertere poterit, qui ad hostiarum diuersitatem, quam in principio voluminis huius tractauimus, mentem reuocabit. Ibi quippe fortioribus holocausta assignata sunt, de quibus & præcipitur, vt masculus esse debeat qui offertur. (F) Qui enim sua omnia relinquere, qui propter regnum cœlorum à concessa quoque coniugij copula se castrare potuerunt, qui ex integro studijs spiritualibus sese mancipare, isti merito in numero virorum currũt. (Matth. 19.) Mentes ergo huiusmodi masculos pariunt, quia in religionis professione viriliter agunt. Alij porro sunt, qui licet placere Deo studeant & pacem cum illo facere, nequaquam tamẽ possessionib. mundanis renunciare: sed ea quę mundi sunt, legitime possidere decernunt: nec coniugio carere sed coniugij fidem seruare consentiunt. Istis lex hostias pacificas deputat, quod scilicet virtutum culmen non appetant: sed contenti sint, si quo modo animaduersionem supernam euadere possint. His ergo de masculina victima nequaquã præscribitur: sed siue masculum siue fœminam offerre voluerint, vtrunque conceditur. Iam igitur apparet, quæ sit mulier quæ fœminã parit, mens scilicet quæ huius mediocris conuersationis imperfectionem eligit. Sed de illa quæ peperit masculum, prius tractandum est. Dicat ergo: (G) *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Semen est verbum Dei.* (Luc. 8.) Hoc (vt iam supra diximus) imprægnatur mens humana, & vt spirituales fructus proferat, animatur. Sed quid est quod masculum pariens, immunda decernitur? Post virtutis enim executionem, & pristinę conuersationis renũciationem, non immunda fieri: sed quæ immunda fuerat, posse mundari citius crederetur. Sciendum itaque, quia post partum filij non tunc primum immunda fit, sed tunc primum immunditiam suam agnoscit. Nemo enim tenebras suas diiudicat, qui nõdum accessit ad lucem. Nemo peccatum suum agnoscere potuit, nisi qui iustitiæ proximare cœpit. Isaias cum Dominũ vidisset sedentem super solium excelsum, statim immundum se esse ingemuit. (Isai. 6.) *Væ mihi*, inquit, *quia pollutus labijs ego sum.* Iob quoque: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* (Iob 42.) Et quid postea? *Idcirco, ait, ipse me reprehẽdo.* In Numeris etiam iubet Moyses vaccam rufam immolari, & flammis exuri. (Num. 19.) De cuius cineribus fiebant aquæ expiationis, quibus expiabantur qui tetigerant cadauer hominis. Sed sacerdos qui eam immolat, antequam castra ingrediatur, (H) iubetur lauare vestimenta sua & corpus suum: *& ingressus castra, commaculatus*, inquit, *erit vsque ad vesperam.* Idipsum & illi præcipitur qui combusserit eam. Deinde sequitur: (Ibidem.) *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra, in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis. Cumque lauerit qui vaccæ portauerat cineres, vestimenta sua, immundus erit vsque ad vesperam.* Nouissime autem: Omnis, inquit, *qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vsque ad vesperam.* Quæ igitur ratio est, cum vacca ob expiandas immundorum maculas immoletur, vt qui eam immolat siue comburit, immũdus fiat? Quæ ratio est, cum cineres tantæ dignitatis sint, vt non nisi à mundo homine efferri permittantur: ille tamen qui ad eos mundus accesserit, portando contaminetur? Si aqua illa cinerum admixtione sanctificata, immundos emundat dum super ipsos aspergitur: qua ratione qui tangit eam, immundus effici-

A tur? Sed hoc nẽpe est quod diximus, omnis qui sancta tra-
ctat, non exinde polluitur: sed hac de causa, immunditiam
suam solicitius recogitare compellitur. Alioqui si se mun-
dum iudicat, cum Deo approximat, inter superbos reputa-
bitur, de quibus per Salomonem scriptum est: *Generatio cu-*
Prou. 30. *ius excelsi sunt oculi, & palpebræ in altum subrectæ. Generatio quæ*
sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis. Mulier itaque
quę masculum parit, post sancti laboris exercitium non re-
pentinas sordes contrahit: sed quas in se pridem contem-
nebat, nunc anxia perpendit. Immunda ergo dicitur post
editum partum, non quia quas non habuerat maculas, tũc
primum suscipit: sed quia quas habuerat, non statim ex-
pellit. Vt enim ait beatus Gregorius, nemo ab imis incipi-
ens, statim fit summus. Multus post conuersationem ma-
net labor, longa concertatio. Paruulus nempe quem mu-
lier ista peperit, quasi in alieno natus, tyrãnorum possessio-
nes sibi vẽdicare conatur. Vbi igitur regnauit superbia, hu-
militatem inserere nititur: introducere diuitiarũ contem-
B ptum, expulsa auaritia: dare etiam castitati regnum, debel-
lata luxuria. At cõtra principes tenebrarum, noui regis or-
tum moliuntur extinguere: & possessionem antiquam, quã
ab ipsa veteris hominis natiuitate sibi vsurpauerant, sub-
trahi dedignantur. In hac altercatione nouus iste debella-
tor, dũ carnis illecebris interpellatur, sæpe titubat, nõnun-
quam etiam labitur. Recole Samsonem illum, cui⁹ iam su-
pra meminimus, post leonis dilacerationem, postq̃ segetes
inimicorum exussit, postquam mille viros in mandibula
asini percussit: vir fortissimus mulieris vnius blanditijs ir-
Iudic. 16. retitus, rasis crinibus, virtute priuatus, oculis orbatus, & ad
molam deputatus est. Puer quoque supradictus, quem Su-
4. Reg. 4. namitis matrona sancti viri precib. impetrauerat, meridia-
no tempore super matris genua defunctus est. Sed quid ait
Prou. 24. scriptura? *Septies cadit iustus & resurgit.* Et in Psalmo: *Cum ce-*
Psalm. 36. *ciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Et Sã-
son igitur postea resumpta virtute, inimicos oppressit: &
puer ille orante Eliseo, spiritum recepit. Mulier ergo ista q̃
masculum peperit, quãdiu apud illam affectus iustitiæ va-
rijs illecebris titillatur, varijs affectionum carnalium per-
C turbationibus inundatur, de munditia sua nondum præsu-
mit: hoc est quod lex dixerat, *septem diebus, immunda erit.* Sex
enim dies, operis sunt & laboris: septimus, repausationis.
Vsque ad septimum itaque diem immunda est mulier ista:
quia donec cesset apud eam tentationum tumultus, donec
quietem ponat spiritus sanctus, cui sabbatum consecratũ
Psal. 102. est in visceribus illius, vt benedicant omnia quæ intra eam
sunt, nomẽ sanctum eius, perfectam munditiam obtinere
non poterit. Nec moueat quenquam, quod septem diebus
immunda decernitur tanquam & septima dies immundi-
tiæ eius deputetur. Legis quippe consuetudo est, vt diem
qua quis emundatur, diebus annumeret præteritæ immũ-
ditiæ: sicut in Numeris qui cadauer hominis tetigerit, se-
Num. 19. ptem diebus immundus esse perhibetur: & tamen septimo
Leuit. 13. die purificatio illius completur. Leprosus in hoc volumine
& 14. septem diebus recludi præcipitur, qui tamen die septimo
considerari iubetur. Pari modo & mulier ista, licet septem
diebus immunditiæ deputetur, septimo tamen, videlicet
D tentationibus cessantibus, ab immunditia sua liberatur.
Dicatur ergo: *Immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis*
menstruæ. De menstrua muliere operosius suis in locis reser-
uatur tractatus: idcirco ad præsens de ea tacendum est, nisi
quod forte loco huic sufficere possit, septem scilicet dieb.
legis decreto mulierem menstruam separari. Vnde & hic de
pariente dicitur: *Immunda erit septem diebus, iuxta dies separa-*
tionis menstruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus. Octauus
dies ad resurrectionem pertinet. Est autem & resurrectio
Apoc. 20. prima, sicut in Ioannis Apocalypsi declaratum est. Resur-
rectio itaque est, noua post mortem vita. Vnde Aposto-
Rom. 6. lus: *Sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita &*
nos in nouitate vitæ [illegible]lemus. Ad octauam ergo resurre-
ctionis post septim[illegible] venit: qui mortificatis & consopitis
concupiscentijs carnalibus, in tranquillitate spiritus sancti
inexpertam antea vitæ iucunditatem inuenit. In hac igitur
octaua circumciditur infantulus: quia in hac puritate ho-
mo ille interior, concupiscentiæ carnalis labe mundatur.
Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis
suæ. Triginta tres dies, si septem addantur, quadraginta E
faciunt. Quadragenarium vero numerum ad continentiæ
laborem, vitæque præsentis ærumnam pertinere: tum
lex, tum Prophetæ, tum etiam legis ipse Prophetarum-
que Dominus, qui sub hoc numero ieiunasse legitur, in Luc. 4.
testimonium nobis erunt. Denarius enim, decalogum le- Matth. 4.
gis: quaternarius vero, corpus nostrum quod in quatuor e-
lementis subsistit, respiciunt. Porro quater decem, siue de-
cies quatuor, quadraginta complent. Merito itaq; quadra-
genarius numerus vitæ huius præsentis exercitio deputa-
tur, in qua carnis nostræ appetitus diuinis iussionibus ob-
temperare cogũtur. Mulier igitur post filij partum quadra-
ginta diebus manet in sanguine purificationis suæ: quia te-
ste Apostolo, *quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Do-* 2. Cor. 5.
mino, & iniquitatum præcedentium pœnas damus, licet ab
eis quantum possumus & gratia nos iuuat, iam cõtineam⁹.
Sanguis siquidem vindictam significat, sicut de iusto per
Psalmistam dicitur: *Manus suas lauabit in sanguine peccatorũ:* Psal. 57.
correctius scilicet aget, postquam eorum qui peccauerunt, F
tormentũ respiciet. In sanguine vero purificationis mane-
re, est ærumnam mortalitatis huius sustinere: in quam pec-
cando lapsi sumus, per quam tamen ab his q̃ commisimus,
emundamur. *omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctua-*
rium donec impleantur dies purgationis eius. Quod dicitur, *omne*
sanctum non tanget: intelligẽdum est, quia toto illo tempore
ea quæ ad tabernaculum pertinebant, & sanctificata erant,
tangere non audebat. Vt autem hæc spiritualiter discutia-
mus, omnis qui iustitiæ fructum afferre cœpit, quandiu ta-
men hic viuit, de nullo opere suo confidit. Si quid boni a-
git, Deo applicat, non sibi: in malis vero quæ gessit, non a-
lium, sed seipsum attendit. Et hoc est, sanctum nõ tangere,
à sanctitate se longe remotum iudicare. Audi beatum Apo-
stolum: *Gratia*, inquit, *Dei sum id quod sum.* Eia te autem beate 1. Cor. 15.
Paule responde quæso quid es, aut quid habes. *Ego*, ait, *mi-* Ibidem.
nimus quidem sum Apostolorum, & hoc ipsum gratia mihi, non me-
ritum contulit. Nam si merita mea respiciam, non sum dignus voca-
ri Apostolus, quia persecutus sum ecclesiã Dei. Item: *Fidelis sermo &* 1. Tim. 1.
omni acceptione dignus quia Christus Iesus venit in hunc mundum G
peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Transi ad Iob, Iob. 9.
& inuenies eum similia profitentem. *Ego si iustificare me vo-*
luero, os meum condemnabit me. David quoque: *Non in-* Psalm. 142.
tres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in
conspectu tuo omnis viuens. Sanctum ergo non tangit mu-
lier ista tempore purificationis suæ: quia sancti viri quan-
diu in infirmitate vitæ præsentis positi sunt, ob humilita-
tis custodiam peccata sua attendere, & peccatores se pro-
nunciare, quam merita sua iactare, decernunt. *Nec ingre-*
dietur, inquit, *Sanctuarium.* Sanctuarium intelligendum
est, de quo per Psalmistam Domino dicitur: *Replebimur in* Psalm. 64.
bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquita-
te. Ad hoc vero templum non pertingimus, donec adhuc
corpore grauamur. *Scimus autem quoniam si terrestris domus* 2. Cor 5.
nostra huius habitationis dissoluatur, quod habitationem habemus
ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis. Mulier igi-
tur ista post septem dies primos, quibus transactis, ab im-
munditia sua sanctificatur: licet ab iniquitate sua dimissa
fit, non statim tamen ab iniquitatis pœna libera fit: sed v- H
que ad contemplationem quadragesimæ, sustinet pondus
peregrinationis suæ. Simile quod & in Absalon reperies.
Offenderat patrem interfecto Amnon fratre suo, & à facie 2. Reg. 13.
patris fugerat in Gessur. Denique post trium annorum de-
cursum placatus est Dauid erga filium. Dixitque ad Ioab:
Ecce placatus feci verbum tuum. Vade igitur & reuoca puerum Ab- 2. Reg. 14.
salon. Veruntamen reuertatur in domum suam, & faciem meam
non videat. Mansit itaque duobus annis in Ierusalem, id est,
visione pacis, recepta scilicet patris gratia: ad patris tamen
faciem non admittebatur, sicut & mulier ista, cui detersa
iam immunditia, sanctuarium ingredi necdum concede-
batur. Sed iam quæ proposita sunt, prosequamur. *Si au-*
tem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iu-
xta ritum fluxus menstrui, & sexaginta & sex diebus manebit in
sanguine purificationis suæ. Quæ sit quæ fœminam parit, iam
supradictum est: mens scilicet quæ mediocri illa & remis-
siori conuersatione contenta, ad sublimiora virtutum cul-
mina non aspirat. Huic tẽpus immunditiæ ab illa q̃ mascu-

A lum pepererat, duplicatur. Qui enim relinquere mundanas possessiones consentiunt, qui coniugij se vinculis expedire, peccandi ex parte maxima occasionibus amputatis, dum etiam circa oris sui custodiam soliciti sunt, & otiosa quæque loqui refugiunt: exterioribus suis facile compositis, circa motuum internorum obseruationem quotidie laborant. Purgatis ergo & quasi lotis his quæ foris parent, in internis adhuc effectibus multa quæ displiceant, sustinent. Qui vero in medijs versantur negotijs, tum cogitando, tum loquendo, tum etiam operando in multis delinquunt. Primis itaque, septem immunditiæ dies: istis vero, septimanæ duæ deputatæ sunt: quia & illis ad emundationem sabbatum tranquillitatis internæ quærendum est, & isti nisi cum internis tumultibus exteriores quoque lapsus suos castigare studuerint, & ad septimam vacationis perducere, non poterunt munditiæ plenitudinem obtinere. Sicut autem immunditiæ tempus fœminam parienti duplicatum est, sic quoque duplicatur & pœnitentiæ. Post filij namq; partum, quadraginta purificationis statuti sunt dies: post ortum vero filiæ, cum quatuordecim quibus mater

B immunda fuisse iudicata est, sexaginta sex additi sunt, quibus purificatio compleatur, in cuius numeri summa duæ quadragesimæ continentur. Quod autem fit sub legalibus vmbris geminato spatio temporis, hoc exprimitur sub luce nostræ veritatis, geminato pondere afflictionis. Dignũ quippe est, vt cum crescit culpa, crescat & pœna. Mulier itaque quæ masculum parit, quadragesimam vnam qua purificetur, accepit: parientis autem fœminam, vsque ad secundam quadragesimam purificatio differtur: quia qui perfectionis viam tenent, tota peregrinationis huius quadragesima omne sanctum non tangunt, quia mentis suæ frequentes lapsus perpendunt & gemunt: nec sanctuarium intrant, quia à conditoris sui facie interim exultant. Qui vero secularibus adhuc actibus impliciti sunt, sicut & mente & opere frequenter delinquunt, sic necesse habent vt vtrumque reatum geminata satisfactione compensent. Potest tamen & ad spatium temporis, hæc pœnitentiæ dupli-

Gregorius. catio referri: Vt enim in dialogis beatus testatur Gregorius, iustorum animæ qui de perfecta iustitia aliquid minus

C habuerunt, à cœlesti regno quibusdam adhoc mansionibus differuntur. Istis itaq; quasi geminata quadragesima, sanctuarij ingressus interdicitur: dum & sub carnis sarcina, & carne iam deposita, ad creatoris speciem non suscipiuntur. Quod dilationis dispendium matres quæ masculos pepererunt, non sustinent, eodem Doctore sic attestan-

Idem. te: Luce, inquit, clarius constat, quia perfectorum iustorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Sequitur:

a *Cumque expleti fuerint dies purgationis eius pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti. Qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea: & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.*

Dies purgationis mulieris huius tunc explentur, cum præsentis vitæ cursus consummatur. Hæc est enim (vt diximus) quadragesima illa, in qua sanctum non tangere iubetur, & à sanctuarij foribus eliminatur. Nam & illa quæ fœminam peperit, etiam si post mortem carnis, secundã, priusquam purgetur, sustineat quadragesimam: eiusdem tamen purgationis quæ mortem sequitur, modus ante mortem

D quodammodo completus est: quia pondus sequentis animaduersionis, ex merito pendet præcedentis actionis. Neque enim post obitum tempus erit bene operandi, sed quod egeris recipiendi. Sciendum est, ait B. Gregorius, quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt ille obtineat, promereatur. Purgatio igitur etiã sequẽs, ante mortem quodammodo expletur, dum mensura illius ea præcedentis actionis merito terminatur. Expletis itaque diebus purgationis, die scilicet vltimo iam instante, mulier ista quæ aut masculum aut fœminã peperit, quæ in via Domini aut viriliter aut remissius egit, iubetur offerre agnum anniculum in holocaustum. In agno intelligitur innocentia: in spatio temporis, quod annum scilicet explesse iubetur, eiusdem innocentiæ consummatio designatur. Porro holocaustum (vt supra in holocaustis tractatum est) totum incendebatur. Iubetur itaque mulier ista, completis

E diebus purificationis suæ, agnum anniculum offerre holocaustum: vt vnusquisque qui purgare mores suos actusque sanctificare aggreditur, magnopere contendat, vt saltem in vitæ extremitate ad iustitiæ ipsius perfectionem attingat, sicut scriptum est: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Prou. 4. Sed quoniam nec ipsa perfectio humana irreprehensibilis vsquequaque fieri potest, cum agni oblatione iungendus est columbę pullus, siue turtur pro peccato. Hæ namque aues gemere non cãtare solent. Nullum ergo ex nobis, quamlibet perfectum, sine gemitu exire oportet: Etsi enim nõ sunt præsentia peccata quæ plangant, sed sunt præterita. Præsentia si non sunt magna, sunt tamen nonnulla. Nam & beatus Apostolus 1. Cor. 4. pro his etiam quæ non intelligebat, timebat. *Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem me iudicat, Dominus est.* Et Psalmista: *Si iniquitates obseruaueris Do-* Psal. 129. *mine, Domine quis sustinebit?* Si enim absque misericordia operum nostrorum discussio fiat, nullus erit qui sustinere

F queat. Quis namquè gloriabitur castum se habere cor? vel quis dicere poterit, purus sum à peccato? Mulier ergo ista Prou. 20. cum agno suo pullum columbinum aut turturem offerat: vt vnusquisque quamuis sanctus, quamuis perfectus, magis studeat in illa hora tremenda, ea in quibus vt homo errauit, cum cordis contritione recolere, quam merita sua stulta præsumptione iactare. Hæc autem omnia ad ostium tabernaculi deferri præcipiuntur: quia videlicet iam tempus imminet, vt anima quæ perfectionis culmen attigit, post longi peregrinationem exilij, domum cœlestis ingrediatur tabernaculi. *Et tradet*, inquit, *sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.* Docemur per præpositorum nostrorum orationem, seu per summum omnium pontificem Christum, si illi defuerint: quicquid boni agimus, vel certe ipsam peccatorum confessionem fieri posse acceptabilem. Sequitur.

Ista est lex parientis masculum ac fœminam.

Ac si diceret: Hic est legitimus modus, qui ab vnoquoque exigitur: vt licet quis nutanti gressu iter religionis arri-

G piat, in vltimo saltem conualescat. Sed quia multa est hominum negligentia circa salutem suam, plurimumque lex diuina in omnibus imbecillitati nostræ condescendit, aptè subiungitur:

Quod si non inuenerit manus eius nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

Simile quid in his quæ pro peccato offeruntur, iam exposuimus. Agnum quippe manus illius non inuenit, qui ad extrema veniens, dum vitam suam recolit, veram se custodisse innocentiam non agnoscit. Offerat ergo duos turtures vel duos pullos columbæ, vt duplicem gemitum assumat: siue quia malum egit, quod iam non potest digna satisfactione abluere: vel quia bonum quod proposuerat, non vacat explere. Inde est quod de duobus turturibus seu pullis columbinis dicitur, vnum pro peccato, & alium in holocaustum. Turtur quippe seu pullus columbæ pro peccato offertur, cum graui cordis contritione criminum reatus defletur. In holocaustum vero alter cedit, cum mens quę à bonis operibus vacasse se plangit, eorum desiderio si tẽpus detur & spatium, totam se accendit.

H

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER NONVS.

De lepra carnis & cutis.

CAP. I.

AD lepræ tractatum, prout potuimus, spiritu tuo ductò lumen nostrum, enauigauimus: nunc propen-

lius

A fius inuocamus te, sentientes aliquatenus quod oneris aggrediamur. & quia in altum iam processimus, nec sine periculo nisi tu præcedas, per abyssum istam vela damus. Tu igitur dubitantibus viam monstra, tu benignus inspira. Aufer velamen à facie Moysi huius, vt intueamur claritatem vultus ipsius. Magistrum namq; ac Dominum læti dicimus te, aperi nobis sensum, vt intelligamus quia scripserit iste de re. Recolamus itaq; quid hucusq; actum sit, & quam rationabiliter quæ sequuntur, annexa sint, videre poterimus. Diuersas fidelium conuersationes constituerat legislator, cum in principio voluminis huius hostiarum varietaté distribuit: pontifices per quos populus regeretur, consecrauerat eosq; quid suscepissent satis instruxerat: populum deinde ab iniquorum reuocauerat æmulatione, dum ab immũdorum esu prohiberet & vnumquenq; qui iam fructificare Deo cœpit, sub mulieris parientis imagine, vt infirmitatem suam quotidie dijudicet, non neglexerat admonere. Inter hæc autem eos qui lapsi sunt, si peccatum suum cognoscãt & damnent, qua satisfactione veniam promereantur, edocuit. Sed quia sunt nonnulli, qui peruersitati diabolicæ cõ-

B figurati, & peccant, & peccare deliberant: nec ab eo quod illicite commiserunt, vlla pœnitudine resipiscunt: qualiter & isti tractandi sint, sequentia declarabunt. Isti sunt enim quos lex leprosos describit, quos á castris sanctorum segregandos decernit. Prouidendum namque est, ne assidua familiaritate & colloquijs quotidianis morbum sanos inficiant, quem ipsi contumaci pertinacia ponere detrectant. Leprosos itaque lex nominat, non eos qui peccauerunt, sed qui peccati sui pœnitudinem nullam gerunt. Isti ergo quoties morbo huic subiacere fuerint deprehensi, ad sacerdotum separabuntur arbitrium. Neque enim alijs conceditur hæc potestas, sacerdotes vero subtilissima discussione examinare oportet, ne forte homo falsa suspicione laboret: aut si eius reatus apparuit, ne forte talis sit qui recipiat medelam, non qui mereatur expulsam. Sequitur ergo:

Leuitici Cap. XIII. *Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Homo in cuius carne & cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnumquemlibet filiorum eius.*

C Prima lepræ diuisio. Multas lepræ species positurus est legislator. Alia namq; lepra est, quæ in singulis notatur: alia vero, quæ populum aut populi partem sua peste corrumpit. De illa communi lepra, nouissime sub leprosæ domus imagine tractabitur: de singulari, in antecedentibus.

II. Item singularis lepra alia ex vitijs orta, ad pessimum incrementum pertingit: alia ab ipsis virtutibus originem ducit. Illi quæ de virtutibus oritur, lepra caluitij seu vestis assignabitur: quæ vero similem sibi trahit originem, in his quæ præcedunt, demonstrabitur.

III. Cuius iterum hæc fiet diuisio: Lepra quæ & vitium est, & ex vitijs nascitur, alia in fidei, alia in morum peruersitate deprehenditur. Lepra vero capitis & barbæ, fidei corruptio est: quicquid autem antecedit, ad mores refertur. Hęc quoq; quarto loco sic distribuetur:

IV. lepra quæ in moribus notatur, alia est lapsus primi, alia criminis repetiti. Sunt nãque nonnulli, qui ad primam ruinam suam carnalibus illecebris capti, lætalibus illis vinculis sese expedire contemnunt: alij vero, perdita innocentia & sanctitate, sese protinus erubescunt, & ad pœnitentię portum confugiunt: sed erga sui custodiam negligentiores, iterum præcipitantur: & malum quod recens horruerant, iterũ iam leuius du-

D cunt, & in eo perseuerare decernunt. Lepra ergo criminis repetiti, lepra cicatricis est, quæ secundum sortita est locũ. prima vero illa occurrit, quæ primo lapsu miseros inuoluit. Nos ergo lectorem breuiter admonemus, vt si ea q̃ de lepra dicenda sunt, certius examinare desiderat: vniuersa quæ ad lepram pertinent, studiose percurrat. Consonantia quippe dicendorum, veritatem astruit partium singularum. Dicatur ergo: *Homo in cuius carne & cute ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucẽs quippiam, id est, plaga lepræ adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnumquemlibet filiorum eius.*

Cutis & eius color. Diuersus color, cutis solummodo: pustula vero, & cutis & carnis est. Neq; enim solam cutẽ, sed etiam carnem pustula corrumpit. Porro per cutem & eius colorem humanæ conuersationis visibilis species, per quam homo aut bonus aut malus aliorum æstimatione vtcunq; conijcitur: p carnem vero, quæ intra cutem clauditur: hominis conscientia quæ diuinis & suis solũ oculis manifesta est, intelligitur.

E Est autem color sanctitatis, quem in populo suo fuscatum fuisse Ieremias deplorat, dicens: *Quomodo obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus?* Thren. 4. Nihil quippe splẽdidiorem reddit hominem, q̃ sermo & habitus iuxta regulam honestatis compositus. Homo igitur, in cuius conuersatione color iste defecerit, & diuersus apparuerit: siue pustula, conscientiæ videlicet corruptio ex visibili opere deprehẽsa: aut quasi lucens quippiam, reatus scilicet ipsius, signis euidentib. elucescens, iste sacerdoti offerendus est, eius examine discutiendus. Pustula. Sed à quibus offerẽdus? Nimirũ ab alijs fidelibus, à iustitiæ amatoribus: quos, cognita hominis peruersitate, negligere non oportet, *si zelus domus Dei cõedit eos:* Psalm. 68. sed quanq̃ iudicandi potestatem non habeant, sacerdoti tamen sito homine offerre debent, & q̃d de eo cognouerint insinuare.

Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatum colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua: plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur.

Pili. Pili qui de corpore insensibiliter prodeunt, cogitationes insinuant, quæ spontanee de corde procedunt.

F Albedo autem hæc pilorum, quam morbus gignit, naturalẽ colorem expellit. Quando appareat in cute lepra. Lepra itaq; in cute videtur, cum operum visibilium qualitas in homine deprauatur. Pili quoq. in albũ mutantur colorem, cum ex verbis ipsius, à charitate diuina cogitatio eius longe esse deprehenditur. Sacerdos ergo cũ lepram in cute viderit, & pilos naturalem perdidisse colorem, ipsamq; speciẽ lepræ humiliorem cute & carne reliqua: Pilorum in album mutatio. videlicet ex reatu q̃ homini obijcitur, intellexerit mentem ac propositum eius ab eo q̃ apparuit, & ab eo quod fuit, iã defecisse: separabit eum, id est, à cœtu fidelium segregabit. Timendum est enim, ne vitius quod in animo portat, familiaritatis contubernio etiam alijs infundat.

Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini: recludet eum Sacerdos septem diebus, & considerabit die septimo.

Dixerat de euidenti & perseueranti reo, qualiter tractãdus sit: nunc vero de illo, cuius reatus certis argumentis probari non potest, ita subiungit: *Si autem lucens cãdor fuerit in cute,* Lucens candor. macula scilicet criminis in sola suspicione, *nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini,* videlicet si ille qui accusatur, palam protestatur se nec ab eo quod fuerat defecis-

G se, nec peccandi cogitationem habere, *recludet eum Sacerdos septem diebus.* Quam putamus reclusionem istam futuram? Nunquid muro circundandus, aut carceri mãcipandus est iste? Reclusio dierum septem. Nequaquam. Et tamẽ de eo præcipitur, vt septem diebus recludatur. Scimus autem q̃ qui reclusus fuerit, liberũ quo voluerit procedendi non habet facultatem. Est igitur præceptorum diuinorum q̃dam ligatura & disciplinę clausura, qua peccator, *ne post concupiscentias suas eat*, cohibetur. Eccle. 18 Hanc vero clausuram stultus ille superat, de quo per Salomonem dicitur: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Pro. 24. Maceria quippe lapidum, doctrina est sanctorum patrum: quæ velut ex multis lapidibus, sic ex diuersis eorum sententijs struitur. Maceria lapidum. Hanc autem maceriam stultus circa vineam suam destruit, quia clausura illius mentem suam munire contra vitiorum impetus contemnit. Quo contra de sapientia loquens filius Sirach, nos admonet, dicens: *Iniice pedem in compedes illius, & ne acedieris vinculis eius. In nouissimo enim inuenies requiem* Eccli 6.

H *in illa, & cõuertetur tibi in oblectationẽ. Decor namq; vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* Iste igitur cuius lepra nondum declarata est, includẽdus vtiq; est, non sepibus materialibus, sed pastorali admonitione & diligenti obseruatione. Interdicenda est ei culpæ prioris repetitio, si veraciter crimen q̃ sibi ingerebatur, commisit. Quod si fama illius sine re laborauit, prohibendus est etiam ab his quę suspicionem gignere potuerũt, vt est infamium personarum familiaritas, loca & tempora quibus hoc vel illud, etsi innocenter, non tamen absque videntium offensione peregit. Proponenda est pastoralis seueritas & disciplinæ censura, dicẽdumque quod ait Apostolus: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* 1. Cor. 4 Proponenda est ei animaduersio diuina, quam reus effugere non poterit, etiam si ho-

mine,

A

minis lateat: vt hinc diuino, hinc humano timore conclusus, ad illicita egredi vlterius non præsumat. Recludendus est igitur iste, & septem diebus recludendus. Vsq; ad septimam quippe recluditur, qui tam diu à Sacerdote obseruatur, donec videat si forte sibi obediat, si forte ab opere peruerso quiescat. *Et cōsiderabit die septimo.* Cum enim innocens sibi visus fuerit apparere, diligenter examinare debet, quibus testibus vel quam euidentibus signis eius innocentia comprobetur.

Et siquidem lepra vltra non creuerit, nec transierit in cute priores terminos: rursum includet eum septem diebus alijs, & die septimo contemplabitur.

Non crescere lepram.

Non crescit lepra nec in cute (id est, in visibili hominis cōuersatione) priores terminos transit, cū homo idem nec suspicioni, si suspicio fuit, addit certitudinem: nec nouo culpæ, si vere reus fuit, apponit iterationem. Sed post primi septenarij examinationem, rursus alijs septem diebus recludi præcipitur. Non enim satis est, quod ab opere illicito visus est quieuisse. Forsitan nanque facultas fuit, forsitan non iustitiæ amor, sed solus pœnæ timor eum compescuit. Et quid magnum est hoc? Vt verbis poeticis vtar.

Iterata septem dierum reclusio.

B

Horat. epist 17 de 1

Et cautus foueam metuit lupus.
Oderunt autem *peccare boni virtutis amore.*

Vt igitur perfecte bonus sit, vt sacerdotali testimonio mundus pronunciari possit: innocentiam quam foris exhibet, interius etiam seruare oportet. Post primam itaq; examinationem, secundo quoq; à Sacerdote recluditur: si eius admonitione sicut à prauo opere, ita etiam ab illicita deliberatione cohibeatur. Quæ reclusio sicut & prima, vsq; ad septimam continuanda est: vt si fieri possit & gratia adsit, pastor a proposito non desistat, donec apud se conscientia sabbatizet, quæ in conuersatione visibili iam sanctificata apparet. *Et die septimo contemplabitur.* Neq; enim super re occultissima, super cogitationibus scilicet alienis, facile suæ opinioni acquiescere eum oportet: sed cum super propositæ personæ munditia eius iudicium ab omnibus expectetur, tunc quoque cum iam mundus homo sibi fuerit visus, antequam tamen pronunciet, etiam atque etiam hoc ipsum examinet.

C

Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est.

Cum in hac secunda discussione de interiori & recondito tractetur morbo, de voluntatis scilicet peruersitate, non videretur dicendum fuisse, si lepra non creuerit in cute: sed, si non creuerit in carne. Per carnem quippe quæ intra cutē inuoluitur, conscientiam iam supra intelleximus, quę interius occultatur. Sed notandum quia nec ipsa conscientiæ lepra, nisi per exteriores corporis motus deprehēditur: ideoque ipsa in cute aut crescit, aut decrescit, cum plura aut pauciora per ea quæ foris parent, dat suæ peruersitatis indicia. Dicat ergo: *Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute*: id est, si nulla criminis obiecti facta fuerit euidentia, nec hominis conscientia loquendo vel operando corruptionis suæ suspicionem auxerit, *mundabit eum Sacerdos, quia scabies est.* De scabie notum est, quod facile homini accedat, facile & recedat. Quæ licet molesta sit corpori, nihil tamen affert quod lepræ contagio debeat comparari. Ita sunt & peccata quædam leuiora & quotidiana, quæ non intentione malitiosa, sed aut infirmitate, aut ignorantia sæpe committuntur, vt est intemperans & effusa lætitia, lasciuiæ dissolutio, incircumspecta locutio: quæ nec quid, nec cui loquatur, vt opus esset, discernit. Hęc & his similia, licet mortifera non sint, humanæ tñ cōuersationis speciem deturpant: & grauioris etiam mali nonnunquam suspicionem proximis ingerunt. Sacerdos igitur qui personam examinandam suscepit, postquam nihil criminosum in ea deprehendit, mundare eam debet .i. mundam pronunciare. Etsi enim quispiam leuitatis arguitur, scabies ista est, vtique non approbanda: nec tñ lepra est, à castris sanctorum eijcienda. Sunt nanq; plurimi, qui leuiora illa quæ supra notauimus, minime fugiunt: nec tamen perire volunt, aut aliquid vnde damnentur, admittere. Quod si etiam lapsi fuerint, continuo resurgunt, & ad pœnitentiæ portum confugiunt. Vnde & sequitur:

Cato.

D

Mundare

Lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.

Omnis enim qui in malis suis perseuerare nō statuit, etiam si illicitum quippiā perpetrauit, lauet vestimenta sua .i. opera sua pœnitentiæ lauacro diluat, & mūdus remanebit. Leprosus quippe nullus dicendus est, nisi ille qui postquam peccauit, de peccato suo pœnitentiam agere contemnit.

E

Vestimenta lauare. Leprosus quis proprie dicendus.

Quod si postquam à Sacerdote visus est & redditus munditiæ, iterū lepra creuerit: adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur.

Multa est humani cordis profunditas, quæ vix ad liquidum possit inuestigari: multa quoque hominum imbecillitas, quam de sua innocentia nunquam expediat securam fieri. Hodie nanq; quid animi gerat vnusquisq; agnoscit: cras quid futurus sit nescit. Post tantam itaq; discussionis suæ diligentiam, sacerdos qui hominem mundū pronūciauerat, si aliter esse cognouerit, aut quia primo deceptus est, vel quod ea quæ ante apparuerat innocentia, perijt: non dubitet mutare sententiam, sed quam demum cognouit hominis immunditiam, palam pronunciet omnibus euitādam.

De lepra carnis viuæ, & de lepra efflorescente.

Cap. II.

F

P*Laga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem, & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit: lepra vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaq; eum Sacerdos, & non recludet: quia perspicuæ immunditiæ est. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quicquid sub aspectū oculorum cadit: considerabit eum Sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eo quod omnis in candorem versa sit: & idcirco homo mundus erit. Quando vero caro viuens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viua, si lepra spargatur, immunda est. Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, considerabit eum Sacerdos, & mundum esse decernet.*

Difficilem locum incidimus. Sunt enim quędam in hoc capitulo, quæ quæstionem moueant, & pene intelligentiæ aditum obstruere videantur. Quęritur nanque, cum de lepra cutis & carnis supra tractatum sit, quæ illa caro intelligenda sit viua aut non viua. Si .n. viua non fuit, nec lepra illa dici potuit. Nimirum sicut iam supra ostendimus, lepra nō potest nominari, nisi viuens & perseuerās deliberatio peccandi. Quæ mox vt mutata fuerit, lepræ nomine carebit. Quod si & illa caro viua accipienda est, quæ ergo necessitas fuit, vt lex secundum de lepra carnis viuæ tractatum introduceret, & eam vetustissimam & cuti inolitam diceret? In hoc enim quædā distinctio videtur afferri, quod ibi de vetustate nulla mentio facta est. Hic autem & vetustissimam dixit lepram, & perspicuam immunditiam: quæ reclusione & supradicta illa examinatione indigna, à castris sanctorū sit protinus eijcienda. Est etiā aliud, quod capituli huius augeat obscuritatem. Quandam nanque lepræ nouitatem introduxit lex, efflorescentis & in cute discurrentis: quæ cum totum operiat hominem à capite vsque ad pedes, lepra isti mundissima perhibetur. Si autem lepra, quomodo mūda? Aut si munda, quomodo lepra intelligitur? Hæc igitur discutienda pro virium nostrarum mediocritate suscipiemus, doctioribus non præiudicantes: sed si quid aliquando occurrerit, quod probabilius ab alio dictū sit, pro beneficio computantes. Quæ itaq; sit lepra carnis & cutis, quam primo tractauimus, & ista carnis viuæ, quidve inter vtranque differat, inuestigandum est. Videtur autem quidā iniquitatis processus à legislatore expressus, cum prius carnis tantummodo, deinde carnis viuæ lepra describitur. Sunt enim nonnulli qui peccandi affectum deliberationemq; suscipiunt, & per hoc iam leprosi dicendi sunt. Sed cū deprehēsi fuerint & reprehensi, cum à castrorum ambitu (id est, fidelium cœtu) fuerint separati, cito seipsos erubescunt, & pœnitentiam su gerunt. Omnis ergo qui eiusmodi est, iam in carne lepram habet, conscientia scilicet deprauata: nondum in viua carne, quippe qui tā cito peccato moritur, & ab eo quod male proposuerat, tam facile reuocatur. Mortua autem potius caro illa dici potest, id est, morti proxima. Habes simile quid in Apostolo: *Corpus*, inquit, *mortuum est propter peccatum.* Mortuum dixit, morti obnoxium. Sic &

Quæstio.

G

Lepra propriæ quæ.

Quæstio alia.

Quæstio.

H

Lepra carnis, & lepra carnis viuæ.

Lepra quando in carne. Quando in carne viua

Rom. 8.
Ioan 14.

Domi-

A Dominus discipulis loquens: *Ego, ait, viuo, & vos viuetis*. Nō
viuitis, sed viuetis. Neq; .n. vita dicēda est, quæ adeo dubia
& incerta est. Vitæ vero nomine sola illa merito honorat̄,
quæ viuendi perseuerantia nō priuatur. Transferamus hoc
& in contrariam partē. Pari namq; modo & illa lepra car-
nis, sed non viuæ dici potest, quæ quanquam viuat, tamen
cito mortificatur: illa carnis viuæ intelligenda est, quæ iam
pertinax & pseuerans vehementius radicatur. Dicatur er-
go: *Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, & vi-
debit eum. Cumq; color albus in cute fuerit, & capillorum mutaue-
rit aspectum.* Albedo hæc (vt supra diximus in corporib. ex
morbo, non ex natura contingit. Ita & in moribus ex alie-
natione charitatis, negligentia sanctitatis & iustitiæ contē-
ptus, quasi quidam diuersus color procedit. Superius autē
pilos mutatos dixerat: hic vero non pilorum, sed capillorū
mutationem commemorat. Porro capilli, pili sunt proli-
Cap. III. xiores. Vnde aduertendū, vt præmisimus, mali incremen-
B tū & progressum hoc loco iniquitatis describi. Vt .n. in pi-
lis, sic & in capillis cogitationum formam agnoscimus. Nā
Caput. & illi de carne, & isti de capite spontanei procedunt. Caput
autem hominis, mens intelligitur, quia principalis est, om-
niaq; disponit quæ homo facit. In capillis itaq; qui a natu-
rali colore deficiunt, mentis intelligitur deprauatio: quæ
iam longa consuetudine circa iniquitatis affectū induruit,
quæ post concupiscentias suas sine retractatione aliqua to-
Psalm. 51. to impetu ruit, cui illud psalmographi cōgrue aptatur: *To-
ta die iniustitiam cogitauit lingua tua, & quia oēs cogitationes eorū
in malum.* Hęc quoq; capillorum immutatio exinde aduer
Psalm. 72. titur, quia & *cogitauerunt & locuti sunt nequitiam, iniquitatem
Isa. 3. in excelso locuti sunt. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt,
nec absconderunt.* Impudenter quippe etiā aliorum aspecti-
bus ingerunt malum, quod se commisisse nō erubescunt.
Prou. 2. *Lætantur* enim *cū male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Vn-
*causa le- de quia eorum euidens * lepra est, & in affectus eorum ini-
præ. quitas vehementius radicata, sacerdotis non exigit discus
sionem, sed indubitatam meretur separationem. *Plaga ergo
C lepræ si fuerit*, inquit, *in homine adducetur ad sacerdotem, & vide-
bit eum. Cumq; color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit
aspectum, ipsa quoq; caro viua apparuerit: lepra vetustissima iudica-
bitur, atq; inolita cuti. Contaminabit itaq; eum sacerdos, & non re-
cludet, quia perspicue immunditia est.* Hęc omnia quia satis dis-
cussa existimamus, migrandum est, & de lepra discurrente
ac efflorescente tractandum. Sequitur: *Sin autem effloruerit
discurrens lepra in cutem, & operuerit omnem carnem à capite vsq;
ad pedes, quicquid sub aspectu oculorum cadit: considerabit eum sa-
cerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eo quod omnis in can-
dorem versa sit & idcirco homo mundus erit.* Per leprā carnis vi-
uæ de illis egit lex, quorum peruersitas aperte se prodit: &
quia pertinacem peccandi deliberationem gerit, sacerdo-
talis admonitionis clausuram non recipit. Sed quia cōsur-
Psalm. 26. gunt aliquando contra bonos testes iniqui, & *mentitur ini-
quitas sibi*, quando loquūtur homines aduersus iustum ini-
quitatem: est etiam lepra solius calumniæ & falsæ crimina-
tionis, quā legislator prætereundā minime iudicauit. Hac
quippe nec ille sanctus sanctorū carere potuit, imo solus,
Isa. 53. *qui peccatum non fecit*, & ab omni reatus contagio immunis
1 Pet. 2. fuit. Sed hoc fortitan respuit mens fidelis, & Dominum suū
D nec leprosum dicere sustinet, nec audire. Isaias itaq; testis
accedat, & quod nos sine terrore dicere formidamus, ipse
Isa. 53. more suo audeat & dicat: *Et nos putauimus eum quasi leprosum,
& percussum à Deo & humiliatū.* Hinc ipse per Psalmistā con-
Psal. 21. cinit, dicens: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum
& abiectio plebis.* Qui .n. se plebis abiectionem insinuat, quē
omnes scil. à se abijcerent & excluderent, quid aliud nisi
leprosum pronunciat? Quæ tamen lepra in cute ei, non in
carne fuit: quia sceleratorū vocib. infamari vt reus potuit,
sed conscientia eius peccatum nescijt. Discurrere itaq; in
cutis superficie potuit, sed carnem eius nunquam violauit.
Res namq; discurrens nusquā figitur, nec locū inuenit in
quo stabiliatur. Quid igitur in cute Christi nisi discurrere
lepra potuit, cum studiosissime ab aduersariis calumnian-
di vndecunq; occasio quæreretur: & quid veraciter obijci
Psal. 63. posset, non inueniretur? *Scrutati sunt enim iniquitates, sed de-
fecerunt scrutantes scrutinio. Quis*, inquit, *ex vobis arguet me de
Ioan. 8. peccato?* Insidiabantur quotidie, quærentes capere aliquid
Luc. 11.

falsitatem ex ore eius, vt accusarent eum: sed conuicti rei ipsius
euidentia, & sapientiæ diuinæ vocibus confutati, pa- E
lam profitebantur, dicentes nullum vnquam homi- Ioan. 7.
nem sic fuisse locutum. Lepra tamen conuiciorum &
criminationis, quæ ab aduersariis ingerebatur, omnem
carnem eius cooperuit à capite vsque ad pedes: quia om-
nia quæ per eum gerebantur, sinistre interpretantes, opi-
nionem ipsius prout poterant, decolorabant. Curabat
languentes, sed sabbati violatio reprehendebatur. *Non est*, Ioan. 9.
inquiunt, *hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit*. Eijciebat
dæmones, sed hoc maleficiis attribuebatur. *In Beelzebub* Luc. 11.
principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et quid dicam amplius?
Inter tot maledicorum contumelias, dum alii fabri filium
subsannant, alii Samaritanum dæmonio plenum, furiosis Matth. 13.
vocibus proclamant: inter tot inquam conuicia, non fuit Ioan. 8.
in eo species neque decor, sed quicquid sub aspectu ocu-
lorum cadebat, lepræ quasi contagio non carebat. Hinc
est quod Zacharias in sordidis vestibus Iesum aspexit, & Zacha. 3.
Dauid montibus Gelboe, quod ibi clypeus Saul abiectus F
fuisset, maledixit dicens: *Montes Gelboe, nec ros nec pluuia ve-* 2. Reg. 1.
*niat super vos: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul,
quasi non esset vnctus oleo.* Gelboe quippe interpretatur de-
cursus. Montes Gelboe, superba sunt Iudæorum corda,
ad amorem præsentium decurrentia. Saul vnctus rex, Chri
stum significat, quem *vnxit Deus oleo lætitiæ præ participibus
suis*. Cuius clypeus intelligitur singularis eius innocentia, Clypeus.
qua ex omni latere circummunitus, nullum aduersariis iustę
reprehensionis aditum dereliquit. Hic tamen clypeus in
montibus Gelboe abiectus est: quia sanctitas illius apud
tumentia Iudæorum corda, contemptibilis visa est. Qua-
si non esset vnctus oleo. Tanquam enim omni gratia spi-
rituali destitutus esset, & dæmonio plenus asserebatur: &
ea quæ mirabiliter faciebat, spiritui inmundo tribueban-
tur. Lepra vero hæc quæ caput nostrum operuit, ad mem-
bra quoque ipsius peruenit. Inde est quod paulo ante legi-
mus, non tantum clypeum Saul, sed & aliorum fortium,
in montibus Gelboe abiectum fuisse. Et Prophetæ nan-
que & Apostoli eadem opprobria, easdem contumelias G
sunt perpessi. Ad eos leprosos non prænuntiabat Domi-
nus, cum patientiam eorum informans, aiebat. *Videte ne* Ioan. 16.
scandalizemini, absque synagogis facient vos? Hi sunt quatuor
leprosi, qui sub Elisæo Propheta iuxta introitum portæ Sa- 4. Reg. 7.
mariæ sedisse leguntur. Quatuor quippe sunt, vt euange-
licum numerum in eis agnoscas. Extra portam positi, quasi
extra synagogam proiecti. Interim ciuitas fame periclita-
tur: quia repulsis verbi prædicatoribus, pane cælesti defi-
ciente, infideles necesse est inedia moriantur. Leprosi vero
inito consilio ad Syros transeunt, tanquam in seipsis Apo-
stolum nobis exprimant, Iudæos increpantem & dicen-
tem: *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei sed quia repulistis* Act. 13.
*illud, & indignos vos iudicastis æterna vita, ecce conuertimur ad gē-
tes.* Porro Syri fugerant. Siquidem Dominus sonitum au-
diri fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum exercitus
plurimi. Fugerunt & gentes sub voce Apostolica id quod
fuerant, velut locum in quo steterant deserentes: & per
dignos pœnitentiæ fructus, iram futuram euadere satagen
tes. Fugerunt autem diuina virtute perterriti, sicut scri-
ptum est: *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Ne- Psal. 113.
que enim leprosi Syros fugauerunt, sed fugisse eos inue- H
nerunt. Vnde & isti de quibus agimus, leprosi in Psalmo
subsequuntur & dicunt: *Non nobis Domine non nobis, sed no-* Ibidem.
mini tuo da gloriam, super misericordia tua & veritate tua. Syri
autem fugientes, dereliquerunt tentoria sua, & equos & a-
sinos & mulos in castris: fugeruntque, animas tantum suas
saluare cupientes. Sic & nationes, audita voce Domini di-
centis, *quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ* Matth. 16.
vero suæ detrimentum patiatur? omnia temporalia contem-
pserunt, sed & corpora supplicijs tradiderunt, tantum ęter-
narum salutem acquirerent. Hoc & Sibyllinis versibus Sibylla.
ante prædictum fuerat:

Cum sacris sacellis densis in vrbibus orbis,
Reijcient simulacra viri cunctam quoq; gazam.

Sed & Ieremias sub specie Idumeæ gentilitatem alloquēs:
Gaude, inquit, *& lætare filia Edom, ad te quoque perueniet calix.* Thre. 4.

A *inebriaberis atque nudaberis.* In hunc modum historia illa mysterijs plena est. Quam tamen quia non ex integro explanandam suscepimus, satis nobis est illam tetigisse: & quid in ea nobiscum faciat, quasi digito ostendisse. Hæc autem lepra martyres quoque nostros operuit, quo tempore confessio nominis * Christiani ignominiosa fuit. (*Christi) Tunc enim in theatris contra eos publice clamabatur: *Tolle magos, tolle maleficos.* Vnde & in Psalmo vox illorum auditur, dicentium: (*Psalm. 43.*) *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.* Quæ tamen fœditas iam effloruit: & quicquid lepra illa decoloraverat, patientiæ laus sublecuta, & fidei constantia multis tribulationibus examinata, in gloriam commutavit. (*Iaco. 5.*) *Ecce enim beatificamus eos qui sustinuerunt.* Sed & quo tempore ista patiebantur, si quis diligentius attenderet, in sanctis viris lepra ista discurriens effluiescebat: quia sub infamiæ offuscatione, interius perspicientibus innocentiæ puritas apparebat. Vnde in Canticis martyrum mater de se ipsa testatur, dicens: (*Cant. 1.*) *Nigra sum, sed formosa.* Ac si aperte dicat: In cute quidem mea, adversariorum contumelijs lepræ B deformitatem sustineo: in conscientiæ tamen secreto, sanctitatis pulchritudinem servo. Dicatur itaque: *Si effloruerit discurrens lepra in cute,* infamia scilicet sanctos extrinsecus afficiens? & reproborum malitia, quid reprehendere possit quaquaversum perquirens: (*Matth. 5.*) *effloruerit,* id est, gloriandi occasionem eis qui propter iustitiam hæc patiuntur, & sine culpa sua infamantur, præbuerit: & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quicquid sub aspectu oculorum cadit: omnia quippe quæ à nostris etiam laudabiliter geruntur, maledicorum linguis fuscantur, & sinistra interpretatione depravantur: *considerabit eum Sacerdos.* Neque enim decet iudicem, popularibus opinionibus fidem accommodare: sed propius accedere, & rem diligentius examinare. Cum igitur lepram efflorescentem deprehenderit, teneri hominem lepra mundissima iudicabit. Mundatur quippe potius homo, ac per patientiam meritis accrescit, cum sine criminis perpetratione, criminis laborat suspicione. *Eo quod (inquit) omnis in candorem versa sit: & idcirco homo mundus erit.* In candorem lepra vertitur, quan-C do persona quæ nigra videbatur deformitate infamię, candida & formosa deprehenditur rei cognita veritate. *Quando vero caro vivens in eo apparuerit, tunc Sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viva si lepra aspergatur, immunda est.* (Caro viva.) Caro viva lepræ contagio affecta, conscientia est, vt superius diximus, pravis concupiscentijs & pertinaci peccandi deliberatione corrupta. Hanc pollutam esse, & inter immundos reputandam, & res per se est manifesta, & superioribus rationibus approbata. *Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit: considerabit eum Sacerdos, & mundum esse decernet.* Humanæ consulitur ignorantiæ. Neque enim vel doctorum acumen ad perscrutandas mentis alienæ tenebras sufficiens est, vt difficile non sit nonnunquam aberrare: & ab ea quæ quæritur, veritate aliquantulum deviare. Si igitur Sacerdos vt homo aliquando deceptus, aliquem damnavit immeritum: si lepra damnati, rursum in alborem versa fuerit, videlicet si calumnia qua homo infamatus est, falsa fuerit deprehensa, si innocentia comperta: iubetur Sacerdos hoc ipsum considerare, & si verum esse cognoverit, habita iudicij sui D pœnitentia, hominem mundum pronunciare. Sed non est prætereundum quod dicitur, *si versa fuerit lepra in alborem, & totum hominem operuerit.* Quid enim si non totum, sed partem hominis operiat lepra efflorescens, & in alborem conversa? Nunquid qui totus lepra coopertus, mundus fuerat pronunciandus, eodem lepræ genere parte corporis obsessa, dicetur immundus? Nequaquam hoc sentiendum existimo. Sed præmisso lex quod incredibile videbatur, quod necessario sequebatur, subintelligendum reliquit. Consequens quippe erat, cum perhibeat lex hac lepra hominem totum coopertum, mundum remanere: multo magis eum qui in sola corporis parte eadem respersus fuerit, contaminari non posse. Siue enim illum attendamus, qui sacrilegus & à pietate prorsus extraneus iudicatur, vt Apostoli à contribulibus, martyres à gentilibus: siue illum, E cuius religio manifesta, alicuius tamen criminis suspicione sine re laborat, vt in sancta muliere Susanna legimus: (*Dani. 13.*) neuter eorum, qua liberum se conscientia cognoscit, criminatione polluitur. Omnis ergo lepra, quæ solam cutem afficiens efflorescit, & in alborem vertitur, seu totum hominem, seu partem illius operiat: postquam à Sacerdote considerata fuerit, mundare putabitur. Notandum sane locis istis alborem in diversas referre significationes. Cum enim audis de vera lepra dici, si color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur: albedo hæc quam morbus invexit, quæ naturalem corrumpit decorem, non nisi vitiosa intelligitur. Vbi vero candor sive albor in cute discurrens, lepram efflorescere facit, & mundissimam reddit: innocentiæ typus agnoscitur, quæ manifestata, falsæ criminationis maculam detergit.

De lepra cicatricis quæ in hulcere apparuit.

Cap. III.

F De lepra lapsus primi, hucusque tractatum sit. Hinc ad eam transeundum est, quæ post recuperatam sanitatem, iteratam miseris affert perniciem. De qua in eorum persona qui tanti mali sibi sunt conscij, loquens Psalmista: (*Psalm. 37.*) *Putruerunt,* inquit, *& corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Nam & lex lepram cicatricis hanc nominat. In morum vero compositione aliud est quod sibi debet homo, aliud quod proximo. Sibi quippe sobrietatem, proximo debet iustitiam. Vnde & Apostolus *sobrie & iuste vivere* nos admonet (*Tit. 2.*) *in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei.* Nam de pietate quæ erga Deum servatur, quam idem Apostolus tertiam ponit, nunc tacendum est. (*Ibidem.*) Ipsa est enim, cuius contraria impietas, in lepra capitis & barbæ tractabitur. Sobrietati vero atque iustitiæ, in vitiorum parte opposita sunt flagitia ac facinora. Nam flagitium est, cum per intemperantiam seipsum homo corrumpit: facinus autem, cum per iniuriam proximum lædit. (Flagitiũ. Facinus.) Hanc igitur vitiorum partitionem in lepra cicatricis reperies: quæ & in primo lepræ genere fieri potuisset, nisi quod scriptura brevitati studens, & hic ponit quod ibi refundendum sit: contraque illic aliquid discernit, quod hic quasi reticendum subintelligendum reliquit. Sequitur: G

Caro & cutis, in qua hulcus natum est & sanatum, & in loco hulceris cicatrix apparuit alba sive subrufa, adducetur homo ad Sacerdotem. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum. Plaga enim lepræ orta est in hulcere. Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina caro non est humilior, recludet eum septem diebus. Et siquidem creverit, adiudicabit eum lepræ. Sin autem steterit in loco suo, hulceris est cicatrix, & homo mundus erit.

Primo, per hulcus quod in corpore oritur, & ipsius corporis decorem fœditate sua corrumpit, flagitiorum sanies exprimitur, per quam honestatis humanæ species violatur. De flagitiosis nanque per Prophetam dicitur: (*Ioel. 1.*) *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Quod tamen hulcus si sanatum fuerit & ad cicatricem perductum, metuendum est ne morbus redeat, & radix pestifera rediviva resurgat. Sunt quippe nonnulli, qui debili corde vitiorum suorum tenebras deserentes, & quasi de Ægypto exeuntes, carnali postmodum voluptate devicti, in id quod fuerant relabuntur: & post modici temporis pœnitentiam, subito deteriores efficiuntur. H *Melius enim erat eis nõ cognoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum converti.* (*2. Pet. 2.*) Contingit nanque illis illud veri proverbij: *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* (*Prov. 26.*) Sed & per Ieremiam Prophetam huiusmodi animã Dominus increpat, dicens: *Quã vilis facta es nimis iterans vias tuas?* (*Iere. 2.*) Dicatur ergo: *Caro & cutis in qua hulcus natum est & sanatum, & in loco hulceris cicatrix apparuit alba sive subrufa, adducetur homo ad Sacerdotem.* Et caro & cutis hulcere læditur, cum & intus hominis conscientia flagitij perpetratione corrumpitur, & fama exterius dehonestatur. (Hulcere lædi.) Hoc vero hulcus si per pœnitentiam sanatum fuerit, potest fieri vt in cicatrice macula appareat alba sive subrufa. In albedine quidam visionis lenis blandimentum aspicitur: in rubeo

A Matth. 28.

vem colore, sanguinea similitudo & iracundiæ odijque figura monstratur. Testis est angelus, qui vacuum iam Christi sepulchrum obseruans, & candore suarum vestium mulierum corda demulcens, earum refouebat formidinem: & ignea facie aduersariis terrorem incutiens, eorum cõstringebat audaciam. Nos ergo iuxta loci præsentis congruentiam, albedinem seu ruborem interpretantes, in albedine cicatricis, voluptatum blandam superficiem: in rubore vero, malitiosæ mentis & aduersus proximum insanientis, formam intelligimus. Fieri autem solet, vt ex vno malo vtrumq; nascatur. Cũ enim quis ad immunditiam cui renũciauerat, fuerit reuersus, iam post concupiscentias suas effrenatus effectus, & in cursu suo vehementius incitatus: omnes qui sibi obsistũt, qui redarguunt, inimicos attendit & persequitur: & si facultas suppetat, morti tradere cunctatur. Recole Dauid propter alienæ vxoris amorem, in fidelis militis mortem desæuisse: recole Herodem propter Herodiadem fratris sui vxorem, præcursorem Christi capite trũcasse. Si igitur in loco hulceris cicatrix apparuerit alba siue subrufa, vt videlicet ille qui ad vomitum suũ reuersus est, & immunditiæ suæ foris iam indicia præbeat, & contra redarguentes ucenitas inimicitias exerceat, adducetur homo ad sacerdotem. Vt enim iã supra diximus, morbus huiusmodi sacerdotis examine discutiendus est, & omnis leprosus sacerdotali iudicio reseruandus. *Qui cum viderit locũ lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum. Plaga enim lepræ orta est in vlcere.* Notanda locutio: nam cætera in præcedentibus iam exposita sunt: *contaminabit eum*, id est, contaminatum pronuntiabit: sicut & supra, *mundabit eum*, id est, mundum iudicabit. Sed & quæ sequuntur, si superiora recolamus, expositione nõ indigent. *Quod si*, inquit, *pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina caro non est humilior.* Vicinam vero carnem sic accipe, non quæ morbi locum sana circunstat, sed quæ intra cicatricis ambitum continetur, & pertinet ad plagam, *recludet eum septem diebus.* Superius bis hoc fieri præcipit, hic autem semel. Tantundem tamen hæc singularis, quantum ibi geminata signat reclusio. Nam quod ibi discernitur sabbato repetito, hic subintelligendum fuerat, non repetendum. Postquam etenim expressum fuerat super spirituali vacatione, non solam visibilem hominis conuersationem, sed etiam affectiones ipsius discutiendas esse: facile erat, vt vbicunque iam reclusionem leprosi septenariam audisses, anteriora recoleres, & sabbatum hoc dupliciter celebrandum animaduerteres. Deinde subiungitur. *Et si quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ. Sin autẽ steterit in loco suo, hulceris est cicatrix & homo mundus erit.* Hulceris, inquit, cicatrix est, non vera lepra. Fieri enim solet, vt hi quorum crimina publicata sunt, sanctitatis fidem non nisi tardius recipiant, etiam correcti: in reatus vero suspicionem citius relabantur, etiam non admissi. Sequitur de cicatrice combusturæ, quæ ad facinora iuxta præmissam diuisionem referẽda est.

Contaminare.

1. Reg. 11. Marc. 6.

B

C

De lepra cicatricis quæ in combustura apparuit.

Cap. IV.

D

Caro & cutis quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem, considerabit eam sacerdos: & ecce versa est in alborem, & locus eius reliqua cute humilior, contaminabit eam, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.

Matth. 17.

Ignem esse iracundiam, in Euangelio legimus, vbi lunatici pater pro filio rogans: *Domine*, inquit, *miserere filij mei, quia lunaticus est & male patitur, nam sæpe cadit in ignem & crebro in aquam.* Hæc quippe in cordibus hominis sic alternant, vt nunc per iracundiam inflammentur, nunc per luxuriam resoluantur. Est & flamma inuidiæ, de qua in Iob legitur: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosq; consumpsit.* Omnes enim qui prædicationis officium in synagoga tenuerunt, cælum recte vocati sunt, quia nimirum superne superna credebantur. Sed quia summopere in redemptoris nostri aduersitate commoti sunt, quasi ignis de cælo cecidit, dum ad decipiendum imperitum populum, ab his etiam qui vera docere putabantur, flãma inuidiæ exarsit. Caro igitur & cutis quæ huiusmodi igne fuerit exusta, videlicet mens & actio hominis, quæ odiorum inuidiæque facibus fuerit inflammata: si sanata, id est, si ad pacem dilectionemque proximorum reducta, albam siue rufam denuo suam reddiderit cicatricem, considerabit eam sacerdos. Quid per albam siue rufam maculam intelligendum sit, iã supra tractauimus, voluptatũ scilicet blandimenta, & cruenta species discordiarum. Difficile autem humanos animus ab omnibus vitiis feriatur. Aut enim post acceptam pœnitentiam illuc relabitur vnde emersit, aut ab aliis in alia transitum facit. Vnde mores humanos describens Propheta: *Residuum*, inquit, *erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* In eruca quippe quæ toto corpore repit, luxuria intelligitur: in locusta quæ breues dat saltus, vana gloria. Bruchus gastrimargiam, eo quod in ventre totus sit: rubigo autem significat iracundiam, quia rubiginis more mentem cui inhæserit, consumit. Hæc ergo sibi inuicem in humanis cordibus succedunt: quia si quis libidinis victor extiterit, protinus pro castitatis adeptione laudari desiderat, & vanæ gloriæ mentem subdit. Si & hanc euaserit, tanto circa gulæ concupiscentiam effrenatior fit, quo humanæ verecundiæ frena proiecit. Gastrimargia quoque superata, propter abstinentiæ austeritatem iracundior nonnunquam mens redditur, & tranquillitas animi perturbatur. In cicatrice itaque combusturæ, si aut alba aut rufa macula apparuerit, videlicet si ille qui inimicitiarum & odiorum exustionem ad tempus euaserat, iterum aut eandem receperit, aut flagitiorum lenocinijs se corrumpendum tradiderit, *cõsiderabit eam sacerdos. Et ecce*, inquit, *versa est in alborem.* Nonne vtramq; maculam, albam scilicet & rufam, commemorauerat? Cur de rufa nunc tacuit? Si enim rufa macula apparuit, non potest dici quod versa sit cicatrix in alborẽ. Sed nota quia quod de alba dixit, de rufa quoq; subintelligendũ reliquit. Quæ sequuntur, iam manifesta sunt. *Versa est*, inquit, *cicatrix in alborem, & locus eius reliqua cute humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.*

Ioel. 1.

Eruca. Locusta. Bruchus. Rubigo.

E

F

Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura: recludet eum septem diebus, & die septimo contemplabitur. Si creuerit in cute lepra contaminabit eum. Sin autem in loco suo candor steterit, non satis clarus, plaga combustionis est: & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

G

Hæc omnia in præcedentibus latius explanata sunt: illuc lectorem mittimus, nos enim eadem sæpius replicare vitamus, vt ad ea quæ expositionem adhuc desiderant, expeditius accedamus. Hucusq; autem de morum corruptione, quæ à vitiis primam trahit originem, tractatum est: sequitur lepra capitis & barbæ, quæ fidei nobis deprauationem insinuat.

De lepra capitis & barbæ.

Cap. V.

Vir siue mulier in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eum sacerdos.

H

Notandum quod in omni tractatu lepræ præcedenti, nulla hactenus viri mentio facta est. Habes quippe in principio: *Homo in cuius carne & cute ortus fuerit diuersus color.* Sed & de eo qui emundatur, scriptum est: *Lauabit homo vestimẽta sua, & mundus erit.* Idem & in lepra viuæ carnis, reperies. Cum vero ad lepram cicatricis sermo peruenit, nec ipsum hominem lex nominat, sed tantum carnem & cutem. *Caro*, inquit, *& cutis in qua hulcus natum est* seu *caro & cutis quam ignis exusserit.* Nunc aũt postquam ad leprã capitis & barbæ ventum est: *Vir*, ait, *siue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra.* Et reuera quandiu de morũ dissolutione sermo habitus est, dignũ non fuit, vt ille quẽ luxuria eneruat, aut iracundia superat, viri nomine censeretur. Quia vero sunt q̃ plures hæretici, qui de maiestate diuinitatis, vel de Christi Domini humanitate non recte sentiunt, & tñ religiosi videri appetunt: nam & abstinentiã multam præferunt, castitatẽ profitentur, pacis concordiæq; inter suos se amatores esse testantur: omnẽ eis simulatæ religionis lex fiduciã subtrahit, pp sensus sui peruersitatem, dũ tam virum q̃ mulie-

A

tem, id est, & eum qui carnis suæ vitia quadam virtute premit, & eum qui enervi ter illis succumbit, apparente lepra in capite aut in barba ipsorũ, sacerdotali iudicio contaminandos decernit. Igitur *lepra in capite*, error est circa essentiam deitatis. Deus quippe omnium quæ cõdidit, caput & principium est. Arrius ergo qui divisioné in trinitate fecit, Sabellius qui proprietatem personarũ cõfudit, lepram in capite habuit. De persona quoque Domini Christi quicunq; perverse senserũt, non absurde intelligi potest, lepram eos capitis incurrisse. Christus enim caput ecclesiæ est. Fuerunt aũt nonnulli hæretici, qui eum non verum Deum, alij non verum hominem, alij non ex virgine natum dogmatizare præsumpserunt. Barba vero in homine, perfectæ ætatis indicium est. Vnde & per barbam virtus sanctorum designari solet, sicut in psalmo legitur: *Vnguẽtum in capite, quod descẽdit in barbã, barbam Aaron*: id est, spiritus sancti vnctio quæ à capite Christo in sanctos Apostolos successores Aaron spirituali virtute perfectos, emanavit. Et quia per barbã sanctorum designatur perfectio, quicunque aut Prophetas, aut Apostolos blasphemare præsumpsit, lepram in barba portavit. Assunt Manichæi, qui quantum in Patriarchas & legislatorem, in Prophetas & ipsum Domini præcursorem properant, horret pietas cum legit: nec sine dolore mens Deo dedita, tantorum virorum tantas contumelias audit. De lepra igitur capitis & barbæ tractandum est, & quid lex super ea decernat, discuriendum. Dicat itaque: *Vir sine mulier in cuius capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos Sacerdos.*

Lepra in capite.

Ephes. 5.

Barba.

Psalm. 132.

B

Lepra in barba.

Et siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flavus solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.

1. Cor. 12.

Tota ecclesia vnum corpus est, dicente Apostolo: *Vos estis corpus Christi, & membrum de membro.* Quicunque igitur à communi fide defecerit, & à veritate dogmatum quæ vniversalis ecclesia prædicat, aberraverit: in isto locus lepræ carne reliqua humilior apparet, quia error ipsius rectè credentium sanitate porro inferius iacet. Flavus vero capillus solitoque subtilior, quid nisi superbas eorum cogitationes insinuat, qui de ingenij sui subtilitate præsumentes, patrum autoritatem postponunt: & quod vnicuiq; rectum videtur, impia temeritate diffiniũt? Sicut enim per nigredinem humilitas, sic per eum colorem qui albedini appropinquat, sui fiducia intelligitur. Habes in lege eos à sacerdotio prohiberi, qui albuginem in oculo habuerint. Albuginem vero (vt ait B. Gregor.) habet in oculo, qui arrogantia sapientiæ seu iustitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra, videt: albuginem tolerans, nil videt: quia videlicet qui se stultum peccatoremque intelligit, cognitionem veræ lucis apprehendit. Qui autem candorem sibi iustitiæ seu sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cogitationis excludit. Subtilitatem quoque nimiam, per quam Arrius & multi alij circa fidem naufragaverunt, dum quod in ecclesia audierant, simpliciter credere nolentes, ipsi magis de suis sensibus quod perverse docerent, sibi assumpserunt: reprobat lex in eodẽ de quo agimus capitulo, dum grãdem & tortum nasum, sicut oculi albuginem, detestatur: & præcipit, ne homo huiusmodi ad sacerdotale ministeriũ recipiatur. Per nasũ quippe discretio accipitur. Sed sunt nõnulli, qui dum se æstimari hebetes nolunt: sæpe se in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Si igitur locus lepræ fuerit humilior, videlicet si vir ille aut mulier à communis fidei rectitudine prolapsi sunt, si capillus flavus solitoque subtilior, id est, si de subtilitate sui confidentes ingenij, à Patrum doctrina recedere præsumunt: contaminabit eos sacerdos, quia lepra capitis ac barbæ est. Sequitur:

Capillus flavus.

C

Albugo oculi.

Nasus.

D

Si autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, videlicet si errorem qui sibi obijciebatur, ipsi se adversarij testentur: & in quo defecisse visi sunt, vniversalis ecclesiæ fidem profiteantur. *& capillum nigrum*, cogitationem scilicet illorum, autoritati ecclesiasticæ (vt aiunt) humiliter subiacentem, *recludet eos septem diebus.*

Superius cum de moribus ageretur, recludi hominem diximus, qui ab illicito opere cohibetur. Eadem & nunc ratio est, cum ad fidei causam ventum est. Nam & illum iure includi diximus, qui admonitione & doctrinæ pastoris sui, ne errorũ devia sequatur, legitimas fidei metas transire prohibetur. Septenaria vero inclusio, eiusdem perversitatis (vt supra) vacationem designat.

E

Et die, inquit, *septimo intuebitur.*

Hoc ipsum quippe, quod errorem sibi obiectum publice detestati, quod autoritatem ecclesiasticam se suscepisse professi sunt, non protinus amplectendum, sed diligentius perscrutandum est: & maxime ab his qui familiarius illis adhærent, ne forte impietatem secreto laudent, quam publice damnant.

Si non creverit macula, id est, si suspicionem sui erroris nulla significatione ille qui discutitur, auxerit: *& capillus sui coloris est*, vt videlicet ex verbis illius deprehendi non possit, quod cogitatio ipsius colorem pietatis abiecerit. *& locus plagæ carni reliquæ æqualis*, dum scilic. perseverat homo sicut prius, in eo etiam super quo infamatur, nihil aliud profiteri, nisi quod communis fides habere cognoscitur: *radetur homo absque loco maculæ.*

F

Iere. 41.

Hic monere lectorem existimo, quid causæ, quæve ratio sit, cum homo iste radi præcipiatur, cur locus maculæ relinquatur, cum macula potissimum existimaretur radenda, vt quod notabile fuerat, sic ab homine auferretur. Sed novit quid loquatur spiritus sanctus. In Moralibus beatus Gregorius de octoginta loquens viris, qui venerunt de Sichem rasi barba & scissis vestibus: *Barbam*, inquit, *radunt, qui sibi de proprijs viribus fiduciam subtrahunt.* Et in hoc itaq; loco, vt tam capitis quam barbæ rationem tractemus, *homo in cuius capite aut barba macula apparuit*, videlicet qui de tantis rebus aut errasse agnitus est, aut certe erroris non contemnendam infamiam incurrisse: radendus est vtique, & edicto ecclesiastico subtrahenda facultas, ne infirmo adhuc ingenio tanta mysteria discutere præsumat: & patrum doctrinis se conferat, nec nova cudere, sed eorum vestigijs studeat adhærere. Locus autem maculæ radi prohibetur, vt erroris sui memoria homini relinquatur. Raditur namq; & caput & barba, cum de divinis homo tractare proprio sensu non sinitur. Relinquitur vero maculæ locus, cum quod in talibus iam aberraverit, semper memor esse præcipitur. Tanto magis namque præsumptio illi retunditur, quanto crebrius in quo desipuerit, seu certe minus sapiẽter loquẽs ecclesiam scandalizaverit, videre compellitur. Radetur ergo homo absq; loco maculæ, *& includetur septem diebus alijs.* Reclusio ista secunda, vt in moribus, ita & in fidei discussione, voluntatis cohibet perversitatem: Noverunt quippe qui historias ecclesiasticas legerunt, quoties hæretici ecclesiastica potestate publice condemnabant errorem, quem in conscientiæ secreto proprio iudicio comprobabãt. Manifestum hoc fiebat, mox vt potestas quæ timebatur, abetat: mox vt evomendi veneni tempus arriserat. Quisquis itaque ad plenam fidei integritatem reducitur, sicut de oris confessione, sic admonendus est etiam de interioris fidei castitate: & quasi bis concluditur, dum voce pastoris & ab impietatis professione, & à sẽsus sui depravatione cohibet.

G

Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, videlicet si postquam sanctificatio interior diligentius cœpit investigari, nihil agere aut loqui visus est, vnde criminis obiecti suspicio creverit, *nec humilior carne reliqua*, dum fides eius à communi fide non valet inferior deprehendi, *mundabit eum*, id est, mundum pronunciabit. *lotisque † vestibus, mundus erit.*

H

† vestibus suis.

Vestes lavantur, dum exterior infamia qua respersus homo fuerat, per sacerdotalem comprobationem ab eo detergitur.

Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute, videlicet si postquam à sacerdote quasi rectæ fidei pronunciatus est, rursus error illius se prodiderit, *non quæret amplius, vtrum capillus in flavum colorem sit commutatus: quia aperte immundus est.*

Nulla enim iam restat dubietas, quin leprosus deputandus, & à cœtu fidelium reijciendus sit, qui immunditiæ suæ toties signa dedit. *Porro si steterit macula*, id est, si homo in errore suo non vltra perseveraverit, nec suspicio ipsa, si sine causa infamatus est, certis deficientib. argumentis, vltra processerit. *& capilli nigri fuerint*, vera scilicet humilitas, omni præsumptione sublata, in cogitationibus illius appa-

A tuerit. *nouerit hominem esse sanatum, & confidenter eum pronunciet mundum.* Mundus itaque est humano iudicio. Nam etsi q d lateat quod sacerdotalis discussio penetrare nõ valeat, tamen sacerdos idem fiducialiter pronũciare potest, nihil se inuenire potuisse, quod sub lepræ nomine debeat condemnare. Neque enim decet Sacerdotis sententiam præcipitem esse. Et absoluere quidem nõnullos cogitur, de quorum innocentia certus non est, dum scilicet eorum culpam manifestis indicijs probare non potest: condemnare autem neminem licet, cuius immunditia signis euidentibus non appatet. Vnde apte subiungitur:

Vt Sacerdos non sit temerarius in iudicio.

Cap. VI.

Vir & mulier in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos Sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

B Vt enim superius iam dictum est, in cute macula candoris apparet, cum in superficie vitæ humanæ aliquid cernitur, vnde suspicio oritur. Si tamen albor idem deprehensus fuerit subobscurus, videlicet si reatus qui in suspicione est, legitimis argumentis nondum fuerit comprobatus, damnari ea sola opinione homo non potest. Sciat itaq; Sacerdos non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum: vt pro certo nouerit quicunq; iudicis locum tenet, accusationem quæ probationib. destituitur, fuscare quidem hominis famam posse, nec tamen ad conuincẽdam hominis immunditiam sufficientẽ esse. Pronunciabit itaq; Sacerdos hominem mundum, quem nondum suo iudicio diffinire potest immundum. Vnde B. Augustinus: Quod vides, ait, iudica: quod non vides, Deo committe. Et quidam sapiens: Incesta, inquit, damnari nulla potest, nisi cui violatum est corpus. Incesta tamen est etiã sine stupro, quæ cupit stuprum. Hactenus de lepra quæ à vitijs oritur, disputatum sit: nunc vero iuxta pcedentes diuisiones ad eam transiet oratio, q̃ à virtutib. originẽ ducit. *August.*

C

De lepra caluitij & recaluitij.

Cap. VI.

Clamat Apostolus & dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & immundis nihil est mundũ.* Iam de seipso testatur: *Alijs sumus odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitã.* Hoc idcirco præmisimus, ne cui incredibile videatur, si ea virtutibus vitia oriri dicantur. Sicut enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: sic auersis à Deo, etiam si qua bona sunt, vertuntur in malum. Habes & in corporalib. multa similia. Alius ex cibo salutifero inordinate sumpto, pestẽ languoris incurrit: alius veneno serpentis in medicamine ordinatæ confectionis adhibito, languoris molestiam vincit. Oculos sanos radius solis illuminat, lippiẽtes opprimit & excæcat. Pari modo & virtutum executio quæ alijs acquirit vitam, alijs operatur perniciem. Superbia nanq; vitiorũ radix, mentem quam inuaserit, in omni labore suo corrũpit: & quicquid illa inuadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ seruitur. Quanto vero amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Mox cuncta quę ab alijs vel bene geruntur, displicent: & sola homini quæ ipse vel praua egerit, placent. Sępe et aliena opera despicit, semper miratur quod facit: & quicquid egerit, egisse se singulariter credit. Hinc virtus perniciosa efficitur, dum stultus per eam non curat proficere, sed & apud se intumescere, & melioribus incipit inuidere. Sicut ergo lex manifesta reprobat vitia, sic & eas virtutes, quas fructuum nostrorum vermis consumit superbia. Est tamen & alia ratio, cur bonæ nostræ actionis apud supernum iudicẽ merces depereat: cum scilicet quod rectè à nobis geritur, criminis admixtione fuscatur. Sunt nanque nonnulli facultatum suarum erogatores indiscreti, qui cum vniuersa sua effuderint, necessitate cogente, rapere compelluntur vnde & ipsi viuant: & quod erogãdo more solito, liberalitatis laudem non perdant. Grata vero lar- *Tit. 1.* *2. Cor. 2.* *Rom. 8.*

D

E gitas esse non potest, dum quod alij tribuitur, subtrahitur alteri, dicente Domino per Prophetam: *Ego Dominus diligẽs iudicium: & odio habens rapinam in holocaustum.* Hactenus itaq; legislator de corruptione disseruit vitiorum: abhinc vero quandiu lepra singularis in manibus habetur, depravationem tractabit virtutum. Sequitur: *Isai. 61.*

Vir de cuius capite capilli fluunt, caluus ac mundus est. Et si à fronte ceciderint pili, recaluaster ac mundus est.

Nota ex quo virtutes tractari incipiunt, non hominem, sed virum nominari. Quid sit autem caluitium aut recaluitium, iuxta literam discutiendum est. Caluitium est ergo cũ capilli de capite fluunt, nulla capitis parte nudata, sed quaquauersum cæsarie attenuata. Recaluitium vero iuxta legem intelligitur, cum decidentibus capillis frons denudatur: & facies vultusq; humanus ad contemplationem eorũ quę apposita sunt, liber efficitur. Porro caluitij significatio, si scripturarũ reuoluamus seriem, in diuersis refertur. Cum enim per Isaiam minatur Dominus, *quia decaluabit verticem filiarum Siõ*: & per Micheam domui Iacob loquitur, dicens: *Decaluare & tõdere super filios deliciarũ tuarum, dilata caluitium tuum sicut aquila, quia captiui ducti sunt ex te*: satis apparet, quid per capillos seu per decaluationem intelligendum sit. In Isaia nanq; superfluus cultus filię Sion, per capillos exprimitur: per decaluationem quoque, eiusdem superfluitatis expoliatio designatur. Vnde ibidem subiungitur: *In die illa auferet Dominus ornatum calceamentorum & lunulas & torques,* & cætera quæ deinde multipliciter enumerantur: quę omnia velut capillorum ornatum, in vertice filiæ Sion radices habuisse, id est, ex superbia illius processisse, intelligimus. In Michea quoq; per capillos filiorum, populi illius multitudo exprimitur, in quibus regni ipsius decor aspiciebatur. Horum captiuitas in caluitio designatur, sicut & eadem lectio satis exprimit, cum dicitur: *Dilata caluitium tuum sicut aquila, quia captiui ducti sunt ex te.* Aquilę nanq; caluities non in vna corporis parte, sed in toto (vt aiũt) eius corpore dilatatur. Sic & populi illius multitudinem non ex portione vna, sed ex integro captiuitas tulit. Sunt & alię caluitij figuræ: sed nos ne lõgius digressum faciamus, ad ea quæ nobiscum faciunt, stylum conuertimus. Christum in loco caluariæ crucifixum, euangelica tradit historia. Eliseus quoque Propheta, eo quod caluus esset, ab insipientibus pueris derisus est. *Ascende calue, ascende calue.* Sunt & aliqui psalmi, qui filijs Choræ intitulãtur. Chore autem interpretatur caluitium. Est itaq; caluities laudabilis, quæ sanctorum peculiaris est. Meminisse debemus mulierem illam, quę pedes dominicos vnxit vnguento, & capillis capitis sui tersit. Capilli quippe superfluunt corpori. Et quid ait B. Gregorius, abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ dum ad vsum necessitatis superfluit, etiam abcisa nõ sentitur. Horum itaq; capillorum iure laudatur imminutio, cum ex abundantia præsenti nonnulla nobis subtrahimus: & Christi pedibus, sanctis videlicet qui membra eius sunt, & adhuc in terra versantur, ea ministramus. Si quis vero pfectus esse cupiens, vendat omnia quæ habet & det pauperibus, & iuxta præceptum apostolicum, habens victum & vestitum, his sit contentus: hic aciem vultus sui ad videnda quæ Dei sunt, terrenarum facultatum obumbratione nudauit: & primum quærens regnum Dei, ab intuitu suo omnia ista remouit, solaq; cœlestia mentis suæ oculis pponit. Adhærent tamen ei, sed in posterioribus, capilli: dum non voluptas, sed necessitas quædam suggerit prouidenda, sine quibus transigi vita nequit humana. Qui tamẽ (vt diximus) capilli retro, non ante sunt: quia sequuntur fugientẽ, & detinent etiam nolentem. Hanc lex nobis recaluationem, id est, secundam monstrat caluitiem, cum non sparsim de capite fluunt capilli, sed à fronte cadunt vniuersi. Dicatur ergo: *Vir de cuius capite capilli fluunt, caluus ac mundus est.* Et si à fronte ceciderint pili, recaluaster & mundus est. Vtrisque enim virtus est, & cum plus, & cum minus homo sibi subtrahit, Christoq; impẽdit: sed amplior illa, quę renũciatione integra perfectionem sibi acquirit. In vtraq; autem vitanda est ea quam diximus, & superbiæ pestis, & alienæ cõmixtio læsionis. Nam placere Deo nõ poterit liberalitas, q̃ aut ex vanæ laudis appetitu pcedit: vel quę hinc alios dando leuat, hinc alijs rapiẽdo dolorẽ parat. Vnde & subditur: *Isa. 3.* *Mich. 1.* F *Isai. 3.* *Mich. 1.* Aquilæ caluities. G *Matth. 27* *Luc. 23.* *Marc. 15.* *Ioann. 19* *4 Reg. 2* *Psalm. 41. 41 44 45 46 47. 48 83 84 86.* *Luc. 7.* *Matth. 19.* *1. Tim. 6.* *Matth. 6.* H Caluitium.

A *Sin autem in caluitio seu in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus, & hoc Sacerdos viderit condemnabit eum haud dubie lepra qua orta est in caluitio.*

Hic de reclusione illa septenaria prorsus tacuit, non ob aliud sane, nisi quod in superioribus satis eam expresserat. Dicit itaque caluitij lepram condemnandam fore, nec tũ ante examinationem: sed postquam manifesta fuerit, & signis euidẽtibus declarata. Examinationem quippe de qua tacuit, subintelligendam reliquit. Porro in blanda visione Albedo. albedinis, blandimenta supra ostendimus exprimi voluptatis. Rubedo. Rubeus vero color sanguineã habet speciem, & malitiæ iniuriarumq; prefert imaginem. Hæc duo itaq; præcipue in facultatum distributione canẽda sunt: inanis libido gloriæ, & crudelitas rapinarum. Nam de vana ostẽtatione quod per eam eleemosynæ nostræ depereant, Dominus in *Matth. 6.* Euangelio testatur dicens: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quam vero omnia, quæ de rapinis offeruntur, execrabilia sint apud Deum, in Ecclesiastico legitur: *Eccl. 34.* *Dona iniquorum reprobat altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* B *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Ciceronis lau. Romanæ eloquentiæ autor in libris de officijs cum de liberalitate tractaret, eadem sensit, à Christiana quidem alienus *1. Off. 16.* fide, sed non à Christianis moribus penitus alienus. Ait ergo: Sunt autem multi cupidi splendoris & gloriæ, qui abri-*Ibidem* piunt alijs, quod alijs largiantur. Id autem tantum abest ab officio, vt nihil possit officio esse magis contrarium. Nihil *Ibidem.* enim est liberale, quod non idem iustũ. Videre etiam licet plerosq; non tam natura liberales, quã quadam gloria ductos, vt benefici videantur, facere multa, quæ proficisci ab ostentatione magis quã à voluntate videntur. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior, q̃ aut liberalitati aut honestati. Vt ergo de his interim taceam, quæ nobis sacra ministrat scriptura, etiam ex verbis gentilis istius satis apparere existimo, quæ sit alba, quæ rufa macula, quæ in caluitio (id est, in facultatum expoliatione) cauenda sit: quamque C mox vt Sacerdos deprehenderit, iubetur hominem condemnare haud dubie lepræ: ne scilicet prælata virtus in specie, dubietatem repubandi mali valeat afferre. De lepra autem q̃ in corpore quoquo modo notatur humano, ista sufficiãt. Quicquid enim de vestium lepra post hæc tractabitur, licet ad hominem per mysterium referatur: quantum tamen ad literam spectat, in re potius sensibili quam in homine reperitur. De ea itaque qui leprosus iudicatus, & extra castra fuerit eiectus, qualiter ibidem se habeat, priusquam ad cætera lex transeat, paucis declarat. Sequitur:

De habitu leprosi.

CAP. VIII.

QVicunque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit: omni tempore quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra.

Quæstio. Prima quæstio hic animum pulsat, quę ratio sit, vt lepro-D sis habitus sui forma tradatur. Nec de illis nunc ago, quos literæ legalis decretum ob corporalem infirmitatem à populi consortio sequestrabat. Illi enim fortsitan ægritudinis suæ pondere humiliores & summissiores effecti facile his quæ sibi præcipiebantur, obaudiebant. Qui vero spiritualis lepræ morbo deprauatus est, vt aut infidelitatis merito, aut propter morum prauitatem à fidelium sit sequestratus consortio, certum est illum Ecclesiasticis legibus non teneri: ac per hoc quicquid sibi impositum fuerit, facile contemptum iri. Si enim huiusmodi homines catholicorum patrum præceptis se subderent, primo in hoc obedientiæ suæ virtutem ostenderent, vt nec fidei nec iustitiæ regulam violarent. Qui vero in fidei diffinitione, in iustitiæ executione, Ecclesiæ autoritatem postponunt, qui fidelium cõmunionem non recipiunt: quomodo sperari poterit vt in vestibus dissuendis, in nudatione capitis, in oris etiam operimento, principum nostrorum decreta suscipiant? Animaduertendum est itaque qualiter à nostris ipsis etiam nolentibus, & vestimenta eorum dissuantur, & caput nu- E detur, & oris iniquitas oppiletur. Scimus autem quia cuiuscunque vestes dissuuntur, corpus exponitur. Porro corpus in scripturis solet intelligi, quædam conuersationis humanæ compositio, seu bona seu mala, ex diuersis operibus tanquam, ex membris variis compaginata. Habes in Euangelio, dicente Domino: *Lucerna corporis tui est oculus* *Matth. 6.* *tuus.* Quicquid enim à nobis rectè geritur, pia intentione illuminatur. Et in parte contraria, *vt destruatur* (ait Apostolus) *corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Corpus itaque leprosi discooperitur, cum eius iniquitas reuelatur. *Rom. 6.* Caput nudatur, cum peruersitatis illius origo & radix capiuntur. Fecerunt doctores catholici, Vt Augustinus Manichæorum, Donatistarum, & in ecclesiasticis historijs alij patres, Pauli Samosateni diuersorumque hæreticorum mores, superbiam, crudelitatemque publicantes, quibusve occasionibus ab ecclesia se segregare pręsumpserint, declarantes: non aliena delectati infamia, sed vt quoscunque possent, ab impiorum consortio sequestrarent. Sic enim fiebat, & quod in hoc loco subiungitur, vt leproso- F rum clauderentur ora, dum scilicet omnibus confabulationem eorum execrantibus, propagandi veneni facultas subtrahebatur. Contaminatos autem ac sordidos se clamant, quicunque sanctorum societatem relinquunt. & si non sua confessione, certe operum suorum manifestatione. Nisi enim operando nonnulli loquerentur, & esset in eorum actibus quidam sermo, quo fideles vel infideles seipsos pronunciarent, non dixisset de quibusdam Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* De leprosis i- *Tit. 1.* taque, etsi eorum taceat lingua, eorum tamen postquam in hominum notitiam peruenerunt, clamant opera cõtaminatos ac sordidos esse: qui impietatis suæ affectionem non deserunt, à sanctitatis & pacis communione recedunt. Cõtingat ergo illis quod nouissime subinfertur, vt quãdiu leprosi & immundi sunt, soli habitent extra castra: & adimpleatur in eis q̃ principi reproborum omnium per Isaiam *Isai. 14.* prænunciatur: *Quasi cadauer putridũ non habebis consortium:* vt G dum ab vniuersis eorũ societas detestabilis iudicatur, soli pereant qui ad salutem redire detrectant. Restat vt etiam de lepra vestium, quod Dominus donauerit, disseramus. Sequitur:

De lepra vestium vel pellium.

CAP. IX.

VEstis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in staminis atque subtegmine aut certe pellis, vel quicquid ex pelle confectum est: si alba aut rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque Sacerdoti.

Cum in plerisque locis, imo pene vbique satis appareat, legem spiritualiter intelligendam esse, dum ea sæpius loquitur, quæ nisi ad mysterium relata fuerint, insipida prorsus & fatua sentiuntur: nescio tamen si alicubi apertius quã in hoc lepræ tractatu, vbi vestis leprosa, & sicut sequentia continent, domus leprosa introducitur. Vt enim huic literæ compendiosæ obuiem ratione, cum ea discutitur hominis immunditia, per quam diuino iudicio reprobetur, H nulla præter peccatum poterit inueniri: quia hoc solũ est, quod hominem & Deo inimicum, & diuinis legibus reddat contrarium. Peccatum vero dici non potest, nisi in rationabili creatura depravatio voluntatis. Cum nanque in *Peccatum.* re materiali aliquid corrumpitur aut cõsumitur, damnum quidem plangitur, sed reatus stolidæ illi creaturæ nequaq̃ ascribitur. Sola quippe (vt diximus) natura illa, in cuius *Quando peccetur.* arbitriu positum est vt rectè agat si velit, tunc peccat, cum propria spõte ad appetitum iniquitatis defluxerit. Quę autem sine sensu est, nec ad sui custodiam deliberandi suscepit arbitrium: etiam si corrupta fuerit, non ei imputatur, nec reatui eius ascribitur. Qualiscumq; igitur fuerit creatura insensibilis, peccati contagium quod ignorat, homini rationabiliter sese vtentis non importat. Vestis itaque tineis aut aliquo simili corrosa, quam lex vestium lepram nominare videtur non hominem immundum facere, sed hominis immunditiam poterit significare. Legislator tamen quasi de vestibus agit: & quid dicere intendat, carna-

A libus abscondit. Hoc est enim velum quo facies illius obumbratur: & carnalis Israel, quantum maiestatis ille confabulator in verbis suis habeat claritatis, nondum contemplatur. *Sed cum transierit*, inquit, *ad Christum, auferetur velamen.* Nos igitur qui ad Christum transiuimus, si spiritum eius accepimus, de quo scriptum est, *Spiritus omnia scrutatur*: non simus contenti literæ cortice, sed quid boni in scripturæ medullis reconditum sit, diligentius indagemus. Dicit itaque: *Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine.* Vestis quæ corpus operit, & frigus ab eo repellit & nuditatem. Vnde & decorem nobis confert & vtilitaté, dum corp⁹ calefaciens, eius operit turpitudinem. Sed in re tam necessaria, quantum mali per nostram incuriam soleat oriri, lex non tacet: dum in stamine atq; subtegmine, ipsius lepram cõsiderare nos admonet. Vestis igitur nostra, opus iustitiæ est, dicente Psalmista: *Sacerdotes tui induantur * iustitiam.* Hæc nanq; vestis & honori pariter nobis est & vtilitati, quibus & honestam foris comparat famam, & intus coram Deo fouet conscientiam. Porro quædam lanea, quædã autem linea intelligenda est. Linum quippe lana subtilius est. Cum igitur spirituale aliquid operamur orantes, meditando quoque & lectioni operam dando, quasi lineam vestem induimur. Cum autem ad corporalia descendimus, pascentes esurientem, potantes sitientem, nudo vestitum, peregrino præbentes hospitium, & corporeis sensibus obnoxium est quicquid operamur. In vtroque autem genere vestimentorum, stamen à subtegmine discernendum est. Stat namque intentio nostra, Cum ad Deum erigitur, cum cælestis regni desiderio ad futura extẽditur. Hoc vestis nostræ stamen est. In subtegmine vero operum instantia deputabitur, quibus sub hac intentione diuersis temporibus insudatur. Hæc quippe more subtegminis diuersa subinde petit latera, nunc in dexteram contemplationis, nunc vero in actionis sinistram se transferens. Porro stamen rectæ intentionis idem (vt dictum est) in omnibus perseuerat: dũ quicquid aut corporaliter aut spiritualiter operamur, sub hoc proposito agimus, vt diuinam gratiam assequamur. Cum vestibus autem lex & pellem adijcit, & quicquid ex pelle conficitur. Per pelles itaque quæ non nisi mortuis animalibus extrahuntur, mortificatio carnis intelligitur Ex his vero pellibus multa conficiuntur vtilia: quia per carnis mortificationem & castitas corporis, & mundi contẽptus, & vt paruo sit homo contentus, acquiritur. In vestium igitur tam lanearum quam linearum stamine & subtegmine, in pelle & in omni quod ex pelle confectum est: si macula alba vel rufa fuerit exorta, lepra reputabitur, ostenderusq; Sacerdoti. Quæ sit alba vel rufa macula, quisquis superiora recolere voluerit, non nostrã hic rursus explanationem expectabit. Alba siquidem inanis gloriæ, rufa malitiosæ figuram tenet inuidiæ. Per inuidiam enim nonnulli vsq; ad effusionem alieni sanguinis accesserũt. Vnde fratres Ioseph videntes eum dicebant: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum.* Et de Christo Iudæi: *Quid facimus*, inquiũt, *quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Et quasi quodam rationis fuco conceptam coloraiores impietatem, expedire asserunt, *vt vnus homo moriatur, & non tota gẽs pereat.* In stamine ergo vestis nostræ macula alba vel rufa apparet, cum intentio deprauata, non iam diuinum fauorem, sed humanam appetere incipit laudem. Ex hac nanque prouenit & rufa exoritur, cum gloriam pro qua mens stulta æstuat, alijs abundantius conferri non sine suo dolore considerat. Hac duplici vero peste stamine corrupto, ad subtegmen quoque eadem pertingit corruptio: quicquid praua intentione geritur, Domini testimonio prauum esse probatur. *Si enim oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Idem & de pelle sentiendũ est, siue de his quæ ex pellib. fiunt. Si enim abstinentię nostræ vel castitati vel frugalitati, quæ est voluntaria paupertas, appetitus laudis propriæ, ac perinde liuor alienæ, se supposuerit: si nullo virtutis obice repulsus, mentem possederit: lepra est quæ virtus esse existimabatur, & huiusmodi ostendendus est Sacerdoti. Sequitur:

*Marginal notes: 2. Cor. 3. — 1. Cor. 2. — Psal. 131. * iustitia. — B — Matth. 25. — Stamen. — Subtegmẽ. — C — Macula alba. — Macula rufa. — Gen. 37. — Ioan. 11. — D — Matth. 6.*

Qui consideratam recludet septem diebus.

Septem diebus vestis leprosa recluditur, cum virtutum nostrarum corruptio admonitione sacerdotali cohibetur, ne progrediatur amplius: imo si fieri potest deficiendo ad sabbatum quietis pertingat: & mentem cui inquietudinem peperit, quietem esse permittat.

E

Et die septimo rursum aspiciens, si creuisse deprehenderit, lepra perseuerans erit.

Tanquam diceret. Post omnem intelligentiam adhibitam, si nihil se proficere intellexerit, sed hominem conceptæ peruersitatis quotidie augmentum capere, sciat hanc lepram perseuerantem esse. Vnde & subiungitur:

Pollutum iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inuenta: & idcirco comburetur flammis.

O sententia non exponenda, sed timenda. Ecce eadem consummatio est deprauatæ virtutis quę illecebrarum carnalium aut infidelitatis. Ad eundem redit finem superba continentia, & carnalium voluptatum immunditia. Quid nanque impijs & contaminatis in fine dicẽdum est? *Ite maledicti in ignem æternum.* Nihil aliud de vestimento leproso, i. de virtute corrupta & in morbo suo perseueranti, loco in loco reperies. *Pollutum* (inquit) *iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inuenta: & idcirco comburetur flammis.* Sequitur:

Matth. 25. — F

Quod si eã viderit non creuisse, præcipiet & lauabũt id in quo lepra est.

Non crescit lepra, cum hominis superbia ad admonitionem pastoris deficiens, vltra non procedit. Quapropter iubet Sacerdos, vt vestis in qua lepra apparuerit, diluatur: & homo qui pro virtutibus suis primo se extulit, iam humiliatus reconcilietur, & à pristina infamia liberetur. Sed quid postea?

Recludet que illud septem diebus alijs.

Multi sunt qui tanta efferuntur superbia & inuidia succenduntur, vt occultare morbum suum non valeant: sed nunc loquendo, nunc operando, quid intus patiantur, cũctis manifestant. Admoniti tamen nõnunquam correctos se exhibent, vt nec superbe suas virtutes iactare, nec innocentes proximos lædere præsumant. Quæ illorum conuersio etsi laudãda, vt præmisimus, non tamen ex integro amplectenda est. Forsitan nanque pestis quæ exterius apparere non sinitur, adhuc in conscientiæ secreto clausa retinetur. Recludenda est igitur vestis & alijs septem diebus, iuxta quod superius de leprosis disputatum est: quia non sufficit correxisse ea quæ exterius patent, nisi & illa corrigantur, quæ interius latent.

G

Et cum viderit faciem quidem pristinam non reuersam, nec tamen creuisse lepram, immundum iudicabit & igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum lepra.

Nihil simile in superioribus lepræ generibus sancitur. Vbicunq; enim qui leprosus existimabatur, recludi iussus est, post reclusionẽ si stetisse lepra & non creuisse visa fuisset mundus homo sacerdotali pronunciabatur iudicio. Nunc autem etiam lepra non crescente, si pristina facies in vestimento reuersa non fuerit, immundum iudicatur, & comburẽdum decernitur. Quæ igitur hæc sit decretorum differentia, perquirendum est. Supra nanque illam lepram diximus non creuisse, cum homo post peccatum quiescẽs, malis suis vltra non addit: & morbus in eo deficiens, nullam perseuerantiæ suæ significationem ostendit. Nunc aũt cum de vestimento agitur, & post reclusionem etiam lepra non crescente, si facies pristina reuersa non fuerit, immundum iudicatur, aliter intelligendum est lepræ incrementum. Sunt enim nonnulli elatione (vt diximus) & inuidentia corrupti, qui dum reprehensiones aliorum verẽtus, & in sermone vitant iactantiam, & quibus inuident, nõ præsumunt inferre molestiam. Quasi ergo sub obseruatione & reclusione Sacerdotis crescit lepra, dum latens primicies nec ore nec opere amplius se pdens, quasi defecisse putatur. Si vñ facies pristina non fuerit reuersa, i. si conscientia interior ad debitã humilitatem, & pximorũ dilectionẽ nõ fuerit reuocata: immundũ est vestimentũ, & ignibus mancipandũ. Virtus quippe Deo placere non poterit quandiu superbiæ mens licet hoc ipsum dissimulet, simultatibus subiacebit. Licet. n. proximum non lædas, si in corde tuo latenter illũ odio habeas, nõ est virtus mãsuetudinis, sed velamẽtũ furoris. Lege B. Ioannis epistolam: Non, ait, q occidit fratrem suum, homicida est: sed, *qui odit fratrem suum, homicida est.* Ergo si non creuerit in vestimẽto lepra i. si homo seipsum obseruauerit, vt nec loquatur amplius nec faciat,

H

1. Ioan. 3.

A vnde superbus aut inuidus notari valeat: respiciat tamen conscientiam, & omnimodis laboret, vt à peste qua infecta fuerat expietur, & in pristinam formam restituatur. Alioqui immundus erit & igni obnoxius. *Immundum*, inquit, *iudicabit eum Sacerdos, & igne comburet.* Vbi notanda locutio est, *igne comburet*, id est, comburendum prædicet: sicut & superius, *contaminabit eum*, id est, contaminatum pronunciabit. Ac deinde: *Eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum lepra.* Quid est quod dicitur, *in superficie vel per totum?* Si enim dixisset, in superficie per totum, non esset quæstio. Nunc autem sic dictum est, vel hoc vel illud: tanquam ista duo contraria sint, nec vtrumque simul esse possit. Item cum de lepra partis agitur, quæ crescere poterat, & ampliora spatia occupare, nec tamen creuit: quomodo dicitur quod per totum diffusa sit? Notandum igitur quod per totum, non ad vestem referendum sit: sed ad solam, in qua lepra apparuerat, partem. Dicitur enim per totum lepra diffusa, eo quod non superficiem solam eiusdem partis corruperit,
B sed interiora quoque ipsius penetrauerit, ita vt nec lota ad faciem pristinam redire potuerit. Dicat ergo: Eo quod infusa sit in superficie vestimenti lepra. Et quasi corrigens quod dixerat, & addens quod defuerat, *vel per totum*, inquit. Hoc enim & in hominibus reperitur. Sunt enim nonnulli, qui quales sunt, tales videri refugiunt. Linguam cohibent, continent manus: nec tamen fieri pôt, vt occultetur prorsus quod in corde habetur. Scriptum est enim: *Ex visu cognoscitur vir.* (Eccli 19.) Amictus corporis & risus dentium & ingressus hominis, denunciant de illo. Et Salomon: *Sicut in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* (Prou. 27.) Lepra itaque ista in superficie apparet, cum ex hominis vultu morbus eius deprehenditur: interiora quoque eius sibi vendicans, quasi per totum diffunditur. Sequitur:

Sin autem obscurior fuerit locus lepræ postquam vestis est lota, abrumpet eam, & à solido diuidet.

Locus lepræ intelligitur, quodcunque illud est quod homini superbiendi materiam præbuit. Quidam enim abstinentia, si cæteris parcius mensas frequentent: alij eloquentia,
C si in ecclesia verbum facientes, auditoribus placeant: alij vero extolluntur honoribus: & omnino quicquid illud est in quo cæteris excellentior quis apparuerit, nisi custos solicitus humilitatis foris fuerit, materiam ei elationis attribuit. Si igitur tale illud est quod rationabiliter possit ad tempus subtrahi, si locus lepræ fuerit subobscurus, vt Sacerdos incertus nec condemnare eum præsumat nec de sanitate illius adhuc certitudinem teneat: expedit homini vt munere eodem priuetur, & quasi manu vel dextro pede abscisso, seruet corpus suum ne gehennæ tradatur. (Matth. 18.) Legislator noster, quem Papa Gregorio attestante, spiritu omnium iustorum plenum fuisse didicimus, qualiter huic capitulo concinat, non tacebo. (S. Benedictus.) Artifices, inquit, si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit Abbas. Quod si quis ea eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte & denuo per ipsam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat.
D Hoc est quod lex præcipit, locum lepræ quæ iniuste apparuit, à solido diuidi & abrumpi: vt quicquid illud est vnde homo extollitur, si potest subtrahi, subtrahatur. Ac deinde.

Quod si vltra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga, debet igni comburi.

Vt patrum testatur autoritas, superbia est quæ & prima hominem corrupit, & nouissima ab eo recedit. Difficilis quippe eius curatio est. Ex contrarijs etenim sæpe oritur causis. Videbis hunc pro diuitiarum affluentia, alium pro contemptu superbientem. Hunc fusca vestis, illum purpura & byssus extollit. Hic eloquentia tumens, omnes mutos & elingues iudicat: ille taciturnitatem habens, cunctos de loquacitate condemnat. Superbia ergo est, vt diximus, quæ postquam mentem possidere cœperit, vix extirpatur: nam frequenter inde augmentum capit, vnde minui credebatur. Ecce enim præcipit lex, vt postquam in vestimento lepra apparuerit, locus lepræ à solido diuidatur: & quicunque superbus deprehensus fuerit, ei (si fieri potest) elationis materia detrahatur. Inuenies tamen qui nihil hac diligentia remedij consequatur. Nam si forte pro abstinentia
E gloriatur, subtracta ei ieiunandi facultate, tumet cogitatione, dum se tantæ virtutis attendit quem reprimi opus sit: alios vero tam dissolutos & desides, quibus etiam stimulis additis, vix canonica continentia persuaderi possit. Dicit itaque in corde suo, quod Pharisæus ille dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum, nec sicut publicanus iste.* (Luc. 18.) Item si pro doctrina sua elatus, docendi priuetur officio: sola, cuius sibi conscius est, inflatur scientia: & si quis loco ipsius hoc opus susceperit, quicquid dicere potuerit, paruipendit. Hæc est igitur lepra volatilis & vaga, quæ hinc euulsa, alibi protinus oritur: & sedes mutans, nullam certam occupat in qua extirpetur. Hanc ergo condemnat lex, dicens: quia postquam deprehensa fuerit, *debet igne comburi.* Sequitur:

Si cessauerit, lauabit ea quæ pura sunt secundo, & munda erunt.

Post secundam reclusionem, in qua mentis humanæ secreta discuti cœperunt: post particulæ in qua lepra apparuerat, euulsionem: si nulla amplius in locis alijs macula
F emerserit, secundo lauandus est homo: vt iam scilicet non sola eius innocentia comprobetur, sed & in conscientiæ arcano, à superbiæ peste liber esse credatur. Quod enim voluntati eius obuiatum est, & ab eo quod facere disponebat, reuocatus est: quod ab officio sibi commisso depositus, si æquanimiter per omnia susceperit iubentis imperium, non paruum veræ humilitatis affert argumentum. Complens vero legislator ea quæ de lepræ morbo præmiserat:

Ista est, inquit, *lex lepræ, vestimenti lanei & lini, staminis atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat vel contaminari.*

Terminata iam lepra singulari, terminum quoque nonus iste liber accipiet, nam lepra infidelitatis quæ populorum multitudines peste sua frequenter infecit, ad præsens differtur, præmissa leprosorum mundatione, ad quam nobis exurgendum est: & vt tractatum egregium operosius explicemus, quantum gratia fauerit, elaborandum.

G

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER DECIMVS

De emundatione leprosi.

Cap. I.

CVm inter cætera magnalia, quorum fulgore mortalium oculos reuerberabat ille Propheta magnus, sic enim tunc temporis Dominus Iesus appellatus est, *potens in opere & sermone*: tactu potentis dexteræ etiam lepram à corporibus humanis excluderet, eos quos emundauerat, legitur ad Sacerdotes misisse, & vt munus quod præceperat Moyses, offerrent, præcepisse. (Luc. 7. Luc. 14. Matth. 8. Luc. 17.) Quod inter tot debilium curationes cur solis leprosis impositum sit, ratio sæpe quæritur: sed difficile ab his qui legis notitiam non habent, inuenitur.
H Quia autem quæ sit lepra spiritualis, in legalibus vmbris iam perspeximus, puto ad huius rei indaginem facile pertingemus. Docuit enim lex, nullum leprosum deputandum cuiuscunque criminis conscium, nisi qui peccati sui pœnitentiam non gerit, sed in peccandi deliberatione consistit. Huiusmodi autem à castris ejici, & à populo Dei sequestrari præcepit. Quam tamen separationem sacerdotali commisit iudicio, vt tanta contumelia non statim afficeretur, quemcunque vulgatis opinio infamasset, sed quem certa & legitima examinatio Sacerdotum leprosum deprehendisset. Sicut autem separationis, sic & reconciliationis potestas eisdem attributa est. Iustum siquidem erat, vt qui de morbo iudicabant, de sanitate quoque iudicarent: & quorum diligentiæ creditum fuerat, ne quis excluderetur immeritus, ad eorum etiam cautelam pertineret, ne quis

A reciperetur indignus. Hanc legem Dominus Iesus soluere noluit, sed potius adimpleuit, dum discipulis suis ligandi & soluendi potestatem attribuit. Misit itaque ad Sacerdotes leprosos, non vtique mundandos, hæc enim solius Dei virtus est, sed iam emundatos: tantum vt eorum sanitas, iuxta quod lex constituerat, Sacerdotum testimonio probaretur. Sic & Lazarum iam quatriduanum, postquam de

Ioan. 11. monumento vocans suscitauit, & ille ligatis manib. ac pedibus prodijt: discipulis vt eum soluerent, imperauit. Sola igitur separationis ac recõciliationis religio, quæ Sacerdotum respiciebat iudicium, vt leprosi post emundationem Sacerdotibus ostenderentur, exegit quia sine quorum (vt diximus) examine non poterant excludi, sine eorum testimonio non fuerant recipiendi. Claudi vero & cæci & similes quique, quia pro huiusmodi infirmitate ab hominum societate non fuerant sequestrati, recepta iam sanitate, sacerdotali sententia non opus habebant reconciliari. Ait

Matth. 8. ergo Dominus leproso: *Vade, ostende te Sacerdoti: & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Iam ex tunc magister ille & Dominus futuris hæreticis obuiabat, & Manichæos

B reuincebat. Ipsi quippe legem & euangelia contraria esse dixerunt, & Deo legis Dominum Christum diuersa sensisse, dogmatizare præsumpserũt. Dominus (vt præmisimus) legi testimonium præstat, & antiquas Moysi traditiones sua autoritate confirmat. *Offer*, inquit, *munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* *Lex enim sancta*, vt ait Apostolus,

Rom. 7. cuius etiam præcepta carnalia suis tẽporibus fuere necessaria. Sed de munere quod præcepit offerri Moyses, quo ritu antiqua illa leprosorum celebratur emundatio, amodo tractandum erit. Cuius mysterium si à nobis vt dignum est, indagari & explanari potuerit: manifestum credo futurum, neminem ab animæ suæ lepra posse liberari, qui non ea quæ præcipiuntur, spiritualiter implere studuerit. Sequitur:

Leuitici Cap. XIV. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem. Qui egressus e castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur vt offerat pro se duos passeres viuos, quos vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hysopum.*

C Notandum prius, quod dicitur leprosus ad sacerdotem adduci, cum Sacerdotem potius ad eum egredi necesse sit. Venit itaque vsque ad locum aliquem extra castra, quo accedere nondum mundato licitum est: illucque sacerdos ad eũ egreditur, de sanitate illius iudicaturus. Mystice quoque egressus iste intelligendus est: quia toties Sacerdos vt leprosos consideret, de castris exit: quoties pastor quilibet, seposita interim filiorum prouidentia, reconciliationi eorum qui à bonorum exulabant consortio, curam impendit. Egressus ergo sacerdos è castris, cum inuenerit, inquit, lepram esse mundatam. Nota sicut supra diximus, Sacerdotem non lepram mundare: sed tantũ cum mundatã inuenerit, suo hoc testimonio confirmare. Sed nec locutio prætereunda est, quod lepra mundari dicitur, cum homo potius à lepra mundetur. Sacerdos vero noster tunc leprã mundatam inuenit, cum affectum peccandi deposuisse, & ad meliora ꝓpositum conuertisse hominem qui leprosus fuerat, deprehendit. Quia ergo iam correctius agendi de-

D liberatione suscepta, instruendus est vtique qualiter & à malis declinare, & viam rectitudinis tenere oporteat: præcipit sacerdos in primis, vt offerat pro se duos passeres viuos, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hysopum. Certum est, hanc spiritualis lepræ esse originem, cum carnalibus concupiscentijs hõ subiugatus, mũdum diligit, & diuina præcepta postponit. Tunc vero ab eadem lepra se exuit, cum voluptatibus resistere, & mundum vincere contendit. Sed nemo viribus suis opus tantum sufficit adimplere, testante scriptura ac dicente: *Hæc est victoria*

1. Ioan. 5. *quæ vincit mundũ, fides nostra. Et quis est*, inquit, *qui vincit mundũ, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?* Ergo ab hac fide accipiendum est, & à filio Dei spes victoriæ concipienda. Ipse

Ioann. 1. enim recipientibus se *dedit potestatem filios Dei fieri*, vt nati ex Deo, vincant mundum. Itaque humanitas filij Dei, in qua ꝓ nobis pauper factus est, & credenda à nobis, & charitatis affectu suscipienda est: per quem etiam reis veniæ, deuictis & prostratis victoriæ, mortalibus vitæ æternæ spes attribu-

ta est. In vno ergo passerum, quos leprosus iubetur offerre, E

ipsum intellige: quia & ipsius vox in Psalmo habetur, *Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* & *passer inuenit sibi domum*, quod scilicet æternum cœli redemptor noster intrauerit habitaculum. Hysopus quæ cum passere offertur, fides nostra est. Hysopus nanque cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra, & interiora nostra mundare consueuit. Si petram quæris in qua fides nostra radicata est, ab Apostolo audies: *Petra autẽ erat Christus.* Scriptum est etiam, *fide mundans corda eorum.* Cedrus quę ad alta se tollit, spei nostræ designat certitudinem: quę non terrena & transitoria, sed cœlestia & semper mansura nobis repromittit. In vermiculo qui ignei coloris agnoscitur, flamma dilectionis exprimitur. Offert itaque homo passerem vnũ viuum cum hysopo, cum Christũ pro nobis hominem factum, & hic primo cum mortalibus vixisse, & nũc apud patrem credit immortaliter viuere. Iungit vermiculum, cum illum diligit: sed & lignum cedrinum, si de eo præsumit. Sed quoniam scriptum est, *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu*: ipse quoque Dominus nos admonet, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: iustum est, vt qui Deum propter se credit humiliatum, ipse etiam humiliari studeat, & Christo sẽper humilitatem conformans, primo passeri quasi secundum iungat. Humilitas nanque siue paupertas sanctorum per passerem solet designari, sicut in Psalmo de cedris (id est, potestatibus huius seculi, quas Deus in sancta Ecclesia plantauit) scriptum est: *Illic passeres nidificabunt*, quia scilicet pauperes Christi, à diuitibus huius mundi necessaria vitæ percipiunt. Sed non est prætereundum, quia cum duos passeres offerri præcepisset, addidit: *quos vesci licitum est.* Prior quippe passer ad cibum non est idoneus, si fides nostra de Christo peruersa sit, vt illum aut hominem purum, aut Deum sine homine, nec vere passum nec vere à mortuis suscitatum, quod Manichęis placuit, fuisse sentiamus. Qui vero non alium Christum, sed quem apostolica tradit doctrina, suscepit: quasi passerem offert quo vesci liceat, qui fidei rectitudine diuinum sibi fauorem conciliat. Secũdi quoque passeris facienda est distinctio. Sunt enim nonnulli, qui Christi humilitatem paupertatemque Christi imitari videntur, sed simulate hoc faciunt, habitu quippe despecti, mente superbiunt: & possessionibus mundanis attenuati, magnos se locupletesque virtutibus ęstimatione sua considerant. Scriptũ est autem: *Immundus est apud Deũ omnis qui exaltat cor.* Si igitur volumus secũdum passerem esui dominico idoneum reddere, humilitas quæ foris hominibus exhibetur, etiam coram Deo in mente seruetur: quoniam *beati pauperes spiritu*, non censu, & quia *humiles spiritu saluabit Dominus.* Quisquis igitur & per fidem rectam, & per humilitatem veram Domino reconciliatur: quasi in vtroque passere placens, nihil exhibet quod respuatur. Quid autem de primo passere, imo de vtrisque agendum sit, sequentia nos docebunt.

Vnus passer. Psal 101. Psal 83. Hysopus. 1. Cor. 10. Actu 15. Cedrus. Vermiculus. Philip 2. Matth. 11. F Psal. 103. G Matth. 5. Psal. 33.

Et *primum (inquit) è passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes.* — *vnum.

Vnum è passeribus Sacerdos iubet immolari, cum prædicat mortem Christi: cum docet, vt qui modico quam Angelis pro nobis minoratus fuisse creditur, ꝓ nobis etiam immolatus credatur. Immolat quippe Christum, qui immolatũ credit. Inde legimus in volumine Regum, virũ quendam de filijs Prophetarum dixisse ad socium suũ in sermone Domini: *Percute me. Qui cũ noluisset eũ percutere, ait illi: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo atque percussit.* Res plane admiratione digna. Ne enim humanę ascriberetis insanię quod homo se percuti rogat, Propheta est de quo ista narrantur, & in sermone Domini loquitur. Postremo quãtum in hoc facto mysteriũ lateat, subsequens vindicta demonstrat. Qui enim noluit eum percutere, recedens ab illo, à leone percussus est. Quis est igitur iste filius Prophetarum, nisi Christus Dominus, descendens de progenie Iudæorum? Ait nanque Apostolus: *Quorum patres & ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula.* Hic itaque dum humanam formam assumpsit, totum genus humanum sibi consociauit. Omnibus itaque præcipit vt eum percutiant, videlicet vt pro sua salute percussum eum credant. Qui vero eum non percusserit, nec pro redemptione

Psalm 8. Heb. 2. H 3. Reg. 20. Rom. 9.

A nostra percussum crediderit, recedens ab ipso, per infidelitatem à leone percutietur, de quo scriptum est: 1 Pet. 5. *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Inuenies & hanc locutionem in Apostolo, vbi ait: Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo, quis ascendit in cælum?* Hoc est Christum deducere. *Aut quis descendit in infernum?* Hoc est Christum à mortuis reuocare. Si ille Christum deducit, id est, deponit, qui ascendisse non credit: & à mortuis reuocat quisquis ad inferos illum descendisse non æstimat, manifestum est quia percutere renuit, qui percussum non credit: percutit vero, qui credit. Iubeat ergo Sacerdos immolari è passeribus vnum, vt homini qui super fidei integritate imbuitur, dominicam insinuet passionem: per quam pro nobis immolatus, lepræ nostræ detersit putredinem, sicut scriptum est: Apo. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Sed vbi immolabitur passer iste? In vase fictili. Vas fictile. Quid autem vas fictile, nisi Christi corpus, quod terrenum de virgine sumpsit, accipiendum est? B In hoc autem mori pro hominibus homo voluit, qui in suæ diuinitatis essentia mori non potuit. Et addidit lex: *Super aquas viuentes.* Quas viuentes aquas, nisi scripturarum fluenta intelligimus? Ioan. 6. *Verba,* inquit Dominus, *quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Itemque: Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Si igitur spiritualis gratia aqua viua est, eademque ex Domini verbis hauritur, patet quod aquæ viuentes in scripturarū fontibus reperiantur. Istæ sunt aquæ quas egredientes vidit Iezechiel Propheta de subtus limen templi. Quæ cum primo in latus templi dextrum descendissent, deinde ad plana deserti cursum suum direxerunt, & postremo de eisdem dicitur: Iezech. 47. *Omnis anima viuens quæ serpit quocumque venerit torrens, viuet: & sanabuntur & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Templum Dei. Templum quippe Dei omnis Ecclesia est à primo iusto vsq; ad extremum. Limen templi. Limen vero templi, sensus historicus est in scripturis: quia per fidem historiæ tam veteris quam noui Testamenti, intramus templum Dei, & incorporamur populo Dei. C Sub hoc autem limine allegoriarum latet profunditas, quæ cum Christo reuelante cœpit exponi, torrens ipsæ doctrinæ spiritualis in dextrum protinus latus se contulit, quia gentem Iudaicam vnius ac veri Dei culturæ deditam, apostolica primo prædicatio visitauit. Act. 13. & 18. Illis denique repellentibus, ex maxima parte atque contradicentibus, torrens iste redundans ad gentium humilitatem descēdit: & plana deserti nostri irrigans, animas repentes & terrenis cupiditatibus inhærentes viuificauit, & cœleste desideriū nobis infudit. Præcipitur ergo Sacerdos, vt super aquas viuentes passer immoletur. Id est, vt iuxta scripturarum autoritatem Dei filius passus credatur. Super aquas etenim viuentes passio ipsius consummata est, quando prænunciationi propheticæ rerum exhibitio superaddita est: & hoc effectus ostendit, quod sermo prædixit. Hoc & ipse Dominus in die resurrectionis suæ discipulos admonebat, dicens: Luc. 24. *Hæc sunt verba quæ loquutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quia necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me.* D *Et aperiens illis sensum vt intelligerēt scripturas: Sic,* inquit, *scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis die tertia.* Quid manifestius? Ecce passer iste super aquas viuētes immolatur: quia iuxta quod de eo per legem & per Prophetas prænunciatum fuerat, Christus Dominus moritur. Quid vero vtilitatis de morte ipsius peccatores consecuti sunt, sequentia nos docebunt. Nam subditur:

Alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hysopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum qui immundus est, septies, vt iure purgetur & dimittet passerem viuum in agrum vt auolet.

O beatus sanguis, cuius aspersione lepra nostra mundatur: cuius redemptione, qui captiuus fuerat, liber dimittitur, cuius tactu mortui suscitantur. Ecce immolato passere primo, alius viuit, quem immolati sanguis contingit. Leprosus quoque septies eodem aspersus, iure mundari perhibetur: & passer viuus qui violenter prius detinebatur, post tinctionem sanguinis, vt in agrum liber auolet, relaxatur. Viuit enim passer secundus, dum primus immolatur: qui per Christi mortem vniuscuiusque fidelis spiritus ad vitam resurgit, & eo moriente, spes nobis redditur vitæ æternæ. E Hoc etiam in agni paschalis immolatione satis expressum est. Exod. 12. Quartadecima quippe luna ad vesperam celebratur: cum recepta luminis sui plenitudine, sole iam occidente, ipsa in oriente consurgit. Porro sol iustitiæ, Christus: luna vero, Ecclesia est. Nonne igitur ex tunc satis euidens fidei imago oculis opponebatur intuentium, dū sub tempore paschalis illius obseruationis, in qua agni nostri iam sanguis mystice fundebatur, & vtroque poste asperso, duo parietes separati prius ab alterutro, sub vna fide coniungebantur: sanguine quoque eodem in limine posito, & superliminari asperso, summis ima, & terrenis cœlestia conciliabantur? Cum igitur hoc tempore etiam in cœli luminaribus status ille obseruaretur, vt sole occidente, luna plena consurgeret: nōne manifeste dabatur intelligi, quia moriente Christo, qui verus agnus & sol nobis est indeficiens, Ecclesia ipsius ad vitam cōsurgeret: & eo quasi mortis tenebras subeunte, illa luminis amissi & cognitionis diuinæ damna repararet? F Præcipit ergo lex, vt viuus passer in sanguine tingatur passeris immolati, tingatur autem cum ligno cedrino & cocco & hysopo: quia spiritus noster tunc primum viuere incipit, cum sacramenta dominicæ passionis pia fide susceperit. Tingitur vero cum illo & hysopus, cū fides nostra super tantis mysteriis informatur. Tingitur lignum cedrinum, cum omnis spes nostra in redemptoris nostri sanguine ponitur. Tingitur etiam coccus, cum ex recordatione passionis dominicæ, & erga ipsum & ad inuicem charitas in nobis amplior excitatur. Vt enim ipse testatus est, Ioan. 15. *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quam charitatis immensitatē perpendens Apostolus, cum hoc ipsum commemorasset, dicens: Rom. 8. *Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis:* quasi tingens in hoc sanguine coccum suum, id est, amoris intimi flammam erga Dominum suum, ex beneficiorum ipsius contemplatione vehementius accedens: G Ibidem. *Quis,* inquit, *nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia?* Sed & Ioannes in epistola sua, cum præmisisset quod filium suum vnigenitum miserit Deus in hunc mundum, vt viuamus per eum, continuo subiunxit: 1. Ioan. 4. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere.* Tingitur vero in sanguine passeris immolati cum viuo passere coccus, lignum cedrinum & hysopus: cum de morte redemptoris fides nostra imbuitur, spes per eam roboratur, & charitas excitatur. Præcipitur deinde vt sanguine eodem ille qui immundus est, septies aspergatur, vt sic iure purgetur. Septenarius numerus Spiritui sancto consecratus est, propter septiformem eius gratiam, cui etiam remissio peccatorum ascribitur. Ipse est enim qui dimittit, ipse qui venia dignos nos facit. Ioan. 20. *Accipite,* inquit Dominus, *spiritum sanctum.* Et continuo subiecit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hanc discipuli potestatem habere non potuissent, nisi spiritum sanctū prius accepissent. Item spiritus ipse dictus est spiritus gratiæ & precum. Zach. 12. Et Apostolus: Rom. 8. *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* H Ergo nec aliena peccata dimittere quisquam sine Spiritu sancto, nec sua digne flere poterit, aut veniam promereri. Septenarius itaque vt diximus, quia eidem dedicatus est, remissionem quæ per eum fit, solet significare. Beatus Petrus cum de dimittenda fratris offensa Dominum interrogasset, si forte septies esset relaxanda, audiuit: Matth. 18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Vnde & Lucas Euangelista post ipsius Domini baptisma, Luc. 3. in quo reatuum nostrorum facta est abolitio, generationem illius sursum versus vsque ad ipsum Deum per septuaginta septem enumerauit personas. Habes & Naaman Syrum, qui vt à lepra sua 4. Reg. 5. emundaretur, in typum baptismatis quo peccatorum lepra abluitur, septies in Iordane lauari iussus est. Multa quoque & alia reperies, quæ tibi hoc septenarii sacramentum demonstrent. Homo igitur qui immundus fuerit, sanguine passeris immolati septies aspergitur: quia quisquis lepra spirituali fuerit obsessus, si sanari desiderat, sine Christi sanguine nec veniam consequi, nec à peccatis suis poterit purificari. Vnde Apostolus: Rom. 5. *Quem,* inquit, *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et in epistola ad Hebræos:

A

Hebr. 5.

bræos: Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctū semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendū Deo viuenti? Dicit itaque *Asperget Sacerdos illū qui immundus est septies.* Addiditque: *Vt iure purgetur.* O sanctitas, o potentia sāguinis huius. Non satis fuerat dixisse, per eius aspersionem mundari leprosum: nisi ad maximam eius commendationem adderetur, *& iure mūdari.* Sunt enim (vt ait beatus Augustinus) quidam, qui se putant ad contemplandum Deum virtute propria posse purgari, quos ipsa superbia maxime maculat. Nullum.n. vitium est, cui magis diuina lege resistatur. Obmutescat ergo falsa philosophia, q̄ per sacra sacrilega, & per eas quas teletas appellant, purgationem deceptis promittit. Nullus iste leprosus purgatur, nisi qui sanguine passeris huius aspergitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Hic est lapis qui reprobatus est ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim nomen aliud est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hic vos prætereire non possum literæ sectatores, qui Moysen istum adhuc puerum existimatis, & in fiscella scirpea ac bituminata illum concluditis. Respondete mihi quæso, interrogo vos quæ ratio sit: neque enim parua res agitur, cum lepra mundatur: quid igitur causæ est, vt minutissimū volatili tantum tribuatur, vt si sanguine illius leprosus aspersus fuerit, iure mundari dicatur? Moyses iste omni Ægyptiorum sapiētia eruditus, imo (quod potius in eo admirandum est) tantam apud Deum familiaritatem adeptus, vt cum eo Deus facie ad faciem loqueretur, sicut loqui solet homo ad amicum suum: Moyses inquam, qui ardente Sinai, cacumen montis ascendere qui nebulam in qua erat Deus, solus potuit penetrare: nunquid delirasse vobis videtur, & inepta quædam ac puerilia vobis conscripsisse? Quæ enim natura quæ medicinæ ars hoc docuit, vt aduersus lepram sanguis passeris quicquam prodesse possit? Aut quis vnquam morbum tantum, tali antidoto curauit? Addo etiam quod nec lepra hic curari dicitur, sed homini iam sanato, vt sanguine passeris aspergi debeat, imperatur. Vt quid hoc? Quæso, qua ratione? qua vtilitate? Nonne litera ipsa se destruit? & insipidam prorsus superficiem gerens, ad mysticam intelligentiam inuitos nos etiam renitentesque compellit? Vos tamen Moysi sapientiam ad terram deprimitis, & cælestes sensus in arcto (vt supra diximus) concluditis: dum in verbis tanti viri nihil aliud quam sanguinem passerum, caudas arietum, pecorumq; viscera cogitatis. Ne igitur indignemini, si hunc à vobis expositum atque proiectum, Pharaonis sibi filia vendicauerit, si in paternam domum ac regale palatium illum assumpserit. Ecclesia quippe de gentib. Moysen quem vos quasi paruulum abiicitis, grandem habet: & quod carnaliter ab eo dictum existimatis, ipsa spiritaliter videt: quodque vobis quasi terram sonat, ipsa in cælum leuat. Hoc & Propheta sanctus Zacharias ante prædixerat: *Emath*, inquiens, *in terminus Domini, & Tyrus & Sidon, assumpserūt quippe sibi sapientiam valde.* Sed ad propositum redeundū est. *Asperget*, inquit, *sacerdos illū qui immundus est, septies, vt iure purgetur:* ac deinde, *& dimittet passerem viuū in agrum vt auolet.* Agrum, bonorum operum exercitium, & laborem Deo dicatum intellige. In hunc agrum auolare non potest, quisqs cupiditatibus suis tenetur ligatus, quem iugum premit inimici, cui facultas non suppetit sese expediendi. Sed quid dicit Isaias? *Computrescet iugum à facie olei.* Vnde & Apostolus: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Et Dominus in euangelio: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eū. Passer vero viuus in sanguine tingitur passeris immolati, cum spiritus noster fide passionis Dominicæ sanctificatur. Credendo autem in Christum, spiritum accipit libertatis, vt à seruitute liberetur iniquitatis. *Si enim*, inquit, *vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Sequitur:

Ioan. 1.
Ibidem.

B

Matth. 21.
Psalm. 117.
Actuum 4.
Actu. 7.
Exod. 33.
Exod. 19.

C

Exod. 2.
Zach. 9.

D

Isai 10.
2. Cor. 3.
Ioan. 7.
Ioan. 8.

Cumque lauerit homo vestimēta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua.

Lauat homo vestimenta sua, cum iam peccatorum præteritorum remissione percepta, ac bene agendi libertate recepta, quiescens agere peruerse, & bene facere consuescens, exteriorem suam conuersationem sanctificat. Per pilos vero corporis, in hoc loco opera carnis intelligenda sunt. Ex carnalibus quippe concupiscentiis oriuntur, & leuitatis superfluitatisque arguuntur, sicut de quibusdam per Prophetam dicitur: *Tales araneæ texuerunt, & quia non est inuentio operum ipsorum.* Vnde & ab Apostolo opera mortua nuncupantur, quod scilicet eadem nullus in futuro remunerationis fructus subsequatur. Pili ergo corporis raduntur, cum opera inutilia quantum possibile est, amputantur. Sed & homo ipse post vestimentorum suorum ablutionem aqua lauatur, si operibus illicitis à quibus se exterius obseruat, in conscientiæ secreto consensum non præbeat. Post hanc autem mentis & corporis sanctificationem, quid de homine isto lex præcipiat, audiamus.

E

Esai. 5.
Psal.
Esai. 59.
Heb. 6.

Purificatus, inquit, ingredietur castra, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus.

Homo iam purificatus, castra ingreditur: cum in sanctorum societatem, à qua prius merito suæ iniquitatis fuerat eiectus, recipitur. Sed quid est quod in castra receptus, adhuc à tabernaculi sui mãsione excluditur? Tabernaculum ergo vniuscuiusque, sua conscientia est. De hoc tabernaculo per Psalmistam dictum est: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.* Hoc tabernaculum quā admirabile sit, nullus agnoscit, qui nondum illuc intrauit. Ibi quippe etiam domus Dei construitur, quia postquàm ab amore visibilium homo seipsum receperit, purgata iam conscientia ipsius, diuinitatis etiam templū efficitur. Nunc autē vix aliquē reperies, qui ad cor suum redire & secum valeat habitare. Illiciunt nos concupiscētiæ nostræ, & per corporis sensus ad exteriorū voluptatem nos pertrahunt, vt semper aut talibus inhærere, aut talium phantasmatibus mentem occupare delectet: ipsa autem qualis apud se sit, nequaquam attendere. Inuenies ergo quamplurimos, qui cum sint fide integri, humilitate deuoti, purgati iam non solum à criminum perpetratione, sed etiam ab huiusmodi deliberatione: qui insuper pilos corporis sui raserunt, quia superflua quæq; à victu & vestitu, ab ipsis quoque ædificiorum parietibus amputauerunt, circa ipsa tamen necessaria assidue occupantur & in recessibus suis euenienter recumbētes, quæ sint interna spiritus delectamenta, aut vix, aut nūquam in hoc corpore manentes experiuntur. Ad has vero delicias quærendas & possidendas, Psalmista nos inuitat, dicens: *Inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.* Mens siquidē nostra & domus est, dum inhabitatur: & terra est, dum exculta frugib. ditatur. *Inhabita ergo*, inquit, *terram tuam.* Ac si diceret: Postpositis exterioribus occupationibus, excole mentem tuam: & id bonū cura, quod vetustate fit melius. Terra enim mētis tuæ si agricolam sui solicitum inuenerit, si à vitiorum sentibus fuerit emundata: possessorē suū noua quadam dulcedine saginabit, & fructuum ubertate spiritualium locupletabit. Vnde quidam sapiēs: Primū, inquit, *augmentum compositæ mētis existimo, posse consistere & secum morari. Hic etiam amicum suum ad has diuitias exhortans, fundamentū bonæ mentis asserit, si nō gaudeat vanis. Ac deinde: Existimas, inquit, me trahere tibi multas voluptates qui fortuita submoueo. Imo contra nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra teipsum sit. Fac oro te charissime, quod vnum te pōt præstare felicem. Disiice & conculca ista quæ extrinsecus splēdent, & de tuo gaude. Quid est autē, de tuo? De te ipso & tui optima parte. Ad hoc ergo gaudium, atque ad eam de qua agimus tabernaculi habitationem, quo ordine peruenire possimus, Salomon nos edocet, dicens: *Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domū.* Sicut.n. in hac leprosorum emūdatione paulo ante ostendimus, primo exterior conuersatio nostra, iuxta legis diuinæ disciplinam componenda est: deinde ager mentis à vitiosis affectibus expurgandus, vt tandē serenata iam conscientia ac pacificata, delectabilem in interiori nostro commorationē inuenire possimus. Licet enim neminem lædas, quandiu in pectore feruet iracundia: licet non forniceris, quandiu carnis tuæ stimulis incitaris: licet neminem verbo deprimas, nec honoris locum tibi assumas,

F

Psalm. 41.

G

Psalm 36.

* argumentum.

H

Prou. 24.

quan-

A quandiu tamen elatione pulsaris, & inanis gloriæ flatibus agitatis, nondum adepta interna tranquillitate, domum apud te non inuenis in qua valeas requiescere. Septem igitur diebus iuxta legis decretum homo iste, qui mundatur, manet extra tabernaculum suum: quia donec purgata mente & sedatis perturbationibus ad sabbatum tranquillitatis pertingat, tabernaculum non præbet ei sua conscientia in quo requiescat. Possumus in hoc sabbatu non solum spiritus tranquillitatem, sed & operum corporalium vacationem accipere, sicut scriptum est: (Psalm. 45.) *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* (Eccle. 38.) Itemque: *Sapientiam scribe in tempore otij. & qui minoratur actu, percipiet eam.* Quisquis enim curas exteriores à se curabit abscidere, hic recipere seipsum, & locum admirabilis ingressus tabernaculi, Deum apud se poterit inuenire. Sequitur:

Et die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos.

Quod septem diebus præcepit legislator manere hominem extra tabernaculum suum, iam supra in purificatione mulieris parientis ostendimus non sic accipiendum, quasi septimo die tabernaculum ipsum intrare non possit. Nam B & leprosus qui septem diebus recludi iussus est, septimo considerabatur: & si lepra non creuisset, liber dimittebatur: & in Numeris (Num. 19.) tacto cadauere, septem diebus homo immundus esse perhibetur, qui tamen die septimo per aquam aspersionis mundatur. Cum igitur & in præsenti loco homo qui à lepra sua sanctificatur, septem diebus à tabernaculi sui mansione arcetur, intelligendum est, illum vsque ad diem septimam sub hac lege teneri: in septima tamen, completo quod lex fieri iubet, ad tabernaculum suũ reuertatur. Quid est autem quod lex fieri præcipit? Vt radat homo capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Iuuat hic repetere, quod superius etiam (Iere. 41.) commemorauimus. B. Gregorius cum de viris Sichem loqueretur, qui rasi barba veniebant de Samaria: Barbam, inquit, radunt, qui sibi de proprijs viribus fiduciam subtrahunt. Si igitur in capillis qui de capite fluunt, subtilissimæ veritatis intelliguntur inquisitiones, quæ de mente procedunt, radebat capillos Apostolus cum diceret: (1. Cor. 3.) *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* C Si in barba virtus exprimitur, hanc Psalmista radebat cum diceret: (Psalm. 17.) *Diligam te Domine virtus mea.* & (Psalm. 70.) *quia memorabor iustitiæ tuæ solius.* Magnæ ergo perfectionis argumentum est si homo post multos scientiæ virtutisque profectus, totum Deo applicet, non sibi: ne si forte se aliquid esse existimat cum nihil sit, seipsum decipiat. (Gal. 6.) Scriptũ est enim: (Isai 5.) *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Et Salomon: (Prou. 3.) *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ: In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Homo itaque iste rasis capillis, rasaque barba, supercilia quoque radere iubetur. Quid autem in superciliis, nisi superbia designatur? Vnde à quodam dictum est: Non est necesse superbis assidere liminaribus, & graue supercilium & contumeliosam etiam humanitatem pati. Parabile est & appositum, quod natura desiderat. Qui igitur capillos, qui barbam radit, cõsequenter & de superciliis idipsum facit: quia qui nec operis virtutem, nec ingenij subtilitatem sibi attribuit, superbiendi materiam à se amputauit. Restant pili corporis, qui cum in prima purificationis die iam rasi essent, hic iterum radi præcipiũtur: nimirum aliud in prima, aliud in septima die portendentes. Ibi enim operum carnalium leuitatem, hic au- D tem vitiosorum affectuum importunitatem, & cogitationum inutilium superfluitatem designãt. Iustum siquidem est, vt qui conuersationis suæ imo exteriora sua componens, hominibus irreprehensibilis apparuit, iam ad sabbatum spirituale perductus, intus se probabilẽ Deo per sanctam meditationem studeat exhibere, & ab effectuum carnalium perturbatione mentem liberam conseruare. Scriptum est enim: (Prou. 8.) *Ego sapientia habito in consilijs, & eruditis intersum cogitationibus.* Itemque: (Sapi. 1.) *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Notandum tamen quod pili radi præcipiuntur, non euelli. Quantalibet nanque hominem virtus sanctæ conuersationis euexerit, adhuc erde vetustate vitæ nascitur, quod & E tolerandum, & quotidie pro viribus amputandum sit. De hac vero rasione pilorum, iterum Moyses præcipit, dicens: (Num. 8.) *Leuitæ radant omnes pilos carnis suæ.* Vt enim ait beatus Gregorius, qui in obsequijs diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Sed de leproso isto reliqua prosequamur.

Et lotis rursum vestibus & corpore, die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.

Quod vestium & corporis iubetur lauationem iterare, qui à prima die corpus cum vestibus abluerat, ampliorem sanctificationem tam actuum quam cogitationum illius insinuat. Qui enim ad sabbatum tranquillitatis peruenit, cui iam tabernaculi in quo contẽplatione diuina perfruatur, aditus patet, iste cõtemplatione virtutis sublimitatem adeptus est. Sex etenim dies ad actiuam pertinent vitam, septima ad contemplatiuam. Vbi quæ differentia habenda sit, quidam ex doctoribus satis congrue expressit, dicẽs: Habet actiua profectum, contemplatiua fastigium. Hæc facit hominem sanctum, illa perfectum. Merito ergo die F septima primæ conuersationis lauacrum geminatur, vt perfectior sanctitas designetur. Inuenies aliquid simile etiam in Genesi. (Gen. 8.) *Sexcentesimo*, inquit, *primo anno, in primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram. Et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit: viditq́ quod exsiccata esset superficies terræ.* Ac deinde: *Mense secundo, septima & vicesima die mensis, arefacta est terra.* Ita dixit in secundo mense arefactam terram, quasi oblitus esset quod in primo eam iã dixerat exsiccatam. Quod ergo bis arefactam pronunciauit, eiusdem ariditatis augmentum innotuit. Multa reperiuntur in scripturis similia. Sed nos quod cœpimus prosequentes, quæ subiuncta sunt, discutiamus. *Die*, inquit, *octauo assumet duos agnos immaculatos.* Quid octauus dies, nisi nouam vitam designat? Octonarius quippe numerus consecratus est, propter resurrectionem dominicam quæ octauo die completa est. Est (Rom 6.) autem resurrectio prima, de qua dicit Apostolus: *Sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Octaua ergo dies intelligitur, postquam homo & mente & corpore renouatur. Idem in purificatione parientis reperies. G In hac autem octaua quid offerri iubeatur, attendendum est. *Assumet*, inquit, *duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula.* (Agnus.) Si in agno innocentia, quid in duobus agnis nisi eiusdem innocentiæ geminatio accipienda est, vt à læsione proximi non solas manus homo contineat, sed nec huiusmodi desiderium, vt vel ab alio lædatur proximus, admittat? Ouis vero anniculà absque macula, munditia carnis est, (Ouis annicula.) consuetudine longa ad perfectionem perducta, & quæ aliorum criminum admixtione non sit depravata. Sunt enim nonnulli castitate præditi, qui aut superbia, aut auaritia, aut aliquo simili corrumpuntur. Hi licet ouem offerant, non tamen ouis ipsa vt absque macula sit, obseruant, dum ex alio latere secum gerunt vnde displiceant. Iubentur quoq; cũ agnis & oue tres similæ decimæ offerri in sacrificium. Quid vero in tribus decimis similæ, nisi fides trinitatis accipitur? (Similæ tres decimæ.) Simila nanque quia subtilis est, cogitationibus nostris assimilatur: H quæ cum spirituales sint, corporalibus sensibus subtrahuntur. Huius autem similæ trina & æqua mensura in sacrificium offertur: quia quicunque de patre & filio & spiritu sancto paria sentit, fidei suæ rectitudine sãctificatur. Notandum enim quod de eadem præcipitur simila, vt conspersa sit oleo. Non humanis quippe traditionibus, sed Spiritus sancti dogmatibus, fidei formanda nobis integritas est. Additur quoq; & olei sextarius in oblatione istius. (Gregorius ἔλεος.) Græce vero eleos, vt ait papa Gregorius, misericordia vocatur, & quasi oliuæ liquor, ante Dei omnipotentis oculos misericordiæ fructus lucet. Eiusdem quoque olei mensura traditur, cum sextarius nominatur. Quæ enim discretio vel moderatio in largitione habenda sit, docet prædictus doctor in pastorali libro, monens cui, quanto vel quantum detur, diligentius esse considerandum: ne res quælibet vel ei detur cui non est necessaria, vel tunc detur cum non est necessaria: ne plus ille accipiat cui minus fuerat dandum, aut minus ille cui plus fuerat erogandum. Respicienda est

etiam

A etiam quantitas facultatis, ne vitia quam eapedit effuso peculio, erogator discretos dom paupertatis pondere deficit, aut se doleat dispersisse sua, aut cogatur rapere aliena. Homo igitur iste qui à lepra sua purgatur, cum duplici innocentia voluntatis & operis, si iam conseruat corporis castitatem, si fidei tenet rectitudinem, etiam misericordiæ operibus iubetur insistere, quia scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* (Eccle. 3.) Quia vero (vt diximus) eadem misericordia discretione moderanda est, oleum quod offertur, sub sextarij mensura redigitur. Sed quoniam remedia lepræ sunt quæ tractamus; diligentiæ lectoris iniungimus, vt singula singulis opponat: & qualiter sibi inuicem obuient, considerare non negligat. Nam contra lepram combusturæ, seu etiam infæ maculæ quæ in veste apparuit, agni feminæ oblatio: contra lepram hulceris, annicula ouis offertur. Lepræ quoque capitis, simile sacrificium opponitur, sed & illi quæ in caluitio oriri solet; B per quam liberalitas corrumpitur, certa mensura id olei oblatione præfixa medetur. Hæc cuicunque superiora non exciderunt, facile patebunt. nobis ad reliqua properandum est. Sequitur:

Cumque Sacerdos purificans hominem, statuerit eum & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleiq; sextarium.

Quod coram Domino in ostio tabernaculi cum oblatione sua leprosus statuitur, intelligendum quia diuinæ respectum gratiæ tabernaculiq; cælestis ingressum, in omnibus quæ agimus, cogitare debemus. De agnis vero quod vnus pro delicto offerri præcipitur, primo ad memoriam reuocandum est, qualiter longe superius peccatum à delicto distinximus: peccatum scilicet operi, delictum conscientiæ deputantes. Secundo de agnis aduertendum est, quod licet in octaua die cum iam homo totus exterius interiusq; renouatus est, simul offerantur, non tamen simul vtraque innocentia munere diuino confertur. Primum est n. vt nec sermone nec actu proximis molestus existas, dehinc illa animi mansuetudo, quæ non sub contumeliosorum conuicijs, non sub violentia raptoris, nec etiam sub manu percussoris tranquillitatis suæ tenorem deserens, impatientiæ stimulis agitetur, multo labore, longa consuetudine, magno C etiam perfectionis amore conquiritur. Diuersis igitur temporibus (vt diximus) hæ duæ acquiruntur virtutes, & vna aliam præcedit tempore, sed tamen non immerito coniungitur in oblatione. Prima enim perfici non pôt, nisi sequatur & secunda: quia non est coram Deo plena tranquillitas operis, quam decolorat in conspectu ipsius perturbatio mentis. In octaua ergo quæ septimā sequitur, vterque agnus offertur: quia tunc iure diuinis obtutibus innocentia exterior præsentatur, cum adiuncta cordis mansuetudine ad legitimum mundum perducitur. Ipsa tamen quasi primus agnus dum adhuc sola est, pro delicto offertur: delictum .n. vt prædiximus, in conscientia perpetratur. Delinquit itaq; qui licet proximum non lædat, ruinam tamen eius aut optat, aut in ruina illius exultat. Sed cum perturbatione aliqua vel iniuria sibi à proximo illata, in hunc affectum ad tempus inciderit: postquam ad se fuerit reuersus, & agnouerit delictum D suum, nihil habet quod veniam petens Domino prætendat, nisi quod malum pro malo non reddidit, quamuis per impatientiam à dilectionis regula exorbitauerit. Innocentia ergo operis, dum adhuc mente delinquimus, ad placandū Deum interim præsumitur: quoniam ipse impetrat vt & quod deest, quandoque perficiatur: & quod nondum sine offensa est, nō sit etiam sine misericordia. *Offeret ergo*, inquit, *agnum pro delicto oleiq; sextarium.* De olei sextario qualiter delicto obuiet, iam supra dictum est, testante scriptura: *quoniā aqua extinguit ignem, & eleemosyna resistit peccatis.* (Eccli. 3.) Sequitur:

Et oblatu ante Dominum omnibus, immolabit agnum, vbi immolari solet hostia pro peccato & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia. Sancta sanctorum est.

Hæc omnia iā superius in tractatu earūdem hostiarū explanata sunt, cur .s. in loco holocausti hostia pro peccato siue pro delicto soleat offerri .i. in loco sancto: cur vero ad sacerdotem vtraque pertineat, & sancta sanctorum dicta sit, qui scire desiderat, illic requirat. Sed quę sequantur, videamus.

Assumensq; Sacerdos de sanguine hostiæ quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & E *super pollices manus dextræ & pedis.*

Habet hæc hostia sanguinem, sicut apertius ostēsum est: vbi eam quæ pro peccato offertur, tractauimus: quia vnusquisque qui plangit se in creatoris conspectu volūtate noxia deliquisse, vel adhuc affectione peruersa contaminari, quasi sanguine cruentatur, dum dolore & tristitia afficitur. Cruciatus quippe mentis & lachrymæ quæ ab oculis plangentis profluunt, sanguis animæ sunt. Quicunque vero adhuc imperfectus est, & contrarijs fatigatur affectionibus, timendum est ne malorum persuasionibus corrumpatur, & gressus illius à recto itinere deflectantur. Quem enim interius sua impugnat concupiscentia, citius subijcitur, si hoc ipsum lingua persuadeat aliena. Quod metuens Psalmista, Dominum precabatur, dicens: *Domine, libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa.* (Psal. 119.) Itemque: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia.* (Psal. 118.) F Contra hoc autem vtrumq; periculum cordis contritio pro munitione est. Qui enim lapsus interiores nō negligit, qui scit plangere quod vel in corde delinquit: hic non facile labijs iniquis assensum præbet: vt à tramite æquitatis operis gressum declinet. Vnde quidā ex patribus: Luctus, ait duplex est, quia & operatur & custodit. (Luctus duplex.) Manus vero & pes hoc loco in eandem significationem occurrūt. Manus siquidē ad actionem, pes ad gressum refertur. Quæ est aūt via nostra, nisi operatio nostra? Operādo enim, siue ad Deum, siue ad infernum tendimus. Porro in manu & pede pollices sanguine tinguntur, eo quod inter alios digitos principales sint, & ad operandum siue incedēdum aptiores. Sed & hi dextri eliguntur, vt quid in nobis huius sanguinis tactu seruandum sit, apertius designetur. Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dñs: peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt. Bona igitur in nobis conseruanda, mala autem extirpanda sunt. (Prou. 4.) Vnde in psalmo scriptum est: *Dominus protectio tua super manū dexteram tuam.* (Psalm. 120.) Tingatur ergo sanguine hostiæ dextra auris, tingatur manus & pes dexter: quia mēs G quæ ad audienda diuina præcepta iam auditum applicuit, quæ in via iustitiæ iam pedem posuit, si motus intimos quibus impugnatur, non negligit: si quod vel solo affectu iniquitati approximet, non sine luctu attendit: eodem lamento aurem suam obturat, ne praua suadentem obaudiat: consolidat etiam gressus suos, ne à recto tramite deuians, ad iniquitatem cursum suum reflectat. Sequitur:

Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram: tingetq; digitum dextrum in eo, & asperget septies contra Dominum.

Quod oleum in manum sinistram mittitur, significat quod opera misericordiæ non nisi in præsenti vita necessaria habebuntur. Quid (inquit papa Gregorius) per sinistrā, (Gregor.) nisi vita præsens: quid vero per dextram, nisi perpetua designatur? Vnde scriptum est: *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* (Cant. 2.) In sinistram itaque manum sacerdotis oleum ponitur: quia hæc mortalitas nostra sicut sola nouit miseriam, sic sola mutuam à nobis expectat misericordiam. Sed licet sinistra manus oleum habeat, dexter tamen, non sinister digitus in eo tingitur: quia misericordia quæ in præsenti indigenobus exhibetur, in sinistra quidem materiam & tempus accipit operandi, sed dextrum est omne quod laborat: quia non præsentem, sed futuram retri- H butionem expectat. Septies vero oleum contra Dominum aspergitur, quia eleemosyna peccatorum remissionem operatur. Septenarium quippe numerum remissionis sacramentum tenere in hac eadem leprosi emundatione paulo ante ostendimus. Quia vero misericordiæ virtus non tantum peccata diluere, sed etiam virtutes sufficit conseruare, apte de oleo eodem subiungitur:

Quod aūt reliquum est olei in læua manu, fundet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto, & sup caput eius.

Quod de sanguine hostiæ iam præmissum fuerat, super olei distributione recapitulatur. Præcipitur namque vt super auriculam dextram, super pollices manus ac pedis dextri, reliquiæ illius fundantur. Vbi intelligimus, quod sicut cordis contritio, sic & pietas proximis impensa conseruet hominem, ne aut linguæ iniquæ aurem aperiat, aut à recto

A itinere seductus, gressus torqueat. Vnde scriptum est: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* (Psalm. 40.) Ac deinde: *Dominus conseruet eum.* Filius quoque Syrach: *Eleemosyna,* inquit, *viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* (Eccle. 17. & 19.) Quod autem etiam sup sanguinem qui effusus est pro delicto, fundi præcipitur: sic accipiendum est, quia in aure, in pollicibus, vbi sanguis prius positus fuerat, ibi etiam oleũ fundebatur. Quod sequentia manifestius declarabunt. In hac autem sanguis oleiq; commixtione, quid nisi vtriusq; cooperatio designatur? Restat postremum, quod etiam super caput hominis oleum fundi præcipitur. Vbi quid aliud nisi extrema innuitur retributio, q̃ misericordiæ debetur operibus: & desuper veniẽs totum hominẽ gloria immortalitatis operiet? Filius Sirach postq̃ eleemosynam cõmendans præmisit, *quia gratiam hominis quasi pupillam conseruabit,* (Eccli. 29.) continuo subiungit: *Postea vero surget, & retribuet illis retributionem vnicuiq; in caput illorum.* Dicitur enim in fine surrectura, quæ in hoc tempore quasi mortua & infructuosa videbatur. B In psalmo quoq; quod iam supra cõmemorauimus, (Psal. 40.) cum testatus esset eum qui intelligit super egenum & pauperem, à Dño conseruandum: subiunxit, *& beatum faciat eum in terra.* Tantus est igitur misericordiæ fructus, vt ab homine culpam tollat, in homine dona custodiat, & in terra viuentium beatum illum efficiat. Post hæc de Sacerdote subditur:

Rogabitq; pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato.

Quod Sacerdos pro eo rogare præcipitur, frequẽs est in hoc volumine, quoties à commissis homines emũdantur. In quo vtiliter edocemur, nullum reum qui veniam adipisci desiderat, sua satisfactione debere esse contentum: sed alios intercessores adhibere, aliorum interuentu diuinam sibi misericordiam reconciliare. Sic Iob pro amicis aduocatus accessit: (Iob. 42.) & quod generale est, genus humanũ non nisi sanguine mediatoris propitiationẽ inuenit. De sacrificio vero quod pro peccato fieri iubetur, si iuxta literam aliquis requirat vnde fieret, cum agnus primus iã pro delicto oblatus sit, secundus mox in holocaustum offerẽdus: nulla alia in his q̃ supra oblata sunt, victima reperitur, præter ouẽ C quæ duob. agnis adiuncta cõmemoratur. De ipsa ergo satis probabile est, hoc sacrificium pro peccato solere fieri, maxime quia postq̃ oblata est, si non hic immolatur, nusquam de ea quando vel vbi immolata sit inuenient. Nos tñ in discussione mysterii, legislatoris verbis contentos esse oportere existimamus, nec aliquid amplius inuestigãdum. Nam ille vtique si rerum significationibus cõferre quippiam iudicaret, posset dicere ouem illam anniculam in sacrificium pro peccato esse mactandam. *Nunc autem rogabit,* inquit, *pro eo, & faciet sacrificium pro peccato.* Ergo quod lex tacet vnde scilicet hoc sacrificium fieret, nemo discutiat, cur vero hoc loco fieri præcipiatur, diligens lector inquirat. Peccatum nanq; ad opera diximus referendum. Superius aũt à prima die expiationis leprosi ipsius, in rasione pilorum, in ablutione vestimentorum, peccatorũ purgatio designata est. Subsequenter vero delictorũ expiationem huc vsque tractauimus. Quid est ergo, quod post hæc omnia sacrificiũ ꝓ peccato dicitur offerẽdum, nisi vt doceatur homo, postq̃ à peccatis mundatus, postq̃ a delictis sanctificatus est, etiamsi iã D cum Apostolo dicere possit: *Nihil mihi cõscius sum:* (1. Cor. 4.) Præterita sua crimina ad memoriã reuocare, vt si in præsenti non inuenit vnde conscientia mordeatur, præterita recordans, & se in humilitate custodiat, & gratiarum hostiam illi, per quẽ inimici potestatem euasit, offerat? Hinc enim scriptum est: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* (Psal. 75.) Apostolus quoq; qui ad tantũ sanctitatis culmẽ peruenerat, vt confidenter diceret, nihil sibi conscium se esse, qualis tñ olim fuerit, non sine gemitu recolit, dicens: *Qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus: & quia non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum ecclesiam Dei.* (1. Tim. 1. 1. Cor. 15.) Post p[…]orum itaq; emundationẽ, post delictorum sanctificationem, adhuc pro peccato faciam⁹ sacrificium: vt quandiu hic sumus, semper humilitatis materiam exquiramus: & aut præsentium consideratione, aut præteritorum commemoratione, menti nostræ stimulos, quibus eius reprimatur superbia, prouideamus. Sequitur.

Tunc immolabit holocaustum, & ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo rite mundabitur. E

In hoc holocausto secundus agnus immolabitur. Cuius libamenta, cum quibus illud in altari ponẽdum legislator decernit, portiones illæ sunt, quæ de singulis oblationibus in partem Domini sequestratæ, cum holocausto in altari cremabantur: vt de simila oblatione plenus pugillus sacerdotis, & adipes de hostiis pro peccato & pro delicto. Hæc in operis huius exordio plenius explanata, qui quæsierit, inueniet. Holocaustum autem, totum incẽsum dicitur. Rite igitur homo mundari perhibetur, qui ad octauam perueniens, quasi in quadam resurrectionis nouitate cõstitutus, opere iustus, fide sanus, de morbis internis triumphãs, superfluis quibusque se spolians, bonus sibi, proximis benignus, totus mente & corpore sanctificatus est. Locum laboriosum & sudore plenum, Domino ducente, transiuimus, nunciam diuinis emundatione tractata, de paupere quæ restant, compendiosius exequamur.

De paupere qui non potest inuenire quæ præcipiuntur. F

C A P. II.

Quod si pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt; sumet agnum pro delicto ad oblationem, vt roget pro eo Sacerdos.

Diuitias esse cordis multo magis, quam pecuniæ, ostẽdit qui ait: *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* (Eccle. 13) Paupertatem quoque illam veram ac pessimam esse, quæ interiora depascitur, idem testatus est, subdens: *Et nequissima paupertas in ore impii.* (Ibidem.) Concinit huic Psalmista, qui cum beatum esse timendum Dominum pronunciasset, de eodem intulit, dicens: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* (Prou. 11.) Quo contra de diuitibus huius mundi: *Diuites,* inquit, *eguerunt & esurierunt.* (Psal. 33.) Vnde item in Ecclesiastico scriptum est: *Substantia pauperis secundum cor eius.* Tanquam diceret: Vnusquisque qui in virtutum acquisitione adhuc pauper est, non debet attendere quid habeat in arca, sed quid in cõscientia. Substãtia quippe hominis secundum cor eius æstimanda est: & si cor illius virtutibus abũdat, diues habendus est homo, licet parũ illi vel etiam nihil in marsupio reseruetur: si autem mẽs eius à domesticis opibus inanis est, licet à fructu frumenti vini & olei sui multiplicetur, pauper tamen sapientium iudicio reputabitur. (G Psal. 4.) De huiusmodi itaq; pauperib. lex agens: *Si,* inquit, *pauper fuerit, sumet agnum pro delicto.* Diuitem ergo illum vult intelligi, qui ad duos agnos, id est, ad vtriusque innocentiæ, mentis & corporis oblationem, sufficiens est: pauperem vero, qui nisi vnum offerre non præualet: quia licet à proximi læsione manus cõtineat, diuersis tñ perturbationibus & seipsum lædit, & aliorũ læsione affectat. Vbi & illud satis aperte declaratur, q̃ supra dictum est, duos agnos illos non eiusdẽ ordinis esse vel meriti. Ad primũ siquidẽ nec paupertas insufficiens est: ad scdm vero nisi diues sufficiens non est. Vnde & diues scdm in holocaustum obtulit: pauper aũt quem holocaustum faceret, non inuenit. Iste itaq; quia mente adhuc delinq̃t, pro delicto suo saltem vnum offert agnum vt roget pro eo Sacerdos. Nã si nec vnũ habeat, vt s. nec actu nec affectu innocentiã custodiat, H quis orabit pro eo? Quomodo propitiari poterit illi Deus? *Est peccatum ad mortem,* ait Ioannes Apostolus, *pro eo non dico vt roget quis.* (1. Ioan. 5. Ieze. 18.) Hoc autem quale sit, Iezechiel Propheta nos instruat, dicens: *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Si enim iniquitas à qua per pœnitentiam conuertimur, non est in ruinam, nec ad mortem est. Vnde constat illam solam ad mortem esse, quæ pœnitentiæ satisfactione non tergitur. Hoc est ergo peccatum, pro quo orare minime permittitur. Quisquis igitur veniam impetrare, quisquis orationem Sacerdotis sibi prodesse desiderat, conuertatur ab iniquitate sua: & quiescens agere peruerse, innocentiam manuum suarum quasi primum agnum offerat: vt si in secundo adhuc inualidus est, & contrariis affectionibus inquietatur, prima tamen oblatione quod in secunda peccat, faciat veniale. Inuenies tamen superius in purificatione parientis, & in hostiis pro peccatis, nonnullos adeo pauperes, vt nec primum agnum manus eorum inueniat, sola auium oblatione saluatos. Sed alia est extremæ horæ necessitas, alia

vitæ

A vitæ adhuc prolixioris libertas. Cui enim vocat vitam corrigere, quandiu incorrectus permanserit, diuinam propitiationem non poterit obtinere. Dicat ergo: *Quod si pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, sumet agnum pro delicto ad oblationem, vt roget pro eo Sacerdos.* Deinde sequitur:

Decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium.

De olei sextario idem pauperi quod & diuiti, iubetur: quia vtrisque misericordiæ fructus pro facultatum suarum mensura, necessarius esse cognoscitur. Sed quid est quod diuiti tres decimæ similę, pauperi vero vna tantum decima in oblationem deputatur? Videtur ergo lex minus capaciũ infirmitati cõdescendere. Sunt enim quam plurimi in populo Dei, qui trinitatis mysterium, quomodo pater & filius & spiritus sanctus, tres sint in personarum proprietate vnũ in communione substantiæ, capere nequeunt: qui tamen si decimam similæ oleo cõspersæ offerant, vt iuxta spiritus
B sancti dogmata vnum Deum confiteantur & credant: nec quia trinitatis vnitatem apprehendere non possunt, cõtradicere illi aut contraria pronunciare aliquatenus præsumant: hac sua oblatione sanctificantur, dum & in his quæ capacitatis suæ sunt, recte de deitatis vnitate sentiunt: & in his quæ intelligentiæ suæ modulum transcendunt, de vnitatis trinitate doctoribus non contradicunt. Sequitur:

Duosque turtures siue duos pullos columbæ, quorum sit vnus pro peccato, & alter in holocaustum: offeretque ea die octauo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino.

Quod oblatio duorum turturum, siue etiam pullorum columbæ pauperibus conueniat, quorum manus ad agnũ non sufficit, quia perfectæ innocentiæ culmen apprehendere non possunt: in purgatione parientis iam supra disseruimus, longe etiam superius in hostijs pro peccatis. Hæ quippe aues, quia gemitum pro cantu habent, vbi in oblatione geminantur: duplicem planctum designant. Plangere
C siquidem debet homo, vel quod de præteritis reus est, vel quod in acquisitione virtutum adhuc inualidus. His autem oblatis, de Sacerdote subiungitur:

Qui suscipiẽs agnum pro delicto & olei sextarium, libabit simul.

Nota, sicut iam supra ostendimus, agnum pro delicto cum olei sextario vbique coniungi, videlicet pro oblationis vtriusque virtute consimili.

Immolatoque agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus eius ac pedis dextri. Olei vero partem mittet in manũ suam sinistram in quo tingens digitum dextræ manus, asperget septies contra Dominum: tangetq; extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur & pollices manus ac pedis dextri in loco sanguinis qui effusus est pro delicto. Reliquã autem partem olei quæ est in sinistra manu mittet super caput purificati, vt placet pro eo Dominum.

Hęc omnia cum in oblatione diuitis iam explanata sint, non sunt hic iterum repetenda. Quomodo tamen lex ibidem super sanguinem & hostiæ oleum fundi præcepisset, hic declarat dicens: *Tanget extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri in loco sanguinis qui ef-*
D *fusus est pro delicto.* Sequitur.

Et turturem siue pullum columbæ offeret, vnum pro delicto, & alterum in holocaustum, cum libamentis suis.

De turturibus siue pullis columbæ, vnus pro delicto, alter in holocaustum offertur: cum mens reatus sui conscientia stimulata, sacrificio spiritus contribulati, Deum sibi ꝓpitium facere nititur: & quod à perfectione longe adhuc absit, non sine mœrore perpendens, desiderio illius tota succenditur. Neque enim meritorum fastigium mox vt desi-
Rom. 7. deramus, adipisci valemus. *Velle* (ait Apostolus) *adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Inscrutabilia quippe super nos
Iob 28. sunt Dei iudicia, de quo scriptum est: *Qui facit ventis pondus,*
Ephes. 4. *& aquas appendit mensura.* Itaq; Apostolus: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Felix ergo cui ab Ægypto vitiorum liberato, & in solitudinum mansionibus (id est, in profectuum gradibus) constituto, ad perfectionis patriã non dico peruenisse, hoc .n. in hac vita rarissimũ est, sed saltẽ aspirasse concessum est. Omnibus vero oblatis, cõplens legislator quæ de paupere isto ꝓposuerat:

Hoc est, inquit, *sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.* E

Sequitur lepra domus, quæ sola superius in generibus lepræ tractanda superfuit.

De lepra domus.

CAP. III.

Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus, nuncians sacerdoti & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.

Notissima est historia, Terram Chanaan filijs Israel datam in possessionem. Eiecit quippe Dominus à facie illo- Psalm. 7.
rum gentes illas, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Nec tamen in eis tũc temporis impletum est, F
quod Abrahæ promissum fuerat: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Neque enim benedici gentes illæ à semine Abrahæ, sed exterminari meruerunt. *Semen* autem *Abrahæ Christus est*, cui per Psalmistam à patre dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem terminos terræ.* Iste itaque discipulos suos in terram Chanaan, id est, in nationes gentium introduxit, & eliminata gentilium sacrorum spurcitia, Christianæ religionis sanctitatem quaqua versum diffudit. Vnde & ipsi Apostoli in psalmo gloriantur, dicentes: *Dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram, subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* Christus igitur *dominans à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum*: gratiæ gentibus attulit benedictionem, qui prius Iudęis dederat legis austeritatem. Et nũc *benedicuntur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificant eum.* In hac ergo terra Chanaan, id est, in ecclesia quæ per omnes nationes diffusa est, in ædibus etiam suis filij Israel lepram obseruare iubentur. Porro lepra ædium, vt in præcedenti libro iam prælibatum est, corruptio fidei intelligitur: non in vna qualibet singulari persona, sed in populi multitudine & hominum aliqua congregatione. Dicit itaque: *Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est domus, nuncians Sacerdoti & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.* In domo sanctæ ecclesiæ nonnulli quasi in propria, multi vero quasi in aliena versantur. Quidam namq; filij, quidam serui inter habitatores illius deputãtur. Et scriptũ est: *Seruus non manet in domo in æternum.* Quicũq; igitur in illa parietes* faciunt, nec tamen quod ad eam pertineant, moribus ostendunt: multa ibidem corrigenda vident, & corrigere negligunt. Isti dicere non possunt, quod in psalmo filius viuens loquitur patri: *Zelus domus tuæ comedit me.* Si igitur in domo ecclesię, in his scilicet qui nomine censentur Christiano, & fidelium turbis annumerantur, lepra apparuerit, & aliquis fidei contrarius error emerserit: ibit cuius est domus, quem scilicet cura mordet huiusmodi, qui pro statu matris ecclesiæ solicitus, quicquid in ea corrumpi deprehendit, quasi proprium plangit: ibit ergo cuius est domus & nunciabit Sacerdoti. Meminisse nanq; debemus, lepræ examen (sicut iam supra tractatum est) sacerdotali iudicio reseruandum. Ibit ergo cuius est domus, nuncians Sacerdoti, & dicet: *Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.*

Psalm. 7.
Genes. 22.
Gal. 4.
Psal. 2.
Psal. 46.
Psal. 71.
Ibidem.
Ædium lepræ.
G
Ioan. 8.
*faciunt.
Psal. 68.
H

At ille præcipiet vt efferant vniuersa de domo, priusquã ingrediatur eam & videat vtrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt.

Mirum videtur, cur antequam domus lepra ad liquidũ deprehensa sit, ea quæ in domo sunt, præcipiantur efferri. Nam si ingrediente Sacerdote domus ipsa leprosa non apparuerit, vasa illius contaminare non poterunt: si vero de lepra eius constiterit, quid prodest quod ante Sacerdotis ingressum vasa eadem efferuntur. Neq; enim Sacerdos ingrediens lepram intulit: sed quam reperit, suo testimonio declarauit. Quid igitur causæ est, vt vasa quæ in domo leprosa fuerant, ante Sacerdotis introitum non contaminentur: quæ autẽ illo intrante reperta fuerint, contaminari dicuntur? Differemus ista prout Domino donante poterimus. Vasa namque homines intelligẽdos, docet nos Apostolus, dum quosdam *vasa iræ*, alios vero nominat *vasa*

A *Rom. 9. Actu 9.* *misericordiæ.* Vnde & ipse *vas electionis* diuino dictus est testimonio. Sciendum quoque, omnes qui in iudicio discutiuntur, vt manifestius eorum seu culpa, seu innocentia clarescat, omni denudandos esse patrocinio. Neque enim in ecclesiastico iudicio hoc agitur, vt homo lędatur: sed aut eius absolutio quæritur, si dignus est: aut correctio, si reus. Nemo igitur quemlibet amicum, nec ipse homo seipsum contra salubris disciplinæ remedium tueri debet: sed sit aut spontanea peccati confessio, aut innocentiæ simplex ostensio. Sæpe nanque contigit, vt reorum culpæ aliorum defensionibus absconderentur, ita vt nec argui nec corrigi potuissent, sicut de diabolo scriptum est: *Iob 14.* *Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* In corpore quippe Diaboli, peccatores quique quasi squamæ sunt, & obduratæ, & coniunctæ. Quos enim similis reatus sociat, concordi pertinacia etiam defensio peruersa constipat, vt de facinoribus suis alterna se inuicem defensione tueantur. Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius subdidit dicens: B *Ibidem.* Vna alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur. Qui enim diuisi corrigi poterant, iniquitatum suarum pertinacia vniti perdurant. Nam sicut esse noxium solet, si vnitas desit bonis: ita perniciosum est, si non desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. Sacerdos itaq; domum intraturus, & de illa examen habiturus, antequam introeat, vasa iubet efferri: ne post ingressum suum si domus leprosa apparuerit, eadẽ necesse sit vasa cõtaminari. Domus autem, vt supra iam diximus, fideliũ congregatio est. In hac quasi lepra videtur cũ pars aliqua populi circa fidem errare deprehenditur. Ad quos cum Sacerdos errorem illorum examinaturus accedit, vasa de domo eijcit: quia quoscunque põt, ab eorum societate disiungit. Bonũ est .n. vt domus nuda remaneat: vt .s. homines qui impietatis suæ suspicionem fecerũt, nullis patrocinijs fulti, aut rei, aut innoxij certa discussione clarescant. Efferuntur autem vasa ne immunda fiant: quia quicunq; prauitatis alienę patronus extiterit, eiusdem particeps effectus, a* contaminatione liber non erit. **contagione* C Septuaginta longe aliter capitulum hoc transtulerunt: quod tamen qualiter ad eundem sensũ redeat, delectat attendere. Sic igitur se habet eorum editio: Præcipiet Sacerdos detegere domũ, & non florebit in omnem domum. Tunc autem iubet domum detegi, cũ ab his qui cognouerunt, quantum malum in hominibus deprehensum sit, facit omnibus innotesci. Sic quippe fit, vt cæteris blasphemiam exhorrentibus, & ab eorum communione resilientibus, in omnem domum non effloreat, videlicet omnem multitudinem morbi eiusdem suspicio non efficiat. Quod nihil est aliud, nisi quod nostra habet translatio. Dum enim domus detegitur, vasa de illa efferuntur: quia dum impietas hominum a fide aberrantium aperitur, pietas fidelium ab eorum fauore & conniuentia separatur. Sequitur:

Intrabitq; postea, vt consideret domus lepram. Et cum viderit in parietibus illius pallorem quasi valliculis siue ruborem deformem, & humiliorem superficie reliqua: egredietur ostium domus, & statim claudet eam septem diebus. reuersusque die septima, considerabit eam.

D Eadem in examinatione leprosæ domus quę superius in hominum lepra repetita sunt. Nam & humana lepra eisdẽ signis demonstrata est, albore scilicet, pro quo hic pallor positus est, & rubore & specie lepræ ipsius superficie reliqua humiliore. Notandum vero quod in hominibus vbi signa ista deprehensa fuissent, de veritate lepræ omni dubitatione postposita, homo huiusmodi ad Sacerdotis separabatur arbitrium. Vbi vero in pilis pristinus apparebat color, & plaga ipsa non videbatur reliqua carne* inferior, tũc homo recludebatur septem diebus, septimo videlicet aut morbi sui, aut sanitatis certitudinem præbiturus, secũdum quod lepra vel creuisse visa fuisset, aut in loco suo stetisse. **humilior* Nunc autem postquam ad domorum lepram ventum est, aliter se habet examinatio. Præcipitur enim vt si in parietibus diuersus color apparuerit palloris aut ruboris, & locus lepræ humilior superficie reliqua, quasi adhuc de corruptione ipsius dubitari possit: tunc domus claudatur, & illa septenaria expectatione discutiatur. E Videtur itaque ista domus reclusio non hoc intendere, vt morbi ipsius veritas elucescat, quippe quę iam præcedentibus signis euidenter apparuit: sed vtrum etiam ipsa quæ iam vera innotuit lepra, curari possit, probatum ire. In parietibus etenim domus pallor videtur, cum aliqui deprehendũtur in populo, spiritus sancti calorem & dilectionis fraternæ vitalem perdidisse colorem. De quibus Iudas Apostolus in epistola sua loquitur, dicens: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* *Iudæ 1.* Ioannes quoque: *Rogo,* inquit, *te domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio vt diligamus inuicem. Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* *2. Ioan. 1. Ibidem.* Manifestum est ergo, qui ab ecclesiæ vnitate recedunt, qui fraternam concordiam deserunt, quasi pallorem incurrere, dum vitam quæ Deus est, amittunt, & spiritum sanctum a mentibus suis excludunt. Vnde & in Apocalypsi post equum albũ, in quo corpus dominicũ seu vniuersalis ecclesia figurata est: *Apo. 6.* post rufum, in quo gentilis furor, qui in fidelium neces exarsit, expressus est: F postquam etiã niger prodijt, cuius sessor in manu stateram acceperat, per quem intelligitur eadem gentilitas, adhuc quidem ignorantiæ suæ tenebris, & idololatrię spurcitijs denigrata: sed ne in mortibus piorum solita debaccaretur licentia, freno diuinæ moderationis repressa: ipsis videlicet principibus iam fidei iugo suppositis: pallidus demum hæreticorum forma, qui tunc temporis emerserunt, processit. In quo vt etiam ruborem agnosceremus, quem lex in parietibus pallori coniunxit, mox ibidem subditur: *quia qui sedebat super eũ, nomen illi mors. & infernus sequebatur eum, & data est ei potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.* *Ibidem.* Diabolus nanque mortis nomine dignus, qui Hæresiarchis, pallido scilicet equo suo, præsedit, qui q; innumeros populos infero destinatos, per eorũ peruersa dogmata post se traxit, sæuiendi in Christi ecclesiam per quatuor mũdi partes potestatem accepit. Norunt qui historias legerunt, quãta sub imperatore Constantio, sub Valente, in Aphrica quoque sub Vandalica persecutione, catholica pietas ab Arrianis perpessa legatur: adeo vt prima gentiliũ crudelitas, mitis quodam modo atq; humana, in illius comparatione credatur. G Per pallorem itaq; qui in parietibus notatur, in cordib. hæreticorũ charitas extincta: per ruborem vero, quem deformem lex nominat, malitia accensa signatur. Locus autem lepræ reliqua superficie humilior, erroris illorum impietatem insinuat: quæ scilicet ad fidei non occurrit integritatem, sed infra vniuersalem se deprimens professionem, communẽ superficiẽ nõ adæquat. His igitur compertis, Sacerdos domum egreditur, cum ab illa peruersitate se dissentire testatur. Hanc etiam claudit, cum omnibus obtemperantib. sibi, ne hominibus illis cõmunicent, interdicit. Domus nanq; quę clauditur nec ingrediendi exclusis, nec egrediẽdi inclusis tribuit facultatem. Sacerdos itaq; domus istius tanq̃ aditũ obseruat, dũ & his qui ab impiorum societate alieni adhuc sunt, ne illuc accedant, & his qui intra illam iam continentur, ne progrediantur vlterius, aut in suo errore amplius perseuerent, diuina auctoritate denunciat. H Clauditur aũt domus septem diebus, quia dato pœnitentiæ spatio hoc, sacerdos expectat, si forte cognito reatu suo, hominũ illa multitudo ab impietatis suæ præsumptione quiescat. Cum vero post indultum temporis spatium, si quid forte circa illos profecerit inquirit; quasi die septima lepram eius dijudicaturus, ad domum accedit. Quid igitur?

Si inuenerit creuisse lepram, iubebit eruí lapides in quibus lepra est, & proijci eos extra ciuitatem in loco immundo.

Crescit lepra, & reatus erroris augetur, cum etiam post admonitionẽ sacerdotalem in eodẽ perseueratur. Sacerdos tñ nondũ debet quiescere, sed omnia tentare remedia si forte quolibet modo pereuntib. possit subuenire. Iubet ergo erui lapides in quibus lepra apparuit, vt erroris doctores per quos plebs illa deprauata est, & a quibus impium dogma processit: ab eorum quos deceperunt, societate faciat separari. Sicut .n. sunt lapides electi, qui in cælesti ædificio collocantur, quos etiam in epistola sua Petrus Apost. alloquitur dicens: *Et vosipsi tanquam lapides viui superædificamini:* *1. Petr. 2.* sic sunt & lapides caliginis, ex quib. & per quos domus hæc

ruino

A ruinosa cōstruitur. Qui etiam lapides extra ciuitatem proijciuntur in loco immundo, cum ecclesiæ communione priuati, abiecti & immundi omnibus habentur. *Iubebit ergo erui lapides in quibus lepra est, & proijci extra ciuitatem:*

Domum autem radi intrinsecus per circuitum, & aspergi puluerem rasuræ extra vrbem in loco immundo, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.

Linita domus, per quam parietis ipsius superficies vniformis efficitur, doctrinæ typus est, per quam corda multorum sub vnius fidei aut erroris facie rediguntur. Vnde in Amos. 7. Amos scriptum est: *Ecce*, inquit, *Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementarij. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cementarij. Et dixit Dominus: Ecce ego pono trullam in medio populi mei Israel; non adijciam vltra superinducere eum.* Iste quippe murus quis sit, docet nos Cant. 8. in Canticis Christi sponsa, dicens: *Ego murus, & vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Sancta namque Ecclesia quandiu idola pro Deo coluit, pacem B cum Deo veram habere non potuit. Postquam vero ad eius Ephe. 2. cultum conuersa est, reperit pacem cum eo, per eum *qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ergo iam cum creatore suo in pacem rediens, quæ prius inimicis suis exposita fuerat, murus effecta est: quia quoscunque ad se congregare potuit, forti munitione vallauit. Hic autem murus litus aspicitur, quia sancta Ecclesia doctrinæ apostolicæ vniformitate vestitur. Super quem etiam Dominus stare perhibetur, vt fidelium suorum æternus habitator, & in labore præsenti benignus cooperator esse credatur. Inde est quod etiam trulla cementarij in manu illius apparet, vt gentium 1. Cor. 3. fides non homini exterius loquenti, sed Deo ascribatur inuisibiliter operanti. Vnde Apostolus: *Dei*, inquit, *agricultura, Dei ædificatio estis.* Porro hanc trullam in medio populi sui Dominus se positurum, id est, depositurum minatur: vt more fatigati cementarij, ab eius iam ædificatione desistat: quia doctrinæ suæ gratiam cum gentibus contulit, Iudæis subtraxit. Hæc ideo dicta sunt, vt in litura leprosæ domus, C non nisi praui dogmatis superinductionem intelligamus. Sacerdos itaque euulsis lapidibus in quibus lepra est, eis scilicet qui impietatis autores se præbuerunt, à populo Dei separatis, ipsam domum radi intrinsecus per circuitū præcipit: cum quicquid falsitatis seductorum cordibus adhæserat, in singulorum conscientijs delendum insinuat. Sed & puluerem rasuræ extra vrbem in loco immundo iubet aspergi, cum terrenum illum sensum pro immūdo habendum, & ab ecclesiastica pietate decernit extraneum. Lapides vero alij pro his qui ablati sunt, reponuntur: cum doctores veritatis qui hæresiarchis succedant, ad plebis correctionem fidelium solicitudine procurantur. Sed & domus ipsa alio linitur luto, cum detersa falsitate, populus ille doctrina veritatis imbuitur. Sequitur.

Sin autem postquam eruti sunt lapides & puluis elatus, & alia terra lita, ingressus Sacerdos, viderit reuersam lepram, & parietes aspersos maculis: lepra est perseuerans, & immunda domus: quam statim destruent, & lapides eius ac ligna atque vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in loco immundo.

D Vtiliter deprauatæ plebi consulitur, si ipsam medicinam velit recipere, cum prauitatis subtrahuntur autores: cum quæ sit in dogmatibus eorum impietas, & quæ sit catholicæ fidei pietas insinuatur. Si tamen veneni illius corruptione semel infecta, in infidelitate sua pmanere decreuerit, & post admonitionem sacerdotalem, post omnem curam sibi adhibitam, ad id quod prius fuerat, reditum fecerit, lepra ista perseuerans est, & immunda domus. Destruent ergo eam pietatis cultores, cum destruendam illam & diuino iudicio subuertendam absque dubitatione credentes, hoc etiam suo testimonio confirmabunt. Tale est illud, Luc. 15. quod de vitulo saginato pater ille familias seruis suis præcepit *Adducite vitulum saginatum, & occidite.* Occidite, ait beatus Augustinus, id est, occisum prædicate. Et Iob: *Si lotus* Iob. 9. *fuero aquis niuis, tamen sordibus intinges me*, id est, intinctum ostendes. Destruent igitur domum illam, & lapides ac ligna atque vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in loco immundo. Lapides ac ligna, sicut iam superius tractatum est, homines sunt fragiles, siue fortes, ex quibus cōgregatio illa constat. Hi itaq; si sanæ doctrinæ non acquieuerint, cum puluere vniuerso, cum terrena videlicet & E stulta opinione sua, extra oppidum proijciuntur in loco immundo, cum Ecclesiæ communione priuati, abiecti & immundi ab omnibus iudicantur. Quia vero non illi soli rei sunt, sed & omnes qui eisdem se coniunxerint, recte subiungitur:

Qui intrauerit domum quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperam. Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit vestimenta sua.

Intrat domum leprosam tempore quo clausa est, qui hominibus mente corruptis vel ad horam consentit, quamdiu accessum huiusmodi sacerdotalis autoritas interdicit. Dormit vero in ea & comedit, quasi de eorum pietate securus, doctrinis etiam illorum imbuendum se tradit. Intrans ergo, lege qua in libro octauo de immundis tractatum est, immundus erit vsque ad vesperam, donec scilicet voluntas peruersa in eo occubuerit: dormienti vero ibidem & comedenti, etiam lauacrum necessarium est, quia F pœnitentiæ remedio sanctificandus est.

Quod si introiens sacerdos, viderit lepram non creuisse in domo postquam denuo lita est, purificabit eam reddita sanitate.

Mirum si de domo tantum materiali loqui legislator intendit, quod huiusmodi parietibus sanitatem reddendam astruit. Cum igitur sanitatem aut morbum nominat, quod non de lapidibus, sed de hominibus loquatur, ostendit. Domus enim ad quam post nouam lituram lepra reuersa non fuerit, reddita sanitate, purificatur: quia homines qui morbo infidelitatis prius ægrotabant, si salubrem admonitionem receperint, & veræ fidei integritate percepta, in illa permanserint, ab errore suo sanctificantur. Quid tamen pro emundatione sua offerre debeant, adhuc sub domus istius imagine subinfertur:

Et in purificatione, inquit, *eius sumat duos passeres, lignumque cedrinum & vermiculum atque hysopum: & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, tollet lignum cedrinum, & hysopum, & coccum, & passerem viuum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus, & asperget domum septies, purificabitque eam tam in sanguine passeris in aquis viuentibus, & in* G *passere viuo, lignoque cedrino, & hysopo atque vermiculo. Cumque dimiserit passerem auolare in agrum libere, orabit pro domo, & iure mundabitur.*

Cum eadem in purificatione domus offerri præcipiuntur, quæ pro purificandis hominibus superius oblata legūtur: satis apparet, domum in hoc loco hominum formam tenere: & quicquid super illa dicitur, ad homines referendum. Est tamē quod hic quasi diuersum appareat, vbi passer viuus cum his quæ pariter in sanguine tinguntur immolati, etiam in aquis viuentibus tingi præcipitur: quod superius non inuenitur. Sed si ad memoriam redeat, per aquas viuentes sacram scripturam, per passerem immolatum, Christi passionem intelligendam: quisquis in sanguine passeris huius tingitur, aquis etiam viuentibus insertur: quia fidei nostræ crucifixum Christum sanctarū tradit autoritas scripturarum. Vtraque ergo tinctio ab inuicem diuisa non est: quia dum istis mens eruditur, ad illam credēdam fides imbuitur. Reliqua, quæ paulo ante exposita sunt, iteratam expositionem non exigunt. Ad omnium vero clausulam quę de lepra per legislatorem dicta sunt, & à nobis duobus voluminibus tractata. H

Ista est, inquit, *lex omnis lepræ & percussuræ, lepræ vestium & domorum, cicatricis & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species coloribus immutatis, vt possit sciri quid mundum vel immundum.*

Quod dictum est, omnis lepræ & percussuræ, non sic accipiendum est, tāquam aliud sit lepra, aliud percussura. Et, quippe copulatiua particula, in hoc loco potestatem suam amittit. Neque enim post lepram aliud adiungit, sed lepræ potius species exponit. Notat hanc locutionem B. Augustinus in Exodo, vbi legimus, & compositiones & oleum vnctionis, & compositionem incensi. Non, inquit, compositiones aliquas extra debemus accipere, sed cum dictum esset, & compositiones, per coniunctionem copulatiuam non aliud adiunxit, sed quod dixerat, exposuit, vt sciremus quas compositiones: *& oleum*, inquit, *vnctionis, & compositionem incensi.* Simili modo & de lepra complens legislator:

A Ista est, inquit, lex omnis lepræ, cuius etiam genera distinguēs, subdidit: Et percussuræ, lepræ vestiū & domorum, &c. Percussuram vero illā intelligimus, quā superius combustionem nominauit. Percussura est .n. quælibet læsio ab exterioribus illata. Vnde scriptū est: *Egressus Sathan, percussit Iob* (Iob. 1.) *hulcere pessimo.* Sed & primogenita Ægypti à Dño percussa (Exod. 12.) leguntur. Quæ vtraq; percossio non baculo, non gladio facta est: sed morbi molestia, siue mortis sententia, Diabolo tentante, Dominoq; iudicante immissa, vtiq; pcussura nominata est. Iure igitur & ista percussura dicitur, cū igne admoto corpus hominis læditur. Erūpentes aūt papulæ, ipsa hulceris lepra est. Cętera, sicut supra posita, eisdē nominibus sunt repetita. His igitur super lepra tractatis, & ante litus vlnimum iam littore apprehenso, dicimam hic ponimus metam: gratias illi referentes, qui dedit in mari viam, (Iob. 28.) & abscondita produxit in lucem.

B

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI, LIBER VNDECIMVS.

De viro qui patitur fluxum seminis.

Cap. I.

Minus eruditis & negligentius intuentibus, dum superficie scripturæ huius cōtenti sunt, & obtusa acie mysteria eius inuestigare nō possunt, videtur scriptura eadē quasi quandam palearum superfluitatem, plumarumve leuitatem legentium studijs ministrare, dum multa aut inutiliter scribuntur, aut superfluo repetuntur. Idcirco arbitremur hoc conducibile legentibus fore, si dum sequentia tractanda aggredimur, tractata iam superius ad memoriā breuiter reuocemus: vt totius operis huius serie tanquā in corporis vnius cōpagem redacta, dū partiū singularum ratio atq; vtilitas, quasi membrorū diuersorum efficacia demonstratur, nihil ibi superuacaneū, nil superabondans intelligitur. (C) Stultū est enim, vt stylus Spiritus S. qui vbiq; etiā necessaria tanta breuitate pstringit, in aliquibus partib. suis effluere, & quasi ocenias quaidā texere æstimetur. Hactenus itaq; legislator sic operis sui varietatē disposuit, vt nunc Sacerdotes, nunc populum, quæ singulos obseruatio maneat, edoceret. In Sacerdotū nanq; consecratione, vestibus, vnctione, specialis eorū sanctitas adumbratur: in reliquis vero hostijs, ciborum differentijs, lepræ quoq; legibus, instruimur quibus obsequijs fideles Deo placere valeant: quos imitari, quos fugere debeant: rei quoque, qua satisfactione recōcilientur: vel si in malis suis perseuerauerint, vt à fideliū consortio sequestrentur. Nunc vero ad eū qui fluxū seminis patitur, transeundum est: in quo primū iuxta literā de corporali immunditia, quam execrabilis apud Deū sit, vniuersi pariter admonemur. Legimus enim, dicente Apostolo: *quia neq; adulteri, neq; fornicatores, neq; im-* (1.Cor. 6. Ephes. 5.) *mundi, regnum Dei possidebunt.* Ex quibus cū adulterium legitimi thori violationem, fornicationem vero, cuiuscunque personæ illicitam cōmixtionem intelligamus: in fluxu se-(D) minis, immunditiā accipimus, cum aliquis sciens & volens, suæ carnis libidine sine tactu alterius inquinatur. Ista est q̄ Apostolus damnabilem perhibet: ab hac quicunq; se alienum non fecerit, ipse se à Dei regno in perpetuū alienabit. Hæc igitur quam detestabilis sit, lex quoq; non tacuit: sed quicunq; huiusmodi fuerit, tā lectum eius quā sedile, quælibet etiam propius admota, solo tactu illius contaminari cernit. Sed quoniam hæc in prima scripturæ ipsius facie cuilibet legenti occurrant, & laboriosa expositione nō indigent, ad indagandum mysteriū nos potius conferre debemus. Videtur enim pp doctores præsens legislatio introducta, qui verbi dispēsandi mysteriū susceperunt. His exequēdi officij magna cautela indicitur, dū fluxus seminis in-(Luc. 8.) hibetur. *Semen* quippe *est verbū Dei.* Quod cum syncere & ea qua dignū est diligentia auditorib. ministratur, sæpe de terra spirituali fructus cælestis colligitur. Considerandū nanque est, qñ vel quibus annūcietur. Quando, vt scil. verbi (Luc. 12.) dispensator, nun nisi opportuno tempore præbeat conseruis suis tritici mensuram. Quibus, videlicet ne diuina mysteria (E) contēptoribus referentur. Vnde & Dominus Apostolos instruēs: *Nolite*, inquit, *sanctū dare canibus, neque miseritis marga-* (Matth. 7.) *ritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis.* Hanc cautelā sibi imposuerat Psalmista, qui dicebat: *Obmutui &* (Psalm. 38.) *humiliatus sum, & silui à bonis.* Itemq;: *In corde meo abscondi elo-* (Psalm. 117.) *quia tua, vt non peccē tibi.* Peccant .n. qui in tēpore diuina oracula non abscondunt: q non pro captu suo, quid vel quib. loquātur, discernunt. Sunt quippe nonnulli, qui in doctrina sua non spiritualis prolis fœcunditatē, sed laudis ppriæ quærunt voluptatē. Hi igitur non personas, non tempora quibus loquantur, distinguunt: sed passim omnibus, mox vt ostentandæ sciētiæ locum inuenerint, mysticos scripturarum sensus effundunt. De quibus per quendā sapientem dicitur: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerant.* Dif-(Eccl. 26.) ficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labij. In negociatorib. quippe intelliguntur illi, qui doctorum verbis illuminati, terrenorum contēptu mercantur cælestiam quibus vix aliquis strenuus in-(F) uenitur. De cauponibus vero omnib. notum est, quis postquā ementibus prōptuaria aperuerint, non meretrix, non latro excluditur: sed omnis qui defert nummum, refert vinū. Caupo itaq; non incōgrue doctor intelligitur, qui doctrinā suam venalem pponit: qui omnib. à quibus fauoris nūmum accipit, Spiritus S. prōptuaria indifferenter exponit. Iste vero à peccatis labij iustificari nō potest: quia dum auditorum non vtilitatem, sed gratiam quærit, laudatorum suorum etiam vitia fauoribus extollit: redarguentium autem nec virtutibus parcit, dicente Propheta: *Mortificabant* (Ieze. 13.) *animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Talium ergo doctorum impuritatem lex sub imagine corporalis immunditiæ nobis insinuans, ita subiungit:

Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Loquimini (Leuitici cap. XV.) *filijs Israel, & dicite eis: Vir qui patitur fluxū seminis, immūdus erit.*

Prouidendum est (ait papa Gregorius) solicita intentio-(Gregor.) ne rectoribus, vt ab eis non solum praua nullo modo, sed ne recta quidem nimie & inordinate proferantur: quia sæ-(G Nota) pe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur, & autorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat. Vnde bene per Moysen dicitur: *Vir qui fluxum seminis patitur, immundus erit.* In mente quippe audientium semē secuturæ cogitationis, est auditæ qualitas locutionis: quia dum per aurē sermo cōcipitur, cogitatio in corde generatur. Qui ergo fluxū seminis sustinet, immūdus asseritur: quia multiloquio subdit᷑, ex eo se inquinat, quod si ordinate premeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientiū corde potuisset. Sequitur:

Et tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cum per momenta singula adhæserit carni illius atque concreuerit fœdus humor.

Testatur Apostulus *omnia esse mundis munda: immundis* (Tit. 1.) *autem,* inquit, *& coinquinatis nihil est mundum.* Vertuntur enim res in contrarium, pro qualitate vtentium. Vnde & apud Iob sacra eloquia, cum à quolibet hypocrita nō recta intentione, nec ea qua decet sanctitate tractantur, terra lutumq; nominantur. *Comportat*, inquit, *quasi terrā argentum,* (Iob 27.) *& quasi lutum præparat vestimentum.* Hæreticorū quippe (vt (H Hæreticorum depictio.) ait B. Gregor.) argentum, i. eloquium, terræ est cōparatum: quia de scriptura sacra vt aliquid sciāt, ex appetitu terrenæ laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum pparant vestimentum quia fluxe & inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia. Concinit etiā his legislator, qui loquacitatis (licet in scripturarū tractatu) immunditatē, fœdum humorē appellat, dum homo impudēter suā scientiā iactat, dum importunitate sua aures audientiū lassat. *Si*, inquit, *per momenta singula adhæserit carni illius atque concreuerit fœdus humor.* Non spiritui, sed carni hominis humor iste per momenta singula adhæret atq; cōcrescit: quia non spiritus impetū, sed carnalem hominis affectionem, dum aut lucris inhiat, aut audientium laudes captat, redūdans ille ac superabundans sermo assidue comitatur. Sed iam de immunditia hominis huius lex latius tractans:

Omne stratum, inquit, *in quo dormierit, immundum erit, & vbicunque sederit.*

In sede, fessi requiescimus: in lecto vero, sopori mēbra dare consueuimus. Sedes sæpe, lectum aūt nō nisi raro mo-

tamus,

A

amus. Habet ergo stultus ille sedes multas, habet & lectũ, quæ tñ omnia sua contagione cõmaculat. Fauoribus.n. pascitur: & quoties illos adeptus fuerit, quasi post laborẽ inuenta requie delectatur. Sed fauẽt illi extranei, multo magis vero ipse sibi. Lectus igitur ei est fauor proprius, in quo domesticã semperq; paratã, interioris conscientiæ sibi strauit pausationẽ. Porro sedes diuersas exteri⁹ inuenit, quoties ad capiendã ex aliorũ laudibus voluptatẽ, seipsum depo nit. Lectus itaq; & sedilia eius accessu polluuntur: q a dum vel suo vel alieno fauore sup bus efficitur, vbiq; inuenit vnde inquinetur. Quia vero homo hmôi non sibi soli nocet, sed prauitatis suæ exẽplo etiã alios corrũpit, recte subiũgit:

Lectus. Sedes.

Et si quis hominum tetigerit lectulũ eius, lauabit vestimenta sua. & ipse lotus aqua, immundus erit vsq; ad vesperum. Si sederit vbi ille sederat, & ipse lauabit vestimenta sua. & lotus aqua, immundus erit vsq; ad vesperum. Et qui tetigerit carnem eius, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum.

Tangere lectum. B Sedere vbi ilius sederit. Tangere carnem. Vestimẽta.

Tangit lectum huius peruersi doctoris, quisquis exẽplo illius prouocatus, dum eandẽ superbiendi occasionẽ quærit, eruditioni operã impẽdit. Sedet vbi ille sederat, q gloriã illius æmulatus, ad appetitũ laudis alienæ, cordis ceruicẽ incuruat. Sed & carnẽ eius tangere, est pro adeptione cõcupitæ laudis, vigilanti studio moribus se illius ac iactantiæ conformare. In vestimẽtis vero, sermonũ motuumq; visibiliũ facies exterior intelligitur. Abluuntur ergo vestimenta, cum studiũ ostentandæ scientiæ, quo se prius homo deformauerat, cõtentiose efferens sua, deprimens aliena, modestius agendo corrigitur. Sed & ipse lauatur aqua, cũ pristinis renuncians desideriis, à cõscientiæ corruptione mũdatur. Sed qm̃ laudis appetitus cui spõte succubuit, adhuc animũ licet renitentẽ, sua delectatione lacessit: non plena statim cõtingit mundatio, sed mens q̃ à prauo consensu iã lota est, vsque ad vesperum tamen immunda asseritur, donec scilicet delectationum æstus in illa sopiatur. Sequitur:

Si saliuam huiuscemodi homo iecerit super eum qui mundus est, lauabit vestem suam. & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum.

Saliua. C Iob. 7. Caput.

Per saliuam, cælestis sapientiæ aliquando sapor intelligitur. Vnde ad Dñm loquens Iob, ait: *Vsquequo nõ parcis mihi: nec dimittis me vt glutiam saliuam meã?* Saliua namq; in os ex capite labitur, ab ore vero ad ventrẽ ducitur cum glutitur. Caput autem nostrum diuinitas est, per q̃ existendi principiũ sumimus, vt creatura simus. Ex capite ergo saliua ad os quidẽ labitur: vt vero ad ventrem vsq; perueniat, non glutitur: quia diuinitatis contẽplatio sensum tangit, sed plene mentẽ non reficit: qm̃ perfecte animus conspicere non valet, q adhuc quia caligo corruptionis ĩpedit, raptim videt. Sed quia per huius saliuæ tactum, per diuinæ scil. sapientiæ participationem, nemo inquinatur: videtur hic per saliuã, carnis prudentia, quæ mors ab Apostolo nominatur, q̃ legi Dei non subijcitur, intelligenda. Vnde in Numeris cũ Maria ob fratris detractionem lepra perfunderetur, rogãte pro ea Moyse, respondit Dñs: *Nonne si pater eius spuisset in faciẽ illius, debuerat saltem septem dierũ rubore suffundi?* Separetur septem dieb. extra castra, & postea reuocabitur. Quid per Mariam sororem Moysi, nisi synagoga, eidem tã carnis q̃ spiritus affinitate cõiuncta, accipitur? Quis in Moyse, nisi Christus intelligitur? Hæc q a nota sunt, testimoniis non exigimus, ne in digressione morã faciamus. Maria itaq; contra Moysen murmurat p̃p vxorem Aethiopissam: quia synagoga aduersus Christũ indignatur, p̃p vxorem quam ex gentibus sibi assumpsit, ecclesiam. Dolet legales ceremonias Christo docente, antiquosq; ritus aboleri, videt q Christi opera, quæ per se tunc operatus est vel adhuc p̃ seruos suos operatur, verbis illius fidẽ faciunt: quasi non audet dicere, Moysi non est locutus Deus: sed, *Nunquid soli Moysi locutus est Deus?* Et volens se metiri autoritate maiorũ: *Nonne, ait, & nobis locutus est Deus?* Nos, inquiunt, *legẽ à Deo accepimus, cuius adhuc instituta seruamus: nobis prophetas, nobis credita sunt eloquia Dñi: nescientes quia si legi prophetisq; crederent, & Christũ vtiq; recepissent.* Per legem.n. & Prophetas, Christus annunciatur. Sed Maria lepra percutitur, quia synagoga infidelitatis suæ morbo contaminatur. Pro qua tñ Moyses rogat: q a patrũ meritis eiusdẽ plebis reliquię suscepta fide saluantur. Dicitũ à Dño: *Nonne si pater eius spuisset in faciẽ illius, debuerat saltẽ septẽ dierum rubore suffundi?* Primus parẽs omniũ, primus homo est. Hic sua industria diuinitatẽ se adepturũ sperauit: aurem serpenti accommodans: & contra vetitũ comedens, vt *esset sicut Deus sciens bonũ & malum.* Sed hæc eius prudentia ad insipientiã ei conuersa est, confusionemq; illi peperit repentinam, dum continuo morti addictus, & pelliceã suam iã indutus, vocẽ irridentis audiuit: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malũ.* Hic igitur in faciem nostram spuit: quia stultiæ huius p̃sumptionis suæ, qua contra Deũ se extulit, per quã spes inanes concepit, manifestũ in nos pudorem transfudit, dũ modo corporis nostri corruptione grauamur, dũ in mortem labimur, dũ in putredinem vermesq; resoluimur. Quicunq; tñ ad creatoris sui gratiã reducuntur, non nisi septẽ diebus hoc suffunduntur rubore: q a post vitã nostrã q̃ septem dieb. voluitur, Christi sanguis ornat genas nostras, & pudoris nostri rubor detergitur. Inde est q Maria septem dieb. separata à castris, postea reuocatur: quia oẽs qui ab infidelitatis lepra mũdati, & Christi gratiã adepti fuerint, post peregrinationis nostræ septenarium, in Angelorũ societatẽ recipiuntur. Ex his ergo colligimus, quõ saliua immundi doctoris sup eum q̃ui mundus est, iaciatur: quando scil aliquis simplex & iustus, callida illius psuasione seducitur: & sapiẽtiæ * carnalis allegationibus prouocatus, quasi quibusdam sputis illitus, ad eiusdẽ peruersitatis societatem pertrahitur. Si igitur mundari voluerit, qui hoc modo cõtaminatus est, lauabit vestẽ suam: & lotus aqua, imundus erit vsq; ad vesperũ. Hæc iã supra exposita sunt, nec ideo repetenda. Sequitur:

Num. 11. Maria. Moyses. D Aethiopissa. Num. 12. Ibidem. Rom. 3. Ioan. 5. Rom. 11. Num. 12. Rom. 8.

E Gen. 3. Ibidem. F * Secularis

Sagma super quod sederit, immundum erit: & quicquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit vsque ad vesperum.

Sagma.

Sagma dicunt fulcrum esse, vel aliquid simile, quod homini sternitur ad sedendum. Dixerat autem & superius: Vbicunque sederit, immundum erit. Sed ibi de laudibus, ad quarum voluptatem se homo deponit: hic vero de quibuslibet hominibus, qui per stultũ fauorem se illi substernunt, agere videtur. hoc enim & ipse legislator insinuauit, cũ protinus subselliorum immũditiam ad hoẽs transtulit, dicens:

Qui portauerit horum aliquid, lauabit vestem suam: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum.

Sagma portare. G

Sagma quippe, siue aliquid aliud in quo immundus sedeat, portare: est, fauores in quibus ille requiescat, sibi assumere: & cum stultitia illius redarguenda sit, talem se, in cuius conniuentia molliter sedeat, exhibere. Quod igitur superius omne in quo homo sederit, immundum asseritur, ad eum referendum est. Ipse.n. laudibus suis inquinatur. Nunc vero, quod sagmatum & quorumq; similium, quæ illi sedenti substrata fuerint, immunditia declaratur, propter eos vtiq; dicitur, qui laudibus eius se contaminãt: peccant enim, cum quod reprehendendum fuerat, laudant. Dicatur ergo: *Qui portauerit horum quippiam, lauabit vestem suam*: corrigens videlicet quod faciebat, & ab iniustis laudibus cessans: & ipse lotus aqua, postquam scil. reatum suum subsequente satisfactione diluere cœperit, *immũdus erit vsq; ad vesperum*, donec ei displiceat quod ante placebat: & qui prius quasi lucebat coram eo, iudicio illius tenebrosus appareat. Quia igitur alij sunt, qui se illi substernunt more sedilium, adulantes ei: alij tangunt illũ vel lectum eius, dum spõte sua prauitatẽ illi⁹ imitantur: alios ipse spõte sua commaculat, quos prudentiæ carnalis persuasione supplantat: restat vt & illorũ penam quos immundus tangit, immunditiam exprimat. Sequitur itaq;:

H

Omnis quem tetigerit qui talis est, nõ lotis ante manibus, lauabit vestimenta sua. & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum.

Quis est quem tangit iste doctor imundus, nisi quem præmiis corruptũ sibi coniungit? Quasi.n. alicui manum vt tãgat porrigit, cui fucatam humanitatem impendit. Solemus hoc dicere de prauis iudicibus, qui innocentium causas peruertunt: Tactus est. Præmiis quippe corruptus, à iustitia declinauit. Dicatur ergo: *Omnis quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus.* Datur homini pœnitentiæ locus, sicut & sequentia demonstrabunt. Potest.n. abluere manus, si voluerit, i. operũ suorum per pœnitentiã sordes deponere. Quod antequam faciat, quemcunq; tetigerit, tactu suo immundũ reddit. *Quẽ ergo tetigerit, lauabit vestimenta sua: & lotus aqua, immũdus erit vsq; ad vesperũ.* Hęc superius iã sæpe dicta sunt. Quia vero nonnunq̃ qui præmia sequuntur, contra suã conscientiã alienã iniquitatem sectantur; austeriori pœnitentia mundãdi, & acriori medicamento curandi sunt. Vnde sequitur:

A

Vas fictile quod tetigerit, confringetur. Vas autem ligneum, lauabitur aqua.

Vas fictile. Ligneum vas.

Vas fictile, corpus humanum: vas ligneum, animam intelligendam longe supra ostendimus. Et quidem per vas fictile, corpus humanum, quia ex terra est, congrue significatur. Anima vero nonnunquam per vas æreum, quia immortalis est: nonnunquam per vas ligneum propter mobilitatem, in hoc volumine designatur. Longe enim lignum à metallis vel lapidibus distat in pondere. Vas igitur fictile in reo confringitur, cum per pœnitentiam corpus atteritur. Vas autem ligneum abluitur aqua, cum absque sui detrimento, anima pœnitentiæ dolore purgatur. Sequitur:

Fictile vas confring. Vas ligneũ ablui aqua.

Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui: & lotis vestibus ac toto corpore in aqua viuentibus, erit mundus. Die autem octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ: & veniet in conspectu Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabitque eos sacerdoti. Qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu seminis sui.

B

Hæc omnia tam in emundatione lepræ, quam in aliis locis, plenius iam supra exposita sunt. Vt tamen breuiter repetantur, sanatur à morbo spirituali quicunque ille sit, qui pristinæ seruitutis iugum excutiens, consensum suum vitiis subtrahit. Sed quoniam etiam inuitus infestas patitur delectationes, quibus sponte sua prius succubuit: vsque ad diem septimam, donec scilicet tentationum feruor quiescat, plenam non consequitur mundationem. Tunc demum lotis vestibus ac toto corpore, sanctitatis videlicet operibus, ac purgata cõscientia, in aquis viuentibus, id est, in scripturarum fluentis, erit mundus. In scripturis quippe aquæ viuæ reperiuntur: ad quas quicunque accesserit, & præceptorum diuinorum rectitudini se conformauerit, tã corporis quam animæ purificationem assequi poterit. Die autem octauo, die vtique resurrectionis, iam scilicet in nouitate vitæ ambulans, sumet duos turtures aut duos pullos columbæ, vt duplicem gemitum habere sciat, siue pro malis quæ gessit, siue quia in bonis diu sterilis fuit: decet enim quamuis sanctius iam viuentem, priorum meminisse, & præteritas offensas deflere, iuxta illud sapientis: *De propitiato peccato noli esse securus.* Sumptis ergo duobus turturibus vel pullis columbinis, veniet in conspectu Domini, vt coram Deo gemat, ad impetrandam misericordiam ipsius: non coram hominibus, vt vanam sanctitatis laudem acquirat. Ad ostium tabernaculi testimonij, vt patriæ cælestis precetur ingressum: dabitque eos sacerdoti. Per Prælatos etenim nostros reconciliamur Deo, sicut Petro dictum est: *Quodcumque solueris super terram, solutum erit & in cælo*: siue per summum omnium Pontificem Christum, sicut idẽ Petrus testatur, dicens: *Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu seminis sui.* Cum nos deliquisse deflemus, pro peccato vnum turturem offerimus. Ex altero vero holocaustum facimus, cum pro pristina sterilitate gementes, correctionis vitæ desiderio nosmetipsos succendimus. Hucusque de homine qui fluxum seminis patitur, tractatum sit: iam sequentia videamus.

Sanati à morbo.

C

Eccli. 5.

Matth. 16.

1. Pet. 2.

D

De legitimo concubitu.

CAP. II.

V*Ir de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum, & immundus erit vsque ad vesperum. Vestem & pellem quam habuerit, lauabit aqua: & immunda erit vsque ad vesperum.*

Clamat Psalmista: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vnde intelligimus, concubitum viri & mulieris in quo concipitur homo, licet legitimus inter eos thorus sit, sine peccato non esse propter illã carnalis voluptatis immunditiam, quæ necessario ibi contingit. Dicet ergo forsitan aliquis, huius delicti purgationem, hac legislatione monstrari, vt expietur vnius diei satisfactione, quicquid ibidem offensæ contractũ est. Erit ergo contentus literæ simplicitate qui voluerit. Nos tamẽ mouet ob huius delicti emundationem, cur corpus, imo totum corpus ablui iubetur: cur vestis, cur maxime pellis, quæ aquam sine sui detrimento vix patitur, aqua lauatur. Neque enim corporalibus lauacris, nisi sub sacramento fiant, à sordibus suis anima mundatur. Quapropter videtur, præter illam intelligentiam quam non inutilem literæ simplicitas nobis offert, altius aliquantulum fodiendũ esse, & ad mysterium pertingendum. Pauloante namque ostendimus, quosdam verbi prædicatores fluxum seminis pati: quos lex designauit immundos. Hinc igitur ad illos transitum facit, qui ex Deo & coram Deo loquentes, caste verbum annunciant, qui non suam libidinem, sed matris Ecclesiæ quærunt fœcunditatem. Dicit itaque: *Vir de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum.* Nota, & hunc de quo nunc agitur, & eum in quo fluxus seminis supra reprehenditur, viros nominari. Ad doctores quippe pertinent, quæ dicuntur: qui aut virtutis prætendunt imaginem, aut virtutis exhibent veritatem. In coniunctione vero carnali, vir & mulier vna caro efficiuntur. Porro in collatione spirituali, doctor & auditor in vno spiritu copulantur. Dum enim ille ad loquendum procedit, iste ad credendum accedit: vna fides, eademque voluntas in vtrisque formatur. Semen ergo verbi à doctoribus, imo per doctores ab ipso Deo in audientium mentes egreditur. Vnde per Petrum fidelibus dicitur: *Renati estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui & permanentis in æternum.* Et Ioannes in Euangelio: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Tanti ergo seminis dispensatoribus, vt officio suo se conforment & sancti sint qui sancta ministrant, ne forte aliis prædicantes, ipsi reprobi efficiantur, loquitur Propheta, dicens: *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Decet enim vt qui summa nunciat, ipse quoque in alto stet, celsus religionis excellentia & fastigio sanctitatis. *Quam pulchri,* inquit, *super montes pedes annunciantis bonum, prædicantis salutẽ, dicentis: Sion, regnabit Deus tuus?* *Super montes, non in vallibus.* *Non enim speciosa est laus in ore peccatoris: rectos* vero *decet laudatio.* Vir igitur de quo semen verbi diuini ad fœcundandas audientium mentes egreditur, lauabit aqua omne corpus suum: vt scilicet iuxta possibilitatem fragilitatis humanæ, in omnibus suis actibus irreprehensibilem se studeat exhibere, cuius officii est, aliorum vitia reprehendendo corrigere. *Turpe est* enim *vt qui prædicat non furandum, furetur: qui dicit non mœchandum, mœchetur: sacrilegium faciat, qui idola abominatur.* Quia tamen *nemo est, qui possit gloriari castum se habere cor*, & *in multis offendimus omnes*: *immundus erit vir iste vsque ad vesperum*, id est, vsque ad vitæ huius exitum. Non igitur diuinum semen, cuius minister est, immundum eum reddit, sed immunditiam suam illi ostendit. Dum enim pro ædificatione proximorum lectioni meditationique insistit, discernit diligenter cum ad docendum venerit, quid hortetur, quid arceat: quid laudet actum, quid arguat perpetratum, studiisque tam salubribus mens illustrata, perspicacius seipsam intuetur: multaque apud se reprehensibilia deprehendit, quæ nunquam attenderet, nisi docendi necessitate ad hæc discutienda vigilare cœpisset. Conatur, quantum potest, irreprehensibilis apparere: sed sentit quia quandiu corpore corruptibili grauatur, quamuis sibi velle adiaceat, nondum sibi conceditur vt perficiat. Immundus ergo manet homo vsque ad vesperum, quia immundum se esse intelligit. Alioqui dicuntur multi sani, fortes vel videntes, non quia ita sunt, sed quoniam ita se existimant. *Non est*, ait Dominus, *opus sanis medicus, sed male habentibus.* Item Iudæis loquens: *Si cæci*, inquit, *essetis, non haberetis peccatum*, id est, si cæcos vos agnosceretis & fateremini, possetis saluari à peccatis vestris. Quod quia se intellexerit, protinus euidenter exposuit, dicens: *Nunc autem dicitis quia videmus, peccatum vestrum super vos manet.* Non dixit, nunc autem videtis: sed, *dicitis quia videmus*: aperte insinuans cur cæcos eos prius negauerit, quod ipsi videlicet suam non agnoscerent cæcitatem. Huius locutionis exempla qui plura desiderat, relegat præcedentia: & in purificatione parientis, nonnulla similia tractata, ac de aliis locis commemorata, reperiet. Homo itaque iste qui lotus, vsque ad vesperum immundus manere perhibetur: non solum corpus suum, sed etiã

E

Matth. 19.

F

1. Petr. 1.

Ioann. 1.

1. Cor. 9.

Isai. 40.

Isai. 52.

Eccli. 15.

Psal. 32.

G

Rom. 2.

Pro. 20.

Iacob. 3.

H

Rom. 7.

Matth. 9.

Ioan. 9.

Ibidem.

A vestem & pellem qua indutus est, lauare præcipitur. Quid vero per vestem, nisi virtutum ornatus: quid per pellem, nisi vitiorum mortificatio intelligitur? Vtraque autem hæc purganda sunt, vt nulla praua admixtione contaminentur. Vestis. Pellis. Iam supra quippe ostensum est, & in veste & in pelle, nisi adhibeatur diligentia, lepræ contagium posse oriri. Dum enim aut boni aliquid agimus, aut vitia nostra debellamus, hinc laudis appetitus latenter se inserit, inde alienarum virtutum nos vexat inuidia: ex afflictiune etiam carnis fomitem accipiens, acrior insurgit iracundia. Doctor igitur, qui alios ædificare studet non tantum verbo, sed maxime exemplo, si habet vestem, si pellem, lauet vtramque: vt sicut erubuit nudus incedere, sic etiam caueat nuditatem suam sordidis vestibus operire. Et vestis tamen & pellis, immunda manent vsque ad vesperum: quia quamdiu vitæ huius viam incedimus, indumenta etiam lota, quantulacunque pulueris susceptione fœdamus. Sequitur:

Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua: & immunda erit vsque ad vesperum.

Pari sensu & hoc accipiendum est. Sicut enim qui verbum prædicat, B sic & qui prædicanti fidem accommodat, debet pro viribus vitiorum sordes abijcere: & quoniam conatum illius nondum plenus sequitur effectus, corruptionem qua sub hoc corpore grauatur, quotidie cum humilitate pensare. Sed quoniam de fluxu seminis doctores notauerat lex, consequenter etiam quid in auditoribus detestetur, insinuat.

De muliere menstruata.

C A P. III.

M*Vlier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.*

De fluxu menstruo frequens in scripturis sermo habetur. Manifeste autem sicut in lepra, ita & in hoc corporis morbo lex figuratiua est. Vt quid enim fluxus sanguinis tam multipliciter exaggerat immunditiam, cum vtique hoc naturæ infirmitas afferat, non deprauatio voluntatis? Sed mystice dicuntur ista: & in fluxu sensibili qui naturalis est, quidam spiritalis fluxus intelligitur, qui vitiosus est. Sicut ergo in san- C guine vita corporis habetur, sic affectionib. suis anima vegetatur. Has enim si ad Deum conuerterit, vt illum quærat, illum sitiat: quicquid etiam corporaliter operatur, pro tanti adeptione faciat, dicitur Deo viuere. Quod si per varia desideria defluat, & affectus suos ad corporis voluptates effundat: Deo mortua est, & viuit mundo, fluxumque sanguinis patitur, cuius vitalis motus, perdita naturali sede, creatore videl. qui solus amandus est, derelicto, per varias concupiscentias spargitur. Hic fluxus enerues nos facit: & ne Diabolo præcipitanti resistere possimus, inualidos reddit. Quemcunque enim inimicus in hoc fluxu repererit viribus destitutam, ad quæcunque voluerit illicita sine mora compellit. Hinc est quod per Ieremiam Prophetam de huiusmodi anima sub Iudææ specie Iere. 2. dicitur: *Omnes qui quærunt eam, non deficient: in menstruis eius inuenient eam.* Est & alius sanguinis fluxus, qui in idololatria notatur: cum fides quæ vita animæ est, si non integra Deo conseruetur, per innumera Deorum portenta dilabitur. Ab hoc fluxu sub aduentu Christi gentilitatem sanandam, I- Isa. 30. D saias prænunciabat, dicens: *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei.* Si igitur quis sit sanguinis fluxus, iam satis apparuit, quid de huiusmodi persona lex præcipiat, audiamus: *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.* Sicut superius Vir. per virum doctor quilibet, a quo semen verbi procedit, in- Mulier. telligitur: sic per mulierem hoc loco mens humana, quæ suscepto eodem semine grauidanda est, designatur. Sed quia fluxus iste sanguinis affert sterilitatem, vt fructus spiritales afferre non possit: quamdiu huiusmodi subiacet passioni, separatur mulier septem diebus, donec scilicet sanguis fluere cesset, secundum quod sabbati sacramentum pluribus in locis iam exposuimus. Vt enim de idololatria taceam, quæ manifeste hominem a fidelium separat societate: quicunque per immunda desideria defluit, nisi se prius correxerit, in sanctorum qui Deum diligunt, numero sortem non E accipit. Testatur hoc Ioannes in epistola sua: *Si quis*, inquit, *diligit mundum, non est charitas patris in ipso.* Sed quid est, 1. Ioan. 2. quod redeunte mense mulier fluxum istum pati perhibetur? Nempe quia sunt nonnulli, qui non assiduam huiusmodi sustinent passionem: sed pro rerum accidentium varietate, spirituumque immundorum instigatione, tanquam lunæ subditi mutationibus, nunc immundis desiderijs æstuant, nunc quasi quiescentes, meliora deliberant. Cum enim non adest quod cupiant, nec auaro pecunia, nec fornicatori mulieribus præsentatur illecebra, ad tempus passio sopitur interior. Quod si subito occurrat vnde concupiscentia dormiens excitetur, si dæmon qui prius forte dissimulauerat, mentem stimulare incipiat: nulla est virtus resistendi, sed continuo superductæ sanctitatis species abijcitur, reperit sanguis cursum suum: & æstuantibus desiderijs, explendæ voluptatis tempus exquiritur. Inde est quod quidam sapiens ait: *Stultus vt luna mutatur.* Sub hac vicissi- Eccle. 27. tudine mens constituta, quasi fluxu menstruo laborat: nec quandiu desiderijs immundis substernitur, debet sanctorum præsumere societatem: nec rursum cum se recolligit, & F sui pœnitudinem gerit, debet in desperationis præcipitari voraginem. Donec namque virtus & vitium in vna mente sibi alternant, & vario euentu diuersis temporibus hominem sibi vendicant, incertum est cui tandem debeatur victoria: nec quousque finis declaretur, vllam in partem potest proferri sententia. Dicat ergo: *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.* De qua & subiungitur:

Omnis qui tetigerit eam, immundus erit vsque ad vesperum.

Tangit eam, qui immunditia illius vel ad tempus se iungit. Tactus siquidem in transitu fit. Nam si familiarius quisquam accedat, & prauitatis illius consuetudinem faciat: non tetigisse mulierem, sed cum illa coisse existimandus est. De quo postea sermo habebitur. Qui ergo tangit, vespera mundatur: quia tunc demum ad munditiam redit, cum illicitus appetitus in eo refrigescit. Sequitur:

*Et * in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur:* *Ioc. in

Lectus immundæ animæ, sicut pauloante de eo qui fluxum seminis patitur, dictum est, sua conscientia est, in qua male secura, negligentiæque somno resoluta quiescit, por- G ro sedes habet multas, varias scilicet vanitates, ad quarum iucunditatem flexis cordis genibus, spiritusque rectitudine incuruata, seipsam deponit. Sed lectum ipsa polluit: quia prauis cogitationibus & desiderijs illicitis, cubilis interioris sanctitatem amittit. Sedem quoque contaminat: quia dum rebus sensibilibus intemperanter vtitur, eius luxuria agitur, vt res exterius adhibitæ, simplicem ei vsum non valeant exhibere. *Omnia enim munda mundis, immundis autem & coinquinatis nihil est mundum.* Sed quia nonnunquam hæc eius immunditia etiam ad alios transit, recte subiungitur:

Qui tetigerit lectulum eius, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Omne vas super quod illa Ta.n *sederit, quisquis attigerit, lauabit vestimenta sua: & lotus aqua pollutus erit vsque ad vesperum.*

Lectulum mulieris huius tangere, est exemplo illius, desiderijs immundis mentem substernere. Sed & vas in quo illa sederat, tangitur, cum similis in rebus materialibus intemperantia affectatur. Vterque ergo iam resipiscenti præcipi- H tur, vt vestimenta lauet: opera videlicet sua aut munda seruet, si nondum polluit: aut abluere per pœnitentiam studeat, si corrupit. Ipse quoque lotus aqua, immundus manet vsque ad vesperum: quia licet consensum vitijs iam subtraxerit, si delectationes prauæ adhuc eum impugnant, mundari plene non potest, nisi conquiescant. Sequitur.

Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum in quo dormierit, polluetur.

Vt pauloante dictum est, aliud est coire cum muliere menstrua: aliud, tangere eam. Nam tactus in transitu fit: coire vero cum illa, est vnum quodammodo cum illa fieri, longaque consuetudine immunditiam mentis illius conuersationisque prauitatem, plene in se transfundere. Qui igitur par est in reatu, nisi simili satisfactione non potest expiari.

A piari. Immundus enim non vsque ad vesperum, quod de tangente sancitum fuerat: sed iuxta mulieris ipsius immunditium, septem diebus decernitur. Quod licet ad idem respiciat, quo & vesperæ commemoratio, vt scilicet terminetur peccatum, & à peruerso opere homo iam quiescat: in prolixiori tamen spatio hoc accipimus, quod iniquitas quæ vsu inueterata est, tardius remedium inuenit, nec nisi cum difficultate quiescit. Dicitur huius viri etiam stratus immundus, quod & de subselliis illius dici posset, lege quę de muliere præmissa fuerat: sed satis erat de vno hoc dici, vt de cæteris idem daretur intelligi. His vero de fluxu menstruo præmissis, deinde subditur:

Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat: quandiu huic passioni subiacet, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo.

Mẽstruus fluxus. Paulo ante dictum est, fluxum menstruũ dici, quod suborta aliqua occasione quasi luna recurrente, passioni huic B mens humana subiaceat. Si autem pronior sit ad peccan- Cõtinuus fluxus. dum, vt licet violentiam tentationis non sustineat, materiam tamen delinquendi exquirat: non menstruo, sed continuo fluxu laborat: ideoque quamdiu peccandi deliberationem gerit, passionis suæ immunditiam euadit. In qua & eadem quæ de menstruata præmissa fuerant, replicantur, cum subditur:

Omne stratum in quo dormierit, & vas in quo sederit, pollutum erit. Quicunque tetigerit eam, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperam.

Sed de morbi remedio iam agendum est.

Si steterit, inquit, *sanguis & fluere cessauerit, numerabit septem dies purificationis suæ, & octauo die offeret pro se sacerdoti duos turtures vel duos pullos columbæ ad ostium tabernaculi testimonij: qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitq; pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ eius:*

Hæc omnia quia proximam habent explanationem, eadem quippe super eo qui à fluxu seminis emundatur, tractata, imo post superiorum locorum tractatum commemorata sunt, liberam nunc nobis transeundi facultatem C concedunt, Sequitur:

Docebitis ergo filios Israel, vt caueant immunditiam, & ne moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.

Si igitur tabernaculo illi parcendum à sordibus fuit, in quo boum ouiumque sanguis immolatis hostiis fundebatur; quanto magis loco illi deferendum est, in quo corpus & sanguis Christi quotidie consecratur, & mors vnigeniti sub sacramento repræsentatur?

Ista est, inquit, *lex eius qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu: & quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ iugi fluit sanguine, & hominis qui dormierit cum ea.*

Hac recapitulatione legislator præmissa concludit, cui etiam nos concinentes, vndecimo volumini finem dam⁹; non quod iam præcedentium mensuram expleuerit, sed sequenti materiei dignitatem debitam reseruamus. Sequitur enim ingressus in sancta pontificis, de quo incõgruum valde videtur, vt alieni principij clausulam sortiatur.

D

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER DVODECIMVS.

PRAEFATIO.

Dies peregrinationis nostræ, pusilli & mali. Homo enim ad laborem hic nascitur, & sicut Gen. 47. scriptum est: *graue pondus super filios Adam a die* Iob. 5. *exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium.* Laborant ergo om- Eccl. 40. nes, quãquam studiis disparibus & vtilitate dissimili. Quidam namque carni suæ student, concupiscentiis illius seruientes, & eius curam etiam in desideriis facientes. Hi igitur stulto conficiuntur labore, dum & corpus frangunt, & E premunt animum curis, nec tuti spe momentaneæ voluptatis: Alius aduersus carnem resistit, qui vitiis suis bellum indicunt: quibus grandis imminet sudor, grande certamen, dum contendunt ponere quod nati sunt, & per gratiam acquirere quod nunquam fuerunt, siue potius reformare, quod primam origine perdiderunt. *Quis*, inquit, Iob. 14. *potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?* Hucusque ergo legislator istorum agones descripserit, quibus aut vitia sua mortificant, aut studiis spiritualibus se exercent: puniunt peccata præterita, & de cætero sanctiora proponunt: quibus etiam hoc iunctum est officij, proximis solicitudinem impendunt, docent nescios, incautos instruunt, arguunt peccantes: in malis suis perseuerantes: de castris sanctorum eijciunt, sed nec sui curam relinquunt, studentes discreti esse in silentio, vtiles in verbo: solliciti vt quæ prædicant voce, impleant actione. Sed quia in laboribus non durat perseuerantia, nisi remunera- F tionis expectatio consoletur: iustum erat, vt quibus cœlestem indixerat pugnã, aperiret etiam quanta eis in cœlestibus post victoriã gloria reseruetur. De spe igitur nostra audituri sumus, de spe, quam tu Dñe Iesu miseris mortalibus tribuisti: tu æterna cœlestium gloria, & beata spes mortalium, tu donas peccatoribus veniam, infirmis virtutẽ, pollutis sanctitatem. Tu promittis fessis requiem, mœstis lætitiam, morientibus vitam sempiternam. Tu nos in illud cęleste sanctuarium præcessisti, vbi etiam nunc adstas vultui Heb. 6. Dei pro nobis: & quo ingressus es, illuc ancora spei nos fige Heb. 6. re præcepisti. Fer nobis igitur magister opem, tantam materiã Ioan 14. tractaturis: rege mẽtem, & stylum compone, vt te duce sub legis palea triticum euangelicum inuenire possimus, & generis humani lætitiam eloquio non dissimili proferamus.

De ingressu pontificis in sanctuarium.

Cap. I.

Locutus est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Leuit. cap. XVI. *Aaron, quando offerentes ignẽ alienum, interfecti sunt: & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore* G *ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur, quia in nube apparebo super oraculum.*

Scriptum est: *Flagellato pestilente, astutior erit sapiẽs.* Et Psal- Prou. 19. mista: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit* Psalm. 57. *in sanguine peccatoris.* Recte igitur reis interfectis, postquam in eorum transgressionem vltio diuina processit, patri qui remanserat, cautela indicitur, ne simili præsumptione mortem * mereatur. Notandum autem, illum in hoc lo- * sortiatur co sanctuarij ingressum describi, qui secundum legis instituta, non nisi semel in anno, & hoc soli summo patebat Põtifici. De quo Apostolus ad Hebræos loquens: *Tabernaculũ,* Heb. 9. inquit, *factum est primum, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secũdum, tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, habens aureũ thuribulum & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro: in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Superq; eam cherubin gloriæ, obumbrãtia propitiatorium.* His vero ita compositis, in priore quidem ta- H bernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secũdo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerebat pro sua & populi ignorantia. Quid igitur in istis mysteriis cõtineatur, quis sit summus Pontifex, quod sanctuarium, cuius illi ingres- Ibidem sus semel in anno conceditur, ostium intelligentiæ ipse nobis aperuit, cum subiunxit: *Hoc significante Spiritu sancto, nondum esse propalatam sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est*, inquit, *temporis instantis*: id est, institutionis adhuc tempore illo perseuerantis, *iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Primum itaque taberna-

culum

A culum, in quo Sacerdotes quotidie ministrabant, qui tamen introeundi in sancta nō habebant facultatem, intuitu primi illius populi & ceremonias per Moysen traditas intelligimus: in quibus cum tunc temporis versarentur ministri antiquitus constituti, interioris tamen cœlestisque sanctuarij eisdem aditus negabatur. Vt paulo ante audiuimus, (Heb. 9.) *nondum erat propalata sanctorum via.* Nullus quippe ad cœlum mortalibus transitus, nisi per Christum est. Vnde ipse ait: (Ioan. 14.) *Ego sum via. Nemo venit ad patrem nisi per me.* Christus autem in illis vmbris figurabatur, non exhibebatur. Clausum igitur sanctuarium fuit vsq; ad aduentum Sūmi Pontificis: quia munera illa & hostiæ legales sanctificare non poterant seruientem, nec aptum cœlestibus exhibere. Nemo enim cœlesti ascensu dignus est, nisi purgatus à peccatis. Peccata namque infernum potius * (*expectant.) spectant quam cœlum: mortem merentur, non vitam: tormenta, non gloriam. Hæc autem auferre non potuit agnus ille paschalis: sed ille potuit, de quo scriptum est: (Ioan. 1.) *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* B *Impossibile est,* vt Apostolus (Heb. 10.) *sanguine hircorum aut taurorum auferri peccata. Hic vero qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* (Apoc. 1.) Sūmus ergo Pontifex Christus sancta ingressus est, quia penetrauit cœlos: nec in sanguine alieno, sed per proprium sanguinem. (Philip. 2.) *Factus est enim obediens patri vsque ad mortem: propter quod & Deus illum exaltauit.* Porro Pontifex semel in anno illuc ingrediebatur. (Heb. 9.) *Christus autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati per hostiā suam apparuit. Et quēadmodum statutum est hominibus semel mori, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Annus (Annus.) quippe in illo legali sacramento, omnium temporum exprimit cursum. Sicut enim in prolixo seculorum circuitu omnia tempora consumantur, sic in anno cursus solaris ambitus expletur. (Rom. 6.) *Semel ergo Christus pro peccatis nostris mortuus est: profectusque in cœlum,* (Heb. 9.) *subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus.* (1. Pet. 3.) Sed si semel illuc introiuit, nunquam amplius ad mortem rediturus, quomodo & solus? vbi est igitur quod promisit, (Ioan. 12.) *qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit:* C Itemque discipulis loquens: (Ioan. 14.) *Si abiero,* inquit, *& preparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* Videtur tamen solitudinem suam ostendere, cum alibi dicit: (Ioan 3.) *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Hoc igitur ad capitis corporisque vnitatem referendum est, non ad personæ illius singularitatem. (Ephes. 1. Colos. 1.) *Ipsum enim dedit Deus caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Verba Apostoli sunt. Itemque ad Corinthios: (1. Cor. 12.) *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum corpus sunt, ita & Christus. Vos estis,* inquit, (Ibidem.) *corpus Christi, & membra de membro.* Licet ergo corpus Christi caput suum ad cœlos sequatur, solus tamen Christus est, qui cœlesti gloria sublimatur. Itaque in persona summi Pontificis, cui secundum legem sanctuarij patebat ingressus, omnis cum capite suo electorum Ecclesia designatur. Nam & nobis per Petrum dicitur: (1. Pet. 2.) *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Et Ioannes: (Apoc. 1.) *Qui fecit nos,* inquit, *Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Quia igitur ad literæ explanationem D descendendum est, quę de summo Pontifice dicenda sunt, sic accipiamus, vt nos à persona illius alienos minime iudicemus. *Ingredimur enim in requiem nos qui credidimus,* teste Apostolo, (Heb. 4.) *quia relinquitur sabbatismus populo Dei. Locutus est ergo Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur: quia in nube apparebo super oraculum.* Quantum ad literam spectat, præcipitur Aaron vt loco sancto deferat, & nunquam illuc ingredi nisi congruo tempore præsumat, & præparatis antea quæ iubentur: quod in loco eodem diuina maiestas appareat, & corporaliter quodam modo præsentiam suam exhibeat. Alioqui moriturus esse prædicitur. Sed quoniam teste Apostolo (1. Cor. 10.) *hæc figuraliter fiebant in illis,* scripta sunt autem propter nos, quę legali pontifici pręcipiuntur, debet corpus veri pontificis ad se referre, suamque ædificationem in eis quærere. Ingredimur enim & nos sanctuarium, nondum quidem re, sed tamen spe. (Rom. 8.) *Spe namque salui facti sumus.* Et sicut idem Apostolus ait, *Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum* E (Ephes. 2.) *essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* Idem de hac spe nostra ad Hebræos loquens: (Heb. 6.) *Quam sicut ancoram,* inquit, *habemus animæ tutam & firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus.* Intramus ergo iam in illud interius sanctuarium: sed quomodo intret, vnicuique perpēdendum est. Si enim sine digno habitu intrauerit, moriturus est. Spe namq; sua frustrabitur cum ad rē venerit, & hæc mors illius futura est. Non ergo ingrediatur, inquit, *omni tempore sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca quia in nube apparebo super oraculum.* Intra velū est hoc sanctuariū, quia absconditū est ab oculis nostris. (Isa. 64. 1. Cor. 2.) *Oculus non vidit Deus absq; te qua preparasti diligentib. te.* Inde dictū est (Rom. 8.) *quia quod non videmus, speramus.* Corā propitiatorio est, eodēq; propitiatorio arca ibidē tegitur: quia S. Ecclesia quę arca sanctificationis Dei est, intus & exterius auro cooperta, tā corpore videlicet quā anima, in illa regione (Psal. 131.) viuentium gloria immortalitatis vestita, manifesto iam diuinitatis F fauore lætatur: & protectionis supernæ clypeo defensata, inconcussa securitate perfruitur. Scriptū est enim: (Eccle. 9.) *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in posterū reseruantur incerta.* Tunc vero coram propitiatorio futuri sumus, (Psalm 88.) cum misericordias Domini in æternum cantantes, euidenter circa nos pietatis illius viscera sentiemus. Vnde habes in Apocalypsi: (Apoc. 21.) *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam, descēdentem de cælo, à Deo paratā, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cū hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erūt, & ipse cum eis erit eorum Deus.* Tunc igitur nobis in nube apparebit Dominus, qui in suscepta humanitate, quanquam glorificata, non tamen euacuata, se videndum præbebit. Ad comparationem quippe diuinæ substantię, quęlibet creatura cuiuscunq; excellentiæ, crassa quodāmodo & nubilosa videtur. Potest etiam in nube intelligi, diuinę visionis profunditas. Maiestas quippe illa, nullo intellectu ad plenum potest cōprehendi. Cum sit enim immensa & incircumscripta, crea- G turarum, quæ mensura & termino cohibentur, capacitatē transcendit. Habes manifestum Apostoli testimonium, quod (Phil. 4.) *pax Dei omnē sensum exuperat.* Licet igitur à beatis tunc Deus (1. Cor. 13.) facie ad faciem videatur, nubilosa tamen visio illa dici potest, in qua non ex integro quicquid diuinæ maiestatis est, eorum notitia penetratur. Sanctuarium itaq; in quo Deus videbitur, in quo sancta Ecclesia creatoris sui gratia recepta, sub alarum illius protectione lætabitur, nullus introeat: videlicet spem introeundi non habeat, qui non antea se præparauerit. De præparatione vero qualis fieri debeat, sequentia docebunt nos. *Non ingrediatur* (inquit) *illuc Aaron.*

Nisi hæc ante fecerit. Vitulum offeret pro peccato, & arietē in holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit. Accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

In persona Aaron, Christum & ecclesiam, caput cū corpore intelligendum prædiximus. Ingressus est ille sanctuarium: secutura sunt & membra caput suum, sed tempore præstituto. (1. Cor. 15.) *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine.* H *Primitiæ Christus: deinde hi qui sunt Christi, in aduentu eius.* In his ergo omnibus quæ Aaron mystice obseruanda præcipiuntur, discernendum est, quid capiti, quid corpori congruat: quid allegoricum sibi sit, typum habes vtique futurorum: quid autem morale, Christianæ sanctitatis continens documentum. *Offeret itaque* (inquit) *vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum.* Allegoria hic est ad Christi mysterium referenda. In ipso nanque, quod dicitur, impletum est. Ipse enim priusquam sanctuarium intraret, id est, antequam cœlo corpus suum inueheret, vitulum obtulit pro peccato: quia (Heb. 9.) *seipsum obtulit immaculatum Deo pro peccatis nostris in odorem suauitatis.* Ipse est vitulus Libani, vitulus candidus, sanctitatis suæ excellentia omnem humanam excedens altitudinem, qui cornibus crucis suæ potestates aerias debellauit. De quo etiam in Psalmo, cum de cedris Libani, id est, de principibus huius mundi, qui nitore gloriæ temporalis superbiunt, Propheta loqueretur: (Psal. 28.) *Comminuet,* inquit, *eas tanquam vitulū Libani,* cū videlicet ad humilitatē Christi

A

deponet eas. De hac autem eius oblatione, in secundo huius operis volumine, vbi Sacerdos qui vnctus est, pro peccato suo vitulum immaculatum iubetur offerre, prolixius tractatum est: qui voluerit, illic requirat. Porro arietem Christus obtulit in holocaustum: quia dux optimus gregis sui, dum adhuc esset nobiscum, perfectam sequi volentibus sanctitatis viam ostendit. De qua eius hostia qui plenius scire desiderat, in sexto requirat volumine: vbi filij Aaron in die vnctionis suæ arietem consecrationis iubentur offerre. Sed de vestibus Aaron videamus. Nos enim illæ respiciunt, & morum nostrorum exigunt sanctitatem. *Tunica linea* (inquit) *vestietur, feminalibus lineis verecunda celabit.*

Linum. Linum cum de terra nascatur, multo labore ac industria natiuum colorem deponit: & quem prius non habuerat, candorem assumit. In lino ergo castitas intelligitur: quia caro nostra de immundo concepta semine, sine multa & spiritus & corporis afflictione, ad munditiæ honestatem nequaquam perducitur. Et tunica ergo linea, & feminalia linea ad idem referri non possunt, propter geminam virtutis ipsius operationem, quæ & suo decore nos ornat: & feminalium more, siquid inhonestum egimus, superducto velamine suæ sanctitatis occultat.

B

Diximus tamen supra in vestimentis Sacerdotum, per feminalia confessionẽ debere intelligi, eo quod honorem nostræ adiuuet castitatis, tegens verecundiam immunditiæ præcedentis. Quid magis placeat, lectoris arbitrio reseruamus. De castitate vero, quam necessaria sit volentibus ingredi sanctuarium, in quo apparebit Deus, Apostolus nos docet, dicens: *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* (Heb. 12.) Sequitur zona linea, quam idem significare arbitror, quod per balteum in vestibus pontificalibus diximus designari. Castitas quippe, vt ibi latius tractatum est, sine diligentia non potest conseruari. Cobibendus est enim visus, ne per hanc fenestram mors intret in animas nostras, (Iere. 9.) iuxta exemplum beati viri, qui de seipso testatur, dicens. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidem de virgine.* (Iob 31.) Obturandæ sunt aliquando aures, ne audiant sanguinem: (Isai. 33.) quia testante beato Apostolo, *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* (1. Cor. 15.) Lingua etiam restringenda, iuxta illud cuiusdã sapientis: *Turpia ne loquaris, paulatim enim pudor per verba discutitur.* Itemque: *Transibit sermo in effectum, si honesta loquamur.*

C

Zona ergo linea vestimentorum tunicæ ad corpus astringitur, cum castimoniæ virtus diligenti sensuum obseruatione munitur. Quartum autem ornamentum, cidaris est linea, quæ capiti iubetur imponi. De qua quod mẽtis munditiam exprimat, iam supra in vestimentis pontificialibus disputatum est. Mens quippe in homine pro capite computatur. Sicut enim capite reguntur membra, sic dispositioni mẽtis actiones nostræ subijciuntur. Quia igitur in nonnullis inuenitur castitas corporis, nec est apud illos integritas mentis: malum nanque in voluntate habent, quod aliqua difficultate impediti opere non exercent: iure post tunicam, qua corpus tegitur, cidaris capiti superponitur: vt vnusquisque qui castum se esse corpore gloriatur, super statu mentis suæ subtilius discutiatur. *Hæc enim*, inquit, *vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cũ lotus fuerit, induetur.* Dignum est itaque, vt à malis prius se per pœnitentiam abluat; qui superuenturis virtutibus in se locum parat. Sequitur:

Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum.

D

Primo cum hostias Aaron poneret quæ ipsum singulariter respiciebant, vitulum & arietem illi assignauit. Nunc alias introducit victimas, quas antequam offerat, præcipit à multitudine filiorum Israel easdem accipiat. Manifeste itaque post hostiarum Christi commemorationem, ad ea quæ nostra sunt, repẽte descendit, qui populus Dei sumus, qui in multitudine filiorum Israel annumeramur. Obtulit Christus semetipsum pro nobis, cœlos post modicum ascensurus: offeret & nos in fine patri suo, eandem nobis gloriam concessurus. Hunc nobis ordinem præscribit Apostolus: *Primitiæ*, inquit, *Christus, deinde hi qui sunt Christi in aduentu eius, Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri.* (1. Cor. 15.) Tales igitur Christus hostias tunc à nobis accipiet, quales nos ei exhibuerimus. Nos enim hostiæ ipsæ erimus. *Suscipiet*, inquit, *Aaron ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum.* Res est nota quam loquar.

E

Cum ad iudicium suum Christus venerit, vniuersæ credentium multitudinis triplex fiet partitio. Quidam cũ eo iudicabunt: quia teste Isaia, *veniet ad iudicium cum senioribus populi sui.* (Isa. 3.) Alij iudicabuntur, qui iterum in duas partes diuidentur. *Alij ad dexteram statuentur, alij ad sinistram.* (Matth. 25.) Ad dexteram positis, enumerabuntur eleemosynæ quas fecerunt: ad sinistram constitutis, enumerabitur crudelitas & sterilitas misericordiæ. Audient illi: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Audient isti: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Hoc euangelij lux manifeste declarat, hoc legis vmbra sub ænigmatum suorum figuris occultat. Legamus, & in sequẽtibus omnia reperiemus. Suscipit ergo Aaron ab vniuersa multitudine filiorum Israel, arietem vnum in holocaustum, cum Christus duces populi sui, eosque qui perfectionis desiderio omnibus quæ sunt mundi, renunciauerunt, in hoc tempore *tanquam aurum in fornace* probatos, (Sap. 3.) in holocausti hostiam accipit: & postmodum consessus sui honore sublimans, ad iudicandum secum assumit.

F

De hoc ariete, siue de his arietibus: nam & vnus & multi sunt: vnus, si fidei vnitatem charitatisque concordiam in illis attendas: multi, si personarum proprietatem respicias: de his ergo arietibus loquitur per Psalmistam ecclesia, dicens: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus.* (Psalm. 65.) Sic .n. antiqua habet translatio. Sed nec hircos præmisit, quos lex arieti copulauit, cum protinus adiunxit: *Offeram tibi boues cum hircis.* (Ibidem.) Inde beatus Augustinus, cum super hac ecclesiæ oblatione dissereret: Magni, inquit, arietes, magni boues. Quid illi qui forte conscij sunt aliquorum peccatorum, qui forte in ipso itinere lapsi & sauciati, per pœnitentiam sanantur? Nunquid ipsi remanebunt? Ne ipsi timeant, addidit & hircos. Adiunctione ipsa lauantur hirci. Per se non possunt adiuncti bubus, accipiuntur. Fecerunt eos sibi *amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant illos in æterna tabernacula.* (Luc. 16.) Ergo isti hirci non erunt à sinistris, qui fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis. Qui *hirci erunt à sinistris*? Quibus dicetur: *Esuriui, & non dedistis mihi mãducare:* (Matth. 25. Dan. 4.) non qui peccata sua eleemosynis redemerunt. Habes euidenter duo hircorũ genera, id est, duos hircos, quos lex cum ariete dictat offerendos.

G

Post iudicium nanq; ordinem, reliqua multitudo quæ eorum expectat sententiam, diuersam sortem suscipiet: vt pars quæ peccatis suis renunciauit, & eleemosynis ea redemit, dexteram teneat, regnum post iudicium perceptura: pars quæ in peccatis perseuerauit, quæ pro eorum ablatione nunquam solicita fuit, in sinistram transeat, cum Diabolo & Angelis eius in exterminium abitura. Vtraque tamen Christo offertur: illa, vt coronetur: ista, vt damnetur. Illa regi suo præsentatur, vt laboris peracti mercedem suscipiat: ista iudici exhibetur, vt tormentis adiudicata, congruam sibi vindictam luat. Suscipit ergo duos hircos ꝓ peccato, cum ab vno pro transgressionibus recipit satisfactionem, ab alio expetit damnationem. Sequitur:

Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro se & pro domo sua, duos statuet hircos coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, mittens super vtrunque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario.

H

Notanda diuersitas hostiarum. Primo decernitur, quos Aaron offerre debeat, vitulum scilicet atque arietem: deinde subiungitur, vt alias à plebe accipiat. A principali itaque hostia, quæ alias sanctificat, quæ alijs meritum præstat, à vitulo videlicet pontificis, ordinẽ sumit: ad illam redit, ac deinde aliarum dispositionem subnectit. *Cum obtulerit*, inquit, *vitulum, & orauerit pro se & pro domo sua.* Res est non ignota fidelibus, Christum cum passioni appropinquaret, tam pro se quam pro familia sua patri obtulisse. Nam subleuatis oculis in cœlum: *Pater*, inquit, *venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* (Ioan. 17.) Itemq; *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Hæc forma pietatis, hoc sacramentum dominicæ dilectionis, in Aaron exprimebatur, quum oblato vitulo, id est, ad altare applicito, & ad mactandum parato

orabat

[A] orabat pro se & pro domo sua. Christus autem pro suis [2.Tim.5.] agens, à mundo eos discreuit, dicens: *Ego pro eis rogo, non pro mundo.* Sunt vero inter suos quam plures speciem habentes pietatis, sed veritatem illius abnegantes: qui dicunt ei, [Matth.7.] *Domine Domine*: sed quæ dicit, non faciunt: quibus ipse in fine [Matth.25.] negaturus est, dicens: *Non noui vos, recedite à me qui operamini iniquitatem.* Horum ergo lex quoque diuisionem faciens, oblato vitulo pontificis, qui pro peccato videbatur offerri, docet alios esse, quibus hæc hostia veniam acquirat: alios vero, quibus *ob duritiam suam & cor impœnitens*, nil [Rom.2.] remedij conferat. Post principalem namque illam victimã, duos hircos in ostio tabernaculi statuit. Omnes siquidem qui in Ecclesia sunt, ingressum regni cælestis expectare videntur: sed ille qui in synagoga Deorum stat, etiam inter Deos diiudicat. Inde est, quod duo hirci coram Domino [Psalm.81.] in tabernaculi introitu stare dicuntur. Mittitur ergo sors super vtronque, vt sorte discernente, vnus Domino seruetur: alter emissarius deputatus, in exterminium eijciatur. Sortis autem interpositio, manifesta est diuinæ gratiæ commendatio. Sicut enim vbi sors discernit, hominis delibera- [Eph…] tio otiosa est, dum pars vtraque non sibi spectat, sed sortis examen expectat: sic in nobis omnibus qui natura sumus filij iræ, qui sub iugo dæmonicæ nascimur seruitutis, non expectatur quis velit exire, sed quem superna clemẽtia velit liberare. Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Nec hoc dicentes, humani arbitrij destrui- [Rom.9.] mus libertatem. Libertas namque est homini, si cælitus adiuuetur: alioqui nulla est, si gratia destituatur. *Sine me*, inquit [Ioan.15.] Dominus, *nihil potestis facere.* Iubetur ergo sors super hircos mitti, ac deinde subiungitur:

Cuius sors exierit Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in capram emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eum, & emittat illum in solitudinem.

Notandum quia hircus qui Domino cedit, mittitur cum pro peccato mactatur. Hircus autem qui viuus coram Domino statuitur, emittitur in solitudinem. Quicunque enim in partem Domini transire deliberat, necesse est vt peccandi voluntas in illo occumbat. Alioqui si peccato viuit, si concupiscentias carnis suæ mortificare contemnit: viuus [C] iudici præsentabitur, vt in solitudinem quam merita illius exigunt, emittatur. Solitudo namque est terra tenebrosa, pro qua precatur iustus, dicens: *Ne vadam ad terram tenebrosam, in qua sempiternus horror inhabitat.* In hanc quippe [Iob 10.] terram exterminij à facie Dei eiectus, à bonorum omnium consortio congregatus, solus cum corpore suo Diabolus exulabitur. Sicut enim Christus solus in cœlo, sic Diabolus solus in inferno. Vnde sanctus vir nomine eum noctis designans: *Sit nox*, inquit, *illa solitaria, nec laude digna.* Itemque [Iob.3.] Isaias: *Quasi cadauer*, ait, *putridum non habebis consortium, neque* [Isai.14.] *cum eis in sepultura.* Electi quippe Christo commortui, pœnitentiæ & conuersationis sibi sepulturam parant, in qua à prauo opere quiescant. In cuius sepulturæ beneficio sicut electis non adiungitur inimicus, sic nec electorum recipit consortium, cum detractus fuerit ad terram vltimam, vbi Assur & omnis multitudo eius, & in circuitu eius sepultura illius. Ad hanc ergo solitudinem hircus iste mittetur, cum reprobis dicetur in fine: *Ite maledicti in ignem æternum, qui pa-* [Matth.25.] *ratus est Diabolo & Angelis eius.* Quod autem dicitur, *statuet* [D] *eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eum*: preces istæ, imprecationes intelligendæ sunt, sicut sequentia declarabunt. Notandum vero, quod necdum aut Domini caper immolatur, aut emissarius eijcitur: sed stantibus vtrisque in tabernaculi introitu, sorte super eos missa, quid postea fieri debeat, inuestigatur. Oblato itaque vitulo Pontificis, id est, ad altare admoto, & de hircis vno dominicæ victimæ deputato, recte subiungitur:

His rite celebratis, offeret vitulum: & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum.

Quod dicit eum vitulum offerre debere, & tam pro se quam pro domo sua orare, hoc etiam superius dixerat: sed repetit, vt congruentius & ex ordine sequentia iungat. Sequitur enim:

Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum [E] *& vapore operiatur oraculum, quod est super testimonium, & non moriatur.*

In libri huius exordio, cum hostias pro peccatis legislator describeret, hanc eandem hostiam, vitulum scilicet quem pro peccato suo Pontifex iubetur offerre, primam constituit. Multa autem ibi de hoc vitulo præcepta sunt, quæ more scripturarum hic prætermit: quæ vero ibi tacuerat, hic adiungit. quod co…m præcipitur, vt illato sanguine [Leu.4.] vituli in tabernaculum testimonij, & tincto in eo digito, aspergat septies contra velum sanctuarij: ponatque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis, reliquum etiam sanguinem fundat in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi, hic omnino tacetur. De ingressu vero sanctuarij, de inferẽdo illuc sanguine cum oblatione thymiamatis, prima illa descriptio nihil habuit: nimirum tantæ rei suus seruabatur locus, vt sigillatim tractaretur, & sui magnitudinem sacramenti, ipsa singularitate ostenderet. Cum enim primum legislator peccatis nostris remedia prouideret, & hostiarum varietate ad impetrandam nobis ve- [F] niam multiplices satisfactionum vias insinuaret: sufficere visum est, introducta hac victima, si & propitiationis diuinæ & angelicæ reconciliationis mysterium in ea constare doceret: quod & factum est, cum sanguis eius septies contra Dominum aspergendus est, & altaris aurei cornibus dicitur imponendus. Quędam ergo (vt dixi) prętereuns, multa adijciens, eiusdem mysterij nunc plenius solennitatem exequitur: adolendos super altare adipes, & comburendũ vitulum extra castra, similiter in vtrisque præcipiens. Ne quis tamen arbitretur, aliam nunc quam prius hostiam designari, dicatque quod de illa præcipitur, crebro in anno posse fieri, quoties Pontifex deliquerit: vt scilicet sanguis vituli in primum tabernaculum feratur, aspergatur contra velum, altaris aurei cornibus imponatur: quod vero de ista dicitur, non nisi semel, vt videlicet sanguis sanctuario inferatur: audiat docente scriptura, nec ad altare aureum, nec in sanctuarium, nisi semel in anno, sanguinem licuisse inferri. Et de sanctuario quidem, ea quæ præmissa sunt, fidem faciunt. De altari vero, quanquam in exteriori esset taber- [G] naculo contra arcam, velo tantum interposito: quotidie namque Aaron super illud adolebat incensum, mane & vespere: de ipso ergo, quanquam (vt diximus) extra velum esset, docet nos scriptura, quod nisi semel in año, sanguinis ibidem nõ fieret oblatio. In Exodo quippe cum de eodem altari loqueretur Dominus ad Moysen, *non offeretis*, inquit, [Exod.30] *super eo oblationem & victimam, nec libabitis liba: & deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguinem quo oblatum est pro peccato.* Cum igitur & primo sanguis cornibus altaris imponi, & nunc intra velum inferri dicatur, quod neutrum plusquam semel in anno fieri licebat: manifestum est, candem ex vtraque parte hostiam describi. Si itaque hoc satis iam constitit, ad proposita redeamus, & de verborum eorundem explanatione tractemus. *Assumpto*, inquit, *Aaron thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta, vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapore operiatur oraculum, quod est super testimonium, & non moriatur.* Diximus superius, alterum esse sanctuarij introitũ, qui iam in Christo completus est, quando cœlos ascendit, seu in animabus [H] iustorum post corpus completur, corporibusque in fine complebitur: alium vero, qui nunc spiritualiter fit, cum regni hæredes illuc iam mente transeunt, quo post seculi consummationem etiam corpore transibunt. Electi quippe adhuc mortali carne grauati, intrant illuc merito, intrãt desiderio, intrant spe, intrant contemplatione. Merito intrant, sicut Cornelio dictum est: *Orationes tuæ & eleemosynæ* [Act.10.] *tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Desiderio intrãt, quia contemptis præsentibus, illuc toto corde suspirant. *Sitiuit*, inquit, *anima mea ad Deum fontem viuum: quando ve-* [Psal.41.] *niam & apparebo ante faciem Dei?* Intrant spe, quasi anchoram [Heb.6.] habent tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. Contemplatio vero non nisi paucos introducit, qui per spiritum illuminati, puritate mentis illuc ra- [1.Cor.13.] piuntur: & licet sub ænigmate, ea magna tamen parte quæ sint futura gaudia, speculantur. Quam gratiam discipulis conferri precabatur Apostolus, dicens: *Non cesso gratias a-* [Ephes.1.]

A

gens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri: vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ hæreditatis eius in sanctis. Hæc igitur omnia perfectiores perfectius assequuntur: quia quanto verius terrenis renunciant, tanto ardentius cœlestibus appropinquant. In his spes alacrior, mens ad contemplandum subtilior, ampliora sunt merita, feruent erga Deum ipsorum desideria. Hi sunt qui cum incensi oblatione sanctuarium ingrediuntur: quia gaudium beatorum quod indubitanter venturum expectant, instantius vt veniat, deprecantur.

Psalm. 140.

Dirigatur, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Hoc est incensum quod arietibus assignatur, dicente ecclesia:

Psal. 65.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum. Principes namque ecclesiæ, & qui virtutum donis specialius illustrantur: hi sunt, qui maxime precibus instant, vt bona repromissa quandoque percipiant. In thuribulo itaque Aaron, corda sanctorum intelligimus: quæ prunis altaris implentur, cum S. Spiritus accipiunt gratiam.

B

Quis est enim ignis altaris, nisi sacer ignis? De altari quippe holocausti supra præcepit Dominus, dicens:

Leu. 6.

Ignis in altari meo semper ardebit. Hic igitur ignis exterius ad concremationem holocaustorum, interius vero ministrabat, dum offerretur incensum. Alium non licebat assumi.

Leuit. 10.

Neque enim filij Aaron alia de causa occisi sunt, nisi quod ignem obtulerant alienum. Sacer ergo ignis, Spiritus sanctus est.

Heb. 10.

Deus enim *noster, ignis consumens est.* Hic est ignis quem Dominus Iesus misit in terram:

Luc. 12.

& quid volo, ait, *nisi vt accendatur?* Et quo magis declaretur quod dicimus, habes in Apocalypsi quod Angelus cui data fuerant incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum: accepit thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram.

Apoc. 8.

Angelus quippe magni consilij, per quem nostras orationes Deo patri offerimus, thuribulum aureum de igne altaris impleuit: quia mentem humanam quam pro nobis assumpserat, auro iustitiæ radiātem, spiritalis amoris facibus inflammauit.

Isa. 9.

Misit & ipsum ignem in terrā, cum eos quos de mundo sibi elegit, eiusdem gratiæ participes effecit. Vnde Propheta Iezechiel terram hanc iam succensam aspiciens, ministros Dei igni vrenti comparat, dicens:

C

Ieze. 1.

Similitudo animalium & aspectus eorum, vt carbonum ignis ardentium & velut aspectus lampadarum. Quod ergo dicitur Aaron thuribulum de igne altaris implesse, maxime Christi respicit potestatem: qui tamen Christi sunt, & ipsi thuribulis suis sacrum imponunt ignem, dum studio impenso & orationis instantia, huius sibi muneris impetrant largitatem. Assumpto itaque Aaron thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta. De hoc thymiamate in Exodo sic legitur:

Exod. 30.
*galbanū.

*Dixit Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten & onycham, * galbanen boni odoris, & thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram testimonio tabernaculi, in quo loco apparebo tibi.*

Gregor.

Huius etiam mysterium Beatus Gregorius nobis insinuans: Thymiama, inquit, ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum fit: quia quanto virtus virtuti iungitur, tanto incensum boni operis syncerius exhibetur.

D

In tenuissimum quoque puluerem aromata conterimus, cum bona nostra quasi in pila cordis occulta discussione tundimus: & si veraciter bona sunt, subtiliter retractamus. *Et pones,* inquit, *ex eo coram testimonio tabernaculi.*

Exod. 30.

Quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu iudicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, & quasi de aromatibus puluerem reddit. Aaron igitur thymiama compositum manu hausit, quia Christus potestatiue sibi virtutes attribuit. In manu siquidem potestas intelligitur, sicut scriptum est:

Psal. 94.
Ephes. 4.

In manu eius omnes fines terræ, & multa similia. *Vnicuique* autem *nostrum datur gratia iuxta mensuram donationis Christi.* Ipsi vero non ad mensuram dat Deus spiritum.

Ioan. 3.

Pater enim *diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Cum patre igitur cuncta possidens, thymiama hausit manu: quia gratiarum abundantiam pro suo arbitrio sibi ipse concessit. Inde habes in Psalmis, quod *Dominus virtutum* pluribus in locis appellatus * est.

E

Psal. 23. 58. 79.
* sit

Non enim more nostro virtutes mendicat quasi egenus, sed pro voluntate sua distribuit eas vt Dominus. Cum hoc autem thymiamate vltra velum intrauit in sancta: quia meritorum suorum prærogatiua, omnem humanam angelicāve sanctitatem exuperans, partē suum creatoremq; omniū Deum, singulariter delectauit. Sed & nos quoq; thymiama compositum manu haurimus, cū sub diuino adiutorio, labore proprio virtutes nobis acquirimus. Quarum merito cum Deo placemus, quasi cum thymiamatis fragrantia, veteris discordiæ velum transimus. Quia vero in incensum hoc thymiama hauriri præcipitur, exponit subsequenter: *Vt posito,* inquiens, *super ignem aromatibus, nebula eorum & vapore operiatur oraculum, quod est super testimonium, & non moriatur.* Si recolis quis sit ignis, quem lex thuribulo iussit imponi, ignis sacer, ignis altaris: consequenter intelliges, cur super hunc ignem aromata poni præcipiatur. Perdunt quippe meritum suum, si ignem occupauerint alienum. Attende multos fortes, & ad malorum tolerantiam patientes: & quia apostolicis verbis accedendum est,

1. Cor. 13.

tradentes corpora sua ita vt ardeant: quia tamen sine charitate hoc faciunt, nihil illis prodest. Alij à voluptatibus temperant, vt vix ipsa necessaria sibi indulgeant:

Matth. 6.

exterminant facies suas, non nisi vt pareant hominibus ieiunantes. Qui a ergo sine sacro igne virtutis habent exercitium, Deo placere non possunt. Eadem de iustitia prudentiaue intelligenda sunt. Videbis nonnullos sua singulis reddentes, abstinentes ab iniuria, tantum ne humanam incurrant offensam. Videbis eos sollicite prouidentes, non qualiter vitam æternam mereantur: sed qualiter diuitias, honores, gloriam assequantur. Isti ergo aromata sua alienis imponunt ignibus: quia in his omnibus quæ boni speciem habent, ambitionis & cupiditatis facibus agitantur. Necessariæ sunt igitur prunæ altaris ad aromatum concremationem: vt nebula eorum & vapor sursum tendat, & oraculum operiat. Ignis quippe alienus, aromatum nebulam sursum non dirigit: quia cupiditatis æstus per omne quod agimus, intentionem nostram ad terram deponit.

G

Qui vero ex amore diuino virtutes cōcipiunt, ad cœlestium promissorum beatitudinem desideria sua extendunt. Hęc est nebula quæ de aromatibus consurgit, & oraculum operit. Nebula enim siue fumus, flammam solet pręcedere. In nebula obscuritas, in flamma splēdor apparet. Sic & desideria iustorum priusquam quo tendunt perueniant, quodam eos mœrore afficiunt: extorquent lachrymas, & quasi cuiusdam tædij tenebras oculis illorum offundūt. Cum vero quod sperant adepti fuerint, cum viderint facie ad faciem, nebula in flammam conuertetur: quia deterſa tristitia, succedet gaudium quod nō auferetur.

Ioan. 16.

Interim ergo intret Aaron sanctuarium, vt illuc iam mente præcurrat: impleat thuribulum prunis altaris, vt cor suum spiritus feruore succendat: ponat super ignem aromata, vt pia intentione virtutibus studeat. Horum enim vapor oraculum operit, vt Aaron non moriatur: quia desiderijs suis lachrymisque regno cœlorum vim faciens,

Matth. 11.

petendo, pulsando, vitam inuenit, & mortem euadit. Quid est autem, quod super testimonium oraculum esse perhibetur? Testimonium in hoc loco nihil aliud intelligo, quā tabulas testamenti, quæ in arca reseruabantur. Vnde scriptum est:

3. Reg. 8.
* erat.

H

*In arcam autem non * est aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Choreb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Aegypti.* In his autem tabulis, decem verba legis conscripta erant. Ideo dicebatur tabernaculum testimonij vel fœderis, sed & arca testamenti seu fœderis, quod scilicet præcepta Dei ibidem clausa seruabantur, quibus pepigerat Dominus cum Israel

Exod. 19.

fœdus, dicens: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta.* Super hoc itaque testimonium, id est, super scripturam diuinam, cuius veritatis Deus testis, qui & autor est: debemus enim à parte totum intelligere: super hoc inquam testimonium oraculum est, quoniam omnem humanam mentem, omnem linguam superat illud quod promitti-

Isa. 64.
1. Corint. 2.

A tur, sicut scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit,* *Psalm. 118.* *3. Reg. 10.* *nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Vnde & Psalmista: *In verbo*, inquit, *tuo supersperaui.* Regina quippe Saba, videlicet ecclesia gentium, cum ad Salomonem suum venerit, & viderit eum in gloria sua, maiora quam sperauerat, se reperisse confitebitur, dicens: *Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis & sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit.* Maior est sapientia & opera tua, quam rumor quem audiui. His itaque super thymiamatis oblatione tractatis, consequenter etiam quæ de sanguine præcipiuntur, discutiamus. Hinc enim subiungitur:

Tolles quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem.

Leuit. 4. Hæc sanguinis aspersio celebrabatur post ingressum pontificis in sanctuarium. Nam antequam ingrederetur, idem sanguis septies contra velum aspergi, & altaris aurei cornibus iussus est imponi. Quod qui scire desiderat, ad superiora B recurrat: vbi inter alias hostias quæ pro peccatis offeruntur, hæc pro peccato pontificis iubetur offerri. Sanguis ergo huius vituli prius contra velum aspergitur, antequam Pontifex ingrediatur sanctuarium: iam vero eodem in sanctuario constituto, aspergitur septies contra propitiatorium ad orientem. Prius enim huius sanguinis beneficio solutus est paries ille inimicitiarum, qui à creatore suo hominem excludebat. Sed quoniam hoc parum fuit, illa mors pretiosa quæ peccatoribus veniam contulit, iam reconciliatis etiam *Rom. 8.* virtutum gratiam impetrauit. *Qui enim proprio filio non pepercit*, quomodo nō cum illo omnia nobis donauit? Aspergitur ergo sanguis iste septies contra propitiatorium: quia morte Christi intercedente, diuina propitiatione septiformis spiritus gratia confertur hominibus. Aspergitur contra orientem, quia lucem iustitiæ contulit nobis, vt iam mutati audiremus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* *Ephes. 5.* Deinde ad hircum qui Domino assignatus est, redit legislator: & quid de illo fieri debeat, decernit, dicens:

Cumque mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, vt C *aspergat è regione oraculi, & expiet sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis.*

Rom. 5. O inæstimabilis gratia, ô gratia superabundans. *Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Quæ societas luci ad tenebras?* *2. Cor. 6.* Quid peccatis cum iustitia? Quid sanguis hirci cum sanguine vituli? Sed *fidelis est*, inquit, *sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores* *1. Tim. 1.* *saluos facere.* Alioqui vnde sanguini hircino tanta dignitas, vt sanctuario inferatur, vt aspersione illius sanctuarium expietur? Sed quid miraris ô homo, si tu ascendisti, si in honorem assumptus es qui contemptibilis iacebas, cum propter te cedrus illa Libani se deposuerit, cum propter te summus ad ima descenderit? Si *verbum caro factum est*, si Deus *Ioan. 1.* *Philipp. 2.* in terra natus est, & *humiliauit se vsque ad mortem crucis*, nunquid tanta res sine causa fieri potuit? nunquid sine fructu? Nequaquam, sed *quotquot receperunt eum, data est eis potestas vt* *Ioann. 1.* *filij Dei efficiantur*: & *habemus iam fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi.* *Hebr. 10.* O rex, tantæ memores gratiæ, tantæ inquam gratiæ memores, quia reparatus tuus homo Dei D morte, quid retribuemus tibi pro omnibus quæ collata nobis agnoscimus? Ecce enim sanguis hirci qui pro peccato mactatur, infertur intra velum, & cum sanguine vituli pariter offertur. Magna gratia, magna dignatio. Sanguis enim *Leuit. 4.* hirci, vt in hostijs pro peccatis tractatum est, emendationem pœnitentiæ designat: quo vnusquisque iniquitatis suæ memor, coram Deo se macerat. Vnde scriptum est, quia *iustus* *Psalm. 57.* *cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Et in diuersis scripturis, de aliquibus qui delinquunt, dicitur: Hoc vel hoc commisit, *sanguis eius super ipsum sit*: id est, *2. Reg. 1.* *3. Reg. 2.* pœnam sustineat quam promeruit. Cum ergo peccator reatus sui conscientia stimulatus, pœnitentiæ dolore torquetur, hircus iste manat sanguine: & spiritus contribulati victimam immolat, quam humilitatis amator Deus non *Luc. 15.* spernat. *Gaudium est enim*, inquit, *Angelis Dei super vno peccatore*

E *pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Postquam ergo sanguis vituli contra propitiatorium aspersus est, postquam pater morte filij sui peccatoribus est reconciliatus, iam sanguinis nostri oblatio apud eum inefficax esse non potest. Infertur intra velum, quia ingreditur in conspectu Dei gemitus afflictorum. Aspergitur è regione oraculi, & sanctuarium expiatur: quia futuræ vitæ sanctificatio, præsenti contritione acquiritur. Non enim sanguinis huius aspersione sanctuarium mundari dicitur, quasi sordes aliquæ ibi sint, quæ per hunc sanguinem expientur: sed emundatio eius est, perfecta per humilitatem præsentem acquisita sanctificatio. *Et expiet*, inquit, *sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum.* Immunditiæ ad cor, præuaricationes vero ad opera referendæ sunt. Immundus est namque interius, qui prauis affectionibus inquinatur: qui vero contra vetitum aliquid agit, præuaricationis arguitur. Vnde breuiter vtrumque complectens, adiecit: *cunctisque peccatis.* Sequitur:

F *Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.*

De tabernaculo exteriori hoc dicitur, quod egressus de sanctuario Pontifex expiare iubetur. Sed quid est, quod hoc tabernaculum in medio sortium habitationis eorum esse perhibetur? Nonne cum tabernaculo & sanctuarium inter eos fixum fuerat? Ergo quia litera sibi non subuenit, ad mysterium recurrendum est. Tabernaculum quippe exterius, præsens ecclesia: Interius, futura. In cœlo tantum boni, hic autem & boni & mali. Tabernaculum itaque exterius in medio sortium habitationis eorum fixum est: quia quandiu homo in hoc corpore viuit, ad quam sortem pertineat, incertum est. Vnde iustus cum timore precatur, dicens: *In te speraui Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis* *Psalm. 30.* *sortes meæ.* Tanquam diceret: Cuius sortis ego sim, nondum scio, tuæ tamen potestatis hoc esse scio, vt tibi mea sors exeat, & in electorum tuorum partem me transferat. Sanctuarium autem hanc medietatem euasit: quia Ierusalem cœlestis, suæ sortis certitudinem iam accepit. Tabernaculum igitur sanguinis aspersione mundatur: quia ab vno-G quoque nostrum pœnitentiæ satisfactione commissa culpa detergitur. Sed quoniam nihil habet homo quod non acceperit, in omnibus quippe diuina misericordia præuenit *1. Cor. 4.* nos, nondum enim sciebamus eum, quando ipse iam operabatur salutem nostram in medio terræ, apte subiungitur: *Psalm. 73.*

Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur sanctuarium, vt roget pro se & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ioan. 12.* Vnde ipsum granum in Psalmo loquitur, dicens: *Singulariter sum ego donec transeam.* *Psalm. 140.* Transiit quippe Dominus per passionem crucis suæ ex hoc mundo ad patrem. Nam & pascha transitus interpretatur. Antequam igitur *Ioan. 13.* transiret, solus fuit: quia donec passionis eiusdem mysterium consummaret, sustinuit qui simul contristaretur, & non *Psal. 68.* fuit: & qui consolaretur, & non inuenit. Contristati sunt quidem eo moriente & discipuli eius, sed non simul contristati sunt. *Thren. 1.* Non enim erat dolor illorum, sicut dolor eius. Illi autem dolebant, quod moriebatur quem maxime diligebant: ipse vero amplectens mortem suam, quia potestate H animam ponebat, non necessitate, super Ierusalem flebat, *Ioan. 10.* & de humana perditione dolebat. *Luc. 19.* Quem dolorem illius nemo consolabatur: quia qui hominum sitiebat salutem, non in suis fidei stabilitatem inuenit, fugientibus omnibus & solum illum relinquentibus. Quod & ipse paulo ante eis *Matth. 26.* prædixerat: *Venit*, inquiens, *hora & iam venit, vt dispergamini* *Ioan. 16.* *vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Venit in mentem quod Nehemias, cum ruinas Ierusalem visitasset, postquam tres dies in ea iam fecerat, surgens nocte cum paucis vt circuiret ciuitatem, considerabat murum dissipatum, & portas eius exustas. Plena sunt mysterijs quæ ibi dicuntur: sed ego hoc solum inferam, quod de itinere suo ipse testatur: *Et iumentum*, inquit, *non erat mecum, nisi animal cui sedebam.* *Nehem. 2.* Nōne manifeste Nehemias illum exprimit, qui reædificator Ierusalem cœlestis, per Isaiam loquitur, dicens: *Circumspexi,* *Isai. 63.*

A *& non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret?* Quomodo enim vel ipsos prætereat, quorum absentiam in hoc eodem loco commemorat, dicens: *Torcular calcaui solus, & de*
Ibidem. *gentibus non est vir mecum?* Torcular quippe mors intelligitur, grauis vtique pressura. Hoc autem torcular ipse calcauit, qui moriens mortem superauit. Sed in tanto hoc negotio solus fuit: nec præter animal cui sedebat, corpus videlicet quod obedientiæ paternæ subdiderat, aliud iumentum habuit. Gentes enim ad fidem illius nondum accesserant: qui vero iuxta eum steterant, iam à longe stabant. Nullus ergo hominum in tabernaculo fuit, cum magnus iste Pontifex ad offerendum sanguinem hostiæ suæ sanctuarium ingrederetur, cum aspergeret propitiatorium, & patrem humano generi morte sua propitium redderet. Omnes namque (vt
Matth. 26. prædiximus) in hora tentationis illius recesserũt ab eo, nec in sanctitate promissæ fidei persiterunt. Quod autem dicitur Pontifex ingrediens sanctuarium, orare pro se & pro domo sua: & pro vniuerso cœtu Israel: manifeste hanc distinctionem in oratione, quam Dominus passioni appro-
B pinquans patri obtulit, aduertere possumus. Prius enim pro
Ioann. 17. se orauit, dicens: *Pater, clarifica filium tuum.* Deinde pro domo, id est, pro his qui sibi iam familiariter adhærebant: *Pa-*
Ibidem. *ter*, inquit, *serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, quia tui sunt. Cum essem cum eis, ego seruabam eos: nunc autem ad te venio: non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Postremo omnem cœtum Israel eadem oratione complectitur, dicens:
Ibidem. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.* Hæc autem oratio, quam ante passionem verbis deprompsit, etiam sub passionis hora in affectu illius perseuerauit. Tunc namq; ora-
Psalm. 34. tio eius in sinu suo conuersa est. Vt ergo ad id quod præmissum est reuertamur, Christo sanctuarium ingrediente, nullus in tabernaculo fuit, sed donec egrederetur. Post egressum namque illius, multi tabernaculum introierunt, nunquam amplius egressuri. Granum quippe illud frumenti,
Ioan. 12. postquam *cadens in terram mortuum est, multum fructum attulit*, & virtutis suæ exemplum latius propagauit. Quæ autem
C fuit egressio eius? Nempe quia occultus fuerat prius ille *spe-*
Psalm 44. *ciosus præ filijs hominum*, ille formosus in stola sua, cum *non es-*
Isai. 63. *set ei species neque decor, absconditus erat vultus eius, & quasi lepro-*
Isai 53. *sus æstimatus est.* Cum essent *cornua in manibus eius*, ibi abscon-
Habac. 3. dita erat fortitudo illius. Egressus est itaque, cum se mundo manifestauit, cum per gloriam resurrectionis quis esset apparuit. Sed quo egressus sit, & quibus se præsentauerit, sequentia docebunt nos. Lex enim, si intelligatur, in euangelium conuertetur.

Cum autem exierit, inquit, *ad altare quod est coram Domino, oret pro se.*

Iuxta literam altare holocausti intellige, quod ante tabernaculi ingressum positum erat. Ad hoc enim, expleto sanctuario & tabernaculo, Pontifex egrediebatur. Nota in quod non dixerit, ad altare holocausti egredi pontificem, vel quod ante fores tabernaculi constitutum est: sed cum exierit, ait, ad altare quod est coram Domino. Quod non sine causa factum est. Innuitur quippe aliud esse altare quod coram Domino non est, cum huius gratia exprimitur, & co-
D ram Domino esse memoratur. Altare itaque, vt superius iã dictum est, ecclesia intelligitur, per Apostolos fundata, & de gentibus congregata. In hac enim sacrificium iustitiæ & hostia munda Deo offertur, sicut per Prophetam Dominus perhibet, dicens: *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est no-*
Malach. 1. *men meum in gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Inde est quod rex Dauid cum vidisset Angelum cæ-
2. Reg. 24. dentem populum, & misericordem Dominum inuocasset, audiuit dicente sibi Propheta, vt in area gentilis hominis, videlicet Areuna Iebusæi, altare Domino constitueret, & hostias super illud offerret. Obtulit ergo holocausta & pacifica, & repropitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel. Iam tunc igitur præfigurabatur in orationibus altare collocandum, quod coram Domino esset: quia videlicet oblationes & holocausta illius respiciens, terræ propitius fieret. Quod est autem altare quod coram Domino non est, nisi synagoga, cuius munera sibi non placere
Malach. 1. per Prophetam ipse testatur, dicens: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra?* Itemq; per Isaiam:
Isai. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem* E
vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Iam itaque manifestum existimo, cur Aaron ad altare quod coram Domino est, exire dicatur: quia scilicet Dominus Iesus, contemptis infidelibus Iudæis, qui de carnali iustitia præsumebant, discipulis suam resurrectionem innotuit: & per ipsos nobis, quos eiusdem gratiæ socios effecit. Vt quid autem ad altare hoc egrediens, orare pro se tantum dicitur, qui *ante cum **antequã*
sanctuarium intraret, tam pro se quam pro domo sua orasse perhibetur? Sed meminisse debemus, quod Christus oraculum cum sanguinis oblatione ingrediens, solus omnium nostrum causam egit. Nullus in tabernaculo erat: quia nemo qualem oporteret, suæ salutis curam gerebat. Egresso vero eo, vt cognitum est per orbem terrarũ, quod ad resurrectionis gloriam per crucis ignominiam peruenisset, docentibus Apostolis quod ab eo acceperant: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salutis erit: qui vero non crediderit,* *Marc. 16.*
condemnabitur. nationes proriꝰ diuersæ, filij Dei hactenus F
dispersi, sed per Christi fidem congregandi, quos ipse nescientes & longe aliud cogitantes, in illa sua oratione commendauerat patri: his quæ sibi euangelizabantur fidem adhibentes, iam suæ salutis solicitudinem susceperunt: & eum in quem crediderant, orare cœperunt, vt pœnas euadere & ad regni ipsius gaudia possent pertingere. Christus tamen post egressionem suam pro se orare dicitur: quia inter capiti ascribitur, quicquid à membris illius, eo inspirante, fieri videtur. Sequitur:

Et sumptum sanguinem vituli atque hirci, fundet super cornua eius per gyrum: aspergensq; digito septies, expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.

Promiserat ipse Dominus, dicens: *Ecce ego vobiscum sum om-* *Matth. 28.*
nibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vt ergo *misericor-* *Luc. 1.*
dia eius in progenies & progenies fieret, & passionis illius vtilitas ad posteros vsq; in finem transiret, sanguis vituli super cornua altaris funditur, quia doctoribus ecclesiæ crucis Christi prædicatio traditur. Hi nanque inter cæteros quasi cor- G
nua sunt: quia sanctitate vitæ & doctrinæ merito excellunt. Per hos ergo & nobis vtinam vituli huius sanguis infundatur, vt simus terra illa quæ os suum aperuit, & sanguinem iusti de manu fratricidæ suscepit. Sed cum san- *Genes. 4.*
guine vituli, etiam hirci sanguis super cornua altaris fundi iubetur. Doctores quippe cum fidem prædicant, etiam pœnitentiam gentibus annunciant, iuxta quod scriptum
est: *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædi-* *Luc. 24.*
cari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Suscipiunt itaque sanguinem hirci, cum vel sua vel proximorum peccata attentius plangunt, & verbis salutaribus ad idem studium alios accendunt. Funditur vero sanguis iste super cornua altaris per gyrum: quia Dei gratia per orbem vniuersum multi inuenti sunt, qui hoc officium implere potuerunt. *Aspergensque*, inquit, *digito septies, expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.* Res est manifesta, ecclesiam ab immunditijs suis tum fidei virtute, tum pœnitentiæ suæ satisfactione mundari. Asper- H
gitur vero sanguis septies, propter septiformem spiritum, per quem peccatorum remissio condonatur. Aspergitur digito Pontificis, vt intelligas Christi potestate veniam peccatoribus tribui. Sunt tamen eiusdem & illi participes,
quibus ipse ait: *Quodcunque solueritis super terram, solutum erit* *Matth. 18.*
& in cælis. Postea vero ad hircum emissarium reuertitur legislator, ita subiungens:

Postquam emundauerit sanctuarium & tabernaculum & altare tunc offeret hircum viuentem.

Interim propter vtilitatem iustorum, differtur damnatio reproborum. Electi quippe etiam malis bene vtuntur. Vt enim ait Beatus Gregorius, ferrum nostræ animæ non perducitur ad subtilitatem sui acuminis, si non hoc eraserit alienæ lima prauitatis. Quadrantur hic vario tunsionibus lapides cœlestis ædificij: sed cum Salo- *3. Reg. 6.*
mon noster ad templi sui fabricam illos transtulerit, neque malleus, neque securis ibi audietur: sed vnicuique locus competens quem sine pressura teneat, inuenie- *4. Reg. 2.*
tur. Relaxentur itaque mali ad oppressionem bonorum, vt electi sicut de Elia scriptum est, *per turbinem in*

cælum

A *celum conscendant*: dum mundi huius tribulationibus amaricati magis cælestibus inhiant. Venient tamen dies, vt reprobi omnes cum principe suo diabolo, quod fecerũt recipiant. *Erit*, inquit Isaias, *cum compleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion: & in Ierusalem, visitabit super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriã altitudinis oculorum eius*. Hoc est quod lex etiam in præsenti decernit, cum emundatum fuerit sanctuarium & tabernaculũ & altare. Hęc enim sunt opera Dei, quæ operatur in monte Sion, tunc offeret eodum & hircum viuentem, eos scilicet qui in peccatis suis perseuerauerunt, diuino iudicio præsentandos. Notandum vero, quæ sit inter tabernaculum & altare diuersitas. Nam de sanctuario quid significet, quæve sit eius mundatio, superius expositum est. In altari itaq; hostiæ cædebãtur, fundebatur sanguis, & quorundam etiam animalium carnes cremabantur. In tabernaculo autem erat altare aureum, habens ad meridiem candelabrum luminis, ad aquilonem vero mensam propositionis. Quæ omnia in fidelium conuersatione facile possunt discerni. Alijs nanq; aduersus carnẽ suam graue adhuc certamen est, dũ rebellem sibi mortificare contendunt: & sanguinem vitiosorum affectuum, per quos carnalis vita subsistit, à se ejciunt. Quod si & tales sint qui perfectionis trahantur desiderio, maiori spiritus igne succensi, seculari conuersationi renunciant: vt in nouitatem vitæ transeuntes, holocaustum fiant. Hi omnes donec adipiscantur quod cupiũt, quanquam inter hostias Dominicas iam connumerentur, nondum tamen ad interiora tabernaculi peruenerunt. Postquam vero desideratam perceperint puritatem, iam pacificatis interioribus, in cubiculum cordis sui recepti, orationum suarum thura in altari aureo Deo succendunt: & his qui ad austrum sunt, imitari scil. volentibus, suæ sanctitatis lumen expandunt: contra aquilonem vero, sacræ scripturæ consolationem accipiunt. Hæc quippe est mensa de qua legitur: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me*. Cum igitur in alijs iustitiæ rudimenta, in alijs prouectum eius inuenias, omnibus sanguinis huius aspersio necessaria est: quia nemo sine sorde, *nec iustificatur in conspectu Dei omnis viuens*. Sequitur:

Isa. 10. — B — *Psalm. 22.* — C — *Psal. 144.*

Et posita vtraq; manu super caput eius, cõfitebitur omnes iniquitates filiorum Israel. & vniuersa delicta atque peccata eorum.

Quod præcipitur Aaron super caput hirci manum suam ponere, per manum Aaron animaduersio diuina intelligenda est. Hæc est manus, sub cuius pondere quidam peccator gemens, dicebat: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua.* Nahum quoque Propheta contra Assur loquens: *Non est*, ait, *obscura contritio tua: pessima plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quoniam super quem non transijt malitia tua semper?* Tanquam diceret: Omnibus infestus fuisti: ideirco audientes de contritione tua, gauisi sunt, compresseruntque manum super te, quia perditioni tuæ consenserunt. Ponit ergo Aaron manum suam super caput hirci, vt diuini districtione iudicij *conuertatur dolor eius in caput illius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendat*. Ponit vero manum vtramq;, vt & præsentes & futuras eius pœnas insinuet. Ipsa enim malitia, suum tormentum secum habet. Minimum (ait quidam) ex nequitia leuissimumque, ad alios redundat. Quod pessimum ex illa est & (vt ita dicam) spississimũ, domi remanet & premit habentem. Sed quoniam reprobi inebriãtur absynthio, & mala interiora non sentiunt, primæ manui iungitur secunda, vt post extremum iudicium etiam corpore ardeant, quibus animarum suarum dolores viluerant. Inde est quod Iudicibus cum principe suo sessuris contra Babylonem, in Apocalypsi dicitur: *Reddite illi sicut illa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo quod miscuit, miscete illi duplum.* Quæ pœnæ duplicitas, & ad tempus & ad qualitatem illius referri potest. Ad tempus, quia cum reprobi præsentes pœnas iustis intulerint, ipsi post huius temporis dolores, æterna incendia sustinebunt. Ad qualitatem vero, quia qui corporeis cruciatibus bonos affligũt, ipsi & corporis & animæ dolores ęternaliter non euadent. Sed quid est quod præcipitur Aaron, vt ponens manum vtramque super caput hirci, confiteatur iniquitates filiorũ Israel? Nimirum quia (sicut ait B. Gregorius) ad hoc impij

Psal. 31. — *Nahum. 3.* — *Psal. 7.* — D — *Thre. 3.* — *Apoc. 18.*

E in æternum cruciabuntur, vt iusti visis eorum tormentis, liberatori suo gratias agant. Confiteri enim debent, quod & ipsi natura fuerunt *filij iræ*, & digni similia pati, nisi gratia subuenisset. Sic quippe fiet, vt *misericordias in æternum cãtemus*. Quod vero subditur, *& vniuersa delicta atq; peccata eorũ* si quis inter delicta atque peccata quærit quid differat, ad hostias pro peccato & pro delicto, recurrat: ibi enim de hac re latius disputatum est. Deinde subiungitur:

Ephe. 2. — *Psal. 88.*

Quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum.

Istæ sunt preces, imprecationes scilicet, de quibus supra dixerat: Statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eum. Imprecatio tamen ista non fit maledicentis voto: sed aut prophetatur quod futurum est, aut iudicij seueritate pœna debita irrogatur. Multa habes in scripturis similia. *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis in laqueum*. Et, *fiat habitatio eorum deserta*. innumeraque huiusmodi. Sed quæri potest, qua ratione peccata atque delicta filiorum Israel, hirci huius capiti imprecentur. Scriptum est quippe, quia *vnusquisque onus suum portabit*. Vt quid igitur hirco huic iniquitas imputatur aliena, cum illi sufficiat sua? Sed videtur locus iste commendare gratiam, non diuinam iustitiã demonstrare. Cum enim hircus vterque pari teneretur cõditione, & communi stringeretur reatu: vnus per gratiam liberatur, alter in damnatione relinquitur. Imprecatur autẽ Aaron capiti illius iniquitates filiorũ Israel, statuens eũ viuum coram Domino: quia scilicet orat iram diuinæ indignationis, cui eorum filij Israel fuerũt obnoxij, illis per gratiam absolutis, in caput istius tantum retorqueri: vt peccati pœnam solus sustineat, qui cum filijs Israel peccato mori noluit, sed solus in iniquitate permansit. Huic simile q d in Prouerbijs reperies: *Iustus*, inquit, *de angustijs liberatus est, & tradetur impius pro eo*. Quomodo enim pro iusto traditur impius, nisi vt intelligas loco iusti, quia videlicet in illis angustijs suo merito relinquitur, à quibus iustus per diuinam gratiam liberatur? Hinc & vsitatus habet sermo, cum forte tres aut quatuor in eodẽ furto deprehensi fuerint: si cęteris relaxatis, vnus teneatur ad pęnam: statim dicitur, quia solus luit quod cæteri commiserunt: non quod vltra meritum suum quicquam sustineat, sed quia communem reatum iste solus portat. Imprecatur ergo Aaron hirco huic peccata filiorum Israel: *& emittet*, inquit, *illum per hominem paratũ in solitudinem*. De solitudine, quæ sit in quam hircus ille emittitur, paulo ante tractauimus. Quis vero homo ille sit, qui ad eum emittendum paratus dicitur, quærẽdum est. Ego quidem nullum libentius hic accipio, quam eum in quo constat & salus electorum, & iudicium damnatorum. Ipse est n. salutare Dei, de quo Patri per Simeonẽ dicitur: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum*. Paratus est igitur, vt per illum credentes iustificentur: paratus etiam, vt per illum impij condemnentur. *Lampas*, ait Iob, *contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum*. Ad quod tempus, nisi de quo ipse in Psalmo loquitur: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo?* Si Apostolus paratum se dicit & in promptu habentem, vlcisci omnem inobedientiam: cur non magis ille, qui in nullo infirmatur, sed in omnibus potens est, Christus? Per hominem ergo hunc magnum, qui cum Deus & homo sit, ad tantum opus paratus est, quia ad omne quod voluerit, inualidus nõ est, mittetur hircus iste in solitudinem: quia postquam principem malorum omnium interficiet spiritu oris sui, audiẽt reliqui: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Sequitur:

Psal. 68. — *Ibidem.* — F — *Galat. 6.* — *Prou. 11.* — G — *Luc. 2.* — *Iob. 12.* — *Psalm. 74.* — *2. Cor. 10.* — H — *2. Thess. 2.* — *Matth. 25.*

Cumque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, reuertetur Aaron in tabernaculum testimonij.

Saluator quippe postquam damnatos emiserit in solitudines sempiternas, reuertetur ad illud tabernaculum non manu factum, æternum in cælis. Illuc enim transiens, ministrabit illis, transiens videlicet à iudicio ad regnum: & faciet illos discũbere, in æterna scil. refectione gaudere. Vnde & subditur:

Heb. 9. — *2. Corint.* — *Luc. 12.*

Et depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret sanctuarium: neque enim in illa carnis corruptione tunc apparebit, in qua pro nobis mortem sustinuit: *relicta que ibi* id

A Rom. 6. est, in perpetuum abdicatis: resurgens quippe à mortuis, iam non moritur, & corruptio ei vltra non dominabitur: *lauabit carnem suam in loco sancto:* quis hominem assumptū in illa cœlesti conuersatione mundum exhibebit, non tam à peccati contagione, quam nunquam contraxit: quam à Isai. 53. seruili humilitate, in qua prius quasi *leprosus* apparuit, *despectum, & nouissimum virorum, tanquam percussus à Deo & humiliatum.* Zach. 3. Vnde & Iesus Sacerdos magnus, in Zacharia sordidis vestibus indutus inuenitur: quæ tamen ab eo ablatæ sunt, & indutus est mutatorijs. Hoc ipsum & in lege reperies. Sequitur enim:

*Induetur que * vestimentis suis*: quia posita mortalitate pro nobis suscepta, eam quæ hominem Deum deceat, stolam immortalitatis se indutum ostendet. Nobis enim quasi non erat, quod prius non apparebat.

* vestibus.

Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo.

B Egredietur tunc Dominus Iesus ad domesticos suos: quis qui in iudicio & bonis & malis in humana visus est specie, post iudicium amicis diuinæ maiestatis suæ gloriam ex-Ioan. 14. hibebit, sicut ipse promisit, dicens: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Holocausta vero ipsius ac plebis, quæ egrediens iubetur offerre Aaron, arietes sunt illi duo: quorum vnum pro se offerendum parauerat, alium autem à plebe susceperat. Porro alia sunt holocausta præsentis temporis, alia futuri. In præsenti namq; holocaustum efficitur, quisquis spiritus feruore succensus, ex integro diuinis officijs mancipatur. Quæ vero August. sint holocausta cœlestis patriæ, B. Augustinus in Psalmo sexagesimoquinto nobis exponit, dicens: *Quid est holocaustum? Totum incensum, sed igne diuino.* Totum te consumat ignis Dei, nihil tui remaneat tibi, totum sit Deo. Hoc erit 1. Cor. 15. in resurrectione mortuorum, *quando corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate: tunc fiet ser-Osee 13. mo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.* Victoria quasi ignis diuinus est, qui absorbet mortem nostram. Holocaustum est, cum non remanet mortale aliquid in carne, non C remanet aliquid culpabile in spiritu. Offeret ergo Christus in illa sua manifestatione * holocausta, suum ac plebis, cum populi sui duces secum tradiderit patri suo, omni labe mūdatos, omni labore exoneratos, & solis amodo diuinis laudibus occupandos. *Postquam vero egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit* (inquit) *tam pro se quam pro populo.* Quid ergo? Nunquid orationibus in illa sufficientia positis opus erit? Quib' nihil deerit boni, nihil timebitur aduersi, quid amplius necesse erit vt pro illis oretur? Sed rogabit, dictum est, quasi rogasse se manifestabit. Quamdiu enim orat pro nobis Christus, & fructum orationis ipsius nondum percipimus, quod nondum sentitur, quasi non fieri existimatur. Orat vero iam pro se quam pro suis: cum meritum orationis suæ, quantum vel sibi vel amicis profuerit, manife-Ioan. 16. stat. Habes & multa similia. *Vos,* inquit, *nunc tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Quando non videt suos Dominus? Sed visurum se dicit, quasi quod videat, palam facturum. Quasi enim non videbat, cum in D tribulatione positis non statim subueniebat. Sic est & quod Ioan. 14. paulo ante commemorauimus de dilectore ipsius: *Et ego,* inquit, *diligam eum.* Nonne ipse prior dilexit nos? Quomodo ergo iam diligentes nondum diligit, sed dilecturum promittit? Sed hoc est quod dicimus: tum primum diligere se asserit, cum fructum eis suæ dilectionis ostendit. Nam velut odio habere existimatur, quamdiu quasi inimicos, disciplinæ eos rigore persequitur. Rogabit itaque Christus in illa cœlesti patria tam pro se, quam pro populo suo: cum orationis suæ fructum & efficaciam, siue in sua gloria, siue in populi sui beatitudine, declarabit. Post holocausta vero, ad hostias quæ pro peccatis oblatæ sunt, vitulum scilicet Pontificis & hircum populi, reuertitur legislator, dicens:

Et adipem qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare.

De sanguine horum animalium quid fieri deberet, superius disposuerat: nunc cætera subiungit, adipes cremari super altare, carnes vero cum pellibus & fimo extra castra efferri præcipiens. In principio namque Leuitici huius, omnium hostiarum adipes sub vna sententia ponit, dicens: Leuit. 3. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* In adipibus siquidem af-

E fectiones nostras intelligimus. Tanquam enim sine adipe bonum operatur, qui coactus & sine deuotione illud exequitur. Cum adipe vero hostia offertur, quando cum hilaritate Domino seruitur. Sicut autem de holocaustis diximus, aliter cremantur adipes nostri, dummodo in dominico seruitio laboramus: aliter postea, cum laboris nostri præmium percipiemus. Nam quia de hostijs pro peccato interim sermo est, in hostia Christi adeps fuit, quod libenter seipsum pro nobis obtulit. Nostra quoque pinguis efficitur, si pœnitentiæ labor deuota mente suscipitur. Habet vterque adeps suum ignem: quia & Christus propter nimiam charitatem qua nos dilexit, volens se ad hanc humilitatem deposuit, & nos desiderio diuinæ reconciliationis, laborem prompti suscipimus satisfactionis. Adeps tamen iste, cum tempus retributionis aduenerit, nouas concipiet flammas. Nam Saluator noster Christus cum fructum sui laboris viderit, tantum scilicet populum quem suo sangui-F ne sibi acquisiuit, illa voluntaria mors in qua animam suam pro amicis posuit, gaudium illi ineffabile pariet: sicut ipse per Prophetam testatur, dicens: *Inebriaui animam lassam,* Ierem. 31. *& omnem animam esurientem saturaui. Ideo quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi.* Hoc enim de somno mortis illius intelligendum est. Sed & nostro adipi flammæ suæ splendor non deerit, cum gemitus nostri deuotio in lætitiam nobis commutabitur, iuxta illud Psalmi-Psalm. 29. stæ: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Ista vero adipum inflammatio super altare fiet: quia cordis aram quam prius luctus pressit, gaudium subsequens illustrabit. Sed quoniam nunc de pœnis malorum, nunc de præmijs beatorum multa audiuimus: quicunque hæc credit futura, sanctificare se debet, & ad eadem præmia præparare. Vnde & apte subiungitur:

Ille vero qui dimiserit caprum emissarium, lauabit vestimenta sua, & corpus aqua, & sic ingredietur in castra.

Psalm. 10. Hunc caprum Christus emissurus est, imo & dimissurus, quia *dimittit impios secundum desideria cordis sui.* Sed quod ille G faciet imperij sui potestate, iam nos facimus fide, qui credimus quod futurum est. Abluamus ergo sordes operis, abluamus & mentis, vestes cum corpore: vt qui de ventura malorum damnatione præstruimus, cum dies illa venerit, inter damnandos non annumeremur. Et namq; qui mundus inuentus fuerit, castrorum cœlestium sine dubio aditus patebit. Sequitur:

Vitulum autem & hircum qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est, vt in sanctuario expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quam carnes eorum & fimum.

Repetitur de vitulo Pontificis, quod in prima eius tractatione sancitum fuerat: vt efferatur extra castra, & ibi comburatur. De qua eius combustione, etiam nos quod ibi diximus, paucis repetimus. Sicut vituli huius immolatio Christi passionem significat, sic concrematio resurrectionem. In ignis enim splendore claritas resurrectionis eius aduertitur, velut absorbens mortem victoria. De qua claritate ante passionem patrem rogans, ait: *Pater, venit hora: clarifica filium tuum.* Vitulus ergo in castris occiditur, sed Ioan. 17. H extra castra comburitur: quia Christus in Iudæa passus, à gentibus creditur resuscitatus. In pelle vero & carnibus, corpus eius comprehensum intelligamus. Nam superius hoc aperitur, vbi sic positum est: *Pellem vero & omnes carnes,* Leuit. 4. *cum capite & pedibus & intestinis & fimo & reliquo corpore, efferet extra castra.* Quod autem fimus concremandis membris annumeratur: fimus vituli, crucis est ignominia, contumeliæ & improperia, quæ omnia in Christi gloriam conuersa sunt. Sed quid est quod hircus pro peccato populi oblatus, cum vitulo Pontificis comburi præcipitur? Nonne hac de causa Moyses contra Aaron octaua die vnctionis Leu. 10. illius, iratus fuisse legitur, quod hircum qui oblatus fuerat pro peccato, exustum repperit? Siquidem de hostiis pro peccato, hoc supra statutum est, vt comedantur. *Omnis* (in-Leuit. 6. quit) *qui est de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius, quia sanctum sanctorum est.* Hunc tamen hircum videtur excepisse cum vitulo Pontificis, ita subiungens: *Hostia enim quæ caditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad* Ibidem.

A *expiandum in sanctuario, non comedatur, sed comburetur igni.* Ergo hircus pro peccato populi si alio tempore offeratur, comedi iubetur à Sacerdotibus: eum vero in hac die expiationis cum vitulo Pontificis immolatur, eadem lege qua & vitulus, extra castra comburitur. Vtrumque sine causa non fit. Quid enim sacramenti comestio illa contineat, suis in locis latius tractatum est. Nunc de concrematione in qua vitulo sociatur, agendum. In holocausto itaq; arietis Aaron, quod simul cum holocausto plebis oblatum est, sanctus ille sanctorum principibus populi sui, qui & ipsi sanctitate cæteris præminent, coniunctus est. Nunc interim peccatoribus se conformans, & peccatores sibi in alia sua hostia, sicut primum in ariete resurrectionis suæ gloriã exprimens, eandem spem pœnitentibus tribuit, dum eorum hircum suo vitulo in combustione coniungit. Quod vero simul extra castra comburi præcipiuntur, præter illud quod paulo ante notauimus, quod Christus scilicet extra synagogam in gentibus glorificatus est: quia nunc & hircus adiungitur, B extra castra intelligendum est, extra eam quam nunc in vsu habemus, viuendi consuetudinem. Christus itaq; caput omnium, & cum omnibus vnus, tam arietem quam hircum populi sui, ad immortalitatem præcessit: in combustione tamen sua vtrosq; sibi consociat, spe interim illos adiungens, postea vero rei ipsius consortes efficiens. Ipse ergo in signum sui datus est, sicut & Iezechiæ ægrotanti cum quindecim anni ex promissione diuina superadderentur, Isai. 38. datum est ei signum, dicente Propheta: *Hoc erit tibi signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est. Ecce reuertetur sol decem lineis per gradus quos descenderat in horologio Achaz.* Sol autem iustitiæ Christus: denarius vero, perfectus est numerus. Sol igitur decem lineis descendit, & per easdem regressus est: quia Christus descendit primum in inferiores partes terræ, & ascendit super omnes cœlos. Descendit perfectum se exhibens hominem ascendit, cum Ephes. 4. plenum se Deum, patrique coæqualem declarauit. Vnde Psalm. 18. scriptum est: *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad* C *summum eius.* Hic igitur (vt dixi) in signum nobis datus est: vt quod in illo completum credidimus, etiam in nobis cõplendum speremus. Iam itaque Iezechias, accepto tanto signo, de promissa sibi vita prolixiori non dubitat: quia homo continuo moriturus, vt fixum sit quod ei dictum est, Isa. 38. *Morieris tu & non viues:* post mortem tamen victurum se sperat, & septem annos in requie spiritus sui, octo vero in reIsai. 11. surrectione corporis expectat. O radix Iesse, qui stas in signum populorum, sub hac spe gentes deprecantur te. Isai. 26. *Viuent mortui tui, interfecti* * mei. *tui resurgent.* Hircus iste tecum in Rom. 6. morte, tecum & in combustione. *Si enim* (ait) *mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo. Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati vt vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.* Sed ecce datur reis venia, mutatis promittitur gloria: qui hoc audit & credit, necesse est vt iustificatis conformetur, vt iustificatorum & ipse gloriam consequatur. Inde est quod subditur:

D *Et quicunque ea combusserit, lauabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra: eritque hoc vobis legitimum sempiternum.*

Secundum locutionem quam sæpe notauimus, comburit vitulum, qui credit combustum. Comburit & hircum, qui de illo hoc futurum præsumit. Quisquis ergo Christi de gloria, membrorumque illius non dubitat, lauet vestimenta, lauet & corpus suum, vt castrorum supernorum mereatur ingressum. 1. Ioan. 3. *Omnis* (ait Ioannes) *qui habet spem hanc in ipso, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Quod autem dicitur, *legitimum sempiternum erit vobis*: quomodo sempiternum intelligi possit, quod sine temporis angustatur, in quarto huius operis volumine tractatum recolimus: puto quod & in alijs locis, nec omnia vbique repetere valemus. Quia vero præclare huius solennitatis ritus expletus est, etiam de tempore illius ac die qua celebrare eam oporteret, tacere non debuit legislator: quam nobis exposuit, ita subiungens:

Quo tempore Pontifex ingrediatur sanctuarium. E

CAP. II.

Mense enim septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras: nullumq; facietis opus, siue indigena, siue aduena, qui peregrinatur inter vos.

Hic est mensis septimus, antiqua populi illius consuetudine pene totus festiuus, de quo inferius præcipitur: *Mense* Leu. 23. *septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus.* Mensis ergo septimus, tempus est gratiæ: in quo *septem* Apoc. 5 *spiritus Dei missi sunt in omnem terram*, in quo Christus sanctuarium æternum ingressus est, trahens post se omnia secula. Hæc est decima dies, in qua lex consummatur, quia Rom 10. *finis legis Christus ad iustitiam omni credenti*: qui *non venit legem* Matth. 5. *soluere, sed implere.* In hac ergo die affligere præcipimur animas nostras, vt & nos sanctuarium ingredi possimus. Cor Prou. 14. enim *quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non* F *miscebitur extraneus.* Si enim plangere scimus quod peccauimus: si temporalia gaudia paruipendentes, hanc vallem lachrymarum in qua positi sumus, intelligimus, tunc recte in corde nostro ascensiones disponimus. Vnde & anima illa ad Deum sitiens, quæ dicere potuit, *Fuerunt mihi lachrymæ* Psal. 83. *meæ panes die ac nocte*, continuo subiunxit: *Intrabo in locum ta-* Psalm. 41. *bernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.* Sed & Ieremias temporis huius gratiam exprimens, in quo diuersæ nationes ad Deum redeunt, in persona ipsius loquens: *Ecce ego*, Ierem. 31 inquit, *adducam eos de terra aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & pariens simul, cœtus magnus reuertentium huc. In fletu venient, in precibus deducam eos.* Luctus itaque nos introducit: & necesse est vt interim animam suam affligat, qui ad gaudia ventura se præparat. Sed ecce venit in mentem, quod Ezras, congre- Nehem. 8. gato populo in die solenni, cum flerent illi audita lege, di- 3. Esra. 9. xit eis: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere.* Quomodo luctum quem legislator die sanctifi- G cato indicit, iste contradicit, nisi quia *alia est seculi tristitia,* 2. Cor. 7. vt ait Apostolus, *mortem operans: alia tristitia secundum Deum, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur?* Hæc enim festiuitatem Deo exhibet, iuxta illud Psalmistæ: *Quoniam co-* Psalm. 75. *gitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* In hunc modum etiam Apostolus: *Et quis est*, in- 2. Cor. 2. quit, *qui lætificat nos, nisi qui contristatur ex nobis?* Tristitiæ ergo qua peccata vel nostra vel aliena deflemus, qua peregrinationem nostram gementes attendimus, ista festiua est & solennem decet diem, quia etiam Angelos lætificat, iuxta illud: *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœniten-* Luc. 15. *tiam agente.* Cum vero damna temporalia immoderate plangimus, cum spei æternæ consolatione contempta, mœrori huiusmodi nos absorbendos tradimus: hæc est tristitia mortem operans, quæ etiam voluntati diuinæ contraria, festiuitatis eius gaudiis creditur indigna. Ad virtutem ergo animi populus excitatur, cum in die solenni flere prohibetur, vt scilicet terrena incommoda patienter admittat: & sub spei gaudio constitutus, præsentium malorum quodã- H modo sensum effugiat. De qua virtute ibidem dicitur: *Gau-* Nehem. 8. *dium Domini est fortitudo nostra.* Cum ergo præcipit lex, vt in die propitiationis affligamus animas nostras, non quamlibet tristitiam, sed eam quæ secundum Deum est, & quæ gaudia parit sempiterna, nobis insinuat. *Nullumque*, inquit, *facietis opus, siue indigena, siue aduena qui peregrinatur inter vos.* De operibus quæ corporeæ necessitati subdita sunt, quæ & seruilia sæpe nominat, hoc intelligendum est. Nam si qua spiritualia erant ad diuinum cultum pertinentia, vt circumcisio fuit, & sacrificiorum celebratio solennis: habemus testem Dominum in Euangelio, quia Sacerdotes in Matth. 12. templo sabbatum violabant, & sine crimine erant. Quid igitur seruilia opera, nisi peccata intelligimus? Ipsa enim sunt, quæ hominem seruituti subijciunt, & ingenuitatem illi adimunt libertatem. Nam *qui facit peccatum, seruus est* Ioan. 8. *peccati.* A peccato itaque lex hominem reuocat, cum in die sancto ad seruilia illum opera non relaxat. Dignum quippe est, vt pudendam seruitutem iam dedignetur, propter quem libertati restituendum Dominus omnium venit

A & serui formam accepit. Qui quoniam lapis angularis est in ædificio suo, & vtriusque populi saluator, scriptura tam Iudæos quam gentes huius præcepti lege constringit, dicens: *Nullum facietis opus, siue indigena, siue aduena qui peregrinatur inter vos.* Sequitur:

In hac die expiatio erit vestri atque mundatio.

Expiatio ad Christum pertinet, mundatio ad nos. Ipse enim expiat nos sanguine suo, cuius aspersione mundamur. Vnde & subditur:

Ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini.

Coram Domino, inquit. Multi enim coram hominibus mundi videntur, quorum immunda est conscientia. *Si sanguis* (ait Apostolus) *hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Hæc est mundatio coram Domino: vbi mundatur conscientia. Deinde subiungitur:

Hebr. 9.

B

Sabbatum enim requietionis est: & affligetis animas vestras religione perpetua.

Verum illud sabbatum est, cum quiescimus agere peruerse: cum obaudimus Christo dicenti, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Sequitur:

Isai. 1. Matth. 11.

Expiabit autem Sacerdos qui vnctus fuerit, & cuius initiatæ sunt manus, vt sacerdotio fungatur pro patre suo.

Quia religio ista perpetua sanciebatur, videlicet quamdiu in populo illo cultus antiquus perseueraret: impossibile autem erat, vt vnus homo tantum temporis expleret: necesse fuit, vt in hoc officio Sacerdotes sibi succederent, sicut Apostolus ait: *Plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere.* Recte autem, quicunque ad complendam successionem locum patris sortitur, vngi præcipitur, atque initiantur (hoc est, consecrantur) manus illius, vt magni pontificis typum teneat, *quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute*: cuius etiam sanctificatæ sunt manus, quia *peccatum non fecit*: vnde & solus inuentus est dignus, qui peccatores expiaret, & peccatum mundi auferret. Deinde tradit successoribus legislator, quod supra Aaron præceperat, dicens:

Hebr. 7.

Act. 10.

C

1. Pet. 2.

Inducturque stola linea & vestibus sanctis, & expiabit sanctuarium & tabernaculum testimonij, atque altare, Sacerdotes quoque & vniuersum populum.

De sanctuario & tabernaculo & altari, vt per pontificem expiarentur, iam superius decretum fuerat: nunc vero adduntur sacerdotes & populus, puto ad comprimendam contumaciam incredulorum: qui sub præsentia veri pontificis ceruicem contra eum erexerunt, de iustitia sua præsumentes, & gratiam illius abijcientes. Contra eos itaque dicitur, quia & Sacerdotes & populus per hunc pontificem expiantur: vt audiant rebelles & intelligant, quod *non est aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* * Denique complens legislator omnia quæ de diei huius celebritate præmissa fuerant, ita subiunxit:

Act. 4.

*Deinde.

Eritq; hoc vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus, * *Moyses.*

D

*Moysi.

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Vt nullus hostias efferat, nisi ad ostium tabernaculi.

Cap. I.

CVm de sacrificijs maxime hucusque tractauerit legislator, tam sacerdotum quam populi: exposuit nobis, quæ à quibus, vel quo tempore offerri oporteret. Locum etiam sæpe expressit, coram tabernaculo præcipiens hostias immolari. Nunc vero hoc fortius astringit, prohibens omnino ne alibi immolentur: & si quis hoc fecerit, reum sanguinis esse testatur. Hoc est quod sequitur:

E

Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, & cunctis filijs Israel, & dices ad eos: Iste est sermo quem mandauit Dominus, dicens: Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem aut ouem siue capram, in castris vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Quasi sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.

Leuitici cap. XVII.

Ad coercendam populi idololatriam, ista præcipiuntur. Neque enim de illis animalibus loquitur lex, quorum carnes ad vsus parabantur quotidianos, sed quæ religionis causa occidebantur. Præcipit ergo ne extra locum prædictum, qui Domino consecratus fuerat, cuiquam liceat immolare: ne forte plebs adhuc carnalis, diuersa sibi ad sacrificandum loca eligens, nouos quoq; Deos pro arbitrio sibi adinueniret. Hoc namque in populo illo crebro postea factum fuisse, Prophetæ qui Moysi successerunt, & pro hac præuaricatione contribules suos acrius obiurgauerunt, nobis sunt in testimonium. Habes in Ieremia: *Peccatum Iuda,* inquit, *scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum, cum recordati fuerint filij eorum ararum suarum & lucorum, lignorumque frondentium in montibus excelsis, sacrificantes in agro.* Per Iezechielem Prophetam quoque: *Complebo*, ait Dominus, *indignationem meam in eis, & scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus vniuersam quercum frondosam, locum vbi accenderunt thura redolentia vniuersis idolis suis.* Perscrutare cæteros, & multa similia reperies. Prohibentur itaque alibi sacrificare, nisi ad ostium tabernaculi: vt & sacri loci reuerentia, & aliorum societate qui in solennibus victimis pietatem seruabant, Deo potius quam idolis sacrificare consuescerent. Quia tamen iuxta Psalmistæ vocem, *Domini est terra & plenitudo eius, in omni loco potest illi offerri oblatio munda.* Vnde etiam ante gratiæ reuelationem, dum adhuc illæ veteres vigebant vmbræ, Elias Propheta in monte Carmeli holocaustum legitur obtulisse. Sed & Samuel ante templi constructionem, nunc in excelso quodam quando vnxit Saul: nunc autem in Bethleem, cum ad vngendum Dauid profectus esset, Deo præcipiente, inuenitur sacrificasse. Licet autem arca fœderis à tabernaculo separata esset, ex quo tempore à Philistæis capta est, ipsum tamen tabernaculum vsq; ad Salomonem permansit. Ædificato namque templo, in die solenni dedicationis illius cum arca inferretur in oraculũ templi, legimus etiam de tabernaculo, quia ferebant Sacerdotes cum arca tabernaculum fœderis, & omnia vasa sanctuarij quæ erant in tabernaculo. Si igitur Propheta (pari lege & populus) legi subditus esset, aut ad tabernaculum ire debuerat immolaturus, vbicunq; fuisset: aut à sacrificijs abstinere, sicut adhuc isti legis æmulatores faciunt: qui sedibus antiquis expulsi, sacrificare non præsumunt. Sed ea quæ ob cautiorem plebis obseruantiã, aut sacramenti alicuius gratia, præcipiebantur, in quibus nõ erat veritas religionis, sed simulacrum pietatis: magni viri quorũ mentibus Deus præsidebat, peculiari potestate soluebant, non sine nutu Spiritus sancti, cuius magisterium in huiusmodi sequebantur. Inde est quod Dominus sabbatum soluens, reprehensoribus potestatem suam obijcit, Dominũ sabbati se adstruẽs: discipulos quoque excusat, qui autoritate illius accepta, in die sabbati spicas vellebant & manducabant. In huiusmodi ergo præceptis, quæ & fieri pro tempore possunt, & omitti ad arbitrium præcipientis: quisquis ea transgreditur, nõ arguitur criminis, tantum si fauorem sibi adesse sentiat præceptoris. In sacrificando itaque cum mutabatur locus, Prophetæ quidem sua vtebantur potestate, populus autem præuaricationis arguebatur. Inde habes in historijs, quod toties de regibus cum reprehensione repetitur, ille vel ille excelsa non abstulit, & quia adhuc populus sacrificabat in excelsis. In quibus tamen plurimum intererat cui sacrificarent, dæmonijs an Deo. Nam si Deo, tolerabilis erat inobedientia, quod ad ostium tabernaculi, prout lex dictauerat, non deferrent hostias suas: si vero Dæmonibus, exe-

F

Ierem. 17.

Iezech. 6.

Psalm. 23. Malach. 1.

G

3. Reg. 18. 1. Reg. 10. 1. Reg. 16. 1. Reg. 4. 3. Reg. 8.

H

Marc. 2. Ibidem.

3. Reg. 12. 15 & 22. 4. Reg. 12. & 14.

A

crabilis apostasia. Hoc est namque, vnde rei sanguinis in hoc loco dicuntur, quia cultui Dæmonum se mancipantes, animabus suis mortem inferebant. Idololatriam itaque, vt supra diximus, maxime hac sententia prohibet lex: ne scilicet à tabernaculo recedentes, perderent pietatem, & alienorum Deorum culturam susciperent. Hoc sequentia certius manifestant. Nam subditur:

Ideo offerre debent sacerdoti filij Israel hostias suas, quas occidunt in agro, vt sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias pacificas Domino, fundetque Sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suauitatis Domino: & nequaquam vltra immolabunt hostias suas Dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.

Patet igitur quia ob euitanda Dæmonum sacrificia, tabernaculi cultum commendat, & nusquam alias sacrificandi eis potestatem relaxat. De sanguine vero hostiarum fundendo, de adipe concremando, in principio operis

B

istius, cum ipsas hostias in manibus haberemus, sufficienter pro posse nostro tractauimus. Hoc solum hic notandum intelligo, quod cum vel holocausta, vel pro peccatis, ad ostium tabernaculi soleant offerri: tamen quasi de omnibus agens, *Immolent*, inquit, *eas hostias pacificas Domino*, tanquam non nisi pacificæ possint immolari. Sic ergo pacificas communiter dictas accipio, tanquam è contrario nobis innuatur, quia si alibi Domino prohibente oblatæ fuerint, nec illi placere, nec eum offerenti conciliare valebunt. In hoc autem loco pacificæ erunt, & homini cum Deo pacem generabunt. Sed nec nostra in hoc capitulo prætereunda sunt. Ecclesia quippe tabernaculum est, tabernaculum Dei Iacob. Ipsa enim iuxta vocem Psalmi au-

Psalm. 131.

dita est in Ephrata, id est, in speculo Prophetiæ: & inuenta in campis saltuum, in latitudine gentium. In hac locus sacrificandi est, & præter eam non est alius. Vnde habes in

Iob 28.

Iob: *Auro*, inquit, *locus est, in quo confletur*. Nam iuxta Patrum sententiam quisquis extra ecclesiæ vnitatem patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest. Vna est enim eccle-

C

sia: in qua quisquis conflari valuerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Quisquis igitur vel mala patiendo, vel boni aliquid agendo seipsum Deo sanctificat, ad hoc tabernaculum accedat, vt pacificum possit esse quod offerat. Complet autem legislator, consuetam clausulam subdens, & pœnam transgressoribus intentans:

Legitimum, inquit, *sempiternum erit illis & posteris eorum. Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum siue victimam, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam vt offeratur Domino, interibit de populo suo.*

Vt nullum sanguinem comedat.

Cap. II.

Homo quilibet de domo Israel, & de aduenis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem: obfirmabo faciem

D

meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare meo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.

Vehementer terruit, si quis ad tantum tonitruum surdus non fuit. *Obfirmabo*, inquit, *faciem meam contra animam illius*. Interim concedamus non intelligere nos, quæ sit sanguinis comestio. Hoc solo tamen graue crimen cognoscitur, quod tanta districtione diuinæ iustitia contra illud succenditur. Quod si occurrat Iudæus, & literæ suæ patrocinium suscipiens, in sanguinis huius sensibilis comestione, tanti reatus pondus constituat: obuiabo illi

Matth. 15.
Marc. 7.
Tit. 1.

beata voce Domini mei, dicentis: *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem*. Et quia *omnia munda mundis*, quantum ad religionis duntaxat pertinet integritatem, non ad vsus quotidianæ commoditatem. Quædam namque sunt, quæ vel saluti vel honestati communi minus commoda videntur: si tamen sumpta fuerint, nullum peccati contagium inferre probantur. Quod si solis nostri radios propter cæcitatem suam non lucere contendat, & autoritatis tantæ

E

pondus non sentiat: ad Moysen ipsum paruulus allidatur, cuius discipulum se fatetur, in ipso reperiam vnde conuincatur. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde*

Genes. 1.

bona. Si igitur Deus bona cuncta creauit, *nihil odio habet eorum quæ fecit*: cum corpus animantis opus eius sit, vt quid

Sap. 11.

tam seuera interminatione à cibo nostro sanguinem excludit, cum in corporibus nostris originali conditione ipsum incluserit? Item, paulo ante legimus sanguinem animalium inferri in sancta, altaris an ret cornibus imponitur,

Leuit. 16.

aspergitur ex eo sanctuarium, tabernaculum, altare holocausti, Sacerdotes & populus: & ea aspersione omnia hæc mundari dicuntur. Si enim à facie sanguinis, qui in postibus domorum positus fuerat, fugit exterminator: si sanguine passeris (vt supra legimus) etiam lepra mundatur, quid est quod in sanguine notatur immunditia, cuius sanctitatis tanta declaratur potentia? Permitte itaque Iudæe, nec inuideas, si Moysen tuum prouehat filia Pharaonis, si in regios census educet, quem tu tanquam paruulum abiecisti, & continuo moriturum exposuisti. Veniamus ergo

Exod. 12.
Leuit. 14.

Exod. 2.

F

ad rem, & præcepti diuini rationem inuestigemus. Habet enim forsitan in medullis suis vnde nos pascat, quod in cortice superficiei suæ quasi fatuum sonat. Prius igitur sacramentum ipsius excellentiam commendo. Nam in hoc ipso volumine iam semel & iterum legislator esum sanguinis interdixit, & nunc tertio specialem de hac re sententiam

Leu. 3 & 7.

posuit. A principio quoque cum egrederetur Noe de arca post diluuium, omnibus animantibus in escam ei concessis, sanguis solus excluditur. *Omne*, inquit Dominus, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis*. Hoc ipsum & in nouo testamento reperies. Nam cum iam alia legis sacramenta finem reciperent, his qui ex gentibus crediderant, ab Apostolis hoc traditum est: sicut & eorum indicat epistola, continens

Gen. 9.

hæc: *Apostoli & Seniores his qui sunt Antiochiæ, fratribus ex gentibus, salutem: Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos, quibus non mandauimus, misimus viros qui & ipsi vobis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: & ea quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis*. Ergo

Actuum 15.

G

aliis (vt diximus) ceremoniis remotis, hoc quasi præcipuũ eligitur, quod ob legis commendationem etiam in ecclesia aliquanto tempore seruaretur. Quid itaque sibi velit hæc figura, discutiamus. Figura enim est, vt supra ostendimus, superficie sua nihil afferens ædificationis: si tamen intelligatur, multum conferens vtilitatis. Notandum vero prius, sanguinem vniuersaliter in hoc loco non oportere intelligi. Est enim sanguis de quo dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nisi forte quis adeo desipiat, vt dicat legem

Ioan. 6.

prohibuisse, ne comedatur sanguis: ne autem bibatur, non prohibuisse: cum nihil intersit, quod respuendum est, vtrum edendo an bibendo in corpus nostrum traijciatur. Sanguinis itaque differentia habenda est. Alius est enim, qui gustatus, vitam præstat: alius, de quo nunc dicitur: qui comederit sanguinem, disperdam animam illius de populo suo. Quis igitur iste sit, ex ipsius lectionis circumstantia capiamus indicium. Sic namque dicitur: *Qui comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima in carnis sanguine est*. Vbi primum iuxta literam profunda oritur quæstio, vtrum animæ pecorum corporeæ sint, vt de eis dici possit quia in sanguine sunt: maxime cum dicatur, anima carnis in sanguine est, etiam ad hominem hoc videtur pertinere, quoniam & ipse carnem habet, quæ vegetatur anima sua. Ergo & anima humana in sanguine computanda est? Absit: Alioqui cum sanguine corrumperetur: & diuiso sanguine, partiretur. Et quidem de anima rationali confidenter dico, non tam de proprio sensu præsumens, quam patrum vestigia sequens, quia immortalis est & incorporea, quæ corpore deficiente non deficiat, & eodem in partes diuiso, diuisionem non sentiat. De spiritibus vero brutorum animantium, vtrum corporei sint, an propriam habeant substantiã, vtrũ cum corpore deficientes: sic enim nobis tradit autoritas, quia cum corpore moriuntur: vtrum ergo post

H

A corpus ad nihilum redeant, contra sententiam antiquorum qui dixerunt, nihil ad nihilum posse reuerti, an in aliud conuertantur: supra me esse fateor, & libenter hic audio, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* (Eccli. 3.) Dicam tamen quod operi suscepto sufficiat, animam in hoc loco non secundum substantiam dici, sed per animam, vitam intelligi, quæ vere in sanguine est, & per sanguinem constat. Sine sanguine quippe nullum animal viuere potest. Sic etiam animam hominis dici in multis locis reperies. Vnde est illud: *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis.* (Matth. 6. Luc. 12.) Neque enim illa incorporea substantia cibo corporeo sustentatur, sed vita carnis huius morticinæ, tali refectione fulcitur. Item: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* (Matth. 10.) Et, *quia factus est primus Adam in animam viuentem.* (1. Cor. 15.) Manifestum est itaque, sæpe in scripturis animam non secundum substantiam dici: sed vitam carnis, animam nuncupari. Inde est quod in præsenti habemus, animam carnis in sanguine esse: quia sicut paulo ante diximus, sine sanguine vita carnis non potest subsistere. Iam ergo videamus quæ sit ratio, vt quia anima carnis in sanguine (B) esse dicitur, sanguinis esus tanta seueritate interdicatur. Ad mysterium transferamus nos, in litera namque nihil apparet, quod saltem refellere dignum iudicemus. Sanguis itaque (Sanguis.) cum figurate accipitur, aliquando naturalem animæ appetitum designat: qui vel ad ea quæ Dei sunt, vel ad ea quæ sunt mundi, potest conuerti: vt iuxta qualitatem affectionum suarum, aut Deo aut mundo viuat homo. Duplici quippe motu fertur anima, rationis & appetitus. (Duplex animæ motus.) Ratione, rerum notitiam inuestigat: appetitu vero, ad voluptatis alicuius trahitur perceptionem: quæ si spiritualis est, sanctificat animam & ad cœlestia erigit: si vero carnalis, aggrauat eam & ad terram premit. Non enim ex motu primo rationis, id est, non ex eo quod intelligit, sed ex secundo, id est, ex eo quod appetit homo, aut spiritualis, aut carnalis æstimatur. Sub hac significatione sanguis inuenitur, cum superius lex sanguinis fluxum in muliere menstrua detestatur. (Leuit. 15.) Sanguinem namque fluit mens cum iustitia postposita, motum hunc naturalem per illicitas voluptates spargit. Quo contra cum de auibus holocaustorum præcipit lex, vt rupto vulneris loco, decurrat sanguis ad crepidinem altaris: (Leu. 1.) per sanguinem, sanctorum appetitum diximus designari, qui ab huius vitæ amore recedit, & ad (C) Christum transit, iuxta illud quod in Psalmo canitur: *Defecit in salutare tuum anima mea.* (Psalm. 118.) Et Apostolus: *Viuo*, inquit, *iam non ego, viuit vero in me Christus.* (Galat. 2.) Neque enim carnalis amor ad Christum currere poterit. Alioqui si ad eum accesserit, iam carnalis non erit. Sed naturalis mentis impetus, qui prius per voluptatem defluebat, cum sanctificari homo cœperit, mutato cursu, in affectum spiritualem reflecti valebit. Alia est sanguinis figura, cum iam non vis illa naturæ, quæ & boni & mali capax est, sed ipsa eius deprauatio intelligitur, cum neglectis superioribus, naturalis animæ impetus ad hæc ima deflectitur: & incipit diligere mundum, quem debuit Deum diligere. Hæc, concupiscentia seu cupiditas in scripturis solet nominari. Vnde Iacobus Apostolus: *Vnusquisque*, inquit, *tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus: dein concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* (Iacob. 1.) Et Paulus: Radix omnium malorum est cupiditas. (1. Tim. 6.) Hac sanguinis figura supra vsi sumus, cum lex de victimis boum aut ouium sanguinem fundi præcepisset. Sic quippe expressum est, quia quisquis Deo seipsum immolat: necesse est vt à consensu suo prauos motus excludat. Iuxta hanc igitur significationem, etiam in hoc loco de sanguine tractatur, (D) cum prohibemur sanguinem edere, videl. illicitam concupiscentiam aperto consensus ore in nosmetipsos traijcere. Inde est enim quod legimus: *Amicitia huius mundi, inimica est Dei: & quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.* (Iacob. 4.) *Homo* namque *videt in facie, Deus autem intuetur cor.* (1. Reg. 16.) Tu attendis quid agam: Deus autem discernit quid appetam. Antequam igitur quicquam mali exterius operemur, si iam sanguinem sorbuimus, si iniquitatem corde concepimus: mente à Deo alienari, inimicitias eius incurrimus. Hoc est ergo quod dicitur: Qui comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius. Nota tamen quia non ait, contra eum: sed, contra animam illius: vt intelligas, quia vbi iusti remunerantur, ibi etiam impij puniuntur. Canimus namque in Psalmo: *Quis est homo qui timet Dominum?* (Psalm. 24.) Ac deinde: *Anima eius in bonis demorabitur.* Intus ergo (E) fit certa bonorum malorumue retributio: quantum autem ad humanæ vitæ attinet superficiem, vt Salomon ait, *videmus plerunque seruos in equis, & Principes quasi seruos ambulantes super terram.* (Eccles. 10.) Intus tamen & serui, in quocunque honoris culmine constituti, seruitutis suæ pondere premuntur. & Principes Deum timentes, quam magna sit multitudo dulcedinis eius, quam timentibus se abscondit, inuisibiliter experiuntur. (Psalm. 30.) Dicat ergo: *Obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Hoc postea. Interim namque qui sanguinem comedunt suffocatum, qui conceptam malitiam mente retinent, quam opere exercere non audent: fidelibus corpore iunguntur, corde separantur. Sed sicut nunc moribus, sic separabuntur postea & mansionibus. Sicut enim de iustis solet dici, obijt ille vel ille, & congregatus est ad populum suum: sic de isto è contrario dici potest, *quia mors peccatorum pessima*, disperdetur anima illius à populo suo, non cui sanctitate adhæsit, sed cui (vt diximus) solo corpore se coniunxit. (Psalm. 33.) Cur vero sanguinis esum Deus abominetur, redditur ratio cum subditur: *Quia anima carnis in sanguine est.* (F) Caro aliquando secundum substantiam, aliquando secundum vitium nominatur. Substantialiter dicitur, vt est illud: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* (Genes. 2.) Itemque: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* (Luc. 24.) Porro per carnem vitium notatur, cum dicitur: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis quia caro sunt.* (Genes. 6.) Quo contra iustis dicitur: *Vos in carne non estis, sed in spiritu.* (Rom. 8.) Cum igitur audimus, quia anima carnis in sanguine est, & iuxta carnis substantiam verum est, quia caro per sanguinem viuit: & iuxta figuram, in appetitu praui operis, fomes consistit carnalis conuersationis. Funde sanguinem, & caro morietur, tolle malam voluntatem, nec erit qui mala operetur. Perpende igitur quam rationabile sit, vt Deus iustus qui odio habet iniquitatem, esum sanguinis execretur, in quo totius iniquitatis deprehendit originem. Quia ergo sanguinem non licet edere, iam audiamus quid de illo debeat fieri, vt res perniciosa in nostram vtilitatem possit referri. Scriptum est enim, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8.) Ergo etiam malis bene vti debemus: & ad profectum nostrum, quæ lædebant, conuertere. (G) *Et ego*, inquit, *dedi illum vobis, vt super altari meo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Hoc superius in hostiarum tractatu præcipitur, vt sanguis victimæ per circuitum fundatur altaris. (Leu. 3.) Ex qua effusione quæ nascatur vtilitas, in præsenti docemur, cum dicitur: *Dedi illum vobis, vt super altari meo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit. Sacrificium* quippe *salutare est*, vt in Ecclesiastico legitur, *discedere ab omni iniquitate: & deprecatio, discedere ab iniustitia.* (Eccles. 35.) Sanguis itaque qui comestus Deum exacerbat, fusus animam expiat: quia sicut iniquitatis consensus Deo execrabilis est, sic renunciatio placabilis. Vnde & subditur:

Idcirco dixi filijs Israel: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex aduenis qui peregrinantur inter vos.

Quod dicit, anima non comedet sanguinem: iuxta literam à parte totum, per animam homo intelligitur: iuxta mysterium vero satis apparet, corporis non esse quod animæ interdicitur. Spiritualis namque est esus iste, quem detestatur Spiritus sanctus, non corporalis. Hucusque autem de concupiscentia, quæ in singulorum latet cordibus, tractatum est: (H) vt discat vnusquisque abnegare semetipsum sibi, vt Christum sequatur: sibique contrarius esse, vt Deo reconcilietur. Quia vero his qui etiam alijs prodesse possunt, hoc obseruandum est, vt in proximis suis honorent naturam quam Deus creauit, arguant cupiditatem quæ Deo inimica existit, apte subiungitur:

Homo quicunque de filijs Israel, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, si de venatione atque aucupio ceperit feram vel auem quibus vesci licitum est: fundet sanguinem eius, & operiet illum terra. Anima enim omnis carnis, in sanguine est. Vnde dixi filijs Israel: Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicunque comederit illum, interibit.

Singula ad singula referenda sunt, vbi dicitur, si de venatione atque aucupio ceperit feram vel auem: ferã de venatione,

A auem de aucupio. Ostendit vero quosdã venatores vel aucupes spirituales in populo fideliũ esse. Sunt namq; ibi etiã & feræ, & aues huiusmodi. *Mea sunt*, ait Dominus, *omnes feræ* Psalm. 49. *syluarum*. Et post pauca: *Cognoui omnia volatilia cæli*. De venatoribus Ibidem. vero habes in Ieremia. Cum piscatores multos primo se missurum Dominus pollicitus fuisset, subiecit, dicẽs: Ierem. 16. *Et post hæc mittã multos venatores, & venabuntur eos de omni mõte & de omni colle*. Prius namq; discipulos suos Christus tanquã piscatores misit, qui pauperes quosq; & ignotos, qui in aquis generis humani tanquam pisces, propter suam mediocritatem sine nomine latebant: ad fidẽ ipsius, verbi retibus congregarent. Vnde & Apostolus: 1. Cor. 1. *Videte*, inquit, *vocationem vestram fratres: quia non multi Sapientes secũdum carnem, non multi Potentes, non multi Nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat Sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Prius ergo piscatores, deinde venatores: quia primo pauperes quosq; & sua tenuitate obscuros, tanquam pisces B marinis aquis oppressos, per Apostolos ad se rapuit: postea vero, vt per infirma confunderet fortia, per eos qui abiecti videbantur, sui verbi ministros, rhinocerotem illũ fidei suæ loris ligauit: dum potẽtes mundi huius ex montibus & collibus (videlic. ex diuersis seculi dignitatibus) detractos, ad suæ seruitutis humilitatẽ deposuit. Si igitur intelleximus quę sunt feræ, qui venatores: intelligamus eosdem aucupes esse dum sapientes mundi, qui scientiæ alis ad cœlum sibi volare videntur, ad veri Dei cultũ conantur perducere. Isti itaq; venatores, isti aucupes, seu feram, seu auẽ cœperint, & fidei iugo subdiderint: debent in eis approbare quod Dei est, naturam sc. quam condidit Deus: sanguinem vero fundere, & terra operire: vt doceant eos pristina desideria à cordib. suis excludere, & offensam quã ex eis contraxerunt, humilitate Psalm. 31. satisfactionis abscondere. *Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata*. Hunc autem ordinem & in Matth. 28. Euangelio reperies. *Euntes*, inquit Dominus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti*. Hæc est captura ferarum vel auium. Deinde subiungitur sanguinis Ibidem. effusio: *Docentes*, inquit, *eos seruare omnia, quæcunq; mandaui* C *vobis*. Per hoc vero quod dicitur, *feram vel auem quibus vesci licitum est*: iuxta literam, ea quæ superius notatur, bonorũ animantium discretio habenda est: iuxta typum autem humana signatur substantia, quæ licet per peccatum corrupta sit, non est tamen reijcienda: sed comedi debet, & in sanctorũ societatem recipi, si sanguinem fundere, & malitiam pristinam à se voluerit separare. Notandũ deniq; alium esse sanguinem de quo dictum est: Iob. 16. *Terra, ne operias sanguinem meum, neq; inueniat in te locum latendi clamor meus*. Hoc enim sanguine peccata nostra lauantur, hoc genarum nostrarum rubor detergitur, sicut scriptum est *Et sanguis eius ornauit genas meas*. Sanguis igitur qui cœlo stuporem intulit, terris formidinẽ, petras scidit, infernum spoliauit, cœlestia ac terrestria pacificauit: non est dignus tenebris, sed luce: qui cunctis gentibus annuncietur, non qui silentio contegatur. De nostro vero iure præcipitur, vt operiatur terra. Hic enim prim⁹ hoGen. 3. mini verecundiæ causa fuit: & cum vocem Dei loquentis audisset, ad latebras illum coegit. Recte ergo iste occultatur, cum iam Dei faciem homo requirit: propter cuius confusionem, diuinam præsentiam prius sufferre non potuit. *Sanguinem*, inquit, *vniuersæ carnis non comedetis*. Nota q. a prius D dixerat, *omnis anima ex vobis non comedet sanguinem*: non addens, *vniuersæ carnis*: sed tantum, *sanguinem*: vt primitus vnicuique cum sua concupiscentia bellum indiceret, deinde alienæ nihilominus resistendum doceret. Quasi enim alienum sanguinem edit, qui alterius malitiam aperto fauoris hiatu ad cor suum transfundit.

Vt nullus comedat morticinum vel captum à bestia.

Cap. III.

Anima quæ comederit morticinum vel captum à bestia, tam de indigenis quam de aduenis, lauabit vestes suas & semetipsum aqua: & contaminata erit vsque ad vesperum, & hoc ordine mundus fiet.

E Si per sanguinem in quo vita carnis esse dicitur, latens cupiditas: iure (vt æstimo) per mortuum cadauer, opus visibile designatur. Nam & Apostolus opera peccati, opera mortua nominat, vbi ait: *Si sanguis hircorum aut taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis* Hebr. 9. *Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Morticinum ergo intelligitur, qui sponte sua ad praui operis mortem dilabitur. Captus vero à bestia est, quisquis maligna persuasione cuiusquam ad peccandum pertractus est, siue etiam violenter compulsus. Nam malæ bestiæ sunt dæmones, pro quibus Psalmista precatur, dicens: *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi*. Sæuæ Psal. 73. etiam bestiæ sunt homines, quamdiu ferinis moribus aguut: & à cultu pietatis extranei, humanam mansuetudinem recipere nesciunt. Quos se ad suam notitiam perducturum, per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Glorificabit me bestia agri*. Isa. 43. Illum ergo (vt diximus) bestiæ occidunt, quem aut terroribus, aut præmijs, homines iniqui siue maligni spiritus ad peccatum trahunt. Sed quicunque huiusmodi fuerint, arguendi sunt, non imitandi. Comederentur F namque, si eorum prauitas in vsum vitæ nostræ per imitationem susciperetur. Quod si ei contigerit, iubet lex vt vestes lauet & seipsum aqua: videlicet vt per pœnitentiam abluens quod deliquit: & exteriorem conuersationem suam purget à tali opere, & conscientiam à voluntate. Quod si etiam contra voluntatem suam peccati delectationem sibi infestam sentit, cui prius sponte succubuit, contaminatus erit vsque ad vesperum: quia donec æstus ille tentationis deferueat, fieri non potest: vt plenam sui mundationem obtineat. Si vero etiam illa quieuerit, hoc ordine homo mundus erit. Sequitur:

Quod si non lauerit vestimenta sua, nec corpus, portabit iniquitatem suam.

Nisi enim se correxerit, & pro reatu suo digne Deo satisfecerit, pœnam non euadet quam promeruit.

Vt nullus ad proximam sanguinis sui accedat.

Cap. IV.

G Mvlta hactenus mystica populo illi antiquo seruanda lex tradidit, in quibus fidei siue sanctorum morum vmbra esset sola, non veritas: quorum etiam obseruantia non intelligentibus quid portenderent, in eo quidem vtilis erat, quia Deo præcipienti in quibuscunque obedientiam exhibere, inutile esse non poterat. Tenebant itaque in illa sua religione formam perfectæ iustitiæ, ad cuius executionem ipsi quidẽ inualidi erant, sed populo venturo in eius sacramentis seruiebant. Vt enim Apostolus ait, Rom. 3. *nunc sine lege* (id est, sine illa carnali obseruatione) *iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Postquam enim venit* Gala. 4. *plenitudo temporis, & Deo in terra apparente, data est hominibus* Ioann. 1. *abundantia gratiæ, de plenitudine namque illius accepimus*: ille iam ritus antiquus abijcitur, iustitia vero quæ ibidem figurabatur, opere completur. Quia igitur perfectam iustitiam adumbrare tantum suis ceremonijs poterant, non etiam adimplere: saltem præceptis minoribus fuerant imbuendi, ne sic in signis seruirent religioni, vt religionis ipsius prorsus fierent alieni. Quæ ergo ad ædificationem populi illius simpliciter proferuntur, non sunt allegorice interpretanda: quia intellectus sacri eloquij, vt beati Gre- Gregor. H gorij verbis vtar, inter textum & mysterium tanta libratione suspendendus est, vt vtriusque partis lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neq; rursus torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe eius sententiæ tanta allegoriarum conceptione sunt grauidæ, vt quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earũ notitia per solam incuriam priuetur. Nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inseruiunt, vt si quis eas penetrare subtilius desiderat, intus quidem nil inueniat: sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur, abscondat. Vnde per Salomonem dicitur: Prou. 30. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Et qui vehementer emungitur, elicit sanguinẽ*. Vbera quippe fortiter premimus, cũ verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus. Qua pressione dũ lac quærim⁹, bu-

A tyrum inuenimus: quia dũ nutriri vel tenui intellectu quærimus, hubertate internæ pinguedinis vngimur. Quod tamen nec nimie, nec semper agendum est: ne dum lac quæritur, ab huberibus sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam dum verba sacri eloquij plusquam debent discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Item super Iezechielem:
Gregor. Solent nonnulli scripta sacri eloquij legentes, cũ sublimiores eius sententias penetrant, minora mandata quæ infirmioribus data sunt, tumenti sensu despicere, & ea velle in alio intellectu permutare. Qui si recte in eo alta intelligerent, mandata quoque minima despectui non haberent: quia diuina præcepta sic in quibusdam loquuntur magnis, vt tamen in quibusdam congruant paruulis, qui per incrementa intelligentiæ quasi quibusdã passibus mentis crescant, atque ad maiora intelligenda perueniant. Vnde
Iezech. 3. de Iezechiele dicitur: *Fili hominis, quodcunque inueneris comede.* Quicquid enim in sacra scriptura inuenitur, edendũ est: quia & eius parua simplicem componunt vitam, & eius magna subtilem ædificant intelligentiam. Quæ igitur hic
B sequuntur, sic accipienda sunt, vt dicuntur: quibus imbuitur plebs illa iam cultui diuino dedita, vt & ipsa iuxta visũ suarum mediocritatem, boni aliquid studeat exercere: nec sit contenta pondere seruitutis sacramẽtis subdita, quibus aliena signetur iustitia: tanquam si cursor alicuius principis, epistolas eius ad longinquas deferat regiones: quibus quæ facienda sunt, alios doceat, ipse tamen ea non faciat.

Leuitici cap. XVIII *Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester.*

Dominum se sæpe nominaturus est, vt suæ potestatis metum illis incutiat, quos filiorum libertati nondum idoneos esse sciebat. Timore itaque illos ad suorum præceptorum executionem compellit, quos spirituali deuotione nondũ secututos intelligit. Vnde Apostolus gratiam noui testamenti discernens à seruitute veteris:
Galat. 3. *Prius*, inquit, *quam veniret fides, sub lege custodiebamur: lex quæ pædagogus noster fuit. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.* Iste ergo quem Dominum audiuimus, etiam quid præcipiat, audiamus.
C
Iuxta consuetudinem terræ Aegypti in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.

Difficile antiquus vsus deponitur, maxime si illi ad quos transimus, in eadem peruersitate inueniantur. Quasi enim duplici acie contra nos pugna consurgit, cum hinc recolimus mala quæ fecimus, illinc coram oculis quotidie habemus, quos ad peccandum imitari possimus. Ille itaque populus qui de vniuersis nationibus solus eligebatur, vt Deo subderetur & eius legibus deseruiret: necessario vtiq; fuerat præstruendus, vt malitiam vbique adhuc diffusam, attentius euitaret: ne aut pristina sua consuetudine traheretur, aut habitatorum regionis ad quam possidendam vocatus fuerat, peruersitatem imitaretur. Vnde & subditur:

Facietis iudicia mea, & præcepta seruabitis, & ambulabitis in eis.

Iudicia ad peccatorum pertinent vindictam, siue sua vnusquisque puniat, siue coerceat aliena, si hæc illi potestas
D concessa est. Præcepta vero in his quæ agenda sunt, nos imbuunt, & regulam nobis viuendi tradunt. *Facietis ergo*, inquit, *iudicia mea, & præcepta seruabitis, & ambulabitis in eis.* Quid est ambulare in præceptis Dei, nisi proficere, & ad virtutis augmentum incessanter tendere? Sic euidam ægro,
Marc. 2. sed sanato dictum est: *Tolle grabbatum tuum & ambula.*
Prou. 4. *Iustorum* namque *semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* Reperit autem quod dixerat, ad maiorem teipsius commendationem, subditque mercedem, dicens:

Ego Dominus Deus vester. Seruate præcepta mea atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus.

Vbi Dominum Deum ipsorum se nominat, non terrorẽ intentat, sed exhibet pietatem. Magna est enim Dei erga eos benignitas, cum ille qui omnium creator est, peculiariter se Deum illorum appellat, & illos vocat populum suum. Habes hoc & in Exodo, cum ad montem Sinai accessissent: vocato ad se Moyse, mandauit eis, dicens: *Si audieritis vocem* E
Exod. 19. *meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Hoc & in Psalmo: *Israel*, inquit, *si audieris me, non*
Psalm. 80. *erit in te Deus recens: ego enim sum Dominus Deus tuus.* Præcipiens ergo quæ agenda sunt, Dominum Deum ipsorum se esse testatur: vt ab illo & in labore petant auxilium, & post laborem mercedem expectent. Cum autem subdit tantum, *ego Dominus*, negligentibus & contemptoribus se timendũ insinuat. Quod vero obtemperantibus sibi Dominus vitam promittit, & ad præsentem & ad æternam referri potest, sicut & illud quod dictum est, *honora patrem tuum & ma-*
Exod. 20. *trem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Qui enim carnaliter sapiebant, super terram Chanaan promissionem hanc interpretabantur: alij per spiritũ edocti, ad terram viuentium hoc referebant, sicut & quidã ex ipsis testatus est:
Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentiũ.* Sed & pater Tobias hac spe captiuitatem & cæcitatẽ suam
Tob. 2. consolabatur, dicens: *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Huiusmodi ergo patres, qui in illo populo multi fuerant, cum subditi essent Deo, custodientes testimonia eius, & præcepta quæ dedit illis: vitam ab illo sperabant futuram, *confitentes* (vt ait Apostolus) *quia peregrini &*
Hebr. 11. *hospites sunt super terram.* Sed iam de præceptis ipsius quæ sequuntur, tractandum est. Incipit à continentia: nec tamen
1. Cor. 7. de virginitate vt Apostolus postea fecit, consilium dat: nec ipsam coniugalem copulam vsque ad septimam generationem, sicut nunc à patribus statutum est, consanguineis interdicit: sed secundum quod sequens lectio docebit, tantum inter parentes & filios vel filias, inter fratres & sorores, & huiusmodi propinquiores consanguinitates, coniugium illicitum esse decernit. Dicit ergo:

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Dominus.

Ne aliquid mysticum inuestigare conemur, vbi dicit, vt reuelet turpitudinem eius, B. Augustinus in locutionibus Augustin.
Leuitici nos instruit: Hac, inquiens, locutione concubitum vetuit cum his personis. Proximitatem vero non qualemcunque hic accipere debemus, sed eam solam quam sequens sermo determinabit. Sequitur enim:

Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies. Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius. G

Aduertendum est, quia de patre filiæ præcipit, ne qua mulier cum patre concumbat, sicut fecisse memorantur Gen. 19.
filiæ Loth: de matre vero, filio interdicit. Deinde subiungitur:

Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies. Turpitudo enim patris tui est.

De nouerca loquitur: ad quam postquam pater accessit, ne filius accedat, prohibetur. Item:

Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis.

Quæ domi, inquit, vel foris genita est. Domi gignitur, Domi vel foris gignat.
quæ ex legitimo nascitur coniugio: foris autem, quæ ex pellice aliqua procreatur. Quomodocunque ergo nascitur, siue ex patre, siue ex matre soror sit, legitimum cum illa matrimonium iniri non potest. Item:

Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non reuelabis: quia turpitudo tua est.

Prohibuerat coniugium inter patres & filios: nunc etiam addit & nepotes, filios videlicet filiorum, siue mares siue H
fœminæ sint. Item:

Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis.

Hoc & paulo ante iam dixerat, omnem sororem siue ex patre, siue ex matre, siue domi, siue foris genitam, à coniugio secernens: sed nunc de filia nouercæ singulatim exprimens, ne propter alienam matrem posse recipi iudicaretur: quia tamen ex patre soror est, ab illa abstinendum esse testatur. Item de amita seu matertera hoc ipsum decernit, dicens:

Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui.

Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eo quod caro sit matris tuæ.

A Rursus vxorem patrui, seu vxorem filij, sub eadem lege constituit.

Turpitudinem, inquit, *fratris patris tui non reuelabis: nec accedes ad vxorem eius quæ tibi affinitate coniungitur.*

Hoc quod dixerat, *turpitudinem fratris patris tui non reuelabis*: exponit, subdens: *Nec accedes ad vxorem eius*. Hanc quippe, vt ait Augustinus, turpitudinem patrui nominat, pudenda vxoris patrui. (August.)

Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui est: nec discooperies ignominiam eius. & vxorem fratris sui nullus accipiat.

Hoc autem quod de vxore fratris non accipienda breuiter subiunxit, speciali deinde præcepto prohibet, dicens:

Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.

(Deut. 25.) B Quod tamen de fratre viuente intelligendum est, cum lex alibi præcipiat, si quis mortuus fuerit, nō habens filios, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Vnde & Ioannes Baptista arguebat Herodem, quod viuenti fratri tulisset vxorem. (Matth. 14. Mar. 6.) Sequitur & de filia vxoris, si forte eam ex alio viro suscepit, quam priuignam dicimus, post vxoris thorum ad filiam eius nullus accedat: nec ad filiam filiæ, id est, ad neptem vxoris.

Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis.

Id est, simul vtriusque: tanquam reddens rationem cur ad filiam intrare non posset, quod scilicet prius ad matrem intrasset.

Filiam filij eius & filiam filiæ eius non sumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius sunt: & talis coitus incestus est.

Item de duabus sororibus, ne vni viro nubant, interdicitur. quod tamen Patriarchæ Iacob contigisse legimus, vt Rachel & Liam simul acciperet: (Gen. 29.) sed hoc ante legem factū est, vt præuaricatio illi pro huiusmodi nuptijs imputari nō posset. Quod si quis nobis opponat, huiusmodi cōiugium aut lege non esse prohibendum, si ante legem sanctum
C fuit: aut tantum virum illud sine culpa non suscepisse, si illicitum extitit: respondemus, huiusmodi copulam primis temporibus suæ sanctitatis modum habuisse; sed quia procedente tempore continentiæ virtus fuerat prouehēda, & maritalis licentia frenis arctioribus restringenda, ad honestatis augmentum tales nuptias lex prohibuit: nō quod precedēs earum iniquitas appareret, sed quod earum abstinētia magis deceret. Post diuinum autem interdictum, quisquis huiusmodi nuptias inire præsumpsit, præuaricator factus, crimen incestus incurrit. Dicit itaque:

Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies: nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente.

Quod superius de duobus fratribus, ne vnam accipiant dum ad viuunt vtrique, hoc nunc de duabus præcipit sororibus, ne vni nubant, vtraque viuente. Nec duorum ergo fratrum, si primus defunctus fuerit, vni mulieri: nec duarū sororum, si prima obierit, vni viro nuptias contradicit. *Sororem* igitur (inquit) *vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies.* Tanquam diceret: Postquam vxorem duxeris, si sororem illius superinduxeris, pellex esse poterit, vxor non erit.
D Hucusque de consanguinitate. Rursus mystica interserit, dicens:

Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes: nec reuelabis fœditatem eius.

Iam superius mulierem tempore fluxus menstrui separandam decreuerat: (Leuit. 15.) statuitque, vt quicunque cum illa coiret, septem diebus immundus esset. Quæ obseruatio quid mysterij contineret: ibidem tractatum est. Nunc igitur quia de illicitis complexibus agere cœpit, hunc etiam cæteris adiungit. Post hæc omne generaliter adulterium prohibuit, dicens:

Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis.

Cum consanguineis aut consanguineorum coniugibus si coeat quis, incestus dicitur: cum vxore vero proximi, adulterium. Sed de marito viuente hoc accipiendum est. (Rom. 7.) Alioqui *si mortuus fuerit vir mulieris, soluta est à lege viri.* Cur igitur de fratris vxore specialiter paulo ante præceptum dedit, vt eo viuente nubere fratri non possit, cum hæc lex generalis sit cuiuslibet matrimonij, vt viuente marito, si mulier ad alterum transeat, non coniugium illud dici possit, sed adulterium? Nam ab vxore patris, aut patrui, aliorumq; cōsanguineorum, quos supra enumerauit, ipsius etiam defunctis abstinendum est. De fratre vero cum præcipitur, vt si mortuus fuerit, ducat frater eius vxorem illius, nulla inter illum & quemlibet proximum apparet differentia: nisi dicamus quod ad vxorem fratris, etiam post mortem eius, si filios habuit, non liceat accedere: liceat vero duntaxat, si sine liberis obierit. Nam proximi vxor, defuncto viro suo, siue mater sit, siue non sit, soluta est à lege viri. Sequitur: (1. Cor. 7.) E

De semine tuo non dabis vt consecretur idolo Moloch: nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus.

Moloch Deus erat Ammonitarum. Per hoc autem idolum vniuersa idololatria interdicitur, à parte totum, ne s. qui vero Deo se subdiderant, pollucrent nomen eius, si ipso contempto, filios suos dijs gentium consecrarent. *Nulla est enim societas luci ad tenebras*, nec cultui diuino cōsensus vllus cum idolis. (2. Cor. 6.) F Quia tamen Moloch interpretatur rex, potest quoq; ad idololatriam nostri temporis hoc referri. Nisi enim in populo qui speciem pietatis habet, multi idololatræ essent, non diceret Apostolus de quibusdam, *quia venter Deus est illorum*: & quoniam *auaritia idolorum seruitus est.* (Philipp. 3. Ephe. 5.) Si igitur gastrimagia, si auaritia pro idololatria reputatur, cur non & superbia? Quia enim Deus summum bonum est, hoc vnusquisque sibi Deum facit, quod sibi summum bonum constituit. Qui ergo aut ventris concupiscentiam, aut amorem pecuniæ, aut honoris appetitum, diuinæ præferunt charitati: dum non verentur criminaliter peccando à Deo se alienare, tantum vt cupiditatis suæ desiderium valeant adimplere, isti inuisibiliter idola pro Deo colunt, quæ (vt diximus quod summa intentione appetunt, hoc pro Deo sibi constituunt. Moloch itaque de semine suo dare videntur, qui sub intentione acquirendi honoris terreni, & vt se super cæteros valeant efferre, boni aliquid operātur. Quod qui facit, Dei sui nomen polluit: quia contumelia Deo irrogatur, si posthabita gratia ipsius, vana laus & fauor inutilis ab hominibus expectetur. Deinde subiungitur: G

Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei: quia scelus est.

Multi, cum in scripturis talia reperiunt, abominantur, auertunt auditum, & pene, si audeant, legem diuinam quod in ea talia scripta sint, reprehēdere nituntur. Sed meminisse debemus quod superius legimus, (Leu. 11.) cum immundorum contactus haberetur, vasa omnia lignea vel fictilia, pelles & cilicia, cibus potusve, quicquid illud sit super quod de immundis aliquid ceciderit, polluitur: fontes vero & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda decernitur. Fontes (Fons.) namque vt ibi dictum est, sunt doctorum mentes: in quibus propter scientiæ abundantiam *factus est fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Ioann 4. Cisternæ.) Cisternæ vero sunt auditores: qui doctrinæ fluenta à peritioribus suscepta, intra memoriæ apothecam colligunt, atque conseruant. Sed quia Doctores nunc de virtutibus, nunc de vitijs scripto verboq; disputant, laudāt illas, ista redarguunt: auditores quoque ipsorum, quod ab H eis dicitur, hoc mente pertractant, & memoriæ custodienda commendant: fit, vt siue in doctorum fontibus, siue in auditorum cisternis immunda claudantur, quorum tamen præsentia non polluuntur, quia aliud est vitia cogitare, aut de vitijs loqui sub deliberatione peccandi, aliud, si ea intētione discutiantur, vt subtilius agnita, facilius caueantur. Scriptura igitur sacra multa in suis tractatibus immunda recipit, quorum tamen tactu non contaminatur: quia fluuius hic paradisi sordes abluere potest, sordes vero contrahere nūquam potest. (1. Cor. 6.) Inde est quod etiam Apostolus multa huiusmodi commemorat, dum neque fornicatores, neq; adulteros, neque molles, neq; masculorum concubitores, regnum Dei possessuros esse denunciat. Nobis ergo potius imputemus, qui audire talia digni sumus, quam legem diuinam in aliquo reprehendere præsumamus. Nam quasi satisfaciens nobis sermo diuinus, & cur talia loquatur rationem exponens, vt ostendat his cum quibus agit, hoc necessarium fore: subiungit, dicens:

Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuer-

A *sagentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum: & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.*

Ergo quoniam in illam terram fuerant introducendi, quam possessores sui varijs immunditijs cōtaminauerant: timendum erat eis, & necessario vtique fuerant præstruendi, ne eorum communicarent sordibus, quorum habitacula fuerant possessuri. Quod autem terra polluta dicitur, ad habitatores referendum est. Nam simplex & stolidum elementum, peccati contagium suscipere non pōt. Inde est q subiungit: *Cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Scelera terræ dixit scelera eorum, qui in illa conuersati sunt: quos & puniendos insinuat, cum patrijs agris eijciendos demonstrat. Potest quoque terra polluta intelligi, quantum ad affectum iustorum: qui dum hominum immunditias attendunt, etiam locum execrantur, in quo tanta scelera perpetrata cognoscunt. Sequitur:

Custodite legitima mea atque iudicia, vt non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinatur B *apud vos. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.*

Post admonitionem vero etiam terrorem intentat, dicens:

Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gentem quæ fuit ante vos.

Sed quia minus est, terrena hereditate nudari, subiungit quod magis timendum sit, dicens:

Omnis anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui.

Hic timor, hic sollicitudo adhibenda est, ne perdamus societatem populi Dei: nam terræ Chanaan possessio, perpetua nulli conceditur. Quibus enim eam præuaricatio non abstulit, conditio mortis extorsit. Sequitur:

Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerūt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

Quam blanda & paterna communicatio. Prorsus se ad infirmitatem intelligentię illorum deposuit, nihil loquitur C arduum, nihil mysticum resonat: sed plana & aperta collocutione, tum minis, tum prōmissionibus ad obseruantiam eos sanctitatis inuitat. Hactenus de continentia tractatum est. Alijs item præceptis eos informat, ita subijciens:

Vt tendant ad similitudinem Dei per diuinorum custodiam mandatorum.

Cap. V.

Leuitici cap. XIX. **L**ocutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: *Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Ecclesi. 2. *Quid est* inquam *homo, vt sequi possit regem factorem suum?* Verba sunt Salomon. Iure enim ab homine similitudo Dei exigitur: quia ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo. Quod si peccando opus creatoris in nobis obfuscauimus: ad misericordiam illius fugiēdum est: vt eius reparetur gratia, quod nostra corruperat insipientia. Dicat D ergo: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Deinde subiunxit:

Vnusquisque matrem & patrem suum timeat.

Mouet me, cur ad imitationem nos inuitans Deus: statim de honore parentum mandat, cum apud Deum nulla huiusmodi consanguinitas inueniatur, in qua huius præcepti formam considerans homo, habeat quod imitetur. Quod si in sancta trinitate creditur pater & filius, quis de honore illo audeat loqui, quem ibi filius exhibet patri? Vere cōtremiscit anima nostra, cum illa respicimus. Est tamen quod hic respondere possimus, nostra duntaxat loquētes: nec ea quæ nostram capacitatē superant, temere præsumētes. Sed iustus est Deus. iustitia autem est, vt singulis sua reddantur. imitatur Deum, quisquis parentib. honorem debitum reddit. Agit .n. quod iustitiæ & pietatis est, quæ vtraq; in Deo rectissime creduntur, si non erga superiores, quia Deo superior nullus est: certe nobis quos condidit, abundantissime impenduntur. Sequitur:

Sabbata mea custodite.

E Hoc manifeste ad illam, de qua prędixerat, pertinet sanctitatem. Nam hoc ipsum alibi sic præcipit, dicens: *Memento vt sanctifices diem sabbati.* In sabbati autem requie, vt ait B. Exod. 20. Augustinus in quæstionibus Exodi, cum ibi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. August. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur. Timor autem tormentum habet, & in tormento quæ requies? Vnde *timor non est in charitate. Charitas* 1 Ioan. 4. *autem diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. Ideo sabbatum requies sancta Domino, Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Plenitudo aūt sabbati erit in requie sempiterna. Hæc de custodia sabbati clarissimus Doctor nobis exposuit. Quæ quia loci huius gratiam impleuerunt, liberam transeundi nobis tribuunt facultatem. Sequitur:

Ego Dominus Deus vester.

Ego, inquit, qui quietem diligo, qui animab. vestris per spiritum meum quietem tribuo: & quod interim minus est F in vestra requie, in æterna vita me adimpleturum esse repromitto. Deinde subiungitur:

Nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester.

Cum dicitur, *Deos fusiles ac feceris tibi:* locutio est, inquit August. Augustinus, a parte totum significans. Neque enim quia fusiles tantummodo nominauit, fieri ductiles sculptilesve permisit.

Si immolaueritis hostiam pacificorum Domino, vt sit placabilis: eo die quo fuerit immolata, comedetis eam & die altero. Quicquid autem residuum fuerit in diem tertium igni comburetis. Si quis post biduum comederit ex ea profanus erit: & impietatis reus, portabit iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit. & peribit anima illa de populo suo.

Hoc ipsum etiam superius in lege hostię pacificorum reperies his verbis: *Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam,* Leuit. 7. *eadem edetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet. Et* G *si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti. Quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit.* Super quibus etiam quæ tunc tractaueramus, breuiter repetimus: si quis ea plenius scire desiderat, illuc recurrat. Victimam* *pacificorum. pacificam immolat, quisquis bonorum operum studijs pacem cum Deo reformat. Quam victimam prima ac secunda die comedere licet: quia cum primum seculo renunciamus, actiuæ vitæ exercitium necessarium habemus: in quo qui perfectionem obtinere nequiuerit, ad contemplatiuā transire licebit: vt in illa velut in die secunda, sanctitatis acquirat plenitudinē, quam nō acquisiuit in prima. *Quicquid* Leuit. 7. *vero tertius dies inuenerit, ignis absumet:* quia post hæc duo religionis genera, quæ in hac vita habentur, solum retributionis tempus relinquitur, huius vitæ succedēs laboribus: cui si carnes hostiæ nostræ reseruētur, ignis eas, ne comedi valeant, absorbebit: quia si de his quæ agenda sunt, aliquid in tempus illud distulerimus, absumet nos iudicij diuini districtio: vt iam bonum operari homo non possit, quod hic dum licuit operari, contempsit. Tunc enim non operandi H tempus erit, sed quod egimus recipiendi. *Si quis vero de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec* Leuit. 7. *proderit offerenti.* Qui enim dum sibi vacat, ad opus iustitiæ piger, tunc iam tempore transacto, ad pietatis exercitia se excitare voluerit: voluntas nanque pro opere posita est, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti. *Quodcunq;* (ait Salomon) *pōt facere manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio* Ecclesi. 9. *est apud inferos quo tu properas.* Aut certe, quia carnes pacificorum sunt misericordiæ opera, quibus in gratiam conditoris post culpam reducimur: illi carnes hostiarum nostrarū comedunt, qui eleemosynas nostras in vsus proprios suscipiūt, & per eas sustentantur. Sed si quis tunc comederit, id est, si nos nunc ad compassionem inflexibiles, fieri misericordes esse voluerimus, & alijs comedenda præstare, irrita fiet hæc oblatio. Quia vero non solū huiusmodi voluntas tunc inutilis est, sed etiam nunc praua opinio plurimum noxia: si quis æternitatis tempore hæc nostræ mortalitatis Millenariorum hæresis subsidia credat esse necessaria, quod a quibusdam Millenarijs, qui mille annos carnalis conuersationis post resurre-

ctionem

A Leu. 7. ...ctiones ... comedit ... qui ... est, apte subiungitur: *Quia polluta quacunque anima talis edulio contaminauerit, preuaricationis rea erit.* Contaminatur enim fides nostra si de gloria immortalitatis tam carnaliter sentit: vt postquam absorpta fuerit mors in victoriam, *postquam corruptibile hoc induerit incorruptionem*, (1. Cor 15.) beatos iam & sanctis angelis coæquatos, rursus ad concubitus immunditiam, ad ventris & gutturis illecebras existimet esse redituros. Hæc itaque super hoc capitulo iam ante tractata sunt. nunc vero aliquid amplius additur, cum dicitur: *Si quis post biduum comederit ex ea profanus erit*: quod fidei vel lauem integritate ... *impietatis reus*, dum diuinas promissiones in quibus sanctorum spes reposita est peruertere mittitur: *Portabit*, inquit, *iniquitatem suam*, id est, ... suæ pœnas luet: *quia sanctum Domini polluit*. sanctæ ... licet ciuitatis gloriam & incorruptionem, ad mortalitatis nostræ infirmitatem sua opinione deposuit: *& peribit anima de populo suo.* Sequitur:

B *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges, neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester.*

Si literam secutus fueris, opus misericordiæ est, vt in colligendis fructibus tuis non pertinacem sequaris auiditatē, sed extrema falcis & quæq; decidentia egēnibus relinquas. Sed quid est quod vsque ad solum terra tonderi prohibetur? Forte quia & splaresidua stipula, aliquem pauperibus vsum potest præbere. Intellectus tamen spiritualis magis in hac parte suscipiendus est. In eo namque quod corporaliter obseruare præcipiuntur, quales ipsi futuri essent, allegorice designatur. Est etenim messis sacrorum eloquiorum, quæ dudum quasi illorum propria fuit, quia soli legem diuinā susceperant. Spicarū vero quædam grana sunt verba prophetarum. Has spicas discipuli Christi cū esurirent, die (Marc 2.) sabbati vellebant: & frangentes eas, grana interiora a paleatum integumentis eduebant. *Sapientiam enim, ait, scri- (Eccli 18.) bens tempore otij, & qui minoratur actu, percipiet illam.* Ideo die

C sabbati spicæ velluntur & franguntur: quia verba propheticæ liberius ab otiosis discutiuntur. Hanc igitur messem populus ille vsque ad solum non tondebat: quia carnaliter omnia audiens, spiritualis in his intelligentiæ obliuiscebatur. nonnulli sensus ergo mysticos quos ille paruipendit, gētilis populus primos meliores sequens, & post illos ad fidē accedens, cum magna auiditate collegit. Vnde habes in Iob: (Iob. 5.) *Cuius messem famelicus comedet.* Et his etiam famelicis, Anna (1 Reg. 2.) prophetante dicitur: *Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.* Septuaginta interpretes, qui translationē sua ad mysterium cuncta inflectebant, hic sunt verbis, in quibus hoc quod diximus, magis eluceat. Sic enim positum est: *Et permetentibus vobis messem agri terræ vestræ, non perficietis messem vestram agrorum.* Ergo metebant messem agri sui, aperta quæq; & quæ littera exhibebat. sic decerpentes: sed non perficiebant messem suam: quia hubertatem panis cælestis sub literalitatem, sinceri igare non poterant. Idē & in vineam eius gitur. Vinea namque est Scriptura diuina, quæ vinum nobis profert scientiæ, quod bibentem lætificat, & feruore spiritualis amoris inebriat. In huius sententiis multiplicibus quicquid ad spiritualem intelligentiam referri

D potuit, quasi minutū quid & minus vile, populus ille corporis sui sensibus deditus, congregare contempsit: pauperibus sinu & peregrinis carpenda dimisit. Quibus etiam iam domesticis effectis, postea per Apostolū dicitur: *Iā non estis* (Ephe 2.) *hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.* Bibentes enim vinum quod de vineæ huius hortis expresserant, ad Dei peruenerunt notitiam. & charitate illius inebriati, facti sunt amici, qui prius fuerant alieni. Vnde sub specie Idumææ gentilitatē vniuersam Ieremias alloquitur, dicēs: (Thren. 4.) *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus. ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* Hus, consiliatrix sonat. Gētilitas ergo primo terrena cupiditate grauata, postquā in verbo Dei consilio suæ salutis inuenit, in quo & perseuerantiæ suæ habitaculum fixit: gustato calice spiritalis scientiæ, inebriata est atque nudata. Inebriata, charitate diuina: nudata, possessione terrena. Quod etiam Sibyllinis versibus olim prædictum fuerat:

E *Reijcient simulacra ... Lingua, gazam.*

Postquam igitur Tyrus & Sidon iuxta Zachariæ vaticinium, (Zach. 9.) aiunt ... sibi sapientiam valde, in agro dominicæ ... solum attigerunt: quia sapientiæ cælestis ibidem deprehenderunt æternitatem, mysticam scilicet interpretationem, quam populus ille carnalis paruipendebat, ad literæ sterilitatem omnia referens, vt animabus ... pascuas huberrimas inuenirent. & adimpleretur in eis quod Isaias prædi- (Isa. 5.) cebat, quia deserta in hubertatem versa, aduenæ comedēt. Hinc ad reliqua transeamus.

Non facietis furtum. Non mentiemini.

... nquā mendaciorum multiplex discretio sit, quia aliud est mendacium quod in rebus diuinis admittitur, aliud quod in rebus corporis nostri curæ necessariis, cum aut res aliena fallaciter vsurpatur, aut nostra per mendacium conseruatur: ne ... discretione ista arguen... omne tamen mendacium generaliter vitandum esse innotuit, qui dixit: *Non mentiemini.* Quia vero potest sine verbis mendacibus proximo subripi, dum in quolibet rerum contractu iustitia non tenetur, aut vendendo carius, aut vilius emendo, apte subiungitur.

F *Ne decipiat vnusquisque proximum suum.*

Vnde Apostolus ad Thessalonicenses scribens: *Hæc est,* (1. Thess 4.) inquit, *voluntas Dei, vt non supergrediatur quis neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Deus de his omnibus, sicut prædiximus vobis & testificati sumus.* Sequitur:

Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

Notandum quod non ait, Non iurabis in nomine meo: sed, *Non periurabis.* De diis vero gentium in Exodo præcipi- (Exod. 23.) tur: *Per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.* In nomine ergo suo non periurandū: per nomen vero externorum deorum, omnino iurare prohibet iuramentum. Quod igitur in Nouo Testamento dictum est, non iu- (Matth. 5.) ninō omnino: propterea vt ait B. Augustinus dictum videtur, non quia verum iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est: à quo nos lōge esse voluit, qui

G omnino ne iuremus, admonuit.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij apud te vsq; mane.

Fortasse propter pauperes hoc dictam existimetur, qui quotidiano labore suo victum quotidianū acquirunt: quibus si dilata fuerit merces sua in crastinum, vnde se reficiant non habebunt. Sicut in beneficiis gratis impendēdis dictum est, *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo* (Prou. 3.) *tibi, cum statim possis dare*: quanto magis quod labore proprio acquiritur, non est mercenario differendum cum ab eo exigitur? Quia tamen nescio si quisquam modo inueniatur, qui hoc semper obseruet: & frequentissime etiā cum gratia & fauore operariorum contingit, vt opera sui mercedem eadem die non recipiant, sed vsque ad tertiam aut quartā diem, vel etiam septimā libenter se differri sustineant: videtur mihi in tam festina recōpensatione mercedis, quæ populo illi indicitur, forma apparere sacramenti. Populus namq; ille antiquus in corporalib. suis obseruantiis, quas per legis censuram susceperat: in quibusdam motum suorum, in quibusdam diuinæ pietatis aut iustitiæ speciem prætendebat. Nam quid de segete piæ ... vt non ton-

H deant eam vsq; ad solum: paulo ante ostendimus, quia hebetudinis qua eorum obtundebatur intelligentia, prætendit imaginem. Item vbi in Exodo legitur, *primogenitum asini redimes oue: quod si non redemeris, interficies*: diuinæ distinctionis sacramentum intelligitur, quod obseruare iubetur. Per primo- (Exod. 11.) genitum nanque asini, quod animal immundū est, primum vita in vinjs exacta intelligitur. Quisquis ergo tpe adolescentiæ suæ carnis illecebris subditus fuerit, bonū est vt se corrigat: & præcedentes lapsus suos, innocentia subsequēte cōmutet: alioqui mortem perpetuā non euadet. Cū igitur & hic eris præcipitur, vt vnusquisq; mercenario suo eadē die mercedē restituat, ne in mane sequenti dies vacuū illū dimittat: forma est diuinæ liberalitatis, quæ illis imponitur: vt qui Deum colere docebantur, ad eius similitudinem & motū sanctitate, & quodā viuendi genere trahe rentur. Habet n. creator noster operarios suos, quos iuxta

A

euãgelicam parabolam, horis diuersis in vineam suam mittit. quibus etiam mercedem restituit, denarium retributionis æternę. Sed quia merces illa sequenti est diei, & mane expectat vltimum, non protrahuntur qui Deo seruiunt, nec à fructu operis sui vsque ad illud tempus vacui dimittuntur. Accipiunt nanque mercedem ante mercedem. Inde est quod prædicatoribus in mundum missis, sumptus & alimenta ex euangelio conceduntur: dignusque mercede sua operarius esse perhibetur. Iam, inquit beatus Gregorius, de mercede operis sunt ipsa alimenta sustentationis: vt hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Generalius quoque Dominus omnibus pollicetur, dicens: *Qui dimiserit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc seculo, & postea vitam æternam.* Et re vera quis æstimare possit, quanta Christus his qui temporalibus pro nomine ipsius renũciant, etiam temporaliter reddit, dum *alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij interpretatio sermonum?* Quod & si cui sanctorum desit hæc manifestatio spiritus, nunquid alicui deesse poterit animæ requies, quæ omnibus mundi huius diuitijs anteponenda est, dicente Domino: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris?* Quãta enim sit animæ repausatio, cum mundi concupiscentias abijcit, & paruo gaudere consuescit: quidam etiam de externis testatus est, dicens:

Matth. 20. — Matth. 10. Luc. 10. — Matth. 19. — 1. Cor. 12. — B — Matth. 11.

Fuge magna licet sub paupere tecto
Reges & Regum vita præcedere amicos.

Non igitur differt Deus operarios suos in mane futurum, sed statim respondet iustis iuxta meritum suum, magna præbens, maiora promittens: *diues in omnes qui inuocant illum, & dans omnibus affluenter:* vt etiam in præsenti sit fructus iusto, & appareat Deus iudicans eos etiam in hac terra. Hãc immensam bonitatem suam nobis aperiebat, cum populo quem sibi conformari volebat, præcipiebat, dicens: *Non commorabitur opus mercenarij apud te vsque mane.* Sequitur:

Iacob. 1. Rom. 10.

C

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

Eos maxime tueri & vindicare solet Deus, qui sibi ad tutelam & vindictam adesse non possunt. Inde habes in Psalmo, quod pater orphanorum & viduarum iudex nominatur. Prouerbialiter tamen hoc accipiendum est: vt cæcus intelligatur, qui non videt ruinam quæ sibi paratur; surdus autem, qui cum absens sit, non audit, quãdo sibi maledicitur. Cum igitur læsio proximorum ipsis occultatur, ille tamen timendus est, quem iniquitas nostra latere nõ potest.

Psalm. 67.

Nec facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis.

Vt prius scilicet ab iniquitate declines: deinde, si iudicandi potestas concessa tibi fuerit, circa illorum peruersitatem libere iustitiam serues. Alioquin si tu illicita aliqua cõmittas, *alios iudicans, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Quanta vero æqualitas circa omnes in iudicijs seruãda sit, aperte declaratur cum subditur:

Roma. 2.

Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo.

Hoc etiam in Exodo ita positum reperies: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt a vero deuies. pauperis quoque non misereberis in iudicio.* Nonnulla itaque pluribus in locis repetita inuenies, quorum tamen repetitio non est superflua iudicanda, iuxta illud Apostoli: *Eadem scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Nam sicut etiam de mundi huius sapientibus quidam testatus est, Nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. Quibusdam remedia monstranda, quibusdam inculcanda sunt.

Exo. 23. — D — Phil. 3.

Non eris criminator & susurro in populis.

Criminator dici potest, qui alieno delectatus improperio: & interdum etiam quæ non nouit, libenter proximis crimina imponit. Cum autem scriptum sit, *Iustus in primis accusator est sui:* manifestum est, quam odiosum sit, vt quis vitiorum suorum negligẽs, aliena solicitus inquirat, agnita insultando proferat: ea etiam quæ sibi non elucent, tanquam iam probata sint, criminandi voluptate vera esse decernat. Susurrones vero sunt, qui in facie blandi, proximorum mala latenter alijs insusurrant. De quibus Salomon: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Itemque alius: *Susurro, inquit, & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes.* Apostolus quoque: *Susurrones, ait, detractores, Deo odibiles.*

Criminator quis. — Prou. 18. — Susurrones qui.

E — Eccle. — Eccle. 28 — Rom. 1

Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus.

Stare contra sanguinem proximi, est vitæ eius insidiari. Antequam enim sanguinem hominis fundas, si iam mortem eius optas, si quæris tempus & locũ vt occidas, stas cõtra sanguinem proximi. Adhuc ille viuit: & Deus qui cor tuum penetrat, te iam homicidam conuincit. Vnde apte subiungitur:

Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.

Legimus, dicente Iacobo Apostolo, *quia fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.* Idcirco omni conatu, omni solicitudine pacem inquirere & persequi debemus fugientem: quia sine pace nemo Deum videre, nemo fructum iustitiæ poterit afferre. Innumerabilia autem in conuersatione quotidiana scandala oriuntur, quibus pax nostra scinditur, quibus charitas fraterna de nostris cordibus expellatur, nisi nos inuicem supportemus: & post dura verba, post varias iniurias, cito nos in concordiam reuocemus. Vnde filius Sirach nos hortatur, dicens: *Corripe amicum ne forte non intellexerit, & dicat, non feci. aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit: & si dixerit, ne forte iteret.* Corripe amicum, sæpe enim fit commissio, & non omni verbo credas. Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non delinquit in lingua sua? Sed & summus magister in Euangelio: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si audierit te, lucratus eris fratrem tuum.* Conformiter igitur his etiam legislator protulit, dicens: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Quod tamen dicit publice fratrem arguendum, non sic accipiendum existimo, quasi statim coram multitudine obiurgandus sit: sed quoniam latens odium prohibuerat, dicens: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo:* publice subdidit admonendum, id est in manifesto: vt dolor occultus non reseruetur in corde, sed tempestiue qui iniuriam intulit, super temeritate sua conueniatur: & pœnitentia ipsius pax, quæ violata fuerat, in integrum reformetur. Sequitur:

Iacob 3. — F — Eccli. 19. — Matth. 18. — G

Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.

Magna sunt hæc & manifesta. nulla sonat hic figuratiua locutio, nullius apparet mysterij velamen, nec laborandum est vt exponantur: laborandum tamen est vt opere compleantur. Et quidem animarum nostrarum quies est, vt diuinorum præceptorũ nos rectitudini conformemus: quia tamen peccando in hunc languorem decidimus, vt pax nobis inquieta, & sanitas videatur amara, nequaquam sine labore laborem euadimus: vt vitijs tandem expugnatis, in amore virtutum veram & perpetuam quietem reperiamus. Quid enim arduum est Christiano, qui per mansuetudinis gratiam filius Dei efficitur, qui ad tantum bonum patris cœlestis prouocatur exemplo, vt vendicari nolit, vt iniuriarum immemor sit. si hominem gentilem & à pietate alienum, Cæsarem dico, in summa potestate constitutum, cum laudaret Cicero, Nihil, inquit, obliuisci solebas præter iniurias? Sed videbitur fortassis lex ipsa contraria, quæ hic vindictam interdicit: alibi vero & vindicari in reos præcipit, & vindictæ ipsius modum ponit, dicens: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnãtem & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno quantũ expetierit maritus mulieris, & arbitri iudicauerint. Si aũt mors eius fuerit subsecuta, reddet animã pro anima, oculum pro oculo, dentẽ pro dente, manũ pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione.* Notandũ enim in his verbis, quia non solũ iudicãtis seueritas informatur: sed & ille qui iniuriam passus est, ad vindictę exactionem relaxatur, cũ dicitur: *Subiacebit damno quantũ expetierit maritus mulieris.* Vnde & in alijs quæ subiecta sunt, simul cẽ legis cẽturam accipimus: vt si cui oculum alienus furor excussit, liceat ei percussoris sui oculũ iure vindictæ repetere, *dentẽ pro dente, manũ pro manu, pedẽ pro pede, adustionẽ pro adustione.* Quid igitur in huiusmodi legis discretio cõsiderãda est, quæ nunc summa prædicat, nunc se eorum quibus loquebatur, infirmitati conformat? Cũ enim dicit, *nõ quæres*

Ciceronis de Cæsare præconiũ. — Exod. 21 — H — Matth. 5. Leuit. 24. Deut. 19.

vltionem,

A

vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum: satis apparet, quid maxime in moribus humanis diligat Deus. Cum autem qui passus est iniuriam, ad repolcendam relaxatur vindictam: non mutatur legis intentio, sed cui mansuetudinis virtus persuaderi non potest, saltem indignatio temperatur: vt vindictæ ipsius modum teneat, & plus quam pertulit non reposcat.

Matth. 19.

Sic etiam, teste Domino, ad duritiam cordis eorum, permissum est eis dimittere vxores suas: cũ voluntatis tamen diuinæ esset, vt *quod Deus coniunxerat, homo non separaret*. Hanc moderationem etiam in nouo testamẽto reperies.

1. Cor. 7.

Volo, ait Apostolus, *omnes homines esse sicut meipsum. Sed vnusquisq; donum propriũ habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Dico innuptis & viduis: bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam vri*. Sic igitur & lex vult nos quidem ad ignoscendum esse faciles, iniuriarum immemores: Sed si quis hoc non capit, iustum ei vindictæ modum statuit, quem transire non possit. Neque enim iniuste ab eo qui læsit, vindicta reposcitur, vt sustineat vnusquisque quod fecit.

B

Iac. 3.
Matth. 18.

Sed quoniam *in multis offendimus omnes*, & decem millium talentorum debito constringimur: expedit nobis, vt quod iuris nostri est, proximis relaxemus, vicemq; mutuam in diuino iudicio recipiamus.

Eccles. 28.

Alioqui sicut in Ecclesiastico scriptum est, *qui vindicari vult à Deo inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit: Relinque*, inquit, *proximo tuo nocẽti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi nõ habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur altissimum?

Ibidem.

Quis exorabit pro delictis illius? Ac deinde: *Memento, ait, nouissimorum, & desine inimicari. Memorare timorem Dei & non irascaris proximo. Memorare testamenti altissimi, & despice ignorantiam proximi*. Hæc sunt quæ ad benignitatem nos compellunt, vt donemus inuicem, sicut volumus à Deo donari nobis:

Luc. 21.

sicque *per patientiam possidentes animas nostras*, charitatem quæ salus illarum est, perpetuam retinere possimus. Inde est enim quod subditur:

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Galat. 5.

Omnis lex, teste Apostolo, *in vno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

C

Rom. 13.

Nam, *Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces*, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: *Diliges proximum tuum te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo* ergo *legis, dilectio*. Quærendum est, cum Apostolus in dilectione proximi, plenitudinem legis esse testetur: cur Dominus in euãgelio imperfectam eam asserat,

Matth. 5.

dicens: *Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: vt sitis perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*. Imperfecta ergo proximi dilectio, Domini sententia dicitur, si non vsque ad inimicorum dilectionem nostra charitas extendatur.

Gal. 5.

Apostolus autem: *Omnis lex in vno sermone completur, Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Quæ est ista contrarietas? Quasi repugnans & oppositum esse videtur. Sed notandum quia Dominus proximum nominat, secundum intelligentiam Iudæorum, qui proximum non nisi amicum & familiarem accipiebant. Inde est quod in euan-

Matth. 5.

D

gelio subiungitur, Domino dicente: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Et puto apud Iudæos diu hoc in quæstione fuisse, quis proximus esset habendus. Quod ex illa lectione apparet, in qua legisperitus cum Do-

Luc. 10.

minum interrogasset, *quid faciens vitam possideret æternam*: reductus in memoriam legalium præceptorum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum*: statim quærendum existimauit, dicẽs, *Et quis est meus proximus?* Dominus autem introducta parabola Samaritani, qui proximus factus est homini qui inciderat in latrones, proximusque eum agnouit, non propter præcedenté familiaritatem, sed propter solam naturæ communionem: satis ostendit omnem hominem homini proximum esse: sicque vnicuique subueniendum fore in angustiis constituto, quomodo vnusquisque sibi subueniri vellet, si in eadem tribulatione positus esset. Cum tamen in hoc loco proximi dilectionem asserit imperfectam, ad eorum (vt diximus) intelligentiam se deponit, qui sic de diligendo proximo sibi mandatum arbitrabantur, tanquam ad inimici odium relaxarentur. Apostolus vero cum plenitudinem legis in dilectione proximi esse testatur omnem hominem sub proximi nomine comprehendit: attendens in hominibus non pristinæ conuersationis cõtubernium, sed solius naturæ consortium. Hæc est dilectio quę malum non fecit, & legem perficit, dum circa omnes homines innocentiam custodit. Alioqui si charitatem tuam ad solos eos qui te diligunt, reuoces, multam circa ignotos & inimicos materiam peccandi reperies. Est aliud quod adhuc præcepti huius imperfectionem ostendere videatur. Narrat euangeli-

Matth. 19.
Mar. 10.
Luc. 18.

ca historia, adolescentem quendam ad Dominum accessisse: qui cum requisisset quid boni faceret vt haberet vitã æternam, dictum est illi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non homicidiũ facies. non adulterabis. nõ facies furtum non falsum testimonium dices. honora patrem & matrem. & diliges proximum tuum sicut teipsum. Respondit adolescens: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade. vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me*.

F

Ecce cum adolescens respondisset se omnia seruasse quæ dixerat, inter quæ etiam erat quod in manibus habemus, *diliges proximum tuum sicut teipsum*: tamen audiuit à Domino, quod aliquid adhuc sibi deesset: & nisi venderet quæ habebat, perfici nõ posset. Quomodo igitur plenitudo legis est dilectio? Quomodo in hoc vno sermone omnis lex completur, *diliges proximum tuum sicut teipsum*? Sed aduertẽdum est, quia adolescens minus quam debuerat se diligebat. & idcirco sufficiens non erat, si eandem quam sibi dilectionem proximis impendebat. Cum enim vendendi omnia consilium à Domino suscepisset, *abijt tristis*, nec fecit quod audierat: quia multas habebat possessiones, quarum cupiditate quasi compede religatus, vocantem se magistrum cælestẽ sequi non poterat. Minus ergo se diligebat, qui pro salute animæ suæ omnia quæ mundi sunt, relinquere non vale-

August.

bat. Eis ergo qui huiusmodi sunt, testatur beatus Augustinus non posse sufficere, si alios vt se diligant: quod tibi imperfectum exhibent, aliis quoque imperfectum conseruant. Dicit ergo: Videre quãtos proximos habeat vnus homo. Oẽs homines in quos incurrerit, quib' iungi potuerit, proximi eius sunt.

G

Quomodo igitur discutiendus est virũ diligat se, cui committendi sunt tot proximi, vt sic eos diligat tanquam se? O homo, volo tibi committere proximũ, vt diligas eum tanquam teipsum. Volo, sed adhuc timeo. Prius enim discutere volo, quomodo diligas teipsum. Si enim tu ipse sic te diligis, vt perdas te: sic profecto perditurus es & eum, quem diligis sicut te. Nolo ergo quenquam diligas, vel solus pereas. Aut corrige dilectionẽ. aut respue societatem. Prorsus proximum dilige, & sufficit. sed dilige quomodo teipsum diligis, non quomodo teipsum odisti. Quærere habes quõ diligas te: & audire habes, *Dilige Dominum Deum tuum & ex toto corde tuo*. Ipse est salus animæ tuæ. Illi si te totum reddideris, vere te amabis. Si vero per varias cupiditates defluens, ab eo longe te feceris, inimicus tibi eris. Hæc est imperfectio adolescentis illius. Proximum se

Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 18.

dixit diligerẽ tanquam se: sed diuitias adhuc amplecteos, non ex integro se Deo reddidit, vnde nec integre seipsum dilexit.

H

Vt igitur in dilectione proximi plenitudo legis inueniatur, nec proximi nomẽ contrahere oportet, nec diligendi formam passim accipere. Huc vsq; duobus capitulis euangelicis responderimus, quæ sanctioni Apostolicę contraria videbantur. Tertio vero loco qualitatem ipsius præcepti iuuat discutere si forte fieri possit, aut fieri debeat, vt vnus homo omnes homines tanquam seipsum diligat. Et quidem Dei mandatis credimus, quia iustum est quicquid iustus præcipit, nec quod homini iubetur, humanæ naturę capacitatem excedit. Ad hoc tñ quæ dicuntur, pertractanda sunt, vt eorum vtilitas elucescat: appareat ratio, & possibilitas demonstrata, nos ad obtemperandum strenuos reddat. Primo igitur de possibilitate præcepti huius, si mores nostros interrogemus, quando fieri posse videbitur, vt inimicos tanquam nos diligamus, qui nec amicis nostris verũ affectum impendimus? Ad eos itaq; veniendum est, qui inter homines summi apparuerunt, qui virtutis nobis præbuerunt exempla: in his.n. reperiendum est, quicquid boni in hac vita humana fragilitas sperare præsumit. Quis nã-

A Pro. 13. *Sicut. Eccle. 13. Rom. 12. Eccli. 6.

bonis iungenda est, dicente Salomone: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus autem stultorum, efficietur similis.* Itemque filius Syrach: * *Si communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator iusto.* Quia igitur cum omnibus pax tenenda est, iuxta illud Apostoli, *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:* cum paucis autem societas iucunda, docet nos scriptura, dicens: *Multi pacifici sint tibi, consiliarius autem tibi sit vnus de mille.* Hunc vero consiliarium quidam de mundi sapientibus prius diligenter examinandum testatur, & tunc demum ad arcanorum notitiã admittendum. *Diu, inquit, cogita, virum tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Tam audacter cum eo loquere, quam tecum. Cum amico omnes curas, omnes cogitationes misce. Fidelem si putaueris, facies.* Ideo & quidam de nostris ait: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui inuenit illum, inuenit thesaurum.* Amico fideli nulla est comparatio, nec est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.

Ibidem.

B

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER XIV.

PRÆFATIO.



IN sacra Scriptura species dictionis quatuor sunt: historica, prophetica, prouerbialis, & simpliciter docens. Historia est præteritarum rerum narratio, vt in quinque libris Moysi. In quibus licet res de quibus agitur, plenæ sint figuris: historialiter tamen legislator ea vel à Domino iussa, vel à se & à populo illo completa esse pronunciat. Itẽ Iesu Naue liber, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenõ, Esdras, Esther, quatuor Euangelia, Actus Apostolorũ, ad diuinam historiam pertinent. Nam Thobias, Iudith & Machabæorum, quamuis ad instructionem ecclesię legantur, perfectam tñ non habent autoritatẽ. Prophetica locutio est, cum futura prædicuntur. Ista in Psalmis reperitur, Isaia, Ieremia, Iezechiele, Daniele, duodecim Prophetis. Hæc plano sermone nonnulla prænunciat, vt est illud Isaiæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* In quã plurimis prouerbiali vtitur, vt idem de eadem re: *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Prouerbialis species est figurata locutio, aliud sonans & aliud sentiens, & de moribus tractans. Nã & prophetæ (vt diximus) hanc sibi sæpe assumunt: sed tñ præcipue morali doctrinæ ascribitur. Hæc in prouerbiis Salomonis accipitur, in Canticis Canticorũ, in Sapientia, in Ecclesiastico. Iob aũt partim historicus, partim propheticus, partim vero prouerbialis inuenitur. Ecclesiastes quoque prouerbialis in parte, sed in maiori simplicem doctrinam prosequitur. Simplex doctrina est, quæ de fide ac moribus simpliciter docet. Hæc nec historiam texit, quia res gestas non ex ordine prosequitur, licet aliquid ex præteritorum memoria ad auditorem instruendum assumat: nec prophetiam, quia res futuras non sibi reuelatas, sed ab aliis auditas & creditas pronunciat: neque prouerbialiter loquitur, quia tantummodo simpliciter docet. In hac parte continentur beati Pauli epistolæ, & cæteræ septem canonicæ. Hæc cum historia commune habet, quod vtraque superficie facilis videtur, cum sint inspectione & intellectu plerunq; difficiles. Prouerbialis vero in hoc cum prophetia conuenit, quod superficie difficiles videntur, cum intellectu plerunque non sint. Sed sciendum quod historiales libri plerunque etiam prophetias interserunt. Nam Moyses cum res quas historialiter narrat, pene omnes propheticas habeat, nonnunquam etiam voce manifeste prophetat, vt est illud: *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris: tanquam me, ipsum audietis.* Item & prouerbia in historiis reperiuntur, vt in Regum Nathan propheta, Dauid regis peccatum sub prouerbij velamine arguit. Sic & simplex doctrina sæpe: vt est, *Diliges Dominum Deum tuum.* & *Non occides, Non furaberis.* Item in prophetis nonnullę sunt historiæ, vt in Isaia de Iezechia rege, quæ tamen realiter prophetia est: quia quod historice narrat, mystice intellectum, futura prænunciat. Et in Ieremia, cum dicitur: *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* Prouerbiũ est. Sic & Michæas eum clamat: *Indicabo tibi homo quid sit bonum, facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitũ ambulare cum Deo tuo:* simplex doctrina est. Possunt pari modo in prouerbijs alicubi prophetiæ, sed & simplex doctrina sæpius aduerti, sicut & in epistulis apostolicis nonnulla prophetica inueniuntur. Vnde constat, cum libri historiales aut prophetici, seu etiã prouerbiales dicuntur, non quod hoc vel illud solum sine quantulacunque alterius admixtione habeant, sed quod hoc aut illud ex maxima parte contineant, sic vocari. Hæc igitur præmisimus: quæ non solum in hoc opere nostro, sed in omnibus scripturis diuinis intelligentiam possint iuuare lectoris. Interim vero hæc distinctio nobis necessaria est: quia cum in præcedenti libro legislator multa simplici protulisset eloquio, vt est illud, *Non quæres vltionem: & diliges proximum sicut teipsum:* item quædã subiungit, quæ Iudaice quidem ad literam relata, simpliciter prolata videantur: mysterio autem suo reddita, prouerbia esse sentiantur. Sequitur enim.

C Isa. 7. Esai. 11.

D Deut. 18. 2. Reg. 12. Deut. 6.

E Isai. 38. Ierem. 12. Mich. 6.

F

Prohibet commixtionem diuersitatis fieri in semine animalium, in semine agrorum, in textura vestium.

CAP. I.

EGo Dominus. Leges meas custodite. Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus.*

1. Cor. 9. Rom. 1.

Nunquid de bobus, ait Apostolus, *cura est Deo?* Propter doctores itaq; dicitur, qui sapientium & insipientium debitores sunt, qui quoscunque non possunt instruere verbo, eo quod minus capaces sint, asello illi consimiles, quẽ Christus subditũ sibi Ierusalem introduxit, debent informare exemplo. Huiusmodi quippe ex præpositorum suorum actibus pendent, vt quicquid eos agere viderint, sanctum potent. Quia vero mens humana prona est ad vitia, nonnũquam etiã contra conscientiã suam, doctorũ se autoritate tuentur: vt licet illicitum esse sentiant quod prælati cõmittunt, eos tñ per præcipitia sequantur. Cum alterius igitur gñis animantibus coeunt iumenta ista, cum pastorũ suorũ exẽplo seducta, mundi amatoribus conformantur. Habẽt quippe sancta iumenta genus suum, genus cæleste: vnde dicit Apostolus oportere nos quærere illud diuinũ, si quõ attrectare illud possimus & inuenire, quamuis non longe sit ab vnoquoq; nostrũ. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*, sicut quidã (inquit) vestrum dixerunt: Ipsius.n. & genus sumus. Habemus etiam in terris magnæ nobilitatis originem iuxta illud Thobiæ cum vxore loquentis: *Filij, inquit, sanctorũ sumus: & non possumus ita coniungi, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Ab hac itaque generositate quicunq; degenerant, & quasi in aliud transeunt genus, cauendi sunt fidelibus, ne eorum prauitatem imitentur, qui ad summi patris similitudinem instaurantur, ipso dicente: *Sancti eritis, quoniã ego sanctus sum.* Cauendum est ergo & rectoribus, ne ad hũc lapsum subditos præcedant: & quibus vitæ vias debent ostendere, ipsis mortis occasio fiant. Quia vero praui Doctores bona illis voce prædicant, quæ operum suorũ peruersitate subuertunt, apte subiungitur:

Matth. 21. G Act. 17. Aratus. Thob. 2.

H

Agrum † non seres diuerso semine.

† tuum nõ.

Ager sancta est Ecclesia, cui per Apostolum dicitur: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Semẽ autẽ est verbum Dei.* Diuersum itaque semen in hoc agro seminat, qui super cathedram Moysi constitutus, *dicit & nõ facit: bona loquitur & mala operatur.* Verbo triticum spargit: exemplo aũt suo, peccati sementem discipulorum cordib. iniicit. Videbis tamen quamplures mente quidem corruptos, sed in humanis oculis simulatione dealbatos: qui virtutis habeãt speciem, sed virtutis non exhibent veritatem. Quos recte redarguit cum subiungit:

1. Cor. 3. Luc. 8. Matth. 23.

**Vestem quæ ex duobus texta est, non indueris.*

* Veste.

Quæ est enim vestis adulterina, & reprehensibili duplicitate commixta, nisi biformis habitus mentis & corporis, cum munditiam exterius coram hominibus simulamus, immundos autem interius diuinis oculis nos exhibemus?

A In Deuteronomio cum hoc ipsum repetisset, *Non indueris*, inquit, *vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* (*Deut. 22.*) Lana vero, vt à Doctoribus nostris iam ante dictum est, opus visibile, eo quod grossior lana sit: (*Lana.*) linum autem quod subtilius est, occultam malitiam designat. (*Linum.*) Vestem itaq; ex duobus, ex lana scilicet lino que contextam, illi induunt, de quibus scriptum est: (*Psalm. 27.*) *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

De ancilla nobili qua pretio non est redempta.

Cap. II.

Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

Videtur lex sibi sancire contraria. Nam in Deuteronomio, (*Deut. 22.*) *si desponsata fuerit virgo, & concubuerit vir cum illa, iubet vtrunque lapidibus obrui.* Si igitur ancilla fuerit, & desponsata, & oppresserit eam aliquis: nunquid quia desponsata est, occidentur? aut quia ancilla, plagis tantummodo corripientur? B Ergo fortasse quod de plagarum disciplina præcipitur, ad ancillam quæ sponsum non habet, referendum est. Illicitum siquidem & morte dignum videtur, alienum violare matrimonium, siue libera sit mulier, siue ancilla. Si igitur de his quæ maritale nondum inière consortium, hic agit scriptura: quid est quod ancilla violata, præcipitur vt vapulent vterque, mulier scilicet, & vir cum corpore suo, & non moriantur? Dum enim in ancillæ oppressione, mors oppressori simul & fornicantæ quæ illi consensit, remittitur: videtur subintelligendum, quia si mulier libera esset, ambo mortis supplicio plecterentur. Quod tamen si requisieris, aliter esse reperies. In Deuteronomio nanque sic legitur: (*Deut. 22.*) *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ centum siclos argenti: & habebit eam vxorem, quia humiliauit eam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Si igitur nec ille qui puellam adhuc virginem, & in domo patris libere agentem, violauerit, morti addicitur: C quid est quod de ancilla quasi remissius aliquid decerni videtur, vt qui cum illa concubuerit, vapulet tantum & non moriatur? Sed dici forsitan potest, quod alienæ sponsæ violatio morte vindicetur: qui vero cum libera puella dormierit, & patri prætaxatam pecuniam reddere, & eandem vxorem accipere cogatur: qui cum ancilla coierit, ab vtroque laxatur: quia nec mortis sententiæ subditur, nec mulieris illius nuptias inire compellitur: Lex tamen vnum posuit, aliud breuitatis causa prætermisit, dicens: *Vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.* potest itaque literæ sensus hac satisfactione fulciri: sciendum tamen quod in mysterium tota respicit, & præter spiritum plenam sui decreti absolutionem non inuenit. (*Rom. 2.*) *Nunquid* enim *personarum acceptor est Deus*, vt libertas seruitusve seculi huius, diuersum apud illum meritum sortiatur, grauiusque sub eius iudicio liberæ concubitus, ancillæ autem remissius vindicetur? Nequaquam. Siue seruus enim, siue liber, paris apud illum meriti sumus: in hoc solum discernimur, si in timore illius, præceptorumque eius obedientia, alter alterum præcedamus. In populo itaque illo, cui omnia pene sub figura præcipiebantur, vbi de ancilla decernitur, D cum qua quispiam concubuerit, vt etiam si nobilis fuerit, tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulent pariter, & non moriantur: forma eius traditur sacramenti, nobis (si intellexerimus) abundantius profutura. Ancilla etenim nobilis, anima est humana, ingenuitatis suæ prærogatiuam trahens ab ipso Deo, sicut & paulo ante tractatum est: (*Act. 17.*) quia ipsius genus sumus, nō quidem de substantia eius nati, sed ad eius imaginem similitudinemque creati. (*Gen. 1.*) Quia vero per peccatum captiuata, & in seruitutem redacta est nobilis ista: quid nisi ancilla est, donec Christi sanguine redimatur, baptizata in morte ipsius, & gratuita eius gratia libertate donata? (*Ioann. 8.*) Nam *si filius* (inquit) *vos liberauerit, tunc vere liberi eritis.* Corrumpitur autem anima humana, cum maligna cuiusquā persuasione trahitur ad peccatum. Lex igitur, vt supra dictum est, pro ancillæ concubitu hominem plagis subdit: pro liberæ vero, morte dignum E decernit: aperte docens, quanto grauiori pœna plectendus sit, qui animam Christi morte iam liberatam, iterum peccare persuaserit, & seruitutis pristinæ iugum recipere: quam si cum ancilla aliqua peccandi fœdus suscipiens, nō nisi quod fœdum est, fœdare voluerit. Inde est illud Apostoli: (*1. Cor. 3.*) *Qui templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Item ad Hebræos: (*Heb. 10.*) *Irritam qui faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcare voluerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Si quis itaque cum ancilla coierit, non quidem sine reatu fit vtriusq;, & idcirco vapulare debent: qui autem liberam violauerit, morte dignus est cum illa quam peccare suasit: quia teste Apostolo Petro, (*2. Petr. 2.*) *melius erat vnicuique non agnoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum conuerti.* Ergo (inquit) *vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.* Deinde subditur:

Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij, arietem: orabitque pro eo Sacerdos, & pro delicto eius coram Domino. & repropitiabitur ei, dimittetur que peccatum. F

Arietem Deo offerre, est humiliter præceptis eius se subdere, & itineris agendi ducem eum constituere. Hunc arietem illi obtulit, qui de cœlo prostratus, clamauit, dicens: (*Act. 9.*) *Domine, quid me vis facere?* Recte igitur qui ancillæ & ipse seruus per peccati contagionem adhæsit, pro delicti sui satisfactione offerre iubetur arietem: vt qui dudum à Deo alienus extiterat, præcepta illius contemnens, nunc audiat eum quasi magistrum: & qui à seruitute illius alios abduxerat, nunc vestigia eius ipse sequatur: hocque ad ostium tabernaculi testimonij, vt per hanc scilicet humilitatem, tabernaculi cœlestis introitum mereatur. Sic autem fiet, vt oret Sacerdos pro peccato eius coram Domino, & repropitietur ei Dominus: & quod commiserat, relaxetur. Postquam enim ad Deum conuersi fuerimus, vt iam in luce ambulemus, sicut & ipse est in luce: *aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum magnum sacerdotem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* (*1. Ioann. 2.*) Sequitur:

Vt auferantur præputia lignorum pomiferorum. G

Cap. III.

Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum:

Hoc præcipere videtur, vt cum terram sibi promissam ingressi fuerint, terram scilicet Chanaan, de lignis pomiferis primitiuos fructus abijciant, & non vescantur ex eis. Inde enim est quod sequitur:

Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

Poma germinantia, dicit poma primi temporis, dū adhuc scilicet tenera est arbuscula, & ad fructuum abundantiam minus idonea: hoc in sequentibus apertius declaratur:

Quarto, inquit, *anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto enim anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus.*

Trium ergo annorum fructus immundos decernit. cum autem quarto anno Domino fuerint sanctificati, quinto H tandem & deinceps esui illorum concedit. Sed quæ hic ratio apparet? Nonne Deus fecit, & facit omnia bona valde? (*Gen. 1.*) Quid est quod Dei creatura accusatur, & ab ipso qui creauit, accusatur? *aut potius accusari videtur? (**aut*) Iudaico quippe animo agit, qui occidentem sequens literam, à tanto autore opus suum æstimat improbari: illud videlicet, quod per manus ipsius artificis non contraxit aliunde, vt non immerito debeat displicere. Nulla est igitur ratio cur fructus primi anni, secundi aut tertij, immundi dicantur magis quam quinti, sexti vel septimi: quod sicut Apostolo docente didicimus, *omnia hæc in figura præcipiebantur illis, & figuratiue obseruabantur ab illis.* (*1. Cor. 10.*) Mysterium ergo obseruationis huius discutiendum est: & quid sibi velit quod præcipitur, inuestigandum. Terra promissionis, vnicuique nostrum anima sua est. De hac quippe dicitur: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* (*Matth. 5.*) Quod alibi exponens ipse Dominus, ait:

A

Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quæ etiam possessio quanti pretij sit, & quia omnibus regnis mundi huius anteponenda, docet nos idem magister alibi, dicens: Matth. 16. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur?* Hoc nec huius mundi latuit sapientes, qui beatitudinem humanam non in facultatibus exterioribus, sed in animæ virtutibus esse dixerunt. Vnde quidam illorum:

Horatius ode 2. lib. 2.

Latius, inquit, *regnes, auidum domando*
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Ab hac terra longe peregrinantur, quicunque illecti voluptatibus corporeis, & ad sensuum suorum illecebras egressi, carni suæ subditi, Ægyptiacæ seruitutis ignominiosum iugum ferunt, & repromissæ patriæ fertilitatem nondum intelligunt. Hi sunt qui non in anima, sed in carne sua habitant: Rom. 8. de quibus etiam per Apostolum dicitur, *quia qui in carne sua sunt, Deo placere non possunt.* Nihil enim præter carnem sapiunt, huius pascuntur voluptatibus, in quibus tota illorum

B

versatur meditatio: quibus adipiscendis & retinendis, omnis inuigilat eorum intentio. Quo contra iustis dicitur: Ibidem. *Vos autem in carne estis, sed in spiritu.* Carnis quippe illecebris renunciantes, & a corporis sensibus se retrahentes, secum habitant: & de cordibus suis vitia extirpantes, ibi mansionem Deo parant. Habes vocem iusti, in psalmo dicentis: Psalm. 41. *Effudi in me animam meam.* Quo vsque autem peruenerit ingressus animam suam, sequitur & dicit: Ibidem. *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis.* Sed quia tabernaculum in itinere potius quam in ciuitate fieri solet, tabernaculo * isto vtitur, dum transit: quo vero tendat, docet cum subiungit: Ibidem. * ft-. *Vsque ad domum Dei.* Proficit nanque iustus, nec proficiendo deficit, crescens de virtute in virtutem, *donec videat Deum deorum in Sion*: Psalm 83. interim scilicet *per speculum & in ænigmate, postea vero facie ad faciem.* 1. Cor 13. Quo tamen antequam perueniat, dum mentem suam excolit, & Deo apud se locum purgare contendit: via ipsa quantum habeat iucunditatis, hic de quo loquimur, satis innotuit, cum tabernaculum, in quod animam suam ingressus, transierat, admirabile se deprehendisse perhibuit. Hinc enim iucunditatem ipsam, quam ibidem expertus fuerat, exposuit dicens: Psalm 41. *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Magnam quippe senserat multitudinem dulcedinis, Psal. 30. *quam abscondit Deus timentibus se.* quia istæ

C

sunt spirituales deliciæ, solis Deum timentibus cognitæ, carnalibus vero penitus inexpertæ, iuxta quod de spiritu sancto discipulis Dominus loquens, ait: Ioann. 14. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, [illegible] Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Terra ergo quam iustus ingreditur, recessus sunt animæ interiores, quo se confert, vt quietus Deo adhæreat, vacet meditationi verbi ipsius & ipsius etiam visibilis creaturæ apud se ordinem perpendens, Rom. 1. *per ea quæ facta sunt*, creatorem inueniat. Hæc est terra repromissionis, terra fluens lacte & melle: de cuius felicitate filijs Israel sub figura terræ Chanaan, Moyses in Deuteronomio loquitur, dicens: Deut. 11. *Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua exisli: vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irrigua: sed montosa est atque campestris, de cœlo expectans pluuiam, quam Dominus Deus tuus semper inuisit. & oculi*

D

eius in ea sunt a principio anni vsque ad finem eius. Rom. 8. Carnis habitatio (de qua supra diximus, quia *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*) Ægypto similis est, vitiorum tenebris obscura, quæ terreno rigatur flumine: quia quicunque in illa sub Pharaonis degunt imperio, terrena tantum gaudia nouerunt, nec nisi de terrena voluptate consolationem accipiunt. Qui Psal. 83. vero ascensiones in corde suo disponit, & exiens de Ægypto, ad terram sanctam ascendit, postposita carnali lætitia, vt cantare cum Dauid possit, Psal. 76. *Renuit consolari anima mea*: expectat de cœlo pluuiam, quia solo spirituali profectu lætatur, cum per spiritum sanctum interius visitatur. Hæc terra montosa est atque campestris: quia mens iusti, cum per virtutum incrementum ad alta se tollit, per humilitatem tamen ima non deserit. Hanc Dominus Deus inuisit semper, vt scilicet visitatio Iob 10. eius spiritum iusti custodiat: & oculi eius in ea sunt, iuxta Psalm 31. hoc quod per Psalmistam pollicetur, dicens: *Firmabo super te oculos meos: a principio anni vsque ad finem eius*, a principio videlicet sanctæ conuersationis, cum post Ægypti tenebras lucem iustus ingreditur, donec compleat cursum suum, & dicat cum Apostolo: 2. Tim. 4.

E

Bonum certamen certaui, cursum consummaui. Si igitur intelleximus quæ sit terra ad quam transit populus Dei, videamus quid de illa præcipiatur. *Quando ingressi*, inquit, *fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum.* In hac terra ligna plantantur pomifera, cum euulsis ab anima vitiorum spinis, virtutum plantaria inseruntur. Ex his enim cum mentem occupauerint, laudabiles prodeunt fructus: quorum tamen auferimus præputia, cum ad primam eorum apparitionem, gaudia nostra temperamus: nec laudare præsumimus, quorum qualitatem nondum discernimus. Quidam enim bona faciunt non bene: quia non Dei gratiam, sed humanam laudem requirunt. Quidam bona quæ operantur, sibi ascribunt, & de donis Dei superbiunt ingrati, qui in eo gloriam suam quærunt, quod sine Deo autore sua virtute facere non potuerunt. Fructus ergo noster donec

F

creatori consecretur, immundus est: quia nisi illi inferas quod operaris, vt per illum facias quod facis: nisi illi refuderis quod accepisti, vt non tuum, sed ipsius esse fatearis, fructus tuus idoneus non est ad escam: quia nullam tibi vel diligentibus te, potest præstare fiduciam. Comeditur nanque quod approbatur, & quod operantem certa suæ remunerationis expectatione consolatur. Hoc autem quod sine recta intentione vel typo superbiæ geritur, potest quidem pietatis habere speciem, sed pietatis non habet virtutem. Idcirco non comeditur: quia nemo sanum sapiens, super eo lætatur. Manifestum ergo, cur fructus noster Domino sanctificandus sit, vt mundus esse possit. Cur vero quarto anno sanctificetur, discutiendum est. Quaternarius numerus, soliditatis & perseuerantiæ figuram tenet. Quadrum quippe in quodcunque latus verteris, solide Gen. 6. stat. Hinc est quoque de quadratis lignis arca Noæ fabricari iubetur: quia videlicet ecclesia ex illorum stabili firmitate construitur, qui nec mundana prosperitate corrupti, nec humana infestatione fatigati, ab statu rectitudinis inclinantur. Hinc quatuor sunt euangelia, vt irrefragabilis eorum autoritas demonstretur. Hinc cortinæ tabernaculi quatuor cubitos ha- Exod. 26. & 36. bent latitudinis, in qua charitas sanctorum exprimitur, 1. Cor 13. *Charitas* nanque *omnia suffert, omnia sustinet*, charitas nunquam ca-

G

dit. Recte igitur quarto anno fructus nostri Domino sanctificantur, vt intelligamus quia tunc vere in iustitia solidamur, si quicquid boni agimus, non nobis, sed Deo ascribimus: si non de nostra virtute, sed de ipsius gratia præsumimus. Psal. 124. *Qui enim confidunt in Domino sicut mons Sion. Maledictus* Iere. 17. *autem qui spem suam ponit in homine, & brachium suum ponit carnem. Quarto igitur*, inquit, *anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.* Ioan. 15. Ipse quippe solus laudandus est, a quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil possumus facere: quia Phil. 2. *ipse est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt.* Comedis fructus tuos: cum super bono quod agis, gratularis. Sed tunc demum periculosa non erit lætitia tua, si primitias fructus eosdem Domino sanctificaueris, vt discas cum humilitate gaudere, cogitans quia vnde gaudes, dona ipsius sunt, non merita tua: vt si glorians, non in te sed in Domino glorieris. Notandum autem quod dicitur, *congregantes poma quæ proferunt.* Vere enim ille congregat, qui licet crescat virtutibus, humilitatem tamen solicite conseruat. Vt enim testatur [illegible]pa Greg. Gregor.

H

qui cum superbia virtutes congregat, quasi in vento puluerem portat: & vnde aliquid ferre videtur, inde amplius cæcatur. Habes in prouerbijs Lamuelem illum, virum scilicet in quo est Deus, in hoc nobis humilitatis suæ fructum commendantem. Sic enim incipit: Prou. 30. *Verba congregantis, filij vomentis.* Congregantem se dixit, quasi qui fructus suos in tuto collocauerit. Filium autem vomentis, eo quod mundus iste omnium nostrum pater sit: sed maris more, quod mortua omnia euomit, eos qui sibi moriuntur, & Deo viuere incipiunt, a se abijcit. Vt enim ibidem præmittitur, Prou. 29. abominantur iusti virum impium: & abominantur impij eos qui in recta sunt via. Quæ autem sint verba huius congregantis, sequentia docent: *Stultissimus*, inquit, *sum virorum, &* 1. Cor. 3. *sapientia hominum non est mecum.* Tanquam diceret: Ideo congrego, quia de me humilia sentio, secundum illud Apostoli: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens:* Prou. 30. *Quidam enim dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* Rom. 1. *& dum tribuunt quod acceperant, perdiderunt.* Postquam ergo quar-

A ro anno fructus nostros Deo obtulerimus, iam quinto & deinceps eos congregare possumus, & comedendos seruare. Dum enim illi refundimus, si quid virtutis possidemus, dum humiliter bonis nostris tanquam donis ipsius vtimur, omnis fructus noster in tuto collocatus est: quia quod illi seruandum committitur, perire non potest. Sequuntur diuersa & aperciora capitula: quorum superficies quia non tanta obscuritate perstringitur, iustum est vt leuiore opera breuius transcurrantur. Diuinus quippe sermo, vt ait Papa Gregorius, sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerunque superficie simplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat, seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluuius, vt ita dixerim, planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet. Aliquando ergo qui verba accipere historiæ iuxta literam negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit. Cumque laboriose inuenire in B eis aliud intrinsecus appetit, hoc quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Nos igitur sequentia videamus: & prout ratio postulauerit, eadem pertractemus.

Gregorius

Diuersorum traditio præceptorum.

Cap. IV.

N*On comedetis carnem cum sanguine.*

Aliquando lex sub intermenatione mortis interdicit, ne sanguis comedi debeat: nunc vero, ne aliquis cum sanguine comedat. Sanguinem comedere, est (vt superius exposuimus) consensum peccādi in seipsum recipere. Comedit autem cum sanguine, qui alienam personam quam adhuc ad peccandum pronam deprehendit, in suam societatem familiaritatemque admittit. Hinc est quod Petro dicitur, *Macta & manduca*: vt pastor Ecclesiæ carnaliter viuentes, verbi gladio interficiat: & sanguine eiecto, id est, voluntate correcta, in corpus Ecclesiæ eosdem traijciat. Cum sanguine ergo non comedemus, si eorum quos sanguine infectos, id est, consensu illicito intellexerimus deprauatos, societatem respuimus.

Act. 10.

C

Non augurabimini.

Non omnis qui ex auibus aliquam capit significationem, augurari dicendus est. Nam & Noe in arca ex coruo & columba signum accepit, & signum nobis dedit: & beatus Ioannes cum vidisset super Christum baptizatum columbam descendentem, intellexit quia *hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Sed & Papa Gregorius, ex locusta quæ sibi assedit, animaduertit quid sibi innueretur, vt scilicet in loco staret, & eos qui sequebantur exspectaret. Quoties ergo per quamcunque creaturam signum à Deo datur, non est superstitiosum illud aduertere, & diuinæ voluntati obtemperare. Auguria tamen idcirco sacra lege damnantur, quia gentili superstitione adinuenta sunt, ad ineundam cum Dæmonibus societatem: qui huiusmodi significationib. cum hominibus talium curiosis, confabulantur ad eorum seductionem, nonnunquam vera nunciantes, vt in errores inducāt. Vnde beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana: Superstitiosum, inquit, est, quicquid institutum est ad consolationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium. ex quo etiam genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, & haruspicum & augurum libri. Hinc fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines, tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis: quibus ista mundi pars infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quorum illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus, multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quam dicuntur: multaque obseruantibus secundum obseruationes suas veniant, quibus implicati, curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ, salubriter scriptura diuina non tacuit: neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum: *sed*

Gen. 8.

Ioann. 1.

Mirum quid.

Augustin.

D

etiam si dixerint vobis, inquit, *& ita euenerit ne credatis eis*. Non itaque augurabimini. Deinde subiungitur: E

Nec obseruabitis somnia.

Somniorum diuersa ratio habenda est. Nam vt ait beatus Gregorius, sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando ventris plenitudine vel inanitate, quæ duo prima omnes experimento didicimus. Aliquando illusione, vnde sapiens quidam ait: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*. Vel certe non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Quibus profecto verbis, cuius sint detestationis ostenditur, quæ augurijs coniunguntur. Aliquando cogitatione simul & illusione, sicut scriptum est: *Multas curas sequuntur somnia*. Aliquando reuelatione, sicut Ioseph præferendum se fratribus per somniū vidit: & Mariæ sponsum, vt ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium Angelus admonuit. Aliquando simul & cogitatione & reuelatione somnia generantur. Vnde Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem edisserens, à radice cogitationis inchoauit, dicens: *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ futura sunt*. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto & ex quo impulsu veniant, [illegible] non elucet. Sancti autem viri inter illusiones & reuelationes, ipsas visionum voces aut imagines, quodam intimo sapore discernunt: vt sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem spiritum multis vanitatibus immergitur: qui nonnunquam solet multa prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna aliqua falsitate illaqueare. Hæc super somnijs beatus Gregorius disseruit, quibus etiā filij Sirach sententiam superadijciemus. vt aduersus somniorum fallacias plenius instruamur. Ait ergo: *Vana spes & mendacium insensato viro*. Vnde autem in spem vanam & mēdacem soleant induci, sequitur & [illegible] *somnia extollunt prudentes*. Sed quanta sit ista impudentia, credere fallacijs somniorum, & in illis spem ponere, deinceps exponit: *Quasi qui apprehendit vmbram & persequitur ventum sic & qui attendit ad visa mendacia*. Neque vmbra neque ventus apprehendi potest: sic & qui ex mendacibus somnijs spem [illegible] compit, unquam quod sperat visurus est. Deinde discernit somniorum qualitatem, dicens: *Secundum hoc visio somniorum. Ante faciem hominis similitudo hominis*. Hoc vigilantes assidue patimur. Recordamur quos vidimus: & ante oculos mentis imaginando quasi præsentes statuimus. Credendum est igitur, animam etiam dormiendo vim suam exercere. & quod vigilans sensibus [illegible] vel quod attentius meditata est, & memoriæ [illegible] impressit, naturali motu et somno dum sibi vacat, eadem reuoluere. & tanto expressius, quanto otiosius: dum remota à sensibus, circa imaginationes illas tota occupatur & in rerum similitudine, quasi rerum veritatem decepta amplectitur. Vnde quidam sapiens.

Eccle. 34.

Eccles. 5.

Gen. 37.

Matth. 2.

Dan. 2.

F

Eccle. 34.

Ibidem.

G

Ibidem.

Ibidem.

Somnia, inquit, *ne cures. nam mens humana quod optat*,
Dum vigilat sperans, per somnum cernit id ipsum.

Ex 2. libel lo Catonis.

Hæc est itaq; vna species somniorū, q nos frequēter illudit, cum anima per somnium recolit [illegible], nos prænūciare putamus futura. Subiungit & aliam, quæ per dæmonum illusionem solet contingere. *Ab immundo quid mundabitur? & a mendace quid verum dicetur?* Diabolus, vt Dominus testatur, *mendax est, & mendacij pater*. Nulla ergo fides illi habenda est: quia & si quando vera loquitur, per veritatem ad mendacium [illegible] conatur. Deinde subditur: *Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia, malefacientium vanitas est*. Notandum quia legislator & sapiens iste auguria & diuinationibus somnia coniunxit. Sumnia vero malefacientium posuit: quia dæmones frequentius illos decipiunt, q[ui] se illis familiares per mores reprobos & illicitos actus fecerunt. *Quasi timueris cor tuum, phantasiam patietur, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio*. Ostendit quod supra dictum est, nonnullas visiones ex reuelatione contingere, visitante nos altissimo: & ministerio angelico, quæ futura sunt, nobis prænunciante. Deinde subiungit, quod de illo beatus Gregorius assumpsit. *Multos errare fecerunt somnia. ne dederis in illis cor tuum. & exciderunt sperantes in illis*. Cingitur fidem

H

Eccel. 34.

Ioann. 8.

Eccle. 34.

Ibidem.

Ibidem.

dare.

A dare, cui spem nostram committere debeamus, sequitur & dicit: *sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.* [Ibidem.] Deo ergo, neglectis somnijs, credere debemus, & in verbis illius supersperare: quia *fidelis Dominus in omnibus verbis suis: super quo non confundentur qui expectant eum.* [Psal. 144.] Hoc & Isaias hortatur, dicens: *Cum dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis, qui strident in incantationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requirit pro viuis & mortuis? Ad legem magis & ad testimonium.* [Isa. 8.] Tanquam diceret: Non pythones aut diuinos, sed legẽ magis consulite. Hæc super somnijs tractata sunt, sermone quidem prolixiori, sed forsitan non inutili. nunc ad reliqua transeamus. Sequitur:

Neque in rotundum attondebitis comam.

[Ieze. 44.] [Num. 6.] In Iezechiele præcipitur sacerdotibus, vt capita sua non radant, nec comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Sed & ipse Moyses in Numeris quasi speciale dat Nazaræis præceptum, vt nouaculam non inducant super caput suum *sed erunt*, inquit, *sancti Domino, crescente cæsarie.* B Quod ergo sacerdotibus per Iezechielẽ præcipitur, quod alibi per Moysen non nisi Nazaræis interdicitur: quid est quod in hoc loco quasi generaliter vniuersus populus à tõsura capitis inhibetur? Sciendum ergo quod non tonsura, sed genus tonsuræ interdicitur. Gentiles enim cum se Dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum tondebãt. Ab huius tonsuræ similitudine filij Israel legis censura deterrentur, ne scilicet populus Dei sacrilegis conformetur.

Nec radetis barbam.

[Barba.] Barba, eo quod nisi in perfecta ętate non reperiatur, fortitudinis & sapientię speciem gerit. Barbam ergo reseruare iubentur, vt etiam in vultus habitu virtutis formam ferre videantur.

Et super mortuo non incidetis carnem vestram.

Hoc propter spem resurrectionis præcipitur. Gentilis quippe ritus iste fuit, vt in charorum funeribus præ nimio dolore, ferro inciderent carnem suam. Non est autem iustum, vt horum exemplo populus Dei immoderate plangat mortuos suos, quos tempore præstituto sine dubio nouit resurrecturos. [1. Thess. 4.] C Hinc & Apostolus discipulos monebat, dicens: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent.* & cætera quæ sequuntur, quibus de resurrectione mortuorum fidem illorum informat.

Neque figuras aliquas & stigmata facietis vobis.

[Stigmata.] Stigmata dicebantur quædam signa, quæ in manibus militum fiebant, vt de militia Imperatoris esse cognoscerentur. Prohibet ergo ne huiusmodi characteres faciant sibi, quibus humanam videantur profiteri subiectionem, qui diuinam professi sunt potius seruitutem. Nametsi hominibus seruiunt electi, ibi tamen Deum attendunt, iuxta illud Apostoli, in hoc ipso Domino seruientes. [Rom. 12.] Vnde & idem nos admonet, dicens: *Pretio empti estis. nolite serui fieri hominum.* [1. Cor. 7.] Cur autem non debeant humanæ seruituti testimonium ferre, reddit causam, dicens:

Ego Dominus.

Ipse nanque verus Dominus est, de quo per Psalmistam dicitur: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* [Psal. 15.] D Ipse enim nobis subtractus, minor non est: nobis vero sine ipso bene esse non potest. Sicut ergo docemus in nouo testamento, vt nec magistrum nec patrem vocemus nobis super terram, eo quod *vnus sit magister noster Christus, vnus & pater noster qui in cælis est*: [Matth. 23.] sic & illi sub lege adhuc positi, prohibentur alium dicere Dominum, præter Adonai suum. Hoc nomen suum indicauit seruo suo Moysi. [Exod. 6.] & interpretatur Dominus, eo modo quo solus Deus dicitur Dominus. Licet nanque sint multi qui dicantur Domini, magistri, vel patres: ad comparationem tamẽ illius, nec Dominus quisquam est dicendus, nec magister, nec pater. Sequitur:

Ne prostituas filiam tuam, ut contaminetur terra, & impleatur piaculis.

Manifestum est, quia mulier prostituta multis causa perditionis efficitur. Populus itaque Domini, qui se sanctitati illius debet conformare, sicut sæpe illis dicitur, *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*: iustum est, vt tantam iniquitatem longo à se repellat: *vt honorabile connubium sit in omnibus & thorus immaculatus, fornicatio autem non inueniatur in illis.* E [Hebr. 13.] Et quia ista vacatio maxime placet Deo, cũ quiescimus agere peruerse, apte, subiungitur: [Isai. 1.]

Sabbata mea custodite.

Iudaico quippe sensu sabbatum accipit, qui in sabbato laborem vilem declinat, & ab immunditijs quæ diuinæ sanctitati maxime contrariæ sunt, nequaquam cessat. *Sabbata*, ergo, inquit, *mea custodite.* Tanquam diceret: Hæc sunt mea sabbata, hæc mihi grata, si peccati seruitutem declinetis: si ab illis operibus quibus offendor, & quæ veram vobis ingenuitatem detrahunt, abstineatis.

Et sanctuarium meum metuite.

Etiam loco illi qui Deo consecratur, deferẽdum est. Legimus in antiqua historia, templi violatores, vel eos qui sacris vasis dignam reuerentiam non exhibuerunt, repente percussos. [1. Mac. 9.] [2. Mac. 3.] [Dan. 5.] Filij Aaron cum ad altare ignem obtulissent alienum, statim egressus ignis à Domino, deuorauit eos. [Leuit. 10.] Oza in regum historia, cum extendisset manum ad arcam Dei & tenuisset eam: iratus est indignatione Dominus contra eum, & percussit illum super temeritate. [2. Reg. 6.] F Sed & in Numeris reperies, quod Moyses & Aaron cum filiis suis iubentur habere custodiam sanctuarij: *quisquis autem*, inquit, *alienus accesserit, morietur.* [Num. 3.] Si igitur loco illi tanta exhibebatur reuerentia, in quo vitulorum & hircorum sanguis offerebatur: quid illi honoris habendum est, in quo populus sacratum Christi corpus assumit, bibit & beatũ sanguinis ipsius haustum, in quo sacrosancti latices veternas diluunt culpas, chrismate vero genus vt creetur Christicularum: *Sanctuarium* ergo, inquit, *meum metuite.*

Ego Dominus. Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.

Tanquam diceret: Me interrogate cum opus fuerit. nolite cum dæmonibus vllam habere societatem, iuxta illud Isaiæ, quod etiam pauloante commemorauimus: *Cum dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis: nonne populus Deum suum consulit pro viuis & mortuis?* [Isai. 8.] *illis*, inquit, *qui vos ad pythones & diuinos mittunt, contemnite: Deum verum suum interroget populus eius pro viuis*, id est, pro his quæ à nobis dum hic viuimus, agenda sunt: *& pro mortuis*, id est, de his quæ post mortem secutura sunt. G Ne ergo *declinetis ad magos, nec ab hariolis aliud sciscitemini.* sed à me potius in omni vestra necessitate recurrite. ego enim sum *Dominus Deus vester.*

Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.

Hinc satis apparet, quia honor qui iuxta præcepta diuina defertur hominibus, Deo ipsi exhibetur: itemque cum negligitur qui honorandus est, Deus offenditur. Cum enim præmisisset, *honora personam senis*: continuo subdidit, & *time Dominum Deum tuum*: id est, ad hoc time vt facias. Nam nisi feceris, reus apud ipsum inuenieris. Sequitur:

Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eũ quasi vosmetipsos. Fuistis enim & vos aduenæ in terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester.

O præceptum pietatis, ô digna sacris legibus institutio. Forsitan aliquis dixerit, iã hic prophetice Iudæos argui, qui in fine temporũ gentes ad fidem accedentes repellere voluerunt, & pristinos errores suos illis exprobrare cœperunt. H Et probabile satis est, hoc etiam intendisse scriptorem. sed prima literæ superficies tanta benignitate plena est, vt lectorem statim ad se trahat, & ad aliud inuestigandum, pigrum efficiat. Vbi tamen non illum solum acceperim aduenam, qui transit de gente in gentem, & à terra natiuitatis suæ peregrinatur: sed maxime adolescentem illum, *qui patre relicto, profectus est in regionẽ longinquam*, iam quasi alienus à Deo effectus, & à Sanctorum sorte separatus. [Luc. 15.] Si redire voluerit quicunque eiusmodi est, & ad paternam pietatem recurrere, quasi aduena futurus inter nos, ne exprobremus ei: sed & hic habeamus eũ quasi indigenam, & diligamus illum tãquam nosmetipsos: vt hac nostra benignitate recreatus, quotidie ad meliora proficiat. Nam *& nos filij iræ fuimus, sicut & cæteri*: [Ephes. 2.] salutisque nostræ curam recipientes, hac sanctorum pietate opus habuimus. Sequitur:

Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere,

A *ra mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti. Custodite omnia præcepta mea, & vniuersa iudicia, & facite ea. Ego Dominus.*

Hæc manifesta sunt, nec tenere nos debent, vt in his quæ laborem nostrum exigũt, immorari possimus. Si quis tamen in his verbis expositionem requirat, apostolicam pro expositione legat sententiam: in qua præcipit, *ne quis* (1.Thess. 4.) *supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Deus de omnibus his, sicut prædiximus* (inquit) *vobis, & testificati sumus.* Quod legislator distincte posuit, interdicens iniquum aliquid fieri in iudicio, in regula, in põdere, in mensura: hoc Apostolus breuiter comprehendit, dicens: *Nec in omni negotio circumueniat aliquis fratrem suum.* Quod testatur Apostolus, quia vindex est Deus de his omnibus: hoc & ipse Deus per Moysen loquens satis intimat, cum data præceptione sua subiungit, dicens: *Ego Dominus.*

B Tanquam diceret: Ego ab iniquitate vos reuoco, qui si trãsgressi fueritis, contumaciã vestram sine vindicta non transeo. Hoc sequentia manifeste declarant. Quis enim superius multa prohibuerat, idolorum culturam, incestus, adulteria, patris matrisue iniurias: quisquis horum aliquid perpetrauerit, mortis sententia damnãdum decernit. Hac seueritate coercendus erat populus ille, qui nondum erudiebatur indulgentia filiali, sed premebatur timore seruili. Nos vero qui abundãtiorem ipsius gratiam assecuti sumus cum peccantibus & morte dignis pœna differtur, per diuinam patientiam adducimur ad pœnitentiam: qui tamen (Rom. 2.) eius longanimitate quicunq; abutuntur, in malis suis perseuerãtes, *thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij ipsius:* quia tanto eos districtior sequetur vindicta, quãto amplior benignitas fuerit prærogata. Quia ergo *Deus iu-* (Psalm. 7.) *stus & patiens est*, prius iustitia, nunc autem ipsius ostenditur patientia. Per legem discimus quæ peccatis nostris retributio debeatur, vt inde etiam colligere possimus, quid nobis aut correctis per misericordiam relaxetur, aut non correctis, per iudicium reseruetur. Legamus ergo iam, siquidem

C lectione magis opus est, quam operosa expositione. Ad coercitionem namque carnalis illius populi, posita sunt quæ sequuntur: qui cum sensu paruulus esset, ad enodanda mysteria fuit inualidus. Quod igitur propter illos dicebatur, sic vtique dici oportebat, remota scilicet allegoriarum nube, vt ab eis etiam caperetur.

Vt quicunque dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur.

CAP. V.

(Leuitici cap. XX.) L*ocutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc loqueris filijs Israel: Homo de filijs Israel, & de aduenis qui habitant in Israel si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur. Populus terræ lapidabit eum, & ego ponam faciem meam contra illum, succidamque illum de medio populi mei, eo quod dederit de semine suo Moloch, & contaminauerit sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, & quasi paruipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dederit de semine suo*

D *Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciem meam super hominem illum & cognationem eius, succidamque & ipsum & omnes qui consenserunt ei vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.*

(Leuit. 18.) Moloch, vt supra diximus, idolum fuit filiorum Ammon. Huic enim legimus, quod Salomõ mulierum amore (3.Reg. 11.) iam depressus, phanum ædificauit. De hoc itaque iam superius præceptum dederat, ne quis gentiliter filios suos illi consecraret. Nunc autem si quis in hoc sacrilegio deprehensus fuerit, præcipit filijs Israel, vt tantam Dei sui non contemnant iniuriam, sed populus vniuersus lapidibus obruat impium. Ipse quoq; comminatur, quod faciem suam ponat contra hominem illum, & de medio populi sui euellat eum, vt scilicet non solũ præsenti morte puniatur, sed etiam hæreditate populi Dei in æternum priuetur. Si tamen populus terræ neglexerit, ipse negligere non poterit: sed & in sacrilegum & in omnes qui pepercerunt ei, se vindicaturum prædicit. Non enim quasi inualidus ad vindictam, ad

E eius executionem populum vocat: sed magis populo eidem consulitur, vt scilicet zeli sui retributionem accipiat, sicut scriptum est: *Qui arguunt, laudabuntur & super eos veniet* (Pro. 24.) *benedictio.* Vnde & Moyses cum descendens de monte, vidisset vitulum quem fecerant filij Israel, stans in porta castrorum, ait: *Si quis Domini est, iungatur mihi. Et assumptis filijs* (Exod. 32.) *Leui, interfecit ex eis viginti tria millia. & cæde completa, Consecrastis,* inquit, *manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Ergo (vt diximus) hoc illis vtile est, qui zelo Dei succenduntur, vt vindicent iniuriam eius, non ipsi Deo aliquid confertur. Nam quicquid negat humana negligentia, ipse ad omne quod voluerit, sibi sufficiens est: & peccatum quod nos dissimulamus, ipse qui iudex est omnium, non relinquet inultum. Sic se literę sensus habet: & cuicunque placuerit, transire iam licet. Mouet tamen me, cur Dominus ab idolorum cultu populum suum deterrens, idolum præcipue Ammonitarum elegit, cui sub mortis interminatione filios eorum cõsecrari pro-

F hibuit. Erant enim & alia idola, quæ à proximis gentibus colebantur, sicut Astartes Dea Sidoniorum, Chamos Deus (3.Reg. 11.) Moabitarum, Baal quoque quem colebant Accaronitæ, (4.Reg. 1.) quibus omnibus prætermissis, de solo Moloch mentionẽ facit. Hæc autem causa videtur, quia apud gentes illas hæc inualuerat consuetudo, vt huic Dæmoni filios suos consecrarent per ignem: quæ etiam superstitio postea à filijs Israel vsurpata est, sicut in Regum legimus, quia Iosias Rex (4.Reg. 23.) contaminauit Tophet, quod est in valle *filij Ennon, vt (*filiorum.) nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch. Ab hoc ergo sacrilegio specialiter in hoc loco deterretur populus ille: nam sunt alia præcepta, quibus illis idololatria generaliter interdicitur.

Qui fecerit aliquid ex his quæ superius prohibita sunt, morte moriatur.

CAP. VI.

G A*Nima quæ declinauerit ad magos & hariolos, & fornicata fuerit cum eis: ponam faciem contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.*

Paulo ante hoc prohibuerat: *Non declinetis,* inquiens, *ad* (Leuit. 19.) *magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos.* Et notandum quod fornicationem animę nominat, si relicto Deo Dæmones consulat. Deus enim vir est animæ nostræ, toto corde à nobis diligendus, cui etiam totam spem nostram committere debemus. Si ergo contempto eo cum inimico illius pacem facimus, & ab illo auxilium petimus, grauis vtique ista fornicatio est, in qua etiam ipsi Deo manifestam contumeliam irrogamus. Desperasse enim de illo fuit, in aliqua necessitate ad eius aduersarium confugisse. Vnde & Ochozias rex Israel cum ęgrotasset, & misisset nũ- (4.Reg. 1.) cios, dicens: *Ite consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac: Angelus Domini locutus est ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge & ascende in occursum nunciorum regis Samariæ: & dices ad eos: Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed*

H *morte morieris.* Sequitur:

Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, & facite ea.

Et ne forte desperetis vos posse sanctificari, aut si quid iam sanctitatis habetis, vestrum hoc esse arbitremini.

Ego, inquit, *Dominus qui sanctifico vos.*

Item quia in Exodo præceperat, *Honora,* inquiens, *pa-* (Exod. 20.) *trem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram:* huius etiam præcepti violatorem mortis sententia damnat, dicens:

Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.

Hocque ad confirmationem repetens:

Patri, inquit, *& matri qui maledixerit, sit sanguis eius super eum.*

Vbi aduertendum est, grauem esse parentum iniuriam: quæ licet sub remissione noui Testamenti non statim morte vindicetur; sicut fieri iussum est sub austeritate veteris: reatus tamen impar non est & pœna illius, nisi dum viuit

homo,

A homo, per pœnitentiam se correxerit. Si differtur, non aufertur, sed grauius (vt supra diximus) sub diuino iudicio puniuntur, quicunque per patientiam illius peiores efficiuntur.

Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.

Hoc ad illud respicit, quod in Exodo dictũ est: *Non mœchaberis.* Verum cum Dauid adulterium recolo, & video illum non statim morti destinatum, sed vno verbo veniam assecutum, cũ Prophetæ arguenti respondisset, *Peccaui Domino*: dictum est enim illi, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*: intelligo iam in illo viro formam præcessisse euangelicam, dum pœnitendo & confitendo abluit culpã, & legalem euadit sententiam.

Exod. 20. 2. Reg. 11. & 12.

Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos.

Supra nanq; præceperat, dicens: *Turpitudinem vxoris patrui tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est.* Hoc fecit Ruben primogenitus Iacob, qui dormiuit cum Bala concubina patris sui. Vnde & à patre maledicitur: *Rubẽ*, inquit, *primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Sed & Absalon ingressus est ad concubinas patris sui, quas dimiserat fugiens ad custodiendã domum. Cuius tamen flagitij, sed & omnium quæ in patrem commisit, sceleratus parricida celerem Dei iudicio pœnam dedit.

Leuit. 18. B Genes. 35. Gen. 49. 2. Reg. 16. 2. Reg. 18.

Si quis dormierit cum nuru sua, vterq; moriantur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterq; operatus est nefas, morte moriatur, sit sanguis eorũ super eos. Qui supra vxorẽ suã duxerit matrem eius, scelus operatus est. viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestrum. Qui cum iumento & pecore coierit: morte moriatur: pecus quoq; occidite. Mulier quæ succubuerit iumento cuilibet, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.

C Hæc omnia ex superioribus pendent. Supra nanq; & à lege prohibita, & à nobis, prout visum est, tractata reperire poterit, quisquis ad legendum piger non erit. Sed quoniam nonnullos scandalizare solet, quod talia loquatur scriptura, repetimus hic quod etiam ibi diximus. Quasi enim satisfaciens nobis sermo diuinus, reddit causam superius, cur de cauendis huiusmodi execrationibus populum illum commoueat, dicens: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum: & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gẽtem quæ fuit ante vos. Ecce quæ fuit ratio vt à talibus reuocarentur, possessores quippe terræ illius, in quam ingressuri erant, his omnibus seipsos polluerant: & timendum erat istis, ne eorum fierent imitatores, quorum diuina promissio iam eos fecerat successores. Nos autem temeraria præsumptione arguimus lucẽ, quod nosipsos nobis ostendit: arguimus verbum Dei, quod sine suo vitio nostra vitia reprehendit. Quid agis humana superbia? Tantæ sunt sordes tuæ, in has feces deuoluta es, vt sermo Dei qui curam tui suscepit, non aliter subuenire tibi posset, nisi in stercora tua quodammodo manus mitteret, & vt tibi sordes detraheret, si dici fas est, ipse cõtraheret. Sicut tamen radius solis incontaminatus cloacas penetrat, sic stylus Spiritus sancti propter sui munditiam vbique attingit, & nihil inquinatum in illum incurrit. Quod autem sordescere visus est, tibi ascribe. Tui enim causa factũ est. Scriptura sacra quasi potio tibi tẽperata est. Si eius amaritudo palatum tuum contristat, quid accusas medicum? Nouit quid tibi expediat. Morbus tuus talis est, vt hoc remedium necessarium habeat. Deus enim magnus medicus, magnum suscepit ægrotum, vniuersum genus humanum. Huic languido quia diuersi sunt mores, variæ ægritudines varias etiam in verbo suo temperauit confectiones. Nihil ergo in eius arte reprehendas. Quod non prodest tibi, prodest alteri. Neque enim tuum tantummodo agitur in scriptura negotium. Omnium salus ibi reposita est. Habes di-

Leui. 18. D H Sapi. 7.

E cente Apostol. *quia iusto lex non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, fornicatoribus & masculorum concubitoribus, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei.* *Non est*, inquit, *lex iusto posita*, id est, imposita quasi iugum, quasi pondus, illæ scilicet legis comminationes, quæ ab his deterrent criminibus, dum dicitur: *Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur.* Iustus enim per legem legi mortuus est, per legem videlicet spiritus interius viuificantem, literæ comminanti & non viuenti insensibilis redditus est. Nam cum dicitur, *Non occides, Non mœchaberis*: *Qui vero occiderit vel mœchatus fuerit, morte moriatur*: iustus nec occidere cupit, nec adulterare, & ideo non eum terret quod dicitur, nec omnino præcepti pondere grauatus. Non enim sub lege, sed cum lege est, hoc habens in voluntate, quod illa in præceptione. Si igitur tu diuino munere iam talis effectus es, vt terrendus non sis, sed exhortandus: si legis minas iam tibi sentis non necessarias, gratias age Deo, à quo tantam consecutus es gratiam. alijs tamen adhuc languentibus ne velis subtrahere medicinam. Nouit Spiritus sanctus quid loquatur, & quibus loquatur: quibusque per ea quæ loquitur, subueniatur. Omnia ergo quæcunque in stylo illius inueneris, comede; nihil ducas spernendum, nihil æstimes abiciendum. Sed ad propositum iam reuertamur.

1. Tim. 1. Galat. 2. Exod. 20. Leuit. 24.

F *Qui cum iumento*, inquit, *& pecore coierit, morte moriatur. pecus quoq; occidite.* Quæritur quid peccauerit pecus vt occidi præcipiatur, cum sit irrationabile, nec vllo modo legis capax: maxime cum inferius de muliere quæ iumento succubuerit, dicatur: *Sanguis eorum sit super eos*, tanquam & pecus reum sit. Sed sicut dicit beatus Augustinus, transfert ista verba modo locutionis, quæ dicitur metaphora: ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus æstus, vel iratum mare: ita & hic translatum est à rationali ad irrationale. Nam & pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam. Sequitur:

Quæstio notabilis.

Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius: illaq; conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: occidentur ambo in medio populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem suam.

G Hanc mortis sententiam promeruit Amnon filius Dauid regis, cum Thamar sororem suam violenter oppressit. In quo tamen pater pepercit ei, quia primogenitus eius erat, & diligebat eum. sed iustus iudex Deus, quod Dauid dissimulauit, per manus Absalon tantum flagitium morte debita vindicauit: & qui contristare filium noluit, ipse postea Deo iudicante, de morte filij grauem tristitiam incurrit.

2. Reg. 13. Ibidem.

X *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.*

De muliere menstrua cur ad eam accedere prohibeat, iã supra tractauimus, & eadem nunc repetere superfluum iudicamus. Hoc tamen non prætereo, quia lex sibi contraria videtur. Supra nanque cum de muliere mẽstrua tractaretur, hominem qui cum illa coiret tempore fluxus sui, dixit septem diebus immundum fieri. Et vtique cum immũditiæ illius tempus terminat, quasi agendæ pœnitentiæ spatium decernit, in quo à sanctorum introitu sequestretur: & tempore consummato, denuo recipiatur. Hic vero nullũ indulget pœnitentiæ locum, sed *qui coierit*, inquit, *cum muliere in fluxu menstruo, interficiantur ambo de medio populi sui.* Videant ergo literæ sectatores, qualiter hanc eius sententiam resarciant. Nos ad spiritum confugimus, & ibi legis integritatem aduertimus. Qui enim cum menstrua muliere coierit, quicunque menti quæ per carnis desideria defluit, se conformauerit, immundus erit septem diebus, donec scilicet seruitutis iugum excutiens, inquietudinem concupiscentiæ carnalis abijciat, & sabbatum sanctæ vacationis attingat. Sic enim septem dierum sacramentum accipiendum, iam multis in locis supra ostendimus. Quod si quiescere noluerit, & spirituale sabbatum adeptus non fuerit, sine dubio occidendus erit.

Leuit. 15 H

Turpitudinem materteræ tuæ & amitæ tuæ non discooperies. Qui

A *hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudabit, portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum vxore patrui vel auunculi sui, & reuelauerit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum. absque liberis morientur. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam. turpitudinem fratris sui reuelauit. absque liberis erit.*

Videtur huic sententiæ contraire, quod alibi præcipitur, vt si quis mortuus fuerit non habēs filios, ducat frater eius
Deut. 25. vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Sed dicet fortassis aliquis, viuentis fratris vxorem ducere illicitum fuisse. Vnde & Ioannes Baptista arguebat Herodem, quod tulisset fra-
Marc. 6. tri suo Philippo viuenti vxorem, si autem mortuus fuisset frater, iam licitum esse. Quod si ita est, rursus quæritur, cur de fratre quasi speciale præceptum positum sit, cum quælibet mulier viuente viro suo vocetur adultera, si fuerit cum alio viro. Vt ergo aliqua sit differentia inter fratris vxorem, & cuiuscunque alterius hominis, dici forsitan potest, quod si frater sine liberis moriatur, potest frater illius in matri-
B monium illi succedere, iuxta legis præceptum, sacramenti causa, quod Spiritus sanctus ibidem constituit: si vero qui moritur, filios habuerit, tunc neque mortui vxorem ducere frater eius licite poterit. In hoc igitur distat inter fratrem & quemlibet hominem, quod alieno quolibet mortuo, mulier omnimodis soluta est à lege viri, & nubere licet cuicunque voluerit: fratri autem non licet, si ille qui mortuus est, filios habuerit. Videndum etiam quid sit, quod de istis nunc dicitur, portabunt peccatum suum, absq; liberis erūt. Nunquid enim adulteris & incestis filij nō nascuntur? Sed vt ait B. Augustinus, hoc intelligendum est lege Dei constitutum, vt quicunque ex eis nati sunt, non deputentur filij: id est, nullo parenti iure succedant.

Custodite leges meas atq; iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra, quam intraturi estis & habitaturi.

Hoc quod eis minatur Deus, nos quoque timere oportet, si meminimus (quod supra tractatum est) quæ sit terra promissionis, quæ sanctis omnibus in hæreditatem datur possidenda, interior videlicet conscientiæ requies, in quam
C introducit Iesus noster venientes ad se, & tollentes iugum
Matth. 11. suum: *Discite*, inquiens, *à me, quia mitis sum & humilis corde & inuenietis requiem animabus vestris.* Hæc terra Dei contemptores euomit: quia apud se quietem non inueniunt, quicunq;
Psal. 24. Dei præcepta postponunt. Sic enim scriptum est: *Quis est homo qui timet Dominum?* Vbi & responsio subditur: *Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.* Timentes igitur Deum, intus reficiuntur: qui autem aduersus Deum superbiunt, euomit eos terra sua: quia ab interioribus suis expulsi, in exteriores illecebras præcipitantur. Habes vtrumque breuiter in Psalmo comprehensum: *Susci-*
Psal. 146 *piens*, inquit, *mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.* Sequitur:

Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus vester, qui separaui vos à cæteris populis.

D Hæc commonitio quam blanda, quam paterna, quia nos maxime respiciat, aduertendum est. Nobis enim per Apostolum dicitur, ne ambulemus in legitimis nationum.
1. Thess. 4. *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in honore & sanctificatione, non in passionibus desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Nobis dicitur vt possideamus terram fluentem lacte & melle, iuxta illud dominicum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Nos
Luc. 21. præcipue à cæteris populis separati sumus, Gratias illi qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum
Col. 1. filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum. Vnde & ipse Dominus: *De mundo,*
Ioan. 15. inquit, *non estis: sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.*

Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda, ne polluatis animas vestras in pecore, & in auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta. & eritis sancti mihi, quia sanctus ego sum Dominus: & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.

Hæc iam ad sacramenta reuocantur, in quorum obseruatione seruiebant nobis, qui Dei gratia iam non grauamur eorum sarcina, sed instruimur intelligentia. Quid au-
E tem sibi velit mundorum immundorumve discretio animalium, prolixius supra tractatum est. Hæc vero (sicut ibi satis ostendimus) sanctitatem quidem significare potest, sed hominem sanctificare non potest. Dicitur tamen, vt modo legimus, ne polluatis animas vestras in omnibus quæ ostendi vobis esse polluta, & eritis sancti mihi. Quod sic accipiendum est, *Ne polluatis animas vestras*: tanquam diceret, cauete ea in quibus animarum vestrarum pollutio designatur. *& eritis sancti mihi*, id est, sanctitatis formam habebitis.

Vir siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur. lapidibus obruent eos. sanguis eorum sit super eos.

Superius eos qui diuinos consulerent, interficiendos prædixit: nunc autem ipsos quoque qui diuinationis spi- *Leuit. 19.*
F rituum habuerint, iubet interfici: ne per eorum præsentiam & seductionem, populus Dei à cultu ipsius valeat separari.

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER DECIMVSQVINTVS.

PRÆFATIO.

PRæcedentis libri procemio, de generibus dictionum quæ in scripturis variæ reperiuntur, tractatum est. Sed quia diuinæ legis intelligentia partim in specie dicendi, partim in rerum figuris subsistit: tunc de styli ipsius varietate, nunc aliquid de rebus dicendum est. Vtriusque enim
G partis cognitione percepta, ad omnia quæ sacris voluminibus continentur, lectoris animus instructior inuenietur. Rerum igitur figuræ, aut allegoricæ sunt, aut morales, aut anagogicæ. Allegoricæ, cum ventura prænunciant: vt est illud, quod de costa Adam Eua facta memoratur, quod *Gen. 2.* Cain fratrem legitur occidisse, & Noe arcam in qua omnia *Gen. 4.* animantia saluarentur struxisse. Morales sunt, quæ mores *Genes. 6.* instruunt, vt plurima quæ in tabernaculo facta sunt, cortinarum numerus & mensura, pecorum sacrificia & ciliciorum tectum. Quæ omnia si intelligantur, plene nos edocent, quomodo peccata nostra tegere, nosque ipsos hostiā viuam Deo exhibere, siue mentes virtutibus exornare possimus. Anagogicæ quoq; sunt, quæ ad superiora nos ducūt, id est, de diuinis nos imbuunt. Aliud enim est, cum docemur quid nos agere debeamus: aliud vero, cum quid de Deo veraciter sentiamus. Morale est igitur quod in arca *Heb. 9.* legitur cum lege scripta manna cum virga fuisse. In arca *3. Reg. 8.* quippe, mentem sanctam: in lege, mandata: in manna gra-
H tiam, in virga potestatem accipimus. Nemo autem habet potestatem præcepta faciendi, nisi per gratiam. Anagogicum vero est, quod eidem arcæ propitiatorium imminet: in *Exod. 25.* quod etiam duo Cherubin vultus mittunt. Vbi enim per *37.* infirmitatem deficimus in mandatorum executione, aduocatum habemus apud patrem, qui est propitiatio pro peccatis nostris. In quem duo Cherubin vultus mittunt, *1. Ioan. 2.* quia duo testamenta concorditer eum annunciant. Nonnulla etiam sunt, quæ & allegoricum & moralem typum iungunt, siue etiam anagogicum addunt. Verbi gratia. Si quod legimus, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*: ad Christum *Iob. 1.* referamus, qui dolores nostros portauit, & mentes vitæ consilijs deditas inhabitat, allegoricum est. Si ad nos re- *Isai. 53.* torqueamus, quia videlicet vnusquisq; iustus qui vitæ consilium recipit, necesse est vt peregrinationis suæ ærumna doleat, morale est. Item cum populus cum Moyse deserta peragraret, præibat eum columna nubis in die, & columna ignis in nocte. Si hic intelligas Christum prænunciari, qui *Exod. 13.* de seipso ait: *In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant*: allegoria est. Si vero ad- *Ioan. 9.*

uertas

A uei ... ho... mpe... fieri ... maculas ... iumu tei le quaecunque ... uminet, & hi qui ibi sapientes videntur, nocturnae ... lat... tem obnubilet ... in anagogicum sensum figuram ve..., quia ad ... naint ... agēda mentem transfu... Se... tee moralis deo instructio, dum vtrq; docemus, quales ... diuinam cognitionem nos praeparare debeamus. Sciendum vero est quaedam in rebus mysticis ob figuram solam a patribus facta ... ea quae à Moyse in tabernaculo, seu Salomone in templo ... lebrata sunt. Quaedam autem ... certu ... temporum ... nem causas haberent congruas, & suas hominibus illis exhiberent vtilitates. tamen per eum qui tempora cūcta dispensat, omnia scripta & in figuram nostras ... exata sunt. Inde est, quod Abraam duos filios legitur habuisse, quod Moyses ... us, & de flumine leuatus, à Pharao ... ia teleruatu..., & per eum postea populus de seruitute educitur. Quae omnia tempore suo propriā habuerunt vtilitatem: & tamen ... intelligatur, magna in eis mysteria ... p... h... untur. His autem ... multis ... caper- mixta sunt, quae nullus negotio ... state sunt facta: vt dum quasi supe... ua ... nueniuntur, admoneant animum rationalem ... aliquid se significare, deinde quid significent quaerere. Verbi gratia: Nunquid si oportebat ... u ... ioam fieri, quam hominis necessitas ... de do... mus latere fieret? Si causa euadendi ... op... terat ... arcā, quid opus erat mensu... ut ... as poti... inum fieri aut etiam scriptis ad ... posteritati ... andus commemorari? Si propter ... separandum ... includi oportebat, quid opus erat ... mun... me ... sep... na ... mundi, bi... de immundis. Sed haec cum ab illis ... agerentur, quidam eorum ... quidam tenebant. Nam ... filius Ioseph Ephraim & Manasses benedictus ... rum ... anus ... sedebat ... Iezechiel ... humeris portaretur ... que quod ... Ioannes ... dum est.

Vt non contaminetur ... [illegible]

[illegible]

Dixit quoque ... Aaron ... [illegible]

*Tota ... nunc Sa... [illegible] ... Item ... Nec ... sacerdotibus tactum ... quam ... Sed quia omn... naturae ... legitur ... hoc quod ... plantur ... tuo ... Augustinus, peccata ... [illegible] ... qualescunque contactum, tanquam ab immo...

d... pu... ... facta est ... baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius: Sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans haec eadem facit. Hinc est quod ... archa Iacob tam solicite procurauit, vt corpus suum in Ægypto non sepeliretur, sed in terra Chanaan. Sepultura enim mortuorum, remissionem significat peccatorum. Eo pertinet quod dictum est: Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum ... ta sunt peccata. Vbi ergo sepelienda erant, huc ... ma cadauera Patriarcharum, nisi ... ea terra, vbi ... eius sanguine facta est ... o peccatorum ... igitur per mortua cadauera peccata ... trop... quo perfectum efficiens ... tum enim mors, & peccando hoc meruimus, vt moreremur ... actus ergo mortuorum ... Praeci... itaque ne contaminetur Sacerdos in mortibus ... rum: id est, ne ... illorum particeps ... a populare ... iuxta ... cuicunque ... merito ... Sicut populus, sic & sacerdos. Indignum est enim, vt ... officium ... ipse ... appareat. & ... populum praecedere ... et ... populum ... ad peruersitatem. Quid est autem quod dicit ... : Nunquid enim ... Quid si illi fuerint adulteri ... Licet ... sacerdoti ... his mortibus contaminetur, & consanguineorum exemplo, harum praeuaricationem ... Sciendum itaque, quod ... in ... autem indulgentiam praebet ... venia ... misericorditer impendit ... nullatenus in sacerdotibus, quae ... quidem ... sunt, sed tamen venialia. Nemo quippe ... [illegible] ... contaminet Sacerdo... agnoscit ... purget venia ... [illegible] ... Videtur ... sacerdos ... [illegible] ... Sacerdos veniale ... accedere ... contaminabitur. Principe ... que quanto ... humano ... peccandi ... igitur ... Sacerdos, ne ... carnalis ...

A perterritus, dum offensam metuit humanam, peccantē aut redarguere non præsumat, aut etiam dum potentis gratiam quærit, peccatis illius fauere incipiat. Iudices quippe subditorum constituuntur Sacerdotes, vt, sicut scriptum est, *faciant vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Duobus Psal. 149. autem modis, non coinquinatur à malo Sacerdos, si non consentiat, & si redarguat. Nam si peccantem videns, à iusta increpatione timore compescitur, ipse suo silentio reus inuenitur. Vnde scriptum est: *Noli quærere fieri iudex, nisi vales* Eccles. 7. *virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Tanquam diceret: Ne velis suscipere regimen populi, nisi tantæ sis constantiæ, vt non reuerearis personam potētis, sed cum omni fiducia arguas delinquentes: ne forte scandalizes tibi commissos, si te agilem viderint, & ad nutum humanū flexibilem. Vbi & apte Ibidem. subiungitur: *Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum, neq; alliges duplicia peccata. nec enim in vno eris immu-*
B *nis. Non alliges,* inquit, *duplicia peccata:* vt scilicet, non tantum pro se, sed & pro subditis cogatur reddere rationem. *Neque enim in vno eris immunis,* id est, in aliquo horum: quia & suorum & alienorum luet supplicia delictorum. Quicunque ergo locum iam tenet regiminis, cauere necesse est, ne adulando potestatibus, peccatis se contaminet alienis. & dum humanam declinat offensam, diuinam incurrat vindictam. Sequitur:

Non radent caput nec barbam, neq; in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius.

Quod hic prohibentur caput radere Sacerdotes, in Iezechiele sic dicitur: *Sacerdotes caput suum non radent, neq; co-* Iezech. 44. *mam nutrient: sed condentes attondebunt capita sua.* Quod papa Gregorius sic exponit: Capilli, inquit, in capite, exteriores sunt cogitationes in mente: quæ ex sensu negligenter, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem solicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere: Sacerdotes recte & caput prohibentur
C radere, & comā nutrire: vt cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescēdum nimis relaxent. vt capilli in capite sacerdotis & seruētur, vt cutem cooperiant. & resecentur, ne oculos claudant. Quod vero etiam barbam radere prohibentur, iam supra exposuimus. idem namq; populo præcipitur, vt scil. virtutis speciem in vultu præferre videantur. Sed & de incisuris quæ in carne fiebant, diximus superius, hunc ritum fuisse gentilem, vt in charorum funeribus præ nimio dolore seipsos incideret: quod ne faciant, populo Dei & maxime Sacerdotibus interdicitur: quia resurrectionis fidem videntur euacuare, si mortuorum suorum luctum non studeant temperare. Inde est quod subditur: *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius.* Sanctitas quippe integritas est: quæ tum in fide, tum in moribus consideratur. Fides autem integra nō est, si diuinis non credit promissionibus, maxime de mortuorum resurrectione, & omnium in fine fidelium reparatione. *Sancti* ergo *erunt* (inquit) *Deo suo, & non polluent nomen*
D *eius.* Inhonorare namq; est Deum, in magna mortis necessitate quasi tunc virtus eius defecerit, nullum ab eo solatio expectare. Non ergo polluant nomen Domini, indigna de illo sentientes, & in blasphemiam alios mittentes: dum illis in tribulatione desperantibus, ab infidelibus insultatur & dicitur: *Vbi est Deus eorum?* Cur autem sancti esse debeant, Psalm. 113. caussa redditur, cum subiungitur:

Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerūt: & ideo sancti erūt.

Incensum, orationem significat, iuxta illud Psalmistæ: Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Scriptum est Rom. 10. autem: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Necesse est igitur vt fidem integram possideant, & maxime illius rei, pro qua omnis sanctorum conuersatio vigilat, æternæ scil. retributionis: quorum hoc officium est, vt iam pro se quam pro populo Dei suæ orationis incensum offerant. Panes vero Dei sunt, qui fide & bonis operibus Dominum pascunt, & seipsos in Christi corpus traijciunt. Hos, sacerdotes Deo offerunt. qui doctrina sua ad credulitatem illos perducunt. Iustum est itaque vt ipsi sancti sint, qui alios ad sanctitatem inuitant: & fidem quam aliis prædicant, ipsi constanter teneant. Sequitur:

E *Scortum & vile prostibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito quia consecratus est Deo suo, & panes propositionis offert. Sit ergo sanctus, quia & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos.*

Post fidei integritatem, etiam de conuersationis sanctitate commonet, dicens: *Scortum & vile prostibulum non ducet Sacerdos vxorem.* Vxorem in scripturis mystice sæpe intelligi, res est satis manifesta. Nam de Sapientia quidam ait: *Hanc* Sap. 8. *amaui & exquisiui a iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi assumere illam, & amator factus sum formæ illius.* Sed & Iacob à parentibus ad auunculum suum transmissus est, vt acciperet vxo- Gen. 28. rem generis sui. Dixit enim mater eius: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo* Gen. 29. *viuere.* Et veniens Iacob ad auunculum, duas filias eius sumpsit in matrimonium. in quibus (sicut patribus visum est) conuersatio gemina designatur, actiua scilicet & contemplatiua. Sicut ergo prohibetur Iacob, ne acciperet vxorē
F de genere Chanaan: sic interdicitur Sacerdoti, ne scortum & vile prostibulum sibi coniungat. Tunc enim homo vxorem accipit, cum hanc vel illam viuendi formam sibi assumit. Accipit vxorem generis sui, si Deum creatorem suum respiciat: si sanctos patres qui præcesserunt, attendat: & ex illorum forma, viuendi regulam sumat. Accipit vxorem de genere Chanaan, scortum & vile prostibulum, & quæ repudiata est marito, si mundi huius amatoribus conformetur, & luxuriosam amplectatur vitam. quæ ab omnibos viris virtutis, licet forte primitus illi adhæserint, postquam tamen sponsæ illius quam supra diximus, sapientiæ scilicet, pulchritudine capti sunt, tanquam meretrix & immunda repudiata est. Dicitur ergo sacerdoti vt sanctus sit, *quia ego sanctus sum, dicit Dominus.* Vbi notandum quia ad Dei similitudinem nos animat, iuxta quod Apostolus Petrus gratiam 2. Pet. Domini Christi nobis commendans: *Per quem,* inquit, *maxima & pretiosa nobis promissa donata sunt,* vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Nonne hoc est quod per legem Sacerdoti præcipitur, vt scortum aut vile prostibulum non accipiat vxorem, sed diuinam imitetur sanctitatem? Sequitur:

Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.

Hanc seueritatem, vt in libro de ciuitate Dei B. testatur Augustinus, etiam gentiles tenuerunt circa illas, quæ castitatem professæ fuerant, & Deorum suorum ministerio cōsecratæ. Antiqui, inquit, Romani in stupro deprehensas Vestæ Sacerdotes, viuas etiam confodiebant; adulteras autē fœminas quamuis aliqua damnatione, nulla tamē morte plectebant. vsque adeo grauius putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicanda. Hactenus de sacerdotibus generaliter actum est. nunc ad summum transitur Pontificem, de quo quid lex decernat, considerandum est.

Vt Pontifex, id est, Sacerdos maximus, ad nullum omnino mortuum ingrediatur.

H

CAP. II.

Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput effusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est vestibus sanctis, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino.

Iam omni erudito, quem dicere intendam, manifestum existimo. Cum enim nominat Pontificem & Sacerdotem maximum inter fratres suos, ad quem tanta verborum excellentia referenda est, nisi de quo testatur Apostolus, quia Heb. 4. *habemus Pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei?* Hic est Sacerdos maximus: quia alii plures facti sunt Heb. 7. Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Iste maximus est inter fratres suos. *Quis enim similis erit Domino in filiis Dei?* Psal. 88. Maximus est inter fratres, nō quos fratres inuenit, sed quos magna sua gratia, ex inimicis sibi fratres fecit. G

qui

qui [illegible], [illegible] nostris, sanguinis sui lauacrum exhiberet, *& fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & patri suo.* Super [illegible] [illegible] fusum est [illegible] oleum: quia *vnxit eum Deus, Deus oleo lætitiæ præ participibus suis.* *Et cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt*, quia non solum in capite, ad [illegible] videlicet sanctificationem, vnctionem spiritus habuit, sed & in omni conuersatione sua hominibus irreprehensibilem se ostendit. *[illegible] quæ est*, inquit, *vestibus [illegible].* Vestis Christi [illegible] singulariter dicitur, [illegible] ecclesiam solet significare, iuxta illud Apostoli: *Vt exhiberet [illegible] sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Cum autem pluraliter vestes [illegible], nescio [illegible] ad illam quæ vna est, valeat referri [illegible] per quam [illegible] septem ecclesiæ, quæ tamen [illegible] significantur & multæ vestes, multæque [illegible] quæ Christum induunt. Nam & spolia in Psalmo dicuntur, quæ Diabolo subtrahuntur, & in ornatu corporis Christi, [illegible] prudentiam distribuuntur. *Dominus dabit verbum euangelizantibus & speciei domus diuidere spolia.* [illegible] quia de [illegible] vestibus per Isaiam ipse loquitur, h[illegible] commemorans, quos persecutorum manibus dederat. *Calcaui*, inquit, *eos in [illegible] meo, & [illegible] eos in ira mea.* Ipse enim calcabat, qui inimicis vt calcare possent, potestatem indulserat. Deinde subdit: *[illegible] aspersus est [illegible] eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Tempore namque persecutionis, [illegible] ecclesiæ martyrum cruore respersa, [illegible] [illegible] inimicorum fœda quodam modo & deformis apparuit. Nam & ipse *speciosus præ filiis hominum*, inter manus tamen inimicorum quasi fœdus visus est, [illegible] iuxta Isaiam *non esset ei species neque decor [illegible] nos*, inquit, *putauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum.* [illegible] [illegible] vt [illegible] [illegible] sicut in veste, sic & in vestibus Summi *Pontificis ecclesiam posse designari. Nam [illegible] nonnulla pluraliter dicta, singulariter accipi solent, sicut [illegible] Isaias de Christo loquens: *Quis est*, inquit, *iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Edom, terram sonat: Bosra autem Idumææ ciuitas interpretatur, in tribulatione. Vestes igitur istas quas tinctas dixit, non [illegible] Christi accipitur, in qua etiam eum de tribulatione quam in terris passus est, resurgendo ascendit, effusi cruoris vestigia reseruauit. Vestis ergo carnis rubricatæ, pluraliter nominatur, cum tinctis vestibus Christus de Edom venisse perhibetur. [illegible] & [illegible] fertus subditur. *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* Hoc dixit indumentum quod & [illegible] vestimenta, nihil discernens, vtrum singulariter an pluraliter loqueretur. Vt ergo ad ea, quæ nostra sunt reuertamur, Pontifex sacris vestibus vestitur, cum Christus nationibus diuersis, in fide sua congregatis, & fidei ipsius beneficio sanctificatis, induitur. Si igitur iam tenemus quis sit Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in [illegible] sacerdotium consecratæ sunt, vestitusque est vestibus sanctis: videamus nunc quid [illegible] [illegible] imponat, sed qualem eum futurum prædicat. *Caput suum*, inquit, *non discooperiet.* Habes in Apostolo, quia *caput Christi Deus est.* Hoc caput Pontifex noster non discooperuit: quia in omnibus quæ agebat, patrem glorificans, honorem illi debitum non subtraxit. *Verba* inquit, *quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. pater autem in me manens, ipse facit opera. [illegible] Mea doctrina non est mea.* Licet enim patri æqualis & [illegible] substantialis, tamen quicquid habet, a patre habet: [illegible] ipsum, vt totum habeat quod pater. Ipse namque a patre, non pater ab ipso est. R[illegible] Iudæis conuiciantibus: *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me.* Capiti ergo suo [illegible] velamentum non detrahit, cum patris gloriam quærit. [illegible] & subditur: *Vestimenta non scindet.* Vestimenta scinderet, si propriam gloriam quærens, populos sibi adhærentes, [illegible] [illegible] separaret. Hoc enim Antichristus faciet: *qui [illegible] [illegible] & se supra omne quod dicitur Deus extollens, fidem diuinam quassare contendet.* Christus autem [illegible] [illegible] patris sui aperte testatur quia *non venit legem soluere, sed implere*: [illegible] vestimenta sua scindit, qui pas[illegible] [illegible] prox[illegible], pat[illegible] [illegible] tur, vt omnes quos dedit sibi de mundo, [illegible] in patris cognitione [illegible] & in sua vnum efficiantur. Quod [illegible] [illegible] tur, quia ad omnem mortuum [illegible] [illegible] dicitur omnino, quid manifestius, si ad Christum referas? quid difficilius, si ab illo [illegible] [illegible]? Quis enim [illegible] [illegible] [illegible] in mundo, nisi qui peccatum tulit mundi? [illegible] & cætera quæ sequuntur, apte [illegible] congruunt.

Super patre quoque & matre non contaminabitur.

Q[illegible] [illegible], qua ab ip[illegible] [illegible] nos omnes inficit, vitiatæ origi[illegible] [illegible] regionem fecisti.

Nec egredietur de [illegible].

Hoc quoque nihil competentius est, qui sanctitatis metas nunquam excessit, & quem [illegible] intra suum ambitum centrum sacræ legis inueniet. Hoc [illegible] quod ait, non egredietur de sanctis. videndum est iuxta literam, qualiter legali Pontifici valeat conuenire. Neque enim credibile est, Pontifices [illegible] sanctuario nunquam [illegible], nempe cum domos haberent, quo necessario reuertebantur vel [illegible] rei familiaris, vel [illegible], vt vxores cognosceret, & sui officij [illegible] [illegible] conseruaret. Sic namque de Zacharia legimus, qui *postquam impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.* Quid quod post Babylonis captiuitatem, iam sublatis regibus, tota populi respublica per Pontifices administrata est, [illegible] pietas tum in sacrorum administratione, tum in populi regimine, & Deo & hominibus amabilis fuit. Ionathas & Simon post mortem fratris, stola sancta vsi sunt: in templo Sacerdotes, in bello duces. Quod ergo præcipitur, vt Pontifex de sanctis non egrediatur, ad hoc respicit quod præmissum est, *Super patre & matre non contaminabitur*, vt scilicet ad eorum [illegible] [illegible] [illegible] & de sanctis non egredietur, eo duntaxat tempore, quo parentum exequiæ celebrantur. Sic namque B. Augustinus hanc quæstionem dissoluit. *Non ergo [illegible] [illegible] de sanctis,*

Ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Domini [illegible] super eum est. Ego Dominus.

Quod dicit, *ne polluat sanctuarium*. sic intelligendum est, ne polluat vnctionem [illegible] quam de sanctuario accepit: quam quasi polluisse videretur, si ad mortuum ingrederetur. Et ne homines [illegible] quibus hæc obseruatio tradebatur, graue hoc [illegible] [illegible], putarique contrarium, absentare se parentum exequijs, non intelligentes vtique quid [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] obijcere, cum [illegible] [illegible]. M[illegible] [illegible] Dei & hominum homo Christus Iesus, [illegible] assiduus fuit, vt nunquam mortes nostras egrederetur, id est, [illegible] [illegible] communicas, [illegible] sanctitatis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] aliquam [illegible] infecerit. Ipse est namque mons, in quo beneplacitum fuit Deo habitare [illegible] & cuius signum speciale B. [illegible] accepit, vt super quem videret spiritum Dei [illegible] & [illegible] super eum, ipsum esse intelligeret, [illegible] Spiritu [illegible] [illegible]. Manet namque apud illum Spiritus sanctus, nihil in eius mente inueniens, vnde offensus aut recedere, aut gratiam suam subtrahere cogeretur. [illegible] est enim vir, quem iuxta Isaiam septem mulieres apprehenderunt, septem scilicet gratiæ Spiritus sancti: quarum ipse opprobrium abstulit, quia sancti[illegible] [illegible] fecit, quod nusquam apud hominem inuenerant, perpetuam atque incorruptam in cordis eius puritate requiem [illegible] [illegible] [illegible]:

Virginem ducet vxorem: viduam & repudiatam & sordidam atque meretricem non accipiet, [illegible] [illegible] de populo suo, ne misceat [illegible] generis sui vulgo gentis suæ, quia ego Dominus qui sanctifico eum.

Quod dicitur, de populo suo, intelligendum est de stirpe sua. Inde est enim quod [illegible] [illegible] ne [illegible] [illegible] generis sui vulgo gentis suæ. [illegible]

Loquens de tabernaculo [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] do, erigendo: *Alienigena, inquit, qui accesserit, morietur.* [illegible] statim B. Augustinus, ali[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Israel, qui non de illa tribu [illegible], qu[illegible] [illegible] [illegible] seruire præcepit: hoc est, qui non fuerit de [illegible] Leui: [illegible] alienigena [illegible], [illegible] [illegible] Israel qui non sunt de tribu Leui, [illegible] quia non inconuenienter popu[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] potest [illegible]. Quod si ad [illegible] [illegible] summus Pontifex [illegible] Dominus Christus, virginem ducit vxorem, [illegible] [illegible] [illegible] per Apostolum dicitur: *Despondi vos [illegible], virginem*

A Deut. 22. In Deuteronomio cum hoc ipsum repetisset, *Non indueris*, inquit, *vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* Lana. Lana vero, vt à Doctoribus nostris iam ante dictum est, opus visibile, eo quod grossior lana sit: Linum. linum autem quod subtilius est, occultam malitiam designat. Vestem itaq; ex duobus, ex lana scilicet linoque contextam, illi induunt, de quibus Psalm. 27. scriptum est: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

De ancilla nobili qua pretio non est redempta.

Cap. II.

HOmo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

Deut. 22. Videtur lex sibi sancite contraria. Nam in Deuteronomio, *si desponsata fuerit virgo, & concubuerit vir cum illa, iubet vtrunque lapidibus obrui.* Si igitur ancilla fuerit, & desponsata, & oppresserit eam aliquis: nunquid quia desponsata est, B occidentur? aut quia ancilla, plagis tantummodo corripientur? Ergo forsasse quod de plagarum disciplina præcipitur, ad ancillam quæ sponsum non habet, referendum est. Illicitum siquidem & morte dignum videtur, alienum violare matrimonium, siue libera sit mulier, siue ancilla. Si igitur de his quæ maritale nondum iniere consortium, hic agit scriptura: quid est quod ancilla violata, præcipitur vt vapulent vterque, mulier scilicet, & vir cum corpore suo, & non moriantur? Dum enim in ancillæ oppressione, mors oppressori simul & fornicatæ quæ illi consensit, remittitur: videtur subintelligendum, quia si mulier libera esset, ambo mortis supplicio plecterentur. Quod tamen si requisieris, aliter esse reperies. In Deuteronomio namque Deut. 22. sic legitur: *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum ea, patri puellæ centum siclos argenti: & habebit eam vxorem, quia humiliauit eam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Si igitur nec ille qui puellam adhuc virginem, & in domo patris libere agentem, violauerit, morti addicitur: quid est quod de ancilla quasi remis-C sius aliquid decerni videtur, vt qui cum illa concubuerit, vapulet tantum & non moriatur? Sed dici forsitan potest, quod alienæ sponsæ violatio morte vindicetur: qui vero cum libera puella dormierit, & patri prætaxatam pecuniá reddere, & eandem vxorem accipere cogatur: qui cum ancilla coierit, ab vtroque laxatur: quia nec mortis sententię subditur, nec mulieris illius nuptias inire compellitur: Lex tamen vnum posuit, aliud breuitatis causa prætermisit, dicens: *Vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.* potest itaque literæ sensus hac satisfactione fulciri: sciendum tamen quod in mysterium tota respicit, & præter spi-Rom. 2. ritum plenam sui decreti absolutionem non inuenit. *Nunquid* enim *personarum acceptor est Deus*, vt libertas seruitusve seculi huius, diuersum apud illum meritum sortiatur, grauiusque sub eius iudicio liberæ concubitus, ancillæ autem remissius vindicetur? Nequaquam. Siue seruus enim, siue liber, paris apud illum meriti sumus: in hoc solum discernimur, si in timore illius, præceptorumque eius obedientia, alter alterum præcedamus. In populo itaque illo, cui omnia pene sub figura præcipiebantur, vbi de ancilla decer-D nitur, cum qua quispiam concubuerit, vt etiam si nobilis fuerit, tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulent pariter, & non moriantur: forma eius traditur sacramenti, nobis (si intellexerimus) abundantius profutura. Ancilla enim nobilis, *anima* est humana, ingenuitatis Act. 17. suæ prærogatiuam trahens ab ipso Deo, sicut & paulo ante tractatum est: quia ipsius genus sumus, nō quidem de substantia eius nati, sed ad eius imaginem similitudinemque Gen. 1. creati. Quia vero per peccatum captiuata, & in seruitutem redacta est nobilis ista: quid nisi ancilla est, donec Christi sanguine redimatur, baptizata in morte ipsius, & gratuita eius gratia libertate donata? *Num si filius* (inquit) *vos libe-*Ioann. 8. *rauerit, tunc vere liberi eritis.* Corrumpitur autem anima humana, cum maligna cuiusquá persuasione trahitur ad peccatum. Lex igitur, vt supra dictum est, pro ancillæ concubitu hominem plagis subdit: pro liberæ vero, morte dignum E decernit: aperte docens, quanto grauiori pœna plectendus sit, qui animam Christi morte iam liberatam, iterum peccare persuaserit, & seruitutis pristinæ iugum recipere: quam si cum ancilla aliqua peccandi fœdus suscipiens, nō nisi quod fœdum est, fœdare voluerit. Inde est illud Apostoli: *Qui templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Item ad 1. Cor. 3. Hebræos: *Irritam qui faciens legem Moysi, sine vlla miseratione* Heb. 10. *duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcare voluerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Si quis itaque cum ancilla coierit, non quidem sine reatu fit vteriusq;, & idcirco vapulare debent: qui autem liberam violauerit, morte dignus est cum illa quam peccare suasit: quia teste Apostolo Petro, *melius* 2. Petr. 2. *erat vnicuique non agnoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Ergo* (inquit) *vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.* Deinde subditur:

Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij, arietem: orabitque pro eo Sacerdos, & pro delicto eius coram Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum. F

Arietem Deo offerre, est humiliter præceptis eius se subdere, & itineris agendi ducem eum constituere. Hunc arie-Act. 9. tem illi obtulit, qui de cœlo prostratus, clamauit, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Recte igitur qui ancillæ & ipse seruus per peccati contagionem adhæsit, pro delicti sui satisfactione offerre iubetur arietem: vt qui dudum à Deo alienus extiterat, præcepta illius contemnens, nunc audiat eum quasi magistrum: & quia seruitute illius alios abduxerat, nunc vestigia eius ipse sequatur: hocque ad ostium tabernaculi testimonij, vt per hanc scilicet humilitatem, tabernaculi cœlestis introitum mereatur. Sic autem fiet, vt oret Sacerdos pro peccato eius coram Domino, & repropitietur ei Dominus: & quod commiserat, relaxetur. Postquam enim ad Deum conuersi fuerimus, vt iam in luce ambulemus, sicut & ipse est in luce: *aduocatum habemus apud* 1. Ioann. 2. *patrem Iesum Christum magnum sacerdotem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Sequitur:

Vt auferantur præputia lignorum pomiferorum.

G

Cap. III.

QVando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum:

Hoc præcipere videtur, vt cum terram sibi promissam ingressi fuerint, terram scilicet Chanaan, de lignis pomiferis primitiuos fructus abijciant, & non vescantur ex eis. Inde enim est quod sequitur:

Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

Poma germinantia, dicit poma primi temporis, dū adhuc scilicet tenera est arbuscula, & ad fructuum abundantiam minus idonea: hoc in sequentibus apertius declaratur:

Quarto, inquit, *anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto enim anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus.*

Trium ergo annorum fructus immundos decernit. cum autem quarto anno Domino fuerint sanctificati, quinto H tandem & deinceps esui illorum concedit. Sed quæ hic ratio apparet? Nonne Deus fecit, & facit omnia bona valde? Gen. 1. Quid est quod Dei creatura accusatur, & ab ipso qui creauit, accusatur? *an potius accusari videtur? Iudaico quippe *aut animo agit, qui occidentem sequens literam, à tanto autore opus suum æstimat improbari: illud videlicet, quod per manus ipsius artificis non contraxit aliunde, vt non immerito debeat displicere. Nulla est igitur ratio cur fructus primi anni, secundi aut tertij, immundi dicantur magis quam quinti, sexti vel septimi: quod sicut Apostolo docente didicimus, *omnia hæc in figura præcipiebantur illis, & figuratiue obseruabantur ab illis.* Mysterium ergo obseruationis 1. Cor. 10. huius discutiendum est: & quid sibi velit quod præcipitur, inuestigandum. Terra promissionis, vnicuique nostrum anima sua est. De hac quippe dicitur: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Quod alibi exponens ipse Dominus, ait: Matth. 5.

A Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quæ etiam possessio quanti pretij sit, & quia omnibus regnis mundi huius anteponenda, docet nos idem magister alibi, dicens: Matth. 19. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Hoc nec huius mundi latuit sapientes, qui beatitudinem humanam non in facultatibus exterioribus, sed in animæ virtutibus esse dixerunt. Vnde quidam illorum:

Horatius ode 2. lib. 2.
Latius, inquit, *regnes, auidum domando*
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Ab hac terra longe peregrinantur, quicunque illecti voluptatibus corporeis, & ad sensuum suorum illecebras egressi, carni suæ subditi, Ægyptiacæ seruitutis ignominiosum iugum ferunt, & repromissæ patriæ fertilitatem nondum intelligunt. Hi sunt qui non in anima, sed in carne sua habitant: Rom. 8. de quibus etiam per Apostolum dicitur, *quia qui in carne sua sunt, Deo placere non possunt.* Nihil enim præter carnem B sapiunt, huius pascuntur voluptatibus, in quibus tota illorum versatur meditatio, quibus adipiscendis & retinendis, omnis inuigilat eorum intentio. Quo contra iustis dicitur: Ibidem. *Vos non in carne estis, sed in spiritu.* Carnis quippe illecebris renunciantes, & à corporis sensibus se retrahentes, secum habitant, & de cordibus suis vitia extirpantes, ibi mansionem Deo parant. Habes vocem iusti, in psalmo dicentis: Psalm. 41. *Effudi in me animam meam.* Quo vsque autem peruenerit ingressus animam suam, sequitur & dicit: Ibidem. *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis.* Sed quia tabernaculum in itinere potius quam in ciuitate fieri solet, tabernaculo * isto vtitur, dum transit: quo vero tendat, docet cum subiungit: Ibidem. *Vsque ad domum Dei.* Proficit nanque iustus, nec proficiendo deficit, crescens de virtute in virtutem, Psalm. 83. *donec videat Deum deorum in Sion*: 1. Cor. 13. interim scilicet *per speculum & in ænigmate, postea vero facie ad faciem.* Quo tamen antequam perueniat, dum mentem suam excolit, & Deo apud se lucum purgare contendit, via ipsa quantum habeat iucunditatis, hic de quo loquimur, satis innotuit, cum tabernaculum, in quod animam suam ingressus, transierat, admirabile se deprehen- C disse perhibuit. Hinc enim iucunditatem ipsam, quam ibidem expertus fuerat, exposuit dicens: Psalm. 41. *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Magnam quippe senserat multitu- Psal. 30. dinem dulcedinis, *quam abscondit Deus timentibus se*, quia istæ sunt spirituales deliciæ, solis Deum timentibus cognitæ, carnalibus vero penitus inexpertæ, iuxta quod de spiritu Ioann. 14. sancto discipulis Dominus loquens, ait: *Quem mundus potest accipere, quia non vidit eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Terra ergo quam iustus ingreditur, recessus sunt animæ interiores, quo se confert, vt quietus Deo adhæreat, vacet meditationi verbi ipsius, & ipsius etiam visibilis creaturæ apud se ordinem perpendens, Rom. 1. *per ea quæ facta sunt*, creatorem inueniat. Hæc est terra repromissionis, terra fluens lacte & melle: de cuius felicitate filijs Israel sub figura terræ Chanaan, Moyses in Deuteronomio loquitur, dicens: Deut. 11. *Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine, in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est atque campestris, de cœlo* D *expectans pluuiam, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi eius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.* Carnis habita- Rom. 8. tio (de qua supra diximus, quia *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*) Ægypto similis est, vitiorum tenebris obscura, quæ terreno rigatur flumine: quia quicunque in illa sub Pharaonis degunt imperio, terrena tantum gaudia nouerunt, nec nisi de terrena voluptate consolationem accipiunt. Qui Psal. 83. vero ascensiones in corde suo disponit, & exiens de Ægypto, ad terram sanctam ascendit, postposita carnali lætitia, Psal. 76. vt cantare cum Dauid possit, *Renuit consolari anima mea*: expectat de cœlo pluuiam, quia solo spirituali profectu lætatur, cum per spiritum sanctum interius visitatur. Hæc terra montosa est atque campestris, quia mens iusti, cum per virtutum incrementum ad alta se tollit, per humilitatem tamen ima non deserit. Hanc Dominus Deus inuisit semper, vt scilicet Iob 10. visitatio eius spiritum iusti custodiat: & oculi eius in ea sunt, iuxta Psalm. 31. hoc quod per Psalmistam pollicetur, dicens: *Firmabo super te oculos meos: à principio anni vsque ad finem eius*, à principio videlicet sanctæ conuersationis, cum post Ægypti tenebras lucem E iustus ingreditur, donec compleat cursum suum, & dicat cum Apostolo: 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui.* Si igitur intelleximus quæ sit terra ad quam transit populus Dei, videamus quid de illa præcipiatur. *Quando ingressi*, inquit, *fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum.* In hac terra ligna plantantur pomifera, cum euulsis ab anima vitiorum spinis, virtutum plantaria inseruntur. Ea bis enim cum mentem occupauerint, laudabiles prodeunt fructus: quorum tamen auferimus præputia, cum ad primam eorum apparitionem, gaudia nostra temperamus: nec laudare præsumimus, quorum qualitatem nondum discernimus. Quidam enim bona faciunt non bene: quia non Dei gratiam, sed humanam laudem requirunt. Quidam bona quæ operantur, sibi ascribunt, & de donis Dei superbiunt ingrati, qui in eo gloriam suam quærunt, quod sine Deo autore sua virtute facere non potuerunt. Fructus ergo noster donec F creatori consecretur, immundus est: quia nisi illi offeras quod operaris, vt proprium facias quod facis: nisi illi refundens quod accepisti, vt non tuum, sed ipsius esse fatearis, fructus tuus idoneus non est ad escam: quia nullam tibi vel diligentibus te, potest præstare fiduciam. Comeditur nanque quod approbatur, & quod operantem in certa suæ remunerationis expectatione consolatur. Hoc autem quod sine recta intentione vel typo superbiæ geritur, potest quidem pietatis habere speciem, sed pietatis non habet virtutem. Idcirco non comeditur: quia nemo sanum sapiens, super eo lætatur. Manifestum ergo, cur fructus noster Domino sanctificandus sit, vt mundus esse possit. Cur vero quarto anno sanctificetur, discutiendum est. Quaternarius numerus, soliditatis & perseuerantiæ figuram tenet. Quadrum quippe in quodcunque latus verteris, solide Gen. 6. stat. Hinc est quoque de quadratis lignis arca Noæ fabricari iubetur: qua videlicet ecclesia ex illorum stabili firmitate construitur, qui nec mundana prosperitate corrupti, nec humana infestatione fatigati, ab statu rectitudinis inclinantur. Hinc quatuor sunt euangelia, vt irrefragabilis eorum autoritas demonstretur. Hinc cortinę tabernaculi quatuor cubitos ha- Exod. 26. & 36. bent latitudinis, in qua charitas sanctorum exprimitur, 1. Cor. 13. *Charitas* nanque *omnia suffert, omnia sustinet*, charitas nunquam cadit. G Recte igitur quarto anno fructus nostri Domino sanctificantur: vt intelligamus quia tunc vere in iustitia solidamur, si quicquid boni agimus, non nobis, sed Deo ascribimus: si non de nostra virtute, sed de ipsius gratia præsumimus. Psal. 124. *Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion. Maledictus* Iere. 17. *autem qui spem suam ponit in homine, & brachium suum ponit carnem. Quarto* igitur, inquit, *anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.* Ipse quippe solus laudandus est, à quo Ioan. 15. bona cuncta procedunt, sine quo nihil possumus facere: quia Phil. 2. *ipse est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt.* Comedis fructus tuos: cum super bono quod agis, gratularis. Sed tunc demum periculosa non erit lætitia tua, si primitus fructus eosdem Domino sanctificaueris, vt discas cum humilitate gaudere, cogitans quia vnde gaudes, dona ipsius sunt, non merita tua: vt si glorians, non in te sed in Domino gloriens. Notandum autem quod dicitur, *congregantes poma quæ proferunt.* Vere enim ille congregat, qui licet crescat virtutibus, Gregor. humilitatem tamen solicite conseruat. Vt enim testatur Papa Greg. H qui cum superbia virtutes congregat, quasi in vento puluerem portat: & vnde aliquid ferre videtur, inde amplius cæcatur. Habes in prouerbijs Lamuelem illum, virum scilicet in quo est Deus, in hoc nobis humilitatis suæ fructum commendantem. Sic enim incipit: Prou. 30. *Verba congregantis, filii vomentis.* Congregantem se dicit, quasi qui fructus suos in tuto collocauerit. Filium autem vomentis, eo quod mundus iste omnium nostrum pater sit: sed maris more, quod mortua quæque euomit, eos qui sibi moriuntur, & Deo viuere incipiunt, à se abijcit. Vt enim ibidem præmittitur, Prou. 29. abominantur iusti virum impium: & abominantur impij eos qui in recta sunt via. Quæ autem sint verba huius congregantis, sequentia docent: *Stultissimus, inquit, sum virorum, &* 1. Cor. 3. *sapientia hominum non est mecum.* Tanquam diceret: Ideo congrego, quia de me humilia sentio, secundum illud Apostoli: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens:* Prou. 30. Rom. 1. *Quidam enim dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: & dum tribuunt quod acceperant, perdiderunt.* Postquam ergo quarto an-

A

to anno fructus nostros Deo obtulerimus, iam quinto & deinceps eos congregare possumus, & comedendos seruare. Dum enim illi refundimus, si quid virtutis possidemus, dum humiliter bonis nostris tanquam donis ipsius vtimur, omnis fructus noster in tuto collocatus est: quia quod illi seruandum committitur, perire non potest. Sequuntur diuersa & apertiora capitula: quorum superficies quia non tanta obscuritate perstringitur, iustum est vt leuiore opera breuius transcurrantur. Diuinus quippe sermo, vt ait Papa Gregorius, sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerunque superficie simplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat, seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluuius, vt ita dixerim, planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet. Aliquando ergo qui verba accipere historiæ iuxta literam negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit. Cumque laboriose inuenire in eis aliud intrinsecus appetit, hoc quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Nos igitur sequentia videamus: & prout ratio postulauerit, eadem pertractemus. — *Gregorius*

B

Diuersorum traditio præceptorum.

CAP. IV.

Non comedetis carnem cum sanguine.

Aliquando lex sub intermminatione mortis interdicit, ne sanguis comedi debeat: nunc vero, ne aliquis cum sanguine comedat. Sanguinem comedere, est (vt superius expoluimus) consensum peccandi in seipsum recipere. Comedit autem cum sanguine, qui alienam personam quam adhuc ad peccandum pronam deprehendit, in suam societatem familiaritatemque admittit. Hinc est quod Petro dicitur, *Macta & manduca*: vt pastor Ecclesiæ carnaliter viuentes, verbi gladio interficiat & sanguine eiecto, id est, voluntate correcta, in corpus Ecclesiæ eosdem trajiciat. — *Act. 10.* Cum sanguine ergo non comedemus, si eorum quos sanguine infectos, id est, consensu illicito intellexerimus depravatos, societatem respuimus.

C

Non augurabimini.

Non omnis qui ex auibus aliquam capit significationem, augurari dicendus est. Nam & Noe in arca ex coruo & columba signum accepit, & signum nobis dedit: & beatus Ioannes cum vidisset super Christum baptizatum columbam descendentem, intellexit quia *hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Sed & Papa Gregorius, ex locusta quæ sibi assidit, animaduertit quid sibi immineret, vt scilicet in loco staret, & eos qui sequebantur expectaret. Quoties ergo per quamcunque creaturam signum à Deo datur, non est superstitiosum illud aduertere, & diuinæ voluntati obtemperare. Auguria tamen idcirco sacra lege damnantur, quia gentili superstitione adinuenta sunt, ad neudam cum Dæmonibus societatem: qui huiusmodi significationib. cum hominibus talium curiosis, confabulantur ad eorum seductionem, nonnunquam vera nunciantes, vt in errores inducat. Vnde beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana: Superstitiosum, inquit, est, quicquid institutum est ad consolationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium: ex quo enim genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, & haruspicum & augurum libri. Hinc fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi mali rerum hominum, tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis: quibus mundi ... infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus, multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quam dicuntur: multaque obseruantibus secundum obseruationes suas eueniant, quibus implicati, curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ, salubriter scriptura diuina non tacuit: neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à profitentibus eorum: sed

Gen. 8.
Ioann. 1.
Mirum quid.
Augustin.

D

E

etiam si dixerint vobis, inquit, *& ita euenerit, ne credatis eis*. Non itaque augurabimini. Deinde subiungitur:

Nec obseruabitis somnia.

Somniorum diuersa ratio habenda est. Nam vt ait beatus Gregorius, sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando ventris plenitudine vel inanitate, quæ duo prima omnes experimento didicimus. Aliquando illusione, vnde sapiens quidam ait: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*. Vel certe non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Quibus profecto verbis, cuius sint detestationis ostenditur, quæ augurijs coniunguntur. Aliquando cogitatione simul & illusione, sicut scriptum est: *Multas curas sequuntur somnia*. Aliquando reuelatione, sicut Ioseph præferendum se fratribus per somnium vidit: & Mariæ sponsum, vt ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium Angelus admonuit. Aliquando simul & cogitatione & reuelatione somnia generantur. Vnde Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoauit, dicens: *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ futura sunt*. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto & ex quo impulsu veniant, ac minus non elucet. Sancti autem viri inter illusiones & reuelationes, ipsas visionum voces aut imagines, quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens cauta non fuerit, per deceptorem spiritum multis vanitatibus immergitur: qui nonnunquam solet multa prædicere, vt ad extremum valeat animam exutam aliqua falsitate illaqueare. Hæc super somnijs beatus Gregorius dixisse ... fuit, quibus etiam filij Sirach sententiam superadjicimus, vt aduersus somniorum fallacias plenius instruamur. Ait ergo: *Vana spes & mendacium viro insensato*. Vnde autem in spem vanam & mendacem soleat induci, sequitur & dicit: *Et somnia extollunt prudentes*. Sed quanta sit illa imprudentia, credere fallacijs somniorum, & in illis spem ponere, deinceps exponit: *Quasi qui apprehendit vmbram & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia*. Neque vmbra neque ventus apprehendi potest: sic & qui ex mendacibus somnijs spem firmam concipit, nunquam quod sperat visurus est. Deinde discernit somniorum qualitatem, dicens: *Secundum hoc visio somniorum. Ante faciem hominis similitudo hominis*. Hoc vigilantes assidue patimur. Recordamur quos vidimus: & ante oculos mentis imaginando quasi præsentes statuimus. Credendum est igitur, animam etiam dormiendo vim suam exercere: & quod vigilans sensibus ... vel quod attentius meditata est, ... memoriæ altius ... nataturali motu per somnium ... eadem reuoluere & tanto expressius, quanto otiosius: dum remota à sensibus, circa imaginationes ... occupatur: & in rerum similitudine, quasi rerum veritatem decepta amplectitur. Vnde quidam Sapiens:

Somnia, inquit, ne cures: nam mens humana quod optat,
Dum vigilat sperans, per somnum cernit id ipsum.

Hæc est itaque vna species somniorum, quæ nos frequenter illudit, cum animam ... nimium recolit ..., nos prænunciare putamus futura. Sub ... quæ per dæmonum illusionem ... *mendacia quid credendum*? Diabolus, vt Dominus testatur, *mendax est & mendacij pater*. Nulla ergo fides illis habenda est: qui ... Veta loquitur, per veritatem ad mendacium nos ... Deinde subditur: *Diuinatio erroris auguria, mendacia & somnia, malefacientium vanitas est*. Notandum quia legislator, sic & sapiens iste auguria & diuinationibus omnia coniunxit. Somnia vero malefacientium posuit, quia dæmones frequentius illos decipiunt, qui se illis familiares per mores reprobos & illicitos actus fecerunt. *Quæ si timuerit cor tuum, phantasiam patietur, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio*. Ostendit quod supra dictum est, nonnullas visiones ex reuelatione contingere, virtute non altissimo: & ministerio angelico, quæ futura sunt, nobis prænunciare. Deinde subiungit, quod de illo beatus Gregorius assumpsit. *Multos errare fecerunt somnia & deciderunt in illis sperantes, & exciderunt sperantes in illis*. Cum ... ibidem

Eccle. 34.
Eccles. 5.
Gen. 37.
Matth. 2.
Dan. 2.

F

Eccli. 34.
Ibidem.

G

Ibidem.
Ibidem
Ex lib. libel. lo Catonis.

H

Eccel. 14.
Ioann. 8.
Eccli. 34.
Ibidem.
Ibidem.

A dare, cui spem nostram committere debeamus, sequitur & dicit: *sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in* Ibidem. *ore fidelis complanabitur.* Deo ergo, neglectis somnijs, credere debemus, & in verbis illius superiperare: quia *fidelis Do-* Psal. 144. *minus in omnibus verbis suis: super quo non confundentur qui expe-* Isa. 8. *ctant eum.* Hoc & Isaias hortatur, dicens: *Cum dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis, qui strident in incãtationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requirit pro viuis & mortuis? Ad legem magis & ad testimonium.* Tanquam diceret: Non pythones aut diuinos, sed legẽ magis consulite. Hæc super somnijs tractata sunt, sermone quidem prolixiori, sed forsitan non inutili. nunc ad reliqua transeamus. Sequitur:

Neque in rotundum attondebitis comam.

Iezech. 44. In Iezechiele præcipitur sacerdotibus, vt capita sua non radant, nec comam nutriant, sed tondentes attondeant ca- Num. 6. pita sua. Sed & ipse Moyses in Numeris quasi speciale dat Nazaræis præceptum, vt nouaculam non inducant super caput suum *sed erunt*, inquit, *sancti Domino, crescente cæsarie.* B Quod ergo sacerdotibus per Iezechielẽ præcipitur, quod alibi per Moysen non nisi Nazaræis interdicitur: quid est quod in hoc loco quasi generaliter vniuersus populus à tõsura capitis inhibetur? Sciendum ergo quod non tonsura, sed genus tonsuræ interdicitur. Gentiles enim cum se Dæmonibus consecrabant, capita sua in rotundum tondebãt. Ab huius tonsuræ similitudine filij Israel legis censura deterrentur, ne scilicet populus Dei sacrilegis conformetur.

Nec radetis barbam.

Barba. Barba, eo quod nisi in perfecta ętate non reperiatur, fortitudinis & sapientię speciem gerit. Barbam ergo reseruare iubentur, vt etiam in vultus habitu virtutis formam ferre videantur.

Et super mortuo non incidetis carnem vestram.

Hoc propter spem resurrectionis præcipitur. Gentilis quippe ritus iste fuit, vt in charorum funeribus præ nimio dolore, ferro inciderent carnem suam. Non est autem iu- 1. Thess. 4. stum, vt horum exemplo populus Dei immoderate plan- C gat mortuos suos, quos tempore præstituto sine dubio nouit resurrecturos. Hinc & Apostolus discipulos monebat, dicens: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent.* & cætera quæ sequuntur, quibus de resurrectione mortuorum fidem illorum informat.

Neque figuras aliquas & stigmata facietis vobis.

Stigmata. Stigmata dicebantur quædam signa, quæ in manibus militum fiebant, vt de militia Imperatoris esse cognoscerentur. Prohibet ergo ne huiusmodi characteres faciant sibi, quibus humanam videantur profiteri subiectionem, qui diuinam professi sunt potius seruitutem. Nametsi hominibus seruiunt electi, ibi tamen Deum attendunt, iuxta illud Apostoli, in hoc ipso Domino seruientes. Vnde & idem Rom. 12. 1. Cor. 7. nos admonet, dicens: *Pretio empti estis, nolite serui fieri hominum.* Cur autem non debeant humanæ seruitutis testimonium ferre, reddit causam, dicens:

Ego Dominus.

Ipse nanque verus Dominus est, de quo per Psalmistam Psal. 15. dicitur: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum* D *non eges.* Ipse enim nobis subtractus, minor non est: nobis vero sine ipso bene esse non potest. Sicut ergo docemur in nouo testamento, vt nec magistrum nec patrem vocemus nobis super terram, eo quod *vnus sit magister noster* Matth. 23. *Christus, vnus & pater noster qui in cœlis est*: sic & illis sub lege adhuc positis, prohibentur alium dicere Dominum, præter adonai suum. Hoc nomen suum indicauit seruo suo Moysi. Exod. 6. & interpretatur Dominus, eo modo quo solus Deus dicitur Dominus. Licet nanque sint multi qui dicantur Domini, magistri, vel patres: ad comparationem tamẽ illius, nec Dominus quisquam est dicendus, nec magister, nec pater. Sequitur:

Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.

Manifestum est, quia mulier prostituta multis causa perditionis efficitur. Populus itaque Domini, qui se sanctitati illius debet conformare, sicut sæpe illis dicitur, *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*: iustum est, vt tantam iniquitatem longe à se repellat: *vt honorabile connubium sit in omnibus & thorus* E *immaculatus, fornicatio autem non inueniatur in illis.* Et quia ista Hebr. 13. vacatio maxime placet Deo, cũ quiescimus agere peruerse, apte, subiungitur: Isai 1.

Sabbata mea custodite.

Iudaico quippe sensu sabbatum accipit, qui in sabbatu laborem vtilem declinat, & ab immunditijs quæ diuinæ sanctitati maxime contrariæ sunt, nequaquam cessat. *Sabbata*, ergo, inquit, *mea custodite.* Tanquam diceret: Hæc sunt mea sabbata, hæc mihi grata, si peccati seruitutem declinetis: si ab illis operibus quibus offendor, & quæ veram vobis ingenuitatem detrahunt, abstineatis.

Et sanctuarium meum metuite.

Etiam locus illi qui Deo consecratur, deferẽdum est. Legimus in antiqua historia, templi violatores, vel eos qui sa- 1. Mac. 9. cris vasis dignam reuerentiam non exhibuerunt, repente 2. Mac. 3. percussos. Filij Aaron cum ad altare ignem obtulissent alie- Dan. 5 num, statim egressus ignis à Domino, deuorauit eos. Oza Leuit 10. in regum historia, cum extendisset manum ad arcam Dei 2. Reg. 6. & tenuisset eam: iratus est indignatione Dominus contra F eum, & percussit illum super temeritate. Sed & in Numeris Num. 9. reperies, quod Moyses & Aaron cum filijs suis iubentur habere custodiam sanctuarij: *quisquis autem*, inquit, *alienus accesserit, morietur.* Si igitur loco illi tanta exhibebatur reuerentia, in quo vitulorum & hircorum sanguis offerebatur: quid illi honoris habendum est, in quo populus sacratum Christi corpus assumit, bibit & beatũ sanguinis ipsius haustum, in quo sacrosancti latices veternas diluunt culpas, chrismate vero genus vt creetur Christicolarum: *Sanctuarium* ergo, inquit, *meum metuite.*

Ego Dominus. Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.

Tanquam diceret: Me interrogate cum opus fuerit. nolite cum dæmonibus vllam habere societatem, iuxta illud Isai. 8. Isaiæ, quod etiam pauloante commemorauimus: *Cum dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis nonne populus Deum suum consulit pro viuis & mortuis*: illos, inquit, qui vos ad pythones & diuinos mittunt, contemnite: *Deum vero suum interroget populus eius pro viuis*, id est, pro his quæ à nobis dum hic viuimus, agenda sunt: *& pro mortuis*, id est, de his quæ post mortem G secutura sunt. Ne ergo *declinetis ad magos, nec ab hariolis aliud sciscitemini*, sed à me potius in omni vestra necessitate recurrite. *ego* enim sum *Dominus Deus vester.*

Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.

Hinc satis apparet, quia honor qui iuxta præcepta diuina defertur hominibus, Deo ipsi exhibetur: itemque cum negligitur qui honorandus est, Deus offenditur. Cum enim præmisisset, *honora personam senis*: continuo subdidit, & *time Dominum Deum tuum*: id est, ad hoc time vt facias. Nam nisi feceris, reus apud ipsum inuenieris. Sequitur:

Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eũ quasi vosmetipsos. Fuistis enim & vos aduenæ in terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester.

O præceptum pietatis, ô digna sacris legibus institutio. Forsitan aliquis dixerit, iã hic prophetice Iudæos argui, q H in fine temporũ gentes ad fidem accedentes repellere voluerunt, & pristinos errores suos illis exprobrare cœperunt. Et probabile satis est, hoc etiam intendisse scriptorem. sed prima literæ superficies tanta benignitate plena est, vt lectorem statim ad se trahat, & ad aliud inuestigandum, pigrum efficiat. Vbi tamen non illum solum acceperim aduenam, qui transit de gente in gentem, & à terra natiuitatis suæ peregrinatur: sed maxime adolescentem illum, *qui pa-* Luc. 15. *tre relicto, profectus est in regionẽ longinquam*, iam quasi alienus à Deo effectus, & à Sanctorum sorte separatus. Si redire voluerit quicunque eiusmodi est, & ad paternam pietatem recurrere, quasi aduena futurus inter nos, ne exprobremus ei: sed & hic habeamus eũ quasi indigenam, & diligamus illum tãquam nosmetipsos: vt hac nostra benignitate recreatus, quotidie ad meliora proficiat. Nam *& nos* Ephes. 2. *filij iræ fuimus, sicut & cæteri*: salutisque nostræ curam recipientes, hac sanctorum pietate opus habuimus. Sequitur:

Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere,

A *in mensura. Statera iusta, & aqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti. Custodite omnia præcepta mea, & vniuersa iudicia, & facite ea. Ego Dominus.*

Hæc manifesta sunt, nec tenere nos debent, vt in his quæ laborem nostrum exigũt, immorari possimus. Si quis tamen in his verbis expositionem requirat, apostolicam pro expositione legat sententiam: in qua præcipit, *ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Deus de omnibus his, sicut prædiximus* (inquit) *vobis, & testificati sumus.* Quod legislator distinctè posuit, interdicens iniquum aliquid fieri in iudicio, in regula, in põdere, in mensura: hoc Apostolus breuiter comprehendit, dicens: *Nec in omni negotio circumueniat aliquis fratrem suum.* Quod testatur Apostolus, quia vindex est Deus de his omnibus: hoc & ipse Deus per Moysen loquens satis intimat, cum data præceptione sua subiungit, dicens: *Ego Dominus.* Tanquam diceret: Ego ab iniquitate vos reuoco, qui si trãsgressi fueritis, contumaciã vestram sine vindicta non transeo. Hoc sequentia manifeste declarant. Quia enim superius multa prohibuerat, idolorum culturam, incestus, adulteria, patris matrisve iniurias: quisquis horum aliquid perpetrauerit, mortis sententia damnãdum decernit. Hac seueritate coercendus erat populus ille, qui nondum erudiebatur indulgentia filiali, sed premebatur timore seruili. Nos vero qui abundãtiorem ipsius gratiam assecuti sumus cum peccantibus & morte dignis pœna differtur, per diuinam patientiam adducimur ad pœnitentiam: qua tamen eius longanimitate quicunq; abutuntur, in malis suis perseuerãtes, *thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij ipsius:* quia tanto eos districtior sequetur vindicta, quãto amplior benignitas fuerit prærogata. Quia ergo *Deus iustus & patiens est*, prius iustitia, nunc autem ipsius ostenditur patientia. Per legem discimus quæ peccatis nostris retributio debeatur, vt inde etiam colligere possimus, quid nobis aut correctis per misericordiam relaxetur, aut non correctis, per iudicium reseruetur. Legamus ergo iam, siquidem lectione magis opus est, quam operosa expositione. Ad coercitionem namque carnalis illius populi, posita sunt quæ sequuntur: qui cum sensu paruulus esset, ad enodanda mysteria fuit inualidus. Quod igitur propter illos dicebatur, sic vtique dici oportebat, remota scilicet allegoriarum nube, vt ab eis etiam caperetur.

1. Thess. 4.

B

Rom. 2.

Psalm. 7.

C

Vt quicunque dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur.

C A P. V.

Leuitici cap. XX. L*Ocutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc loqueris filijs Israel: Homo de filijs Israel, & de aduenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur. Populus terræ lapidabit eum, & ego ponam faciem meam contra illum, succidamque illum de medio populi mei, eo quod dederit de semine suo Moloch, & contaminauerit sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, & quasi paruipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dederit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciem meam super hominem illum & cognationem eius, succidamque & ipsum & omnes qui consenserunt ei vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.*

D

Leuit. 18. Moloch, vt supra diximus, idolum fuit filiorum Ammon. Huic enim legimus, quod Salomõ mulierum amore iam deprauatus, phanum ædificauit. De hoc itaque iam superius præceptum dederat, ne quis gentili ritu filios suos illi consecraret. Nunc autem si quis in hoc sacrilegio deprehensus fuerit, præcipit filijs Israel, vt tantam Dei sui non contemnãt iniuriam, sed populus vniuersus lapidibus obruat impium. Ipse quoq; comminatur, quod faciem suam ponat contra hominem illum, & de medio populi sui euellat eum, vt scilicet non sola præsenti morte puniatur, sed etiam hæreditate populi Dei in æternum priuetur. Si tamen populus terræ neglexerit, ipse negligere non poterit: sed & in sacrilegum & in omnes qui pepercerunt ei, se vindicaturum prædicit. Non enim quasi inualidus ad vindictam, ad

3. Reg. 11

E eius executionem populum vocat: sed magis populo eidem consulitur, vt scilicet zeli sui retributionem accipiat, sicut scriptum est: *Qui arguunt, laudabuntur & super eos veniet benedictio.* Vnde & Moyses cum descendens de monte, vidisset vitulum quem fecerant filij Israel, stans in porta castrorum, ait: *Si quis Domini est, iungatur mihi. Et assumptis filijs Leui, interfecit ex eis viginti tria millia. & cæde completa, Consecrastis,* inquit, *manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Ergo (vt diximus) hoc illis vtile est, qui zelo Dei succenduntur, vt vindicent iniuriam eius, non ipsi Deo aliquid confertur. Nam quicquid agat humana negligentia, ipse ad omne quod voluerit, sibi sufficiens est: & peccatum quod nos dissimulamus, ipse qui iudex est omnium, non relinquet inultum. Sic se literæ sensus habet: & cuicunque placuerit, transire iam licet. Mouet tamen me, cur Dominus ab idolorum cultu populum suum deterrens, idolum præcipue Ammonitarum elegit, cui sub mortis interminatione filios eorum cõsecrari prohibuit. Erant enim & alia idola, quæ à proximis gentibus colebantur, sicut Astartes Dea Sidoniorum, Chamos Deus Moabitarum, Baal quoque quem colebant Accaronitæ. quibus omnibus prætermissis, de solo Moloch mentionẽ facit. Hæc autem causa videtur, quia apud gentes illas hæc inualuerat consuetudo, vt huic Dæmoni filios suos consecrarent per ignem: quæ etiam superstitio postea à filijs Israel vsurpata est, sicut in Regum legimus, quia Iosias Rex contaminauit Tophet, quod est in valle * filij Ennon, vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem Moloch. Ab hoc ergo sacrilegio specialiter in hoc loco deterretur populus ille: nam sunt alia præcepta, quibus illis idololatria generaliter interdicitur.

Prou. 24.

Exod 32.

F

3 Reg. 11.
4. Reg. 1.

4. Reg. 23.

* filiorum.

Qui fecerit aliquid ex his quæ superius prohibita sunt, morte moriatur.

C A P. VI.

G A*Nima quæ declinauerit ad magos & hariolos, & fornicata fuerit cum eis: ponam faciem contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.*

Leuit. 19. Paulo ante hoc prohibuerat: *Non declinetis,* inquiens, *ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos.* Et notandum quod fornicationem animæ nominat, si relicto Deo Dæmones consulat. Deus enim vir est animæ nostræ, toto corde à nobis diligendus, cui etiam totam spem nostram committere debemus. Si ergo contempto eo cum inimico illius pacem facimus, & ab illo auxilium petimus, grauis vtique ista fornicatio est, in qua etiam ipsi Deo manifestam contumeliam irrogamus. Desperasse enim de illo fuit, in aliqua necessitate ad eius aduersarium confugisse. Vnde & Ochozias rex Israel cum ægrotasset, & misisset nũcios, dicens: *Ite consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac: Angelus Domini locutus est ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge & ascende in occursum nunciorum regis Samariæ: & dices ad eos: Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Sequitur:

4. Reg 1.

H

Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, & facite ea.

Et ne forte desperetis vos posse sanctificari, aut si quid iam sanctitatis habetis, vestrum hoc esse arbitremini.

Ego, inquit, *Dominus qui sanctifico vos.*

Exod. 20. Item quia in Exodo præceperat, *Honora,* inquiens, *patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram:* huius etiam præcepti violatorem mortis sententia damnat, dicens:

Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.

Hoc que ad confirmationem repetens:

Patri, inquit, *& matri qui maledixerit, sit sanguis eius super eum.*

Vbi aduertendum est, grauem esse parentum iniuriam: quæ licet sub remissione noui Testamenti non statim morte vindicetur, sicut fieri iussum est sub austeritate veteris: reatus tamen impar non est & pœna illius, nisi dum viuit

homo,

A homo, per pœnitentiam se correxerit. Si differtur, non aufertur, sed grauius (vt supra diximus) sub diuino iudicio puniuntur, quicunque per patientiam illius peiores efficiuntur.

Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.

Exod. 20. 2. Reg. 11. & 12. Hoc ad illud respicit, quod in Exodo dictũ est: *Non mœchaberis*. Verum cum Dauid adulterium recolo, & video illum non statim morti destinatum, sed vno verbo veniam assecutum, cũ Prophetæ arguenti respondisset, *Peccaui Domino*: dictum est enim illi, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*: intelligo iam in illo viro formam præcessisse euangelicam, dum pœnitendo & confitendo abluit culpã, & legalem euadit sententiam.

Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos.

Leuit. 18. B Genes. 35. Gen. 49. 2. Reg. 16. 2. Reg. 18. Supra nanque præceperat, dicens: *Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est.* Hoc fecit Ruben primogenitus Iacob, qui dormiuit cum Bala concubina patris sui. Vnde & à patre maledicitur: *Rubẽ*, inquit, *primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Sed & Abialon ingressus est ad concubinas patris sui, quas dimiserat fugiens ad custodiendã domum. Cuius tamen flagitij, sed & omnium quæ in patrem commisit, sceleratus parricida celerem Dei iudicio pœnam dedit.

Si quis dormierit cum nuru sua, vterq; moriantur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterq; operatus est nefas. morte moriantur. sit sanguis eorũ super eos. Qui supra vxorẽ suã duxerit matrem eius, scelus operatus est. viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestrum. Qui cum iumento & pecore coierit: morte moriatur: pecus quoq; occidite. Mulier quæ succubuerit iumento cuilibet, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.

C Hæc omnia ex superioribus pendent. Supra nanq; & à lege prohibita, & à nobis, prout visum est, tractata reperire poterit, quisquis ad legendum piger non erit. Sed quoniam nonnullos scandalizare solet, quod talia loquatur scriptura, repetimus hic quod etiam ibi diximus. Quasi enim satisfaciens nobis sermo diuinus, reddit causam superius, cur de cauendis huiusmodi execrationibus populum

Leu. 18. illum commoueat, dicens: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum: & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gẽtem quæ fuit ante vos. Ecce quæ fuit ratio vt à talibus reuocarentur, possessores quippe terræ illius, in quam ingressuri erant, his omnibus seipsos polluerant. & timendum erat istis, ne eorum fierent imitatores, quorum diuina promissio iam eos fecerat successores. Nos autem temeraria præsumptione arguimus lucẽ, quod nosipsos nobis ostendit: arguimus verbum Dei, quod sine suo vitio nostra vitia reprehendit. Quid agis humana super-

D bia? Tantæ sunt sordes tuæ, in has feces deuoluta es, vt sermo Dei qui curam tui suscepit, non aliter subuenire tibi posset, nisi in stercora tua quodammodo manus mitteret: & vt tibi sordes detraheret, si dici fas est, ipse cõtraheret. Sicut tamen radius solis incontaminatus cloacas penetrat, sic stylus Spiritus sancti propter sui munditiam vbique attingit, & nihil inquinatum in illum incurrit. Quod autem

Sapi. 7. sordescere visus est, tibi ascribe. Tui enim causa factũ est. Scriptura sacra quasi potio tibi tẽperata est. Si eius amaritudo palatum tuum contristat, quid accusas medicum? Nouit quid tibi expediat. Morbus tuus talis est, vt hoc remedium necessarium habeat. Deus enim magnus medicus, magnum suscepit ægrotum, vniuersum genus humanum. Huic languido quia diuersi sunt mores, variæ ægritudines, varias etiam in verbo suo temperauit confectiones. Nihil ergo in eius arte reprehendas. Quod non prodest tibi, prodest alteri. Neque enim tuum tantummodo agitur in scriptura negotium. Omnium salus ibi reposita est. Habes di-

E 1. Tim. 1. centem Apostol. quia *iusto lex non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, fornicatoribus & masculorum concubitoribus: & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei.* Non est, inquit, *lex iusto posita*, id est, imposita quasi iugum, quasi pondus, illæ scilicet legis comminatio-

Galat. 2. nes, quæ ab his deterrent criminibus, dum dicitur: *Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur.* Iustus enim per legem legi mortuus est, per legem videlicet spiritus interius viuificantem, literæ comminanti & non viuenti insensibilis redditus est. Nam cum dicitur, *Non occides, Non mœchaberis: Qui vero*

Exod. 20. Leuit. 24. *occiderit vel mœchatus fuerit, morte moriatur*: iustus nec occidere cupit, nec adulterare, & ideo non eum terret quod dicitur, nec omnino præcepti pondere grauatur. Non enim sub lege, sed cum lege est, hoc habens in voluntate, quod illa in præceptione. Si igitur tu diuino munere iam talis effectus es, vt terrendus non sis, sed exhortandus: si legis minas iam tibi sentis non necessarias, gratias age Deo, à quo

F tantam consecutus es gratiam: alijs tamen adhuc languentibus ne velis subtrahere medicinam. Nouit Spiritus sanctus quid loquatur, & quibus loquatur: quibusque per ea quæ loquitur, subueniatur. Omnia ergo quæcunque in stylo illius inueneris, comede; nihil ducas spernendum, nihil æstimes abijciendum. Sed ad propositum iam reuertamur.

Qui cum iumento, inquit, *& pecore coierit, morte moriatur. pecus quoq; occidite.* Quæritur quid peccauerit pecus vt occidi

Quæstio notabilis. præcipiatur, cum sit irrationabile, nec vllo modo legis capax: maxime cum inferius de muliere quæ iumento succubuerit, dicatur: *Sanguis eorum sit super eos*, tanquam & pecus reum sit. Sed sicut dicit beatus Augustinus, transferuntur verba modo locutionis, quæ dicitur metaphora: ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus æstus, vel iratũ mare: ita & hic translatum est à rationali ad irrationale. Nam & pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam. Sequitur:

Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris

G *suæ, & viderit turpitudinem eius: illaq; conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: occidentur ambo in medio populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem suam.*

2. Reg. 13. Hanc mortis sententiam promeruit Amnon filius Dauid regis, cum Thamar sororem suam violenter oppressit. Cui quo tamen pater pepercit ei, quia primogenitus eius erat, & diligebat eum. sed iustus iudex Deus, quod Dauid dissimulauit, per manus Abialon tantum flagitium morte

Ibidem. debita vindicauit: & qui contristare filium noluit, ipse postea Deo iudicante, de morte filij grauem tristitiam incurrit.

Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.

XX

De muliere menstrua cur ad eam accedere prohibeat, iã supra tractauimus, & eadem nunc repetere superfluum iudicamus. Hoc tamen non prætereo, quia lex sibi contraria videtur. Supra namque cum de muliere mẽstrua tracta-

Leuit. 15 H retur, hominem qui cum illa coiret tempore fluxus sui, dixit septem diebus immundum fieri. Et vtique cum immũditiæ illius tempus terminat, quasi agendæ pœnitentiæ spatium decernit, in quo à sanctorum intro1tu sequestretur. & tempore consummato, denuo recipiatur. Hic vero nullũ indulget pœnitentiæ locum, sed *qui coierit*, inquit, *cum muliere in fluxu menstruo, interficiantur ambo de medio populi sui.* Videant ergo literæ sectatores, qualiter hanc eius scissuram resarciant. Nos ad spiritum confugimus, & ibi legis integritatem aduertimus. Qui enim cum menstrua muliere coierit, quicunque menti quæ per carnis desideria defluit, se conformauerit, immundus erit septem diebus, donec scilicet seruitutis iugum excutiens, inquietudinem concupiscentiæ carnalis abijciat, & sabbatum sanctæ vacationis attingat. Sic enim septem dierum sacramentum accipiendum, iam multis in locis supra ostendimus. Quod si quiescere noluerit, & spirituale sabbatum adeptus non fuerit, sine dubio occidendus erit.

Turpitudinem materteræ tuæ & amitæ tuæ non discooperies. Qui

A *hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudabit, portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum vxore patrui vel auunculi sui, & reuelauerit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum. absque liberis morientur. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam. turpitudinem fratris sui reuelauit. absque liberis erit.*

Videtur huic sententiæ contraire, quod alibi præcipitur, vt si quis mortuus fuerit non habēs filios, ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. (*Deut. 25.*) Sed dicet fortè aliquis, viuentis fratris vxorem ducere illicitum fuisse. Vnde & Ioannes Baptista arguebat Herodem, quod tulisset fratri suo Philippo viuenti vxorem, (*Marc. 6.*) si autem mortuus fuisset frater, iam licitum esse. Quod si ita est, rursus quæritur, cur de fratre quasi speciale præceptum positum sit, cum quælibet mulier viuente viro suo vocetur adultera, si fuerit cum alio viro. Vt ergo aliqua sit differentia inter fratris vxorem, & cuiuscunque alterius hominis, dici forsitan potest, quod si frater sine liberis moriatur, potest frater illius in matri- (B) monium illi succedere, iuxta legis præceptum, sacramenti causa, quod Spiritus sanctus ibidem constituit: si vero qui moritur, filios habuerit, tunc neque mortui vxorem ducere frater eius licite poterit. In hoc igitur distat inter fratrem & quemlibet hominem, quod alieno quolibet mortuo, mulier omnimodis soluta est à lege viri, & nubere licet cuicunque voluerit: fratri autem non licet, si ille qui mortuus est, filios habuerit. Videndum etiam quid sit, quod de istis nunc dicitur, portabunt peccatum suum, absq; liberis erūt. Nunquid enim adulteris & incestis filij nō nascuntur? Sed vt ait B. Augustinus, hoc intelligendum est lege Dei constitutum, vt quicunque ex eis nati sunt, non deputentur filij: id est, nullo parenti iure succedant.

Custodite leges meas atq; iudicia, & facite ea: ne & vos euomat terra, quam intraturi estis & habitaturi.

Hoc quod eis minatur Deus, nos quoque timere oportet, si meminimus (quod supra tractatum est) quæ sit terra promissionis, quæ sanctis omnibus in hæreditatem datur possidenda, interior videlicet conscientię requies, in quam (C) introducit Iesus noster venientes ad se, & tollentes iugum (*Matth. 11.*) suum: *Discite,* inquiens, *à me, quia mitis sum & humilis corde. & inuenietis requiem animabus vestris.* Hæc terra Dei contemptores euomit: quia apud se quietem non inueniunt, quicunq; Dei præcepta postponunt. Sic enim scriptum est: *Quis est* (*Psal. 24.*) *homo qui timet Dominum?* Vbi & responsio subditur: *Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.* Timentes igitur Deum, intus reficiuntur: qui autem aduersus Deum superbiunt, euomit eos terra sua: quia ab interioribus suis expulsi, in exteriores illecebras præcipitantur. Habes vtrumque breuiter in Psalmo comprehensum: *Suscipiens,* inquit, *mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.* (*Psal. 146.*) Sequitur:

Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus vester, qui separaui vos à cæteris populis.

(D) Hæc commonitio quam blanda, quam paterna, quia nos maxime respiciat, aduertendum est. Nobis enim per Apostolum dicitur, ne ambulemus in legitimis nationum. *Hæc est,* inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in honore & sanctificatione, non in passionibus desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* (*1. Thess. 4.*) Nobis dicitur vt possideamus terram fluentem lacte & melle, iuxta illud dominicum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Luc. 21.*) Nos præcipue à cæteris populis separati sumus. Gratias illi qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum. (*Col. 1.*) Vnde & ipse Dominus: *De mundo,* inquit, *non estis: sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* (*Ioan. 15.*)

Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda, ne polluatis animas vestras in pecore, & in auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta. & eritis sancti mihi, quia sanctus ego sum Dominus: & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.

Hic iam ad sacramenta reuocantur, in quorum obseruatione seruiebant nobis, (E) qui Dei gratia iam non grauamur eorum sarcina, sed instruimur intelligentia. Quid autem sibi velit mundorum immundorum ve discretio animalium, prolixius supra tractatum est. Hæc vero (sicut ibi satis ostendimus) sanctitatem quidem significare potest, sed hominem sanctificare non potest. Dicitur tamen, vt modo legimus, ne polluatis animas vestras in omnibus quæ ostendi vobis esse polluta, & eritis sancti mihi. Quod sic accipiendum est, *Ne polluatis animas vestras:* tanquam diceret, cauete ea in quibus animarum vestrarum pollutio designatur. *& eritis sancti mihi,* id est, sanctitatis formam habebitis.

Vir siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur. lapidibus obruent eos. sanguis eorum sit super eos.

Superius eos qui diuinos consulerent, interficiendos prædixit: (*Leuit. 19.*) nunc autem ipsos quoque qui diuinationis spiritum habuerint, iubet interfici: ne per eorum præsentiam & seductionem, populus Dei à cultu ipsius valeat separari. (F)

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER DECIMVSQVINTVS.

PRÆFATIO.

PRæcedentis libri procemio, de generibus dictionum quæ in scripturis variæ reperiuntur, tractatum est. Sed quia diuinæ legis intelligentia partim in specie dicendi, partim in rerum figuris subsistit: tunc de styli ipsius varietate, nunc aliquid de rebus dicendum est. Vtriusque enim (G) partis cognitione percepta, ad omnia quæ sacris voluminibus continentur, lectoris animus instructior inuenietur. Rerum igitur figuræ, aut allegoricæ sunt, aut morales, aut anagogicæ. Allegoricæ, cum ventura prænunciant: vt est illud, quod de costa Adam Eua facta memoratur, (*Gen. 2.*) quod Cain fratrem legitur occidisse, (*Gen. 4.*) & Noe arcam in qua omnia animantia saluarentur struxisse. (*Genes. 6.*) Morales sunt, quæ mores instruunt, vt plurima quæ in tabernaculo facta sunt, cortinarum numerus & mensura, pecorum sacrificia & cilicinum tectum. Quæ omnia si intelligantur, plene nos edocent, quomodo peccata nostra tegere, nosque ipsos hostiā viuam Deo exhibere, suæ mentes virtutibus exornare possimus. Anagogicæ quoq; sunt, quæ ad superiora nos ducūt, id est, de diuinis nos imbuunt. Aliud enim est, cum docemur quid nos agere debeamus: aliud vero, cum quid de Deo veraciter sentiamus. Morale est igitur quod in arca legitur cum lege scripta manna cum virga fuisse. (*Heb. 9.* *3. Reg. 8.*) In arca quippe, mentem sanctam: in lege, mandata: in manna gratiam, in virga potestatem accipimus. (H) Nemo autem habet potestatem præcepta faciendi, nisi per gratiam. Anagogicum vero est, quod eidem arcæ propitiatorium imminet: in (*Exod. 25. & 37.*) quo etiam duo Cherubin vultus mittunt. Vbi enim per infirmitatem deficimus in mandatorum executione, aduocatum habemus apud patrem, qui est propitiatio pro peccatis nostris. (*1. Ioan. 2.*) In quem duo Cherubin vultus mittunt, quia duo testamenta concorditer eum annunciant. Nonnulla etiam sunt, quæ & allegoricum & moralem typum iungunt, siue etiam anagogicum addunt. Verbi gratia. Si quid legimus, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob:* (*Iob. 1.*) ad Christum referamus, qui dolores nostros portauit, & mentes vitæ consilijs deditas inhabitat, allegoricum est. (*Isai. 53.*) Si ad nos retorqueamus, quia videlicet vnusquisq; iustus qui vitæ consilium recipit, necesse est vt peregrinationis suæ ærumna doleat, morale est. Item cum populus cum Moyse deserta peragraret, præibat eum columna nubis in die, & columna ignis in nocte. (*Exod. 13.*) Si hic intelligas Christum prænunciari, qui de seipso ait: *In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant:* allegoria est. (*Ioan. 9.*) Si vero ad-

[illegible] quas [illegible] uet, [illegible] cates videntur, notitiæ suæ [illegible] ob [illegible] anagogicum sensum figuram [illegible] quia ad [illegible] ligêda mentem transfersti [illegible] ecmoralis [illegible] uctio, dum vtriq; docemur, qualesad diuinam cognitionem nos ptæparare debeamus. Sciendum vero est, quædam in rebus mysticis ob figuram solam a patribus facta [illegible] eas quæ a Moyse in tabernaculo, [illegible] a Salomone in templo celebrata sunt. Quædam autem [illegible] temporum rationem causas habentes congruas, & suas omnibus [illegible] exhiberent vtilitates. tamẽ per eum quitempora cuncta dispensat, oobis scripta & io figuras nostras inflexa sunt. Inde est, quod Abraam duos filios legitur habuisse quod Moyses [illegible] & de flumine leuatus, à Pharaonis filia seruatur, & per [illegible] postea populus de seruitute educitur. Quæ omnia tempore suo propria habuerunt [illegible] & tamen [illegible] magna in eis mysteria [illegible] His autem in multis [illegible] ita e permista [illegible] quæ nulli negotij [illegible] state sunt facta [illegible] quasi superflua nece [illegible] cont [illegible] inueniuntur, admopeant animum rationale [illegible] aliquid significare, deinde quid significet quærere. Verbi gratia: Nunquid si oportebat [illegible] seminam [illegible] etiam hoc necessitas [illegible] tere fieret. Si causa euadendi [illegible] quid opus erat mensura [illegible] aut [illegible] ferri, aut etiam scripto ad [illegible] posteritati [illegible] commemoratis? Si propter genus reparandum [illegible] includ oportebat, quid opus erat [illegible] mundis, septem de mundis, bina de immundis. Sed hæc [illegible] tur, quidam [illegible] quidam ne [illegible] Ioseph [illegible] & Manaslen bene [illegible] bat [illegible] Sicut [illegible] Ezechi [illegible] sodetet [illegible] humeris portaretur [illegible] que quod agebat [illegible] Ac [illegible] fratrem [illegible] idens, lu [illegible] tapiens [illegible] sed [illegible] rent [illegible] mptouide [illegible] quæ [illegible] cauit [illegible] cræ [illegible] nem [illegible] quæ [illegible] co subne [illegible] habeant [illegible] dum est.

Vt non [illegible] fur [illegible]

Cap. I

[illegible] Aaron [illegible] matre [illegible] bitur.

* Tota [illegible] nunc Sa [illegible] ocutus fuerat [illegible] Israel [illegible] uctitur. [illegible] ferarum. [illegible] intetdu [illegible] quam te [illegible] opus hoc [illegible] naturæ [illegible] teddantur: nam & pater To [illegible] legitur quod sepulturam [illegible] hoc qu [illegible] sicut & o [illegible] sacerdotibus præcipiuntur, [illegible] ait B. Augustinus, peccata [illegible] lege [illegible] hominess post [illegible] tanquam [illegible]

dicta p [illegible] *tur à mortuo, & [illegible] quod propter lauatio eius.* Sic & qui se runat sæpe peccata sua, & iterum ambulãs hæc eadem facit. Hinc est quod [illegible] Iacob tam solicite procurauit, vt [illegible] in Æg [illegible] non sepelitetur, sed in terra Chanaan [illegible] mortuorum, remissione significat [illegible] Et quod dictum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates [illegible] peccata.* Vbi ergo sepelienda erant [illegible] uera Patriarcharum, nisi in terra [illegible] fane [illegible] ne facta est [illegible] dauera peccata [illegible] quo perfectum [illegible] mors, & peccando hoc meruimus [illegible] ergo mortuorum [illegible] Præci [illegible] ne [illegible] Sacerdotes [illegible] ag [illegible] possit, *sicut populus, sic sacerdos.* Indignum est enim, vt qui officium [illegible] redarguet [illegible] pateat [illegible] populum [illegible] ad peruersitatem. Quid est autem quod [illegible] unquid [illegible] Quid si illi fuerunt adulter [illegible] his moribus contra [illegible] exemplo, habum prævaricatio [illegible] Sciendum itaque, quod acta [illegible] alia quæ fierent [illegible] nos [illegible] laxat [illegible] autem indulgentiam præbet [illegible] veniam [illegible] pende [illegible] etiam in sacerdotibus, quæ laudequidem dignam [illegible] sed tamen venialia. [illegible] quippe sine [illegible] *terram.* Necesse [illegible] morte contaminentur [illegible] vt scilicet purge [illegible] deo, quod [illegible] Gen. 3. [illegible] Quia vero [illegible] nec [illegible] tanquam [illegible] Sacerdos venialiter, [illegible] *in Principem populi tui non maledices.* Principes populi, sicut que quanto [illegible] more [illegible] humano, & qui [illegible] iuris tibi [illegible] tanto ad peccandum [illegible] periculum iacet Sacerdotis, ne forte carnali potest te

A perterritus, dum offensam metuit humanam, peccantē aut redarguere non presumat, aut etiam dum potentis gratiam quęrit, peccatis illius fauere incipiat. Iudices quippe subditorum constituuntur Sacerdotes, vt, sicut scriptum est, *faciant vindictam in nationibus, increpationes in populis.* (Psal. 149.) Duobus autem modis, non coinquinatur à malo Sacerdos, si non consentiat, & si redarguat. Nam si peccantem videns, à iusta increpatione timore compescitur, ipso suo silentio reus inuenitur. Vnde scriptum est: *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* (Eccles. 7.) Tanquam diceret: Ne velis suscipere regimen populi, nisi tantæ sis constantiæ, vt non reuerearis personam potentis, sed cum omni fiducia arguas delinquentes: ne forte scandalizes tibi commissos, si te agilem viderint, & ad nutum humanū flexibilem. Vbi & apte subiungitur: *Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum: neq; alliges duplicia peccata. nec enim in vno eris immunis.* (Ibidem.) *Non alliges*, inquit, *duplicia peccata*: vt scilicet, non tantum B pro se, sed & pro subditis cogatur reddere rationem. *Neque enim in vno eris immunis*, id est, in aliquo horum: quia & suorum & alienorum luet supplicia delictorum. Quicunque ergo locum iam tenet regiminis, caueat necesse est, ne adulando potestatibus, peccatis se contaminet alienis. & dum humanam declinat offensam, diuinam incurrat vindictam. Sequitur:

Non radent caput nec barbam, neq; in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius.

Quod hic prohibentur caput radere Sacerdotes, in Ezechiele sic dicitur: (Ezech. 44.) *Sacerdotes caput suum non radent, neq; comam nutrient: sed tondentes attondebunt capita sua.* Quod papa Gregorius sic exponit: Capilli, inquit, [illegible] ite, exteriores sunt cogitationes in mente: quæ ex[illegible] u negligenter, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem solicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere: Sacerdotes recte & caput prohibentur C radere, & comā nutrire: vt cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescēdum nimis relaxent: vt capilli in capite sacerdotis & seruētur, vt cutem cooperiant. & resecentur ne oculos claudant. Quod vero etiam barbam radere prohibentur, iam supra exposuimus. idem namq; populo pręcipitur, vt scil. virtutis speciem in vultu pręferre videantur. Sed & de incisuris quę in carne fiebant, diximus superius, hunc ritum fuisse gentilem, vt in charorum funeribus pię nimio dolore seipsos incīderent: quod ne faciant, populo Dei & maxime Sacerdotibus interdicitur: quia resurrectionis fidem videntur euacuare, si mortuorum suorum luctum non studeant temperare. Inde est quod subditur: *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius.* Sanctitas quippe integritas est: quæ tum in fide, tum in moribus conside[illegible]tur. [illegible]des autem integra nō est, si diuinis non credit promissionibus, maxime de mortuorum resurrectione, & omnium in fine fidelium reparatione. *Sancti ergo erunt* (inquit) *Deo suo, & non polluent nomen eius.* Inhonorare namq; est Deum, in magna mortis neces- D sitate, quasi tunc virtus eius defecerit, nullum ab eo solatiū expectare. Non ergo polluant nomen Domini, in[illegible]igna de illo sentien[illegible], & in blasphemiam alios mittentes: dum illis in tribulatione desperantibus, ab infidelibus insultatur & dicitur: *Vbi est Deus eorum?* (Psalm. 113.) Cur autem sancti esse debeant, causa redditur, cum subiungitur.

Incensū enim Domini, & panes Dei sui offerūt: & ideo sancti erūt.

Incensum, orationem significat, iuxta illud Psalmistæ: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* (Psalm 140.) Scriptum est autem: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* (Rom 10.) Necesse est igitur vt fidem integram possideant, & maxime illius rei, pro qua omnis sanctorum [illegible]ra inuigilat, æternæ scil. retributionis. quorum hoc officium est, vt tam pro se quàm pro populo Dei [illegible]æ orationis incensum offerant. Panes vero Dei sunt, qui fide ac bonis operibus Dominum pascunt, & seipsos in Christi corpus traijciunt. Hos, sacerdotes Deo offerunt: quos doctrina [illegible] ad [illegible]edulitatem illos perducunt. Iustum est itaque vt ipsi sancti sint, qui [illegible]ios ad sanctitatem inuitant: & fidem quam alijs prædicant, ipsi constanter teneant. Sequitur:

E *Scortum & vile pr[illegible]bulum [illegible] vxorem, [illegible] re-pudiata est a marito: quia consecratus est Deo suo, [illegible] panes [illegible] offert. Sit ergo sanctus, quia & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos.*

Post fidei integritatem, etiam de conuersationis sanctitate commonet di[illegible]s: *Scortum & vile prostibulum non ducet Sacerdos vxorem.* Vxorem in scripturis mystice sæpe intelligi, tes est satis manifesta. Nam de Sapientia quidam ait: *Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi assumere illam, & amator factus sum formæ illius.* (Sap. 8.) Sed & Iacob à parentibus ad auun[illegible]ulum transmissus est, vt acciperet vxorem generis sui. (Gen. 27.) Dixit enim mater eius: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.* (Gen. 29.) Et veniens Ia[illegible]b ad auunculum, duas fi[illegible]as illius sumpsit in matrimonium. [illegible] quibus (sicut patribus visum est) conuersatio gemina designatur, actiua scilicet & contemplatiua. Sic [illegible] ergo prohibetur Iacob, ne accipiat vxorē F de genere Chanaan: sic interdi[illegible]tur Sacerd[illegible]ti ne scortum & vile prostibulum sibi coniungat. Tunc enim h[illegible]mo vxorem accipit, cum hanc vel illam viuendi formam sibi assumit. Accipit vxorem generis sui, si Deum creat[illegible]rem suum resp[illegible]ci[illegible]t: si sanctos patres qui præcesserunt attendat: & ex illorum [illegible]rma, viuendi regulam sumat. Accipit vxorem de genere Chanaan, scortum & vile prostibu[illegible]m, & quæ re[illegible]pudiat[illegible] est à marito, si mundi huius amat [illegible]ibus c[illegible]metu[illegible], & l[illegible]xuriosam amplectatur vitam: quæ ab omnibus viris virtutis, licet forte primitus illi adhæserint, postquam tamen sponsæ illius quam supra diximus, sapientiæ [illegible] ilic[illegible]t, pulchritudine capti sunt, tanquam meretrix & immunda repudiata est. Dicitur ergo sacerdoti vt sanctus sit, *quia ego sanctus sum, dicit Dominus.* Vbi notandum quia ad Dei similitudinem inuitamur, iuxta quod Apostolus Petrus gratiam (Pet.) Domini Christi nobis commendans: *Per quem*, inquit, *maxima & pretiosa nobis promissa donata sunt* [illegible] vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentię corruptionem. Nonne hoc est quod G per legem Sacerdoti præcipitur, vt scortum aut vile prostibulum non accipiat vxorem, sed diuinam imitetur sanctitatem? Sequitur:

Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.

Hanc seueritatem, vt in libro de ciuitate Dei B. testatur Augustinus, etiam gentiles tenuerunt circa illas, quæ castitatem professæ fuerant, & Deorum suorum ministerio cōsecratæ. Antiqui, inquit, Romani in stupro deprehensas Vestæ Sacerdotes, viuas etiam confodiebant; adulteras autē fœminas, quamuis abqua damnatione, nulla tamē morte plectebant: vsque adeo grauius putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicanda. Hactenus de sacerdotibus generaliter actum est. nunc ad summum transitur Pontificem, de quo quid lex decernat, considerandum est.

Vt Pontifex, id est, Sacerdos maximus, ad nullum omnino mortuum ingrediatur.

H

Cap. II.

Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput effusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est vestibus sanctis: caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino.

Iam [illegible]mni erudito, quem dicere intendat, manifestum existimo. Cum enim nominat Pontificem & Sacerdotem maximum inter fratres suos, ad quem tanta verborum excellentia referenda est, nisi de quo testatur Apostolus, quia *habemus Pontificem magnum qui penetrauit cœl[illegible], I[illegible]sum filium Dei?* (Heb 4.) Hic est Sacerdos maximus: quia alij plures [illegible]ti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. (Heb 7.) Hic autem eo quod maneat in æternum, semp[illegible]ernum habet sacerdotium: sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Iste maximus est inter fratres suos. *Quis enim similis erit Domino in [illegible] Dei?* (Psal 88.) Maximus est inter fratres, nō quos fratres inuenit [illegible] quos magna sua gratia, ex inimicis sibi fratres [illegible]cit.

A qui [illegible] os, vt [illegible] nobis, fanguinis sui lauacrum extu[illegible] *& fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & patri suo*. Super cuius caput effusum est vn[illegible] oleum: quia *vnxit eum Deus suus oleo lætitiæ præ participibus suis*. *Et cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt* quia non solum in capite, ad mentis videlicet sanctificationem, vnctionem spiritus habuit, sed & in omni conuersatione sua hominibus irreprehensibilem se ostendit. *Indutusque est*, inquit, *vestibus sanctis*. Vestis Christi [illegible] singulariter [illegible] tur, [illegible] ecclesiam solet significare, iuxta illud Apostoli: *Vt exhiberet*, inquit, *sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. Cum autem pluraliter [illegible], nisi [illegible] ad [illegible] quæ vna est, valeat referri, nisi [illegible] quomodo dicuntur septem ecclesiæ, quæ tamen vnam faciunt, sic dicantur & multæ vestes, multæ [illegible] quæ Christum induunt. Nam & spolia in Psalmo dicta sunt, quæ Diabolo subtrahuntur, & in ornatu corporis [illegible] et Domini [illegible] prudentiam distribuuntur. *Dominus dabit verbum euangelizantibus. & speciei domus diuidere spolia*.

B [illegible] quia de [illegible] sub specie [illegible] ipse loquitur, [illegible] suo [illegible] ments [illegible], quos persecutorum manibus dederat. *Calcaui*, inquit, *eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea*. Ipse enim calcabit [illegible] qui inimicis [illegible] potestate [illegible] indulserat. Deinde subdidit: *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*. Tempore [illegible] persecutionis, facies ecclesiæ martyrum cruore respersa, in conspectu inimicorum fœda quodammodo & deformis [illegible] paruit. Nam & ipse *speciosus præ filiis hominum* inter manus tamen inimicorum quasi fœdus visus est, cum iuxta Isaiam *non esset ei species neque decor: & nos*, inquit, *putauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum*. Ideo dixi [illegible] vt intelligatur sicut in veste, sic & in vestibus Summi * Pontificis ecclesiam posse designari. Nam [illegible] [illegible] dicta, singulariter accipi solet [illegible] cut item Isaias de Christo loquens: *Quis est*, inquit, *iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Edom, terram sonat. Bosra autem [illegible] ciuitas, interpretatur, in tribulatione. Vestes igitur istæ

C quas tinctas dixit, non nisi caro Christi accipitur in qua et iam cum de tribulatione quam in terris passus est, resurgendo ascendit, effusi cruoris vestigia reseruauit. Vestis ergo carnis rubricatæ, pluraliter nominatur, cum [illegible] vestibus Christus de Edom venisse perhibetur. Vnde & inferius subdit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* Hoc dixit indumentum quod & vestimenta, nihil discernens, vtrum singulariter an pluraliter loqueretur. Vt ergo ad ea, quæ nostra sunt reuertamur, Pontifex sacris vestibus vestitur, cum Christus nationibus diuersis, in fide sua congregatis, & fidei ipsius beneficio sanctificatis, indutus. [illegible] igitur iam tenemus quis sit Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in [illegible] cerdotium consecratæ sunt, vt [illegible] est vestibus sanctis: videamus nunc quid lex [illegible] sacerdoti imponat, sed qualem eum futurum prædicat. *Caput suum* (inquit) *non discooperiet*. Habes in Apostolo, quia *caput Christi Deus est*.

D Hoc caput Pontifex noster non discooperuit. quia in omnibus quæ agebat, patrem glorificans, honorem illi debitum non subtraxit. *Verba* inquit, *quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. pater autem in me manens, ipse facit opera*. Item: *Mea doctrina non est* [illegible] nim patri æqualis & consubstantialis, tamen quicquid habet, a patre habet: et [illegible] [illegible] ipsum, vt totum habeat quod [illegible]. Ipse namque a patre, non pater ab ipso est. R[illegible] Iudæis conuician[illegible]: *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me*. Capiti ergo suo [illegible] velamenti non detrahit, cum patris gloriam quærit. Vnde & subditur: *Vestimenta non scindet*. Vestimenta scinderet, si propriam gloriam quærens, populos [illegible] ad [illegible] tentes, a diuino cultu separaret. Hoc enim Antichristus faciet: *qui in nomine suo veniens, & supra omne quod dicitur Deus extollens, fidem diuinam euacuare contendet*. Christus autem [illegible] in nomine patris [illegible] aperta testatur quia *non venit legem soluere, sed implere*. [illegible] [illegible] [illegible] nasci [illegible], qui [illegible] proximus, patre [illegible] tur, vt omnes quos dedit tibi de mundo, tam [illegible] patris cogn[illegible] [illegible] quã & in sita vnum effic[illegible] tur. Quo[illegible]

E tur, qui *ad omnem mortuum non ingredietur omnino*, quid manifestius [illegible] Christum referas quod difficilius si ab illo o[illegible] [illegible]? Quis enim sine peccato fuit in mundo, nisi qui peccatum [illegible] de mundo? Huic & cætera quæ sequuntur, aptissime congruunt.

Super patre [illegible] & matre non contaminabitur.

Qua ne[illegible], quæ ab ip[illegible] [illegible] nos omnes inficit, vitiatæ origi[illegible] Ch[illegible] [illegible] agionem sensit.

Nec egredietur de sanctis.

Hoc quoque in illo completum est, qui sanctitatis metas nunquam [illegible], & qui [illegible] nipe[illegible] a suum ambitum censuræ sacræ legis inuenit. Hoc tamen quod ait, non egredietur [illegible] sanctis, videndum est iuxta [illegible] qualiter egali Pontifici valeat conuenire. Neque enim credibile est, Pontifices [illegible] a sanctuario nunquam recessisse: nempe [illegible] domos habent, quo necessario [illegible] bantur [illegible] penuriam [illegible] tis, vel [illegible] tes [illegible] fecerit, & [illegible] [illegible] opem [illegible] conseruarent. Sic namque de Zacharia

F legitur, qui *postquam impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam*. Quid quod post Babylonis captiuitatem, iam sublatis regibus, tota populi respublica per Pontifices administrata est? [illegible] [illegible] sacrorum administratione, tum in populi regimine, & Deo & hominibus amabiles fuit. Ionathas & Simon post mortem fratris, Iuda sancta viri sunt: in templo Sacerdotes, in bello duces. Quod ergo præcipitur, vt Pontifex de sanctis non egrediatur, ad hoc [illegible] præmissum est, *Super patre & matre non contaminabitur*, vt scilicet ad eorum fun[illegible] non intrare & de sanctis non egredietur, eo duntaxat tempore, quo parentum exequiæ celebrantur. Sic namque B. [illegible] hanc quæstionem dissoluit. *Non ergo* inquit *egredietur de sanctis*,

Ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis Domini Dei sui super eum est. Ego Dominus.

Quod dicitur, *ne polluat sanctuarium*: sic intelligendum est, ne polluat [illegible] capitis sui quam de sanctuario accepit: quam quasi polluisse videretur, si ad [illegible] ingrederetur. Et ne [illegible] omnes illi quibus hæc obseruatio tradebatur,

G graue hoc [illegible] clamarent, pietatique contrarium, absentare se parentum exequiis, non intelligentes vtique quid hic myst[illegible] [illegible] subijcitur, cum, sib[illegible] *Dominus* [illegible] [illegible] Dei & hominum homo Christus Iesus [illegible] [illegible] duus fuit, [illegible] quam m[illegible] egre[illegible], id [illegible] [illegible] peccatis communicas, mentis [illegible] sanctitatem [illegible] gratiæ aliquam [illegible] infenset. Ipse est namque mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo & cuius signum speciale [illegible] Ioannes accepit, vt super quem videret spiritum Dei venientem, & [illegible] permanentem, ipsum esse intelligeret, [illegible] [illegible] [illegible] aret. Mansit namque apud illum Spiritus sanctus, [illegible] mente reperiens, vnde offensus [illegible] recederet, aut gratiam suam subtrahere cogeretur. Ipse est enim [illegible], quem iuxta Isaiam [illegible] mulieres apprehenderunt [illegible] [illegible] Spiritus [illegible] quarum ipse opprobrium abstulit, quia sanctitatem [illegible] fiedet [illegible], vt quod nusquam apud homines inuenerant,

H perpetuam [illegible] [illegible] in cordis eius puritate requie[illegible] [illegible] [illegible] Sequitur.

Virginem ducet vxorem viduam & repudiatam [illegible] sordidam atque meretricem [illegible], sed [illegible] de populo suo, ne misceat [illegible] generis sui vulgo gentis suæ quia ego Dominus qui sanctifico eum.

Quod dicitur, de populo suo intelligendum est de stirpe sua. Inde est enim quod [illegible], ne commisceat [illegible] progeniem sui vulgo gentis [illegible] [illegible] Loquens de [illegible] [illegible], [illegible] eligendo: *Alienigena*, inquit, *qui accesserit, morietur*. Hinc testatur B. Augustinus, a[illegible] [illegible] Israel, qui [illegible] [illegible] [illegible] lege [illegible] hoc est, qui [illegible] [illegible]. Sic igitur alien[illegible] dicuntur, et [illegible] qui non sunt de tribu Leui, puto quia non inconueniens populus [illegible] [illegible] Quod si ad mysterium [illegible] summus Pontifex [illegible] omnium Christus virginem ducit vxorem, ecclesiam scilicet, cui per Apostolum dicitur: *Despondi enim vos vni viro, virginem*

A *Apoc. 21.* castam exhibere Christo. De hac iterum in Apocalypsi B. Ioanni dicitur: *Veni, ostendam tibi sponsam uxorem agni. Et sustulit me, inquit, in spiritu in montem magnum & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem, descendentem de caelo.* Viduam & repudiatam non accipit Christus in matrimonium: quia synagogam, quae prius eum virum habuerat, iam a se repulit, dans illi libellum repudij, sicut etiam per Prophetas praedixerat, contemnentis se nuptias contempsit. Inde scriptum *Ierem. 3. Isai. 50. Isai. 54. Galat. 4.* est: *Laetare sterilis quae non paris, quia multi filij desertae, magis quam eius quae habet virum.* Prohibetur legalis Pontifex, ne sordidam & meretricem sibi coniungat: Christus in gentibus meretricem adamauit, & vt digne sibi eam coniungeret, virginem fecit. Nec mirum, cum in nuptijs eius vinum propinatur, de quo sponsam ipsam laudans, Propheta testatur, dicens: *Zach. 9.* *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hoc poculo inebriata gentilitas & per Spiritum sanctum charitate succensa, postquam sponsi sui thalamum ingressa est, mente mutata, posuit sordes quas B habuerat, & repente coepit esse quod non erat. Quod longe ante praeuidens Ieremias Propheta: *Gaude,* inquit, *& laetare filia Edom, ad te quoque perueniet calix: inebriaberis atque nudaberis.* *Thren. 4.* Pontifex ex praecepto legis de populo suo matronam accipit: Christus vero ipsum populum suum spiritualis sibi amore coniungit. Cauet Pontifex legalis, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suae. Christus autem eos quos in diuini generis nobilitate conseruat, discernit ab his quos degenerare considerat. Discernit autem interim mente, postea retributione: discernit nunc moribus, postea mansionibus. Vnde etiam Balaam prophetante scriptum est: *Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.* Quia ego, inquit, *Num. 23.* Dominus qui sanctifico eum. Sanctificat filium pater, ipso filio attestante, qui ait: *Quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum.* *Ioan. 10.* Sanctificat & seipsum filius, *pro eis omnis,* inquit, *ego sanctifico meipsum.* *Ioan. 17.* Quia ergo a Deo sanctificatus est Summus Pontifex noster, dignum est vt sordidam & meretricem non accipiat vxorem, per quam generis sui nobilitas confundatur: sed C virginem & sibi consimilem, quae conformes sanctitati eius filios pariat. His igitur quae praemissa sunt, & bonorum Sacerdotum vita instruatur: & illius qui inter fratres suos maximus est, excellentia commendatur. Sed quoniam in tanto officio constitui, non solum digni fuerant instruendi, sed indigni quoque ab eodem officio repellendi, apte subiungitur:

Vt homo de semine Aaron qui maculam habet, non accedat ad sancta.

CAP. III.

Istud vulgaris editio non habet. LOquutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Qui maculam habet, non accedat ad sancta.*

Quia vero distinguendum erat de qua macula loquatur, & a quibus sanctis prohibeat hominem qui eiusmodi est: neque enim quaelibet hic macula intelligenda est, nec ab D omnibus sanctis excluditur, in quo huiusmodi macula reperitur: Sequitur, & discernit.

Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius.

Haec sunt sancta a quibus arcetur, sancta videlicet ministeria Dei sui, quibus ne se ingerat deterretur. Quae quidem quomodo spiritualiter intelligantur, quaeve sint eadem ministeria, suo loco discutietur. Nunc ad macularum distinctionem transeundum est.

Si caecus fuerit, si claudus, si vel paruo vel grandi & torto naso: si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.

Gregor. Quem Papa Gregorius ponderosum vocat. Ipsum quippe in toto hoc capitulo sequimur autorem: Scientes tanti doctoris explanationem hac continemus, eligimus cedere maiori: & quod suprannis est, nostro silentio veneramur. *Caecus.* Caecus (inquit) est, qui supernae lumen contemplationis ignorat: qui praesentis vitae tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressum operis porrigat, nescit. E *Claudus.* Claudus vero est, qui quidem quo pergere debeat, aspicit: sed per infirmitatem mentis, vitae viam perfecte non valet tenere quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudo non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. *Esse naso paruo.* Paruo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. *Nasus.* Naso quippe odores foetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Vnde & in laude sponsae dicitur: *Nasus tuus sicut turris quae est in Libano:* *Cant. 7.* quia nimirum sancta ecclesia, quae ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit: & ventura vitiorum bella, ex alto deprehendit. *Nota.* Sed sunt nonnulli, qui dum se aestimari hebetes nolunt, saepe se in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Vnde hic quoque subditur: *Vel grandi & torto naso.* F *Nasum grandis et torti.* Nasus etenim grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata: quae dum plusquam decet excreuerit, actionis suae rectitudinem ipsa confundit. *Esse pede fracto aut manu.* Fracto autem pede vel manu est, qui viam Domini pergere omnimodo non valet, atque a bonis actibus funditus exors vacat: quatenus haec non vt claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnino alienus existat. *Gibbus.* Gibbus vero est, quem terrenae solicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad superna respiciat: sed solis his quae in infimis calcantur, intendat. Qui & si quando aliquid ex bono patriae caelestis audierit, ad hoc, nimirum peruersae consuetudinis pondere praegrauatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenae vsus solicitudinis curuum tenet. *Lippus.* Lippus vero est, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillae sanae sunt, sed humore defluente infirmatae palpebrae grossescunt. Quarum quia infusione crebro atteruntur, etiam acies pupillae vitiatur. Lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit. *Albugo.* Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur: quia arrogantia sapientiae seu iustitiae caecatur. G Pupilla namque oculi nigra, videt: albuginem tolerans, nil videt: quia videlicet sensus humanae cogitationis, si se stultum peccatoremque intelligit, cognitionem intimae claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi iustitiae seu sapientiae tribuit, a luce se supernae cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat. *Iugis scabies.* Iugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim feruor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur: quia si cordis tentatio vsque ad operationem prosilit, nimirum feruor intimus vsque ad cutis scabiem prorumpit. *Impetigo.* Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis auaritia vastatur in mente. Quae si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati taedio excrescens, membrorum decorem foedat: quia & auaritia capti animum dum quasi delectat, exulcerat: & dolorem in vulnere non facit, quia aestuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo deprauatur. H *Ponderosus.* Ponderosus vero est, qui turpitudinem non exercet opere: sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderatione grauatur in mente. Qui nequaquam quidem vsque ad opus nefarium rapitur: sed eius animus voluptate luxuriae, sine vllo repugnationis stimulo, delectatur. Vitium quippe est ponderosis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quae profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciuiam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde: & quamuis praua non exerceat opere, ab his tamen non euellitur mente: nec ad vsum boni operis in aperto valet consurgere, quia grauat hunc in abditis pondus turpe. Hactenus a lege, quas maculas in sacerdotibus notet, accepimus: quae etiam qualiter in moribus intelligi debeant, non nostro discussimus ingenio, sed praedicti Doctoris vestigia secuti sumus. Nunc itaque quod ante promisimus, videlicet a quibus officijs prohibeantur, qui has maculas habuerint, sequentia docebunt nos.

A

Omnis, inquit, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.

Quæ sint hostiæ quæ à sacerdotibus offeruntur, multa superius dicta sunt; & Apostolus breuiter hoc innuit, dicens:

Rom. 12

Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Hostiæ itaque sunt, qui carnis vitia in Deum immolant, vt deinceps melius viuant. Panes vero ijdem ipsi sunt, sed iam iustificati & alienati à carne & sanguine, postquam illius iustitiæ conformantur, qui de seipso testatus est, dicens: *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* Sicut enim *qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* ita qui spiritu Dei aguntur, iam diuinæ mensæ idonei, puritate mentis suæ, Dei cibus efficiuntur. Has hostias, hos panes illi sacerdotes Deo offerunt, qui & verbo & exemplo suo, primo eos ab iniquitate conuertunt: & iam mutatos qualiter in religione proficiant, instruere non desistunt. A quo officio iure illi repelluntur, qui maculas habent: quia quicunque vitijs suis adhuc deseruiunt, in loco eminentiore constituti, præesse possunt, sed prodesse vix possunt. Nam & si fortassis officio exigente, bona docere cogantur, audientes (vt est humana peruersitas ad malum prona) eius imitantur mores aliter loquentis, quam obaudiunt monita aliter facientis. Qui tamen si ambitione ducti, locum regiminis vsurpare præsumant: plerumque ne perdant quod temporaliter amant, omni sollicitudine quæ ad ipsum officium pertinent, implere contendunt. Mercenarij itaque in domo Domini constituti, sine Dei respectu agunt quæ Dei sunt, nec tamen hostias Deo vel panes offerunt: quia licet per eos fiat, ipsi tamen quæ sua sunt quærentes, non hoc facere intendunt. Mercedem ergo laboris sui quam appetunt, assequuntur: dum ecclesiæ seruientes, ecclesiasticis honoribus sublimantur, ecclesiasticisque sumptibus sustentantur. Inde est quod sequitur:

Hesych. Panes.

Ioan. 6.

Rom. 8.

Nota

B

Gen. 8.

Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario.

Gregor.

Magna (sicut ait B. Gregorius) legentium debet esse discretio, vt in sacro eloquio cum quilibet vnus sermo dicitur, non semper vnam eandemque rem significare credatur.

C

Ecce enim paulo ante dictum est, vt qui maculam habent de semine Aaron, non offerant panes Deo suo. Nunc autem dicitur, vt de panibus edant qui in sanctuario offeruntur: & quidem ipsi sunt panes quos offerre prohibentur, & quos edere permittuntur: quia tamen non dixit, vescetur eisdem panibus qui offeruntur in sanctuario, sed quasi de alijs locutus est, aliud mihi per panes significare videtur. Prius panes quippe in figuram iustorum accepimus: nunc autem panes subsidium vitæ præsentis intelligimus. Vnde Iacob ad Laban transiens, ait: *Domine Deus, si dederis mihi panem ad edendum.* De sanctuario ergo (vt diximus) panes accipiunt: qui laboris sui mercedem in præsenti recipientes, & nihil aliud à Domino expectantes, de oblationibus fidelium viuunt. Sed cum timore audiendum est, quod Scriptura subiungit:

Gen. 28.

Ita, inquit, duntaxat, vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare: quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum.

D

De spe nostra loquens Apostolus: *quam sicut anchoram,* inquit, *habemus animæ tutam ac firmam: & incedentem vsque ad interiora velaminis, quo præcursor pro nobis introiuit Iesus.* Hæreditas namque illa, cuius promissorem tenemus conditorem nostrum, adhuc nobis ab ea peregrinantibus quasi post velamen posita est, sicut testatur Isaias, dicens: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Spes tamen nostra velum transit: quia quod non videmus, speramus: & vsque illuc suspiramus, quod interim non videntes speramus. *Vita enim nostra nunc abscondita est cum Christo in Deo: sed cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum illo in gloria.* Qui igitur Deo pura charitate deseruiunt, ingrediuntur intra velum, primum sperando, postea contemplando. Qui autem in domo illius mercenarij sunt, & præter temporalem remunerationem nihil ab eo expectant, intra velum non ingrediuntur: quia visibilia diligentes, illa quæ nondum videntur, hæreditate filiorum Dei in æternum priuabuntur. *Nec accedat ad altare.* Altare locus est, in quo Deo assistitur. Qui autem per Spiritum sanctum edocti sunt, & intelligentes quod ait Dominus Christus, Deum scilicet spiritum esse, & in spiritu adorandum esse, apud se altare inueniunt, cum oculos suos ad Deum erigentes, intra conscientiam coram illo festinant. Ibi hostias immolant, cum affectus suos carnales mortificant. Thura incendunt, cum intra illud cubiculum, vbi pater cælestis videt in abscondito, vota precum suarum Domino offerunt. Ad hoc autem altare non accedunt, quicunque exterius fusi, & carnalibus adhuc desiderijs irretiti, ad cor suum redire nesciunt. Sic enim Psalmista Domino loquitur, dicens: *Manè astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Et Beatus Iob: *Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* Iniqui namque omnes aut ergo quod scriptum est, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* aut si aliquatenus Deum esse suspicantur, exemplo primi parentis male sibi conscij, à facie illius se abscondunt: quem quia non vident, non cogitant se videri: & in oculis videntis tanquam lateant, sunt securi. Homo itaque de stirpe Aaron, videlicet qui inuisibili administratione successor factus est Aaron: si maculam habuerit, id est, si vitiosus extiterit, etsi panes de sanctuario ederit, vt de ecclesia temporales fructus percipiat, hostias tamen vel panes Deo non offert: quia dum lucris suis incumbit, subditorum salutem non quærit. Hic etiam intra velum non ingredietur: quia à regno Dei quod adhuc speratur, & nondum videtur, cum venerit, excludetur. Hic ad altare non accedit: quia pro vita æterna rogaturus, Domino non assistit. *Nec ergo* (inquit) *ingrediatur intra velum, quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum.* Vere admiror Dei sapientiam: quæ quoniam cum pueris agit, quodammodo loquendo puerascit. Quis enim nostrum, nisi forte ludens, claudo alicui dicat aut gibbo, ne intres ecclesiam: quia si intraueris, ecclesiam contaminabis? Sub hoc tamen intellectu, carnalis ille populus legis præcepta suscepit. O vere insipiens & non habens cor, qui vbi Spiritus sanctus loquitur, in verbis illius nihil aliud meretur. Nos enim (vt supra tractatum est) in vitijs corporis, mentis vitia contemplantes, recte dicimus quia quisquis maculam habet, si intra velum ingrederetur, sanctuarium contaminaret. Societas namque sanctorum, quasi fœdata est in præsenti, permistione malorum. Cum autem area ista fuerit ventilata, & paleis igni traditis, sola grana in horreum congregata: nulla in populo illo macula reperietur, per quam ciuitatis Dei claritas obfuscetur. Ipsa quippe ciuitas vt in Apocalypsi legitur, *structa est auro mundo, simili vitro mundo: nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Ne autem superbirent filij Aaron, in quibus macula reperiri non poterat, quod se in sanctuarium Dei videbant admitti, alios vero velut immundos excludi, breui sermone comprimuntur, cum subditur:

Hebr. 6.

Esai. 64.

Col. 3.

Ioan. 4.

E

Psalm. 5.

Iob. 13.

Psalm. 13.

Gen. 3.

F

G

Matt. 3. & 13.

Apoc. 21.

Ego Dominus qui sanctifico vos.

Quis enim, ait Apostolus, te discernit? *Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* *Ego,* inquit, *Dominus qui sanctifico vos.* Postremo legislator pertractatis pluribus, quæ sibi à Domino tum super populo, tum super sacerdotibus mandata fuerant, breuiter concludit, ita subiungens:

1. Cor. 4.

H

Loquutus est ergo Moyses ad Aaron & filios eius, & ad omnem Israel, cuncta quæ sibi fuerant imperata.

Hæc clausula sequentis capituli commendat initium, & quodammodo eminentiorem ei locum facit. Sequitur enim:

Vt omnis homo in quo est immunditia, non accedat ad sancta.

Cap. IV.

Leuitici cap. XXII.

Loquutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron & ad filios eius, vt caueant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus.

Eorum quæ à filijs Israel offerebantur Domino, & oblata consecrabantur, diuersæ species reperiuntur. Quædam namque humanis vsibus negabantur, sicut adipes hostiarum qui

A Leuit. 3. Leuit. 7. incendebantur Domino: de quibus dicitur, *quia omnis adeps Domini erit iure perpetuo*. Et, *si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo*. Sic & oleum sanctificationis, cuius vnctione sanctificantur omnia vasa tabernaculi, & ipsi etiam sacerdotes, de quo dictum est, Exod. 30. *Caro hominis non vngetur ex eo*: & multa similia quæ soli Domino consecrantur, ipsorum etiam sacerdotum vsibus interdicta. De his in operis huius initijs, iam supra tractauimus. Quædam vero sacerdotibus deputabantur, nonnulla solis maribus: vt de sacrificio similæ, pars sacerdotum maribus solis conceditur, cum dicitur: Leuit. 6. *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud*. Quæ autem de hostijs pacificis sequestrantur sacerdoti, & filijs & filiabus illius assignantur, sicut supra dictum est, die octaua consecrationis Sacerdotum, dicente Moyse ad Aaron: Leuit. 10. *Pectusculum quod oblatum est, & armum qui separatum est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui, ac filiæ tuæ tecum*. De his itaque consecratis, quæ ad ius pertinent sacerdotum, & omnibus liberis eorum, viris pariter ac mulieribus, B conceduntur. Io qui nunc aggreditur legislator, immundos tantum ab eis excludens, & filiam sacerdotis quæ populari cuilibet nupta fuerit: quosdā vero de familia admittens, seruum scilicet emptitium atque vernaculos. Sed quia literæ sensus in promptu est, libet iam ad mysterij indagationem stylum conuertere. Homo per peccatū semel contaminatus, iam à texto suo sanctificari non potest, nisi per fidem illius qui sanctas sanctorum per Prophetam nominatus est. Dan. 9. Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituuntur multi*. Act. 4. *Neque enim aliud nomen est datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri*. Sanctificata vero comedere, est sanctificationem in se suscipere. Nullus igitur sanctificata comedit, præter familiam nostri Aaron, summi scilicet Pontificis Iesu Christi. Nemo quippe sanctificatur, qui fidem non habens, à corpore eius quæ est ecclesia, alienus efficitur. Quod si etiam fidem habeat mortuam, quæ per dilectionem non operetur, nec illa sanctificare eum potest. Odibilis vero est illorum præsumptio, qui cum aut infideles C sint, sine fide iustificari se æstimant: aut si etiam fideles sunt, cum infidelium mores habeant, vel sanctos se putant, vel sanctitatis laudem contra conscientiam affectant. Sapientes namque huius mundi, qui de sua sapientia ac virtute salutem sibi polliciti sunt, sub prophetico tenentur maledicto: Ierem. 17. quia *maledictus*, inquit, *omnis qui spem suam ponit in homine*. Cum autem ipsi homines fuerint, de seipsis præsumentes, & se sibi sufficere posse ad salutem existimantes, in homine spem posuerunt: ideoque ab ipso fonte salutis alienati, salutem inuenire minime potuerunt. Qui autem inter fideles coonumerantur, fidelium tamen conuersationem imitantur: si peccata sua non intelligentes, aut forte dissimulantes, sanctos se æstimant, aut sanctitatis nomen sibi fallaciter vsurpant, grauiter notantur: dum sub horum persona plebem Iudaicam Ieremias, imo per Ieremiam Dominus arguit, dicens: Ierem. 2. *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es in prauum vinea aliena? Si lauerís te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith; maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. Quomodo dicis, non* D *sum polluta, post Baalim non ambulaui? Vide vias tuas in conualli: scito quid feceris*. Item: Ibidem. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendam dilectionem? Et dixisti: Absque peccato & innocens ego sum. propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccaui*. Ierem. 3. *Frons meretricis facta est tibi. noluisti erubescere*. Manifestum itaque quantum execrabilis sit Deo impudentia nostra, cum mente polluti vel etiam opere, contra fas sanctificata comedimus. aut decepti, sanctitatem nobis attribuentes, aut certe [illegible] conscientia, sanctitatis laudem ab alijs suscipientes. Vtrunque siquidem genus in scriptura distinguitur, & voce diuina redarguitur. In Apocalypsi Ioannis dum d[illegible] orum præsulum merita discernuntur. Apoc. 3. *Angelo*, inquit, *Sar[dis] ecclesiæ scribe: Scio opera tua, quia nomen hab[es] quod viuas, & mortuus es*. Hic igitur laudabilis vitæ sibi nomē assu[m]ps[it], c[ui] [vi]ta veritate carebat. Item post pauca: Ibidem. *Angelo Laodiceniæ ecclesiæ scribe: Scio opera tua, quia neque fri[g]idus es neque [calid]us. Vtinam [fri]gidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis*

E quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Ecce habes alium tibi incognitum: qui dum se sua æstimatione sanctificat, quis in oculis diuinis habeatur, ignorat. Nunc igitur ad legis verba veniendum est, quos à sanctificatis remoueat, spiritualiter discutiendum. Præceperat Dominus Moysi, vt indiceret Aaron & filijs eius, cauere à consecratis filiorum Israel, vt non contaminarent nomen, id est, honorem sanctificatorum, quæ ipsi Sacerdotes suscepta à filijs Israel, Domino offerebant. His cætera subiungit, dicens:

Dic ad eos & ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerint filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.

Puto per ea quæ paulo ante tractata sunt, ista iam fieri manifesta: quia omnis immundus si ad cōsecrata accesserit, F istorum videlicet consecrationi se proximum fecerit, aut sua opinione, dum seipsum minus agnoscit: aut simulatione, dum aliorum laudes quærit: peribit coram Domino, quia & suæ iniquitatis, & fallaciter vsurpatæ sanctitatis, pœnas dabit. Quam tamen dicat immunditiam, sequentia multipliciter nobis insinuant.

Homo, inquit, *de semine Aaron qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur*.

Isti duo morbi quomodo typice intelligendi sint, latius iam supra tractatum est. Nam de leprosis liber nonus, de fluxu vero seminis agit vndecimus. Quicunque ergo talis fuerit, sanctificata non edat donec sanetur: vt scilicet sanctorum meritum sibi non assumat, donec pœnitentiæ satisfactione purgetur. Sequitur:

Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur semen quasi coitus, & qui tangit reptile & quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus, immundus erit vsque ad vesperum, & non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cum lauerit carnem suam aqua, & occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est.

G Diximus paulo superius, in cadaueribus mortuorū, peccata significari. Tangit autem mortuum, qui peccato iungit consensum. Hic est, quem immundum super mortuo lex nominat. Si quis autem ab eo persuasus, immunditiæ illius adiungitur, etiam & ipse immundus efficitur. Et hic igitur iam à sanctificatis remouendus est, quia tetigit immundum super mortuo. Notandum autem quod post lepram & fluxum seminis, quæ duo manifeste in humana actione vel locutione notantur, nunc ad interiora transiens discussio, dum vnusquisque nostrū super affectibus suis conuenitur. Tactus namque iste interius perpetratur, cum in conscientia motus cordis ad iniquitatem deflectitur. Hæc Num. 5. autem tria genera immundorum, in Numeris quoque expressa legimus, dicente Domino ad Moysen: *Præcipe filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo: tam masculum quam fœminam eijcite de castris, ne contaminent ea, cum habitauerint vobiscum*. Deut. 23. Vir autem ex quo egreditur semen quasi coitus, ipse est qui nocturno pollutus somnio, de quo alibi præcipitur, vt egrediatur extra castra, & ad vesperā aqua lotus, cum sol occubuerit, in H castra reuertatur. Nocturnum quippe somnium, vt ait B. Gregorius, occulta est tentatio: per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid in corde concipitur, quod tamen opere non expletur. Sed talis extra castra egredi iubetur, vt seipsū accusans, indignum se cunctorū fidelium societatibus arbitretur. Qui ad vesperā lauatur aqua, cū defectum suū conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta conuertitur, vt fletibus diluat omne quod animum occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat: quia deferuescente tentationis ardore, necesse est vt iterum fiduciam erga bonorum societatem sumat. His Papæ Gregorij verbis, quæ cūcta exposita sunt, quæ de proposito capitulo exponenda restabant. Nam de tactu reptilis, cæterorumque immundorum, quorum tactus sordidus est, qui scire desiderat, in libro octauo requirat. *Quicunque igitur de stirpe Aaron tetigerit immundum super mortuo, qui nocturno somnio pollutus fuerit, siue etiam qui tetigerit reptile, aut quodlibet aliud immundum, immundus erit vsque ad vesperam, & donec occumbat [illegible], do[illegible] [illegible]*

A licet praui desiderij æstus quiescat. Tunc demum sanctificata poterit edere, quia cibus illius est. Nota quod dicitur, quia cibus illius est. Nemini quippe licet edere sanctificata, qui non est de stirpe Aaron. Quicunque enim alienus est à Christo, sicut paulo ante tractauimus, nulla est ei cũ sanctificatis communio. Qui autem Christi sunt, cibum suum in sanctificatis agnoscunt. Hi nanque soli quicquid boni faciunt, fidei suæ virtute sanctificari præsumunt. Alij bona faciunt non bene, quia sine fide Deo placere non possunt: Rom. 14. *Omne enim quod non est ex fide peccatũ est.* Caueant ergo immũditiã magni pontificis nostri hæredes & cohæredes, & sanctificatorũ escam specialiter sibi assignatam. Ipsi enim sunt, 1. Pet. 2. quibus per Apostolum Petrum dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis:* vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Sequitur:

Morticinum & captum à bestia, non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus.

B Tempore immunditiæ suæ prohibuerat ne ad sanctificata accederent, nunc autem etiam illa interdicit, per quæ contaminari potuissent. Morticinum nanque est, qui ad peccandum pronus, sponte sua in mortem labitur: capitur vero à bestia, quisquis aut persuasione diabolica, aut persecutoris violentia, ad peccatum inflectitur. Hi igitur à sacerdotibus non debent comedi, quia in exemplum viuendi non debent assumi.

Custodient præcepta mea, vt non subiaceant peccato, & moriantur in sanctuario, quando polluerint illud.

Notandum diligenter quod dicitur, *Ne subiaceant peccato, & moriantur in sanctuario. Quid est enim*, dicit Dominus per Ieremiam 11, *quod dilectus in domo mea fecit scelera multa?* Item Isaias 26: *In terra sanctorum inique gessit, & non videbit gloriam Domini.* Metuendum est itaque, ne vbi videmur vitam quærere, polluentes sanctuarium Domini, mortem mereamur æternam, quia nihil maius est, locum sanctum corpore occupasse, & in loco sancto scelerate vixisse. Ne tamen ad C præceptorum custodiam se causarentur inualidos, subsequenti verbo animantur, cum subditur:

Ego Dominus qui sanctifico eos.

Si ergo de se desperat humana fragilitas, de gratia diuina præsumat. Sequitur:

Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.

Alienigenam hic dicit, sicut iam supra ostendimus, omnem qui à familia sacerdotali extraneus est. Postquam igitur quosdam, etiam de stirpe Aaron, à sanctificatis remouit: consequenter, ne illuc accedant, alienigenis omnibus interdicit: quia sanctificatione spiritus Christi nonnullos etiam sub fide illius immunditia reddit indignos, infidelitas vero generaliter omnes excludit.

Inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescentur ex eis.

Sola charitas Dei & proximi sanctificare hominem potest, vbi vero cupiditas regnat, sanctificatio nulla est. Sanctus nanque spiritus, amor est: & omne opus quod ex hoi amoris radice non nascitur, ab eodem spiritu non sanctificatur. Inquilinus & mercenarius (qui in domo Dei hospes D est cito migraturus, qui Deo seruiens, non æternam salutẽ, sed transitoriam ab illo quærit mercedem) sanctificata nõ edit: quia licet iustorum forsitan habeat opera, dum non diuina dilectione, sed sua trahitur ambitione, iustitiæ sanctitatem in sua actione non recipit.

Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis.

Emitur seruus à sacerdote, cum data verbi pecunia, aliquis peccatorum ad Dei seruitutem conuertitur. Hic nempe seruus, vt ampliorem Dei gratiam consequatur, etiam 4. Reg. 2. Doctoris sui seruitium non aspernatur. Sic nanque Elias dictus est dominus Elisei: *Nescis*, inquiunt, *quia hodie dominum tuum tollet à te?* Hinc quoque in Exodo scriptum est: Exod. 21. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, & septimo egredietur liber.* Qui enim subditus est doctori, quamdiu vitæ laboribus exercetur actiuæ: liber dimissus est, cum ad sabbatum transierit contemplatiuæ. Vernaculus vero est, qui sua sponte vel proprio ductus ingenio, hanc sibi seruitutem imponit, nõ accepta mercede, continuo recessurus: sed vt cũ Christo perpetuo maneat, pro mercede sumpturus. Isti igitur consecrata comedunt: quia quod exterius operantur, puritate suæ deuotionis acceptabile reddunt.

E *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata fuerint, & de primitijs non vescetur.*

Sicut seruus qui in familiam sacerdotalem recipitur, ad sanctificata admittitur: sic sacerdotis ipsius filia cuilibet de vulgo nupta, cum à paterna sanctitate declinauerit, iure ab eisdem excluditur. Nam & *peccator in quacunque die ingemuerit, ad sanctorum gratiam reuocatur:* Ezech. 18. & *iustitiæ* [illegible] *quacunque die peccauerit, omnes iustitiæ illius obliuioni tradentur.* Nã filia quidem summi sacerdotis, anima est fidelis: quæ vero coniungitur, nunc legitimo sibique condigno, nunc autem ignobili & virginis ipsius ingenuitatem [illegible]. Hinc est quod Samaritanæ illi dicitur: Ioan. 4. *Vade, voca virum tuum, quinque enim viros habuisti. & modo quem habes, non est tuus vir.* In primitijs nanque quinque corporis sensibus dedita fuerat, postquam autem ad tempus ventum *exercendæ rationis, errori se subdiderat, * exercendæ. nondum adepta intellectum qui ad capienda quæ sibi di- F cebantur, necessarius erat. Cum igitur intellectu spirituali informatur anima nostra, legitimo viro coniungitur: degenerat autem, cum vulgi aut erroribus aut moribus conformatur. Errori populari se subdere dedignatus est Apostolus Petrus, cum interroganti Domino quem dicerent homines esse filium hominis, & expositis opinionibus male errantium, ipse ad legitimum virum se conferens, & intellectum sibi coniungens: *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei viui.* Matth. 16. Item carnis appetitum, cui se vulgus ignominiose substernit, respuendum docet Apostolus Paulus: Gal. 5. *Qui enim*, ait, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Cuilibet ergo ex his viris nupta fuerit filia sacerdotis, nec sanctificata nec primitias edit: quia & omne quod agit sanctũ non est: & illam quam primitus in domo patris possederat sanctitatem, amittit. Sed quia etiam praua consuetudo vincitur, Ioan. 11. cum Lazarus quatriduanus Christi clamore suscitatur, rectè subiungitur:

Sin autem vidua vel repudiata, & absque liberis, reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, aletur cibis patris sui.

G Magna Dei misericordia, qui filio luxurioso mox vt ad Luc. 15. eum reuertitur, primam stolam reddit: & filiam sacerdotis post ignominiosa connubia, si vidua aut repudiata fuerit, ad cibos iterum paternos admittit. Vidua nanque dicitur, cuius maritus iam mortuus est. Repudiata autem, à viro viuente reiecta. Tunc igitur anima nostra ab ignobili [illegible] vidua relinquitur, cum appetitu carnis mortificato, ipsa vt ad patris *motum redeat, relaxatur. Repudiatur vero, cum * domum. viuente carnis concupiscentia, anima in voluptat[illegible] [illegible]na, sub bona aliqua difficultate, ab intentione sua repellitur. Hoc est enim quod ei per Prophetam Dñs benignissime Ose 2. cõminatur, dicens: *Ecce ego sepiam vias tuas spinis, & sepiam eã maceria, & semitas suas non inueniet. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Siue ergo sopito carnis motu, cui prius inhoneste substernebatur, anima nostra vidua fiat: siue fatigetur aduersitatibus, & ab amatorum suorũ complexu, sensuum videlicet corporalium, quib. libidinose quærit abuti H nolens interim repellatur: vt tandem molestijs temporalibus quasi punctionibus spinarum commonita, ad cor suũ redeat, & ab adulteris repudiata, legitimum virum requirat, in cuius complexu virgo est, quia ille & maritus & pater est. quocunque inquam modo reuertatur, ab illo vtique recipitur, qui per Ieremiam pollicetur, dicens: Ierem. 3. *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. & ego suscipiam te.* Notandum tamen quod dicitur, si vidua aut repudiata & absque liberis, reuersa fuerit. Alij nanque filij nascuntur, cum anima sociatur spiritui. alij, cum subditur carni. Galat. 5. *Fructus enim spiritus, charitas, pax, patientia,* & cætera huiusmodi. *Manifesta autem sunt opera carnis: fornicatio, immunditia, impudicitia, contentiones, æmulationes, ebrietates, comessationes, & his similia.* Hi sunt filij qui de carnis appetitu tanquam de viro nascuntur adultero: qui & liberi dicuntur, hoc est, non subditi, iuxta illud quod scriptum est: Rom. 6. *Cũ essetis*

seruus

A *serui peccato, liberi fuistis iustitiæ.* Sine his ergo liberis reuerti debet mulier ad patrem suum: vt si iam ad peccandum proprio affectu non ducitur, mortuus siquidem ille est maritus eius, sic & veterem consuetudinem vincat, & eorum inter quos forsitan viuit, moribus peruersis resistat: vt nulla occasione prima opera iam facere cogatur, quæ sine liberis ad patrem redire iubetur. Sequitur:

Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.

Repetitio ista confirmatio est. Sic enim in scriptura nonnulla sæpius dicuntur, aut præcipiuntur, vt irrefragabilem assertionis suæ insinuent certitudinem, vel ad sui obse[illegible]tiam torpentem excitent auditorem. Postremo postquam ostenderat quibus sanctificatorum interdicatur accessus, si quis ex eis contra præceptū fecer[illegible], & quæ sibi tangere non licet, vsurpauerit: si dum adhuc hic viuit, intellexerit peccatum suum & corr[illegible] voluerit, quo pacto satisfaciat, legislator insinuat, cum [illegible] subiungit:

B *Qui comederit de [s]anctificatis per ignorantiam, addet quintam [p]artem cum eo quod comedit, & dabit [s]acerdoti in sanctuarium: nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint.*

Hæc in libro huius operis tertio, vbi etiam de sanctificatis tractatur, exposita recordamur. Sed de his quæ ibi dicta sunt, pauca repetimus, vt præsenti capit. satisfaciamus. Comedunt san[cti]ficata per ignorantiam, qui quod non habent se habere putantes, contra fas, cum ipsi indigni sin[t], sanctificationem sibi vsurpant. Isti igitur restituere debent Sacerdoti, quod illi [tu]nc rapuerū[t] vt opinionem sanctitatis fallaciter vsurpatam, eis qui digni sunt, dete[r]n[in]ant. Hæc autē restitutio in sanctuario fieri iubetur. Hoc est, in vera [sa]n[cti]tatis intelligentia, dum homo [illegible] in[illegible] dit[illegible], & aliorum sanctitatem cognoscit. Quod ve[r]o quinta pars insuper additur, quinque sunt corporis sensus: & quicquid homo homini innotescit, per [illegible] sensus ab anima in animam transit. Recte igitur pe[r] quinarium [illegible]torum manifestatio intelli[gi]tur: quia [illegible] vt diximus nisi per hos

C quinque sensus, nihil a[b] homine [illegible] reuelatur. Restituat igitur homo Sacerdoti quod fallaciter vsurpauit, vt apud conscientiæ suæ examen dum se pe[c]catorem, illum iustum agnoscit, sibi subtrahat sanctitatē, illi vero [c]onced[a]t. Additur & quinta pars, illa scil. quæ ad exteriorum sensuum pertinet operationem: si hoc non solum fateatur corde, sed etiam fateatur sermone. Cur vero sacerdotibus solis sanctificata debeant assignari, ab alienigenis autem non debeant vsurpa[r]i, idonea & omni acceptione digna ratio redditur, cum subinfertur:

Ego Dominus qui sanctifico eos.

Vere enim Domine Deus meus hoc dignum, hoc iustum est, vt quos tu sanctificas, sancti habeantur: qui vero sanctificare seipsos volunt, sibi tribuentes quod tuum est, omni sanctitate priuentur. *Non enim est sanctus vt est Dominus, neq; est alius extra te.* Si laueris me, mundus ero: nisi laueris me, partem tecum habere non potero. *Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.*

1 Reg. 2. Ioan. 13. Psalm. 70.

D

Vt immaculata sint quæ Domino offeruntur.

CAP. V.

LOquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron & filios eius, & ad omnes filios Israel, dicesq; ad eos: Homo de domo Israel, & de aduenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota soluens, vel sponte offerens: quicquid illud obtulerit in holocaustum Domini vt offeratur per vos, masculus immaculatum erit ex bobus, ex ouibus, & ex capris. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

Distinxerat superius eos qui de stirpe erant Aaron, quos ad offerendas admitteret hostias, quosve ab eodem officio macularum suarum causa repelleret: dixerat, quis sanctificata comedere, quisve ab eis abstinere deberet, nunc ad hostiarum descenditur distinctionem, & quæ offerendæ, quæ respuendæ sint, decernit minatur. Quæ discretio tam sacerdotibus quam populo insinuari iubetur: quia & populo cauendum est, vt in oblationem Dei sui nihil offerant quod non sit idoneum. & sacerdotum est, vt reijciant, si fuerit oblatum. Primum igitur de holocaustis mandat, vt m[ascul]a eligatur & immaculata: si autem maculam habuerint, non offerantur. [I]d ipsum vero in principio voluminis huius, cū de holocaustis ageretur, præcepit: nosque, quis præcepti huius mysterium, prout nobis visum est, tunc disseruimus, eadem repetere superfluum iudicamus. De pacificis quoq; eadem decernit quæ superius, non vt masculina sint, sed immaculata.

E Leuit. 1. Leuit. 3.

Homo, inquit, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit. Omnis macula non erit in eo.

O quam lugenda est humana ignorantia. Videmꝰ enim nonnullos, qui cum in seculari conuersatione se offerant Domino, si de facultatibus suis pauperibus tribuāt, in hoc se placituros existimant: cum sint fortassis adulterijs fœdi, crudeles in rapinis, in periurijs Dei ipsius contemptores: nec attendunt quod dicitur, *Qui obtulerit victimam pacificorum Domino, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.* Sed quia nec hanc partem in tractatu pacificorum prætermisimus, nunc tetigisse sufficiat. Notandū sane quod scriptum est, *omnis macula non erit in eo,* non nisi de capitalibus maculis accipiendum, quæ a regno Dei separant hominem, quas etiam lex ex parte subtus adiungit. ne falsum sit quod alibi dicitur, *non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens* &, *quoniam in multis offendimus omnes.* Sequitur:

F Psalm. 142. Iacob. 3.

Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, vel impetiginem, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini.

Easdem maculas quas in sacerdotibus supra notauerat, notat & in victimis: quia quod in offerentibus vitiosum est in his quoq; quæ illorum ministerio Domino præsentātur, reprehensibile est. Quod enim variatum videtur, cicatricis scilicet papularumq; interpositio, ad sacerdotum respicit lepram, de qua supra dixerat, vt si quis ex eis leprosus esset, sanctificatis vesci non præsumeret. Papulas namq; lex hulcera nominauit: quod & in tractatu lepræ supra ostendimꝰ, vbi in conclusione dicitur. *Hæc est lex omnis lepræ & percussuræ, lepræ vestium & domorum, cicatricis & erumpentium papularum.*

Leuit. 14.

G Cum igitur in victimis istis cicatrix reprehendi[tu]r, non illa accipiēda est, quæ perfectam recipit sanitatem: sed quæ ve[te]r[em] retinens immunditiam, maculam albam vel [ruf]am ostenderit: quod lepræ tractatum legentibus, manifestius fie[t] [illegible] lepra hulceris seu papularum, & est lepra cica[tricis] [illegible] quarum q[u]ælibet in pecore reperiatur, immundum est: non potest offerri, nec inter victimas connumerari. Scabies au[te]m quæ in hoc loco posita est, iugis scabies intelligitur, [qu]o[d] [i]n [il]lo ante manifestius expressum est. Scabies namque volatilis quæ cito recedit, non tanti ponderis est, vt [illegible] deputetur. Hinc enim in tractatu lepræ scriptum est: *Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute: mundabit hominem Sacerdos, quia scabies est: lauabitq; vestimenta sua, & mundus erit.* Hæc omnia laboriosam exigunt disputationem: sed quoniam diuersis in locis tractata meminimus, repetere nolumus, quæ repetere sine labore non possumus. Sequitur:

Leuit. 14.

H *Bouem & ouem, aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potest: votum autem ex his solui non potest.*

Mirari satis non valeo [illegible] quoties in stylo Spiritus sancti tantam sermonis [illegible] perpendo. Quid enim Domine Deus, si de boue aut oue cauda amputata fuerit, numquid non acceptabilis erit? Tanta igitur super huiusmodi victimis tibi solicitudo est, vt in pecoribus tibi immolandis attētius discutias, caudas an habeant an sine caudis adueniant? Sed cur ista loquimur? Notum est eruditis in doctrina tua, non esse tibi de bobus curam: miramur tamen misericors pater, imo [illegible] vt dictum est) satis mirari non possumus quod sapientia tua vt nostræ insipie[ntiæ] se conf[o]rmet [illegible] adeo se deponat, vt cum infantibus istis quodammo[d]o balbutiat. miramur, in vasis tam vilibus tantas seruari [di]uitias mira[illegible] mur, quod sermo tuus [illegible] apaci [illegible] ad [illegible] lum leuet coram minus capacibus [illegible] s [illegible] non leuet. Videamus itaq; quid sit quod d[illegible] em vel ouem, si autem vel caudam perdiderint, sponte po[illegible], votum vero ex eis non posse persolui. Adhuc si qui [illegible] victimarum d[is]cussio agitur. [illegible] itaq; obedientiam, in cauda vero quia finis est cor-

1. Corint. 9. Auris. Cauda.

poris,

A

potis, intellige perseuerantiam. Si enim homo in proposito suo vsque ad finem non permanet, caudam non habet. Si arbitrio suo velit viuere, nec alicui subdit⁹ esse, etiam nec autem habet. Si tamen huiusmodi hostiam sponte sua vffe-rat, placere poterit: si votũ soluas, sufficere nõ valebit. Verbi gratia: Vouisti continentiã ne carnes comedas, ne mulierem cognoscas: iam ad continentem vitam voti tui necessitate constringeris, vt iam aliud facere non possis, si Deũ irridere non vis. Si igitur vis soluere votum tuum, caudam necesse est habeat pecus tuum. Si non perseueraueris, victimã sine cauda obtulisti: ideoq; votum non persoluisti. Idem de aure intelligendum est. Si vouisti Deo obedientiã, vt alieno imperio subditus viuas, & alieno arbitrio quod agendũ est agas: necesse est vt quod vouisti, custodias. Si aliquando cõtra prælatum tuum contumax extiteris, & contempto ipsius imperio, tu quod tibi rectum videtur, agere volueris, victimam quidẽ offers: sed quia sine aure est, voto persoluẽdo sufficiens non est. In votis itaq; sicut maior est corona si cõpleantur, sic maior est reatus nisi consummentur. Vndique cõstringimur ad profectum, dum illinc gloria promittitur,

B

vt perseueremus hinc reatus intentatur, ne voto nostro quicquam subtrahere præsumamus. Si vero sine voto aliquid boni operis arripueris, corporis afflictionem, pauperum sollicitudinem vel aliquid huiusmodi: in arbitrio tuo positum est, quando facias, quando quiescas, nec perseuerare cogeris, quia non vouisti, nec alij iubenti subditus esse. Offers ergo victimam sine aure, sine cauda: nec tamen respuitur: quia non fecisti votum, cui consummando integritas illa necessaria iudicetur. Aliud iterum in victimarum examinatione consideratur.

Omne, inquit, *animal, quod vel contritis vel tonsis vel sectis ablatisq; testiculis est, non offeretis Domino. & in terra vestra hoc omnino ne faciatis.*

Miror si Iudæi hoc præceptum etiam in vitulis suis seruauerint, an forte tauri non sectis matrum potuerint pati quod dictum est, in terra vestra hoc omnino ne faciatis. Sed quo-

C

modocunq; populi illius se habuerit consuetudo, quid nobis Deus præceperit, non quid homo fecerit, considerandũ est. Primum itaque quæstio occurrit, cur Spiritus sanctus per legem in pecoribus abominetur, quod per Isaiam Prophetam in hominibus approbare videtur. Sic enim scriptũ

Isa. 56.

est: *Non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus.* Sic & in libro Sapientiæ:

Sapi. 3.

Felix, inquit, sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauerit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fides donum electum, & sors in tem-

Deut. 23.

plo Domini acceptissima. Moyses autem: *Non intrabit, inquit eunuchus attritis vel amputatis testiculis ecclesiam Domini.* Vnde & in hoc loco ipsa quoque animalia, quæ secta fuerint vel attrita, dicit non debere offerri. Fœcunditatem quoq; quasi pro magno bono repromittens: *Si custodieris, ait, præcepta Domini Dei tui, benedictus eris inter omnes populos: non erit apud te*

D

sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. Quæ est ista inter legem Prophetasq; contentio? Hinc sterilitas felix asseritur, laudatur continentia: illinc fœcunditas prædicatur. Nonne vnus spiritus per vtrosque locutus est? Vere vnus. Vbi enim non intelligentibus magna videtur discordia, intelligentibus magna apparet concordia.

Deut. 7.

Moyses namq; cum carnalem laudat propagationem, spiritus adumbrat fœcunditatem: quæ nec Isaiæ displicuit, vbi

Isa. 54.
Galat. 4.

ait: *Lauda sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum.* Item-

Isa. 26.
* & quasi.

que: *Domine, a timore tuo concepimus,* * *& parturiuimus & peperimus spiritum salutis.* Mosaica tamẽ traditio in generis multiplicatione suis temporib⁹ etiam carnaliter obseruata est: quoniam antiquus ille populus terrenis adhuc occupationibus irretitus, venturæ generationis iustitiam non solum in parabolis audiebat, sed etiam viuendo vmbram illius figuraliter obseruabat. Non igitur latebat Moysen quæ esset

Leu. 21.

dignitas virginitatis, cum summo Pontifica non viduam, nũ repudiatam, sed tantum virginem nubere concedebat. Nõ latebat eum quæ esset in thoro etiam maritali contamina-

E

tio, quam non experta sterilis illa & incoinquinata, per sa-

Sap. 3.

pientem felix esse perhibetur: cum post coitum, post par-

Leuit. 12.

tum, mulier purificari iubebatur. Non ergo legislatori cõ-

Isa. 56.

trarium sensit Isaias, cum eunuchos, qui scilicet propter re-

Matth. 19.

gnum cœlorum se castrassent, beatos asserit: sed claritatẽ vultus eius, non intuentibus reuelauit. Tanquam diceret: Videtur quidem vobis filij Israel, cum auditis in lege,

Deut. 23.

Non intrabit eunuchus ecclesiam Domini: cum auditis, *Maledictus qui non suscitauerit semen in Israel*. videtur inquam vobis, quod odibilis sit Deo virginitas, exectabilis continentia: sed no-

Isa. 56.

lite sic existimare, nolite sic credere, nescitis quo animo legislator hæc prosecutus sit, quia hæc dicit Dominus eunuchis, *qui custodierint sabbata mea, & ab opere corruptionis cessauerint. hæc sunt namque mea sabbata*, hoc est, mihi accepta: *& elegerint quæ volui*, illam videlicet optimam partem, quam maxime in eis amplector, vt sint & corpore sancti & Spiritu: *dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus*: ab his scilicet, qui inter electos sortem accepe-

F

runt, & hunc tamen gradum honoris ascendere non potuerunt. Iam igitur ad hoc quod proposueramus reuertendum est. Et quia diximus legislatorem suo more figuraliter loqui, debemus præcepti huius mysterium perscrutari. *Omne* (inquit) animal, *quod vel contritis vel tonsis vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino.* Hoc etiam de hominibus præcepit, sicut paulo ante commemorauimus: vt eunuch⁹ attritis vel amputatis testiculis, non intret ecclesiã Domini.

Deut. 23.

Notum est autem, eunuchos generare nõ posse. Generatio vero Deo acceptissima illa est, de qua dicit Apostolus: *In*

1. Cor. 4.

Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. In hac itaq; generatione, semen est verbum Dei.

Luc. 8.

Cuius seminis ministri, nisi irritabantur prolis desiderio, nisi spiritali amore succensi, lucrãdis animabus insudent: spadones vtiq; sunt, sterilitatis suæ rationem Domino reddituri: audituriq; quod audiuit ma-

Matth. 25.

lus ille seruus & piger, *Auferte ab eo talentum, & proijcite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus & stridor dentium.* De huiusmodi spadonibus loquitur filius Sirach.

Eccles. 20.

Concupiscentia, inquit,

G

spadonis deuirginauit iuuenculam: ita & qui facit per vim iudicium iniustum. Spado namq; virginem opprimens, non prolem quærit, quam scit se gignere nõ posse, sed suæ libidini seruit & virginem quam fœcundare non potest, potest tamẽ violare. Ita & doctor iracũdus, qui nullo ducitur filiorũ affectu: cum erga aliquem furore succenditur, immoderate vindicat, quicquid est illud vnde offenditur. Non igitur fructũ

Nota.

quærit, sed suæ iracũdiæ satisfacit: nec corrigere studet, sed punire: vnde & innocentium mentes corrumpit, quia ad suum odium illas accendit. Spadones ergo isti, Dei non intrant ecclesiam: quia diuino iudicio intra fidelium numerum non eunt, * quibus cum prodesse possunt, prodes-

* quis.
Deut. 23.

se contemnunt. Notandum autem quod dicitur, *eunuchus attritis vel amputatis testiculis*. In testiculis namque generandi affectio designatur. Hæc nonnunquam, licet assit, atteritur, cum doctor ad prædicandum spirituali desiderio trahitur: sed ne prædicare præsumat, alicuius potentis terrore com-

Ioan. 10.

primitur. Voce autem veritatis nõ pastor, sed mercenarius nominatur, qui videt lupum venientem, & fugit: videlicet

H

humano timore perterritus, cum loqui debeat, sub silentio se abscondit. Nonnullis vero omnem alieni profectus concupiscentiam negligentia subtrahit, dum sine charitate frigidi, de aliena vtilitate non cogitant: aut etiam inuidia abscidit, dum humanæ laudis cupidi, soli sapientes vel religiosi videri appetũt, & alios imitatores habere refugiũt. Hi igitur amputatos, illi vero attritos testiculos habẽt. Sed quia non de hominibus, sed de animalib⁹ loqui suscepimus, quæ cõtritis, tonsis vel sectis testiculis offerri Dño prohibentur: nunc ad simpliciores stylus vertẽdus est, qui docendi gratiã non perceperũt: sed per doctores imbuti, hostiæ dominicæ fieri meruerũt. His itaq; sicut & Doctoribus, cauendũ est, ne steriles inueniantur: quia licet doctoribus in fructu non valeãt æquari, sui tñ generis non debẽt fœcunditate priuari. Est.n. etiam in vno homine quodammodo coniugalis copula, dũ rõ mariti personã tenet, volũtas vero vices vxoris exercet. Maritus aũt iste quasi fontẽ seminis gestat, si memor diuinorũ eloquiorũ, seruat apud se vnde voluntatẽ grauidã reddat, & desideriũ illi bonæ operationis infundat. Hæc est namq; fœcunditas filiorum, si voluntas ad bene operandum in-

A flexa, io fructus prorumpat iustitiæ, pariens filios ex quibus secundam videat generationem, æternam scilicet in regno Psal. 127. Dei percipiens retributionem, sicut scriptum est *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Homo igitur qui verbi diuini memoriam perdidit, eunuchus est amputatis testiculis: quia non habet vnde mentem suam grauidam reddat, non habet vnde illi recte agendi affectum iniiciat. Contritos vero vel tonsos (id est læsus) testiculos habet, qui memoriam quidem verbi Dei possidet, sed inefficacē: dum graue iudicans quod præceptum est, ne surgere audeat, timore conteritur: aut forte dum vitiorum passionibus languet, nec surgere mens ægra conatur. Huiusmodi ergo animal idoneum non est ad dominicam oblationem, cū nullius boni operis habere studeat fœcunditatē. Summatim huius secundæ procreationis rationem perstrinximus, dum præmissæ disputationis prolixitatem consideramus. Hinc ad reliqua transeundum est. Sequitur:

B *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo, & quicquid aliud dare voluerit, quia corrupta & maculata sunt omnia: non suscipietis ea.*

Videmus hoc præceptum, sicut & multa cætera, à Iudæis non obseruatum. Legimus namque in diuersis historijs, à regibus alienigenis trāsmissa donaria, & in templum suscepta. In Machabæorum sic legitur: Igitur cum sancta ciuitas 2. Mach. 3. habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, fiebat vt ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerēt, & templū maximis muneribus illustrarent. ita vt Seleucus Asiæ rex, de redditib⁹ suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Sic & Hiram rex Tyri, 3. Reg. 5. ad domum Domini cōstruendam & artifices misit & ligna: nec à Salomone reiectus est, imo vt mitteret, exoratus. In Ezra quoque Cyrus rex legitur decreuisse, vt domus Dei in 1 Ezr. 6. Ierusalem ædificaretur, sumptus vero de domo regis darētur. Animaduerti igitur potest, nec tantum in hoc loco, sed & in alijs quampluribus, legis traditiones, à Iudæis minus C obseruatas: & à spiritalibus quidem viris, S. Spiritus hoc agebatur instinctu, vt iustitiæ in illis vmbra esse, non veritas intelligeretur: in carnalibus vero non erat dispensatio figurarum, sed contumax diuinorum violatio præceptorum. Nobis tamen quid præcipiat Deus, non quid populus agit, considerandum est, recordantibus quod Dominus ipse te- Matth. 5. status est: *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Quod itaque de manu alienigenæ panes vetat offerri, quod omnia quæ dare voluerit, prohibet suscipi, eo quod corrupta & maculata sint omnia: fidei commendatio est, sicut paulo ante super sanctificatis tractatū est, quod Hebr. 11. sine fide Deo placere nihil possit. *Fide enim mundantur corda* Act. 15. *nostra, fide opera sanctificantur: & quicquid ex fide non est, pecca-* Rom. 14 *tum est.* Quæri tamen potest de Cornelio centurione, quomodo antequam sacris mysterijs imbueretur, audiuit ab Act. 10. Angelo quod orationes suæ & eleemosynæ ascenderint in memoriam in cōspectu Domini. Sciendum itaq; quoniam à fide non prorsus alienus erat, qui iam Deum inuocare no- Rom. 10. uerat. Vtiq; esse credebat, quem inuocabat. *Quomodo enim,* inquit, *inuocabant, in quem non crediderant?* Sed quia etiam de D humanitate Christi famam audierat, quod aperte indicant verba Apostoli, his qui in domo illius conuenerant prædicantis: *Vos scitis,* inquit, *quod factum est verbum per vniuersam* Act. 10. *Iudæam.* Incipiens enim à Galilæa post baptismū quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth: pro salute sua solicitus, hoc ipsum (quantum æstimo) precabatur, vt quod sibi in hac parte deerat, perficeretur. Merito ergo quasi domesticus exauditus est, qui & de creatoris fide iam veraciter sentiebat: & quod sibi ad fidei plenitudinem minus erat, perfici postulabat.

Vt nullum pecus ante octauum diem Domino offeratur.

Cap. VI.

LOquutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: *Bos, ouis & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub hubere matris suæ. Die autem octauo & deinceps, offerri poterunt Domino.*

Cum gemina sit homini collata natiuitas, prima qua mundo huic nascitur, secunda qua in Deum renascitur: duplex patet intellectus, vt illam dicamus matrem quæ prima nos aluit, carnalem scilicet conuersationem: cui se renunciasse gloriatur Apostolus, dicens: *Cum autem placuit ei qui* Galat. 1. *me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, continuo non acquieui carni & sanguini:* & matrem dicamus ecclesiam, quæ quos prima morti genuit, regenerando vitæ restituit. Si igitur ad primam natiuitatem respicimus, omnes nos septem diebus sub hubere matris sumus: quia quamdiu vitam istam quæ septem diebus agitur, solam diligimus, solis pascimur huberibus carnis, præter cuius voluptates nihil appetimus. Sed toto hoc tempore Domino offerri non possumus, respuit enim ipse huiusmodi oblationem, testante Apostolo: quia *qui in* Rom. 8. *carne sunt, Deo placere non possunt.* A die vero octaua & deinceps nostra oblatio non respuitur: quia quisquis futuræ vitæ fidem receperit, & contemptis præsentibus æterna quæsierit, iam placet creatori, cum sub promissionis eius expectatione cœperit iustificari. Videamus & de matre ecclesia, quomodo sub huberibus eius constituti, ad oblationē dominicam minus sumus idonei. Sunt enim nonnulli quibus per Apostolum dicitur: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis* 1. Cor. 3. *potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis.* Quod vero septem diebus his nos oporteat huberibus enutriri, docet idem Apostolus, cum causam imbecillitatis nostræ subiungit, dicens: *Adhuc enim estis carnales. Car-* Ibidem. *nales* (inquit) *estis,* id est, carnis vestræ sensibus dediti, tanquā diceret: Nondum septem dierum spatium excessistis, quādiu mentē vestram rerum temporaliū phantasmatibus occupatis. Ideo lacte alendi estis, nō solido cibo: quia quicquid de inuisibilibus loquimur, credere quidem potestis, sed capere nondum valetis. Septem igitur diebus iuxta legis præceptum, vnusquisq; nostrum sub maternis hubetib⁹ continendus est: vt quādiu præter temporalia cogitare nihil potest, doctrina simplici nutriatur, cui capacitatis eius mēsura sufficere videatur. Die vero octaua tādem Domino poterit G præsentari, cum renouatus spiritu mentis suæ, & spiritualis Ephes. 4. effectus, ad inuisibilia cōtemplanda surrexerit: mane cum Psalmista Domino assistens, & inuisibilia ipsius per ea quæ Psalm. 5. facta sunt, intellecta conspiciens. In hac bipartita exposi- Rom. 1. tione, quæ pars magis placeat, lectoris reseruamus arbitrio. Sequitur:

Sine illa bos, siue illa ouis, nō immolabuntur vna die cū fœtib. suis.

Quid causæ putamus esse, vt cū fœtibus suis bos aut ouis non possit immolari? Quid enim contrarietatis affert sanctificatio filiorum, vt non eadem die fieri possit & parentū? *Iuuenes,* inquit, *& virgines, senes cum iunioribus, laudent nomē Do-* Psalm. 148. *mini.* Omnes pariter admittit, qui omniū vitam quærit. Cur ergo in oblationem dominicam, matres cū fœtibus cōuenire non possunt? Quæramus alias capituli huius intelligētiā, redeamus ad nos, & inueniem⁹ in moribus, quod in diuersitate personarū inuenire non possumus. Paulo ante, si bene recolimus, tractatū est, quia mens iusti verbo Dei grauidata parit, cū bona voluntas in sanctas actiones prorumpit. Hæc est mater, hi sunt fœtus illius quos Deo immolat, cū in exteriori conuersatione sua, quicqd Dei legibus contrariū inuenit, pro posse suo trucidat. Sed cū iam lingua cessat à periurio, falsum testimoniū refugit, manus cessat à furto: gula crapulā, ebrietatemq; repellit, cum iam corp⁹ fornicationi subtrahitur, & omnis actio nostra iuxta legis diuinæ regulā castigatur: tunc primū vitia altis sensibus radicata, quia prorumpere prohibentur, totus sæuiunt, & mentem renitentē suis tentationib⁹ lacessunt. Iam igitur fœtus suos mater ista Domino mactauit, sed circa seipsam grauis ei labor est; qa voluptatū memoriam, quibus diu sponte se subdidit, cū ad Deū tendere nititur, etiam inuita gemensq; molestiā sentit. Non est res ignota quā loquimur: vnusquisq; qui hoc opus aggressus est, quod audit, in se recognoscit. Quasi ergo cōsolans nos spiritus Dei, ne desperet quis, cum in affectibus suis tantam contradictionē offendit: *Bos,* inquit, *vel ouis non immolabuntur vna die cum fœtibus suis.* Tanquam diceret. Cum iam recepta in verbis actibusq; disciplina, insurgentia contra vos vitiorum certamina sustinetis, nemo terreatur, nam absconditam cordium vestrorum, imbecillitatem virium vestrarum, fieri non potest, vt vna die mater cum fœtibus immoletur.

A moletur. Quia tamen summa intentione studendum est, vt compresso tentationum tumultu, interiora nostra pacificentur; dum enim viuimus, tempus est proficiendi, qui verò ad laborandū hic piger fuerit, vitæ huius spatijs transmissis, hāc laboris sui opportunitatem recuperare non poterit, recte subiungitur:

Si immolaueritis hostiam pro gratiarum actione Domino, vt possit esse placabilis, eadem die comedetis eam, non remanebit quicquam in mane alterius diei.

De hostia gratiarum qui plenius cupit instrui, in libro quinto capitulo primo requirat: ibi inuenturus est, quare ista hostia, curque in mane alterius diei non sit reseruanda. Quod tamen præsens locus exigere videtur, paucis verbis comprehendimus. Excitare nos volens, vt ad mundandam conscientiam nostram pigri non simus, admonet vt si pro gratiarū actione hostiam immolamus, prima die edatur, & nihil ex ea diei posteræ reseruetur. Tanquam diceret: Labor quidem imminet vobis, dum vitia vestra mortificatis, sed si beneficijs eius respondere vultis, qui pro vita B vestra mori dignatus est, dum tempus habetis, facite quod iubet, nec differre velitis. Quod si dilatum fuerit, mane sequenti illucescente iam facere nō potestis. Quia vero quod præcipiebat, non intelligentibus superfluum posset videri: autoritate sua premit eos, cum subiungit:

Ego Dominus. Custodite mandata mea, & facite ea.

Custodite & facite, id est, faciendo custodite. Nil abijciatis, nihil contemnendum ducatis. ego enim Dominus. Addit etiam quasi minas intentans:

Ego Dominus. Ne polluatis nomen meum sanctum, vt sanctificer in medio filiorum Israel.

Vt sanctificer, inquit, id est, vt sanctus habeat. sicut & in Matth. 6. oratione quotidiana rogamus patrem, vt sanctificetur nomen eius: videlicet, vt sanctitas nominis eius mundo innotescat. *Ne ergo*, inquit, *polluatis nomen meum, vt sanctificer in medio filiorum Israel* Nonnunquam etenim ex prauitate seruorum, Dominus ipse contemnitur, sicut scriptum est: Rom. 2. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Ne vero ad obseruationem Isa. 52. mandatorum eius se inualidos arbitrarentur, C benigna satis ac frequenti adiutorij sui pollicitatione in spem eos erigit, cum subiungit:

Ego Dominus qui sanctifico vos.

Et vt de promissione ista dubitare non debeant, etiam præterita beneficia sua eis ad memoriam reuocat, dicens:

Et eduxi de terra Aegypti, vt essem vobis in Deum.

Vt vero amplius gratiam istam commendet, quod super omnes ipse sit, qui Deus illorum esse dignatus est, paucis verbis innuit, cum subiungit:

Ego Dominus.

Hinc ad nouam materiam mens erigenda est: & de solennitatibus filiorum Israel locuturi, ipsarum primus solennitatum institutorem, vt congruum materiei dignetur impartiri sermonem.

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,

D

LIBER XVI.

PRAEFATIO.



Autoritas habet scripturarum hominem à Deo [illegible] plasmatum in paradiso collocatum fuisse, plenam voluptate omnimoda regionem [illegible]titum: in qua & corporis incolumitate, & sensuum integritate, omnibusque quæ sensibus ipsis iucunditatem af[fe]rre potuissent, abundantia lætaretur, a[nge]lorum frequenti foueretur Gen. 3. alloquio: diuinis [illegible] [m]ysterijs, si Deo subditus perstitisset, omnis [illegible] beatitudo cumularetur. Ab hac felicitate quam creatoris perceperat gratia infelix ille merito suo proiectus est, qui gratiæ ingratus extitit, qui aduersus bonitatem patris ceruicem erexit,

E dum aius impio mulieris vocem præposuit. Exinde voluptates illæ spinarum tribulorumq; punctionibus commutatæ sunt: corporis valetudo, in languores innumeros delapsa. prima abundantia, ad summam redacta inopiā. mori cogitur, cui vita indeficiens parabatur. Angelorum familiaritate priuatus, ex Dei amico, factus inimicus. In his itaque iam constitutus, adhuc indicat, quod prima sua cōditione ad perēnem sit creatus lætitiam, cum etiam in conuallem lachrymarum proiectus, lachrymas refugit: & naturali cordis motu gaudia semper quærit, flentium dolore circumsitus, & suis ipse miserijs oppressus. Hoc est tamē vnde magis cōtra se indignationis Domini iustitiam exacerbat! quia percussus non dolet, attritus dissimulat, & sub manu flagellantis humiliari recusat. Hinc .n. Propheta Ieremias queritur, dicens. *Domine, percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies* Iere. 5. *suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Homo igitur postquam dereliquit venam aquarum viuentium, delicias indeficiētes, aquas de quibus supra iusto dicitur, Aquæ eius fideles Isai. 33. sunt: fodit sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ non pos- Iere. 2. sunt aquas continere: quia cum magna solicitudine pro- F curat sibi rerum temporalium abundantiam, vnde fugitiuam percipiat voluptatem, quas nō ad hoc possidet, vt earum beneficio corporis infirmitas auferatur, morum prauitas corrigatur, mors deniq; repellatur: sed vt [illegible] interiore sensu animæ quadam ebrietate sopito, omnis hæc necessitas ab eis etiam qui sustinent, nō intelligatur. Hoc mihi videtur significasse scriptura, vbi ait, *quia egressus Cain à* Gen. 4. *facie Domini, habitabat in terra profugus ad orientalem plagam Eden.* Eden namque locus est voluptatis. Reprobi igitur de loco veræ voluptatis electi, in orientali se parte constituunt dum trā[n]sitoria prosperitate decepti quid perdiderint non aduertunt, sed se quasi in loco magnæ felicitatis attendūt. Hinc est quod [illegible]mo dum mortem suam non sentit, nullā solicitudinem sui gerit. sicq; in breui dum negligit, ad illos dolores pertrahi[tu]r, quos præ sui magnitudine dissimulare non pe[rmi]ttatur & in qui[bus] etiam euadendi exitus non reperiatur. Hac de causa sacræ paginæ voluptatum ebrietatē conde[m]nant, dique [illegible] interdicunt, dicente Domino. *Væ vobis [illegible] qui [h]ab[eti]s consolationem vestram.* &, *Væ vobis qui ride-* G *tis nunc quia plorabitis*: vt homo sibi derelictus, se tandem Luc. 6. inueni[a]t. & mendacio [s]p[o]liatus, sibi innotescat. Hic est nostræ religionis finis, hæc sanctorum exercitiorum vtilitas, cui militare debet renunciatio facultatum, extirpatio voluptatum, habitus vilitas: vt priusquam mors cadaueris[q]ue fœtor hoc clamet, damnatum se homo intelligat, exulem sentiat: & de profundis ad eum qui subuenire potest: exclamet, sicut scriptum est. *Tribulationem & dolorem inueni, &* Psal. 115. *nomē Domini inuocaui.* Et alius Propheta: *Ego, inquit, vir videns* Thren. 4. *paupertatem meam in virga indignationis eius.* Sancti igitur quādiu Dei manum grauem sentiunt, flere dulce habent. [Ri]sus ipsos quos redire conspiciunt, plangunt: *quia risum*, inquit, Eccles. 2. *deputaui errorem, & gaudio dixi. Quid frustra deciperis?* Sed sicut gaudium stultorum perpetuum inuenit luctum, sic iustorū tristitia perpetua motatur lætitia: gaudium .n. & lætitiā obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Quis aūt etiam in p̄senti Isai. 35. gaudia possit æstimare sanctorum? Secundum nanq; mul- Psalm. 93. titudinem dolorum qui in eorum cordibus abundant, cō- H solationes diuinæ lætificant animas eorum. Vnde scriptū est. *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Prou. 31. Gaudent enim Dei serui, cum ab antiquo iugo se sentiunt releuari, laboribus superfluis renunciantes, vt iuxta quod scriptum est, *ingrediantur in abundantia sepulchrum, sicut infer-* Iob. 5. *tur aceruus in tempore suo.* Hæc sabbati celebratio est. Gaudēt cum pretium suum attendunt: qui tanti habiti sunt, vt redimerentur reus homo Dei morte, cuius gloriæ merito collætantur. Quem enim pro salute sua mortem subisse cognouerant, iam de ipsa morte triumphasse non dubitant. Hæc est paschalis celebritas, de qua post sabbatum secundo loco tractabitur. Tertiam vero in spe sua Dei populus habet solennitatem, qua tenens Domini sui fidelissimā promissionem, dicentis: *Ego viuo, & vos viuetis* gloriam quæ præces- Ioan. 14. sit in suo capite, sperat se assecuturum sub temporum consummatione. Hæc beata sanctorum expectatio, sub quinquagesimæ tegitur sacramēto, cur lex post pascha primum

A locum dedit, sicut sequens lectio declarabit. Sequuntur
deinde septimi mensis festiuitates: quia populus Christia-
nus præter spei suæ gaudia, in qua iam se saluatum præsu-
mit, etiam in præsenti pignus accipit spiritus sancti, arram
Psalm 45. futurorum bonorum: quia fluminis impetu dei ciuitas læ-
tificatur, eiusdem spiritus ditata muneribus: dum *alij datur*
1. Cor. 13. *sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratia curationum*: & quod
voluptates omnes antecedit, cunctisque supereminet cha-
rismatibus, ex ipsius spiritus gratia, delicias possidet charitatis.
Sed iam ad literæ textum descendere nos oportet:
& quæ sequuntur ex ordine pertractare.

De solennitatibus filiorum Israel, quarum prima ponitur septimo dies obseruatio.

CAP. I.

B Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: *Loquere filijs Israel,*
Leuitici *& dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex*
ca. XXIII. *diebus facietis opus: dies septimus quia sabbati requies est, vocabitur*
sanctus. Omne opus non facietis in eo, sabbatum Domini est in cunctis
habitationibus vestris.

Magna legislatori, imo spiritui qui per eum loquebatur,
super sabbati obseruatione solicitudo, frequensque huius
præcepti repetitio est. Post præuaricationis namque reatum
Gen. 3. homo laboribus addictus, dicente Domino, *In sudore vultus*
tui comedes panem tuum: dum visibilium trahitur cupiditate,
necessitatem vertit in voluntatem: cæcatusque ignorantia,
dum nescit quanta quietis amissæ iucunditas fuerit, labo-
randi etiam consuetudine quodam modo debilitatus, vo-
luptati deputat laborem, qui ex iudicis sententia laboris
sustinet damnationem. Prius ergo compescenda fuerat in-
sana laborandi cupiditas, deinde necessitas releuanda.
Hinc est quod sacra scriptura nunc obseruari sabbatum præ-
cipit, nunc autem laborantibus sabbatum repromittit. In-
quietos namque ad quietem, præcepti sui autoritate restrin-
git: fessis vero & iam quietem suspirantibus post sanctos la-
Heb. 4. bores quiescendum prædicit. Habes in Apostolo, quia re-
C linquitur sabbatissimus populo Dei. *Ingredimur enim*, in-
quit, *in requiem nos qui credidimus.* Sed & in Apocalypsi sua
Apoc. 14. Beatus Ioannes: *Beati*, inquit, *mortui qui in Domino moriuntur*
amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Triplex
vero est sabbati figura, nam in præsenti vita dupliciter ob-
seruatur, in futuram autem sabbatum sabbatorum Deo (vt
Isai. 66. diximus) promittente, speratur. *Erit enim*, sicut vt Isaias te-
statur, *mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato.* In mense siqui-
dem fit dierum collectio: Dies autem virtus intelligitur,
sicut & peccatum nox. Quantumcunque ergo iustus dum
hic viuit, virtutibus abundet: illi tamen virtutum plenitudini
Psalm 64. non valet æquari, cum replebimur in bonis domus Dei: quia
mensis ille erit ex mense, i. à mensium cæterorum exceptus
numero, & omnem vitæ præsentis transcendens profectum
sanctitatis perfectum. Erit & sabbatum ex sabbato, quia san-
ctorum quies hic inchoatur, illic vero qualibet ex parte
perficitur. In huius sacræ perfectæque pausationis myste-
rium, videtur hic sabbati celebritas introduci, cum dicitur
filijs Israel, *Sex diebus facietis opus. dies septimus, quia sabbati re-*
D *quies est vocabitur sanctus.* Per sex quippe huius mundi æta-
tes, iusti laboribus afficiuntur, operantes opus Dei: dum si-
bi inuicem per charitatem seruiunt, dum carnem domant,
corpori necessaria procurant. Sed sicut sex diebus fecit
Deus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, &
requieuit die septimo, sicut Christus sexta feria in cruce
positus compleuit opus suum, dicens post propinatum a-
Ioan. 19. cetum, *Consummatum est*, sabbato autem quieuit in sepul-
chro: sic & iustis omnibus in mundo pressura, in mundo
labor indicitur: sed post mundi finem, qui (vt dictum est)
per sex ætates quasi per sex dies partitur, in septima eis re-
quies perfecta seruatur. Cuius imago iam sub sacramento
prætenditur, cum de sabbati obseruatione dicitur filijs Israel:
Omne opus non facietis in eo, sabbatum Domini est in cunctis habita-
tionibus vestris. Nulla quippe tunc erunt in illa beata ciuitate
necessitatis opera, sed sabbatum Domini celebrabitur in
cunctis habitationibus filiorum Israel, cum ad laudes eius
Psalm. 83. vbique vacabitur sicut iam promissum est: *Beati qui habitant in domo*
tua Domine in secula seculorum laudabunt te. Sub hac [illegible] E
iam Exodus sabbati tradit obseruationem, de cælo loquen-
te Domino atque dicente: *Memento vt diem sabbati sanctifices.* Exo. 20.
Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die
sabbatum est Domini Dei tui. non facies in eo omne opus tu & filius
tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & ad-
uena qui est intra portas tuas. In cælestis etiam panis collectio-
ne, dum manna illud à filijs Israel congregatur, præcipitur Exod. 16.
eis vt sex diebus colligant, sexto tamen duplices sibi cibos
procurent. *Nam die*, inquit, *septimo sabbatum Domini est, ideirco*
non inuenietur. Vbi manifesta generis humani figura præ-
tenditur, quod quinque ætatibus quasi diebus quinque qui
Christi præcesserunt aduentum nonnisi simplices sibi col-
legit cibos: quia vitam nesciens futuram, huic tantum ne-
cessaria procurabat. Sexta vero per Christi doctrinam audi-
ta & credita cælestis regni prædicatione, viuens ex fide, iu-
stis se pascit laboribus, & iustitiæ ipsius retributionem, per
quam in æternum viuat, in septima se adepturum confidit:
Itaque nunc duplices cibos colligit, cum in diuinis eloquijs F
(hoc est siquidem manna cæleste) & præsentis fidei sancti-
tatem, & futuræ vitæ sibi procurat beatitudinem. In septi-
ma vero non reperietur: quia post vitæ consummationem,
sanctorum quidem laborum merces redditur, sed labo-
randi amplius nulla opportunitas inuenietur. Vnde scri-
ptum est: *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud* Eccle. 14.
inferos inuenire cibos. Hoc est sabbati magnum & præcipuum
sacramentum, de quo recte dicitur, *quia dies hic septimus san-*
ctus vocabitur: integer videlicet & incorruptus, cum nec ani-
mæ nostræ per concupiscentiam, nec corpora violabuntur
per infirmitatem. Vnde & quod præmissum est, *Hæ sunt feriæ*
Domini quas vocabitis sanctas, ad distinctionem dicitur carnalium
gaudiorum: quæ quia mentem corrumpunt, sancta dici non
possunt. Porro dominicæ feriæ non immerito dicuntur san-
ctæ: quoniam lætitia spiritualis nos sanctificat, dum diuinam
in nobis charitatem restaurat. Sed quoniam supradiximus,
etiam in præsenti sabbati figuram dupliciter obseruari, &
nos iuuat, & nostræ propositionis lex hoc expostulat, vt ge-
minæ huius obseruationis rationem explicare non pigeat. G
Obseruamus igitur sabbatum dum hic viuimus, si ab illici-
tis quibusque temperemus, sicut scriptum est. *Lauamini,* Isai. 1.
mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis,
quiescite agere peruerse. Hoc sabbati mysterium lex nobis in-
nuit, cum opus seruile sabbatis interdicit. Opus enim seruile,
peccatum est. Nam *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Opus Ioan. 8.
ergo seruile non facit, qui peccare desistit. Superius quoque Leu. 19.
cum præcepisset Dominus, dicens: *Ne prostituas filiam tuam, ne con-*
taminetur terra & impleatur piaculo: continuo subiunxit, *Sab-*
bata mea custodite: ostendens hanc esse veram sabbati obser-
uationem, si cuiuslibet immunditiæ declinemus contagio-
nem. Ieremias quoque Propheta hoc sabbati sacramentum
plenius nobis exponit, dicens: *Hæc dicit Dominus ad me: Va-*
de & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur & egrediun- Iere. 17.
tur reges Iuda, & dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda &
omnis Iudæa, cunctique habitatores Ierusalem, qui ingredimini per
portas istas. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, & nolite
portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem.
& nolite eijcere onera de domibus vestris in die sabbati. Si recor- H
demur Psalmistæ dicentis, *quoniam iniquitates meæ sicut onus* Psal. 37.
graue grauatæ sunt super me, intelligimus omne peccatum pon-
derosum esse. Ierusalem vero i. visio pacis, debet esse anima
nostra, ciuitas vtique quam Deus inhabitare dignetur,
si nihil in illa videat vnde offendatur. Vt autem pacem ve-
ram cum Deo possideat, & fiat in pace illius Dei locus, cauen-
dum ei ne leuet super se pondus graue, pondus iniquitatis:
quo depressa in terram, facies eius cælum non possit at-
tendere, nec ad Deum mentis oculos eleuare. Præcipitur etiam
vt non inferamus pondera hæc per portas Ierusalem, nec eij-
ciamus ea de domib. nostris. Portæ autem mentis nostræ-
rum, sensus sunt corporis: per quos ad hæc sensibilia exeunt
& sensibilium imagines ad se introducunt. Per has ergo
portas in Ierusalem pondus infertur, cum per sensus ex-
teriores praua concupiscentia ad conscientiæ secretum ad-
mittitur, in quo sibi prospexisse iustus ille cognoscitur, qui
ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de vir-* Iob 31.
gine. De domibus quoque nostris eijcimus onera

A Luc. 7. communiter concepta iniquitas, laxatis sensibus membrisque expositis, ad opus prauum perducitur: & adolescens ille euangelicus per portam ciuitatis Naim, id est, animæ sensuum, mortuus effertur. Nam nec hanc cautelam sibi præterisse supradictus vir significat: Iob. 31. *Si secutum est, inquit, oculos meos cor meum, & in manibus meis adhæsit macula.* Cum enim tentatio intus exoritur, nisi diligens sensibus adhibeatur custodia: repente corruptio mentis, transit in maculam actionis. Sabbati itaque celebratio prophetica authoritate hoc à nobis exigit, vt peccati iugum summa intentione declinantes, nouis illicitis desiderijs nec ab exterioribus ad conscientiam recipiamus, nec intus conceptum, vt prodire valeat, relaxemus. Hæc autem sacra pausatio merito diei septimæ attributa est: quia libertas illa nõ nisi per Spiritus S. gratiam possidetur, cui septenarius numerus consecratus Isai. 10. est. Vt enim testatur Isaias, *computrescet iugum a facie olei*, quia mens nostra mox vt sancti spiritus perceperit unctionem, antiquam peccati reijcit dominationem. Habemus itaque B primam sabbati figuram: quæ tunc demum in nobis expletur, si perfecte ab illicitis quiescatur. Restat secunda sabbati obseruatio, quæ non solum praua quæque satagit declinare, sed omnes tumultus refugit seculares, vt studijs spiritualibus liberius possit vacare. Eccles. 38. *Sapientiam enim, inquit, scribe in tempore otij: & qui minoratur actu, percipiet illam.* Hinc est etiam quod paulo ante commemorauimus, quia ingreditur Iob. 5. homo in abundantia sepulchrum, cum abscondit eum in Psal. 30. abscondito faciei diuinæ à conturbatione hominum, dum quasi foris moritur, interius vltra quam ab incapertis credi possit, spiritus fructibus locupletatur. De huius sabbati excellentia, Propheta Iezechiel in operis sui visione postrema, nos instruit, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus.* Porta atrij interioris quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit, die autem sabbati aperietur. Alia est latitudo exterior, qua sensus carnis diffunditur, dum multiplices corporis formas aut percipit, aut iam perceptas recolit: alia interior, dum in diuinarum rerum contem- C platione animus dilatatur, quo non nisi purgatæ mentis acie penetratur. Porta igitur atrij interioris, quæ orientem respicit, id est, quæ spiritualis intelligentiæ solem admittit, sex diebus clauditur, in quibus opus fit: quia diuinorum cognitio non nisi quietis & vacantibus aperitur. Vnde scri- Psalm. 45 ptum est: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Martha nanLuc. 10. que dum solicita est erga plurima, perturbatur: & Lia, id est, Gen. 29. laboriosæ acies, ne subtiliora perspiciat, sub lippitudine præpeditur. Sabbati vero die porta hæc de qua loquimur, aperitur: quia pulchra facie Rachel corde vigilat dum exterius Ibidem. conopitur: & patriarchæ Iacob, dum in Bethel quiescit, po- Gen. 28. sito ad caput lapide, cœlestia secreta produntur. Iam igitur manifestum existimo, quod nos ostensuros spopondimus: iuxta profectum puritatemque sanctorum, varie sabbati ferias, etiam dum hic viuitur, obseruari: & si debitum persoluimus, hinc ad reliqua pertractanda debet intentio reuocari.

De paschalibus ferijs.

C a p. II.

D *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.*

Hucusque de sabbato tractatum est, quod singulis hebdomadibus dierum ordine reuoluto lex celebrandum decreuit: nunc ad reliquas solennitates transitur, quæ semel in anno suis temporibus obseruantur.

Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum phase Domini est.

De solennitatibus filiorum Israel tractaturus legislator, merito ab illius morte incipit, qui moriendo mortuis vitam restituit: & perpetuo luctu damnatos, ad perenne gaudium 1. Cor. 15. reuocauit. *Per hominem enim mors, & per hominem resurrectio mortuorum: sicut namque in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Huius itaque crucem mortemque præfigurans Moyses, velata vultus sui charitate, *Mense*, inquit, *primo quartadecima die mensis ad vesperum, phase Domini est.* Phase Hebræum est & transitus interpretatur. Si igitur

E Ioan. 13. vis agnoscere quis sit Dominus, cuius hic transitus commemoratur, recole verba Euangelistæ: *Sciens*, inquit, *Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.* Huius itaque transitus sub agni paschalis immolatione, præsignabatur transitus veri agni, qui tulit peccatum mundi. Primo mense, id est, luna Aprilis, quando resoluta hyemis asperitate, in varios fetus tellus effunditur: quia Christo passo in cruce, ac passione illius sacrosancta per populos diuulgata, vt fidem eius recepit, mox ad fructum iustitiæ mundus resurrexit. Cur vero immolationi agni legalis, luna quartadecima deputata sit, iam quidem longe superius reddita est ratio: sed tamen nobis ab re creditur, si repetatur. Quartadecima igitur die ad vesperum, dum sol in occasum flectitur, luna in oriente plena, luminis sui integritate ad alta sustollitur. Luna autem ecclesia est. Huius sponsus Christus sol iustitiæ, cum pro eius redemptione mortis occasum petijt, illa de dominationis suæ barathro, sanguine illius à F sordibus suis abluta consurgit. *Quæ est, inquit, ista quæ* Cant. 6. *progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna? Mense ergo primo, quartadecima die mensis ad vesperum, phase Domini est.*

Et quintadecima die mensis huius, solennitas azymorum Domini est.

Notandum quod vespera quartadecima nihil de solennitate loquitur legislator: sed tantum *phase*, inquit, *Domini est.* Transitus quippe ille non solennis, sed lugubris beatis Apostolis fuit: sicut etiam ipse Dominus prænunciauerat eis, dicens: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos,* Ioan. 16. *mundus autem gaudebit.* Vespera vero hæc nõ vnius diei fuit, sed quandiu sol noster sub occasu mortis latuit, donec ad resurrectionis ortum reuersus est, mœstitiæ nox discipulorum mentes obruit. Porro quintadecima die cum Christus surgens ex mortuis, & animæ suæ impassibilitate quam passibilem sibi ipse assumpserat, & corporis incorruptione, quod ante corruptibile fuerat, patris sui que largitate percepit: hoc enim septem & octo signant, ex quibus quindecim constant: tunc primo passio illius solennis apparuit, cum manifestata resurrectio, discipulorum tristitiam in G gaudium vertit. Sed nec illud prætereundum videtur, quod non dixerit, solennitas Domini est, sed, *solennitas azymorum Domini est.* Azymi quippe Domini sunt, quibus Apostolus loquitur, dicens: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua con-* 1 Corint. 5. *spersio, sicut estis azymi.* Fideles quippe per resurrectionem Christi iustificati, resurgentes enim cum illo, quæ sursum sunt sapiunt, & iam in nouitate vitæ ambulantes, illi sunt azymi, *purgato veteris fermenti malitiæ & nequitiæ, epulantes in azymis synceritatis & veritatis*: synceritatis, propter castam vitam: veritatis, propter fidem rectam. Horum igitur azymorum in dominica resurrectione solennitas habetur, cum & ipsi de redemptoris sui gloria lætantur, & vicissim de eorum profectibus ipse gratulatur. Quam mutuam capitis membrorumque lætitiam, Ieremias nobis ostendit, dicens: *Hæc* Ierem. 31. *dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda & in vrbibus eius, cum conuertero captiuitatem eorum.* Terram Iuda, intellige reliquias quæ ex illo populo per electionem gratiæ saluæ factæ sũt. Vrbes vero eius ecclesias, H quæ per orbem terrarũ ab Apostolis fundatæ sunt. *Dicent* Ibidem. ergo, inquit, *in terra Iuda & in vrbibus eius: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. & habitabunt in eo Iudas, & omnes ciuitates eius simul.* Quis est mons sanctus, pulchritudo iustitiæ, cui benedicunt Iudæi cum gentibus, in cuius fide & dilectione requiescit omnis credentium populus simul, nisi mons Domus Domini, Christus Dominus Isai. 2. *speciosus forma præ filijs hominum*, qui omne eleuatur super colles, & fluunt ad eum omnes gentes? Sed quia in his verbis Psalm. 44. apparuit, quæ sit super illo suorum lætitia, mox ex eius persona loqui incipit. Et quoniam videns pretium mortis suæ redemptorum salutem, ipsam suam amplectatur mortem, gaudetque se sic obdormisse, cum ex somno illo tanta milleis salus peruenerit, subsequenter exponit, dicens: *Quia inebriaui animam lassam, & omnem animam esurientem saturaui: ideo quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis* Ierem. 31. *mihi.* Quintadecima ergo die mensis huius, solennitas azymorum Domini est. Sed quia ab hac incipiens die, multis protendebatur diebus, ipsum dierum numerum exprimit, cum subiungit: *Septem diebus azyma comedetis.* Septem die-

A bus vita nostra temporalis designatur, quia septem diebus tempus omne voluitur, dum euoluto circulo ad principium rursus redditur. Notissimum est & frequens in scripturis, hoc septenarij numeri sacramentum. Septem ergo diebus azyma comedimus, si recepta Christi fide, omni vita nostra (iuxta Apostoli præceptum) *in azymis sinceritatis & veritatis* (1.Cor 5.) *epulemur*: vt nec in fide nostra recipiamus fermentum falsitatis, nec in moribus iniquitatis. Sequitur:

Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque. Omne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus seruile facietis in eo.

Testis est euangelica autoritas, gaudium esse Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. (Luc. 15.) Ipsa igitur conuersio nostra mox vt ab iniquitate resipiscimus, Deo nostro Angelisque eius solennis est: (Luc. 15.) quia pater pijssimus prodigum filium etiam [illegible] partem substantiæ quam ab eo acceperat, cum meretricibus consumpsit, reuertentem tamen B lætus suscipit, & obuius exit. proferri stolam primam iubet, vt nudus vestiatur: occidit vitulum saginatum, vt eius eluries efficiatur. *Manducemus*, inquit, *& epulemur: quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Prima ergo (vt diximus) dies azymorum nostrorum, cum scilicet vitæ puritatem amplectimur, celebris atque festiua est: sed septima, id est, postrema, multo celebrior. quia incipientibus, de progressu ne deficiant, valde timendum est, eo quod incertus sit vitæ nostræ cursus, lateatque vnumquemque, quid crastina pariat dies: qui autem laborum suorum finem attigit, lætus cum Apostolo decantat: (2.Tim.4.) *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Notandum tamen, quod de vtraque die prima & septima dicitur, *Omne opus seruile non facietis in ea*, aliter atque aliter intelligendum esse. Aliter namque prima dies in proficientibus innocentiam seruat, aliter septima. Prima nanque vt non peccet, aut certe vt rarissime peccet, summopere nititur: vltima, si ad perfectionem perueniat quis, hoc adipiscitur. Prima ergo libertatem habet in affectu, vltima in ef- C fectu. Quapropter, vt ait quidam, diu laborandum est, vt sit bona mens, quod est bona voluntas. Plus enim, inquit, laboris est vt proposita custodias, quam vt honesta proponas. (Iob. 39.) Cæterum sicut diuina testatur scriptura, *equus Dei quasi locusta suscitatur*: quia animæ cui nuper ordiri Deus præsidet, quando Deum sequi incipit, in ipso suo exordio in quibusdam more locustarum [illegible] exsilit, terræ inhæret: In quibusdam, expansis alis, sese suspendit. Conuersionum quippe initia bonis moribus malisque permixta sunt, dum & noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Tanto autem minus permixtis interim malis lædimur, quanto contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos iam culpa vendicat, cui vsu prauo vsui nostra solicite mens refutat. Habet itaque prima dies solennitatem suam, si quantum in nobis est, omnia vitia detestemur: habet vltima longe potiorem, si peccati iugum quod abhorremus, nec saltem iouiti tollere compellamur. Quod vero præcipitur, vt septem diebus istis offeramus Domino sacrificium in igne: ignis splendor, sicut etiam supra ostensum est, resurrectionis dominicæ claritatem designat. Pro (Ioann 17.) D hac quippe rogans patrem ipse filius: *Pater*, ait, *venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Omnibus ergo diebus vitæ nostræ Deo sacrificium in igne offerimus, si tam firmiter eius fidem in corde seruemus, vt de resurrectionis eius gloria non dubitemus. (Rom.10.) *Si enim confessus fueris Dominum Iesum*, Apostolus loquitur, *& credideris in corde tuo quod Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris.* Hæc interim de sacrificio, quod (Num.28.) in igne offerri iubetur, sufficiant: cæterum in Numeris de holocaustis horum dierum, quod lex in hoc loco ignis sacrificium nominauit, plura dicuntur: & si lectio illa in manibus esset, prolixiorem disputationem exigere videretur.

De manipulo primitiarum.

CAP. III.

MOrtem Christi resurrectionemque illius in manibus habemus, humani generis medicinam. Nos enim neque non Christianus ambigit, & anima & corpore mortui sumus. Mors namque animæ, impietas est: & mors corporis corruptibilitas: per [illegible] animæ a corpore abcessus. Vtriusque ergo rei nostræ, idem, [illegible] animæ & corporis, medicina ex resurrectione opus erat. [illegible] renouaretur, quæ erat in deterius commutatum: & in corpore adhuc mortali, renouatio vitæ inchoatur [illegible] de, qua creditur in eum qui iustificat impium, bonisque moribus, augetur & roboratur de die in diem, cum magis magisque renouatur interior homo. Corpus autem tanquam homo exterior, quanto est hæc vita diuturnior, magis magisque corrumpitur, vel ætate, vel morbo, vel varijs afflictionibus, donec veniat ad vltimam, quæ ab omnibus mors vocatur, vnius resurrectio differtur in finem. Ad faciendam ergo vtramque resurrectionem nostram, saluator in sacramento & exemplo præposuit, & proposuit vnam suam. Neque enim fuit peccator aut impius, vt ei tanquam spiritu mortuo, in interiore homine renouari opus esset: sed indutus carne mortali, & sola moriens, sola resurgens, ea sola nobis ad vtrumque concinuit, cum in ea fieret interioris hominis sacramentum, exterioris exemplum. Sed quia de interioris F hominis nostri resurrectione paulo ante tractatum est, hanc enim lex designauit, cum post immolationem agni paschalis, septem azymorum dies obseruari præcepit, consequens erat, vt etiam corporis nostri renouatio præfiguraretur, quæ licet in finem differatur, ad firmamentum suæ speratam habet in cælo testem fidelem, dominici corporis immortalitatem. Si quis igitur in litera occidenti non quærere vitam [illegible], & sub vmbra veteri potest attendere lucem nouam, legis sequentia: & quæ nunc ecclesia manifeste docet, iam dudum sub legis ænigmatibus præfigurata reperiet.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetes, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem.

Messem in hominibus intelligendam, docet nos ipse Dominus in Euangelio, cum discipulis loquens, *Messis*, inquit, (Matth. 9) *multa, operarij autem pauci.* Itemque, *Leuate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt ad messem.* Messis ergo hæc cum (Ioan 4.) G illi ad perfectionem pertingunt, habet hic tempus maturitatis suæ: post maturitatem vero de præsentis exercitij agro colligitur, & in horreum congregatur, dum [illegible] spiritus in requiem suscipiuntur: in consummatione tamen seculi generalis erit messio cum post reparationem corporum humanorum, in viuorum regione, omnium fiet in horreum beatorum. Hæc est nanque terra de qua dicitur: *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis.* Terra quippe Canaan, non nisi vmbra diuinæ promissionis exstitit, quam, dum antiquo illi populo temporaliter exhibetur, apud Dei filios æternæ hæreditatis expectatio certior redditur. Alioqui Propheta Dauid, qui Israelitica illius possessionis regnum adeptus fuerat, non se peregrinum & aduenam fateretur, dicens: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* (Psal 119.) & iterum, *Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus* (Psal. 38.) *sicut omnes patres mei*: nisi aliam hæreditatem iustis [illegible] ti, aliamque ab illis [illegible] suspirasse intellexisset. Inde est quod in Psalmo cum præmisisset, *Funes ceciderunt mihi in præ-* (Psalm. 15.) *claris, etenim hæreditas mea præclara est mihi*: statim subiunxit, *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum.* Credo (Ibidem.) videre, inquit, *videre bona Domini in terra viuentium.* Huius igitur [illegible] (Psalm. 26.) ræ Dominum [illegible] tenuimus, [illegible] quia nos egressi [illegible] speramus. Nouum enim cælum & no- H uam terram, vt ait beatus Petrus, secundum [illegible] (2.Petr.3.) expectamus, in quibus iustitia habitat, quæ [illegible] tate scriptum est. *Semen seruorum eius possidebit eam.* [illegible] (Psal. 68.) *ligunt nomen eius, habitabunt in ea.* Hanc igitur [illegible] certitudine ingredientes terram, iubemur [illegible] catarum, primitias messis nostræ ad sacerdotem [illegible] t [illegible] sint primitiæ, docet nos Apostolus [illegible] C [illegible] scribens: *Christus*, inquit, *resurrexit ex mortuis, primitiæ dor-* (1.Cor. 15.) *mientium.* Itemque. *Sicut in Adam omnes moriuntur, [illegible] in Christo omnes viuificabuntur: vnusquisque autem in suo [illegible] primitia Christus. deinde hi qui sunt Christi, qui aduentu eius* (Ibidem.) *crediderunt.* Inde est etiam quod in Apocalypsi Ioannis [illegible] genitus dicitur mortuorum. Ipse est initium me[illegible] (Apoc. 1.) in ipso iam metere cœpimus, quia ad horreum nos ante[illegible] ipsum tamen horreum nobis repromisit, d[illegible] *si abiero &* (Ioan 14.)

A

Ioan. 14.

preparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Dum ergo iam immortalem factum credimus, in fide nostra quasi spicas recentes Domino offerimus: quoniam qui adhuc mortalis sub agni figura patri immolatur, recte per spicas recentes in resurrectione signatur. Iam enim carnis & sanguinis corruptionem euaserat, in nouam translatus creaturam: quia corpus quod resumpserat, licet eiusdem esset substantiæ, alterius tamen erat gloriæ. *Et si noueramus*, ait Apostolus, *Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* Inde est quod in lege carnalibus hostijs figurabatur, nunc autem in sacramento ecclesiæ, dum passionis illius celebramus mysterium, panis vinique substantia ministratur. Nam & in Deuteronomio cum de agno paschali loqueretur legislator: *Non remanebit*, inquit, *de carnibus eius quod immolatum est vesperi in die primo mane.* Dies enim primus azymorum, quem solennem esse paulo ante decreuit, ad Christi pertinet resurrectionem, ideoque prohibet ne de carnibus agni in illud mane quicquam seruetur, ne videlicet in Christi corpore post resurrectionis gloriam, aliquid corruptionis resedisse credatur. Siquidem per carnem multis in locis non ipsa substantia, sed substantiæ imbecillitas designatur: vt est illud, *Maledictus qui brachium suum ponit carnem* &, *Non timebo quid faciat mihi caro. Si quid ergo*, inquit, *residuum fuerit, igne comburetis.* Certissime nanque tenendum est, quia carnem Christi licet post resurrectionem eadem quæ prius fuerit, ita tamen virtus immortalitatis absorbuit, vt carnis quidem haberet substantiam, sed carnis non haberet infirmitatem. Qua autem die etiam manipuli offerantur, de quibus nunc sermo est, sequentia manifestant. Sequitur enim.

2. Cor. 5.

Deut. 16.

B

Iere. 17.

Psalm. 55.

Qui leuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis altero die sabbati, & sanctificabit illum.

Iosephus

Alterum diem sabbati, dicit Iosephus secundam azymorum, quæ est lunæ decimasexta. Hic est enim alter dies sabbati, id est, secundus celebritatis illius, quæ per septem dies extendebatur. Aperte ergo per nouas fruges, quæ luna decimasexta offeruntur, etiam dierum numero seruato, ille immortalis effectus exprimitur, cuius mors vespera decimaquarta sub agni sanguine pronunciabatur. Notandum vero quod cum manipulos spicarum iubeat lex offerri, non nisi fasciculum vnum à sacerdote leuandum dicit coram Domino. Vbi intelligendum iuxta literam, quia plures à diuersis oblati manipuli, in vnam redigebantur congeriem, & sic pariter coram Domino leuabantur: mystice autem significatur, quia cum fides multorum sit, & à singulis offeratur, fides tamen vna est omnium, dum in catholica ecclesia quod profitentur singuli, perhibent vniuersi. Quod vero præcipitur vt ad sacerdotem manipulos suos singuli deferant: hoc significare videtur, vt vnusquisque nostrum quod de Christo credit, ad doctores referat: & verum sana probabilisque sit fides illius, per eos examinetur: sicut etiam Doctor gentium Paulus, ad eos apostolos ascendisse se perhibet, & euangelium contulisse cum eis ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Leuat autem sacerdos fasciculum nostrum coram Dño, vt acceptabilis sit pro nobis: cum sancti Doctores fidei nostræ integritatem, à diuersarum hæresum erroribus sua eruditione sustollunt. & sanctificantes illam, id est, ab omni falsitate purgantes, Domino Deo nostro acceptabilem reddunt. Sequitur.

C

Gal. 2.

D

Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus anniculus immaculatus in holocaustum Domini.

Nonnulli hæretici senserunt, Christum resurgentem à mortuis, aerium corpus sibi assumpsisse: non veram carnem, in qua passus fuerat, resumpsisse. Nam & Apostoli cum post resurrectionem secum loquentem eum attenderent, turbati & perterriti, existimabant se spiritum videre. Ipse autem: *Videte*, inquit, *manus meas & pedes, quia ipse ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hoc igitur & lex docere videtur, cum in eadem die qua manipulus consecratur, cædi iubet agnum immaculatum: vt videlicet cum gloriam resurrectionis eius attendimus, sciamus ipsum non aliunde à patre exaltatum, quem vsque ad mortem nouimus patri fuisse subiectum. Vnde & subditur:

Luc. 24.

Philipp. 2.

Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo, in incensum Domini odoremque suauissimum.

Quod dicitur, *in incensum Domini*, non tota simila incendebatur super altare coram Domino, sed pars illius: iuxta legem sacrificij quæ longe superius in hoc eodem volumine descripta est, dicente Domino: *Hæc est lex sacrificij & libamentorum: Tollet sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo, adolebitque illud in altari in monimentum odoris suauissimi Domino. Reliquam autem partem comedet Aaron cum filiis suis absque fermento.* Duæ igitur decimæ similæ, puritatem mentis designant, quæ per duo præcepta charitatis legem consummat, diligens Deum & proximum: quia *in his duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Simila autem hæc oleo conspergitur: quia mens nostra gemina hac dilectione per sancti spiritus vnctionem imbuitur, testante Apostolo, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hoc igitur sacrificium cum holocausto agni nostri offerre debemus, vt cum credimus Christum pro nostra charitate mortem suscepisse, fides nostra fidei Dæmonum non conformetur, qui, testante scriptura, *& credunt & contremiscunt.* sed sit talis, quæ per dilectionem operetur. Quia vero in passione dominica perpetua & certa credentibus lætitia reposita est, apte subiungitur:

E

Leuit. 6.

Matth. 22

Rom. 5.

Iaco. 2.

F

Liba quoque vini, quarta pars hin.

Hin, mensura est liquentis materiei. Vinum autem lætitiam signat, quia *vinum lætificat cor hominis*. Quaternarius quoque soliditatis typum tenet sicut iam supra pluribus in locis ostendimus. eo quod omne quadratum, in quocunque latere solide stat. Libatio igitur vini, cuius quarta pars hin cum agno offertur, nobis innuit, ob hoc redemptorem nostrum vsque ad mortem tristatum fuisse, vt gaudium nobis conferret, quod sicut ipse permittere dignatus est, nemo nobis auferret. Quomodo autem sic in illo reposita est generis humani lætitia, vt nisi per illum nulla salutis spes sit concipienda, recte subditur:

Psalm. 103.

Matth. 26.

Ioann. 16.

Panem & polentam & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus cunctisque habitaculis vestris.

Comestio lætitiam parere solet. Cibus enim edentibus voluptatem affert, voluptas quoque iucunditatem. Quicquid ergo illud est super quo gaudemus, quasi comedimus: quia voluptatem ex eo percipimus. Itaque, quia (sicut diximus) nulla est hominum salus, quandiu à fide Christi manet alienus, de segete generis humani comedendum non est, donec ex ea præscriptas Dño primitias offeramus: quia iustorum sapientib. nullus homo gaudium præstat, qui nondum credens filium Dei venisse, carnem induisse nostri causa, passum esse & à mortuis surrexisse, aliunde salutem expectat. Vnicuique enim tunc offeruntur primitiæ iustæ, cum oblatæ creduntur. Alioqui si nunc credideris, quod alijs credentibus iam causa salutis est, ubi adhuc factum non est. Inde est nanque quod Mariæ dicitur: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.* Ipse quidem filius Dei cum patre semper manet æqualis, sed in corde mulieris, quæ æqualem nondum credebat, ad patrem nondum ascenderat. Nec igitur panem, nec polentam, nec pultes, nec aliquid omnino ante primitiarum oblationem de segete ista comedens: vt si sit viscera te possident charitatis, & omnium optas vitam, quos tibi natura communium [illegible] doctos attendis, nec Crœsi miseris diuitias, sciens scriptum, quia *non proderunt diuitiæ in die vltionis*: nec Macedonis Alexandri fortitudinem magnipendas, *neque enim saluatur rex per multam virtutem*: sed nec super sapientium huius mundi virtutib. gaudeas, quos sacra scriptura doctos Indiæ colores appellat. quia *maledictus homo qui in homine spem suam ponit, & sub se brachio saluare confidit.* Et quidem in eorum scriptis multa reperiuntur quæ placeant, quæ cum sacris paginis magnam consonantiam habeant: cum aut rerum inuestigant naturam, aut humanos mores examinant, recepti nonnunquam etiam in ipsius diuinitatis notitiam: Deus enim, teste Apostolo, reuelauit illis: quia tamen illum nescierunt, sine quo nemo ad patrem redit, non nos eorum consolatur sapientia, vt saluari posse credamus, quos mediatoris nec sanguis abluit, nec salutaris hostia reconciliauit. Inde est, quod eorum nonnunquam & dicta suscipimus, & damnationem dolemus. Hoc enim etiam lex sacra nos facere docuit. Habes scriptum in Deuteronomio: *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manum tuas, captiuosque duxeris & videris*

Ioan. 20.

G

Prou. 11.

H

Psalm. 32.

Iob 28.

Iere. 17.

Rom. 1.

Deut. 21.

A deris in numero captiuarum mulierem pulchram, & adamaueris eã volueris que habere vxorem, introduces in domum tuam. Quæ radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem & matrem suam vno mense, & postea intrabis ad eam, dormiesque cum ea, eritque vxor tua. Egressi sunt nanque ad pugnam Doctores Ecclesiastici contra inimicos suos, cum armati gladio spiritus, quod est verbũ Dei, ad subuertenda mundanæ sapientiæ dogmata processerũt. Arma, inquit, Apostulus, (2. Cor. 10.) militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersum scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequiũ Christi. Quia ergo tradidit Dominus hos inimicos nostros in manus seruorum suorum, viamque fecit in mari equis suis, in luto aquarum multarum, in numero captiuorum pulchra mulier adamatur, cum in scriptis peregrinis aliqua vtilis doctrina quæ placeat, reperitur. Quam si quis ex nobis ducere velit vxorem, domesticamque sibi facere, non prohibetur: B si tamen puella rasa & cæsarie & circuncisis vnguibus exponat vestem in qua capta est; sedensque apud nos, fleat patrem & matrem suam vno mense. Raditur quippe cæsarie & vnguibus circunciditur, cum si quid apud eam superfluum est, resecatur. Vestem deponit in qua capta est, cum simulationis nudatur superficie, qua apud progenitores tota vestiebatur: (Rom. 1.) qui vtique dicentes se esse sapientes, in doctrinis suis magni sibi videbantur: nec humiliter loqui nouerant, etiam quæ veraciter sentiebant. Sub alio ergo habitu introducitur ad nos mulier ista, cum eorum dicta vrbana sine supercilio legimus, & cum sobria grauitate proferimus. Sedens tamen apud nos, flet patrem & matrem suam, eos videlicet à quibus edita est: cum legentes, vt tantorum virorum perditionem doleant, ad misericordiam flectit. Sic enim dici solet læta epistola, quæ lætos facit: & fouea cæca, quæ intus deprehensis visum subtrahit. Et Spiritus sanctus (Rom. 8.) postulare pro sanctis dicitur, quia quos repleuerit, postulantes facit. Sic quoque & hæc mulier plangit apud nos parentes suos, cum plangere nos compellit: & ea stimulante, C quorum miramur ingenium, dolemus exitum. Per mensem vero, in quo lunæ cursus completur crescendo & decrescendo, humanæ vitæ mutabilitas designatur. Mēse autem integro deflentur, qui cum nihil vnquam egerint, per quod iram euaderent sempiternam, tota vita sua steriles fuisse planguntur. Non prætereo qualiter B. Augustinus (Augusti.) in libro de doctrina Christiana, huic nostro sensui concinat, docens mulierem ex hostibus captam, & in matrimoniũ posse recipi, & tamen de progenitorum saluatione nō posse præsumi. Quisquis, ait, bonus verusque Christianus est, Dñi sui esse intelligat, vbicunque inuenerit veritatem, quã conferens & agnoscens etiam in literis sacris, superstitiosa (Rom. 1.) figmenta repudiet: doleatque homines, qui cognoscentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Puto in his verbis satis apparet, apud mulierē captiuam, videlicet apud philosophorum doctrinam, cum in nostrũ coniugium transit, quæ sit vnguium circuncisio, rasio capillorum, dum superstitiosa repudiantur figmenta, quis sit etiam parentum luctus, dum dolemus homines qui cum diuino munere ad D ipsius diuinitatis notitiam sint assumpti, propter superbiam tamen ad insipientiam sunt redacti. Hæc igitur, licet paulo longius digressi simus, inserere placuit, in quibus non solũ quod propositum fuerat, explanare intendimus, de segete videlicet nostra ante primitiarum oblationem non esse cōedendum, sed etiam quibusdam ex amicis occurrere, qui se moueri dixerunt, cum in scriptura sacræ tractatu nonnulla gentilium librorum testimonia à nobis inuenissent assumpta. Qui licet in hac obiectione sua minus quæ doctoribus conscripta sunt, frequentasse fuerint visi; quia tamen charissimi erant, non potuerunt contemni. His igitur suademus, vt breui hac satisfactione contenti sint; quia si lex operis suscepti nos permisisset latius euagari, multa suppeterent animo quæ possent adiungi. Iam ad propositum reuertendum est.

E De panibus primitiarum.

Cap. IV.

De primitiarum oblatione hucusque tractauimus, sed quia primitias sequatur necesse est messis plenitudo, hinc ad illam accedendum est. Sequitur:

Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarũ, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris.

Quod ab altero die sabbati, id est, à secunda azymorum numerari præcipit, sic est intelligendum, vt ipsa extra numerum sit septimanarum: & dies qui exinde sequuntur, in numero contineantur: vt prima ipsa post quã numerus incipit, septem septimanis adiũcta, in summam quinquagenariam colligatur. F Alioqui si ab altera die sabbati, in qua manipulus offertur, prima septimana sumeret initium, in expletione septimæ quinquagenarius non compleretur. Septies enim septem, quadraginta nouem faciunt, non quinquaginta. Hæc iuxta literam dicta sunt, nunc ad mysterium recurramus. Legimus in Apocalypsi Ioannis. *Vidi, inquit, subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei: & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleantur conserui eorum & fratres eorum.* (Apoc. 6.) *Deus itaque Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob, Deus omnium beatorum spirituum, non est Deus mortuorum, sed viuorum.* (Matth. 22.) Omnes enim illi viuunt, qui oculis insipientium visi sunt mori, quia *iustorum animæ in manu Dei sunt.* (Sap. 3.) *Dormit quidem surdus*, vt in Iob scriptum est, *contremunt cæli.* (Iob 38.) Sed beatæ illæ animæ, acceptis stolis singulis, in a... (Apoc. 6.) licet tantum immortalitate, corporibus adhuc in terræ puluere dormientibus, *cantant canticum nouum ante sedem* G *Dei: & vox illarum tanquam citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Hinc etiam alibi scriptum est: *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætata sunt.* (Baruch 3.) Sancti nanque quibus dictum est, *lucetis tanquam luminaria in mundo*: (Philipp. 2.) dum hic vigilias noctis huius obseruant, luce sua noctem illuminant, iuxta illud, *luceant opera vestra coram hominibus*: (Matth. 5.) & in mediis tribulationibus constituti, per sancti Spiritus consolationem lætificantur. Sed quid postea? *Vocatæ*, inquit, *sunt, & dixerunt, Adsumus. & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas.* (Baruch 3.) Expectantes enim Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, cum venerit & pulsauerit, confestim aperiunt ei: (Luc. 12.) introducunturque in gaudium Domini sui, vt luceant amodo cum iucunditate, si non nobis, certe illi qui fecit eas. Spiritus itaque iustorum iam cum Deo regnantes, sua quidem fœlicitate fruuntur, sed adhuc corporum suorum gloriam præstolantur: quia iuxta Danielem, *qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.* (Dan. 12.) *& mortuus homo rursum viuet. cunctis enim, inquit, diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* (Iob 14.) Donec tamen atteratur cœlum, non euigilabit nec consurget de somno suo. (Ibidem.) H Post Christi itaque resurrectionem, qui factus primitiæ dormientium, expectatur vt gloria capitis ad corpus transeat, & reformet ipse corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. (Phil. 3.) Primis namque stolis secundæ succedunt, quando iusti in terra sua duplicia possidebunt. (Esai. 61.) Tunc vindicabitur sanguis sanctorum de his qui habitant in terra, iuxta quod in eodem volumine postea dicitur: *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* (Apoc. 17.) de qua etiam subditur, *quia peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: in poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* (Apoc. 18.) *Sed quot sunt dies serui tui, Domine, quando facies de persequentibus me iudicium? Quando inimici tui peribunt? quando iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum? Expectate modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* (Psalm. 118. Matth. 13. Apoc. 6.) Cum enim de patribus loqueretur Apostolus Paulus in epistola ad He- (Hebr. 11.)

A braeos. *Hi omnes*, inquit, *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Præcedat ergo dies in quo manipulus primitiarum offertur, præcedat Christi resurrectio, numerentur abinde septem septimanæ: ut universi qui per fidem & dilectionem illi adhæserunt, membra scilicet eius, ad caput congregentur, in requiem habituri, in illo septenariam lætitiam possessuri. Hoc namque designant septem septimanæ, diei primitiarum subiunctæ, requiem videlicet universalem, quando pariter fidelium populus ad Dominum suum congregabitur, ab omni deinceps inquietudine liberandus. Tunc igitur *Ierusalem cælestis ornata tanquam sponsa viro suo*, offeret sacrificium novum Domino, cum *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. & iam non erit luctus neque clamor in plateis eorum, quia prima abierunt. Dixit enim qui sedet in throno: Ecce nova facio omnia*. Offeret, inquam, Ierusalem mater nostra sacrificium novum Domino, ex omnibus habitaculis suis. Hæc quippe sunt gloriosa quæ dicta sunt de te civitas Dei: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Quod vero sit hoc sacrificium novum, quod ab omnibus offerendum prædicitur, sequentia docebunt nos.

Apoc. 21. Esai. 45. 2.Cor. 5. B Psalm. 86.

Panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.

Primum velim respondeat mihi Iudæus, quomodo præcipiat legislator de simila fermentata Domino sacrificium offerri, cum in principio voluminis huius dixerit: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet: nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificium Domini*. Nos enim qui spiritalem sequimur intelligentiam, discernimus fermenti figuram: & dicimus aliud esse *fermentum malitiæ & nequitiæ*, quod Dominus abiicit: aliud, fermentum quod Evangelica illa mulier *abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum*. Si quis vero literam pertinaciter sequatur, non video quis in his duobus capitulis evadendæ contrarietatis exitus inveniatur. Sed nos expositionis ordinem, ut cœpimus, exequamur. *Panes* (inquit) *primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ*. Nota quod die quo manipulus oblatus est, duæ decimæ similæ fuerunt in sacrificium, quinquagesimo autem die non iam duæ decimæ similæ, sed de duabus decimis panes duo in sacrificium offeruntur, & eadem simila fermentata esse præcipitur. Differunt autem panes a simila, quod simila licet oleo conspersa sit, non tamen per ignem ad soliditatem pervenit: significans huius temporis charitatem, quæ diversis distrahitur affectionibus, & vix in eodem statu permanet: panes vero postquam cocti sunt, integritatis suæ stabilitatem accipiunt: civitatis illius portendentes immutabilitatem, quæ tunc participatione divina ipsum adipiscetur, quando eadem perseverans, amplius non mutabitur. Prius ergo duæ decimæ similæ, postea de duabus decimis duo panes in sacrificium offeruntur: quia ipsa dilectio Dei & proximi, primo per spiritum sanctum in nostris cordibus nascitur: nata vero nutritur, nutrita roboratur, roborata ad perfectionem suam perducitur. Inde est quod panes coqui iubentur & fermentari, quia charitas in sanctorum cordibus & fervore piæ sollicitudinis augetur, & assiduæ meditationis igne solidatur. Quasi enim mente coquimus, quicquid attentius cogitamus. Panes autem primitiarum dicti sunt, quod de novis frugibus cum in usus humanos seges iam matura transitura esset, primi Domino offerebantur. Primitiæ namque in lege dupliciter intelliguntur: aut fructus primitivus, qui alios ad maturitatem præcedunt: aut quod de frugibus iam ad aream congregatis, antequam præsumantur ab hominibus, quasi pro gratiarum actione Domino separantur. Manipulus primitiarum qui primus azymorum Domino iubetur offerri, de illis primitiis est, quæ generalem præveniunt messem: panes vero isti de quibus nunc agimus, ideo primitiæ nominantur, quia messis uniuersitas eorum oblatione sanctificatur. Porro quantum ad mysterium spectat, panes isti coqui iubentur in primitias Domini, quia charitas inter omnes virtutes obtinet principatum: & cum Dei gratia præcedente nostræ sollicitudinis studio coquuntur, nihil est quod vel hic vel in futuro divinis oculis gratius offeratur. Hoc est igitur generale sacrificium, quod ex omnibus habitaculis eorum dicit offerendum. Deinde qui sint qui illud offerant, qui ad hanc charitatis perfectionem in æterna vita pertingant, docent sequentia, cum sub hostiarum diversitate, quæ cum istis panibus offerri præcipiuntur, sanctæ illius multitudinis universitas demonstratur. Has enim continuo subiungit, dicens:

Leuit. 2. 1.Cor. 5. Matth. 13. Luc. 13. C D E

Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocausto cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino.

Si quis ea recolit, quæ de hostiarum varietate iam supra tractata sunt, facile intelligit, inter eos qui hostias Deo seipsos exhibent, quosdam holocausta, quosdam pacificas hostias, aut pro peccato: qui boves, qui agni, qui arietes. Holocaustum namque totum incensum interpretatur, quod scilicet in altari totum incenderetur. Holocausta igitur sunt, qui vehementiore spiritus fervore succensi, cunctis mundi huius spretis, divini ex integro se tradunt obsequiis. Pacificorum vero adipibus concrematis, carnes ab ipsis edebantur, a quibus & offerebantur, certis tamen portionibus ex legis præcepto sacerdotibus sequestratis. Pacificas igitur offerunt hostias, quæ etiam salutares plerunque nominantur, qui sua salute contenti, si in quocunque gradu pacem cum Deo possideant, ad perfectionis culmen non aspirant: & de hac tantum præsumentes, quod bonæ voluntatis sunt, & in affectibus eorum divinus ardet ignis ex parte magna, vivunt sibi, suis voluptatibus dediti, quas sibi factis legibus interdici non audiunt. In holocaustis autem boves sunt sancti pastores, qui sua sollicitudine sanctam ecclesiam, dominicum videlicet excolunt agrum: pro quibus etiam dictum est, ut *non alligetur os bovi trituranti*. Porro arietes doctores intelliguntur, qui in via iustitiæ fidelibus præeunt: & tam exemplo quam verbo, qua sequi debeant, illis ostendunt. Habes in Actibus Apostolorum, quia Paulus dux verbi dictus est. Salomon quoque quasi arietem se ostendit, cum unumquenque nostrum alloquitur, dicens: *Audi fili mi, & suscipe verba mea. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis*. Hæc duo officia quamvis in plerisque conveniant, & unum esse videantur, in muneribus tamen spiritus sancti ab Apostolo distincte ponuntur. *Ipse dedit*, inquit de Christo loquens, *quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi*. Etenim vero aliud est populi fidelis regimen suscipere, quod Episcopi faciunt, interdum etiam lege divina minus eruditi, subditorumque provectibus spiritualib. sed & corporalibus necessitatibus assiduam curam impendere: aliud, tantum verbi docere, quid aut in fide tenendum, aut in vita observandum sit: quod nonnunquam etiam a transeuntibus fieri solet, sicut a sanctis Apostolis in transitu factum est: qui circumeuntes orbem terrarum, & Christi fidem ubique seminantes, civitatibus singulis pastores ordinabant, ut ipsis recedentibus, non deesset qui continuam sollicitudinem credentibus exhiberet. Habes in Actibus Apostolorum, cum Paulus a Mileto mittens Ephesum, vocasset maiores natu ecclesiæ, quasi se doctorem insinuans, illos autem pastores: *Mundus*, inquit, *ego sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis*. Manifestum, quod suo officio tanquam solam doctrinam ascribit, illos autem pastores designans, qui commissi sibi regiminis onus susceperunt. *Attendite*, inquit, *vobis & universo gregi, in quo spiritus sanctus vos posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Sic & beatus Petrus ad Ecclesias scribens, eosdem Episcopos hortatur, dicens: *Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, pascite qui est in vobis gregem Dei*. Quanquam ergo pastor Petrus, pastor Paulus, quia sollicitudo Ecclesiarum non deerat illis: Doctoris tamen magis in eis apparet proprietas, cum quaquaversum Evangelium annunciant, & transeuntes de civitate in civitatem, aliis qui cum credentibus perseverent, pastoralem curam assignant. In bobus itaque ut diximus, pastorum labor: in arietibus vero, doctrinæ ducatus intelligendus est. Si in plerisque conveniat utrunque, non scandalizeris: imo adde & tertium, quia qui Pastores & Doctores sunt, tanquam boves & arietes, ipsi & agni propter innocentiam te-

F Deut. 25. 1.Cor 9. Actu. 14. Prou. 4. G Ephe. 4. Actu. 20. H Ibidem. 1. Pet. 5.

A perfruntur. Habes Pastorum Pastorem, qui agnus Dei dictus est, qui & Pastores Doctoresque cæteros, agnos vocat, dicens: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Sunt tamen agni multi in grege Christi, quibus nec pondus regiminis, nec officium Doctoris imponitur. Hi vero si holocaustum se Deo offerunt, iubentur vt annicul*i* sint, id est, vnius anni: vt non pueriliter aut sine consilio arduum quis arripiat iter, nisi prius sol sancti desiderij in corde diu*tius* compleat cursum suum, & ad roboris sui perueniat plenitudinem: deliberandum enim est diu, vt ait quidam, quod semel statuendum est: ne forte *mittens manu suam in aratrum, retro respiciat*, & votum non reddat: cum *melius* vtique sit *non vouere, quam post votum non reddere.* Septem autem sunt agni isti, quia seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis. Huius enim numeri sacramentum, in agnorum holocaustis scriptura nobis commendat in Numerorum libro, cum pene vbicunque agni offeruntur in solennitatibus, septem iubentur offerri: aut certe quatuordecim, duplicato septenario, propter duos populos e quibus Ecclesia congregata est. Repetitur quoque idem numerus ad maiorem sui commendationem, quasi ex superfluo: cum postquam dictum est, agnos septem immolandos esse cum libaminibus, dicitur vt vna decima per agnos singulos offeratur: & subditur, qui sunt simul agni septem, vel qui sunt simul agni quatuordecim.

B Vitulus vero vnus offertur: quia licet ad primum gregem aliæ oues adductæ sint, ex vtrisque tamen factus est vnus grex, & in vno grege Pastor vnus. Omnes enim in summo Pastore vnum sunt, quicunque tradente ipso curam ouium susceperunt. Quod dicitur, vitulum de armento, teste beato Augustino, hebræa locutio est: sicut cum dicitur, agnus de grege, hircus caprarum, agni ouium, & alia similia. Vitulo autem vno arietes duo iunguntur, vt saltem in arietibus populorum diuersitas intimetur, quorum in vno vitulo fidei charitatisque concordia commendatur. Sed dicet forte aliquis, hac ratione etiam duos vitulos arietemque vnum apte potuisse offerri, cum & in vtroque populo Pastores sint constituti, & Doctorum omnium catholicorum vniformis prædicatio valeat reperiri.

C Nos quoque huc concedimus, imo addimus non tantum fieri potuisse: sed etiam vt fieret, legem alibi præcepisse. In Numeris cum de his tractatur sollennitatibus, venitur ad pentecosten, quæ nunc in manibus est, & eius holocausta decernuntur his verbis: *Dies primitiuorum quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit. Omne opus seruile non facietis in ea: offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino. Vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem.* Videat itaque Iudæus, qualiter litera suæ stultitias relaxat, aperte namque multis in locis ipsa se impugnat, & sibi contraria est, vt in præsenti apparet, cum eiusdem diei ceremonias instituens, hic vitulum vnum cum duobus arietibus, illic quasi oblitus quod dixerat, vitulos duos cum vno ariete holocaustis assignat. Videat ergo (vt dixi) Iudæus, quomodo hanc literæ contrarietatem euadat. Christianus enim intellectus liberum inuenit transitum, cum animaduertit legislatorem ob id scripturæ superficiem frangere, vt ad interiorem medullam etiam rebelles compellat intrare. Attende namque hæc duo decreta, nescio vtrum literæ consonantiam valeas reperire. Transi

D ad mysterium, videbis iam nil interesse, verum duo vituli cum ariete vno, an vitulus vnus cum duobus arietibus in holocaustis esse dicatur: cum tam pastores quam Doctores, & vnum sint propter fidei pacisque concordiam: & duo intelliguntur, si duorum populorum quibus prælati sunt, respiciamus distantiam. Notandum autem, quod sicut die qua manipulus oblatus est, cum agnum præcipit dari, vt per agni doceremur immolationem, quoniam ille mortalis erat futurus, cuius secuturam immortalitatem manipulus designabat: sic hodie plena messis cum offeruntur panes primitiarum, immolantur & diuersitas hostiarum: quibus innuitur, quales in hac vita fuerint, quosque gradus in religione habuerint, quorum per panes sanctissima resurrectionis iustitia designatur. Nam & hircus pro peccato, & hostiæ pacificæ protinus adiunguntur, vt omnis electorum multitudo, cuiuscunque ordinis fuerit, in victimis istis comprehendatur. Sed prius de holocaustis videndum est, quid sit quod cum libamentis suis offerri iubentur. Libamenta enim hæc, liber Numerorum plenius exponit, in quo sic legitur: *In sacrificijs eorum similæ oleo conspersæ, tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem.* Et ante: *Libamenta autem vini quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: Media pars hin per vitulos singulos, tertia per arietem, quarta per agnum.* Quia vero & ipsius olei quo simila conspergitur, requirenda est mensura, hoc totum alibi, in eodem tamen volumine, plenius inuenitur. *Offeret, inquit, quicunque immolauerit victimam, sacrificium similæ. Decimam partem ephi conspersam oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in holocaustum siue in victimam per agnos singulos. Et arietis erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin: & vinum & libamentum tertiæ partis hin, eiusdem mensuræ offeret in odorem suauitatis Domino. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, dabis per singulos boues similæ tres decimas conspersæ oleo quod habeat medium mensuræ hin. & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ, in oblationem suauissimi odoris Domino.*

F Omnia igitur in libamentis his, per diuersas victimas certis gradibus augmentantur. Nam similæ in vitulis tres decimæ reperiuntur, in arietibus duæ, in agnis vna decima, vel decima decimæ. Sic etiam olei vel vini media pars mensuræ hin, per vitulos singulos: minus autem per arietes, id est, pars tertia: minus quoque per agnos, id est, quarta pars offertur. Quia igitur longe superius cum de sacrificijs ageretur, diximus per similam quæ pura farina est, mentis puritatem intelligi: agnis singulis in sacrificio decima similæ coniungitur, cum omnes qui per veram innocentiam Domino placere desiderant, mentis perficiunt sanctitatem, dum eam nullius criminis consensu contaminant. Quod decima decimæ in holocaustis plerunque poni iubetur, munditia mundo renunciantium, à secularium puritate discernitur. Qui enim in seculari conuersatione Deo deseruiunt, quasi perfecti sibi videntur, si criminalia quæque non solum ab actu, sed etiam à consensu suo repellant.

G Hanc denarij formam, & sui generis perfectionem, virtutum suarum prærogatiua transcendunt, qui proficiendi desiderio cuncta quæ mundi sunt, derelinquunt: & primam decimam quasi iterum decimant, cum perfectionem vulgi imperfectam reputantes, ad perfectiora se extendunt: & carnis illecebras non solum à consensu repellere, sed etiam quoque delectationem, imo & cogitationem pro viribus à secreto cordis nituntur excludere. Nonnunquam tamen decima indeterminate dicitur, vt cuiusmodi sit illa perfectio, non discernatur. In agnis tamen holocaustorum decima decimæ semper intelligenda est: quia mos est scripturæ, vt quædam locis competentibus diligenter exponat, eademque alijs in locis prætermittens, subintelligenda relinquat. In arietibus vero similæ decima geminatur. Qui enim sibi viuit, & quasi agnus spiritualis sua innocentia contentus est: sufficit ei ad propriam puritatem, si iniquitati nec affectum, nec cogitatum apponit. Cum autem docendi officium susceperit, maiori periculo vrgetur: ne forte qui virtute animi carnis suæ presserat incentiuum, iam in multorum notitiam delatus, alienis laudibus se præbeat corrumpendum. Tutius quippe auditur veritas, Augustini verba sunt hæc, quam prædicatur. Cum enim auditur, humilitas custoditur: cum autem prædicatur, vix non subrepit cuiuslibet hominum quantulacunque iactantia, in qua vtique macula est

H conscientia. Duæ ergo decimæ sunt Doctori, si & viuendo nullam prauitatem affectet: & docendo, ab inanis gloriæ contagione conscientiam mundam seruet. Qui vero non solum Doctoris officium, sed & regiminis pondus suscipiunt tertiam, & hanc quidem vehementiorem, sui lapsus occasionem reperiunt. Suscepta quippe cura regiminis, cor per diuersa diuerberat: & impar quisque inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa. Fit mens in exteriorum dispositione solicita, & sui sulummodo ignara, scit multa cogitare, se nesciens. Ita fit vt ab studio suæ inquisitionis aliena, nec ipsa quæ patitur damna consideret, & per quanta delinquat ignoret. Sæpe dum multa suppetunt, dumque agi possunt quæ subiectis, quia acta sunt admirentur, in cogitatione se animus eleuat: plene in se iram iudicis prouocat, quamuis per iniqua foras opera non

A erumpat. In bonis itaq; holocausto duobus decimis, quas praemisimus, tertia iungitur, cum pastores sanctae ecclesiae post conuersationis suae puritatem, post doctrinae simplicitatem, etiam in dispensatione sibi tradita, per cordis sinceritatem Deo placere conantur. Sicut autem per hostias supradictas similae mensura varie distribuitur, sic & olei vtriusque per easdem hostias distributio variatur. Media namque pars hin per boues singulos, tertia per arietes, quarta per agnos offertur. Per oleum autem spiritus vnctio, per vinum laetitia designatur. Eis igitur qui propter Deum amplius laborant, abundantior sine dubio sancti spiritus consolatio ministratur. Ex vberiore autem gratia, vberior & laetitia generatur. Quia ergo (vt diximus) maius est pondus regiminis, quam solius praedicationis, qui tamen solummodo innocentiae custodes sunt, minori sollicitudine vrgentur, quam quibus cum suorum actuum custodia, alienae insuper instructionis labor iniungitur: non immerito maior B similae vinique mensura bobus quam arietibus, arietibus quam agnis tribuitur: vt qui amplius laborat, etiam in praesenti plus mercedis accipiat: & ditior fiat muneribus, qui ad seruiendum promptior est inuentus. Haec igitur sunt libamenta, quae cum holocaustis in solennitate pentecostes offerri iubentur: vt quorum in panibus incorruptio futura signatur, quando iam a carnis sanguinisque infirmitate Christo conformes alienabuntur, eorum quoque in holocaustis & eorum libamentis, qualis in hoc mundo fuerit tam intentio quam actio, designetur. Nec mouere debet, si in illa die, quae futuri seculi typum tenet, holocaustorum immolatio celebretur: quia conseruatae iustitiae labor quamuis ibi non repetatur, quasi tamen non praeterisset, Domino praesentatur, vt iustorum meritis digna retributio compensetur. Hinc enim per Isaiam scriptum est: *Dicite filiae Sion, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Iam ad reliqua transeundum est. Isai. 62. Zach. 12.

Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos, hostias pacificorum.

C Hircus pro peccato qui Domino immolatur, quod eos designet, qui vitia sua mortificant, & per dignos poenitentiae fructus veniam merentur, superius in libro duodecimo tractatum est. Pacificae vero hostiae, mediocris conuersationis typum tenent, eorum scilicet qui nec in flagitiorum gurgitem lapsi sunt, nec tamen ad perfectionis culmen tendunt. Cum ergo holocaustis hircus pro peccato & agni pacificorum adduntur, omnis electorum numerus, qui in caelesti patria congregandus est, adimpletur. Omnes hae victimae nouo illi sacrificio, panibus videlicet primitiarum, subiunguntur: quia iustis omnibus & in mente vitiorum perfectio, & in carne dabitur incorruptio. Offerent igitur sacrificium nouum, offerent quod accipient. Innouati enim tam mente quam corpore, illius in sempiternum vacabunt laudibus cuius inaestimabilibus fruentur muneribus. Inde est quod de istis agnis pacificorum statim subiungitur:

Cumque eleuauerit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius.

Si legem vniuersam percurras puto quod aut vix, aut nunquam amplius super pacificis hostiis hoc decretum reperias. Superius namque pluribus in locis haec pacificorum D lex fuerat constituta, vt mactatis victimis, earum sanguis funderetur, adipes cremarentur, armus dexter cum pectusculo in partem sacerdotis sequestraretur. Dicat igitur nihil Iudaeus, cur in hoc loco constitutio illa soluatur, quae generaliter decretum est, non vbique seruetur. Non enim agni isti iubentur occidi, non eorum sanguis effundi, non cremantur adipes, nec sacerdoti portiones aliquae sequestrantur: sed integros coram Dño leuare praecipitur, integros suis vsibus applicare. Vt igitur nouitatis huius mysterium inuestigemus, in die siquidem noui sacrificii dignum est, vt veteris consuetudinis frangatur lex: sacerdos noster Christus est, & sacerdos maximus inter fratres suos, sicut iam supra tractatum est. Hic hostias pacificas panibus primitiarum apponit, cum eos qui in mundana conuersatione fidelibus & dilectione sanctificati sunt, in aeternitate futura, ad eandemque perfectis tribuitur, vitae nouitatem perducit. Quos etiam eleuare coram Dño dicitur, quia sua eos potentia, de [illegible] miseriis ad honores aeternos sustollit. Hi igitur tunc

E cedent in vsum eius, quia [illegible] ab omni occupatione terrena, laudibus eius in aeternum vacabunt, de illius societate laetantes, & mutuam illi laetitiam de sua salute praebentes sicut scriptum est: *Gaudebit sponsus super sponsam, gaudebit super te Deus tuus.* Isa. 62. Quod vero agni isti anniculi esse dicuntur, nec iste pacificorum mos est. Solent namque holocaustorum agni anniculi esse, non pacificorum. Sed de hoc illius vitae perfectioni aptissime congruit, de qua in psalmo canitur, cum loquente patre, sermo de Christo habetur sub persona Dauid: *Thronus, inquit, eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in aeternum.* Psalm. 88. Thronus quippe Christi omnes illi sunt, in quorum mentibus eius spiritus requiescit: quia anima iusti, sedes sapientiae est. Omnes igitur in ciuitate illa anniculi erunt: quia iuxta Isaiam, *Non erit ibi amplius infans dierum, nec senex qui non impleat dies suos. quando thronus Dauid sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta in aeternum.* Isai. 65. Nec hoc praetereundum est, quod in hac die duo pro pacificis offeruntur agni. Duo namque agni, sicut in emundatione leprosi plenius disputatum est, duplicem signant innocentiam: F quando non solum actu, sed & affectu proximorum laesio declinatur: nec sola facie, sed & mente mansuetudo seruatur. Quam innocentiae plenitudinem hic assequi nequaquam possunt, quicunque temporalibus occupati, perfectionis fastigium non apprehendunt: quia magnum est eis, licet iracundiam penitus non excludant, si timore diuino ligati, iracundiam suscitatam frenare sufficiant. In ciuitate autem Ierusalem, cuius ponit Deus omnes fines pacem, etiam pacifici ad duorum agnorum mensuram pertingunt: quando post innocentiam operis, quam hic contra commotionum suarum impetus non sine sollicitudine seruauerunt, interiora quoque in futurum iam pacificati, Dño benedicent. Sequitur: Psal. 147.

Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum. Omne opus seruile non facietis in eo: legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris.

Aptissime in typum illius verae libertatis nostrae dicitur eis, vt in hac die nullum seruile faciant opus: quia quoscunque filius Dei liberauerit, nec cupiditas inquietat seruire compellet, nec corruptionis necessitas. G Quia vero de messis tempore sermo coepit haberi, legem mox ad quam & ante posuerat, repetit, dicens:

Postquam autem messueritis segetem terrae vestrae, non secabitis eam vsque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego Dominus Deus vester.

Si seges vsque ad solum secatur, quicunque deinceps accesserit, materia laboris exhausta, non inueniet vbi operetur. Cum igitur seges sacrae scripturae dicatur, sicut plenius libro tertiodecimo disputatum est, quicunque acumine intelligentiae sensus illius penetrans, alieno intellectui praeiudicium facit, vt iam nemine ibi capere posse existimet, vltra quam ipse comprehendere potuit: hic quasi cum opinione sua, segetem diuinam vsque ad solum secuit, qui omnes scripturae sensus exhausisse se credidit. Ab hac autem opinione carnalis Israel maxime fuerat repellendus, ne sibi legis profunda penetrasse videretur, cum sensu inualido vix literae superficiem decerpsisset, & spiritus soliditatem penitus ignoraret. Hinc enim habes in historia veteri, quia cum *Dauid in agro lateret, fugiens a facie Saul, Ionathas filius Saul venit in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.* H 1. Reg. 20. Notum est namque per Dauid, Christum significari. Saul autem illius populi typum gerit, cuius etiam suis temporibus princeps fuit. Ab huius facie Christus fugit, cum se persequentium Iudaeorum notitiae abscondit. Latet autem in agro, & vt scriptura dicit, latet in loco qui vergit in austrum, quia occultatur Christus in scripturis, in eo vtique verbi segetibus abundanti, & luminosam plagam mysticorum sensuum respicienti. Ionathas, qui interpretatur columbae donum, persecutoris filius, & contra patris voluntatem Dauid per amicitiam copulatus, chorum Prophetarum designat: qui a spiritu sancto Prophetiae munus acceperunt, ex carnali Israel orti, sed nostro Dauid licet patre persequente, dilectionis foedere coniuncti. Venit ergo Ionathas in agrum in quo latet Dauid: venit quilibet prophetarum in agrum scripturarum, venit mente & opere, actu & intellectu. 1. Reg. 20. Actu namque venit, qui scribere potuit, & labore suo scripturis aliquid addidit. Intellectu venit, qui ab aliis scripta recte intellexit. Venit iuxta placitum Dauid: quia vt filius Dei per Prophetas in [illegible] prae-

Iohan. 14.

A nunciaretur, dispositio eius fuit. Venit & puer paruulus cum eo. quia carnalis ille populus, sensibus puer, propheticis scriptis adhæsit. Ad quem loquitur Ionathas, dicens: [Ibidem.] *Vade & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum.* Scriptura prophetica quasi duas sagittas iacit, cum & historicum & mysticum legentibus intellectum infundit. Sed secunda sagitta puerum transit, quia mysterij indagatio carnalis Israel vires excedit. Primum itaque iaculum currens apprehendit, secundi velocitate præuentus: quia historiæ adhæsit, allegoricis interpretationibus minus idoneus. Vnde & subditur: [Ibidem.] *Venit itaque puer ad locum iaculi quod miserat Ionathas, & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porro vltra te.* Ipsa quoque scripturæ altitas innuit, si sit qui aduertat, & quasi clamore valido humanam rumpere nititur sorditatem, aliud apud se inuestigandum esse præterquam quod litera sonat. Sed quia puer iste Moysen nō intelligit, nec Christo credit. Vnde & Ionathas postquam iaculum secundum vltra puerum esse innotuit, iam ipsi Dauid loquens, puero tamen non aduertente: B *Festina, inquit, velociter, ne steteris.* His quippe verbis [Ibidem.] odium paternum ei innotuit. Sic enim & ante ambo disposuerant: *Si dixero, inquit, puero, ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est. Si autem sic locutus fuero, ecce sagittæ intra te sunt: vade, quia dimisit te Dominus.* Si ergo sagittæ Ionathæ intra puerum sunt, id est, si aliquis ex illo populo sensus propheticos in scripturis comprehendit, pax est Dauidi: quoniam quicunque fuerit qui scripturas recte intellexerit, à Christi fide discordare non poterit. [Ioan. 5.] *Si enim crederetis, inquit, Moysi, crederetis & mihi.* Cum vero sagittæ puerum transeunt, Dauid pacē non habet. Inde enim est, quod populus ille quasi inimicum Christum persequitur: quia legem Prophetasque non intelligens, legi & prophetis contraria Christum sensisse calumniatur. Literam ergo solam tenens, non debet æstimare quod scripturæ sensum consummauerit, & vsque ad solum segetis huius peruenerit. Nec inuideat his qui ex gentibus ad fidem accedunt, famelicis scilicet, qui iuxta Iob messem eius comedunt, [Iob. 5.] si legis C interna altius perscrutentur: imo spicas quæ eo mittente remanserunt, vel iuxta Deuteronomium, manipulū quem [Deut. 24.] oblitus est tollere, sine cōtradictione gētibus derelinquat: nec reuertatur vt sibi eum assumat, videlicet vt diuina eloquia tanquam intelligentiæ suo asscribens, à possessione illorum alios excludat. Isti enim sūt pauperes & peregrini: pauperes vtique spiritu, vt humilibus reuelet Deus secreta sua, quæ superbis abscondit: [Ephe. 2.] *& hospites olim testamentorum promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo* nunc autem ciues sanctorum & domestici Dei dum spicas seu manipulum spiritualium sensuum, quem in agro scripturarum populus ille per ignorantiam deseruerat, isti cum auiditate maxima colligunt: quia iuxta Isaiam, [Isa. 5.] *deserta in vbertatem versa aduenæ comedunt.* & iuxta Zachariam, [Zach. 9.] Tyrus & Sidon multam sibi sapientiam assumpserunt.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

D

LIBER XVII.

PRAEFATIO.

Vocationem gentium in consummatione temporum futuram, omnes quos propheticus spiritus attigit, præuiderunt antequā fieret. Præuidebant & prænuntiabant, & donec fieret suspirabant. In Isaia loquens ipse filius Dei ex persona hominis quem assumpturus erat, [Isa. 49.] *Glorificatus sum, inquit, in oculis Domini, & dixit: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* De quo idem Propheta post aliquanta [Isa. 52.] *Iste, ait, asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierant contemplati sunt.*

E Et post pauca iam Ecclesiam alloquitur, dicens: [Isa. 54.] *Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non pariebas: quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ad dexteram enim & ad leuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Itemque: [Isa. 60.] *Ambulabunt, inquit, gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Ad ipsum autem Dominum conuersus propheta: [Isa. 64.] *Vtinam, ait, dirumperes cælos & descenderes, à facie tua montes defluerent, vt notum faceres nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur.* Ieremias quoque post longum sui obiurgationem, circa quem frustra se laborasse conqueritur, ad consolationem tædij sui, gentium electionem contemplatur, dicens: [Ierem. 31.] *In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus vniuersis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum.* Sed quid mirum in hoc? quid nouum est? Nonne [Psal. 75.] F & ante *notus erat in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius?* Quis est ergo Israel, cuius cognationibus se Deum futurum esse promittit? Sequitur & exponit: [Ierem. 31.] *Hæc dicit Dominus. Inuenit gratiam in deserto populus qui remanserat à gladio.* Populus enim ille traditus est gladio inimici & materiali & spirituali, [Thren. 1.] *quia foris, inquit, interficit gladius, & intus mors similis est.* [Ezec. 7.] [Prou. 11.] *Sed ab hoc gladio, reliquiæ per electionem gratiæ, saluæ factæ sunt.* Reliquiæ ergo istæ, id est, pars populi quæ gladiū euasit, inuenit gratiam in deserto, quam in gente sua non inuenerat. A contribulibus enim suis repulsi Apostoli, transierunt ad gentes: apud quas quantam inuenerint gratiam, testatur Micheas Propheta, dicens: [Mich. 5.] *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam quæ non expectat virum, neque præstolatur filios hominum.* Inuenit ergo gratiam in deserto populus qui remāserat à gladio, [Ier. 31.] *vadet ad requiem suam Israel.* Sed vbi requiem inuenit, vtus est verus Israel, non tantum carnis propagatione, sed etiam fidei imitatione. [Ibidem.] *Longe, inquit, Dominus apparuit mihi.* Vbi longe nisi in nationibus, vbi fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion in lateribus aquilonis? [Psal. 47.] G In domibus ergo eius cognoscetur Deus. Vnde & idem Ieremias post pauca subiungit: [Ierem. 31.] *Surgite, & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.* Sion Ecclesiam dicit, quæ fundatur in lateribus aquilonis cū gaudio vniuersæ terræ. Hoc enim declaratur, cum subditur: [Psal. 47.] *Quia hæc dicit Dominus, Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput gentium.* [Ierem. 31.] Quod est caput gentium, nisi quem in Psalmo pater loquitur, dicens: [Psal. 17.] *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.* Contra hunc, dicit exultandum esse & vociferandū in lætitia Iacob: *& personate, inquit, & canite.* [Ierem. 31.] Sicut & in Psalmo dicitur, [Psalm. 97.] *Iubilate in conspectu Regis Domini:* cum ante præmisisset, *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentiū reuelauit iustitiam suam.* Vnde & hic sequitur: [Ierem. 31.] *Ecce ego adducam eos de terra aquilonis, & cōgregabo eos ab extremis terræ.* Quos enim adducet ab extremis terræ, nisi de quibus idem Ieremias alibi dicit: [Ierem. 16.] *Domine fortitudo mea & robur meum, ad te gētes venient ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit?* Quod & Psalmus testatur, dicens: [Psalm. 85.] *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine.* H Vnde & hic paulo post subditur: [Ierem. 31.] *Audite verbum Domini gentes.* ipsisque per quos audituræ erant loquens, quorum [Psalm. 18.] *sonus in omnem terram exiuit. Et annunciate, inquit, in insulis quæ procul sunt.* [Ierem. 31.] Quis ad tantam euidentiam oculos claudere possit, & contra manifestam lucem obstinatus existere? Paucissima tamen sunt quæ proferimus, & quasi de immensa lignorum congerie, duo vel tria accipiantur virgulta, ex quibus modicus accendatur ignis ad illustrandū ostendendūq; quod proposuimus. Pauca quidem de scripturis ponimus testimonia, sed tamen (vt credimus) sufficientia. Alioqui si scripturarum corpus percurras, omnes hoc habent, omnes hoc indicant, orituram vel ortam ex Iudæis gentium salutem, sicut & per Balaam sanctus loquens spiritus, dicens: [Num. 24.] *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab. & erit Idumæa possessio eius.* Et post pauca: [Ibidem.] *Heu, inquit, quis victurus est quando ista faciet Dominus?* Non prætaribo Osee, qui caput gentium nobis manifeste exponit, imo lapidem angularem, in quo

A

& Iudæorum gentium salus consistit. Postquam enim præmisit Deum dicentem, *Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis:* illico subiunxit, *Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra.* (*Osee 1.*) Per Israel enim, eo quod in Samaria vitulus aureus fabricatus sit, gentes idololatras designauit: per Iudam autem, Iudæos. *Et ascendent,* inquit, *de terra.* quam ascensionem in cordibus disponunt, iuxta illud: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* (*Col. 3.*) Præterea Sophoniam, per quem Dominus se redditurum promittit populis labium electum, vt vocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno: *vltra enim flumina,* inquit, *Aethiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.* (*Soph. 3.*) Sed Zachariam non transibo, qui applicandas gentes multas ad Dominum in die illa prædixit: *Venient enim,* inquit, *populi multi, dicentes, Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus faciem Domini exercituum.* (*Zach. 8.*) Et post pauca: *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum, audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.* (*Ibidem.*)

B

Hæc est societas Israel & Iudæ, quam pauloante ex Osee commemorauimus, qui pariter pergunt, & pariter de terra conscendunt: statuentes sibimet caput vnum, virum scilicet Iudæum, cuius fimbriam apprehendunt, memoriam videlicet illius quæ à corporali eius præsentia vsque ad nos descendit: vnde & mulier hæmorrhoissa tacta à fimbria huius sanata est. (*Osee 1.* *Matth. 9.* *Marc. 5.* *Luc. 8.* *Zach. 8.*) Quod autem dixit, *decem homines ex omnibus linguis gentium,* gentes significat iam legi subditas, secundum illud Michææ seu etiam Isaiæ: *De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem: & iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum.* (*Mich. 4.* *Isai. 2.*) Item post pauca Zacharias: *Exulta satis filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.* (*Zach. 9.* *Matth. 21.*) Vltimus accedat etiam Malachias, qui inducit Dominum sacerdotes increpantem: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum.* (*Malach. 1.*)

C

Iam figuras si requiramus, quæ in huius rei mysterium præcesserunt, plurimæ quidem sunt: sed nos paucas commemorabimus, vt sic quo tendimus perueniamus. Hinc est quod omnis generis animantia congregantur in arca, in typum omnium gentium, quæ in Ecclesia congregari habebant. (*Gen. 7.*) Vnde & Petrus iam tempore imminente, quo figurarum vmbra in veritatem transiret, *vidit cælum apertum, & velut linteum magnum de cælo in terram summitti, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ & volatilia cæli, & dictum est ei: Surge Petre, macta, & manduca.* (*Act. 10.*) Qui cum respondisset se nihil immundum vnquam comedisse, audiuit iterum, ne immundum diceret quod Deus mundasset. Quod quia de hominibus si dictum intellexerit, ostendit ipse postea, Cornelio loquens, *Mihi,* inquit, *ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.* (*Ibidem.*) In typum Ecclesiæ quæ ex gentibus colligenda erat, & legem diuinam susceptura, Moyses adhuc puer à filia Pharaonis nutritur: & iam vir factus, Æthiopissæ coniugio sociatur.

D

In typum Ecclesiæ, Rahab meretrix Iericho pereunte saluatur, coccineo funiculo per fenestram emisso: vt confessio sanguinis Christi, in ore credentium exprimeretur. (*Exod. 2.* *Num. 12.* *Ios. 2.*) Deinde sub Gedeone forma ecclesiæ est, cum siccatur vellus, & area rore completur. (*Iudic. 6.*) Item, sub Dauid, cum ad placandam animaduersionem supernam in area Ornan Iebusæi construitur ara, holocausta offeruntur & pacifica: figura exprimitur, quod verbis per Malachiam postea prænunciatum est, sicut pauloante commemorauimus, dicente Domino: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* (*2. Reg. 24.* *Malach. 1.*) Typus fuit ecclesiæ, cum in matrimonium Salomoni iuncta est filia Pharaonis. (*3. Reg. 3.*) Typus ecclesiæ fuit, secundum Augustinum, etiam transmigratio Babylonis. Sed nimis iam longam præfationem istam protraximus: iam quo tendimus, accedendum est. Omnes ergo (vt diximus) antiqui Prophetæ & præuidebant, & desiderabant dies istos, plenitudinem temporum: in qua veniret salus vniuersalis, generis humani redemptio.

E

De hac enim salute, vt testatur B. Petrus, exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futuris in nobis gaudijs prophetauerunt, scrutantes in quem, i. illum qui à principio cuncta hæc disposuit, vel quale tempus significaret, qui in eis erat spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. Quibus reuelatum est, quod non sibiipsis, nobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt nobis, Spiritu sancto emisso de cælis. (*1. Pet. 1.*) Quamobrem & legislator quæ hæc nostra tempora non tam verbis quam sacramentis expressit, inter cæteras solennitates Israel in typum huius nostri gaudij, etiam septimi mensis festiuitates instituit. Septimus namque mensis tempus designat gratiæ, in quo iuxta Apocalypsim, septem spiritus Dei missi sunt in omnem terram. (*Apoc. 5.*) Ad hoc enim & illud respicit, quod septem annis & septem mensibus templum à Salomone constructum est. Siquidem quarto anno regni ipsius, mense secundo cœpit ædificari: & vndecimo anno, mense octauo consummatum est.

F

Toto enim hoc tempore à Christi aduentu vsque ad reditum, per septiformem spiritus gratiam construitur ecclesia, donec in fine temporum consummetur. Septem mensib. in regione Philisthinorum arca Dei fuit, & in loco qui Principi Gog olim nominatus fuerat, Iezechiel sepulchrum Israel futurum, & septem mensibus ibi sepeliendum esse prædicit. (*1. Reg. 6.* *Iezech. 39.*) Ad mensis ergo septimi festiuitates legislator accedens, sic incipit:

De prima die septimi mensis.

Cap. I.

LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum.*

Si mensis septimus, vt dictum est, tempus fidei gentium intelligitur: quæ erit prima dies mensis huius, nisi sub prædicatione Apostolorum, quando in omnem terram dispersi vsque in fines orbis, tanquam tubæ cœlestes, Christi Euangelium sonuerunt? (*Psalm. 18.*) *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Quomodo autem audient sine prædicante?* (*Rom. 10.*) In tuba igitur prædicationis, nostræ fidei prima dies est.

G

Mensis ergo septimi diem primam festiuam legislator celebrari præcepit: vt præfiguraretur, quæ esset futura lætitia in reditu filij adolescentis, qui post dissipatam substantiæ partem, quæ patre distribuente in illius cesserat, ad patrem reuersus est. (*Luc. 15.*) A quo cum tanta benignitate susceptus, vt accurrens in occursum eius, & corruens in illius amplexus, iubeat proferri stolam primam: *& induite,* inquit, *eum & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes: & adducite vitulum saginatum & occidite: & manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus est.* Deinde senior frater noster quoties appropinquat domui huic, in qua cœleste celebratur conuiuium, audit symphoniam & chorum, ecclesiasticas videlicet solennitates, & lætitiam in Christo credentium: sed non intelligens tantorum causam gaudiorum, aut certe inuidens, adhuc intrare detrectat, donec in fine seculi pater ad eum exeat, id est, ad cognoscendum prouocet filium: & blanda sua satisfactione hanc eius indignationem reprimens, intromissum ad nos, huius nostræ mensæ socium reddat.

H

Solennitatum ergo nostrarum principium, quasi prima dies septimi mensis, temporibus (vt diximus) Apostolorum fuit, quando prima gentium facta est vocatio, clangentib. tubis, mundum scilicet perlustrante tonitruo diuinæ prædicationis. Quod sabbatum cum per legem memoriale nominatur, ad hoc referendum videtur, quia adolescens ille pro cuius reditu festiuitas celebratur, post longinquæ peregrinationis famem tandem in se reuersus, in patris memoriam se recepit, & cum gemitu proclamauit, dicens: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* (*Luc. 15.*) Quod & in Psalmo manifeste declaratur, cum dicatur: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ.* (*Psalm. 21.*) Quia vero sub hac recordatione adolescens iste, iugum pristinæ seruitutis excussit, alieno quippe Domino adhæserat, & porcos illius diu pauerat, in figuram priuatæ huius nostræ libertatis, etiam de hac festiuitate subiungitur:

Omne opus seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.

A

Holocaustum, vel potius holocausta huius diei, liber Numerorum plenius nobis exponit, dicens: *Mensis septimi* Num. 29. *prima dies, venerabilis & sancta erit vobis: omne opus seruile non facietis in ea. quia dies clangoris est & tubarum: offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino.* Vitulũ de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septẽ: & in sacrificijs eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas per arietem, decimam per agnũ: qui simul sunt agni septem. Hæc omnia quoniam libro præcedente tractata sunt, laborem nostrum rursus nõ exigunt. Nam de boue vel ariete, quod siue bos siue aries, nũc vnus, nunc duo ponantur: sufficiens, vt credimus, ibi ratio reddita est. De hac autem solennitate notandum est, quod in Psalmo maxime commendatur, cum dicitur: *Exultate* Psalm. 80. *Deo adiutori nostro. iubilate Deo Iacob. Sumite Psalmum & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis *vestræ.* *nostræ. Vbi enim Deum adiutorem nostrum nominat, tempus gratiæ designat, in quo per spiritum Christi lex completur quæ ante inuentam gratiam, peccatores quidem conuicit, sed peccata auferre

B

non potuit. Quod autem dicitur: *sumite psalmum, & date tympanum*: illud respicit, quod ea lege paulo ante commemorauimus, in die clangoris & tubarum ab opere seruili esse cessandum: quoniam qui recipiunt tubam euangelicæ prædicationis, quæ psalterij instar de supernis sonat, reddere debent tympanum quod ex corio sicco conficitur, vt scilicet ab illicitis voluptatibus corporis nostri corium siccetur. Cum vero subiungitur, *buccinate in neomenia tuba*: manifeste dies clangoris & tubarum exprimitur, quæ in Calendis mensis septimi celebrari iubetur. Neomenia siquidem noua luna interpretatur. Hæc est prima mensis dies, quia iuxta lunæ cursum computant Hebræi menses suos, singulas lunationes pro mensibus accipientes.

De decima die septimi mensis.

Cap. II.

C

Transit legislator ad aliam mensis huius festiuitatem, ita subiungens:

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus.

Hæc est dies in qua Pontifex ingrediebatur sancta sanctorum semel in anno, portans secum sanguinem victimæ suæ, cuius aspersione expiabatur sanctuarium atque exterius tabernaculum, deinde etiam altare holocausti quod erat ante introitum tabernaculi. De huius diei sacramento nos iam superius libro duodecimo plenius tractauimus: vbi apparuit, docente Apostolo, omnia hæc in Christo fuisse completa. *quia assistens Pontifex futurorum bonorum, non per* Heb. 9. *sanguinem hircorum aut taurorum, sed per proprium sanguinẽ introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Huius vero sanguis omnium credentium expiatio fuit. *Ipse est enim qui* Apoc. 1. *dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Huius sicut passio per immolationem vituli, sic & resurrectio præfigurabatur per eiusdem vituli concremationem. Mense ergo septimo festiuitas hæc iussa est celebrari, quia *postquam* Galat. 4. *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Decima dies

D

mensis, huic festiuitati deputata est: quia sicut per Christi gratiam legis adimplentur præcepta, sic per eius mortem & resurrectionem legalia complentur promissa. Hinc est enim quod in passionis eius narratione Euangelista testatur, dicens: *Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scriptura Prophetarum.* Math. 26. Dicatur ergo: *Decima die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus. Affligetisque*, inquit, *animas vestras, & offeretis holocaustum Domino.* Post illam expiationem quam sacri sanguinis nobis effusio contulit, exigitur & à nobis nostræ humiliationis afflictionisque oblatio: quia *sacrificium Deo est spiritus contribulatus*: Psalm. 50. *& nosmetipsos iudicantes*, teste Apostolo, *promeremur, ne a Do-* 1 Cor. 11. *mino iudicemur.* Inde est, quod cum per Ieremiam sicut in præfatione libri huius cõmemorauimus, promisisset, Do- Ierem. 31. minus se ab extremis terræ gentes congregaturum. *Adducam*, loquens, *eos de terra aquilonis, & congregabo ab extremis terra, inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & pariens simul, cœtus magnus reuertentium huc*: illico subiunxit, *In fletu venient, in precibus deducam eos.* Per Zachariam quoque: *Effundam*, Zach. 12. inquit, *super domum Dauid & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum.* & post pauca, *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddo: & planget terra, familiæ & familiæ seorsum. Familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familia Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Præmiserat enim Propheta pœnitentiam habitantium Ierusalem, qui Christum doluerunt à se fuisse occisum: cum prædicante Petro, & facinus tantum arguente, compuncti sunt multi ex ipsis, & ab Apostolis suæ salutis consilium quæsierunt. Hanc igitur eo- Act. 2. rum tristitiam prænunciauerat, dicens ex ipsius Domini persona: *Et aspicient ad me quem confixerunt*: moxq; sermonis Zach. 12. formam vertens, *& plangent*, inquit, *eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti.* Post hunc vero specialem planctum primitiuæ illius

F

Ecclesiæ, quo tanti facinoris reatum abluit, transfert oculos Propheta in totius Ecclesiæ corpus: & generaliter omnium, qui ex quibuscunque erroribus ad Deum reuertuntur, fletum distinguit, dicens: *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddo.* Ierusalem non iam vnam illam ciuitatem, de cuius habitatoribus dixerat Dominus, *aspicient ad me quem confixerunt*: sed Ecclesiam intellige, quæ ab illa terrestri incipiens Ierusalẽ, gentes occupauit, & vsque ad terminos orbis dilatata est. Adadremmon vero, vt ait B. Hieronym. vrbs est iuxta Iezraelem in cãpo Mageddo, in quo Iosias rex iustus à Pharaone, cognomento Nechao, vulneratus est: quem luxit 4. Reg. 23. vniuersus Iuda & Ierusalem, sicut scriptura testatur, & Iere- 2. Par. 35. mias maxime: Adadremmon igitur iuxta Septuaginta, malum granatũ interpretatur: vel vt expressius dicamus, hortus malorum granatorum *Rhoon quippe græce ponuntur, *Rhoan quod significat non vnam arborem malorum granatorũ, id est, mali punici, sed locum his arboribus consitum.

G

Mageddo quoque, pomorum eius, interpretatur. Quis est autem hortus malorum granatorum nisi Ecclesia, cui sponsus in Canticis loquitur, dicens: *Hortus conclusus soror mea* Cant. 4. *sponsa, hortus conclusus, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum?* Ad quem & ipsa: *Dabo*, inquit, *tibi poculum ex vino con-* Cant. 8. *dito, & mustum malorum granatorum meorum.* Sicut enim in malo granato sub vno cortice diuersi granorum ordines continentur, sic & in diuersis ecclesiæ locis, diuersis sanctorum cœtibus, multa corda sub vna fide ac dilectione iunguntur. Hæc autem ciuitas, hic hortus, in campo Mageddo situs est, videlicet in campo fructifero, in loco pomorum eius: quia totum occupans orbem, locum prius sterilem fœcundum reddidit, proferens in filijs noui testamenti poma noua, quæ in antiquis sanctis vetera dederat, iuxta illud Canticorum: *Omnia poma dilecte mi, & noua & vetera* Cant. 7. *seruaui tibi.* Iuxta hanc igitur vrbem Iosias rex occisus est, qui interpretatur Domini salus: quia Christus Dominus, dum nobis per passionem iunctus est, in carne mortali qua no-

H

bis conformatus est, mortem suscepit: & moriens, viuentibus causa salutis fuit. Sicut igitur ciuitas Adadremmon Iosiæ mortem planxit, sic & nos regis nostri: non quod doleamus quia mortuus est, imo gratias agimus, quod pro nobis mori dignatus est: sed tamen in contemplatione crucis ipsius, in lachrymas soluimur, dum perpendimus quantum fuerit pondus captiuitatis nostræ, quæ sine tanto pretio [illegible] non potuit: & charitate illius compungimur, admirantes quæ vicerit eum clementia, vt nostra crimina ferret tãtus, & nostræ mortis ignominiam sustineret. Non est tamen [illegible] vnus omnium planctus, quoniam diuersis affectibus [illegible] mur singuli, & dissimilis nobis est gemendi materia, dum quidam timore compunguntur, quidã amore. Isti etenim morte Christi in sui reatus cognitionem deducti, dum perpendunt (vt diximus) quia Deus pro homine mori non [illegible] tuit, nisi grauis esset damnatio, quam per eius mortem homo reus euasit: hostię summi Pontificis, afflictionis suę hostiam sociant: & in lachrymis ipse effluunt, dum pro pec-

cati.

A tatis suæ æterna supplicia pertimescũt. Alij vero in quibus longa mœroris anxietudine iam formido consumpta est, postquam de præsumptione veniæ securitas eis confertur, in amorem cælestium gaudiorum animus inflammatur: & qui prius flebant ne ducerentur ad supplicium, postmodũ (Zach. 12.) flere amarissime incipiunt, quia differuntur à regno. Plangit ergo terra, iuxta vocem Prophetæ, familiæ & familiæ seorsum: quia aliter plangit familia Dauid, siue iuxta Septuaginta tribus Dauid, aliter tribus Nathan: dissimiliter (2. Reg. 11.) quoque tribus Leui, & tribus Semei. Per Dauid namq;, qui post adulterium & homicidium digna satisfactione veniã meruit, eorum designantur lachrymæ, qui reatus sui magnitudinem perpendentes, timore compuncti, graui mœroris anxietudine macerantur. (2. Reg 12.) Nathan vero Propheta, cuius allocutione Dauid peccatum suum agnouit & planxit: eos vtique figurat, qui de proximorum salute soliciti, eorũ peccata lachrymis prosequuntur: & nunc orãdo pro ipsis, nunc etiam agendo cum illis, à peccati voragine lapsos reB (Iacob. 5.) uocare nituntur. *Si quis enim errauerit a veritate, & conuerterit quis eum scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Hoc affectu tenebatur beatus ille, qui dicebat: (Iere. 9.) *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Dolor meus super dolorem, cor meum mœrens.* Iam vero tribus Leui, q̃ interpretatur assumptus, tribus sacerdotalis & ea sancta, non ite euidenter illorum typum gerit, qui iam per spiritum sanctificati, & in amorem virtutum assumpti amplius plangunt quod bonis perennibus desunt, quam plangebant prius quando adhuc æterna supplicia metuebãt? Quia vero charitas sanctorum sicut proximorum peccata deplorat, sic & bona perennia proximis exoptat: sequitur trib. Semei, qui interpretatur auditio mea. Quod enim hoc in loco ad inuestigandum scripturę sensum, hominis illius persona non sit discutienda, sed tantum nominis huius interpretatio sequenda. testãtur Septuaginta, qui pro Semei, Simeon posuerũt, quod similiter exauditionem sonat: paruipendentesq; C literæ superficiem corrupissent, dum quibuscumq; verbis sensum nobis Propheticum declarassent. Qui igitur per Semei, ipsi & per Simeon recte intelliguntur: quia qui Deum audiunt præcipientem, vt benigni proximis existant, ipsi quoque à Domino petentes exaudiuntur, vt quod alijs im(Luc. 6.) pendunt, citius assequantur. *Date enim, inquit, & dabitur vobis.* Dilectio quippe fraterna ipsa est, quæ diuinam singulariter meretur exauditionem, iuxta hoc quod scriptum est, (Matth. 18.) Domino promittente *quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est.* Per tribum igitur Dauid & Nathan, intelliguntur hi, qui vel sua vel aliena peccata deplorant. per tribum aũt Leui & Semei, feliciores accipimus. qui mutato genere cõpunctionis, non iam conscientiæ stimulo fatigantur, sed suis orationibus tam sibi q̃ proximis gaudia sempiterna mercantur. Omnes igitur familię plangere perhibentur, seorsũ tamen & seorsum, quoniam alijs atque alijs affectibus in lachrymas resoluuntur. Quia vero spiritualium virorum affectionibus aliquid simile habent etiam perturbationes D carnalium, sicut sanctorum lachrymæ quibusdam ab inuicem gradibus distinguuntur, sic carnalium fletus à spiritalis dignitate compunctionis longius separatur. Iusti namq; vel sua vel aliena deflent peccata, sed mundi amatores vulnus quidem peccati nõ sentiunt, temporalia tamen flagella, quæ pro peccatis suis Deo iudicante patiũtur, vel sibi vel alijs pertimescunt. Plangentes itaque, quodammodo pœnitentibus conformantur: tamen quasi mulieres, inter viros deputandi sunt, quos ad lachrymas non peccati pœnitudo perduxit, sed diuinæ castigationis pondus violenter inflexit. Sic & iustorum orationibus, carnalium petitiones quasi similes apparent: nam isti pro æternis, illi pro temporalibus commodis Domino preces fundunt, quæ vel sibi vel amicis conferri deposcunt. Mulieribus tamen illa deputatur oratio, quæ fletibus assiduis terrenam aspirat abundantiam, dum mens virtutis appetitum non concipit, sed per voluptatum phantasmata eneruis & dissoluta cogitando discurrit. Huiusmodi preces cum petentium saluti cõsulitur, sæpius à Domino repelluntur, iuxta hoc quod scriE ptum est: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* (Iacob. 4.) Cum vero recipiũtur, ira diuina est: *quia dimisi, inquit, eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* (Psal. 80.) Manifestum est igitur, quia in quacunque tribu virorum mulierumque planctus seorsum & seorsum fit, quia longe à se inuicem distant, compunctio quam feruor spiritus excitauit, & lachrymæ quas affectio carnalis expressit. Quia vero multis & alijs speciebus compunctio diuiditur: sicut enim patribus visum est, tot sunt, quot in anima vna, imo cunctis animabus status queunt qualitatesque generari: quia secundum mensuram prioritatis, in qua mens vnaquæq; proficit, & qualitatem status in quam vel ex accidentibus inclinatur, vel per suam renouatur industriam, ipsæ quoque momentis singulis reformantur: apte subiungitur, *Omnes familiæ reliquæ, familia & familia seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Necesse est igitur iuxta legis præceptum, vt in tempore expiationis nostræ affligamus aF nimas nostras: quia sicut ait beatus Gregorius, etiam qui in bonis operib. positi sũt, oportet nimis vt aut timore supplicij, aut amore regni cælestis, mala q̃ perpetrauerũt, deplorẽt.

Affligetis ergo, inquit, *animas vestras, & offeretis holocaustum Domino.*

Holocausta etiam huius diei liber Numerorum nobis (Num. 29.) exponit, vbi sic legitur. *Decima dies mensis septimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras. Omne opus seruile non facietis in ea: offeretisque holocaustum Domino in odorem suauissimum: vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos sine macula septem.* Eadem holocausta singulis festiuitatibus repetuntur, pascha videlicet, pentecoste, prima die mensis septimi, decima eiusdem mensis. Ipsi namque qui credunt Christum surrexisse à mortuis, etiam suæ resurrectionis spe gaudent, & pastores & agni: quorũ multi in primordijs ecclesię tanquam prima die septimi mensis extiterunt, plures postea: sed & vsque in consummationem seculi non sunt defuturi, qui omnes expiationis celebrant diem dum mortem Domini sui memoria retinentes, affligunt animas suas. & hostiæ summi pontificis, suæ satisfactionis sacrificium iungunt. Ipsi igitur (vt diximus) singulis festiuitaG tibus per vitulos, per arietes, per agnos designantur: quia licet aliquando varietur numerus hostiarum, cum vituli aut arietes, nunc duo nunc vnus ponuntur: non tamen ad alios figura transfertur, sed circa eosdem diuersum aliquid figuratur. Sequitur

Omne opus non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester.

Notum est, q̃ primi parentis reatus nos & peccato seruos, & labori fecit obnoxios. Sed sicut Deo iuste indignãte, in hãc necessitatem incidimus, vt nec peccato resistere, nec laborem declinare possemus: sic eo nobis propitio reddito, & peccati iugum iam reijcimus, & à laborib. nostris requiẽ expectamus. Sub cuius libertatis nostræ sacramẽto, die propitiationis sabbatum Iudæis indicitur: vt intelligat Dei populus, ex diuina misericordia diem illum se sperare debere, in qua nec corruptioni subdatur, nec iniquitati seruire cogatur. Quia vero præceperat lex, vt animas suas affligerent, & quiescerent, de vtroque subiungit, dicens:

H *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis suis: & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.*

Aduertendum est, quanti ponderis sint res ipsæ, quarũ sacramenta vel similitudines ne violari debeant, tanta seueritate interdicitur, vt violatoribus mors intentetur. Neque. n. Iudaica illa afflictio, quæ hac in die ex legis seruabatur traditione, ieiunando forsitan vel nudis pedibus incedendo, aliud q̃ Christiani mœroris formam exhibuit, eorum s. qui inter prospera pauidi, & nonnunquam etiam sub transeũtis affluentiæ lætitia mœsti, dicũt cum Psalmista. *Dolor meus in conspectu meo semper, quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* (Psalm. 50.) Itemq; *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* (Psalm. 41.) Hæc nempe sunt duo genera compunctionis, quæ supra distinximus: quorum vnum ex timore procedit, aliud ex amore. Paulatio quoq; illa quæ corporaliter obseruabatur, nostræ (vt diximus) quietis tenuit sacramentum: q̃ partim à nobis etiam in hac vita spiritualiter obseruatur, in futura vero plenior expectatur. Licet igitur vmbra quædam ibi fuerit ac species veritatis, di-

A citur tamen: *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, vel quæ operis quippiam fecerit, delebo eã de populo suo.* Sic enim & Abrahæ
Gen. 17. de circuncisione dictum est. *Masculus cuius præputij caro circũcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Sacramentorũ igitur virtus ac excellentia, hac præcipientis diligentia cõmendatur: quæ etiam præcepti repetitione nobis insinuatur, cum subditur:

Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus & habitationibus vestris, sabbatum requietionis est, affligetisq; animas vestras.

Concluditq; ritum huius diei legislator, ita subinferẽs: *Die nono mẽsis a vespero vsq; ad vesperũ, celebrabitis sabbata vestra.*

Per diem iustitia, per noctem vero peccatũ intelligitur.
Ephes. 5. Vnde est illud. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Si vero quicquid iustum est, dies est & lex dies est, &
Roma. 7. tempus gratiæ dies est. Nam & *lex quidem sancta, & mandatũ sanctum & iustum & bonum.* Sub lege dies nonus, sub gratia
B dies decimus est. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* *Finis autem legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Ipse nanque dixit:
Heb. 7. Rom 10. Matth. 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere.* In lege partim præcepta morum, partim sacramenta reperies promissorũ. Hæc implentur per adiuuantem gratiam, illa per redditam veritatem: vtraq; per Christum, & illam gratiam semper donantem, nunc etiam reuelantem. & illam veritatem tunc promitterẽtẽ, nunc exhibentem: *quia lex per Moysen data est: gra-*
Ioan. 1. *tia autem & veritas per Iesum Christum facta est.* Lex igitur diem habuit, quæ tamen vsq; ad vesperum festiua non fuit: quia si præcepit, non iuuit: si promisit, non exhibuit. Insuper & reuelandæ quandoq; iustitiæ veritatisq; reddendæ sacramentis, graui scil. onere subditos pressit. Sola igitur nihil gaudij mundo contulit, quia litera sine gratia peccatum auxit, & præuaricatores nos fecit. & promissio sperantium differẽs expectationem, potius nos afflixit, sicut scriptum
Prou. 13. est: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Postquam autem in vesperum declinauit dies ista, iam solennis extitit: quia legis
C doctrina postquam gratiæ accessit, quasi iam decimæ propinquans, multum iuuit: & quod tam diu promissum fuerat, postquã cœpit exhiberi, delectabile fuit. Ipsa legis vmbra post Christi aduentũ iam reuelari incipiens, occasum quidem habuit, sed festiuum: quia in seipsa deficiens, & ad mysticos sensus relata, nunc spiritali intelligentia legentes pascit. Nec sola sibi dies decima festiua decernitur, ne lex quæ temporis plenitudinem antecesserat, reprobari videatur: nec dicitur tamen, quod nona cum decima festiua sit, vt legis notetur infirmitas, quæ viuificare non potuit: sed tantum nonæ, vespera decimæ iungitur, vt lex cum à carnali deficit obseruantia, & spiritui accedit, euangelicæ solennitatis particeps insinuetur. Decimæ vero dies festiuitas cũ suo vespere terminari præcipitur, satis apparet quod non ad æternum diem qui vesperum nescit, sed ad præsens temp⁹ referenda sit. Præsens enim ecclesiæ status, in quo nunc
Psalm. 45. fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, tunc finem habebit, cum ille venerit qui finem nescit.

De ferijs tabernaculorum.

CAP. III.

D **E**T *locutus est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel, A quintodecimo die mensis huius septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.*

Huius solennitatis ritus in memoriã diuinorum beneficiorum Iudæis traditus est, vt scilic. recordarentur quod egressi de Ægypto, per vastam ac terribilẽ solitudinem in qua non erat domus, faciebant sibi tabernacula atq; tentoria, q nunc ad similitudinẽ patulæ auis, papiliones vocantur: in quib. per diem, solis ardorẽ: per noctem, frigoris in-
Exod. 12. iuriam deuitarent. Sic & pascha celebrabant, ob recordationẽ noctis illius, qua sanguine agni postibus illitis, euaserunt gladium exterminatoris. Sed in his ac similib. aliud Iudæus attendit, aliud Christianus intelligit. Legimus in Euangelio, q in cõcilio Pharisæorũ Põtifex Caiphas de Chri-
Ioan. 11. sto loquẽs, *Vos nihil scitis, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc aũt
Ibidem. teste Euãgelista, *à semetipso non dixit, sed cũ esset Pontifex anni illius, prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantũ pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Idem ergo spiri-

E tusq homicidæ illi labijs ad id q voluit, vsus est: & per os etiam nescientis mysteria locutus (aliud quippe hic in verbis suis sensit, aliud non sentiens prophetauit) ipse Prophetarũ & linguas mouit, & corda docuit, vt scientes eisdẽ verbis diuersa diuersis loquerentur, miro & prorsus diuino loquendi genere, cum quasi vnũ dicentes, aliud tñ præsentib. innuant, aliud futuris prænuntiant. Hinc B. Augustinus contra Faustũ
Deut. 28. agens, cum illud legis capitulum in manib. haberet, *Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ,* q quidem varios intellectus parit: filius, inquit, euangelij cum audit Dñm suũ
Ioan. 5. de Moyse perhibentẽ, *de me enim ille scripsit,* in hac ambiguitate sententiæ videt quid Prophetæ porcis proijciãt, q d hominib. innuant. Sed & B. Gregor. in moralibus: Quãuis, inquit, omnem scientiã atq; doctrinam scriptura sacra sine aliqua cõparatione transcendat, vt taceam q vera prædicat, quod ad cælestem patriã vocat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, & paruulis humili sermone blanditur. q nec
F sic clausa est, vt pauesci debeat: nec sic patet, vt vilescat: q vsu fastidium tollit, & tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur: vt ergo de rerum pondere tacea, scientias omnes atq; doctrinas, ipso etiã locutionis suæ more trãscendit. quia vno eodemq; sermone dũ narrat textum, prodit mysteriũ: & sic scit præterita dicere, vt eo ipso nouerit futura prædicare. Quæ autem in verbis, eadẽ est fœcunditas & in sacramentis. Nam & ipsa sacramenta, quædam visibilia verba sunt. Prætermittamus igitur, cur in tabernaculorũ festiuitate Iudæus commoretur, & in eorũ ceremonijs nostra po-
1. Cor. 10. tius requiramus. qm teste Apostolo, *omnia hæc in figura contingebant illis: scripta sunt autẽ propter nos, in quos fines seculorũ deuenerunt.* Ad hũc igitur diem festum legimus Dñm Iesum ascendisse Hierosolymam. *Cũ enim esset in Galilæa, erat in proxi-* Ioan. 7.
mo, sicut narrat Ioan. *dies festus Iudæorũ scenopegia.* Sic vocaba- σκηνοπηγία.
tur solennitas hæc tabernaculorum, q sub vmbraculis tũc comederent: scena quippe vmbra dicitur, phagos aũt comestionem sonat. Vt ergo ascẽderunt fratres eius, ipse quoq; ascendit ad diem festum: *non manifeste,* inquit, *sed quasi in oc-*
G *culto.* In qua sua occultatione, vel potius occultandi similitudine: neq; enim latuit in die festo, q in tẽplo publice docuit: sed tñ ascẽdens, quadã specie quasi latebras affectasse visus est. In hac igitur occultatione, nihil aliud, vt dicit B. August. nobis innotuit, nisi q in eadem celebritate ipse figurabatur, sed non intelligebatur. Vnde dum quasi latẽdi speciem prætẽdebat, sub illius vmbræ velamine se latere docebat. Ecclesia siquidẽ quæ Christi corpus est, iam ipsam tenet rem, cuius illi præcẽdebãt imaginẽ. Quod & Zacharias
Zach. 14. Propheta longe ante pronunciauerat, dicens: *Omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentib. quæ venerunt contra Ierusalẽ, ascendent ab anno in annũ, vt adorẽt regẽ Dominum exercituũ, & celebrent festiuitatem tabernaculorũ.* Quod dicit, *ab anno in annũ,* i. per singulos annos, cõtinuationẽ ac perseuerantiã huius ascẽsionis
Psalm. 95. designat: velut in psalmo cum dicitur, *annũciate de die in diẽ salutare eius,* i. p singulos dies, vt s. sine intermissione prædicetur. Gentes ergo q prius venerant cõtra Ierusalẽ, in Assyrijs, in Chaldæis, in Græcis, nouissime in Romanis, nunc ascendunt ad montẽ Dñi, *qui eleuatus est super oẽs colles. & ad do-*
Isai. 2. *mum Dei Iacob,* videlicet ecclesiam: q licet ex gentib. eiusdem
H congregetur, inseritur tũ radici illi antiquæ, tanq oleaster pinguedini oliuæ consociatus: & ibi adorant Reg. Dominũ
Apoc. 1. exercituũ, eum s. qui *primogenitus mortuorũ* dictus esse, & *princeps Regum terræ,* quẽ nunc adorant oẽs Reges, & ei seruiũt
1. Cor. 2. Heb. 13. omnes gentes. Hos igitur omes q ad eum confluxerũt, docet ipse vias suas, vt s. vtantur hoc mundo, tanq non vtentes: & considerantes q non habẽt hic manentẽ ciuitatem, tanquam hospites & peregrini sint super terram, cœlestẽ patriã suspirantes. Sic enim celebrãt festiuitatem taberna-
Matth. 11. culorum dum lætantur sub eius gratia, qui laborantes eos ac oneratos graui sarcina cupiditatum, ad se vocauit: iuxta
Iob 19. illud beati Iob, *onagrum liberum dimittens, ac vincula illius dirumpens.* Septem vero diebus obseruatio celebritatis huius extenditur: quia postquam ad Dominum conuersi sumus, tota vita hac quæ septem diebus voluitur, transeuntes eremum hanc horribilem ac periculosam, quasi sub tentorijs agere debemus, & æterna gaudia suspirare. Quintusdecimus autem numerus, à qua die festiuitas hæc initium sumit, magnum in scripturis continet sacramentum:

A

mentum: eo quod ex septenario constans & octonario, & animarum nostrarum requiem, & corporum resurrectionem designet. Hinc est quod Ezechiæ regi morituro, quindecim anni superponuntur: & diluuij inundatio, quæ baptismatis typum tenuit, super montes quos operuerat, quindecim cubitis altior fuit: multaq; huiusmodi quibus, quia iam multa inseruimus, ad temperandam prolixitatem, in totum supersedimus. A quintadecima igitur die in tabernaculis habitare incipimus, dum mox futurorum bonorum spe concepta, præsentia cuncta tanquam aliena respicimus: & quorumlibet ædificiorum fastigia, ducito nos migraturos cogitamus, quasi quædam huius itineris nostri tentoria reputamus. Est & allegoricus in verbis istis intellectus. Si enim prima mensis istius dies, initium vocationis gentium intelligitur, vt paulo ante tractauimus: merito dies quintadecima, qua luna luminis sui quotidianis incrementis iam obtinet integritatem, ad illa reuertitur tempora, quibus ecclesia ad fines vsque dilatata, iam subacto orbis imperio, iā comprehensis aduersarijs, quasi noctis tenebris vndiq; repulsis, plenam autoritatis suæ consecuta est claritatem. Hoc ergo iam tempore fidelis populus post longum tribulationis suæ mœrorem, fidei suæ tandem expertus virtutem, sub concessa sibi trāquillitate, communibus gaudijs exultauit: præsentibus Dei beneficijs, certiorem promissæ sibi beatitudinis fiduciam sumpsit. Quod etiā per Nahum Prophetā manifeste prænonciatum reperies. Post gentilium nanque persecutiones, post hæreticorum seditiones, quas vtrasque satis euidenter futuras prædixit, tandem ex persona Domini ecclesiam alloquens: *Afflixi*, inquit, *te, & non affligam vltra: & nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua dirumpam.* Et post pauca: *Celebra*, ait, *Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adijciet vltra vt pertranseat in te Belial. vniuersus interijt.* Et quia non eius virtute hoc actum est, sed illius beneficio qui cælos penetrauit: *Ascendit*, inquit, *qui dispergat coram te, qui custodit obsidionem*, videlicet eos qui te obsederūt, quasi aquas in vtre concludit. *A quintadecima* igitur, inquit, *die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.* Deinde subiungitur:

Isai. 38. Gen. 7. Nahum. 1. Ibidem. Nahum. 2.

B

C

Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus, omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino.

Iam in paschali solennitate hoc ipsum tractauimus, quod primam diem conuersationis nostræ celeberrimam reddimus atque sanctissimam, si plena voluntate quātum in nobis est, omnibus vitijs renūciamus, si pristinam peccati detestamur seruitutem, & ab omni seruili opere nos continere satagimus. Si tamen carne repugnante non totum quod volumus, facimus: lugeamus nosipsos coram Domino, donec per gratiam ipsius perfici mereamur. Cui enim noster displicet lapsus, placet luctus: & reformat humilitas, quod solennitati nostræ detraxit infirmitas. Quod aūt dicitur, *& septem diebus offeretis holocausta Domino*: allegoricum est, & vniuersalem respicit ecclesiam. Ipsa nempe quandiu septenarius hic temporum voluitur orbis, offert Domino holocausta sua, boues, arietes atque agnos, sicut in alijs solennitatibus supra tractatum est. Sequitur:

D

Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus & offeretis holocaustum Domino.

Dies octaua vniuersalem signat resurrectionem, quia Dñs octauo die, post septimum s. sepulturæ suæ, resurrexit a mortuis. Hæc omnibus manifesta sunt. Cuius diei celebritatem quis digne possit effari, qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, qua gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor omnis & gemitus? In illa Dei populus holocausta Domino, quando absorbebitur quod mortale est à vita: & tam mente quam corpore clarificatus, diuinis in perpetuum laudibus inhærebit. De qua & subditur:

Matth. 13. Isai. 35. 2. Cor. 5.

Est enim cœtus atque collecta.

Hic manifestius vnde loqueretur, expressit. Ædificans quippe Ierusalem Dñs, dispersiones Israelis congregabit. De qua felici iustorum collecta alius quoq; Psal. canit, dicens: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione.* Illuc congregantur iusti, cū hinc assumuntur: sicut de patre nostro Abraam legimus, quod deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis & plenidierum: congregatusque est ad populum suum. Hanc sanctorum cōgregationem, hoc consilium beatorum, quod ideo recte consilium dictū est, quia domesticos solos admittēs, alienos oēs excludit: hoc inquam consilium B. Ioannes in Apocal. sua sibi ostensum testatur dicēs: *Post hæc videbam turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, stantes ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna, dicentes. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* In huius ergo conuentus typum, octauus dies festiuus celebratur in scenopegia à filijs Israel. *dies celeberrimus atque sanctissimus est enim*, inquit, *cœtus atque collecta.* Addit que.

Psal. 146. Psal. 110. Gen. 25.

E

Apoc. 7.

Omne opus seruile non facietis in eo.

Hoc expositione non indiget, supra enim non semel expositum est. Concludit vero legislator ea quæ de solennitatibus dicta sunt, ita subinferens:

F

Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atq; sanctissimas offeretisq; in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta iuxta ritum vniuscuiusq; diei, exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quod sponte tribuitis.

Quod dicitur, hæ sunt feriæ Dñi quas vocabitis celeberrimas, ad illas tres respicit, quas principales inter cæteras anni statuerat festiuitates, pascha, pentecosten, & scenopegiā. De his enim tribus in Exodo scriptum est: *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solennitatē azymorum custodies, & solennitate mensis primitiuorū quæcunq; seueris in agro. solennitatem quoq; in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Harum igitur ritum hic tradiderat, & de his intelligendus est subiunxisse: *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas.* In his autem quæ holocausta vel libamenta offerenda sint, ex Numerorum libro supra ostendimus nisi quod huius vltimæ solennitatis holocausta prætermisimus, quæ prolixam exigebant disputationem, verentes ne dum ex omni latere expositionem formare satagimus, nimia prolixitate fastidium lectoribus imponeremus. Si tamen ad hanc cautelam minus alicubi vigilauimus, veniam petim'. Difficile quippe est, modum tenere in omnibus. Dum n. delectat nos scripturarum consonantia, ad confirmandum quod proponebatur, nonnullis in locis plura fortassis congessimus testimonia, quam breuitatis possibilitet lex: quod tñ apud lectores aut venia dignum, aut etiam gratum futurum existimo. Prodest nanque plurimum diuinorum eloquiorum collatio, vnde & scriptum est, quia *conseruabat Maria cuncta quæ viderat vel audierat, conferens in corde suo.* Sed ad propositum reuertamur. *Hæ sunt*, inquit, *feriæ Domini quas vocabitis celeberrimas, & offeretis in eis holocausta & libamenta, iuxta ritum vniuscuiusq; diei exceptis sabbatis Domini*, quæ singulis hebdomadibus repetuntur donisque vestri, & quæ offertis ex voto, vel quæ sponte tribuitis. Vbi dicitur, *& quæ offertis ex voto: &*, pro id est, ponitur: sicut & supra in conclusione lepræ notauimus, & multis in locis hoc animaduerti potest. Exponens n. quod dixerat, donisque vestris, subdidit, *quæ offertis ex voto, vel quæ sponte tribuitis.* In Numeris quippe hoc ipsum sic positum est: *Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris, præter vota & oblationes spontaneas.* De donis nihil locutus est, innuens non esse aliud dona quæ in hoc Leuitico præmiserat, quam vota & oblationes spontaneas, quibus in Numeris nihil addidit. Sequitur:

Exod. 23.

G

Luc. 2.

Num. 29.

H

A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die prima & die octaua erit sabbatum, id est, requies.

Repetit quod iam dixerat, vt eiusdem festiuitatis ritum plenius exponat. Quod vero nunc addidit, à quintadecima die mensis, quando cōgregaueritis omnes fructus terræ vestræ: illud respicit quod superius dictum est, in quintadecima die mensis septimi, ecclesiæ plenitudinem allegorice intelligendam, postquam per orbem diffusa, ad dexteram & ad læuam gentes occupauit, congregans de terra fructus quibus cælestem repleat apothecam, & suæ messis hubertate præbens cælo terrisque lætitiam. Iungit & alia quædam ad diem festum pertinentia, quæ prius prætermiserat, dicens:

Sumetisq; vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente: & lætabimini coram Domino Deo vestro.

A In his omnibus multa dici festo gratia præbebatur, & facies quædam effusiuris lætitiæ videbatur. Quorū si mysterium discutiamus, intelligemus vere quæ sit Christianæ festiuitatis materia, vnde gaudeant qui spiritaliter gaudēt: [Psalm. 149.] verus Israel qui *lætatur in eo qui fecit illum*, & filiæ Sion quæ *exultant in rege suo*. Dicit enim: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ.* Per arbores homines designari, docet [Matth. 12.] nos scriptura, dicente Domino: *Aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Itemque iustus: *Ego sicut oliua fructifera in* [Psal. 51.] *domo Dei.* Quæ est igitur arbor pulcherrima, nisi homo pul- [Psalm. 44.] cherrimus, speciosus forma præ filijs hominum? De ipso [Cant. 2.] quippe loquitur sponsa eius in canticis, dicens: *Sicut malū inter ligna syluarū, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quā desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Neq; enim [Matth. 3. & 7.] de illis arboribus hæc fuit, de quibus dictum est: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur:* Attulit fructum & illum optimū. Nam & quicunq; nostrū fructum facit, per illum vtiq; facit qui dixit: *Qui manet in me,* [Ioan. 15.] *& ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis* B *facere.* Fructus autem fidelium sunt fructus spiritus, quos e- [Galat. 5.] numerat Apostolus, dicens: *Fructus spiritus sunt charitas, gau-* [Rom. 6.] *dium, pax, patientia,* & cætera huiusmodi. Itemq; *Habetis,* inquit, *fructum vestrum in sanctificationem.* Fructus igitur spiritus est, qui humanam sanctificat animam, in quo fructu omnes excedit, qui sanctus sanctorum inter peccatores apparuit. Huius fructus sponsa Christi delectabiliter recordatur, cū [Psalm 144.] memoriam abundantiæ suauitatis eius eructat, cum gloriā sanctitatis eius loquitur: quia *fructus iste dulcis est gutturi* eius [Cant. 2.] dulcis ori, meditationi. De hoc ergo fructu loquitur legislator, dicens: *Sumetis vobis die primo fructum arboris pulcherrimæ.* Huius quippe arboris fructum sibi sumit, qui Christi opera coram oculis suæ mentis constituit, & ad eorum imitationem pro viribus se extendit. Palma vero, notum est omnibus, quod victoriam signat. Ex palma nanque apud [Apoc. 7.] antiquos coronabantur victores, vnde in Apocalypsi Ioānis, sancti qui mundum vicerant, & iam Deo assistentes, triumphi sui retributionem perceperant, palmas in mani- C bus habuisse dicuntur. Spatulas vero palmarum illas existimo quas nos spicas dicimus, spatulæ nanque dictæ sunt, quod scilicet spatarum formam videntur prætendere. *Sumetis* ergo, inquit, *vobis fructum arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum.* Quid est enim vnde rectius glorietur populus Christianus, quam cum Domini sui virtutes recolit, & eum iam de morte triumphasse confidit? Hinc enim per Balaam spiritus sanctus loquitur, dicens: *Non est idolum in Iacob, nec* [Num. 23.] *videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est & clangor victoriæ regis in illo.* Cum fructib. igitur arboris pulcherrimæ, etiam palmarum spatulas in manibus habemus: si gloriam recolentes Dominicæ sanctitatis, triumphum quoq; resurrectionis illius, sed & martyrum coronas in quibus ipse victor apparuit, solenniter celebramus. *Et ramos,* inquit, [Psal. 117.] *ligni densarum frondium.* Hoc est quod in Psalmo legimus: *Constituite diem solennem in condensis.* De his quippe conden- [Psalm. 28.] sis alius quoq; Psal. testatur, dicens: *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Quæ ergo sunt cōdensa, quæ per spiritum sanctum reuelantur, nisi scripturarum opaca, qui- D bus intellectis, cerui præparantur, quia spiritalium doctorum sensus informatur? In his igitur condensis diem solēnem constituimus, cum in diuinis eloquijs stabilem certāque lætitiam reperimus, sicut scriptum est: *Lætabor ego super* [Psalm. 118.] *eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Restant salices de torrēte, quæ in diei huius ornatum cum his quæ præmissa sūt, sumi præcipiūtur. Infructuosæ siquidem arbores salicum, sed tamen tantæ viriditatis sunt, vt arescere vel abcisæ radicitus & proiectæ, vix possint. Vnde in sacro eloquio salicū nomine pro sterilitate, reprobi: pro viriditate aūt, iusti designantur. Nam cum de Diabolo Dñs ad Iob loqueretur, [Iob. 40.] *Circundabunt,* inquit, *eum salices torrentis.* Infructuosi.n. quiq; dum amori vitæ transeuntis inseruiunt, antiquo hosti peruersis moribus familiarius obsequuntur. De iustis vero per [Isai. 44.] Isaiam dicitur: *Germinabunt inter herbas, sicut salices præter fluentes aquas.* Inter arescentē quippe vitā carnalium, & multiplici numerositate, & perpetua mentis viriditate pollent. Qui bene iuxta præterfluētes aquas germinare perhibentur, quia vnusquisq; eorum hubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquij, quæ temporaliter percurrit. Has igitur salices cum fructibus arboris pulcherrimæ, cū spatulis palmarum, cum ramis ligni densarum frondium sumere iubemur in die solenni: vt s. si delectat nos memoria nostri redemptoris, si sacræ legis exercet profunditas, lætificet etiā sanctę matris fœcunditas, *quæ olim sterilis, nunc plurimos parit:* [Isai. 49.] *& facti sunt reges nutritij eius, & reginæ nutrices illius. Ab oriente* [Isai. 44.] *adducitur semen eius, & ab occidente congregatur.* Isti ab aquilo- [Isai. 43.] ne veniunt, & illi de terra australi. Laudant cæli & exultat terra, iubilant montes laudem: *quia consolatus est Dominus populum suum.* Huiusmodi ergo lætitiam videt Deus, hanc placidus attendit vt iure dicatur sic gaudentibus: *Lætamini coram Domino Deo vestro.* Sequitur:

Celebrabitisq; solennitatem eius septem diebus per annum, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.

Quod etiam ad commendandam sacramenti huius magnitudinem repetiuit, dicens:

F *Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus.*

Tanquam diceret: Nunc quidē vos qui carnaliter sapitis, exultatis in multiplicatione frumenti, vini & olei vestri, & de transitoria præsumitis abundātia, ignorantesq; sint gaudia spiritus: sed mēse septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis, cum sub vmbra arboris pulcherrimæ, sub vmbra mali quod inter ligna syluestria fructuosum apparuit, sub fide & protectione Christi temperato in cordibus vestris cōcupiscentiæ carnalis ardore, spe sola gaudebitis, contēptores præsentium, ac desiderantes *videre bona* [Psalm 26.] *Domini in terra viuentiū. Septimo* ergo, inquit, *mēse festa celebrabitis,* nō solū vos ô Iudæi, sed & populus ille qui de lapidib⁹ suscitabitur in filios Abrahæ, popul⁹ *qui* nunc *ambulat in tene-* [Matth. 3.] *bris* & tūc *videbit lucem magnā,* intelligēs quid sit iustis in cælo repositum, & q̄ contemptibile illud sit, quod insipientes & cœci possidere cupiunt super terram. Sequitur: [Isai. 9.]

Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis.

Non igitur de genere Israel glorietur se esse Israel iste secundum carnem, qui radices cordis fixit in terra, qui eā illā G patriam reputat, & hoc solum petit à Deo, vt prolongētur dies vitæ eius, vt habeat filiorum abundantiā, & de inimicis reportet victoriā. Omnis .n. qui de genere est Israel, qui [Heb. 11.] Patriarcharum imitatur vestigia: de quibus scriptum est, q̄ aduenæ & peregrini fuerint super terram: manere debet in tabernaculis, vt à mundo se faciat alienum, non diligens mundum nec concupiscentias eius: quia *si volueris amicus* [Iacob. 4.] *esse sæculi huius, inimicus Dei constituetur. Omnis* ergo, inquit, *qui de genere est Israel, habitabit in tabernaculis:*

Vt discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester.

Hoc est quod superius dixeramus, festiuitatem istam in memoriam præteritorum Iudæis traditam: in eo tamen quod populus ille carnaliter obseruauit, ecclesiam Christi iam alijs oculis hæc omnia considerantem spiritaliter, ædificauit.

Locutusq; est Moyses super solennitatibus Domini ad filios Israel.

H *De lucernis candelabri.*

CAP. IV.

Videtur hic legislator quicquid de solennitatibus dicendum fuerat, conclusisse, tanquam ad alia migraturus. Restat tamen adhuc quinquagesimi anni festiuitas, qui iubileus dicitur: inter cæteras festiuitates quanto rarior, tanto celebrior. Præmittuntur autem quædam, & in hac solennitatum serie interponuntur, cum ad easdem nihil pertinere videantur. Cuius interpositionis ratio inquirenda est. Prius itaque proponere incipimus quæ sequuntur. Pertractatis nanque illis ac dilucidatis, intelliget vnusquisque quam rationabiliter sit insertum: quod, antequam intelligatur, locum occupasse creditur alienum.

Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. [Leuitici. ca. XXIV.]

Princi-

A Principalis sanctorum lætitia non de visu præsentium, sed de spe nascitur futurorum. Spes autem ipsa vt non fallat expectantes, per bonorum operum exhibitionē solidanda est. Vnde beatus Petrus in epistola sua: (*1. Petr. 1.*) *Satagite*, inquit, *fratres mei, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Opera vero bona non prodeunt nisi ex radice charitatis. (*Iacob. 2. Gal. 5.*) *Fides enim quæ sine operibus mortua est, per dilectionem operatur.* Ex auditu ergo legis diuinæ concipimus fidem, & Dei discimus voluntatem: sed vt fides eadem viua sit, operando quam didicit iustitiam, certam spei nostræ præbeat nobis lætitiam, charitate nutrienda est, & oleo illo impinguanda, de quo dicitur: (*Eccle. 9. Psal. 22.*) *Oleum de capite tuo non deficiat: & quia impinguasti in oleo caput meum.* Non igitur solus Moyses satis est ad solennitatem, cuius ministratio, per Apostolum mortis ministratio dicitur, eo quod (*2. Corint. 3.*) peccata punire tantum potuit, non auferre. Vnde & quodam loco manus illius graues fuisse perhibentur. (*Exod. 17.*) *Præcipe* itaque, inquit, *filijs Israel, vt afferant tibi oleum.* B Si enim eum gratia spiritus sancti ad te accesserint, implere poterunt ea quæ audiunt. Quod si de viribus suis præsumunt, litera tua occidit eos: quia de iustitia edoctos, & ad exequendum inualidos, præuaricatores reddit. Oleum igitur afferendum est ad legem, sed non qualecunque oleum, non illud de quo scriptum est: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput* (*Psalm. 140*) *meum.* Neque enim fauoribus humanis ad bene agendum excitari nos oportet, vt non per omne quod recte gerimus, diuinam potius quam humanam gratiam requiramus. *Afferant* ergo, inquit, *oleum de oliuis purissimum ac lucidum.* Charitas namque illa a nobis exhibenda est, per quam iusti omnes sanctificati sunt, qui fuerunt quasi oliuæ fructiferæ in domu Dei: charitas Dei ac proximi, quæ in cordibus electorum lucet, iuxta illud quod scriptum est: (*Psalm. 18. 1. Ioan. 2.*) *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Qui enim odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. qui autem diligit fratrem suū, in lumine permanet.* Ad quid autem afferatur hoc oleum, manifestat cum subdit. *Ad concinnandas lucernas iugiter.* Scriptum est, (*Matth. 6.*) *Lucerna corporis tui est oculus tuus:* &, C *Luceant opera vestra bona coram hominibus.* (*Matth. 5.*) Lucerna itaque intus est simplex intentio, quæ mentem coram Deo lucidam reddit: & lucerna exterius opus bonum, quæ imitari volentibus iustitiæ viam ostendit. Vtraque hæc lucerna charitatis oleo nutritur: quia dilectio & sanctæ actionis lucem emittit, & in ipsa actione mentem a duplicitate custodit. Cum his ergo lucernis spei nostræ solēnia celebramus, sicut scriptum est: (*Luc. 12.*) *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur a nuptijs.* Sed vbi ardere debent lucernæ istæ? *Extra velum*, inquit, *testimonij in tabernaculo fœderis.* Tabernaculum quod fecit Moyses, dictum est tabernaculum testimonij. Arca quoque dicebatur arca testimonij: & generaliter quæcunque ibi gerebantur, figuræ nostræ erant, & testimonium nobis ferebant, dicente Apostolo. (*Rom. 3.*) *Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est, testimonium habens a lege & Prophetis.* Arca vero, quoniam in figuris illis quæ testimonium nobis præparabant, potiorem locum tenebat, & eminentior apparebat, specialiter quodammodo ipsum testimonium, nuncupata est. Habes in Exodo: (*Exod. 30.*) *Pones*, inquit, *altare contra velum quod ante arcam pendet testimonij, coram propitiatorio quo tegitur testimonium.* D Hoc ipsum autem & in hoc Leuitico dixisse videtur, ne ingrediatur Aaron intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca. Item in Exodo: (*Ibidem.*) *Facies*, ait, *thymiama compositum. ponesque ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi.* Velum ergo quod ante arcam pendebat, hoc est quod dicitur velum testimonij. Potest tamen, & forte congruentius, lex ipsa testimonium intelligi: cuius decalogus tabulis lapideis scriptus, in arca fuit reconditus. Vnde in Exodo cum arcam fieri Dominus præcepisset (*Exod. 25.*) *Pones*, inquit, *in arca testificationem quam dabo tibi.* Et paulo post apertius, cum de duobus cherubim loqueretur: (*Ibidem.*) *Respiciantque se*, inquit, *mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi.* Tabulas namque testamenti in ea positas fuisse, Regum liber nobis ostendit, vbi legitur, (*3 Reg. 8.*) *quia in arca nihil aliud erat nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in* Choreb.* (* *Oreb.*) Sed & illa capitula quæ supra posuimus, in hunc intellectum concurrunt. Vbi E enim dicitur, *propitiatorium quo tegitur testimonium:* aptissime per testimonium legem accipimus: quæ cum in arca includeretur, tegente arcam propitiatorio, ipsa quoque tegebatur. Sic & illud quod de thymiamate dictum est, vt ponatur coram tabernaculo testimonij, sicut ad arcam sic ad tabulas quæ in ea seruabantur, referri potest. Lex igitur (vt supra diximus) testimonium nominatur: quia docente (*Rom. 3.*) Apostolo, *iustitia Dei quæ sub tempore gratiæ reuelata est, ab ea testificatur.* Velum ergo testimonij illud est, quod diuidebat primam domum a sanctis sanctorum vbi arca cum tabulis collocata erat. *Tabernaculum* enim, vt ait Apostolus, (*Heb. 9.*) *factum est primum, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panum quæ dicitur sancta, post velamentum autem, secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, habens arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro.* Qui igitur in priori stabant tabernaculo, velo interposito, interiora illa videre non poterant. (*Heb. 6.*) Tabernaculum ergo primum, præsens est ecclesia, sancta vero sanctorum, sancta illa sunt æterna, F quo præcursor pro nobis introiuit Iesus. Sed nos qui adhuc in hoc corpore peregrinamur a Domino illa interna gaudia credere possumus, videre non possumus, nube carnis obsistente, visumque intercludente. Velum ergo testimonij prætenditur oculis nostris, dum ea quæ scriptura futura prædicit, credimus. illuc tamen visum traijcere nondum valemus. Quia vero quod non videmus speramus: ne frustra speremus, & in fine spes nostra confundat nos: in hoc tabernaculo fœderis, in hac videlicet ecclesia, quæ regni cælestis a Deo promissionem accepit, dum adhuc extra testimonij velum sumus, & quod scriptura promittit, nondum aspicimus: (*Matth. 5.*) *luceat lux* nostra *coram hominibus*, & lucerna nostra impinguetur oleo charitatis: ne si attendamus laudes humanas operantes iustitiam, dicatur de nobis: (*Matth. 6.*) *Receperunt mercedem suam.* Sequitur:

Ponetque eas Aaron a vespere vsq; in mane coram Domino, cultu ritaque perpetuo in generationibus vestris.

Quis est Aaron qui lucernas nostras ponit, nisi summus Pontifex noster Christus Dominus qui dixit suis, (*Ioan. 15.*) *non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, & fructum afferatis?* G Nos enim qui tenebræ fueramus, in ipso & per ipsum lux facti sumus: & fructum lucis *offerre cœpimus. (* *afferre.*) Ponuntur autem istæ lucernæ a vespere vsque in mane, id est, tota nocte huius seculi, ex quo primus parens peccando fecit occasum, & in tenebras secuturam prolem deiecit: donec mane futurum lucescat, & tenebris præsentibus dies æternus succedat. Toto enim hoc tempore, diuino munere non defuerunt nec deerunt, quorum opera coram hominibus luceant, & qui errantibus suæ conuersationis rectitudine viam veritatis ostendant. Porro coram Domino statuuntur lucernæ istæ, si attendamus iuxta præceptum dominicum, *ne faciamus iustitiam nostram coram hominibus, vt videamur ab eis: sed in occulto coram patre nostro. & pater noster qui videt in abscondito, reddet nobis.* Quod autem dicitur, *cultu ritaque perpetuo:* ritus ad humanam consuetudinem, cultus vero ad diuinum obsequium referendus est. Tali quippe obseruantia tunc temporis colebatur Deus. Sequitur:

Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

H Quis in candelabro, ait Beatus Gregorius, nisi humani generis redemptor designatur? qui in natura humanitatis infulsit lumine diuinitatis, vt mundi candelabrum fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator, in quibus iaceret tenebris, videret. Super ipsum itaque collocatur eius ecclesia, vt in hoc fundamento posita, fructum afferat: quia (*Ioan. 15.*) *qui manet*, inquit, *in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: sine me autem nihil potestis facere.*

De panibus propositionis.

CAP. V.

Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues.

Memores esse debemus, solennitatum disputationem in manibus nos habere. Inferuntur autem ista tanquam

A ordine interrupto, quem tamen locum hic habeant quaue de causa introducantur, facile aduertitur, si mista literæ superficie, ad mysteriorum intelligentiam pertingitur. Ibi quippe connexa sunt omnia, quæ ferè distantia æstimantur. Ibi operantur omnia, quæ iuxta literam superflua iudicantur. De lucernis candelabri, ut dictum est, tractauimus, nunc ad panes propositionis ventum est. Horum igitur cum typus cœperit aperiri, satis (credimus) apparebit, quam conuenienter festiuitatibus sint inserti. Dicit itaque: *Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes.* Per similam, superius multis in locis subtilitatem cogitationum puritatemque diximus designari. Simila vero cum conspersa fuerit, igne adhibito ad panis soliditatem perducitur. Sic etiam & mens bona, cum à dispersione vel leuitate superfluarum cogitationum diuinæ coagulo dilectionis in vnum redacta fuerit, & circa vnum occupata, assiduæ meditationis igne decocta, robur virtutis acquirit. Mente enim coquimus, quicquid subtilius & studiosius cogitamus. Vnde quidam de mundi sapientibus: Cum multa, inquit, legeris, vnum excerpe quod

B illa die concoquas. Item: Alimenta quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant, stomacho oneri sunt. At cum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires & in sanguinem transeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia, præstemus: vt quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa, alioqui in memoriam ibunt, non in ingenium. Retractando ergo, vt dictum est, & ruminando quod legimus, tanquam ex simila coquendo reddimus panem: dum menti nostræ robur adiicientes, tendimus ad perfectionem. *Beatus enim vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte, hic fructum*

Psal. 1. *suum dabit in tempore suo.* Notandum quoque est in simula, quia donec conspersa coquatur, non est apta ad cibum: cocta vero, in panem transit, & homines pascit. Pari modo iustorum rudimenta ad docendum non sunt idonea: postquam vero meditatione continua studiisque feruentibus literarum vires addiderint, iam aliorum eruditioni possunt inseruire, & ex discipulorum gradu in doctorum numerum transire. Panes igitur sunt, qui pabulo doctrinæ quam plenius

Isa. 29. assecuti sunt, proximorum mentes reficiunt. *Accipies ergo*

C (inquit) *similam, & coques ex ea panes.* Quid ad hæc dicitis vos,

Matth. 15. *qui labiis Deum honoratis, cor autem vestrum longe ab ipso est.* Vos aerem istum verbis impletis, corde vacui, cantica omnia diuina sine sensu percurritis: & cum multus labor iste vester sit, anima tamen vestra fraudatur bonis. *Culmus stans,* dicit

Ose. 8. Osee, *non est in eo germen, non faciet farinam.* Vestra quippe psalmodia nec spiritualem affectum germinat, nec faciæ meditationis farinam creat. Meditatio tamen sola est, quæ mentem mutat, spiritui vires præstat. Ex simila namque (vt dictum est) panis coquitur, quia exercitatione interior robur mentis acquiritur. *Beatus enim vir qui in sapientia meditabitur, & in*

Eccle. 14. *sensu cogitabit circumspectionem Dei.* *Cibabit illum Dominus pane*

Eccle. 15. *vitæ & intellectus.* Sicut ergo de vite amputantur palmites qui infructuosi videntur, vt fructuosis spatiositas amplior relinquatur: paucorum namque fœcunditas sterili multitudini longe antefertur: sic iuxta apostolicam sententiam

1. Cor. 14. longe vtilius esset pauca cum ædificatione proferre, quam reuerenda Sancti spiritus oracula sine fructu mentis, immo cum Dei contemptu breui temporis spatio confuse transcurrere. Nunquid enim vobis excidit, quod ait idem Apostolus,

Ibidem.

D *Volo in Ecclesia quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua?* Linguam autem dicit, linguam peregrinam: quæ si audiatur, non intelligitur. Inde enim est, quod ibidem præmisit: *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* Ac deinde: *Si ergo,* inquit, *nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus.* Videtis quam verbis nostris intelligentiam nostram requirit: quæ autem sine intellectu proferimus, ea parui pendit? Vnde & beatus Augustinus in Psalmo 18. Psallentes, inquit, intelligere debemus quæ proferimus, vt humano more, non quasi auium voce cantemus. Nam & merulæ & psittaci & corui & picæ & huiusmodi volucres, sæpe ab hominibus docentur sonare quod nesciunt. Scienter autem cantare, naturæ hominis diuina voluntate concessum est. Quod

E & ipse Psalmista commendat, dicens: *Psallam & intelligam.*

Psal. 100. Vos quam multa dicatis, attenditis, nec qualiter dicatis, perpenditis, quasi non melius hominis sit, qui vnum panem in manibus habet & illo vescitur, quam alteri, qui centum fortasse portat, & nullo reficitur. *Respexistis ad maius, & ecce factum est minus.* Prophetica exprobatio est ista. *Intulistis, inquit,*

Hag. 1. *in domum: & dixistis, Ecce de labore. Et exsufflaui illud, dicit Dominus exercituum.* Quod enim pretium ponendum existimatis

Ibidem. stipulæ, quæ spicam non habet? Quomodo placituram Deo putatis psalmodiam, in qua vox quidem orantis prætendit speciem, mens autem sine fructu est? Sed vos sensu vestro agimini, & neque rationi acquiescere vultis, neque sanctorum patrum autoritati. Quid enim? Nonne qui psallendi formam nobis tradiderunt, hoc commonuerunt nos, vt seruiamus Domino cum timore, vt psallamus sapienter: & sic sciamus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ? Sub hæreticorum persecutione à patre nostro beatissimo Ambrosio Mediolanensi psalmodia legitur instituta, ad releuandum tribulationis illius pondus, ne scilicet po-

F pulus Christianus mœroris tædio contabesceret. Hanc etiam psallendi vtilitatem etiam Iacobus Apostolus nobis ostendit, dicens: *Tristatur aliquis vestrum? oret. Aequo animo est?*

Iacob. 5. *psallat.* Vestra vero psalmodia non solum mœstos non releuat, sed etiam alacribus nimietate sua fastidium importat. O quantis bonis animas vestras fraudatis, quanta priuatis dulcedine, dum sapienter psallere contemnitis, nec experiri potestis quod canitis: *quia dulcia,* inquit, *faucibus meis e-*

Psalm. 118. *loquia tua super mel ori meo.* Inde quippe faucibus eius dulcia erant diuina eloquia, quia voci mens concordabat. & quod sonabat in faucibus, hoc cum magna voluptate interius ruminabat. Hoc enim idem alibi testatur, dicens: *Quomodo di-*

Ibidem. *lexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Et meditatus*

Psalm. 76. *sum,* inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Hoc enim cordis nutrimentum est, sic à vitiis purgatur conscientia, sic diuinus ignis in nobis succenditur, quia Dei sapientia non verbis sine sensu sonantibus, sed

Prou. 8. eruditis se testatur interesse cogitationibus. Sic denique iuxta Apostoli sententiam, *homo noster interior renouatur de die*

2. Cor. 4. *in diem, secundum imaginem eius qui creauit eum.* *Accipies ergo*

G (inquit) *similam, & coques ex ea panes.* Hoc de lege propositum est, huc post digressionis circuitum reuertendum est. Panes igitur illi duodecim fieri præcipiuntur, vt apostolicus in doctoribus repræsentetur numerus, & in eorum doctrina sanctorum patrum autoritas conseruetur. Habent singuli panes decimas duas, dum sancti prædicatores per geminam dilectionem legem complent, dilectionem Dei &

Matth. dilectionem proximi, *in quibus duobus præceptis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Duæ ergo decimæ, hæc duo præcepta intelliguntur, per quæ legis decalogus adimpletur. Seni autem secus panes ponuntur, id est, duo & duo, vt prædicationis ecclesiasticæ consonantia præsignetur. Hinc etenim Dominus

Luc. 10. *Exod. 26.* binos ad prædicandum discipulos misit: hinc & Moyses vtitur in dispositione tabernaculi, binas singulis tabulis bases substituit. Tabulæ namque tabernaculi, sunt fideles Doctores, quorum virtute fabrica cælestis erigitur. Qui singuli binis basibus fulciuntur, dum ea quæ prædicant, continua noui testamenti seu veteris autoritate confirmant, *ædifi-*

Ephe. 2. *cata (secundum Apostolum) super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Quia iam legis concordiam etiam & ipsi imitantur, bini pariter incedunt; & panes sancti super altare

H purissimam alternatim positi, mutuo se respiciunt. Quæ est autem hæc mensa, nisi de qua per Psalmistam dicitur: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me?* Mensa

Psalm. 22. quippe scriptura, in qua nobis est & spiritualis refectio, ad consolationem nobis data contra inimicos. Quæ purissima dicitur: quia eloquia Domini, *eloquia casta sunt, argen-*

Psalm. 11. *tum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Super hanc igitur Doctores statuuntur, dum à negotiis sæcularibus expediti, lectioni vacant, atque in ea bonam conditione partam mansionem, ex assidua illius meditatione capientes, vnde populos prædicando reficiunt. Coram Domino statuuntur: quia per hæc studia diuinis se aspectibus acceptabiles reddunt, vt possint dicere cum Psal-

Psalm. 18. mista: *Meditatio cordis mei Domine in conspectu tuo semper.* Sequitur:

A *Pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini.*

Psalm. 140. Thus orationem designat, sicut scriptum est: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Thure ergo panibus imposito, intelligimus quia qui populos ad fidē erudiunt, pio charitatis affectu debent etiam orare pro illis, vt semen verbi germinet in cordibus eorum, scientes quod 1. Cor 3. *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed solus qui incrementum dat, Deus.* Quod vero subiungitur, *vt sit panis in monimentum oblationis Domini*, à superioribus pendet, sicque intelligendum est: Statues super mensam duodecim panes, *vt sit panis in monimentum oblationis Domini.* Vbi iuxta literam hic occurrit intellectus, quod cum simila illa ex qua panes fiebant, à populo offerretur: panes ipsi super mensam vnius hebdomadis spatio derelicti, oblationis illius monimentum erant. Sed altius ista perscrutanda sunt. Si enim panes Doctores intelliguntur, vt diximus, eo quod doctrina sua subiectorum mentes reficiunt: considerandū, quia ipsi vere ad commemorandam oblationem dominicam super mensam statuti sunt. Quæ est enim oblatio Rom. 5. B dominica, nisi qua *Christus Dominus* cum adhuc peccatores essemus, *semetipsum obtulit pro nobis*? Hæc eius oblatio vsque ad consummationem seculi per Doctores populis annunciatur, vt in illius recordatione salus fit gentibus, & sicut mu- Luc. 8. lier illa fluxum sanguinis sustinens, tactu fimbriæ vestimenti eius sanata est: sic Ecclesia passionis sacræ memoriā, quæ à præsentia Christi corporali vsque ad nos demissa est, salutem consequatur perpetuam. Vnde & Psalmista postquam Psalm. 47. præmisit, *quoniam suscepimus hanc Domini misericordiam in medio templi eius:* post pauca ad ipsos Doctores conuersus, *pone-* Ibidem. *te*, inquit, *corda vestra in virtute eius, & distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.* Sed & beatus Apostolus Timo- 2. Tim. 2. theum instruens: *Memor esto*, inquit, *Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium meum.* Et quia recordatio ista per generationum suc- Psalm. 21. cessiones traijcienda erat, vt reminiscerentur & *conuerte-* 2. Tim 2. *rentur ad Dominum vniuersi fines terræ*, in eadem epistola præmisit, dicens: *Tu ergo fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus viris, qui idonei erunt & alios docere.* Inde est, quod panum ista C dispositio solennitatibus inseritur: quia videlicet sine fide Christi nulla mortalibus viuę spes, nulla damnatis certa lętitia. Vt autem in spe futurorum bonorū lætetur cor quærentium Dominum, panes isti super mensam sacram proponuntur, in oblationis dominicæ monimentum. Propositionis ergo que panes dicuntur, eo quod præpositorum vita vel doctrina, populis ad exemplum proposita sit: dicen- 1. Tim 3. te Apostolo: *quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & in laqueum Diaboli.* Quia vero sicut scriptum est, Eccles. 1. *generatio præterit, & generatio aduenit: omnes enim morimur, &* 2. Reg 14. *quasi aqua dilabimur in terram quæ non reuertitur:* plures fiūt Heb. 7. Sacerdotes, eo quod morte prohibeantur permanere. Vnde & hic aperte subiungitur:

Per singula sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti à filijs Israel fœdere sempiterno.

1. Pet 5. Post sex dies laboris, sabbato panes mutantur: quoniam qui pascunt gregem Dei, non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregi ex animo (panes siquidem propositionis isti sunt) post completos labores ad requiem transferuntur, D percepturi immarcescibilem gloriæ coronam, alijque in eorum loco substituuntur. Panis ille sanctus post multos agones desudaturus, sabbato propinquabat, qui dicebat: *Ego* 2. Ti. 4. *iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Panem tamen quendam secreto qui sibi succederet, præparabat, cum discipulum admoneret, dicens: *Tu vero* Ibidem. *vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Hierosolymam quoque proficiscens, maioribus natu Act. 20. Ephesi loquebatur, dicens: *Alligatus ego spiritu vado in Hierusalem, & scio quoniam non videbitis amplius faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Hæc est mutatio panum per singula sabbata, dum alijs decedentibus & ad requiē transeuntibus, substituuntur alij, qui ad ipsum officium videntur idonei. Quæ mutatio coram Domino fieri dicitur, ipso scilicet disponente, vel quia grata est ei tam emeritorum pausatio, quam eorum qui succedunt, si bene ministrauerint, religiosa deuotio. *Suscepti*, inquit, *à filijs Israel fœdere sempiterno.* Hæc spes Iudaica frustrata est, & carnalis intellectus qua exeat, non est inuenturus. Cum enim videamus tabernaculum ablatum, templum euersum, ceremonijs* illis finem impositū: non potest dicere Iudæus, quomodo Deus *Israel. in panibus propositionis fœdus secum inierit sempiternum. Impletur quippe in eis quod prædixerat Propheta Osee: *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege & sine Princi-* Osee. 3. *pe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Sicque quoque in historijs inuenimus, quod Azarias filius Obed, facto in se Spiritu Dei coram Asa Rege & cuncto 2. Par 15. exercitu, inter cætera prophetauit, dicens: *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque lege.* Quæro autem si res ipsa veniat considerationi & sacramento, quid magni fuerit, quid salutis aut beneficij contulerit populo illi, quod in suo sanctuario duodecim panes habuerit: neque enim res digna videtur, quę munere diuino col- F lata dicatur filijs Israel cum fœdere sempiterno. Quapropter ad allegoricæ expositionis ordinē, quem arripuimus, reuertemur. Magna est Domini animaduersio, vbi comminatur immissurum se in populo famem, non famem pa- Amos. 8. nis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Iuxta cuius desolationis statum, Ieremias deplorat, dicens: *Paruuli* Thre. 4. *petierunt panē, & non erat qui frangeret eis.* Quo contra magna est Domini gratia, cum per eundem Ieremiam promittit, dicens: *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris,* Iere. 23. *ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores & pascent eos: non formidabunt vltrà, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.* Itemque: *Et dabo*, inquit, *eis cor vnum, vt* Ierem. 32. *timeant me vniuersis diebus, & bene sit eis & filijs eorum post eos: & feriam eis pactū sempiternū, nec desinam eis benefacere.* Hi sunt igitur propositionis panes, qui suscepti dicuntur à filiis Israel fœdere sempiterno quia Christo Ecclesiæ suæ curam agente, qui suis omnibus promisit dicens, *Non relinquam vos orpha-* Ioan. 14. *nos non desunt vsque in finem ... verè Israelitæ pastores, quorum & informentur exemplis, & doctrina pascantur.* G

Eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificijs Domini iure perpetuo.

Panes illi duodecim, Aaron conceduntur & filijs eius: vt intelligamus ad Sacerdotes hoc officium pertinere, vt dominicæ oblationis memoriam in populis sibi commissis resuscitent, & apostolicę doctrinę moribus illorum informent. Hoc enim etiam in consecratione sacerdotum a- Leuit. 4. lijs figuris expressum est, cum super caput vituli qui pro peccato offertur, Aaron filijque eius manus imponunt, sanguinemque illius per cornua seu fundamenta altaris distribuunt: cum in ariete vno suum offerunt holocaustum, & sanguine arietis alterius qui consecrationis dicitur, auricu- Leuit. 8. læ ipsorum dexteræ sanctificantur extremum. In loco autem sancto comedi iubentur panes isti, vt quicunque sanctum suscepit ministerium, sancta hoc mente in se exerceat, magis optans subditis prodesse quam præesse, sicut & Apostolus Petrus in epistola sua monet, dicens: *Seniores qui in vobis* 1. Pet. 5. *sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, pascite qui est in vobis gregem Dei, non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque dominantes in cleris, sed* H *forma facti gregis* ex animo. Quia sanctum*, inquit, *sanctorum est de* *gregi *sacrificijs Domini iure perpetuo.* Quantum modo nobis occurrit, omnia vel pene omnia quæ de simila fiunt, in sacrificijs computantur, & sancta sanctorum dicuntur, eo quod mentem respiciat eorum typus, vt totius humanæ sanctificationis causa consistit, dicente Salomone: *Omni custodia serua* Prou 4. *cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Ex statu quippe mentis, operum nostrorum meritum iudicatur: & secundum quod intus afficimur dum aliquid agimus, ipsis actionibus nostris retributio bona vel mala ... confertur. Vnde & beatus Gregorius: *Non*, inquit, *magni meriti est quicquid agatur in corpore, sed magnopere pensandum est quid agatur in mente.*

A

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER XVIII.

De Antichristi dominio.

CAP. I.

ECce autem egressus filius mulieris Israelitæ, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatus est in castris cum viro Israelite.

Videtur legislator quasi conturbatus loqui, & ab illo silentio in quo Deus loquebatur secum, ad rem subitam & inopinatam perterritus exclamasse. *Ecce*, inquit, *egressus filius mulieris Israelitæ, quem pepererat de viro Ægyptio, iurgatus est in castris cum viro Israelite.* Quis est iurgator iste nec gentilis, nec Iudæus, natiuitatis suæ confundens originem: qui, duorum populorum solennia disponuntur, & gaudium vniuersæ terræ mysticis imaginibus præsignatur, diuinum interrupit arcanum, & colloquium illud familiare Dei cum homine, Domini cum seruo, suis iurgijs interrumpit? Dicat vnusquisque quod senserit, nobis videtur quod ad extrema sanctæ Ecclesiæ tempora Spiritu sancto illuminatus oculos legislator direxerit: & antichristi prævidens aduentum, tribulationis illius immanitate commotus, cum filius ille perditionis non tantum vni viro Israelitæ iurgium excitabit, sed aduersus omnes Dei pie colentes apertas inimicitias exercebit, in hæc verba proruperit, dicens: *Ecce egressus filius mulieris Israelitæ, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatus est in castris cum viro Israelite.* Quisquis enim ille fuerit, cuius iuxta literam iurgium hic introducitur, ea quæ dicuntur de eo, ad Antichristi personam congruentissime referuntur. Nam quod mulieris Israelitis filius dicitur, præsignare videtur, quod iniquus ille de ecclesiasticis parentibus nasciturus sit, & inter filios matris Ecclesiæ fidei sacramenta primo suscepturus. Vnde & iste inter filios Israel natus perhibetur: alioqui fieri non posset, quod testatur Apostolus, vt ad ecclesiasticos honores perueniret, & in templo Dei, videlicet in fidelium societate, cathedram dignitatis acciperet, nisi eos a quibus ordinandus est, affectata primitus fidelium forma deciperet. Quo tamen honoris culmine sibi collato, postmodum in superbiam abusurus est, dum aduersatur *& extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur*, ostendens se tanquam sit Deus. Iste igitur de filijs Israel matrem habiturus est & patrem Ægyptium. Quod enim ab Ecclesia suscepturus est, forma scilicet sacramentorum & fucatæ sanctitatis imago, infirmum apud ipsum erit, & quodam modo fœmineum, ita vt ad sanctificandus mores illius nihil possit. Ex Ægyptijs vero non matrem, sed patrem habebit: quoniam iniquitas hostis antiqui, rectoris videlicet tenebrarum harum, in eius moribus præualebit: a quo etiam totus possidebitur, vt eius instinctu peccatores scelerum immanitate transcendens, homo peccati specialiter per Apostolum nominetur. Vnde & per Isaiam vltra flumina Æthiopiæ positus asseritur: *Væ*, inquit, *terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ.* Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter damnatus homo est. Qui alarum cymbalum vocatur: quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis euolant, eundem peruersum hominem prædicando sonant. Qui vero omnem hominem mundus iste peccatorem profert, quasi nigrum æthiopiæ populum patit. Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur: quia damnatus homo ille tanta immanitate iniquus est, vt omnium peccantium peccata transcendat. Ille igitur tunc repentinus adueniens, & ex improuiso se ingerens, filiorum Israel interrumpet festiuitates, pacem conturbans Ecclesiæ, & diuturnæ tranquillitatis in breui statum euertens. Vnde & Propheta Iezechiel contra Gog vaticinans, hunc sanctæ ecclesiæ hostem immanissimum satis aperte videtur exprimere.

2. Thess. 2.
Ibidem.
Ephe. 6.
2. Thess. 2.
Isai. 18.
Ieze. 38.

Gog siquidem tectum interpretatur, & hoc nomine hic, siue in Apocalypsi Ioannis, antiquus hostis solet intelligi propter altitudinem superbiæ, qua se primum contra Deum extulit, & altissimo similis esse concupiuit: nouissime autem in illo damnato homine, etiam hoc parum iudicabit, vt se Deo faciat æqualem: sed *extollet se*, vt supra dictum est, *supra omne quod dicitur Deus, vel quod colitur*. Hinc est quod per Isaiam populi sui extollentiam Dominus increpans, contra vallem visionis loquitur, dicens: *Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?* Igitur aduersum Gog Iezechiel vaticinans, inter cætera sic ait: *Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Gog, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te & omnem exercitum tuum. Præpara & instrue te & omnem multitudinem tuam, quæ coaceruata est ad te: & esto eis in præceptum. In nouissimo annorum venies ad terram, quæ reuersa est a gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter. Hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi. Ascendes autem quasi tempestas veniens & quasi nubes, vt operias terram tu & omnia agmina tua, & populi multi tecum. Hæc dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam, & dices: Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure: omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis, vt diripias spolia & inuadas prædam, vt inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant, & postea restituti: & super populum qui est congregatus ex gentibus.* Facile potest intelligi quæ sit huius Gog multitudo, cui ipse est in præceptum, id est, cui ipse principatur, rector siquidem est tenebrarum harum. Nam illa quæ de populis multis congregata dicitur, Ecclesia agnoscitur, cuius montes hi sunt, qui in ea vel sanctitate, vel sapientia cæteros excedunt, prius deserti, postea restituti. Scimus enim quod ante Christi fidem gentilitas deserta fuerat, & per eius fidem ac Dei gratiam sit restituta: vt quæ prius obiecta fuerat & hostibus exposita, per Christi coniunctionem diuersis iam montibus, & terribilis hostibus redderetur, sic in Canticis ipsa gloriatur, dicens: *Ego murus & vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Ad hanc igitur ascensurus est Gog cum exercitu suo, in nouissimo annorum, id est, in fine temporum, vt diripiat spolia, & prædam inuadat. Huius maligna arguitur cogitatio, quia post diuturnam Ecclesiæ pacem quasi tempestas irruens, dum repentinum se ingerit, eo magis insidias suas valere suspicatur, quo securis & quiescentibus præsentatur. Talis est hodie status Ecclesiæ: videas homines fidem quidem integram profitentes, cum quibus si de illa vltima persecutione & Antichristi aduentu sermonem habeas, pene videntur hoc futurum non credere: aut si credunt, quasi per somnium inde cogitantes, post multa secula futurum conantur astruere. Nulla autem existimo manifestiora aduentus illius indicia, iuxta illud Apostoli: *quia cum dixerint homines, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus: & dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet.* Ante nos sancti patres de huius aduersarij importunitate solicitabantur, iamiamque affuturum suspicabantur, sicut in dialogo Papæ Gregorij, sed & beati Cypriani, aliorumque legimus martyrum scriptis: nos vero qui post multas generationes hic nati sumus, & fini iam propinquauimus, in tanta securitate torpemus. Sed vt ad propositum reuertamur, nec illud a mysterio vacat, quod egressus dicitur iurgator iste. Egressurus est enim Diabolus tempore nouissimo, & ab occultis insidijs ad apertas inimicitias procedet. Nam teste Apostolo, *mysterium iam operatur iniquitatis, sed reuelabitur in suo tempore.* Vnde & in Apocalypsi Ioannis ligatus nunc esse perhibetur, & in abysso clausus, videlicet in tenebrosis iniquorum cordibus, quas interim possidet, ne apertam fidelibus pugnam inferat, diuinæ virtutis clausura ligatus. *Et cum consummati*, inquit, *fuerint mille anni, soluetur Sathanas de carcere suo, & exiet & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam.* Hoc est ergo iurgium, quod hic in castris dicitur viro Israelitæ filius hic mulieris Israelitis, de viro tamen Ægyptio natus. De quo & subditur:

Apoc. 20.
Isai. 14.
2. Thess. 2.
Isai. 22.
Ezech. 38.
Cant. 8.
1. Thess. 5.
2. Thess. 2.
Apoc. 20.
Ibidem.

Cumque blasphemasset Dei nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen.

A Dan. 7. De blasphemijs Antichristi in Daniele sic legitur: *Aspiciebam, inquit, in visione noctis. & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & habebat cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum. & tria de cornibus primis euulsa sunt a facie eius: & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Post aliquanta vero cum interrogasset Propheta vnum de astantibus quid hæc essent, responsum est ei: Ibidem *Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis. Porro cornua decem, ipsius regni decem reges sunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Apoc. 13. Ioannes vero in Apocalypsi suæ regnum huius mūdi, quod Daniel in quatuor partitus est, sub figura scilicet quatuor bestiarū, ipse per septem distribuit. Amat siquidem scriptura illa septenarij numeri sacramentū. Ibidem. Dicit ergo se vidisse *bestiam de mari ascendentē, habentē capita septem. & cornua decem. & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomen blasphemiæ.* Apoc. 17. B Septem vero capita, sicut inferius aperitur, septē montes sunt. id est, septem Reges, septem videlicet principalia regna: quę à principio vsque in finem, ampliorem in hoc mundo potestatē sortita sunt. Primum est Assyriorū, quod per triginta & sex Reges decucurrit, vsque ad Sardanapalū, per annos mille trecentos. Hic autē Sardanapalus muliere corruptior fuit, semperque inter fœminarum contubernia versabatur. Ad quem admitti cū quadā vice præfectus eius Arbatus præpositus Medis obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges, muliebri habitu purpuram colo nentem, & inter virgines pensa diuidentē. Quo viso, regressus ad socios, quod viderit refert, negatque continuo illi se prorsus parere posse, qui se malit esse fœminā quam virum, & fit mox coniuratio Medorū aduersus Sardanapalū. Qui cum resistere non posset, seipsum igne concremauit. Sic eo defuncto, translatū est in Medos Assyriorum regnū, per Arbastum Medorū præfectum. Cucurritque postmodū regnum Medorum vsque ad Astyagē auunculum Cyri, per annos trecentos quinquaginta. Bestia ergo hæc, corpus scilicet & societas omniū iniquorū, in his duobus regnis duo capita habuit, C id est, in regno Assyriorum atque Medorum. Tertiū eius caput agnoscitur in regno Persarū, postquam Cyrus prædicti Astyagis nepos, cōgregata Persarū manu, auunculo certamē indixit: & capto Astyage, dignitatem Medorum ad Persas trāstulit. Babyloniamque postea obsedit, quam & cœpit, & Baltasar regem illius interfecit. Quartum huius bestię caput in Gręcis inuenitur, postquam Dario à Magno Alexandro semel & iterum victo, Persarum regnum cessit in potestatem Macedonū. Eisdem temporib. quintum in Aphrica bestia illa caput extulit, cū Annibal Amilcaris filius, Aphricanorum imperator est constitutus. Hic de Romanis Principib. sæpe triūphauit, nouissime tamen à Scipione, qui Aphricanus cognomen accepit, superatus est. Sic demū deleta Carthagine, Roma conualuit, sextum huius bestiæ caput, quā Dan. 7. bestiam quartam Daniel nominauit. De istis quippe regnis nō nisi quatuor introduxit, Assyriorum, Persarum, Gręcorum & Romanorum. Porro septimum huius bestiæ caput regnum erit Antichristi: quod inter decem cornua quartæ D bestiæ paruulum orietur: inter minutias quippe Romani imperij, quod iam per multa diuisum est, Antichristus cōsurget, & primo tribus regibus sibi consociatis, & à Christi fide quam prius tenebant euulsis, incertum est autem qui illi futuri sint: deinde totum mundum occupabit, & potentior cæteris regibus apparebit. Merito ergo Ioanni qui sub Romano scripsit imperio, de septē regnis istis ab Angelo dictū est. *Quinque ceciderunt, vnum est, & alius nondum venit*, quinque Apoc. 7. enim ex his regnis quæ supra memorauimus, iā transierāt. Romani tūc regnabāt, Antichristus nondū venerat, qui cū venerit, sicut ibidem subditur, *oportet illum breue tempus manere.* Apoc. 13. Iste est de quo dicitur: *Et vidi, inquit, vnū de capitib. bestiæ quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est.* Et post pauca nomine bestiæ ipsum cum corpore suo designans. *Datū est,* ait, *bestiæ os loquens magna & blasphemiā, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deū, blasphemare nomē eius, & tabernaculū eius, & eos qui in cælo habitāt.* Testimonia quæ inserimus, nec ponimus integra, neque ex

eis inserta integre exponimus, ditis prolixitatem in primis deuitamus. Materiā tū quæ in manib. est, simpliciter transire non possumus, eo quod res sit maxime necessaria, & nostris temporib. diligentius inuestigāda. E Quia ergo de antichristo iam satis constitit, quod blasphematurus sit Dei nomē, videamus & quod restat, quomodo propter blasphemias suas ad Moysen sit adducendus. Hoc quippe de Ægyptio isto præmissum est, quia cum blasphemasset Dei nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen. Notum itaque est, quid de illis temporib. prędixerit Dominus Iesus: *Surgent,* inquit, *pseudo Christi & pseudo Prophetæ. & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorē inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Matth. 24 Marc. 13. De illo autē aduersario cum Dominus ad Iob loqueretur: *Oculi,* inquit, *eius & palpebræ diluculi.* Iob 41. Oculi namque Antichristi, Prędicatores illius dicuntur, qui de sapientia carnali superbiunt, & scientiæ lumen sibi ascribūt. Hi igitur recte palpebris diluculi comparantur: quia fidem quam in Christo mundus habuerat, quasi erroris noctem asserunt, & venerationem antichristi, verum esse mane pronuntiant. Vnde & Ioel Propheta: *Canite,* inquit, *tuba in Sion, conturbentur omnes habitatores terræ. quia venit dies Domini: quia prope est dies tenebrarū & caliginis, dies nubis & turbinis, quasi mane expansum super montes.* Ioel 2. Ecce diem tenebrarum & caliginis quasi mane futurum prædicit, quia tenebrosus error veritatis speciem vsurpabit. F Quod mane super montes expandetur, quia per principes mundi huius noua hæc doctrina propagabitur. Hinc* enim in Apocalypsi de decem illis Regibus, quos prædiximus, legitur: *Decē,* inquit, *cornua quæ vidisti, decem Reges sunt. qui regnum nondum acceperunt: sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam. Hi vnum consilium habent, & virtutem & potestatem suam tradent bestiæ. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos.* *etiam Apoc. 17. Decem reges, omnes hos in quos Romanum imperium iam diuisum videmus, intellige. Quia enim necesse non erat, vt certus eorum numerus exprimeretur, pluralitas tantum per denariū designata est. Sic & in Psalmo reperies, quia *currus Dei in decem millibus multiplex est,* & *decem,* inquit, *millia à dextris tuis*, multaque similia. Psalm. 67. Psal. 90. Habac. 2. Quia ergo iuxta Habacuc, Antichristos de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, decem Reges isti quasi mane nouæ lucis, doctrinam illius suscipient. & quibusdam persuadēdo, quosdam vero etiam violenter inflectendo, per necessitatem illā quaquauersum diffundēt. G Cum igitur iam videamus quartam bestiam, seu bestiæ caput sextum, in hæc decem cornua scissum esse: expectemus soliciti quando de medio horum cornuum paruulum illud orietur cornu: expergiscatur illorum incauta securitas, qui de possessa iam diu gente sibi blandiuntur: & in huius pacis serenitate, longa sibi spatia pollicentur. Scrutetur vnusquisque scripturas, & præparet se, vt si tēpore suo venerit aduersarius ille, ducere illum possit ad Moysen. Cum enim cœperit ille signis & prodigijs resplendere, lucēre post eum semita: cum Regum ac Principum fauore circundatus, cœperit resistentes sibi tanta virtute conterere: vt reputet quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs: cum per hypocrisim assumpserit ipse sibi duo cornua similia agni, id est, sapientiæ sanctitatisque quam Christus habuit, imaginem sibi fallaciter vsurpaturus: cum Ecclesiæ cœperint euerti, & fidelium greges dispergi, iuxta illud Ioelis. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo,* vbique enim Dei cultum inueniet cum venerit, sed *post eum,* inquit, *solitudo deserti, nec est qui effugiat eum.* Ioel. 2. H Ad tantam ergo & tā subitam rerum mutationem quis non conturbetur, quis non cōcutiatur, nisi ea quæ viderit, ad scripturas referat, & super temporis illius statu Dei legem consulat, vt quid inde sentiendum sit, iudicante Moyse discernatur: & sacris paginis, tam nouis quam veteribus retractatis, sub prophetiæ lucerna nouitas illa discutiatur? Hunc enim affectū iustorū, qui in fine temporis futuri sunt, Habacuc Propheta nobis innuit: qui dum de hoc aduersario sub Chaldęorum, id est, ferocium specie multa præmisisset, dicēt: *Leuiores pardis equi eius,* videlicet prædicatores illius qui a paruo tempore per totum mundū Habacuc 1. discurrēt: & *velociores,* inquit, *lupis vespertinis: volabūt quasi aquila festinās ad comedendū,* & quia sicut iam supra diximus, *ipse de Regib. triūphabit, & super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem & capiet eam plurimorumque, qui nunc in religione constantes æstimātur,* Ibidem *subijciet sibi:* cum hæc, vt dixi, præmisisset terribilia

metucu-

A metuendo, æstus suos ad Deum referens, & super his quibus mouebatur, diuinum responsum exposcens: *Nunquid non tu, ait, à principio Domine Deus meus sancte meus, & non moriemur?* Tanquam diceret, ex persona Ecclesiæ loquens: Ibidem. *Ego quidem Domine Deus meus*, iam per multas generationes tua fide sanctificata sum; sed nunc cultum tuum video euacuari, & nouum nobis colendum tum annunciari. Nonne tu à principio & sanctus omnib. & expectatus es in carne venturus, & in fine temporum veniens, vera fide Deus es creditus? Doce nos quod tu vita nostra sis, vt tibi in perpetuum adhærentes, mortis naufragium euadamus. Vide & Iezechielem: per ipsum quoque Dominus nos instruit, vt cum venerit ille iniquus, & se Deum esse impudenter astruxerit, ad scripturas confugiamus. & ibi per legem, per Prophetas, per Euangelium, per Apostolos, hunc prænunciatũ reperientes, cuius meriti sit, sine dubio cognoscamus. Ezech. 38. Cõtra Gog igitur agens, sicut paulo ante tractauimus. *hæc dicit*, inquit, Propheta, B *Dominus Deus: Nunquid non in die illo cum habitauerit populus meus Israel, & scies, & venies de loco tuo à lateribus aquilonis, tu & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi. & cœtus magnus, & exercitus vehemens: & ascendes super populum meum Israel quasi nubes, vt operias terram? In nouissimis diebus eris, & adducam te super terram meam, vt sciant omnes gentes me, cum sanctificatus fuero in te, in oculis eorum ò Gog.* Ac deinde insinuans, qualiter in speculo scripturarum à doctis deprehendatur, Deo illustrante corda illorum, subiungit dicẽs: Ibidem. *Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu seruorum meorum Prophetarum Israel, qui prophetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te super eos.* Manifestum itaque quod ad Moysen adducendus sit blasphemos iste, vt scilicet in lumine scripturarum eius hypocrisis detegatur. *Cum enim, inquit, blasphemasset Dei nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen.* Sequitur:

Vocabatur autem mater eius Salumith, filia Dabri, de tribu Dan.

Non otiose putandus est Spiritus sanctus nomen matris hominis huius nobis innotuisse, sed quia in ipso nomine mysticum aliquid continetur. Salumith siquidem retributio C interpretatur, Dabri autem loquelam sonat. Antichristus igitur qui per Apostolũ *perditionis filius* nominatur, re- 2. Thess. 2. ctè matrem Salumith habere perhibetur: & ipsam, filiam Dabri, id est loquelæ: quia damnatio cui ipse destinatus est, blasphemijs illius retribuetur, & ex inde orietur, sicut in Dan. 7. Daniele expressum est; *Iudicium*, inquit, *sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni.* Quod aũt ex tribu Dan ille dicitur homo iste, hoc manifestius Antichristus designari intelligitur: qui scripturis hinc atq. inde cõclamantibus, ex tribu Dan oriturus agnoscitur. Recole prophetiam Patriarchæ Iacob: *Fiat*, inquit, *Dan coluber in via,* Gen. 49. *cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Hoc quomodo super Antichristo intelligendum sit, Papa Gregorius latius exponit, dicens Antichristum colubrum in via futurum, eos scilicet, qui latam carnalis conuersationis gradiuntur viam, veneno suæ persuasionis aculeo cõsumpturum, cerastem autem in semita, qui cornutus anguis esse perhibetur: quia quos arctioris disciplinæ callem D. tenere viderit, cum corrumpere non possit blanditijs, cornu terrenæ feriet potestatis. Mordebit vngulas equi, quia mundi huius apprehendet extrema. Vt cadat ascensor eius retro, videlicet qui in mundi dignitatibus se extollit, illuc corruat vbi nescit. Concinit huic prophetiæ etiam quod Num. 2. de tribu Dan, sacra in Numeris narrat historia. In dispositione quippe castrorum ad aquilonis partem positi sunt filij Dan, de quibus etiam statutum est, vt nouissimi proficiscerentur. Cum autem filij Israel ex Ægypto exeuntes, ad terram transirent Chanaan, si quis regionum situm consideret, aduertere poterit, eos contra aquilonem, seu certe contra orientem, cũ deserta circuirent, iter habuisse. Cum igitur ad aquilonem tenderent, prima castrorum profectio ad aquilonem positis danda videretur: aut certe media, si orientem versus iter egerentur. Apparet itaq; mysterij causa factum esse, vt qui primam castrorum frontem tenebant in meditatione, postremi essent in profectione. Tribus enim

E Dan quæ ad aquilonem castra metatur, illum præsignare videtur, qui de eadem tribu nasciturus, in his quæ à feruore charitatis remoti, & quasi sub glaciali plaga positi sunt, accipiet principatum & à lateribus aquilonis, sicut de Iezechiele protulimus, ducet exercitum. Quod vero nouissima proficiscebatur hæc tribus, sub Antichristi futura temporibus Ecclesiæ postremitas monstrabatur. Nec quenquã moueat, quod tribus Dan in castris Israel computabatur, cum Antichristus hostis Ecclesiæ sit futurus. Hostis siquidem fidelibus erit; sed tamen ex fidei professoribus maximam multitudinis suæ partem congregabit. Hinc enim ad Iob de illo dictum est: *Sternet sibi aurum quasi lutum, & sub ipso erunt radij solis.* Iob. 42. Ipse etiam Iob ex persona Ecclesiæ loquens, & futuram tribulationem prænuncians, ait: *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Iob. 30. Tanquam diceret: Hi de quorum constantia præsumebam, quos quasi dexteram meam computabam, dum subito ad inimicitias conuersi sunt, quanto vicinior mihi eorũ familiaritas fuit, F tanto celerior aduersum me calamitas inde consurrexit. Tribus igitur Dan, licet filiorum Israel castris annumeretur, non incongrue tamen in Antichristi refertur figuram: qui vt supra ostendimus, cum magna exercitus sui portione, primo castris fidelium consociabitur. Notãdum enim, quod tribum eandem in numerum cæterarum Moyses quidem inclusit: sed in Apocalypsi sua, in fine scilicet canonis, Ioannes exclusit. *Vidi, inquit, quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus* Apoc. 7. *super terram, neque supra mare, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia, signati ex omni tribu filiorum Israel.* Deinde enumerans quot millia de singulis tribubus signata sint, omnes filios Iacob ponit, tribum Dan solam prætermittit, Manassen in loco eius substituens. Si vero textum scripturæ consideremus, poterimus aduertere, quæ sub apertione sexti sigilli hæc beatus Ioannes sibi ostensa testatur. Iam aperto primo sigillo, G in typum hominis dominici, qui mundissimam carnem suã Apoc. 6. inter peccatores sine peccato rexit, viderat equum album, sedentemque super eum, *cui data est corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Ibidem. Post eius victoriam & glorificationem, quoniã effusus est sanguis martyrum rabie persecutorum, reserato secundo sigillo, *exiuit equus rufus: & qui sedebat super eum, datum est vt sumeret pacem de terra, & datus est illi gladius magnus.* Quia vero tandem virtute Christi sanctorumque patientia victus est mundus, & ipsa principum sublimitas fidei iugũ suscepit: inimicus ille, qui impijs præsidens, in nostrorum mortes eos impellebat, diuinæ moderationis habenis pressus est vt licet tenebrosas terrasq; infidelium mentes possideret, ad illum tamen persecutionis immanitatem erumpere non valeret. Hinc est quod sub sigillo tertio visus est *equus niger: & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Ibidem. Quarti vero sigilli apertio, hæreticos ostendit, exangues, & hoc spiritu vitæ, sicut dictum est de illis: *Animales spiritum non habentes.* Iudæ 1. Hoc est enim quod dicitur: *Cum aperuisset sigillum quartum ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen* Apoc. 6. *illi mors.* Iam sublata vtraq; persecutione, & infidelium scilicet & falsorum Christianorum, in hac pace sanctæ Ecclesiæ H tardare videtur Christus & aduentus eius extremus, qui coronam reddet pijs, vindictam impijs, tam à iustis quippe carne sunt, quam à sanctis spiritibus imploratur. Hoc quinti sigilli indicat reseratio, *Vidi*, inquit, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, clamabant voce magna, dicentes:* Apoc. 6. *Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Quia vero non veniet dies illa Domini, *nisi primo reuelatus fuerit homo peccati, filius* 2. Thess. 2. *perditionis*: hoc iam sextum continet sigillum, de quo nunc agimus: *quia cum aperuisset*, inquit, *sigillum sextum, terræmotus factus est magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, &* Apoc. 6. *luna facta est tota sicut sanguis: stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos cum à vento magno mouetur.* Hoc sub Antichristo futurum est, *cum iuxta Apostolum venerit discessio*; 2. Thess. 2. tunc enim fiet terræ motus magnus, terrenorum scilicet

hominum

A hominum magna commotio: qui cum terrore, tum blanditijs inimici, a fidei soliditate discedens: solque fit niger tanquam saccus cilicinus, quia fulgens vita prædicantium, ante reproborum oculos aspera & despecta monstrabitur: luna etiam in sanguinem conuertetur, cum sancta Ecclesia martyrum suorum sanguine perfunderetur: cadent stellæ in terram, multis scilicet qui tanquam cœlestia luminaria videbantur, a persecutionis immanitate corruentibus. Apoc. 6. Deinde subiuncto beatus Ioannes Christi aduentu, quem statim secuturus est, a cuius terrore Reges terræ & Principes & tribuni abscondent se in speluncis & petris montium, qui sub sanctorum protectione quærent refugium, redit pronus ad tempus persecutionis: & hoc subdit, quod supra posuimus, Apoc. 7. vidisse se quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, inimicam scilicet vim Dæmonum, per quatuor orbis partes diffusam, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare: quia prohibebunt euangelicos prædicatores, ne flatu doctrinæ suæ B impellant, aut non credentes ad fidem, aut credentes ad bonam operationem. Signantur tamen serui Dei, quibus nocere non possint inimici, 2. Tim. 2. nouit enim Dominus qui sunt eius: & hoc signaculum habet fundamentum Dei, ciuitas vtique prædestinatorum, quam ipse fundauit in æternum. Sed de signatorum numero cum tribus Dan excluditur, satis innuitur, de tribu eadem hominem nasciturum, per quem prædicta excitabitur persecutio: a cuius immanitate noceri non poterit, quisquis signaculum supernum in fronte portabit. Num. 2. Apoc. 7. Moyses itaque tribum Dan inter tribus reliquas computat, sed eandem a tribuum numero Ioannes sequestrat: & hoc, vt supra diximus, illi congrue aptatur, qui prolem Dan futurus, post fidelium societatem, fidelium erit aduersarius, iuxta quod scriptum est: 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Reperiuntur & alia quædam in scripturis, quæ Antichristum de tribu Dan oriturum prænuncient: sicut quod in libro Iudicum scriptum est, quod nouissima hæreditatem hæc tribus acceperit. Iudic. 18. *Miserunt autem filij Dan exploratores,* C *qui explorarent terram, & diligenter inspicerent. Euntes igitur venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea absque vllo timore iuxta Sidoniorum consuetudinem, securum & quietum, nullo eis penitus resistente: reuersique ad fratres suos, & quid egissent sciscitantibus, responderunt: Surgite & ascendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam & vberem. Nolite negligere, nolite cessare, eamus & possideamus eam, nullus erit labor. Intrabimus enim ad securos in regionem latissimam. Venerunt ergo filij Dan in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eum in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, & cum nullo hominum haberent quicquam societatis ac negotij. Erat autem ciuitas sita in regione Roob: quam rursum extruentes, habitauerunt in ea, vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris sui.* Hæc omnia qualiter Antichristum exprimant, qui superiora recolit, facile intelligit. Lais enim ciuitas, quæ leo interpretatur, Ecclesiam significat, propter fortitudinem scilicet, quia sæpius ab hostibus pressa, vinci non potuit. Hanc exploratores Dan, prædicatores videlicet Antichristi, qui faciem illius præcedent, securam & quietam D inuenient, futuros casus minime præuidentem: habitantesque in ea, sine Dei timore, sine solicitudine animarum suarum, *viuentes iuxta Sidoniorum consuetudinem,* id est, iuxta morem illorum qui carnis suæ voluptates sequuntur. Sidon quippe interpretatur venatio inutilis. Vnde & diuino auxilio destitutos, persuasionis malignæ gladio ferient, & perfidiæ igne succendent, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul sint ab arce sapientiæ, & a mœnibus ciuitatis illius, cum nullo sanctorum nec secum inuicem sanctam Rom. 1. societatem habentes, sicut per Apostolum de talibus dicitur: Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Erat autem tunc ciuitas hæc nostra sita in regione Roob, quod latitudinem sonat: quia latam & spatiosam viam magna ex parte tenens Ecclesia (vnde & fornicaria in Apocalypsi Apoc. 17. vocatur: *Et odient,* inquit, *fornicariam,* decem reges gentium *& desolatam reddent eam & nudam*) latum hostibus ad se præbebit ingressum. Qui postquam veræ fidei in illa ædificationem destruxerint, extruent rursus eam in peregrini cultus superstitione, priuantes eam nomine quod nunc benedicitur super terram, nomen patris sui imponentes ei, E vt iam non Christi ciuitas dicatur, sed Antichristi. Possemus & Ieremiam introducere, qui dum Iudææ desolationem futuram prænunciasset, expectantis pacem, sed in tempore medelæ non inuenturæ curationem, ad augmentum malorum, quantus ex stirpe illius sub consummatione temporum humani generis hostis egressurus sit, subsequenter intulit, dicens: *A Dan auditus est fremitus equorum eius, a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra.* Ierem. 8. Sed quid vltra procedimus? Satis superque sufficiunt hæc quæ prolata sunt, vt filius hic retributæ sibi damnationis propter loquelam labiorum suorum, ex tribu Dan descensurus, scripturis attestantibus, esse credatur. Igitur ad proposita reuertamur. *Vocabatur,* inquit, *mater eius Salumith, filia Dabri, de tribu Dan.* De quo & subiungitur:

Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid iuberet Dominus.

Quid hoc? Antichristus mittatur in carcerem ab his, qui super illius peruersitate sententiam præstolantur diuinam, F facilis patet intellectus. Iam superius quippe ex Ioannis Apocalypsi protulimus, Apoc. 20. quia nunc in abysso clausus est, in tenebrosis scilicet iniquorum retrusus conscientijs, ne apertam pugnam inferat fidelibus, & ad gentium seductionem, nequitiæ suæ vires laxare præualeat. Et tunc igitur cum ad multorum subuersionem egredietur de carcere suo, carcerem tamen sustinebit ab illis, qui viriliter illi resistentes, impedimentum ei afferent perficiendæ suæ nequissimæ voluntatis. Sequitur:

Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Educ blasphemum extra castra: & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum omnis populus.

Educit Moyses Antichristum extra castra, cum sacra scriptura quod a castris fidelium alienus sit, Spiritu sancto dictante nos edocet. Quod autem hi qui audierant blasphemiam hominis, iubentur manus suas ponere super caput eius: manuum impositio & testes eos indicat iniquitatis, & consentaneos visionis. Hoc igitur & de iniquorum capite possumus intelligere, ipse siquidem in diem perditionis seruatur, & ad diem furoris ducetur: *& tunc reuelabunt cœli iniquitatem eius; & terra consurget aduersus eum: & testes erunt cœli* Iob. 20. G *ac terra, quam superbe egerit contra Deum.* Quomodo autem consentiant electi damnationi illius, diuinæ vtique concordantes, Mat. 2. Nahum Propheta contra Assur loquens eudicat, dicens: Nahum. 3. *Non est obscura contritio tua, pessima plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transijt malitia tua semper? Compresserunt,* inquit, *manum super te:* id est, contritioni tuæ fauorem suum apposuerunt: quia tu omnibus nequam fuisti, & omnibus in perditione tua lætitiam præbuisti. Hoc est igitur quod etiam in hoc loco per Moysen dicitur, vt super caput blasphemi ponant testes manus suas: id est, damnationem illius sententia communi decernant. *Et lapidet,* inquit, *eum omnis populus.* Lapidabitur Antichristus, quando duris sanctorum increpationibus eius superbia contundetur. Si enim (vt scriptum) *lapidatur piger bouum stercoribus,* cur Eccli. 22. non iste sanctorum sermonibus? Lapidabunt ergo eum electi in die deiectionis illius, quia cunctis videntibus præcipitabitur. Tunc igitur loquentes super aspernatione illius, arguent eum, dicentes: *Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes* H *eius destruxit? Omnes reges gentium dormierunt in gloria: vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci: Quasi cadauer putridum non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.* Isai. 14. Hucusque capituli huius mysterium pertractauimus: abhinc quæ sequuntur, iuxta literam accipienda sunt.

Et ad filios Israel loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

Super vno consultus Dominus, dat legem communem, quæ in omni blasphemo, siue Deo suo maledicente, debeat conseruari. Iam superius ista tractauimus, legis hæc est iusta seueritas: in quo ostenditur, quid noui Testamenti gratiæ debeatur. Iustum est autem, vt qui Deum colunt pie, Dei inimicos non contemnant, æternam enim sibi retributionem acquirunt, si contra Dei inimicos zelum spiritualem assumunt. Hinc enim Moyses cum filijs Leui viginti tria millia in castris

truci-

A Exod. 32. trucidassent, propter vitulum aureum quem adorauerunt: *Consecrastis*, inquit, *manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sic & in hoc loco Dominus ob vtilitatem ipsius populi, contumeliæ suæ vltionem populo mandat, dicens:

Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. Siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit, qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

Qua enim mente Dei populos, Domini & creatoris sui postponit iniurias, cum nostras ipse tanta cura vindicet, vt Zach. 2. per Prophetam benignissime polliceatur, dicens: *Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei?* Vnde etiam hic, post quam in eum qui blasphemauerat suum nomen, vindicari mandauit, ne personæ suæ acceptorem æstimes Deum, qui suas vlciscatur iniurias, alienas contemnat: continuo ad nostras quoque vindicandas læsiones, iustitiæ suæ seueritatem extendit, dicens:

B *Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic faciet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.*

Et repetens quod dixerat:

Qui percusserit, inquit, *iumentum, reddat aliud. Qui percusserit hominem, punietur. Aequum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit: quia ego sum Dominus Deus vester.*

Huic sanctioni videtur contrarium, quod in Euangelio Matth. 5. Dominus præcipit. *Dico*, inquit, *vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Crebris tamen Patrum tractatibus hoc tritum est, non esse contrarietatem, sed profectum: quia qui læsus vel damnum passus, iustam satisfactionem reposcit, non est contra iustitiam quod facit: melius tamen facit, si hoc ipsum quod sibi debebatur, vt sua etiam illi debita dimittantur, dimittit. In lege igitur homo non ad reposcendam vindictam compellitur sed si reposcere voluerit, ne ira exardescente plus iusto exigat, temperatur. Cæterum si ad Euangelicam tendat per- C fectionem, in ipsa lege poterit legere, quod iam supra tra- Leu. 19. Eccli. 28. ctauimus: *Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Itemque: *Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Adeo S. Patres per quos spiritus sanctus locutus est, in quibusdam præceptis suis nostræ condescendebant infirmitati, ea tradentes quæ virtutum perfectionem homini non conferrent, sed tamen à vitiorum voragine hominem sequestrarent: in quibusdam vero quid magis expediret, & quo profectum nostrum trahere conarentur non reticentes, perfectiora volentibus proposuerunt, nolentibus non imposuerunt. Non igitur lex in mandatis suis, Euangelicis sanctionibus contraria proponit: sed nobis maius valentibus, ad illam celsitudinem conscendendam gradum ponit. Concludit autem legislator ea quæ de rixatore isto proposuerat, ita subiungens:

Locutusq; est Moyses ad filios Israel, & eduxerunt eum qui blasphemauerat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt, feceruntque filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.

D Hactenus ea quæ solennitatum disputationi sunt inserta, tractauimus. Quibus consummatis, ad easdem solennitates scriptura reuertitur: & sacramentum spei nostræ, quod in dierum septimanis seu quinquagesima superius expresserat, ad maiorem rei ipsius commendationem in annis iterum replicatur.

De vacatione anni septimi.

Cap. II.

Leuitici cap. XXV. *Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizet sabbatum Domini. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis, quæ sponte gignit humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam, annus enim requietionis terræ est. sed erunt vobis in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinatur apud te, iumentis & pecoribus omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.* E

Quod supra in die septima ipsum sacramentum etiam in anno septimo intelligitur. Vtrobiq; enim nostra requies, quæ post labores præsentis temporis, quasi post sex dierum operationem, septenaria secutura est, congrue satis exprimitur. Sed quoniam requies eadem, & sigillatim quibusq; fidelibus, & gregatim fidelium populis exhibetur, pausatio hæc figuratiua & diebus singulis, & annis integris, diebus s. multiplicatis, obseruari iubetur. Est tamen & alia ratio, vt quod superius dierum typos expresserat, nunc transferatur ad annos: quia videlicet promissæ quietis excellentia siue etiam diuturnitas, multo euidentius sub his sacramentis ostenditur, cum festiua ista vacatio, post vnius diei celebrationem, per anni quoque spatium protelatur. Res etiam quæ digne explicari non potest, satis vtile est vt multipliciter insinuetur: quia licet non aperiatur prorsus vt est, sæpius tamen F tractata, & agnoscitur amplius, & desideratur ardentius. Manifeste igitur his quæ proposuimus, futuræ vitæ qualitas declaratur. Promittitur filijs Israel terram adhuc sapientibus, terra Chananeorum: nobis, terra viuentium. Obseruauerunt illi in terra sua annuam vacationem: nos in nostra quietem expectamus, quæ nullam habent consummationem. Attende ergo quod dicitur: *Cum ingressi*, inquit, *fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizet sabbatum Domini.* Sabbatum Domini vult intelligi, quod scilicet terra nec hostium incursionib. deuastata, nec cultorum suorum negligentia derelicta: sed diuino præcepto, & diuino etiam subdita sacramento, culturæ solitæ ferias accipiebat. Has n. ferias subsequenter exponens: *Sex annis*, inquit, *seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam: septimo autem sabbatum erit terræ requietionis Domini.* Sabbatum scilicet in quo dominicæ quietis typus habeatur, iuxta quod scriptum est, quia Gen. 2. *septimo die requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.* Sex igitur anni, in quibus & agrum serere, & vineam putare præcipiuntur, mortalem nostram designant vitam: quia per sex Gen. 3. mundi huius ætates, genus humanum primi parentis peccato damnatum, *in sudore vultus sui comedit panem suum.* Post G sex vero annos, tempore videlicet mortalitatis huius transacto, requies erit terræ, in qua nec ager seratur, nec putetur vinea: quia sine labore, sine sollicitudine, populus Dei cælesti pane saturabitur, pane indeficienti: quia *panem Angelorum tunc manducabit homo*, & vinum bibet nouum, *inebriatus ab illa vbertate domus Dei*, & spirituali perfusus lætitia. *Quæ* Psalm. 77. Psal. 35. *autem sponte gignit humus, non metet: & vuas primitiarum suarum non colliget quasi vindemiam*, vt (sicut solet fieri) priuatim sibi vnusquisque gratuita Dei dona reponat: sed bonum quo fruetur quilibet iustus, in illo possidebit etiam proximus: vt illic generaliter inueniatur in omnibus, quod hic de quibusdam legitur, quia erant illis omnia communia. Notandum vero quod non dixerit, vuas tuas: sed, *vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam.* Si enim vuæ ex quib. vinum exprimitur, lætitiam signant: quia *vinum*, inquit, *lætificat cor hominis*: in vuis primitiuis nihil aliud intelligo, nisi lætitiarum gaudia cætera præcedentem: nihil quippe illi in qualibet temporis huius affluentia conferri potest, quia iucunditas illa super omnes est. *Sed erunt*, inquit, *vobis in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ & mercenario tuo, & aduenæ qui peregrinatur apud te: iumentis tuis & pecoribus omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.* Si nascentia terræ illius, quæ septimo anno sponte oriebantur, futuram animarum nostrarum refectionem significant: quærendum est, quomodo seruis & ancillis, aduenis & mercenarijs, iumentis & pecoribus dicantur esse communia. Neque enim in illa patria seruus aliquis erit vel ancilla, vbi omnes reges futuri sunt, & regni cælestis participes. Nullus aduena, quia Ierusalem cælestis nullum peregrinum recipiet, sicut nec de suis ciuibus aliquem amittet. Nec mercenarius erit ibi, vbi labor non erit: sed Dei visio & laus, otiosum beatorum negotium erit. Quid dicam de iumentis & pecoribus, quorum natura spiritualis illius pascuæ participationem non recipit? Nonnullos tamen videmus hic seruos, quos ibi credimus regnaturos. Multi nanque etiam sanctorum in hac vita se seruos non abnuunt, vt illic patronos inueniant, quos hic

habere

Margin notes (right column): Act. 4. (beside "Notandum vero…"); Psalm. 103. (beside "Si enim vuæ…"); H (beside "qualibet temporis…").

A habere dominos non recusant. Sunt hic aduenæ, illic tamen ciues futuri, quicunque aut per infidelitatem, aut per vitam reprobam à fidelium iustorumq; consortio prius alieni, postea per pœnitentiam accedunt: & in ecclesiæ agris, rudes incolæ sortem accipiunt. Mercenarij vero qui sint, (Matth. 20.) docet nos parabola euangelica: in qua operarij ad patrisfamilias vineam conuocati, cum sero factum esset, denarium leguntur, suam scilicet mercedem, percepisse. Porro iumenta & pecora si requiras, simplices quosq; intellige: qui sacramentis diuinis imbuti, doctorum quidem & prædicamentis fidem attribuunt, & obediunt præceptis: suæ tamen habitudinis conscij, dictorum veritatem discutere non præsumunt. De his iumentis in Psalmo scriptum est: (Psalm. 35.) *Homines & iumenta saluabis Domine.* Et Propheta Iezechiel ex persona (Ieze. 34.) Domini loquens: *Iudicabo*, inquit, *inter pecus & pecus: & suscitabo super ea pastorem vnum qui pascat ea, seruum meum Dauid.* Hæc igitur iumenta, hæc pecora cum pastoribus suis ad æternæ vitæ pascua pertingunt: si solicite conseruent, quam à doctoribus perceperunt, & integritatem fidei, & formam B viuendi. O quam felix, quam perfecta requies illa est, in qua non dico Dominos, sed nec seruus, nec ancilla, non aduena, non mercenarius, non iumentum, non pecus labori subditur: in qua creatura omnis, affluentibus vsquequaq; delicijs, post seruitutem corruptionis, ab indigentiæ molestia liberatur. Hæc sunt (Psalm. 86.) *gloriosa quæ dicuntur de te ciuitas Dei, quia lætantium omnium habitatio est in te.* Ad hanc requiem mox corpore posito pertingit vnusquisq;, si dignus est, teste Apostolo qui ait: (2. Cor. 5.) *Scimus quasi terrestris domus hæc nostra dissoluatur, quod habitationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cælis.* Ad hanc peruenerunt etiam temporibus suis generationes singulæ, vel potius qui in generationibus singulis Domino placuerunt. Primum Patriarchæ, deinde Prophetæ, tertio Apostoli, & qui sub ea tempestate pietatem fidei susceperunt. Post quos sancti martyres suum annum septimum sanguinis sui pretio mercati sunt. Nos quoque iam sub pace ecclesiæ, si diuinis legibus obtemperemus, ad eorum societatem pertingimus. Restat tempus Antichristi, sub quo iterum luna conuertetur in sanguinem, & multis sanctorum martyrum legionibus C complebitur numerus beatorum. Post singulorum itaq; iustorum pausationem tanquam diurna sabbata, post diuersarum ætatum electionem, in quibus velut anni septimi plures reperiuntur: quia sicut in anno septimo multi erant dies vacationis, sic in singulis ætatib. magnus est numerus multitudinis eorum, qui ad requiem colliguntur: post omnia in quam, quæ particulariter acta sunt, iam saluatore redeunte, fiet generalis congregatio dispersorum Israel, quando reformatis corporibus electorum, congregabitur turba illa, quam vidit B. Ioannes, (Apoc. 7.) *ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, turbam quam dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum in conspectu agni. Illa erit ciuitas Dei nostri, quam ipse fundauit in æternum, ponetque fines illius pacem, & pacis eius non erit finis.* (Psalm 147. Isa. 9. Psalm. 86. Isa. 64. 1. Cor. 2. Rom. 10.) *Hæc est Sion mater nostra, quam dicere non potest homo: quia oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te: dicet tunc futurus in omnes, qui nunc inuocant te. Tunc veniet qui annunciatum est nobis, annus acceptus Domini: in quo mitigabit circa nos omnem iram suam, remittens iniquitatem plebis suæ, & propitius factus peccatis D nostris propter nomen suum.* In huius typum spei nostræ legislator post septem septimanas annorum quasi post vniuersalem collectionem eorum, qui ad requiem prædestinati sunt, iubileum annum populo constituit celebrandum, inter antiquas festiuitates præcipuum. Iubileus autem, dimittens siue dimissiuus interpretatur. Cuius ista sequitur traditio:

De remissione iubilei.

Cap. III.

NVmerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum, i. septem septies, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem: & clanges buccina mense septimo, decima die mensis propitiationis tempore, in vniuersa terra vestra: sanctificabisq; annum quinquagesimum & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est n. iubileus.

Aperte ostendit quod à remissione iubileus diceretur, E cum postquam præmisit dicens, *Vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ:* continuo subiunxit, *ipse est enim iubileus.* Quod vero quinquagesimum eum dicit, quærendum est quomodo sit intelligendum. Nam septem septimanas annorum numerari præcipit, quæ quadraginta nouem faciunt annos. Cum vero nullum dixerit addendum, dubitatur quem velit intelligi quinquagesimum. Si enim aliquis huc subintelligendum asserat, quod in litera non aperitur: & cum quadraginta nouem, vnum superadijciendum qui quinquagesimus numeretur: sequitur, vt duos concedamus vacationis fuisse annos sibi coniunctos, septimum vltimæ septimanæ, & quinquagesimum qui statim adijciendus erat, quod in lege nusquam reperitur. Vnde videtur quod idem quinquagesimus dictus sit, qui & vltimæ septimanæ septimus erat, à præcedenti videlicet iubileo suæ computationis initium sumens. Sic & nunc tempore noui testamenti, vnaquæque dominica inter duas hebdomadas constituta, vnius octaua, alterius prima reperitur. In iubileo itaq; iubetur populo, vt clangat buccina mense septimo. Clangor F iste non est adhortantium ad pugnam neq; vociferatio compellentium ad fugam: sed vox lætantium erit, consummatam designans victoriam. In populo quippe Dei tunc temporis illa Balaam Prophetia complebitur, qua ait: *Dominus Deus eius cum ipso est, & clangor victoriæ regis in illo.* (Num. 23.) Clanget buccina ciuitas illa: quia iuxta Isaiam, *gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* (Isa. 51.) Clanget buccina, quando iuxta patris Thobiæ vaticinium, per omnes vicos eius cantabitur alleluia. (Thob. 13.) Septimus vero mensis, gratiam designat spiritus sancti. Clangent ergo buccina mense septimo qui non carnaliter, sed spiritaliter lætabuntur. *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.* (Rom. 14.) Mense, inquit, septimo decima die mensis, quando scilicet complebuntur omnia quæ per legem & Prophetas ante prædicta sunt. Propitiationis tempore: quia tunc miserebitur Dominus Iacob, & requiescere eos faciet super humum suam. *Misericordias* enim, inquit, *Domini in æternum cantabo.* (Isa. 16. Psalm. 88.) Vnde & per Isaiam eiusdem Sion temporales ærumnas Dominus consolatur, dicens: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* (Isa. 54.) G Sequitur:

Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam: quia iubileus & quinquagesimus annus est.

Felix cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso.* Ipsa est enim possessio, à qua primus parens noster eiectus est. (Luc. 23.) Sic quippe scriptura testatur, *quia emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. Eiecitq; Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis cherubim & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* (Gen. 3.) Ad hanc itaque possessionem reuertuntur omnes qui sunt Christi, qui virtute fidei suæ vincunt mundum & concupiscentias eius. *Vincenti* enim, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* (Apoc. 2.) Redibit homo ad familiam pristinam: quando adolescens ille qui à patre suo imprudenter recesserat, postulans partem substantiæ quæ illum contingebat, & consumens illam cum meretricibus, iam per pœnitentiam in patris gratiam reuocatus, in patris domum, & (Luc. 15.) H ad epulas eius quas esuriens desiderauerat, recipietur. O quam profusam circa se tunc patria sentiet liberalitatem, quando *replebit in bonis desiderium illius, abstergens omnem lachrymam ab oculis populi sui & dans escam gratuitam omni carni.* (Psalm 102. Apoc. 21. Psal. 135.) Vnde & hic subiungitur:

Non seretis neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob sanctificationem iubilei: sed statim oblatam comedetis.

Statim, inquit, oblatam vindemiam comedetis, quia semper paratam lætitiam inuenietis. Sic enim Deus per Isaiam loquitur, dicens: *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium: & exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo vltra vox fletus & vox clamoris.* (Isa. 65.) Et quoniam inæstimabile est quod prænunciabat, non fuit satis semel dixisse, sed repetijt quod præmiserat legislator, dicens:

Anno iubilei redient omnes ad possessiones suas.

Sequitur:

A

De temperando pretio vendendarum possessionum.

C A P. IV.

QVando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum: sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post iubileum, tanto crescet & pretium. Et quanto minus temporis numeraueris, tanto minus & emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. Nolite affligere contribules vestros: sed timeat vnusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. Facite praecepta mea, & iudicia custodite, & implete ea vt habitare possitis in terra absque vllo pauore, & gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini vsque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.

B Quia praeceperat vt in iubileo omnes redirent ad possessiones suas: quantum ad literam spectat, eatundem possessionum emptionem & venditionem temperat: vt quia fruges agrorum non ipsi vendebantur agri, pro frugum numero quae vsque ad iubileum supererant, pretium tractaretur: vt nec qui emebat grauaretur, si amplius daret: nec qui vendebat, si minus acciperet. Quod dicit, *quanto plures anni remanserint post iubileum*, transactum iubileum, intellige. Vnde & illud videtur approbare, quod paulo ante diximus, ab vno iubileo in alium, quinquagesimam hanc numerari. Quod vero subdit, *facite praecepta mea, & iudicia custodite, & implete ea*, id est, implendo custodite: ad hoc referendum est, quia praeceperat vt huiusmodi commercia iusta examinatione discuterent, & dignũ rebus singulis pretium ponerent. Promittit & obtemperantibus congruam recompensationem, qualis in veteri testamento à carnalibus expectabatur: *vt habitare*, inquit, *possitis in terra absque vllo pauore, & gignat vobis humus fructus suos.* Sed moraliter ista discutiẽda sunt. Diximus iubileum generalem futurũ omni populo Dei in vita sempiterna, quãdo accepta remissione omniũ peccatorum, restituetur iustis haereditas sua.

C Ad hunc autem iubileum etiam in hac vita quodammodo pertingitur, si sic viuat homo, vt indulgentia dignus sit: & in eorum numerum qui tunc saluandi sunt, bonis operibus se transcribat. Sed emenda est peccatorum remissio, & immortalitatis haereditas, quam in primo parente perdidimus, dato pretio competenti recipienda. Pretium vero quale sit futurũ, docet nos praecursor Dñi qui super hac re consultus, quomodo s. fugere possit homo à ventura ira, & diuinam sibi iustitiam conciliare: *Facite*, inquit, *fructus dignos poenitentiae.* (*Matth. 3.*) Fructus igitur poenitentiae, pretium sunt possessionis recipiendae. Dignum porro erit hoc pretium, si secũdum quod longe est à iubileo qui emit, vel prope, conforme tempori pondus aptet & pretij. Longe est autem à iubileo, qui magna peccatorum sarcina grauatus, à remissione se longe fecit. Prope est, qui in leuioribus tantum deliquit. Qui igitur longe est, augebit pretium, si possessionem suam recipere voluerit vt iuxta modum criminis, extendat & modum satisfactionis. Quod si minus reus iubileum quasi proximum sibi attendit, minori pretio, id est, leuiori satisfactione recipiet quod amisit. Notandum

D enim quod de illo nunc agitur, qui aut per infidelitatem, aut per vitae prauitatem à populo iustorum alienatus, cum primum per poenitentiã accedit, agrum aeternę haereditatis non recipit quasi suum, sed iure perditum comparat quasi alienum. Emptor quippe, non redemptor in hoc loco introducitur. Et qui vendit tamen & qui emit, conciues vocantur, cum dicitur: *Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo.* Sed hoc per anticipationem fit: qm̃ qui emit, etsi nõdum ciuis est, cum tamen emerit, futurus est. Huiusmodi plura exempla iam supra ostendimus. Venditores itaq; huius possessionis hi sunt, qui claues regni caelorum à Domino susceperunt, quibus commissa est potestas, vt ligent & excludant peccantes, soluant & introducant poenitentes. (*Matth. 16. & 18.*) Istis ergo iuxta Dñi praeceptum prouidẽdum est, vt in hoc meretmonio non grauent ciues suos, maiorem satisfactionem exigentes ab eis, quam peccati qualitas requirit. Emptor quoq; caueat necesse est, ne Dei dispensatorẽ contristet, si tepida s. mente delicti sui veniam petens, iustam satisfactionis mensuram non explet.

E *Tempus*, inquit, *frugum vendes tibi.* Vtiq; si longe est iubileus, i. si magnitudo facinorum longius hominẽ ab indulgentia separauit, plures sunt fruges cõparandae: quia quanto immanior praecessit reatus, tãto maius est q̃ emitur, dum maioris iniquitatis venia cõparatur. Hilaris ergo ac deuotus praebeat homo iustum pro re tanta pretium: quia cum per reatus sui veniam, in agris sanctae ecclesię possessor fuerit admissus, & ex sua possessione per id tẽporis fruges percipiet, fruges vtiq; iustitiae, quas extra societatem ciuitatis huius habere non posset. Et cum iubileus venerit, annus videlicet remissionis & remunerationis, merito possessionis suae per quam in populo Dei reputatus est, ad id reuertetur, quod merito paternae pręuaricationis amiserat. Alioqui nisi agro empto sanctae terrae habitator hic fieret, sanctorum societatem adeptus non vtique illi vel in iubileo ad amissa reuerti liceret. Tñ nanque filijs Israel haec lex attributa est. De hoc autem commercio in Ecclesiastico sic legitur: *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic inter medium venditionis & emptionis angustabitur peccatus.* (*Eccli 27.*)

F Cum. n. homo carnis illecebris assuetus, prauae consuetudini suę teniti coeperit, & agrum supernae haereditatis suarum voluptatum continentia comparare voluerit: magnas patitur angustias, dũ hinc caro cõpellit, vt ea more sibi obsequatur: hinc spiritus repellit, vt magis coepta perficiens, brauiũ sancti certaminis fideli perseuerantia cõsequatur. Magnae igitur ibi sunt angustiae, sicut diximus: sed laboris huius consolatio subinfertur, cum dicitur: *Conteretur cum delinquente delictum.* (*Eccle. 27.*) Hoc enim maxime in contritione sua debet hominẽ releuare, quod dum ipse conteritur, & aculeus carnis retunditur, & quem ex carne contraxerat, reatus aboletur. Quia tamen periculum est ne fatigatus deficiat: *nisi*, inquit, *in timore Dei tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua.* (*Ibidem.*) Possemus & illud agere, q̃ super hac negotiatione quorundam torpor arguitur, dum per eundem sapientem alibi dicitur: *Duae species difficiles & periculosa mihi apparuerant; Difficile exuitur negotiator a negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatu labij.* (*Eccli. 26.*) Sed strictius hactenus agendum est.

G Iam enim quidam ex amicis, voluminis huius arguunt prolixitatem, quorum consilijs acquiescendum est. Sic ergo de caetero breuitatem sequi disponimus, vt tamen pro viribus operam demus, ne proposita expositionem desiderent, & ne illud poeticum incurramus: (*Horatius in Arte poetica.*)

Breuis esse laboro,
Obscurus fio.

Solam igitur Domini promissionem in huius capituli fine repetimus, qua ad iudiciorum suorum obseruationem filios Israel exhortans, ait: *Facite praecepta mea, & iudicia custodite, vt habitare possitis in terra absq; vllo pauore, & gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini vsq; ad saturitatem, nullius impetum formidantes.* Hoc illi carnaliter intellexerunt: nos vero si praecepta diuina seruemus, in terra nostra vere sine vllo pauore habitaturi sumus, sempiternam laetitiam habituri, vbi gignet nobis humus fructus suos, quia omnis creatura perpetuas delicias ministrabit. Saturitas autem ex vultu Dei aderit: quia tunc *satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* (*Psalm. 16.*) Notet diligens lector venditorem hunc non quemlibet de pauperibus intelligendum, qui necessitate compulsus, sua distraxerit: de his postea tractabitur: sed

H diuitem aliquem, qui ex multa abundantia & sua vendat & aliena emat: vnde & illi praecipitur, ne in rerum pretio ciuem suum contristet: quod plerunq; illi facere solent, quos non ad mercimonium egestas compulit in tempore non suo, sed lucri cupiditas adduxit in tempore sibi opportuno. Quod sanctae ecclesiae dispensatoribus aptissime congruit, qui (iuxta quod supra tractatum est) pauperibus nobis quod vendunt, sine suo vendunt detrimento, dum & vendentibus nihil detrahitur, & ementibus multum confertur. Quia vero superius dixerat, vnoquoque anno septimo sabbatum terrae obseruandum esse in quo non sererent neque meterent, ne forte victus inopiam se passuros suspicarentur, dat huius rei securitatem, ita subiungens:

A

Promittit Deus benedictionem suam anno sexto.

CAP. V.

QVod si dixeritis, quid comedemus anno septimo, si non seuerimus neque collegerimus fruges nostras: dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructum trium annorum: seretisq; anno octauo, & comedetis veteres fruges vsq; ad nonum annum: donec noua nascantur, edetis vetera.

Annus apud Iudæos, à luna Aprilis incipiebat. De illo quippe mense scriptum est: *Mensis iste principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Sexto igitur anno, in ipsius anni introitu metebant fruges suas: & eodem anno postea serebant, quod veniente anno septimo propter sabbati vacationem non colligebant. Collectio tamen illa intelligenda est, quæ aliis annis fiebat: cum vnusquisq; quod seminauerat, sibi vendicabat. Hæc in septimo anno fieri prohibebatur: sed quicquid in agris, vineis, oliuetis, arboribusque cæteris natura produxerat, sine vlla peculiaritatis distinctione in commune populus assumebat. Sic igitur messe septimi anni quodammodo consumpta, dum non licet vnicuiq; sibi seruare quod seuit in sexto: item alia messis octaui anni, quæ in septimo serenda fuerat, & propter ferias eius anni non serebatur, prorsus amittebatur. Octauo autem anno serebatur quidem, sed illius seminis messis, nono tandem anno colligebatur. Igitur à messe anni sexti nulla erat collectio, vsq; ad annum nonũ. Inde est quod pollicetur Dominus anno sexto se daturum benedictionem, vt faciat fructus trium annorum, vt videlicet sufficere possit messis illius primum ipsi sexto, in cuius exordio colligitur: deinde septimo & octauo, donec ad messem noni perueniant. Notandũ vero, quod trium quidem annorum promittitur hic benedictio anno sexto, quattuor autem nusquam. Et hinc igitur apparet, quod superius diximus, iubileum non post septem septimanas superinduci, sed septimum vltimæ septimanæ, quinquagesimum computari, sumpto scilic. numero à præcedenti iubileo. Alioqui duo feriati anni sibi coniũcti succederent, & ex messe sexti non tres anni, sed quatuor, vsq; ad messem videlicet decimi, victum acciperent. Quod si ad mysterium occurramus, quid manifestius, quid delectabilius hic elucet nostræ fidei sacramento? *Dabo,* inquit, *benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructum triũ annorũ.* Hæc est benedictio, qua benedicitur omnis qui timet Dñm. In sexto quippe anno sumus nos præcipue, qui & sextam mũdi huius ætatem agimus, & sub senario sancti operis exercitio laboramus. Labor noster si secũdum Deum est, seminis locum tenet. Fructus huius seminis, messis ipsius est. Hinc

Galat. 6. enim scriptum est: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Vnicuique.n. redditur secundum opus suum. Labor vero iu-

Sap. 5. storum ab insensatis sterilis æstimatur, qui nunc *habent eos in derisum & in similitudinem improperij:* sed *potens in terra erit*

Psalm. 111. *semen eorum.* Scandalizantur impij, qui præsentem eorum

Isai. 61. confusionem attendunt: sed propter hanc in terra sua duplicia possidebunt. In hac quoq; terra est merces operi eorum. Vnde & ille qui hoc intellexerat, latenter quippe remu-

Psalm. 57. nerantur, & pascuntur interius: *Si vtiq; est,* inquit, *fructus iusto,*

D *vtique est Deus iudicans eos in terra.* Sed & alius psalmus: *Labo-*

Psalm. 127. *res,* ait, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Beatus es,* dixit pro præsenti: pro futuro autem, *bene tibi erit.* Pascit igitur sextus annus sua fruge prius seipsum, postea duos annos sequentes: quia etiam hic habent iusti fructum

Rom. 6. suum in sanctificatione, in loco diuinæ pascuæ collocati,

Psalm. 22. dum reficiuntur pane iustitiæ, finem autem vitam æternã.

Rom. 6. Porro vita æterna duos annos facit: primum ante corporũ resurrectionem, dum iam requiescunt animæ iustorum: secundum, post corporum reparationem. Sed vterque iste annus anni sexti frugibus locupletatur, dum per laborem præsentem & animarum quies, & corporum immortalitas obtinetur. *Dabo* ergo, inquit, *benedictionem meam sexto anno, & faciet fructus trium annorum.* Sed quoniam mors intercedat necesse est, & reatus antiqui debitum persoluatur: ad consolationem morientium statim subiungitur: *Seretisque anno octauo.* Hæc seminatio ad illud referẽda videtur, quod ait

1. Cor. 15. Apostolus: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Se-*

E

minatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur itaque corpus, cum per mortis conditionem in terram deponitur. Surgit vero, cum per Dei virtutem à morte reuocatur. Quod ergo nunc seritur, octauo anno seritur: quia cum spe resurrectionis moritur iustus, & mortis suæ amaritudinem expectatione futuræ beatitudinis consolatur. *Et comedetis,* ait *veteres fruges vsq; ad nonum annum.* Vetustas non semper corruptionem, sed aliquando solum designat antiquitatem. Vnde est illud in epistola Ioannis: *Non mandatum nouum scribo* 1. Ioan.

vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Itemque illud

Sapientis: *Vinum nouum, amicus nouus. Veterascet, & cum suauitate bibes illud.* Eccle. 9.

In nouenario autem ternarius reperitur, quæ est quadrata figura. Quod vero quadratum est, ex omni latere stare potest. Cibus igitur spiritalis, ad quem iam hic ex quantulacunque parte pertingunt animæ iustorum, dum renouantur de die in diem, & cogitationibus sanctis spiritualibusque saginantur affectionibus: multo uberius illis post mortem datur, cum deposita corruptibilis carnis sarcina, à pristinæ seruitutis iugo releuatæ, veritatis perceptione, magna quiete, & beatorum spirituum societate lætantur. Hæ sunt igitur veteres fruges, quibus vsque ad nonum annum vescuntur filij Israel: quia hac interim prima stola contenti sunt sancti, sola s. animarum suarũ felicitate, qua ex tempore mortalitatis suæ ex parte frui cœperant, cũ renouarentur spiritu mentis suæ: donec stabilem & occasum amplius non habituram, etiam in corporibus suis percipiant immortalitatem. Hic erit nonus annus, consummãs octauum, sua perennitate ac securitate quadratus. In hunc finem perueniet populus Dei, qui non habebit finem. Vnde & Moyses in tabernaculi constructione, sanctuario dedit quadratam mensuram, ponens in lõgitudine illius cubitos decem, & in latitudine decem, & totidem in altitudine. Idem & in templo Salomonis reperies obseruatum, 3 Reg. 6.

in cuius parte interiore ædificatum est oraculum, habens viginti cubitos in longitudine, & totidem in altitudine. Sic & in Apocalypsi Ioannis ciuitas cælestis in quadro Apoc. 21.

posita esse describitur: cuius longitudo & latitudo & altitudo, æqualia sunt. In nono autem anno noua erunt o- G

mnia, sic enim scriptum est, Deo loquente: *Ecce noua facio* Isai. 43.

omnia. Nouum cælum, noua terra, innouatis etiam sanctorum corporibus, & immortalitate receptis. Apoc. 21.

Contra mortis igitur necessitatem datur consolatio iustis, cum dicitur, *Seretis anno octauo:* cum spe scilicet resurrectionis dormientes, corpora vestra terræ mandabitis. Quia vero corporum nostrorum renouatio in finem defertur, quibus delicijs interim fruantur spiritus iustorum, insinuatur cum dicitur: *Et comedetis veteres fruges vsq; ad nonum annum.* Donec.n. animæ nostræ recipiant corpora sua, suæ interim quietis iucunditate, diuina contemplatione, mutua etiam societate seu dilectione pascuntur. Istæ sunt veteres fruges: quia (vt supra diximus) à tempore mortalitatis suæ, iusti sanctiq; huius voluptatis quasdã primitias gustauerũt. Quia vero fruges istæ sanctis spiritibus non deficiant, donec vltima atque generalis innouatio fiat, apte subiungitur: *Donec noua nascantur, edetis vetera.*

H

RADVLPHI FLAVIACENSIS IN LEVITICVM MOYSI,[a]

LIBER XIX.

PRAEFATIO.

SVperius cum iubilei legem traderet legislator, hoc constituit, vt illo anno ad possessionem suam vnusquisq; reuerteretur. Quia vero necesse est, vt qui in iubileo possessionẽ pristinam vult recipere, ante iubileum studeat aliquid possidere: alioqui non est quod in iubileo homini restituatur, si dum hic viuit, à possessione sanctæ terræ prorsus alienetur: admittuntur etiam pauperes ad comparandas possessiones, cum de temperando pretio diuites

A admonentur: ne forte deterriti pretij magnitudine, tam necessarium refugiant commercium: & importuni videantur hæreditatis, cum iubileus venerit, exactores, cuius ante iubileum non fuerint possessores. Vnde & in hac prima vendendorum agrorum vel emendorum traditione, venditor in iubileo non dicitur id quod vendiderat, recepturus: quanquam si morem gentis interroges, ita fieri solere negari non possit: generalis nanq; possessionum quæ vendebantur, ista præceptio est, præter nonnullas quæ inferius sequestrantur. Sacræ tamẽ legis in loquendo tanta est diligentia, nimirum quæ tota mysterijs incumbit, & spiritum semper respicit, vt eorum quæ aut facta recolit, aut tradit facienda, ea quidem proferens quæ mysticis legib. seruiant, his quæ ab hac sua deuiant intentione, supersedeat, & suo etiam silentio multa nos doceat. Hinc habes in Apo-
Heb. 7. stolo, cum de Melchisedec loqueretur, & eius nobis excellentiam commendaret: *Sine patre*, inquit, *sine matre, neq; initium dierum, neque finem vitæ habens*: assimilatus autẽ filio Dei,
B manet sacerdos in perpetuum. Non est credendum, quod Melchisedec iste sine patre & matre fuerit, quod dierum initium & vitæ finem non habuerit: quod tamen in scriptura sic introducitur, vt nec patris nec matris eius fiat memoria, nec vitæ illius initium aut terminus commemoretur: nõ esse otiosum Apostolus intellexit, & in hoc assimilatum illum Dei filio fuisse perhibuit. Sic & in hac scriptura quam præ manibus habemus, licet possessiones venditas, anno remissionis ad venditorem lex publica reuocaret: quia tamẽ iuxta quod supra tractatum est, prima hæc vendendorum agrorum descriptio allegorice talis intelligitur, quæ venditori nihil detrahat, emptori multum conferat: quæq; cum iubileus venerit, confirmanda sit potius quam cassanda: merito hic de restituẽda possessione venditori tacetur, & hoc solum, ne in pretio grauetur emptor, præcipitur. Deinde propter ferias anni septimi interposita est diuina promissio, qua pollicetur anno sexto se daturum benedictionem suam, vt tribus annis sufficere possit. Hactenus libro præcedenti tractatum est. Nũc igitur ad id reuertitur legislator, quod de vendendis possessionibus dicere cœperat:
C & ad ancillas transit, quas paupertate cogente nõnulli distrahebãt, in quibus quia sic mysterio congruebat, restitutionem illam exprimit, quæ in iubileo fieri solebat. Quia
Ephes. 2. enim iuxta Apostolum *natura sumus filij iræ*, & ab hæreditate sanctorum extranei, nisi per fidei adoptionẽ efficiamur
Rom. 8. hæredes Dei, *cohæredes autem Christi*: necesse erat vt emptio possessionis prius pauperibus offerretur, qua comparata, si denuo per inopiam eius distractio fieret, iubilei remissio misericorditer promitteretur. Cur vero reuocari debeant in iubileo venditæ possessiones, & possessoribus pristinis reformari, causa præmittitur, cum Deo loquente subinfert:

Vt terra non vendatur in perpetuum.

Cap. I.

TErra quoq; non vendetur in perpetuum, quia mea est: & vos, aduenæ & coloni mei estis. Vnde cũcta regio possessionis vestræ, sub redemptionis conditione vendetur.

D Quod hic à Dño decernitur, tale est ac si locuples aliquis multorum fundorum Dominus, agrorum suorũ cultoribus constituat, dicẽs: Terram quidem possessionis meæ colendam tradidi vobis, reditus constitutos per annos singulos recepturus: sed cum laboris vestri fructus in potestate vestra reliquerim, vt ad arbitrium vestrum illos dispensetis, agros tamen meos mihi retinui; illos distrahere non potestis. Pari modo & Dominus colonos suos dicit filios Israel, terram vero possessionis eorum suam esse testatur: de qua tanquam reditus annuos accipiat, decimas & primitias: quamq; mancipat suo iuri, distrahendi eam nulli conferẽs potestatem. Fructus igitur annuos cultoribus tradit, vt in ipsis arbitrium suum exerceant: terra vero quia sua est, ne omnino distrahatur, interdicit. Benignissimus tamen conditor nõ more humano sibi prospicit, cum terræ prohibet venditionem, sed venditoribus potius consulit, vt dum in iubileo recipit vnusquisq; quod vendiderat, nullus ab hæreditate sua possit diuelli. Hæc igitur allegorice interpretãda sunt. * Et quædam terra sacræ possessionis, quæ si (vt di-
E *Est. gnum est) purgata fuerit & exculta, possessori suo fructus vberes reddit, sicut ad eius habitationem nos inuitãs spiritus sanctus, per Psalmistam testatur, dicens: *Inhabita terrã,*
Psalm 36. *& pasceris in diuitijs eius.* Huius tamen diuersi sunt fructus, quia & diuersa cultorum studia, sicut euangelica nos parabola docet, vbi semen dicitur in terram bonam cecidisse, & fecisse fructum: *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud autem*
Matth. 13. *tricesimum*. Hęc terra quæ sit, si requiris, mens tua est homo: à qua peregrinaris quandiu voluptatum carnalium seruus, in carne, non in spiritu mansionem facis. Quandiu ergo talis es, *in carne tua seminas, messurus* iuxta Apostolum *corruptio-*
Gal. 6. *nem*. Quod si ad te ipsum conuersus fueris, & seminaueris in spiritu, de semine tuo colliges ad præsens fruges iustitiæ, & postea vitam æternam. Hæc est terra excelsa, ad quam nos introducit Dominus, cũ de Ægypto, videlicet de tenebris vitiorum nostrorum, nos ascendere fecerit, sicut scriptum
Deut. 32. est: *Constituit eos super excelsam terram, vt comederent fructus a-*
Heb. 6. *grorum*. In hac coloni dominici sumus, opportunum fru-
F ctum illi afferentes, vt accipiamus ab eo benedictionem. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum opera-
Rom. 7. bantur in nobis, vt fructificarent morti. Postquam aũt liberati fuerim⁹ à lege mortis, in qua detinebamur: si ambulamus in nouitate spiritus, iam fructificamus Deo. Sed quid est quod fructus terræ huius, arbitrio nostro relinquit Dominus, vt non solũ illis pasci, sed & vendere illos ac distrahere possimus: terram vero sibi retinet, & vendendi eã nobis subtrahit potestatem? O vtinam & fructus sibi teneat, nobisq; apud se conseruet: quos si nobis reliquerit, aut negligentia deperient: aut per imprudentiam nostram maximo nostro damno, vili pretio distrahentur. Satis enim iam experti sumus, quo liberum arbitriũ nostrum perduxerit
Gen. 3. nos, postq̃ homo Deo contempto, sic voluit esse contentus, & sui iuris esse concupiuit. Sed quoniã iustum est, vt etiam ipsi qui saluantur, pro sua salute soliciti sint, & suo arbitrio aliquid agant, vnde mercedẽ in futuro recipiãt: postq̃ in terra hac optima per Dei gratiam constituti sumus, & ad hoc collocati, vt voluptatibus carnis spretis, fructibus spiritus
G operam demus: monemur quidem diuinis vocibus, vt fœ-
2. Cor. 9. cundi esse studeamus, dicente Apostolo: *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Quantum tñ perdamus nostra desidia, dum seminandi laborem refugimus, testis est vnicuiq; sua conscientia: quantum etiã modico pretio distrahamus, dum aut cõiugij carnalis illecebris delectati, continẽtiæ fructus amittimus, virginitatis abijcimus flores: illecti gulæ voluptate, ieiuniorũ vtilitatem refugimus: possessiones etiam terrenas amantes, illud nõ implemus perfectionis præceptum:
Matth. 19. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, & veni, sequere me*. Hinc quoque fit, vt curis secularibus implicati, nec vacemus orationi, nec quę Dei sunt solicite cogitemus. Ecce quo pretio distrahimus fructus nostros, dum temporalem iucunditatem accipimus: & circa virtutum fertilitatem minus studiosi, ęternæ remunerationis dispendium sustinemus. Hoc igitur dolendo commercio fruges nostras abijcimus potius à nobis, quã alteri tradimus possidendas. Inimicus. n. qui emit illas, non de sua
H possessione, sed de nostra diminutione lętatur. De terra aũt quid fiet? *Non vendetur in perpetuum*, dicit Dominus, *quia mea est*. Discerneodum itaq; quid à nobis expectet, quidve gratiæ suæ in nobis attribuat. Exigit ipse à nobis, vt iã in agro eius constituti, ad laborandum pigri non simus: sed suum est, quod ad hoc opus eligimur: suum, quod in hac gratia cõseruamur, ne omnino ab illa decidamus: suum etiam, quod licet hic perfectioni minus studeamus, in ęterna tamẽ vita, gratuita ipsius gratia perficiendi sumus. Ibi enim restituetur nobis terra nostra, vt mentis intentio iam à vanitate liberata, solum diuinis laudibus occupetur: & tunc vere nostra sit, cum à varijs curis emancipata, & circa diuinũ amorem collecta, spiritali sagina replebitur. Licet igitur fructuum nostrorum dispendium nos sustinere permittat, vt ibi experiamur quæ sint nostri vires arbitrij aduertamusq; verum esse quod per Prophetam nos ipse commonet, dicens: *Perditio tua est Israel, tantum in me auxilium tuum*: hanc tñ le-
Ose. 13. gem in populo suo constituit, vt terræ fundus non vendã-

A tur in perpetuum: sed sibi reseruatus, possessoribus pristinis remissionis anno restituatur. In hoc .n. manifeste nos docet, quanta sit gratia & misericordia in sanctos eius: qui licet vt dignum est, illi placere non studeant, nec pro salute sua soliciti sint, ne omnino tamen ab eo diuellantur, & in alterius transeant potestatẽ, misericorditer retinetur. Hoc quippe monuit, cum venditione terræ prohibita, cur vendenda non sit, causam reddit, dicens: *Quia mea est*, id est, per me vobis conseruata. Nam possidere se dicit, quod possidere nos facit, tropo illo quo efficienti effectus suus tribuitur: velut cum dicitur Deus scire, eo quod scientes faciat: postulare spiritus sanctus, quod ad postulandum nos accẽdat: cæca fouea, quæ cæcos reddit: & multa in hunc modũ. Alioqui quæ est terra quæ Dñi nõ sit, vt terra Chanaan specialiter illius esse dicatur, in cuius voluntate vniuersa sunt posita: quiq; omnia fecit, cælum & terram & vniuersa quæ cæli ambitu continentur? Sua ergo dicta est, tanquam per eum ab eis possessa non enim in gladio suo possederont eã,

B *Psalm. 43.* & *brachium eorum non saluauit eos*: sed dextera Dei & brachiũ Ipsius. Iustum igitur erat, vt in terra quam illis dederat, lex ipsius conseruaretur: & iuxta voluntatem eius quæcunque distracta fuisset, anno constituto suo Domino redderetur. Quicunque ergo agrum à se venditum recipiebat, non erat q; ascribere posset suæ industriæ sed constitutioni diuinæ. Sic & agrum spiritualem ipse nobis cõseruat, qui & præ-

Col. 1. stat, eruens nos de potestate tenebrarum: & sub mitisuo

Matth. 11. iugo, animarum nostrarum possessores nos faciens. Idcirco

Psal. 30. *ego in te speraui Domine Deus meus, in manibus tuis sortes meæ: tu conseruabis eas mihi, quoniam speraui in te: conturbatur ad me anima mea, propterea memor ero tui tu es q; restitues hæreditatem meã*

Psalm. 41. *Psalm. 15.* *Psalm. 58.* *mihi*. Et in ipsis quoque fructibus terræ meæ ne sterilis sim, fortitudinem meam ad te custodiam: tu præbe his vires, vt in labore non deficiam: quia & vt ad laborandum surgerẽ,

Ibidem. *misericordia tua præuenit me Domine Deus meus*. Quia igitur, q; agri filiorum Israel in perpetuum non vendantur, audiuimus: quomodo sub redemptionis conditione interim distrahantur, vt scilicet redimi possint quandocunque venditor voluerit, & redimere potuerit: aut si redempti non

C fuerint, in iubileo venditori restituantur, sequentia docebunt nos.

De possessionibus venditis redimendis, vel in iubileo recipiendis.

CAP. II.

SI *attenuatus frater tuus, vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat.*

Iam diximus quæ sit possessio spiritalis, cũ aliqua s. virtus mente possidetur. Hanc igitur si attenuatus quis vendiderit, & temporali aliqua voluptate mutauerit, sicut supra tractatum est, vtique poterit redimi. Redemptio possessionis, reparatio est amissæ virtutis. Sed notandum quod attenuatus dicitur frater, qui possessionem suam distrahit. Alioqui quod tam vtiliter possidebat, non distraheret nisi

** vtique censu.* pauper esset, pauper* itaque sensu, & inops prudentiæ. De

D hac quippe paupertate scriptum est, *quia propter inopiã multi deliquerunt*. Notandum etiam, quod nõ possessio, sed pos-

Eccle. 27. sessiúcula dicta est, quæ ab hoc imprudente vẽdita memoratur. Constat enim quia non magnipenditur virtus ab eo, cum carnali momentaneæque voluptati postponitur. Sed quoniam de redemptione illius agere cœpimus, à quo redimi possit, cõsiderandum est. *Si voluerit*, inquit, *propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat.* Vt breuiter dicamus, & euangelicis vtamur verbis, *propinquus est hominis, qui facit*

Luc. 10. *Psalm. 40.* *Matth. 5.* *misericordiam in illum*. Si quis igitur vere propinquus est, *intelligat super egenum & pauperem*, impendat ei misericordiam, vt & ipse misericordiam consequatur: orando pro eo, monendo illum donec sua solicitudine studioq; impenso, restituat fratrem in gradum pristinum. Hęc enim est distractę possessionis redemptio. *Conseruet illum Deus, & beatum faciat*

Psalm. 40. *eum, nec manibus inimicorum tradat illum*, quisquis erroribus nostris cõcurrerit, labentibus porrexerit manum. Quia tamen etiam si propinquus iste defuerit, necesse est vt vnusquisq; sui curam gerat, apte subiungitur.

E *Sin autem non habuerit proximum, & ipse precium ad redimendum potuerit inuenire: computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, & quod reliquum est reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam.*

Cui deest propinquus qui curam illius suscipiat, si precium ad redimendum potuerit inuenire, id est, si per gratiã Dei virtus ei suppetit, vt quæ distraxerat, possit reparare. quo pacto sua recipiat docetur, cum dicitur: *Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, & quod reliquum est reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam.* Fructus possessionis, virtutis vtilitas est, quam vel in præsenti consequimur, dũ anima nostra sanctificatur: vel maxime in futuro, dum virtutis olim possessæ corona confertur. Inimicus igitur qui virtutis possessionem nobis ad tempus subtraxit, fructibus quoque illius quos interim ager sanctus exhibere possessorib. potuisset, fraudauit nos. Quod vero sit pretiũ quod ab illo, suggestione scilicet illius, pro re tanta percepimus, superius declaratum est, voluptas aliqua temporalis. Qui

F igitur per spiritus gratiam compunctus, & damni sui pudorem non ferens, ad pristinas facultates suas redire voluerit, fructus quidem præteriti temporis relinquet emptori: recipere enim illos non poterit. Sed vt agri sui fruges venturas ad se reuocet, nil aliud restat, nisi vt pecuniam inimici à se abijciat: & voluptati qua prius fuerat captus, exinde renũcians, in possessionem distractam se recipiat. Sequitur:

Quod si non inuenerit manus eius vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vsque ad annum iubileum. In ipso enim omnis venditio redit ad Dominum, & ad possessorem pristinum.

Hic tempus est vt renouetur interior homo noster & virtutes aut nouas acquirat, aut certe reformet, quas habitas ante perdiderat. Quod si hic contempserit, & perniciosi emptoris pecunia delectatus, reuocare quod suũ, sibi neglexerit: possidebit emptor quod emerat, vsque ad iubileũ. Possessio tamen boni nostri apud ipsum nihil aliud est, quã nostra fraudatio. Gaudium nanque suum computat & diuitias, nostrum detrimentum. Porro in iubileo restituetur nobis ager distractus, quoniam humana natura tunc ad in-

G tegrum reparabitur, *renouabitur* siquidem *vt aquilæ iuuentus*

Psalm. 102. *tua*. Neq; enim credendum est, quod qui coniugio carnali continentiæ fructum postposuit, etiam ibi eadem teneatur voluptate: cum scriptum sit de beatis illis, *quia non nubẽt neque nubentur, sed erunt similes Angelis Dei*. Qui hic diuitiarum

Matth. 22. peculiaritate delectatus est, non est existimandum quod etiam in vita illa tales sibi thesauros collocet, cum omnia sint eorum futura, qui Christi erunt: nec iam torqueatur solicitudine modicæ possessionis, cuius erit possessio generalis. Quem hic a studijs spiritalibus auertit, ad agri huius hæreditatem reuocabitur: cum implebitur in omnibus q; scriptum est, *Vacate & videte quoniam ego sum Deus*. &, *Beati*

Psalm. 45. *Psalm. 83.* *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Notandum tamen quod de his interim agitur qui in bonum quod arripiunt, perseuerantię suę votum non faciũt, de votis nanq; post aliquanta in huius voluminis fine tractabitur. Alioqui teste Salomone, *melius est non vouere, quam*

Eccle. 5. *1. Tim. 5.* *post votum non reddere*. & iuxta Apostolum, *qui primam fidem irritam faciunt, non implentes quod vouerant, damnationem sibi acquirũt*. Quod igitur virtutis pulchritudine delectatus, sic

H ad eam accesserit, vt verum perseueraturus sit, suo relinquat arbitrio: si iucunditate temporali seductus, ad inferiora se conuerterit, agrum quidem suum in hoc recipiet: quia purgatis vitijs omnibus, integra mentis suæ salute donabitur, fructu tamen priuabitur quem hic acquirere potuit, si agrum suum possideret, & virtutem semel arreptam colere perseuerasset. Perfecta quippe sanitas animæ, corporis etiam immortalitas & incorruptio, denarius est omnibus dominicæ vineæ cultoribus conferendus. In illa ta-

Matth. 20. *1. Cor. 15.* men spiritus alacritate, in corporis immortalitate, *alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum*: quia teste Apostolo: *talis erit resurrectio mortuorum*. Omnes igitur tunc diuinæ visioni vacabunt, quia diuino munere hoc ipsum percipient: sed tamen alia erit eorum gloria, qui etiam corpore corruptibili grauati, postpositis curis temporalibus, huic sancto negocio se mancipauerunt, vt cordis oculum purgarent: & inter tenebras vitæ huius, veritatis lumen inquirerent: alia illorum, qui semper quandiu hic viuunt: terrenis curis ad-

A hærentes, ab amore occupationis huius pessimæ, non nisi mortis violentia separantur. Alius erit honor continentiũ, qui hic in carne viuentes, extra carnem facti sunt: alius cõiugatorum, qui carnis voluptatem non nisi carne deficiẽte, relinquere voluerunt. Dispar quoq; futura est remuneratio volũtariæ paupertatis: q̃ quas hic possidere potuit diuitias, vt maiora spiritus lucra perciperet, abiecit: & quæ opulentiæ temporalis, quamuis concessis, tamen terrenis opibus delectata, spiritualibus profectib. minus insudauit. Virtutib. itaque suis anima tunc restituetur, vt agros pristinos recipiat; virtutis tamen quam hic non possedit, tunc amittet fructum: quia boni quod non exercuit, non recipiet præmium. Dicatur ergo: *In ipso*, id est, in iubileo, *omnis venditio redit ad Dominum, & ad possessorem pristinum.* Hic notandam video locutionem, quomodo vniuersaliter pronunciat, quã protinus vniuersaliter non esse intelligendam demonstrat. Quandam nanque venditionem esse quæ in iubileo
B non redeat, ita subiungit, dicens:

De domo vendita intra vrbis muros.

C a p. III.

Q*Vi vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo. Sin autem in villa fuerit domus quæ muros non habet, agrorum iure vendetur. Si autem redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad Dominum suum.*

De possessionibus itaque quæ extra vrbem venduntur, dictum est: *Omnis venditio in iubileo reuertetur ad Dominum suũ.* Si tamen absolute pronunciatum est, omnis vẽditio, quasi nulla excipienda restaret. Tale est & quod Dominus ait,
Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*: qui se ipsum protinus maiorem docuit, dicens: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* In hoc etiam volumine longe
C superius: *Omne*, inquit, *de volucribus quod graditur super qua-*
Leu. 11. *tuor pedes, abominabile erit vobis.* Et tamen de eisdem nonnullas mox excipit, dicens: *Quicquid autem ambulat quidem super*
Ibidem. *quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis.* Sed de locutionis modo ista sufficiãt. Quid est autem quod de vrbicis domibus dicitur, *Si venditæ fuerint, intra vnum annum redimi poterunt: si vero annus fuerit euolutus, emptori permanebunt, nec redimi poterunt etiam in iubileo?* Quæ est ista agrorum domorumque distinctio? *Terra*, inquit Dominus, *non vendetur in perpetuum, quia mea est.* Quid igitur Domine? Nunne & domus tuæ sunt? Quare ergo in perpetuum distrahuntur? Sed verum est omnino, verum
Psalm. 118 est quod legitur: *Mirabilia testimonia tua, & beati sunt qui scru-*
Ibidem. *tantur ea. Reuela oculos nostros Domine, vt consideremus mirabilia*
Ibidem. *de lege tua.* Ciuitas igitur inhabitantis populi munimẽtum, est communis ciuium societas, in qua quicunque mansionem non habet, hostib. expositus patet. Agri vero, victualium copiam ciuitati ministrant. Qui igitur agrorum suorũ aliquod sustinet dispendium, licet angustetur in substãtia, & attenuatus superius dicatur: si adhuc in vrbe dumũ pos-
D sidet, pauper quidem, sed ciuis permanet. Bonum autẽ est illi, vt quod imprudenter distraxit, cuo sibi restituat & non solo domus tegumento contentus, & necessariorum copiã sibi prouideat. Si nõ dissimulauerit, & remissius egerit, ex iure domus quam in vrbe sibi conseruauit, cum venerit iubileus, ad eorum quoque reuocabitur possessionem, q̃ extra vrbem distraxit. Tolerabilis ergo vtcunq; est agrorum venditio, quæ & quandocunque venditor voluerit, põt reparari: aut si hic reparata non fuerit, sola Dei gratia per iubilei remissionem speratur restitui. Longe vero alia domus vrbicæ docetur esse conditio. Apparet enim quam grauis sit diuina super illum animaduersio, qui eam distraxerit, eũ non nisi per vnius anni circulum ad eius expectetur redẽptionem: & si intra temporis illius spatium redempta non fuerit, exinde qui vendidit, redimendi non habeat potestatem. His igitur lineamentis quasi iuxta literam præmonstratis, facilis iam (vt credimus) spiritus eius intelligentia. Quæ enim mystice domus intra vrbis muros intelligitur,

nisi quarundam virtutum obseruatio, quibus quicunque E
priuari consenserit, dum fuerit sine illis, in populo Dei & in ciuibus ciuitatis supernæ numerari non poterit? Quarum nonnullas Apostolus nobis commendans: *Pacem*, inquit, *Heb. 12.*
sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Harum igitur necessariarum virtutum, intra quarum ambitum generaliter populus sanctus se continet, & quib. quicunque priuatus fuerit, in vrbe sanctorum habitaculũ non habebit, periculosissima distractio est. Quisquis itaq; fuerit infelix ille, quem inimici fraus ista domo nudauerit, festinet vt antequam euoluatur annus, damnabile sibi dissoluat commercium: & domo sua recepta, populi sancti sibi reformet consortium. Annus autem vnus, mystice intelligitur vita præsens: quia sicut in anno solis circuitus, sic per hoc spatium humanę vitę cursus peragitur. Idcirco vero ad vnius tantum anni circulum humanæ hic vitæ figura redi-
gitur, vt commoneatur homo breuitatis ipsius. *Dies enim nostri* *Iob. 8.*
sicut vmbra prætereunt. & tanto domus venditę redemptionẽ F
acceleret, quanto magis quando claudatur annus, incertũ habet. Si n. non redempta vrbis mansione, & illo sibi statu non reperato, qui populo Dei cõmunis est, de vita discesserit, & anno euoluto ad possessionem domus suæ non fuerit reuersus: possidebit emptor quod emerat, in perpetuũ, ita vt nec in iubileo redimi possit domus illa: quia sine fine de illius perditione inimicus gaudebit. *Si autem in villa*, inquit, *fuerit domus quæ muros non habet, agrorũ iure vendetur. Quæ etiam si redempta non fuerit, in iubileo tamen reuertetur ad Dominum suum.* Iam diximus quia muri vrbis, salutem ciuium tuentur ad vitam: ad quem cuicunq; refugium non patet, ab hostium incursu tutus esse non potest. Ager autẽ extra vrbem, est alicuius virtutis exercitium, quod omnibus qui saluantur, commune non est. Domus quoq; in villa q̃ muros non habet, acquiritur: quando in aliquo spiritali profectu, sine quo salus homini põt esse, qui tamen homini maiorem fructum & gloriam conferre potest, non ad bonã & tempora mens exercitatur, sed mansio diuturna paratur.
In hac villa domum sibi statuunt, iuxta quod supra tracta- G
tum est, qui continentiæ vsum faciunt, qui frugalitatẽ amplectũtur: maxime autem qui mundanis subtracti tumultibus sacris lectionibus mentem præbent. Hanc villã, hunc agrum, sponsa in canticis appetebat, vt publico sequestrata conuentu, sponsi complexibus liberius inhæreret. *Veni*, *Cant. 7.*
inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Nec prætereo quod de Israel scriptura commemorat, laudem egregij iuuenis, cui cum sui generis coniunx adduceretur Rebecca. *Eo tempore*, inquit, *Isaac deambulabat per viã*, *Gen. 24.*
quæ ducit ad puteũ, cuius nomen est viuentis & videntis. Habitabat enim in terra australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die. Inclinata, inquit, *die*, frigescente s. feruore carnalis concupiscentiæ. Nam & Iacob filius eius post solis *Gen. 28.*
occubitum dormisse legitur in loco illo, vbi diuinam illam mirabilemque vidit visionem, scalam vsque ad cælus pertingentem. Idonea plane ad meditandum illa mens erat, in qua flatus austri feruorem contrarium temperabat. Quisqs igitur gloriosam stationem sibi subtrahi passus fuerit, & villæ suæ vendiderit domum, pudenda quidem degradatio: si tñ intra vrbis muros se receperit, & publicum conuersatio- H
nis tenuerit statum, qui cum periculo salus ab omnib. seruetur necesse est, habebit licentiam redimendi quod distraxerat, quandocunq; voluerit & pretium inuenerit. Si vero pretio deficiente non potuerit redimere, in fine quod suum est, iuxta quod supra de agris tractauimus, diuino munere recuperabit. Huic aliquid simile etiam in Apostolo reperies. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, præter id* *1. Cor. 3.*
quod positum est, qui est Christus Iesus. Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vniuscuiusque opus manifestum erit. Ignis enim hoc probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, damnum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod beatus Augustinus in libro de ciuitate Dei exponens. Si quis, inquit, diligit vxorem suam carnaliter in morbo concupiscentiarum, etiam hoc secundum veniam concedit Apostolus. Potest ergo iste in fundamento habere Christum, si nihil ei tales affectionis voluptatisque præponat: quamuis superædificet

A *ligna, fœnum, stipulam*, delicias scilicet huius mundi, amoresque terrenos, Christus est fundamentum propter hoc *saluus erit per ignem*. Ea quippe quæ superædificauit, tribulationis ignis exuret, orbitates videlicet & calamitates quæ aoferunt hæc. Ac per hoc et qui ædificauit, erit ædificatio ista damnosa quia non habebit quod superædificauit: & eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo vtique lætabatur. Sed per hunc ignem saluus erit merito fundamenti: quia si, vtrum id habere mallet an Christum, à persecutore proponeretur, illud Christo non præponeret. Itemque: *Vide*, inquit, *in* 1. Cor. 7. *Apostoli verbis hominem ædificantem super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos. Qui sine vxore est, cogitat quæ sunt Dei,* Ibidem. *quomodo placeat Deo. Vide alium ædificantem ligna, fœnum, stipulam. Qui autem matrimonio iunctus est, ait, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Vniuscuiusque opus manifestabitur. Si* 1. Cor. 3. *cuius opus permanserit*, permanet enim quod quisque cogitat quæ sunt Dei, *mercedem accipiet*: quia vnde cogitauit, hoc sumet. B *Si cuius autem opus arserit, damnum patietur*: quia quod Ibidem. dilexerat, non habebit. *Ipse autem saluus erit*, quia nulla eum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate remouit. Hæc quantum concinant his, quæ à nobis supra tractata sunt, in promptu est * diligere. Fundamentum enim, in cuius sta- * deligere. bilitate salus nostra consistit, domus est intra vrbis murus. qua distracta, nisi festinanter redempta fuerit, nec in iubileo venditori salus superest. Aurum, argentum, lapides pretiosi, qui super hoc fundamentum ædificantur, tanquam agri sunt vel villarum domus, quæ cum vrbis habitaculo possidentur. Qui vero contempta hac tam nobili ædificatione, fundamento fidei suæ ligna, fœnum, stipulam, materiam scilicet igni debitam, superponit: ipse est qui vili mercimonio possessionem distraxit, & carnalia spiritualibus anteponit. Qui quidem damnum patitur, cum ædificium ipsius comburitur: cum rebus transitorijs occupatus, perpetuis agrorum suorum fructibus priuatur: gratia tamen fundamenti saluatur, quia si intra muros vrbis domum sibi seruauerit, tam animæ quam corporis salutem integram C recuperabit. Hactenus de agrorum possessionibus seu villarum domibus tractatum sit. Quia vero possessio huiusmodi perfectionibus congruit, & sub gratia noui testamenti, multi perfectiorus sectatores futuri erant, qui, vt interius locupletarentur, quæ mundi sunt cuncta postponerent, ad Leuitarum vrbes sermo deducitur, cum subijcitur:

De domibus vrbium Leuiticarum.

CAP. IV.

A*Edes Leuitarum quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi. Si redempta non fuerint, in iubileo reuertentur ad Dominos: quia domus vrbium Leuiticarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.*

Inter vrbes & villas hæc distantia est, quod in villis pauciores & habitaculis dispersi, in vrbibus vero plures habitant & constipati. Villas igitur, hominum paucitas sine moenibus habitans: ciuitates autem, circumdata muris eorundem hominum multitudo facit. Porro tribus Leui, sicut scriptura declarat, ad ministerium diuinum assumpta, in distributione D terræ sortem inter tribus cæteras non accepit. *Ego enim sors* Num. 18. *& hæreditas eorum, dicit Dominus.* In Leuitis ergo quorundam perfectio designatur, qui terrenæ hæreditatis sortem respuentes, portionem suam Deum computant, & pro summis diuitijs gratiam illius sibi thesaurizant. Quid igitur in vrbibus Leuitarum, nisi perfectorum vnanimis multitudo exprimitur, quorum mansio & popularium gradum amplioribus sanctitatis profectibus excedit, & muris cingitur, sicut & aliæ vrbes filiorum Israel, dum non minorem sollicitudinem virtutum suarum custodiæ impendunt, quam populares quique statui suo, sine quo saluari non possunt? Sicut enim illi salutis suæ periculum, sic isti gloriæ suæ metuunt detrimentum. Quia igitur vrbes istæ publicam excedunt stationem, ita vt etiam in inferiore gradu salus hominis possit esse: de illarum domibus eadem lex constituitur, quæ & de villarum mansionibus, vt scilicet redimi possint: vt si redemptæ non fuerint, in iubileo possessoribus primis restituantur. *Domus* enim, inquit, *vrbium Leuiticarum, pro possessionibus sunt inter filios Israel.* E Hoc est quod diximus, quia virtutes quas cæteri filij Israel quibusdam temporum excoluit interuallis, has isti iugiter obseruant, & in ipsis perpetuam sibi mansionem parant. Quia igitur etiam minus progressis spes est salutis, si Leuitarum perfectio domibus suis inimici fraude nudata, ad communem modum se reuocauerit: lege qua supra dictum est, mansionis distractæ aut nunc redemptio, aut in fine illi restitutio reseruatur. Memores tamen esse debemus, de his ad præsens agi, qui de voto liberi, perseuerandi sibi necessitatem non fecerunt: sed de domibus illis quid agere vellent, suo arbitrio reliquerunt. Sequitur:

Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.

De suburbanis vrbium Leuiticarum in Numeris legimus* quia præcepit Dominus filijs Israel, vt darent de possessionibus suis Leuitis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tenderentur. *Contra orientem,* Num. 35. F inquit, *duo millia erunt cubiti, & contra meridiem similiter duo millia. Ad mare quoque, quod respicit occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga æquali termino finietur.* Si igitur in vrbibus Leuiticis eorum conuersatio intelligitur, qui angustias quamuis fidelium, tamen secularium excedentes, ad vlteriora diuinæ contemplationis ac dilectionis habitacula se extendunt: per suburbana quæ circa illorum vrbes latius diffunduntur, quid aliud exprimitur, nisi diuinæ visionis, quæ speculationi huic succedit, circumquaque laxata libertas, ad quam hinc egredientes peruenturi sunt, & pascua inuenturi? Hinc est enim quod ad significandam vitæ illius perpetuitatem, dum æqualis vndique mensura porrigitur, etiam quadratura illa expressa est, quam supra notauimus, dum septimi anni ferias tractaremus*. Mille passus, vndique, perfectam omnium qui in illa vita congregandi sunt, felicitatem insinuant. Quod tamen mille passus in duo millia cubitos postea transferuntur, quid id esse arbitror, quia duo cubiti passum vnum faciunt: illud tamen per hoc designari intelligo, quia tam corpore quam animis sanctorum beatitudo constabit, quando thronus Dauid nostri, iuxta quod in Psalmo canitur, *erit sicut sol in conspectu Dei, & sicut* Psalm. 88. *luna perfecta in æternum.* Recte ergo nunc dicitur de suburbanis Leuitarum quod *non veneant, quia sempiterna possessio est.* G Ad suburbana quippe illa quicunque peruenerit nulli cessurus, ea perpetuo possidebit. Hinc iam emergentes, & locis obscurissimis Dei gratia pertractatis, ad reliqua transituri, in fine iusti illius factum commemoramus, qui cum à rege Achab conueniretur, vt accepta pecunia traderet illi vineam suam: *Propitius*, inquit, *mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem* 3. Reg. 21. *patrum meorum tibi.* Sicut enim in figura omnia pene gerebantur ab illis, videtur Noboth cum paternam hæreditatem ne regiæ cederet potestati, sub quadam vmbra mysterij considerasse quantum nefas sit, si hæreditatem suam deserat homo, non hanc quæ in terra temporaliter possidetur, sed quæ per Dei gratiam iustis in perpetuum reparatur. De his tamen qui hæreditatem suam distrahunt, superius decreuit lex, vt si propinquos habent, per eos distracta possessio redimatur. Quam redemptionem sic exposuimus*, vt qui de virtutis alicuius gradu lapsus est, per propinqui sollicitudinem in hoc quod fuerat, reformetur. Quia ergo necesse est vt fidei illius se tradat, & consilijs H acquiescat homo, per quem in hæreditatem pristinam reuocandus est: alioqui nisi illi consenserit, per eum reparari non poterit: ipse quoque qui curam illius suscipit, cum quanta moderatione infirmum tractare debeat, admonetur, cum subditur:

Vt non accipiant vsuras à fratribus suis.

CAP. V.

S*I attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum: non accipias vsuras ab eo nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges.*

Qui sunt qui vsuras à fratribus exigunt & amplius quam dederunt, nisi qui ad ea discipulos cogunt, quæ ipsi non faciunt, quorum scilicet exemplum non prærogauerunt? Quos ipse Dominus arguens, *Alligant*, inquit, *onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeris hominum, digito* Matth. 23.

A *autem suo noluit ea monere.* *Time ergo,* inquit, *Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te.* Nota quod cum timendum se in hoc facto Deus insinuet, tunc procul dubio offenditur, si frater infirmus nimio pondere præfocetur. Quo contra Patriarcha Iacob cum à fratre suo Esau moneretur vt pariter incederent, ipse Apostolicum illud in moribus suis repræsentans, [2. Cor. 11.] *Quis infirmatur & ego non infirmor:* [Gen. 33.] *Nosti,* inquit, *Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues ac boues fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.* Vt autem ad hanc misericordiam propensiores eos reddat, quomodo ipse illorum misertus sit, & quanta beneficia illis præstiterit, ad memoriam reuocat, cum subiungit:

Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt darem vobis terram Chanaan, & essem vester Deus.

Quod aptissime & nobis congruit, quos ipse eruit de [Colos. 1.] potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Et nos itaque suscipiamus inuicem infirmitates nostras, B sicut & ipse suscepit nos: ne cum nos admoneat dicens, [Isai. 28.] *Requiescere facite lassum, & hoc est refrigerium meum,* conqueratur & de nobis quod noluerimus audire.

De Israelite qui se vendidit frater suus.

Cap. VI.

Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit vsque ad annum iubileum.

Primum hic iuxta literam quærendum video, quomodo huic sanctioni contrarium non sit, quod in Exodo scri- [Exod. 21.] ptum est: *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, & septimo egredietur liber.* Hic autem dicitur, quod vsque ad iubileum permanebit emptus apud Dominum suum. Videtur ergo quod eundem ibi septimum, quem hic iubileum nominauerit. Et ipse namque iubileus in septima septimana septimus est. Quod & mysterio maxime congruit: quia qui C quinquagesimus annus est, dum seculorum series attenditur, & generalis, quæ fideles omnes in fine cōgregatura est, per septem septimanas quies exprimitur, ipse vnicuiq; nostrum septimus est, quia post laborē senarium nobis tribuitur. Videndum itaq; quis est Israelita, qui fratrem suum in seruum accipiat. Hęc seruitus laudabilis est, cum alicui sanctorum in seruitutem nos tradimus, sicut & Elias dictus est [4. Reg. 2.] Dominus Elisei. Notandum vero quod primum de possessionibus quæ distrahuntur, sermo habitus est: nunc autem ad illos qui seipsos vendunt, scriptura descendit. Vbi persona cuius seruitutem suscipiunt, maxime discernenda est. Nam si alienigena est Dominus ille, cui se Hebræus vendidit in seruum: ignominiosa est seruitus, cum Hebræus iste seruit indignis se: & qui de sacra stirpe processit, peccatori se subdit. Sed de hac seruitute paulo post tractabitur. Nunc autem de Hebræo qui fratrem suum in seruum accepit, sermo in manibus est. In seruum igitur aliquis Hebræo se tradit, cum omni obedientia se subdit maiori: & ad hoc etiam sub hominis subiectione se deponit, vt inobedientiam illā D expiet, qua primus parens noster etiam Deo cōtumax fuit. [Gen. 3.] Vendidit igitur se, cum ob intuitum sempiternæ retributionis, humilitatem istam nō refugit. Aliud autem est quod modo tractauimus, ad sapientem aliquem tanquam propinquum accedere, eius imbui doctrina, informari exemplis, consilijs acquiescere: aliud vero seruitutis suscipere iugum, & non solum audiendi quæ docentur, sed etiam exequendi quæ imperantur, necessitatem sibi imponere. Quia tamen spontanea est seruitus ista, non tam seruitus quam libertas æstimanda est. Quod igitur reuerentia seruis talibus debeatur, declaratur cum dicitur: *Si paupertate compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit vsq; ad annum iubileum.* Pauperes sumus omnes nos, quoniam illas perdidimus diuitias, quas in prima conditione conditor ipse nobis attribuit. Pauperes sumus: quia prudentiam qua mores nostros corrigere, & in gratiam creatoris nostri redire possimus, forsitan non habemus. Hac paupertate compulsi, alicui illorum in seruitutem nos vendimus, cuius & regamur sa-

E pientia, & subijciamur imperio: diuitias quas amisimus, aut multo ampliores, humilitatis nostræ pretium accepturi. Non ergo seruitute opprimendus est, qui ad seruiendum est deuotus: nec terroribus, tormentisue cogendus, sed blanda potius admonitione & spe mercedis propositæ, in his quæ agenda sunt, animandus. Hoc est enim quod dicitur: Quasi mercenarius & colonus erit vsq; ad annum iubileum. Seruus quippe iste, non quasi seruus, sed tanquā mercenarius est, cum seruitutem ab eo non violentia necessitatis, sed expectatio suæ mercedis extorquet. *Vsque ad annum,* inquit, *iubileum.* Tunc enim egredietur liber, & humilitas illius vertetur in gloriam. Tūc columba septimo die emis- [Gen. 8.] sa, ad arcam vlterius non reuertetur, ad temporalis scilicet disciplinæ clausuram: nec iam laborabit in parte, quæ in vniuerso regnabit. Tunc sicut in Iob scriptum est, *filij ceruarum* [Iob. 39.] *nostrarum pergent ad pastum: egredientur, & ad matres amplius non reuertentur.* Non reuertentur, inquam, necessitatis [1. Cor. 15.] anxietudine, quasi aliquid ab eis indigentes, cum Deus erit F omnia in omnibus, sed tamen permanebunt cum eis vinculo perpetuæ charitatis. Vnde & hic subiungitur:

Operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem & ad possessionem Patrum suorum.

Liberi cum quibus liber egredietur, retributio est operū illius, quæ exeuntem comitabitur: iuxta illud, *Et videas filios* [Psalm. 127.] *filiorum tuorum, pacem super Israel.* Quod vero dicitur reuersurus ad cognationem & possessionem Patrum suorum, simili modo & de Abraam scriptum reperies: quia *deficiens* [Gen. 25.] *mortuus est in senectute bona, & congregatus est ad populum suum.* [Gen. 35.] Hoc ipsum & de Isaac, & de Iacob scriptura testatur. Ad [Gen. 49.] Moysen vero loquitur ipse Dominus dicens. [Num. 31.] *Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Iosiæ quoque regi: *Quoniam,* inquit, *audisti verba voluminis, & per-* [4. Reg. 22.] *territum est cor tuum, idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* In quibus omnibus luce clarior futuræ vitæ prænunciatur, & congregandæ nostræ G dispersionis apparet promissio, quādo ad nostram colligemur cognationem, & ad patrum nostrorum possessionem. Lętificat valde quod sequitur, & cum magna voluptate auditur, quod reddens Dominus causam cur nostri curam susceperit, & seruitutem nostram præcepto temperauit suo & voce benignissima subdit, dicens:

Mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti.

O vtinam sic fiat Dominator Domine, vt reuoces eiectos tuos, vt auferas iniquitates nostras atq; peccata, nosq; possideas. Imminuti enim sumus propter peccata nostra, defecimus in ira tua. *Et ecce omnes morimur, & quasi aqua dilabimur* [2. Reg. 14.] *in terram: peruenitque gladius tuus vsque ad animam. Nunquid in* [Psalm. 76.] *æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam a generatione in generationem? Conuertere Domine vsquequo, & deprecabilis esto su-* [Psalm. 89.] *per seruos tuos.* Ad hanc enim vocem tuam reuixit spes nostra, & quasi de somno suscitati sumus, cum eam audiuimus iam non in paradiso absconsi, sed in hoc exilio procul proiecti: tu dixisti, tu locutus es, tu inquam cui peccauimus, qui proieceras nos à facie tua, tandem flexum te ad misericordiam insinuasti, dicens: *Mei serui sunt filij Israel, & ego eduxi eos de terra Aegypti.* Vbi notandum quod idcirco seruos suos H nominet Dominus, quos hominum seruos ante prædixerat, quia seruitutem illam quam hominibus exhibent, Deo offerunt, *in hoc ipsum* (sicut ait Apostolus) *Domino seruientes.* [Ephes. 6.] *Pretio,* inquit, *empti estis, nolite fieri serui hominum.* Licet enim [1. Cor. 7.] hominibus seruiat quis, Dei tamen, non hominum seruus est, si in seruitute quam hominibus impendit, Dei gratiam semper inquirit. Sicut ergo cum dicitur Petro, *pasce oues meas:* [Ioan. 21.] commonentur pastores, vt non suas, sed Domini oues se pascere cogitent, & diligentiam adhibeant: sic cum dicitur, *Mei sunt serui filij Israel,* commonentur Domini, vt non tyrannice eos opprimere, sed tanquam Dei seruis reuerentiam eis habere meminerint. Vnde & subditur:

Non venceris conditione seruorum, ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.

Hinc enim contra pastores per Iezechielem pro ouibus dicitur: *Quod perierat non quæsistis sed cum austeritate imperabatis* [Ezech. 34.] *eis & cum potentia.* Quod contra in hoc loco: *Ne affligas,* inquit, *eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.* Sequitur:

A *Seruus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, & hereditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Fratres autem vestros filios Israel, ne opprimatis per potentiam.*

Simile quod in Regum quoque reperies, quia *populum qui remanserat de Amorræis & alijs gentibus, qui non sunt de filijs Israel, fecit Salomon tributarios, de filijs autem Israel non constituit seruire quenquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius & Principes & Duces, & Præfecti curruum & equorum.* Filij igitur Israel etiam seruientes, liberi sunt, quia spontanea & voluntaria eorum est seruitus, alienigenæ autem, qui scilicet prauis moribus ab eis dissonant, etiam cum eis dominari videntur, serui illorum sunt: sicut scriptum est, *quia stultus seruiet sapienti.* Prodest enim sapienti quod ad præsens humiliatur, stultus autem temporali potentia abutitur in perniciem suam. Quod si iustis potestas in alios data fuerit, hac discretione vtuntur, vt inter bonos positi, prælatos se nesciant, & naturæ æqualitatem agnoscant: inter peruersos vero, quos scilicet

B amor iustitiæ nondum in filiorum transtulit libertatem, potestatis suæ rigorem exercent: vt in quibus nondum est bona voluntas quæ mansuetudine nutriatur, cupiditas quæ adhuc viuit, seruili timore prematur: ne tanto peruersior fiat, si sibi relicta, implere possit quicquid male deliberat. Sicut igitur conditione naturæ, Deo sic ordinante, præpositus est homo volucribus, piscibus & bestijs terræ: sic lege iustitiæ qui per Dei cultum & morum sanctitatem, humanæ dignitatis honorem recipiunt, his merito præferuntur, qui per vitam reprobam *comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis.* Hos igitur & quicunque ex illis nascuntur, id est, qui eorum prauitatem imitantur, habent seruos isti, eosque transmittunt ad posteros: quia quandiu in hac nostra vita mortali generatio generationi succedit, hæc lex perpetuo conseruatur, vt iustus iniusto, suo merito præferatur. Qui etiam cum pro peruersis tormentis tradiri fuerint tunc quoque iustis seruient: quia quantum sit quod per Dei gratiam euaserunt, in doloribus suis illis ostendent. Hinc ad Hebræos transeundum est, quos ignominiosa seruitus premit: qui seipsos vili pretio distrahentes, non iam contribulibus suis,

C sed extraneis subdiderunt. De quibus subiungitur:

De Hebræo qui se peregrino alicui vendiderit.

CAP. VII.

SI inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius, post venditionem redimi potest. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum & patruus & patruelis, & consanguineus, & affinis.

Notandum quod aliud est, agrum possessionis suæ vendere: aliud, seipsum seruituti addicere. Sicut enim supra tractauimus, agrum suum distrahit: qui virtutem aliquam, cuius facultatem naturaliter munere diuino susceperat, carnali iucunditate seductus, exercere contemnit. Non tamen statim se subdit vitijs, cum forte ad id quod expeditet, minus studiosus existit. Nondum igitur seruus est, si peccati

D iugo nondum ceruicem supposuit: nam iuxta dominicam sententiam, ille tantum *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quisquis igitur non solum iustitiæ fructum sibi subtrahi permittit, sed etiam inimico substernit se ad obediendum voluntati eius, hic seruus illius est, *carnalis,* vt ait Apostolus, *venundatus sub peccato.* Pretium quippe quo se ipse distrahit, idem est quod & agrorum, noxijs siquidem voluptatibus illecti, & virtutes abijcimus: & captiuati, iugum peccati suscipimus. Peregrinus vero cui nos vendimus, ipse est, cuius manus etiam apud regem Dauid inualuit: qui cum ad illum venisset, parcens Dauid sumere de ouibus suis, tulit ouem viri pauperis, & exhibuit conuiuium peregrino illi qui venerat ad se. Nota sunt quæ dicimus, & commemoranda tantum, non exponenda. Hic igitur peregrinus, hic aduena, qui hominis non naturalis est Dominus, sed per nostram imprudentiam & deprauatæ voluntatis consensum superinductus: cum suggestioni illius nostra negligentia vires addiderit, voluptatis pecuniam nobis tradit: & nostro consensu captiuatos, suæ seruituti nos subijcit. *Si vendiderit,* inquit, *se ei aut alicui de stirpe eius.* Qui sunt de stirpe Diaboli, nisi maligni spiritus,

E de prauitate illius trahentes imaginem, dum peruersitatem eius imitati sunt, quasi patrem illum sibi fecerunt? Sunt etiam de stirpe eius homines iniqui, quibus veritatis voce dictum est: *Vos ex patre Diabolo estis.* Sicut ergo ipsius Diaboli, sic & eorum qui de stirpe eius sunt, seruitus fugienda est: quoniam qui vel malignis spiritibus, vel prauis hominibus ad peccandum consentiunt, huius seruitutis laqueos non euadunt. Qui tamen se vendidit, post venditionem redimi potest. Per quos autem redimatur, docemur cum dicit: *Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum.* Et vt omnes qui per misericordiam illi propinquauerint, & captiuitatis illius miseriti fuerint, intelligantur: plures ex propinquis carnalibus enumerantur, cum dicitur: *Et patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis.* Nullus enim ex propinquis eius prætermittitur, cum quilibet consanguineus, cum etiam affinis, qui non parentum generatione, sed aliqua coniugij commixtione propinquus effectus est, ad hanc redem-

F ptionem admittitur. Quomodo autem per propinquos redimatur captiuus iste, iam supra in agrorum redemptione tractatum est: quia scilicet per amicos redemptio confertur, cum per eorum studium captiuus ad libertatem reducitur. Sed quoniam *frigescit in multis charitas, & abundante iniquitate, pauci sunt qui veram proximorum solicitudinem gerant:* quod super agris dictum est, idem super illo qui vendidit, repetitur cum subinfertur:

Sin autem & ipse potuerit, redimet se, supputatis duntaxat annis à tempore venditionis suæ vsque in annum iubileum, & pecunia qua venditus fuerat, iuxta annorum numerum & rationem mercenarij, supputata. Si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum, secundum hos reddet & pretium. Si pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum est, annorum quibus antea seruiuit, mercedibus imputatis.

Primum notandum video, quod sicut de seruo quem Hebræus emit, sic & de isto qui se vendidit alieno, dicitur quod nisi redemptus fuerit, vsque ad iubileum seruiturus sit. De iubileo quippe solo supra decretum est, vt venditiones in ipso reuertantur ad Dominos suos. Alijs igitur septimis annis vacatio sola tribuitur, in isto autem & seruis libertas, &

G suis possessoribus primis hæreditas reformatur. Vnde quod in Exodo scriptum est, vt seruus Hebræus sex annis seruiat, & septimo egrediatur liber: aut mystice tantum accipiendum est, aut si literæ sensus hic quæritur, ille magis occurrit quem supra posuimus, vt septimus annus non quilibet intelligatur, sed ille potius qui septimorum septimus est, vt omnes alij qui per septem septimanas illum præcedunt, profes annis habeantur, dum solus iste septimus dicitur. Quia enim non solum in Exodo, sed etiam in Deuteronomio hoc legitur, vt seruus Hebræus post sex annos seruitutis, septimo liber dimittatur: si forte de quolibet septimo hoc intelligendum est, ergo in hoc loco cum vsque ad iubileum seruiturus dicitur, quilibet septimus iubileus nominatur. Si igitur ex vtraque parte litera saluanda est, aut cum septimo anno seruus dimittendus dicitur, solus iubileus septimus est: aut in hoc loco cum vsque ad iubileum seruiturus decernitur, omnis septimus, iubileus est. Hæc de literæ contrarie-

H tate dicta sint: quæ pluribus in locis adeo vel dubia, vel quasi sibi repugnans apparet, vt vix & cum magno labore diuersis hinc & inde capitulis consideratis, quæ ad eundem sensum referenda videntur, aut eluceat quod dubium fuit, aut consonet quod quasi contrarium prius apparuit. Nos tamen de litera tunc securius dubitamus, aut forte nonnunquam secus quam debeat aliquid pronunciamus, cum mysterium non impedit, seu quod dubie profertur, seu quod incautius forsitan definitur. Cum enim ad mysticos sensus te retuleris, quid interest, vtrum omni anno septimo seruorum Hebræorum remissio celebretur, an in quinquagesimum differatur? Nam & vnusquisque iustorum post sex annos sui laboris, in septimo sua libertate donatur: & generalis tamen populi sancti libertas in finem differtur. Si igitur omnis septimus annus ex traditione legis, seruos Hebræos libertati restituit, hoc per illam remissionem designatum est, quod nunc interim quibusque iustis post mortem confertur. Si vero iubileus solus, quinquagesimus scilicet, hanc dignitatem obtinuit, vt in illo populo Dei o-

mnes

3. Reg. 9.
Prou. 12.
Gen. 1.
Psalm. 48.
Ioh. 8.
Rom. 7.
2 Reg. 12.
Ioan. 8.
Matth. 24.
Exod. 21.
Deut. 15.

A mnes à seruitute laxaret: vniuersalis nostræ libertatis, quæ post temporis finem speratur, typus ibi considerandus est. Nam nec alicuius nostrû plena libertas dici potest, donec quod tot erim animabus nostris tribuitur, etiam in corporibus nostris corruptione sublata perficiatur. Quomodocunq; igitur se habeat hæc vmbratica legis traditio, manifestum est quod nobis seruiat: & nostræ libertatis, quæ aut singulis nobis post mortem confertur, aut omnib. pariter in fine seruatur, typum gerat. Sic & de hoc quinquagesimo anno, quod superius diximus ipsum esse, qui est & quadragesimus nonus: quoniam annus qui in septem septimanis vltimus est, cum ad præcedentem iubileũ respexeris, ab ipso quinquagesimus erit. Scimus quendam qui ista disseruit, aliter sensisse: & post quadragesimũ nonum, quinquagesimum addidisse. Sed quoniam lex hoc aperte non discernit, nec ipse Iudæorum historiographus hoc declarat Iosephus, vbi hanc legis sanctionem commemorat: qua consideratione permoti, in hanc partem potius nostræ deflexerimus dissinitionis assensum, vt in quadragesimo nono & in quinquagesimo, non nisi vnum annum intelligeremus, sicut dictũ
B est superius: ne scilicet duo anni vacationis proximæ sibi succederẽt, & filij Israel ex messe sexti anni in vltima septimana, non vsque ad nonum annum, quod Deum promisisse supra legitur: sed vsq; ad decimum, necessario victum acciperent. Hoc tamen dicentes, melius sentientibus non præiudicamus: sed si quis ex manifesta autoritate nos docuerit, duos illos fuisse annos, non vnum, gratias agemus. Nos vero quod nobis visum est, ideo securi protulimus: quia in mysterio, vbi tota lectionis huius vtilitas collocata est, parum distat, vtrum vnus aut duo fuerint anni, quadragesimusnonus & quinquagesimus. Nam qui duos dixit, quadragesimumnonum ad temporum retulit consummationem: quando scilicet Christo descendente, mundi erit finis, & mortuorum resurrectio generalis. Clangorem vero buccinæ de qua dicitur, vt illo anno clangant buccina mense septimo, super illa tuba interpretatus est, quæ in Apocalypsi Ioannis septimo Angelo tribuitur, & per Apostolum
Apoc. 10. 1. Cor 15. nouissima dicta est tuba, in qua omnes resurgemus: *canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Quod tamen scriptu-
C ra contra dicere videtur, & nobiscum potius facere, buccinarum clangorem iubileo tribuens, vbi sacerdotes iubentur circuire Iericho: *& clangant*, inquit, *buccinæ quarum vsus*
Ios. 6. *est in iubileo.* Porro quinquagesimum, illam vitam intellexit, quæ post magnum iudicium secutura est, iam sanctis ad regnum translatis, & quod hic sperauerant assecutis. Nos autem qui eũdem esse quinquagesimum diximus & quadragesimumnonum, per hunc vnum hoc totum intelleximus significatum, quod ille per duos: vitam scilicet quæ à resurrectione incipit, & postea finem nõ accipit. Vnde cum in spiritali interpretatione communis sit noster intellectus, paruipendendum est quod in litera dissentimus: quia ipsius literæ diuersitatem, ad vnum mysterij finem referimus. Hæc idcirco prolixius prosecuti sumus, vt excusatos redderemus nos, sicubi forte Iudaicam literam non ad plenum inuestigare potuimus: quæ multis in locis & multum sudoris affert inuenienda, & parum vtilitatis inuenta. Nunc ad propositum reuertamur. De seruo Hebræo loquens scriptura,
D qui vendidit se peregrino: *Si ipse*, inquit, *potuerit, redimet se, supputatis duntaxat annis a tempore venditionis suæ vsq; in annum iubileum: & pecunia qua venditus fuerat, iuxta annorũ numerum & rationem mercenarij supputata. Si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum, secundum hos reddet & pretiũ. Si pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum: & reddet emptori quod reliquum est annorum quibus ante se uinit, mercedibus imputata.* Notet diligens lector, quod de illius serui redemptione qui se Hebræo vendidit, omnino tacetur, bonum est enim si iustis subditi perseueremus: qui vero ab alieno emptus est, suadetur vt si potuerit, redimat se. Inimici quippe seruitus quantocius fugienda est, & noxia venditio redemptione cassanda. Porro redẽptionis huius eadem ratio est, quæ superius & agrorum. Qui enim libertatẽ suam vult recipere, necesse est vt pecuniam inimici, voluptatem scilicet, qua male illectus se distraxerat, reijciat à se, & à iugo illius collum excutiat. Seruatur aũt in restituenda pecunia temporis ratio, vt quantum transactæ tempus exiguæ seruitutis,

E non restituat: restituat vero partem aliquam venturi temporis, in quo liber esse desiderat. Quandiu nanq; peregrino huic subditus fuit, voluptate vsus vel potius abusus est, ad quam eius suggestione peruenit, ex quo autem peruerso huic renunciat Domino, & pecuniæ simul renunciabit quam ab illo percepit. Sequitur:

Non affliget eum violenter in conspectu tuo.

Violenter, inquit, *non affliget eum*, vt scilicet si ille se redimere voluerit, ista violenta eum opprimat seruitute. Non igitur violentus erit illi in conspectu tuo: id est, nõ hoc patieris quantum in te est, vt frater tuus libertatem quærens, iniustæ damnationis necessitatem sustineat. Quod etiam nobis obseruandum est. Si enim fratrem nostrum libertatis amor succenderit, pro viribus concurrere nos oportet, vt pudẽdam dominationem effugere, & naturæ suæ dignitatem valeat reformare. Qui tamen ad plenam non potuerint libertatem pertingere, quid de illis Dominus decernat, protinus subinfertur:

Quod si per hæc redimi non poterit, anno iubileo egredietur cum liberis suis.

F *Si non poterit*, inquit: non, si noluerit. Nam qui hic libertatem nõ appetit, nec in iubileo ad eam egressurus est. Qui vero conatur quantum potest, etiam si plene hic illam obtinere non possit: iubileus cum venerit, conatus illius implebit. *Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi* Matth. 5. *saturabuntur.* His igitur libertas implenda promittitur, qui hostis antiqui tyrannidem detestãtes, licet hoc bonum perficere nondum valeant, vt Deo tamen soli subditi sint, pro viribus elaborant. Ex quorum persona per Apostolum dicitur: *Mente seruio legi Dei carne autem legi peccati.* De quibus Rom. 7. etiam hic subditur:

Mei sunt enim serui filij Israel, quos eduxi de terra Aegypti.

Dei itaque serui, quos ipse eduxit de terra Ægypti, de illo scilicet tenebroso profundo, de quo scriptum est: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit*: ad terræ sanctæ Prou. 18. libertatem tẽdentes, nonnunquam occurrente Amalech, Exod. 17. id est, populo lambente, turba videlicet carnalium voluptatum, quæ terram lambere semper quærit, in hoc itinere retardantur. Sed licet sæpius vulnerentur, licet nunc vinci, nunc vincere videantur, si tamen Domino suo fidem suam
G seruant, vt in certamine perseuerantes, nunquam se hostibus victos tradant: sed aut fortiter resistant vitijs, aut suis vulneribus congruum pœnitentiæ medicamentum prouideant, quamuis pratæ opacis libertatem in hac forsitan vita minime consequantur, nec peccati prorsus effugiãt seruitutem: speramus tamen de illius misericordia, cui deuoti perstiterunt, & recte agendo, & commissa plangendo, quia post huius carnis depositionem iubileum suum inueniẽt: in quo nec peccatorum, quibus dolentes per infirmitatem cesserunt, venia fraudabuntur, & diu desideratæ libertati restituentur. Quia vero hæc omnia sub figura seruanda filijs Israel tradita sunt, nec tamen in figuris seruire, sed saltem in præceptis minoribus, ipsius quoque iustitiæ participes fieri necessarium habebant: nunc quod sine figura attendant ponitur, cum subinfertur.

Ego Dominus Deus vester. Non facietis idolum, nec sculptile, nec titulos erigetis: nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester. Leuitici cap. XXVI.

H *Non facietis*, inquit, *idolum nec sculptile*: tanquam aliud sit idolum, aliud sculptile. Sed sicut iam supra notauimus, teste beato Augustino, & coniunctio copulatiua, aliquando nõ aliud adiũgit, sed quod dictum est exponit. Cum enim præmisisset, *non facietis idolum*: vt diuersa idolorum genera demonstraret, *nec sculptile*, inquit, *nec titulos erigetis.* Tituli quippe, id est, statuæ in memoriam aliquorum hominum erigi solebant, sicut de Absalom scriptum est, quod erexerit sibi cum adhuc viueret, titulum in valle regis, in memo- 2. Reg. 18. riam sui nominis quam statuam marmoreã Iosephus fuisse testatur. Sicut ergo sculptile aliquod non est adorandum propter se, tanquam ipsum Deus sit, sic nec homo mortuus in imagine aliqua colendus est. Etsi enim à Christianis homo colitur, Deus potius in illo veneratur. Sed quoniam etiam moles aliqua vel naturalis corporum pulchritudo, tũc temporis ab insipientibus admiratioõi habita & pro Deo venerata est, sicut nonnulli vel capita magnorum fluminũ,

A vel proceras arbores coluisse dicuntur, etiam hoc genus idololatriæ prohibetur, cum dicitur: *Nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Sequitur:

Custodite sabbata mea, & pauete sanctuarium meum. Ego Dominus.

Phil. 3. Hoc & superius præceperat: sed vt eadem repetantur, teste Apostolo, quibusdam necessarium est. Vnde & alius quidam de mundi huius sapientibus: *Præcepta*, inquit, *quibusdam tradenda, quibusdam inculcanda sunt.* Sed quoniam ad præceptorum obseruationem, & remunerationis spes & vltionis timor, qui transgressoribus proponitur, etiam negligentium torporem exuscitat: iustum erat vt post multa quę tradita sunt custodienda, iam iuxta finem voluminis doceremur, quid obedientibus præmij, quive contemptoribus supplicij seruaretur. Inde est ergo quod subinfertur, Domino dicente:

B

Quid diuinis præceptis obtemperantes præmij consequantur.

Cap. VIII.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet fructum suum, & pomis arbores replebuntur.*

Hæc omnia si Iudaice intelligantur, manifesta sunt. Quia vero etiam ipsi in scriptura habent quod capiant, & competentibus sibi promissis, vt Deo seruiant, excitantur: apparet quod diuina sapientia cum eis loquens, quasi cum pueris agit quibus poma promittit. Sed quid mirum si in scripturis istis sic sapiant, vel potius sic desipiant, qui Muysen in

Exod. 2. fiscella scirpea tanquam paruulum concluserunt, dum cælestes illius sensus, ad literæ infirmitatem pueriliter reduxerunt? Suscipiatur ergo Muyses iste proiectus à suis, à filia Pharaonis: & honore regio sublimatus, ostendat nobis faciem suam: & linguam illam, qua cum Deo loquebatur,

1. Cor 13. nobis aperiat: quia *cum essem*, inquit, *paruulus, loquebar vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.*

C Dicat igitur: *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea.* sic enim custodiuntur, si opere compleantur. *Dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum.* Pluuia ista visibilis, & bonis & malis communis est. Sed est quædam pluuia, quam soli merentur iusti, de

Psalm. 67. qua scriptum est: *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Hæc Spiritus sancti perfusio intelligitur, cuius etiam abundantia fluminis nomine designatur, Domino dicente: *Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hanc igitur pluuiam, hunc spiritualem rorem, qui ab illis solis sentitur, quorum mens interius inebriatur, promittit Deus obtemperantibus sibi: sicut etiam in

Ioan. 14. Euangelio legimus, Domino dicente: *Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Datur autem pluuia ista temporibus suis: quia nonnunquam vtiliter subtrahitur Spiritus sancti gratia, vt homo sibi relictus, quid per se possit intelligat: & iterum tempestiue redditur, ne vsquequaque desertus intereat. Vnde

Ioan. 3. scriptum est: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Postquam autem Dominus

D hanc suauitatem nobis infuderit, continuo terra nostra dabit fructum suum, terra vero quæ pluuiam istam non suscipit, nunquam iustitiæ fructum gignit. Quomodo tamen potest, cum sine ista gratia nemo præceptis illius obtemperare possit, nec obedientiæ fructum afferre: quid est quod vt hanc gratiam percipiamus, ipse nos hortatur, vt præcepta illius facere debeamus? Sed hinc datur intelligi, quia primo cum labore seruiendum est ei, dum adhuc nobis vetus consuetudo resistit, & carnalis appetitus impugnat nos, nec expugnat: postea vero dum paulatim caro deficit & spiritus conualescit, dum carnalis voluptas siccatur, & pluuia cœlestis nobis infunditur: transit laboris iucunditatem, & obseruatio mandatorum Dei magnam nobis exhibet delectationem. Nec tamen credendum est, quod saltem ad laborem illum sine gratia ipsius surgere possimus, in omnibus enim misericordia eius præuenit nos: sed quæ primo datur vt incipiamus, postmodum vt abundemus magis, proficientibus multiplicatur. Sic post Christi resurrectionem datus E

dicitur Spiritus sanctus Apostolis, non vt haberent quem Act. 2.

prius non habuerant, sed vt magis illo abundarent quem prius acceperant. Et hic igitur custodientibus diuina præ- Ioan. 20.

cepta, pluuia promittitur gratiæ spiritualis: cuius quidem iam participes erant, si quæ Deus præcipit, faciebant: ipsa tamen obedientia quam nobis gratia contulit, eiusdem gratiæ nobis incrementum acquirit. Dicat ergo: *Dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum.* Terra ista, mens hominis est: quæ suscepta pluuia cœlesti, gignit suum germen, quando Spiritu sancto impinguata, bene agendi concipit voluntatem. Quia vero charitas quæ per spiritum confertur, & bona & benigna est: & sibi quippe consulit, & pro- 1. Cor. 13.

ximis se impendit: post terræ germinationem, arborum fructus promittitur, cum subinfertur: *Et pomis arbores replebuntur.* In arbore, & vmbra est quæ à solis ardore protegit, & fructus qui pascit. Arbor est igitur fructifera, quisquis proximis indigentibus & fructum suę liberalitatis, & vmbram exhibet protectionis. Vnde Dominus Christus, quia singu- F

lariter nos & ab hostib. protegit, & suo fructu nutrit: malus in Canticis nominatur, dicente sponsa: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic amicus meus in medio filiorum.* Pomis igi- Cant. 2.

tur istis tanto magis replemur, quanto nobis amplior confertur gratia, & uberius hæc pluuia mentibus nostris infunditur. Quoniam autem *qui continens factus est iustitiæ, apprehendet illam, iucunditatem & exultationem ipsa thesaurizat super eum*, apte subiungitur: Eccli. 15.

Et apprehendet messium tritura vindemiam.

Nihil quippe lætius bona conscientia. Messium ergo tritura vindemiam apprehendit, quando anima quæ se pro Deo laborasse, & multorum operum se apud Deum recolit meritum collocasse, ex bono suæ conscientiæ spiritualem lætitiam concipit: gaudium vero quod de transactis habetur laboribus, ad perseuerandum nos excitat. & vt nouos iterum subeamus, desiderium nostrum inflammat. Vnde & subditur:

Et vindemia occupabit sementem.

Omnis bona actio, & messis & semen est. Vbi enim semē G

est verbum Dei, & aget nostræ mentis hoc semine suscepto Luc. 8.

bene agendi germinat concupiscentiam, huiusmodi germen tanquam ad messis suæ peruenit maturitatem, cum sancta deliberatio ad propositę actionis se prouehit executionem. Quia vero bonis operib. sanctorum merces à Deo restituitur, ipsum opus tanquā semen est, & retributio sempiterna messis illius est. Vindemiam igitur messis sequitur, cum iucunditas quam de transactis laboribus mens nostra concipit, ad alia agēda nos protrahit: vt multiplicato semine actionis, multiplicetur etiā messis retributionis. Sequitur:

Et comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra.

Quamuis deliciæ spiritales magis hic bonos satient, quā reprobos qualibet carnalium affluentia voluptatum: plena tamen iustorum satietas in futurū differtur, cum ex Dei participatione replebuntur in bonis ipsorum desideria, quia *tunc satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Sic & quod di- Psalm 102.

ctum est, *absque pauore habitabitis in terra vestra*, ad æternam Psalm. 15.

magis pertinet vitam: quia licet sancti & Dei præsumentes auxilio, multam sibi sumant fiduciam, iuxta illud: *Dominus* H

mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo: quandiu ta- Psal. 117.

men in medio laqueorum ingrediuntur, audiunt ab Apo

stolo: *Cum timore & tremore vestram salutem operamini*, & ali- Eccle. 9.

bi legitur, *Beatus homo qui semper est pauidus.* Postquam autem Phil. 2.

Ierusalem cælestis seras Dominus confortabit, ponens o- Prou. 28.

mnes fines illius pacem: tunc vere absque pauore filij eius

in illa habitabunt, quando nullius infestationis aduersæ Psalm 147.

molestiam sustinebunt. Vnde & hic apte subiungitur:

Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat.

Additurque:

Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros.

Quæ sunt malæ bestiæ, nisi spiritus maligni, qui bestialiter contra nos sæuiunt? Isti ergo per Christi gratiam nūc auferuntur à cordibus fidelium, vt illa vlterius non possideant, quia princeps mundi huius cum satellitibus suis

eijcitur foras: sed tamen foras missi, pugnas mouent, iu- Ioan. 12.

A stos inquietant, & eorum pacem perturbant. Nondum igitur plena auferuntur, donec subtrahatur eis facultas impugnandi, sicut & dominatio possidendi. Gladius vero diuina animaduersio intelligitur, quæ peccatores trucidat, sicut per Iob dicitur: *Fugite a facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est.* (Iob. 19.) Hic gladius nunc per iustorum fines transit, quia temporali & transitoria illos afflictione castigat. Postquam autem mitigauerit Dominus circa nos omnem iram suam, & propitius nobis factus, peccatorum nostrorum nõ recordabitur amplius: tunc cessabit gladius in finibus nostris, quia repleti misericordia diuina, exultabimus & delectabimur omnibus diebus nostris. (Psal. 89.) Antequam tamen ad perfectæ huius pacis gaudium pertingamus, necesse est vt pugnantes & de hostibus triumphantes, pacis meritum acquiramus. Qui enim tribulant nos inimici nostri, Deo nobiscum pugnante, infirmabuntur & cadent in conspectu nostro. Hoc est nempe quod subditur:

Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.

Quæ autem eorum infirmitas manifestius exponitur, cum subinfertur:

B *Persequentur quinque de vestris, centum alienos: & centum ex vobis, decem millia.*

Iam superius semel & iterum disseruimus, duo esse fidelium genera. Vnum est robustius, quod perfectionis amore temporalia postponere: & vt Deum plenius possideat, eligit in hoc mundo nihil possidere. Aliud vero infirmius est, quod licet diuinas leges attendat, & secundum illas agat: quantum tamen eisdem legibus docetur non esse contrarium, temporali iocunditate fruitur, coniugijs inhærens, filios generans, & possessiones terrenas non solum sibi, sed etiam suæ successioni procurans. Qui autem huiusmodi sunt, necesse est in suo genere vitijs resistant, & criminum incentores spiritus debellare contendant. Isti igitur p quinarium numerum exprimuntur, eo quod sensibus subditi sint, & voluptate sensibilium teneantur. Per centenarium autem qui perfectus est numerus, virtus contraria designatur. Sed sicut de Deo scriptũ est, q a *q infirmũ est Dei fortius est hominibus*: (1. Cor. 1.) sic & de seruis illi⁹ eius munere dici potest, quoniam q infirmi sunt in illis, fortiores sunt Dæmonibus.

C Hoc est ergo q dicitur. *Persequentur quinq; de vestris, centum alienos.* Qui vero robustiores sunt, & ad centenariam perfectionem peruenerunt: multo ampliorem hostium sternunt numerum, quod scriptura consequenter exprimit, dicens: (1. Cor. 10.) *Et centum ex vobis, decem millia. Misericors* enim *Deus non permittit nos tentari supra quam sufferre possumus*: sed iuxta vires militum suorum, temperat infestationes inimicorum. Ipse vincit in martyribus, ipse parcit in confessoribus: vt & infirmiores nimio certaminis pondere non frangantur, & quorundam fidelium fortitudo agone multiplicius coronetur. Quibus aũt armis virtus inimica succũbat, declaratur cũ subditur:

Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio.

Gladius in scripturis varias significationes habet. Sed quoniam festinamus, illas tantum ponimus, quas materiei quæ in manibus est, congruere videmus. Nam pauloante p gladium vindictam diuinam intelleximus: nunc autẽ alius nobis ostendendus est gladius, quo cõtra hostes vtamur, gladius scilicet spiritus, quod est verbum Dei. (Ephes. 6.) Hoc gladio vsus est Dominus Iesus, cum Diabolum praua suadentem, scripturarum autoritate confutauit, dicens: *Scriptum est, non tẽtabis Dominum Deum tuum.* (Matth. 4.) D Et, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* (Luc. 4. Deut. 6.) Hoc igitur & nos vti oportet. Si quando inimicus ad cor nostrum irrepere tentãs, venenum nobis iniquæ persuasionis propinare voluerit, legis sacræ præceptis instructi, eius suggestionibus obuiemus: sicut de iusto scriptum est, *Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.* (Psalm. 36.) Quo contra de populo qui legem ipsam in ore habuit, & non in corde, qui a diuinis eloquijs ornari maluit, quam armari, Domino dicitur: *Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.* (Psalm. 88.) Quia vero post expugnationem vitiorum tanquam sentibus extirpatis, sequitur germinatio virtutum, apte subiungitur:

Respiciam vos, & crescere faciam.

O si respiciat super nos misericordia tua Domine, vt crescere nos facias: & tua charitas augeatur in nobis, vt deuoti seruiamus tibi. Sequitur:

E *Multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum.*

Vbicunque datur abundantia charitatis, tanquam terrã impinguata fructus vbertas succedit, & bonorum operũ multiplicitas inde consurgit. Cum his autem qui in fructu abundant, Dominus pactum suum confirmat, vt fideliter obtemperantibus sibi, quę promisit exhibeat. Hoc enim cum illis qui in bono steriles sunt, efficitur irritum: quoniam qui præceptis diuinis non obtemperant, ipsi sua contumacia diuinis promissis se priuant. Deinde subiungitur.

Et comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijcietis:

Nota quod dicitur. *Vetera*, inquit, *proijcietis*, sed *vetustissima veterum comedetis*. Quæ igitur sunt vetera, quæ prædicũtur proijcienda? Nos vetera intelligimus, legis sacramenta, de quibus Apostolus ait: *Omne quod antiquatur & senescit, prope interitum est.* (Heb. 8.) Hæc igitur vetera nouis superuenientibus proijciuntur: quia dum noui testamenti suscipimus instituta, legis ceremonias seruare contemnimus. Suis tamẽ figuris veritas antiquior est: & iustitia quę per legem adumbrata est, antequam lex daretur, a patribus obseruata F est. Ad hanc itaque, cum sub mortis vmbris & velo templi scisso, per Christi sanguinem reducimur, vetustissima veterum comedimus: quia iam non iustitię figuris sub tempore datis oneramur, sed ipsius iustitiæ quæ apud Deum æterna est, pane reficimur. Alioquin dicat Iudæus, qui carnalem sacrificiorum in his amplectitur abundantiam, quæ sit ratio vt vetera proijciantur, & vetustissima comedantur: cum q vetustissimum est magis proijci, vetera vero comedi deberent. Quod si hæc non solum in scripturis, verumetiam in nostris affectibus velimus aduertere: vetus est cupiditas quæ veterem facit hominem, antiquissima vero Dei charitas: q naturalis homini cibus, priusquam in has carnis deuolueretur illecebras, in ipsa sua conditione propositus est. Vetera ergo proijcimus, cum per Christi gratiã noxias voluptates respuimus: cum autem diuina charitate reficimur, cibo nostro vetustissimo renouamur. Sequitur:

Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea.

Si hoc de tabernaculo quod fecit Moyses, Iudæus intelligat, iam constructum erat & inter illos constitutum. In G principio quippe huius voluminis dicitur, quod de tabernaculo cum Moyse locutus sit Deus. Quapropter & verius & lætius illud Dei tabernaculum in hoc loco accipimus, de quo per Psalmistam dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum.* (Psalm. 18.) Perspicuum nanque fecit nobis filius Dei tabernaculum corporis sui, quod etiam ipse templum nominat, dicens: *Soluite templum hoc, & post triduum excitabo illud.* (Ioan. 2.) *Et non abijciet*, inquit, *vos anima mea.* Postquam *verbum caro factum*, *data est hominibus potestas filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius.* (Ioan. 1.) Porro filios suos abijcere non potest paternus affectus sed *sicut mater*, inquit, *consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos.* (Isai. 66.) Itemque, *Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* (Isai. 49.) Deinde subditur:

Et ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosq; eritis populus meus.

Hoc est quod etiam per Prophetam de illo dicitur: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* (Baruch 3.) Quæ illius conuersatio licet pijs & impijs conspicua fuerit, non nisi tamen pijs vtilis fuit. Illis ergo solis promittitur, præcepta H scilicet diuina seruantibus, quibus ad salutem confertur. Hi sunt beati illi quibus dicitur, *ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Quis similis tui popule qui saluaris? Gens sancta, genus electum, funes ceciderunt tibi in præclaris, & hæreditas præcipua collata est tibi.* (1. Pet. 2. Psalm. 15.) Faciant igitur patres filij hominum: pro magno existiment plena promptuaria, foetosas oues, crassas boues, numerum filiorum, filiarum ornatum, *beatus nũ est populus, nisi cuius Dominus Deus eius.* (Psalm. 143.) Complet autem Dominus promissiones suas, ita subiungens:

Et ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis eis: & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti.

Reducit nobis ad memoriam sua beneficia, vt nos ad amorem suum accendat. Vẽdideramus enim nos Pharaoni, principi videlicet huius mundi, qui a Deo diuisus est, cui seruiebam⁹ in luto & latere in operib. terrenis: sed redemit

A nos Dominus pretio sui sanguinis, & eduxit nos de lacu miseriæ & de luto fecis. *Benedic anima mea Domino*, & ne sis ingrata beneficiis illius. Veniant & audiant omnes timentes eum quanta fecerit tibi, qui disrupit vincula tua, qui confregit iugum tuum, vt incederes erecta, & leuares ad eum oculos tuos: ne seruires vltra Ægyptiis tenebrarum rectoribus, qui dicebant tibi: *Incuruare vt transeamus*. Hinc ad comminationes dominicas transeundum est quibus ostenditur quæ transgressoribus supplicia debeantur.

Psalm. 39. Psalm. 102. & 103. Isai. 51.

RADVLPHI FLAVIACENSIS, IN LEVITICVM MOYSI,

LIBER XX.

B

Quæ vindicta contemptoribus inferatur.

CAP. I.



Vod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque hæc faciam vobis.

Si non audieritis, inquit, *me, nec feceritis omnia mandata mea.* Quis est qui omnia quæ Dominus præcepit, faciat? Non eius beatitudinis sumus, nec eius meriti, vt vniuersis illis obtemperemus. Non est enim *homo super terram qui faciat bonum & non peccet, nec iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.* Quid est ergo quod tam fortiter astrinxit dicens, *Nisi feceritis omnia mandata mea*? Sunt igitur quædam mandata quæ necessitatem afferunt exequendi, nec sine salutis periculo possunt violari. Sunt enim quædam sublimiora, quæ suaderi solent potius quam iuberi, sicut de virginibus dicit Apostolus præceptum Domini se non habere, consilium tamen dare. In his igitur quæ consilium & præceptum non habent, relinquitur homo suo arbitrio, vtrum faciat: an non faciat: in quibus autem salus hominis periclitatur, si non fiant, necesse est vt omnia fiant. Dicitur enim, *non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices*, & similia: quæ quisquis omnia noluerit obseruare, iram diuinam non poterit euitare. Leges vero de quibus subditur, *si spreueritis leges meas*: illas in hoc loco accipimus, quæ de figuratiuis obseruationibus traditæ sunt, sicut supra legimus: *Hæc est enim lex lepræ, hæc est lex mulieris parientis, hæc est lex mundorum siue immundorum animalium*, & multa huiusmodi. Istæ itaque leges licet non iustitiæ veritatem, sed solam iustitiæ formam habeant, tamen Deo præcipiente suo tempore spernendæ non fuerunt: quia contemptus qualiumcunque præceptorum, reputatur seruis in contumaciam. cum aliquantum transgressio, si per obliuionem vel quamcunque difficultatem contingat, plerunque venialis sit. Dicat ergo: *Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt.* Iudicia dicit, quæ super transgressores mandatorum aut legum exerceri mandauit, videlicet super fures, adulteros, homicidas, sabbati violatores: quos aut occidi iussit, aut pro mensura criminis flagellari. *Et ad irritum*, inquit, *perducatis pactum meum.* Pactum Dei nobiscum est: quod si fecerimus ea quæ præcepit, consequemur quæ promisit. Hoc pactum ad irritum perducitur, cum præceptis postpositis, diuinis nos fraudamus promissis. Si ergo, inquit *spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, ego quoque hæc faciam vobis.* Audiamus quæ contemptoribus comminetur:

Eccle. 7. Psalm 142. 1. Cor. 7. C Exo. 20. Matth. 5. Leuit. 19. Leuit. 11. 12. 13. 14. 15. D

Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.

Supra obtemperantibus sibi securitatem promisit, & pluuiam temporiuam: nec è contra præuaricatoribus egestatem minatur atque ardorem. Primo vero notandum est, quod diuina visitatio non solum ad misericordiam Dei referenda est, velut vbi dicitur, *Visitauit nos oriens ex alto*, sed etiam ad vindictam. Cuius visitationis multa exempla poni possent, nisi quod hic manifestum est, & prolixitatem amodo vitare propositum nobis est. Dicit itaque: *Visitabo vos velociter in egestate & ardore.* Egestas est, cum anima ab amore iustitiæ recedens, naturalem suam iucunditatem amittit: & vnde salubriter intus pascatur, Spiritu sancto priuata non inuenit. Hanc egestatem passus est adolescens ille, qui imprudenter à patre discedens, & in longinquam proficiscens regionem, continuo cœpit egere. Quam illius egestatem ardor subsecutus est: quia paternæ domus perditis deliciis, fame vigente, ad siliquas porcorum cibum deuolutus est. Hoc quippe omni animæ quæ Deum deserit, solet contingere: postquam non habet in minutib. suis vnde pascatur, quærit foras in rebus sensibilibus vnde consoletur. Subit ergo illam concupiscentiæ ardor, qui nunquam possit extingui: quia perdito naturali cibo, siliquis voluptatum carnalium nunquam poterit saturari. *Me dereliquerunt*, ait Dominus, *fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ non possunt aquas continere*, fugitiuas videlicet voluptates procurauerunt sibi, quæ stabilitatis suæ certitudinem nullam amatoribus suis possunt exhibere. Hunc egestatis ardorem sponsa Christi sub gratiæ illius obumbratione se euasisse in Canticis gloriatur, dicens: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quam desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Hunc ardorem in sancta ecclesia se temperaturum per Isaiã Dominus pollicetur, dicens: *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus. Velociter* ergo, inquit, *visitabo vos in egestate & ardore.* Hæc enim vindicta peccatoribus statim restituitur, ante illam manifestã vltionem ignis æterni: quoniam iniquitas suum tormentum secum habet, sicut & iustitia præmium. Vnde & in Deuteronomio: *Deus*, inquit, *fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & reddens odientibus se statim ita vt vltro non differat, protinus eis restituens quod merentur.* De ardore vero isto quid dixerit, considerandum est. *Qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.* Confectio quasi quædam commixtio solet intelligi, vbi diuersæ species pariter commiscentur. Conficiuntur ergo mentis oculi carnalis ardore concupiscentiæ, cum aliud ratio nobis sequendum ostendit, aliud noxius appetitus exposcit. Inde quasi lippitudine quadam & superflui humoris abundantia, pupilla tenebratur interior: nonnunquam vero & cæcatur, cum puritatem intelligentiæ perturbat ardor concupiscentiæ. Sic nanque de quibusdam scriptum est: *Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem.* Ardor igitur iste & præuaricatorum oculus conficit, & animas consumit: quia si quid in eis bonæ affectionis supererat, contrariis motibus expugnatur, & quasi flammis appositis sensim adnihilatur. Vnde & subditur:

E Luc. 15. Iere. 2. F Cant. 2. Isai. 55. Deut. 7. G Psal. 57.

Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur.

Hos filios Israel historialiter passos, in Iudicum sic legimus: *Cum seuisset Israel, ascendebat Madian & Amalech, & cæteri orientalium nationum: & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant.* Sed maxime in moribus nostris hoc considerandum est. Semen quippe verbi Dei, postquam diuina custodia destituti fuerimus, hostibus nobis insidiantibus, diuersis modis deperit apud nos. Aut enim priusquã germinet, de memoria tollitur: aut cum germinare cœperit, antequam radices in altum mittat, aliquarum tribulationum æstu superiecto siccatur: nonnunquam vero rerum quæ in mundo diliguntur, sollicitudinibus insertis tanquam sentibus emergentibus, suffocatur. Hic est enim humanus defectus. Cum semel labi cœperit homo, & ad peccandum deflexerit intentionem suam, non statim post suos affectum perdidit iustitiæ: sed primos lapsus suos arguens, & displicens ipse sibi, admonitionis alicuius verbo stimulatus, surgere tentat: iam tamen hostibus suo merito traditus, nisi diuinitus adiuuetur, dũ surgere nititur, iterũ præcipitatur. Cũ autẽ peccandi consuetudinem fecerit, paulatim incipit negligere seipsum: & tanquã multis confossus vulneribus, atq; exanguis effectus, sensum etiam doloris amittit. Hinc enim scriptum est: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Sed hic secũdus gradus est, de quo paulo post tractabitur. Nunc de illo agitur, qui adhuc in ancipiti fluctuatione constitutus, quanquã vitiis se captiuũ tradiderit, primæ tñ libertatis suę de proximo reminiscens, cũ exhortationis semẽ susceperit, meliora quidem proponit:

Iudic. 6. Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8. H Prou. 18. Luc. 1.

A sed contrarijs motibus raptus, aut statim proijcit quod mente susceperat: aut si diutius in eo permanserit, æstu tentationis accedente, verbi germen antea deperit, quam conualescat. *Frustra* ergo, inquit, *seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur.* In mente etenim quæ præiudicium patitur suæ peruersitatis, cito germinatio consumitur propositi correctionis. Deinde subiungitur:

Ponam faciem meam contra vos.

Supra obedientibus sibi, *Non abijciet*, inquit, *vos anima mea.* Nunc autem, *ponam faciem meam contra vos.* O comminatio metuenda. Quo enim diuinam fugiet iram, cui iratus est Psalm. 138. Deus? *Quo ibo*, inquit, *à spiritu tuo? & à facie tua quo fugiam?* Quid tamen aliud à præceptorum illius contemptoribus sperari potuit? Sicut enim ipse diligit iustos, sic iterum per Psalm. 145. Psal. 5. Psalmistam ei dicitur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* *Ponam* ergo, inquit, *faciem meam contra vos.*

Et corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos.

B Superius dictum fuerat, *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* Nunc vero, *Corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos.* Sicut namque cui Deus adiutor est, omnes suos despicit inimicos: sic homo suo reatu diuino destitutus auxilio, præda hostium fit. Sequitur:

Fugietis nemine persequente.

Sicut iustis superius dixerat, *Absque pauore habitabitis in terra vestra*: sic nunc contumacibus metum etiam irrationabilem minatur, dicens: *Fugietis nemine persequente.* Scriptum Sap. 17. enim est: *Cum sit semper timida nequitia, testimonium dat condemnationis.* Item in Iob: *Cunctis diebus suis impius superbit, & nu-* Iob. 15. *merus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille insidias suspicatur.* Sic nulla est Prou. 18. Prou. 28. Prou. 10. *homini securitas sine Deo*, quia *turris fortissima nomen Domini*, ad quam iustus confugiens quasi leo confidit: *pauor autem his qui operantur malum. Fugietis* ergo, ait, *nemine persequente.* Hinc ad secundum transit gradum, quem paulo ante commemorauimus, quo per peccandi assiduitatem homines in C contemptum labuntur, & in illam mortem de qua scriptum Eccle. 17. est: *A mortuo quasi qui non sit, perit confessio.* Hunc igitur scriptura sic explicat, Domino dicente:

Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra: & conteram duritiam superbiæ vestræ, daboque cælum vobis desuper sicut ferrum, & terram æneam.

Si nec sic, inquit, *obedieritis mihi.* Tanquam diceret: Si post multiplices lapsus nolueritis ad cor redire, & peccata vestra considerantes, humiliter meum explorare auxilium, vt mea virtute ab hostibus liberemini, ante quorum faciem antea corruebatis: si inquam in peccatis vestris non fueritis humiliati, vt suscipiam vos de via iniquitatis vestræ, sicut scriptum est de quibusdam, qui propter iniustitias suas humi-Psalm. 106. liati sunt, *addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram duritiam superbiæ vestræ.* Superbi enim inique agunt vsquequaque, quando in malis suis obstinate perseuerantes, etiam post perpetrata flagitia superbiam non deD ponunt. *Conteram* ergo, ait, *duritiam superbiæ vestræ, addens correptiones vestras septuplum propter peccata vestra.* Quod dicit *septuplum*, non nisi augmentum quoddam ipsius vindictæ si-Psalm. 78. gnificat: velut cum dicitur, *& redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*: id est, maius tormentum conscientijs eorum repende, quam ipsi nostris inflixere corporibus. Multa huiusmodi reperies, velut cum dicitur: *Qui occiderit Cain, septu-* Gen. 4. Eccli. 7. *plum punietur.* Et in Ecclesiastico, *non semines*, inquit, *mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.* Nec solus septenarius, sed & alij numeri aliquando sic in scripturis ponuntur: vt quia aut perfecti sunt, aut per se magni, seu cæteris quib⁹ in ipso loco subiunguntur, maiores: nihil aliud quam rei de qua agitur, multiplicitatem designent. Hinc est quod paulo ante tractauimus: *Persequentur quinque de vestris, centum alie-* Psalm. 90. *nos: & centum de vestris, decem millia.* Item in Psalmo: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Id est, Multi qui tecum iudicaturi putabantur, meritum quod habere videbantur, sunt amissuri, scilicet, plures de his, qui ad dexteram tuam in iudicio credebantur constituendi. Item in Danie-Dan. 7. le: *Millia millium ministrabant ei.* Qua summa nihil aliud,

E quam multitudinem tantam quæ humanam excederet æstimationem, Propheta voluit designare. Item in Psalmo: Psalm. 67. *Currus decem millibus multiplex.* Hæc idcirco diximus, vt quoties in hac sententia quam tractamus, correptiones siue plagas in septuplum addendas legerimus, non nisi augmentum earundem correptionum siue plagarum intelligamus. Dicitur itaque: *Addam correptiones vestras septuplum, daboque cælum vobis desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Per ferrum & æs, nihil aliud quam duritiã hic vult intelligi. Nam in Deu-Deut. 28. teronomio vbi similes peccatorum pœnæ describuntur, nõ sicut hic cœlo ferrum, & æs terræ dedit, sed è conuerso: *Sit cælum*, inquit, *quod supra te est, æneum: & terra quam calcas ferrea.* Vnde nihil interesse indicat, cui ferrum vel æs attribuat, cum idem in vtroque designat. Cælum ergo sacram scripturam, terram vero mentem humanam intellige. Cælum aũt sicut ferrum est, & terra ænea: cum peccatoris anima frigore suæ iniquitatis insensibilis reddita, ex auditu sanctæ prædicationis nullum rorem concipit vtilis compunctionis. F Cũ enim sapientia foris prædicet, & late per orbem in pla-Prou. 1. teis det vocem suam: dum prophetiæ leguntur, dum Euangeliũ recitatur: quid est quod vnus audit & corrigitur, alius audiens in nullo mutatus, nisi quod huic per Dei gratiam cælum exhibet rorem suũ, vt terra illius germinet: alij vero suo merito verbi diuini medicina subtrahitur, vt (sicut superius diximus) argui se audiat & contemnat: & somno lætali grauatus, sub increpatione diuina nihil salubris timoris concipiat? Quisquis igitur talis est, pro salute sua laborare contemnit: fieri tamen non potest vt non laboret. *Homo e-* Iob. 5. *nim ad laborem nascitur.* Laborant itaque omnes, & boni & mali: sed boni fructuosum laborem quærunt, mali vero inutiliter laborant. *Labor*, ait Salomon, *stultorum affliget eos, qui* Eccles. 10. *nesciunt pergere in ciuitatem.* Hoc quoque hic subditur:

Consumetur in cassum labor vester: non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.

Superius vt fructum iustorum ostenderet, qui & mores suos innouant, & vsque ad proximos bonitatis suæ ramos ostendunt: *Terra*, inquit, *gignet germen suum, & pomis arbores re-* G *plebuntur.* Nunc autem vt eorum sterilitatem insinuet, qui telas texunt araneæ, & opera eorum opera inutilia: *Consumetur*, ait, *in cassum labor vester: non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Nota quod primo gradu vastationem frugum Dominus comminatus est, dicens: *Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur*: nunc autem tantam terræ ipsius ariditatem prænunciat & cœli siccitatem, vt omni humore subtracto, nec germen in terra nascatur, quod saltem ab hostibus deuoretur. Hic namque processus iniquitatis est, vt postquam à iustitiæ statu labi cœperit homo: primum ad id quod expedit, languidius assurgat, deinde ipsam etiam bene agendi voluntatem perdat. Sed quia mens quæ spiritualibus priuatur affectibus, non sic stupida remanet, vt non ad aliquid moueatur: sed cum naturales motus excedunt, bestiales impetus carnis succedunt, apte subinfertur:

Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra: emittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos & pecora vestra, ad H *paucitatem cuncta redigant, desertæque fient viæ vestræ.*

Ratio, propria hominis est: sensus autem corporis, cum pecoribus communes habet. Succedentibus ergo bestijs, consumuntur homines cum pecoribus, & ad paucitatem cuncta rediguntur: quia postquam mens humana vitiosis affectibus cœperit deuastari, vix in cogitationibus eius aliquid relinquitur, quod rationi concordet: vix in motibus exterioribus, quod modestiam vel honestatem conseruet. Apud eos vero qui eiusmodi sunt, viæ sanctæ terræ desertæ fiunt: quia dum mentes nostræ contrarijs motibus absorbentur, nullus est qui per sanctuarij itinera gradiatur. Hos igitur homines quidam sapiens describens, & bestijs traditos, imo in bestias transformatos insinuans, ait: Euenit vt quem transformatum vitijs videas, hominem æstimare nõ possis. Auaritia feruet, alienarum opum violentus ereptor? lupi similem dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultus, subripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax

A non metuenda formidat? ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum viuit. Foedis immundisq; libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Hæ sunt bestiæ quę in Dei contemptores emittuntur, bestiales videlicet affectus, quibus miserorum mentes discerpuntur. Has autem emittere dicitur Dominus, eo quod homines in hos labantur motes, quos se deserentes sibi ipse relinquit, & facere perhibetur quod fieri permittit. Quid autem miseris istis ad infelicitatis augmentum potest superaddi, nisi vt praue agentes benedicantur: & vt ipsorum oculos sua prorsus peruersitas fugiat, iniquorum fauoribus seducantur? Hinc enim subiungitur:

Quod si nec volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoq; contra vos aduersus incedam: & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei.

Quis est iste gladius, nisi blanda & seductoria vaniloquorum adulatio? quæ dum peruersos actus nostros suis B commendat laudibus, quod supererat vitalis spei, miseris subtrahit, ne quando videlicet ad se redeant: & sua exhorrentes scelera, damnare incipiant? Ab hoc gladio se petebat *Psal. 143.* liberari Dauid, cum deprecaretur Dominum, dicens: *Qui das salutem Regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno eripe me: & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem. Inducam*, inquit, *super vos gladium vltorem fœderis mei.* Hoc est, quod per Apostolum dicitur, quia immittit illis Dominus spiritum seductionis, vt credant *2. Thess. 2.* mendacio, qui non consenserunt veritati. Quia vero cum iniquitates suas deserere nolunt, eas quantum possunt defendere conantur, ad reproborum multitudines confugiunt: & eorum exempla sibi proponentes, multorum quasi autoritate quod inique agunt, tegere moliuntur. Hoc est quod sequitur:

Cumq; confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri: & trademini hostium manibus, postquam confregero baculum panis vestri.

C Sicut in vrbibus communis conuersatio multitudinis, sic per vrbes publice signantur mores eorum, qui latam & spatiosam mortis sequuntur viam: *multi enim sunt qui incedunt* *Matth. 7.* *per eam.* Ad has igitur vrbes cum se conferunt qui à Domino recesserunt, tanquam ex multorum exemplis suæ peruersitatis patrocinium habituri, pestilentia corrumpuntur: & ibi incurrunt perniciem, vbi suorum flagitiorum quærebant defensionem. Quæ est autem pestilentia quæ mittitur in medio eorum, nisi generalis iniquitatis mutua consideratio? eorum autem quæ sub oculis non fiunt, relatio: dum nunc per oculos, nunc per aures, infelices animæ mortem hauriunt: & sicut aere corrumpuntur corpora, sic ipsæ talibus exemplis & confabulationibus suas ęgritudines colligunt? *Et trademini*, inquit, *hostium manibus.* Nonne & hoc antea dixerat, *Corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos?* Cur ergo repetijt, quod iam fuerat comminatus? Sed nimirum aliud est, cum ad pugnam exeuntes, hostibus ad tempus cedunt, & subijciuntur eis, virtute scilicet inferiores: aliud, cum in ipsis vrbibus, ad quas vltimum habent D confugium, capti tradantur hostibus, iure deinceps perpetuo possidendi. Sic & in congressu spirituali primum cedimus hostibus, cum ad prædandum Dæmonibus consentimus: postmodum vrbium procuramus nobis refugium, vt ex aliena nequitia solatium captamus. Sed veniet dies in qua ciuitates istæ, vel potius ciuitas hæc Babylonia, quæ omnium iniquorum mater est, tradatur hostibus, ab eorum subiectione nunquam amplius reuocanda, vt quorum communicauit peccatis, subdatur etiam & tormentis. Hinc euangelica tuba commonet nos, vt consentiamus cito cum *Matth. 5.* aduersario nostro, cum verbo scilicet Dei, quod nostris iniquitatibus aduersatur: dum sumus *cum eo in via*, id est, dum in huius vitæ transitu concordandi tempus habemus: *ne forte*, inquit, *aduersarius tradat te iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem: amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Hæc igitur vltima traditio ex illa prima descendit origine, quod dum in via sumus, cum aduersario nostro consentire negligimus. Cum autem verbo Dei nō obtemperamus, merito nostræ inobedientię, panis ipsius cœlestis refectione fraudamur. Nullius enim reficit mentem, cuius

non format actionem. Et hac igitur inedia cum hostibus E congredientes, viribus destituimur: quibus cedentes, dum subdimur vitijs, perpetuis etiā tormentis addicimur. Hanc itaq; plagam vltimam cum lex intulisset, primę illius quam sub egestatis nomine superius designauerat, memoriam fecit: vt qui hunc finem horret, ab illo principio dum potest declinet. Sic ergo coniunxit: *Trademini hostium manibus, postquam confregero baculum panis vestri.* Baculum panis, quem Iezechiel nunc virgam panis, nunc baculum nominat, quasi *Ieze. 14. & 4.* sustentaculum panis intellige. Ex cibo namque vires præbentur edentibus. Quod manifestius Isaias exposuit, cum *Isa. 3.* pro baculo *robur panis* posuit. Nolo præterire quod hæ quatuor plagæ, fames & bestiæ, gladius & pestilentia, per Iezechielem sub hoc ordine commemoratæ sunt. Sic enim ibi legitur: *Factus est*, inquit, *sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem: & si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Quod si & bestias pessimas induxero super terram vt vastem eam, & fuerit inuia, eo quod non sit pertransiens propter bestias:* (non enim iter est verbo Dei, vbi bestiales regnant affectus) *& tres viri isti fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur. Vel si gladium induxero super terram illam, & tres viri isti fuerint in medio eius, viuo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & Noe & Daniel & Iob fuerint in medio eius, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non filium, non filiam liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Quia vero ista propter Iudæos dicta sunt, qui de Patriarcharum stirpe processerant, & eorum se filios gloriabantur, quorum mores non imitabantur: & iustum non est, vt pater filium habeat consortem salutis, quem non habuit socium sanctitatis: mox ad Apostolos Apostolorumque successores sermo transit propheticus, qui cum discipulorum mores sibi conformauerunt, à fame, bestijs, gladio, pestilentia, secum pariter eripuerunt. Hos igitur sic prænunciat, dicens: *Quoniam hæc dicit Dominus Deus, Quod si & quatuor iudicia mea pessima, gladium & famem, & bestias malas & pestilentiam, misero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus, tamen relinquetur in eâ saluatio educentium filios & filias.* Sed iam ad propositum reuertendum est. *Trademini*, inquit, *hostium manibus, postquam confregero baculum panis vestri.* Qui baculus quemadmodum apud Iudæos confringendus esset, consequenter exponit, dicens:

Ezech. 14.

G

Ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non saturabimini.

Hic satis aperuit, quod quæcunq; præmissa sunt, allegorice discutienda sunt. Hunc enim ad literam, nisi desipere velit, nec Iudæus accipiet. Quomodo namque in vrbe obsessa, clibanorum posset esse penuria, vt non nisi in vno panes coquerentur? Neque enim hostes qui externis obsident, etiam clibanos qui intra muros sunt, destruere possunt. Quid etiam est, quod mulieres istæ quos panes in obsidione parant, sic implent summam denarij, vt nec plures H nec pauciores valeant reperiri? Si enim affligendi erant peccatores panis penuria, vt quid in coquentibus numerus iste conseruatus est? Mysterium igitur discutiamus, & horum omnium quæ dicta sunt, rationem inuenire poterimus. Decem quippe mulieres, legis doctores intelliguntur, cuncta quæ ibi scripta sunt carnaliter intelligentes, & vim dictorum suis interpretationibus eneruantes. De his vero decem mulieribus, etiam in Regum scriptū est, quod *egressus Rex Dauid, cum fugeret à facie Absalon, reliquit decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Ad quas ingressus est Absalon, cum venisset Ierusalem, vt scilicet fœdaret patrem suum. Rex* *2. Reg. 15.* *autem Dauid post mortem filij, cum reuersus esset in domum suam,* *2. Reg. 16.* *tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus* *2. Reg. 20.* *ad eas, sed erant clausæ vsque ad diem mortis suæ, in viduitate viuentes.* Hanc fortis quippe noster Christus Dominus, cum à domo sua recessisset, sicut ipse Iudæis minatus est, dicens: *Matth. 23.* *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* inualescente apud illos apostata Archangelo, quem speciosissimum ipse condiderat, quem quasi filiū habuerat, reliquit decem mulieres ad custodiendam domum, Pharisæos scil. qui legis quidem

A profitebantur doctrinam, sed diuinorum præceptorum virtutem carnalibus suis traditionibus postponebant. Qui tamen diuina dispositione populo præerant: nihil quippe in terra sine Dei nutu fit, qui regnare facit etiam hypocritas propter peccata populi. Istæ mulieres non matronæ, sed concubinæ sunt: quia non in libertatem spiritus, sed in seruitutem carnis filios generant. Ad has igitur ingressus est inimicus, quia mentes illarum sibi coniunxit: & regi Dauid qui prius eas possederat, contumeliam irrogauit. Dauid autem recludit illas in custodiam, quia iudicij sui districtione intra literæ angustias illarum coartans intelligentiam, ad spatiosam mysteriorum amplitudinem non educit. Quibus tamen alimenta tribuit: quia vt præsentẽ transigãt vitam, temporales sumptus non subtrahit. Ad has autem nec cum domum reuersurus est ingredietur, sed viduę permanebunt vsque ad diem mortis suæ: quoniam in fine cum perfido illi populo suæ fidei conferet gratiam, illos tamen doctores nequaquam sibi coniunget, qui ad spiritalẽ legis intelligentiam non ascendent: sed viduæ permanebunt istæ mulieres vsque ad diem mortis suæ, quia donec à pristino sensu deficiant, ad thori regalis coniugium nõ accedent. Hæ sunt itaque mulieres de quibus dictum est, quod in vno clibano coquant panes, quia sub literali tantum sensu sacræ legis verba discutiunt. Vt enim ait beatus Gregorius, mente coquimus, quicquid attentius cogitamus. Vnum igitur clibanum nouerunt, secundũ nesciunt in quo panes multiplicantur: sicut illi quinque qui in manibus Domini Iesu creuisse leguntur, ita vt turbæ sufficerent & superessent. In vno igitur clibano coquẽtes, ad pondus panes reddunt: quia hoc solum quod verba sonant, auditoribus suis ministrant. Vnde fit vt quicunque de panibus eisdem comederit, saturari non possit. Quæ enim affectio vel saturitas homini possit cõferri, cum audit decerni quid de caudis arietum fiat, cui pecoris oblatorum pectusculum vel armus cedat, vbi concremeotur adipes, quo fimus cum corio deferatur? Huiusmodi nanque deliramentis plena est lex, si Iudaico sensu nihil præter literam ibi cogitetur.

Iob. 5. *Iob. 34.* *Ioan. 6.*

B

C Non est ergo mirum, si baculus panis apud eos confractus sit, quorum mens veram legis intelligentiam, quæ ædificare eos posset, non inueniens, ieiuna remansit. Vt tamen & nostra sub hoc capitulo requiramus, sicut decem leprosi euangelici, præceptorum legalium violatores designant, sic per decem mulieres has, voluptates carnis quæ legi diuinæ contrariæ sunt, possumus intelligere: quæ in vno clibano coquunt panes, dum amorem spiritus nesciẽtes, sub feruore carnis omnes suas illecebras coaceruant. Hos panes ad pondus reddunt, ad momentum scilicet temporis illudentes nobis potius, quam pascentes nos, vt ex panib^9 earum nunquam saturitatem inueniant comedentes. Parcius siquidem solet ministrari, quod cum ponderis diligẽtia distribuitur. Vnde Iezechiel panis penuriam in populo suo futuram prænuncians: Comedent, ait, in pondere & in solicitudine, & aquam in mensura & in angustia bibent. Sequitur:

Iezech 4.

D *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis cõtra me: & ego incedam aduersum vos in furore contrario. & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorũ vestrorum & filiarum vestrarum.*

Hactenus legislator cum Iudæis agens, non Iudæorum tantum, sed omnium qui Dei mandata contemnunt, plagas descripsit: nunc specialiter ad ipsos Iudæos verba conuertit: nec iam mystice, sed prophetice, quas diuersorũ regum oppressione propter peccata sua clades passuri essent, prædicit. *Sin autem nec per hæc*, inquit, *audieritis me*. Sunt aũt multi, qui & morum ruinam, & futuræ damnationis comminationem paruipendunt. Quapropter ex rebus quas diligunt, flagellandi sunt: vt eorum saltem subuersionẽ doleant, quorum integritatem desiderant. Quod si quis etiã præcedentia iuxta literam velit accipere, vt non solum nobis mysteria loquantur, sed & Iudæos prima fronte terreant, quibus tunc temporis scribebantur: eadem in omnibus erit ratio, vt qui spiritalia dona non sentiebant, sensibilibus flagellis attriti corrigerẽtur. Hæc igitur sic prosequitur legislator Domino loquente: *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: & ego incedam aduersum vos*

E *in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum & filiarum vestrarum.* Furor Domini non perturbatio, sed vehemens illius vindicta, quæ scelerum magnitudinem puniat, intelligenda est. De comedendis verò filiorum carnibus seu filiarum, qualiter apud Iudæos impletum sit, & Regum narrat historia, quod sub Eliseo Propheta mulier quædam in Samaria, Syris obsidentibus ciuitatem, filium suum comederit: & Iosephus idem factum testatur in Ierusalem, dum à principibus Romanis obsideretur. Pauca vero quæ scripta leguntur, satis innuũt, quod multa fieri potuerunt, quæ nulla scriptura produntur. *4 Reg 6.*

Destruam excelsa vestra, & simulacra confringam.

Hinc arguitur eorum stultitia, qui in simulacris habebant fiduciam: quæ cum se tueri non possent ne subuerterentur, vtiq; nec cultoribus suis adesse valebant.

Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum.

Similes, inquit, illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. *Psalm. 113*

F *Et abominabitur vos anima mea in tantum, vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam odorem vltra suauissimum.*

Quomodo suauissimus Deo dicatur sacrificiorũ odor, in principio voluminis huius, vbi de sacrificiis agitur, discussum est. Manifeste autem hic prænunciatur, quod iam per mille annos videmus impletum. Postquam à Romanis subuersæ sunt vrbes eorum, sanctuaria eorum deserta permanserũt: & ritus sacrificãdi quo prius delectabatur Deus, non vt isti desipiunt, ad tempus intermissus: sed vt iste sapit & prædicit, vltra non est recipiendus. Vrbes autem quæ reædificatæ sunt, videmus quod gentibus sint traditæ: ipsi vero de terra illa proiecti, & vbique gentium dispersi, quod diuinam gratiam perdiderint, abiectione suæ seruitutis ostendunt. Hoc est enim quod sequitur:

Disperdamque terram vestram, & stupebunt super eam inimici vestri, cum habitatores illius fuerint.

G Stupor inimicorum in Deuteronomio manifestius declaratur, cum dicitur: *Et dicent omnes gentes. Quare sic fecit Dominus terræ huic?* Quæ est hæc ira furoris eius immensa? Et respondebunt. *Quia dereliquerunt pactum Domini quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Aegypti, & seruierunt dijs alienis.* *Deut 29.*

Vos autem disperdam in gentes, & euaginabo post vos gladium.

Qui historias legit, non eum latet quomodo in ipsa sua dispersione gladijs hostium Iudæi traditi sint.

Eritque terra vestra deserta, & ciuitates dirutæ. Tunc placebunt terræ sabbata sua, cunctis diebus solitudinis suæ. Quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in sabbatis vestris, quando habitabitis in ea.

H Terra hæc stolida sensum non habet, vt aliquid placere ei possit vel displicere: sed per terram, terræ habitatores intellige. Si qui enim remanserunt de pauperibus populi post illud commune excidium, quia prius potentium rapinas & oppressiones passi fuerant, & viderant eorum seditiones & bella, quibus se mutuo trucidabant, sicut Iosepho narrante didicimus: gaudebant cum sub Romano imperio requies illis data esset, & ipsius etiam terræ solitudinem amplectebantur, quod scilicet pessimis possessoribus esset nudata. Postquam autem & Christiana religio in partibus illis, sicut vbique terrarum, plantata est: tunc Iudæis in terra hostili peregrinantibus, spiritale sabbatum ibidẽ obseruari cœpit, quod in sabbatis Iudæorum terra non viderat: qui cum ab vtili labore quiescerent, à prauitatibus tamen suis quiescere nesciebant. Sequitur:

Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regione hostium.

Superius fuerat comminatus, quod postquam disperderet eos in gentibus, gladium euaginaret post eos, hostiũ scilicet cædibus illos exponẽs. Nunc infert quod si qui remanserint, quibus interim parcatur, metus tamen vrgebit eos, ne similia patiantur. Cuius metus magnitudinem consequenter exprimit, cum subiungit:

Terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium.

Modo illo locutionis, quæ hyperbole dicitur, quæ (vt ait quidam sapiens) per mendacium ad veritatẽ tendit, nõ

enim

A

enim quantum sonat, persuadere intendit: hoc significare voluit, quod ad leuissimos quosq; motus perturbarentur: & sub aliena potestate constituti, semper gladium sibi imminere suspicarentur. Tale est & illud, vbi Pharao loquitur ad Ioseph: *Ego*, inquit, *sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Item Moyses ad Pharaonem: *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit vngula ex his, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri.* Sequitur:

Gen. 41.
Exod. 10.

Cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes: nemo vestrum inimicis audebit resistere.

Cadent, id est, casuros se putabunt, mortem semper suspectam habentes: etiam *nullo persequente*, id est, cum nullus forte de illorum cogitet læsione. *Et corruent*, inquit, *singuli super fratres suos*: id est, a fratribus suis petentes auxilium, nõ subleuabuntur: Deo quippe deserente, vana est spes in homine posita: sed corruent super eos, omnibus pariter timore concussis, nec aduersus inimicos stare audentibus. Quia vero non semper timor erat futurus inanis, ipse enim paulo ante comminatus est, quod euaginaret gladiũ post eos, aptè subiungitur.

B

Peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumet.

Consumet, dictum est, non penitus absumet, sed ad paucitatem rediget. Nam quod non essent prorsus consumendi, declaratur cum subditur:

Quod si & de his aliqui remanserint, tabescent iniquitatibus suis in terra inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas & maiorum suorum, quibus præuaricati sunt in me, & ambulauerunt ex aduerso mihi. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum.

Habent Iudæi tempus pœnitentiæ: confiteantur iniquitates suas, & misericordiam consequentur. Notandum autem quod contra eos qui de circũcisione manufacta gloriantur, dicitur, quod mẽs eorum incircuncisa sit. Vnde satis apparet, quam circuncisionem ab homine Deus exigat, dum eos qui carne circumcisi erãt, incircumcisos appellat. Ad cognitionem vero iniquitatum suarum iam multi ex illis venerunt: & consummatione temporum instante, multo plures venturi sunt. *Postquam* enim *plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet.* Quod & Osee manifeste prophetauit, dicens. *Dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum in nouissimo dierum.* Isaias quoque, quia post cæcitatem quæ in Israel facta est, adhuc speraret Deum illis futurum propitium, ostendit vbi ait: *Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.* Hoc igitur & hic subiungitur, Domino loquente:

C

Rom. 11.
Osee. 3.
Isa. 8.

Tunc orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei quod pepigi cum Abraam, Isaac & Iacob.

O fœlicis meriti viros, quorum respectu post tot generationes venia posteris prærogatur. Hos enim & ipse Moyses prætendebat, Dominum pro populo rogans & dicens: *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum? Quiescat quæso ira tua, & esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraam, Isaac & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens. Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli.* Orabunt ergo, inquit, *pro impietatibus suis. & recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Abraam, Isaac & Iacob.* Atque subiunxit:

Exod. 32.
D
Gen. 26.

Terra quoq; memor ero, quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos.

Quæ est ista terra, & cuius meriti, vt eius memoriam se Dominus habiturum testetur? *Terra*, inquit, *quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis.* Et quidem cum à Chaldæis captiuus populus duceretur, scriptum est quod de pauperibus terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ in vinitores & in agricolas. Hæc igitur intelligi potest terra relicta ab eis, qui captiui ducti sunt, patiens solitudinem propter peccata eorum. Huic enim quamuis gratum esset quod à superborum oppressione quietem acceperat, & quasi sabbatizabat in eorum absentia: fieri tamen non poterat, vt super suæ gentis exterminio non doleret. Huius ergo se memorem futurum Dominus pollicetur, vt scilicet eorum precibus qui in terra fuerant derelicti, natiuo solo captiuitatem restituat. Hinc est enim quod Danieli pro hoc ipso roganti, Angelus qui apparuerat illi: *Ego*, inquit, *veni propter sermones tuos. & nemo est adiutor meus, nisi Michael Princeps vester.* Michael quippe, vt ait B. Gregorius, eorum qui in Iudæa remanserant, præpositus inuenitur. Vnde cum dicitur, quod Michael in adiutorium Prophetæ venerit, intelligitur quod eorum lachrymæ qui in Iudæa remanserant, preces illius adiuuerint. Si vero ad hanc vltimam Iudæorum captiuitatem, huius capituli sententiam referamus: terra derelicta ab illis, sancta intelligitur ecclesia, quæ cum in ipsis fundaretur, in radice scilicet illius oliuæ, cuius naturales ipsi rami fuerunt, fracti sunt ab ea: & recedentes, oleastro locum dederunt. Hæc enim est terra quæ aperuit os suum in confessione, & suscepit sanguinem fratris eorum melius loquentem quam Abel. Vnde & ipsa informata charitatis illius exemplo qui pro impijs sanguinem fudit, pro inimicis orat, & pro populi illius infidelitate Domino supplicat. Hæc terra quanquam sua multitudine gaudeat, dolet tamen quod in fide consortes illos non habeat: & quod sola ab eis remanserit, postquam illi peccatis suis exigentibus eiecti sunt. Huius itaq; terræ memor erit Dominus, cum in fine mundi preces eius suscipiet, & populum illum incredulum, ad fidei gratiam tanquam ad paternum solum admittet. Iuuabunt ergo eos patrum merita, iuuabit terra, preces videlicet sanctæ ecclesiæ: sed & ipsi rogabunt pro se, postquam cognouerint iniquitatem suam. Inde est quod subdiur:

4. Reg. 25.
E
Dan. 10.
Rom. 11.
Heb. 12.
F

Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abiecerint iudicia mea, & leges meas despexerint.

Antequam autem veniat tempus illud, diuini interim est beneficij, quod in terra hostium positi non occiduntur, sed promissæ misericordiæ reseruantur. Vnde subiungitur:

Attamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abieci eos: neque sic despexi vt consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini quando eduxi eos de terra Aegypti, vt essem Deus eorum. Ego Dominus Deus.

Hic est Cain ille, qui licet pro sanguine fraterno arguatur à Domino, securitatem tamen accipit quod non occidetur. Ipsa namque ecclesia in Psalmo loquens, ostensum sibi dicit super inimicos suos ne occidat eos, ne forte antiqui illius populi memoria deleatur. Concludens autem legislator omnia quæ supra tractata sunt:

G
Gen. 4.
Psal. 58.

Hæc sunt, inquit, *præcepta atque iudicia & leges, quas dedit Dominus inter se & inter filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.*

Inter præcepta, leges atque iudicia, superius in capite huius vltimi libri discreuimus: retulimusque præcepta ad mores, & in ceremonijs leges accepimus, iudicia super transgressores. Restat nouissimus de votis tractatus, hac conclusione quam præmisimus, à totius voluminis corpore sequestratus, & sequestratione ipsa magis commendatus.

De votis, si quis animam suam Deo spoponderit.

H

Cap. II.

Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium.

Leuitici ca. XXVII.

Quicquid offerat homo Deo, nisi seipsum obtulerit, non est gratiam habiturus: & quidem omnia quæ superius tradita sunt, hunc intendunt finem, vt homo consecretur Deo, vitijs moriens, & iustitiæ viuere incipiens. Congruentissime igitur factum est, vt hoc vltima voluminis exprimeret sanctio: & quasi in lucem proferret, quod diuersarum figurarum præmissa series adumbrabat. Dicitur ergo: *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam.* In pluribus legitur historiis, quod Dij gentium, Dæmones scilicet, quos pro Dijs gentes colebant, homines sibi iusserint immolari. Pascuntur enim maligni spiritus mortibus nostris, & gratum eis est sacrificium, cum homo sic corpore moritur, vt ad æternum interitũ spiritus pertrahatur. Deus autem creator noster, *qui mortem non fecit, nec delectatur in*

Sapi. 1.

A *perditione viuentium, humani sanguinis effusione non gaudet*: sed
Gen. 9. *quicunque effuderit*, inquit, *humanum sanguinem, fundetur san-*
Psalm. 115. *guis illius*. Quod vero legimus, quia *pretiosa est in conspectu Do-*
mini mors Sanctorum eius. pretiosa apud ipsum est charitas filiorum eius, qua pro confessione nominis ipsius contra impios decertantes, vt fidem illi conseruent, igni, gladijs & bestiarum morsibus se exponunt. Nemini tamen præcepit vt occidat se, aut alteri manus injiciat tanquam Deo victimam oblaturus: sed tantum si necesse fuerit, alienas manus sibi violenter illatas, pro pietate deuotus excipiat. Quod
Gen. 22. enim Abrahæ mandauit vt filium sibi immolaret, satis ex fine claruit, quia non filij quærebat necem, sed paternę obedientiæ nobis imitandam proponebat imaginem. Pecora igitur sub sacramento tempori congruo voluit sibi Dominus immolari, vt per creaturam sibi subditam doceretur homo, fieri non posse vt Deo consecraretur & spiritaliter viueret, nisi carnis in eo mortificatio præcessisset. Talibus
B autem signis homo fuerat instruendus, non tamen in signa talia transferendus. *Qui ergo spoponderit Deo animam suam*, quoniam lege victimarum immolare seipsum non potest, iubetur vt redimat se: & quæ morte propria non expletur, saltem mortis pretio vouentis deuotio compleatur. Hæc iuxta literam dicta sint. Spiritaliter autem qui animã suam Deo vouet, absque homicidij reatu potest exhibere quod vouet. Hostias quippe viuẽs efficimur, cum vitia nostra corrigentes, mactamus quodammodo quod * fuimus, & inci-
* sumus. pimus esse quod non eramus, exhibentes nos Deo tanquã ex mortuis viuentes. Hæc est animæ nostræ redemptio: quoniam vita præterita quæ in peccatis acta est, tunc à nobis redimitur, cum subsequentis iustitiæ pretio compensatur. *Sicut exhibuistis*, ait Apostolus, *membra vestra seruire ini-*
Rom. 6. *quitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete vos seruire iustitiæ in sanctificationem*. Ista ergo redemptio ab omnibus quidem qui animas suas Deo spondent, exigitur: nec tamen omnibus eadem assignatur, sed *sub æstimatione*, inquit, *dabit pretium*. Æstimandæ itaque sunt singulorum vires, vt secundum quod vniuscuiusque vel sexus vel ætas patitur, pretij huius
C quantitas exigatur. Vnde & subditur:

Si fuerit masculus à vicesimo anno vsq; ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti, ad mensuram sanctuarij. Similiter, triginta.

Inter mares & fœminas iam non semel supra distinximus, masculinam virtutem in eis considerantes, qui omnia mundi oblectamenta postponunt, qui carnalem copulam respuunt, & Deo soli placere contendunt. Fœminas autem illas intelleximus, quæ sensibilium voluptate carere non possunt: discernunt tamen in ipsis sensibilibus, quid iuxta Dei leges liceat, quid interdicatur: & ab illicitis abstinentes, in eorum quæ concessa sunt, voluptate sępius eneruater dissoluuntur. Ætas quoq; spiritus hoc modo discernitur. Alia enim incipientium teneritudo, alia proficientium virtus: qui in hoc quod arripuerunt, vsu ipso conualescentes, vitiorum certamina iam fortiter sustinent. Tertius vero gradus est triumphantium, qui sedatis motibus contrarijs, non iam fatigantur eorum molestia, quam mente mutata, ad id quod bonum est, suis affectibus rapiuntur. Prima igi-
D tur ætas quasi nouella arbuscula, bonorum consilijs rigatur: secunda iam radicibus altius porrectis, & robore collecto, malignorum spirituum flatus patitur, nec tamen frangitur: tertia sub magna spiritus tranquillitate, quasi sub serenitate aëris, sola sui fructus ubertate lætatur. Hi tres profectuum articuli, vt breuiter tangam, patenter in Propheta possunt distingui, vbi in aquas quæ de templo egrediebantur, se introductum commemorat: *Mensus est*, inquit,
Ezech. 47. *mille cubitos, & transduxit me per aquam vsque ad talos: rursumq; mensus est mille, & transduxit me per aquam vsque ad genua: & mensus est mille, & transduxit me per aquam vsque ad renes*. Aquas namque doctrinæ, quæ de domo Dei procedunt, quia per Sanctorum ora ministrantur: tunc vnusquisq; ingreditur, cum operari incipit quod docetur. Primum vero intrat vsque ad talos, vbi competenter incipientium rudimenta signantur. Ad genua quoque illius tunc aquæ istæ perueniunt, cum in præceptis iustitiæ non solum pedem ponit, sed etiam constantiæ robur acquirit. In genibus enim hominis virtus consistit. Porro tertius gradus est, cum etiam renes nostros aquæ sacrę circumluunt: in renibus siquidem voluptas accipitur, cum non iam contra carnis impetum fortes stamus: sed ipso mitigato, carnis fastidimus illecebras: & ad ea quæ sacra lex præcipit, nostras affectiones transferimus: vt dicere possimus cum Psalmista, *Bonum* Psalm. 118.
mihi lex oris tui: &, *Quia tu possedisti renes meos*. Nota ergo, & Psalm. 138
hæc eadem in hoc loco per ætatum incrementa discerni tepories. Primum namq; articulum ponit lex, ab vno mense vsque ad quintum annum: secundum, ab anno quinto vsque ad vicesimum: tertium autem, à vicesimo vsque ad sexagesimum annum. In mense luna perficit cursum suum, & per lunam voluntas humana congrue designatur, propter inconstantiam suam: quoniam sicut scriptum est, *stul-* Eccle. 27.
tus vt luna mutatur. Ex quo ergo deliberationem suam firmat homo, & plena voluntate quasi mense consummato spondet Deo seruitutem suam, iam in sortem Domini computatur: & secundum suæ prouectum ætatis, fructus ab illo exigitur, quo præcedentis reatus damnatio redimatur. F
Porro ætatis ipsius rudimenta, intra quintum terminantur annum: quia in primis aut circa suorum sensuum, aut circa exteriorum motuum, qui alienis subiacent sensibus, custodiam occupatur. Mox intestinum aduersus eum mouetur bellum: & appetitus contrarij ius exigentes antiquum, in apertum prorumpere, & quod exterius iam compositum est, perturbare nituntur. Hic igitur virtus necessaria est, vt qui nondum sedari possunt, possint saltem frenari: nec dominari permittantur, quibus nondum potest silentium imperari. Hoc est quod à quinto anno in vicesimum secundus tenditur articulus: per vicenarium quippe, bellantium ætas exprimitur, eo quod à viginti annis & supra, filij Israel armis assignentur. Quia vero legitime certantes victoria non fraudantur, sicut scriptum est: *Resistite diabolo, & fugiet à* Iacob. 4.
vobis: post expulsionem vitiorum, germinatio succedit virtutum. Sic à vicenario tenditur in sexagesimum, cum sublatis impedimentis, circa sanctos labores homo liberius occupatur. Per senarium namque, siue cum solas vnitates suas, siue cum decem, siue cum centum multiplicat: & per sex, & per sexaginta, & per sexcenta, nostrorum operum labor exprimitur. Sex enim diebus omnia Deus opera sua compleuit. Ista igitur ætas quæ ab annis viginti in sexaginta porrigitur, eo quod cæteris perfectior sit, cæteris per legislatorem præponitur. Dicitur namque: *Masculus à vicesimo anno vsque ad sexagesimum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij: mulier, triginta*. Post aliæ duæ subiunguntur ætates, his verbis: G

A quinto anno vsq; ad vicesimum, masculus dabit viginti siclos, fœmina decem. Ab vno mense vsque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli, pro fœmina tres.

De diuisionibus ætatum iam diximus: de pretijs vero quæ à singulis exiguntur, ex his quæ dicta sunt, facilis intellectus patet. Quinquagenarius namq; qui perfectioribus imponitur, à viginti siquidem annis vsq; ad sexaginta, masculus quinquaginta siclos dare iubetur, propter iubilei sacramentum, & quia Spiritus sanctus die quinquagesimo discipulis datus est: mentis tranquillitatem significat, cum sedato vitiorum tumultu, charitas per spiritum nobis infu- H
sa, conscientias nostras pacificat. Inde est quod quinqua- Act. 2.
ginta siclis, ad sanctuarij mensuram ponderari præcipitur, quæ viginti obolos habet, id est, denarium geminatũ: quo numero charitas exprimitur, quę per duo sua pręcepta legem complet, *& in quibus duobus præceptis vniuersa lex pen-* Matth. 22.
det. Quinquaginta igitur sicli ad mensuram sanctuarij, videlicet pax quam charitas intus format, quæ nos tam proximis quam creatori conciliat, non quam cupiditas victoribus expulsis sibi incertũ vsurpat, hoc perfectorum pretiũ est: quisquis hoc dederit, & perfectus & masculus est. Habent autem & fœminæ sui generis perfectionem, cum in conuersatione seculari per longam iustitiæ consuetudinem sibi competentem, acquirunt tranquillitatem. Sed quoniã perfectio hæc virili illa quam præmisimus, inferior est, minore quoq; numero designatur, cum triginta tantum sicli fœminæ deputantur. Et in triginta tamen quædam plenitudo consideratur, eo quod triginta annis iuuentutis ætas impletur. Ætati vero mediocri, quæ in certamine frequens est, sicut supra diximus, virtus est necessaria: & viris maior

quam

A quam mulieribus, quanto & maius est quod aggrediuntur, vt necillicitis cedant, & à licitis quibusdam abstineant. Viginti ergo siclo dare præcipiuntur viri, qui numerus bellatores format: & mulieres decem, numerum & ipsum integrum, sed minoris summæ: vt quod per sexum virtuti deperit, ex ipsa numeri minoratione cognoscas. *Et ab vno*, inquit, *mense vsque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro fœmina tres.* Quinarius cum decem, multiplicat quinquaginta, & ternarius eadem ratione complet triginta, quę pretij quantitas perfectioribus imposita est. Quinarius igitur ac ternarius, illarum summarum quædam sunt principia: dum & quinquies decem, quinquaginta: & ter decem, triginta faciunt. Cum itaq; lex quinq; siclos incipientibus assignat, satis apparet quod à conuersorū rudimentis quædam tantum exigat virtutum primordia, donec paulatim proficiendo, ad sui generis vnusquisq; perfectionem conscendat. Hactenus laboris & operandi tempus dispositum

B sit: restat vt emeritis prouideatur, & eorum qui sanctis laboribus iam fracti sunt, imbecillitati parcatur. Sequitur ergo:

Sexagenarius & vltra, masculus dabit quindecim siclos, fœmina decem.

Non est Deus immoderatus exactor, vt hoc ab homine extorqueat, quod vires eius nouit excedere. Ætate igitur fessos, & qui ad laborem minus idonei sunt, iam quidem non cogit laborare, sed transacti laboris remunerationem præcipit expectare. Spes itaq; sola ab eis exigitur, vt sicut fortes in opere fuerunt dum viguit ætas: ita nunc cum iam multum laborare non possunt, in expectatione suæ mercedis inueniantur longanimes. Hoc est quod dicitur: *Sexagenarius & vltra, masculus dabit quindecim siclos, fœmina decem.* Per quindecim namque, sanctorum spes multis in locis significatur, sicut iam supra tractauimus, propter septem & octo ex quibus idem numerus constat: & per quas sui partes tam animarum nostrarum requiem, quam corporum resurre-

Matth. 20. ctionem designat. Denarius etiam, si vineæ recolas operarios, ad hoc ipsum refertur. Nec tamen sine causa maior

C numerus viris, minor fœminis attributus est: nisi vt tu præmiorum quoque differentiam intelligas, & quia qui plus laborauerit, plus mercedis accepturus est. Sequitur:

Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimauerit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.

Condescensionis dispensatio sacerdotibus credita est:

1. Cor. 4. sed hic iam quæritur vt fidelis quis & prudens inueniatur, ne aut nimij pondere rigoris inualidos opprimat, aut humanis fauoribus seruiens, dominici peculij prodigus existat.

Si quis animal aliquod vouerit,

C A P. III.

A*Nimal autem quod immolari potest Domino, si quis vouerit Domino, sanctum erit & mutari non poterit: id est, nec melius*

D *malo, nec peius bono.*

Videtur legislator ad primum illum respicere gradum, quem paulo ante inter vnum mensem & quintum annum, temporis spatio terminauit. In his enim primordijs conuersationis homo positus, à modicis incipit: & nūc aliquid boni operis, nunc pro satisfactione præteritorum delictorum, aliquam carnis afflictionem Deo promittit. Hoc enim est animal bonum siue malum. Congrue siquidem per animalium figuram exprimitur, quod per hoc animale corpus impletur. Malū autem animal, afflictio carnis intelligitur: quod scilic. patienti molesta sit, non quod diuinæ legi con-

Isai. 5. traria. Hæc sunt quippe mala, quæ Dominus per Isaiam

Prou. 20. creare dicitur: de quibus per Salomonem scriptum est: *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur.* Quicunq; etenim per temporales tribulationes æternam emit vitam, ad præsens molestum est illi quod patitur: sed cū hoc quod desiderat adeptus fuerit, tunc gloriabitur. In tantū igitur omnis apostasia Deo execrabilis est, vt quicquid semel sanctificatū fuerit, non patiatur ad id quod fuerat, reuocari: sed omnē excludens mutationē, animal quod

E sibi vouetur, hoc exigit: & ne aut melius malo, minor scilicet quam in voto fuerat, carnis castigatio, aut peius bono, minor videlicet quam promissa est boni operis executio, voti locum suppleat, interdicit.

Quod si mutauerit, & ipsum & quod mutatum est, consecratum erit Domino.

Hoc est quod diximus, quicquid consecratum fuerit, reuocari fas non est: ne scilicet vergat in peius, quicquid illi subtractum fuerit qui summe bonus est. Quia vero non solum boni operis executio, sed & praui correctio Deo accepta est, apte subiungitur:

Animal immundum quod immolari Domino non potest, si quis vouerit, adducetur ante sacerdotem: qui dijudicans vtrum bonum an malum sit, statuet pretium. Quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem.

Angustias hic patietur Iudæus, si interrogetur qualiter iuxta suam literam recte possit Domino voueri, quod Domino

F nō licet offerri. Nos vero sicut modo tetigimus, libere pronunciamus, quia de re quæ Deo grata nō est, gratum illi offertur sacrificiū, cum exterminatur & corrigitur, quod voluntati illius erat contrariū. Sic Dauid aquam, pro cuius desiderio milites in mortis periculū miserat, cum accepisset, & se super hoc reprehendisset: fundens in terrā, libasse eam

2. Reg. 23. Domino dicitur: quia gratū Deo sacrificium exhibitum est, cum inepta carnis concupiscētia, spiritus feruore castigata est. Animal itaq; immūdum voueri quidem potest, sed nisi redemptū fuerit, ipsum per se placere nō poterit. Voueatur igitur, sed redimatur: vt cuius ingrata est oblatio, grata possit esse redemptio. Et hoc totū quod dicimus, tale est: Praua actio diuinæ voluntati cōtraria est: sed si redimatur, & pœnitentiæ pretio compensetur, hoc acceptum est. Quisquis igitur hoc animal immundum vouerit, cū ad remedium accesserit, stabit corā sacerdote: & de iudicio illius, pretij quātitas pendebit. Considerabit autē Sacerdos vtrum bonū an malum sit, & secundum quod viderit, statuet pretiū, bono amplius, malo minus. Bonum hic aut malum, ad offerentis refertur iudicium: quia cui reatus suus nondū displicet, bo-

G num æstimat animal quod vouet. Tanto maius ergo pretiū ab illo exigendum est, quāto melius sua æstimatione putat esse quod redimit: vt scil. grauius iudicetur, qui nondum iudicare se nouit. Porro mali animalis redemptio minus constabit, vt cui malum & amarum est quod à Deo recessit, qui fletibus insequitur quod commisit, tanto magis illi sub sacerdotis parcatur iudicio, quanto magis sibi ipse nō parcit. Quinta vero æstimationis pars, quæ supra adijci præcipitur, quid significet, longe superius libro tertio disputatum est. Diximus enim ibi quod cōfessionis typum teneat, propter quinarium qui in corporis sensibus reperitur, eo quod per confessionem mala à nobis occulte commissa, sensibus exponuntur alienis, & ad alterius notitiam perducuntur. Additur itaq; pars quinta super taxatam pretij quantitatem, cum macerationem carnis per quam culpa redimitur, commendat humilitas confessionis. Hæc autem quæ super animalibus dicta sunt, ad illam pertinent ætatem, quæ paulo ante ab vno mense incipiens, quinto terminata est anno, in

H qua conuersorum rudimenta nunc de laboribus suis Deo votum faciunt, nunc per pœnitentiam mala redimunt quæ commiserunt. Hinc ad secundum transitur gradum, in quo iustus pietatis specie non contentus, conscientiæ domicilium mundare satagit: & *legem membrorum repugnantem legi*

Rom. 7. *mentis*, expugnare contendit. Hoc est namque quod subditur:

Si quis domum suam vouerit,

C A P. IV.

H*Omo si vouerit domum suam & sanctificauerit Domino, considerabit eam Sacerdos vtrum bona an mala sit: & iuxta quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur.*

Duobus modis offenditur Deus: corde, & opere: dum aut iniquitatem in corde versamus, aut quod male deliberatum est, ad effectū perducimus. Quisquis ergo Deo spondet animam suam, vtrumq; exhibeat necesse est: vt & mentē suam sanctificet, & corrigat actionem. Sed & reatus vterque tam cordis quā operis, pari lege redimendus est. Sicut

Leuit. 14. enim pro pctō offertur hostia, ita & pro delicto. *Vtriusq; holocaustum*

A *sua lex vnaerit: ad sacerdotem qui eam obtulerit, pertinebit.* Hoc supra legimus & tractauimus, hoc & in præsenti sancitum agnoscimus. Mentis enim interior habitatio priusquam Deo consecretur, non potest esse nisi immunda. Quod si immunda est, condemnat vtique possessorem suum, & dignum reddit qui alienis venundari debeat, & inimicis exponi: quibus tortoribus merito suo competens supplicij talentum, iustitiæ diuinæ persoluat. Cum igitur vouerit Domino domum suam, stabit coram sacerdote, & conuentus super conscientia sua, quo pretio transacti temporis delictum redimi oporteat, sacerdotis iudicium expectabit. Ad sacerdotem quippe hæc pertinet æstimatio, sicut peccati, sic & delicti: sicut operis, sic & cogitationis. Considerabit ergo domum illius sacerdos, vtrum bona ac mala sit, sicut de pecore immundo paulo ante dissertum est: & perpendet vtrum conscientiæ suæ reatum paruipendat, aut malum reputans intimo condemnet affectu: & sicut viderit, sic iudicabit. Venundabit igitur domum, id est, venundandam
Leuit. 13. B pronunciabit, sicut de leproso superius dictum est: *Contaminabit eum*, id est contaminatum docebit. Domus quoque nisi ab illo qui nouit, redempta fuerit, iuxta sacerdotis æstimationem venundabitur: & inimicis traditus homo, quasi dignum suæ domus pretium, dignatum sui delicti pœnam exigetur. Vtile est igitur illi, vt diuinum præueniat iudicium, & domum suam redimens, compleat votum suum, & iustum pro domo ipsa satisfactionis pretium præbeat: ne si nunc dissimulauerit, mortis æternæ talentum postea coactus exoluat. Redemptionis autem hæc erit lex, vt oblationem suæ afflictionis condiat humilitate confessionis, sicut paulo ante de pecore immundo tractatum est. Vnde & sequitur:

Sin autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam: dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum.

Si quis agrum suum vouerit.

CAP. V.

C *Quod si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino, iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur. Sin autem post aliquantum temporis, supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt, numerum vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus: vltra eum qui vouerat, redimere non poterit: quia cum iubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino: & possessio consecrata, ad ius pertinet sacerdotum.*

Mouet me, & quasi quadam austeritate perturbor in verbis Spiritus sancti, quod ea quæ Domino vouentur, statim venundari præcipiuntur. *Si vouerit*, inquit, *homo domum suam, & sanctificauerit Domino, venundabitur. Si agrum possessionis suæ vouerit, venundetur.* Quid est quod domus aut ager cum sanctificatus Domino fuerit, statim de venditione illius agitur: quem si ille qui obtulerit, redimere voluerit, nec illo quo
D alienus quilibet admittitur pretio, sed quintam æstimationis partem addere iubetur? Si vero non redemerit, quid causæ est, quod per sacerdotes venundata possessio, aliarum venditionum remissionem amittit: vt a primo possessore suo qui eam obtulerat, nec ante iubileum redimi, nec in iubileo possit illi restitui? Hæccine est diuina mansuetudo, vt quæ illi assignantur, austerius quam humana tractentur?
Sap. 1. *Sed sentite*, inquit, *de Domino in bonitate: quia bonus Israel*
Psalm. 72. *Deus his qui recto sunt corde.* Perturbetur hic Iudæus: nam materiam non habet perturbationis, intelligentia veritatis. Neque enim alienum est a Dei bonitate, si ostendat populo suo dura, vt fugiant a facie arcus: id est, si ad hoc in præ-
Psalm. 59 senti terreat eos, vt interim dum adhuc minatur, & arcus illius in scripturis tensus nondum percutit, peccata aut perpetrare metuant, aut redimant perpetrata: & cum ictus venerit, iram non sentiant.
Psalm. 147. *Non fecit*, inquit, *taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Cum igitur per sacerdotes domum aut agrum sibi consecratum venundari iubet, ostendimus paulo ante, venundationem istam doctrinæ esse, E non sæuitiæ: cum docetur homo qui ad Deum accedit, cuius sit meriti, quid dignus pati: cum præmonetur, vt festinet pro peccatis suis dare pretium saluatori spontaneus, ne postmodum seueritate iudicantis exigatur inuitus. Illud quoque, quod redemptori maius imponitur quam emptori, vtique iustissimum est, nimirum cum ille redimat perpetuo possessurus: hic autem emat sine aliqua sua facultate, tantum de humana perditione gaudium habiturus, præsertim cum illud crementum nunquam inuenturus sit emptor, quod superaddere iubetur redemptor. Tertium vero quod etiam in præsenti capitulo propositum est, cur scilicet redimi non possit quod per sacerdotes venditur, nec in iubileo renocari: terrorem nobis incutit, si intelligatur. Cogitandum quippe est, quia cum se vel sua vendiderit homo, plerunque diuino beneficio reuocatur & sibi restituitur: cum vero Deus illum vendiderit, fieri non potest vt amplius reparetur. *Considera*, inquit Salomon, *opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Eccle. 7. Quod autem per sacerdotale iudicium fit, Deus F ipse facit, sicut scriptum est: *Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cælis:* Matth. 16. Expectatur itaque homo, vt se redimat aut sua quamdiu viuit: qui si ante mortem redemptionem suam neglexerit, exinde venditur alteri, nec vlterius vendito redemptionis spes vlla relinquitur. Cum enim iubilei venerit dies, communis scilicet resurrectio beatorum, sanctificatus erit Domino: quia sententia damnationis, quæ in illum processit, firma erit, & diuinæ iustitiæ reputabitur. Sicut enim omnia munda sunt mundis, sic apud Dei sanctitatem etiam peccata nostra sanctificantur, cum ea sic ordinat Tit. 1. vt merentur. Inde est quod supra legimus: *Sanctificabor*, inquit, *in his qui appropinquant mihi:* cum percussisset filios Leuit. 10 Aaron, qui ignem obtulerant alienum. Cum ergo iubileus venerit, sanctificatum erit Domino, quicquid per sacerdotes venditum est: vt videlicet per illum confirmetur, quod per istos statutum est. Omnis quippe possessio consecrata, ad ius sacerdotum pertinet: quia de his qui intus sunt, & se 1 Cor. 5. Deo vouerunt, ipsi iudicant: eorum autem qui foris sunt, iudicium non vsurpant. Consecratarum autem possessionum ad eos pertinet ius, vt scilicet restituant eas offerentiG bus, si secundum quod vouerant, illas voluerint redimere: aut certe vendant alteri, si isti reuocare suas sibi possessiones neglexerint. Quoniam igitur expedit vnicuique, vt sua prius redimat, quam alienæ venditionis præiudicium patiatur: iustum est vt agri huius qui propositus est, redemptionem discutiamus: & quis sit iste ager, quoue pacto redimi debeat, inuestigemus. *Si quis*, ait, *agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino, iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium*, sicut supra in ætatum distinctione notauimus, post medium hominis statum, in quo vitiosis affectibus contraitur, & carnis impetus debellatur: postquam pace concessa domum suam sanctificauerit homo, & cordis sui possessor extiterit, expulsionem vitiorum sequatur necesse est germinatio virtutum. Hinc est quod etiam in hoc loco post sanctificationem domus, agri quoque sanctificatio subinfertur: quod vtrunque in hominis mente considerandum est, quæ & domus illi est, dum eam inhabitat: & ager, dum cultorem suum Rom. 7. iustitiæ frugibus locupletat. Quoniam autem ager iste mortis H aliquando fructus protulerat, cum passiones carnis operarentur in nobis, & ex corde nostro germinatio vitiosa consurgeret: si quis eum consecrare voluerit, vtique redimendus est. Redemptio vero non in sola constat pœnitentiæ contritione, sicut paulo ante super pecore immundo & consecratione domus tractatum est, sed & in compensatione iuLeu. 5. stitiæ. Inde est quod longe superius in hostijs quæ pro peccato iubentur offerri, non solum hircus & capra, verum & ouis immaculata decernitur. Per Isaiam quoque Dominus ostendens quod ad delendum præcedentis reatum iniquitatis, subsequentis valeat pietas actionis: *Quiescite*, inquit, Isa. 1. *agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. & venite, & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et hic igitur pretium quod agro imponitur, iustitiæ magis videtur habere typum, quam pœnitentiæ sacramentum. Quo pretio ager iste & emitur & redimitur: emitur possessio seruitutis, & redimitur culpa transacta. Dicitur itaque: *Si quis*

agrum

A *agrum possessionis suæ vouerit & consecrauerit Domino, iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Semen est verbum Dei.* In hoc semine singuli habemus mensuras proprias; alius enim plus capit, alius minus. (Luc. 8. Ephes. 4.) *Vnicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Attende quasi magnam mensuram huius seminis. (Matt. 19.) Si talis est hominis causa cum vxore sua, non expedit nubere. Quid autem responsum est discipulis hoc dicentibus? (Ibidem.) *Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est.* Magna igitur mensura est homini, vt carnalem copulam fugiat: *sed non omnes capiunt hoc verbum.* Sic & illud quod cuidam dictum est, (Ibidem.) *Vade, vende omnia quæ habes,* multum illi fuit. Tristis enim abijt, & obedire contempsit. Æstimanda est igitur agrorum capacitas, & quia fructus iustitiæ pretium ipsorum est, quo vel redimantur, vel emantur: perpendendum est, quam mensuram seminis ager capiat, quid bonæ exhortationis homo sustineat: & hoc à singulis exigendum, quod singulorum vires non excedat. B Nec omnes seminis mensuræ poni potuerunt, sicut nec diuersa pretiorum quantitas enumerari: sed quod de vna dixit legislator, hoc & de cæteris intelligi voluit, vt scilicet iuxta sementis modum temperetur & pretium. Sic ergo subiunxit: *Si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti.* Quisquis illa recolit quæ ante discussa sunt, facile intelligit, quid in quinquaginta siclorum pretio designare voluerit legislator. Hæc est enim summa, quæ in ætate tertia perfectis imposita est. Vnde satis apparet, ad illa quæ de animæ voto superius decreta fuerant, ista omnia referenda esse, quæ deinceps de animalibus, de domorum agrorumve consecratione subiunxit: nec in his alia decerni, sed eadem latius & multiplicius aperiri. Quinquaginta sicli superius in animarum suarum redemptione perfectis assignati sunt. Hic autem dicitur: *Si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur.* Nonne manifesta sanctionis vtriusque consonantia reperitur? Quod enim in homine per ætatis tertiæ plenitudinem, hoc subsequenter & in semente per numeri quantitatem exprimitur. C Tricenarius namque quoniam in annis humani corporis statum consummat, pro perfectione non solum hic, sed etiam ibi positus est. Nam vbi lex viris quinquaginta siclos in pretio dedit, ibidem triginta mulieribus assignauit. Et ibi quidem cum duorum numerorum, quinquagenarij videlicet & tricenarij, collatio facta est, distinctam in tricenario perfectionis mensuram accepimus: hic autem cum singulariter ponitur numerus iste, nec alius additur in eiusdem generis substantia, cui debeat comparari, neque enim sementis huius alia quantitas hic posita reperitur, absolute per tricenarium perfectionis typus exprimitur. Quod vero sementis hæc non triticea, sed hordeacea commemoratur, nihil interesse videtur, eo quod in semente verbi Dei nec hordeum desit, nec triticum: dum tunc hordei more medullam suam tenacibus figurarum integumentis inuoluit, nunc simpliciter docens, sensuum suorum virtutem sine palearum velamine nobis exponit. Noua ergo lex, triticum; vetus, hordeum nobis ministrat. D Hoc est hordeum de quo legimus, quoniam Absalon à facie patris exclusus ob reatum necis (2. Reg. 14.) fraternæ, cum misisset ad Ioab & semel & iterum, & ille venire noluisset, misit & succendit messem hordei, quæ in parte agri illius erat, sicque Ioab ad se venire coegit, quo vsus internuncio, ad patris præsentiam est introductus. Ioab enim qui interpretatus inimicus, quem nisi aduersarium illum inouit, de quo dictum est: (Matth. 5.) *Esto consentiens cum aduersario tuo?* Hic inimicus, videlicet sermo Dei, qui nostris prauitatibus aduersatur, in agri sui parte messem hordei possidet, vbi scilicet scripturarum ager suæ doctrinæ grana sub sacramentorum paleis abscondit: quæ pars nisi per sancti Spiritus ignem fuerit succensa, & in intelligentiam subtiliorem assumpta, nequaquam ad nos intrabit Ioab, quia sermo diuinus nobis suorum sensuum virtutem non exhibebit. Succensa vero segete, Ioab ad nos ingreditur: & causam nostram peragens, paternam nobis faciem ostendit. Si enim in spiritales sensus scripturarum obscuritas erigatur, sapientiæ suæ lucem nobis infundit, quæ prius absentabatur, & ad Dei notitiam nos introducit. Legislator itaque triginta sementis modios commemorans, hordeum quam triticum ponere maluit, vt nec legi perfectio doctrinæ deesse sciatur, si lex eadem subtilius examinetur. E Ager itaq; mentis spiritalibus exercitijs comparandus est, vt possideamus animas nostras in perpetuum. Huius autem agri pretium quantitatem seminis imitatur, sitque eius æstimatione, quam mensuram præceptorum cælestium vires nostræ sustineant, consideretur. Sed habenda est & temporis ratio, vt qui post vtilem deliberationem prolixiora vitæ huius percipit spatia, profectus sui quotidiana capiens incrementa, pretium augeat: cui vero cursum suum festina mors intercipit, in pretij quantitate remissionem accipiat. Inde est quod subiungitur: *Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur. Sin autem post aliquantulum temporis, supputabit Sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt, numerum vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. Ab anno,* inquit, *incipientis iubilei,* id est, incipientis quinquagesimæ, quam iubileus consummat, ac expectatione suæ remissionis illustrat. F Iubileum autem vnusquisque nostrum post hanc vitam statim inuenit, si de corpore mundus exit. Tunc enim ad hæreditatem suam iustus reuertitur, sicut scriptum est: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* (Psalm. 126.) Cum ergo longæ conceduntur induciæ, priusquam ex hac vita migrare cogatur, caueat ne indultum sibi tempus amittat: sed multiplicans agri sui pretium per exercitia pietatis, maiores agri ipsius expectet fructus in retributione mercedis. Quia vero nec ipsa iustitia debet esse superba, in memoriam reducitur iniquitatis transactæ, cum subinfertur: *Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ & possidebit eum.* Iam supra distinximus, quod redemptio sit reatus præteriti, sicut emptio boni successuri. Quia vero in hoc loco idem est redemptor qui emptor, hic enim non emit vt perdat, sed vt possideat: super æstimatam pretij quantitatem iubetur, vt quintam partem superadijciat, vt scilicet deuotioni præsenti, præcedentium quoq; delictorum vel eorum quæ nec nunc vitare potest, confessionem adiungat: G quoniam iustitia cum iudicio, sedis diuinæ præparatio est. (Psalm. 88.) *Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat, redimere non poterit, quia cum iubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino: & possessio consecrata, ad ius pertinet sacerdotum.* Iuxta literam hoc est quod dicit: Si ille qui vouerat, noluerit agrum redimere, & alteri fuerit venditus, cum iubileus venerit, non reuertetur ad eum venditio, sed ad Sacerdotes: quoniam possessiones quæ Domino consecratæ sunt, ad ius pertinent Sacerdotum. Quis autem in his mysticus sit intellectus, paulo superius expositum est. Sequitur:

Si ager emptus est, & non de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino: supputabit Sacerdos iuxta annorum numerum vsq; ad iubileum pretium, & dabit ille qui vouerat eum Domino. In iubileo autem reuertetur ad priorem Dominum, qui vendiderat eum & habuerat in sorte possessionis suæ.

Superius cum non consecratio, sed venditio possessionum tractaretur, intelleximus vitiorum nostrorum emptorem & peremptorem, Diabolum: H nunc autem cum ille qui agrum emit, sanctificare illum Domino dicitur, non est qualiter ad Diabolum hoc referatur. Restat ergo vt sicut ibi legimus, quod nonnulli seipsos contribulibus suis paupertate cogente vendiderint, & venditionem illam vtilem accepimus, cum remunerationis intuitu iuniores spiritalium patrum præceptis se subdunt: sic & in agris intelligamus, quos tunc patribus vendimus, cum propter eorum solicitudinem nobis impensam, non solum actiones, sed etiam voluntates nostras imperijs illorum substernimus. Ad tempus igitur empti sunt agri isti, non de possessione maiorum nec hæreditatij: quoniam in volucres cæli & in bestias terræ data est dominatio parentibus primis: (Gen. 1.) homines autem ad subiectionem hanc adduxit non natura, sed culpa: quia peccatis nostris exigentibus, hoc actum est, vt opus habeamus & per alios regi, & sub alienæ iugo potestatis humiliari. (1. Tim. 4.) Porro agros ipsos emptores huiusmodi Deo sanctificant, cum nunc arguendo, nunc obsecrando, nunc increpando, mores nostros diuinæ volun-

tati

A tati conformant. Hoc est agrorum pretium quod ipsi Deo offerunt, non enim agros ipsos, sed agrorum pretium dare dicuntur: quia plantare possunt & rigare, sed creatoris est incrementum præbere. (1. Cor. 3.) *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, si non incrementum dederit Deus.* Qui sub ipso aliquid faciunt, Dei enim sunt adiutores: (Ibidem.) *vnusquisque*, ait Apostolus, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Agrorum itaq; pretium offerunt Domino, iuxta annorum numerum vsque ad iobileum. Vsque ad iubileum enim labor eorum necessarius est: cum autem iubileus venerit, iam non dicet amplius homo homini, (Ierem. 31. Ioan. 6.) *Cognosce Dominum: omnes namq; cognoscent eum à maiore vsq; ad minorem, & erunt omnes docibiles Dei.* Tunc reuertetur ager ad priorem Dominum qui vendiderat eum. quia tunc iustus omnibus libertas integra restituetur, quando iam non erit culpa, cui potestatis humanæ correctio debeatur. Quia vero rebus emendis aut vendendis, siue etiam redimendis, nunc quinquaginta siclos in pretio, nunc triginta, nunc decem statuerat legislator: B quis siclus eorum quæ Domino consecrantur, commercio debeatur, generaliter subdit, dicens:

Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.

Siclus ergo sanctuarij quod charitatis typū teneat, iam superius tractatum est. Ipse namq; denarium in obolis suis geminat: & charitas duobus præceptis suis legem consummat. Non igitur glorietur Cain, (Gen. 4. Isai. 58.) *offerens munera de fructib. terræ suæ*, non confidat hypocrisis per diem affligens carnē suam, saccum & cinerem sternens, quę se commendat tonsa cute, dentibus atris, dum vult libertas dici mera, veraque virtus: solo siclo sanctuarij, omnis oblatio nostra ponderatur, nec considerat Deus quantum à nobis accipiat, sed ex quanto affectionibusq; interioribus, omni nostræ actioni pretium datur: & quicquid sine charitate fit, pro nihilo computatur. Quoniam igitur dictum est his qui Deo vouēt animas suas, quod à minimis inchoandum sit: declaratum est etiam, qui sint proficientiū gradus, quæ consummatio virtutis, quęve peccatorum redemptio: ad hoc edocendus erat homo, ne C se peruenisse ad diuinam gratiam æstimaret, & vt à Domino vocaretur, sua merita præcessisse, cum manifeste contradicat ipse, dicens: (Ioan. 15.) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:* & Apostolus. (Rom. 9.) *Vt secundum electionem*, inquit, *propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Maior seruiet minori.* Et, (Gen. 25. Malach. 1.) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hoc ipsum & sub hordei huius paleis occultatur, dum subinfertur:

Quod primogenita Domini sunt.

CAP. VI.

P*Rimogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit & vouere. siue bos siue ouis fuerit, Domini sunt.*

(Roma. 11.) Nullus igitur dicat quod prior dederit illi, vt retribuetur sibi, primogenita quippe bouis & ouis, Domini sunt: & misericordia eius præuenitur tam innocentia cordis nostri, quam nostræ sanctitas actionis. Ipsi ergo ascribendum est, D quod ad illum conuersi sumus: quod autem ante conuersionem peruersi fuimus, corrigendum. Et hoc est quod subditur:

Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, iuxta æstimationem suam, & addet quintam partem pretij.

Hoc totum paulo ante tractatum est, cum tū de primogenitis, sed de his animalibus quæ Domino vouentur, ageret lex. Differt tamen quod ibi Sacerdos his quæ redimūtur statuit pretium: hic autem iuxta æstimationem offerentis redemptio fit. Hoc vero si spiritaliter intelligatur, non dissonat: quia & sacerdotis est audienda sententia, cū ad redimendam immunditiam nostræ pœnitentiæ nobis modus imponitur: & vnusquisq; conuenire debet conscientiā suā, quæ sibi potissimum cognita est, & secundum æstimationem suam, dignam Deo satisfactionem offerre. Sequitur:

Si redimere noluerit, vendetur alteri, quantocunque ante fuerit æstimatum.

Nota qualiter expressit, vt minari videatur cum dicit: Vendetur alteri, quantocunque fuerit æstimatum. Non ait simpliciter, quanto fuerit æstimatum, sed, *quantocunq; fuerit.* B Tale est & illud in Euangelio: (Matth. 5.) *Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.*

Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager: non vendetur, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.

Videtur legislator quasi contraria loqui. Cum enim ante & domum sanctificatam, & agrū consecratum, vendendum dixerit & redimendum: nunc quasi generaliter de omnibus decernit, dicens: *Omne quod Domino consecratur, non vendetur, nec redimi poterit.* Vnde datur intelligi, duo esse genera consecratorum: vnum, quod sic Domino sanctificabatur, vt tamen ad ius pertineret sacerdotum, & ad illorum distraheretur arbitrium: aliud, quod ipsi assignabatur Deo, & quasi peculium illius reputabatur: quod iam nec vendi licebat, nec redimi, nec post dedicationem illam alio trāsferri. Sic puerum Samuelem Domino sanctificatū legimus, (1. Reg. 1.) non vt redimeretur, sed vt appareret in conspectu Domini, & maneret ibi iugiter. Samson quoq; nazareus Dei dictus (Iudic. 13.) est ab infantia sua, vsq; ad diem mortis suæ. F Quodcunque ergo sic Domino consecrabatur, vt aut immolandum esset, aut in eius obsequiis perpetuo retinendum: nec redimi, nec vendi poterat, nec decretum vouentis mutari. Sic ergo forsitan literæ satisfiet. Nos vero cum ad mysterium redimus, liberum habemus exitum, omnia quæ Domino consecrātur, & redimenda pronunciantes, & non redimenda. Redimūtur enim, cum per congruam satisfactionem, debitam sibi declinant damnationem. Et tamen redimi prohibentur, ne scilicet dato pro eis pretio, ad iniquos vsus amplius reuocentur. Neq; enim fas est, vt qui Deo vouit continentiam, qui virginitatem vouit, qui terrenis possessionibus renunciauit: votum suum reuocans, aut carnalem iterat copulam, aut diuitias repetat, & primam sponsionem aliqua facultatum suarum erogatione se compensaturū confidat. Vetat ergo Dominus, ne sibi consecrata per eos qui vouerant, redimantur: vetat etiam, ne per sacerdotes vendātur. Vendunt quippe sacerdotes sanctificata, cum accepta mercede temporali, subiectorum peccata non redarguunt, & eorum animas Diabolo deuorandas exponunt. G Vnde ad Prophetam Dominus loquitur, dicens: (Zach. 11.) *Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant & non dolebant & vendebant ea, dicentes Benedictus Dominus, diuites facti sumus.* Sanctitatem ergo animarum maxime amplectitur Dominus: qua si defraudetur, nulla omnino redemptione placatur. Vnde subiungitur: *Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.*

Et omnis consecratio quæ offertur, ab homine non redimetur, sed morte morietur.

Quantum ad literam, de mundis tantum animalib' hoc intelligendum est, quę Domino vouentur: mystice vero generalis est sententia, quia omne quod Domino consecratur, morte moriatur necesse est, iuxta illud Apostoli: (Galat. 5.) *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* (Rom. 8) *Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt.* Laudent igitur homines ieiunia sua, vigilias, refectionem pauperum visitationem infirmorum, sancta sunt ista omnia, sed si quis coram Deo mundans conscientiam suam, vitia sibi mortificat, H hoc sanctum sanctorum est: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Quæ vero Dei gratia cœpit commendari, dictumq; est quod ipsa nos inchoat: (Rom. 2.) dicendum etiam erat, quia ipsa est quæ nos consummat. Inde est quod subditur:

Quod omnes decimæ Domini sunt.

CAP. VII.

O*Mnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.*

Numeri sui plenitudinē denarius continet; & sicut numerus idem ab vno incipitur, sic in decimo consummatur. Cum igitur Dominus & primogenita & decimas suas esse testatur, mystice nos docet, ab ipso esse quod ad bonum surgimus: ab ipso si vsq; in finem perseueramus. Hoc est enim quod etiam Psalmista pronunciat, dicens: (Psalm. 58. Psalm. 22.) *Misericordia eius præueniet me: & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Quod tamen ipsius est, nos redimimus & nostrum facimus, si omnem curam subinferentes, gra-

tiam

A tiam illius apud nos perire non finimus: & si humiliter confitemus, eius esse muneris, non nostræ virtutis, si cursum nostrum fine laudabili perficiamus. Hoc ergo subiungitur:

Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.

Sicut autem Domino virtutis est asscribenda perfectio, sic dispositioni illius vitæ nostræ consummatio relinquenda. Non est enim in hominis arbitrio, quem vitæ huius exitum sortiatur: cum plures senectus paulatim deficiens vitæ subducat, alijs infirmitas grauis vitam extorqueat, quidam ferro cæsi, quidam bestijs expositi sunt. Quosdam consumpserunt incendia, quosdam maria submerserunt. Quia igitur nescit homo quid horum omnium sibi reseruetur, ad omnia debet animum præparare: & quodcunque ex his sibi prouenerit, cum gratiarum actione suscipere: sicq; diuinā dispositionem, suam faciet oblationem. Hoc itaque sub decimarum typo signatur, cum subinfertur:

B *Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur.*

Bouis, ouis & capræ differentiam, in principio voluminis huius cum de hostijs tractaremus, latius exposuimus. Cum autem dicitur, *bouis, ouis & capra, quæ sub pastoris virga transeunt*: ad memoriam nobis reuocatur, quod si boni filij sumus, vitam istam sub paternæ disciplina peragimus. Hic enim flagellat Deus omnem filium quem recipit, hic lapides templi foris tunduntur, vt postmodū in structura ipsius sine securi, sine malleo collocentur. Omnes ergo qui sub virga pastoris transeunt, quicquid sibi decimum venerit, gratanter offerant: & mortis exitum qualiscunque fuerit, bono animo sustinentes, suam necessitatem in mercedis retributionem conuertant. Sicut enim dictum est, *non possunt eligere bonum aut malum*, diuinæ quippe dispositionis est, non electionis humanæ, vt duro vel placido fine vita terminetur. Et tamen subiungitur:

Heb. 12.
3 Reg. 6.

Si quis mutauerit, & quod mutauerit, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur.

C *Si quis mutauerit*, id est, si quis mutari voluerit: & morte fortassis acerba perterritus, remissius se consummari petierit, vtrunq; debet Domino sanctificare, & ad ipsius arbitrium vtrumq; referre: sicut ille qui nostram in se transferens infirmitatem, quasi mutare suam decimam voluit, & precibus redimere, cum ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Sed statim post hanc mutationem, vtrumque Domino sanctificauit, cum subiunxit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ad hunc hominis finem, legislator etiam Leuitico huic finem dedit, & volumen istud conclusit, dicens:

Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

Hæc sunt præcepta quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

F I N I S.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. OPERA QVÆ REPERIRI POTUERUNT OMNIA:

D ex MM. SS. Codicibus nunc primum edita, exceptis libris quatuor de vita S. Geraldi qui extant apud Surium.

VETERVM DE S. ODONE CLVNIACENSI Abbate II. Et eius Operibus, testimonia.

Flodoardus in Chronico ad an. DCCCXLII.



Domnus Odo Abbas pro pace agenda inter Hugonem Regem Italiæ, & Albericum Romanum Patritium apud eundem Regem laborabat. Et paulo post. *Domnus Odo venerabilis Abbas, multorum restaurator Monasteriorum, sanctæq; Regulæ reparator, Turonis obijt, & sepultus est apud S. Iulianum.*

[Cl]aruit [a]n. 978.

Aymoinus lib. 2. de Miraculis S. Benedicti, Cap. 4.

E *Abbate Lamberto carnis sarcina exonerato, aliquanto intericcto tempore, egregiæ sanctitatis Odo, ex Monasterio S. Giraldi, quod Aureliacum dicitur, adueniens, huic sacro prælatus est Cœnobio (Floriacensi:) cuius in diebus, ea quæ ad sepulchrum sancti Confessoris sui Benedicti Dominus operari dignatus est, seu in aliis sub eius nomine locis, nobis vsque nunc incognita manent, partim antiquitate, partim scriptorum negligentia obliuioni tradita. Ipse tamen eo Sermone, quem in eiusdem Patris laude ac honore facundissima dictauit eloquentia, memorat eundem Cœnobitarum Legulatorem suis temporibus multis miraculorum cadiasse signis.* Et Sermone de S. Benedicto. *Maxime cum à Venerabili Odone, hoc miraculum, * Moysis operi in diuisione maris rubri comparatum, propriam habeat expositionem.*

*Vide Sermonem Odonis de S. Bened. qui inter eius Opera ponitur infra.

S. Odilo, Abbas Clun. in vita S. Mayoli prædecessoris sui.

F *Fuit vir ille Odo nomine, vir per cuncta laudabilis, beatissimi Martini Ecclesiæ Turonensis Pontificis fidelis deuotissimus, & eiusdem Ecclesiæ Clericus & Canonicus. Hic etenim vir honestus & humilis admodum in regulari exercitatione edoctus, postquam supradictus Pater (Berno) ab hac luce discessit, ad regimen Abbatiæ multorum fidelium electione successit. Deinde qualiter ad culmen virtutum peruenit, studijs eius narrantibus Romanus orbis edidicit.*

Floruit an. 1030.

Glaber Rodulphus lib. 3. Histor. cap. 5.

Post Bernonem suscepit regiminis curam sapientissimus Abbas Odo, vir per omnia religiosissimus, qui fuerat S. Martini Turonensis Ecclesiæ præpositus, moribus, & conuersatione sanctitatis valde ornatus. Hic enim in tantum huius instituti propagator exstitit, vt à Beneuentana Prouincia, quæque habebantur in Italia, & in Gallijs vsque Oceanum mare, potiora Monasteria illius ditioni gratularentur esse subiecta.

Vixit tempore S. Odilonis, Abbatis Cluniac. V.

G

Ademarus, Monachus S. Martialis Lemouicensis in Chronico MS.

Eo tempore, adhuc viuente Turpione Episcopo, Odo & Teotolo Canonici S. Martini illustrissimi adimplentes Euangelicum præceptum, derelictis omnibus pauperes pauperem Christum secuti sunt, & Cluniaco sancto habitu ac vita induti sunt. Vnde postea Dei nutu Odo Abbas profuit sanctissimus. Teotolo iubente Abbate suo Archiepiscopus inuitus consecratus est Turonis. Hic sanctissimus Odo, & litteris adprime liberalibus eruditus, & Dei amore flagrantissimus exemplo & doctrina Apostolica Regula, quæ est Monachorum, extitit restaurator strenuus.

Vixit an. 1110.

Sigebertus Gemblacensis Monachus, in Chronicis ad ann. DCCCXCVIII.

Odo Musicus ex Clerico Turonensi Monachum profitetur, sub Bernone Abbate. Et post ad annum DCCCCXII. sed male. *Berno Abbas moriturus, Odonem alium Musicum, constituit Abbatem Cluniacensis Cœnobij, ea conditione, vt Ecclesia Cluniacensis solueret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum XII. denariorum.* Item ad an. DCCCCXXXVII. *Obijt sanctus Odo primus * Abbas Cluniacensis.*

Claruit an. 1110

H

* secundus.

Idem Libro de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus.

Odo Musicus ex Archicantore Turonensi Monachus & primus Abbas Cluniacensis, in Homelijs scribendis & declamandis, & maxime in componendis in honore Sanctorum cantibus elegans ingenium habuit.

Sanctus Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem.

Sic sancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos se sui vtique Ordinis Principes, & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt?

Claruit an. 1130.

Petrus

A

Petrus Cluniacensis Abbas Epist. 17. libr. 6. ad Priores vel Subpriores locorum Cluniacensium.

Floruit an. 1140.

VEniat post magnum Benedictum, & eius discipulum Maurum, summus Ordinis Monastici in Gallijs reparator, præcipuus Regulæ reformator Odo, Odo, inquam, primus Cluniacensis Ordinis Pater, qui emortuum iam, & pene vbique sepultum Monastici propositi seruorem resuscitare suo conamine aggressus est. Defecerat suo tempore Sanctus: diminutæ erant veritates à filijs hominum. In cunctis pene Europæ nostræ finibus, de Monacho, præter tonsuram, & habitum, nihil. Insistit ille diuino operi fere tunc solus, & Cluniaci prima iaciens fundamenta, post, hæc illuc que Religionis semina, quamdiu aduixit, serere non cessauit.

Author Gestorum Consulum Andegauensium, Io Fulcone Bono, MS.

B

Vixit an. 1150.

ISte nutriuit Odonem, & ei Cellam iuxta B. Martini tribuit Ecclesiam, & quotidianum victum ex eadem Canonica adquisiuit, eique concessit. Qui non postmodum Magister Scholæ, & Præcentor eiusdem Ecclesiæ, eodem Consule adminiculante constitutus est.

Robertus S. Mariani apud Altissiodorum Monachus in Chronologia ad an. DCCCCXIX.

Item Chronici Lemouic. Author, & Bernardus Guido.

Vixer. an. circiter 1264. & 1300.

BErno Abbas moriturus Odonem olim Musicum constituit Abbatem Cluniacensis Cœnobij, ea conditione vt Ecclesia Cluniacensis solueret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum XII. denariorum. Hic B. Odo mira sanctitatis extitit, & incomparabilis in monastica disciplina feruoris, ac pene suo sæculo singularis. Valde enim hoc tempore Religionis Monasticæ feruor in plerisq. Galliarum locis tepuerat, & rarus in aliquo, monastico habitu induto, mundi contemptus inueniebatur. Abbatiæ siquidem antiquiores, quæ in vrbibus Franciæ, seu in castris nobilioribus fuerant editæ, a religiosioris propositi tramite adeo exorbitauerant, vt pene omnes, qui in eis diuinis videbantur mancipati obsequijs, curis carnis, ac suæ voluntatis studio, & intentione addicti essent. Vnde non immerito rariores, hoc tempore spiritales viri fuerunt, & vix vel vnus magna fama, aut sanctitatis immensa his diebus extitisse refertur, qui pone posset in lucem gentium, vt salus esset his qui in extremis vitiorum finibus morabantur. Nam præter dominum Odonem religiosissimum Abbatem, qui hoc tempore floruit, cuiusque sanctitas & religio non mediocris fuisse certissime comprobatur, vix aliquis extitit, qui fraterna correptionis ardore repleretur. Hic igitur beatus vir ob sua sanctitatis cumulum non solum Cluniacensis, sed & multorum in regno Hesperiarum Cœnobiorum effectus est Abbas egregius, & disciplinæ regularis sagacissimus propagator. Ipsius enim industria, & feruore Monachorum tepor versus est in ardorem, & in fidei & religionis deuotionem venerandam. Valdo quippe per eum, & sub eo refloruit exsiccata Monachorum deuotio, & B. Benedicti institutio laudabilis viguit plurimum in Cœnobiis, & conualuit reparata. Cluniacensis denique Ecclesia tanta religione sub hoc sanctissimo Patre Odone in initio ac longe post floruit, vt merito fonti aquæ viuæ comparari potuisset, quæ vero religionis puritate ad se venientes, & inibi Deo deseruientes plenissime abluebat. Hæc eadem habet Chron. Lemouic. MS. Itemque Bernardus Guido, qui subiungit. *Hic Odo Antiphonas, & Hymnos B. Martini dictauit.* Et paulo ante. *Sub Bernone Odo Musicus, ex Clerico Turonensi Monachum profitetur. Claruit & Remigius Altissiodorensis in exponendis diuinis scripturis, & humanis studiosus, à quo præfatus Odo in Musica & Dialectica adprime eruditus est.*

C

D

Vincentius Belluacensis Lib. XXIV. Speculi Historialis, Cap. LV.

Vixit an. 1250.

ANno Arnulphi VIII. Odo Musicus, ex Clerico Turonensi Monachum profitetur sub Bernone Abbate. Hic vtique fuit miræ sanctitatis, incomparabilis in Monastica disciplina feruoris, ac pene suo sæculo singularis: cuiusque feruore & industria Monachorum illius temporis tepor versus est in ardorem, & in fidei ac religionis deuotionem. Valde quippe per ipsum, ac sub ipso, refloruit Monastica deuotio iam exsiccata, & B. Benedicti laudabilis institutio plurimum in diuersis Cœnobiis creuit, & conualuit reparata. Hinc etiam Antiphonas & Hymnos de B. Martino dictauit, & vitam B. Geraldi descripsit. Hic à B. Remigio Antissiodorensi in Musica, & Dialectica à primo eruditus est.*

E

* forte, adprime.

Chronicon Turonense, cuius author Monachus quidam S. Iuliani. MS.

Tempore S. Ludouici R.

ANno Ludouici X. & Caroli Regis XX. obijt Berno Abbas Gigniacensis qui S. Odonem discipulum suum Cluniacensis Cœnobij Abbatem constituit, ea conditione quod Cluniacensis Ecclesia solueret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum XII. denariorum. Iste Odo fuit Aquitaniâ oriundus, a Guillelmo Duce Aquitaniæ nutritus, XIX. ætatis anno, Ecclesiæ B. Martini Turonensis Canonicus, & sicut quidam asserunt, Præcentor Ecclesiæ deinde XXX. ætatis anno factus est Monachus, deinde Abbas miro sanctitatis, cuius industria & feruore tepor Monachorum versus est in ardorem, & exsiccata Religio sub eo refloruit; & Regulæ S. Benedicti siccitas versa est in vigorem. Multa etiam composuit. Nam Moralia Iob breuiter compilauit, & vitam B. Martini glossulis explanauit: necnon & tres hymnos de B. Martino contexuit, scilicet, Rex Christe Martini decus, &c. & XII. Antiphonas, scilicet, O Martine pie, &c. quia nunquam ab eius pectore B. Martini memoria delabebatur. Et paulo post. *Ibi (scilicet in Abbatiam S. Iuliani) S. Odo Cluniacensis a Floriaco adducitur, Abbasque præficitur sed non multo post a febre corripitur, super quo Theotolo Archiepiscopus contristatur, quem S. Odo confortans, ait: De me, Pater, non doleas, de me, Præsul, ne timeas,*

F

Mors mihi quando datur, requies, non pœna paratur:
Mors igitur requies, viuere pœna mihi.

Sicque latus spiritum exhalauit, in cripta subtus altare Ecclesiæ honorifice tumulatus.

Chronicon Cœnobij S. Petri Viui ad muros Senon. MS ad an. 941.

G

Author vixit an. 1260.

* imo, secundus.

*ILlo tempore domnus Odo Abbas Monasterij S. Petri Viui, primus * fuit Abbas Monasterij Cluniacensis.* Et ad an. 947. *Obijt Odo Abbas Cluniacensis.*

Chronicon aliud eiusdem Cœnobij, MS. etiam, sed recentius, ad an. 907.

REcuperata autem pace Sanctæ Dei Ecclesiæ, domnus Abbas Samson migrauit de hoc mundo, sepultusque est in Basilica S. Petri Viui, cui successit S. Odo, Abbas secundus Cluniacensis Cœnobij. Et aliq. anto post. *Berno primus Abbas Cluniacensis Cœnobij moriturus, Odonem olim Musicum, Abbatem Monasterij S. Petri Viui quintumdecimum, constituit Abbatem Cluniacensis Cœnobij. Idemque Odo per Guillelmum Senonensem Archiepiscopum, cum consensu Monachorum S. Petri Viui præcepit eidem Cœnobio Arigaudum Abbatem religiosum, & timentem Deum, Monachum Ordinis S. Benedicti. Hic S. Odo cum discipulos suos regularibus disciplinis instrueret multorum Monachorum miserabilem excessum narrauit, vt in eis motum iuuenilem comprimeret.*

H

Wernerus Rolevvinkius in Fasciculo Temporum, ad annum 914.

* secundus.

*ODo vir sanctus, primus * Abbas Cluniacensis feruorem Monasticum in Monasterijs resuscitauit, & plura scripsit. Dialogum B. Gregorij, ipso annuente coarctauit sub vno volumine. Hic Pater multorum Monachorum fuit.*

Anonymus, qui de Gestis Episcoporum Turonens. & Abbatum Maioris Monasterij scripsit.

Vixit an. 1430.

TRicesimo denique, & sexto anno postquam Francorum Regnum à memoratis Danis, Rollone videlicet, & Hastino infestari cœpit, corpus B. Martini ab Antissiodoro ad propria cum honore relatum est. In cuius reuersione textus narrationis à B. Odone primo Ecclesiæ eiusdem Confessoris Canonico, & Præcentore, postmodum Cluniacensi Abbate editus penes nos habetur.

A

Platina in vita Agapeti II. Papæ.

Vixit tempore Xisti IV.

AGapetus Pontifex vir innocens, & Respublicæ Christianæ amator, Pontificatus sui anno nono, mense septimo, die decimo moritur, eo fere tempore, quo Odo Cluniacensis Monasterij Abbas in Domino quieuit. Cuius quidem discipulus habitus est Damasius vir miræ sanctitatis, & monasticæ disciplinæ restaurator.

Pars II. Tomi III. Conciliorum generalium, &c. in vita Leonis Papæ VII.

HIc Odonem Abbatem Cluniacensem virum sanctitate celeberrimum vocauit Romam, vt inter Hugonem Regem Italiæ, qui Romam obsidere cœperat, & Albericum Romæ Principem pacis componendæ sequestrum ageret. Venit Abbas sanctissimus, suaque intercessione apud vtrumque hoc obtinuit, vt Albericus filiam Hugonis coniugem acciperet, & Hugo obsidionem solueret. Et in vita Stephani IX. qui perperam VIII. *In Italia bellum inter Hugonem, & Albericum antehac semel per Odonem Cluniacensem Abbatem compositum, facta pace recruduit. Qua occasione Odo à Stephano iterum Romam vocatus, pace nondum composita, ibidem ex hac vita decessit.*

B

Author Chronici Chronicorum.

Impr. ann. 1493.

ORdo Cluniacensium anno Domini DCCCCXIII. sub Regula Diui Patris Benedicti ab Odone Abbate viro vtique sanctissimo initium sumpsit. Nam Berno Abbas moriturus Odonem olim Musicum, Cluniacensis Cœnobij constituit Abbatem, ea conditione vt Ecclesia Cluniacensis quotannis Gigniacensi persolueret XII. denarios. Odo autem miræ ac incomparabilis sanctitatis in Monastica disciplina feruens, cum eiusdem Ordinis Monachi a primis eorum Patris Benedicti institutionibus declinauissent, permotus feruorem semimortuorum denuo excitauit, & multa ad Monachorum instructionem scripsit. & laudabilis instituto beati Benedicti in diuersis Cœnobiis reuixit. Hic a Remigio Antissiodorensi in Musica & Dialectica à primo est eruditus. Historiam de S. Martino edidit: vbi & paulo post in Domino sanctissime quieuit.

C

Ioannes Trithemius lib. 2. de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, cap. 55.

Vixit ann. 1497.

ODo Abbas Cluniacensis, Remigij Antissiodorensis quondam auditor & discipulus, vir in diuinis & secularibus litteris eruditus, Musicus excellens, moribusque sanctitate insignis, ex Archicantore Turonensi Monachus Cluniacensis factus, post Bernonem Abbas omnium consensu electus doctrina & sanctitate venerabilis fuit. Scripsit autem magnæ vtilitatis Opuscula, de quibus pauca ad notitiam meam peruenerunt,

Chronicon breue de temporibus, Lib. I.

Vitam quoque S. Geraldi Lib. I.

De laudibus S. Martini Turonensis Lib. I.

Sermones & Homilias plures, & elegantes composuisse dicitur.

D

Hymnos quoque & cantus in honorem Sanctorum varios edidit.

Claruit anno Dominicæ Natiuitatis 900.

Idem Lib. 3. cap. 215.

ODo Monachus discipulus Sancti Bernonis, Abbas Cluniacensis Cœnobij ab eo primum constitutus, tanta sanctitate & religione clarus enituit, vt etiam in vita miraculis coruscarit. Ordinem Sancti Benedicti pene collapsum mirifice restaurauit, ac de nouo multa construxit Cœnobia. Claruit anno Domini 920. Eius festum XIII. Cal. Decembris agitur.

Et Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

secundus

ODo primus † Abbas Cluniacensis, Ordinis Sancti Benedicti, Remigij Antissiodorensis Monachi quondam auditor, vir in Scripturis sanctis studiosus & eruditus, & collapsi Ordinis Diui Patris Benedicti instaurator egregius, non minus sanctitate, quam eruditione clarus emicuit. Hic erat insignis Musicus & Archicantor Ecclesiæ Turonensis, qui audita fama Bernonis Gigniacensis sanctissimi Abbatis, Ordinem sub eo ingressus est, & Abbas postea Cluniacensis constitutus, magna sanctitate Ordinem illustrauit. Qui cum esset declamator Homiliarum præcipuus, multos ad fratres Sermones composuit. Scripsit etiam inter cætera ingenij sui opera

E

Vitam sancti Geraldi Lib. I.

Laudes sancti Martini, Lib. I.

Chronicam succinctam, Lib. I.

Hymnos etiam, & varios cantus in honore Sanctorum dulci & regulari melodia composuit. Rogantibus quoque fratribus libros B. Gregorij Papæ super Iob abbreuians, in vnum volumen comportauit. Claruit temporibus Arnoldi Imperatoris anno Domini 920.

Hæc eadem Conradus Gesnerus in Bibliotheca sua.

F

Anthonius Posseuinus, Tomo II. Apparatus sacri.

ODo, siue aliis Oddo, aliis Ade, Abbas Cluniacensis secundus, vir inter Francos nobilis, quodque caput est, sanctitate insignis, Canonicus primo Turonensis Remigium Antissiodorensem Monachum in Dialectica, Philosophia & Theologia, Præceptorem Parisiis habuit. Vnde Turonem reuersus, ad veram Christi Philosophiam aspirans, sub S. Bernone Balmensis Cœnobij Abbate Monachus est admissus: cui & postea in Monasterio Cluniacensi, ad quod ex Balmensi translatus fuerat, successit. Scripsit pium illum Hymnum de S. Maria Magdalena, quo vsa est diu Ecclesia Romana. Lauda mater Ecclesia.

Sacrorum Hymnorum in honorem Sanctorum Lib. I.

Homiliarum ac Sermonum ad suos fratres Lib. I.

De vita Sancti Geraldi, siue Gerardi, Lib. I.

Chronicon succinctum, Lib. I.

Vitam & Translationem Sancti Martini Episcopi Turonensis, Lib. I.

G

Abbreuiationum Moralium Diui Gregorij Papæ in Iob, Libros XX.

In Hieremiam Prophetam Lib. 3. qui extant Cluniaci MS. vocanturque hodie, Liber Occupationum † S. Odonis.

† *forte*, Collationum.

De sacrosancta Eucharistia versus aliquot, ad Odonem Episcopum Cameracensem.

Martyrologium Romanum ad XIV. Calend. Ianuar.

TVronis, transitus beati Odonis Abbatis Cluniacensis.

Martyrologium Monasticum Benedictinum ad XIV. Cal. Decemb.

TVronis transitus S. Odonis Abbatis Cluniacensis secundi, qui Ordinem Sancti Benedicti pene collapsum mirifice restaurauit.

H

DE REVERSIONE B. MARTINI A BVRGVNDIA

TRACTATVS

Editus à Beato Odone Cluniacensi Abbate.

EPISTOLA FVLCONIS COGNOMENTO Boni Andegauorum Comitis ad Odonem Cluniacensem Abbatem.

VEnerabili & Sancto Patri Odoni Dei gratiâ Cluniacensi Abbati, Fulco Bonus Comes Andegauorum salutem & debitam reuerentiam. Solent quodam fauoris prælodio comparare beneuolentiam, qui non satis præsumunt de amici conscientia. Ego autem, Pater venera-

A venerabilis, vobis scribens, nequaquam id mihi esse necessarium reputaui. Præsumo enim me vobis coniunctissimum compage duntaxat & glutino caritatis: quamuis respectu vestri minor sim dignitate, † meritis autem minimus. Non enim semper æqualia sociantur. Certe iunguntur in eiusdem constructione Tabernaculi saga cilicina cortinis subtilissimis. In Arca Noë immitis bellua cum homine mansueto exitialibus vndis eripitur. Pulchritudinem creaturarum & formica exornat, & Angelus. Et, vt domestico abutar exemplo, puluerulentis pedibus lutum oculorum pusillum, sublime in nobis ipsis exhibet ministerium. Sed quorsum hæc iam longe repetita principio? Nempe vt astruam exemplis, & confirmem rationibus, sæpe Comiti dispatia, & sublimia humilibus debere condescendere. Condescendat igitur meæ paruitati vestra sublimitas, & præstate quod postulo, qui hoc ipsum præstitistis, vt postulare auderem. Memini certe, non ambigo, vestra sancta Paternitas, quam dulcibus eloquijs animam meam esurientem reficere solebatis: vt de sancto & mellifluo ore vestro illius ignis sæpius ardorem in me transfundi & accendi sentirem, quem DOMINVS IESVS misit in terra, & voluit vehementer accendi. Inter cætera vero vitæ æternæ colloquia, de communi patrono nostro, videlicet Martino, frequens erat nobis & iucunda fabulatio. Porro inter alia mihi retulistis reperisse vos in quibusdam veteribus scedulis impolito exaratum sermone, qualiter eiusdem Beati Martini sacratissimum corpus ob Barbarorum incursus in Burgundiam delatum fuit, qualiterque exinde reddita pace Ecclesiæ ad propriam vrbem relatum. Ego autem & viri Sancti amore, & piæ vestræ collocutionis accensus desiderio, rogaui sæpius, & nunc iterum rogo, quatenus antiquitatis historiæ fide seruata, suam in vestro dictamine rem ipsam explanetis: quo & tam pia narratione ædificetur Ecclesia, & filij Pater expleat desiderium. Quod si ego tanti Patris filius appellari non merui, nec merita ad id, quod postulo, impetrandum sufficiunt: certe vel dignitas materiæ, vel Ecclesiæ vtilitas obtinebit, quod pusentis vilitas impetrare non meruit. Martinus enim materia, vtilitas Ecclesiarum ædificatio est. Vos autem quid Martino negabitis? Quid ædificationis Ecclesijs subtrahetis? Eya ergo, agite: quod & amicus postulat, Martino præstat, & Ecclesiam ædificat. Quod si ius in amicum pro conuictus gratia, pro lactentis infantiæ participatione † liceret exigere, nihil credo mihi negaretis, quem mater in lactis participem accepit. Quem ergo materni lactis nutristis participio, matris Ecclesiæ nutrire lacte salutifero: vt sicut corporis mei vitam de matris lacte fouistis, ita animam de lacte Ecclesiæ foueatis.

† In impress. quamuis respectu vestri minor sum; in dignitate autem iudicis minimus.
Exod. 26. 7.
Gen. 7. 8.
B
C
† participio.

EPISTOLA ODONIS AD EVNDEM FVLCONEM.

D FVLCONI Bono gloriosissimo Consuli Andegauorum, Frater Odo humilis Abbas Cluniacensis salutem, gratiam, & benedictionem. Cum in sublimi humilitas, & in magnis & multis negotijs occupato, virtutis studium reperitur, vere, fateor, illius opus est, qui potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Patet, credo, cur ista præmiserim. Ecce enim mundus in maligno totus positus est: nec tamen sibi vendicat generosissimum Principem Fulconem Bonum, à quo tamen in parte non minima vendicatur Fulco Bonus, vt pote Comes præpotens negotia tractat secularia: sed hoc, vt perpendo, specie tenus, in diuinis vero medullitus occupatur. Placet etiam in his immorari, & Boni Fulconis bonitatem exprimere: sed parco laudibus ne adulari videar, & pareo iussis ne ingratus existam. Hoc saltem vnum me dixisse liceat, rarum, immo fere nullum reperiri, quem ita virtutis æmulatio seculo subripias, vt mancipet honestati. Sed iam ad imperata respondeo. Siccine, Comes gloriosissime, neminem reperiebas, quem de virtute consuleres, & præcipue de viro virtutis Martino, nisi tuum collactaneum Odonem? Puto deerant præclara Francorum ingenia, qui sublimem materiam sublimi æquipararent eloquentia? Sed vt sentio, quod pace tua dixerim, priuatus amor claudit oculum mentis: plusque tibi placet amici rusticitas, quam cæterorum phalerata vrbanitas. Sed esto, tibi paream: aggrediar quod hortaris. Verumtamen quis fidelius tenorem historiæ, quam describi postulas, scite potuit, quam tu ipse cuius Ingelgerius videlicet doctor & princeps in eadem profectione extitit? Si igitur excusare liceret, si quid tibi negare nostri esset propositi, merito tibi respondere debuerim, *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Sed quia, vt verum fatear, meipsum tibi debeo, etiam vltra vires parere tibi non differam. Etsi enim inest ignorantia quam arguat præsumptio, vera tamen dilectio non horrescit. Parebo itaque non eloquens erudito, sed vt amico amicissimus. Plus verax, quam eloquens, inueniri conabor. Neque enim nostra patitur professio pompatici [† sermonis affectare gloriolas, studium est esse potius, quam videri. Verum quia] nonnullis mos est scripta aliorum ad vnguem elimare, cum ipsi lippientibus oculis, si qua forte ediderint, vix respecient: rogo vt priuata lectione contentus, & quæ priuatim dictauimus priuatus & ipse legas, ne si forte in manus alienorum ipse venero, discerpar ab eis, quos non vera, sed varia delectant.

Matt. 3. 9.
1. Ioan. 5. 19.
E
Deut. 32. 7.
F
† Hæc desunt in impress.

IN TRACTATVM, DE REVERSIONE BEATI MARTINI À BURGUNDIA

PRÆFATIO.

G QVOTIENS ergo cuiuslibet potentis muneribus vel beneficiis præuenimur †, persoluendæ vicis ei obnoxij tenemur. Ea propter prædecessores nostri Domino Turonensi Martino, qui fuit vir potens in opere & sermone, qui etiam tempore necessitatis Turonum † suam de manu Potentis potenter eripuit, obligatores facti sunt. Inde etiam ereptionis suæ perpetuum memoriale statuentes, annuam in honore Ereptoris sui celebritatem IV. Idus Maij celebriter celebrant, & ereptionis † suæ memoriam recolunt, & vota sua Liberatori suo solemniter persoluunt. Solemnitas autem ista, non Translatio seu Ordinatio, non transitus, non Exceptio dicitur, sed Subuentio ab ijs quibus rei gestæ veritas melius innotuit, nominatur. Necessitatis vero † superabundantes angustias, & vrbis obsessæ calamitates & miserias dicemus, & ereptionis modum, & fugam etiam, qua fugere Rollonem voluit ille, qui Hastinum † fugauit. Mansionem etiam, qua in Antissiodoro mansit: reuersionem etiam, & exceptionem, qua à suis, Turonensibus videlicet, honorifice est susceptus, & in loco, vbi nunc adoratur, Deo annuente est collocatus, loco suo & ordine, prout Dominus dederit, stylo qualicumque prosequemur.

† premimur.
† Turonum.
† al. exceptionis.
† In impr. Necessitates autem, angustias, aut calamitates vrbis obsessæ & miserias disces.
H
† Hastingum.

INCIPIT TEXTVS NARRATIONIS IN REVERSIONE BEATI MARTINI TURONENSIS À BURGUNDIA.

L IGITVR quoniam Danorum tellus sibi insufficiens est, moris est apud illos, vt per singula lustra multitudo non minima, dictante sortis euentu, à terra sua exulet, & in alienis terris mansionem sibi quoquomodo, ad propria non reuersura, vindicet. Vrgente igitur duræ sortis inclementia, Hastingus cum innumera armatorum manu à finibus suis exulans, Gallias ingre-

ditur,

A

ditur, ciuitates obſidet, mœnia ſubuertit, turres terræ coæquat: oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame depopulatur. Contigit autem vt Galliæ ſuperioris partibus incenſis, Turonum, ſimili eam exterminio † conſumpturus, deſcenderet. Ambazio itaque, & vniuerſis, quæ inter Ligerim & Karum continebantur, in fauillam redactis, Turonum obſidet. Portis igitur cuſtodias admouet, & ne quis tuto caeat, magno ſtudioſoque conamine prouidet. Aggeres etiam ſtruit, aſpera complanat, & quicquid vrbi capiendæ commodum eſſet, ordinat. Alieni infortunij tumor delatus [obſeſſis, †] conceptæ formidinis fomitem ſubminiſtrat. Muros tamen reparant, & turrium propugnacula * reſarciunt, & ſagittarum grandine præmiſſa varios ſubiungunt aſſultus. Iam muri crebro quatiuntur ariete, & machinarum ictibus cedentes, ruinam ſui minantur. Obſeſſi, viribus diffidentes, ſpei penitus ſolario deſtituuntur. Tandem vero, diuina inſpirante gratia, in ſe reuerſi, beati patroni ſui Martini corpus pie rapiunt, & ad locum, quo belli violentior impetus erat, deferentes, mortuum pro viuis propugnatorem opponunt. O admirabilem per omnia virum! qui dum adhuc viueret ſignipotens appellatus fulgorem virtutum aſtris intulit, defunctus etiam bellipotens triumphator hoſtium cuneos ſola ſui præſentia confecit. Vere mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Sancti ſiquidem patrocinante ſuffragio & obſeſſis ſecuritas & confidentia redditur, & obſeſſoribus formido & pauor non modicus immittitur.

† al. incendio.

† Deeſt in impr.

* al. & turrium, & propugnacula.

B

II. Fugiunt igitur † Dani, fugientes Turonici perſequuntur: fugientium pars gladio cadit, pars capta reducitur, & pars fugæ ſubſidio elapſa eſt, & vſque ad ſcatum lapidem ab vrbe perſequuti ſunt Danos, Triumphatoris ſui corpus cum hymnis deferentes & gloria, per quem ſibi triumphus ceſſit & victoria. Vnde & in eiuſdem belli triumphali memoria, in ipſo loco, quo Sancti ſubſiſtit corpus, in honore ipſius fabricata eſt Eccleſia, quæ propter belli euentum, Sancti Martini Belli ſortita eſt vocabulum. In eo autem vrbis loco, quo corpus eius ſupra murum pernoctans victoriæ primordia initiauit, erant ruinæ maceriarum antiquarum, in quibus ferebant Aulam fuiſſe Valentiniani; in qua ſedens nequaquam aſſurgere eſt dignatus Beato Martino Antiſtiti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea parte corporis, qua ſedebat, afflaret incendium, ſolioque ſuo ſuperbus excuteretur, & Martino inimicus aſſurgeret. Ibi Archiepiſcopus cum populo deuoto Eccleſiam, quæ ſancti Martini de Baſilica dicitur, in honore eiuſdem ipſius Sancti inſtaurauit. Ea propter igitur Synodo celebrata, [auctoritate †] Archiepiſcopi, & Epiſcoporum, qui conuenerant, ſtatutum eſt, vt ſingulis annis deinceps per vniuerſam diœceſim Subuentionis huius feſtum IV. Idus Maij ſolemniter celebretur, quæ nullo alio nomine rectius, quam Subuentio, cenſetur.

[† ergo.]

C

† abeſt in impr.

III. Elapſis poſt Haſtini † incendia tribus luſtris, ſucceſſit eiuſdem gentis, * & ſimili ſorte à finibus ſuis exulans, Rollo vir armis ſtrenuus, ſed circa Chriſtianæ profeſſionis homines inhumanus: peditum multitudine, equeſtri † ordinis copia, milite multiplici ſtipatus. Ille, Flandrenſibus, Normannis & Britonibus in martio congreſſu ſæpenumero confectis, ciuitates eorum & oppida, necnon & Eccleſias in fauillam redigens, non minimas hominum ſtrages dedit. Cenomanis poſtmodum obſeſſa, exercitus ſui procuratores Turonum vſque tranſmiſit; vt, vrbe peſſundata, auri & argenti effluentem † copiam, & cætera eius bona diriperent, & illius incolas vinculatos † ſecum adducentes captiuarent. Dei autem prouidente clementia, tanta Kari & Ligeris excreuit inundantia, † vt ſui vorone pelagus vnum efficerent, & à ciuitatis acceſſu non minima ſui altitudine cuneos hoſtiles arcerent. Verum Maius-Monaſterium, quod non longe à Turonis erat, funditus euerſum, centum-viginti Monachos, bis binos minus, ibidem gladio perculſſerunt, præter Abbatem & viginti alios quatuor, qui cauernis terræ latitantes euaſerunt. Abbatem tamen

† Haſtingi

D

* gentis.

† equeſtris

† affluentem.

† vinculantes.

† inundatio.

à latebris extractum tormentis & cruciatibus ab eo exigunt, vt theſauros Eccleſiæ prodat, & Monachos, qui in cauernis latebras fouebant, in medium deducat. Vir autem Domini Abbas Hebernus, licet varia & multiplici tormentorum violentia arceretur, nec theſauros declarauit, nec filios in latebris latitantes reuelauit: qui adhuc reſeruati ſunt, vt Patroni ſui corpus & inter alienos proſequerentur. Ita quidem contigit: ſed ipſe potius Comitibus exilij ſui mercedem reſtituit. Nemo enim illorum reſiduus fuit, quem Martinus Eccleſiæ non proferret † regimini, ſublimaret dignitate. Recedentibus Danis, poſtquam ciuibus, tumore fluuiali repreſſo, libera recurrendi † reddita eſt facultas: auditum Maioris-Monaſterij infortunium & euerſio, necnon & Abbatis cruciatus & pœnæ, & Monachorum pretioſa mors & paſſio; vniuerſorum, & maxime Sancti Martini Canonicorum, gaudia obumbrans, † lacrymoſa ſubminiſtrauit ſuſpiria, doloris immodici copioſam materiam propinauit.

E

† præferret.

† diſcurrendi.

† obnubilans.

F

IV. Mœſtitiæ igitur & mœroris pallio amicti, vultu lugubri aſſumpto, & ornatu, ſicut moris eſt compatientium, dolere cum dolentibus, gaudere cum gaudentibus, * dolentes & flentes ad memoratum accedunt locum, & doloris intrinſeci tumore ſingultuoſo perſtillantes * foris: lachrymis aliquantiſper imminutis, viginti quatuor Monachos, qui in cauernarum latebris morabantur, extrahunt; & Abbatem vnacum ipſis cum debito honore & reuerentia ad ſuam ſecum deducunt Eccleſiam. In omnibus vero eos procurantes, delegerunt ipſis domum Eccleſiæ valuis inhærentem, à qua in Eccleſiam reciprocus ingreſſus & regreſſus ſecretior haberetur. Sed vero menſibus emenſis, comperto Canonici quod Rollo, Cenomannis capta, Turonum * captum ire diſponeret, communicato cum ciuibus † ſuis conſilio, pretioſam margaritam, & ſingularem theſaurum, ſanctiſſimi videlicet corpus Martini Aurelianis vſque tranſmittunt. Huius latores & cuſtodes extiterunt, Hebernus Maioris-Monaſterij Abbas ſæpedictus cum viginti quatuor Monachis, & duodecim Canonici, qui Deo & Chriſti Confeſſori Martino † deſeruiṙent: comitatum eorum indeſerenter † adhærentibus duodecim Caſtrinoui burgenſibus, qui ſanctis deſeruitoribus pie deferuentes, eis neceſſaria prouiderent. Famæ vero poſtmodum decurrentis * relatu edocti, quod Dani ad Galliæ ſuperiora proceſſiſſent, cum theſauro ſuo ad ſanctum tranſmeant Benedictum. Paucis vero elapſis diebus fama peruigili rurſum prænunciante, quod iam Rollo Aurelianis aduenillet, ſanctarum baiuli reliquiarum Chableiam † veniunt.

* flere cum flentibus.

* perſtillātibus foris lacrymis.

* Turonum.

† Conciuibus.

G

[† die ac nocte.

† indeſinenter.

* percurrentis.

† antea Clabeiam, ſed corrupte.

V. Tempore autem permodico ibidem commorati, metu conualeſcente iterum, cum theſauro illo incomparabili Antiſſiodorum vſque perueniunt. Epiſcopus vero fama perambula † præmonitus, & tota ciuitas, obuiam ruunt, & tantum hoſpitem cum honore non indebito deducunt, & in Eccleſia beati Germani, ſecus eiuſdem Præſulis feretrum, Martini non impatis corpus reponunt. Per merita igitur beati Martini, virtutes ibidem & miracula innomera fiunt. Cæci quidem viſum, claudi greſſum, febricitantes ſanitatem, aridi ſoſpitatem, leproſi mundationem, paralytici membrorum reintegrationem recipiunt. Fama vero quæ clam nihil agere conſueuit, per vniuerſas regiones ſanitatum gratiam diuulgante, tanta illic indies infirmantium multitudo confluebat, vt ex numeri innumera æſtimatione, regio cuilibet exercitui aſſimilata videretur. Et quia ciuitas tantæ inſufficiens multitudini vniuerſos capere non poterat, per circumiacentes vicos hoſpitandi gratia diffundebantur. Omnibus † pro voto per merita Beati Martini Antiſtitis ſalus optata reddebatur. In familiæ vero eiuſdem Epiſcopi † vſum vniuerſa infirmantium tranſibat oblatio. Tantus autem oblatæ pecuniæ excreuit cumulus, vt numerum † quantitas excedens Antiſſiodorenſibus Clericis inuidiæ fomitem miniſtraret. Vnde cupiditatis & inuidiæ ſtimulo perurgente, Martini miniſtros taliter alloquuntur. Quoniam tam a noſtro, quam à

† præambula.

H

† [autem.]

Pontificis.

† numerorum.

A

vestro Pontifice virtutes & miracula indifferenter fiant, æquum est vt si quid vtilitatis exinde prouenerit, † vtriusque ministri in commune partiantur. Quibus euidenti ratione satisfacientes illi, postulantes † sua communionis in hunc modum dissoluunt, dicentes. Antequam Martinus noster huc aduenisset, vestro hic perordinante † Germano, nullorum mentio miraculorum erat. In aduentu vero nostri Antistitis, ipsis eius id obtinentibus meritis, & signorum frequentia euidens exhibetur, & ex impensæ per eum salutis respectu, huiusmodi nobis beneficia proueniunt. Vt autem ex animo vestro omnis super hoc dubietatis scrupulus excludatur; leprosus hic, qui præ oculis est, in medio, si placet, Præsulum sanandus inferatur. Si vero à Martini latere leprosi latus positum conualuerit, & Germani lateri eiusdem latus adiunctum in lepra persliterit, virtutis auctori Martino miraculum ascribatur. Si autem è conuerso, à Martini parte † leprosi pars posita non curatur, & Germano pars inhærens sanetur, ad Germani meritum † patefacta virtus & miraculum transferatur. Adquiescunt vtrique, & prolata iudicij sententia ab omnibus approbatur.

† peruenerit, vtrisque in commune partiatur. † postulantur. † perordinante. † latere. † merita.

B

VI. In argumentum igitur agnoscendæ veritatis, in medio Præsulum leprosus ponitur. Decursis † itaque noctis illa vigilijs & [orationibus, †] laudibusque, mane illucescente, conuenientibus vtrinque partibus, medietas hominis à Martini parte posita, sana & incolumis reperitur. Pars autem altera, occulto Dei iudicio, saluanda * differtur. Vt autem per miraculum euidentius fides eluceret clarius, atque * celsior, leprosi iterum pars sananda versus Martinum vertitur. Et mane facto, sub oculis omnium, homo totus ex integro alteratus in salutem inuenitur. Sopita igitur est mutualis hæc contentio, & Martini cultoribus ex tunc & deinceps infirmantium vniuersa cessit in pace oblatio. O admirabilis * vrbanitatis Germanum Pontificem, qui cum tanti meriti esset, vt mortuos suscitaret, in domo sua hospiti suo tantum detulit honorem, vt in signorum exhibitione eo se videri vellet inferiorem! O signipotentis Martini attollenda præconia, qui Pontificalis ministerij dignitatem vbique in omnibus, licet exul, obseruans, & ciuitatem exilij sui susceptricem miraculorum gratiâ illustrauit, & suis sequacibus benignum, largum, & affluentem se semper exhibuit! Elapsis postmodum quampluribus annis, pace Ecclesiæ reddita, Rollone fidei restituto, Turonici vim Dominum & Patronum suum requirendi gratia Antissiodorum proficiscuntur.

† Decursa. Deest impr. * sananda. * fides certior, clariusq. elucerer. * admirandæ.

C

VII. Conueniunt igitur Aunarium * eiusdem vrbis Episcopum, vt eis suæ licentia permissionis, proprium reducendi Pontificem copia tribuatur. Quibus ille tale fertur dedisse responsum. Nolo Ecclesiam meam tanto defraudare thesauro, quia Episcopus factus eo vestitam * inueni. Videntes itaque Turonici, se per eundem Episcopum nihil proficere, ad Regem Francorum, qui tunc temporis erat, meliora sperantes resiliunt: humili prece eum [rogantes ac *] obsecrantes interpellant, vt Turoni * & Martinum suum restitui iubeat, & vrbem Pastoris absentiâ, eo recepto, in gaudium conuertat. Ad quos Rex ait. Cum vtraque ciuitas regij sit iuris, & ab vtraque nobis indifferenter seruiatur, indignum ducimus, vt Antissiodorum, quæ de thesauri huius possessione fastica est, præiudicij violentia spoliemus, & Turonum * vestram, quæ huc vsque illius vestituram * amisit, inuestiamus. Decedentes * itaque Turonici, * ad propria frustrati reuertuntur. Cogunt igitur Concilium cum Adalando * Turonensi Archiepiscopo, Raimone Aurelianensi, & Mainoldo Cenomannensi, * & cleri plebisque multitudine coacta, consilium ineunt quid facto opus esset. Eo tempore vir illustris Gastinensis Comes Ingelgerius, Hugonis Ducis Burgundiæ nepos, Lochiæ & Ambaziæ Dominus, strenuus armis, summa potestate & probitate præditus erat, & Andegauensem Consulatum ex regio munere nuper sibi impartitum procurabat. In Antissiodorensi etiam

* Iaunarium. * inuestitam. * voces hæ desunt in impr. * Turonis.

D

* Turonum. * inuestituram. * Decidentes. [* à spe sua.] * Adalando. [* & sancto Lupo Andegauensi.]

E

vrbe Aulam propriam, & vineas, & prædia [habebat †] suburbana, & possidebat. Cum igitur tantum † virum huius negotij peragendi commoda confluerent, allegationis suæ officio fungi ab vniuersis acclamatum est. Cum autem ad eum ob istiusmodi causam nuncios dirigere procurarent, † per subuenientem Dei, vt credimus gratiam, Sancti Martini, vt ei moris est, oraturus intrauit Ecclesiam. Exiens autem ab Ecclesia, ab vniuersis cum gaudio suscipitur, & ab omnibus ei honor debitus & reuerentia defertur. Cum in medio eorum consedisset, tanquam à Spiritu sancto præmonitus in hæc verba prorupit. Viri Turonici, viri diuitijs affluentes, cum diuitiæ ingenij vena calleatis, & prudentia & fortitudine polleatis: miror admodum, & vehementer obstupesco, cur gaudium vestrum, lumen patriæ [vestræ, †] vestrum, tanquam Antistitem Martinum tam longo exilio relegatum, vestra id agente incuria, reducere neglexistis. Contra cum lachrymis aiunt. Gratias tibi agimus, & primum diuinitati, quæ tuo id imperauit † cordi, vt de talibus nobiscum dissereres, & nobis in desiderio positis, desiderij nostri desideratum commonitorium faceres. Non est, inquiunt, Domine mi, nostra, vt putas, incuria: sed Regis Franciæ pigra segnities nos impediuit, & Antissiodorensis Antistitis peruicax violentia nobis Martinum nostrum cum multo labore & instantia requirentibus denegauit.† Quoniam igitur obstinati illius Antistitis cor induratum est, & quasi alter Pharao factus est: non vult dimittere virum Dei, nisi in manu forti. Proinde te, Domine, cui nobilitas & strenuitas, & probitas etiam & potestas suppeditant: communi & humili supplicatione [rogamus & †] obsecramus, vt zelo Dei, & Beati Martini amore ductus, huic te conformes allegationi, & ipsum & cum ipso gaudium huic luctuosæ restituas regioni.

† ab est in impr. † intantum. † disponente. † deest in impr.

F

† inspirauit. † denegat. † absunt hæc ab imp.

VIII. Videns igitur vir illustris Ingelgerius, vniuersitatis illius post Deum spem in se penitus poni, lachrymas supplicantium miseratus & vota, promittit se iniunctum sibi negocium pro viribus executurum. Collecta igitur tam peregrini exercitus quam proprij multitudine non minima, sex fere millibus tam militum quam equitum secum electis, Antissiodorum venit. Continuant interim Turonici ex sui præcepto Pontificis vnius hebdomadæ ieiunia, & suum sibi reddi Martinum Deo supplicant iugi oratione, & precum instantia. Stupet Antissiodorum † ciuitas armato milite & insperato se repleri. Die igitur crastino aurora illucescente, peregrinus Comes impiger, postquam in Ecclesia ante dilecti Archipræsulis Martini corpus cum lachrymis orans, peregrinationis suæ preces & vota persoluit: conuenit Episcopum super Depositi restitutione, dicens. Pontificis nomen cum re & honor delectet, cur huius prænominis † etymologia perdita, virtutum pontem non facis, sed subuertis, & gregi tuo factus forma deceptionis & doli, vestigia † inhærentem à sublimi veritatis via deijcis, & in perditionis præcipitium ire compellis? Cur necessitatis tempore thesaurum fidei tuæ commissum, dilationis † innectens moras, reddere contemnis? Vnum ergo tibi ex duobus elige: aut Turonicis suum Martinum, dilationis cessante mora, restitue; aut te nullatenus redditurum responde. Cui Episcopus in his verbis stomachatus ita respondit. Non decet peregrinum cum armata manu loca sancta inuisere; nec Sanctorum pignora viribus & armis velle sibi vendicare. Hodie tamen cum tuis patienter sustine, & quid super hoc acturus sim, crastina tibi dies declarabit. Communicato interim cum Coepiscopis, qui tunc forte aderant, consilio, quis actionis huius exitus vel finis esse valeat, percunctatur. Cui Siagrius Eduensis, vna cum Domnolo Tricasensi, † ad ipsum sapienter respondit. Non decet Episcopum aliena rapere, vel cuiuslibet depositum fraude vel violentia velle surripere. Beati siquidem Martini corpus, hostili vigente gladio, a Turonis huc allatum, & ab eis penes te repositum nouimus. Quod

G

† Antissiodorensis. † prænominis. [tuis.] † dilectionis.

H

† Trecensi

A [† quæque.] ergo à fidelibus fideliter tibi commissum est, tu quandoque † fidelis restitue, & fidei læsæ damna resarciens, exasperato Comiti, verbis euo lenibus, & officijs demulcens, postulata concede. Nisi enim spontaneè, & cito reddideris, ad tui dedecus & ignominiam ablatum protinus tibi † [† te inuito] videbis. Fac igitur de necessitate virtutem, & antequam imminens extorqueat necessitas, palliata † [† &.] prudens præstet liberalitas. Acquiescit Episcopus, & Andegauensi allocutione blanda delinito optatum exponit thesaurum. Affuit etiam & diuinæ memoriæ Abbas Herbenus † [† Hebernus.] coram Episcopis, vna cum Ingelgerio, iam sine socijs. Diuina siquidem prouidentia, & beati Martini oratione assidua mediante, iam promoti erant per vniuersæ Burgundiæ Prouinciam omnes & singuli in Episcopatibus & Abbatijs: scilicet vt qui cum caulato † [† qui eo caulatum.] exules aduenerant, ab ipso caulato, in ipso auxilij solo diuitijs & honoribus sublimarentur. Denique ipsis mandauit † [† mandatat.] per veredarios sæpefatus Abbas Herbenus † [† Hebernus.], vt interessent docatui, & ad B euehendum corpus sæpenominandi † [† sæpenominati.] Antistitis: vt quem simplices Monachi & exules à loco proprio in exilium adduxerant, iam Episcopi & Abbates constituti ipsum solum exulem in loco proprio restituerent. Quod & factum est. Celebrata igitur propria de sancto Martino Missa solenniter, Ingelgerius Andegauensis & Abnarius Antissiodorensis assumptum onus illud nobile suis imponentes humeris, repatriandi aggrediuntur iter. Deducunt Pontifices cum hymnis & laudibus sancti Antistitis reliquias, necnon & Clerus deuotus, & vulgi vndequaque decurrens frequentia. Reuersis vero deductoribus illis Martini, cæterius aggressum capit iter, & optato potitur triumpho. Debitum seruitij pensum ab Abbate & Monachis, necnon & Clericis Deo indies deuotissime exhibebatur, & Missa quotidie celebrabatur. In nobili illo exercitu nullus mollis vel effeminatus: nemo ibi feminam, nemo rapinam nouerat; sed † [† vnusquisque.] ex mercato competenti viuebat.

IX.

C Postquam igitur diœcesis suæ fines attigerat sacratissimi Præsulis Martini corpus, mirum in modū & oues morbidæ Pastoris præsentiam, & Pastor recognouit quantam ouibus deberet intelligentiam. Quamuis enim peregrinus inter extraneos miraculorum floruisset copia: inter suos tamen, vtpote sibi à Deo commendatos, & copiosior ei fuit sanitatum gratia, &, si dici fas est, propensior benigoouolentia † [† beneuolentia.]. Quicunque ergo qualicumque incommodo ægritudinis laborabant, etiam non apportati, etiam non rogantes, dextra læuaque per totam Prouinciam mirificè sanabantur. Quam † [† Quia.] vera promissio Saluatoris dicentis! *Opera, inquit, quæ ego facio, qui credit in me, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* [Ioan. 14. 12.] In signis enim & sanitatibus, quæ † [† quas.] ipse Dominus per se dignatus est exhibere, fidem etiam poscentium cooperari voluit, vt crebro Euangelia probant. Vnde est illud, *Fides tua te saluum fecit.* [Luc. 18. 42.] Per Martinum vero etiam non petentibus, etiam non accurrentibus, & quod maioris clementiæ est, etiam nolentibus subueniebat. Dum enim talia, tantaque virtutum insignia agerentur, quæ etsi non viderint † [† viderent.], occultare fama non potuit. Experti rei erant duo paralytici, qui in villa D cui nomen de Hedera est, à prætereuntibus eleemosynam petentes, victitabant; dixerunt alter ad alterum. Ecce frater sub molli otio viuimus, nemo nos inquietat, omnes miserentur: solus nobis labor est petere quod optamus. Licet, cum libuerit, somno indulgere, quieti vero iugiter: & vt breuiter dicam, ducimus in bonis dies nostros. Hoc [autem] totum nobis vindicat infirmitas hæc, qua iacemus. Quæ si sublata fuerit, quod absit, necessario nobis incumbet labor manuum insolitus: quippe tam mendicare † [† Mendicare quippe.] inutile erit. Et ecce audiuimus de Martino isto, in cuius diœcesi degimus: quod reuertens ab exilio in toto suo Episcopatu neminem debilem præterit non sanatum. Nunc ergo, frater, acquiesce consilijs meis, & dicto citius fugiamus Martinum, ab eius diœcesi exeuntes: ne forte nos sanitatum eius copia comprehendat. Nouum sane consilium, vota prorsus hactenus inaudita, tanto nolle carere incommodo, se, sibi reddi, effugere. Quid moror? Placet vtrique consultum, & aptatis baculis sub vtraque ascella, reptando potius quam gradiendo, fugam arripiunt. Sed Martini pernix potentia prosequitur fugientes, comprehendit refugas, comprehensos & inuentos inuitos reparat sanitati. Quod illi in sese experientes, nec dissimulare poterant, nec audebant silere. Nimirum non nescij illum potentem perdere † [† prodere.] ingratos, qui & nolentibus subuenisset. Exclamant igitur, prædicantes miraculum, & homines loci illius, quod contigerat, ad laudem inuitant Martini. Nec sibi integrum fore arbitrati, donec baculos sui languoris indices ad Martini matricem Ecclesiam detulerunt: palam omnibus exponentes & suæ perfidiæ fugam, & Martini etiam circa inuitos clementiam. Porro accolæ mansionis, in qua signum hoc sanitatis celebratum est, in nomine signipotentis Martini Ecclesiam condidere, quæ vsque hodie Capella alba nominatur.

F Ingresso itaque beato Archipræsule Martino propriæ parochiæ fines, mirum in modum res inanimatæ & insensibiles, Pastoris sui sentientes aduentum, grata congratulationis suæ signa prætendunt. Vniuersæ siquidem arbores, & fructeta tempore brumali, repugnante licet natura, rediuiuis vestita folijs, & floribus vernant, & in sui ornatu, quantæ meritorum excellentiæ sit pater patriæ repatrians demonstrarunt. Itidem dextera læuaque in Ecclesijs eiusdem parochiæ sine humano adminiculo signa diuinitatis † [† diuinitas.] pulsabantur. Luminaria tam cereorum quam lampadarum diuinitus accendebantur: in duabus maxime Ecclesijs, quæ nomini eius dicatæ sunt notæ. † [† dignoscuntur.] In priore, quæ Maius-Monasterium nuncupatur, in qua viuens in corpore lectioni, meditationi, vigilijs, ieiunijs, & orationibus, die noctuque Deo incumbebat. In altera, quæ S. Martini de ruris Castrinoui dicitur: de qua primo Rollonem fugiens sublatus fuerat, in qua etiam ab vniuersis Episcopis diœcesis suæ, à Clero etiam & populo susceptus, in loco, quo † [† vbi.] nunc adoratur, hucusque seruatur. Domno igitur, vt diximus, Turonensi Martino, Turonum † [† Turonum.] suam in millibus suis ingrediente, tota obuiam ruit, & ab Adalaudo † G [† Adalaudo.] Archipræsule Turonensi, & fratre eius Raimone Aurelianensi, & Mainoldo Cenomannensi, & Sancto Lupo Andegauensi, & à suffraganeis totius Prouinciæ Episcopis, eis congratulanter occurritur, & omnis sexus indifferenter desiderato diu Domino suo lætabundus occurrens, lachrymis, quas gaudium extorserat, perfunditur. Ab Episcopis siquidem & Abbatibus, à Clero & virginibus, à populis & baronibus, à pueris etiam & senibus in Ecclesiam suam cum cereis & crucibus, cum hymnis & laudibus gloriosus Antistes gloriose deducitur, & in propriæ sedis pristino gradu eum debito honore & summa reuerentia collocatur. Hæc est igitur gloriosa, solemnisque Exceptio, qua Archipræsul Turonensis Martinus ab exilio reuertens ab alumnis suis officiose adeo excipitur, & in propria, vt dictum est, sede residens, omni petenti se, vt sui moris est, plurimum suffragatur. Hoc exceptionis celebre festum, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octogesimo septimo, à translatione tricesimo primo Id. Decembr. celebriter agi ab Adalaudo † [† Adalaudo.] Archiepiscopo Turonensi, & à comprouincialibus Episcopis H celebrata Synodalis sanciuit auctoritas: quæ quando recolitur, à Danis facta destructio, & Martini repatriantis celebris & iucunda à suis memorialis Exceptio memoratur. Te igitur, † [† ergo.] ô bone Martine, pie Pater, Pastor, & Patrone noster, nobis [obsecro] filijs & alumnis, necnon & veneratoribus tuis, nutu tuo bona confer, noxia submoue, & orationum iugi instantia gaudia nobis vitæ interminabilis obtine. Præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum,

Amen.

A

TRACTATVS BEATI ADÆ, ALIAS ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS,

QVOD BEATVS MARTINVS PAR dicitur Apostolis.

Quod attinet ad hunc libellum, quo Odo S. Martinum parem Apostolis facit, ea omnia quæ in causa ista differit, è pia quadam hyperbole & amplificatione accipienda sunt: aliòqui secundum ex Theologia alios Sanctos præter Christum & Deiparam (nisi sponsum Deiparæ Iosephum, Baptistam, Stephanum Protomartyrem velis adijcere) Apostolis in gratia & gloria esse inferiores. Sanctus Thomas in primum Ephesiorum, lectione tertia, exponens illud Pauli: *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis*, ista scribit, ex quo aj patet temeritas illorum (vt non dicam error) qui aliquos sanctos præsumunt comparare Apostolis in gratia & gloria. Manifeste enim patet ex verbis istis quod Apostoli habent gratiam maiorem, quam aliqui alij sancti post Christum & Virginem matrem. Et post alia subdit: Temerarium est ergo aliquem sanctum Apostolis comparare. Hæc Sanctus Thomas.

B



MERBVS Beati Martini memoriam pie venerantibus, Adam [alias Odo] inter veneratores eius exiguus, Patris eiusdem vestigijs inhærere. Plerosque scandalizari audio, quod Martinum nostrum parem Apostolis canter, & glorietur Ecclesia. Quæ Martini laus fere vbique terrarum in ore Ecclesiæ resonat: maxime in illis locis, vbi celebrius & deuotius eius sanctitas honoratur. Vnde propositi mei est, Martini confutare æmulos, obtrectatores persequi. ab eo vtique auxilij implorans gratiam, à quo ille accipere meruit, vt par Apostolis diceretur, & esset. Specialis † quippe gratiæ virum, singulari donatum gratia, Apostolis parificare potuit, & procaldubio parem fecit, qui solus existens omnimo incomparabilis † sine comparatione summus est, cuius pax exuperat omnem sensum.

† Episcopalis.
C
[† &]

Cæterum, ea quæ infra eum sunt, quantumlibet talis naturæ suæ dignitas, vel bonitas Creatoris extulerit, non refugiunt paritatis consortium: & quod instituit Conditoris auctoritas, non inuidet communio charitatis. Quid igitur? vt Martinus par Apostolis esset fieri potuit, aut non potuit. Si non potuit, & limitibus quibusdam coangustatur † Dei omnipotentia, † vbi est quod in Scripturis Deus omnipotens appellatur? An fortasse omnipotens Deus est, sed gratiæ priuilegium, quo dotauit † Apostolos, perfectis eorum sequacibus non voluit elargiri? Si autem, quod verum est, potuit facere omnipotens, vt qui perfectionem Apostolicam bene viuendo tenuerunt, æqualitatem quoque gloriæ sortiantur: † quid impedit Martinum, ne gradus Apostolici sublimitate donetur? An quia ad promerendum, gratiæ sufficientiam non accepit? An accepit quidem, sed Apostolorum inuidia, quod nefas est dicere, et gloriæ consortium denegauit? Quis hoc [dicere, †] vel cogitare audeat? Et dicit fortasse aliquis, ideo Martinum non esse Apostolis parem in gloria, quia eis fuerit inferior sanctitate. Vnde hoc probat quicunque hoc dicit? An inde sumit argumentum, quod Apostoli primi electi, quod à DOMINO præsente per carnem vocati, quod Apostoli antonomastice ab eo sunt appellati? Sed si hac de causa eis est Martinus inferior, quod nihil horum habuerit: ergo inferior & Paulus, quia & posterius ad fidem venit, & Dominum in carne mortali non vidit, nec ab eo Apostolici nominis impositione honorari meruit, sicut alij, de quibus scriptum est, quia eos Apostolos nominauit. Quod si ideo Apostolos præferas, quia Dominum, antequam pateretur in carne, præsentem; & post Resurrectionem sibi apparentem & colloquentem videre meruerunt: quod & multis alijs

† coarctabitur.
[† &]
† donauit.
D
† Hunc modum paritatis optime exponit Rationale diuinorum officiorum.
† deest in impr.
Luc. 6.

E

datum est, teste Paulo, quia *visus est plus quam quingentis fratribus simul*: Certe & hoc Martinus assequutus est, quod nulli alij concessum legitur, vt nondum renatus videre Christum Dominum mereretur.

1. Cor. 15.

II.

O gloriosam Catechumeni nostri chlamydem, qua se regi Christus gloriam tegeat! Sed longe renati fides gloriosior, cui Christus nil, quod peteret, denegauit. Nam si quis contendat de miraculis, præferrique in virtutibus Apostolos velit: totus exclamat orbis Martino testimonium perhibens, plura [eum, imo †] in eo signa fecisse, quam de aliquo vnquam aliqua scriptura [autentica †] protestetur. Denique si quis obijciat, quod in vmbra Petri ponebantur infirmi & sanabantur: & nos de stramine, in quo Martinus iacuit, legimus frequenter factas fuisse virtutes. Plus est sane, vile stramen absente Martino operari virtutem, quam vmbram Petri (quod sine eius præsentia non potuit fieri) præstare remedium postulanti, vel infirmanti. Verum, sine Christo nec Petrus præsens potuit, nec Martinus absens virtutis aliquid fecit. Mira quidem sunt hæc, & digna omni admiratione miracula: vel vmbram Petri sub eius præsentia, vel in absentia Martini paleas, in quibus iacuerat Martinus, operari mirabilia. Sed longe mirabiliora, & in solo Martino eminentia reperimus. Contigit nonnunquam, eo festinante ad visitandum ægrotum aliquem, priusquam medietatem confecisset itineris, aduenientis virtutem sensisse ægrotum, obuiam venienti processisse incolumem, satis esse † languenti ad recuperandam salutem, non solum peruenisse, sed vel iter veniendi inchoasse Martinum. Hoc de Euantio auunculo suo Seuerus Sulpitius protestatur. In Apostolis fortasse aliquis prærogatiuam Martyrij anteponit: Martinus autem per effusionem sanguinis Martyr non fuit, nisi quod tota vita eius martyrium fuit. Apostolos certe voluntas, & temporis necessitas Martyres fecit. Sed quid propter hoc gloriæ Martinus perdere debuit: cui etsi temporis necessitas non obtulit gladium Persequutoris, à corde tamen eius non defuit voluntas passionis? Ergo caret gloria Martyris, quem constat desiderio Martyrem extitisse? Alioquin Ioanni Apostolo quia vitam supplicium non extorsit, Martyris negatur gloria: cum tamen testetur Veritas, quod sit suum calicem bibiturus. Hunc proculdubio Martinus calicem passionis bibit, qui innumeras abstinentiæ † incredibilis cruces sustinuit, seque ipsum voluntarie macerans, in cinere & cilicio testis inuictissimus spiritum exalauit. Si ergo Martinus, quantum in ipso erat, Martyr fuit, apud eum, qui de voluntatibus iudicat, non habebit facti pondus sanctissimæ efficacia voluntatis: præsertim cum omne hominis meritum in bona voluntate consistat? Non enim opera hominis merita eius sunt, sed signa potius meritorum: quanquam & si perfectionem colligamus ex operibus, nemo Martino præfertur.

† hæ duæ voces absunt in impr.
† deest & hæc.
Act. 5. 15.
Sulp. Seuer. Dial. 2. c. 3.
F
† & satis fuisse.
Dial. 2. c. 5.
G
Matth. 20. 23.
† abstinentias, incredibiles.

Sed forte ideo quis inferiorem iudicet Apostolis Martinum, quod illi fuerint Principes populorum, Doctores orbis, Fundatores & fundamenta Ecclesiæ, primi Eruditores fidelium, tanquam qui in schola Christi teneant magistralis cathedræ dignitatem: vnde nec ratio patitur magistris æquari discipulos, maxime cum Magister & Dominus omnium dicat, *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum*. Quid igitur? Quia summi Magistri prohibet auctoritas magistro discipulum præferri, ideo negat posse æquari? Attende quod sequitur. *Sufficit discipulo vt sit*, inquit, *sicut magister eius*. Ecce discipulis magistri æqualitas † non negatur: si tamen perfectionem magistri per imitationis studium [discipulis †] æmulatur. Cum ergo perfectus Apostolorum discipulus Martinus, & gradu Sacerdos † Apostolicus, & Apostolicis actibus insignitus, & in operatione signorum penè fuerit plusquam Apostolus: quid impedit, vt paritatem gloriæ non obtineat, quem per omnia vitæ similitudo commendat? Quid ergo? dum † ista de Martino credimus, vel asserimus, sublimitati Apostolicæ derogamus? Absit.

H
Mat. 10. 24.
Ibidem.
† discipulus magistri æqualis.
† deest in impr.
† Sacerdotij.
† si.

Aposto-

A Apostolos magis pro nostra facultate extollimus, dum eorum imitationem, Martini perfectionem fieri non negamus. Veruntamen licet non sit ei dispar gloria, † (*† & dispar in gloria.*) quia non fuit dispar in vita: tamen secundum aliquid Apostolica sublimitas antecellit. Præcedit sicut causa effectum, sicut materiatum materia, sicut principium prius est ais, quæ ex ipso inchoant esse suum. Vnde quoniam Apostolica doctrina, causa, & materies, & principium est fidei, disciplinæ, & religionis in patribus, in hoc debet & potest præferri omnibus: non tamen ideo vel meritis, vel gloria præeminet vniuersis. Quo enim pacto Apostolis pares [non †] sunt, (*† abest ab impr.*) qui similem Apostolis vitam ducunt, paria miracula faciunt, pariter iudicabunt, pariter regnabunt, pariter vnum denarium post vnum vnius vineæ laborem habebunt? Hoc solum interest, quod in erogatione denarij non est apud Patrem personarum acceptio: (*Matth. 20. 16.*) sed fient *nouissimi primi, & primi nouissimi*, nec inter accipientes inuidia, nec iactantia meritorum.

B

IV. Quomodo ergo Martinum Apostolis parem esse inuides, cum tanta sit Dispensatoris veritas, tanta accipientium caritas, vt qui fuit in labore nouissimus, inueniatur in acceptione primus? (*Ibidem.*) *Erunt*, inquit, *nouissimi primi, & primi nouissimi.* An oculus tuus nequam est, quia bonus est dispensator præmij? quia tale est remunerationis beneplacitum, vt cum omnes eiusdem acceptione participentur denarij, primo tamen remunerentur nouissimi, quam primi. Quæ potest esse inter eos disparitas, quibus par idemque denarius erogatur? Certe, (*1. Cor. 15. 41.*) quamuis sit inter electos dispar claritas, quia *stella à stella differt in claritate*: est tamen in dispari claritate par gaudium, cum sit Deus omnia in omnibus. Quod si omnium electorum quantumlibet merita differant, ea est paritas, vt vnum idemque sit omnibus in consummatione charitatis, in visione Conditoris, in æternitate beatæ immortalitatis gaudium: quid, putas, gloriæ præ cæteris Martinus obtinuit, quem Apostolorum vestigijs inhærentem perfectio Apostolica, virtutum prærogatiua, signorum potentia præ cæteris illustrauit? Quod si ea quæ prosequutus sum assertioni meæ non sufficiunt: iam demum proponatur aliquid, ex quo manifestum sit perfectioni Apostolicæ non imparem esse Martinum. Certe Spiritus sanctus Apostolis & Apostolorum imitatoribus datus est, sed eo modo quo super Apostolos venit, nunquam vel raro in aliquem Sanctorum descendit. At qui visibiliter super Apostolos in igne apparuit, se quoque consimili specie & potentia in globo igneo super Martini caput dum Sacramenta offerret, ostendit. Quia etsi varijs loqui linguis, quia necesse non erat, Martino non contulit: ita tamen singulari flamma diuini amoris igniuit eum, vt & viuens in corpore, per cordis caritatem totus igneus esset; & postquam migrauit à corpore, aliquotiens visibiliter totus igneus appareret. Hinc est quod Sancto Traiano Sanctonensi Episcopo in igne ostensus est, & ad exequias Pelagiæ matris Aredij Abbatis globus igneus, totam illustrans Ecclesiam, de cœlo venit; clamantibus energumenis ad defunctæ exequias venisse Martinum. Non dissimiliter Gregorio Turonensi eius reliquias in nouam basilicam inferenti apparuit. Brachio † (*† Brichio.*) quoque Oratorium ingrediens, globum igneum per Ecclesiæ superiora discurrere, sæpius videre consueuit.

C

D

V. Non est igitur hæreticum, confiteri virum per omnia Apostolicum, ad Apostolicæ paritatis consortium sublimari. Qui ergo ex ignorantia Martini meritis detrahis, intueatur, legat, & discat, Dominum non solum de Apostolis, sed de Apostolorum imitatoribus dixisse. *Volo, Pater, vt vbi ego sum, illic & illi sint mecum.* Quid, *vbi ego sum*, nisi, qualis ego sum? ac si dicat: Volo vt ad æqualitatem gloriæ, quam ego habeo per naturam, perueniant & ministri per gratiam. Inde scriptum est. (*1. Ioan. 3. 2.*) *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quid igitur? An soli Apostoli ministri Christi sunt? An non Christi minister & Martinus, & ipse inter perfectos perfectissimus? Si ergo ministri Christi Christo in gloria similes, & per hoc pares sunt: quo pacto inter Christi ministros parilitas esse non potest? Quod si aliquis ex inuidia Martini titulis derogat, corrigatur: alioquin potens est Martini Deus in Martino mirabilia faciens, vlcisci Sanctum suum, & temerariæ præsumptioni finem imponere: præsertim cum sit dubitatio pia melior de occultis, quam litigiosa contentio de incertis.

E

VI. [† non] Venerare itaque de cætero Martinum, qui ei hactenus, aut ignorando, aut inuidendo, detraxeras: & ne diffitearis Apostolis parem, quem etiam Christo esse non dubitas in gloria similem. Si tamen verum tibi dixisse videtur, qui ait, *Similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est.* Hic interuentu Martini opus est, vt qui Christo similis, ac per hoc † dispar esse [Apostolis] Apostolice viuendo, Christum imitando, Christo donante promeruit; nobis adhuc in dissimilitudinis regione viuentibus impetret veniam, seducat ad gratiam, repræsentet ad gloriam, quam cum Christo habet à CHRISTO. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

F

SANCTI ODONIS
ABBATIS CLVNIACENSIS
† SERMONES IV.

IN CATHEDRA SANCTI PETRI
Sermo I. MS.

GAVDEO, dilectissimi, de religioso vestræ deuotionis affectu, & Deo gratias ago, quod in vobis pietatem Christianæ vnitatis agnosco. Sicut enim ipsa frequentia vestra testatur, intelligitis diei huius sec... tum, ad communem lætitiam pertinere, & honorem celebrare totius gregis, per annua festa Pastoris. Nam licet vniuersa Ecclesia Dei, distinctis sit ordinata gradibus, vt ex diuersis membris sacrati corporis subsistat integritas, omnes tamen in Christo vnum sumus, nec quisquam alterius ita est diuisus officio, vt non ad connexionem pertineat capitis, cuiuslibet humilitas portionis.

G

In vnitate igitur fidei atque baptismatis, dilectissimi, indiscreta nobis societas & generalis est dignitas, secundum illud beatissimi Petri Apostoli, cui iste sermo debet famulari, *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles DEO, per CHRISTVM DOMINVM nostrum.* Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti vero spiritus vnctio consecrat Sacerdotes; vt præter istam specialem ministerij nostri seruitutem, vniuersi spirituales Christiani agnoscant se regij generis & officij esse consortes sacerdotalis. Quid enim tam regium, quam subditum DEO animum corporis esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vouere conscientiam puram, & immaculatas hostias pietatis de altari cordis offerre? Quod cum omnibus per gratiam Dei commune sit factum, religiosum nobis atque laudabile est hodie prouectioni nostræ, de proprio patrono gaudere. Et quanquam in toto Ecclesiæ corpore, Apostolici celebretur Pontificij sacramentum, nobis tamen est specialius gaudendum, quod effusum benedictionis vnguentum copiosius in superiora profluxit, & non parcius in inferiora descendit.

H

Cum itaque, dilectissimi, de consortio istius muneris, magna sit materia communium gaudiorum, verior tamen & excellentior erit causa lætandi, si non in nostræ humilitatis consideratione remoremini, cum multo vtilius multoque sit dignius ad beatissimi Petri Apostoli gloriam contemplandam, aciem mentis

A attollere, & hunc diem in illius potissimum veneratione celebrare, qui tam copiosis est mundationibus mundatus, vt cum multa solus acceperit, nihil in quenquam sine ipsius participatione transierit. *Verbum caro factum, tam habitabat in nobis*, & ad humanum genus reparandum, totum se Christus impenderat. (Ioan. 1.) Nihil indispositum sapientiæ, nihil erat arduum potestati. Famulabantur elementa, angelici spiritus seruiebant, nec vllo modo poterat inefficax esse sacramentum, quod simul ipsius deitatis vnitas operabatur & trinitas.

Et tamen de toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo DEI multi Sacerdotes, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit CHRISTVS. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viso consortium
B potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquam alijs non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus quid de se opinentur homines interrogat, & tamdiu respondentium sermo communis fuit, quamdiu humanæ ignorantiæ ambiguitas persistit. At vbi habeat discipulorum sensus exigitur, primus est in DOMINI confessione, qui primus erat Apostolica dignitate. Qui cum dixisset. *Tu es Christus filius Dei viui.* Respondit ei IESVS. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Id est, ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec te terrena opinio fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit. Et non caro & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus, indicauit.

Beatissimus itaque Petrus Apostolici ordinis princeps, primus DOMINI confessor factus, petra Ecclesiæ, clauicularius regni est constitutus. Hinc no-
C men ex opere datur, & titulus ex merito potestatis imponitur, cum à DOMINO audire meruit. *Et ego dico tibi*, id est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego notam tibi facio excellentiam tuam, *quia tu es Petrus*, id est, cum ego sum inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum. Ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem, æternum instruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas, ex huius fidei firmitate consurget.

Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista, vox vitæ est, & sicut confessores suos in cœlestia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod
D dicitur beatissimo Petro. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* O inæstimabilis & immensa bonitas, hominem in terra positum, tenere cœlum! Ecce nunc ad nutum Petri diuini regni claustra patescunt. Accepit enim à CHRISTO claues regni cœlorum, vt solutis vinculis delictorum, aperiret credentibus cœlum. O quam vicina & profunda remedia. Iuxta se habet mundus Dei regnum, si currat ad Petrum. Posuit ad vicem suam in sæculo cœlestis regni Clauicularium Petrum, ne difficilem sibi ad cœlum quispiam existimaret ascensum.

Transiuit quidem etiam in alios Apostolos, ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur
E æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas vel remissio, nisi quod beatus Pontifex & Apostolus Petrus, aut ligauerit, aut soluerit. Ideo, dilectissimi, quanquam vniuersaliter in omnium sanctorum commemoratione sit lætandum, tamen in huius nostri excellentia patroni, merito est exultandum, gaudendum, gloriandum, quem Dei gratia in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eum in corpore, cui caput Christus est, quasi lucidissimum lumen constitueret oculorum. Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, ad promerendam misericordiam DEI credimus semper nos specialis patroni orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.

Instante autem DOMINI passione, sciens DO-
F MINVS discipulorum turbandam constantiam, ait Petro. *Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, tamen specialis à DOMINO Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per CHRISTVM Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque dilectissimi, tantum nobis præsidium videamus diuinitus institutum, rationabiliter & iuste in Ducis nostri meritis ac dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno regi redemptori nostro DOMINO IESV CHRISTO, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem ac præsulem fecit. Si quid etiam nostris temporibus
G recte per nos agitur, recteque discernitur, illius operibus, illius gubernaculis deputandum, cui dictum est *Et tu conuersus confirma fratres tuos*, & cui post resurrectionem suam DOMINVS ad trinam trinæ amoris professionem ter dixit, *Pasce oues meas.* Ipse quoque mandatum Domini, pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, non cessans orare pro nobis, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam, omni populo Dei vbique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignabitur impendere. Illi ergo nunc seruitutis nostræ natalitium diem, illi ascribamus hoc festum, cuius patrocinio protecti, meruimus ipsius meritis huiusmodi habere consortium. Hunc etiam nostræ orationis adiutorem quæramus, cuius nos orationibus & ab spiritualibus inimicis, & à corporeis hostibus confidimus liberari. Ipsum itaque intercedendo rogemus impetrare, vt destructis vinculis carnis, mereamur intrare atria supernæ ciuitatis.

H Quia igitur sermo finem postulat, exaltemus in Ecclesia plebis beatissimum Petrum, & in cathedra seniorum laudantes eum, benedicamus Dominum Iesum; Qui viuit cum Deo Patre & Spiritu sancto in vnitate maiestatis diuinæ, per infinita secula seculorum. Amen.

IN VENERATIONE S. MARIAE Magdalenæ.

SERMO II.

QVAMQVAM per quatuor mundi climata, fidelium connexione propagata, sacratissimæ Mariæ Magdalenæ insignia, piæ imitationis exemplo sacrosancta celebret Ecclesia. (Extat in Bibl. Flor.) Atq; in beatissimorum scriptis Euangelistarum, ipsius deuotionis sedula famulatio, perseuerantisque seruitus & ingens dilectionis feruor, ac illi' sanctę familia-

ritatis

A ritatis ministratio; & vsque ad triumphum Dominicæ passionis ineffabilis habeatur constantia; nec non & quæ in morte sui Redemptoris etiam Apostolis fugientibus egerit, & quod ipse DOMINVS magni consilij Angelus, resurgens à mortuis primo ei apparuerit; tamen vtilitati legentium consulentes, ea quæ de ipsius virtutum flosculis gemmarum more, sanctarum elucidant paginas scripturarum & quodammodo sui turbaris impressione vernantes reddunt, compendiose prælibare curauimus. Vt si cui forte non vacat sanctissimi pelagus Euangelij ex ordine percurrere, in quo tantæ fidei continentur præconia, saltem hanc nostræ exiguitatis schedulam, illius accensus desiderio, legere non recuset. Fuit igitur secundum sæculi fastum clarissimis beatissima Maria natalibus exorta, quæ, vt Patrum asserunt traditiones, à Magdalo castello Maria Magdalenæ nuncupata est. Quam non solum generosis dignitas, verum etiam patrimonij iura parentum

B excessu splendidam reddiderunt: adeo vt duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet. Solent enim apud homines, plus diuitum quam pauperum nomina sciri. Sed quia rerum affluentiam, interdum voluptas comes sequitur, adolescentioris vitæ tempora, lubricis supposuit discursibus, solutis pudicitiæ frenis. Hæc est enim mulier de qua scribit Lucas Euangelista. *Quia erat quædam mulier in ciuitate peccatrix, quæ quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa.* Et de qua Marcus ait. *Surgens autem Iesus mane prima sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem Dæmonia.*

Luc. 7. 37.

Marc. 16. 9.

Quam vero pius & misericors erga conuersos peccatores extiterit Deus, istius comprobat perfectio, quæ non solum criminis promeruit ablutionem, sed Apostolorum consors effecta, illis donata est Dominicæ Resurrectionis nuncia. Hæc autem diuino postmodum afflata spiritu, mentisque intuitum in se reuerberans, ac pristinæ vitæ detrimenta non sustinens, vt comperit Dominum & creatorem totius humani generis,

C in domum venisse Symonis, *qui non venerat vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, non ob suorum enormitatem scelerum de sui conditoris diffidens clementia, pretiosissimo accepto vnguento ad ipsum misericordiæ fontem concito properauit gradu, corruens ante clementia DOMINI vestigia, amaritudinemque cordis, per vberem lachrymarum exaggerans fontem. Mox denique compunctionis fletibus, sui Plasmatoris pedes cœpit rigare, capillisque suæ deuotionis tergere, ac indesinenter osculis veræ humilitatis confouere, ac mundissimo suæ dilectionis vnguento perungere. Quæ cum in tali deuotionis famulatu non esset repudiata, sed potius misericorditer suscepta, ausu familiaritatis confisa, etiam super sanctissimum Domini caput, preciosissimi liquoris effudit odorem. In tantum vt tota domus ex odoris fragrantia more aromatum redoleret, nihil scilicet, ore depromens, sed per exterioris obsequij beneficia, suæ compunctionis flammam ac dile-

D ctionis feruorem intimans, ac si ipsis loqueretur verbis dicens. O Domine IESV clementissime; qui omnia scis & cordium inspector es verus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant; tu ipse intelligis quid mei deposcant singultus, quid lachrymæ ab imo erutæ flagitent, quid meus amarus exoret gemitus. Peccatrix sum & immunda, & omnium nefandorum criminum labe polluta. Sed quia meam ab annis prioribus contaminaui vitam, ad te Dominum meum qui es vita æterna confugio; vt male perditam restituas vitam, & me de barathri faucibus clementer eripias, misericorditer liberes, potenter abstrahas; qui solus laborem & dolorem consideras. Quid vero ex huiusmodi dilectionis professione consecuta sit; ipse Dominus manifestat, qui Symoni indignanti cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere, conuer-

Luc. 7. 47. sus ad illum respondit inter cætera. *Amen dico tibi; dimissa sunt ei peccata multa; quia dilexit multum.* Quæ Domini adepta clementiam, vt Lucas describit, illico posthabitis omnibus, ita familiaris effecta est, vt ipsum non solum mente, sed & corpore sequeretur, de proprijs facultatibus, vtpote valde locuples, victum & vestitum ei ministrans, implens bifariè Dominicum præ-

E ceptum dicentis. *Qui mihi ministrat me sequatur.* Mystice autem hæc beatissima mulier sanctam designat Ecclesiam. Quæ bene in domum Simonis venisse dicitur, & ab omnibus, pristinæ vitæ contagijs curata, (Simon enim interpretatur obediens) pristinos decoquens anathematizauit errores, omnemque Idolorum postponens spurcitiam per aquam baptismatis, suorum obtinuit veniam delictorum, ac quotidie Dominum sequitur non gressu pedis, sed imitatione operis.

Ioan. 12. 26.

Rigauit autem hæc mulier pedes Domini lachrymis pœnitentiæ, & vnguento piæ confessionis liniuit, quia Ecclesia DOMINVM IESVM CHRISTVM verum Deum ac verum credens hominem, pro suis quotidie excessibus, lachrymarum singultibus ipsius exorat ablutionem. Dumque assumptæ humanitatis mysteria

F digna reuerentia suscipit & prædicat, quia inter homines conuersari dignatus est; vnque in pedes Domini vnguentum Nardi pisticum, id est fidelem, fundit. Quæ loquitur in Cantico amoris dicens. *Dum esset Rex in accubitu suo. Nardus mea dedit odorem suum.* Quæ nimirum verba mutata litera, manibus Beatæ Mariæ Magdalenæ compleuit; & quotidie spiritualiter non cessat implere, cum in totam mundi latitudinem gloriantur laudes referens creatori dicit. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in CHRISTO IESV, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos, in omni loco, quia bonus odor Christi sumus Deo.* Quæ cum sublimitatem diuinæ Maiestatis, quæ æqualis est illi cum patre, congrua religione ac reuerentia confitetur & prædicat; & in quantum naturalis ingenij vigor superni luminis illustratione perfusus sit, digna veneratione recolit; mentisque aciem ad contemplandam tantam potentiam extendit, ca-

G put profecto illius preciosissimo perfundit vnguento.

Quod vero Iudas Scharioth contra hanc sanctissimam mulierem indignatus dicitur: pro effusione tanti vnguenti, datur aperte intelligi, quia reprobi & infideles contra sanctam ecclesiam quotidie sæuiunt, eiusque derogant religioni ac deuotioni, videntes per quatuor mundi plagas, doctrina ipsius & exemplis, diuinitatis Domini potentiam, & humanitatis eius clementiam cunctis claruisse. Vnde & de hac sancta muliere quæ præuenit vngere corpus Domini, inquit ipse, *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Quoniam non solum in toto mundo de hac sancta muliere prædicatur, quod vnxerit caput Domini; sed & de Ecclesia. Quotidie enim vt iam prælibatum hoc operatur in suis sanctis actionibus. Bene etiam Maria Magdalenæ dicitur, Magdalus vero interpretatur turris,

H & significat Ecclesiam. Turris enim non solum sublimior, sed & tutior domus est: non facile hostibus patens, ac per hoc Ecclesiam designat quæ terrena deserens, cœlestia desiderat, pugnans, inter spirituales nequitias, fortitudinemque suam non sibi, sed Domino committens, orat cum Propheta dicens. *Esto mihi turris fortitudinis, à facie inimici.* Hæc est illa turris

Psal. 60. 4.

fortis & inexpugnabilis, cui voce sponsi in Canticis Canticorum dicitur. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Et de qua Salomon ait. *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.*

Cant. 4. 4.

Prou. 18. 10.

Sed quia nominis interpretatione compulsi, à superficie historica paululum discessimus. Libet intueri clementissimam DOMINI familiaritatem erga beatam Mariam & sororem eius Martham: ac ipsarum piæ deuotionis in omnibus famulatum. Legimus enim Euangelista Luca narrante, quod *Intrauit IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, exce-*

Luc. 10. 38.

A pit illum in domum suam, *& haec erat soror nomine Maria. Quae etiam secus pedes Domini sedens, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Vnde non solum contra sororem, verum etiam contra ipsum Dominum querelam assumit dicens. *Domine, non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet.* At ille qui non est personarum acceptor, sed singulorum merita diiudicat, scitque meliorem esse animam quam corpus, vt cibum spiritalem quam carnalem: ita vnius opus laudat, vt alterius non vituperet, ait vero. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea in aeternum.* Spiritualiter autem hae duae mulieres deuotissimae, quae Dominum susceperunt in domum suam, duas significant Ecclesiae vitas, actiuam scilicet & contemplatiuam. Per Martham ergo quae circa frequens ministerium erat, actiuae vitae labor exprimitur. B Per Mariam vero, quae sedens secus pedes Domini, verbum illius intenta mente percipiebat, contemplatiuae vitae dulcedo designatur; cuius sapor quanto magis degustatur, eo amplius à rebus visibilibus, & curarum tumultibus animus separatur. Spretis enim omnibus temporalibus, sola mens cum Deo esse desiderat. Libet enim audire praecepta coelestia, sicuti haec beatissima faciebat Maria, quae sedens secus pedes Domini verbum illius intenta aure percipiebat. Impletum est in ipsa, quod olim per beatum Moysem dictum fuerat. *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.* (Deut. 33. 3.) Quam gratissima enim apud conditoris clementiam pro suae deuotionis famulatu & inextinguibili dilectionis feruore habita sit, Ioannes Euangelista manifestat: vbi quatriduani Lazari venerandam inauditamque describit resuscitationem. *Diligebat,* inquit, *Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* (Ioan. 11. 5.) Ac in sequentibus commemorat, quoniam vocata a sorore sua, cum veniret vbi erat Dominus, corruit ante pedes eius dicens. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Iesus autem vt vidit eam plorantem, C & Iudaeos qui venerant cum ea flentes, *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit. Vbi posuistis eum? Dicunt ei. Domine veni, & vide: & lachrymatus est Iesus.* (Ibidem.) Manifeste suae pietatis clementiam ex assumpta humanitate dilucidans, quando pro ipsius doloris immanitate, lachrymas non dedignatus est fundere suae compassionis, saluo tamen diuino mysterio. Germinis sublimitas, ac secularis pompae dignitas, beatae Mariae Magdalenae in hoc dignoscitur facto; quando iam in quatriduana fratris morte, tanta nobilium & potentium multitudo Iudaeorum, ad ipsius mitigandum confluxerit dolorem. Et non passi sunt ad fratris tumulum sine sui praesentia eam properare, dicentes. *Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi.* Est denique hoc procuratum Domini misericordia, vt patraturus tale tantumque miraculum, multi adforent Iudaeorum. Quatenus dum vnus resuscitatur in corpore, nonnulli erigerentur in mente, & essent testes ac laudatores ipsius promptissimi. D Vnde in consequentibus idem Euangelista refert dicens. *Testimonium ergo perhibebat turba quae fuerat cum IESV, quando Lazarum resuscitauit, & vocauit eum de monumento.* (Ioan. 12. 17.) Typice autem haec mulier quatriduanum mortuum deflens fratrem, sanctam praefigurat Ecclesiam, quae pro illorum discrimine qui obnoxij tenentur sceleribus, atque consuetudinaria mortalium criminum labe tumulati, pessimae opinionis famam è suis egerunt corporibus, lugere non cessat. *Omnes enim in CHRISTO fratres sumus.* (Matt. 23. 8.) Super Lazari vero interimm flere dicitur Dominus, quando suae miserationis respectu, huiusmodi corda, per compunctionis gratiam visitans, ad poenitentiae lamenta inflectit. Hoc autem ipse agere dicitur, quod vt nos intentissime perficiamus, suae inflammationis instinctu procurat. Tale est profecto & illud. *Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (Rom. 8. 25.) Et sicut Lazarus post effusionem lachrymarum, mirantibus turbis resuscitatur à corpore: ita & peccatores post compunctionis lachrymas, digna carnis maceratione peracta; resuscitantur in anima, impio, Domino per Prophetam pollicente qui ait. E *In quacunque die peccator conuersus fuerit, & ingemuerit, omnia peccata eius obliuioni tradentur.* (Ezech. 33.) Sed his breuiter praelibatis, ad ipsius fidei constantiam atque feruentissimae dilectionis ardorem, nec non & quod in passione DOMINI specialiter ac familiariter peregerit; conctis admirandum, immo magis imitandum mortalibus, perueniendum est. Nam haec sancta mulier Dominum secuta sicut iam praefati sumus, & de suis largissimis facultatibus illi deuotissime ministrans; postquam vidit eum comprehensum, ligatum, flagellatum, omnibusque subsannationibus & irrisionibus delusum, ad vltimum pro salute generis humani in Cruce positum. Discipulos etiam qui prius dicebant. *Eamus & nos, & moriamur cum ipso,* (Ioan. 11. 16.) terga vertisse: ipsa cum eo remansit, quia quae arctius & feruentius eum dilexerat; nec à mortuo potuit separari. F Et sic impletum est tempore Dominicae passionis, quod olim per beatum Iob dictum fuerat. *Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* (Iob. 19. 20.) Quasi enim consumptis carnibus pellis ossi adhaeret, quando discipulis fugientibus, Beata Maria Magdalenae cum Domino perseuerauit. Et tamdiu permansit, quousque diuersis conditum aromatibus in sepulchro collocari prospexit. Inde autem moerens & nimio succensa dolore recedens, perspicue ad notum sui Redemptoris locum abiens sepulchri, emit aromata. Et ipsa nocte in quantum valuit, vnguenta praeparauit. Sabbatho vero secundum mandatum legis siluit. Occidente autem Sole, quod supererat, in praeparandis vnguentis operam dedit.

Mane autem vna sabbathi, cum adhuc tenebrae essent; cum praeparatis aromatibus venit ad sepulchrum, cupiens sacratissimum eius corpus perungere, quem viuentem nimio dilexit amore. Cum enim sexus foemineus timidus soleat esse ad ambulandum in tenebris; nihil ista metuit quae toto corde Dominum dilexit. G Erat porro in ea perfecta charitas, quae foras mittit timorem. Nam neque propter sui sexus fragilitatem, neque propter lapidis magnitudinem, neque propter metum custodum, à coepto itinere declinauit, quousque ad sepulchrum Domini intrepida peruenit. Cuius mulieris constantia in libro Regum pulchre praefigurata est, quando Allophyli vaccas foetas applicarunt ad plaustrum, vitulosque earum recluserunt domi. Ibant autem, sicut scriptum est, Vaccae in directum, *Per viam quae ducit Betsameth, pergentes & mugientes, nec tamen ad dexteram vel sinistram declinantes.* (1. Reg. 6. 12.) Ita & Beata Maria Magdalenae cupiens sepulchrum Domini inuisere, quasi mugiens & gemens, quae ad tempus praesentia Domini sui priuata fuerat incedebat, imitabile exemplum omnibus praebens fidelibus, vt per viam Dei ambulantes, nec propter tentationem Daemonum, vel metum hominum aut curam parentum, à coepto itinere deuiemus, quia inchoantibus praemium promittitur, sed perseuerantibus datur. H Allegorice autem tenebrae erant in corde huius sacratissimae mulieris, cum ad DOMINI venit monumentum: quia resurrectionis eius ignara, viuentem inter mortuos requirebat.

Tunc vero in eius mente Sol ortus est, quando non solum resurrexisse vidit, sed etiam credidit, & vidit lapidem sublatum à monumento. Et quia corpus Domini non inuenit, furatum credidit, atque festina quod viderat discipulis nunciauit. De hac veraciter in Canticis Canticorum voce Ecclesiae dicitur. *In lectulo meo per noctem quaesiui quem diligit anima mea, quaesiui illum & non inueni, surgam & circuibo ciuitatem, quaerens quem diligit anima mea. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, Num quem diligit anima mea, vidistis? & factum est cum pertransissem illos, inueni quem diligit anima mea. Tenebo illum, nec dimittam: donec introducam eum in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meae.* (Cant. 3. 1.) Cucurrit namque, vt diximus, haec sacra mulier, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem diligebat

Iesus,

A Iesus, & dixit eis. *Tulerunt Dominum meum de monumento, &*
Ioan. 20. 2. *nescio vbi posuerunt eum. At illi currentes venerunt ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulier dixerat. Abierunt ergo discipuli & reuersi sunt ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.*

Considerandum est hoc loco, huius mulieris mentem quantus amor DOMINI accenderat, quæ etiam discipulis à monumento Domini recedentibus, non discedebat. Et quia ab inquisitione non cessauit, prima videre meruit. Plorat ergo, quia quem multum desiderabat, non videbat. Plorabat, quia corpus Domini de monumento furatum putabat. Dum vero fleret, inclinauit se, & prospexit in monumento. Iam enim monumentum vacuum viderat, & Dominum furatum de monumento discipulis nunciauerat. Quid est quod iterum se inclinat, nisi quia iterum videre desiderat? Verbi gratia, sicut dum aliquam rem amittimus, quamuis huc illucque sæpius discurrendo quæramus, ad illum
B tamen sæpius locum discurrimus & respicimus, vbi eam posuisse meminimus. Ita & hæc sancta mulier, quamuis huc illucque curreret corpus DOMINI quærens; anxia tamen de eius absentia, frequenter monumentum aspiciebat vbi eum positum nouerat. Vnde etsi DOMINVM statim videre non meruit, Angelorum tamen visione priuata non est. Nam vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi. *Mulier quid ploras? Quem quæris?* Interrogabant Angeli non vt quærendi minuerent desiderium, sed vt augerent. Sic enim nos cum propter amissionem flemus, si quis causam fletus inquirat, magis ploratum accumulat. Ita & illi causam doloris interrogabant, vt fletu desiderium augerent, scientes beatos esse. *Qui lugent, quo-*
Matth. 5. 4. *niam ipsi consolabuntur.* Sed mulier cuius rei gratia fleret manifestat, cum adiungit. *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset con-*
C *uersa retrorsum, vidit IESVM stantem, & nesciebat quia IESVS est.* Recte vt Dominum mereretur videre, conuersa retrorsum dicitur, qui enim retrorsum conuertitur, illuc oculos dirigit vbi prius terga habebat. Quasi enim retrorsum conuersa est, quando dubitationis postponens nebulas, CHRISTI resurrectionem ex parte credere cœpit. Cui tamen visionem sui DOMINVS ita suspendit, vt quia amabat, sed eum resurrexisse non credebat: illum & videret, & non cogno-
Ioan. 20. 15. sceret. Vnde Euangelista, *Illa*, inquit, *æstimans quia hortolanus esset, dicit ei, DOMINE, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Habet enim vis amoris hoc proprium, vt quem quisque multum amat, omnes amare putet. Sed non in toto hæc mulier errauit; cum Dominum hortulanum æstimauit. Sicut enim hortolani officium est noxias herbas eradicare, vt bonæ quæque proficere valeant: Ita DOMINVS IESVS CHRISTVS de horto suo, id est, de Ecclesia sua, quotidie vitia eradicat, vt virtutes crescere
D videant. Cum vero sexus fœmineus fragilis sit ad onera ferenda, hæc propter amoris magnitudinem, leue & possibile arbitrabatur dicens. *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei IESVS, Maria.* Conuersa illa dicit, *Rabboni quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus, Noli me tangere.* Quia Dominus superius mulierem communi sexu eam appellauit, & cognitus non est: vocauit eam proprio nomine, vt saltem cognoscentem se cognosceret. Ait enim, *Maria.* Cum enim apud Dominum certus sit numerus electorum, magna gratia illis datur, qui propriis nominibus
Exod. 33. DEO notiesse manifestantur. Qualis erat Moyses cui dictum est. *Noui te ex nomine.* Vnde mulier postquam proprio nomine à Domino vocata est: statim cognoscentem se recognouit dicens, *Rabboni, quod dicitur Magister.* Hæc autem inquiens, illico corruit in terram, volens adorando pedes eius tenere, recognoscens eum, vocata ab ipso ex nomine. Cui à Domino dicitur, *Noli me tangere.* Vbi non est putandum quod post resurrectionem tactum renuerit fœminarum; cum de duobus à monumento illius recedentibus dictum sit, quod accesserunt
E & tenuerunt pedes eius. Sed ideo à suo contactu prohibuit, quoniam eius mentem adhuc perfectam in fide non sensit: quando Dominum viuentem inter mortuos requirebat. Quare autem ab ipsa se tangi noluerit, manifestatur cum subditur. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Id est, quia me inter mortuos vt mortuum requiris, & nondum credis me æqualem Patri secundum diuinitatem, *Noli me tangere.* In eius quippe mentem Dominus ad Patrem non ascendit, qui non credit eum æqualem esse Patri. Et quia beata Maria necdum perfecte diuinitatis eius potentiam cognouerat, prohibita est tunc ne tangeret pedes eius. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Venit autem Maria nuncians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc mihi dixit.* Clementissima namque Dei pietas, in hoc loco erga fœmineum genus decla-
F ratur. Quia enim per fœminam mors mundo illata fuerat, ne semper in opprobrium sexus femineus haberetur, per sexum femineum voluit nunciare viris gaudia resurrectionis; per quem nunciata fuerat tristitia mortis. Ac si diceretur. De cuius manu sumpsisti poculum mortis, ab eius ore audire gaudia Resurrectionis. Et sicut per Beatam Mariam semper virginem quæ spes est vnica mundi, paradisi portæ nobis sunt apertæ, & maledictio exclusa Euæ: ita per Beatam Mariam Magdalenam opprobrium fœminei sexus deletum est, & splendor nostræ Resurrectionis in Dominica Resurrectione exortus, ab eo propinatus est. Vnde bene Maria interpretatur stella maris. Quæ interpretatio quamuis Dei genitrici specialiter congruat, per cuius partum virgineum, Sol iustitiæ mundo resplenduit, tamen & beatæ Magdalenæ potest congruere, quæ cum aromatibus veniens ad sepulchrum Domini, prima splendorem Dominicæ Resurrectionis mundo nunciauit. Et si discipuli ideo Apostoli vocati, quia missi sunt ab ipso ad prædicandum
G Euangelium omni creaturæ. Nec minus beata Maria Magdalena ab ipso Domino destinata est ad Apostolos, quatenus dubietatem & incredulitatem suæ Resurrectionis, ab illorum cordibus remoueret.

Te ergo supplices quæsumus Domine Iesu Christe, vt qui illi tuæ misericordiæ tantam contulisti gratiam, nobis ipsius propitiatus digneris meritis, quatenus qui nostrorum obruti sarcina peccatorum non valemus obtinere veniam, ipsius pio suffragante patrocinio quæ tibi deuotè, immo specialiter seruiuit in seculo, nuncque cum Angelis claritatis perfruens gloria triumphat in cœlo, solito charitatis radians fulgore omnium criminum exuat labe, atque supernam suo precatu ducat ad patriam, quo laureati ipsius consortes efficiamur gloriæ, te annuente qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DE S. BENEDICTO ABBATE, SERMO III.

H FEstiua beatissimi Benedicti solemnitas, Christo Domino propinante refulget, quæ fidelium cordibus, & affectum deuotionis augere, & spiritale gaudium afferre consueuit. Merito siquidem tanti Patris memoriæ ijdem fideles congaudent: vt illud Propheticum impleatur. *Dici-*
Isai. 3. 10. *te iusto, quoniam benè.* Et item: *Memoria iustorum laudibus.* Cō-
Prou. 10. 7. stat enim, quod vnumquemq; sanctorum Christiana pietas tanto venerabilius colit, quanto celsius hunc à Deo decoratum cognouerit. Vnde & istum Patrem, diuino quodam instinctu specialius amat: eiusque memoriam dulcius recenset. Nimirum non nescia, quod illum omnipotens Deus, inter summos & electos sanctæ Ecclesiæ Patres, mirum in modum prouexit: & inter sanctæ fidei fundatores, ac cęlestis disciplinæ cōsortes, insigniter sublimauit. Quippe, quem S. Spiritus charisma, tunc miraculorum signis, tum virtutum exercitu adornauit: vt dignus in mundo appareret, per quem excellioris ordinis multitudinem informaret. Inde est, quod & in hac solennitate, & in aliis sancto nomini eius dicatis, quoties in anno, suis tempo-

A tibus eueniunt: tam deuote tamque libenter, & ex tantis partibus, ad eius sacrosanctum tumulum tanti accurrunt. Nam non quique pagenses, verum etiam plebs vrbana, nobilibus viris conferta, clericorum etiam honestis quasi inflorata personis, lætabunda confluit: & commune patrocinium deuota requirit. Nam quasi parum esse desiderio deuotorum Deus prospiceret, si semel tantum in anno, solennitatem eiusdem Patris fideles coluissent: existere causas præstitit, quibus & alias solennitates gaudio Christianorum adaugeret. De sancta videlicet illius Translatione, necnon & Tumulatione: quas diuinitus esse dispositas, multa signorum documenta prodont. Quo videlicet in loco tanta vt ita dixerim, tam mira Miracula, & in scriptura referuntur gesta, & sub oculis patrata dignoscuntur: vt ipsorum fulgor etiam quosque remotos ad eius reuerentiam excitate potuerit. Quæ, licet instante iam tempore Antichristi, (*Iob. 41. 13.*) *cuius faciem*, (vt scriptum est) *præcedet egestas*: cessare videantur: B præstantior tamen sanitas animæ semper eius meritis obtenta præbetur. Cessare autem diuina Miracula, vel ibi, vel alias, nostrorum enormitas peccaminum facit: qui post reuelatam Christi gratiam retro sumus conuersi.

De ipso quippe DOMINO IESV CHRISTO perhibetur, quia propter obcæcationem infidelis populi, nullam in Capharnaum potuerit patrare virtutem. (*Marc. 6. 5.*) Nos ergo non sumus digni, vt illo fauore Sanctus iste Pater nos foueat, aut consolari dignetur: quo sibi placitos alumnos lætificare consueuit. Hoc solum quippe magnum nobis debet videri: quod talibus præstat, vt eius sanctæ solennitati possimus interesse, & de spe misericordiæ eius gaudere. Nec minor est eius potentia vel pietas, quam si miracula frequentaret. Sed nimirum necesse est, vt per omnem Ecclesiam cessantibus signis, manifestetur qui sint illi, qui vniuersalem fidem, propter præsentia miracula, vel qui propter futuram beatitudinem, colunt. C Quin & imminente iam terribili iudicio, sequaces Antichristi signa potius facient, vt *coram eis qui voluntarie peccant*, (vt scriptum est,) (*Ezech. 3. 20.*) *offendiculum* ponatur. Necdum tamen eadem miracula penitus adhuc desunt, quoniam & ad sacrosanctum eiusdem Patris sepulchrum, & in alijs beatæ eius memoriæ locis, hæc etiam fieri non ignoramos.

Signorum sane inquisitoribus, qui vnumquemque Patrem sanctum, vel potentem, vel impotentem, & raritate vel multiplicitate eorundem signorum arbitrantur, illa Dominica exprobatio consideranda est, qua dicit. (*Matth. 12. 39.*) *Generatio mala & adultera, signum quærit.* Et illa præconis ipsius, exprobrando dicentis, (*1. Cor. 1. 22.*) *Iudæi signa petunt*: quos alias DEO odibiles non tacet. (*Rom. 1. 30.*) Herodes autem, qui (vt scriptum est) (*Luc. 23. 8.*) *cupiebat aliquod signum ab eo videre*, nec in modico quidem eius responsionem dignus fuit audire. (*Matt. 8. 13.*) Centurionis autem fidem omni Israeli prætulit: qui ad serui curationem, solam eius iussionem sufficere non dubitauit. Hæc caterius inseri, quorundam tepiditas exigit: D quorum de uono, cessantibus signis frigescit.

Porro eidem beatissimo Patri, sua prærogatiua admodum sufficit: qui tantopere fulgoris emicat, vt etiam remotissimos totius Christianitatis fines radijs suæ beatitudinis illustret. Nec Monachorum cohortes vbique terrarum diffusæ, tantam eius celsitudinem ignorant: qui sanctam ipsius institutionem præ cæteris sectantur. Ita vt etiam in ipsorum Patrum Cœnobijs, qui normam sancti propositi fideliter ac religiose promulgarunt, hanc proprij clientes eorum malint profiteri. Non immerito arbitrantes, quod hunc specialiter, tanquam alterum Moysem Deus prædestinauerit: per quem Monasticæ legis decreta sanciret.

Fuerunt quidam alij, sicut iam dictum est, eiusdem sanctæ Institutionis decretores: sed tanquam Moysi, huic quoque dicatur. *Noui te ex nomine*, Iste est, qui (*Exod. 33. 12.*) in hac cœlesti disciplina placidus effulsit: Nam ante (*Gen. 8. 20. 22. 13. & ib. 17. & 21. 4.*) Moysem, Sacrificiorum ceremoniæ, & Circumcisionis ritus, frequentissimo viguit vsu: qui tamen specialiter per eundem Moysem inculcatus est. E (*Exod. 12. 3. Leuit. per totum*) Sic ergo & huic Beatissimo Legislatori non præiudicent alij Patres, qui sanctæ Regulæ munia descripserunt: sed magis vt assertores eius sancita confirment. Neque enim abs re sanctus iste Moysi comparatur, quandoquidem, non pauca magnalia pene similiter, ab vtrisque geruntur.

Mysterij itaque maiestate separata, qua sub Moyse, (*1 Cor. 10. 11.*) *omnia in figura contingebant*. De cætero multa reperies, quæ similia, tanquam sub vno spiritu gesta, (*Exod. 14.*) noster iste patrauit. Et hoc equidem priuilegium vtrisque est commune; quod ambo sunt legislatores. Ille querulas Hebræorum turbas, de Ægypto exire suasit: (*Exod. 12. 2. Matt. 14. Grego. 2. Dial.*) iste vero, quasi de genuinis carnalium desideriorum tenebris multas ex populo acquisitiuus cateruas, suo (*Exod. 14. Greg. 2. Dialog. 5.*) ducatu abstractas, ad terram viuentium introducit. Ille mare rubrum diuisit: iste post Petrum, insolitaro miraculo, discipulum equidem super aquas currere fecit. F Dum plane in vtroque facto, liqueat rerum obstare naturam: videris quid horum præcellat. Vtrum vel æquale sit, aquas diuisisse: aut super eas sicco vestigio cucurrisse. Ille in exustis aruis, aquam sitienti populo de petra produxit: (*Num. 20. 10.*) iste de sicca rupe, fontem vsibus Monachorum elicuit, qui hodieque in riuum fluit. Ille brutos mores Iudæorum, quos incredulos vocat & rebelles, virga legis coercuit: iste Monachorum gregem, sicut voluntarie auditu auris obedientem, quasi vna persona, propter vnum cor alloquens, filium nominat, & suaui iugo Christi supponit.

Multa dici præterea possent, quibus istarum personarum conuenientia patuisset. Et hunc quidem beatissimum Patrem legislatio specialiter Moysi comparat. Sed magnitudo virtutum, atque signorum, quibusque etiam excellentissimis viris, consertum nihilominus ostendit. Sicut ille mirabilis eius vitæ relator, Papa videlicet Gregorius adstruit, (*Gregor. 2. Dial. c. 8.*) qui ad signanter ex quibusdam factis, ipsum aliquibus nominatim expressis coæquat, G dicens inter cætera: Nam in aqua ex petra producta, Moysem. (*4. Reg. 6. 6.*) In ferro vero, quod ex profundo aquæ redijt, Elisæum. (*3. Reg. 18. 1.*) In aquæ itinere, Petrum. In coruí obedientia, Eliam. (*Greg. 2. Dial. c. 8.*) In luctu autem mortis inimici, Dauid video, & perpendo. Vir iste Spiritu Iustorum omnium, plenus fuit. Qui & in dono prophetiæ, & in dignoscendis hominum cogitationibus, atque in secretorum agnitione iudiciorum, valde eum perspicacem fuisse, non tacet. Postremo, quod inter plurima superni muneris charismata, adprime discretus fuerit. (*Ibid. c. 36.*) Et quod Monachorum Regulam, sermone luculento, & discretione præcipua scripserit, lætabundis auribus eorum narrat. Lætabundis, inquam, quia grande gaudium quibusque sanum sapientibus hoc adfert: quod eis superna prouidentia, talem ac tantum Ducem, ac præceptorem constituit, quem ad promulgandam cœlestis disciplinæ legem, dignum & idoneum totus mundus agnoscat. Gaudent ergo, & quasi præuium sequentes, de eius nutu pendent, & H cordis aciem in eum defigunt. Gaudent, quia per eius magisterium, ad cœlestis militiæ tyrocinium sunt asciti. Sperant sub eius ducatu militantes, ad superni Regis palatium intromitti. Et quod suis meritis nequaquam præsumunt, eiusdem sui Ducis intercessione adipisci confidunt. Ad hanc itaq; lucernam, quasi in caliginoso vitæ huius stadio micantem, subinde respiciunt: & in ipsa vident, quo gressum operis tendant. Lucerna est igitur beatissimus Benedictus. Lucerna, inquam, ad hoc super candelabrum posita, vt ardens & lucens, sicut de suo Præcursore Veritas adtestatur, (*Matt. 5. 15. Ioan. 5. 35.*) omnibus qui in domo Dei sunt, resplendeat. An & iste, superno amore non vehementer arsit? An & iste, cum verbo & opere, tum signorum splendore non reluxit? Est igitur lucerna. Sed qualiter eundem præceptorem suum, imo & Dominum legiones Monachorum decentius appellabunt? Dominum, inquam, siquidem & Elias dictus est Dominus Elisæi. (*4. Reg. 2.*) Ergo pietatis affectu vocetur lucerna. Sed quasi parum est, vocetur etiam stella. Non tamen qualiscumque: sed talis, quæ erudiens multos ad iustitiam, refulgeat, iuxta

A illud Danielis, in perpetuas æternitates. Vocetur etiam Sol, *Matt. 13. 43.* quia fulgebit sicut Sol cum iustis, & nunc in Ecclesia, & sic *Malac. 2. 7.* in Regno Patris eorum. Vocetur etiam Angelus, quia legem *Ephes. 1. 3.* requirunt ex ore eius. Postremo videant & gaudeant, quam proprie vocetur Benedictus, quem Deus adeo benedixit in omni benedictione spirituali. Et per quem tanti benedictionem hæreditate possidebunt.

Fatetur enim, quod eiusdem Patris dilectoribus adeo placet tali vocabulo censeri, quod solet maxime post diuinum numen, more Christiano versari. Quis enim pie loquens, aut Benedictum, aut benedictionem sub quolibet obtentu non dicat? Cæterum laudes eius resonare, talibus vtcumque congrueret, qui iuxta Apostolum sciunt, *Ephe. 1. 18.* *quæ est spes vocationis Dei.* Videlicet & illius vocationis, qua non solum cum Christianis communiter ad fidem vocati sunt: sed etiam ad subeundum celsiorem gradum, per eumdem Patrem institutum, qui in vacuum gratiam hanc *2. Cor. 6. 1.* nequaquam accipiunt, sed quæ Deo donata sunt, norunt. B De quibus propter cor & animam vnam, sub vnius populi vocabulo Deus dicit: *Obauditu auris obaudiuit mihi*, quem *Psal. 17. 45. & 150. 2.* nimirum *in Sanctis* eius, *laudare iubemur*: Sed quales eum laudare debeant, Scriptura non tacet, dicens adeos: *Qui* *Psal. 21. 24.* *timetis Dominum, laudate eum.* Et item: *Laudabunt Dominum,* *25.* *qui quærunt eum.* Quo contra: *Non est*, inquit, *speciosa laus in* *Eccle. 15. 9* *ore peccatoris.* Quid ergo de nobis censendum est, qui supra modum peccatores sumus, & laudes eius attentare præsumimus? Sed diuitiæ pietatis diuitias attendentes, de eiusdem indulgentissimi Patroni misericordia præsumimus.

Denique eadem Scriptura, quæ in persona iustorum *Psal. 68. 35.* dicit: *Laudent eum cæli*, mox subiungit, *& terra*: ne peccatores desperarent. Nam adeo misericordiam suam Deus multiplicat, vt non solum homines, sed etiam iumenta saluet. Ergo & nos, de eiusdem Patris laude, licet indigni, gaudeamus. Et quamuis non sit nobis os aperire præ confusione, tamen illud Mosaicum vnusquisque nostrum eidem dicat: *Scio, quia misericors es Domine.* Cum metu & *Psal. 35. 8.* spe præstolantes, vtrum sicut Regibus consuetudo est, vt C in suis Natalitijs reos absoluant: sic iste Princeps Dei, propter gaudium suæ sanctæ solemnitatis, vincula nostra relaxet. Siquidē & illud occurrit memoriæ: quod inter pre- *Exod. 25. 4.* tiosa filiorum Israel munera, etiam pilos caprarum quidā detulerunt. Et quia per illos peccatorum cōfessio designatur, saltem vel hoc vnum offeramus. Verum si deest aurum sapientiæ, si argentum rite laudantis eloquij, si diuersarum virtutum gemmæ postremo, si castitatis byssus miseris abest, vel prædictos caprarum pilos offeramus: quia forte & ipsi cum veraci confessione placebunt. Veraci scilicet, quia quem adhuc ex consensu peccare delectat: falsum est quod de præteritis vere pœniteat. Vt autem quiddam de humano vsu loquamur, si quando paterfamilias, post tempus domum suam reuertitur, omnis familia solet ad gaudere, cum quidem & catelli exilientes, quodam gestu membrorum, se monstrant lætari. Quapropter, & nos, licet iumentis insipientibus merito simus comparandi: tamen si ob istius honorem solemnitatis, quæ eundem nostrum Dominum nobis quodammodo repræsentat, gauisi fuerimus: vel micas misericordiæ eius sperare, quasi catuli sub D mensa poterimus. Et hoc non ex nobis, sed ex bonitate E- *Luc. 14. 13.* uangelici Regis, qui cæcos & claudos ad conuiuium suum dignatus est accersere. Bene ergo nobiscum agitur, quod idem paterfamilias nos suis solemnijs interesse non dedignatur. O quāti sunt etiam in remotissimis trans maria regionibus, qui tantopere gauderent, si eis vel semel ad eius sacrum tumulum accedendi possibilitas esset! Vnde etiam considerandum est, quid à Deo nobis donatum sit. Ne forte, si eius præsentiam minus reuerenter senserimus, aut infecto corde (quod absit) in conspectu eius vacui venerimus, dicat ipse propheticum illud: *Non est anima mea ad po-* *Isai. 1.* *pulum istum.* Et item: *Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eo-* *Ierem. 12. 2.* *rum.* Propterea cum ad exemplum Euangelici illius Regis intrauerit, vt videat solemnizantes, tanquam discumbentes, (nam vt Spiritu Dei plenus sit, nihil est in creaturis Dei quod eum latere possit) quisque nostrum procuret, ne fortè paternos eius oculos cordis amictu vel corporis offen- *Pro. 12. 10* dat. Nam vt ipse dicit: *Omnis exaltatio genu est superbia*, per quam maximē *quisque fit abominabilis*, vt scriptum est, *apud* E *Dominum.* Meminerimus tamen, quia ad supernum iudicem, vel ad Senatores cœli placandos, recognitio, seu confessio peccati specialiter prosit, iuxta illud: *Narra si quid* *Esai. 43. 26* *habes, vt iustificeris. Iniquitatem meam*, inquit, *ego agnosco.* Et *Psal. 50.* ideo quasi securus postulat: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quisquis vero nostrûm vult sui meriti faciem contemplari, necesse habet, vt in hoc speculum intendat, id est, in eiusdem beatissimi Confessoris actus, sollicitus perpendat. Inspectis etenim, prout nostra paruitas est, illius gestis, vel quantum nos in imo, vel quantum ipse in sublime sit, animaduertere poterimus. Hinc de quolibet pœnitente scriptum est: *Respiciet homines*, id est, Sanctos, *& dicet. Peccaui.* *Iob. 33. 27.* Quoniam ad illorum speciositatem, considerat quantum se deformem attendat. Quæ vtilitas autem de eadem confessione proueniat, ibidem signatum est, cum dicitur: *Libe-* *Ibidem.* *rauit eum de superbia, & de his qua fecit, vt non eat in perditionem.* F At vero, quia Scriptura iubet: *Sanctus enim dies Domini est, no-* *3. Esdr. 9. 53.* *lite contristari.* Quod ex nobis, vel in nobis triste est, omittamus: & quasi nobiscum sit hodie sponsus, gaudere præsu- *Matt. 9. 15.* mamus. Munus vero nostræ confessionis, velut ante pedes Paternæ pietatis offerentes, nostrum posse in eius laude & admiratione, totum subleuemus. Eius vero laudes, quisq; tanto celsiori voce clamet, quanto hunc ardentius amat, vel eius vitam perspicacius pensat, quæ nimirum à sui pri- *Grego. 2. Dialog. c. 1.* mordio, tota admiratione dignissima est. Nam quam magnificum illud est, quod paternas, vt fertur, co deserens opes, admodum domicilium sibi Spiritus sanctus, in eius facto pectusculo collocauerat, qui esse Philosophorum inania studia, adhuc tenerrimus cognouit: qui grandæuo animo, iam tunc eremi vastitatem subire ausus est. Quod nec ipse quidem Martinus, toto orbe mirabilis, fecisse refertur. Et quia iugum non solum ab adolescētia, sed etiam ab ipsa *Ierem. 3. 27.* Infantia portauit, vt ibidē Ieremias prosequitur, in illo cœlesti capitolio singulariter sedebit. Nec sine diuino moderamine gestum fuisse constat, quod aculeos tentationis in sese tam validos, ibidem expertus est. Sicut enim Dux bonorum Petrus, primo sibi ostensus est, tunc Dominico gre- G gi Prælatus: sic iste Princeps Dei tantorum millibus Monachorum præferendus, oportuit vt proprio discrimine probaret, qualiter subditis misereri debuisset. Quia tamen primo certaminis impetum fortiter deuicit, tale quid deinceps nunquam sensit. Quam obedienter sanè, & quam disertè, priuato bono quisq; debeat commune bonum præferre, hic spiritalis disciplinæ magister, in hoc suo facto demonstrat. Quod mox vt expertus est, dilectam solitudinē, se vincens, deseruit, & voto supplicum satisfecit. Quoniā vero sancta atque admiranda eius gesta in promptu habētur, nos interim taceamus de illis. Hoc tamen ad ipsius honorificentiam referamus, quod non alius quilibet ex magistris Ecclesiæ, vitam tanti Patris digessit, quam insignis ille disertissimus Papa Gregorius, qui totum quod scripsit, quasi aurum refulget.

Diuinitus enim dispositum est, vt cum idem excellentissimus Legislator in cæteris modis sit à Deo decoratus: etiam hinc maiori autoritate, tam ipse quam legislatio eius roboretur, quod eandem vitam summus Apostolicæ Se- H dis Pontifex ordinauit. Quæ scilicet vita, etiam ex occasione Dialogi eius, pluribus innotesceret & non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos notissima foret. Nec illud prætereat quod omnimodis gaudendum nobis est, hunc tantum splendorem in hanc nostram occiduam regionem venire, diuino nutu donatum esse. Nec abs re credimus contigisse, quod clientem vnicē dilectum, beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc viuens direxerit, & demum se transferri voluerit. Fortè enim, cum sancta mēs eius adeo dilatata esset, vt omnem mundum simul conspiceret: hunc locum, sibi quodam occulto consilio specialiter delegit. Viderit ergo quisquis est, cui locus tam multis vsquequaque tantum desiderabilis non negatur: quanti habendus sit, quantaque reuerentia excolendus. Pondus quippe cuiuslibet reatus, non solum ex intellectu gerentis, vel tempore, sed etiam ex loco solet pensari. Hinc enim velut à maiori exprobratione, contra impium vox diuina queritur, dicens: *In terra sanctorum iniquè gessit,* *Isai. 26. 10.*

A *& non videbit gloriam Domini.* Et item. *Dilectus meus in Domo mea male operatus est.* [Ierem. 11. 15.] Alioquin, quem præsentia tanti Patris ad sui reuerentiam non flectit, spiritum Iudæ videtur participare. Cuius duritiam, nec visio, nec locutio, nec conuiuium ipsius Domini emolliuit. Inspiciamus ergo, quid à Deo donatum est nobis: & oblatam gratiam nullatenus in vacuum recipiamus. [Greg. 2. Dialog. cap. 2.] Tantus fulgor, cæcitatem mentis nostræ illuminet. Tanta pietas, duritiam emolliat. Tam potens medicina, vulnera nostra sanet. Si enim adhuc puerulus ita capisterium reparauit, vt nec scissura quidem appareret: nos, qui vasa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati sumus, quia multas peccatorum scissuras incurrimus, per eundem medicum qui iam suo regi sociatus est, reparari poterimus. Si nigredo scelerum nos decolorauit, non simus vt Æthiopes qui non mutant pellem suam: sed ad eius manum recurrentes, annonam misericordiæ, sicut ille coruus, ab eo requiramus. [ibid cap. 8.] Si etiam inter iniuriosos merito computandi sumus, illum tamen affectum, B quo pro se odiente fleuit, ab ipso reposcamus. Neque enim supplices, quamuis indignos, auersabitur: qui pro perseuerante in malitia lugebat. Gaudeamus ergo, & erga Dominum nostrum, quo valemus adnisu, dilectionis affectum exhibeamus. Nam idcirco dimissa sunt Mariæ peccata multa, quia dilexit multum. [Luc. 7. 47.]

Cæterum ad laudes eiusdem Principis Dei semper, iuxta Psalmistam, adiicere, cuiquam desiderandum est. Sed nos affectum quidem exhibere possumus, perfectionem vero tantæ rei, nequaquam explere sufficimus. Quapropter easdem illius laudes, non vna vox, non vna congregatio, neque vna vrbs vel prouincia proclamat: sed vbicumque sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus Benedicti frequentatur. [Prou. 14. 28.] Si enim *in multitudine populi dignitas Regis est,* vt ait Salomon: quantam putamus esse dignitatem istius Regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus Monachorum? [Isai. 30. 21.] Quis vmquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperauit, aut ex tam diuersis nationibus sibi tantas legiones conduxit, quan- C tas videlicet iste, cuiuslibet sexus & ætatis in Christi militia, voluntarie iuratas disponit? Quem quasi præsentem intuentes, & vexillum institutionis sequentes, Diabolicas acies viriliter infringunt. Quibus illud Propheticum coaptatur, *erunt oculi tui, videntes præceptorem tuum.* Denique fidelis opinio est, quod vnusquisque sanctorum cum illis surget in regeneratione, quos Domino acquisiuit. Cum igitur vniuersi huiusce institutionis eius sequaces, in vnum coacti fuerint: quale signum Apostolatus Benedicto tunc ille copiosus exercitus se ipsum exhibebit? O quali gaudio tunc ille tripudiabit, qui sese illis cohortibus immiscere potuerit! Nunc omnes, vel loco vel affectu vicini, in eum cordis intuitum dirigant. Omnia enim omnibus factus est. Habent enim pueri formam in puero quam sequantur: vt quoniam ad exemplum Isaac Deo oblati sunt, primordia sua caueant fermentare. Ac deinceps quique per ætatum successiones sint perfecti sensu: vt à paterna sui nutricij pietate nõ degenerent. Ne forte si ab excellentiori gradu ceciderint, grauius elidantur. Sed & D nos quicumque deliquimus, nullo modo ab speranda clementia deficiamus: quia viuens & post obitum mortuos suscitauit, confracta restaurauit, desperata curauit.

Et quamuis non fecerimus eius voluntatem, Dominum tamen inuocemus eum, & sint oculi nostri in manibus eius intendentes: donec ipse suos attollat super nos, & misereatur nostri. Sit nobis semper Benedictus in corde, Benedictus in ore, Benedictus in actu, quatenus si qua virt⁹, si qua laus disciplinæ, vt illud Apostolicum imitantes, quæ vidimus in illo, & audiuimus in illo, & audiuimus ab illo, sectemur: vt nobiscum sit. Deus pacis per ipsum, in sæcula sæculorum. Amen.

DE COMBVSTIONE BASILIca beati Martini,

SERMO IV. MS.

EXigitis domini mei, diuitem inopem, eloquentem elinguem. Nam quia nuper basilicam domini nostri Martini flamma denuo vorauit, & hac occasione quidam quasi fide vacillant, quidam insuper stulti garriunt, cur incendium nõ represserit; dolor qui de priori adustione contigerat, nobis renouatus est: & ob hoc exigitis, vt quædã quasi sicera verborum vobis conficiatur, quæ mœrentibus propinetur, & illis aliquatenus succenseat. Quod quidem ego diu cunctatus refugi: Martinus etenim, cuius obsequio debet iste sermo famulari, maior est quam dici queat. Quem, sicut de eo perhibetur, vsquequaque Deus mirificans, etiam in hoc glorificat, quod omnes qui de illo & prosaicè & metricè, siue etiam rithmicè scripserunt, & sancti & periti fuisse, & dulci admodum atque compto eloquio noscuntur, quæ pertulerunt edidisse. Et nimirum, nisi iubentium authoritas & rei necessitas vrgeret, inconsequens videretur, vt is, qui de homine & nihil habet, & parum, id tentare præsumeret. Sed ad spem communem cordis oculos reducens, spero, quoniam Christus, qui benedicit pusillis & maioribus, non deseret hoc quod obedientia conatur obsequens imperio charitatis. F Nam ipse volat super pennas ventorum, excellens omnem contemplationem Angelorum, ipse descendit ad inferiora terræ, lactescens tenentudinem paruulorum. Ipse facit vt animalia volent sequentibus rotis, ipse vt stellio brachiis nitens moretur in ædibus Regis. Et cui Patriarchæ vel Prophetæ cecinerunt, eius laudes Hebræorum pueri clamauerunt. Vt ergo dedit excellentes viros, qui mandatas excubias ducentes in laudem beati Martini multo nobiliter scriberent: Ita infirmus præstare dignetur, vt saltem velut canes modicum quid pro eius zelo delatrent.

Quando † primo igitur tantæ calamitatis rumor, & vicinas & remotiores quasque Prouincias derepente peruolauit, ingens mœror & luctus omnium corda perstrinxit, ita vt, sicut nobis relatum est, non solum quilibet rusticani, qui beatum virum quasi peculiarius diligere consueuerunt, sed & optimates quique lacrymati, quin etiam & Reges fuisse dicantur. [† Q go.] Quibus etiam vim doloris hoc maxime exaggerabat, quod eadem domus ante non multos annos combusta fuerat: & nunc multo sumptu, mul- G taque suorum industria tandem reparata pulchrius videbatur. Multo enim decentius nunc, quam ante illam combustionem fuerit, compta renitebat, longe tamẽ inferius quam priscis temporibus, quia nunc † & crustulis marmoreis intus obducta erat. [† tunc.] Nam interdũ Protorisso marmore paries rubicundus, nunc Pario candidus, nunc quoque prasino viridis varium & satis pulchrum scema præferebat, & foris aureolus saphirinus, atque musiuis fulgebat lapillis. Sed & tectum stagneis † tabulis erat opertum. [† stanneis.] De his quædam adhuc indicia sunt, & quosdam grandæuiores fratres vidimus, qui ita testabantur, dicentes, quod machina domus contra Solem resplendens quasi monticulus aureus videbatur, & tam gratam speciem cernentibus repræsentabat, vt gloriam beati Martini quodammodo testaretur. In arcuatis vero porticibus voluerunt eam prisci constructores architectari; quoniam domus illa, quamuis latissima sit, turbis tamen sese imprimentibus tantum solet esse angusta, vt antipodia chori & angiportulas quamuis nolentes subruant. Quam deuotam violentiam, credo, gratam habet domus ipse Martinus, ad exem- H plum videlicet Domini sui, quem turbæ comprimebant. Nunc tamen & historiatis parietibus, & vitreis saphiro subornatis, quin & bracteolis aureis decussata non parum intuentes oblectabat. Quando autem, vt diximus, fama tam diri nuncii circumquaque peruolauit, tempus iam instabat, quo eiusdem beati Martini solemnitas solet celebrari. Cum quidem turmæ populorum cateruatim irruunt partim causa solemnitatis attracti, partim vt deiectionem domus viderent. Siquidem ea vis naturæ est, vt quilibet dolens oculis videre gestiat hoc ipsum vnde dolet. Et cum res visa plus cor mœstificet, tamen quasi ad solatium videre cupit, vnde magis indoleat. Ferebatur autem inter plurimos, quod inter fratres nudiustertius antea discordia fremuerit, quin etiam pridie quam sancta ædes cremaretur, quidam ante sanctum altare & conuiciis, & verberibus quosdam ex fratrib. dehonestauerit: sanctus quoque Martinus cuidam pauperculo per visum apparuerit, &

quasi

A quasi conquerens dixerit, quod in sua domo sit iniuriatus, & consciте sit inde migraturus, atque ad Tutelensem vicum peruenturus. Ita enim confluebat ingens turba, vt putares quod afflictum Iob vellent amici ex condicto visitare. Tum quidem & nos occurrimus. Oculis vero cuncta percurrentibus inundabant lachrymæ. Et cum singula qualiter ante videbant, flentes inspicerent, gemitus irrumpebant. Cordis vero sanguine, de quo lachrymæ nascuntur, iam exhausto, (nam de eodem sanguine fluunt, & ideo cum pro pietate funduntur, martyrium quodammodo imitantur,) ad auditorium secessimus. Tum vero nescio quid diu sermocinati sumus. Siquidem dolentibus mos est, non id quod ratio poscit, sed quod dolor extorquet, identitare. Tandem ad hoc ventum est, vt ad doloris augmentum diceretur, quod nonnulli beato Martino detraherent, quasi qui non posset incendium reprimere, quo domum suam totiens permisisset igne depasci: B nonnulli quoque dicerent, quod hanc nostram ætatem tam haberet exosam, nec more suo preces supplicum attendat, cum se per miracula præsentem non ostendat. Alij nihilominus quasi discuterent quidnam sit, vbi tanta psalmodia, tantaque Missarum frequentia celebretur, vbi etiam temeritas precandi tantum reprimatur, cur diuina seueritas adeo domari † permissa sit, cum vtique in multis alijs locis & minus Deo seruiatur, & precandi libertas effrenatior videatur. Hoc nos audientes stupore percussit, & dolore attoniti fraudes antiqui deceptoris illico recognouimus. Nam cum Apostoli sint bonus odor Deo; facit tamen idem deceptor, vt quibusdam sint odor mortis in mortem. Quod nimirum istis contingere cernimus, qui de medicamento vulnus sibi exaggerant murmurationis. Quia vero beatissimi domini nostri iniurias audiuimus exerceri, prout charitatis viscera quisque sensit, amplius cœpit dolere. Non satis fuerat quod nostris exigentibus culpis, secundum illud templũ pertulit conflagrari, adhuc proh dolor! ij, pro quibus hãc iniuriam sensit, nituntur ei calumniari. Memores tamen C illius quod dicitur de Deo, quia dedit carmina in nocte, id est, consolationem Scripturarum in tribulatione, conferebamus vicissim quod menti ad solatium occurrebat. Ac tum forte de hoc quod dicebatur, sese ingessit occasio, vt idem diligentius retractatum scriberetur. Ergo iuxta tenorem tunc habitæ confabulationis, quod nunc diuina dignatio indulserit adoriamur, primo suadentes, vt iuxta Prophetam, vexatio saltam det intellectum auditui, quatenus comminationes, quas Deus peccatoribus intentat, vel per hoc quod accidit expertas, timeamus; rogantes Christi clementiam, vt iuxta illud Iob molliat cor nostrũ, & cibare nos dignetur pane lachrymarum, ne forte dicatur de nobis, *Attriuisti eos, nec doluerunt.* Et item, *Percussi populum meum, & à vijs suis non est reuersus.* Et cum nostra peruersitas cor iusti, scilicet domni Martini, sicut alias diximus, mœrere faciat, cum nos potius viderit in rebus pessimis exultantes, queratur, dicens: *Sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit.* Itemque, *Non est qui vicem meam doleat.* Non enim satis nos remordebat memoria peccati. Quod illis sæpe contingit, quia peccata sua non deflent, D sed potius multiplicãt; & nihil accidit eis triste. Vnde scriptum est. *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque vllo timore filij hominum perpetrant mala.* Sed conueniebat nobis illa vox qua dicitur, *Traxerunt me, & non sensi. Ad nihilum redactus sum, & nesciui. Congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Et id circo Deus, qui terribilis est in consilijs, vindictam quam meremur, in illius, sancti Templi combustione monstrauit, quasi ministris vindictæ diceret. Isti domus exasperans mihi sunt. Vltionem à sanctuario meo incipite, vt ignis indignationis, qui abyssum cordis humani combusturus est partem domus interim assumat, vt cum à se desiderabile oculorum auferri viderint me ad ostium cordis sui pulsantem contempsisse pœniteat. Per hoc ergo quod in templo accidit, arrogantia nostra, vt ita dixerim, nobis in faciem respondit. Et omnimodis cauendum est, ne forte, sicut illic sequitur, spiritus fornicationis sit in medio nostrum, & interim illius ignis pernicies, isti exteriori totiens sit fomes. Sæpe autẽ fit vt peccator quanto deterior est, tanto densiori cæcitate cor eius obtenebrescat, & cum boni aliquid fecerit, hoc apud se, sicut ille E Pharisæus, iactet, minus attendans quia bona quælibet Deo non placent, quæ malorum admixtione maculantur. Tali cuilibet diuina vox inclamat. Dicis quia diues sum, & nescis quia miserabilis est, & cæcus & nudus: Nudus videlicet iustitia, cæcus vero nesciens ipsam nuditatem suam videre. Effudit ergo Dominus, vt scriptum est, ignem in Sion, & voluit reddere vastationem in flamma; vt videlicet per indignationem, quæ in materiali domo deseuit, existimeamus domus exasperans esse, animaduertentes quid in occulto eius iudicio mereamur. Neque enim paruus reatus est, qui sanctam illam domum & e vestigio, & totiens exigit concremari, vt eam paulo ante succensa fuerit, non sit auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Sed nec putandum est quod hoc casu acciderit propter illud Ieremiæ, *Quis est iste qui dixit vt fieret, Domino non iubente?* Et item, *Si est malum in ciuitate, quod ego non fecerim, dicit Dominus, vel quis dedit Israel vastantibus? Nonne Dominus cui peccauit?* Nos itaque scientes quia peccata no- F stra fecerunt hæc, consequens est, vt ingemiscamus super iniurias domini Martini; imo potius super nos, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Alioquin dicetur, *Dissipati sunt, & non sunt compuncti.* Et item? *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Qui vero ad nutum Dei contremiscunt, & sub potenti manu eius sciunt humiliari, audiant consolationem illam, quæ post destructionem Hierusalem facta est, dicente Domino, *Aedificabo vos, & non destruam: iam enim placatus sum super malo quod feci vobis, & vobiscum sum.* Et ille quidem, sicut Dominus, qui cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos, placabitur seruis suis. Nobis tamen competit, vt hunc in omnibus iudicijs suis laudemus, & si qua bona opera in nobis sunt in ipsis timeamus. *Verebar*, inquit Iob, *omnia opera mea.* Nam & ille postquam tanta ac talia pertulit, cum interim ipsis verberibus gratior esset, vt Deus ad hunc visitandum venire dignaretur, adhuc se G humiliat dicens, *Reprehendam me, & agam pœnitentiam.* Nam post illam pridianam succensionem, muris cum ingenti studio compactis, septa Monasterij communistis, hoc nimirum præcauere volentes, ne sancta domus vltra posset ab hostibus lædi. Sed non satis attendentes in quanta reuerentia sanctus iste locus ab antiquis temporibus effulserit, protinus religione relicta, commune diuersorium esse permisistis; ita vt feminis ad hauriendum aquam, & ad discurrendum quo voluerint, portarij non resistant: cum viderimus quod nulli intra Monasterij portas vel parum intrare licuerit; neque aliquis equitando statim per atrium transire ausus fuerit. Sed nunc ita negligitur, tanquam si murus ille non ad hostium repulsionem, sed ad excludendam loci reuerentiam esset erectus. Nec valuit idem murus ignem prohibere, quem neglectæ contemptus exigebat succendi. Mordacius hoc dixerim, quia, vere fatebor, multorum corda per hoc mœstificantur, quod locum pro amore B. Martini sacrosanctum non videant, secũdum priscam reuerentiam, venerari. Neque hoc parum displicet, q̃ quidam in eodem loco nutriti, se quibusdam laicalibus vel H nimium pomposis vestibus dehonestent, cum talis esse cõsueuerit eorum conuersatio, vt hanc etiam Romæ laudari audierimus, quibusdam Romanis dicentibus. Quia non esset necesse Romam proficisci, quia templo beati Martini mererentur vicinari. Ieremias Propheta plangit, colorem religioni congruum immutari. Dicitur alias, *Negloriaris in vestita vaquam.* Viderint ergo isti quam stultum sit, decore vestitus gloriam emendicare, & decore virtutis animam nudare. Cæterum ijs, qui de potentia beati Martini delirant, amator eius, & decentissimus relator Sulpitius iam olim satis respondit. Nam cum aliquando vestimenta eius pariter afflaret incendium, quod tamen ille protinus in medium se proiiciens frigidum sensit, quidam similiter occasionem detrahendi sumpserant. Responsio tunc illis facta, istis sufficere deberet, qui nequaquam hoc mirarentur, si dispositionem, qua Deus mundum regit, vel tenuerit, attendissent. Parum est vt mirentur, si hoc templum & superbiæ, vel luxuriæ vitijs forte pollutum, tali-

† domina-ri.

A bus quibuſdam Deo cognitis cauſis exigentibus, flamma purgauerit. Diſcutiant potius quidnam ſit quod ab origine mundi mala præualeant? Cur impio Cain iuſtum Abel ſubruere Deus permiſerit? Et cur Iob incomparabiliter tunc temporis iuſtum, vſque ad ſterquilinium & vermes Satanas compulerit? Cur Ioannes, quo nemo maior inter natos mulierum, rogatu ſaltatricis puellæ decollatus ſit? Certè ſi iſti Chriſtum in cruce vidiſſent, non ſicut latro, regnum ei reſtare crederent. Qui etiam ſi Apoſtolos cæſos publice vidiſſent, & Stephanum forte nocte & die beſtijs expoſitum conſpicerent, fidem Chriſti inanem putaſſent. Sed poſtquam ex fide mundus viuere cœpit, conſilium diuinæ diſpoſitionis, ſi reuerenter attendit, intelligit, quia regnum Ieſu non eſt de hoc mundo, & Sancti eius non habent hic manentem ciuitatem, & idcirco hic non quærunt gloriam, quam in futuro ſperant, nec ſignum aliquod vnquam hic pro vtilitate proximorum

B quærunt. Hinc Propheta non propter ſe, ſed propter inimicos ſuos orat ſaluari, dicens, *Propter inimicos meos eripe me.* Id eſt, per meam ereptionem intelligentes potentiam tuam conuertantur ad te. Scientes enim quia nequaquam poſſunt hanc vitam ſine peccato tranſcurrere, optant potius vt hic ad ſui emendationem affligantur. Nam Propheta rogat, *Proba me, Domine, & tenta me.* Item alius, *Ingrediatur putredo in oſſa mea.* Quam ſibi vtilitatem inde ſperauerit, manifeſtat, ſubdens, *vt requieſcam in die tribulationis.* Afflictus quoque Iob, *Hæc*, inquit, *ſit mihi conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Nam & Apoſtolus non gloriatur, quod in paradiſum, & etiam vſque ad tertium cœlum raptus ſit, nec quod ineffabile Arcanum inibi audierit, ſed potius gaudet quod ter naufragiũ fecerit, quod ter virgis cæſus, quod ſemel lapidatus ſit. Sed iſti queruli, qui miracula ſemper quærunt, hanc diſpenſationem attendere neſciunt. Nam ſuperbi & vani hoc ſemper fieri geſtiunt, vnde rumor popularis & inanis gloria creſcat. Sed quicumque timorati ſunt, hoc magis deſiderant, vnde vel purgatio peccatorum fiat, & mens à ſuperbia defendatur.

C Nam ſi Martinus ſibi potentia conſueta flammam depuliſſet, vtique vltio peccatis debita reſtaret, & impietas quaſi impunita forte ſuccreſceret. Sin autem ex hoc quod Sancto cuilibet in præſenti accidit, virtus eius penſanda eſt, iam non vnus, ſed omnes ſancti; non mediocres, ſed ſummi dehoneſtabuntur.

Sanctus namque Benedictus Monaſterium ædificauerat, religioſe videlicet ac pie, ſicut vtique benedictus. Cui tamen reuelatum eſt, quod hoſtibus eſſet diuino iudicio tradendum: hoc ſibi tantum conceſſo, ne quælibet ex animabus periret. Parum ſanè dixerim quod & forinſecus, & Confeſſori quamuis magno acciderit. Sed credo non parum & inſipiens cenſebit, quod ſupradictus Baptiſta potens ille in miraculis, vtero Chriſtum Dominum ſentiens, ſanctiſſimam vitam ducens, pro teſtimonio veritatis occumbens, ille incomparabiliter magnus in ſemetipſo, hoc eſt in ſuis ſanctis oſſibus talia pertulit, quæ ingentem audientibus horrorem incutiant. Nam vt Euſebius in XI. Hiſtoriarum libro narrat, Sanctum eius ſepulchrum apud Sebaſtem poſitum pagani confregerunt, tunc oſſa

D combuſſerunt, quæ terreo pulueri immiſcuerunt, & ita per campos paſſim diſperſerunt. Sed Monachi quidam ſuperuenientes, eadem hora ſancti corporis fruſta diuino nutu reperta collegerunt. Ad ſepulchrum quoque Dominicum per multos annos idolum ſtatutum eſt, vt quiſquis ſe illuc inclinaſſet, idolum adoraſſe videretur. Ipſa Crux Domini diu Iudæorum celata fraude, tandem mirabiliter reperta poſtmodum à Prophano Rege aſportari permiſſa eſt. Videant iſti ſecretorum diſcuſſores, qua Domini diſpenſatione & talia, & his ſimilia fieri ſinantur. Nobis hoc vnum conuenire videtur, vt à diuinis iudicijs timeamus, & videntes hoc quod accidit, quiſque noſtrum dicat, *Domine audiui auditum tuum, & timui. Domine, conſideraui opera tua, & expaui.* Et item. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi,* & cætera. Et quia per materiale templum dedit ſpiritualibus ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, id quod illic præminitur, ſupplicemus, vt quoniam iratus eſt, ſit etiam miſertus, dicentes: *Increpationem Domini ſuſtinebo, quia peccaui ei.* Tunc prætereà non incidat nobis illud

E diabolicum ſuſpicari, quod illa virtus domini Martini defecerit. Illa pro ſui magnitudine toto orbe mirabilis; illa, vt ita dicam, probata ſignis. Quin potius credendum eſt, quod illa eius caritas, quæ ſemper etiam erga eius æmulos propenſa & benefica fuit, ita illum adegerit, vt hoc à Dño impetraret. Nam quorundam ſanctorum, qui cauſa aliorum iniuriari maluerunt, facta conſiderantes, in hanc opinionem non abſre venimus. Siquidem Moyſes rogabat Dominum Deum ſuum, vt noxam populo dimitteret: ſin alias, deleret eum de libro vitæ. Dauid quoque videns Angelum cædentem populum, poſtulat vt ſuper ſe, & domum patris ſui gladius vertatur. Qui & interfecto parricida filio lugebat, dicens, *Quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Sed & Ieremias cum ex ore Dei populum in Ægyptum deſcendere prohiberet, & ille contemneret; nec ſic eum deſerere potuit, ſed cum ipſo populo deſcendit, à quo & interfectus eſt. Paulus etiam Apoſtolus vas electionis optat anathema eſſe pro fratribus ſuis. Sane Stephanus o-

F rare non poterat, vt pro lapidatoribus moreretur, quoniam ipſi hunc in mortem vrgebant: vnum tamen eis quod ſupererat impendens, *Ne ſtatuas*, inquit, *illis hoc peccatum.* Sed quid de ſeruis dicimus, quandoquidem ipſe Dominus omnium pro impijs, vt ait Apoſtolus, mortuus eſt. Vnde & Propheta dicit, quod alienum opus ſuſcepit, vt faceret opus ſuum. Pati enim, & itidem, & mori alienum eſt à Deo: ſaluare autem, eius opus eſt. Sed illud quod alienum eſt à Deo, peccanti homini debebatur. Et tamen alienum opus ſuſcepit, vt opus ſuum faceret, quia mori dignatus eſt, vt morte dignos ſaluaret. Videamus autem an in Martino tale aliquid fuerit. An non iſta charitas hunc vrgebat, quando chlamydem pauperi diuiſit? De duabus quippe tunicis præceptum eſt, vt harum altera non habenti donetur. Sed iſte non ſolum Phariſaicam iuſtitiam, ſed etiam Chriſtianam longe ſupergreſſus, ipſam vnam cum ſua nuditate partitus eſt. Nam à latrone vinculatus, ſe eſſe prorſus aſſerebat ſecurum, illique magis dolere, qui la-

G trocinia exercens, Chriſti miſericordia eſſet indignus. Tunc nihilominus hac dilectione, quia plurimum flagrabat, cum ſciret, quod ante diem mortis non poſſet reuerti, pro pace tamen inter clericos reſtituenda proficiſci longius non dubitauit. Et tunc quilibet alius etiam præſentes poterat obliuiſci. Nam eadem charitas in fine, quod eſt decentiſſimum, præcipue ſeruabat, cum cœleſte regnum quod ab infantia ſuſpirauerat, & inſuper ipſam Chriſti præſentiam, quod ipſe vellet, differri ſibi pro amore diſcipulorum non recuſabat. An modica eſt in illa caritas? aut hominem quando negligeret, qui brutis etiam animalibus compatiendi affectum frequenter indulſit? Vnde quidam, qui Gramaticus cognominabatur, nuper garriebat, quod in eius vita ſuperfluo poſitum ſit de Lepore, quem à canibus exemit. Sed quicunque tales ſumus, qui nullum genus commendationis apud illum ex noſtra iuſtitia habemus, non plus nobis aliud miraculum, quamuis grande, placiturum † videtur: quoniam ſi in alijs maiorem potentiam, in iſto † placientium.

H tamen monſtrat propenſiorem miſerendi affectum. Sed quid debilitatis † animalibus dicimus cum ab ipſis quoque hæreticis Maximi gladium ſummouerit? Inſuper ipſi dæmonio, ſi ab hominum infeſtatione ceſſaret, veniam pollicitus ſit? Quod equidem idcirco dixit, vt quoſdam fratres, quorum vicia dæmon ille exponebat, à deſperatione retraheret. Itaque hæc & huiuſmodi alia recolentes, incunctanter credimus, quod domum ſuam non pro inopia virtutis, ſed piæ diſpenſationis cauſa permiſerit aduri. Si quæritur, quæ ſit iſta diſpenſatio, hoc iterum menti occurrit, quod illi, qui in eiuſdem domus conſtructione pridem laborauerant, nihil de ſua mercede perdiderunt, quoniam etſi opus perijt, pij tamen operis merces reſtat; ſicut ſermo diuinus quibuſdam piè laborantibus aſſeuerat, dicens *Erit merces operi veſtro.* Quin potius ſi qua & leuis culpa (quod frequenter fit) in eodem labore ſe immiſcuerat, credimus hanc eſſe purgatam. Nam in ipſis bonis operibus aut per elationem, aut † de liberatis.

A per teporem sæpe delictum sese immiscet. Et idcirco iubentur sacerdotes holocausta sua lauare, videlicet vt in ipso bono opere quisque timeat, & velut hostiam lauans, lachrymas fundat. Est & alia dispensationis causa. Plerique enim & pro iniuria sancti viri dolendo, & ad restaurationem locorum, sanctum studium, siue res suas impertientes, cæleste sibi præmium sunt mercati. Qui scilicet, si basilica in suo statu persisteret, nihil tale fecissent, sed picturis inhiantes forte risissent. Adhuc enim maius, si non temere dicerim, per hoc euenire confidimus. Nam de peccatis illis, quibus exigentibus id actum est, si deinceps ab ijs cessatum fuerit, indulgentiam speramus venire, quia Deus non diiudicat bis in idipsum. Et verum est illud Iob dicentis, *Qui afflictus fuerit, erit in gloria*. Et item in Ieremia, post destructionem templi loquens Deus ad reliquias captiuorum, *Nolite*, inquit, *timere: iam enim placatus sum super malo quod intuli vobis*. Quod tamen dicentes, nō confuimus pulullos, super quos, vt Ezechiel redarguit,
B peccatores molliter quiescunt, qui nimirum hoc de illis peccatis asserimus, quæ apud Apostolum per fœnum ac stipulam designantur, non de illis quæ per ferrum ac plumbum, quæ ignis consumere non potest. Cæterum, cui prosit, & cui officiat, nouerit ille, qui nihil sine causa fieri permittit. Nobis illud Scripturæ considerandum est, quod omnium operum Dei nullam possit inuenire homo rationem, sed sicut item scriptum est, cum de nobis iudicitur, speramus misericordiam. Verumtamen memoriæ non excidat quod Arca Dei, quæ primo permissa est ab allophilis asportari, post hoc in tanta reuerentia, tamque pauenda suis post reuersionem fuerit, vt cum hanc vulgus indiscretè aspexit, septuaginta de senioribus, & quinquaginta millia de plebe perierunt. Quapropter summopere cauendum est, ne domum, quamuis flammis traditam quilibet contemnendam putet, quia licet paupercula, tempestate commissa videatur, & cui Dominus faciem suam parumper absconderit; tamen in miserationibus multis consolabitur eam, vt secundum multitudinem
C dolorum eius, consolationes quoque lætificent eam. Quæstio sane, quæ illos mouet, qui dicunt, cur in eo loco vbi plus bona, & minus mala fiunt, vltio frequentius sæuit, à multis sæpe ventilata est, sed à nullo penitus exposita. Nam quando malis bene est, & bonis male, ob hoc fortasse fit, vt bona mali præsentia quæ capiunt percipiant, & perenni felicitate excludantur: boni vero qui hic felices esse non curant, propter quædam peccata, sine quibus hanc vitam ducere nequeunt, hic flagellentur, vt post hoc mansuris gaudijs inferantur. Tamen indifferenter & bonis bene, & malis male est; & tunc quoque nescitur vtrum bonis pro remuneratione bona reddantur, & malis mala vt corrigantur. Cur autem hæc varietas proueniat mortalibus incertum est. Et hoc est pessimum, vt ait Ecclesiastes, inter omnia quæ fiunt sub sole, quod eadem cunctis æque eueniant, iusto & impio, bono & malo. Sed, vt paulo superius præmisi, omnia in futurum seruantur incerta. Maxime tamen in hoc ingemiscitur, quod impij præualent, & innocentes affliguntur. Vnde est illud Ieremiæ, *Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui præ-*
D *uaricantur, & inique agunt?* Item Abacuc, *Quare*, inquit, *Domine, non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* Qui voce sufferentium præmiserat, *Vsquequo, Domine, vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis?* Hoc igitur maxime conturbat, quod iustis multa proueniant, vt scriptum est, quasi opera egerint impiorum, & impij sunt securi, quasi habeant facta iustorum. Sed altiora te ne quæsieris, & in operibus Dei non sis curiosus. Multos enim supplantauit suspitio. Quæ præcepit Deus, illa cogita semper, quoniam magna potentia eius & ab humilib. honoratur, id est, ab his qui non audent contemplari, qui sciunt quia misericordiam & iudicium debet Ecclesia cantare, & vtraque inscrutabilia scire. Nam iudicia Dei *abyssus multa*. Et quis sapiens intelligit misericordias Domini? Dicit Apostolus? *O quam inscrutabiles viæ Domini! Vniuersæ autem viæ Domini misericordia, & veritas.* Quas idem Apostolus cum perscrutari vetuisset, dixit, *O homo tu quis es qui respondes Deo?* Homo nanq; vocatur ab humo, quod nomen

ad hoc interposuit, vt in ipso suo nomine cognoscat homo quod ad Dei iudicia perscrutāda nequaquam idoneus E
sit. Si ergo, ait Augustinus, non vis errare, cur ita, vel non ita sit, noli discutere. Et item Gregorius ille dulciloquus. Nihil euenire potest, non quod Deus aut iratus permiserit, aut placatus indulserit. Quod autem patimur, eo ipso iustum esse constat, quod non fit non ordinante Deo, qui nihil potest facere iniuste. Vis autem dispensationis eius nequaquam vitari potest, sed hanc sibi multum leuigat, qui subdito cordis humero sponte eam portat. Psalmista quoque videns pacem peccatorum, & quod in labore hominum non sunt, sed obtinent in seculo diuitias, pene motos commemorat gressus suos: Eo quod ipse fuerit tota die flagellatus, & illorum impietas quasi ex adipe fluxerit, Et nationem filiorum Dei sine causa iustificatam crederet, nisi in nouissimis vtriusque partis intellexisset, Et hoc illi labor fuerat: non iō potentias Domini, hoc est in sacram Scripturam, intrans addisceret, quod *timenti Deum* F
bene erit in nouissima: Et, *Væ impio in malum. Retributio enim manuum eius fiet ei.* Et, *Qui iustus fuerit, non leuabit caput, saturatus afflictione & miseria. Qui autem impius fuerit*, sicut illic præmittitur, *vt illi, quoniam imago eorum ad nihilum in ciuitate Dei redigetur: & isti qui mente sunt quasi iumentum, cum gloria suscipientur, & erunt cum Deo.* Quamuis ergo dicant extranei, populum illum beatum, quorum filij sunt sicut nouellæ plantationes, & quorum pueri exultant lusibus, in quorum plateis non est clamor & cætera quæ illic dicuntur: *Beatus tamen ille est*, vt ait Psalmista, *Cuius est Dominus Deus eius.* Et sicut alia scriptura dicit, *Beatus homo qui corripitur à Domino.* Multa alia sunt huiusmodi, quibus ostenditur, quod hæc quæstio quamplurimos teneat, & quod inuestigari quidem non possit. Sed tamen ad finem vtriusque partis recurrendum sit, & indubitanter sciendum, quod si iustus hic recipit, multo magis impius & peccator recipiet in futuro. Et si nunc est Babylon quasi aureus calix inebrians amatores suos, audiet tamen à superno iudice, *Quantum in delicijs fuit, tantum date ei luctum & væ.* Hierusalem vero quæ nunc est paupercula, & tempestate G
conuulsa, audiet verba bona & consolatoria ab Angelo, qui stat inter myrteta, cum ei dixerit, *Parumper abscondi faciem meam à te, sed nunc in miserationibus multis consolabor te.* Rationem igitur huius rei nequaquam reddere possumus. Hoc tamen interim occurrit, quod cum bonis male est, & malis bene, & cætera vt supra, vnum expedit vt semper sub diuino iudicio timentes, nullatenus altiora nobis quærere præsumamus. Sæpe enim mentis nostræ acies quo plus cernere nititur, obscuratur, quia cum importune quis radios solis aspicit, inde nihil videre compellitur, vnde amplius videre conatur. Si autem penes vos bona opera superabundant, hoc vetus consuetudo est, quia semper illius loci incolæ meritis beati Martini adiuti, & ipsa eius claritudine attracti, conuersari deuote consueuerunt, quoniam eum quem gentes etiam remotiores glorificant, nimis impium est in præsenti habere, & non pie ac reuerenter venerari. Tamen ipsa bona opera non adeo pura sunt, vt penitus culpæ sordibus careant. Scriptum namque est, *Non est iustus* H
qui non peccet. Maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter, & desidiose fraudem facit priuatus amor, desidiam vero cordis torpor. Fraudem in Dei opere facit, qui pro eo laudari se cupit. Desidiam vero incurrit, qui à deuotionis feruore tepescit, & opus bonum magis vsu exigente, quam deuotione excitante, peragit. Quoniam ergo culpæ surreptio via in ipsa bona actione vincitur, superest vt in ipso bono opere semper timeamus. An leuis reatus est, sacrosanctum mysterium sine ingenti metu, & sollicita reuerentia, & conficere, vel participare? Quandoquidem iuxta Apostolum, qui hoc non discernit, & ad illud agendum probatus non est, iudicium sibi sumit. Si enim in exordio nouellæ Christianitatis multi ob hoc & imbecilles, & mortui erant corpore; quanto magis nunc, cum iam manifestior est causa, animæ periculum incurritur? Vt enim in dictis Patrum inuenitur, nullum peccatum est, pro quo tam frequenter in mundo aduersitates crebrescant. An parum est in Psalmodia cum Deo loqui

A Et nescio quid aut vile, aut etiam turpe, sine cordis retinaculo cogitare? Sensus inest, cum hominibus reuerenter loqui: Et cura deest deuote Deo supplicare. Nam qui de formica loquitur, habet eam tunc in memoria, & tanta res, vt est, cum Deo loqui, cum ipsius obliuione peragitur. Quis interdum non auertit aurem à clamore pauperis, quis non irascitur pauperi? Nam & qui exaltat cor suum, abominabilis est apud Deum. Quis nostrum veraciter dicat Domino, *Non est exaltatum cor meum*? quis diligit omnem proximum tanquam seipsum? aut quis in solo Domino gloriatur? Nos interdum in opere teatricum gloriamur, cum scriptum sit, *Ne glorieris in vestitu vaquam.* Et certe Veritas nihil iubet, non quod æquum, & possibile sit. Quæ tamen Veritas affirmat, quia neque vnus apex, neque vnum iota præteriet à tota lege, vt non requiratur. Sed hæc & his

B similia bonis accidere solent. Prauorum transgressiones multo grauiores sunt: gentes, quæ diligentes ea quæ in mundo sunt, charitatem Patris amiserunt, & per amicitiam mundi inimici Dei constituuntur. Ventrem suum quidam habent pro Deo, quos lugens Apostolus, Inimicos sanctæ Crucis appellat. His qui vino æstuant, Væ comminatur vox diuina. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Auarus, vt beatus Gregorius dicit, non est adhuc liber à cultu idolorum. Nam si quis fornicator est, aut auarus, aut ebriosus, cum eiusmodi nec cibum quidem sumere vas electionis iubet. Amare autem propriam gloriam tam grande peccatum est, vt Iudæi propter hoc maxime perfidiam incurrerint. *Quomodo*, inquit Dominus, *potestis credere, propriam gloriam amantes? Si quis violauerit templum Dei, disperdet illum Deus.* Sed quamuis hoc de spirituali domo, valde cauendum est, ne quis eam faciat nisi quod est, domus videlicet orationis. Non enim sine causa Christus Dominus eos per semetipsum eliminauit, sed in magna dispensatione, & ingenti ipsius rei inculcationem per seipsum negociatores eiecit de templo, & non solum alios, sed etiam ipsos, qui columbas ad vsum

C holocausti vendebant, abscedere præcepit. Vnusquisque videat qualiter vel Christi & Sanctorum præsentiam honoret. Respicit enim de cœlo, si est intelligens, aut requirens Deum. Et scriptura ait, *Acceptus est Regi minister intelligens.* Nam si qui verbum otiosum in quadriuio loquitur, in die iudicij rationem reddet, quanto magis qui in ipso Dei téplo scurrilitates uariam aut detractiones eructantur? Cum vidisset Moyses ignem, defecerunt ei verba, nec audebat respicere. Et certe maior maiestas hic, quam illic; cum ibidem sit habitatio Dei & Paradisus vbi audiantur arcana verba, quæ non licet homini loqui, id est illis quibus dicitur, *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne homines estis?* Vel qui non refrenat linguam suam, sed sedens loquitur aduersus fratrem suum. Videmus quosdam qui diuinum mysterium frequentant, sed sicut ordo diuinæ seruitutis exigit, prius ipsi deberent fieri sacrificium, per cor scilicet contritum & humilitatum. Alioquin cauendum est, ne tali cuilibet dicatur, *Dilectus meus in domo mea malum operatus est: numquid carnes sancta mandabunt eum?* Et item, *In terra Sanctorum inique gessit, non videbit gloriam Domini.* Et rursus, *Quare calce abiicitis victimam*

D *meam?* Quod tunc fit cum negligenter Dominicæ mensæ ministratur. Vnde per alium Prophetam queritur, dicens ministris, *Vos contemnitis mensam meam, & ego dabo vos in contemptum.* Et item alias vocat eos Principes Sodomorum, *Quo mihi*, inquit, *multitudinem victimarum vestrarum? & quis quæsiuit hoc de manibus vestris? Non afferatis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molestia, laboraui sustinens; & cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Idem namque Isaias videns Dominum, hoc primo voluit, quod polluta labia haberet, *Væ mihi*, inquit, *quia vir pollutus labijs ego sum, & Dominum exercituum vidi.* Sed si ille qui prophetali oculo Dominum vidit, sua labia polluta esse doluit; quanto magis dolendum est nobis, qui corpus

ipsius Domini intra polluta labia sumimus, etsi, quod absit, manibus sanguine plenis illud contigerimus? E Psalmista filios alienos vocat, quorum os locutum est vanitatem. Quod si de labijs tam ingens periculum sacrocolis imminet, quanto magis de renibus? Nam quod illud periculum præcipue cauendum sit, per hoc apparet quod illis qui ad esum agni vocantur, iussum est in primis, vt renes accingant. Ad hoc etiam commendandum Zacharias de eo loquitur, quod pulchrum eius, & pretiosum eius sit frumentum & vinum germinans virgines. Nimirum iam progredimur, sed effari nos fecit indisciplinata & irreligiosa quorundam conuersatio, qui cum suo merito sint inter externos computandi; tamen quasi interdictum Dei ad Sanctuarium accedunt, *Quicunque*, inquit, *externus accesserit*, morietur. Vbi autem aut hæc, aut alia huiusmodi geruntur & cauentur, supernus arbiter considerat, tacens: qui iuxta beatum Iob, innocentem & impium consumit; innocentem hic affligens, impium in futuro puniens. Vbi F autem impietas plus abundat, ibi frequenter minus increpatio diuina sæuit: & quo pietas plus regnat, ibi seueritas diuina plus incumbit. Quod idem beatus Iob ostendens, ait, *Si impius fuero, væ mihi; & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria.* Impius namque væ habet, iustus miseriam: quoniam illum æterna damnatio sequitur, iustus vero transitorio dolore expiatur. Impius caput hic leuat, sed væ quod sequitur, non euadit, quia dum se in voluptatibus eleuat, supplicijs sequentibus mergit. Iustus vero caput leuare non permittitur, sed per miseriam, qua nunc premitur, ab æterno supplicio liberatur. Impius ergo, qui temporali flagello expiari non potest, solet pro quibusdam bonis operibus quæ facit, præsentem prosperitatem habere, sequenti supplicio mancipandus. Iustus è contra propter quædam leuia peccata premitur, vt ab æterno supplicio liberetur. Cum igitur in multis offendamus omnes, non tristandum quidem, sed potius gaudendum est, si quolibet modo affligamur, vt ait Apostolus, *Omne gaudium existimate, fratres mei*, & cætera. Quod enim omne peccatum puniatur, Iob ostendens, *Verebar*, inquit, *omnia opera, sciens quod non parceres delinquenti* †. Quod bea- G (†delinquenti)
tus Gregorius exponens dicit, quia delictum Deus sine vltione non deserit: aut enim ipse homo in se pœnitendo punit, aut Deus, cum hominem damnat, percutit. Inde est, quod respexit quidem Dominus Petrum, sed ille fleuit amare. Paulus vas electionis vocatus, sed *oportet eum*, inquit, *multa pro nomine meo pati.* Sic ad Dauid dicitur, *Dominus transtulit peccatum tuum*, sed tamen plorans nudis pedibus filium fugit, quo vsque sui reatus vltionem reciperet. Sic nos per baptisterium lauamur, sed merito primæ præuaricationis etiam redempti obimus. Percutit ergo flagellis, peccatum etiam cum relaxat, quoniam ab electis suis nunc studet peccatorum maculas detergere, quas in eis non vult in perpetuum videre. Illos vero, quibus dicit per Prophetam, *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua*: Et iterum, *Non mutabit Aethiops pellem suam*, dimittit secundum desideria cordis eorum, quibus pro magna indignatione dicit, *Iam non irascar vobis.* Et, *Cum filiæ vestræ fornicatæ fuerint, non visitabo super eas.* Et Iob de ipsis, *Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non virga Dei super eos.* Sed quid eis H restat subiungens, dicit. *Deus seruabit illis dolorem, & de furore omnipotentis bibent.* Quapropter simus inata Psalmistam ad flagella parati, & sint nobis iudicia eius iocunda, quoniam, vt scriptum est, *Qui non amat iudicium, non potest sanari.* Et idcirco iubet Apostolus in tribulatione gloriari, & in omnibus gratias agere. An non laudes referendæ sunt de eo quando nos affligens, signum filiationis ostendit? *Flagellat*, inquit, *omnem filium quem recipit.* Magnum quippe fuerat, si serui vocarentur. *Magnum*, inquit, *est tibi vocari seruum meum.* Sed parum ast vt serui vocentur, cum nec amici quidem appellentur. Nam vt propensiorem affectum erga afflictos ostenderet, hos diuina vox filios appellat. Porro autem quæcumque sint illa opera, quæ inibi sub patrocinio beati Martini geruntur, credendum est, quod ipsius obtentu protegantur; ne videlicet aut mentes operantium iugi prosperitate superbientes marcescant, aut si non, lima flagelli dimis-

sa, mi-

sa, minus in supremo examine expolita reperiantur. Scit enim ille quod omnes iustitiæ nostræ, iuxta Prophetam, quasi pannus menstruatæ sunt, & quod ipsa holocausta sacerdotum indigent lauari. Hoc sane, quod quidam mirantur, quia illic vbi plus abundant mala opera, & minus fiunt bona, non solet aduersitas euenire, non homini, sed Deo soli notum est. Tamen de Diabolo, & eius corpore, quod sunt reprobi, scriptum est, quia dolus in manu eius dirigitur, quoniam hoc habere cerebro solent, vt quod nequiter appetunt, explere nequiter possint, & quidem peruersa voluntate desiderant peruersioni facultate consumere, vt tanto eis de aduersitate nihil in præsenti obsistat, quando eis in posterum nihil de prosperitate remanebit. Magis ergo necessarium est, magisque nobis optandum, id imperet, id prouideat, quod ad animarum proficiat salutem, quam id quod faciat plausum & admirationem. Illi sane qui murmurant querelantes, cur beatus Martinus solita sibi miracula iam non frequentet, hoc nihilominus adiungunt, quod erga nos non sit pronus ad miserandum, sicut nostris antecessoribus fuit. Sed his verbis cordis sui diffidentiam simul & insipientiam produnt. Hæc verba quippe non sonant disciplinam, sed ita sonant, quia aut virtus beati Martini, aut charitas defectum incurrerit: Virtus videlicet, vt minorem patrandorum miraculorum efficaciam habeat, charitas vero, vt, quod absit, oblitus sit misereri. Quibus hoc primo respondemus, quia Iudæi non sunt, nec signa quærendo Iudaizare debent. Quæ videlicet signa in exordio nascentis Ecclesiæ ad fidem astruendam necessaria fuerunt. Piscatores namque & de vilibus artibus assumpti, crucifixi deitatem prædicabant, & hoc vtique superbi Reges & magistratus valde stultum putarent, non per admirationem signorum tantæ te maiestatem credere cogerent. Cum enim videbant quod plebeius & infirmũ sanabat, & mortuum suscitabat, quod nec imperator cum omni exercitu suo, nec ipsi Pontifices cum omnibus dijs suis facere vllatenus poterant, superbam ceruicem humili Christi iugo summittebant. Iam vero cum reuelata gratia iustus ex fide potius viuere debeat, miracula superfluo quæruntur. Opera iustitiæ magis gerenda sunt. Multi signa fecerunt, quibus iudex dicet. Nescio vos. Qui pietatis opera gerunt, audient. *Venite benedicti patris mei*, & cætera. Et vt veniamus ad hunc eundem beatum Martinum, placuit de eo diuinæ dispensationi, vt vel viuens & post obitum tanta ac talia miracula gereret, per quæ nomen eius & gloriam totus mundus agnosceret. Vnde & vbique tanta gratia præditus est, vt sicut de ipso scribitur, non illi quisquam Monachorum, non certe Episcoporum quispiam comparandus sit: Prophetis tantum & Apostolis consertos, quem illis per omnia consimilem esse, hoc Ægyptus fatetur, comperit hoc Indus: hoc Syria, hoc Æthiops audiuit, & cætera regna quæ illic annotantur, quousque subiungitur. Quo miserior est regio ista nostrorum, quæ tantum virum cum in proximo habuerit, nosse non meruit. Quam videlicet Martini gloriam in longinquum porrectam Poëta demonstrare volens, ait,

Gallica celsa pharus splendorem mittit ad Indos.

Et item,

Et quo Christus habet nomen, Martinus honorem.

An non hoc attestantur eius deuoti, qui de longinquis regionibus atq; linguis ignotis ad hunc adorandum confluere solent? Antiquorum sane deuotio, quam frequenter eius reuerentiæ & amori sese impenderit, vel innumeræ testantur Ecclesiæ, quæ tam frequenter vbique locorum in eius nomine reperiuntur, vt nemo post Dei Genitricem, & Pastorem Ecclesiæ Petrum tam crebras habere videatur. Certe cum nihil in re sine causa fiat, hoc quod omnium vt ita dixerim orbe, tam glorificandus, tamque preciosus habetur, non casu accidit, sed eius instinctu, qui ad mensuram dat gratiam. Qui sanctum suum vsquequaque mirificans, per hoc quod vniuersis venerandus est, id ostendit quantum hunc eius gratia perfudit. Etenim si vniuersi Reges ac Cæsares peruolgatis vbique edictis iuberent, vt omnes eum venerarentur, nullo tamen pacto exigere poterant †, vt eius veneratio tam generalis, tamque celebris esset, vt nunc est, cum ad eius venerationem cuncti delectati diuina inspiratione trahuntur. Qui Sanctum suum vsquequaque mirificans, non solum qualibet alia miracula, sed etiam mortuos ad eius gloriam commendandam post ipsius obitum suscitauit. Si ergo disponente Deo fit aliquid, vnde eadem gloria videatur imminui, recurrendum est ad magnitudinem virtutum, quas aliquando gessisse dignoscitur, vt cordis nauem quasi à prora firmiter ligatam, fluctus diffidentiæ, qui forte puppi illiserit, nequaquam possit à littore fidei conuellere. Ad hanc cautelam volebat ipse Christus mundum erudire, quasi significaturus suæ mortis abiectionem, cum diceret, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, suæ potentiæ miracula prius enunciauit. Ad hoc etiam, cum discipulis mortem suam aperte diceret, resurrecturum se die tertia subiunxit. Beato quoque Petro, quem sciebat se negaturum, prius se in monte transfiguratum ostendit, vt cum pro abitione mortis diffidentiam incurreret, ad ostensam Maiestatem recurrens, robur fidei resumeret. Sed aliud est adhuc quod miracula cessare facit. Peccatum videlicet incredulitatis, propter quod Marcus Euangelista dicit de omnipotenti Iesu, quod non potuit plura miracula facere in Capharnaum & Corozain, subiungens, quia miratus est super incredulitatem cordis eorum. Quid ergo, quisquis es, Martinus non ideo gloriosus, quia domus eius toties igni permissa est? Quod prorsus in alijs Sanctorum locis frequenter nouimus euenire, sicut de illa sanctæ legionis Thebæorum domo nuper accidit, quæ tam eleganter constructa erat, vt nostri temporis artifices nequaquam hanc in pristinum decorem valeant reparare. Sic de illa in qua requiescit beatissimus Martialis, cum omnibus quæ infra muros erant, noscitur euenisse. Ante cuius adustionem cuidam per somnium visus est isdem Sanctus apparuisse; cui videlicet mœsto vultu protestatus est, quod ei domum illam seruitores eius exosam fecerint; vnde & eius concrematio, & Stephani Abbatis interitus mox esset adimplendus. Nam & priusquam illam prædicti domni Martini basilicam rogus absumeret, quibusdam fidelibus visum, quod in Turelensi Ecclesia isdem sanctus Martinus cum sancto Michaele staret, eumque de cura ipsius cœnobij precando moneret, & quasi subtristis adiungeret: Quia seruitores eius non sinerent eum apud Turonum quietem habere. Verum si somnijs & nulla forte, vel rara fides adhibenda est; hoc tamen certum constat, quod Deus, iuxta quod Apostolus ait, per peccatum exasperatur, Et quisquis, vt ait Isaias, in terra Sanctorum iniqua gerit, non videbit gloriam Domini. Et non solum quemlibet Sanctum, cui forte locus consecratus est; sed ipsum Dei spiritum, testante Apostolo, contristat, quia peccando templum eius contaminat. Cum enim ab ociosis verbis & scurrilitate fideles compesceret, subiunxit. *Et nolite contristare spiritum Domini.* At quod vestra pace dixerim, si in istius domni præsentia continuari soleat, ipsi melius nostis. Cæterum quibuscunque ex causis hoc acciderit, non aliud opinandum videtur, quam quod isdem pijssimus Pater flagellum hoc in suam domum potius, quam in subditos maluerit sæculari: exemplum videlicet pijssimi Conditoris imitatus, qui peccante primo homine, non ipsum maledixit, sed terram quam operaturus erat. Nonne ex ipso rerum accidentium euentu apparet, quod sola domus illa combusta est, domunculis clericorum illæsis per gyrum remanentibus? Quod si Martini virtus ob hoc minorata videtur, iam non erit ille solus cui sub hac occasione detrectatores insultent. Sed etiam plerique alij sancti, quorum domus quaquauersum indifferenter ardent, imo, quod dictu nephas est, contra ipsum Dominum mussitare possunt, quia templum illud Salomonicum non semel aut bis, sed iuxta Egesippum frequenter adustum est. Sanctis itaque locis despectio nostris peccatis exigentibus accidit, non defectu Dominicæ virtutis, qua sancti repleti sunt. Nam si potestas Martini ex hoc forte videtur insanum sapientibus mutilari, tamen ex alijs sanctis eius locis, necnon & miraculis ab ipso nuper ge-

†possent.

A stis, si longum non esset, poterat eadem potestas decenter commendari. Sed iam ista querimoniae delatrario debet terminari. Cmos videlicet fini hoc adijciamus, quia valde nobis necesse est, vt flagello perteriti, conuertamus vias nostras in vias testimoniorum Dei, ne forte dicatur de nobis, *Curauimus Babylonem, & non est sanata, neque per ignem*, & iam non vt in materialem domum, sed in illos, de quibus sanctus Spiritus effugatur, cœlestis indignatio sæuiat, Martinum nostris precibus deductum, offensis Christi oculis opponamus. Apprehendentes, sicut in Zacharia scriptum est, fimbriam vestimenti domni Martini verissimi confessoris adeamus, cum tali aduocato iuxta Pauli vocem, thronum gratiæ, forsitan sic poterimus misericordiam promereri. Et sicut Iob attestatur, nos qui non habemus indumenta iustitiæ, lapidem hunc amplectamur, suppliciter obsecrantes, vt nuditatem nostram suis meritis contegat, ne nostra coram superno iudice turpitudo reuelerut. Siquidem iste non obliuiscetur miseteri; sed charitas quæ illum coëgit,
B vt diuisa chlamyde pauperem cum sua nuditate vestiret, multo nunc facilius eum flectet, vt nos ab ira Agni si correctos viderit, ereptos cœlestibus diuitijs superabondans abscondat.

SANCTI ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS COLlationum. Libri. III.

EPISTOLA.

DOMINO & Patri Torpioni Pontifici suus ille monachus infimus in Domino. Recolitis, Domine mi, quid dudum insseratis mihi, vt scilicet qui turbato rerum statu pene semper in procinctu estis, & ad consolationem scripturarum, tanquam Moyses ad tabernaculum, libris absentibus, recurrere nequitis, quædam ex Patrum sententijs
C deflorarem, quæ & huius temporis qualitati conuenirent, & velut quoddam sportulæ diarium vel cælem refectionem in occursu itineris posito subministrarent. Quod equidem semel, & bis, & ter, & quoties me vestram adire præsentiam contingebat, requirebatis, & iterum iobebatis. At ego mirabar Pontificis humilitatem, quod tantus à tantillo quicquam huiusmodi reposceretis. Mirabar certe studium, quod animus in tantis discissus illud carmen Iob, quod Deus in nocte tribulationis huios donat, tantopere disquirebat. At tamen stupebam quonam pacto me id agere posse credebatis. Nam licet domnus Abba vestro suggerente nuntio tandem hoc & ipse præceperit: propriæ tamen inscitiæ conscius, rem mihi impossibilem vel tentare vitabam. Solemnitate vero S. Martini nuper elapsa, denũtiauit mihi domn⁹ Abba, quod statim ad vos me esset transmissurus. Sed cum de prædicta vestra, immo ipsius iussione nihil me adhuc egisse didicisset, Quindecim, inquit, dies ad hoc, quod iussus es, faciendum relaxo, ne domni Episcopi præsentiam, neglecto eius iussu, adire confundaris.
D Attatus, fateor, tabellam arripui: sed quidnam scribendum, quo ve ordine prima vel posthema disponenda essent, hebetatus hæsitabam. Cum subito recordatus sum illius vestræ querimoniæ, quam de huius vitæ qualitate profundis singultibus contexere vos in prima iussione audieram. [illegible] de peruersitate prauorum, qui semper in malum succrescentes, & Ecclesiasticam censuram penitus contemnentes, q[illegible] hec inualidos crudeliter affligunt. Postremo de h[illegible], q[illegible] diuinæ seruituti mancipari debuerant, sese pensius vanæ gloriæ dedicant, ac diuini cultus simulatè de[illegible] his igitur & huiusmodi, quos tunc, si bene cõmemini, [illegible]gebatis, huius compilationis materiam scripsi. Per omn[illegible] me tus ea cursum id agere nitẽs, vnde possim afflictorum deiectio consolari, prauorumque curiositas aliquatenus confundi. Opusculum sane qualitercunque digestum, vestræ iussioni satisfaciens, vobis transmitto: vt si forte penitus vtilitate caruerit, me tamen apud vos de inobedientia excuset. Poterit autem lector ob tam imperio[illegible] iussionem meæ præsumptioni ignoscere. Auctoris ve-
E ro nomen ob id supprimitur, ne forte si materia sordet, mei quoque nominis vilitate grauetur.

COLLATIONVM SANCTI Odonis.

LIBER I.

AVctor igitur & iudex hominum Deus, licet ab illa felicitate paradisi genus nostrum iuste repulerit: suę tamen bonitatis memor, ne totos reus homo quod meretur incurrat, huius peregrinationis molestias multis beneficijs demulcet. Quia vero nos eisdem beneficijs nimium delectamur, eius consilio frequenti perturbatione hæc eadem nostra delectatio conteritur: ne transeuntibus bonis, quæ perinde fluunt, nimis inhærentes, ad internæ salutis defectum nesciẽdo trahamur. Sic enim non sentimus quomodo crescit corpus, vel qualiter eiusdem corporis species in
F senectutem commutatur. Sic & mens nostra nobis nesciẽtibus ab statu rectitudinis frequenter incuruatur & à forma religionis, dum nescit, senescit, iuxta illud, *Traxerunt me, & non sensi*: & iterum: *cani effusi sunt in eum, & ipse non sensit.* Sed rursus ne increpatione prædictæ perturbationis deficiamus, sanctificatam scripturam, quæ dissolui non potest, maiori gratia misit in mundum: quatenus, vt ait Petrus, in caliginoso vitæ huius loco pedibus nostræ actionis resplẽdeat, & inter quælibet aduersa patientiam & consolationem, iuxta Pauli vocem, subministret. Si ergo quicquam est quod sapientem virũ æquo animo inter mundanos turbines continere possit, id esse quamplurimum reor meditationem scripturarum. Omnis namq; ratio, qua vel Deũ, vel nos cognoscimus, diuinis libris continetur. Et in hoc non solum à cæteris animalibus, sed etiam à quolibet stulto maxime distamus & sicut ait Salomon, illuc vbi vita est, ad cognitionem videlicet scripturarum, perreximus. Nam quod in Scripturis vita sit, testatur Dominus dicens, *Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Ipsa est & speculum, per
G quod nunc in ænigmate diuina mysteria videamus, ac nos quales simus intueri queãmus, ita vt ibi appareat quantum proficimus in bono, vel quantum deficimus. Ibi cuncta produntur quæ dissipant, cuncta narrantur quæ ædificantur: & tamen plerique libentius scurrilitatem audiont, quam hoc paradigma Dei. Tale autem est sacram negligere lectionem, quale esset si quis in tenebris lumen, in æstu Solis vmbram, vel in ægritudine medicinam respueret. Hæc est, inquam, vox Dei, quæ desertores suos reuocat, dicens per Prophetam, *Conuertimini filij reuertentes*, & item enorta vitorum consuetudine stupratam coniugem reuocãs ait: *Audi meretrix, verbum Domini*, & cætera. Vt autem longe nimis mortales à se recessisse non loco quidem, sed merito demonstret, non per verba sic præsentes iam eos alloquitur, sicut olim Patres fecerat: sed per scripturam, velut per quasdam epistolas, longe positus reuocans, quasi veteris amicitiæ desertores suos recordari suadet. Hæc ad euacuendum legendi fastidium præmissa sunt, quoniam, quod pace vestra dixerim, cibum sacræ lectionis non satis esurimus.

H Omnis vero eiusdem scripturæ intentio est, vt nos ab huius vitæ prauitatib. compescat. Nã idcirco terribilibus suis sententijs cor nostrum quasi quibusdam stimulis pungit, vt homo terrore pulsatus expauescat, & diuina iudicia quæ aut voluptate carnis, aut terrena sollicitudine diffusus obliuisci facile solet, ad memoriam reducat. Ad hoc namque vnumquemque nostrum secundum quod gesserit in die iudicij recepturum pronuntiat. Quod cum Apostolus protestaretur subiunxit, *nescientes suademus hominibus timorem Dei.* Hinc alias, *Deum time & mandata eius obserua, hoc est omnis homo.* Quibus verbis ostenditur, quod is, qui Deum non timet, homo esse desijt. Hæc quoque eiusdem scripturæ intentio est, vt quia cœleste gaudium non nisi per terrenas amaritudines recuperare possumus, ad toleranda quęlibet aduersa spe felicitatis, quæ præsenti miseriæ succedit, nos corroboret: vt spes manentis lætitiæ leuiget tristitiam transeuntis angustiæ. Ad hoc enim dicit Apostolus, *Quod in præsenti est momentaneum & leue, immensum gloriæ pondus operatur.*

A *natur.* Molestias cum dicit, *homo nascitur ad laborem*. Et Apostolus, cum tribulationes suas discipulis enumeraret, *Ipsi*, inquit, *scitis quod in hoc positi sumus*. Item Iob, *Homo repletus multis miserijs*. Quod idcirco dicitur, quia valde impossibile est, vt suæ peregrinationis tempora sine dolore percurrat: Hinc ipse auctor dixit. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Nam ipse est lignum viride quod putredo peccati non corrupit, quia peccatum non fecit. Nos vero sumus, vt Iudas perhibet, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Ac si diceret Dominus. Si ergo ipse qui peccatum non feci sine passionis igne ab hac vita non exeo, quid putandum est illos mereri, qui non solum originalibus, sed etiam actualibus culpis tenentur adstricti? Ne vero propter angustias, quæ dispensatoriè nobis hîc ingeruntur, in murmurationis malū excedamus, aut prauitates nostras sub ipsis angustiis compescere negligamus, æternam gehennam transgressoribus comminatur, dicens: *Mors peccatorum pessima.* Et item con- B tra murmuratores de filiis Israel: *Cesset murmuratio eorum ne moriantur.* Et item: *Quidam eorum murmurauerunt, & à serpentibus perierunt.*

II. Igitur propter hæc tria, quę maximè hæc eadem scriptura denuntiat, angustias videlicet quas hic patimur, & lætitiam quæ succedit correctis, & damnationem quam incorrigibiles incurrent, Hiezechiel librum se vidisse testatur, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ. Quo videlicet libro cuncta diuina eloquia figurantur, quæque nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Sed quid ipse verborum ordo designat post lamentationes, carmen, & væ continetur: quoniam post vitæ huius miserias, aut æterna lætitia succedet bonis & patientibus, aut æterna damnatio malis & murmurantibus. Hinc discipulis Saluator dicebat, *In me pacem habeatis, & in mundo pressuram habebitis.* Ac si diceret Erit vobis exterius de mundo, quod sæuiendo grauet: sed sit interius de me, quod consolando reficiat. Propter hæc quoque tria dicitur, quod rotæ, quæ eidem Hiezechie- C li monstratæ in figura duorum testamentorum sunt, & staturam pro altitudine & horribilem aspectum habuerint. Quarum videlicet statura huius vitæ qualitatem aduersis & prosperis alternantem significat. At enim hæc eadem scriptura, eiusdem status qualitatem quasi stateram demonstrans. *Omnes qui volunt piè viuere in Christo persecutionem patiuntur.* Quæ & altitudinem cœlestium præmiorum proferens dicit. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quid altius quam filios Dei fieri? horribilem aspectum exhibet, cum de reprobis dicit. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Et item, *vermis eorum non morietur.* Et quod propriè luxuriosis manet, illud Iob. *Omnis dulcedo eorum vermis.* Quid horribilius quam semper morsibus vermium dolores suscipere, nec eos vnquam finiri?

III. Refert quoque gesta virorum fortium, qui multa patienter tolerarunt: vt his auditis nihil nobis in via rectitudinis impossibile iudicemus. Vnde beatus Iob, *Instauras te-* D *stes tuos contra me.* Tot etenim testes contra nos Deus instaurat, quot patientium exempla contra nostram impatientiam exponit. Quod autem & diuinis admonitionibus, & præcedentium exemplis adiuti, de lacu mundanæ miseriæ liberari debeamus, illa ereptio Hieremiæ designat: quia vt de puteo leuaretur, funes cum pannis veteribus ad eum submissi sunt. Funes Dominica sunt præcepta, quæ nos quasi vinciunt, dum suis nos iussis à malis actibus refrænant. Panni veteres opera iustitiæ sunt, quibus sancti Patres se vestierunt, ne nudi supernis oculis apparerent. *Sacerdotes*, inquit, *tui induantur iustitiam.* Qui panni, id est, eorum exempla, cum funibus præceptorum ad nos de cœno viæ præsentis eruendos mittuntur: quia ne diuina præcepta nobis dura videantur, eorundem præceptorum possibilitas Patrum exemplis esse facilis demonstratur. Nam si durum est quod dicitur. *Estote in tribulatione patientes*, occurrit Paulus, qui non solum patiens est, sed & gloriatur dicens: *Libenter gloriabor.* Ligemur ergo præceptis, quasi quibusdam funibus. Sed & panni veteres intersint, vt quod ex nostra imbecillitate nos posse E non agere formidamus, esse possibilia per exempla Patrum confidamus. Notandum sane est, quam misericorditer Deus prædictæ suæ scripturæ verba temperans, modo nos asperis increpationibus terret, modo blandis consolationibus refouet, terrorem fomentis miscet, fomēta terrori, & corda peccatorum indicatis terroribus ad humilitatem inclinet, & humilem mœrorem enarratis consolationum fomentis attollat: quatenus dum vtrumq; circa nos mira arte magisterij temperatur, nec desperate inueniamur territi, nec incaute securi.

IV. Lamentationes, id est, angustiæ, ad tolerandum graues sunt: quia iuxta Apostolum, omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris. Carmen vero, id est, gaudium, quod succedit, desiderabile est, sicut ibi secutus adiungit; quia fructum pacatissimum reddit exercitatis per iustitiam. Væ autem nimis formidabile est, quoniam, vt Paulus ait, *horrendum est incidere in manus Dei.* Si autem displicet quod patimur, percussorem nostrum iustum & misericordem cogitemus. Nam quia iustus est, F non nisi iuste percutit, vt est illud: Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Valde igitur iniustum est, de iusta percussione murmurare. Non itaque murmuremus, ne forte illud væ quod comminatur incurramus. Cogitemus quoque quia misericors est, ne nos derelictos ab eo credamus, vt stulti faciunt, de quibus dicitur, *In miserijs non subsistent.* Etenim iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Cogitemus & hoc, quia quod ex nostro merito patimur, ad nostram vtilitatem mira benignitate reflectit. Hoc itaque attendentes flagella nō refugiamus, sed ea velut quædam medicamenta animæ magis optemus. Nam & æger tunc se ad secandum manibus medici libenter submittit, & pocula quamuis amara votiue bibit, cum eam de beneficium incolumitatis recuperare se credit. Nunc ergo resultemus manibus medici nostri Dei. Nam etsi tribulationis adustionem prolongat, non tamen æger debet vociferari: quoniam ipse videt quam profunda ad resecandum putredo lateat in vulneribus vitiorum. Nec velut indo- G miti tanquam ad inusitatum quiddam aut nouum obstupescamus, quoniam à primo iusto Abel vsque ad vltimum electum necesse est omnes hac conditione teneri. Hinc princeps Apostolorum fideles monuit, ne mirarentur in feruore tentationis tanquam noui aliquid contigisset.

V. Afflictionum vero species tam diuersæ sunt, quam diuersos culparum modos cœlestis ille medicus nobis inesse videt: quatuor tamen modis comprehenduntur. Aliquando namque peccator affligitur pro peccatis præteritis, sicut ille cui dicitur, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quæ iussio docet quod pro culpis præteritis vim doloris incurrerit. Aliquando pro cauennis futuris: quod Paulo contigit, qui ne extolleretur, stimulum carnis accepit. Quidam Doctores antiqui dolorem capitis aiunt fuisse. Aliquando quisque percutitur, vt dum inopinata liberatio periculum subsequitur, ardentius saluantis Dei virtus ametur. In qua percussione meri- H torum gratia succrescit, cū per patientiam fortitudo proficit. Quod in B Iob completum est, qui prius ita laudatus & postea sic remuneratus est. Nonnunquam vero in vna qualibet persona tria hæc genera simul concurrunt: vt in eo per afflictionem & præterita puniantur, & futura prohibeantur, & laudes liberatoris Dei ex adempto periculo succendantur. Quartum genus est, quando quisque sic in præsenti percutitur, vt etiam in futuro puniatur. Quod illis solummodo accidit, quorum mentes tribulatio non conuertit: de qualibus illa vox conquerentis Dei est. *Frustra percussi filios tuos, disciplinam non receperunt.* Quod genus miser Antiochus & Herodes incurrit. Nam quod diuersis culpibus, quibus vtique diuersitas pœnarum debetur, aut per ignorantiam, aut per fragilitatem, aut interdum per audaciam subiacemus, non de conditione naturæ nobis accidit, sed de vitio primæ transgressionis.

VI. Nam postquam ille primus parens conditori per inobedientiam contrarius extitit, ad hoc graue iugum cum omni sua stirpe sese incuruauit, vt veraciter dictum sit, quod

tenta-

tentatio est vita hominis super terram. Diuinis enim iussionibus subesse nolens, sub suis se necessitatibus prostrauit: quem ita exaltauerat libera seruitus, vt si vni subiectus esset, cuncta sibi subdita possideret. Sed ceruicem cordis erigendo sic eum deiecit captiua libertas, vt etiam à vermiculis, & & quod magis est miserum, à seipso multa patiatur. Porro magnus ille honor, quo inter cæteras corporeas creaturas ditatus est, rationalis videlicet acuitas in eo sic hebetata est, vt cum omni creaturæ visibili præesse debuerit, nunc exemplo formicæ viuere iubeatur. *Vade*, inquit, *ad formicam ô piger.* Mens autem quæ fluxa mutabilitate vnum, quieti sufficere poterat, Deum scilicet amisit, unde per diuersa desideria variatur, & huc illucque auida delectatione quærit, in quo pausetur. Sed quoniam ad solum Deum appetendum creata est, postquā ab illo recessit, nihil inuenit, quod ei sufficiat, donec ad ipsum redeat. Vnde nunc per diuersos affectus variatur, vt cum rerum qualitate satiari nō potest, saltem varietate ipsarum rerum expleatur. Victa tædio ipsa natura à cogitatione in cogitationē ducitur: quod fastidiebat appetit, & quod appetebat fastidit, quæ dum quælibet possit, profecto docet quod aliunde pendet. Cuius prima damnatio est, vt Augustinus dicit, horrenda profunditas ignorantiæ, quæ gignit malarum vanarumque rerum multiplices amores, per quos appetūtur vana gaudia, & luxuria & innumera huiusmodi: ex quibus succrescunt mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, & cætera talia: quæ in ipsis infantib. ita pullulant, vt si dimittantur facere quod volunt, vix vnquam ad aliquid boni perueniant. Contra quas eruditio magistrorum diuinitus procuratur, vt praua cupiditas infrænetur, & boni appetitus vtcumque suadeantur. Si tamen aliquis magistrorum, iuxta illud Danielis, inueniri iam, qui ad iustitiam erudiat omnes. Etenim huic sæculo magis contra Apostolum eligentes informant: cūIob licet gentilis ita filios etiam adultos sanctificabat, vt nec in corde quidem peccarent.

VII. Vt quid autem multa de eiusmodi malis quæ lædūt dicam? Quandoquidem si subtiliter cōsideres etiam cuncta, quæ pro salute gerimus huius vitæ, pœnis & miserijs intermixta reperies. An non miseria est corruptioni carnis ad necessaria, atq; concessa deseruire? quod eadem caro exigunt, vt contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis: quod etiam custodita amittitur, amissa cum graui labore reparatur. Et tamen reparata semper in dubio est. Quippe cum corpus tot ex se morbos gignat, vt nec medicorum quidem libris cuncti nominentur, quorum aliqui vix sine amaritudine curantur. An non & hoc miseria est, quod amatus amicus suspectione offendi valet? Formidamus namque inimicos, atque de eis securi non sumus. Ne vero suspiciosi videamur, sic eis frequenter loquimur, quasi amicis. Et rursus dum cauti esse nitimur, pura verba proximorum, multumque nos fortasse diligentium, quasi verba plerumque suscipimus inimici: & qui falli nūquam & qui fallere volumus, ex cautela nostra grauius erramus. Quid itaque hoc est, nisi humanæ vitæ miseria? Nam & ipse homo ita suis afflictionibus assuetus est, vt eas non molestias, sed voluptates putet. Amissa namque cælesti patria, suo exilio, in quo repulsus est, delectatur: grauatur curis, & tamen non cogitat, quam graue sit, quod ipsarum curarum multiplicitas mentem eius suffocat, vt scriptum est, *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Priuatus interno lumine, & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam. Et cum interim cotidianis casibus innumerabiles ei mortes immineant, vult tamen sub timore tot mortium diu magis viuere, quam semel moriendo nullam deinceps timere. Nam quia præceptum conditoris transgredi præsumpsit, ad hunc fuimet defectum iure deuenit, vt quia suam delectationem, quam in rebus exterioribus habuit, eidem conditori præposuit, nunc & in ipsis rebus & in seipso molestias sentiat, quas voluptates esse contempto Deo stultus putauit.

VIII. Vt autem & de his quæ à foris veniunt aliqua ponamus, sciendum est quia alia sunt quæ à Deo patiamur, videlicet flagella: sicut ille Lazarus. Alia quæ à proximis, persecutiones, aut damna, aut contumelias: sicut Apostolus Paulus. Alia quæ ab antiquo hoste, tentamenta scilicet diuersa: sicut Iob. Siue autem per hominem, seu per antiquum hostem aduersa veniant, à Deo vtique iuxta nostrum meritum modificantur. Nam status mundi ex merito nostro perturbatur, & per occultas cordium insolentias aperta prodeunt flagella pœnarum. Quas videlicet pœnas ipse Iudex, & Dominus enumerat dicens. *Surget gens contra gentem.* & cætera. Nos enim, vt in Homelijs dicitur, omnia quæ ad vsum accepimus vitæ, ad vsum conuertimus culpæ: humanam scilicet pacem ad inanem securitatem: salutem corporum ad vsum exercemus vitiorum: vbertatem nō ad necessitatem, sed ad superfluitatem. Ipsa serena blandimenta aëris ad amorem nobis seruire cogimus terrenę delectationis. Iure igitur restat vt simul nos omnia feriant, quæ simul vitijs male subacta seruiebant, & qui in cunctis delinquimus, in cunctis feriamur: vt quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum sentire cogamur tormenta. Hinc in libro B. Iob dicitur. *De humo non egredietur dolor.* Quod scilicet mala nostra exigant, vt à rebus insensibilibus feriamur. Ecce enim expectandus imber arente terra suspenditur, & caliginosus aer sole inardescente siccatur. Mare procellis tumentibus sæuit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit, alijs desideratum iter contradicit. Terra autem suscepta semina consumit. In quibus cunctis patenter ostenditur hoc quod scriptum est de Domino. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Quod tunc vtique fit, quando in pœna delinquētium aduersitas elementorum militat, sicut item dicitur. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictā creata sunt. Bestiarum dentes & scorpij, oppressiones, contritio & flagella. Sed tamen de humo non egredietur dolor: quia nequaquam pœna, quæ ex re insensibili ad nostram afflictionem excitatur, de ea nascitur creatura quæ percutit, sed ea quæ peccando vim percussionis extorsit. Hinc item scriptū est. *Ego Dominus creans malum.* Mala quippe nulla natura subsistunt. Non ergo creantur à Domino: sed idcirco mala creare se asserit, quia res quas ille bene condidit, sed nos male concupiscimus, in flagella, quæ aspera videntur, & mala nobis, conuertit. Inde est quod homo de veneno moritur, de quo serpens viuit. Inde quod ipse cibus & potus Intemperanter sumptus resoluta corpora facit, & immaturam senectutem adducit, quinetiam & mortem: vt item Scriptura dicit. *Qui autem abstinens est, adijcit vitam.* Deus autem videns quod ea quæ nobis donat, & non ipsum qui dator est, peruerso ordine diligimus, ex his quæ ei præponimus salubriter nos ferit: vt tanto citius ad eius amorem resipiscamus, quanto plenius senserimus plena esse doloribus ea quæ affectamus. Neque enim solis exteriorib. male oblectamur. Nam vt ad nos ipsos veniamus, in ipsis nostris membris, quę nobis à bono artifice Deo bene attributa sunt, male frequenter vtimur, vt oculis ad petulantiam conspiciendam. Per ipsos namque mors intrat ad animas nostras. Et quandocumque eisdem oculis species concupiscibilis apparet, quasi vetitum lignum Adam præ oculis habet. Lingua prompta est ad proferendum mendacium, vel ad construendam fraudem, vel ad iurgia exercenda: pedes ad currendum in malum, sensus propter colorem anti, rectum iudicium peruertit. Et ne per singula currere longum sit, non solum per ea quæ vetuit, sed per ea quæ concessit Deus iniuriosi existimus. Et tamen homo custodiam diuinam debet habere in se, ne casum incurrat in corpore, quem cupiendo malum nō timet incurrere in corde. Quapropter dignum est, vt vel in superbo animo nostro multa quæ nos contristant, Deo permittente, sentire cogamur, vel in delicata carne quam auctori frequenter præponimus, censuram supplices sentiamus.

IX. Ab hoste vero maligno tam multipliciter patimur, quā ille nostris deceptionibus, & per naturam subtilis, & per malitiam iugiter infatigabilis insistit. Cuius cuncta tergiuersationum certamina atque machinationes Dominus beato Iob insinuat. Et quod opprimendo rapit, quod insidiando circumuolat, quod minando terret, quod suadendo blanditur, quod desperando frangit, exorsus est dicens. Ecce Behemoth quem feci tecum, & cætera. Quæ omnia in illorum expositione plenius pandùntur. Hic autem il-

lud

A lud tantum commemorandum videtur, quia generaliter
in omnibus agere nititur, quod in primo homine gessit.
Verba Dei de cordibus eorum euellere suaque blandi-
mentaque fraudolenter suggerit molitur infigere. Sup-
plicia quæ Deus minatur obliuisci suadet, & ad agenda
quæ perhibet nos instigat. Tunc dixit. *Eritis sicut Dij.*
Nunc dicit, *In hoc mundo sublimes apparete.* Tunc dixit, *Ne-*
quaquam moriemini. Nunc quasi misericordem Deum fin-
gens, impunitatem scelerum promittit. Sed nos qui expe-
rimento primi hominis didicimus quam districtè Iudex
delinquentes feriat, oportet vt minacem eiusdem iudicis
sententiam extimescamus. Et contra deceptionis fraudem
eiusdem hostis, cautius ac robustius consistamus. Illud
Iob mitius attendentes. *Verebar omnia opera mea, sciens quod*
non parceres delinquenti. Et item dicit Psalmista, *Maledicti qui*
declinant à mandatis tuis.
x. Singulis autem hominibus vitijs conuenientibus insi-
B diatur. Prius enim conuersionem vniuscuiusque perspicit,
& tunc tentationis laqueos, eidem conspersioni proximus
opponit. Neque enim facile captiuaret, si aut luxuriosis
præmia, aut auaris scorta proponeret. Si aut voraces de
abstinentiæ gloria, aut abstinentes de gulæ imbecillitate
pulsaret. Si mites per studium certaminis, aut iracundos
capere per pauorem formidinis quæreret. Sed vt effica-
cius in suæ fraude præualeat, eo vitio quo eum citius con-
sensurum ex qualitate animi eius nouit, explorat. Hinc
scriptum est. *Diuiditur æstus super terram.* Quia videlicet in
hac vita tentationis ardorem callide singulis ingerens
quasi æstum diuidit, dum vicinis moribus laqueos ab-
scondit. In illis autem qui eius voluntati subiecti, qua-
dam securitate perfruitur, dum cordibus eorum quasi
superbus rex inconcussa potestate dominatur. Sed si cuius-
libet mens ad desiderium conditoris incalescit; si redem-
ptoris gratiæ meminit, & teneri captiuus à vitijs erubescit:
cum idem hostis considerat se despici, & contra se manci-
pium quod dudum possederat reniti, mox in omni tenta-
tionum arte se instigat: ac ne is quem possederat ab eius do-
C minio liberetur, multiplici fraude decertat. Hinc de his
qui conuertuntur ad cor scriptum est. *Maledicant ei qui*
maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Eidem
quippe hosti maledicere est peccata quæ suggerit exécra-
ri. Sed quisquis hoc fecerit Leuiathan suscitat, qui vt di-
ctum est in prauorum cordibus, quasi quietus & sopitus
dormit. Quicumque igitur diuinitus respectus, quæ Dei
sunt agere desiderat, Leuiathan in certamine contra se
prouocat: eiusque malitiam sua conuersione inflam-
mat. Nec magnopere ergo quoslibet prauos inquietat,
quippe quos non solum per mala, sed per ipsa quoque
bona opera, quæ non sinceriter gerunt, sibi seruire con-
spicit: sed ad Deum confugientibus innumeras insidias
tendit.
xi. Quibuslibet autem prauis mala quælibet aperte sugge-
rit, eisque velut familiaribus iniquitates manifestius insti-
nuat, vt scienter agant quæ mala esse nō ignorant. Bonis er-
go velut extraneis latenter insinuans, mala quæ publice
non valet, tecta subintroducit: vt qui malis consentire re-
D fugiunt, in bonis aut tepidi fiant, aut nimio zelo modum
excedant. Quos plerumque grauius per ministros suos,
quam per seipsum nocet, dum per malos vel illicit bonos
ad malum, vel impedit eos in bono. Vnde Propheta,
Velociores, inquit, *fuerunt aquilis cæli inimici nostri.* Omnes
tamen quibus præualet per tria vitia vehementius mergit.
Videlicet alios per superbiam qua se extollunt, alios per
luxuriam, qua suis voluptatibus seruiunt, alios per ma-
litiam, qua suos proximos grauant. Vnde & tribus nomi-
nibus ex ipsis tribus actionibus appellatur: scilicet auis, &
Behemoth, quod est iumentum, & Leuiathan, quod
est draco: In his namque quos pro spiritalibus vel tem-
poralibus diuitijs in superbiam eleuat, auis est. In his ve-
ro, quos ad luxuriam eneruat, iumentum est. In his quos
ad nocendi malitiam inflammat, draco est. In illis autem
quos pariter per tria hæc mergit, iumentum simul, &
draco, & auis est. Maxima tamen virtus eius in luxuria est.
Vnde ad B. Iob dicitur. *Fortitudo eius in lumbis eius.* Vide-
licet propter masculos. *Et virtus illius*, propter fœminas,
in vmbilico ventris eius. Vbi notandum, quia fortitudo eius E
non dicitur esse in lumbis, vel in vmbilico eorum qui
prosternuntur: sed in lumbis & vmbilico ipsius diaboli,
quia nimirum sicut in XXXII. Moralium libro perhibetur,
eius propriè corpus fiunt, qui ei per luxuriam succum-
bunt.
In qua tamen luxuria neminem vsque ad consensum xii.
mergit, nisi eum qui prius in oculis Dei superbiendo cadit.
Quod in se primus homo ostendit, qui postquam super-
biendo peccauit, mox genitalia membra erubuit. Nam
quia Deum superbiendo contempsit, mox à subdita car-
ne prælium sumpsit. Vnde Propheta, *Respondebit*, inquit,
arrogantia Israel in faciem, Id est, per meritum superbiæ la-
tentis in apertam luxuriam cadere permittitur. Qui vt o-
stenderet, quod libido ex merito superbiæ proruperit, ait.
Spiritus fornicationis in medio eorum. Si enim spiritus superbiæ
sub Deo premitur, caro super spiritum illicite non eleua-
tur. Quisquis ergo superna appetit, si postea voluptate pro- F
sternitur, non tunc se iudicet victum, cum aperte supera-
tur, quia tunc vtique ante Dei oculos in culpæ voraginem
cecidit, cum sese vltra quam deberet efferens latenter intu-
muit.
Igitur malitia ad violentos pertinet. Superbia vero & xiii.
luxuria, tam ad ipsos, quam etiam ad alios, qui mansueti
plerumque videntur. Nam in ipsis mendicis & pauperri-
mis ista duo vitia vigere solent. Elatio namque spiritum
erigit, luxuria carnem corrumpit. Vnde & isdem nequam
spiritus sub vmbra & in secreto calami, & in locis humen-
tib' dormire perhibetur. Quotiès eos quos decipit, primo
à caritate Christi tepere facit. Tum vero per elationem
quæ per calamum foris quidem nitentem, sed intus va-
cuum designatur, sibi eos subiugat. Deinde per genita-
lia membra, quæ loca humentia intelliguntur, ad tur-
pitudinem prosternit. Sanè qui vel hæc duo, vel cætera
quælibet eius figmenta superare cupit, hunc in prima sug-
gestione contemnat. Quæ suggestio caput eius est. Quod
videlicet caput ab vnoquolibet fidelium virtutis pede fa-
cile conteritur, si prima suggestio respuatur. Vnde ad e-
undem hostem de qualibet studiosa anima Deus dicit. *I-*
psa conteret caput tuum. Cauda vero illius, est operis com-
pletio, de qua scriptum est. *Stringit caudam suam sicut ce-*
drum. Succisa cedrus in lapidem durescit. Caudam vero
suam quasi cedrum stringit, quia si caput eius, quod est
blanda suggestio, semel in corde recipitur, deinceps ei-
dem cordi quasi ex iure dominatur, & violenta consuetu-
dine pene insolubiliter innodatur. Hinc est quod non-
nulli peccata sua fugere satagunt, sed euadere hæc etiam
decertantes nequeunt. Quia tanto ignis suasionis illius se-
mel receptus amplius incēdit, quanto se ei ad consentien-
dum molliorem quisque in vitio præbuerit. Sed quia nul-
la ratione conceditur, vt mens in hac carne posita suasio-
nis eius ardore non fatigetur: restat vt malignis flatibus
adusta, ad orationis aut confessionis opem sine cessa-
tione se conuertat. Flammam quippe suggestionis il-
lius & vnda lachrymarum citius extinguit, & humi-
lis confessio fraudes eius efficaciter tanquam proditas al-
lidit. H
De his quæ à proximis proximi patiuntur aliqua nihil- xiv.
ominus relaturi, videtur vt duas generationes hominum,
scilicet malorum & bonorum, primo ab exordio me-
moremus. Iam vero de singularum actibus quisque
probet in qua generatione teneatur, dum cognouerit ad
quam ex eisdem generationibus pertineant opera quæ
facit. Sunt itaque duæ generationes hominum, quæ
à duobus filijs Adam, à Cain videlicet, & Abel, ex-
ordium acceperunt: & vsque ad vltimos, qui nascitu-
ri sunt, nunc diuise, nunc mixti percurrunt. De
bonorum generatione quæ ab Abel iusto incipit, ita
dicitur, *Vos autem genus electum.* Et item. *Generatio*
rectorum benedicetur. Et alias. *Dominus in generatione*
iusta est. De malorum vero, quæ à Cain incipit, sic
dicitur. *Generatio praua & exasperans.* Et item, *Ge-*
neratio quæ non direxit cor suum. Et illud, *gens absque con-*
silio est. Quid enim plus sine consilio est, quam sicut il-
lic sequitur nouissima non prouidere? Gens bonorum

A habet ciuitatem suam Hierusalem, cuius & ciuis est, partim in cœlo iam regnans, partim hic peregrinans. Et habet humilem regem Christum, de quo eidem dicitur. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens supra pullum asinæ.* Habet & illa generatio malorum ciuitatem suam Babylonem, partim in inferno damnatam, partim adhuc in iniquitatis ministerio occupatam. Quæ & superbum regem habet diabolum, de quo dicitur, *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.*

XV. In illis autem duobus hominibus, à quibus hæ generationes exortæ sunt, quid sequaces eorum gerant prouida dispensatione expressum est. Nam vt prius de Cain dicamus, qui primogenitus Adæ fuit, (vt enim Apostolus ait, *non prius quod spirituale, sed quod animale,*) ipse agricola extitit, & sequaces eius totis desiderijs terrena quærunt: qui hic habent bonum suum, quamuis multis angustijs intermixtum, cuius boni perceptione lætantur. Qualis lætitia de talibus gaudijs & rebus inesse potest? Ille sacrificium
B Deo, sed non simpliciter obtulit, & isti fidem, licet verbotenus, tenent. Qui sæpe multa bona faciunt, quæ tamen vel malorum admixtione, vel sicut ille, fraterno odio commaculant. Alijs donant, alijs rapiunt, mercedes congregant: sed vt scriptum est, eos in saccum pertusum mittunt, dum pro ipsis donis aut laudes ab hominibus, aut à Deo præsentis vitæ felicitatem quærunt. De quibus Propheta dicit, *Victimas in profundo deferunt*, id est, ea, quæ in imo sunt, per quælibet bona opera requirunt. Nam si cælestia quærerent, victimas in altum leuarent.

XVI. Ille fratrem occidit: isti proximos aut damnis affligunt, aut exemplis necant, quantum in ipsis est. Vnde scriptum est. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.* Videlicet in quibus malorum prauitas displicet, calumniatores rectè vocantur, non solum qui exteriora bona rapiunt; sed etiam qui vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt. Grauiorem namque ca-
C lumniam nobis infert, qui male viuendo vim nostris moribus irrogat, quam is qui violenter damna rebus ingerit. Huiusmodi autem quisque non solum calumniator, sed homicida ex verbis Domini comprobatur. Ait enim de diabolo. *Ille homicida erat ab initio*, id est, quo exitium homo cui inuidebat. Vide vt Ioannes dicit genus homicidij. Non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit, serpente indutus, locutus est mulieri, & per illam venenauit virum. Illum vtique audiendo mortui sunt. Diabolus verbum seminauit & occidit. Noli ergo putare hominem illum non esse homicidam, qui vel exemplo, vel verbo mala persuadet: quia si fratri persuadet, occidit. Inde est quod ille lusus Ismaelis cum Isaac non lusio, sed illusio à matre putatur, & ab Apostolo persecutio nominatur.

XVII. Ille ab ipso Deo prohibitus est ne fratrem occideret, sed audire contempsit. Qui postea vt haberet pœnitendi occasionem requisitus est, sed confiteri noluit. Nec enim in hoc ei dissimiles isti sunt, qui scienter prohibita quæque faciunt, iussa vero contemnunt. Nam videas eos impudenti præsumptione quælibet vitia committere, &,
D quod iuxta B. Gregorium omni peccato fit grauius, etiam de patratis sceleribus superbire, vt scriptum est. *Lætantur cum male fecerunt.* In his namque, sicut in Cain, superbia per vsum crescit: vt ita hoc vitium in se nec saltem esse putent, cum eo pleni sint. An non ingens in illo superbia fuit, cum requisitus respondit. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Nam quo latius caligo se dilatat, eo vehementius visum obscurat. Ita & hæc paulisper crescens, mentis oculum à spirituali intellectu diuidit, vt captiuus animus hanc & pati possit, & in se videre non possit. Quia vero anima semel voluntariè lapsa numquam illic iacere permittitur, quo primitus cadit, sed ad grauiora detrimenta tanto profundius proruit, quanto longius à conditoris humilitate discedit: idcirco tales iusto Dei iudicio obcæcantur, vt ad eius præcepta durum & insensibile cor habeant. Vnde Psalmista, *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Excæca, inquit Isaias, cor populi huius, quo contra de humilibus dicitur. *Beatus vir qui semper est pauidus.* Per
E hanc itaque duritiam quam idcirco incurrunt, quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, mandata eius obseruando, ita destruuntur, vt amittant à corde innocentiam, ab ore veritatem, ab opere iustitiam, à carne continentiam, ab intellectu fidei religionem. Deus enim dedignatur cum superbia coli. Vnde & hi in suis immunditiis merito superbiæ dimissi diabolicis suasionibus ita falli permittuntur, vt etiam ad perfidiam dilabantur. Hos defectus ab eisdem malignis spiritibus sensim perstructos, Psalmista demonstrans ex voce destruentium Hierusalem ait. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum.* Fundamentum enim est fides, quia super hanc bona opera construuntur. Peruersos ergo spiritus virtutis munimen vsque ad fundamentum exinanisse est, euerso bene viuendi opere, etiam à cordibus hominum robur fidei dissipasse. Hinc Ieremias. *Constuprauerunt te,* inquit, *vsque ad*
F *verticem*, hoc est ab exterioribus actibus, quasi ab inferioribus membris, vsque ad celsitudinem fidei quæ est totius virtutis fundamentum, polluendo peruenerunt.

Quique tales forte non patientur audire, quod fidem perdiderunt. Sed nunquid fidem habere dicendi sunt, qui proximos persequuntur? cum doctor gentium dicat: *Qui negligit curam proximorum, fidem negauit.* Et certe peius est fratres opprimere, quam eorum curam negligere. Iudex quoque hominum quomodo reprobabit eos, qui vt canibus vel equis cibos præparant, victum pauperis per sudorem acquisitum auferunt, si illos in æternum ignem proiiciet, qui esurientem non cibant? Nam & Pater Augustinus in epistola Sancti Ioannis dicit. Christus propter solam charitatem in carne venit: qui ergo charitatem non habet, Christum negat in carne venisse. Sunt plurima quæ quosdam in Ecclesia constitutos infideles esse demonstrant. Personâ potentis ita plerique accipiunt, vt pro eius fauore verum in causa proximi negent. Et quid est veritas, nisi Christus qui ait, *Ego sum Veritas?* Ioannes non de confessione Christi; sed de iustitiæ veri- G
tate requisitus occubuit. Quisquis ergo veritatem idcirco negat, ne personam potentis offendat si Ioannes eo ipso propter Christum occubuit, quia videlicet pro veritate mortem incurrit, iste proculdubio Christum negat, qui ne personam offendat veritatem tacet. Ecce post hæc ante oculos hominum Christianus est, sed si districte iudicetur ante Deum, iam non est. Quo videlicet libro multa de ministris eius in Ecclesiæ dicuntur, per quæ & Balaam & Iezabel imitari & Antichristi membris vniri comprobantur.

Vt autem ad aliquid tale veniamus, in quo persimile factum esse Cain sequaces euidentius manifestentur: Ille, XIX.
vt dictum est, monentem Deum audire noluit: isti seruos eius & Rectores contemnunt, immo ipsum per ipsos, sicut in ipsius verbis ostenditur dicentis: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Qui etiam eisdem Rectoribus potestatem ligandi atque soluendi in persona beati Petri concessit, quam ita confirmauit vt alias diceret: *De omni re quamcumque duo ex vobis consenserint super terram, fiet illis à Patre meo.* Sed ob hoc forte H
vel excommunicationes pastorum, quas ad compescendam prauorum malitiam adhibent, vel admonitiones contemnunt, quia vitam illorum reprehendunt: quod equidem ingens scandalum quibusque illosoribus præbet. Sed pastor & Episcopus animarum nostrarum Christus non est contemnendus, qui in his auditur, & contemnitur, qui sicut præsens futurorum huic temeritati contemptorum obuiat dicens. *Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Et vt hoc inferamus, quis peior quam Caiphas, qui de Christo prophetauit? Scilicet qui Prophetiam vnde meruerit, sanctus Euangelista monstrare studuit, dicens. *Cum esset Pontifex prophetauit.* Saül Rex impius & reprobus, cum præciperet ne quis donec esset completa victoria comedisset, Ionathas etiam iussionis nescius paululum mellis gustasset, mox diuinus fauor ita subtractus est, vt victoria penitus intermitteretur. Quam indignationem

suam

A snam idcirco Deus tunc palam fecit, vt quantopere in cõ-
temptu Rectorum offendatur, deinceps per omne sæcu-
lum intelligi posset. Nam & Iudas proditor cum cæte-
ris Christi discipulis dæmonia fugabat, quod in libro Epi-
stolarum sancti Gregorij, & in Sermone de Cruce sancti
Ioannis Chrysostomi perhibetur. Igitur Caiphas propter
Pontificatus honorem prophetauit; & illam Saulis iussio-
nem ab ignorante licet contemptam adeo vindicauit, vt
Ionathas mortis sententiam incurreret, nisi totius populi
auctoritate liberaretur. Dæmones ob reuerentiam diuini
nominis ab ipso suo complice fugabantur. Cum vero ista
ita sint, videant quid faciant, qui Pastores etiam sine fide
Christi viuentes despiciunt. Vt enim ita dixerim, audacio-
res sunt quam dæmones.
XX. Quid & si reprehensibiles sunt, vt in XXV. libro Mora-
lium disputatur, magna cautela subditis cauendum est, ne
vitam eorum iudicare præsumant. Habent iudicem suum
Deum, qui per magistros quidem vitam iudicat plebium,
B sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quam
uis et. à subditi, quos modo magistri discutere vel negligũt
vel non possunt, eius proculdubio iudicio reseruentur. Nã
Prælatos à se solo iudicandos innuit, cum cathedras ven-
dentium columbas sua manu euertit. Si autem rectores
natisant, subditi seipsos tantum, & non illos accusent,
quia certe eorum culpa est quod talibus subijciuntur.
Scriptum quippe est: *Dabo tibi Reges in furore meo.* Et item:
Regnare facit Deus hominem hypocritam propter peccata populi. Si
ergo irascente Deo secundum merita rectores accipimus,
in illorum actione colligimus, quid ex nostra æstimatione
pensemus, vel cuius meriti simus. Si ergo magistrorum
vita iure reprehenditur, oportet vt eos subditi sufferant,
etiam cum displiceant. Sed hoc est solerter intuendum,
ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas, aut quem
imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via
tenenda est rectitudinis & humilitatis, vt reprehensibilia
magistrorum facta displiceant, quatenus mens subdito-
C rum à seruanda magisterij reuerentia non recedat. Debes
tamen à subditis humiliter suggeri, si forte valeas in Præla-
tis quod displicet emendari. Et libere ergo dicenda sunt
quæ sentimus, & valde humiliter promenda quæ dicimus,
ne & quæ recta intendimus, hæc elate proferendo, non
recte faciamus. Quod enim magistri à subditis reprehen-
di non debeant, bene bubus calcitrantibus inclinata illa
Testamenti, quæ Rectores significat, Arca figurauit.
Quam quia casuram credens Oza Leuites erigere voluit,
mox sententiam mortis accepit, in humero percussus, quo
ex præcepto Legis eam ferre debuerat: quia nimirum dum
subditi contra Prælatos, quorum imperia ferre debuerant,
manum submissionis mittunt, à sorte viuentium repro-
bantur.
XXI. Christus baptizat, sicut Deus Pater Baptistæ Ioanni te-
statur dicens, *Super quem videris Spiritum descendentem, hic
est qui baptizat.* Non ergo melior est baptismus per manus
cuiuslibet sancti hominis, quam per manus peccatoris,
quoniam qualiscumque baptizator sit, Iesus est qui bapti-
zat. Sic & de ministerio sancti altaris debet intelligi, quia
D scilicet per manus aut iusti aut iniusti sacerdotis oblatio-
nem consecrat ipse Christus. & sicut Ioannes in Homi-
lia de proditione Iudæ disseruit, nunc ipse Christus præ-
sto est, & non ipse sacerdos corpus Christi consecrat, sed
ipse Christus per ipsum. Nam sicut vox Dei in primordio
mundi semel iussit, vt terra per singulos annos fructum
afferat, & illa semper habet effectum ad generationem;
sic & eadem vox hominis Iesu semel quidem in cœna di-
xit, Hoc est corpus meum, & hoc facite in meam com-
memorationem: sed donec, vt ait Apostolus, ipse veniat
ad iudicandum efficientiam ipsi sacri, vox ista per omnem
Ecclesiam adimplet. Et quidem fieri potest vt is qui con-
secrat, alter Iudas sit, cui rex dicat. *Amice quomodo huc in-
trasti?* Is tamen q non mentitur faciet quod promisit. Hinc
itaque ex obliquo vnusquisque intelligat, quia vis & pon-
dus excommunicationis, aut ammonitionis pondus, per
XXII. qualemcumque personam fiat, ex Dei maiestate penseiur,
cuius auctoritate deponitur.
Spiritalis, iuxta Apostolum, omnia dijudicat, sed ani-
malis homo non percipit spiritalia. Quapropter & isti ni- E
hil secundum fidem metientes, pro eo quod contemptus
eorum non statim per aliquod manifestæ vltionis signum
redarguitur, negligunt futurum examen contremiscere,
quod ad præsens non experiuntur, & idcirco ad peccan-
dum sunt præcipites, ad corrigendum vero difficiles. Vn-
de scriptum est, quia propter hoc multiplicantur mala in
terra, quod non cito profertur sentẽtia contra delinquen-
tes. Et certe tunc peiore vltione damnantur, cum eis nul-
la aduersitate resistitur: quia videlicet vt in XXVI. Mo-
ralium libro dicitur, eos Deus ad supplicium æternum re-
seruat, quos per temporales afflictiones à suis prauitatibus
non refrenat. Hinc scriptum est: *Percussit inimicos suos in
posteriora*, non in præsenti, *& opprobrium*, non temporale,
sed *sempiternum dedit illis.* Hinc Sanctus Noe filium suum
reprobum, non in ipso, sed in posteritate seminis eius da-
mnauit. Non ergo rebelles sibi de impunitate blandian-
tur, quia nunc Deus magis pœnaliter præualere permitti-
tur, & manifestæ damnationis indicium est, quod conati- F
bus eorum nulla contrarietate impediente subsequens sa-
uet effectus. Etenim quia Deus, vt scriptum est, nullum
tempus sine testimonio suæ virtutis derelinquit, multos
etiã nostra ætate pauenda vltio punis, vt illud fuit. Cum
ante hos annos Sancti Andreæ solemnitas in prima Do-
minica Dominici Aduentus concurrisset, quidam Sacer-
dos, sicut Turonicæ Ecclesiæ Præcentor asserit, Parochia-
nis suis vtrasque Missas audire præcepit. Inter quos erat
quidam Medicus, qui audita prima Missa discessit. Quem
cum Sacerdos increpasset, graue ei respondit. Et ille ex-
communicauit eum. At vero Medicus ad domum suam
iratus discessit, & in contemptum excommunicationis
mox potum accepit, atque protinus vexari cœpit quous-
que animam exhalaret. Si isti hoc vidissent forsitan timuis-
sent, quibus illa exprobratio cõgruit. *Generatio praua & a-
dultera signum quærit.* Vt illud Iob. *Videntes plagam meam ti-
metis*, quia plerique Deum timere nesciunt, nisi cum vel in
se, vel in alijs experta aduersitate terrentur.
Theodosius Imperator ille famosus, sicut Tripertita hi- G
storia refert, quadam vice à quodam monacho, qui, vt cre- XXIII.
do, non bene compos mentis fuerat, pro quadam eius
querela, quam non statim expedierat, excommunicatus
est. Et monachus quidam excommunicatione in pittacio
descripta, & quo ab Imperatore inueniri posset procul
discessit. At Imperator non illum gyrouagum, sed cœle-
stem potius Regem, cuius auctoritate solet excommuni-
catio fieri, in causa considerans, prandere nullatenus, cum
quidem incumberet hora, præsumpsit. Multisq; Episcopis
coram astantibus, & cum illo Episcopo, ad cuius diocesim
prædictus monachus pertinebat, licentiam dantibus, cogi
non potuit vt aliquid gustaret, donec monachus diu mul-
tumque quæsitus, & aliquando repertus est, & rogatus vt
Imperatori licentiam daret. Velim vt istis personis ex ob-
liquo personas componant, quatenus causam à contrario
verius discernant. Ecce Imperator non qualiscumque, sed
Theodosius omni sæculo post se mirandus obseruauit ex-
communicationem non rationabiliter, sed inepte prolatã,
neque à quolibet, qui vel tenuem excommunicandi po- H
testatẽ habuerit, sed à stulto monacho fortuitu iniectam.
Isti vero degeneres homunciones, nullumque saltem apud
vulgares signum honestatis habentes, contemnunt excõ-
municationem non fortuitam, sed Ecclesiastica censura
per Pontifices decretam. Certe quia dies mali sunt, in qui-
bus, vt ait Apostolus, existunt homines seipsos amantes,
qui auditum à veritate auertentes sanam doctrinam non
recipiunt. Inde est quod pondus diuinæ auctoritatis paruı-
pendunt, & non solum Dei ministros, sed ipsum etiam per
eos admonentem more Cain spernunt. Quia vero de vno
Rege, qui mira humilitate excommunicationem, licet in-
eptam, obseruauit, audiuimus, nunc de alio quid contigit
audiamus.
Legitur in historia gentis Anglorum, quod quidam E- XXIV.
piscopus duos fratres palatinos viros pro repudio vxorem
excommunicauit. Contigit autem vt Rex ipsius gentis iu-
xta domum ipsorum transiret. Qui multis blandimentis
delinitus, vt apud eos ad prandendum diuerteret, tandem

consensit. Expleto autem conuiuio, cum iam rediret, obuiauit Episcopo, qui fratres illos excommunicauit: quem cum vidisset intremuit, & exiliens de equo in media, vt erat, via prostrauit se coram Episcopo. At ille appropinquans ad eum, ferula, quam manu tenebat, tetigit eum dicens: O Rex non est meum ignoscere tibi, quia contra Deum fecisti, quando te excommunicatis sciēter sociasti. Idcirco ista sententia est de te: hoc anno mori habes in domo ipsa, in qua excommunicationem contempsisti. Quod & factum est, sicut ibi legitur. Ecce Rex non potuit hunc reatum nisi moriēdo expiare: ecce Episcopus nec prostrato regi in puluere potuit ignoscere. Ex his ergo colligendum est, quia nec ipse Episcopus, cuius excommunicatio contemnitur, sine grauissima pœnitentia huiusmodi facinus ignoscere potest.

XXV. De signis vero illud sciendum, quia iuxta scripturam, *Vnicuique rei tempus suum est sub cœlo.* Vnde sancta Ecclesia signis ad corroborandum suorum fidem in primordijs suis indiguit. Nunc vero constante iamdudū fidei statu signa admodum non requirit. Verum vt internus arbiter cogitationes ex multis cordibus reuelet, terribili dispositione priusquam Antichristus appareat, virtutum signa ab eadē Ecclesia subtrahuntur. Nam Prophetia absconditur, curationū gratia aufertur, prolixioris abstinentię virtus minuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur: hoc in XXXIV. libro Moralium. Quod idcirco fieri permittitur, vt dum subtractis virtutib. eadem Ecclesia abiectior apparuerit, manifestum fiat qui illam propter spem cœlestium præmiorum, & nō propter præsentia signa venerantur, & qui sunt illi qui inuisibilia, quę promittit, sequi negligunt, dum signis visibilibus ad eius reuerentiam non incitātur, cum etiam à fidelibus miraculorum diuitiæ subtrahuntur. Vnde scriptum est de eodem Antichristo: quia faciem eius præcedet egestas. Satellites eiusdem Antichristi mira facturi sunt, qua videlicet occasione fiet, vt qui Ecclesiam pro solis miraculis venerantur, illius veneratione contempta, ad illorum qui signa fecerint consortium trāsferantur. Bonis tamē † signa omnimodis non deerunt, sed in comparatione eorum aut pauca, aut nulla videbuntur. Inde est quod nec ipsa periuria, quæ tam cito Deus punire solebat, iam manifesta vltione vindicat, imo vero ea, quasi non punienda sint, multiplicari permittit. Nunquid periuri dicere possunt, quod vel Deus modo non puniat quod ante solebat, vel sancti non eiusdem sint potestatis, vt periuria super se facta sicut olim puniebant, ita nunc punire nequeant? Possunt vtique, sed iam tempus est vt signa cessent. Non vtique mirum si contemptum Deus Prælatorum vindicare dissimulat, quandoquidem Sanctorum iniurias tam longanimiter suffert. Sed quia de iuramento sese occasio præbuit, quid de hoc Hieronymus in V. Ezechielis libro dicat commemoremus. Sedecchias Rex pactum subiectionis cum Rege Nabuchodonosor inierat, sed mentitus est ad regem Ægypti confugiens. Dicit ergo Ezechiel: *Nunquid effugiet qui soluit pactum? Viuo ergo,* dicit Dominus, *quia adducam eum in Babylonem, & ibi morietur in præuaricatione, qua despexit me.* Sententia secularis est, dolus an virtus in hoste requiratur. Quam sententiam solent opponere qui dicunt hostes fraude decipiēdos, & quib. vt acquiescamus donec iures & pactum ineas sub nomine Dei. Prudentiæ est & fortitudinis, vel decipere, vel superare aduersarium qualitercumq; potueris. Cum aūt te constrinxeris iuramento, neque tanquam aduersarius decipiendus est, quia non est considerandum cui iuras, sed per quem iuraueris. Alioqn & illum despicis per quem iuras, & hostis fidelior inuenitur quam tu, qui propter nomen Dei tibi credidit. Non enim hostem decipit, sed amicum, qui illum decipit cui iuramēto diuini nominis fuerat copulatus. Hoc dictū sit vt Christianus, qui contra Christianum iuramentum frangit, quid mereatur hinc intelligat, si fœdus illud quod contra paganum Iudæus violauit sic animaduertitur, vt Sedechias auulsis oculis propter hanc pręuaricationem in Babylonem cum ducibus suis captiuus ductus sit.

† modis omnibus.

XXVI. Vt autem sacerdotalis dignitas propter fidei maiestatem ostensione etiam visibilis miraculi commendetur, illud Beati Petri ad medium deducatur. Hic B. Petrus Alexandriæ præsul fuit, & Arrium hæreticum ab Ecclesia sua primus eiecit. Cui dehinc instante passionis articulo Christus per somnium nimio splendore fulgens apparuit, indutus videlicet colobio nimis candidissimo, sed vsque ad pedes scisso. Quod tamē colobium ambabus manibus ad pectus suum stringēs, nuditatem suam quodammodo operiebat. Quem Petrus esse Christum intelligens, cum ingenti horrore attonitus ait: Mi Domine, quis hoc fecit? At ille ait: Arrius mihi hoc fecit, & cætera quæ ille nimis affectuose prosecutus est. Hic ergo Petrus tempore Episcopatus nunquā in cathedra sua sedere voluit, sed super scabellum ipsius cathedræ residebat. Propter quod frequenter Clerus & populus contra eum querebatur, sed nequaquam acquiescebat, quoniam quotiescumque thysiasterium ascendebat, splendor igneus de ipsa sede egrediens apparebat, cuius aspectu vir sanctus ita accendebatur, vt nesciret se interdum esse in corpore. Cum autem quadam die Clerus & Episcopi, qui aderant de prædicta sessione quererentur, ille coactus & iam celare non valens, Quid, inquit, affligitur cor meum! An non videtis virtutem igneam quę emicat de solio illo, & spiritum coruscare non cernitis? Cumq; omnes demisso capite tantā rem audientes conticuissent, ille subiunxit. Credite mihi filioli, si videretis quæ video, tunc cognosceretis, qualis est sacerdotalis virtus, & quæ gratia in ipsa habitat, ad cuius maiestatis præsentiam ego territus sedere in eadem cathedra non audeo. Quo exemplo si bene consideratur, cum hinc admodum contemptores terreri possent, tum quoque ipsi sessores non mediocriter contremiscerent. Hoc in ipsius passione refertur.

XXVII. Manebit ergo sanctæ Ecclesiæ sua potestas, & impietas imperij erit super eum. Fidelibus autem de eadem Ecclesia dicitur. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Id est non secundum quod foris apparet, sed mentalibus oculis quæ virtus in ea sit introspectent: semper namque præsto est ille qui promisit. *Ecce ego vobiscum sum,* &c. Vnde & illic sequitur: *Vt enarretis quoniam hic est Deus.* Sed & sancti quique Pontifices sedibus suis quas aliquando corporaliter tenuerunt, spiritali præsentia semper adesse creduntur. Quod etiam si placet exemplo monstretur. In illa D. Gregorij vita, qua Romani vtuntur, multa mirabilia per præsentiam eius post transitū in illo suo monasterio, cuius in Homilijs meminit, patrata manifeste declarantur, è quibus vnum est. Quidam nefarius nomine Dominicus quandā sanctimonialem à se corruptam iuxta illud monasterium sibi conduxit, cumq; hospitio latrina deesset, trabeculas, quæ fontem sancti Gregorij senserant, infelix abstulit, & latrinam aptauit. Cum sequenti ibidem nocte dormiret, comprehensus est à duobus quasi cubicularijs atque ligatus: quos cum interrogaret cur se ligarent & iam crudeliter impellerent: propter fornicariam, inquiunt, te sanctus Papa iubet in audientiam duci. Forte tunc Iannes Pontifex Romanus pridie contra Sarracenos perrexerat: cuius absentiam reus ille recordatus Dominus, inquit, Papa, nūc in vrbe non est, & quomodo me ligari iussit? At illi dixerunt: Si Papa Ioannes hinc abijt, sanctus Gregorius hic remansit, qui more solito vrbem perlustrans cum huc veniret, septa sui fontis à te propter meretriculam reperit dissipata. Ille excitus cum iam internis febribus arderet duodecimo die expirauit. Qui Zachariæ quidem qui monasterio præerat obiurgationem contempserat, sed Gregorium loco esse præsentem atque singula quæque perscrutantem, quod non suspicabatur, moriendo probauit.

XXVIII. Quisquis igitur ex fide viuit, Christi vel sanctorum eius præsentiam reuereatur, & non præconem contemnat; si etiam, quod absit, vitæ merito contemnendus fuerit, sed iudicis potentiam reformidet. Licet enim talis iudicandi locum teneat, cuius vita loco minime concordat: quisquis tamen regiminis gradum sortitur, locum Apostolorum in ligandi atque soluendi auctoritate suscipit. Et idcirco sicut in Homilia Euangeliorum vigesima sexta sancti Gregorij dicitur: Vtrum iuste an iniuste liget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is & qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo sicut de omnibus iudicijs suis, rationem vero iudici redditurus, vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare: subditus vero ligari timeat,

A vel iniustè. Qualiter autem Prælati vel sibi, vel subditis viuant, aut qualiter quædam leuius, quædam asperius corrigant, quædam dissimulent, nec tamen crescere sinant, in libro Pastorali manifestè disserui. Hic tamen ex lib. XXVI. Moralium illud commemoretur, si prauorum correptione cessauerint, ipsi pro eis puniuntur. Et quot regendis subditis quisque præest, tot apud districtum iudicem animas solus ad reddendam rationem habebit, cum forte de sua sola vix sufficiat. Subditos quoque tanto liberiores in diuino examine prælati reddent, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deleuerunt: ipsi vero tantu obligatiores fiunt, quantu in his qui committunt, nec verbi quidem increctione ab aliquo lacerantur.

XXIX. Prauorum peruersitas exigit, vt contra contemptum eorum tanta dicamus, accepta videlicet occasione de Cain, cuius isti sequaces sunt qui Dei ipsius admonitionem contempsit: qui & culpam confiteri noluit, sed timide respondit dicens. *Nunquid custos fratris mei sum?* In quo facto genitorem suum Adam imitatus est qui ad pœnitentiam B requisitus mox adminiculum excusationis adiunxit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi, & comedi.* Excessum suum latenter intorquens in auctorem, quasi ipse qui mulierem dederat, occasionem delinquendi præbuisset. Hinc est quod ex illa radice ramus huius erroris vsque nunc in humano genere protrahitur, vt quod quisque male agit, aut excusando leuigare, aut argumentando defendere conetur. Et certe peccare non debuimus, sed vtinam post ruinam resurgere conaremur, & culpam defendendo non multiplicaremus. At miserabili modo quo spiritus peccandi longius à veritate disiungitur, eo nequius obduratur. Et culpa quæ terrere mentem debuit, magis hanc extollit. Porro autem de Cain adhuc aliquid contra eius imitatores dicamus. Ille vagus & profugus degit, & de istis dicitur. Ambulabunt in vacuum & peribunt. In vacuum ambulant qui nihil secum de fructu sui laboris post mortē portant. Qui & profugi sunt, quia vitam præsentem sequentes fugiunt æternam, istam inuenientes, illam perdunt. Alius namque C adipiscendis honoribus, alius multiplicandis facultatibus, alius promerendis laudibus anhelat: sed cuncta hæc quisque aut ante mortem perdit, aut moriens deserit. In vacuum ergo laborat, & vagus vitam suam percurrit, qui secum ante iudicem nihil ad promerendam animæ salutem portat. Quoquo enim modo culpa prodeat, ita semper eidem subacti sunt, vt vel rectè non incipiant, vel si inceperint fracti in ipso conatu ad consuetam prauitatem redeant. Ille primogenitum suum Enoch vocauit, atque ex nomine eius ciuitatem quam condidit appellauit. Enoch dedicatio dicitur: & omnes iniqui quanto longius à cœlesti hæreditate diuisi sunt, tanto profundius in hac vita quæ prima est cordis radicem figunt. Et cum scriptum sit: *Ne discumbas in primo loco*, se in primordiis dedicant, vt hic ad punctum floreant, & à sequenti patria funditus arescant.

XXX. Quorum studia hæc sunt. Contra præcepta conditoris indurescunt, prauis desideriis succensi, nec suis moribus D aliquando parcunt. Inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento quærunt. Bonos verò dictis & factis persequuntur, & etiam gladiis. Spem in temporalibus ponunt: contra flagella conditoris insensibiles existunt. Mortalia non mortaliter cogitant: habendi cupiditatem nullo congestu lucrorum finiunt. Inter quaslibet amaritudines ad voluptatem carnalis desiderij recurrunt: corpus quantum possunt epularum diuersitatibus nutriunt, mœstitiam locorū blandimentis demulcent. Ne despecti videantur, dignitatibus se exaltant: potestatibus cunctos transcendere gestiunt. Qui vero astutiores sunt, corda sua discunt machinationibus tegere, sensum verbis velare, irrogata mala multiplicius reddere, simplices irridere. Hæc veteris hominis prudentia est, quæ à pueris pretio discitur, in iuuenibus vsu roboratur: itaque qui sciunt, cæteros despiciunt; qui nesciunt, in aliis vrbanitatem putant. Hi superna quæ amiserunt, nec plangunt, nec recogitant: ingenuitam libertatem non recolunt, semetipsos in his, ad quæ prolecti sunt, deserunt. Exilium quod patiuntur more patriæ diligunt, & cum miseri sint ipsas miserias amant, seque inter eas in bonis esse putant. Ita ab exordio vitæ vsque ad finem in iniquitate E perdurante omni tempore per augmentum malitiæ contra semetipsos ictus ingeminant, quibus succisi in æternum ruant, qui æternam patriam non amant, quia sufficere sibi credunt, si eis suppetant bona temporalia quæ cupiunt: & si in his successerint, felices se & munitos putant: & ita vbi carne requiescunt, ibi mentem extinguendo sepeliunt. Quisquis itaque hæc & alia quamplura, quæ ob prolixitatem omittimus, in se deprehendit, veterem hominem cum suis rationibus necdum se deposuisse cognoscat, sed ad illam ciuitatem, cuius rex diabolus est, etiam si audire non patitur, factis prodentibus pertinere probatur.

XXXI. Iustus Abel sicut in se regem cœlestis Hierusalem Christum cum omni collectione electorum significauit, sic in agnu quem obtulit innocentiam eorūdem electorum expressit. Vt enim de studiis eiusdem innocentiæ quiddam F commemoremus, quicunque inter eos perfecti sunt, nihil callida simulatione simulant, quia loqui dupliciter ignorant. Non se student rerum abundantia fulciri, non per dignitates sæculi honorabiles ostentari, non cultu vestium pompare, non in his quæ extra se sunt gloriari: honorari metuunt, non despici: corpus continentia extenuant, mente & moribus pinguescunt. Pro iustitia contumelias suscipere gaudent: iniurias non facere, sed tolerare lucrum putant. Sed & alia huiusmodi gerentes Deo quidem placent, oculos autem Cain offendunt; quia sapientes & cultores huius mundi abiectos, & quasi mortuos deputant, quos non carnaliter secum viuere cernunt. Quod in illo iuuene signatur, quem Dominus cum a Dæmonio liberaret, ita paululum iacere permisit, vt à multis mortuus diceretur, quoniam qui spiritaliter viuere nesciunt, eum qui immundis desideriis caret, inutilem penitus atque extinctum arbitrantur. Vnde Iob ait: *Deridetur iusti simplicitas*, quia videlicet dum foris idem iustus temporali gloria non resplendet, eis qui nulla bona nisi carnalia pensare sciunt, in despectu venit. Vnde bene Moyses electorum voce ait. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino.* Ægyptij dedignantur oues edere, sed quod illi abo- G minantur, hoc Israelitæ Deo offerunt, quia simplex humilium vita Deo in sacrificium vertitur, quam superbi & duplices fatuitatem putant esse. Fraternæ cædis Cain spirans Abel foras egredi suadet: foras autem egredi est, neglectis cœlestibus bonis exteriora quærere. Ad quod videlicet agendum nonnulli qui appetitui terrenorum succumbunt eos vero qui æterna sequi videntur inflectere, vel solo exemplo, vel etiam verbis solent. Quos vxor B. Iob euidenter expressit, quæ verba blasphemiæ viro suasit. Nam & hi propter professam fidem intra sinum Ecclesiæ fidelibus admixti sunt, quos eo imitabiles pene sibi faciunt, quo eos vsque ad fidei cubile recipiunt. Sed quisquis vult crudelitatem Cain euadere, studeat internis desideriis iungi, cesset exteriora per exempla prauorum ambire. Nam ille in Euangelio latrones non incurreret, si ab Hierusalem, quod est visio pacis, non exisset: Neque filiam Iacob rex terræ corrupisset, nisi illa ad videndas illius regionis mulieres pro- H cessisset. Hinc de eodem Iacob dicitur: *Quod simplex in tabernaculis habitauit.* Esau vero quem Deus odio habuit, vir gnarus venandi fuit.

XXXII. Patitur autem Deus innocentem Abel ab impio Cain iugulari, quem tamen ipse suscepit: quoniam electorum est hic mala perpeti, hic diuersis modis flagella sustinere, quibus reseruatur de hæreditate gaudere æterna. Nam si filij, & hæredes. Filij vero esse ex ipsa afflictione noscuntur iuxta illud. *Flagellat omnem filium quem recipit.* Licet enim non sit filius omnis qui flagellatur, tamen nullus est filius qui non flagelletur. Mali vero sine verbere relinquuntur, vt sicut in XXIV. libro Moralium dicitur. Saltem hanc vitam sine pœnis ducant, qui ad tormenta sine fine quæ sunt mala agendo festinant. Nequaquam enim retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Eant igitur reprobi, & desideria sua in vltè consumant, quia certe ad reatus testimonium Deus conuertit eis etiam ipsum tempus, quod eis ad pœnitentiam tribuit, & iram quam nunc retinet quandoque

A iterum tractabiliter infundit. Quod ex afflictione bonorum colligitur, quos cernimus & pia agere & crudelia multa tolerare. Nam districtus iudex quanta illic animaduersione feriet quos reprobat, si hic tam districte cruciat quos amat? Hinc Petrus ait, *Tempus est vt incipiat iudicium de domo Dei: Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio?* Peccata quippe nequaquam diuina seueritas inulta remanere permittit, sed ita iudicij à nostra hic correptione inchoat, vt in reproborum damnatione conquiescat. Propter vtrosque enim Iob ait. *Si impius fuero, væ mihi est, et si iustus, non leuabo caput*, saturatus afflictione & miseria. Impius namque caput hic leuat, qui prosperis hic fulcitur, sed quod sequitur non euadet: superbia enim eius æterna vltione feritur. Iustus vero oppressos miseria caput leuare non sinitur, sed transitorijs doloribus cruciatus ab æterno verbere liberatur.

XXXIII. Caput itaque iusti Abel in mortem premitur, & impius
B Cain in effrenatione suæ voluntatis abire sinitur, vt in illo felix bonorum aduersitas, in isto malorum infelix prosperitas monstraretur. Fit enim plerumq; vt sicut ille tunc, sic nunc vnusquisque malus, cum à iugo diuinæ seruitutis collum mentis excusserit, in perpetratione cuiuslibet reatus agendi facultatem habere permittatur. Qui dum sub diuinis præceptis non restringitur, dum in agendis malis impia libertate positus, interdum licere sibi putat omne quod libet, vnde bene de eo scriptum est, *Quasi pullum Onagri liberum se putat.* Onager dicitur asinus agrestis. Agrestia vero animalia libertatem habent, & ire quo volunt, & quiescere quando volunt. Qui ergo implere mala quæ desiderat per effrenatam libertatem, quærit, pullo Onagri esse similis concupiscit, talis videlic. quia ad aliud non reseruatur, sub disciplina quasi agrestis bestia non restringitur. Homo autem qui ad sequentem vitam ducitur, necesse est profecto, vt in cunctis motibus sub disciplinæ dispositione religetur, & quasi domesticum animal loris vinctum seruiat, atque æternis dispositionibus restrictus
C viuat.

XXXIV. Ipse autem verus Abel cunctas nostræ tribulationis molestias consolans, mirabili compassione totum ex potestate sustinuit, quod nobis ea necessitate sustinendum norit, vt nos homines quod ex merito culpæ patimur, non refugiamus, cum ille qui Deus est ea sola condescensione tanta sustinere dignatus est. Non itaque puto quemlibet tam præsumptuosum, vt quasi de singulari merito, vel digniori natura præsumens, præsentem vitam sine molestijs quærat sibi disponi, cum ipse quoque auctor vitæ, sine dolore passionis ab eadem vita non exijt. Quibuslibet enim virtutibus polleat, quid digna est vita peccatorum, si eius & vita pro nobis flagello subiacuit, quæ subdita nulli peccato fuit? Vt enim aliquid sub exemplo dicamus, Baruch discipulum Hieremiæ Prophetæ diuina voce redarguit, eo quod cæteris in captiuitatem transmigrantibus quietem sibi quærere præsumpsit. Alioquin diuerso itinere ambulat Christianus miles, si gaudia & delectationes quærit, cui dux suus vias amaritudinis ostendit. De quibus vijs
D scriptum est. *Omnes vias eius intelligere noluerunt*, videlicet superbi exempla humilitatis quæ præbuit imitare desprexerunt. Omnis enim actio quam per Incarnationis suæ mysterium Christus Dei sapientia gessit via est, & ordo viuendi: qui venientibus ad se tot vias præbuit, quot exempla monstrauit: de qua sapientia scriptum est. *Quia clamitat foris in medijs semitis*, quæ nimirum inuestiganda nobis fuerat si se occultare vellet. At nūc in medijs semitis figit gradum, vt in ipsam impinguamus, & nolentes; & quam videre negligimus, tangamus offendentes. Sane qualis est via quam ostendit? vtique humilitatis, de qua ipse dicit. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quid enim in hac vita aliud quam deiectionem intuentium oculis ostendit? Nostræ enim perditionis fuit origo superbia Diaboli. Vt ergo redemptionis instrumentum fieret humilitas Dei, ad hoc non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra, passionum tormēta mortemq; tolerauit, vt humilis Deus doceret hominem non esse superbum. Propter humilitatem namque solam veraciter edocēdam, is qui est æstimatione magnus super omnia, paruus inter omnia fieri dignat' est. Hæ sunt

E ergo viæ eius, quas superbi intelligere nolunt, quoniā abiecta quæ pertulit pati despiciunt. Sed easdem vias vnicuique humili intelligere est, hoc nosse, quia per hæc infima transitur ad summa: scire quod oporteat aduersa patienter tolerare, mansura perseueranter expectare, vt exemplo eius quem pati oportuit, & ita intrare in gloriam suam, æterna quæratur gloria, temporalibus opprobrijs comparata.

Istæ duæ generationes, vel duæ ciuitates, quæ, vt dictū est, à duobus Adæ filijs exortæ sunt, in quatuor generationibus partiuntur: vt autem secundum illud exemplū quo malorum auctor Cain primogenitus fuit, & vnusquisque nostrum primo malus est, & postea per gratiā baptismi fit bonus, nunc primo de malorū generatione dicamus. Ipsa in duobus generibus diuiditur. Habet enim aperte malos, vt sunt omnes potentes pauperum oppressores, quib. hoc proprium est, vt vel de eius se dilatent, vel potentiam diuitiis acceptam ad aliorum læsiones exerceant, vel se per voluptates dissoluant, & si faciendi effectus deest, volūtas tamen agendi semper in eis est. Vnde & semper inest in eis reatus, quoniam prauis desiderijs indesinenter implicantur, & quia pauperes quosque despiciunt, vt supra dicitur, bene de eis scriptum est. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum.* Quo loco diuitū nomine cuncti designantur, qui superbis apud se cogitationibus tument. Plerique enim rebus ditantur, qui dum se opibus abundare conspiciunt, veras Dei diuitias non requirunt: & qui contra meritū ditati bonis ad amorem conditoris prouocari debuerunt, magis contra illum suis donis pugnant. Alijs vero res terrenæ non suppetunt, sed tamen apud se superbiūt, & amore diuitiarum semper inæstuant. Quos videl. quia vitæ sequētis amor non humiliat, inter prauos diuites morum proteruia addicit: at sicut in X. libr. Moral. dicitur, nihil in vltione iudicij discrepat, vtrum rebus an solis motibus intumescant: qui scilicet quoslibet humiles, qui terrena in vsu, non in desiderio habentes, sequentem vitam diligunt, vel opprimunt, vel despiciunt: cum ipsi vtique aut rebus terrenis, aut solis desiderijs motiuntur. XXXV.

F

G

De his scriptum est: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram in præsenti* hi autem fastidientes propria, aliena concupiscunt: aut concupita adipisci non valentes, instigantis auaritiæ tumultu vastantur. De quibus in IV Moralium libro dicitur: O quam difficile ad requiem tendunt, qui tam duris cogitationum tumultibus, dum in hoc mūdo sublimari volunt, in corde comprimuntur! Hinc scriptum est. *Væ qui multiplicat non sua vsq; quo aggrauat contra se densum lutum?* per lutum namq; terrena figurantur. Denso igitur lutu se aggrauat, qui terrena multiplicat, qui se auaritiæ, quæ est idolorum seruitus, oppressione coangustat, hinc item: *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Vnde & in Euangelio Veritas dicit, *Cui multum datum est, multum ab eo requiritur.* Rarum itaq; valde est, vt qui aurum possident ad requiem tendant, dum per semetipsam Veritas dicat. *Difficile qui pecunias habent in regnum cælorum intrabunt.* Nam qui hic multiplicandis diuitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod vt Redemptor noster valde rarū quidem, vt ea solo miraculo, per se tamen fieri posse monstraret, ait. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt*, &c. Quoniam ipse potens est in eis tumorem cordis reprimere, & ambitum concupiscentiæ refrenare. Ex solo enim diuino miraculo id posse fieri monstratur, quādoquidem hoc quod fieri nullatenus potest ad exemplum deducitur, cum Dominus ait: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* XXXVI.

H

Est autem & aliud malorum genus, eorum videlicet qui habitum religionis assumunt, sed vel multis vitiis publice vel quibusdam occulte se subdunt. Vnde B. Iob voce dolentis Ecclesiæ dicit. *Effudi in terram viscera mea.* Nam quia viscera in humano corpore interius sunt, viscera Ecclesiæ vocantur, qui religionis habitu induti ad intima eius sacramenta deseruire debent. Cum ergo malignus hostis quosdam ex eis ad sæcularia desideria vel negotia pertrahit, eiusdem Ecclesiæ viscera infundit in terram, quia illos in infimis conculcat qui ad hoc vocati sunt, vt spiritalibus XXXVII.

A Inhærerent. De his iterum scriptum est: *Sub ipso erunt radij solis*: quod tunc fit, cum hi qui intra sanctam Ecclesiam, altiori gradu vel acumine sapientiæ resplendere videntur, aut diabolicis suasionibus, aut terrenis potestatibus praue duntaxat agentibus se submittunt, oblitiq; cœlestium terrena ambiunt. Hinc iterum dicitur: *Sternet sibi aurum quasi lutum*, id est, eos qui spirituales videntur conculcat quasi carnales. Præterea auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon*. Quid enim Babylonis nomine nisi huius mundi gloria designatur? qui calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse ostentat temporalia, stultas mentes in sua concupiscentia debriat, vt falso speciosa temporalia appetant, & inuisibilis vere pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua debriata est Eua, quam omnes vtiq; imitantur, qui in Ecclesiasticis disciplinis positi, sæcularia quælibet blandimenta sicut illa in paradiso suscipiunt. Totiens igi-

B tur Leuiathan qui hæc facere perhibetur, vel radios solis, vel aurum sibi sternit quasi lutum, quotiés aliquos de habitu religionis per quædam vitia tanquam sæculares supplantat. Hinc item dicit: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius*. Per fluuium sæculares, per Iordanem Ecclesiastici viri designantur. Neque enim magnum putat si illos deuorat, qui terrenis concupiscentijs impulsi, deorsum quasi fluuius fluunt: sed magnopere satagit, vt in Ecclesiastico gradu positos absorbeat, quos & per suæ calliditatis insidias, tanquam Iordanem deglutiens, necat aliquando. Hinc rursus dicitur, quod ignis quem Dominus vocauit ad iudicium, partem domus eius consumpsetit, quoniam illos quoque gehenna deuorat, qui in habitu religionis negligenter viuunt.

XXXVIII. Electorum quoq; generatio in duobus generibus distinguitur. Vnum genus est perfectorum, de quib. dicitur: *Mites addent in Domino fortitudinem*. Et item: *Iustus mundis manibus tenebit viam suam*. Aliud autem nondum perfectorum de quibus Ecclesia redemptori suo dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, quasi diceret: Eos etiam qui in meo cor-

C pore vias perfectionis pleniter assequi non possunt, à tuæ misericordiæ respectu non repellis. Vtrumq; genus ad supernam requiem Iob pertinere conspiciens ait: *Paruus & magnus ibi sunt*. Quotquot ergo perfectiores sunt inter huius vitæ molestias, nequaquam ad murmurationem prosiliunt, & diuitiæ si affluant, nullatenus cor apponunt, sed vtraq; tanquam citius transitura paruipendunt. Pensant enim à quo laqueo lapsi sunt: à qua videlicet beatitudine, ad quantam miseriam in primo parente ceciderunt. Et idcirco vitæ huius prosperitatem sicut breuem & egenã despiciunt; & licet de præsentibus ærumnis doleant, intuentes tamen quid districtus iudex de futura gehenna peccatoribus comminetur, has tanto patientius tolerant, quanto post hoc exilium æternam si murmurauerint subire qui mortem expauescunt. De bonis vero quæ forte gesserint non se extollunt, quia sollicite pensant quales ante qualé iudicem stabunt, & isdem iudex bona quam subtiliter discutiet, mala vero quam districte puniat. Qui, sicut in VIII.

D lib. Moral. disseritur, perituros se absq; vlla dubietate præsciunt, si remota pietate iudicentur. Et quia certissime sciunt, quod in hac vita nec debent habere requiem nec possunt, hoc salubre consilium interim assumunt, vt terrena desideria deserentes ad cœlestia se extollant: sed hęc agentes, paterna tamen adhuc flagella sentiunt, vt tanto perfectiores ad cœlestem hæreditatem veniant, quanto eos præsentiens disciplina etiam quotidie de minimis purgat.

XXXIX. Propter hæc autem quæ in præsenti patiuntur, & propter illa quæ in futuro metuunt, sed & propter salubre consilium, vt dictum est, quod repetunt, bene ex eorũ persona Hieremias Domino dicit: *A facie manus tuæ solus sedebã, quoniam comminatione replesti me*. Per faciem vnusquisq; cognoscitur, per manum operatio designatur: solus sedet, qui tumultu carnalium desideriorum non frequentatur. Facies ergo Dei vocatur cognitio: manus experiẽtia percussionis, quia sicut comminatus fuerat, hominem pro originali culpa multauit, & etiam in ærumnas hui' vitæ proiecit. Comminatio vero est terror sequentis adhuc supplicij, quod peccatoribus intentat. Itaq; propter comminationem eius

E solus à facie manus Domini sedet, qui per experimentum vindictæ illius, quæ pro originali culpa mortalibus infertur, quantum timenda sit sequens pœna cognoscit, quæ non resipiscentibus comminatur, & idcirco superbire iam non audet, nec turbis carnalium desideriorum sese miscere. Iob propter præsentis angustiæ punctiones dicit: *Sagittæ Domini in me sunt*, propter sequentes vero subinfert: *Terrores eius militant contra me*. Hinc Psalmista propter vtrũque: *In me*, inquit, *transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me*. Quod idcirco dicitur, quia iam aliud de damnatione patimur, id est iras quidem, sed tamen transeuntes, quoniam isti dolores cito finiuntur. Sed hoc fit grauius, quod inter dolores istos æterna supplicia quæ comminatur, quorum terrores merito nos cõturbant, formidamus. Omne igitur quod perfectos quoslibet viros affligit, tanto minus refugiunt, quanto id culparum suarum expiationem credunt. Et omne quod prætereit, licet prosperum sit, tanto sensibus eorum vilescit, quanto & transitorium est,

F & ipsi ad aliud tendunt, quod semel adeptum nunquam amittitur. Bona igitur hic oblata, nec pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt. Sic vtuntur temporali subsidio, sicut viator vtitur aut vmbra, aut lectos pausat corpore, sed mente ad aliud tendens recedere festinat: sic & hi gressum cordis figere in transitorijs refugiunt, ne delectatione itineris sequestrentur à statione æternæ mansionis. In proprijs enim gaudere desiderant, & idcirco in loco peregrinationis suæ felices esse recusant. Hinc est quod in electorum prole Enoch, qui dedicatio interpretatur, septimus nascitur, quia videlicet electi post sex huius vitæ ætates, in supernam Hierusalem tanquam lapides viui dedicabuntur. Cain vero, vt supra dictum est, primogenitum Enoch appellat: quoniam iniqui se in primordijs quasi dedicant, dum in hac vita radicem cordis plantant. Cum Dominus dicat, *Cum vocatus fueris ad nuptias, ne discumbas in primo loco*.

XL. Est & aliud genus bonorum, sed minus perfectorum, qui penetrare spiritalia non valentes, quinq; sensibus cor-

G poreis deprimuntur. Quos videlicet quinq; sensus quia Christianorum exercitus Duce Iesu debet in corpus suum reprimere, bene Iosue designat, qui reges quinque in repromissionis terra dudum regnantes ad speluncam velut antrum corporis fugientes interfecit. Sed imperfecti quique dum eisdem sensibus adhuc succumbunt, tanto minus amant eum qui fecit omnia, quanto in his ampli' quæ facta sunt intelliguntur. Aliena quidem non quærunt, illatam iniuriam vel nolentes portant. Rebus proprijs contenti sunt, & humiliter viuũt, sed tamen curam propriæ domus gerunt, de filijs cogitant, eisq; hæreditatem seruant. Qui tamen inter eos sollicitiores sunt, diuini iudicij memores, misericordiam pauperibus impendunt; & si omnia relinquere non possunt, vel ex parte qua præualent misericordes fiunt, & curam carnis cum animæ cura patiuntur. Sed quid de eis erit, si nullus ad regnum nisi qui summis virtutibus præditus est perueniet? Adest quippe & his consolatio sua. Nam cum ferculum Regis Salomonis in typo

H Ecclesiæ describeretur, inter ligna Libani & columnas argenteas, & inter reclinatorium aureum ascensumque purpureum, per quæ videlicet excellentiores quiq; in eadem Ecclesia militantes designantur, additum est quia media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Verũ quia hoc pro nostra infirmitate dicitur, ex hoc aperte claret, quod non propter filios, sed propter filias Hierusalem inesse charitas perhibetur. Quid enim aliud per sexum fœmineum nisi infirmitas mentium figuratur? Quisquis igitur mente infirmus est, charitatem habeat, diligat Deum & proximum quantum potest, & quæ bona sunt valde cum charitate faciat, quia licet exterioribus implicetur, tamen si charitatem habuerit, ad Dei ferculum pertinebit, sicut Psalmista ait: *Benedixit omnibus pusillis cum maioribus*, quoniã qui imperfecti sunt & pusilli, si in quantum cognoscere valent Deum ac proximum diligunt, ipsi quoque licet minori loco, in sanctæ Ecclesiæ ædificatione tamen sunt ponendi. Discutiant ergo se quique fideles, & si repositum aliquid in corde suo de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi interesse non dubitent.

A XLI. Quia vero sese occasio præbuit, hoc ex verbis B. Augustini de charitate dicendum videtur: Diuinarum, inquit, scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinã sine vllo errore comprehendit, & sine vllo labore custodit, cuius cor plenum est charitate. Quapropter quisquis vult nouo mandato vetus extinguere peccatum, cupiditati contrariam teneat charitatem, quoniã ille tenet & quod patet, & quod latet in diuinis sermonib⁹, qui charitatem seruat in moribus. Hieronymus in epist. ad Galatas refert, quod S. Ioannes Euangelista, cum iam senex esset, & discipulorum manibus ad Ecclesiam deferretur, hoc solum semper in collecta proferebat: Filioli, diligite alterutrum. Discipuli vero pertæsi, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? quibus respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fit, sufficit hoc. Sciendum sane quia sicut nostris temporibus omnia pene suum ordinem perdiderunt, plerique prodigas rerum [illegible] expensas

B charitatem nominãt, cum res ad inanem gloriam profuse dispensæ, comestio vel effusio magis dicendæ sint quam charitas. Quibus enim res dispertiendæ sint ipse Domin⁹ docet, qui ait: *Noli inuitare eos qui te reinuitent.* Sed omnes è contra eum vix parum quid non solum vestimenti, sed etiam cibi atque potus Christo in paupere tribuant, potentibus tamen etiam accepta mutuo dispensant: quod videl. non est charitas, sed elusio. Nam recte charitas solis indigentibus est expendenda: & non solum amicis, sed etiam inimicis beneficia. Porro autem sicut hæc vita media est inter cœlum, quo soli boni conscendunt, & infernum quo soli mali traduntur, sic vtriusque partis ciues indifferenter habet. Vnde vtraque generatio vel temporalibus bonis pariter vtitur, vel malis pariter affligitur, diuersa tamen fide, diuersa spe, diuerso amore, donec vltimo iudicio separentur & percipiat vnusquisque suum finem cui nullus est finis. Quia seriem vero verborum qualitercumque digestam ad hoc vsque deduximus, vt has generationes licet in prosperis & aduersis communiter † tamen pro

† [illegible]

C diuersitate meritorum diuersos fines habere diceremus, librum hunc isthic finiamus.

COLLATIONVM S. ODONIS.

LIBER II.

Dies præstituti iam fluxerant, & gaudebam, fateor, quod sub occasione breuis temporis vestræ iussionis munia liceret breuitate concludi; quandoquidem illud genus consolationis est, vt is taceat nescit, vel parum loquatur: cum repente solito hiemalior hyems ingruit, illaque sui diecula sic inasperauit, vt plus de aprico quam de itinere nobis cogitandum videretur. Tum vero partim prædictæ hyemis inclementia, partim sanctorum qui instabant dierum reuerentia, domnus Abba mecum iter nostrum remorari concessit. Lectis tamen quæ iam digesta erant, & paucis contra eos, qui prauorum deterrentur exemplo, repertis, placuit aliqua adhuc subiungam. Verum ego non satis confidam, quod hoc saltem audire digneturi;

D quippe quoslibet, nec S. Euangelium vt oportuerat tenent: tamen ea spe iussionem aggredior, vt in aggere testimoniorum, quo superbi filij iuxta præceptum Moysi lapidandi sunt, vel lapillum me gaudeam iactauisse.

F Boni igitur vt diceramus nunc mala qualibet vel bona cum malis hominibus sentiunt, licet hi aspectus & frequentius mala patimus, bonis vero restrictius vtuntur. Quia sic & prosperitate & aduersitate vtuntur, vt in rebus prosperis sit eis consolatio, ne frangantur aduersis, & in rebus aduersis exercitatio, vt non corrumpantur prosperis. Mali vero ad hoc cupiunt habere [illegible] vitam, vt perditis [illegible] ceteris moribus, [illegible] omnium molestiarum asperitate delectant. Neque enim propterea copiose habere pacẽ, & omni genere copiarum abundare, vt his bonis bene vtantur, hoc est honeste, sobriè, temperanter, piè; sed vt inde [illegible] varietas voluptatum in [illegible] effusionibus exquiratur; secundisque rebus ea mala oriantur id moribus, quæ sæuientibus peiora sint hostibus, & hæc sit quieta vita, vt possit esse secura no-

E quitia. Quicumque autem ditiores sunt, student semper diuitias augere, quæ & quotidianis effusionibus sufficiant, & per quas pauperiores sibi subdant, quos ad clientelas suis factis obsequentes habeant: quibus ipsi pauperiores causa securitatis libenter se subdunt, & hos quibus præualere non possunt, per eorum, quibus adhærent, audaciam violenter opprimunt: hinc propter huiuscemodi satellites, vt eorum patrocinio tueantur, scriptum est de arctoque malo dicitur: *De lateribus eius à rursus dependet.* Iam vero tanta sub satellitio supra impune multiplicatur, conuiuia lata frequentantur, vbicumque libuerit & potuerit, die noctuque luditur, bibitur, vomitur, diffluitur, saltatur, cum scriptum sit: *Væ his qui surgunt mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam.* Et iterum: *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.* Et item: *Ductant in bonis dies suos.* Quibus vtique tremendum sueiat, & inter pocula cogitandum hoc, quod illic sequitur: *Et in puncto ad inferna descendunt.* Hi namque in Euangelio per ficulneam designantur, de qua Dominus queritur

F dicens: *Vt quid etiam terram occupat?* quia de qualibet peruerso potente pene tam requisitio Dei non est. Postquam enim se perdidit, hoc solummodo queritur, cur & alios grauet in moribus. Sicut enim terra sub arbore solis radijs priuata sterilis est, sic subiecti fauoris eius exemplo depressi à lumine veritatis permanent alieni. Tales vero quique iusto Dei iudicio frequenter ita deseruntur, vt peruersa quælibet patenter faciant, & tamen hic feliciter viuant, sicut de quolibet eorum Scriptura dicit: *Cucurrit aduersus Dominum erecto collo,* idem in malo opere obstaculum de aduersitate non habuit. Et item: *Velut [illegible] firma radice,* quasi firma radice stabilitus attollitur. Quoniam hic temporali felicitate fulcitur, & aduersis non eliditur, contra infirmos etiam sine repugnatione præualet, bene agentibus ex auctoritate principatus sui contradicit, ad maiora commoda ex peiori semper actione succrescit, & vnde vitæ viam deserit, inde ad tempus locupletior viuit.

II. Mæret autem non solum malorum, verum etiam bo-

G norum, sed tamen minus perfectorum; vt eorum intentio vel sensus iuxta hoc quod forte videntur informetur. Nam læta videntes hilarescunt, pro tristibus contristantur. Vnde fit, vt cum prauorum gloriam cernunt, eadem gloria delectentur, & magnum aliquid æstimantes in corde optent & vt talia mereantur exoptent. Hinc ipsa Veritas dicit: *Væ mundo ab scandalis.* Item Psalmista, *Dum superbit impius, incenditur pauper.* In Iob ex voce plangentis Ecclesiæ dicit, *Ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Sicut enim per ossa fortes, sic per artus [illegible] quique designari solent. Artus ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quoniam ex imitatione prauorum in hoc sæculo increscentium, infirmi quoque deteriores fiunt: videntes felicitatem malorum bona temporalia appetunt, dum præsenti prosperitate eneruati, Deum, qui vere est, desiderare negligunt. Quod videlicet historialiter expressum est, quoniam ciues Babylonis filios Ierusalem captiuos abduxerunt, & item, quoniam *filij Dei,* id est, filij Seth, *videntes filias hominum,* id est, filias Cain, *concupierunt eas:* Nam & nunc isti externis

H gloriæ specie decepti, nimis diligunt, quod pulchrum totas viderint. Pulchra autem videtur præsentis vitæ gloria, quam personis prauorum tanquam in filiabus Cain sese infirmorum oculis ad concupiscendum ostentat. Vnde, sicut supra dictum est, calix aureus appellatur.

III. In eadem autem gloria maxime diuitiæ videntur appetendæ. Quia videlicet sanitate, & siti, & siti, & fame, & patria, & propinquis, amicisque, & omnib⁹ omnino quæ sunt commodiores eas esse pluribus visum est. Et ista sententia nõ solum terra marique seruatur, vt Ioannes Chrysostomus ait, sed vsque ad ipsas nubes ascendit ac sydera. Quæ videlicet non tam sententia iam est, quam flamma, quæ totum istum vastat orbem terrarum. Et qui extinguat quidem nullus est, qui vero accendant & magis magisque inflamment, omnes. Fauent autem huic malo non solum ali qui ab eo capti sunt; sed & qui nondum videntur illuc ingressi. Nam & ipsi diuites, etiam si totis orbem possibile esset possideas à singulis, adhuc tamẽ in desiderio eius arderent. Paupertas vero eorum capiunt diuitibus æque quam, insatiabilem concupiscentiæ rabiem patiuntur, insaniunt, & furiunt, & idem

moribus

A morbus diuersos singulis generat longiores. Et in tantum amor pecuniæ animum fatigat animam: vt neq; amicitiarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec coniugis, aut amori filiorum det locum. Quibus affectib. inter homines nihil præfertur. Hic amor ipso melle dulcior videtur: & cum ei quæ tamen illi dederint nullu fortes parentes, expetitur tamé, & desideratur ab omnibus, aspernantes tot labores & mortes. lętantur se vel ad eius ianuam quandoq; pertingere. Et si quis eos ad meliora, & ad regnū Dei, quod æternum est, quærendum persuadere tentauerit, refugiunt, & insanum putant, & quasi frenetici ad hoc quod insania suggerit magis se submittunt. Summa igitur auiditate amplexantur vmbras, & stringunt ventos, similes videlicet pueris ludentibus, vel certe stultiores illis facti, aureum verberibus agitantes, vel quemlibet alium ludum per artem fragilem delectantes, atq; ab eo nolunt. At isti tanto inexcusabiles sunt, quanto sciunt se in nihilo confidunt, & in cœno eius tanquam sues volutati delectant, infeliciores vtique & turpiores allis animalibus quæ cœno B vescuntur existentes.

IV. Sed vtinam sicut Phinees de anathemate Achar impeccatur, soli illi contraherent, qui secundum Principem tenebrarum mundi viuere decreuerunt: & non etiam filij lucis huic seculo conformarentur contra Apostolum; sed quod nimis dolendum est, ipsi filias Cain relictis bonis cœlestibus amplecti gestiūt, id est diuitias, delitias, voluptates, obsequiola, atq; libidines vlciscendi. Qui vtinam vel ad Dei comminationem terrerentur, vel quia tunc dixit: *Non permanebit spiritus meus in hominib. istis*, vel quia nunc dicit: *Filij regni mittentur in tenebras exteriores*. Et postquā semel audiuimus: *Ego elegi vos de mundo*, non domum subuertam Principi mundi; quia nimirum necesse est nos esse, aut in mundo quem Deus per filium reconciliat sibi, aut in eo, qui iuxta Apostolum Ioannem; *In maligno positus est*: Vt enim Hieronymus in epistula ad Ephesios perhibet, mox vt aliquē Principes tenebrarum supplantauerint, suo mundo eum principantur adnectunt. Viderit ergo qui talis est, quantum sint nouissima illius peiora prioribus. Nam vt verbis Ioannis ex supradicto libro vtamur, pene sine venia habēda sunt C cuncta quos huius mundi gloria decipit. Cum enim videant apud eam cruenta omnia, periculisq; ac mortibus & præcipitijs plena, nec sic tamen suæ cupiditati frenum imponunt, cumq; eam stipari cernant sodalibus pessimis, contumelijs dico, opprobrijs, timore, inuidia, criminationib. & perniciosissimis curis, metu iugi, morte frequenti, & mille alijs huiusmodi infaustis consortibus, velut sanguineam corona circundari; adhuc tamen amoribus eius inhiant; fructū autem in his nullum alium reperiunt, nisi interitum, & perditionem, pœnamq; perpetuam. Et tamen eadem gloria in cōtemptu gloriæ cœlestis à pluribus amatur, atq; sit expectabilis. Idcirco dignum est, vt atrocius iudicētur; quippe qui & oblatam Dei gratiam fastidiunt, & quod malum non ignorant eligere malunt. Tanta namque est eorum qui decipiuntur stoliditas, vt non solum eos casus nullus ab hoc interitu reuocet, sed nec euidentia quidem indesinentes pereuntium exempla deterreāt. Quin potius cum sciant quod omnes qui eius vmbraticam pulchritudinem diligunt, à D mūdi primordio eadem gloria fallat, tamē hanc amplexari inexplebili desiderio gestiunt; quæ videl. illos ita falso in ctamine illicit, tanquam fœda meretrix, quæ nigredinem suam fucatis quibusdam coloribus occultat, lasciuorum oculos capiat. Cum igitur perfecti boni malis admixti sint: iuxta illam Psalmistæ vocem, discunt operam eorum; vt illud impleatur quod dictum est. *Væ mundo a scandalis.*

V. Quisquis vero sanum sapit, oportet vt præsentem gloriam ex fine consideret, quæ sicut in IV. Moralium libro disputatur, eo atrocius in tormentis obruuntur, quo altius in peccatum eleuantur. Transit quod extollitur, permanet quod punitur. Honorantur in via, in peruentione damnabuntur. Atque si per amœna prata ad carcerem perducuntur, dum vitæ præsentis per prospera ad interitum tendunt. Et quidem boni cum quoslibet gloriosos aut mori aut deiectos conspiciunt, quia humana gloria nihil sit cum gemitu fateri solent dicentes: *Ecce quia nihil est homo*, quod nimirum rectius dicent si tunc interitum cuiuslibet putredinis cogitarent, cum eum in flore prosperitatis vident. Tunc namq; considerandum est, quā cito felicitas transfugit, cum ante humanos oculos quasi permanens pollet. Nam gloriam morituri nihil esse in ipsa iam morte perpensare quilibet possunt: tunc enim ei etiam derogant qui hanc & vsq; ad mortem sequentes amant. De his atq; eorum imitatoribus scriptum est sub typo scil. illius prauæ generationis. *Longe fiant filij eius a salute, & conterantur in porta.* Porta est vltima dies iudicij, quia per ipsam intratur ad regnū. Stulti igitur vel eorum filij, id est imitatores, ante portam superbiunt, sed in porta conteruntur, quia nunc prosperantur, sed in iudicio feriuntur. Qui enim nunc renuit Deum per disciplinam habere patrem, malens esse filius huius seculi, tunc per adiutorium habere non merebitur ereptorem, sed in porta conteretur. Sane, quisquis vel de vtraque generatione, vel de vtroque gradu vitæ huius amore captus est, partibus eius fauet, & dehortatorium verbum non libenter auscultat. F

VI. Sciendum vero est quod eadem genera sic mixta sunt, vt in quibuslibet fidelium gradibus procurrere pariter inueniantur: quoniam quousq; ventilabrum iudicis agitetur, grana cum paleis necesse est in area præsentis vitæ simul contineri. Porro contra eos adhuc agimus, qui sæculo fidem seruantes mentem Deo per habitum religionis noscuntur. Si igitur infirmi fideles in seculari habitu prauorū deteriorantur exemplis, non vtcumq; mirum est; sed hoc omnimodis execrabilius videtur, si religionis professores, quibus vt ait Apostolus, *eloquia Dei credita sunt*, carnalibus desiderijs contigerit ancillari, relictis cœlestibus terrenis inhiare, contempto Deo mammonæ seruire. Quod quam execrabile sit ipsa Prophetica sermonis inuectio palam demonstrat, qua Deus comminatur dicens: *Si fornicaris tu Israel, non delinquat tu saltem Iuda.* Decem namq; tribus filiorum Israel à domo Dauid, quondam ad Idololatriam recesserunt; attamen tribus Iuda tanquam in domo Dauid consistens, diuinæ seruitutis cultum diutius retentauit. Per decem ergo tribus multitudo secularium, per vnam vero numerus Ecclesiasticorum, qui breuior est, exprimitur. G Quantumlibet autem seculares tanquam illæ decem tribus à diuinis legibus exorbitent, ministri tamen Ecclesiæ tanquam tribus Iuda Christo debuerant inhærere. Namq; de illis decem tribubus, veluti de his qui nunc verbo non opere fidem tenent, est illa Dei querimonia dicentis: *Aduersatrix Israel abijt, & fornicata est ibi*: Et statim, vt hoc ecclesiasticos, qui admixtione secularium deteriorantur, exprimeret, qualiter per exempla Israelitarum domus Iudæ recederet, subdidit dicens: *Et vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quod pro eo quod mœchata esset aduersatrix Israel, & quod dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij: non timuit, sed abijt, & fornicata est etiam ipsa.* Quæ omnia nunc implentur; cum ad imitationem nimirum aliorum ministri Ecclesiæ deuoluuntur; cum similiter eos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, inuidia angustat, ira inflammat, discordia separat, luxuria enecat, iniquitas necat. Et mentis per quos seculares corrigi debuerant, eos ad contemptum mandatorum Dei per sua mala exempla instigant. Et enim debuerant lucere, H vt ait Apostolus, in medio nationis prauæ, vt eos resipiscere facerent, magis illorum exempla sequentes tenebrantur, vt scriptum est: *Erit sicut populus sic sacerdos.* Sed subtiliter intuendum est, quod ex voce Dei dicitur: *Quia fornicata est, dimisi eam*, & quod additur, *dedi ei libellum repudij*. Nam vel quoslibet seculares, quasi Israelitas, vel quoscumque in habitu religionis positos, quasi Iudam tunc Deus dimittit, cum eos, vt scriptum est, secundum desideria cordis eorum relinquit: sed cum eos securitas post culpam sequitur, cum nulla disciplinæ vel increpatio ad cor suum reuocat, etiam libellum repudij acceperunt, vt tanquam coniunx adultera à commixtione Domini separentur, & quod volunt faciāt, quatenus ad æterna supplicia profundius ruant. Vnde necesse est vt vel istos, vel illos tanto consideremus amplius miseriores, quo tam eos cum inspicimus in culpa sua sine flagello derelictos, & quanto post iniquitatem prosperos, tanto perditioni proximiores. Hoc in xii. Ezechielis Homilia.

VII. At superiori libello, cum de violentis loqueremur, cum superbia, & luxuriam commemorauimus, de malicia tacentes. Hi ergo qui post professam religionem ad carnales nequitias deuoluuntur, primo per superbiam capiuntur. In qua, vt scriptum est, *Omnis perditio sumit initium*; quæ eis maxime per hoc subrepit, quia dum redditibus Ecclesiæ, vel donarijs fidelium ditati incrassantur, recalcitrant, & quia in labore hominum non sunt, tenentur ideo superbia: deinde plenam manum habentes vitium illius paupertati diuitiis incurrunt, quotidie videl. splendide epulari, & cultioribus vestibus gestientes pompari. Tum quoq; suæ professionis obliti luxuriæ manus tradunt. Apud quos vtique, iuxta illud Comici, Venus frigeret, si Cerere & Baccho non abundasset. Cuius ruinæ descensionem ipsa quoque membrorum demonstrat positio, cum videlicet cor viri superbia tumet superius, deinde venter, postremo genitalia collocantur. Superbia est spiritus, reliquæ duæ carnis. Quæ duæ postquam hominem illaqueant, eo difficilius deponuntur, quo dulcius vtuntur. Iam vero hi tales contra Apostolum secundum carnem viuentes de corporea nobilitate gloriantur: qui si pro certo Dei filios se esse crederent, nunquam post diuinos natales nobilitatem admirarentur terrenam: & cum scriptum sit, *Ne glorieris in vestitu vnquam*, isti quod audent faciunt. Nam genus quidem vestimenti, quod religioni dedicatum est, penitus propter humanam reprehensionem abiicere erubescunt, colorem tamen & molliciem studiose quærunt; quantum nonnulli etiam Abbates, vt apertas etiam inimicos se inter se & sanctam regulam protestentur, monasticum schema, videlicet cucullam, induere dedignantur. Et certe sicut in libro Gerontricôn dicitur, eadem datur gratia in monachico habitu, quæ & in albis baptismi. Et sicut beatus Hieronymus in Epistola ad filiam Mauricij perhibet, Grandis diuinæ gratiæ contumelia est mundani & secularis ornamenti prælatio, & crimen est post chrismatis sanctificationem cuiuscumque speciei terrenæ creaturæ capite vel corpus ornari, quod iam cœlesti splendore refulget. Ille diues quem ad magnam exprobrationem Christus ornatum purpura & bysso commemorat, non legem aut Prophetas audierat, & tamen de appetitu vestium vituperatur. Istis ergo quid in iudicio dicturus est idem Christus, quoniam etiam monachi atque sanctimoniales hoc appetunt, quod non solum a laicis, verumetiam ab eorum coniugibus Apostoli prohibent? Vnde Petrus. *Quarum*, inquit, *sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconsus cordis est homo*. Et Paulus, *Mulieres similiter in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem, & bonam conuersationem*.

VIII. Si ergo sic a coniugatis inhibetur, quantum nefas est, hoc aut sancti habitus viros, aut sanctimoniales appetere? Sanctus Germanus ad Genouefam inter alia. Si, inquit, seculi huius vel exiguus decor tuam superauit mētem, æternis & cœlestibus ornamentis carebis. Hinc domnus Martinus breui quidem, sed magni ponderis sententia, mulieris honestatem complexus: Summa, inquit, virtus est mulieris nolle videri. Cyprianus Episcopus de Virginibus fatur. Serico & purpura indutæ, Christum induere non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & corporis perdiderunt. Quod si Petrus, inquit, mulieres admonet coërcendas, quæ excusare soleant cultus suos per maritos; quanto magis id obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competit venia, nec deriuari in alterutrum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in corpore? Sed quæ eiusmodi sunt, non sanctam illam vocem beati Cypriani recipiunt, quin potius irritam faciunt fidem Christi, & scortatorum oculis se magis comunt. Qui scilicet scortatores, vt ait beatus Hieronymus in Epistola ad matrem & filiam, quando audent vxores Christi sponsas frequentius respectant, eloquuntur nutibus, & quod minus licet ardentius affectant. Minus, inquit, licet, quia quanto detestabilius est infringere sacrosanctam, quam plebeiani domum; tanto scelestius est sponsam Christi, quam vxorem proximi violare. Certe cum vna ex duabus sororibus viro coniungitur, & illi fidem seruat; cur altera, quæ Christo desponsatur, eandem ei reuerentiam non custodit? Verum vt in eadem Epistola sequitur, Istæ nitidulis vestiuntur, oblitæ quod Christus in Zacharia sordidis vestibus legatur indutus. Siquidem istis pulchra vestis animæ lasciuientis indicium est: per terram trahitur vt statura procerior videatur, de industria dissuitur, vt aliquid appareat quod amet. Calceoli nigelli & nitentes stridore suo oculos lasciuos in senos excitant appetitus. Capilli parum defluunt, & recolliguntur. Collum & guttur defluente palliolo casu nudatur, & quasi videri noluerint aperire festinant. Hæc Hieronymus. Plura referre pudet. Sed in his omnibus & huiusmodi, non secundum filium Virginis, sed secundum veterem hominem ambulant. Nam, vt ait Iob, omnis istorum, vel istarum dulcedo, vermis. Licet enim in hac vita superfluo cultu carnem ornari gestiant, illud tamen libri Ecclesiastici testatur, quia *vestitur pannis dormitatio*. Et vt in eodem item dicitur: *Qui se iungit fornicarijs erit nequam, putredo & vermes hereditabunt illum, & tolletur de numero anima eius*. Bona vero cœlestia sponsi, quæ per his emendicatis perdunt, æterna sunt, & talia sunt, vt adhuc nec ad Pauli quidem auditum peruenerint, nec ad cor eius ascenderint, quamuis ad paradisum raptus fuerit.

IX. Etenim pulchritudinem corporis certis quibusdam & naturalibus terminis Deus clausit; Animæ autem pulchritudinem liberam fecit, & nulla sub necessitate cōclusit. Nam etsi etiam corporei decoris potestatem Dominus in nostro permisisset arbitrio, sollicitudo nobis immineret superflua, atque in his quæ nihil prodessent omne vitæ nostræ tempus occuparemus, Ea quo cultus animæ necessario negligeretur. Quippe qui etiam nunc, vbi nulla nobis potestas est conferendi aliquid corporis decori, hoc tamen agimus, & hoc studemus, vt speciem corporis omnimodis excolamus, dum colorum fucis, vel cōpositione crinium, vel oculorum rotatu, vel varietate vestium, diuersisque alijs & exquisitis conferre aliquid, vt dixi, decori corporis cupimus; sed quanto magis conueniebat nobis, vt ad cultum animæ operam daremus? Nam corporea pulchritudo in pelle solummodo constat. Nam si viderent homines hoc quod subtus pellem est, sicut Lynceus in Bœotia cernere interiora feruntur, mulieres videre nausearent. Iste decor in flegmate, & sanguine, & humore, ac felle consistit. Si quis enim considerat, quæ intra nares, & quæ intra fauces, & quæ intra ventrem lateant, sordes vtique reperiet. Et si nec extremis digitis flegma vel stercus tangere patimur, quomodo ipsum stercoris saccum amplecti desideramus? Auctor quippe naturarum Dominus, licet multa dignitate hominem condiderit, tamen in hac corruptibili vita plura nos pati permittit, per quæ superbiam carnis retundat. Inde est quod pilus hominis in cibo vel potu repertus magis fastiditur; & pulices de puluere emergentes, minus, quam pediculos, qui ex humore corporis nostri prodeunt, super nos videri abhorremus. Vt autem nouerimus, quod ipsa qualiscumque sit pulchritudo corporis, non de carne, sed de anima est, pensemus quam delectabile sit cadauer hominis, quin potius quantum horrorem videntibus se incutiat. Anima quippe pulcherrima recedente, pulchritudo quam carni dederat tota recedit. Sed isti vel istæ qui auctori turpitudinis se superbiendo submittunt, nihil secundum religionem fidei, nihilque secundum rationis honestatem discernunt, & iccirco sola quæ carnis sunt sapiunt, non quæ spiritus Dei.

X. Antequam fides Christi clarescerer, antequam mundus alteram vitam sciret, vbi vel æternum regnum pro bonis, vel æterna gehenna pro malis recipitur, non valde mirum erat si se mortales mundialibus illecebris substernebant. At nunc cum non solum per omnes sanctos ab origine mundi prelatos, sed etiam per se ipsum Dei filius de Virgine natus ab eisdem illecebris nos compescat, & ad cœlestes delitias tantopere appetendas persuadeat, mira est, vel potius misera hæc nostra dementia, vt eligamus emendicatis & egenis pruritibus ad modicum lætari momentorum: magis quam in omnimoda gloria sociati sanctis in æternum. Sed quid fiet? vtique quod rudes ipse commi-

A natur dicens: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Et item. *Despexistis omne consilium meum, & vocaui, & renuistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Cum irruerit repentina calamitas, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam.* Sed vt item scriptum est, sola vexatio intellectum dabit auditui, quia videlicet cuncta quæ nunc in scripturis audiunt, quæ quasi non intelligant, contemnunt, donec per tormenta puniri incipiant, tunc ad memoriam reducent, tunc mens eorum exæstuat, tunc infructuosæ pœnitentiæ ignibus se inflammat. Qui, vt scriptum est, *vtinam*, dum licet, *intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Alioquin tale est ac si alicui proponatur vtrum velit, per breuem quidem, sed petrosam viam paululum incedere, & ita inter regios pueros ad regale prandium intromitti? an magis velit cum scurris & damnaticijs per floridum pratum ludendo pergere, & ad finem prati mortem subire? Ille vero non finem, sed B qualitatem itineris cogitans eligat magis suauem viam, per quam citius veniat ad horrendum exitum. Isti sane nonnulla bona faciunt, ac interdum viuere secundum disciplinam proponunt, sed semper ad consueta mala replicantur. Esse quippe humiles volunt, sed sine despectu; esse contenti prosperis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumelijs; adipisci virtutes quærunt, sed consequi non possunt, quia labores earum refugiunt. Vnde bene scriptum est. *Inuoluta sunt semita gressuum eorum*, quia virtutum studia aut non appetunt, aut si appetierunt, fracti in suo conamine, non ea consequuntur. Hinc item. *Va peccatori ingredienti duabus vijs!*

XL Nulla lex olim præter naturalem stupra cohibebat, & tamen tanto studio resecabatur, vt Rex Abimelech diceret. *Poterat aliquis coire de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum.* Et Thamar, quę de Iuda conceperat, flammis adiudicata est, eo quod in viduitate mœchata videretur. Lucretia quoque gentilis Romæ matrona, cum C esset à Tarquinii filio violenter oppressa, patrui suo ac viro facinus ad hoc patefecit, vt stupratorem persequerentur. Porro ipsa confusionem non sustinens, seipsam interfecit. Et vt ad sanctos veniamus Iob sine legali præcepto inter gentiles degens ait. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne quidem cogitarem de virgine.* Non solum subaudis de alienus coniuge. Gentiles itaq; sic etiam sine lege. At istæ Christo desponsatæ sunt, quibus & viri ad iniuriam sponsi irretractabiliter se inserunt, & ipsæ eis impudenter se ingerunt. O quales istæ lampades obuiam sponso! tenebuntur certe pocula plena, sicut in Apocalypsi legitur, fornicationum. Item Iob ait. *Si deceptum est cor meum super mulierem:* Qui vt magnitudinem tanti facinoris ostenderet, subiunxit. Quam enim partem haberet in me Deus desuper? Et illos quidem sola vis naturalis legis coercebat. At nos multis & validis conditionibus ligaremur, si omnino infrenes nō fuissemus. Nam vt de multis pauca perstringam, Christus iam de Virgine natus est, vt exhibeat sibi sponsam non habentem maculam aut rugam, sed virginem, vt ait Apo- D stolus, & castam. Iam leuatur signum Crucis in nationibus, & protestatur dicens: *Qui non baiulat crucem suam quotidie, nō est me dignus.* Crucem vero baiulat, qui corde & corpore castus carnis curam in desiderijs nequaquam facit. Quomodo igitur crucem baiulat qui carnem suam à concupiscentiis non crucifigit? Apostolus enim cultores ventris, non portitores, sed inimicos eiusdem crucis appellat. Nos parentes nostri, sicut Abraam obtulit Isaac, & Anna Samuelem, Deo in Sacrificium obtulerunt. Nos templum Dei quod esse ipsi debuimus violantes, & oblationem eius commaculantes idem nosmetipsos, in fermentum conuersi sumus. Naaman Syrus in tantam habuit reuerentiam locum, in quo nomen Dei inuocabatur, vt de Israël terram cum burdonibus portaret. Nos in atrijs Ecclesiæ consistentes, in terram Sanctorum, iuxta quod Propheta plangit, iniqua gerimus. *In terra Sanctorum*, inquit, *iniqua gessit.* Sed sequitur. *Ideo non videbit gloriam Domini.* Vox ad Moysem. *Locus*, ait, *in quo tu stas, terra sancta est:* Qui etiam non est ausus respicere contra ignem, & ecce plus est in altare, ad quod nos impure & irreuerenter accedimus. Nam ignis

E ille non erat Deus, sed creatura, ex qua vox Dei resonaret; hic vero corpus Christi est, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Verum quia de sacri loci reuerentia se occasio præbet, dicendum videtur quid ante hos annos in Carrilocensi Monasterio contigit. Quidam vassus nomine Richerus ibi metu inimicorum confugerat, qui in cella, quæ Ecclesiæ adhæret, nocte dormiens cum vxorem suam cognoscere vellet, ita sicut canis eidem inhæsit, vt nullatenus ab ea diuelli posset. Cum igitur se ita teneri sensisset, succlamauit, rumor subitus increpuit. Accurrerunt omnes. Illi tam metu quam verecundia vehementer confusi sunt. Monachos vocari fecere, quanta potuerunt munera loco sancto dederunt. Cum diu esset à Monachis oratum, sibi redditi sunt. Filium eius, & fratres ego noui; ab his qui interfuerunt hoc audiui. Sicut autem ipsa res edocet, complexus coniugum, quis licitus erat, temporaliter punitus est ob illicitam illius sacri loci præsumptionem, vbi gerebatur. At vero incestosú in sanctis locis pa- F tratus ob hoc in præsenti minime plerumq; plectitur, quia tantum est, vt non transitoria, sed æterna vltione feriri debeat. E contra vero quantum sacrati loci reuerentia prosit, hoc satis valet exemplo peruideri. Quidam Rex Longobardorum, sicut in eiusdem gentis Historia legitur, in Cœmeterio cuiusdam Ecclesiæ sancti Ioannis sepeliri se fecit, hæreticus tamen persistens. Cuius tumulum quidam fur effringens, ornamenta cum quibus, vt Rex, sepultus fuerat, asportauit: eidem vero sanctus Ioannes per visionem dixit. Cur ausus es corpus ipsius hominis contingere? fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendauit. Quia ergo hoc facere præsumpsisti, nunquam in meam basilicam deinceps ingressum habebis. Quod ita factum est. Quotiescumque enim voluisset beati Ioannis Oratorium ingredi, statim velut à validissimo pugili guttur ei feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Si ergo reuerentia sancti loci contra violatorem sepulchri illius hæretici sanctus Ioannes ita indignatus est, quantum putas & Deus, & Sancti eius irascuntur aduer- G sus quendam, qui sancta loca quolibet modo commaculat? Totus mundus sancta scriptura, quæ nos peccare prohibet, illustratur. Totus Dei testibus, qui hanc obseruauerunt, plenus est: de quibus, vt supradiximus, ait Iob. *Instauras testes tuos contra me.* Scilicet, qui tot in iudicio testimonium contra nos dabunt, quot legem Dei, quam nos contemnimus, sine præcepti etiam constrictione seruauerunt. Igitur tot causæ frenare nos debuerant, videlicet & fœdus imitandæ castitatis, quod cum suis militibus filius Virginis tanquam dux & præuius init, & conditio portandæ crucis, & consecratio, qua vel à parentibus, vel à nobis Deo initiamur, & professio sancti propositi, sed & locorum reuerentia sacratorum, & vicinitas tantæ maiestatis, quæ in altaris mysterio continetur, nec non & scripturarum auctoritas diuinarum, atque tantorum, & ante legem, & post legem exempla Sanctorum.

XLI H Constat autem etiam nunc post redemptionis gratiam illa sententia, qua dicitur, quia *omnis caro prona est ad malum.* Licet enim filius Virginis ad hoc apparuerit, vt opera Diaboli destrueret, & libidinem, quam Patriarcha Iacob, filium plangens, feram pessimam vocat, à suis dilectoribus truncauerit: adeo tamen adhuc in syluis nostrarum cogitationum eadem bestia sæuit & fremit, vt vix reperias qui naufragium pudoris tutus euadat. At vero cum ipse filius Virginis respicit terram cordis nostri, & facit eam tremere, & dicit fluctui cogitationum carnalium tanquam mari, *huc vsque procedes, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* resipiscit quisquis illuminati metuerit, & æternam gehennam, quam in agonio† voluptatis comparat, sollicita contremiscit. Sed si consideraueris quod Apostolus fornicationem iubet fugere, & quod Iesus ab eo, quem sanauerat, non possit in turba reperiri, & quod sanaturus alium de turba seorsum hunc apprehenderit, & ob hoc à turba virorum pessimis complicibus, tanquam à Sodoma cum Loth profugere voluerit, & alio sum, quo forte peccandi libertas aliquatenus refrenetur, secedere voluerit: mox omnes quasi Dia-

†na cimo a.o.

boli

A boli satellites contradicunt, loci sui desertorem appellant, cum tamen si pro temporali honore quolibet adipiscendo quouis discedere voluerit, fauent omnes, & adhortationem, vel etiam munerum adminicula præbent; & non desertorem, sed suæ humilitati prouisorem censent. Et certe locus fidelium Paradisus est, vel quilibet alius, quo tutius via, qua ad paradisum reditur, teneri potest. Quem locum totiens deserimus, quotiens peccamus. De illa desertione nemo queritur: ista vero ob id opponitur, quia dum præsentia corporalis in illo tali diligitur, quantum eius anima peccando supernis oculis absentetur, omnino non curatur. Nec mirum si Ægyptij filios Israel ne Deo seruire possint impediunt. Sane postquam communis Dominus, cui prorsus vbique seruitur, Pharisæos redarguit, eo quod nec ipsi intrent, nec alios intrare sinant: saltem hac increpatione coerciti suas contradictiones debuerant isti refrenare, & vel Ægyptios imitari, qui diuinæ formidinis pauore concussi, non solum dimiserunt Israel, sed etiam ornamenta B præstiterunt. Quod quidem & isti dehortatores facere solent, illis duntaxat qui pro aliquo temporali commodo discedunt, quos, vt supra dictum est, non desertores putant, sed suæ salutis prouisores. Scriptum quippe est, *Vos qui in Austro habitatis occurrite sitienti cum panibus.* Ac si diceretur, eos qui carnali ardore feruetis, ei, qui Dominum fontem viuum quærere nititur, adiutorium præbere. Verum si Iacob ad Patrem redire cupiens obstinationem Laban reditum eius impedire molientis deprehendit, oportet vt hanc clanculo fugiens, vel humano consilio frustretur. Hoc est enim prudentem esse sicut serpentem, qui vulneri caput maxime subijcit, si te eo subducas, vbi caput, quod Christus est, conseruare possis. *A domesticis tuis,* inquit, *caue.* Si ergo dixerint, Necessarius es consanguineis vel propinquis tuis: respondeas, Bonum est visitare pupillos, ita tamen vt immaculatum te custodias ab hoc sæculo. Et Apostolus Iesum sequi iussus, nec patrem sepelire permittitur quidem. In libro 7. Collationum Ioseph Eremita sufficienter edisserit quod C ille fidem suæ professionis rectius seruat, qui se ad eum locum contulerit, quo Dominicæ fidei præcepta plenius adimplere potuerit. Et reuera quale esset, si quis naufragum dehortaretur, ne vel tabulam arriperet, vel si ramum truncauerit, quem forte manu de gurgite emergens apprehenderet, vel certe si ei qui ceciderit suadeat, vt postquam semel corruit, ibi deinceps iaceat, cum Psalmista dicat, *Numquid qui cadit, non adijciet, vt resurgat?* Et vtinam saltem tali horrore locum vbi anima corruit execraremur, tamque pertinaciter ab eius lapsu resurgere conaremur, vt videlicet illum statem mox vbi corpore labimur. Hoc contra eos dictum sit, qui desertores appellant illos, qui locum, vbi peccandi libertas est, derelinquentes, tuti Deo famulari desiderant.

XIII. Sed vt ad filias Sion delicatas redeamus, quæ in Isaia propter mollitiem non filij, sed filiæ nominantur, & erecto collo compositoque gradu incedere notantur: Durum est, inquiunt, quod iubetur, fragiles sumus, qui & paganorum irruptionibus, & multis alijs angustijs pressi sumus, nequaquam valemus seruare propositum. Sed si fragiles sumus, humiles D per hoc esse decet; Nam quid superbit terra & cinis? Si oppressi, comessationes & indumenta pretiosa vnde suppetunt? An vestis, cui Deus natiuum dedit colorem, non valet frigus arcere nisi tingatur? Aut sine concubitu non potest viuere homo? sed forte intolerabilem quis causatur ardorem. Et vbi est illud? *Non patietur vos tentari super id quod potestis.* Respondeat S. Hieronymus excusationibus in peccatis. Dicit enim in Epistola ad Demetriadem. Neque enim alia causa facit difficultatem bene viuendi, quam longa consuetudo peccandi quæ nos ita tenet addictos, vt quandam vim naturæ videatur habere. Miramur cum non nobis delicijs, sine labore, quasi ab alio sanctitas conferatur, qui nullam boni consuetudinem fecimus. Malum namque vetus impugnat voluntatem nouam: quicquid primum in te institueris, hoc manebit. Quapropter viri voluerunt, vt pueri vel puellæ spiritalibus studijs mancipaventur, priusquam secularibus blanditijs illicerentur. Sed proh dolor! iniquitate iam superabundante, res in contrarium versa est: schola virtutum facta est amphiteatrum vitiorum. Ibi E vitia discuntur magis, vbi diffinescere debuerant. Quid, quod tergiuersamus, & naturæ fragilitatem opponimus Deo, quasi nesciat ille quales nos fecit, & oblitus nostræ humanæ fragilitatis imposuerit homini mandata quæ ferre non possit: O cæcam insaniam & prophanam temeritatem! Dupliciter quippe Deum videmur incusare. Neque enim iustus qui posse dedit, impossibile aliquid imperare potest; neque pius est, hominem condemnare pro his quæ vitare non potest. Et quomodo staret quod ipse perhibet? *Iugum meum suaue est.* Hanc itaque iusto iniquitatem, nec pro crudelitatem ascribamus.

Quid autem sit, quod plerique nec resistendo vitijs contraire possunt, Psalmista requisitus insinuat. nam quasi de sola matre vitiorum sollicitus ait. *Veniat mihi pes superbiæ.* Et quod ipsa totius ruinæ causa & occasio sit subdendo manifestat dicens ibidem, *In superbia ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Qui igitur operatur iniquitatem foris, prius per superbiam corruit intus. Quo contra electi de Deo F dicunt. *Qui docet nos super iumenta, & super volucres cœli erudit nos,* quia videlicet dum eo inspirante cogitant quid sunt, nec eos fragilitas carnis velut iumenta deijcit, nec in superbia spiritus quasi volucres eleuat. Qui enim carne labitur in luxuriam, more iumenti prosternitur: qui mente extollitur, quasi alta petit vt auis. Si enim pie spiritus sub Domino premitur, vt supra dictum, illicite caro super spiritum non eleuatur. Quod si ille autorem superbiendo contemnit, iure & à subdita carne contemnetur. Ergo virus libidinis de radice, & de nervo nascitur elationis. Quod cum ita sit, tunc anima per originem culpæ more iumentorum in luxuriam cadit, cum superbiendo more volucrum vltra quod debuit eleuat. Hinc est enim quod vel is qui stare videbatur cadit, vel is qui lapsus est, resurgere nequit. Hinc est itaque quod longa continentia repente soluunt, & plerumque virginitas in senili ætate vitiatur. Sic sic elatio nimirum debet fieri? vt qui se superbiendo ante oculos Dei extollunt, vsque ad iumentorum similitudinem foris deuoluantur? Qui ergo vitijs resistere cupit, sub potenti manu Dei humilietur.

G XV. An non in luxuriosis iumentorum similitudo est? An non sicequus & mulus intellectu carent, qui sperant, vel potius sperare se singunt, quod carnis concubitus ad sanitatem proficiat corporis: cum Propheta dicat, *Sana me Domine & sanabor.* Et item. *In Domino sperans non infirmabor.* Quod ita de sanitate mentis intelligunt, vt tamen de sanitate carnis non negetur. Etenim è contra nihil ita carnem debilitat, vt luxuria, vnde Hieronymus ait. Cito senescunt quæ iuxta viros sunt. Qui destinati apud gentiles erant, vel ad brauium currere, vel in theatro luctari: ne polluti per somnium viribus eneruarentur, plumbeas laminas circa inguines adhibebant. Sed istis vt Propheta ait fornicationis amor abstulit cor; quippe qui nec hoc ipsum intelligunt per sacram scripturam, quod Pagani nouerant per experimentum. Christus namque iubet vt pro salute animæ tradatur corpus, isti è contra pro salute corporis tradunt animam. Cum quidem hoc magis detrimentum sit ipsius corporis. Nec H mirum si is, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: aut si is, cuius Deus venter est, & qui sequitur auaritiam, quæ est idolorum seruitus, salutem carnis cum Dei contemptu tanquam idololatra requirit. Qui peruerso ordine colunt carnem, quæ non prodest, quicquoque & negligunt spiritum, qui viuificatur, reuera vani & mendaces filij hominum, populus Gomorrhæ, vt ait Isaias, cultores vestium; cum Deus per Ezechielem queratur, quod in superbia ornamentis ipsius vtantur. Qui etiam, sicut Iosephus Iudæos ante excidium fecisse commemorat, vestimentis exoticis induuntur. Nam de his Hegesippus refert, quia tunc feminees vtebantur, & mutilabant sibi barbas, atque suas facies more meretricum dealbabant. Hi vero priscum imitantes morem, & nouellas quasdam species in habitu assumentes eodem se spiritu libidinis afflatos esse docent; cum Deus comminetur, quia visitabit super omnem qui indutus est veste peregrina.

XVI. Sed erubescamus aliquando vile subsellium libidinis esse: nouemus nobis nouale, vt ait Propheta, quia tempus quærendi Dominum est, resistamus Diabolo & fugiet à nobis.

nobis. Audiamus beatum Hieronymum, qui breuitatem huius vitæ arguens dicit. Esto, vita nostra mille annis tendatur, ad extremum totius ætatis diem veniamus. Cum ergo vltima hora venerit, quid proderit continuatæ voluptatis fructus, quæ statim vt cessauerit videbitur non fuisse? Quid nunc apud inferos ardenti, vel quotidianæ delitiæ, vel byssus & purpura prosunt? Inquit Propheta. *In tribus & quatuor impietatibus nonne aduersabor?* sceleratum est male cogitare, iuxta illud, *Væ qui cogitat inutile.* Sed ignoscitur. Sceleratius vero, quod male cogitaueris, velle perficere. Sed & hoc ignoscitur. Iam sane sceleratissimum est, opere peccatum perpetrare. Tamen & huic tali benignus iudex manum porrigit, & ad pœnitentiam exhortatur. Quod si peccator pœnitere noluerit, iam Dominus cogitur aduersari, & pro magna pœna suæ peccatorem dimittere voluntati. Adam enim semel peccauit, & mortuus est; videamus quid fecerit. Contra mandatum de fructu arboris edit. Tu ergo si in aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet tibi: summo illi magis parcendum fuerat, qui adhuc rudis & nouellus erat, & nullius ante peccantis, & propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero, quisquis eiusmodi es post legem, post Prophetas, post Euangelium, post Apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgeri possit ignoro. Achar apud Iericho de interdictis spolijs aliquid furatus est, & super omnem Israel talis ira incubuit, vt stare contra hostes suos nullatenus posset etiam furti nescius, donec anathema lapidaretur. Et hi qui res Ecclesiæ vel pauperum tantopere deuastant, quales triumphos de paganis expectant? Hos nimirum propter imprudentem rapacitatem lupos vespertinos Propheta appellat. Illum vnum qui apud Corinthios fornicatus fuerat Apostolus inter fideles orare non patitur, ne impura vox eius puras reliquorum voces diuinis auribus, tanquam rauca, sordidaret. Et quomodo conuentus ille suas preces Deo placere præsumit, inter quos, occulte vel publice simili reatu, non iam vnus, sed multi fœdantur? Nam prædictus Apostolus dicit, quod irritam quis faciens legem Moysi sine retractatione puniretur, sicut in illo contigit, qui sabbato ligna colligebat. Et quanto magis, inquit, putatis mereri deteriora supplicia, qui filium Dei conculcauerit? & item, voluntarie post cognitionem veritatis peccantibus, iam non relinquitur hostia pro peccatis.

XVII. Neque enim hoc dicimus, vt eos si conuerti voluerint desperemus. Quia igitur diuina misericordia præsto est, nostræ conuersionis horá semper expectat, quæ tantopere parata est ad recipiendum, quantum ô vtinam parati essemus ad conuertendum! Sed & de his qui dicuntur non satis confidimus, quod illi furfures istorum verborum curent, qui candidissimum etiam S. Euangelij panem fastidiunt. Dicimus tamen eo quod dolentibus quoddam consulationis genus est, si causas doloris sui delatrare permittuntur, eo quod scriptum est. *Maledictus qui prohibet gladiũ suum à sanguine*: id est, vocem suam ab increpatione peccati. Dicimus ergo quod possumus, vt nos de prauorũ peruersitate saltem aliquid dolere monstremus. An non merito dolendum est, quod Christianitas, quæ quanto prouectior est, tanto magis roborari debuit: sic è cõtra ab statu rectitudinis incuruatur, vt eius religio cuncta defecisse videatur? Omnes enim festini & præcipites ad malum currimus, & vt Ioannes in primo libro de compunctione dicit: Non per vnũ, sed per omnes actus nostros ad ignẽ gehennę festinamus, & tantus diuinorum præceptorũ contemptus irrepsit vt non solũ per mala quælibet opera Deum offendere non metuamus: sed hoc ipsum quod de eius mandatis facere videmur, magis pro vana gloria quam pro illo geramus ....*destrueret, quos è contra & factis, & vocibus & ipso gestu corporis, quo semper interioris hominis affectus per exteriorẽ produntur, ipsam reædificamus. Ipsi quippe velut empta mancipia subiacemus, & ceruices nostras a bes* ludibrijs per Dominicam crucẽ ereptas ita nunc eidẽ subiugamus, vt illi de ipsis bonis operibus seruiamus, adeo vt quod dicere pudet, ipsum illud S. Euangelij verbum, quo dicitur: *Omnis qui se exaltat humiliabitur*, cum quadam iactantia legamus. Siquidem B. Augustinus in libro Confessionum perhibet quis pœnaliter peccat, qui in diuinis responsorijs modulatione magis, quam sensu verborum delectatur. Sanctus quoq; Hieronymus in Epistola ad Ephesios differit, quod non sunt in Ecclesia guttur, & voces dulciac theatrali modulatione colendæ, quia Deo non voce, sed corde cantandum sit. Nos vero è contra modulatione magis humanas aures quam diuinas pulsamus: cum ad hoc institutus sit psallendi vsus, vt sicut Dauid citharizando nequam spiritum compescebat in Saul, ita cantores modulando quælibet diabolica desideria de cordibus audientium expellant.

* Hic desunt aliquot verba.

XVIII. Supra dictum est quia de fragilitate causamur, & ob hoc quasi per condescensionem carnes ad esum præsumimus. Sed prædictus Hieronymus in libr. contra Iouinianũ perhibet, quod esus carniũ vsq; ad diluuium ignotus fuit. Postea vero dentibus murmurantium neruos, & virulentas carnes commemorat iniectas, cum datione videlicet legis quam implere nullus potuit, quando & repudium ad duritiam cordis permissum est. Apostolus docet, quod Deus Pater in Christo Iesu recapitulare omnia proposuit, & ad principium retrahere: vt ipse in Apocalypsi. *Ego sum*, inquit, *Alpha & Omega*, id est, initiũ & finis. Postquam ergo Christus venit in fine temporum, & Omega reuocauit ad Alpha, & extremitatem retraxit ad principium. Postea nec repudium nobis dare permittitur, nec comedere carnes, dicente Apostolo. *Bonum est non comedere carnes, nec bibere vinum*: sed de vino ad Timotheum scribens ait: *Modico vino vtere propter stomachum tuũ.* Modicum videl. & propter stomachum: quoniã ipse Hieronymus ait in Epistula ad Ephesios. *Sicut non possumus Deo & mammonæ seruire sic nequimus spiritu pariter impleri & vino.* Vinum ergo concedit, sed modicum. De carnibus nunquam tale reperies. In XXX. autem Moralium libro dicitur, quia plerique certaminis ordinem ignorantes, edomare gulam negligunt, & cætera vitia expugnare nituntur. Sed dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes per carnis concupiscentiam obruuntur. Hinc est quod non alius quilibet murus Hierusalem, sed Princeps coquorum destruxit: quia venter dum non restringitur virtutes animæ perdit. Ea igitur sumenda sunt quæ naturæ necessitas quærit, non quæ voluptas gulæ suggerit, quia sicut item in Pastorali scribitur: Toties primi hominis lapsus iteratur, quoties quædam alimenta saluti animæ contraria per carnis concupiscentiam sumuntur.

XIX. Compositus vero incessus cũ à religione, tum etiam ab honestate multũ abhorret. Sicut enim os iuxta vocẽ Domini ex cordis abundantia loquitur, sic exterioris hominis motus ex qualitate interioris formãtur. Hinc enim scriptũ est: *Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis, enũciant de eo* Naturæ quippe nil fucatũ placet, sed potius quantum auctori eiusdem naturæ displiceat, ipse testatur dicens per Prophetã: *pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & erecto ambulauerunt collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebãt, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*, &c. vsq; illud. *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* S. Ambros. in libro Officiorum dicit de duobus Clericis, qui inordinate incedebãt, quod tempore Processionis retro se faciebat eos incedere, quia videl. vsum malum quem corrigere in eis non poterat, videre non patiebatur: quorum vnus postea sicut ipse refert publice lapsus, atque de suo gradu deiectus est. Gregor. quoque Nazianzenus in 2. contra Paganos libro ita de Iuliano Apostata refert. Mihi, inquit, olim eiusdẽ Iuliani mores comperti sunt, dũ hunc ab Athenis clarius agnouissem. Considerauit enim virũ, & non frustra. Vates enim egregius est qui bene considerat. Erat igitur in eo inconstantia morum, incessus vbertor, ceruix inflexibilis, humeri iactabiles, oculi huc illucq; discurrentes pedes impatientes, nares spirantes contemptum, risus incontinens, & quasi subbulliens. Sed quid per vniuersa discurro? Hunc ante opera vidi, & dixi: O quale malum nutrit respublica Romanorum!

XX. Sane ista hæc vitia, per quæ maligno hosti maxime, & religionis professores, & insuper omne humanum genus succumbit, quam sint pauenda mortalibus non solum vete-

A ris ac noui Testamenti sententiæ, sed ipsa quoque manife-
stant exempla. Nam ille qui est principium viarum Dei,
primus per superbiam corruit. Vnde & Saluator, ne Disci-
puli de accepta signorũ potestate superbirent, prolapsum
Angelum eis ad memoriam reuocat, dicens: *Videbam Sa-
thanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* De quo etiã B. Iob Deus
tam mira in quibus fuit, & quæ amisit insinuat, vt terreno
homini ostendat quid ipse si superbiat, de elationis suæ
culpa passurus sit, si seruo do illi parcere noluit, quem cre-
ando in gloria tantæ claritatis eleuauit. Consideret ergo
homo quid elatus in terra mereatur, si & prælatus Angelis
Angelus prosternitur? Vnde & bene per Prophetam dicit:
Inebriatus est in cœlo gladius meus, ac si aperte diceret; qua ira
feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in
cœlo iustitia me condidi percutere pro elationis vitio non
peperci. Per hanc ergo Sathanas corruit, per hanc vtrumq;
hominem se spernentem strauit. Hæc si in corde recepta
B fuerit, non solum quibuslibet vitijs hominẽ tradit: sed de
ipsis quoque virtutibus, quas forte egerit, sibi hanc seruire
facit, dum de his vanam gloriam quærit. Alios autem ex
temporalibus rebus, alios ex spiritualibus tentat. Nã alius
intumescit auro, alius eloquio, alius infimis rebus, alius
cœlestibus. Vna eademq; res tamen ante Dei oculos agi-
tur; quamuis in diuersorum cordibus diuerso, ne cognosci
valeat, amictu pallietur, nisi forte quia tunc periculosior
est, cum de virtutibus pullulat, quoniam in eo qui sanctus
creditur nullus hanc arguere præsumit. Diuitibus autem,
vel diuitijs, vel virtutibus ob hoc dotius dominatur, quia
apud illos eo maiorem intumescẽdi materiam habet, quo
in eis maiori potestate, aut laudabiliori sanctitate fulcitur.

XXI. His vero indicijs deprehenditur, quem possederit, sem-
per hunc ad inferendas contumelias facit præcipitem, ad
sufferendas vero pigrum. Hinc inde re quam sponte non
appetit, nullis exhortationibus flecti patitur. Ad hoc autẽ
quod latenter desiderat quærit per similitudinem vt co-
gatur, & ipse se ingerit, si contingat vt à nullo inuitetur. Sẽ-
per aliena opera despicit, semper sua miratur, singulariter
C se cuncta agere credit, & si nullus collaudauerit, ipse tamẽ
suas laudes aut tacitus, aut etiam per ostentationis vocem
clamat. In tristitia vero siue in lætitia pene semper modum
excedit, clamosus in voce, in silentio nimius, verbis & ha-
bitu compositus, actione dissipatus. Humilitatis speciem
interdum assumit, sed vel oculorũ nutu, vel sermone, qua-
lis intus sit post paululum innotescit, qui sæpe magna ge-
rit, si hæc iuxta suum arbitrium agere permittatur. At con-
tra humiles semper pauidi, semperq; suspecti, hoc habent
proprium vt semper opera sua paruipendant. Vnde & in
iudicio cum ipse iudex eos laudauerit dicens, *Venite bene-
dicti Patris mei*, &c. ipsi consuetam ad hoc humilitatem reti-
nentes respondebunt. *Domine, quando ista vel illa fecimus?*
Cum è contra superbi etiam Deo increpante excusare se
nituntur. Humiles itaq; cum humilitate; quasi sub quodã
tegmine sese abscondent; & à diuina nimia aduersione
contra superbiam principaliter pugnant, & quasi contra
vehementer ictus oculũ in suo corpore magis custodiunt,
D dum studiosius in se humilitatem tuentes semper se inter
virtutes timent. Quia vero Redemptor noster corda regit
humilium, & ipse ad beatum Iob dicit, quod Leuiathan
Rex sit superborum, consideret quisque vtrum humilita-
tem an superbiam habeat. Facile veluti quodam indicio
reperiet, sub quo Rege militat, quoniam omnino manife-
stissimum signum reproborum superbia est, & è contra hu-
militas electorum. Itaq; superbia abominatio est; humili-
tas sacrificium. Nam de illa dicitur: *Abominabilis est apud
Deum omnis qui exaltat cor suum.* De ista vero: *Sacrificium Deo
spiritus contribulatus.* Quanto autem quiq; pauperiores sunt
tanto in illam abominationem rarius incurrunt, at vero
istud sacrificium ditiores vix inueniunt.

XXII. De quinq; modis gulæ quos ob prolixitatẽ omittimus,
in libro Moralium XXIX. magna subtilitate disputatur.
Hic tamen suggerendum videtur, vt quisq; cogitet quale
peccatum sit pro quo Adam cum omni stirpe sua de Para-
diso eiectus est: pro quo populus in deserto vsq; ad Idolo-
latriam venit, dicente Apostolo: *Sedit populus manducare &
bibere, & surrexerunt ludere.* Et item de concupitis carnibus:
Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & quæ sequuntur. Pro E
quo & cum Madianitis mœchati sunt. Pro quo & Esau pri-
mogenita sua perdidit. Pro quo Sodoma ad fornicationis
lapsum proruit, Deo testante, qui ait: *Hæc fuit iniquitas sororis
tuæ Sodomæ, saturitas panis.* Cuius vitij culpam perfidiæ com-
parat Apostolus dicens, quod cultores ventris & inimici
sint sanctæ Crucis, & Deus ipsorum sit venter eorum. Quẽ
videlicet ventrem & escas Deum asserit destructorem di-
cens: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has de-
struet.* Et quid multis necesse est? Ipse Creator & cognitor
humanæ naturæ Christus, vt ostenderet vbi cuncta vitia
pullulant, vel vbi recidi debeant, hoc solum velut præci-
pue necessarium iubet: Videte ne grauentur corda vestra
in crapula & ebrietate. Quæ duo si reciduntur, cætera fa-
cile superantur. Et certe quis absque parsimonia se præsu-
mat inter electos haberi, cum ipse vas electionis Paulus
ideo corpus suum castigat, ne reprobus fiat? Nam & Iob F
dicit, quia *Sapientia non inuenietur in terra suauiter viuentium.*
Et ipsa Sapientia testatur, quia *neminem diligit Deus nisi eum
qui cum ipsa habitat.* Ergo non se palpent, qui suauiter vi-
uunt, ne forte si apud eos non inuenitur Sapientia, non
diligantur à Deo.

At vero de luxuria suggestrice eiusdẽ gulæ quid aliquid XXIII.
loqui valeat, quod illi non despiciantur, qui eius flammis
insaniunt? quandoquidem hi nec Patriarcharum, nec Pro-
phetarum, nec Apostolorum, sed nec omnium Sanctorum
ab origine mundi de religione loquentium voces curant.
Quin & ipsum filium Virginis ita contemnunt, vt in atrijs
eius ipso vidente fornicentur, & in ipsis diuersorijs, quæ ad
hoc deuotione fidelium constructa sunt vt castitas in se-
ptis locis tutius seruaretur, ita fluxu libidinis redundant,
vt non sit Mariæ locus vbi puerum Iesum recliner. Nec
mirum sane si mancipia libidinis non formident, quia sic-
ut ait Propheta: *Fornicatio aufert cor.* Non enim est timor
Dei ante oculos eorum, quorum guttur est vt sepulchrum
patens. Quibus tamen aliquid rationis adhuc inest, opor-
teret vt pondus tanti sceleris, vel ex rebus in sæculo gestis,
vel ex Sanctorum dictis pensarent, de quibus pauca, si G
forte audire dignentur, commemoremus. Vt itaque Deus
futuris huius sæculi ætatibus ostenderet, quod maxime
per hoc vitium exacerbaretur, mox vt filij Seth filiabus
Cain sese commiscuerunt, & se perhibuit pœnitere quod
hominem fecisset, & omni creaturæ diluuium commina-
tus est. Nam licet Adam peccante terram maledixerit, &
Cain fratricidium iaculo maledictionis mulctauerit, non
tamen dolore cordis, aut pœnitudine sicut hic tactus asse-
ritur, neq; generali exitio mundum perire decreuit, neque
pro qualicunque alio scelere tanta animaduersione sese
vltus est, quam pro isto, cum illa famosissima cõflagratio-
ne quinq; ciuitates igne & sulphure etiam ante legem cõ-
sumpsit. Cuius fama facti libris quoq; gentilium celebra-
tur. Nam & adhuc omnia quæ ibi gignuntur plena cineri-
bus teste Orosio, reperiuntur. Quare autem vel igne qui
exurit, vel sulphure quod fœtet, luxoria puniatur, in Dia-
logo S. Greg plenius edocemur. Quo nimirum facto Deus H
omnes in futurum generationes erudire voluit, vt scirent
quantopere fugiẽdum sit istud flagitium post fidei cogni-
tionem, quod ille tanta animaduersione puniuit etiã ante
Legis prohibitionem. Sane cum ad gratiam reconciliatio-
nis genus humanum reducere decreuisset, mox Abrahæ
quem fidei primordijs initiabat ad indicium recidendæ li-
bidinis circumcidi præcepit; ita tunc demonstrãs quia ne-
cesse est, vt omnes qui ad eum pertinent à vitijs, & concu-
piscentijs mortione Crucis se circumcidant. Illum vero qui
post redemptionis gratiam primus in reatu fornicationis
deprehensus est Apostolus illico Sathanæ tradidit, qui &
alios, quos forte Sathanas ob alia quælibet flagitia venabat
eripere solitus erat. Propter hoc tamen scelus hunc eidem
Sathanæ mancipauit, qui vtique vel nouitate nuper susce-
ptæ religionis, vel ignorantia nacdum expertæ constri-
ctionis poterat vtcumque excusare.

Verum vt aliquid sub argumento dicamus, quare iustus XXIV.
iudex Deus infantẽ legitimo matrimonio & absoluto tẽ-
pore conceptũ, etiã si priusquã peccare possit, moritur, cur
æternaliter condemnet? Sed dũ proprio reatu minime pu-
nitur,

A nitur manifestum est illud fieri propter illud peccatum quod in hora conceptionis. Si ergo tanta est culpa in coniugali concubitu, vt infans pro illa sola puniri debeat, quanta in stupro est vel in pollutione, quæ ad solam libidinem explendam patratur? Merito igitur protestatur Apostolus, quia fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Liquet certe quod minores causæ per minores iudices soleant iudicari, sed cum aliquod tale negotium subrepserit, quod per se nullatenus expedire valeant, id ad Principis notitiam referunt. Vt igitur quantus sit iste reatus monstraretur, ad solius Dei iudicium referri perhibetur. Sub hoc sensu est intelligendum etiam illud, quod idem Apostolus ait. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Nam cur se iustificare non audeat, quamuis nihil mali post baptisma sibi conscius sit, manifestat subdens; *Qui autem iudicat me Dominus est*, ac si diceret: Non æqualis, sed cuius iræ resistere nemo potest. Porro ad enormitatem tanti vitij demonstrandam, idem ipse Apostolus subdit. B *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Cor namque nostrum de quo Dominus peccata exire perhibet, intra corpus est. Hoc ergo non ob hoc dicit Apostolus, vt sola fornicatio intra corpus sit; sed vt ostenderet, quia quantum grauior est alijs peccatis, tantum distat morbus interior ab vlceribus quæ in cute sunt. Nonne & hoc Deus adprobat, qui fortitudinem diaboli in hoc vitio constare perhibuit dicens, vt supradictum est ad beatum Iob: *Fortitudo eius in lumbis eius*, hinc etiam est quod prædictus Apostolus contra cætera quidem vitia pugnare nostra cominus iubet, fornicationem vero fugere hortatur nimirum suadens, vt si quis prœliator frequenti hostium congressione victoriosus, si armatum talem incurrat aliquando, cui congredi nullatenus audens ab eo per fugam declinet: ita quilibet Christianus etiam si alia vitia superauerit, ab occasionibus tamen libidinis longè se faciat, ne si minimo digito ligetur totus tradatur.

XXV. Hæc fortissimum Samson sola vicit, hæc sanctissimum Dauid non præterijt, sapientissimum Salomonem penitus C suffocauit, cum, sicut scriptum est, potestatem sui corporis non haberet. Hæc Amon filium Dauid in sororem præcipitauit. Quis ergo iam de virtutum charismate confidat? Si hæc lapides relinquat, de stipulis quid fiet? Quæ idcirco periculosior est, quia citius mentes eneruat, quoniam magis delectat. Idcirco autem tam districtè punitur, quia facile domari potest: quod videlicet ex hoc apparet, quia quantolibet ardore mœchus insaniat, ab aliquo tamen visus mox se refrenat, qui vtique vel tantam reuerentiam diuinis obtutibus præstare debuerat. Sed insania vincitur. & Hieronymus in Iohel dicit: In eo cordis oculos hæc eadem libido excæcans, ita sensum eius inebriat, vt propter ignominiosam corporis partem pretiosam animam miserabiles blanditias incliner, & in præsenti turpem infamiam, in futuro autem damnationem perpetuam deliberet incurrere, dum insano pruritu vel puncto temporis abutatur. Neque enim ineuitabili necessitate hominem constringit, vt alia vitia plerumque faciunt, sicut fames, Quod Salomon ostendit dicens: *Non grandis culpa est, cum quis furatur: furatur enim vt esurientem impleat animam*, D *attamen reddit septuplum.* Qui autem adulter est, perdet animam suam, & opprobrium illius non delebitur. Quoniam talis quisque propter solam superbiam peccat. Nonnulli vero quædam bona faciunt, vt in hoc vitio impune volutentur. Quibus in sequentibus Salomon obuiat, dicens de zelo Dei: *Non acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Hinc in Iob: *Non credat frustra errore deceptus, quod alio pretio redimendus sit.* Quoties post culpam eleemosynam tribuimus, quasi pro eadem culpa precium damus, iuxta illud: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Vnde Daniel ad Nabuchodonosor, *Peccata*, inquit, *tua eleemosyna redime.* Et dominus Martinus perhibet antiqua delicta melioris vitæ conuersatione purgari. Sed sicut in XXII. libro Moralium disputatur, qui ita eleemosynam tribuit, vt culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitijs non compescit.

XXVI. Hoc ille Eremita suo facto probat, qui cum multis virtutibus cum quodam filio suo collega deseruisset, hæc E illi per diabolum iniecta cogitatio est, vt quandocumque libidine titillaretur, sic semen de tritu genitalis membri egerere deberet, tanquam flegma de naribus proijceret. Quo obitu & dæmonibus moriens vidente socio traditus est, cum quidem isdem socius reatum eius ignorans, sed exercitia virtutum recolens, pene desperauit dicens: O quis poterit saluus esse, quando iste periit! Cui mox Angelus adstans dixit, Ne turberis, iste enim licet multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apostolus vocat immunditiam, cuncta fœdauit. De quo ait Propheta, *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Si quidem tale aliquid nostro tempore contigit, quod ne sui nouitate vilescat considerandum est, quia ille facit nouissima qui facit antiqua. Et Poëta dicit,

Rursus ab antiquis veniunt miracula causis.

Quidam itaque presbyter in pago Abricantino, nepos Ioannis Præpositi de monte sancti Michaëlis, de continentia desperauerat. F Hic per nouem vices Romam adijt, à beato scilicet Petro impunitatem sceleris, quasi propter frequentem loci visitationem sperans promereri. Quamuis enim peccatum deserere nollet, tamen vehementer timebat: quoniam iste est mos prauorum, vt licet in culpa superbiant, licet praua foras audacter faciant, in corde tamen trepidare coguntur, vt ipse timor sit apertus testis damnationis. Vnde Adam post culpam ad latibulum fugit, & timens multum timuit, quia Deo duriter respondit. Hic ergo timens quasi religionis obsequium deferebat: sed vt Deus ostenderet, quod satisfactionem nisi pro his peccatis quæ deseruntur non recipit, cum rediret noua vice, & quasi securior concubitum repeteret, ita diuino iudicio miser interijt, vt cum semen funderet, animam pariter exhalaret, sicut infelix mulier perhibuit. Hoc quoque in Sichem expressum est, qui videlicet Dinam, quam corruperat, retinere maluit, vltionem stupri nec circumcisus euasit.

XXVII. Forte quæritur, cur ea quæ terrorem incutiunt, sine G consolationis verbis continuentur. Sed de his nunc sermo est, qui diuinæ præceptioni resistentes timorem Domini dereliquerunt languorem animæ incurrunt, nec tamen resipiscunt, dissipati sunt, nec tamen compuncti. Oportet enim vt in eis putredo vulneris prius timoris ferro secetur, ne iugiter defluente sanie peccati suauitas vnguenti reijciatur. Omnes enim scripturæ comminationes contra peccatores iaculantur, sed quousque resipiscant. Et è contra vniuersæ eiusdem scripturæ consolationes, ex ea hora qua forte resipuerint, eis blandiuntur. Ferrum namque, vt in Epistola Ioannis Augustinus, ait corium transfurat, vt linum intrare possit. Et ita necesse est vt timor mentem transfigat, iuxta illud: *Confige timore tuo carnes meas*, quatenus facto foramine, quasi per ferrum charitas, quæ permansura est, succedat. Porro mos prauorum est, vt nihil audire velint, per quod eorum terrena lætitia perturbetur, sed illos libenter auscultant qui placentia loquuntur. De quibus Apostolus: *Coaceruabunt*, inquit, H *magistros prurientes auribus.* Et Propheta ex eorum voce. *Loquimini nobis placentia.* Sed Domino & magistris, & auditoribus terribiliter comminatur, dicens per Prophetam. *Et qui beatificant, & qui beatificantur, erunt præcipitati*, diligentibus quippe legem pax multa, & è contra non est pax impiis, dicit Dominus. Quisquis ergo comminationibus scripturarum, etiam auditu non vult terreri, quanto magis debet earundem comminationum experientiam formidare? Quisquis autem vult securus esse, audiat monentem Dominum: *Diuerte à malo, & fac bonum*, vt fiat illud: *Qui autem me audierit absque terrore quiescet.* Econtra per Isaiam, *quod si non audieritis me, gladius meus deuorabit eos.* Sane quam gratum sit Deo, si comminationem scripturarum reuerenter audiamus, vel quam iniurium sit ei, si contemnamus, in facto Iosiæ Regis, & Ioachim demonstrat. Quorum Iosias audito Legis volumine intremuit. Cui & ilico Deus mandauit, dicens: *Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & ego audiui ait Dominus, idcirco colligam te in pace.* Ioachim vero qui non

A solum non timuit, sed etiam volumen Ieremiæ combussit, diuinam inuectionem promeruit, quia ei dictum est. *Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid, sed cadauer eius proiicietur.*

XXVIII. Et de hoc quidem quod vel per hæc tria vitia, vel per cætera quæ enumerare pudet, à Christo apostatare videntur, valde dolendum est: sed multo plus de hoc quod illud sacrosanctum mysterium Dominici videlicet corporis temerare præsumunt. Hoc enim beneficium maius est inter omnia bona, quæ hominibus concessa sunt, & hoc est quod Deus maiori caritate mortalibus indulsit, quia in hoc mysterio salus mundi tota consistit. Et certè dum indignè tractatur, per hoc maxime diuina quotidie maiestas iniuriatur. De hoc ergo dolendum est, de hoc omnimodis ingemiscendum, vt si emendare non possumus, vel dolendi affectum nobis inesse reclamando monstremus: ne forte vox Christi nos arguat, dicens: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit.* Quod denique B mysterium primordijs Ecclesiæ non tam frequenter vt nunc celebrabatur: tamen quanto rarius, tanto religiosius agebatur. Tempore namque priorum Patrum ita iniungebatur, vt Eusebij refert historia, sacrificandi officium, qui naturali simplicitate fulgebant, iuxta illud: *Cum simplicibus sermocinatio Dei.* Quod mysterium qui participare debebant, discalciatis pedibus accedebant; propter illud quod Moysi & Iosue præceptum est. Sanctus quoque Pachomius pistoribus præcepit, vt cum oblationes coquerent, salutaria meditarentur, nihil vanè loquentes. Cum ergo hoc in monasterio Tabennensi quadam vice violaretur, statim Pachomio diuinitus reuelatum est, qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc velut diuini præcepti transgressionem emendari fecit. At nunc valde quidem, valde frequentius, sed quod nimis dolendum est, negligentius frequentatur. Quam scilicet negligentiam & ipsa Ecclesiæ facies, & ipsa vasa altaris, sed & linteamina, seu quælibet cætera, quæ ad vsum Dominicæ seruitutis pertinent, manifestè demonstrant. C Non necesse est singula singulatim prodere: satis patet quæ studiosius sacerdotes colunt quæ sua sunt, an quæ altaris. Sed nimirum cum caritas quæ est plenitudo legis penitus tota iam refrigescit, quomodo in sacrificando continuatio tanta perseuerat, nisi quia malignus hostis in hoc sacrificantibus contradicit, in quo magis eos grauari nouit? Neque enim Iudam vetuit Eucharistiam sumere. Sciuit enim quia sicut à deuotis per illius mysterij perceptionem eius fraus compescitur, sic in his qui eam indigni percipiunt licentius grassatur. Contra eos etenim qui exteriorem ecclesiæ cultum negligunt, Dominus per Malachiam queritur, dicens. *O vos sacerdotes, qui despicitis nomen meum, offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, Mensa Domini polluta est.* Polluunt sacerdotes panem, id est, corpus Christi, vt Hieronymus exponit, qui indigni accedunt ad altare. Mensam vero despectam licet verbis non dicant, tamen cum exteriorem ei cultum non ornant, eam etiam laicis despectabilem faciunt quoniam carnalium sensus deesse putant sanctimoniam diuinæ virtutis, vbi deesse vident ornatum ambitionis. Vnde D & congruit ei quod item dicitur. *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos: propter quod & ego dedi vos contemptibiles esse.* Denique quod loca sancta vel Ministri Ecclesiæ nunc in contemptu sunt, maxime ipsorum Ministrorum culpa est. Quod ex his apparet, quoniam ipsi laici qui eos despiciunt, si quem forte reppererint quem religiosum credant, non mediocriter venerari solent. Qui enim ad altare sacrificare Deo volunt, ipsi prius per mortificationem vitiorum Dei sacrificium esse debent. Alioquin magis temerarij, quam cultores eiusdem mysterij deputantur. Quod per Ieremiam ostenditur, per quem talibus exprobrat Deus dicens. *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes.* Vestra, inquit, non mea, quia non sum loquutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc præcepi eis dicens. *Audite vocem meam, & ambulate in via omni, quam mandaui vobis.* Et Isaias: *Quis quæsiuit hæc de manibus vestris, ut afferatis sacrificium frustra?* Et deinde. E *Lauamini, mundi estote,* & cætera. Quibus verbis ostenditur, quod ille ad sui perniciem sacrificat, qui prius in via mandatorum Dei non ambulat, & qui suæ cogitationis malum ab eius oculis non aufert. Hinc Dauid in Psalmo pœnitentiæ dicit: *Si voluisses, sacrificium dedissem.* Quale vero sacrificium prius offerre debeamus, vt deinceps altaris sacrificium recto ordine celebrare possimus, manifestat dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, ac si diceret: Altaris sacrificio non delectatur, nisi prius sacrificio contriti cordis placatus fuerit. Est Ecclesia beatæ Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem, sicut dominus Abbas Berno refert, vt eiusdem sanctæ Gualburgis reliquiæ super altare per aliquot dies manerent. Sed mox miracula cessauerunt. Tandem vero ipsa virgo cuidam ex infirmis apparens: Idcirco, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super F altare Domini, vbi maiestas diuini mysterij debet solummodo celebrari. Quod cum ille custodibus referret, remouerunt capsam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo ob illius mysterij reuerentiam, nec ipsa sua pignora sancti volunt propius vicinari, quid censendum de immunditijs?

XXIX. Est autem domus spiritalis vnusquisque homo fidelis, quam videlicet domum sacerdotes prædicando mundare deberent à sordibus vitiorum. Sed hoc iam ita in negligentiam venit, vt vel ex toto taceant, vel pro muneribus iudicent, vel orent. Vnde per Michæam dicitur: *Sacerdotes eius in muneribus iudicant, & in mercede docent, & in pecunia diuinant.* Et Malachias *Non seruastis vias meas, & accepistis faciem,* qui multa iam contra sacerdotes dixerat. Sed vt Hieronymus exponit, idcirco de acceptione personæ posuit vltimum, quia maius est peccatum. Vnde Psalmista. *Cur facies peccatorum sumitis?* Et Iacob hoc plenius peccatum arguit, quod qui fecerit ita fiat quod Deus per Malachiam talibus comminatur. Ait enim: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, sed proijciam vos, &* G *disperdam magistrum & discipulum, & maledicam benedictionibus vestris?* Quod tunc fit, cum sacerdos pro tali præsumpserit offerre, qui peccare nō cessat. Quod sic Hieronymus in hoc loco dicit, hoc solum esse remedium peccatori non facere quæ fecit. Hinc scriptum est: *Sacrificium salutare attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate,* & deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia. Et supra: *Qui conseruat verbum, multiplicat orationem.* Contra fautores vero criminosorum Propheta dicit, *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito.* Quod ille facit, qui alteri ad mundi amorem, quasi ad lectum declinanti: correptionis duritiam subtrahit, & vt in errore molliter iaceat nulla hunc asperitatis contradictione pulsat. Sed hæc rectores, qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. In ea via, quæ à Tibernensi Monasterio ducit ad forum, est Ecclesia S. Petri quæ dicitur ad Salas: in cuius vicinio manebat ante hoc triennium quidam latro, qui duos itinerantes, quos hospitio susceperat, spoliare volens, nocte interficere tentauit: sed illi præualentes interfecerunt H eum: cumque ad Ecclesiam sepeliendus deferretur, sacerdos pro eo Missam celebrare cœpit. Cum ergo ad verba consecrationis Dominica venire deberet, terribilis sonitus in tecto Ecclesiæ percrebuit, & altare sicut hucusque paret, vsque ad radicem scissum est: sieque sacerdos cum omnibus ingenti pauore perculsus fugit, & pro apostata sacrificare cessauit. Hoc contra eos dictum sit, qui pro sceleratis ob gratiam eorum se oraturos pollicentur.

XXX. Sed quid hoc de exterioribus dicimus, cum plerique sic in semetipsis negligentes exsistant, vt foris in habitu immutentur, & intus per nonnulla grauia peccata à Christi corpore separentur? Et tamen sacrificare non cessant. Dum enim quibusdam indumentis vel ex parte, vel ex toto laicalibus vtuntur, illis merito comparandi sunt, qui in libro de Ciuitate Dei appellantur cynici: & non sancto Ioseph, qui talarem tunicam legitur à patre percepisse. Quos & Ieremias deplorat, dicens: *Quomodo mutatus est color optimus?* Color optimus est habitus prætendens religio-

A ligionem cunctis amabilem. Quid doloris tunc imminuatur, cum quædam indumenta studio iactantiæ quæsita opinionem vtentis apud laicos vilescere faciunt. *Qui autem adhæret meretrici vnum corpus efficitur*, & iam non membrum Christi, sed Antichristi est. De quo per Danielem dicitur, *quia erit in concupiscentiis feminarum*. Vt enim Paschasius in libro de corpore Domini dicit: Quisquis vel membrum meretricis fit, hic vtique elapsus de corpore Christi est, & idcirco non licet ei corpus Christi contingere. Nam qui debeant ipse Christus ostendit, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Ac si diceret. Nisi prius in me maneat, carnem meam manducare non potest, neque sanguinem meum bibere. Quid ergo manducat peccator, & quid bibit? Non vtique veraciter sibi carnem & sanguinem, sed iudicium, licet videatur cum cæteris altaris sacramenta percipere. Et quare? Quia non se probat prius vtrum in corpore Christi sit, an non. Deinde quia non diiudicat, videlicet vt discernat corpus Domini: quid est quantum, quia sacramentum, qualisque virtus sacramenti, quia diuinum ac

B spiritale est. Vnde in primordio huius celebritatis Christus iudicium male accipientibus comminatur, dum continuo post buccellam de manu eius perceptam diabolus Iudam peruasit. vbi mox ostenditur futurum in Ecclesia iudicium. Siquis ergo lapsus de corpore Christi, factus membrum meretricis vel diaboli, præsumpserit hoc sacrosanctum Corpus contingere, nec dubium quin ob id iudicium excipiat, & cum Iuda culpæ societur obnoxius: tam quia commisit, quam quia ex conscientia damnatus, ausus est sine pœnitentia & correctione venia sancta mysteria temerare. Item ex eodem libro legimus, quia *Deus dedit filijs Israel panem de cælo, habentem omne delectamentum, sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo*, vt testatur Apostolus. Nam populus ille carnalis Manna fastidiuit, quia inibi non nisi carnalia quæsiuit. Illi itaque mortui sunt, in quibus non beneplacitum fuit Deo.

C Quicunque vero inter eos spirituales fuerunt, mori non potuerunt, quia spiritaliter comederunt; quia eis esca illa cælestis saporem & delectamentorum immortalitatis præbuit. Itaque similiter nunc in Ecclesiæ cibus iste quibusdam vita est, quibusdam vero supplicium. Vnde ô homo disce quia Deus spiritus est, & ideo intellige quia cibus iste non carnaliter, sed spiritaliter, & cogitandus & sumendus est, quia neque ab alio quam ab ipso Christo consecratur, neque ab alio quam ab ipso porrigitur. Et quidem sacerdos visibilis astat, per cuius manus consecrari & tribui videtur, sed Christus qui illum & consecrat & tribuit, cui & remedium cuique ad remedium tribuatur, diuinitus discernit. Nam is qui cum Iuda contemptu & vitio reus tenetur, cum Iuda vtique condemnatur: & qui cum Petro ac cæteris fideliter participatur, cum ipso vtique & cæteris Apostolis in corpore & anima consecratur. Hoc ergo iudicium in natale calicis mox excipitur, vt doceatur quid contemptoribus immineat, si damnatâ conscientia pedem à mensa Domini non retraxerint. Hinc Deus per Moysem: *Dic*, inquit, *ad filios Aaron, & ad posteros eorum. Omnis qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ*

D *consecrata sunt, in quo est immunditia peribit coram Deo. Ego sum Dominus.* Et certe illa nihil aliud erant quam vmbra istorum. Si ergo ad vmbram non licebat immundum accedere, quanto minus ad ipsam veritatem? Ex qua in finem prohibitionis conclusit, dicens: *Ego Dominus.* Ac si dicat. Ego scrutans corda, ego ipse sacerdos, qui discerno qualis vnusquisque accedat. Hinc Ambrosius in primo Officiorum. Castificabatur, inquit, populus per biduum, aut triduum, & lauabant vestimenta sua, & non aliter ad hostiam accedere permittebatur. Sed si in figura tanta populo obseruantia iubebatur, quanta in ipsa veritate sacerdotibus tenenda est? Disce igitur, ô Sacerdos & Leuita, quid sit lauare vestimenta, ne inquinato corpore quo anima vestitur, maiestatem tanti mysterij temerare præsumas. Hinc in Regum volumine dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Tunc ex more & negligentia sacrificiorum licet tepide Heli filios suos corripiebat. Quod tale est ac si di-

ceret. Qui Deum totius creaturæ conditorem contemnens indignus ad eius intuitum communicare præsumit, E quem intercessorem habebit? Talis profecto nec Dei reueretur præsentiam, nec præsentiam formidat astantium Angelorum.

Nec ideo securitas subrepat, eo quod indignè sumentibus diuina patientia ad tempus parcit, quia certè illi magis puniuntur, qui in præsenti correptione iudicantur indigni. Siquidem in exordio Ecclesiæ necesse fuit, vt ad id demonstrandum plerique transgressores corporali etiam pœna plecterentur. Vnde Apostolus ad Corinthios: *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, somno videlicet mortis. Ab Angelis quippe qui ad hoc positi sunt etiam nunc perimerentur; sicut in prædicto libro Paschasius testatur, quicunque vel semel indigne communicant, nisi bonitas Christi, cuius iudicio pendent omnia, gladium suspenderet, & temporalem mortem quibusdam vt pœniteant remoueret. Alioquin nunc plagæ etiam & infirmitates nunquam tantum crebrescerent, si omnes illud mysterium sicut oportet perciperent. Resipiscentibus vero duplex in pœnitentia debet esse luctus, vel quia peccauerunt, vel quia cæleste donum ad iudicium male præsumpserunt. Quod sane delictum nullo alio nisi Christo inter cuncta clementer donabitur. Vnde in lege ab his qui in sanctificatis delinquunt, aries per quem Christus intelligitur offerri iubetur: vt apud Deum Patrem Deus homo Pontifex in æternum interpellare pro eo fideliter credatur. Atque ipsum per se motibus & vita quotidie re indictum operit. Alioquin qui in Deum peccat, quis orabit pro eo? Quamuis enim quisque multum sit ex alijs peccatis indignus, tamen ex isto magis grauatur, si sancta contingit immundus. Quod exemplu Iudæ monstratur, qui licet corde mutauerit, tamen ante perceptionem illius mysterij cum Apostolis erat, & à Domino monebatur. Post perceptionem vero traditus sathanæ continuo exiuit foras. Ob hoc itaque quisquis illud indigne se percepisse meminit, duplicem, vt diximus, debet habere luctum, vt exacta pœnitentia possit denuo sancta participare. Namque pœnitentibus iussum est vt hœdus immolatur cum agno, vt si quis post lauacrum ceciderit, & cum stantibus agnum comedere non potuerit, vel hœdum comedat, qui semper pro pœnitentibus mactatur. Non quod Christus hœdus sit, sed pro diuersitate meritorum aut agnus, aut hœdus vnicuique sit. Hinc item iubetur, vt qui in primo mense, id est, in ea gratia, quam in baptismo percepit, Pascha facere non potuerit; saltem in secundo mense illud faciat, id est, in pœnitentia, quæ post naufragium secunda tabula est, hœdum indulgentiæ percipiat.

XXXI. F G

XXXII. Hæc, & alia multo plura Paschasius ex dictis Patrum ad reuerentiam sancti mysterij commendandam, atque maiestatem eius demonstrandam conscripsit. Quæ si quis licet sciolus legerit, tanta credo discet, vt de hoc mysterio parum se hactenus cognouisse putet. Verum isto tempore quod nimis dolendum est, ita sacrosanctum istud mysterium in contemptu illudimus, tanquam non sit Pater qui honorem filij sui Iesu quærat, & iudicet. Ita veritas prostrata est, vt sicut in Daniele dicitur, abominationem in tem-

H plo Dei fieri videamus. Cæterum pro eiusdem mysterij reuerentia commendanda quædam si placet exempla proferamus. Dicit sanctus Gregorius Turonensis in libris Miraculorum de quodam Presbytero, cui in Dominica solemnitate propter suam personam concessum fuerat, ut Missam celebraret, qui statim vt ad communicandi horam peruenit, mox epilepsia comprehensus corruit spumans, sacramque particulam ab ore proijciens, qui ipsa nocte, sicut plerique testati sunt, ebrius fuerat. Item ipse de quodam ursami Diacono, quia dum capsam cum corpore Domini deferret, de manibus elapsa est, & per æterem super altare reuersa. Sanctus vero Hyeronymus in vitis Patrum de B. Eulogio dicit, quoniam cum videret quosdam ex monachis volentes accedere ad communionem remouit eos, dicens: Tu habuisti hac nocte fornicationis desiderium, tu vero dixisti, nihil interest siue iustus siue peccator ad sacramentorum accedat, & alius dubitationem habuit in corde dicens. Quid enim me sanctificare commu-

A nio potest? Hos ergo singulos remouebat à communione Sacramenti, donec paululum per pœnitentiam & lacrymas purificarentur. Item idem refert de sancto Machario, quod eo tempore cum fratres ad suscipiendam Eucharistiam accessissent, viderit in quorundam manibus prævenientes Æthiopes carbones deponere, corpus autem Domini quod Sacerdos dare videbatur redire ad altare: alijs vero Angelum Domini cum manu sacerdotis sacram particulam dare fugientibus prædictis Æthiopibus. Item ipse de sancto Piamone perhibet, quia quodam tempore cum sacrificaret vidit Angelum Dei stãtem iuxta altare, & quorundam monachorum qui accedebant nomina scribentem in libro quem tenebat, & quorundam non scribẽtem. Quos cum senior notasset, vnumquemque seorsum discussit, & inuenit in singulis mortale peccatum. Quos ad pœnitentiam exhortatos tandiu cum eis fleuit, donec aliquando videret eos cum cæteris asscribi.

XXXIII. B Inter omnia tamen peccata maximè discordia & luxuria grauant. Nam de discordia Dominus ipse ait: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* De quo sicut S. Gregorius fatetur, pensandum est, quanta culpa sit discordia, propter quod illud munus respuitur, quo omnis alia culpa solui consueuit. De luxuria vero per hoc apparet, quia nulli tam periculose hoc mysterium contingunt quam luxuriosi. Quod in discretione virtutum quibus participes eius mysterij pollere debent, primo loco ponitur. Renes vestros accingetis, quorum scrutator est Deus, & virtus satanæ est. Quo contra Zacharias castitatem participantium admonens, atque ipsas huius mysterij species designans, ait. *Et quid bonum est Dei, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Liquet autem plerosq; velorum uestimentu dasad hoc sine præiudicio reatus sui accedere, ista pedibus calcare. Verentur enim humanis coram obtutibus magis suam verecundiam portare, quam coram maiestate diuina & omnium Sanctorum præsentia temeritatis ostensam incurrere.

C Quibus profecto cordis obduratio cum nec se corrigunt, nec Dei vsitantur pietatis verbere iam pœna peccati est & contemptus superbiæ. Si enim de Bethsamitis LXX. seniores, & L. millia plebis percussi sunt, eo quod viderent Arcam Dei, multo magis isti nisi resipuerint æternaliter plectendi sunt, sicut ipse testatur per Muysem. *Omnis qui accesserit ad ea quæ sanctificata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quid ergo si pœna differtur, nonne hæc designata sunt in thesauris Dei? Considerat enim nouissima eorum, & reddet vltionem hostibus suis. Nec prætereundum quod quidam ita diabolicis illusionibus falluntur, vt credant quod quamuis in peccatis suis iaceãt, illius tamen sacrosancti cibi ac potus perceptione purgentur: contra quos per Prophetã dicitur: *Dilectus meus in domo mea operatus est male.* Nunquid carnes sanctę mũdabunt illum? Et item alius de his qui plorant quidem, sed lachrymas suas pollutione maculant, ait: *Operiebatis lachrymis altare meum, sed non respiciam ad sacrificium, non accipiam placabile quid de manu vestra.* Quisquis ergo in sordibus est, det honorem Deo, & non præsumat eo conceptu ad eius sacramentum

D imprudenter accedere, donec, vt dictum est, leuet per pœnitentiam maculas immunditiæ, si quoquo modo demum valeat tantæ reconciliari gratiæ licet otiosæ.

XXXIV. Nec prætereundum quod quidam sibi male conscij, dum continere se negligunt, à sancto mysterio cessare malunt, & melius quidem est vt cessent, sed non viuunt, quia *nisi manducaueritis carnem filij hominis nõ habebitis vitam.* Quid enim indignis officio cessare expediat non solum ratione auctoritatis diuinæ, sed etiam exemplis plerumque monstratur. Ex quibus aliquid commemoremus. Testatus est mihi Bego canonicus sancti Martini de quodam sacerdote, qui cum die Dominico de venatu rediens, & Missam celebrare præsumpserit, mox vt ad horam consecrationis ventum est, illas voces quas post canes emittere solebat, inclamare super sanctum altare cœpit. Sed & alius Leo nomine venandi consuetudinem habebat: qui tamen amens factus est, & per multa loca Sanctorum deductus, tandem reperto sensu noster monachus factus est: & vtipse vidi, in tantum vsque ad finem religiose [illegible] est, vt frequenter cum solus oraret capillos sibi detrahere

E soleret. Quod etiam ille à sancto Benedicto curatus suo demonstrat interitu. Qui cum postposita eius prohibitione sacrum hoc officium suscipere præsumpsisset, mox dæmoni traditus est & vsque ad mortem vexatus. Nonnulli vero vanitatis studio dediti, auratis & accuratis vestibus & vasis pretiosi metalli ad hoc sanctum mysterium celebrãdum delectantur. Qui bene quidem facerent, si corda sua pariter in diuinis oculis ornarent, vt quidam Patrum ait, quia in hoc sancto opere, non vestimenta, sed corda mutanda sunt. Nam vt B. Hieronymus in Epistola ad Rusticum protestatur, Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem autem vase vitreo portat, sicut sancti Episcopi Cæsarius Arelatensis, & Eusebius Tolosanus, sed & Ambrosius Mediolanensis, qui pro redemptione captiuorum suas Ecclesias ita nudauerunt, vt ipsa

F initiata vasa, fracta videlicet pro eis venundarent: valde congruum æstimantes, vt quorum animæ per illud mysterium, quod in calice fit, ab æterna captiuitate saluantur, eorum corpora si necesse sit à temporali captiuitate distracto calice redimantur. Hi ergo bene immolant qui, auaritiam de templo eiciunt. Qui autem pulchritudine vasorum vel vestium stupet, ad solius Dei laudem id faciat. Meminisse tamen debet, quod Propheta de ministrorum mũditia magis sollicitus erat, qui non dixit, mundate vasa Domini, sed, *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Nonnulli vero, vt de nostro ordine dicamus, quibus nec pallium pedis, nec ipsam suam voluntatem in potestate sua habere permittitur, de proprijs cistellis sumptuosum ad mysteria peragenda producunt apparatum, quem contra consuetudinem sanctionemque sanctorum Patrum de iniquo mammona acquirunt, & quasi ad ornatum Ecclesiæ relictum secum possident. Quorum vnus ille per cuius occasionem Vizeliacum nuper monasterium est incendio traditum, cum sicut audiuimus, de candela quam ad cistellam suam aperiendam deportarat, ignis tecto irrepsit. Contra

G hanc stultam deuotionem, immo auaritiam Ioannes dicit: *Nihil amplius quam quod vobis constitutum est, faciatis.* Et certe nulla hoc regula iubet, sed magis nudam crucem esse clamat à nudo sequendam. Quibus bene congruit illud Propheticum: *Venite in Bethel, & impie agite, & immolate de fermentato.* Cain sacrificium obtulerat Deo, sed quia fermento malitiæ respersum fuerat, ideo non est acceptatum. His itaq; quo pacto licet quasi ad ornatum Ecclesiæ relinquere, quod non licet habere vel possidere? Immolat autem, sed de fermentato, qui aliquid offert quod Deus dedignatur. Hinc ipse per Prophetam testatur, quod odio habet rapinam in holocaustum. Hinc Rex Saul reprobatus, eo quod sub immolandi specie reseruauit de Amalech ea quę iussus fuerat trucidare. Sed isti, vt quidam Patrum dicit, magis volunt habere suas cistellas, non recogitantes miseri quia perdunt suas animas.

XXXV. Hunc ergo religionis defectum diabolus, licet pater mendacij sit, vos miseros incursuros beato Pachomio prędixit. Aliquando enim apparuit ei in habitu mulieris, excedens omnem humanam pulchritudinem, ita vt forma

H eius ac compositio & visus exponi non possit. Quam esse fantasiam videns preces fundebat ad Dominum, vt vi maiestatis eius euanesceret. Interim autem illa propius astans ait ei. Quid superflue laboras? Potestatem accepi à Domino tentare quos volo. Et Pachomius ad eam. Quid vis, inquit, esse? & illa. Ego sum ait, diaboli virtus, & caligine mortiferæ voluptatis mortales inuoluo; sed tuis vel tibi appropinquare propter Christum, qui humanatus est, non possum. Sed numquid ita erit semper? veniet etenim tempus post obitum tuum, quando prout libuerit, inter eos quos nunc tuis orationib. munis debacchabor. Et Pachomius. Et quid scis si meliores erunt, qui illos corroborent? nam tu præscire omnino nihil prævales quod est solius Dei. At illa: Plura tamen ait, futura ex præcedentibus cognosci. Et vir sanctus ad eam. Et quomodo, inquit? Illa vero ait: Omnis rei principium tendit ad augmẽtum, dehinc ad detrimentũ deuergit. Sic ergo & in hac vestra professione, vt conicio, fiet. Nam inter [illegible] sua signis,

&[illegible]a-

A varijs virtutibus roborata succreuit: cum autem senescere cœperit, aut temporis diuturnitate lacescens, aut negligentia temporis deficiens propriis incrementis minuetur. Tunc igitur aduersus huiusmodi poterit prævalere. Quod nã sicut nostra satis effrenata prauitas ostendit. Pachomius vero post hæc de visione sollicitus instanter orabat, vt ei Dominus declararet quis status monachorum post se futurus esset. Qui per visionem ad se factam edoctus est, quod monasteria quidem multipliciter dilatarentur, & nonnulli pie & continenter viuerent, sed plurimi negligerent, suamque salutem penitus perderent: maxima vero per negligentes Præpositos mala succrescerent, & bona defectū incurrerent. Quibus Primatū tenentibus necesse est iurgia generari, & quis prius ambitiosa lite euincere, & reprobare bonos, ac malos eligi. Vnde nec aliqua bonis viris resistendi fiducia subeat, sed omnia pene, quæ regulis diuinis subnixa sunt, humanis commutabuntur illecebris. Tunc Pachomius exclamans ad Dominum ait. Heu me,
B quia frustra laboraui! Si enim tam peruersi futuri sunt qui fratribus præerunt, eorum subditi quales erunt? Et cum affectuosissime, sicut illuc scribitur, Dominum interpellaret, apparuit ei mirabili fulgore portans coronam spineam, eique inter cætera dixit: Confortare Pachomi, quia posteritas tua vsque in finem sæculi non deficiet. Et quisquis inter eos qui futuri sunt pie ac continenter vixerit, amen dico tibi, requiem sortietur.

XXVI Sciendum sane, quia sicut quædam verba tam in nouo quam in veteri testamento reperiuntur quæ hæretici male intelligentes ad extruēdum errorem suum retorquere nisi sunt: ita & in sancta regula fit, cum per quædam eius verba tenuitatæ & refugæ eius fortitudines suas excusare moliuntur. Regula, inquiunt, iubet, vt nihil habeat monachus quod Abbas nō dederit, aut permiserit. Abbates vero nostri tales sunt vt nostra non curent, & ob id permittunt nos habere quæ indigemus. Non igitur contra facimus, si qd ex eorum permissione habemus. Sed si rationi ac veritati consentire vellent, facile respondetur: scilicet quoniam
C primo quidem sciendum est, quia sicut in XXV. Moralium libro disputatur, quod secundum merita subiectorum tribuuntur personæ regentium, & sic pro qualitate subditorum acta disponuntur illorum, vt sæpe qui videntur boni accepto regimine permutentur, vt Saul: & qui etiam boni videntur & sunt, pro malo grege delinquere permittantur. In hoc apparet quia vindictam populus suscipit. Hinc Psalmista, *Obscurentur oculi eorum ne videant.* Ac si dicat, qui in via Dei per superbiam exorbitant, tales diuino examine Prælatos accipiant, qui veritatis lucem non habeant, quatenus hi qui illos velut corporis oculos male prævidentes sequuntur, per eorum ducatum offendant, & iniquitatis onere incuruati omnem statum rectitudinis perdant. Deinde vero & illud constat, quia nihil vltra permittere possunt, nisi quantum Sanctus Benedictus ad sustentandam naturæ necessitatem permisit. Et ille cui dicimus, *Abba Pater*, cum discipulos quasi agnos in medio luporum misit, permisit quidem pro temporis necessitate aliquid ferre, nec tamen aliud quam peram & sacculum. Nouerint ergo isti, qui sub hac occasione cupiditati, gulæ, & libidini se
D mancipant, quia non proderunt eis excusationes in peccatis, sed fiet & prælatis & subditis hoc quod, vt supra diximus, per Malachiam Deus comminatur dicens: *Disperdam magistrum & discipulum, & maledicam benedictionibus vestris.* Benedicunt sacerdotes cum adulando Christi misericordiam reis promittunt: sed benedictionibus eorum Dominus maledicit, quia sicut alibi dicitur; *Qui beatificant & qui beatificantur erunt præcipitati.* Nam si ob negligentiam Præpositorum solummodo, & non magis ob cupidinem suam propria haberent, non alios cibos, non alias vestes, quam regulariter constitutas præsumerent. Prælati denique si quid extra constitutionem Dei vel Patrum præceperint: mox præcipiendi auctoritatem amittunt, & tunc in ea re nullatenus obediendum est eis. Exemplo videlicet Apostolorum, quibus Magister dixerat de Pharisæis & Scribis: *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Postea vero præcipientibus eis ne loquerentur in nomine Iesu, respondit Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

E Cæterum quamplures inter eos existunt, qui etiam sub malis Præpositis bene viuunt, qui quamuis extra communem sanctæ regulæ vitam vel ordinem degere quasi captiui cogantur: Danielem tamen & tres pueros, qui in Babylone continenter vixerunt, imitantes, fornacem vitiorum feliciter euadunt. De Ecclesiasticis viris, qui sæcularium facta mutantes velut à Babylonijs Hierosolymitæ captiuantur, & de tribus vitijs per quæ status religionis maxime confunditur, plura iam, & forte verbosius quam oportet, posita sunt. Cæterum quod iux, venerabilis Pater, lachrymæ restant, ita iam defecit spiritus, & diminutæ sunt veritates, vt sicut Isaias illacrymat, facti videamur sicut à principio, quando Deus non dominabatur nostri. An non ita est? inter propinquos feralia succedunt odia? dum iurgia nascuntur infensa? dum vsque ad sanguinem sæuit inexplicabilis & cæca malitia? dum bonis inuident praui, liberalibus cupidi, quietissimis turbulenti, studio-
F sis inertes, placidis implacabiles, tranquillis immites, modestis temerarij, sapientibus stulti, simplicibus callidi, mitissimis quoque furiosi? Sed melius eorum insanias Apostolica tuba redarguit. Nam cum nouissimorum pericula temporum Gentium Doctor exprimeret, in solis dicens: *Erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei.* Hic beatissimus Paulus quod superius diffuse protulit mira breuitate collegit, ostendens eos ideo tales fore, quia voluptatum amatores existerent, quia vitiosissimis cupiditatibus se subiugarent. Hinc enim cuncta mala proueniunt. Dum Deus contemnitur, voluptates amantur. Hinc est quod, vt Sapientia dicit, *Omnia commixta sunt apud eos: sanguis, homicidium, furtum, periurium, tumultus bonorum, Domini immemoratio.* Hinc & Osee querimoniam faciens dicit. *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt. & sanguis sanguinem tetigit.* Et populi, sicut hi
G qui contradicunt sacerdoti, de quibus vna Apostoli sententia est, quoniam *non solum qui talia agunt, sed & qui consentiunt facientibus digni sunt morte.*

XXVII Dicis, Isaias, *Angeli pacis amarè flebunt.* Quisquis ergo de istis est, & non de illis, de quibus dicitur: *Columba seducta, non habens cor*, & quibus dicitur: *Quare non magis luctum habuistis?* Lugendum est ei præsentis vitæ tempus, in quo sunt ita omnia confusa, vt veritatis quidem nec vestigium vsquam videas, nequitiæ vero atque luxuriæ cuncta esse repleta prospicias, nec aliquid iuste recteque seruari: humiles, & inualidos, atque pauperiores videas, à superbis & potentibus diuitibusque comprimi, affligi atque iniuste lædi: honestum vero quemquam & quietum multis læsionibus perturbari: è contra vnumquemq; pessimū potentis cumulari, terribilem fieri, & tumido successu in malis augeri, quibus nec iudicum metus, nec reuerentia sacræ auctoritatis prævalere potest, nec eorum perniciem vllatenus cohibere. Sed quid de iudicibus dicimus? Nam & ipsi, qui ad hæc reprimenda constituti fuerant, grauiores tempestates & perniciosiores in miseros exercent. Hæc autem iniqua atque iniusta inæqualitas non solum in vr-
H bibus, sed & in agris. & non solum in terris, sed & in mari committitur & exercetur. Et primoribus quidem Propheta dicit: *Nonne vestrum est iudicium scire?* Et item alios dicit: *Forsitan stulti sunt, & ignorantes viam Domini? Ibo igitur ad optimates: ipsi enim cognouerunt iudicium Dei sui, & ecce hi magis confregerunt iugum. Nunquid super his non visitabo dicit Dominus?* Visitabit certe, & sicut Malachias dicit, erit testis velox maleficis, adulteris, & periuris, & calumniantur mercedem mercenarij. Et sicut Amos dicit: non erit eis fuga: sed si ascenderint ad cœlū, inde detrahet eos, & si celauerint se in profundum maris, ibi mandabit serpenti, & mordebit eos. Quisquis igitur considerat vel casum eorum, qui gratiam Dei in vacuum recipientes, & ad diabolicam seruitutem redeuntes pereunt, vel miserias eorum, qui innumerabiliter afflicti, aut in murmurationem aut in desperationem excedentes, & temporalia & mansura damna incurrunt, satis est vnde contristetur, & lu-

A geat: Qui autem super his contristari possunt Deum dupliciter qui super miserias filiorum Israël legitur doluisse, super perituram Hierusalem fleuisse. †

† XXXVIII. Ob hoc autem iniquitas vodantos ebullit, vt Isaias ait, quia veritas in obliuione erit, & longe iustitia stat; quia, sicut iam diximus, tempora periculosa venerunt, & fine suo mundus vrgetur. Qui finis cum ex ipso suo ordine pendeat, peruersiores tamen quosque inuenturus est, qui & illius ruinis digne comprimantur, & ex illorum meritis versa vice eiusdem ordo rerum confundatur. Est quoque & alia ratio, quia pro eo quod homines post reuelatam gratiam dilexerunt magis tenebras quam lucem, & vocati sunt, vt ait, Propheta, & non responderunt, & quæ noluit Dominus elegerunt, & cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt, propter hoc tradet illos Deus in desideria cordis sui, sicut de quibusdam Apostolus dicit: *Vt impleant peccata sua semper, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*: Et quia illuminati iusta agere B neglexerunt, iuste cæcati adhuc faciant vnde amplius puniri mereantur. Ad quod videlicet agendum, & immissiones per Angelos malos iuxta Psalmistam, Dominus semitam iræ suæ facit, vt cos prioribus meritis aggrauatum iuste permittat etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli. Vnde in Apocalypsi dicitur. *Cum completi fuerint mille anni, soluetur Satanas.* Quia videlicet vel ad vtilitatem electorum, vel ad detrimentum reproborum tanto acrius, quam antea fecisset, in totis viribus suis se in finem sæculi exercere permittitur, quanto soluta bestia violentior est quam ligata. Tunc enim fit tanto feruentior ad sæuitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat namque quod iuxta sit, vt licentiam nequissimę libertatis amittat: & quanto breuitate temporis angustatur, tanto multiplicitate crudelitatis expanditur. Sicut de illo voce Angelica dicitur ad Ioannem: *Væ terra, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Tunc ergo in magnæ iræ furorem se dilatat; ne qui in beatitudine stare non C potuit, in damnationis suæ foueam cum paucis ruit. Tunc quidquid nequiter valuerit callidus exquirit. Hæc itaque tempora iam venisse, iamque malignum hostem mysterium iniquitatis operari per hoc manifeste patet, quod omnis ordo religionis aut Christianitatis immutatus est, nec impietas iam erubescere saltem dignatur, sed iniquorum multiplicitate roborata caput vbiq; locorum extulisse videatur.

XXXIX. Qui autem sunt quos suis ditionibus isdem hostis mancipat, per hoc ostenditur, quod Rex esse super omnes filios superbię perhibetur. Superbia vero & multos in secularibus studiis, & multos in gradu religionis positos prosternit. De istis namque scriptum est: *Misit caudam suā Draco, & traxit tertiam partem stellarum.* Quod est extrema persuasione multos terrenis amoribus inuoluere, qui studio vitæ cœlestis videntur inhærere. Sane de illis alias: *Circumdabunt eum*, inquit, *salices torrentis.* Salices infructuosæ arbores sunt, sed torrente rigantur. Torrens hyemalibus pluuiis intumescit, sed æstate siccatur. Per salices ergo sæculares quiq; significantur à bonis virtutum fructibus alieni. Per D torrentem vero mortalis gloria, quæ caducis honoribus tanquam hyemalibus pluuijs inflatur, sed vitæ huius termino annulatur. Malignum itaq; spiritum salices torrentis circundant, quoniam, hi, quos in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat, tanto illi arctius inhærent, quanto largius delectatio transitoriæ voluptatis eos infundit. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in folijs viridescunt: quia aliquando verba honestatis proferunt, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. De quibus scriptū est: *Lauabuntur autem illum qui sunt ex parte eius*, videlicet semper superbiendo, nunquam resipiscendo. Item de his & illud: *Huic montes herbas ferunt.* Per montes tumor superborum, per herbas fluxæ voluptates eorum exprimuntur. Ergo montes huic Behemoth herbas ferunt, quia semper in eis pœnam æternæ mortis esuriens, dum ipsi se eidem ad omne vitium sternunt, dum nullum malum aut cogitando aut operando prætereunt, quia semper in eis sua desideria recognoscit, quasi semper in mon- E tibus herbas inuenit, quibus suæ malitiæ ventrem tendat, quem tanto delectabilius quisq; pascit, quanto sordidius inquinatur.

Sciendum vero quod in hac peregrinatione, vbi Babylonici & Hierosolymitæ mixtim procurrunt, & reprobi frequenter superbire, & electi humiliari soleant. Sed superbis mentibus humilitas alta est: Et idcirco cum hanc specie tenus conscendere nituntur, diu in ea morari nequaquam possunt, quoniam alienum est quod apprehendere quærunt, & quasi à cliuosis itineribus mox relabuntur. Nam quousque hanc abijciant, & ad consuetam elationem redeant, quasi graue pondus in corde patiuntur. De istis ergo dicitur. Omni equidem tempore vitæ superbiunt impij, quia licet speciem humilitatis assumant, hoc tamen ad acquirendam inanem gloriam faciunt, & ita de ipsa ficta humilitate gloriantur, vt etiam inde superbiant, si contra superbiam subtiliter disputare norunt. Solent F quippe & electi superbire, sed non omni tempore, quia priusquam vitam finiant, cor ab elatione ad humilitatem commutant. Superbisse enim, cecidisse est. Vnde & per Psalmistam dicitur: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pes, inquit, nō pedes: liquet enim quod nullus vno pede diu graditur. Ob id ergo quolibet alio vitio tentari permittuntur, vt humilientur: humiliati vero diaboli esse desinant, cui superbiendo militabant. Hinc per Sophoniam dicitur: *At tamen*, subaudis, licet ad horam superbias, *timebis me, & accipies disciplinam.*

XLI. Quod autem inter omnia mala grauius nocet, ita pessimus peccandi vsus ipsa iam consuetudine roboratus est, vt pene nullus iusto iudicio peccatum discernere queat. Sed sicut Aaron filij Israel Deos quætenus non restitit, sic omnes aut iniqui sunt, aut iniquitati cedunt. Quapropter illachrymans Isaias de Deo dicit. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Sacerdos & Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino, nescierunt videntem*, id est Dominum, *& ignorauerunt iudicium*, id est, discernere pondus peccati. *Quin potius adulteris, quos arguere debuerant*, vt ibi dicitur, *sacerdotes applaudebant, & populus meus dilexit talia.* G Contigit ergo nobis quod illis solet, sicut Ioannes Chrysostomus dicit, qui vel frenesin patiuntur, vel mente capti sunt, à quibus cum multa turpia & periculosa vel dicantur vel gerantur, nec pudoris tamen aliquid nec pœnitudinis capiunt; quin immo & magnifici sibi ac sapientiores sanis videntur ac sapientibus. Ita ergo, & nos cum omnia quæ sanitati contraria sunt geramus, nec hoc ipsum quidem quod est insaniens nobis cognoscimus. At enim si in corpore parum aliquid morbi pulsauerit, statim & medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obseruantia curam, quæ medicinæ competit, gerimus, nec prius cessatur, quam quæ molestia imminet egeritur, si vtcumque fieri potest. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, vratur, participetur, & modis omnibus pereat, nec parua quidem pro ea cura nos sollicitat. Sed hæc causa est quod omnis pariter morbus obtinuit, & tanquam si eueniat, multis sub vno languentibus præsto esse neminem sanum. Certi est quod omnis pariter corrumpat & absumat incuria, dum nemo est qui H vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat. Ita & nobis accidit: dum enim nemo sanus est corde, sed omnes languemus à salute mentis, alij maiore, alij minore peste, nemo vsque est qui curet. Etenim si quis vtcumque adesset, qui vel præcepta Christi, vel transgressiones nostras discerneret, nescio si vllos alios magis quam nos ipsos præceptis eius contrarios iudicaret.

XLII. Pro his & huiusmodi quæ in bonis vitæ nostræ statu, iam frigescente caritate, & abundante iniquitate, geruntur, Dominus per Amos queritur dicens: *Nunquid non vt filij Aethiopum vos estis mihi filij Israel, ait Dominus?* post dealbationem, quæ fit in Selmon, ad nigredinem peccati redimus: *Nive*, inquit, *dealbabuntur in Selmon.* Et cum scriptura dicat: *Verecundos & reuerendos facite filios Israel ab omni immunditia.* Quo videlicet verbo generaliter omnis inquinatio vel occulta vel manifesta comprehenditur: quæ, vt Hieronymus dicit, nominare turpissimum est. Nos è contra in passione desiderij sicut gentes æstuamus, & um-

A nes, vt ait Isaias, ad auaritiam declinamus à summo vsque ad minimum, vt equus emissarius hinnientes, vt merito quasi degeneres à cœlesti Patre audiamus. *Nunquid vos non filij scelesti, semen mendax.* Et item ipse: *In indulgentia sua redemit eos, & illi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum sanctum eius, & conuersus est eis in inimicum.* Hinc quoque in persona eius Iacob dicit: *Sine filiis factus sum?* Ecce qualis est huius vitæ status, si tamen status dicendus est, qui tot casibus delictorum ad ruinam vergit, & quem tanta suæ prauitatis moles ad ima demergit. Pro his & huiusmodi, quæ tam multiplicia sunt, vt magis defleri, quam referri possint, lugendum est his qui consolationem Iesu expectant. O quam bonum est, Venerabilis Pater, super talia contristari! Quisquis enim ille est, Angelus pacis vocabitur, iuxta illud Isaiæ quod præmisimus iam: *Angeli pacis amarè flebunt*: Et inter electos assignari meretur, sicut per Ezechielem dicitur: *Signa Tau in frontibus virorum lugentium.* Tau littera speciem sanctæ B crucis gerit. Videte ergo quam magnum bonum sit dolere pro malis, pro quo dolens quidem quilibet scemate † (margin: † signate) sanctæ crucis meretur insigniri. Hæc igitur consolatio vos interim maneat, vt dum Principes Sodomorum caput extollunt, dum filij Gomorrhæ luxuriant, hi qui iustum Loth imitari meruerunt, videndo & audiendo mala, cum ipsis crucientur, sub vmbra alarum diuinarum sperantes donec transeat iniquitas.

COLLATIONVM SANCTI Odonis.

LIBER. III.



Libello hoc vtcunque expleto, tam vobis quam domno Abbati satis, vt frustra credidi, me iam fecisse putabam: sed dominus Abba iussionem legationis vestræ, quam semel suscepit, nimis, vt ita dicam, imperio-C se exigit. Nam licet promptuariolum cordis mei exhaustum iam pronunciauerim, tamen sicut præcedentem libellum, ita quoque hunc sequentem aggredi coëgit. Ea tamen occasione factum est, quod in præcedentibus duobus libellis de afflictorum consolatione pauca dicta sint, & ad consilium Pontifici dandum, cuius mentem sicut Moysi malorum prauitas exacerbat, ego sane qui nec præcepto resistere, nec alia nisi ea quæ vos melius nostis, possum referre, facio quidem quod valeo: sed dum vestra vobis tam prolixe refero, fastidium generare pertimesco. Cui tamen ductus verborum forte displicuerit, comparet illum protelatis prauorum nequitijs, qui supra dorsa pusilli gregis Christi fabricantes prolongant iniquitatem suam, eisque potius indignentur qui *trahentes peccatum*, vt Isaias dicit, *in funiculis vanitatis*, exigunt vt contra se tanta dicantur. Vos ergo præuidere debuistis cui & quid iuberetis, dicta hæc velut quoddam vas modo transfusum considerate, & superflua quæque tanquam guttulas vasi deformiter adhærentes lima discretionis recidite. Vt acidis D frugibus quædam matura leguntur, ita in isto calamo, cum plurima, quæ merito reprobentur, forte inueneritis, pauca saltem vtilitatis quiddam gerentia reperietis.

L Inter illa mirifica, quæ ad exprimendos ordines Ecclesiæ Deus ad beatum Iob loquitur, quædam animalia figuraliter nominans, ibices quoque pariter interponit. Ibices autem quædam quadrupedia sunt & morantur in petris. Quæ videlicet ibices si quando de altis cacuminibus saxorum ruunt, sese in suis cornibus illæsas suscipiunt, ita vt iacturam sui casus non sentiant. Per ibices igitur quique boni viri & cauti designantur, qui in petris habitant, quia secundum Patrum exempla viuere student. Qui & cornua habent, videlicet scripturas duum Testamentorum: de quibus est illud, *Cornua in manibus eius.* Hi velut ibices cum ciderint, non colliduntur: quia si quid eis ruinæ temporalis accesserit, scripturæ duum Testamentorum quasi duorum cornuum exceptioni innitentes e-

E uadunt, & ne in perturbatione deficiant, scripturarum solatio se sustentant. Sicut Paulus, qui in mundi huius aduersitate deiectus dicebat, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Hæc ad legendi studium dicta sint, nunc ea, quæ animo præposita sunt, aggrediamur. Vniuersam Christi familiam, id est, omnem electorum collectionem, qui vel in clericali, vel in laicali ordine, aut in diuitijs, aut paupertate degentes, eidem Christo videlicet humili regi, humili corde militant, per Iudam, id est, per domum Dauid, supra diximus designari. Per decem vero tribus, quæ licet de genere Patriarcharū, sicut & tribus Iuda, descenderunt; tamen a Dei cultura discedentes vitulos in Samaria coluerunt, illos Christianos figurari qui mysterijs quidem fidei regenerantur, sed auaritiam, quæ est idolorum seruitus, colentes, aut alijs quibuslibet desiderijs male inhærentes, Deum, quem vocibus confitentur, factis negant. Per Assyrios autem quas-F libet gentes exprimi, qui Deum non coluerunt. Igitur & tunc illæ decem tribus ab Alienigenis afflictæ fuerunt. Sic & modo peruersi Christiani paganorum exterminio subijciuntur, & sic domus Iuda, quæ decem prædictas tribus in malis actibus frequenter secuta fuerat, tam ab ipsis decem tribubus, quam ab alienigenis vehementer legitur oppressa tunc fuisse. Sic & nunc boni quilibet Christiani, pro eo quod malos frequenter imitantur, & à paganis, & ab ipsis malis Christianis plerumque cruciantur. Per illos igitur quibus omnia in figura contingebant, hoc satis ostenditur, quod filios Ecclesiæ non solum a paganis, sed etiam ab ipsis suis contribulibus multa oporteat pati.

II. Hæc sane captiuitas, quæ foris ingeritur, tanto lenius colenda est, quanto & animarum saluti probatur accommoda. Cæterum est alia vastatio, videlicet spiritalis, qua non rebus, sed virtutibus spoliamur, quę tanto vehementior est, quanto & occultius perstringit. Quam scilicet vastationem illa captiuitas specialiter designat, qua tribus Iuda in Babylonem translata est. De illa namque G scribitur, quod Rex Babylonis regem Ioachim captiuauit, & de Iuda principes & fabros & inclusores, & sacerdotem primum, & sacerdotem secundum, & ianitores, & Eunuchum vnum, & quinque viros qui steterunt coram rege, & Sophar qui probabat tyrones. Rex igitur Babylonis Ioachim rege captiuato Mathaniam, qui interpretatur, munus, pro eo instituit, & vocauit eum Sedechiam quod est iustus Domini: quia, vt Hieronymus ait in Ecclesiaste, diabolus, qui est rex confusionis, id agit, vt sapientes & religiosi viri quasi viles premantur, ne in populis appareant, quod est Ioachim regem, ne appareat, absentasse, & hi qui serui sunt vitiorum per aliquod munus locum sanctitatis obtineant, quod est per Nabuchodonosor Mathaniam in Sedechiam verti. Hinc Salomon, *Vidi*, inquit, *seruos inequis.* Hinc namque illa Simoniaca hæresis, quam Princeps Apostolorum in ipso auctore, & beatus Gregorius in sequacibus eius terribili anathemate multauit. Hic ergo Mathanias vndecim annis regnauit, qui numerus pro eo quod denarium excedit, decalogi transgressio-H nem signat. Itaque sub tali rege captiuantur de Iuda Principes, quia videlicet his in Ecclesiæ principatu insidiante diabolo constitutis, ita in toto grege fraus ipsius Diaboli debacchatur, vt principes, id est, illos qui boni operis agilitate cæteros præire debuerant, per quodlibet vitium sibi substernat: & fabros captiuat, id est, illos qui spicula verborum in igne diuini zeli conficere debuerant, atque alios ad spiritale certamen armare, talentum ingenij coegit in terrenis actibus implicare. Et inclusores, id est, eos qui muros virtutum per aliquod vitium interruptos cęmento prędicationis resarcire debuerant, ab studio corrigendi cessare facit. Et sacerdotem primum, id est, episcopos, & sacerdotem secundum, id est, alios inferioris gradus, qui tanto facilius in pręceps ruunt, quanto eosdem Episcopos, qui sibi ad imitandum pręlati sunt, quasi licitè sequuntur. Et ianitores, id est eos, qui habentes clauem scientię reliquos introducere debuerant, ita subuertit, vt nec ipsi

introeunt, nec alios intrare sinunt. Et eunuchum vnum, id est, abstinentes. Vnus dicitur, ob singularem continentiã, & eunuchus ob professam castitatem: quos ita plerumque fallit, vt de ipsis virtutibus non Deo, sed hominibus placere gestiant. Tollit & quinque viros, qui steterant coram rege, id est, illos, qui ad sanctum altaris ministerium deputati seruientes quasi præsentiores Deo assistunt, quinque sensibus corporis seruire facit. Et Sophar qui probabat tyrones, id est magistros puerorum vel conuersorum, quos ad hoc in suo discipulatu suscipiũt, vt eos in disciplina Domini erudiant. Sed è contra magistri aut per immaturam libertatem, aut etiam per malum exemplum, illos corrumpunt & dissipant. Vnde & Sophar dissipans interpretatur. Hos igitur omnes rex Babylonis tunc historialiter de Iuda captiuauit, & quosdam interfecit, quosdam vero in Babylonem duxit, quia nunc rex confusionis diabolus multos, qui in Ecclesia statum religionis fulcire debuerant, aut per se, aut per exempla carnaliũ à religione detorquet. Et sicut ille quosdam interfecit, sic iste irreuocabiliter nonnullos peccati gladio trucidat. Illi vero, quos captiuauit, eos significant qui miseriis huius vitæ tanquam in aliena patria subijciuntur, vt resipiscant. Vnde propheta talium cuiuslibet pristinam repromittens iustitiæ libertatem, dicit: *Vsq; ad Babylonem venies, & ibi liberaberis.*

III. Hæc vitiorum vastitas, ex cuius merito exterior accidit, iam sibi totum orbem subiugauit, vbique sæuit, vbiq; grassatur. & tamen tanto minus omnes de hac se plãgunt, quãto magis vniuersi manus dominio eius submiserunt. Exteriorem vero cuncti fugiunt, quæ, vt dictum est, animarum saluti prodesse consueuit. Sed contra interiorem fuerat laborandum, & suffugium certarum quærendum. Sed quis medebitur his, qui sponte vulnerantur, qui libentius sequuntur Simonem magum, vel Ananiam, qui hæresiarchę huius malitiæ fuerunt, quam sanctos omnes qui ab exordio fidelium contra peruersitatem istam semper pugnauerunt? Malitiam dicimus, qua malignus hostis ita mentes carnalium inficit, vt ea quæ Dei sunt non pro Deo, sed pro lucro terreno, vel pro humanis laudibus gerant: imitantes Simonem magum, qui donum sancti spiritus ad hoc comparare voluit, vt aliis ad lucrum venderet: vel ea quæ pro Deo relinquere debent, cupidine lenocinante, sicut Ananias, repetant. Ne enim illa vastitas fideles occuparet, ciuitati suæ, quæ est Ecclesia, Deus Pater Filium promurale dedit, iuxta illud, *Saluator ponetur in ea murus.* & Patriarchas & Prophetas, sicut illic sequitur *pro antemurali*, & Apostolos, qui super muros eius die ac nocte stantes non taceant. Et quid plura? semper ab omnibus doctoribus propugnacula, & verborum spicula conficiuntur, quibus à cordibus fidelium ista malitia repellatur, qua gloriam hominum diligunt magis quam Dei. Sed tamen superabundat iniquitas. Quia vero nunc hora malorum est, & potestas tenebrarum, si prædictæ vastitati resistere nequimus, pro his saltẽ, quos captiuat, doleamus; & ad ea quæ de exteriori captiuitate dicenda sunt redeamus.

IV. Iudex noster dulcis & rectus est, vniuersæ viæ eius misericordia & iudicium, & idcirco in ipsa animaduersione sua, quam iustis pro peccatis infert, blandimentum misericordiæ dulcis intermiscet. Quod etiam in præfatis gentibus demonstratum est. Quando enim ab Israeliticis Iuda captiuabatur, missus est Propheta, qui principem arguit, & omnes captiuos relaxari fecit. Et cum idem Iuda in Babyloniam duceretur, Ezechielem Deus cum eis proficisci fecit, qui afflictum populum consularetur. Ieremiam autem cum reliquis qui in Hierusalem remanserant, stare voluit. Quos etiam in Ægyptum, licet super eius interdictum descendentes, idem Ieremias comitatus est. Sed & nunc inter quotidianas pressuras, quibus à paganis vel à malis Christianis cingimur, nonnullos quamuis paucos constat diuinitus reseruari, quorum aut exemplis, aut verbis, aut etiam precibus & afflicti consolentur, & afflictores reprimantur. Quod omnino mira dispensatione fit, vt peccata per illatam afflictionem puniantur, & peccatores per indultam consolationem ad spem referantur. O ineffabilia diuinæ pietatis viscera! Deus culpas insequitur, & tamen peccatores protegit. Sic filios Israel, cum vellent post eius offensionem contra hostes ascendere, per Moysen prohibuit, dicens: *Ne ascendatis, ne cadatis: non enim sum vobiscum.* Iratum se indicat, & tamen ab interitu, quem merebantur, eos cauere monet. Sic plerunque paruulo suo delinquenti mater irascitur, increpat eum, & irata verberat, ac si non diligat. Sed si hunc in præceps ire conspexerit, manum tendit, & sic diligendo retinet, ac si irata nõ verberasset. Quapropter, venerabilis Pater, superest, vt vos, quem articulo temporis huius à Deo credimus reseruatum, ad illud Apostolicum studeatis, corripere videlicet inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, & ita patientem esse ad omnes. Beati Gregorij quosdam raptores æquanimiter toleretis: quibusdam vero sub studio seruatæ caritatis obuietis. Sed ne de raritate bonorum fratrum causemini, memẽtote quia solus erat Ezechiel, solus & Ieremias, & tamen non cessabant loqui.

V. Vt autem Pontifex Pontificum innitatur exemplis, pat est de quibusdam sanctis Episcopis, qui l pertulerint, aut qualiter se in angustiis egerint, parum referre. Ac primum de patre Augustino. Sub eius nanque tempore ciuitas Hipponia, cui præerat, per XIV. menses, à barbaris obsessa est. Quia vero eisdem prædicandi facultas ei non erat, Coëpiscopos, & quoslibet alios qui tum forte ad vrbem confugerant, ad tolerantiam instruebat, orans iugiter Deũ quatenus aut ciuitatem liberaret, aut se de sæculo vocare dignaretur. Qui non post multum effectum suæ precis adeptus est. Tertio siquidem obsidionis mense decubuit, qui inter cætera quib. exitum communiebat, septem Psalmos Pœnitentiales flendo decantabat. Ait enim post perceptũ baptismum, & laudatos Christianos, & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia non debere de corpore exire. Hinc non solum clericos, sed etiam laicos ab omni iuramento compescebat. Loquacitatem vero, & detractionem, quæ in conuiuiis abundare solet, ita comprimebat vt hos versus in sua mensa scriberet.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sui.

Vestes vero eius, & calciamenta, vel lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, ne nitida aut speciosa nimium vel abiecta plurimum.

VI. Libet quoque verba B. Gregorij, vel querimonias eius ad medium deferre. Nam quando vltimas Ezechielis partes aggressus est, nuntiatum ei fuerat, quod Agilulfus † rex Longobardorum ad obsidendam Romam iam Padum transiens summopere festinaret. Ait enim, Nemo autem me reprehendat, si post hanc allocutionem cessauero, quia sicut omnes cernitis, tribulationes nostræ creuerunt, vndique confossi sumus, imminens periculum mortis timemus. Alij detruncatis ad nos manibus veniunt, alij capti, alij interempti nunciantur. Et iam cogor ab expositione linguam tenere, quia tædet animam vitæ meæ. Iam in me nullus sacri eloquij studium requirat, quia versa est in luctum cithara mea. Et qui cogor quotidie amara bibere quomodo possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi vt inter flagella, quæ ex nostris meritis patimur, gratias agamus? Qui vt ostenderet quantum etiam inter suos ob domesticam curam angustaretur, dicamus quid in primis eiusdem prophetæ homilijs, cum de speculatore loqueretur, ait. Quisquis inquit speculator ponitur, in altum debet stare, & subditorum opera transcendere, quatenus tanto plus eis prodesse per prouidentiam possit, quanto terrenis rebus animum non supponit. Ac deinde. O quam mihi dura sunt ista quæ loquor, quia me ipsum loquendo ferio! sed dicam, dicam vt etiam per me sermo Dei sonet contra me. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere, singulorum vitã actusque pensare, modo quædam ciuium negotia sustinere, modo irruentibus barbarorum gladijs timere, modo raptores quosdam æquanimiter perpeti, modo eis sub studio seruatæ caritatis obuiare. Quis ergo aut qualis speculator ego sum, qui adhuc tot rerum perturbationibus depressus in infirmitatis valle iaceo. Tacemus de illo famoso ac mirifico Moralium libro quem valde infirmus patrauit.

† Ag ilulfus, vel Aigulfus.

Si ergo tantum ac talem virum tot flagella manebant, quippe

A ... quem ... imperator, qui cum ... ordinari ... menter vigebat, quid ... affliguntur? Sane quia ... nem tanti ... cimus, dicendū paucis quantopere ... pudori suæque famæ consuluerit. Sic namque in ... Romani vita, cuius supra meminimus, scriptum habetur. Mox vt ... Pontificum fultus est superstitiosum vniuersalis vocabulum refutauit, primumque se seruum seruorum Dei in suis epistolis nominauit, & mediocribus indumentis ad suæ humilitatis indicium in Pontificalibus vtebatur. Eterim aduertens se ideo summum Pontificem à Deo constitutum, vt iuxta illud propheticū, radicem vitiorum euelleret, virtutesque plantaret, omnes consuetudines quas contra Apostolicam traditionem nouiter pullulasse cognouerat, sub anathematis interminatione damnauit. Tum vero à suo cubiculo non solum iuuenculos, sed & omnes seculares excludens, clericorum quosque vel monachorum prudentissimos sibi familiares consiliariosque delegit. Cum quibus die nocteque versatus, nihil monasticæ perfectionis, nihil pontificalis
B institutionis, licet super gentes & regna constitutus, amisit. Videbantur itaque passim cum eruditissimis clericis religiosi monachi adhærere Pontifici, & in diuersis professionibus vniformis videbatur honestas, tantaque censura mores ministrorum excolebat, vt eorum nullus barbarum vel quid inconsuetum religioni sermone vel habitu proferre præsumeret, & qui forte sanctimoniam vel sapientiam caruisset, subsistendi coram Pontifice fiduciam non haberet. Quo facto te... rguitur ill... quorumdam lascuia, qui talibus cohabitare malunt, quia tam effrænata libertate vel loquendo leuiter, vel agendo coram eis, quos magis vereri debuerant, potiuntur: vt ipsos etiam ab statu grauitatis emollitos ad suæ leuitatis lenocinium incurrent, ita vt nec in memoria quidem sermo disciplinæ habeatur, contra illam superni inspectoris querimoniam, qua dicit: Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur: ita perstrepunt, vt si pauper, immo Christus in paupere clamauerit, vix audiri possit. Nonne tunc videntur illud fieri quod Esaias illacrymat, dicens. *Tibia & lyra in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis?* Prædictus vero Papa Gregorius ita pauperibus seruiebat, vt quaslibet ciborum species eis suo tem-
C pore ministraret. E quibus pauperibus dum vnum in quodam recessu vespillones mortuum reperissent, Gregorius æstimans eum stipis inopia periisse, per aliquot dies à Missarum celebratione quasi pœnitendo cessauit. Qui sui Apostulatus gloriam ita omnino vilipendebat, vt Angelus ad quendam Heremitam, qui vnum catum pro releuando tedio secum habebat, de eodem Gregorio testaretur, dicens: Maiorem dilectioné habes tu in hoc tuo cato, quam Gregorius in omni imperio Romano. Tantæ autem humilitatis fuit, vt cum ei quidam peregrinus in solenni apparatu procedenti ad benedicendum prosternere vellet, ipse eidem peregrino prior de equo metaneam faceret. Crimina semel audita nullatenus nisi iussa prætenbat. Subdiaconum ordinari vetuit, nisi continentiam à coniugio profiteretur, nullumque altius progredi permisit, nisi cuius castitas in Subdiaconatu probata fuisset.

D VIII. Ioannes Eleymonos mox vt ordinatus est, omnes Dominos suos qui erant in Alexandria viritim iussit describi, quatenus eis sufficientem stipem pro numero daret. Cui ministri: Quinam ... inquiunt, ô Patriarcha, Domini tui? At ille: Illi, inquit, quos vos mendicos appellatis. Qui etiam certo tempore per singulos dies in vestibulo domus residebat, vt quisquis vellet ad eum sine prohibitione causam suam perferre, posset. Dicebat enim quia sicut nos petitores nostros, sic Deus nos petentes exaudit. Quidam ex tributarijs nepotem eius turpiter lacessiuit, qui cum de eo vindictam expeteret, ille pectus eius deosculatus dixit, Fili si nepos meus es, me imitare. iussitque vt c... tius anni debitum relaxaretur. Eidem namque Ioanni misericordia in specie pulcherrimæ mulieris apparuit, qui de hinc eleemosynis tantopere deditus est, vt ... Eleymonos, id est misericors vocitetur. Sanctus Ambrosius ... excessu tidem sic dicit grauari, quam si innocentem pauperem sacerdos arguat, & diuitem reum excuset. Et qui non defendit in-

E opem ... valet, similis est lædenti. Item, His, inquit, faucemus, a quibus vicem speramus: sed infirmis consulere magis conuenit, pro quibus Christus remunerator est. Item in eodem: Grandis culpa est, si te nesciente fidelis egeat, quia hæc est lex naturæ, vt alter alteri tanquā pars corporis partem conteras. Qui non tribuit fratri, nec feris compatiendus est, quæ suis fœtibus tribuunt. Nihil tam contra naturam quam lædere alterum tui causa, quod tamen si causa Dei est fides perpenderet. In tua causa silere tibi licet, in causa Dei dissimulare peccatum est non leue. Si quid autem vitij in fratre cognoueris, corripe: etsi se lædi putet, etsi animum eius correptio vulneret, tu tamen ne verearis, quia vt scriptum est, *Meliora sunt amici vulnera quam adulantium oscula.* Licet ergo inferior sit amicus, tamen si res poposcerit, vt obiurget, audiatur quasi par & æqualis. De cubicularijs vero sic. Decorum, inquit, illud est, vt adiungamur probatissimis quibusque, & senioribus, quorum visus rarior est. Nihil enim pulchrius quam boni testimonij viros testes habere. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: & è con-
F tra inimici hominis domestici eius. Quos videlicet ministros ita castificabat, vt nec verecundiora membra nec eorum vsus his quibus à rusticis appellari solent nominibus nuncuparentur. Beatus quoque Paulinus Nolanæ ciuitatis Episcopus, cum à barbaris propter thesaurum insinuandum extimuisset tormentari, rogabat Dominum, dicens. O Domine, non crucier propter aurum, quia non diligo aurum. Hoc B. Augustinus ... libro de Ciuitate Dei fatetur. Hæc de sanctis Pontificibus dicta sunt, vt non recens quid vel nouum nostri temporis Episcopo videatur, si talia siue certe multo leuiora pertulerit.

Nec piget quædam de Apologia sancti Gregorij Nazianzeni verba referre. Si quis, inquit, in rectore morbus vitiorum est, his qui ad obtemperandum ei præsto sunt multo facilius transfunditur, quam si aliquid virtutis in eo viderint. Quapropter necesse est, vt qui alios instruendos atque curandos præsumimus, ne inueniamur ipsi sine disciplina, & exsecutores vlceribus vitiorum. Sed neque satis est malū non esse doctorem. Quod vtique culpatur in his qui docentur, nisi & omnibus omnis actibus præditi sint, nec vitam suam metiantur ex comparatione imperfectorum, si digna loco & gradu suo gerant, vt prouectus eorum possit
G allicere cæteros ad studia virtutum, eorumque tam exemplo quam exhortatione vitia purgare, propositum ad meliora conuertere, summumque eorum studium sit illos vincere, qui se carnaliter amant contra salutem suam dimicātes, & vitia sua quantum possunt celantes, odientes eos qui arguunt, & eorum sermonem contemnentes, & nunquam quod prius est, peccata sua publice defendentes: insuper alios ne corrigantur excusantes, atque tuentes. Et equidem quando mali prælatos ipsos non lædant, quin etiam venerentur, quia tamen eis obuiare pro iustitia negligunt, interdum vero persequuntur eos. Quod insidiante diabolo fit, vt cum ipsi contemnuntur à vacillantium sustentatione pigrescant. Sed vt scriptum est, *qui Deum timet, nihil negligit*, & ob id cuius mentem vera charitas possidet, si iustitia quæ diligit in alijs feritur, ipse nihilominus eadem percussione confoditur. Quod si & ipse appetitur, in dolore tri- H
bulationis suæ curam non deserit vtilitatis alienæ. Nam quasi magnus quidam medicus percussus, qui cum ipse sectiones vulneris toleret, alijs medicaméta sanitatis proferat: ita & iste licet in se aduersa sentiat, alijs tamen necessaria docendo prouidet. Valde autem leuius est aut docere cum nihil toleres, aut tolerare cum docere non indigeas. Sed necesse est sancti viri sese ad vtraque soliciter extendant, sic nimirum vtrobique circumspecti, quatenus & audaces ante se verborum iaculis confodiant, & debiles quasi paruulos post se scuto consolationis, vel ab eorum impetu vel à murmurationis vulnere defendant. Sicut miles castrorum Dei Paulus, qui cum tanta ac talia pateretur, quæ nec ipse referre, nec nos enumerare sufficimus, disputabat tamen cum Græcis, & reuincebat Iudæos. Nam propter alterum horum dicit, grauati sumus supra modum, vt tæderet nos viuere. Propter alterum vero, *si*, inquit, *ad bestias pugnaui Ephesi.* Qui tamen plus de infirmorum pusillanimitate, quam de proprio dolore sollicitus; aiebat: *Nemo moueatur*

A *necatur in vinculis istis.* Et item, *Obsecro vos ne deficiatis in tribulationibus meis.* Verum que Iob egerat, qui dicere poterat, *Auris audiens beatificabat me*, quod vtique ad prædicationem pertinet, eo quod liberaret pauperem vociferantem. Quod pertinet ad tuitionem. Quod autem prædicator etiam si ipse à malis non impediatur, tamen pro aliorum causa debet eis obsistere, vox illa Dei demõstrat, quia sub typo prædicatorum de equo dicitur, *in occursum pergit armatis.* Quapropter in quantum causa exigit, in quantum locus admittit, debet rector pro subditis suis semetipsum obijcere. Nec timeat si necesse est, eorum inimicitijs, pro fraterna pace obuiare, nec per audientium duritiam à corrigẽdi studio cessandum esse, vt docet Helisæus, qui in persona Christi contra Ioas regem quasi contra negligentem præpositum irascitur, eo quod terram, id est peccatorem, cui dicitur, *Terra es*, nõ amplius quam ter percusserit. Ait enim, quia si quinquies aut septies percussisset, plenam victoriam caperet: quia si rector dicere poterit, *Annunciaui iustitiam tuam*, quamuis ipsi contemnant, plena tamen mercede donabitur.

B

X. Non autem, vt iam diximus, recens videatur, quod mater Ecclesia, vel rectores eius, aut famulia non solum à paganis, sed etiam à suis filijs tanta nostro tempore patitur. Quandoquidem apud prædictos Patres, qui sapientia & virtutibus signisque fulgebant, tantopere persecutio grassata sit. Nam quisquis eis Patribus in fide & gradu succedit, necesse est vt quasi plebs ad speciem matris empta Patres suos eadem patiendo sequatur. Quod autem quisque doctor sibi primum, tum subditis spiritaliter sollicitus sit, verbis Apostoli monstratur, qui de Thessalonicensibus ait, *Vos testes estis, & Deus, quoniam sancte & iuste fuimus*, subaudi, apud vos, *& sicut qualiter vnumquemque vestrum tanquam pater filios suos deprecantes vos & consolantes testificati, vt digne ambuletis Deo.* Qui paulo ante præmiserat, *Facti sumus paruuli in medio vestrum, & tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium sed etiam animas nostras.* Verum non sine quadam verecundia huiusmodi verba proferimus, quæ prælata tangere

C videntur. Sed si quid autem relatis superius exemplis, aut in qualibet sententia durum ad imitandum vel mordaciter sonare videtur, illos tãtummodo sugillat, qui ferre iugum Christi recusant. De nobis enim confidimus, quia nõ vultis imitari Nabal, cui vt scriptum est, nemo valebat loqui: sed Apostolum Petrum, qui cum esset princeps Apostolorum, & à beato Paulo condiscipulo suo se reprehensibilem nominari publice didicisset, non indignaretur, sed eundẽ Paulum nihilominus de sibi data publice sapientia laudasset. Dicamus igitur & hoc quod in fortis moribus quorumdam minime cõcordat, & quod illos, qui sibi sollicitis sunt, cautiores reddat. Scio enim nec corporis quidem maculas in sacerdotibus per legem prætermitti, sed perscrutari & requiri omnia, ne aliquod vitiũ sacerdos habeat, cui & mors comminatur si absque tintinnabulis, quod est sonus prædicationis, incesserit. Sed quisquis ille est, qui me tanquam præsumptorem forte succedentium nominauerit, reminiscendum ei est quod Moyses consilium Iethro non despexerit, qui etiam vexatus dicitur propter eos qui exacerbabant spiritum eius. Quam scilicet vexationem multo magis quilibet prælatus incurret, si culpas delinquentium nõ redarguit. Hinc ad Ezechiel dicitur, *fili hominis mala exasperans*

D *est.* Sicut enim mali Deum exacerbant mala quælibet agẽdo, sic & boni qui malis prælati sunt, bona reticendo. Nisi enim Propheta, cum ad loquenda verba mittebatur, obediret, omnipotentem Dominum, sicut populus de peruerso opere, sic de suo silentio exasperasset. Malis itaque culpa est peruersa agere, bonis recta tacere. In hoc ergo cum malis etiam boni Deum simul exasperant, quia cum peruersa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiã præstant. Nam plerique ita imprudentes sunt, vt vel malum non cognoscant, quod committunt, vel tanto minores culpas suas æstiment, quanto minor eas inuectio castigat. Illi igitur si recta non audiunt, in suis prauitatibus iacentes, per ignorantiam locuti sunt.

XI. Sunt autem plerique qui verba Dei nec aure corporis audire dignantur, quos malignus hostis ita possidet, vt eos nullo combustos prædicationis iaculo derelinquat: sicut à Deo ad beatum Iob de eodẽ hoste dicitur. *Non fugabit eum vir sagittarius.* Sagittæ sunt verba Domini, vt est illud, *sagittæ tuæ acutæ.* Arcus vero qui ex cornu fit & corda, vetus Testamentum propter rigoris duritiam, & nouum propter misericordiæ flexibilitatem significat. quia quisquis ab illo plene capitur, verba prædicantium iam audire dedignatur. Vnde peccatis præcedentibus irascens Dominus, his quos iusto iudicio deserit per Prophetam dicit, *Immittam in vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio*, Id est talibus dæmonibus vos tradam, qui nulla prædicantiũ exhortatione quasi incantantium carminibus à vobis excutiantur. E

XII. Alij subdole seducuntur, pro eo quod Dominus dicit, *Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* putantes ignorantiam impunitatem esse peccati. Quibus hoc intimandum est, quia aliud est nescire, aliud est nolle: hoc namque tarditatis est, illud superbiæ. Tales igitur excusationem non habent, quia si vellent, scire poterãt. Contra quos nimirum in Iob de Deo dicitur, *qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua*, homo quippe sic rationabilis est conditus, vt quod egerit ignorare non possit. Naturali enim lege siue compellitur, seu prauum seu rectum sit quod operatur. Nam à iusto iudice tunc pro factis suis aut punitur aut remuneratur, si non potuit scire quod fecit. Ipsi etenim qui erudiri contemnunt, sibi testes sunt, quia sciunt discere quod agunt. Alioquin cur de quibusdã factis tanquam de bene gestis in ostentatione gloriantur? & rursus cur in aliquibus suis actibus videri erubescunt? vnde quidam sapiens dicit, Cum sit timida nequitia conscientię dat testimonium condemnationi, quia dum timor conscientiam arguit, ipse sibi testimonium perhibet, quia scit malũ esse quod sciri formidat. Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere nõ possunt. In peccatum enim quod committunt prius cõtra se iudicium rationis inueniunt, & post ad districtionem æterni iudicis perducuntur. Et hoc est forte quod per Psalmistam dicitur *Abyssus abyssum inuocat.* Abysso enim abyssum inuocare, est de iudicio ad iudicium peruenire. Eant igitur prædicatores F sancti, redarguant facta peccantium, auditores autem praui contemnant verba istorum, defendant quantum voluerint prauitates suas, atque impudenter gestas impudentius defendendo multiplicent. Certe ipsi sibi in conscientia testes sunt, quia excusabiles non sunt. G

XIII. Quidam vero non solum admonitionis verba contemnunt, sed etiam contra ammonitores vehementer scandalizantur. Et quia scandalum valde periculosum est, idcirco boni viri frequenter malunt tacere, quam malos loquendo scandalizare. Qui tamen nec tacendo securi sunt propter illud, *si nõ annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram.* Ex quare nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum debemus: si autem de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Quod veritatis magister suo facto probat, qui in quorumdam cordibus scandalum ne generetur, tributum quod non debuit dedit: & rursum generati scandalum contra veritatem in quorundam cordibus videns, eos in suo scandalo remanere permisit dicẽs, *sinite illos caeci sunt, duces caecorum.* Ho[illegible] in [illegible] libro Ezechielis. Item in X. libro, *Ne timeas*, inquit, *quia Domum exasperans est.* H Timere enim homo debuerat, si ipse auctorem omnium [illegible] homo timuisset. Qui enim, vt supra diximus, Deum non timet, homo non est. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habuit, tanto minus timendus est, quanto hoc quod esse debuit non est. Debent autem in metu habere isti qui membra sunt omnipotentis Dei, & si ipsi contristantur, Deus qui in ipsis habitat offenditur, & ipsi in terra reprehendere solent quod Deus redarguit è cœlo. Mali vero, vt diximus, timendi non sunt. Vnde rursus eidem Prophetæ dicitur, *Ne timeas eos*, & quia tales derogare solent, adiunctum est, *neque sermonem eorum*, quia increduli & subuersores sunt tecum. Qui tanto in suis derogationibus timendi non sunt, quanto non placere Deo probantur. Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Deo scimus. Nemo enim potest in vna eademque re Deo simul & eius hostibus gratus existere. Amicum

ergu

A [illegible] pat. Vnde & sancti viri ea [illegible] odia excitare non metuunt quos Deum non diligere cognoscunt. Horum itaque derogatio vitæ nostræ probatio est, quia nisi aliquid boni haberemus, malis non displiceremus. Sciendum vero est, quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat. Aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentum corrumpant. Hinc est enim quod Ioannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens, Is qui amat primatum gerere in eis Diotrepes non recipit nos. Propter hoc si venero commoneam eius opera quæ facit verbis malignis, garriens in nos. Quantum ergo ex nobis est, vt Hieronymus ad Galatas dicit, nullius inimicitiam commouere debemus. Quod si loquentes veritatem aliquos meruerimus inimicos, non tamen nos inimici sumus eorum, quoniam illi inimici sunt veritatis. Vnde & ipsa veritas dicit ad Abra- B ham, *Inimicus ero inimicis tuis.* Quod vtique non fieret si Abraham per suam culpam inimicitias eorum meruisset. Item ipse Hieronymus in eadem epistola ad Galatas, Si fieri potest vt pariter & Deo & hominibus placeamus, placendum est hominibus. Si autem aliter non placeamus hominibus nisi Deo displiceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus.

IV. Sed dum hoc dicimus, illud nos vehementius contristat, quia mentes prauorum tanto obstinatius summa respuunt, quanto arctius infimis inhæserunt: quibus neque hoc sufficit vt ipsi pereant, sed adhuc, quod est deterius, cum quoslibet argui conspiciunt, corripientis increpationibus obuiant, ne saltem alij corrigantur. Vnde bene & de capite eorum dicitur, *Protegunt vmbræ vmbram eius.* Vmbræ quippe sunt diaboli omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Vmbræ vmbram protegunt, quia peccatores quique, in quo sibi male sunt conscij, in eo & alium peccantem C defendunt. Quod hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa, in qua & ipsi obligati sunt, in alijs corrigitur, ad ipsos quandoque veniat. Quos enim similis reatus sociat concordi pertinacia, etiam defensio peruersa constipat, vt de facinoribus suis alterna se inuicem defensione tueantur. Se igitur tegunt dum alios protegunt, quia suam vitam præuident impeti, vnde alios considerant libera correptione confundi. Sicque fit vt summa criminum dum defenditur augeatur & vnicuiusque nequitia eo fit perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto maiora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur.

XV. Quicunque vero verba Dei audire nolunt, ipso contemptu non esse ex parte Dei se produnt. Sed quantumlibet calcitrent, admonendi tamen sunt, ne sanguis eorum de manu Pastoris requiratur. [illegible], inquit, *tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus, ipse in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti.* Tunc enim, sicut in expositione huius verbi dicitur, subiectus moritur sine te, quando in actione mortis contradictorem habuerit te. Nam morti, cui non D contradixeris, adiungeris. Hoc ergo Rector faciat, ne moriente subdito moriatur, malis videlicet actibus contradicat, vt scriptum est, *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Si vero speculatore tacente impius moritur, constat quidem quia dignus non fuit vt ad eum sermo fieret. Ille tamen eum occidit, qui hunc tacendo morti prodidit. Hinc enim beatus Gregorius subdit, Pensandum est quantum connexa sint peccata subditorum atque præpositorum. Quod enim nos digni Pastores non sumus, ex vestra culpa est: & quod vos ad iniquitatem defluitis, ex hoc nostro reatu est, quod obsistentes in culpa non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, si a prauo opere cessatis. Vobis & nobis parcimus, quando h[illegible] quod displicet non tacemus. Sed nos alienas mortes nostris peccatis addimus, & tot occidimus, quot [illegible] quotidie tacentes videmus. Nullum quippe, sicut isdem doctor perhibet, tale sacrificium Deo est, sicut est zelus animarum. Hoc zelo quia Phinees vnum adulterum pugione transfixit, iram Dei protinus ab omni populo remouit. Hunc quia Heli non habuit, tandem iram E Dei contra se inextinguibiliter accendit. Vt autem in hac difficultate audiendi, qua doctores contemnuntur, Deus eos consolaretur, cum Ezechielem Prophetam ad filios Israel mitteret, sermoni suo frequenter interponit, *Si forte audiant, & si forte quiescant.* In quo aduerbio dubitatiuo notandum est, quia Propheta & mittitur, & audientium duritia designatur: per quos videlicet innuitur, quia nec tacere debet is qui prædicandi officium suscepit, nec pro auditorum duritia contristari. Si enim ipse Deus verba sua difficile prouiderat audiri, cur doctor contristetur si in admonitione sua contemnatur?

XVI. Prauorum sane duritia nimis obcalluit. Sicut vnicuique talium Deus per Prophetam dicit, *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua.* Quod dum vos perpenditis, timeo molestum vobis fieri, quia tantum ad incitandum prædicandi officium exaggeramus: & iccirco vellem vt alius aliquis exitus in hac necessitate patuisset. Nam scio Prophetam dixisse, *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* F Id est inter valde obstinatos, videlicet quia sicut salices fructum boni operis non ferunt, verba prædicationis reticemus. Hinc ipse ait, *Obmutui & silui a bonis, & humiliatus sum.* Et Ieremias cum se minime audiri conspiceret, silentium appetit dicens, *Non recordabor eius neque loquar vltra in nomine illius.* Sed veri prædicatores dum conspiciunt quod ipsis non corripientibus iniquorum facinora crescunt, vim quandam in corde sustinent, donec in apertæ correptionis vocem erumpant. Vnde & alter ex eisdem Prophetis, cum propter incorrigibiles tacens diceret, *Silui a bonis,* zelo charitatis illico exardescens subdidit, *& dolor meus renouatus est.* Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Alter vero cum diceret, *Non loquar vltra in nomine illius,* mox eodem igne succensus adiunxit; *& factus est sermo eius in corde meo quasi ignis æstuans in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* Audiui enim contumelias multorum. Sic ergo zelus charitatis in sanctis viris dum reprimitur angetur, qui nimirum ira sese consolatur, vt in voce erumpentes quod corrigere non valent saltem G increpare non cessent. Superest tamen vt, sicut dicit Prosper, qui verba despiciunt, opera bona in doctore videant, quæ venerentur: & si contigerit vt a potentioribus, vel ab alienigenis contemnatur, sibi vel suis prædicator cantat dicens, cum Iosue, *Ego autem & domus mea sequimur Dominum.* Nam & ipsos fideles plus per exempla quam per verba proficere certum est, & vtraque sibi necessario coniungitur, vt quod loquendo quis prædicat faciendo confirmet.

XVII. Apud eos autem qui verba prædicationis vtcumque patiuntur audire, illud commemorandum est quod Deus ad Prophetam dicit: *Si iudicas eos fili hominis, si iudicas eos, iniquitates patrum suorum ostende eis.* Et item, *Fili hominis ad gentes apostatrices mitto te, ad filios Israel, patres eorum præuaricati sunt pactum meum.* &c. quousque subiungit, *Si forte vel sic audiant hoc.* Sane quod eos apostatrices appellat illis maxime congruit qui per monasticam professionem ad secularia desideria relabuntur. De quibus scriptum est, *Væ peccatori ingredienti duabus vijs.* Apostata namque retrocedens interpretatur. H Qui vero manum suam in aratrum misent, si retro respexerint, vtique apostatare conuincitur, vt nullatenus regno Dei aptus, ipso Deo testante pronuntietur. Et in nona in Ezechielem Homelia perhibetur, quia sicut apostata est, qui de fide recedit a Deo: ita qui ad peruersum opus post professam religionem redit ab omnipotente Deo, apostata absque vlla dubitatione deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. An non est apostasia, de habitu vel victu traditiones patrum contemnere, cum Deus terminos patrum transgredi interdixerit; despectaque victus qualitate vel quantitate per beatum Benedictum præfixa, sanguineas dapes cum filijs Israel desiderare? Manna & mensuram gomor despicientes & ollas carnium desiderantes corde reuerti ad Ægyptum redarguuntur. An non est apostasia, humilem vestitum spernere & decorem vestimenti quærere; cum Angelus apostata perfectus decore superbiens in tartarum ruerit? Et an ventrem colere non est apostasia, cum flens Paulus protestetur, quod ingurgitones

inimi-

A inimici sanctæ crucis sunt, & ventrem pro Deo habeant? Nobis, inquam, hæc apostasiæ verba conueniunt, quandoquidem religionis habitū per tot retro annorum curricula retentum lasciuientes quiq; inter nos & petulantes in hac nostra ætate mutare ausi sunt.

XVIII. Quid isti in die iudicij dicent, vel quales apparebunt, vsque ad quos Religio decurrit, & in quorum manibus collapsa est? De occultis suis ipsi viderint, de quibus dicere pudet. Hoc tamen vnum constat, quoniā ob id cæteris mutantur indumenta, quia interius mutata sunt corda. Dixerat Deus per Ieremiam. *Videte si factum est huiuscemodi, si mutauit gens Deos suos, & certe non sunt dij. Populus vero meus mutauit gloriam suam.* Et in sequentibus, *Confregisti iugum meum, & dixisti, Non seruiam.* Nonne & istis hoc conuenit? Nam vt ita comparatum sit, omnes qui ad vsum huius vitæ quaslibet artes exercent, sic eas vtique gerunt, sicut à magistris didicerunt, & alijs vtensilibus vtuntur, quę illi actui, cui intensi sunt, conueniunt, vt nautæ, sutores, vel fabri. At nos B soli monachi instrumenta bonorum operum, quæ sanctus Benedictus ad percipiendam cœlestem vitam constituit, abijcimus, solique nostræ professionis desertores, lineas, quas Deus per magistros nobis ostendit, nunc ad dextram, nunc ad sinistram transgredimur, nec bonorum operum instrumentis, sicut à magistris tradita sunt, vti dignamur. Quamuis autem crudelitas cordis in talibus occalluit, quę multo obstinatior atque ad corrigendū difficilior sit quam laicorum: tamen ammonendi sunt ipsi, quoniam quoad vixerint mutari in melius possunt. Sicut beatus Gregorius Venantium ex monacho Patricium communebat, dicens: velis, nolis, locuturus sum tibi, quia aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. Culpam ergo tuam, & districtionem futuri iudicis dum vales exhorresce, ne illam tunc amaram sentias, cum nullis eam fletibus iam euadas. Pensa quid facturus est Deus de peruerso opere, si quosdam in iudicio suo reprobat de otioso sermone. Scis qua morte Ananias mulctatus est, qui pecunias quas Deo vouerat partim subtraxit. Si igitur mortis dignus fuit, qui nummos abstulit: pensa quibus dignus sit, qui seipsum per professionis suæ obliuionē Deo subtraxit. Ecce facti tui tristitia adductus mœrens loquor, & fateor, supernam misericordiam admiror, eo quod te superbientem videt, & tolerat: effugere vitam conspicit, & tamen adhuc reseruat. Cum vero isdem Venantius in grauissimam ægritudinem incideret, Gregorius audiens Ioanni Episcopo rescripsit, dicens: Fraternitatis vestræ scripta suscepi, quæ mihi de dulcissimi filij mei domni Venantij ægritudine loquebantur, qua audita lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas magnam ei curam adhibeat, exhortando videlicet, rogando, terribile Dei iudicium proponendo, ineffabilem eius misericordiam promittendo: vt vel in extremo ad debitum propositum redeat, ne ei tantus in iudicio reatus obsistat. Et considerandum quod hunc beatus Gregorius dominum pro blandimento vocat. Quod si nunc verba Dei vereri neglexerint, fiet eis illud beati Iob quod de iniquo dicit. *Cum reddiderit ei Deus vicem, tunc sciet: videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet.* Dissimulat impius retractare mala, quæ fecit, sed tunc sciet quid fecit, cum de furore omnipotentis bibere cœperit: tunc oculos D intelligentiæ reserabunt, quos nunc superbia claudit.

XIX. Proh dolor! Postquam Princeps huius mundi foras abiectus est, per nos iterum intromissus mysterium iniquitatis operatur in filijs diffidentiæ facientibus voluntates carnis, & in studijs suis seipsos abominabiles facientibus, præsertim cum princeps Apostolorum præteritum tempus ad voluntatem eorum consummandam sufficere dicat. *Qui ambulauerunt*, loquit, *in luxurijs & vinolentijs*, &c. Et cum Doctor Gentium nos contestaretur dicens, *Testificor in Domino Iesu, vt iam non ambuletis sicut gentes quæ tradiderunt semetipsas impudicitiæ. Vos autem non sic didicistis Christum.* Sed nos, vt video, in eadem luxuriæ confusione concurrentes, reddemus rationem, vt prædictus Petrus subiungit, ei qui paratus est iudicare. Licet vero iam tempus aduenerit, quo sufficientibus ad insinuanda Dei iudicia præsentis miraculis peccatore rarò terreri soleant: de nostro tamē ordine nonnullos eadem vltione plexos non ignoramus. Nam quidam apud Senones Hucbertus nomine duas sibi mulieres E nocte vidit astantes, quas non eas, quæ venire solebant, videns, fantasias intellexit. Accurrunt qui aderant, sed nemo mulieres nisi ipse videbat: fugit ergo in Ecclesiam, sed hanc quoq; phantasticis mulieribus plenam reperit: inter quas vna quasi regina sedens iussit illum apprehendi & verberari. Cum ille codicem sancti Euangelij arripiens vellebat se signare, nec poterat, illa vero dicebat. Tarde est, iam mihi traditus es. Sonantibus signis vicini accurrunt. Ille collapsus in terram verberabatur, proinde vociferans dicebat quid videret, quid sentiret. Cum hoc diu fieret, & phantasiæ discessissent, hi qui foris erant discedentem turbam mulierum per pontem egredi conspexerunt: ille post paululum obijt. Hoc Abba Gotlantius refert. Quisquis ergo dulcedine meretricis & amplexu delectatur, huius amaritudinem absynthij animo proponat.

Hednensis Cœnobij Præpositus quamcunque occasionem reperire poterat, carnibus inhiāter vescebatur. Quod XX. scilicet vitium cum nullatenus fratres emendare possent, F ipse cum quadam vice carnes comedere vellet, ossa, qua os impleuerat, strangulatus obijt. Alius quoque de cœnobio Durensi progressus ad quandam villam, petijt ab hospite suo carnes. Cum ille respondisset: Ecce iam coquuntur. Accelera, inquit, in spito aliquid coquere citius. At ille parabat carnes in spito, sed monachus æstuans partem de spito præcidit, & super carbones tostauit: quam videlicet torridam cineribus excussit, & ori ingessit, sed mox cum præsenti voracitate vitam finiuit. Quidam de Cormartino, quem ego & leuitates eius ipse noueram, cum lætissimus sero se cubitum collocasset, tempore nocturni officij defunctus repertus est. Quod & Abbati Iuminoni contigisse vel ipsi vos scitis. Sed & alius quidem sancti Martini canonicus domni Oberti Archiclauis, camerarius scilicet, à dæmone arreptus tandiu vexatus est, quousque spiritum exhalauit.

Duæ sanctimoniales de monasterio Puellarum, quod XXI. iuxta nostrum Balma situm est, ante hoc triennium ad sæculatem vitam regressæ sunt. Quarum iunior intumescen- G te brachio vitam post paululum finiuit. Maior vero cuidam scelesto se coniunxit, & partum ita monstrosum peperit vt longius collum haberet quam sit vna vlna. Sed cū se iterum prostituisset, concepit quidem, sed edere partum non potuit quosque dirupto ventre interijt. Fuerant enim vsque ad tempus illud quo exierant bene conuersatæ. Ad hoc autem egredi permissæ sunt, vt de rebus parentum, qui forte nuper obier[illegible]uquid monasterio reportarent. Sed hac occasione sæc[illegible]m pergustantes oblitæ sunt Deum. Ex quo apparet quā periculosa sit peccandi licentia. Quod & Alipius amicus sancti Augustini lapsu suo probat, qui cum hortaretur à quibusdam amicis theatrum adire, detestatus est videre huiusmodi lusum tanquam profanum. At illi hunc manibus trahebant. Ille claudens oculos, nec contrahentibus reniti valens, iurabat non se ibi quicquam visurum. Sed cum subito cachinnus in theatro increpuisset, oblitus est, & oculos aperuit. Cum illic ita cor eius illectum est, vt vix post multum tempus ab huiusmodi ludo posset ab Augustino reuocari. Quisquis ergo non vult vri, ardentem igniculum non sinat super cutem suam H licet paululum remorari. Nec prætereundum est, quod in prædicto Cœnobio cuidam puellæ morienti malignus hostis apparuit, quæ vehementer intremiscens recordata est, quod vnam aculam sine licentia haberet, quam de loco, vbi hanc esse dixit, sorores detulerunt, sed dæmon non recessit. Illa vero aliquid proprium se adhuc habere cognoscens pro quo malignus hostis instaret, tandem recordata, Tum, ait, filum sericum ad spondam habeo. quo via reperto & allato mox diabolus recessit, & puella quasi subridens migrauit. Ista forsitan parua & indign[illegible] relatu iudicabuntur: sed si Deus, qui, vt d[illegible]ctum est, facit ma[illegible]a, & inscrutabilia, ista nostro tempore facere dignatus est, quam magnipendimus, quia nec talibus digni fueramus.

Si somniis fides adhibenda est, visionem quam Guido monachus de Solemniaco vidit, non piget referre. Namque videbatur illi quod Ganzlinum, qui paulo ante mi- XXII. grauerat in Ecclesia, & blaunea cuculla vestitus in fere-

A tro custodiebatur, ante quendam Abbatem veneranda caniciae prostratum cum pieceret veniam postulantem, sed prædictus Abbas dedignabatur propter blauneam cucullam, qua indutus erat, dicens, quia non cognosceret eum, nec veniam illi esset daturus, quousque regularem vestem acciperet. Tunc vero prædictus Ganzlinus surrexit, & ad eundem Guidonem tremens & valde confusus cucurrit. Nec nos discredimus. Nam ipse Ganzlinus cum fratribus cellæ Dolensis nuper fuerat, à quibus ea voluntate redijt, vt vestem protinus mutaret, nihilque proprium exinde haberet. Credendum est igitur, quia Deus, qui iudicat fines terræ, id est vltima hominis opera, hunc pro bona voluntate, in qua obijt, ad indulgentiam recepisset, talique indicio ad incitandum alios monstrare voluisset. Ista vero signa de proximo retulimus, vt qui prisca non formidant, vel recentia pertimescant. Nam illi quos per camem strangulatos, & hi quos per luxuriam dæmoni traditos diximus, ob hoc in præsenti puniti sunt, vt qui pœnam, quæ B eos sequitur, considerare negligunt, vel de ea qua perempti sunt compungantur. Nam quis absque metu audiat quod dæmon per vnam acum & vnum filum puellæ obitum calumniabatur, nisi forte is cui Propheta dicit, *Columba seducta, non habens cor*? Et vnde dicitur, quia non timuerunt, nec homines fuerunt? Si enim Ananias & Saphira propter auaritiam percussi sunt, cum ita persecutiones & innumeræ necessitates nouellam Christianitatem cingebant, qua pœna plectendi sunt, qui dicta & exempla antiquorum nouerunt, & absque ingenti necessitate plusquam constitutum est vsurpauere? De vestitus autem qualitate vel immutatione ipsi sęculares contra monachos indignantur, quia semper illa superbia detestabilior est, quæ ibi se ostendit, vbi maior humilitas regnare debuerat. Eis igitur, qui in humilitatis habitu iactantiam coloris quærunt, illud Propheticum congruit. *Frons mulieris meretricis facta est tibi.* Quibus nimirum satius fuerat, vt voluntatem Dei magis quam suam facientes, Heliæ & Ioannis imitarentur exemplum, potius quam diuitis, qui purpura indutus & bysso à Christo redarguitur, & Herodis qui in veste C fulgenti ab Angelo legitur percussus interijsse.

XXIII. Occasione illius verbi, quo Deus ad Prophetam loquens filios Israel apostatrices gentes vocat, occasionem sumpsimus, qua contra nos miseros, non monachos, vt falso nominamur, sed Sarabaitas, id est renuitas, qui iugum regularis disciplinæ renuimus, ista diceremus. Sed quid fiet cum iam nec Patriarcharum exempla, nec Prophetarum mysteria, nec Apostolorum spicula, nec quorumlibet sanctorum patrum verba, quinetiam nec sancti Euangelij tonitrua cordis nostri duritiem emollire valeant? Ita omnis religio in contemptu est, ita cuique libitus dominatur, vt illud poeticum nobis conuenire videatur.

Cætera sunt cura Deus est sublimis solus.

Hoc tamen quod prophetæ post illud verbum superius dictum Deus subiunxit, si forte & deinde vel ipsi audiant, magnopere pensandum est quantam vim habeat. Si forte etenim dubitatiuum aduerbium est, quod id videlicet verbum Deus idcirco sermoni suo interserit, vt paucos esse significet qui correptionem eius recepturi sunt. Sed & prædicatores suos consolatur, & exhortatur: vt cum meminerit D quod ipse Deus in suis sermonibus se contemnendum insinuet, & tamen ad contemptores suos loqui non cessat, non contristentur ijdem sancti Prædicatores dum contemnuntur, sed nec omnino à correptionis officio vllatenus cessent. Nam & hoc quod addit vel ipse, magnum pondus habet, eisque nimirum congruit qui prędecessores suos reeolunt punitos: qui tamen eos imitari non desinunt, & è vestigio tribulationes sicut ipsi patiuntur, vel ipsi, inquit, id est qui prædecessorum suorum exemplum in adiutorium correptionis habere poterant, qui & afflicti, obsessi, conclusi, omnia quæ in hoc mundo habuerunt bona perdiderunt, vrbes crematas, euersa castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias vident: & tamen eosdem prædecessores suos ad iniquitates sequuntur, nec ab eorum elatione mutantur, aut recedunt, propter quam eos totiens plecti conspexerunt.

XXIV. Potentiores quidē tanto cautius alloquendi sunt, quanto & laxiorem vitam ducere permittuntur, & ipsi sua potentia velut quadam superbiendi materia ne se humiliēt E incitentur. His ergo verba Gregorij Nazianzeni, quæ in Ieremia loquitur, ita proferantur. Ad vos mihi sermo conuertitur. Quid ergo dicetis? putasne patiemini, vt non secundum personam, sed veraciter agam vobiscum? An libenter accipietis quod lex Christi sacerdotali vos subijcit potestati? Dedit enim nobis potestatem multo perfectiorem tribunalibus vestris. Aut nonquid iustum est, vt à terreno cœlestia superentur? ergo patienter quæso accipite libertatem nostram. Scito te, quisquis es, ouem gregis esse mei à Christo mihi summo pastore annumeratam, & à sancto Spiritu consignatam. Scito te inter sacra altaria cum veneratione subijci manibus sacerdotis. Scito beatę Trinitati cultum fidemque debere. Nolumus inæquales quidem videri, vt abiectos videlicet doceamus, & vestræ potentiæ credamus, aut erga illos & non erga vos vtamur libertate, quam nobis Christus in Ecclesia dedit: alioquin illis po- F tius consulere, vos vero despicere ac negligere videremur. Quorum itaque maiorem curam habere dignum est? tanto, inquam, maiorem, quanto ad multorum perniciem pertinet, si quid à vobis erratur, & rursus multorum saluti consulitur, in quibus iustitiam tenueritis & clementiam. Tu ò homo, qui licet alijs prælatus sis, æqualis tamen natura tibi est cum illis. Memento igitur quantum Deo debitor sis, qui tibi super æquales tribuit potestatem. Noli attendere quid potes agere, sed quid debes. Ipsius enim dispositione gladium portas, non vt ferias, sed vt comminēris, quem victimam impollutam restituas commendatori Christo, qui iccirco potestatem diuinitus tribuit, vt quos sanctæ Ecclesiæ auctoritas propter propriam virtutem ab oppressione pauperum frænare non sufficit, per istorum oppressionem comminuat. Hinc Deus ad Iob. *Nunquid valet rinoceros seruire tibi, aut confringet glebas vallium post te?* Subaudi, sicut post me, quia non hominis, sed Dei virtutis est, vt potens quilibet ad cœlestis disciplinę prouectum potentię suæ culmen humiliet, & exerceat, oppressoresque humilium quasi glebas refrænet. Sed quid fiet? Nam iuxta Isaiam, quia malo G recedit prædæ patet. Principes socij furum diligunt munera, pupillo & viduæ non iudicant, quibus per Sapientiam dicitur, *O vos qui placetis vobis in turbis, data est vobis potestas à Deo, qui interrogabit opera & cogitationes vestras, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet.* Exiguo enim conceditur misericordia, & fortioribus fortior instat cruciatus.

XXV. Ne igitur ò principes, comminationes istę vos maneāt, si potentes estis humiliamini sub potenti manu Dei, mementote qualia vicia vicinius potentiam comitentur. Solent enim potentes superbire, de temporalibus gaudere, & vt sit quod abundanter expendant, vel habeant, solent aliena concupiscere. Contra superbiam namque scriptura dicit, *Quid superbit terra & cinis?* Contra temporale gaudium dicitur. *Risus dolore miscebitur.* Nam quomodo innocens erit cupidus? quoniam videlicet cupiditatem Apostolus sanctus etiam idolis comparat, dicens. *Auaritia quæ est idolorum* H *seruitus.* & Sanctus Gregorius de hac disputans perhibet, quia quisquis auaritiæ subiectus est, à cultu idolorum adhuc liber non est. Iubentur quoque non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deum bene facere, facile tribuere. Et vt suis tantum, & non alienis vtantur, dicit eis Ioannes Baptista, *Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*

XXVI. Illis vero qui rapinis pauperum pascuntur seuerius obuiandum est. Nam & illi qui pauperes quidem non affligunt, sed tamen afflictionibus eorum resistere non curant, vehementer vtique peccant. Isti ergo nouerint quia solatium suæ admonitionis Deo subtrahunt, dum pauperes eius non defendunt. Sicut enim in suis grauatur, ita & in ipsis refouetur. Vnde scriptum est, *Et in seruis suis consolabitur. & ipse qui non est mecum aduersum me est.* Et Paulus. *Adiutores Dei sumus.* & Propheta. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro Hierusalem.* Raptores vero cogitent quia dum pauperes lædūt, vsq; ad Dei ipsius læsionem manus extendunt.

A Vox enim ipsius est, *Quod vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.* Cum ergo affligunt pauperes, vtique Deum affligunt, sicut ipse testatur dicens, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Cœlum iam ascenderat, & adhuc Sauli persequutio hic sua membra tangebat. Sicut enim per bonos loquitur, dicente eodē Paulo, *an experimentū quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Sic ipse in afflictione humilium laceratur, dicente Malachia, *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me, maledicti estis gens tota qui configitis me.* Et non solum qui affligunt, sed etiam si nimis sua qui ditiores sunt vendiderunt, vtique peccant. Vnde & Amos, *Audite qui conteritis pauperem, qui dicitis, possideamus egenos, & quisquilias frumenti vendamus. Iurauit Dominus, si oblitus fuero vsque ad finem, & conuertam omnia cantica vestra in planctum, & nouissima in diem amarum.* Item ipse, *Væ qui opulenti estis optimates, capita populorum: ingredientes pompatice, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, bibentes vinum in phialis*, quia videlicet dedignantur bibere in rusticanis vasis, & quod sequitur. *Iurauit Dominus in manu sua, detestor ego superbiam*, Et Micheas. B *Nonne verba mea bona sunt, & cum eo qui recte graditur, & è contrario populus meus in aduersarium consurrexit. Viduas eiecistis de domo, & à paruulis tulistis laudem meam.* & item. *Audite principes qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis, abscondam faciem meam à vobis, sicut male egistis.* Et vt ostēderet se esse qui in seruis suis omnia aduersa pateretur, ad beatum Iob ait, *Nunquid impetus aquarum operiet te?* Subaudi, vt me, quoniam iniqui per prædicationem sanctorum loquentem quidem audiunt, sed non intelligunt, & per afflictos patientem vident, sed non considerant. Quapropter audiant consilium sancti Iacobi dicentis. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis quæ superuenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tinea comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Alioquin cum hæc illorum vmbratilis delectatio & transitoria pauperum peruolauerit afflictio, fiet vtrisque illud Isaiæ, *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent & vos sitietis, ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini*, & quid multa? omnis totius scripturæ comminatio C iaculatur in eos, nisi resipuerint.

XXVII. Non ergo lætentur, & diuidant spolia, remordeantur illius verbi memoria, quo dicitur, *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* & quod in Iob perhibetur, *aufertur violentus absque manu.* Videt enim raptor quos rapit, sed eos qui in morte illū rapturi sunt non videt, aufertur itaque absq. manu qui violentus manu fuit, quia subito exitu vigente inuisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat, & raptores suos non videt, & tamen ad exitum impellitur. Nunc enim dum quisque violentus quos voluerit opprimit, dum omne quod nequiter concupiscit exercere permittitur, fit sæpe vt in maiore cordis cæcitate prosiliat, & quia non statim percutitur, quia pœna eius in posterum differtur, nequitiam suam ante à Deo videre non putet, aut hanc & non displicere credat. Vnde & eandem nequitiam corrigere negligit, pro qua non statim vltionem incurrit. Sed superiori verbo de Deo subiungitur. *Oculi eius super vias hominum, & omnes vias eorum considerat.* Tunc enim D Deus non considerare nequitiam credebatur, quādo violentus iste omne malum quod poterat inultè perpetrabat, & magna eius patientia quasi quædam negligentia putabatur. Sed ecce nunc, & ad quamlibet violentiam præsumendo prorumpat, voluntatum suarū nequitias impleat, aliena rapiat, innocentum oppressione satietur, & quia necdum percutitur, vias suas à Domino aut non videri existimet, aut quod peius est, approbari. Veniet profecto, veniet æterna & repentina percussio, & tunc cognoscet cuncta à Deo prospici, quando se improuiso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna sua oculos aperit quos diu tenuit clausos in culpa. Tunc considerare omnia verum iudicem sentit, quando malorum suorum meritum iam euadere sentiendo non possit. Tamen quemlibet raptorem, vt in exameron dicitur, bene silurus ille piscis significat, qui cum iugiter alios pisces deuoret ipse tamen capitur & voratur. Sed raptores vtinam quæ eos supplicia maneant, vel vtcunq, addiscerent.

E Homo ille cui dictum est, *Stulte, hac nocte repetent animam tuam abs te, quæ præparasti cuius erunt?* Non condemnatus quod aliena rapuerit, sed quod in multitudine diuitiarum suarum gloriatus sit. Sed neque ille purpuratus propter rapinam interiit, sed quia eleemosynam non fecit. Quales ergo sunt Christiani raptores, vel quid mœrentur, qui fratres suos occidunt, pro quibus animas ponere iubentur? Occidunt, inquam, dum affligunt, quoniam non solum qui rapit, sed qui mercenarium defraudat, par homicidæ perhibetur.

XXVIII. Cum omnis esset mundus in maligno positus persuasum est tamen hominibus timere Deum, & non solum nō diligere mundum, sed & contemnere, vt pro amore sequētis vitæ semetipsos ad quælibet tormenta tradiderint: nunc vero cum vniuersa ad eruditionem Christianorum pertinent & verbis & exemplis dilucidata sunt, tamen ista simul omnia contemnuntur, vt Iudæorum peruersitatem nostris moribus inesse demonstremus. Nam erga illos adeo diuinæ prouidentiæ cura intendit, vt præ cæteris mor- F talibus noua quædam & magnifica vitæ instituta procurata sint. Omnis quippe, vt ita dicam, natura ad ministerium eruditionis eorum seruit, qui videlicet post omnia diuinæ virtutis insignia, post tantam gloriam sibi datam, quam hucusque mundus omnis miratur, caput vituli adorauerunt, postea habentes templum, & illa quibus quotidiana sacrificia consummabant, habentes etiam Prophetas alios defunctos, alios superstites, qui eos & de actibus præsentibus informarent, & de antiquis Dei beneficiis commonerent, quæ in Ægypto fecerat cum eis, quæ in deserto, quæ etiam in terra repromissionis, cum ingressi sunt: tamen in his omnibus nihil non solum non profecerunt, sed etiam in ipso templo idola coluerunt, & nunc de gente in gentem, nunc de regno ad populum alterum transmigrantes sine lege, sine Deo, sine sacrificio relicti sunt. Nos quoque genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quibus manifestatum est magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, G prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria: qui gustauimus, vt ait idem Apostolus, cœleste donum, & illuminati sumus, habentes quoque tantam impositam nubem testium, videlicet vniuersa veteris ac noui Testamenti instituta, cum deberemus deponere omne pondus & circunstans nos peccatum, & per patientiam ad propositum currere certamen, rursus ad egena elementa deuoluimur, & ventos, vt ait Propheta, quasi dracones attraximus, rursus Christum crucifigentes & ostentui habentes. Quapropter omnimodis timendum est, ne fiat in nobis illud quod terribiliter Apostolus de talibus ibi commemorat. Dicendum est huiusmodi illud Iob, *Scitote esse iudicium.* Et item, *Statim vt se mouerit, turbabit vos, & terror illius irruet super vos.* Et item, *Quid facietis cum se mouerit ad iudicandum Deus?*

XXIX. Hi nunc, quos præsens gloria & vita nimis delectat, quorum voce Propheta dicit. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*, dicere solent, Cur Deus diuitias huius vitæ creauit, si eis ad libitum vti non debemus? Sed sufficere H deberet illa vis eloquij, quo dicitur, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, & si quis amicus voluerit esse, inimicus Dei constituitur.* Et item. *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Quod in Esaü expressum est, qui lentis edulium præoccupare gestiens, primogenita quæ erat suo tempore percepturus amisit. Hæc ergo, & multa huiusmodi sufficere deberent, quia non potest solui scriptura, si tamen hoc humano mentitur exemplo, sciendum quia postquam à Paradisi gaudijs decidimus, spiritualia, vt sunt, cogitare nullo modo valemus. Vnde factum est, vt carnales quique nulla iam nouerint, nisi ea quæ corporeis oculis palpando, vt ita dixerim, cognosci valent: nec se iam ad summa curam erigere, sed in infimis consentiunt libenter iacere. Quorum mentis excæcatio in tantum densata est, vt ijdem, cum illa inuisibilia sentire per experimentum re non valēt, iam dubitent vtrumne sit aliquid quod oculis corporeis non videtur, nisi quibusdam visibilibus exemplis eadē visibi-

A lia quodammodo monstrarentur, iuxta illud exemplum quod B. Gregorius in Dialogo ponit de matre, quæ forte prægnans cæco carcere damnata sit, & ibi pariat, & nutriat: quæ si illo iam intelligenti rerum mundialium species narrare voluerit, ille qui nihil nisi tenebras vidit, audire quidem potest quæ mater dixerit, sed ipsas, vt sunt, species sine experimento intelligere nequaquam potest. Ne ergo nostra cæcitas nos ab intellectu principali omnimodis excludat, placuit diuinæ prouidentiæ quædam in hoc mundo creare, quæ quinque sensibus corporeis placida videantur. Videlicet quædam placent colore, quædam odore, quædam sapore, quædam sono, quædam leui tactu: vt sicut venatores viso vestigio bestiæ iam qualis illa bestia sit experimento vestigij cognoscunt, ita nos quæ in hoc mundo delectant videntes intelligamus quanta sint cœlestia, si tanti momenti videntur esse terrestria, & illa velut iam nota concupiscentes, ista retro faciamus sicut venatores vestigium post bestiam festinantes. Alioquin sicut venatores frustrantur, si vestigium tantum ammirantes, bestiam non quæsierint:

B sic otio perdi nos erimus, si caducis nimium inhæserimus. Hæc ergo omnia, quæ in mundo delectant, vestigia quædam sunt cœlestium bonorum. Non ergo istis inhiemus, sed experimento illorum bonorum, quibus merito inhiandum est. Nunquid ideirco se debet in aquam quis mittere, quia sitim indiguit ea ea refocillare? Aut ob hoc ignis est amplexandus, quia vel ad coquendum, vel ad frigus arcendum probatur accommodus? Raptores igitur, qui pauperes in rebus temporaliter affligunt, videntur sibi stultitiæ vestigium eligere, illos vero licet nolentes ad quærenda cœlestia salubriter impellere.

XXX. Qua vero dementia pro transitorijs rebus & Deum offendere, & proximum grauare, & mensuram bonam perdere non trepidant, ea quoque dementia tanto se meliores putant, quanto in eisdem rebus, per quas peiores sunt, bonis & pijs fratrib. excellere videntur, & putant se tanto plus habere, quanto plus videntur posse, & cum ipsi multorum vitiorum sint serui, gaudent quibusque fratribus se posse

C dominari. Sed sic adeo sunt animales, vt nihil, iuxta Apostolum, spiritaliter intelligere possint, vel æqualitatem naturæ considerare debeent. Nobilitatem quippe mundanam non natura, sed arbitrio præstuit. Ad vnitatem quippe commendandam, Eua de ipso Adam formata est, & Adam licet maior, tamen extra paradisum, illa in paradisum. Vnde scriptum est, *Nemo ex regibus aliud habuit natiuitatis initium, & vnus est omnibus introitus ad vitam, & similis exitus.* Et certe, vt ait Hieronymus, omnes per diuinā gratiam æquales efficimur, quos natiuitas secunda regenerauit: per quam tam nobilis quam ignobilis Dei filius efficitur, & terrena nobilitas splendore cœlestis gloriæ obumbratur. An pauperes sordidius generantur, cum & Dauid plangit se in peccatis conceptum? An nitidius regenerantur nobiles, cum iuxta Iacobum pauperes elegit Deus, diuites in fide? Iob æqualitatem pensabat, qui non contemsit subire iudicium cum seruo suo, licet esset rea. Et domnus Martinus, qui ita seruo suo versa vice seruiebat, vt eius calciamenta detergeret. Esau, quem Dominus odio habuit, cum quadringentis viris gradiebatur. Iacob, quem elegit, in baculo suo Iordanem transijt.

D Omnes libros antiquitatum considera, potentiores semper inuenies peiores. Nam, vt hucinferam, in domibus pauperum præparatur vnde potentiores saginantur. Vestes illæ & historiata tentoria, sed & exotici cibi num pauperiorum manibus præparantur? Si qua vero pulchritudo in eis est, aut suauitas, artifices laudandi sunt, vt Boetius dicit, & non hi qui eis vtuntur: qui cum emendicata ab exterioribus rebus veritate decorari gestiunt, propriam sibi non sufficere produnt. Vnde Hieronymus. Offendere timet odore proprio qui placere quærit alieno. Sed hi qui amplexantur ventos, & confidunt in nihilo, meminisse debent quia, iuxta Iob, diuitias quas deuorauerunt euoment, & de ventre eorum extrahet Deus, & si duxerint in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendent. In puncto videlicet, quia sicut stylus dum ponitur eleuatur, sic iniquus diues præsens gaudium dum tangit amittit. Nam quantumlibet annis fœliciter vixerit, cum ad finem venerit, ita tempus illud longum consumitur, ac si breue fuisset.

E XXXI. Vt autem interim de sequentibus pœniteamus, nonne pro ipso defectu contemnenda magis fuerat præsentis vitæ gloria? fuerunt ante nos & potentes, & superbi & voluptuosi. Sed quid illis profuit immoderata lætitia, vestes & odoramenta diuersæ voluptatis, & rerum opulentia? vbi illa nunc sunt, vel vbi ipsi? accedamus ad eorum sepulchra, & quid ibi videbimus? fœtidas vermium reliquias. Probabimus verum esse quod de impijs dicitur. *Transiet vt nocturna visio.* Vt enim qui in pœna qualibet positi prosperitatem, quam vigilantes desiderant, forte somniantes habere se vident, cum expergefacti fuerint, vanum fuisse quod somniauerunt, nec sibi prodesse cognoscunt: sic amator & conquisitor huius vitæ, cum ab ea discedit, nihil fuisse quod transire licet delectando potuit, & nudatus, & desertus, & annullatus addiscit. Sed vtinam omnis pompa mortalium vsque ad cineres & vermes solummodo euenisset! sed cogitemus horrendum iudicis tribunal, ardentem fluuium, vermes qui non moriuntur, ignes gehennæ,

F fletum & stridorem dentium, & præ oculis habeamus quasi iam ad hæc ventum sit, pertimescamus quasi iam præsens, quod etsi tardet, futurum est tamen. Adhuc autem super his quę diximus est multo grauius malum excludi à perennibus bonis, quæ præparata sunt sanctis. Omnis enim superat cruciatus, remoueri ab illa gloria, quam habueris in potestate fruendi, maxime à conspectu Christi foras eijci, cum viderimus alios etiam, cum quibus hanc vitam ducimus, intromitti. Crede mihi, vt in increpatione lapsi dicitur, hoc est quod gehennam superat, quod omnibus pœnis grauius torquet. Demus si placet ad fruendum delitijs centum annos, & si mauis decies tantum. Sed quæ erit ex his compensatio ad æternitatem? Sed qui in eis pastibiliter inhærent delirare nos credunt. Attamen ignorare non possunt, quia delitiæ quidem velut vmbra pertranseunt, & velociter fugiunt, pœnæ vero perpetuo manent. Quod si æquale tempus & idem spatium esset, pene esset aliquis ita stultus, & ita demens, vt eligeret pro vno die delitiarum vnum diem pœnarum, cum soleat dolor vnius horę, & quilibet corporis cruciatus, in obliuionem mittere omne præ-

G teritum tempus voluptate transactum. Hoc enim prouidit Deus, vt hæc vita laboris quidem esset, sed tamen ipsa breuis vita, vt labores cito finiantur, meritorum præmia sine fine durent, vt qui Deum timet, sicut scriptum est, cito sit securus: temerarij vero voluptates, quas ei præposuerunt, velociter amittant, & mercedem, quam oportet, æternaliter incurrant. Non igitur eligamus inter fallaces voluptates quasi vnius horæ delectabile somnium videre, ne nos contingat inter veras miserias æternos cruciatus subire.

XXXII. Insinuandum igitur eis est vt caute considerent quid sit homo, & ante qualem iudicem stabit. Intueantur illius potentiam, pensent suam infirmitatem, enumerent mala proprij operis, & contra hoc exaggerent bona illius largitatis. Considerent quam districte mala, quam subtiliter bona discutiat, quam districtus contra hæc vtraque veniet. Versetur in mente quantus ille sit tanti iudicij aduentus, quæ tunc illa sit hominum angelorumque frequentia, quanta illa sit verecundia in conspectu totius humani generis, omniumque Angelorum & Archangelorum confundi: quanta vt contra reprobos ardentia pugnent ele-

H menta, & ipse iudex, cui supernæ virtutes obsequuntur, quanta vt vniuersæ magnitudinis cordium secreta illuminet, & omnes culpas ante omnium oculos reducet. Postremo quam terribilis illa sententia prodeat, qua reprobi damnabuntur, & quæ sint gehennæ pœnæ cum grauis amaritudinis obscuritate pensent, qui post confusionem cruciatus maneat, cum reatus animam immortaliter morientem & gehenna carnem indeficientem consummauerit deficientem. Inter hæc mens ad se respiciat, & illic districtionem iustitiæ, hinc meritum ponat culpæ, & periturum se homo absque aliqua ambiguitate pernoscat, si remota pietate iudicetur. Conuertatur ad pœnitentiam, vt pro certis culpis pietas ei assit, quæ per lamenta pœnitentia eruere ab æterna pœna consueuit, & quę vitam nostram sic ad se conuersam iudicat, vt tamen culpas apud misericordem excuset. Libeat flere salubriter quod deflenda

A iocunditate commissum est. Licet enim conscientia dudum sit polluta, lachrymis tamen baptizata renouatur. Hinc scriptum est, *Dominus iudicabit fines terræ*, quia nimirum anteactam vitam Dominus non iudicat, quando posteriora peccatoris opera respectu supernæ pietatis illustrat. Hinc Moyses, *Primogenitum asini mutabis oue*, id est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem conuerte. Hinc rursus dicitur, *Et iudicabit fines terræ, & lumen eius super terminos terræ*, quia videlicet peccator, qui merito terra appellatur, si post praua opera ad iusta conuertitur, ab actionum suarum tenebris diuino lumine separatur. Hinc Dominus ad afflictum Iob, *Nunquid in nouissimis abyssi deambulasti*? Abyssus & humana mens fluctibus vitiorum tenebrosa, quæ dum semetipsam comprehendere non valet, se se velut obscura abyssus latet. In nouissimis abyssi deambulare, est nequissimorum hominum mentes mira misericordia iuxta terminum conuertere, pressos sceleribus visitare, iam desperatos permouere. Ad hanc namque Dauid atque Petrus

B lapsi referuntur: vt quorum dictis peccare prohibemur, eorum exemplis si peccauerimus ad spem veniæ respiremus. Nam quis de venia iam si pœniteat desperet, quando Petrus ipsum Simonem Magum ad pœnitentiam hortatur?

XXXII. Illud præterea nullatenus animo abscedat, quod siue patiantur verbum diuinæ pacis & correptionis, siue non patiantur audire, pro eis ad exemplum Saluatoris nostri vel B. Pauli certatim operandum est. Idem namque Paulus nouerat quod ipsum eius cruorem sitiebant, cum eis nulla industria salutem persuadere posset. Hoc vnum & solum quod poterat præstare nitebatur, nam lacrymabatur & orationis open adhibebat, *Fratres*, inquiens, *voluntas cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis ad salutem*. Non itaq; nos prætereat, quod inimicos exemplo eius diligere debeamus, & si non sumus tales, vt iuxta Apostolum rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscipiamus, vel simus tales, qui persequentibus nos benedicamus. Quod quidem durum superbis videtur. Christus dicit, *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Stephanus dicit, *Domine ne statuas illis hoc*

C *peccatum*. Paulus ait, *Optabam anathema esse ego ipse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*. Moyses dicit, *Si dimittis illis peccatum, dimitte. sin autem, & me dele de libro quem scripsisti*. Dauid enim ait, *Vertatur manus tua super me, & super domum patris mei*. Samuel ait, *Mihi absit peccare intermittendo pro vobis Deum orare*. Quam igitur veniam mereri poterimus, si tantorum seruorum de veteri atque nouo testamento, & præsertim ipsius Domini non imitamur exemplum. Vt enim in prima Homelia de Cruce & latrone Ioannes asserit, melius orare pro inimicis est, quam pro amicis. Vnde Dominus, *Si diligitis*, inquit, *eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt*? Si ergo pro solis amicis orauerimus, nondum publicanos vincimus. Quando pro inimicis oramus, Deum in quantum possibile est imitamur. Hinc B. Gregorius ait, quia diuinis auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Hoc tamen quod dicimus prælatis maxime gerendum est, qui & diuina præcepta plenius & melius sciunt, & teneras ac indociles subditorum mentes portare quasi nutricij vel patres

D debent. In hoc enim quod pro aliena peccata interueniunt, sicut in vltima Ezechielis parte homelia nona perhibetur, sua ante Dei oculos plenius detegunt, quia ea ipsa caritate iustificant se, qua mira pietate pro aliena iniquitate se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse doctoribus pro conuersis peccatoribus lacrymas fundere, quando & ipse omnia creauit homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit.

XXXIV. Quoddam super gestum miraculum mente exciderat, quod ad prædones redarguendos inserere placet. Est Ecclesia S. Auentini in Aruerno super fluuium, qui vocatur Alenus. Cum iuxta hanc negotiatores cum porcis transeuntes vidissent sibi equites appropiare quosdam, timentes eos in curam Ecclesiæ diuerterunt, vnus ex equitibus dixit ad eos, Educite porcos. Cumque illi nollent, coegit eos, promittens aliquem porcum se daturum. Tunc cuidam viro ex suis porcos ad minandum commendauit, & iste cum abire cœpit. Is vero qui porcos mi-

E nabat aliquantulum progressus subito corruit, & coxam sibi fregit. Verum ille qui porcos minare iusserat, vulpem viæ contiguam forte conspexit, post quam videlicet equo dimisso currere cœpit. Cum subito lapsus ita subtus equum depressus est, vt illa pars sellæ quæ prominet caput eius penitus truncaret. Negotiatores, qui flendo sequebantur, receptis porcis fugerunt. Illi vero qui raptor exstiterat, non placebat vecordia sua. Hoc ego ab ipsius consobrino didici. Hæc de afflictoribus pauperum dicta sunt. Nunc in exstante illo vestro quæ possumus proferemus, quasi videlicet obliti quod multa iam superius ad eorum solatium diximus. Quibus hoc primitus intimandum est quod non fortuitu, sed diuina dispositione vel prospera vel aduersa & cunctis & singulis disponuntur. Hinc enim scriptum est, vt supra diximus, Nihil in terris sine causa fit: hinc per Amos dicitur, *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit*. Et per

F Isaiam. *Quis dedit Iacob in direptionem? & Israël vastantibus, Nonne Dominus ipse cui peccauimus*? Nam de bonis, quibus vtilitatis causa datur aduersitas, prædictus Amos dicit, *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super omnes iniquitates vestras*. De prauis autem quibus Ieremias calicem furoris propinat, dicens, *Hæc dicit Dominus, bibentes bibetis, quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipiam affligere vos, quasi innocentes immunes eritis? non eritis immunes*. Hæc igitur considerantes murmurationis excessum inter quaslibet angustias temperabimus, sicut Rex Dauid cum diceret, *Obmutui, & non aperui os meum*, sed quare? *quoniam tu fecisti*.

XXXV. Occulto igitur iudicio fit, vt tam apud bonos quam apud malos & prospera & aduersa varie, sicut supra dictum est, alternent. Vsitatius tamen hic & bonis male est, & malis bene. Quod videlicet idcirco forte occulto iudicio fit, quia & boni quæ deliquerunt hic recipiunt, vt ab æterna damnatione plenius liberentur, & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inueniunt, vt ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Vnde & ardenti in inferno

G diuiti dicitur. *Memento fili quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. At cum malis hic male est, & bonis bene, incertum valde est vtrum boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius crescant: an iusto latentique iudicio hic suorum operum remunerationem percipiant, vt a præmijs vitæ sequentis inanescant. & vtrum mali idcirco aduersa tolerant, vt ab æternis suppliciis corrigentia defendantur: an hic eorum pœna incipiat, vt quandoque complenda eos ad vltima gehennæ tormenta perducat. Sancti ergo qui magis in hoc mundo prosperaquam aduersa formidant. Sciunt enim, quod aduersa dum premunt, ad cœlestia concupiscenda, quo plena requies est, mente eos impellunt. Si vero prospera suppetunt, pauida suspicione turbantur, timentes ne exterioribus remunerati ab intimis repellantur. Et idcirco eadem prospera tanto maiori aspernatione refugiunt, quanto plenius sciunt quod eorum dulcedo in despectum supernæ dulcedinis blandiatur, & quod sic sua soleant occupatione mentem ad exteriora diminuere, vt quomodo

H permutetur ignorent. At contra sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, transitoria appetunt, æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem pro his, quæ admiserunt, sentiunt, nec habere consilium recuperandi curant. Cumque superna non considerent, nequaquam ad veritatis lumen, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt, nequaquam ad contemplationem æternæ patriæ desiderij aciem tendunt, sed semetipsos in his, ad quæ proiecti sunt, deserentes, vice patriæ diligunt exilium, quod patiuntur. Et inde est quod miseram huius vitæ fœlicitatem in tantum affectent, vt cum qualibet Dei offensione vel proximorum læsione hanc adipisci malint, quam abiecti esse in domo Dei. Si vero propter bonos ne hic in continua prosperitate positi remunerentur, ne propter malos vt hic emendentur, seu certe qualibet alia secreto iudicij causa nobis aduersitas veniat, vnum superest, vt iuxta quod Iacobus hortatur, omne gaudium existimemus, cum veritas in

A tentationes inciderimus. Sed enim, vt Paulus dicit, *omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij*, sed mœroris. Et idcirco frequenter ita res in contrarium vertitur, vt imperiti quilibet pro afflictione, qua meliorari debuerunt, peiores fiant. Nam & in desperationem cadunt, putantes se à Deo derelictos, aut murmurationem dum non recogitant, quia iusto iudicio tribulantur.

XXXVI. Ne igitur in hæc duo, desperationem videlicet, aut murmurationem incurrant, è contra duo maximè affectus consideranda sunt, videlicet misericordia & iudicium. Vnde Psalmista, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Et item, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quæ duo conditor & iudex noster miro modo tam erga reprobos quam erga electos exercet. Electis namque misericordiam in posterum exhibet, hic tamen eos per iudicium duris afflictionibus premit. Reprobos autem hic per misericordiam tolerat, & plerumque bonis
B temporalibus, quæ desiderant, ad votum quidem fulciri permittit: sed eos ab æternis bonis, quæ libero arbitrio contemnunt, per iudicium excludit. Et prosperis quidem aut aduersis communiter, vt supra dictum est, tam mali quam boni plerumque fruuntur, sed aliter illi, aliter isti. Nam illi prosperis extolluntur, aduersis franguntur. Isti prosperis sustentantur, aduersis erudiuntur. Quod quidam sapiens ostendens ait, *Necessaria vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, lac & panis, & mel*, &c. Quædam propter aduersa, quædam ponens propter prospera. De quibus etiam subiungit, *Hæc omnia sanctis in bona, impiis & peccatoribus in mala conuertuntur.* Ad hanc dispensationem intelligendam, qua diuinitus aut misericordiam, aut iudicium Deus exercet, Iacobus Apostolus sapientiam esse necessariam docet, qui cum de iustorum afflictione loqueretur, subiunxit dicens, *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo.* Ergo magna sapientia est hanc dispensationem intelligere, & contra periculosa stultitia nescire. Vnde & vxor beati Iob quæ ei excessum murmurationis suadebat, quasi vna de stultis mulieribus locuta esse redarguitur; &
C Israël, qui sub tribulationibus in deserto querelabantur, Moyses dicit, *Popule stulte & insipiens.* Consilium quippe Dei est, electos suos per temporales afflictiones ad æternum regnum introducere. De quo Apostolus dicit, *Non enim subterfugi quin annunciarem consilium Dei vobis.* Pro quo, videlicet consilio manifestando, caput nostrum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, vt ostenderet quod omnia membra eiusdem capitis oporteret, vt scriptum est, per multas tribulationes intrare in regnum. Ad hoc consilium, id est, ad hanc dispensationem insinuandam, quâ necesse est à tempore baptismatis vsque ad finem in angustijs viuamus, filij Israël dilati sunt, vt non statim transito mari rubro terram repromissionis intrarent, sed per quadraginta annos in heremo demorati, nonnullis sunt afflictionibus afflicti. Qui tamen super manna, quod ad mensuram gomor per Moysen accipere iussi sunt, nauseantes murmurabant, & de hac dispensatione nihil intelligentes aut curantes, ollas carnium desiderabant. Quapropter vt de eis dicitur, non intellexerunt mirabilia Dei, sed cito defecerunt, & non su-
D stinuerunt consilium eius. Quia vero prædicti exempli se se occasio præbuit, quod in animo serpit in vocem rursus erumpit, videlicet de nobis miseris monachis, vel potius Sarabaitis, qui infrænes ad omne regularis disciplinæ iugum recalcitramus. Nos, inquam, de huius mundi Ægypto per professam religionem educti, per stadium præsentis vitæ quasi per heremum sub mortificatione Crucis excurrentes, ad supernæ promissionis requiem festinare debuimus. Sed, proh dolor! ridiculum & Angelis & hominibus spectaculum præbentes in arrepti propositi stadio lutescimus, & sicut illi despicientes gomor & manna, & ollas carnium desiderantes corde reuersi sunt ad Ægyptum, sic & nos, & mensuram, & qualitatem victus à Deo per beatum Benedictum præfixam fastidientes, & sanguineas dapes velut barbari desiderantes, ad apostasiam huius mundi relabimur consilium non sustinentes.

XXXVII. At vero neque iudiciorum, neque misericordiarum profunditas ad liquidum penetrari potest. *Iudicia*, inquit, E
Domini abyssus multa. Et item, *Quis intelliget misericordias Domini?* Attamen intelligere necesse est, quia iustum est quod patimur, vt inter quaslibet angustias non murmuremus, sed dicamus. *Iustus es Domine, rectum iudicium tuum.* Et item quod alius Propheta dicit, *Increpationem Domini sustinebo quia peccaui.* Intelligamus quoque quia, iuxta illud Iob, *qui afflictus fuerit, erit in gloria.* Et dicamus, *bonum mihi quia humiliasti me.* Nam si æquitas iudicij consideretur, murmuratio cessabit, quia valde iniustum est, vt reus iudicem incuset, cum digna factis æquè receperit. Nos enim, vt beato Iob improbatur, multum minima exigimur quam meretur iniquitas nostra. Quod & ipse, quamuis ore iudicis incomparabiliter laudatus sit, dolens fatetur dicens, *Cum expleuit in me voluntatem suam, & alia multa alia præsto sunt ei.* Ac si diceret, cum sublatis omnibus tam rebus quam filijs, cum & consumpta vermibus carne, me vsque ad sterquilinium humiliauerit, adhuc multa in me corrigenda visus est deprehendit, pro F
quibus si parcere nollet, iuste tormentum exaggerare posset. Qui etiam postquam tanta ac talia patienter pertulit, quæ omnia secula stupescunt, nequaquam de victoria gloriatur, sed dicit, *ipse me reprehendo & ago pœnitentiam.* Si autem misericordia quoque perpendatur, qua benignus iudex per temporales angustias reos suos ab æterno verbere abscondit, non putabimus nos derelictos, vt quidam facere solent, in prosperis quidem Deum benedicentes, iuxta illud, *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*; sed in aduersis deficientes iuxta illud, *In miseria non sustinent.* Et *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Sed magis amabimus iudicem, qui idcirco reos suos transitoria pœna quasi virgis flagellat, vt eos à gehennæ vel supplicio sempiterno absoluat. Vt enim supradictum est, tanto patientius æger ferramentum medici tolerat, quanto putridum esse conspicit quod secat, & quantum per ipsam sectionem salutis medelam sperat. Deus quippe internus est medicus, & peccatorum à nobis contagia secat, quæ inesse medullitus reprobat. Abscidit vires putredinis ferro tribulationis, G
& quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finem procurat. Quod autem creatura creatoris iudicium discutere nec debeat nec possit, Apostolus ostendit, qui cum de profunditate diuinorum iudiciorum diceret, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. addidit, *ô homo tu quis es qui respondeas Deo?* Homo quippe ab humo vocatur. Respondere ergo Deo non posse conuincitur qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo sumptus est, superna iudicia discutere idoneus non est. Quæ igitur hæc inuestigare non sufficimus, restat vt sub eius dispositionibus humiliter taceamus, ne forte si causa districtionis eius discutiatur, amplius discussa prouocetur. Vitari namque vis superni consilij nequaquam potest, sed eius pondera sibi magna virtute leuigat, qui se sub eius nutibus frænat, & hæc subiecto cordis humero volens portat.

Murmurationis malum siue desperationis per hoc insidiante diabolo maximè subrepit, quod mali prosperantur, & boni comprimuntur. Ex hoc enim fit, vt vel XXXVIII. H.
Deû non curare de bene gestis infirmus animus suspicetur, sicut vxor Beati Tobiæ afflicto quæ ei dicit manifestè; *Vana facta est spes tua*, &c. Et Gedeon; *Si Dominus nobiscum, cur apprehenderunt nos omnia hæc*, vel iudicium eius non esse iustum? Neque enim ista mediocris quæstio est, cur malis bene est, & bonis male: quandoquidem sancti Prophetæ querimoniam de hoc ex persona infirmorum facere videntur. Dicit Ieremias, *Quare via impiorum prosperatur? prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.* Et Daniel, *Mei autem pene moti sunt pedes, quia zelaui in peccatoribus pacem peccatorum videns.* Et Malachias talibus resistens: *Laborare, inquit, fecistis Dominum in sermonibus vestris. Et dixistis, In quo? in eo cum diceretis, Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent.* Et Iob, *Cur impij viuunt?* & multa quæ sequuntur huiusmodi. Quod & Salomon insinuans, *Hoc est*, ait, *pessimum inter omnia quæ sub cælo sunt, quia eadem cunctis eueniunt iusto & impio*, &c. Vnde & corda filiorum hominum replentur malitia & contemptu. Sic enim dia-

A bolus hunc ordinem rerum, quod videlicet quidam per afflictiones peruenire soleant, aut ad murmurationem, aut ad desperationem. Et ideo cum prædictum Iob ad tentandum expetisset, omnem substantiam eius pessumdedit, sed & omne corpus eius afflixit: non quod eum pauperem aut ægrum facere desideraret, sed vt per molestias exterius illatas eius conscientiam fatigare posset, animique virtute nudata vt impiè aliquid de diuinitate sentiret. Ad hoc enim & nuncios callide direxit, vt vnus prius diceret, *Sabæi fecerunt tres turmas, & tulerunt omnia. & tunc ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosque consumpsit.* Quasi diceret, pensa quia frustra tot Deum hostijs placare voluisti, cuius iram toleras, quem te in humanis aduersitatibus consolaturum sperabas: quatenus dum se foris ab hominibus lædi, & intus à Deo destitui consideraret, in contumeliam tanto audacius, quanto & desperatiua erupisset. Adeo namque diabolus id posse fieri præsumebat, vt non solum de quolibet aliquo, sed etiam de B ipso Iob, cuius similis tunc non erat, ad Deum diceret, *Tange cuncta quæ possidet, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Verum sic isdem Iob contra vtraque munitus persistit. Nam contra murmurationem æquitatem iudicis ad memoriam reducit, dicens, *Scio quia si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere vnum pro mille.* Et item, *Non respondebo si quippiam iusti habuero, sed meum iudicem deprecabor.* Contra desperationem vero holocaustorum compassionis, castitatis, humilitatisque, vel multorum talium reminiscebatur, ita vt diceret, *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* De malorum vero prosperitate non mouebatur, quoniam finem eorum considerabat cum diceret, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Sic ergo, & nunc quilibet mente infirmi cum vident sceleratos quosque lætis successibus prosperari, innocentes vero frequenter luctu & penuria premi, sciunt quia, vt supradictum est, nihil in terra sine causa fit; quia etsi Deus causas flagelli, quo boni opprimuntur, & prosperitates, quibus mali fulciuntur, Deus non aperit, eas tamen iustas esse indicat, quo eas ipse, qui summè iustus est, fieri iubet. C Nihil enim Deo placet nisi iustum: pati autem nulla nisi quæ Deo placuerint possumus. Iusta sunt igitur cuncta, quæ patimur, quia eo ordinante nobis eueniunt, qui iniustè velle nihil potest. Ergo diuina iudicia, per quæ bonis aduersitas euenit, & malis prosperitas, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidolosa silentio veneranda. Non igitur discutias, cur ita vel non ita sit: sed finem vtriusque respice. Dauid enim in disquirendo laborabat, quousque intellexit in nouissimis eorum, & vidit; quod illi, qui superbia tenentur, eijciuntur dum eleuantur, & subito in desolatione erunt. Hi vero qui iustificant cor suum & flagellantur, tota die facti sunt, nunc quidam vt iumentum, sed erunt semper cum Domino. Licet igitur multipliciter affligaris, non desperes opera bona, si qua sunt, Deo displicuisse, quoniam vt scriptum est, cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, & meridianus fulgor consurget tibi in vesperum.

XXXIX. Nonnulli res humanas Deum curare non æstimant, quoniam fortuitis casibus fieri videntur, auxilium vero D diuinum sibi adesse diffidunt, maxime cum preces eorum non exaudiuntur. Sed in Iob dicitur, *Supra omnes cælos ipse considerat, & super gentes & super omnes homines.* Hinc in XXV. Moralium libro, æque Deus omnia respicit, æque cuncta disponit, qui vbique præsens nec localiter tenetur, nec varia curando variatur. Si ergo diuina iudicia intendunt super vnam animam, sicut super vnam vrbem: & sicut super vnam gentem, sic super vniuersam generis humani multitudinem: sic summa regit vt etiam extrema non deserat, nec vniuerso deest cum disponit vnum, nec vni cum disponit vniuersum. Non ergo negligit humanos actus, quippe quos hic frequenter aut punit, aut remunerat: sed vt dictum est, ipse considerat qualiter eos vel nunc, vel in posterum determinat. Quia si nunc omne peccatum manifesta pœna plecteret, nihil vltimo iudicio seruare putaretur: rursus si nullum nunc peccatum puniret, nulla esse diuina prouidentia crederetur. Afflicti vero dum clamant si tardius exaudiuntur, dum clamor eorum quasi ne- E gligitur, spes infirmatur, & supernum adiutorium deesse creditur, quoniam tardius impetratur. Quo contra scriptum est. *Neque enim frustra exaudiet Deus.* Non frustra inquit, sed vtiliter. Plerique exaudiuntur ad votum, sed non ad salutem, vt Satanas quando beatum Iob expetiit. Ad hæc alij non ad votum, sed ad salutem, vt beatus Apostolus. Hinc psalmista, *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*, Et deinde, *Et nocte, & non ad insipientiam mihi.* In nocte clamat, cuius exauditio protelatur. Spes enim, quæ differtur, occidit animam. Ac si ergo diceretur, quasi deseris me dum clamantem ad votum non exaudis, sed dum hoc quod insipienter populo dissimulas, melius me exaudis, quoniam opportuniora procuras. Contra hoc autem quod ea quæ patimur Deus non considerare putatur, cum scriptura diceret, *Neque enim frustra audit Deus*, subiungitur, *& omnipotens singulorum causas intuetur.* Quia videlicet preces audit, quas audire dissimulat, & quod quisque patitur non ignorat. Qui vero pondere percussionis F vel murmurare vel desperare cogitur, authorem misericordiæ & naturæ suæ Deum consideret. Hinc enim rex Dauid angustiis pressus ad spem sese recolligebat, dicens, *Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti.* Considerauit enim, quod qui benignè eum, qui non erat, condidit, hunc profecto conditum non nisi iustè percussit. Hinc Moyses, cum murmurantes reprimeret, dixit, *Generatio praua, hæccine reddis Domino?* subiungens, *nunquid non ipse est pater tuus, qui creauit te?* &c. Ac si diceret, Qui vos benigne condidit, nec sine causa cruciari, nec penitus neglectè permittit. Et iterum voce desperantis in Iob. *Et non dixit, Vbi est qui fecit me?* nam vt in tertio Moralium volumine dicitur, cuncta quæ hominibus fiunt, occulto Dei consilio veniunt, & ipse disponit quantum vnumquemque aut prosperitas aut aduersitas sequatur; nec electos aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Quisquis inter pressuras desperatione frangitur, eum, à quo factus est, minime contemplatur. Nam vt dictum est, qui quod non erat fecit, factum sine gubernatione nullatenus deserit. Hinc Ambrosius, Si quis operator negligat operis sui curam, & deserat ac destituat, & quod ipse condendum putauit, non putet quod fecerit, summa inclementia est. G Sed cum ista nos desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si bona Dei ad memoriam reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit non excuset, si perpendit quid ab eo iustè meruit quod accepit. Si igitur vel accepta à Deo bona, vel mala à se gesta afflictus consideret, nec pœnas quas patitur accusabit, nec à speranda misericordia lassesset, quæ etiam foueret si nulla beneficia præcessissent. Alioquin quomodo stabit illud, *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde?* vt Beatus Martinus indubitanter affirmat, qui captus à latronibus cum nil facie mutaretur, & requisitus an timeret, respondit, nunquam se tam securum fuisse, quia sciret misericordiam Domini maxime in tentationibus adesse. Beatus quoque Antonius cum à malignis spiritibus ita afflictus esset, vt nec vel illorum plagæ, vel illius constantia digne considerari posset, tandem portentis illis euanescentibus infusa cœlitus luce recreatus dixit, Iesu vbi eras hactenusque? & vox ad eum, Antoni hic eram, sed expectabam videre patientiam tuam.

H XL. Vt autem de protelatione precum adhuc aliquid dicatur, cum afflicti clamant, ex se quidem sæpe merentur audiri, sed tamen eorum preces ob meritum differuntur opprimentium, vt scriptum est, *Clamabunt & non exaudiet propter superbiam malorum.* ac si diceret, reatus persecutorum prohibet ne afflicti exaudiantur. Iustus quippe & misericors Deus & suos permittit temporaliter opprimi, & violentorum nequitiam immaniter augeri, vt dum iustorum vita purgatione tergitur, illorum nequitia compleatur. Plerumque etiam fideles in tribulatione deprehensi supernum solamen etiam temporaliter in tribulatione percipiunt, vt dum illos omnipotens Deus facto aliquo miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescit, vt inde aduersarios in æternum redimat vnde suos temporaliter saluat. Vnde Propheta ait, *Propter inimicos meos eripe me.* Quasi diceret, Propter me quidem eripi de temporali tribulatione non appeto, sed tamen eripi pro-

A

pter inimicos concupisco, vt dum me saluari mirabiliter viderint, ipso miraculi viso à sua duritia conuertantur. Nam qui inuisibilium fide non tenentur, moueri nonnunquam visibilibus miraculis solent. Sed iccirco super afflictos diuina virtus plerumque non agitur, quoniam, vt supra dictum est, afflictores eorum illuminari non merentur. Siue igitur propter aduersarios nostros, siue propter patientiæ nostræ probationem tribulatio protendatur, ab sperandam misericordia non lassemur, quia tunc probabiliter desiderium bonorum cum aliqua aduersitate eis resistitur. Probati vero melius exaudiuntur, quam videlicet probationem atque exauditionem inter angustias sicut Psalmista docet, dicens, *Exaudiui te in abscondito tempestatis*, id est, inter fluctus afflictionum probaui te apud aquam contradictionis. Cęterum vt Beat. Hieronymus in epistola ad Ephesios secunda perhibet, iuxta imbecillitatem homines postulant, quæ eis conducibilia videntur. At vero quantum ad rei ipsius pertinet veritatem, plus Deum tribuere constat quam rogatur, & preces nostras vinci affectibus: quia secundum id

B

quod oportet orare nescimus, & sæpè contra nos petimus æstimantes esse pro nobis.

XLI. Placuit quippe diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impijs quibus non excrucientur boni. Ista vero temporalia bona & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. In his autem bonis prosperis vel aduersis, quæ nunc vt diximus mixtim procurrunt, patientia Dei vel seueritas hac dispensatione disponitur. In prosperis namque patientia fouet bonos, & ad pœnitentiam inuitat malos: in aduersis vero seueritas ad patientiam erudit bonos. Interest autem plurimum qualis sit vsus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum rerum quæ dicuntur aduersæ. Nam bonus nec temporalibus bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem iccirco aduersitate punitur, quia fœlicitate corrumpitur. Interest ergo plurimum qualis sit qui

C

affligitur. Sicut enim si vnguentum & cœnum pari pulsu exagitentur, hoc suauiter fragrat, illud fœtidum exhalat: ita manet dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum. Et sicut sub igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tritura frumenta purgantur, paleæ comminuuntur, ita communis quælibet tribulatio bonos purificat, malos exterminat. Boni namque Deum laudant, se accusant mali, murmurant, & turbato regni statu quælibet flagitia quanto licentius, tanto frequentius effrænatiusque patrare solent. De bonis, qui peccata sua flagellis cognoscunt, & emundant, scriptum est, *Si fuerint in cathenis & vinciantur funibus paupertatis, iudicabit eis opera eorum, vt reuertantur ab iniquitate.* Qui iubentis Dei verba non audiunt, verberibus ferientis ammonentur, vt ad bonam vitam vel pœnæ trahant quos præmia non mutant. *In chamo & fræno*, inquit, *maxillas eorum constringe.* De malis vero qui non emendantur, illic sequitur: *Si non audierint, transibunt per gladium, & non consumentur stultitia*, id est, tribulantur quidem, sed quia non mutat Æthiops pellem suam, fiet quod superius in eodem Iob de eis dicitur, *mouentur sed non in sapien-*

D

tia. Grauis quippe stultitia eis est, quos iniquitas sic obligat, vt eos, à culpa nec pœna compescat: qui dum correptionis flagella contemnunt, necesse est vt tanto illic grauius iudicentur, quanto hic maioris prouidentiæ gratiam calcant.

XLII. Bonorum sane vel malorum diuersitas sacræ scripturæ verbis notatur, cum vtrisque sub nominibus maternarum, Babylonis videlicet, & Hierusalem fatetur. De istis namque dicitur, *Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea à te.* Et contra de illis, *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* De istis, *Castigabo te in iudicio, ne tibi videaris innoxia.* De illis, *Multo labore sudatum est, & non exiuit rubigo eius ex ea.* De istis, *Excoquam ad purum scoriam tuam.* De illis, *Versi sunt mihi in scoriam, & in plumbum.* De istis, *Super niuem dealbabuntur.* De illis, *Non mutabit Æthiops pellem suam.* De istis, *Sepiam viam tuam spinis, & non apprehendes amatores tuos.* De illis, *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* De istis, *Timebis me, & accipies disciplinam.* De illis, *Auersi estis auersione contentiosa.* De istis qui veri Dauid filij per adoptionem facti sunt, pro magno munere voce patris promittitur, *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, & iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* De illis, *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulterauerint.* Ista respondere tribulationibus, & conclamare cogitur. *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Sed Deus consolatur eam dicens, *Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Illa dicit, *Sedeo regina, & vidua non sum*, sed ei vox diuina dicit, *quo pulchrior es descende.* Et item, *sede in puluere, non est solium filiæ Chaldæorum.* Sunt & alia quamplurima huiusmodi, in quibus omnibus liquido patet, quod hæc, sicut in vita beati Martini legitur, sanctis omnibus, atque omnibus alijs ad percipiendum sint communia: sed his tolerandis

F

præcipuam semper iustorum fuisse virtutem. Dixeramus aliquid nos ad afflictorum consolationem relaturos. Sed forte quis dicet, In his verbis quæ consolatio est? Sed si more sanctorum, & non secundum forensem & habetem carnalium opinionem consolari quærimus, mira quidem, sed veraci assertione fatemur, quia non solum hæc verba, quibus ostendere nitimur, vt dulcis & rectus Dominus, misericorditer & iuste suos affligit, sed ipsa quoque tribulatio debeat pro consolatione haberi. An non est consolatio nosse, quod Deo disponente pateris, qui nos non nisi iuste percutit? An non & ipsa tribulatio consolabatur Paulum cum diceret, *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus?* & item de se, cum nequaquam pro illa sua ineffabili tribulatione nollet exultare. *Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus.* Et Iob hinc apertius, *Hæc mihi sit consolatio ut affligens me dolore non parcat.* Mos namque medicinalis est, vt sæpe feruorem viscerum per pruriginem cutis trahat, & plerumque inde curat interius vnde exterius sauciat. Ita nonnunquam diuinæ dispensationis medi-

G

camine agitur, vt exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, & flagellorum sectionibus repellatur, ea quæ occupare mentem poterat, interior putredo vitiorum. Caro enim nostra priusquam resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo mœrore afficitur, in reatum vitijs effrænatur. Siue igitur pro peccatis iam patratis ad hoc in præsenti plectimur ne in futuro puniamur, siue ad hoc affligimur ne in futurum scelera supplicijs digna in reliquum perpetremus, satis est vnde ipsas tribulationes gaudenter amplectamur, vel iudici nostro & medico in omnibus gratias agamus. Nec enim parui momenti est quod Apostolus non solum nos in tribulatione gaudere iubet, sed omne gaudium existimare, cum in tribulationes varias inciderimus. Quis autem nescit, quod multo sit melius duris seruitio hominibus subijci, quam blandientibus dæmonum spiritibus obijci? & tamen cum alto Dei iudicio iugo humanæ conditionis atterimur, in querelam prosilimus nimirum quia minus attendimus. Quod si nos nulla conditio seruitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus peius libera deseruiret. Hæc igitur

H

quæ toleramus, ideo grauia credimus, quia considerare negligimus à quanto hoste per flagellum liberamur. Hinc Deus ad Beatum Iob, *Memento*, inquit, *belli, nec vltra addas loqui.* Ac si hunc rei consideratione moneat, & à murmuratione compescat dicens, Si gladium aduersarij consideras, tanto te ad disciplinam patris, qui te externis cruciatibus ab interna passione liberat, exhibe tacitum, quanto te ad eiusdem hostis bella prospexeris infirmum. Alta quippe dispensatio iudiciorum Dei mira potentia præuidet, quoniam si quieti ac liberi famuli eius persisterent, tentationes aduersarij ferre non valentes, mentis vulneribus prostrati iacerent. Ob id igitur licet bene merentes sæpe vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibusdam impositis oneribus grauat, vel laboriosis occupationibus implicat.

His itaque verbis id suasum sit quod molestias quaslibet iccirco diuina dispensatione patimur, quatenus aut præterita peccata in nobis puniantur, aut futura prohibeantur. XLIII.

A His autem duobus consideratis, non murmurabimus, intelligentes quod benignus Iudex ab æterna pœna, quam merebamur, nos per momentaneam excusare velit, nec vllo modo vos derelictos putabimus, quippe cum ex ipsa flagelli experientia Dei prouidentiam ita nobis impendi cognouerimus, vt per hoc ipsum spes inesse possit, quod diligat quibus curam ne peccent adhibere dignatur, iuxta illud, *Ego quos amo, arguo & castigo.* siquidem omnes dum quibuslibet mentis & corporis molestijs afficimur, earumdem molestiarum causas nosse optamus, quatenus in eo quod dolemus, ea ipsa rerum accidentium notitia quoddam consolationis genus habeamus. Sed non est necesse iam vt singulis, in eo quod quisque doleat, Deus respondeat, quia sacrā scripturā condidit, in qua vnusquisq; si requirat causam suam inueniet. Verum vnum è pluribus proferamus, Paulus in infirmitate carnis tentatus audiuit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* In scriptura ergo sacra idcirco affligitur Paulus sigillatim, ne singuli nostrorum, B qui non audiunt hanc consolationem, audire competenter quæreremus. Hinc in Iob, *Semel loquitur, & secundo id ipsum non repetit*, nec ad omnia respondebit. Quasi diceret, Deus singulorum cordibus priuatim non respondet, cum fortasse causas angustiæ suæ singuli scire quærunt, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quæstionib. satisfaciat. Non itaque iam nostris cogitationibus aut afflictionibus per voces Prophetarum, aut per Angelorum officia Deus respondet, quoniam vna scriptura quicquid singulis potest euenire, comprehendit. Non enim dicit figmentum figulo, Cur me fecisti sic? Sed est quod dicat seruus & creatura, quod dicit filius & creator. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Sciendum tamen, quia sicut beatus Hieronymus in libro de Psalmis disputat, Si vnum corpus est Christus & Ecclesia, & si sunt duo in carne vna, necesse est vt modo pariter in passione vna, & cum transierint, sint in requie vna. Nam si passiones in solo capite, quod est Christus, quare membrum eius Paulus dicit, *Suppleo ea quæ desunt passionū Christi in carne mea?* Vniuersæ enim passiones Chri- C sti, qui passus est in capite, id est in se, & patitur in membris, id est in nobis, ab vnoquoque nostrum ferendæ sunt, & hoc quod patimur quasi ad communem reipublicæ functionem pro possibilitate virium nostrarum quasi canonem passionum inferentes exoluimus quod debemus. Alioquin si extra disciplinam fuerimus, cuius, vt ait Apostolus, participes erimus? Adulteri ergo, & non filij: & si disciplina caremus, consequens est vt hæreditate careamus. In nobismetipsis namque debemus transformare quod legimus, vt cum per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierit vita concurrat.

XLIV. Quamuis itaque nesciamus pro qua culpa ferimur, & quamuis nil mali si fieri posset nobis conscij fuerimus, tamen correptionem nostram nec iniustam nec superfluam credere fas est, nec omnino tristandum quia de beato legitur Tobia, quod non sit contristatus pro cæcitatis plaga, etiam cum ab infantia Deum timuerit. Ergo sit aliquis ita iustus, vt pro cæteris culpis nequaquam indigeat flagellari. Sed huic quoque illud considerandum est, quod ipso humanæ vitæ vsu quotidie veterascimus, & exterioris hominis impulsu ab interioribus per lubricam cogitationem D eximus. Nam sicut ex nihilo conditi sumus, per nos ipsos, nisi manu artificis nostri teneamur, semper ad nihilum tendimus. Tenet autem nos illa creatrix manus, cum vel ad amorem compungendo viuificat, vel ad timorem flagellando restaurat. Quod nisi fecerit repentino lapsu, mens tota veterascit, etiam quæ longo virtutis vsu innouata videbatur. Nonne scriptum est, *Visitatio tua custodiuit spiritum meū?* Visitatio, inquit, citius enim spiritus virtute nudatur; nisi aut per flagella, aut per compunctionis visitationem ab ipsius virtutis largitore custodiatur. Nec mirum si spiritus amaritudine, quæ carni contraria est custoditur, quandoquidem sibi inuicem aduersantur. Vt enim illa molli delectatione pascitur, sic iste amaritudine vegetatur: & sicut illam dura sauciant, sic istum mollia necant. Et inde in perpetuum spiritus moritur, vnde suauiter ad tempus caro viuit. Cuius curam nexus præponderat, si hic ab doctore disciplinæ destituitur. Iam vero carnalibus inionta, nec ipsa

E nostra destitutione vllatenus damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit, eo mens nostra in sensibilibus obdurescit, fitque miserabili modo tanto securior, quanto peior. Valde enim difficile est vt aliquis vel quæ iam commisit, vel defectum, ad quem subinde mens eius vergit, in prosperitate cognoscat. Quapropter ille qui fidelibus ex pietate pater fieri dignatus est, videns quod apud filios, quos ad regni cœlestis hæreditatem vocat, periculosa negligentia subrepat, non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. Si quis ergo iustus videtur, memoretur illius sententiæ iam supradictæ, *Iustus si fuero, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria.* Est autem & alia ratio, pro qua perfectiores, vt in primo libro de ciuitate Dei disputatur, iure cum infirmioribus; vel etiam prauis temporaliter flagellantur, quia videlicet non eos corripiunt, metuentes ne eorum gratiam offendat, aut ne bonæ famæ dispendium per illorum derogationes incurrant. Hanc ergo vitam cum eis amaram sentiunt; cuius amando dulcedinem transgressoribus amari esse negligunt. Quæ culpa maxime prælatos vel reuerendos quoslibet viros inuoluit, qui ad hoc in F Ecclesia diuinitus constituuntur, & graui reatu tenentur. Nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est, qui licet præpositus non sit, si in eis tamen, quibus vitæ necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda nouit, & negligit, deuitans eorum offensiones, propter illa quibus in hac vita non indebitis vtitur, sed plus quam debuit delectatur. Flagellantur ergo simul non quia agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam quam contemnere deberent, vt illi, si corrigi vellent, consequerentur cum eis æternam. Sane qui propterea non obiurgat, quia vel aptius expectat: vel metuit ne increpati deteriores fiant, & infirmos ad bonos peius noceant, hoc nō est negligentia vel cupiditatis occasio, sed consilium caritatis. Nā vt in XX. Moralium libro dicitur, Sancti viri cum vident quosdam sua verba despicere, dum eis diuinitus intelligunt deseri, gementes conticescunt. Vnde est illud, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Scriptum est, *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Tacent ergo viri Sancti, non vt eorum odium inueniatur, sed ne illi odiendo peiores fiant. G

XLV. Vt autem de negligentioribus dicamus, nos tanto magis flagellari indigemus, quanto & multa in nobis sunt æternis ignibus digna, & quanto ad alia committenda procliuiores sumus. Quippe inter ipsas angustias multipliciter superbire solemus. Hæc autem gemina nostræ afflictionis vtilitas in primo homine demonstratur, qui dum inter Paradisi delitias iustitiam seruare negligeret, Deus hunc foras expulsum per molestias emendauit: & coniugem, quæ pariter in percepto honore gloriata atq; deteriorata fuerat, vtili seruitute meliorem effecit. Sic & nos libertate superbos, delitijs impinguatos, & erga diuinam reuerentiam fastidiosos, iniurijs tradit, molestijs opprimit, vt anima crebris acta supplicijs cacumen superbiæ derelinquat, laboribusque ac molestijs innitens, ad hoc quod delectata perdidit reparetur. Ob hoc enim, iuxta Augustinum, contra Eden positus est, videlicet contra sedem delitiarum, vt significaret quod caro peccati in laboribus qui delitijs sunt contrarij, esset erudienda. Cum ergo Deus videt nos supernorum bonorum obliuisci, caducis inhiare, secutura sup- H plicia aut parum aut nihil formidare, quos gratuita bonitate respicere dignatur, eos vtique flagello interueniente corripit, & respiciens terram facit eam tremere. Dehinc vero crescente flagello amaritudinem, & districtionem æterni examinis cogimur considerare, & ad cor reducti de satisfactione cogitare. Tum vero lingua reatum loquitur, & mox quod animus prouidendebat, sponte confitetur, vt illi fratres Ioseph, quos ille non ludendo, sed argumentando sic adeo constringebat, vt tamen confiterentur. Merito hæc patimur quia peccauimus in fratrem nostrum. Hinc beatus Iob, *Loquar*, ait, *in tribulatione spiritus mei.* Quicquid spiritus loquitur in diuinis auribus, locutio est: quā locutionem tribulatio cōmonet, vt vox ad confessionem erūpat. Confessionem vero indulgentia sequitur, iuxta illud, *Dixi, confitebor, & tu remisisti.* Et cum in proprio reatu Dauid diceret, *peccaui*, & Nathan illico respondit, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*, sicut in XXXII. Moralium libro

A pethi... Qui se peccatorem intelligit, iam ex aliqua parte iustus esse inchoat, atque id quod non iustus fecerat, ex eo quod est iustus accusat. Nam licet ex merito peccati percutiatur, tamen si hoc ipsum iudicium, quod contra se agitur, iustum credit, & non murmurat, sed amplectitur illud, diuinæ voluntati in sua percussione coniungitur, & idcirco ab iniustitia sua iam eo correptus est, quo se vel iuste percussum gaudet, vel voluntati iudicis concordat in pœna, cui discrepauit in culpa. Magna igitur afflictionis vtilitas, per quam confessio reatus elicitur, quæ indulgentiam promeretur.

XLVI. Contra frequenter sunt filij Israel pro peccatis afflicti, & ad Deum redire compulsi. Nam vt de cæteris vicibus taceatur, aliquando cum Deum relinquerent, & Idola seruirent, Syriæ, Sidonis, Moab, & Philisthim, traditi sunt in manus illarum gentium ac per decem & octo annos vehementer afflicti. Qui tandem clamantes ad Deum dixerunt, peccauimus tibi. Quibus inter alia respondit Dominus, B *Non addam vt vltra vos liberem, ite & inuocate Deos, quos colitis, & ipsi vos liberent.* At illi, *Peccauimus* inquiunt, *redde tu nobis quicquid tibi placet: tantum nunc libera nos.* Mox ibi sequitur, *Doluit Dominus super miserias eorum, & liberauit eos, quia hæc in figura contingebant illis.* Dicamus & nos è contra Domino, aliqua tribulatione cingimur, Fac nobis in præsenti quicquid tibi placuerit, tantum in futuro liberes nos. Quia vero filiorum Israel meminimus, adhuc aliquid magnificentius ad misericordiam Dei commendandam ac tribulationis vtilitatem insinuandam, de eis audiamus quid per Ezechielem Dominus dicit, *Irritauerunt me domus Israel in deserto, & dixi vt effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos,* & quæ de hoc sequuntur. Quæ verba, vt beatus Hieronymus in IV. libro expositionis tractatos dicit, quæritur quomodo perfecerit eu quorum cadauera in solitudine corruerunt, & excepto Iesu Naue & Caleph, terram repromissionis nullus ingressus est. Ex quo intelligimus viuere eos, nec æternis supplicijs reseruatos, nec de libro viuentium esse deletos, nec ante faciem Domini C consumptos. Si enim ea re quod in terram repromissionis introducti non sunt, perijsse creduntur, ergo & Moyses perijt, qui in terram illam introductus non est. Alioquin preces eiusdem Moysi quomodo essent exauditæ, qui cum oraret vt dimitteret eis Deus peccatum suum, audire meruit, *Faciam secundum verbum tuum.* Sciamus igitur Dei sententiam in filios vel famulos non perditionem esse, sed emendationem. Hucusque Hieronym. Hinc per eundem Prophetam dicitur. *Viuo ego, dicit Dominus, non fiet cogitatio mentis vestræ dicentium, Colamus ligna, & lapides, quia in manu forti & brachio extento, & in furore regnabo super vos, & subijciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.* Quæ ergo maior vtilitas, quam vt per infusum furorem prohibeantur colere lapides, & ligna, & inducantur in vinculis fœderis & amicitiæ Dei?

XLVII. Mirum quomodo pro conseruanda morum probitate necessariam esse exteriorem disciplinam Scipio, licet paganus, intellexerat, qui Carthaginem Romanis infestam ob hoc nolebat dirui, quo posset ab eisdem Romanis teneri. Sciebat enim infirmis animis periculosam esse securi- D tatem, & terrorem tanquam pupillis necessarium esse tutorem. Quod re ipsa probatum est. Deleta quippe Carthagine tanta mox de prosperitate mala exorta sunt, vt & seditiones, & ciuilia bella, & sanguinis effusiones, & rapinæ tam crudeliter fierent, vt Romanus populus peius à suis ciuibus, quam à Carthaginensibus hostibus vastaretur. Hanc animorum labem, quæ de secundis rebus nascitur, hanc prosperitatis & honestatis euersionem isdem Scipio euenire metuebat: quando iustabat ne theatrum Romæ construeretur. Sciebat enim ciues facile per ciuitatem posse corrumpi, & idcirco ludendi occasionem volebat inhiberi. Ergo si ille sic, nobis quid agendum est, qui reuelata iam gratia speculamur quæ æterna sunt, qui viuere iubemur ea fide, qui diligentibus Deum omnia nouimus in bonum cooperari, qui ... imus nihil fortuitis casibus geri, sed cuncta diuinitus ordinari. Si horrescit caro disciplinam, persuadeat caro cõstantiam. Sic enim cum morbos pellere cupimus, tristes quidem amarum poculum sumimus,

E sed certi de subsequẽti salute gaudemus. Quia enim ad salutem peruenire corpus aliter non valet, in potu bibit etiã quod tędet. Cumque amaritudinem esse vitã animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. Quod enim per flagellum & præsentia peccata purgentur, & futura prohibeantur, Salomon ostendit, dicens. *Liuor vulneris abstergit, mala & plagæ in secretioribus ventris.* Ventris nomine mens significatur, quia sicut venter cibis extenditur, ita mens prauis cogitationibus subleuata dilatatur. Plagæ vero in secretionibus ventris angustiæ sunt, quæ de exteriori afflictione generantur. Abstergentur igitur mala, & liuor vulneris & plagæ in secretioribus ventris, quia disciplina exterior culpas diluit, & extensam prauis cogitationibus mentem compunctio vel amaritudo æternę percussionis transfigit. Sanctus Hieronymus in Epistola ad Rusticum, refert quendam adolescentem in Cœnobio fuisse, qui nulla abstinentiæ vel operis magnitudine flãmam poterat carnis extinguere, quem pater Monasterij seruauit hac arte. Cuidam de senioribus F imperauit, vt hunc ex industria crebris iniurijs fatigaret, quẽ anno iam taliter expleto Pater pristinas cogitationes interrogat. At ille, Viuere, inquit, mihi non licet, & fornicari liberet. Hic itaque lasciuia mergi poterat, si loco tribulationis non ligaretur.

XLVIII. Et quid plura? quod nonnunquam periculosa prosperitas sit, sacra scriptura & verbis & exemplis frequenter inculcat, vt illud, *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et item. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* Exempla vero multa sunt, sed vt de reprobis taceamus, quantum ipsis electis, quibus omnia cooperantur in bonum, nocere soleat, Rex Dauid ad medium deductus ostendat. Hic namque, sicut in Pastorali dicitur, conditoris iudicio pene cunctis actibus placens, mox vt pressuræ pondere caruit, in timorem vulneris erupit, factusque est in morte viri crudeliter rigidus, qui in appetitu feminæ eneruiter fuit fluxus, & qui malis ante nouerat pie parcere, in bonorum quoque nece post didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehensum præsumptorem noluit, & post G cum damno decindantis exercitus etiam deuotum militem extinxit: quem profecto ab electorum numero culpa longius traheret, nisi hunc ad veniam flagella reuocassent. Nouerant sancti vtique quam periculosa prosperitas sit, qui aduersitatem, cum forte deerat, precibus implorabant, vt prædictus Dauid cum diceret, *Proba me Domine, & tenta me.* Item alius, *Ingrediatur putredo in ossibus meis.* Et alius, *In flagello positum, qui capit ipso me conterat.* Item alius, *Argue me Domine, sed non in furore tuo.* Item alius, *Domine*, inquit, *tu propitius fuisti eis.* Vnde eis propitius fuerit manifestat cum dicit, *Vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, id est puniens in præsenti quicquid per humanam fragilitatem peccauerunt. Nos ergo flagellis cincti quamuis ex parte carnis contristemur, tamen spiritu lętemur, afflictionis vtilitatem cõtemplantes. Alioquin ipsa natura nos instruat, quod debeamus hanc vitam in mœrore expendere, & in sequenti gaudium spectare. An non innuitur hoc cum paruulus quisque in hanc lucem nascens primam vocem emittit plorans, ridere vero, vt beatus Augustinus in libris Cõfessionum perhibet, dormiendo discit, vt quia per somnium mota, & per risum lætitia solet signari, dum ipsum ingre- H diens mundum ploret, dormiens autem ridet, hoc per ipsam naturæ legem demonstratur, quod vt scriptum est, *Homo nascitur ad laborem, & cum dederit dilectis suis somnum ecce hæreditas Domini.* Et item. *Timenti Dominum bene erit in extremis.* Peccator quilibet in p̃senti fœlicitate exultitur sed vt scriptũ est, *In nouissimo arctabuntur gressus eius.* Sed timenti Dominum in nouissimis bene erit, quoniam, vt euem dicitur, *Os istorum implebitur risu, & gaudium illorum nemo tollet ab eis.* *Quod in præsenti est*, inquit Apostolus, *momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Solus Zoroastres ante ploratum risisse fertur, pessimo siquidem prodigio. Siquidem ipse fuit magicæ artis inuentor. Cæterum, vt ait beatus Hieronymus, inter miserias huius temporis, iuxta sæuientes vbiq; gladios satis diues est qui pane non indiget, nimiumque potens ille, qui seruire non cogitur.

Quisquis pręsentẽ gloriam diligit, sicut eius præceptio- XLIX.

ne

ne reficitur, sic amissione proculdubio sauciatur. At contra, quisquis degustat gaudium quod intus permanet, leue protinus æstimat omne quod foris dolet. Hinc scriptum est, *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* Qui igitur exteriora appetit, cum hæc apud eum qualibet occasione turbantur, aut eum nolenti etiam subtrahuntur, cæca cogitatio suscipit, & calamitas, quæ momentaneam lætitiam licet mox transitura, concutit, quasi infinita deflectur. Qui ergo non vult externis doloribus affici, studeat ipse cœlestium ab infimis eleuari. Sed quia tales nos non sumus, qui vel contemplatione cœlestium terrena contemnamus, vel gaudio manipulorum, qui de semine tribulationis metuntur, temporales angustias saltem experiri velimus; iccirco nos Deus velut quidam prouidus pater puerum & lasciuientem filium per minas afflictionis ad meliora & saluti viciniora compellit. Quod bene Israelitico populo Moyse vocante, & Pharaone rege sæuiente signatum est. Tunc nanque Moyses ad vocandū missus est, cum iam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus, vt Israelitarum mentes Ægypto deforiter inhærentes alius dum vocaret quasi traheret, alius quasi cum sæuiret impelleret, plebs in seruitio turpiter prouocata bonis vel malis impulsa moueretur. Hoc quotidie agitur, dum prædicatis cœlestibus præmiis sæuire in electis reprobi permittuntur, vt si ad repromissionis terram exire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur. Hæc itaque causa est, quod ab iniustis iusti sinuntur affligi, scilicet vt dum futura audiunt bona quę cupiūt, patiantur etiam mala præsentia atque perhorrescant, atq; ad facilitatem exitum, dum amor prouocat, cruciatus impellat. Solent nonnulli viatores, cum amœna prata in itinere forte conspiciunt, mutas innectere, & pulchritudine delectati ad deuia declinare. Vita nostra præsens via est, qua ad paradisum tendimus. Hac ergo præsenti requie velut itineris amœnitate pasti, quia magis diu pergere quā citius peruenire delectat, secreto Dei consilio frequenti perturbatione atteremur, ne viam pro patria diligêtes obliuiscamur quo tendere debemus, & ob hoc sicut in vicesimo tertio Moralium libro dicitur, in cuiuslibet ordinis loco vel in cuiuslibet secreti recessu maneamus. Viuere sine tentationibus vllo pacto non valemus. Non ergo negligentiam putes quod affligimur. Quod vero nos consolationis gratiam lōganimiter sustinemus, mali in peius proficiunt, neque hoc otiosum credas. Illi enim dum ad semetipsos considerandos non redeunt, dum nullus disciplinæ metus obuiat, nulla iudicum potestas adest, quæ restringat, nulla futuri iudicij pœna prospicitur, quæ terreat. Mala temporalia quidem clauso oculo cordis securi perpetrant, bonos autem rebus exspoliant, aut etiam perimūt. Sed districto certè iudicio cum eis agitur, vt tanto acrius æterna damnatione feriantur, quanto nunc quod male cōcupiscunt effrenatius permittuntur. Cum afflictis vero misericorditer fit, vt hic eorum culpæ purgentur, quos reproborum, nequitia trituræ more quasi grana à paleis terendo separat, dum per ea quæ violenter ingerit, festinare eos ad superna compellit.

Quia vero granorum atque trituræ meminimus, videtur vt de vsu quoque segetis adhuc quod ducimus astruendum aliquid assumamus. *Dei*, inquit Apostolus, *agricultura estis.* Quod si ita est, ergo de hac exemplum sumamus. Frumentum quippe in segete sola tangitur, illud pluuias percipit, hæc veritatis eloquio pinguescit. Illud ventis concutitur, hæc tentationibus exercetur. Illud seculi crescentes paleas portat, hæc nequam vitam sceleratorum portat. Illud tritura premitur, paleis cauitur, hæc cœlesti disciplina flagellatur, vt à societate carnalium corde separetur. Illud relictis paleis ad horreum refertur, hæc foris remanentibus reprobis in Domini sui gaudium intromittitur. Vnde electo populo in Iob dicitur. *Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut aceruus in tempore suo.* Tempus reproborum in hac vita est, electorum in sequenti, sicut eorum Caput dicit, *Tempus meum nondum aduenit.* De illis vero, *Tempus autem vestrum semper est paratum.* Sepulchrum ergo in tēpore suo, sicut frumenti aceruus, iustus quilibet in tempore suo infertur, quoniam ille futuram requiem percipit, qui prius hic velut in tempore alieno pressuras disciplinæ corrigendus sentit. Aristę vero vel paleæ per hoc falsos fratres significant, quod in eadem spica velut in vna fide cum grania crescunt. Quæ nunc superiores sunt, quia bonis frequenter præualent: erectæ sunt, & ab inuicem diuisæ, quia mali superbiunt, & inter eos semper iurgia sunt. Attamen super grana mutuo se tangunt, quia in oppressione bonorum sibi concordant. Hispidæ sunt, & fragiles, quia ad corripientem quasi tangentem intractabiles existūt, vtq; a vero mox cedunt. Mira autem dispensatione fit, vt dum hic nos post perceptionem cœlestis gratiæ pro peccatis nostris affligūt, quasi messem post pluuias in herbis male pullulantem, vt in grano fœcundior exuberet, gelu restringit, vt à fluxu voluptatis exerceant, & in fructu mercedis æterni fœcundiores reddant. Eant ergo nunc satellites diaboli, & in spica Dominicæ messis altiorem locum quasi aristæ teneant. Certe quia in horrea nec vltimum retinebunt, sint & nunc hispidi, & excusationis spinulas contra malum redarguentis opponat. Veniet profectò iudex, qui personam non accipit, quem iugiter in suis pusillis affligūt. Veniet virga ferrea, qua gentes regit, qua aristas comminuet, & paleis ad ignem traditis grana sibi recondet.

Multa iam contra murmurationem vel desperationem prolata sunt, & iccirco dum nota replicantes vestra vobis ingerimus, timemus ne in flumen frustra iactare stillam arguamur, concite quod restat explicemus. Itaque sciendum quod non solum præcepto, sed & pluribus exemplis ad tolerantiam multipliciter informamur. Vniuersitas quippe electorum, quam, vt Esaias vaticinatur, puer paruulus, id est humilis Iesus, ad supernæ stationis caulas flagellando, quasi minis agendo, per arctam viam ducit, dum hic viuit aduersa perpetitur. Quos ergo specialiter proferemus, cum omnis electorum multitudo exemplum sit? De quibus Apostolus, vt iam diximus, *Habentes*, inquit, *tantam impositam nubem testium per patientiam curramus.* De qua nube Iacobus: *Exemplum*, ait, *excipite fratres exitus mali & longanimitatis, laboris & patientia, qui locuti sunt Prophetæ in nomine Domini.* Ac si diceret, vt ea quę vobis contingunt patientius toleretis, videte quod illi qui tam sancti erant, vt per eos Deus loqueretur, durum exitum habuerunt. Quicunque enim Deo cariores extiterunt, semper duriora senserunt. Libet tamen duos, vnum de veteri testamento, alium de nouo ad medium referre, Iob scilicet & Ioannem, quos quidem cum incomparabiliter laudatos, & tamen tam crudelia passos fuisse reuoluerimus, quid de reliquis æstimandum sit aptum aduertimus. Iob itaque, de quo dictum est, *nō est similis ei in terra*, cum tot rerum damna sustineret, cum tot funeribus pignorum percussus doleret, cum tot vulnera toleraret, non in munda, sed in sterquilinio sedisse describitur. Quod iccirco fit, vt ex fœtore loci commoneretur, quia feliciter corpus eius ad fœtorem rediret. Ad radendam quoque saniem non digitos, non vestem adhibuit, sed testam: quo facto monstraretur, quomodo corpus suum sanum despexerit, qui etiam percussum neglexit. Sed ecce, dū B. Iob vulnera cruciatusque considero, repente mentis oculos ad Ioannem reduco, & non sine grauissima admiratione perpendo, quod ille propheticæ spiritu intra matris vterum repletus, atque vt ita dixerim, priusquam nasceretur renatus, ille amicus spōsi, ille quo inter natos mulierū maior nemo surrexit, ille sic propheta, vt plus etiā sit q̃ Propheta, ab iniquis in carcere mittitur, & vir tantæ seueritatis pro risu turpium moritur. Quid est ergo, quod Iob Dei testimonio præfertur, & tamen plagis vsque ad sterquilinium sternitur? Quid est, quod Ioannes Dei voce laudatur, & tamen pro temulentis verbis in saltationis præmium moritur? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc mundo despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit; nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam iccirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo eos remuneret in summis; & foras vsque ad despecta deijcit, quia intus vsq; ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo vnusquisque colligat quid illic sint passuri quos reprobat, si hic patiuntur sic quos amat: aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice teste laudantur.

A Inter omnia vero nostræ consolationis genera, singulariter illud præcedit, quod benignum conditorem nostrum
LII. nobis in condescendere sua benignitate, vt ita dicam, benignitas adegit, vt cum omnia quæ peccatori homini salutaria sunt, indulgeret, cuncta pariter quæ eidem homini pro peccato debentur, ex sola compassione sustineret. Non enim indigebat homo solúmodo redimi, sed etiam qualiter post redemptionem ei viuendum sit edoceri. Venit igitur ad fugitiuum suum, vt retineret nostris visibus se se ingessit, qui si nihil amplius fecisset, & in hoc tamen, quod in terris visus est, multum se humiliaret. Nam quia omnes, qui de Adæ stirpe progeniti studebant prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi, ille contra nouus homo veniens, nouamque vitam tenens, fugit quod omnes appetunt, & appetijt quod omnes fugiunt. Quia vero duæ vitæ sunt, præsens & futura, quarum vnam noueramus, alteram nesciebamus, & huc humanum genus huic soli quam nouerat
B intendebat, hanc nobis cognitam ideo suscepit, vt illam, quæ erat incognita, demonstraret. Vt autem hanc contemptibilem esse, & illam appetibilem ostenderet, in ista neque prosperari neque diu stare voluit, sed ad illam patiendo migrauit, & dicit. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Exemplo suo nos docens, quod hæc vita nostra non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Itaque propter illud singulare præsidium, quod nos fuso sanguine redemit, illud præstantissimum iudicetur, quod nos tanto pere ad pœnitentiam roborauit. Ad quod videlicet inculcandum, & ea spreuit quæ magna mala imperiti putant, præsertim cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret. Hoc ergo consideremus, quod & peccatorum nos punctionibus saluans spinis caput supponere non recusauit, quod æterna nos dulcedine inebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit. Quod qui pro nobis patrem quamuis esset diuinitate æqualis, adorauit, sub irrisione adoratus tacuit, quod vitam mortuis præparans vsque ad mortem ipsa vita peruenit. Cur itaque asperum creditur, vt à Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta
C Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis, vt hunc ad amissam beatitudinem reuocaret? Vnde Propheta: *Alienum opus eius, vt faceret opus suum*. Opus enim eius est saluare quod creauit, flagellari autem opus est hominis peccatoris, non eius qui peccatum non fecit. Suscepit igitur alienum opus, id est flagella, quatenus ita saluaret creaturam suam, quod est opus eius.

LIII. Excitati ergo tot vocibus præceptorum, adiuti tot comparationibus exemplorum, amemus Dei iudicium: certi quod in humilibus amaritudo præsentis angustiæ extinguit supplicia permanentis iræ. Nos ergo quamuis flagellis cincti, quamuis pro parte carnis contristemur, tamen in spiritu lætemur, vtilitatem afflictionis contemplantes. Et orandum quidem pro afflictoribus est. Attamen si non resipuerint, cum, iuxta Isaiam, deprædationem consummauerint, præda dæmonum erunt. Et sicut in Septuaginta legitur, afflictos etiam de illorum interitu vox diuina consolatur dicens, *Va qui vos miseros faciunt, quia reprobabuntur*. Item in eodem Propheta, *Ad punctum & in modico dereliqui te, paupercula, tempestate conuulsa, absque vlla consolatione, sed in miserationibus multis miserta sum tui, & tuli de manu tua calicem soporis & indignationis meæ, & ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt. Tu autem non adijcies, vt bibas illum vltra*. Et item, *Egrediemini, & saltatis, & calcabitis impios, cum*
D *fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum*. Nam vt quidam pijssimus pater, cui dilectus filius occisus sit, si forte occisorem & gladium repererit, occisorem cum eodem gladio trucidat, ipsum vero gladium, cum quo filius perierat, particulatim comminuit: ita amator hominum Christus à suis quidam absterget omnem lachrymam, tortorem autem illuc proijciat, vbi sit fletus & stridor dentium, afflictorum vero malleum ita conteret, vt hunc à suis penitus auferat, & tantum pondus eius in illos returqueat. Vnde & afflictæ familiæ blandiens per Prophetam dicit, [illegible] *iuraui Noe, vt vltra non inducerem aquas diluuij, sic & tibi, vt non increpem te amplius*. At vero qui aduersum filium matris suæ ponit scandalum, comminatur dicens, *Arguam te*

& statuam, subaudis, ea quæ fecisti *ante faciem tuam*. Ista cum viderit Deum deorum in Sion, portans in exultatione manipulos quos in lachrymis seminauit, lætabunda clamabit, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. De afflictoribus vero sub specie Babylonis matris eorum dicitur. *Quantum exaltauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Non itaque glorietur fumus si exaltatur, id est, inimici Domini si præualent, quia fumus ascendendo facit vt non sit. Et istorum voce dicitur, *Eleuans allisisti me*. Pusillo autẽ gregi suo dicit Spiritus sanctus, *Fili, noli deficere à disciplina Domini, &c.* Et item per Apostolum. *Quis enim est, quem non corripit pater?* Et in eodem, *Patres carnales habuimus, & reuerebamur eruditores eos, non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus*. Quapropter paterna flagella delectabiliter, vt ita dicam, non mordeant, suauiter excrucient, hilariter contristent, quoniam si compatimur, & conregnabimus. Paterna vero flagella dixerim, quia licet magnum sit cuiquam vocari seruum Dei, tamen afflicti, vt ait Hieronymus, non vocantur serui, nec amici quidem, quod maius est, sed quod præstantissimum est, filij vocantur, & etiam dilecti. *Flagellat*, inquit, *omnem filium quem recipit*, & quod sequitur, vt in Iob perhibetur, *Beatus vir qui corripitur à Domino*. Licet enim conuenire simul non queant beatitudo & dolor, tamen quia salutis argumentum est, vi doloris correptus recte dicitur beatus, quoniam per hoc quod exterius affligitur interius viuit. Vt igitur in octauo Moralium libro beatus Gregorius astruit, spes ista vos maneat, quoniam quantum in necessitatibus præsentis temporis de libertate in Dei filijs nihil apparet, tantum in futura libertatis gloria nihil in eisdem Dei famulis de seruitute patebit. E

F

DE BEATO MARTINO ANTIPHONAE XII. à sancto Odone Cluniacensi Abbate edita.

SAnctus Martinus obitum suum longè ante præsciuit, G
qui & discipulos in vnum congregauit, atque sui dissolutionem imminere prædixit. I.

Cum repente viribus corporis cœpit destitui, tunc mœror & luctus omnium, vox plangentium, vnaque precantium, ne pastor oues deseras. II.

Scimus quidem te Pater desiderare Christum, sed salua sunt tibi præmia tua, nostri potius miserere quos deseris, Pater. III.

Domine iam satis est, quod hucusque certaui, sed quoad ipse iusseris militabo ac si parcis ætati, bonum est mihi, hos quibus timeo, ipse custodias. IV.

Artus febre fatiscentes, spiritui seruire cogebat, stratuque suo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre iam dignatus, cœlo totus inhiabat. V.

Sinite, inquit, cœlum videre, vt spiritus dirigatur ad Dominum, nihil in me reperiet inimicus, sed sinus Abrahæ me suscipiet. VI.

Media nocte Dominica sanctus discessit, cui cœli ciues mox obuiant, multi audierunt voces in sublimi. qui & vitro purior, lacte candidior, carne quoque monstratus est gemma sacerdotum. VII. H

Glorificati hominis viderunt gloriam qui affuerunt: nam caro quam cinis semper obtexerat, ita resplenduit, vt quoddam resurrectionis decus & extincta proferret. VIII.

Adest multitudo monachorum ac virginum, hi speciali gloria præcipue flebant, cum sentirent magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret. IX.

Exequiæ Martini non dicantur funeris, sed triumphi: nam greges suos qui ductu eius mundum vicerant, agebat ante se pastor extinctus, qui corpus ad sepulchrum sequentes psallebant & flebant. X.

Martinus signipotens, fulgore virtutum ipsa reuerberat astra, hic diuersa multorum compleuit vnus, vnde & Apostolis ac Prophetis, pace sanctorum omnium, consertus est. XI.

O vere

A XII. O vere beatum, ô ineffabilem, pietate, misericordia, charitate! quarum vt visceribus semper totus affluebat in Domino, sic non desit nobis, non desit in æuum.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS VERSVS ET HYMNI.

De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, Versus.

COnuiuas epuli mundos Deus esse superni
Vt docet †, & seruis Dominus vestigia lauit. † Edocet.
Muneribus variis, & pluribus inde reiectis,
Frumentum & vinum cunctis hoc protulit vnum.
Hoc sacrat, hoc minimum, quod fit breue, quod nimis altum,
Tam modicum sumptum, tam facile atque paratum;
B Tam sublime tamen quod totam habeat deitatem,
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod fit de pluribus vnum
Corpus hinc capiti, caput inde cohæret & illi;
Hoc genus, hoc vnum placet, hoc durabit in æuum,
Hoc facile est, nitidum, simplex, deitate que plenum.

De B. Maria Magdalena, Hymnus.

LAuda mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam:
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.
Maria soror Lazari
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitæ præmia.
Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala;
In vas translata gloriæ
C De vase contumeliæ.
Ægra currit ad Medicum
Vas ferens aromaticum:
Et à morbo multiplici
Verbo curatur Medici.
†Contriti cordis punctio
† In Eluc. Eccl. hic quaternari⁹ postponitur sequenti. Cum lachrymarum fluuio,
Et pietatis actio,
Ream soluit à vitio.
Surgentem cum victoria
Iesum vidit ab inferis;
Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebit cæteris.
† Soli. Vni † Deo sit gloria
Pro multiplici gratia:
† supplicia Qui culpas & flagitia †
Remittit & dat præmia. Amen.

De S. Martino Turonorum Archiepiscopo, Hymnus.

D REx Christe Martini decus
Hic laus tua, tu illius:
Tu nos in hunc te colere,
Quin ipsum in te, tribue.
Qui das per orbis cardines,
Quod gemma fulget Præsulum:
Da quo, premunt culpæ graues
Soluat perungens meritum.
En pauper hic & modicus,
Cœlum diues ingreditur:
Cœli cohortes obuiant,
Linguæ, tribus, gentes, ouant.
Vt vita, fulget transitus,
Cœlis & arno splendidus:
Gaudere cunctis pium est,
Cunctis salus sit hæc dies.
Martine par Apostolis, E
Festum colentes tu foue;
Qui viuere discipulis
Vis, aut mori, nos respice.
Fac nunc quod olim gesseras,
Nunc † Præsules clarifica: † Tu.
Auge decus Ecclesiæ,
Fraudes relide † Sathanæ. † relega.
Qui ter chaos euiceras:
Mersos reatu suscita:
Diuiseras vt chlamydem,
Nos indue iustitiam.
Vt specialis † gloriæ † spiritalis gratiæ.
Quondam recorderis tuæ:
Monastico nunc Ordini
Iam pene lapso subueni, Amen.

Finis Operum S. Odonis Abbatis.

PRÆCEPTA DVO, LVDOVICI IV. R. F. ET CHVONRADI IMP. F
de quibusdam Ecclesiis, & Locis, Cluniacensi Cœnobio concessis, tempore sancti Odonis Cluniacensis Abbatis II.

PRAECEPTVM LVDOVICI FRANC. R. DE Salustriaco, Chauinys, Piscatura Osa, Camberiaco, Sauigniaco, & Amberta. MS. Ann. 939.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, LVDOVICVS pacificus, augustus & inuictus gratia Dei Rex. Sicut certum est, quia Deus potentes non abiicit, sine quo potestas non est: ita quoq; liquet, quod Potentum opera interrogabit, & ob hoc nobis summopere curandum est, vt cum vel prodesse, vel obesse, ipso disponente, possumus, nostrum posse sub eius nutu penitus subigêtes, quod honori sanctæ eius Ecclesiæ proficiat certatim faciamus. Quapropter cunctis tam Regibus, quam reliquarum dignitatum personis præsentibus vel futuris notum sit, quod petiit à nobis quidam fidelis noster Hugo filius Richardi vir illustrissimus, & Marchio, quatenus quoddam Monasterium nomine CLVNIACVM, quod à WILLERMO viro magnifico in honore primorum Apostolorum, PETRI videlicet & PAVLI, per manus BERNONIS cuiusdam reuerendi Abbatis constructum est, per hoc nostræ authoritatis Præceptum, sicut ab antecessoribus anctum est, & per priuilegia Apostolica ab omni inquietudine vel dominatu omnium hominum absoluamus, sit vero ipse locus, iuxta quod ipse Willermus sub terribili & magna adiuratione constituit, & Apostolicæ sedi per Testamentum, ad tuendum, non ad dominandum subiugauit, ab omni seculari dominatu tam Regum, quam cunctorum Principum, seu propinquorum eiusdem Willermi, quin & omnium hominum penitus liber & absolutus. In ordine vero Monastico persistat, & secundum tenorem Testamenti, quod inde fecit, administret: habitatores autem in ordine regulari degentes, Abbatem sibi secundum Regulam S. BENEDICTI de semetipsis post ODONEM, qui nunc præest, eligãt. Res quoque suas communes, quas vel nunc habent, aut in futuro adquisituri, sine nostra scilicet libertate †, siue quorumlibet largitione, sunt, sine cuiuslibet dominatione, aut contradictione possideant. In nundinis nullum teloneum soluant. Homines eorum liberos se seruos nemo sine ipsorum voluntate distringat. Decimas suas indominicatas ad hospitale habeant. Ecclesias vero suas, cum omnibus suis decimis, sicut per priuilegium Romanum, & per scripta Episcoporũ adquisierant, teneant, & possideant. Cortes vero quas per præcepta antecessorum nostrorum, siue aliorum Regum adquisierunt, inconuulsas teneant, ac possideant. Nominantur autem ipsæ cortes in Matisconensi pago Salustriacus, & Chauinias, & tertia pars piscinæ, cui vocabulum est Osa, cum mansis & piscatoribus ad ipsam partem

Marginal notes (right): EXCHAR. CLVN. CHARTA CXL. — G — H — † forte liberalitate.

partem pertinentibus. Et in Lugdunensi pago Camberiacus & Sauigniacus ex parte Hugonis ac Lotharij Regum. Item in eodem pago Ambetta, quam Bernardus à Ludouico Imperatore, per Præceptum adquisiuit. Prædia nihilominus seu possessiones, atque aloda quæ prædicto Monasterio à diuersis personis, Christique fidelibus, suis temporibus condonata sunt, in quibuscumque pagis vel Vicarijs constiterint, cum omnibus suis appendicijs iure suo perpetualiter vindicent. De siluis, vbi partem habent, & terris, nullus, nisi per ipsorum voluntatem terraticum accipiat. Secundum sane excommunicationes Apostolicorum, quæ priuilegijs insertæ sunt, & secundum contestationem quam præfatus Willelmus imprecatus est; Nos quoque in Christi nomine præcipimus & contestamur, vt nunquam alicui mortalium, Regi videlicet, Episcopo, vel Comiti quolibet pacto subijciatur, sed iuxta traditionem, quam nostris diebus tenere videntur, eis viuere liceat. Quod si exorbitauerint, indicio Dei, siue Regulæ correptioni reseruentur, & donatio Deo & Sanctis eius facta nullatenus rescindatur. Quod verius vt credatur, diligentiusque ab omnibus obseruetur, manu propria roborantes, de annulo nostro subter annotari iussimus.

Signum Domni LVDOVICI gloriosissimi Regis.

Gerardus Notarius ad vicem Artaldi Episcopi recognouit.

Actum in Querceto iuxta Dociacum villam super fluuium Carum, XII. Kal. Iul. Indict. XII. anno IV. regnante LVDOVICO Rege, in Dei nomine feliciter, Amen.

An 943.

Præceptum Chuonradi Regis, de Tusiaco in pago Lugdunensi. M S.

Ex cod. Chart. Charta cxlviii.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, CHVONRADVS nutu omnipotētis Dei serenissimus Rex. Conuenit vnumquemque nostrûm Ecclesiæ Dei pro se, suisque omnibus Deo fideles sublimare ac subuenire, quatenus nouerit omnium fidelium nostrorum memoria præsentium ac futurorum, Qualiter Hugo Comes consanguineus noster adijt regiam magnitudinem nostram, vt hoc quod nobis reddit, videlicet THOISIACVM villam in pago Lugdunensi, & quicquid ad hanc legitime pertinere videtur, terras, vineas, prata, syluas, aquas, aquarumque decursus, piscatorias, omnes seruos vtriusque sexus, pro nostro Seniore bonæ memoriæ RODVLFO Rege, & remedio animæ nostræ ad Monasterium CLVNIACVM, quod est constructum in honore beatorum PETRI & PAVLI Apostolorum per Præceptum secundum morem regium concederemus; quod & fecimus. Volumus namque, ac firmiter decernimus, vt super insertus locus omnem obtineat vigorem, & quicquid hic aspexerit ad super memoratam villam, cum omnibus suis adiacentijs, & appendicijs quæsitum, & adquirendum, totum & ad integrum, sine vllo obsistente & contradicente. Vt autem hoc nostrum Præceptum ab omnibus obseruetur, & à nemine vmquam violetur, manu propria firmauimus, & de sigillo nostro confirmare iussimus.

Signum Domini CHVONRADI pijssimi Regis.



Data viiij. Kal. Maij. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCCXLIII. anno .... regnante domno CHVONRADO Rege filio Rodulfi feliciter. Amen.

EIVSDEM SANCTI ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBRI XXXV.

Nunc primum è vetere M.S. eruti, ac in lucem editi,

Studio & diligentia Domni MARTINI MARRIER, *Monasterij S. Martini de Campis Paris. eiusdem Ordinis Monachi Professi.*

LECTORI.



SAnctiss. Odonis Cluniacensis nostri Antistitis secundi Opus in Iobum habenti in publicum edere, illud breuiter de sensibus quibus Sancta Mater Ecclesia Catholica sua sensa conceptusque suos non vno modo suis aperire, enucleare, eosque docere solet, ea potissimum ratione perstringendum est, quod instar Magni illius Gregorij suum hocce scriptum MORALIVM titulo donauerit, in quo præter Moralem, Allegorico, Typico, Tropico, Mystico, & alijs id genus vtitur sensibus. In ipsa igitur Scriptura sacra octo numero sensus præcipue commendari proprijssimis locis comperiuntur, scilicet

Literalis, vel Historicus,
Allegoricus, vel Parabolicus,
Tropologicus, vel Etymologicus,
Anagogicus, vel Analogicus.
Typicus, vel Exemplaris,
Anaphoricus, vel Proportionalis,
Mysticus, vel Apocalypticus, & Vltimus
Boarcademicus, vel Primordialis.

Quorum exempla & loca sequuntur. Et vt melius intelligantur, ex vno loco Scripturæ pro omnibus est etiam necesse illos confirmare, expresso eiusdem Scripturæ testimonio ex alijs locis. Locus igitur ille in quem nobis sunt isthæc omnia exempla reducenda, est Pauli ad Galat. cap. quarto, vbi dicit. *Hæc autem dicta sunt per Allegoriam.* Iam ergo ex illo loco duos habemus sensus expressos, primum Literalem; secundum Allegoricum. Est autem Allegoria perpetua & continuata Parabola, quando scilicet vnum dicitur, & aliud intelligitur. Illi duo sensus probantur ex tertio Ioannis, vbi dicit. *Scrutamini scripturas.* Est enim ibi commendatio sensus literalis. Allegoricus autem probatur ex plerisque Prophetarum & Euangelistarum locis, vbi dicitur. *In parabolis aperiam os meum.* Et. *Non nisi per Parabolas loquebatur eis.* Ergo apparet illus iam duos sensus contineri in Scripturis. Tertius elicitur ex eodem loco, videlicet sensus Tropologicus, vbi dicit. Nos esse filius liberæ,

A vt sicut Isaac fuit hæres Abrahæ, ita etiam nos simus hæredes promissionis. Est enim Tropologia, comparatio quædam moralis ante actorum superioribus temporibus ad nostra vsque tempora, vt similiter agamus. Et vno verbo. Tropologia est discursus morum. Confirmatur iste sensus 15 prioris ad Corinth. vbi dicit Apostolus. Sicut protulimus imaginem primi hominis Adam, ita nobis secundi Adam noui hominis vultus referendus est. Sequitur ex eodem loco sensus Anagogicus, id est sensus reductiuus à terrestribus ad cœlestia. Continetur vbi dicit esse Israëlem Dei, & Israëlem carnis, id est vt sicut filij Abrahæ illius hæredes fuerunt secundum carnem, in obtinenda terra quam promiserat illi Deus, ita etiam filij Dei erût hæredes regni sui secundum spiritum, in obtinenda promissione vitæ æternæ, quæ est terra viuentium. Confirmatur iste sensus ab Apostolo Paulo, octauo ad Roman. vbi dicit, Electos Dei fore glorificandos. Quintus sensus est Typicus. Ex hoc ipso loco, id est in persona vna, B alius personæ repræsentatiuus. Ita autem se habet. Sicut Abraham habuit duos filios, ita Deus cuius Abraham fuit Typus, habet duo fœdera spiritualis contubernij cum hominibus, ex quo nascuntur liberi diuersi, secundum fœdus legis, serui, quorum Typus fuit Ismaël, & illius soboles perpetuo seruiens; & secundum fœdus Euangelij nascuntur liberi, quorum Typus fuit Isaac, & suæ propagines libertate pietatis donatæ in regnum Dei. In quo etiam successit alter Typus sui metipsius cum Deo, Iacob cum electis, Esau vero cum reprobis. Confirmatur iste sensus à Christo Domino, vbi dicit de Ioanne Baptista. *Si me vultis recipere, ipse est Helias.* Atqui non erat Helias nisi Typicus, nam reijcienda est Metempsycosis Pythagorica, qua opinione falsa laborabant etiam aliqui ex Iudæis. Sed ideo est Typicus Helias, quia in *spiritu & virtute Heliæ*, hoc est eadem qua Helias, reparauit populum per baptismum suum, ad excipiendum Messiam suo tempore. Sequitur C sextus Anaphoricus sensus, qui est relatiuus temporum, vt qualia fuerint tempora sub Isaaco & Ismaële, talia sint sub Ecclesia & Synagoga, & vt Ismaël persequebatur Isaacum, ita Synagoga insectetur Ecclesiam. Probatur iste sensus à Domino, vbi dicit. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, &c. Sicut prædictum est à Daniele. Ostendit enim his verbis talia futura tempora. Superest Mysticus. Sensus ille est totus diuinus, & in hoc etiam loco continetur in ratione libertatis gloriæ: quæ cum nulla re humana aut creata omnino comparari potest. Mysticus autem idem est atque inæstabilis, in quo declaratur non posse id concipi intellectu humano, nedum Angelico. Quia quodcumque concipere potest homo in intellectu, simul & effari valet sermone. Probatur autem absolute, vbi dicitur apud Esaiam. *Non potest ascendere in cor hominis, quod Deus præparauit diligentibus se.* Vltimus sensus est Boarcademicus, id est, quo ipsa principia rerum comparantur cum beatitudine æterna, & tota dispensatione D salutis, veluti loquendo de regno Dei quod omnia sint ad Deum ipsum, vnde manarunt, reditura. Probatur iste sensus apud Esdram 4. decimo tertio cap. vbi dicit. In comparatione electorum Dei esse aurum ex puluisculo & glebulam in visceribus terræ, quia quæ optima sunt valde rara creauit Deus. Sed iste sensus est tantum vsitatus apud Iudæos Cabalistas. Alij sensus sunt celebres in Doctoribus.

Literalis in Hieronymo.
Allegoricus in Gregorio.
Tropologicus in Ambrosio.
Anagogicus in Augustino.
Typicus in Basilio & Bernardo
Anaphoricos in Clemente, Petri Successore, &
Mysticus in Naziangeno.

E

MORALIA S. GREGORII IN IOB à S. Odone Abbate Cluniac. secundo breuiata, testatur Domnus Ioannes Italus, Monachus Cluniacensis, author vitæ eiusdem, his verbis.

PEr illud namque tempus rogatus est à fratribus se diligentibus, vt Moralia B. Gregorij Papæ sub vno eis coartaret volumine. Ille autem professus est se hoc minime facere posse, addens etiam si facultas agendi sibi adesset, tamen non debere se hoc agere, ne tanti viri laborem, tantique operis pretium aliter imminuere, vel aliquid demere videretur. E contra illi opponebant ei antea subcumbi, quam tanto labore sustineri, & satius esse iudicabant funditus eum deserere, & ad reliquas Scripturas transgredi, quam sub eo velut graui mola interire. Quotidie namque apud eos de hac re non parua F *fiebat altercatio. Ego tamen scio super hoc te multos indignatos fore, & ad sedandos eos hanc libet rationem inferere: non enim fiebat istud propter arrogantiam, sed disponente Domino, vt super montem poneretur lucerna, quæ sub modio erat occultata. In exemplum tamen subiunctà res, hoc quod diximus, manifestius apparebit, illis videlicet persistentibus in hac petitione, factum est vt quadam nocte Domnus Odo intra Ecclesiam B. Martini consueta orationi insisteret, & ecce subito in eum somnus obrepsit, viditque in eadem visione Sanctorum Chorum venientem, de sursum in eandem Ecclesiam descendere; & primo benedixerunt Dominum, deinde ordinatim in subsellia sederunt. Atque post paululum, vnus eorum in medium prosiliens dixit. Quidnam est quod hoc in loco immoramur? Cæteri vero Gregorium Papam expectare se, inquiunt. Hoc audiens Pater noster Odo, velut auidus indagator, cœpit huc illucque circumspicere, quatenus ex parte venientem eum posset videre. Deinde eleuatis oculis sursum, quasi e cælo missum videt B. Gregorium, sed vltra omnes qui præcesserant eum, vultu, specieque & moribus persplendidum atque ornatum. Mox veniente* G *illo omnes surgunt, & flexis ceruicibus benedictionem petunt. Ille vero non inter eos deorsum vsque descendit, sed super ambonem Ecclesiæ substitit, & Patrem nostrum terra-tenus prostratum, inquiens, vocauit: Surge frater Odo, noli timere. Qui cum surrexisset, vidit velut more Scriptoris, super auriculam eius hærentem pennam, & quasi Doctoris magisterio productam acuminatam, & in summo fixam. Quam sumens Beatus Gregorius, eamque illi tradens, ait. Age ergo securus, & perfice tibi opus iniunctum & indictum: quem vero composueris Librum non delebitur, memoriam autem stabit in æternum. Et continuo euigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum, diligenter perlegit, & saniorem partem quam prouidit, sub vno volumine composuit, & sic murmurationem eorum compescuit.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

H

LIBRI XXXV.

PRÆFATIO.



VM iuxta capacitatem paruitatis meæ, sedulo lectioni sacræ operam darem; quadam die manibus paruitatis meæ liber adhæsit, à B. Gregorio editus in historia sanctissimi Iob. Is etenim Doctor egregius diuino afflatus spiramine, atque de fonte potatus superno, ceu rutilans flumen in præfati viri Historiam diffundens, tanto eam facundo protelauit eloquio, vt ex ea velut clarificos Soles, triginta & quinque ederet Libros, quos in codicibus sex arctare decreuit. At dum ego ex his pri

mam

mam legendo percurrerem partem, nimio accensus amore, pellectusque ita est animos dulcedine quadam, vt totum sagax vellet, si posset, mandere librum. Sed quoniam præ vbertate eloquentiæ præfati viri, velut paruulus lacte suetus, illo quo fortes aluntur, cœpi deficere cibo. His etenim mirabilis Doctor diuinis nimbibus * auctus, studuit luculento enodare affatu, easq; in exponendo menti occurrentium sententias patrum. Ex quibus protensis, nomerosa in præfatam historiam contraxit volumina, quas nempe noruot quibus sacra non latet scriptura, à sancto viro Paterio oomine mirabili opere abstractas, propriisqoe voluminibus redditas, lucida sibi reposuisse volumina. Ex quibus & ipse ante biennium in Regnorum libro aggregatis omnibus Patrum sententiis, maxime autem sanctissimi Patris Gregorii, vnum quem nó puto temnendum coniunxi libellum. Quapropter fragilitatis sensui, corporisque mei infirmitati, meoque similium vtilitati cósulens, erexi me contra memet, non fastu arrogantiæ turgidus, nec superbiæ spiritu tumidus, ventosis fauoribus nitens incumbere, Deus scit: sed igne lectionis præfatæ historiæ flagrans, quam toto nisu memoriter vt intellectam retinere valeam, laborans; hunc operis parui contraxi libellum. In quo opere nempe nullum meo, vt reor, sensu fulcatum sermonem permiscui, sed eiusdem venerabilis viri dicta perlustrans, eas duntaxat diuersorum librorum prolixo sermone expositas, quas supra taxaui, linquens sententias, oon abiiciens vt prauas, quas segregatim habeo vt vtiles, sensum non meis, sed iam sæpe præfati viri verbis expositum, breuiter attraxi, vt potui: atq; lectioois causæ compendio, vnicuiq; sententiæ Mysticum, Moralemq; sicut reperi, subieci sensum, ne vagans animus dum huc illucq; quæreret sensum, vt sæpe assolet, amitteret intellectum. Libuit etiam primas historiæ litteras discretionis causa minio scribere, vt dum historia agnoscitur, expositio historiæ vtilius carpatur, ne forte dum à rudibus ignoratur sensus patenter expressus, obscurius implicetur. Ergo teneo sibi illa quibus est facoltas numerosa aggregare volumina, quibus sensus iotellectusque viget, quibus suppetit non tantum enucleata, verumetiá io ænigmate prolata cognoscere, dum saltem mihi, meique similibus concedant hunc operis exigui penuriæ causa cœptum meditari libellum.

(* Imbribus auctus.)

ALTERA PRÆFATIO.

GREGORII sancti nitidos percurrere campos
Vt cupis, micuere quidem ceu sydera cœli
Verba salutifera, nostros componere mores,
Quæ norunt, nimium & duras mollescere mentes,
Lumine præclaro & tenebras depellere tetras:
Cum ab ore fluens fluuius per compita mundi,
*Pronesia * pariterq; sophia clare refulget,*
Lucidior auro, vitro quoq; clarior omni,
Mellifluo gustu cuncta redolentiá vincens.
O mens flenda nimis, si qua subtraxerit istis
Mellifluis rudis, cœlo venientia linquens,
Et peritura sequens, nulli quæ profuit vnquam.
O si mille forent docta mihi millia linguæ,
Mille meumq; sonos posset depromere guttur,
Ærea voxq; mihi posset dare ferrea verba,
Hæc in laude viri, totus quem concinit orbis,
Vt digna fieri possent quæ pauca relatu,
Præsulis in tanti nitor componere carmen,
Qui meruit cunctos hominum cognoscere sensus,
Et potuit verbis prauos offendere mores,
Qui docuit resecare malos de corpore motus,
Et monuit placidos mente recondere mores,
Virtutum reserans fontem & pariter vitiorum,
Hic modice reflexit iter percurrere sacram
Historiam Iob, ab cuius per compita mundi
Laus veneranda nitet, claro quem climate tensa
Ecclesia reboans laudat, hunc arbiter ipse
Ore suo laudans, monuit venerari per orbem,
Ex qua mirifice ter bina volumina condens
Tradidit Ecclesiæ plures distincta libellos,
Qui ceu prata virent diuerso gramine fulta
Floribus aspersa redolent pulcherrima visu:
Hinc etenim violæ rutilant, hinc lilia candent,
Emicat hinc rosa, narcissus seu nardus, amomum,
Cum varqi fragrant vnguentis balsama iuncta.
Hos ego florigeros cupiens percurrere campos,
Multigenasq; mihi perpes decerpere flores,
Extensis manibus nitebar carpere iamque,
Cum subito stupuere meæ ceu marmora plantæ,
Obriguere manus, cœpit pallescere vultus,
*Sensus & extremuit * crebra suspiria iactans*
Vocibus & magnis quasi sub pondere clamans,
Quis, ait, hos hominum poterit percurrere campos,
Aut quis hos poterit flores decerpere cunctos?
Vt stipatus eat, alacerq; quiescat in auum.
Hæc mea nec vis est, tantum nec pectoris extat
Robur, vt eximias valeam comprendere gazas
Pauper & exiguus, misero de germine cretus.
Magniloqui studeant ista qui grandia poscunt,
Est quibus & sensus fortis, quibus extat anhelus.
Sufficiant dum parua mihi quæ vascula possunt
Exigua resumere mea, ne grandia poscens
Amittam modica. Quapropter grandia linquens
Hoc opus exiguum cœpi non corde cothurno,
Arbiter hæc nouit superus, qui sidera fecit.
Non ergo hoc spernam modici, nec illa supremi.
Hoc teneant hebetes, teneant sed & illa sagaces:
Illa sciant iuuenes, discant hoc denique noti,
Illa quidem norunt magnos, hæc pascere paruos:
Illa dapes tribuunt, nouit hæc porrigere lacte.

(* Phronesis.)

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER I.



VIR ERAT IN TERRA HVS, NOMINE IOB. Idcirco sanctus vir vbi habitauerit dicitur, vt eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat qood sit terra gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitiis extitit, quo cognitionem sui conditoris ignorauit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Hinc isdem sibimet attestatur dicens, *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Hæc per historiam facta credimus, sed per allegoriam iam qualiter sint impleta videamus. Iob namque interpretatur dolens, Hus vero consiliator. Quem vero alium B. Iob suo nomine exprimit, nisi eum de qoo Propheta loquitur dicens. *Dolores nostros ipse portauit?* Qui Hus terram inhabitat, quia in corde populi consiliatoris regnat. Paulus quippe *Christum Dei virtutem, & Dei Sapientiam* dicit. Atque hæc ipsa Sapientia per Salomonem dicit. *Ego Sapientia habito in consiliis, & eruditis intersum cogitationibus.* Tropice autem si Iob dolens, & Hus coosiliator dicitur, non immerito per vtraque nomina doctus quisque figuratur. Qui nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat. Cum ergo dolens videt quam sit æternum quod perdidit, salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit. Vnde bene per Salomonem dicitur. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Sequitur. *Sim-*

(Cap. 1. 1. — Esa. 53. 4. — 1. Cor. 1. 24. — Prou. 8. 12. — Eccl. 1. 18.)

A *plex & rectus.* Nonnulli namque ita sunt simplices, vt rectum quid sit ignorent. Sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt. Quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est
Rom. 16.19. quod Paulus discipulos admonet dicens. *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* Hinc Veritas ait. *Estote*
Matt. 10.16. *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sed quoniam in rectitudine iustitia, in simplicitate autem mansuetudo designatur, incarnatus Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit; quia nec in mansuetudine districtionem iustitiæ, nec rursum in districtione iustitiæ, virtutem mansuetudinis amisit. Vnde ei per Prophetam dici-
Ps. 44. 5. 8. tur. *Intende, prospere procede & regna. Dilexisti iustitiam.* Propice namque quisquis æternam patriam appetit, simplex proculdubio & rectus viuit. Simplex videlicet opere, rectus fide. Sed quisquis in bonis quæ agit, non retributionem interius, sed fauorem exterius quærit, simplex non
Eccli. 2.14. est. Vnde per quendam sapientem dicitur. *Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Sequitur. *Timens Deum, & recedens*
B
Exod. 7. 19. *à malo.* Deum timere est, nulla quæ facienda sunt bona præterire. Vnde per Salomonem dicitur. *Qui Deum timet, nihil negligit.* Sed quia nonnulli sic bona faciunt, vt tamen à quibusdam malis non recedant, bene postquam. *Timens*
Ps. 36. 27.
Iac. 2. 10 *Deum* dicitur, *recedens* quoque *à malo* esse perhibetur. Scriptum quippe est. *Declina à malo & fac bonum.* Et Iacobus. *Quicunque, inquit, totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Sed bene hoc ex Redemptoris nostri voce dicitur. Iuxta humanitatis enim naturam Deum timuit, quia vt superbum hominem redimeret, mentem pro illo humilem sumpsit. Scriptum namque de illo est.
Esa. 11. 3. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Recessit autem à malo, non quod faciendo contigit, sed quod inueniendo reprobauit. Sancta etiam electorum Ecclesia, simplicitatis suæ & rectitudinis vias à timore inchoat. Cui tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit iam nolle peccare. Qui vero timore bona agit, à malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat quo peccare vellet, si multæ*
* si multū. peccare potuisset. Sequitur.

C
2. *Natique sunt ei septem filij, & tres filiæ.* Sæpe ad auaritiam cor parentis ducit fœcunditas prolis. Vt ergo B. Iob quam sancta mens fuerit, ostendatur: & iustus dicitur, & multæ prolis pater fuisse perhibetur. MYSTICE. Quid in septenario, nisi summa perfectionis accipitur? A septenario quippe numero, in duodenarium surgitur. Si enim quatuor per tria, vel tria per quatuor ducantur, septem in duodecim vertunt. In septem ergo filiis, ordo prædicantium. Vnde sancti Apostoli, qui Trinitatem in quatuor partibus mundi prædicare mittebantur, duodecim sunt electi. In tribus vero filiabus, multitudo signatur auditorum. Quæ si & per perfectionem operis nequaquam fortiter virtute permanent, fidem tamen Trinitatis cognitam constanter tenent. Possunt etiam per tres filias, tres ordines fidelium designari, Pastorum videlicet, Continentium, atque Coniugatorum. Vnde & Ezechiel Propheta tres liberatos viros audisse se asserit. Noë scilicet, Danielem, & Iob. Septem quippe etiam nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ operationis sancti Spiritus, septem in nobis
D
Esa. 11. 2. virtutes oriuntur. De quibus Propheta dicit. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus,* & reliqua. Nascuntur & tres sorores. Quia quicquid virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei, charitatique coniungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii perueniunt, nisi in fide, spe, & charitate fuerit omne quod agunt. Sequitur.

3. *Et fuit possessio eius, septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingenta asinæ, ac familia multa nimis.* Scimus quia ad maiorem dolorem mentem commouent damna maiora. Vt igitur ostendatur quantæ virtutis extitit, multum fuisse dicitur quod pariter amisit. Numquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Quid enim Mystice in septem millibus ouibus, nisi Hebræos à pascuis legis innocenter ad fidem venientes, accipimus? Quid vero in tribus millib. camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens tota gentilium vitiositas, onosta idolorū cultibus designatur? Potest namque per camelos, quia commune sunt animal, Samaritanorū vita signari. Qui quasi ruminant vt camelus, quia ex parte verba legis recipiunt, & quasi vngulam non findunt vt camelus, quia eam pro parte contemnunt. Qui etiam graue onus portant, quia sine spe resurrectionis laborant. Sed quia Incarnatus Dominus, & Hebræorum populum & Samaritanorum quosdam ad fidem perduxit, septem millia ouium, & tria millia camelorum possedit. In Scriptura sacra cameli nomine aliquando ipse Deus exprimitur, vt il-
Mat. 23. 24. lud. *Liquantes culicem & camelū glutientes.* Aliquando aūt populus gentilis. Vnde & Rebecca ad Isaac veniens, typū Ecclesiæ pferens, dorso cameli deducitur. MORALITER. Oues & nos possidemus, cum cogitationes innoxias possidemus. Camelos quippe possidemus, si quæ altum sapimus, humiliter deponimus, cum cogitationes nostras ad infirmitates fraternæ compassionem flectimus. Quod quidem sine cognitione fidei Trinitatis agere non valemus. Pos-
F sunt autem per camelos, terrenarum rerum bonæ dispensationes intelligi. Quia igitur non se penitus anima ab omni terreno opere disiungit, vngulam non findit, sed tamen ruminat, quia bene dispēsando temporalia, cœlestia sperat. Quas dum nos Trinitati cōmittimus, camelos possidemus. Sequitur. *Quingenta quoque iuga boum,* & reliqua. In scriptura aūt sacra boum nomine, aliquando bene operan-
Deut. 25. 4. tium vita signatur, vt illud. *Non alligabis os bovi trituranti.* A-
1. Cor. 9. 9.
1. Tim. 5. 18 liquando hebetudo fatuorum, vt illud Salomonis. *Statim*
Prou. 7. 22. *quæ eam sequitur quasi bos ductus ad victimā.* Asinorum quoque nomine, aliquando stultorum pigritia designatur, vt illud
Deut. 22. 10 Moysi. *Non arabis in boue simul & asino.* Aliquando immode-
Ezech. 23. 20. rata petulantiū luxuria, vt illud Prophetæ. *Quorū carnes sunt vt carnes asinorū.* Aliquando gentiliū simplicitas, vnde Hierusalem tendens Dominus, asellū sedisse perhibetur. Quid enim bos, nisi Iudaicus populus extitit, cuius ceruicem iugum legis attriuit? Et quid asinus, nisi gentilitas fuit? Quā quilibet seductor repetit, quasi brutum animal quo voluit errore substrauit? Quid vero per quingentesimum numerum qui à quinquagenario, qui septem hebdomadibus ac monade addita, adimpletur, nisi requies signatur? Quid
G per denarium, nisi summa perfectionis exprimitur? Quia ergo ad æternam requiem pro electorū parte Iudæa Gentilitasque colligitur, recte quingenta iuga boum, quingentæque asinæ haberi perhibentur. MORALITER. Iuga etiam boum in vsum nostræ possessionis sunt, cum concordes virtutes exarant duritiam mentis. Asinas possidemus, cum lasciuientes motus restringimus, vel cum cogitationes intra nos simplices regimus. Dum enim de hoc quod prudenter sapimus, vel quod humiliter ignoramus, æternæ pacis requiem quærimus, quasi intra * Iubelei numerum
* Iubilei. tenemus. Sequitur. *At familia multa nimis.* Quia enim ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, vt post eos etiam astuta vocarentur, animalium prius multitudo, & familiæ in extremo memoratur. Paulo attestante qui ait.
1. Cor. 1. 26. *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, nō multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* MORALITER. Multam nimis familiam possidemus, cū cogitationes innumeras sub mentis dominatione restringimus. Sicut enim absente domina ancillarum linguæ
H perstrepunt, operis officia negligunt, repente domina veniente, linguæ perstrepentes reticēt, ad opus reuertuntur: sic igitur si domina mentis ratio discedat, cogitationum se clamor multiplicat; vt autem ratio redierit, cogitationum se tumultuosa turba compescit. Sequitur. *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Orientales viros esse prædiuites, quis ignorat? Magnus ergo inter Orientales extitit, quia & diuitibus ditior fuit. MYSTICE. Oriens Redemptor noster
Zach. 6. 12. dicitur, vt illud Prophetæ. *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Omnes ergo qui in hunc Orientem fide consistunt: recte Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines, ipse autem Oriens, Deus & homo, recte dicitur. *Erat magnus inter omnes Orientales.* MORALITER. Inter oēs Orientales magni efficimur, cum eis spiritibus qui orienti luci inhærent, pressa carnalis corruptionis nebula, disiectionis nostræ radiis, in quantum possibilitas suppetit, sociamur.
Phil. 3. 20. Vt Paulus ait. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Sequitur.

Et

A 4. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos.* O inæstimabilem paternæ institutionis laudem! Et pater diues dicitur, & filij concordes. MYSTICE. Filij per domos conuiuia facturi ibant, cum prædicatores Apostoli in diuersis mundi regionib. virtutum epulas audientibus quasi edentibus ministrabant. Vnde & eisdem filijs esurientibus
Mat. 14. plebibus dicitur. *Date illis vos manducare.* Si enim ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox est cordis, intellectus non
Rom. 14. 5. immerito dies vocatur, vt Paulus ait. *Alius iudicat diem inter diem. Alius iudicat omnẽ diem.* Vnusquisque ergo filius in die suo conuiuiũ exhibet, quia sanctus quisq; prędicator iuxta mensuram illuminatæ intelligentiæ mentes audientium epulis veritatis pascit. Sic quippe Paulus faciebat, cum di-
1. Cor. 7. 40. cebat. *Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum cõsilium.* Sorores filij ad conuiuium vocant, quia infirmis auditoribus sancti Apostoli refectionis supernæ gaudia prædicant, eorumque mentes pabulo veritatis ieiunas, diuini eloquij epulis pascunt. Scriptura enim sacra aliquando cibus est,
Thren. 4. 4. vt illud Prophetæ. *Paruuli petierunt panẽ, & non erat qui fran-*
B *geret eis.* Aliquando potus, vt illud Prophetæ. *Omnes sitientes*
Esa. 55. 1. *venite ad aquas.* Et in Euangelio. *Si quis sitit veniat, & bibat.*
Ioan. 7. 37. MORALITER. Filij per domos conuiuium faciunt, dum virtutes singulæ iuxta donum proprium mentem pascunt, *In die suo.* Dies vniuscuiusque filij est illuminatio vniuscuiusque virtutis. Sapientia in die suo conuiuium facit, quia mentem de æternorum spe & certitudine replet. Intellectus, cum audita penetrat, & cordis tenebras illustrat. Cõsilium, conuiuiũ facit, cum esse præcipitem prohibet. Fortitudo, cum aduersa non metuit, & cibos confidentiæ apponit. Scientia conuiuium facit, quia ignorantiæ ieiunium superat. Pietas, cum cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo conuiuium parat, dum premit mentem ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat. Sorores etiam filij ad conuiuium vocant, cum virtutes nostræ in omne quod agunt spem, fidem, & charitatem adsciscunt, vt fides, spes, & charitas gaudeant in opus bonum, quod vnaquæque virtus administrat. Sequitur.

C 5. *Cumq; in orbem transissent dies conuiuij,* & reliqua. Cum dicit, *mittebat & sanctificabat illos,* aperte monstratur quid districtionis erga illos præsens ageret, quibus absens sollicitudine nõ deesset. Vir quippe sanctus nouerat, quia celebrari conuiuia sine culpa vix possent. Nam dum corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium
Exod. 32. 6. relaxatur. Vnde scriptum est. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quod vero octauo die B. Iob sacrificium offert, mysteriũ resurrectionis colit. MYSTICE. In orbem dies conuiuij transeunt, cum prędicationis ministeria peraguntur. Peractis conuiuijs holocaustum Iob pro filijs obtulit, quia pro Apostolis de prędicatione redeuntibus patrem redemptor exorauit. Mittit Iob & sanctificat filios, qui per Spiritum sanctum, qui ex se procedit, discipulorũ cordibus redemptor noster quicquid culpę inerat, emundauit. Diluculo holocausta offert, quia tenebras mentis humanæ intercessionis suæ petitione illustrauit. MORALITER. Peracto orbe dierum conuiuij, mittere ad filios, eosq; sanctificare est, post virtutum sensum, intentionem cordis dirigere, ne bona æstimentur, quæ mala sunt. Diluculo nam-
D que consurgimus, cum compunctionis luce perfusi, humanitatis nostræ noctem deserimus, & ad veri luminis radios, oculos mentis aperimus: atq; holocaustum pro singulis filijs offerimus, cum pro vnaquaq; virtute Domino hostias nostræ precis immolamus. Holocaustum totum incensum dicitur. Holocaustum dare est totam mentem igne compunctionis incendere. Sequitur. *Dicebat, ne forte peccauerint filij mei,* & reliqua. Perfectos esse in opere & locutione docuerat, quib. de sola pater cogitatione metuebat. Vt enim de alienis cordibus temere nõ iudicemus, sancti viri verbis agnoscimus, qui non ait, ne benedixerint, sed, *ne forte bene-*
Cor. 4. 5. *dixerint.* Hinc Paulus ait. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* MYSTICE. Deo benedicere est, id est maledicere, de eius munere sibi gloriã præbere. Vnde Apostolis redeuntibus à prædicatione Dominus pedes lauit, quia plerumq; in bono opere, puluis prauæ cogitatio-

E nis sumitur. Quod dicit, *ne forte,* nostram ignorantiã suscipit, vt illud. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem super ter-*
Luc. 18. 8. *ram?* MORALITER. Filij in cordibus Deo maledicunt, cum tecta nostra opera, non rectis cogitationibus prodeunt: cum se mentes nostræ de se æstimant habere quod sunt, cum de bonis operibus propriam laudem quærunt. Sequitur. *Sic faciebat Iob, cunctis diebus.* Scriptum quippe est. *Qui*
Mat. 10. 22. *perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* In sacrificio sancta actio, in cunctis diebus constantia sanctæ actionis exprimitur. MYSTICE. Sine intermissione holocaustum Redemptor noster immolat, quia sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat, quæ nostræ oblationis emundatio est. MORALITER. In cassum bonum agitur, si
Eccl. 2. 16. ante tempus vitę deseratur. Hinc reprobis dicitur. *Væ his qui*
Luc. 22. 28. *perdiderunt sustinentiam.* Hinc electis Veritas dicit. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

F

MORALIVM IN IOB

LIBER II.

6. QVADAM *die cum venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Diuina enim Scriptura qualitates rerũ exprimit, terminosque causarum. Aliquando à posi-
Exod. 20. 19. tione loci, vt Israel verba Dei in monte audire non potuit, postea non crediturus. Aliquando à positione corporis, vt Stephanus Iesum stantem vidit. Stare enim pugnantis est. Aliquando ab actis qualitate, vt in
Act. 7. 55. Euangelio. *Hiems erat,* nullum credere docens. Aliquando
Ioan. 10. 22. à qualitate temporis, vt ad tradendum Dominum, nocte Iudas exijt. Quia ergo B. Iob tentatio ad victoriã ducitur, à die cœpisse perhibetur. Dei filij, electi Angeli vocantur, qui ad nos spiritualis præsentia foras exeunt, & tamen se internæ contemplationis gaudijs non priuant. Veniunt ergo.
G vnde Paulus ait. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in*
Hebr. 1. 14. *ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* A Deo autem non recedunt, vt Deus ait. *Angeli eorum semper*
Mat. 18. 10. *vident faciem patris.* Satan quippe inter eos, à quibus per superbiam recesserat, venit, quia etsi beatitudinem perdidit, naturam tamen eis similẽ non amisit. Eo enim intuitu quo cuncta Deus spiritalia conspicit, eum etiam vidit, vt illud.
Prou. 15. 3. *Oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Visus est, sed nõ vidit, vt cæcus à radijs Solis perfunditur, cum lumen eius ipse non videat. Cui dicitur. *Vnde venis?* Nescire Dei reprobare
Mat. 25. 12. est, vt illud. *Nescio vos.* ALLEGORICE. Quadam die venisse Satan dicitur, non quod apud Deum cursus temporis mutatione diei noctisq; varietur, sed sacra Scriptura temporaliter editis loquens, temporalib. vtitur verbis. Ea quippe vt iustitiæ immundus spiritus perstetatur, quia videl. mundorum spirituum corda replentur. In die enim Dominus Satanam vidit, quia vias eius in sapientiæ suæ incarnatione comprimit. Vnde venis dicere, est occulti hostis insidias detegere. Filij Dei electi sunt omnes, qui ad æternę patriæ vo-
H cationẽ Deo collecti sunt, qui diuinitatis præsentia intrinsecus adsistebant. MORALITER. Inter filios Dei etiã adest, quia plerumq; bonis nostris cogitationibus, quæ in corde nostro aduentu sancti Spiritus operatione seminantur, antiquus ille callide se subiungit inimicus, vt bene cogitata perturbet. Vnde venis ei dicere, est eius nobis insidias declarare. Sequitur.

7. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Satan ergo laborans terrã circuit, quia quietus in cœli culmine stare cõtempsit. Cui non transuolans, sed perambulans circuit, quia in imis peccati põdere grauatur. ALLEGORICE. Satan terrã circuit, quia ab Adã ante aduentum Domini omnes post se nationes gentiũ traxit. Circuiuit & perambulauit, quia per corda gentium, iniquitatis suę vestigia impressit. TROPICE. Satanæ terram circuire, est carnalia corda perscrutari, & vnde occasionẽ accusationis inuenire possit, exquirere. Circuit circũueniendo, vt bona tollat, & mala inferat. Sequitur.

A 8. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Discutienda quippe est quænam sit ista locutio. Neq; enim vel à Domino qui summus atq; incircumscriptus est spiritus, vel Satan qui nulla carnea natura vestitus, humano modo eius flatus folle ventris attrahitur. Sed Angelis loquitur Deus, cum quicquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legunt. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Vox namq; Angelorum est, in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis, virtutis diuinæ miracula. Animarum Deo verba, ipsa sunt eorum desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret. *Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.* (Psal. 10. 16.) Deo loqui animabus est, cum retributionis suæ certitudine cõfirmat. Loqui enim Dei est ad Diabolũ, vias eius ac negotia animaduersione occultæ districtionis increpare. Sicut hic dicitur. *Vnde venis?* Diaboli ei respõdere est, omnipotenti maiestati eius nil posse celare. Vnde hic ait. *Circuiui terrã, & perambulaui eam.* Quatuor modis loquitur ad Diabolum Deus, tribus Diabolus ad Deũ. Vias suas insinuat

B qui ait. *Circuiui terrã.* Electorũ innocentiá accusat qui dicit. *Nunquid frustra Iob timet Deũ?* Tentandũ postulat, cum dicit. *Extende manũ tuam*, & reliqua. Dicere Dei est. *Vnde venis?* seu increpare. Dicere Dei est. *Considerasti seruũ meum Iob*, tales electos facere, quales Diabolus possit inuidere. Dicere Dei est *Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt*, ad probationem fidelium eum relaxare. Dicere Dei est. *In eum ne extendas manum tuam*, ab immoderata eum tentatione restringere. Ac per hoc Diabolus nõ contra Iob, sed contra Deũ certamẽ sumpsit. Materia vero certaminis B. Iob in medio fuit, & si in sermonib. suis dicimus Iob inter flagella deliquisse, Deũ dicimus in sua promissione perdidisse. ALLEGORICE. Allegorice Iob interpretatur dolens. Dolens vero veraciter per figuram dicitur, qui portare dolores nostros Propheta attestante perhibetur. Cui similis in terra nõ est, & si adoptiuis quisq; filius ad percipiendam diuinitatẽ proficiat, nequaquã tamen vt Deus naturalis esset accepit, qui seruus

C dicitur, secundum quod Apost. ait. *Semetipsum exinaniuit formã*

Phil. 2. 7 *serui accipiens*, & reliqua. Veniens namq; inter homines mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, ad præbendum exemplum vitæ hominibus, *simplex*; ad non parcendũ malignis spiritibus, *rectus*; ad debellandã superbiam, *timens Deum*; ad detergendam vero in electis suis vitæ immundiciam. *recedens a malo*. De ipso enim per Esaiã dicitur. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Et Petrus. *Qui peccatũ non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* (Esa. 11. 3. 1. Pet. 2. 22.) Dei autẽ ad Satan per figuram dicere est. *Nunquid cõsiderasti seruum meum Iob*, vnigenitum filium contra eum in forma serui admirabiliter demonstrat. TROPICE. *Nunquid considerasti seruum meum Iob?* quem diuina inspiratio contra hostem roborat, hunc quasi in Satanæ auribus Deus laudat. Laudare quippe eius est, & prius bona concedere, & post concessa custodire.

10. *Nunquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiã per circuitũ? operib. manuũ eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra?* Ac si patenter dicat. Qui tot bona in terra recipit, quid mirũ est si pro eis sese innocenter gerit? Innocens vere esset, si bonus inter aduersa

D existeret. ALLEGORICE. Quia igitur antiquus hostis redemptorem impossibilẽ vidit, non Deũ natum, sed Dei gratia custoditum credidit, vnde dicit. *Nunquid frustra Iob timet Deũ?* Eum quippe ac domũ eius à Deo vallatã dicit, quia tentando eius conscientiã penetrare non potuit: substantiam eius vallatã, quia electos eius inuadere nõ præsumit. Operibus manuũ eius benedixisse Deũ, & possessionẽ eius excreuisse in terra queritur, quia fides eius innocentiã hominũ prædicantibus Apostolis multiplicatur. Possessio quippe excrescere dicitur, dum laborantib. prædicatoribus, fidelium quotidie numerus augetur. Hæc itaq; Diabolo dixisse est de his tabescẽdo doluisse. TROPICE. *Nunquid frustra Iob timet Deũ?* Ac si diceret, cur laudas, quem protegendo roboras? Despecto enim me dignus tuis laudibus homo esset, si tuis contra me viribus staret. Sequitur.

11. *Sed extende paululum manum tuã, & tange cuncta quæ possidet*, & reliqua. Cum sanctũ virũ Satan tentare appetit, & tamẽ Domino vt manũ suam extendere debeat, dicit: notandũ est, quia sibi vires feriendi non tribuit. Hinc est quod in Euan-

E gelio legio dicebat. *Si eijcis nos, mitte nos in porcos.* Paululũ manum postulat extendi, cũ exteriora appetit cõteri, quia fa- (Marc. 5. 12.) cere multũ non se putat, nisi eum animũ fauciat, vt feriẽdo eũ à cœlesti patria reuocaret. Dei facies respectus eius gratiæ intelligitur. *Nisi in faciem benedixerit tibi.* Ac si dicat. Ea quæ dedisti subtrahe, nam si accepta perdiderit, respectum tuæ gratiæ sublatis temporalib. non requirit. Si n. ea in quib. delectatur non habuerit, fauorẽ tuum ẽt maledicendo contemnit. ALLEGORICE. Redemptorẽ nostrum quẽ tranquillitatis tẽpore Dei gratia custoditũ credidit, peccare posse p passionẽ putauit. Ac si dicat. Interrogatus afflictionib. homo & peccator agnoscitur, qui in miraculis Deus putatur. TROPICE. Plerumq; enim dum virtutum fructus secunde reddimus, dum cõtinua prosperitate pollemus, aliquantulũ mens erigitur, vt à semetipsa sibi existere bona quæ habet, arbitretur. Quæ nimirum bona hostis attrectare appetit, sed Deus nonnisi benigne concedit: sitq; mira dispensatione pietatis, vt vnde malignus hostis corrẽret vt interimat, inde misericors cõditor erudiat vt viuat; quatenus imbecillitate

F sua cognita, in spe diuini adiutorij robustius solidet. Seq.

12. *Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt*, & reliqua. Considerãda est dispensatio Dei pietatis, quo hostẽ nostrum permittit & retinet, relaxat & refrenat. Substantiã prodit, sed corpus protegit post percussori traditurum. Non simul ad omnia relaxat hostẽ, ne vndiq; feriens frangat ciuem. Hinc Paulus ait. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione ẽt exitum vt possitis sustinere.* Intelligi & aliter potest, pugnatori suo Dominus diuidere (1 Cor. 10. 13.) certamina voluit, vt hostis prius victus denuo veniret: túcque ei aliud iterũ vincendo cõcederet, vt eo famulus mirabilis victor existeret, quo contra eum victus hostis se adbellare pararet. ALLEGORICE. Manus Satanæ nõ potestas, sed tentatio accipitur. Redemptor igitur noster quod Iudæam, quæ prius substantia eius fuerat, amisit p infidelitatem, & post eius caro patibulo crucis est affixa. Quasi prius habita perdidit, & postmodũ in semetipso aduersarij nequitiã pertulit.

G TROPICE. Ac si dicat. Electi vniuscuiusq; bona sic tentanda exterius tribuo, vt tamẽ ipse noueris quia pleniter mihi filium in mentis radice conseruo. Sequitur. *Egressusq; est Satã à facie Domini.* Quo exitur ab eo qui vbiq; est? Hinc namq; ait. *Cælum & terrã ego impleo.* Sed quãdiu Satan pressus maie- (Ier. 23. 24.) statis potentia, appetitũ suæ maliciæ exercere non valuit, quasi ante faciẽ Domini stetit. A facie aũt Domini exijt, qa relaxatus diuinitus ab interna retentionis angustia, ad sui desiderij effectum venit. MYSTICE. Sicut superius à facie exiit Domini, quia ad desiderij sui vota peruenit. MORALITER. A facie Domini exiit, quia per hoc quod vsq; ad effectum cordis præualere nequaquam permittitur, exclusus ab intimis exterius vacat, quia etiam si vires mentis plerunque turbat, eo ipso foris est, quo adsistente Deo vsq; ad intentum bonorum corda non vulnerat. Sequitur.

13. *Cum autem quadam die filij & filiæ eius comederent & biberent*, & reliqua. Tunc quippe Diabolus tentandi tempus elegit, quando B. Iob filios in conuiuio inuenit. Quod videl. nobis Deo dispensante proditur, quia prænuntiat tribulationem lætitiæ societatis. Boues arantes nuntiat, vt videl. memorato fructu operis causa crescat doloris. Aucta est etiam

H mensura gemituum particula nunciorum. TYPICE. B. Iob filios ac filias vel Apostolorũ ordinem, vel cunctorum fidelium diximus multitudinem designasse. Quis autẽ maior Domini filius, nisi Iudaicus accipi populus debet? Qui ei dudum datæ legis fuerat doctrina genitus. Minor autem Gentilis populus qui in mundi extremitate collectus est. In domo fratris primogeniti conuiuantur filij, quia videlicet adhuc sancti Apostoli, quibus dictum fuerat, *In viã gentium ne abieritis*, sacræ Scripturæ epulis in solius Iudaici (Matt. 10. 5.) populi collectione vescebantur. Vt illud. *Non ieiunabunt filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus*, & reliqua. (Matt. 9. 15.)

14. *Boues arabant, & asinæ pascebantur.* Quid boues, quam bene operantes? quid aliud asinas, quam quosdam simpliciter viuentes accipimus? Quæ bene iuxta boues pascuntur, quia prudentibus comuncti tardiores, eorum intelligentia aluntur, dum eis bona sua fraterna charitate credunt.

15. Sabæi autẽ captiuantes interpretantur. Captiuantium

A antè nomine immundi spiritus designantur, qui eos quos sibi subijciunt, infideliter captiuos ducunt. Qui & pueros gladio feriunt, quia tentationis suæ iaculis eos vulnerant, quos nondum iuuenilis constantia liberos vel robustos seruat. Post qui nunciat euadens, sermo est propheticus, qui dum fiunt mala omnia quæ prædixit, quasi sanus ad Dominum redit. TROPICE. In electorum corde prius bonorum sequentium quasi primogenita proles sapientia nascitur, quæ profecto nostra est fides, vt Propheta ait, *Nisi credideritis, non intelligetis.* In domo ergo fratris primogeniti filij

Esa.7.9. conuiuantur, dum virtutes nostræ in habitaculo fidei sacri eloquij cibo satiantur. Quid arantes boues, nisi grauiores nostras cogitationes accipimus? Quid pascentes intelligimus asinas, nisi simplices mot⁹ cordis? Sed plerumque hostis callidus graues cogitationes, voluptatis delectatione corrumpit, & motus simplices cordis, laude subsequente etiam nò interimit, subrepente tamen nocet. Aliter. Arantes boues,

B cogitationes sunt charitatis, quibus prædicando prodesse alijs conamur. Per asinas vero patientia & mansuetudo signari potest. Sed malignus arantes boues subtrahit, cum nos torporem mergit, vt alijs prodesse non libeat, etiamcum à proprijs vacamus, & dum tolerantiam cogitationis vel ad momentum turbat, quasi abstulisse se ab agro cordis asinas exultat. Alijs ergo percuntibus, vnus ad dominum redit, dum turbatis in tentatione motibus, discretio ad conscientiam recurrit, vt quod repentinis incursibus præoccupata mente perdidisse se pensat, hoc compunctionis studio afflicta recipiat. Sequitur.

16. *Cumque adhuc ille loqueretur, venit alius & dixit. Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, &c.* Intuendum quippe est quam callide dicitur ignis Dei. Ac si diceretur. Illius animaduersionem tolerasti, quem tot hostijs placare voluisti, eius iram toleras, cui quotidie seruiens insudabas. TYPICE. Cælum hoc in loco Sacerdotes vel Pharisæos, vel Legis doctores non inconuenienter accipimus, vt Moyses ait. *Attende cælum & loquar.* Qui per cæleste officium desuper lucere videbantur. Sed quia ipsi

C summopere in redemptoris nostri aduersitate commoti sunt, quasi ignis de cælo cecidit, dum ad decipiendum imperitum populum ab his etiam qui recta docere putabantur, flamma inuidiæ exarsit. Quid enim in ouibus atque pueris, nisi innocentes quosque, sed adhuc infirmos accipimus? qui dum aduersitatem Pharisæorum et Principum tolerare timuerunt, infidelitatis concremationem consumpti sunt. A præpositorum ouium cordibus flamma inuidiæ corruit, & quicquid boni in plebibus oriebatur, incendit. Vnus fugit, quia dum impletur prædicta causa malitiæ, fallaciæ interitum euadit sermo propheticus

Ezech.15.7. qui ait. *Et nunc ignis aduersarios consumit.* MORALITER. Quid per oues, nisi cogitationis innocentia, vel bonorum cordium munditia designatur? Et quia ab aereis potestatibus qui cælum dicuntur, contra cogitationum nostrarum munditiam flammam liuoris struit, de cælo ignis venit, qui ignis Dei dicitur, quia etsi non faciente Deo, tamen permittente Deo generatur. Sed vnus fugit, cum perturbatis cogitationibus discretio non succumbit, vt damna sua animo renunciet, & quasi dominum ad lamentum vocet. Sequitur.

D
17. *Chaldæi fecerunt tres turmas.* Ecce iterum ne quid minus de humana aduersitate doluisset, Chaldæorum turmas irruisse denunciat. TYPICE. Chaldæi interpretantur feroces, quo nomine designantur persecutionis Domini auctores, qui dicebant, *Crucifige, Crucifige.* Tres turmæ Pharisæi, Herodiani, & Sadducæi

Ioan.19.6. sunt. Camelos rapiunt dum Samaritanos, & quosdam ex Iudæis, vel tortuosas mentes infirmantium persuadendo ad interitum trahunt. Pueros etiam gladio feriunt, quia & si qui in populo vsi iam tunc poterant, eis ipsis non virtute rationis, sed potestatis tunc contrahebant. A quibus euadens puer qui nunciat, fugitque à illis iniqua patrantibus, eos nimirum deserens, sermo propheticus conualescit qui ait. *Et tenentes legem, nescierunt me.*

Ierem.2.8. TROPOLOGICE. Per camelos qui mundum aliquid dum ruminant, immundum dum nequaquam vngulam findunt habent, supradiximus bonas rerum temporalium dispensationes intelligi. In quibus quo est cura diligentior, eo nobis multiplici⁹ insidiatur inimicus. Omnis. n. terrenis rebus dispensandis præsidens, occultis hostis iaculis leui⁹ patet. Quia. n. tres turmas contra camelos facere est, terrenarum rerum dispensationem illicita, modo illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare. Vnus autem fugiens redit, quia discretionis ratio menti nostræ oculis occurrit, & sollicita sibimet animæ, quod subito impulsu tentationis ipsa intrinsecus amittit, intelligit. Sequitur.

E
18. *Loquebatur ille, & ecce alius intrauit & dixit. Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, &c reliq.* Latenter infert Satan, quod ipse contra illum elementa mouerit, quæ moueri potuit. Quamuis & ipse semel accepta à Domino potestate ad vsum suæ nequitiæ etiam elementa concutere præualet. Et notandum quia in extremo filiorum mortem intulit, ne vilia pater rei familiaris damna duceret, si filios à se abstitus audiret. Quanquam. n. conuiuia peragi sine culpa vix possint, absit vt tanti viri filios per conuiuiorum studia se gurgitando ventri vacasse suspicemur. In die ergo primi fratris, filios obruit, quia antiquus hostis in minorum morte subuersionis aditum per negligentiam maiorum quærit. MYSTICE. Filij & filiæ prædicatores Apostoli ac plebes designantur, qui in domo fratris primogeniti conuiuari referuntur, quia in habitatione adhuc Iudaici populi sacræ prædicationis delitijs vescebantur. Regio deserti, cor infidelium

F est, quod dum Creator deserit, null⁹ inhabitator colit. Ventus vehemens à regione deserti irruit, quia in passione Redemptoris nostri contra fideles eius, fortis tentatio à cordibus Iudæorum venit. Vel certe regio deserti immundorum spirituum est multitudo, qui corda persecutorum commouerunt. Domus, est Synagoga. Quatuor anguli, quatuor ordines regentium, Sacerdotum scilicet & Scribarum, & Seniorum populi, atque Pharisæorum. Ab immundis spiritibus quippe ventus, id est, tentatio, irruit: & mentes quatuor ordinum malitia persecutionis excitauit. Domus liberos oppressit, quia dum Iudæa incredulitate Dominicæ persecutionis cadit, Apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Vnus euadit, quia conualuisse sermo propheticus qui hæc nunciauerat ostenditur dicens. *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* Et illud. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* MORALITER. Domus, nostra conscientia est.

Ierem.11.15. Matt.26.31 Quatuor anguli, quatuor sunt virtutes, scilicet Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iustitia. Regio deserta immundi sunt spiritus, qui à Deo sunt derelicti.

G
19. Ventus ergo vehemens quatuor angulos dom⁹ concutit, quia fortis tentatio occultis motib. quatuor virtutes quatit: & quasi latus angulos dom⁹ ruit, dum pulsatis virtutib. conscientia turbatur. Intra hos sunt quatuor angulos dom⁹ filij conuiuantur, quia intra arcana mentis cor principaliter his quatuor virtutib. ad summæ rectitudinis culmen erigitur, & virtutes cæteræ quasi quædam cordis soboles se inuicem pascunt. Euersa igitur domo, moriuntur filij, quia turbata in tentatione conscientia, obruuntur genitæ in corde virtutes. Cum quibus & tres sorores occumbunt, quia in corde quandoque per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Vn⁹ euadit, quia menus discretio & in tentamenta incolumis permanet, vt dolens animus vires, quas quasi amittere cœperat, pœnitendo consideret. Seq.

20. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam putant, si disciplinæ asperitate correcti, ictus verberum doloresque non sentiant. Nonnulli vero tam nimis percussionum flagella

H sentiunt, vt immoderato dolore commoti, etiam in excessus linguæ dilabantur. De illis quippe dicitur per Prophetam. *Percussisti eos, nec doluerunt. Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* De illis Psalmista ait. *In miserijs non subsistent.* B. itaque Iob quia veræ philosophiæ regulam tenuit, contra vtrasque partes se arte seruabat. Quod vestimenta scidit, flagelli dolorem sensit. Quod

Ierem.5.3. Psal.139.11 vero adorauit, contra flagellantis iudicium non excessit. Duo. n. sunt præcepta charitatis, amor videl. Dei & proximi. Vt dilectionem proximi exsolueret, impendit luctum, vt Dei non deserere tenplementiores gemitus oratione. Mos veterum fuit, vt quisquis capillos nutriendo seruaret, eos tempore afflictionis abscindere, & qui tranquillitatis tempore capillos abscinderet, eos in afflictione enutriret. B. itaque Iob tranquillitatis tempore capillos seruasse ostenditur, cum ad dolorem caput totondisse memoratur. MYSTICE. Surgere Domini est peccatores, quasi illi tacendo iacere, ne derelinquat ostendere. Surgere quia qui iudicio persecutores suos desereret, monstrauit. Quid. n. vestimentum Domini, nisi Synagoga exterius? Sicut enim hic vsitic vestitur, à quibus diligitur, vt Paulus ait. *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem rugam aut maculam, sed carnes*

Ephe.5.27.

A incarnandum cum Prophetis prædicantibus Iudæa credi-
dit, adhærendo nihilominus vestis fuit. Sed vestem scidit,
dum in Iudæa alios ab infidelitate sustulit, alios in infide-
litate dereliquit. Scissa enim vestis erat, de qua Euangelista
Ioan. 7. 12. ait. *Alij autem dicebant quia bonus est, alij autem non, sed seducit
turbas.* Quid per decisos capillos, nisi Sacramentorum sub-
tilitas? Quid per caput, nisi summa sacerdotij designatur?
Vnde ad Ezechielem Prophetam dicitur. *Tu fili hominis su-
Ezech. 5. 1. me tibi gladium acutum radentem capillos, & assumes eum, & du-
ces per caput tuum & barbam.* Quid per terram hoc loco, nisi
peccator humo exprimitur? Primo enim homini dictum
Gen. 3. 1. est. *Terra es, & in terram ibis.* Terræ ergo nomine peccatrix
gentilitas designatur. Mediator igitur noster quasi deton-
so capite in terram corruit, quia sacramenta legis à sacer-
dotio Synagogæ sustulit, eamque deserens, ad notitiam
gentium venit. Corruere Dominus dicitur, vt illud. *Verbū
Esai. 9. 8. misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.* Bene autem dicitur,
B quod corruens adorauit, quia dum ipse humilitatem car-
nis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fe-
cit enim quæ fieri docuit, sicut & de eius spiritu dicitur.
Rom. 8. 26 *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Qui patrem etiam
ante passionem pro nobis exorauit. Moraliter. Audi-
tis ergo aduersis surgere est expertis tentationibus mentē
ad certamina robustius parare. Vestimēta scindimus, dum
discernendo nostra opera retractamus. Quod nostra nos
opera velut vestimenta ante Deum tegant, Angelus dicit.
Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.
Apoc. 16. 15 Quid moraliter per capillos nisi animi affluentes cogita-
tiones accipimus? Quid per caput, nisi mens ipsa signatur?
Caput ergo detondere est cogitationes superfluas à men-
te resecare. *Et detonso capite in terram corruit.* Qui se pressis
præsumptionis suæ cogitationibus, quam in semetipsum
infirmus sit, humiliter agnoscit. Ergo aduersis auditis de-
tondetur caput, cum tentationibus vehementer irruenti-
bus, à præsumptionis suæ cogitationibus mens nudatur.
Et notandum quod in terram corruens, adorauit. Ille e-
C nim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum quia
puluis sit humiliter videt. Sequitur.

21. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.*
Quia vero omnes nos terra genuit, hanc non immerito
Eccle. 40. 1. matrem vocamus, vt scriptum est. *Graue iugum super filios
Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ
in matrem omnium.* Ac si dicat. Nudum me huc intrantem
terra protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet.
Mystice. Redemptoris mater iuxta carnem Synagoga
extitit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit. Sed nu-
dus de vtero matris exijt, quia Synagogæ carne prodiens,
conspicuus ad gentes venit. Quod bene Ioseph qui reli-
cto pallio fugit, signatum est. Nudus quippe ad vterum
matris reuertitur, cum in mundi huius terminis qui in
seculo factus homo despicitur, Synagogæ suæ oculis Deus
Rom. 11. 25. ante secula declaratur. Hinc Paulus ait. *Cæcitas ex parte con-
tigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel
saluus fiet.* Moraliter. Ac si tentatus animus, & infirmita-
tis suæ inopia deprehensus dicat. Nudum me in fide pri-
D ma gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione sal-
uabit. Est namque magnum turbati animi solatium, vt pul-
satus vitijs, cum se quasi nudati virtutibus conspicit, ad so-
lam misericordiæ spem recurrat, & eo se nudari non sinat,
quo se à virtutibus humiliter nudum putat. Sequitur. *Do-
minus dedit, Dominus abstulit.* Sanctus vir tentante aduersario
cuncta perdiderat, sed tamen sciens quia contra se Satan
tentandi vires, nisi permittente Deo non haberet, non ait,
Dominus dedit, Diabolus abstulit, sed *Dominus dedit, Domi-
nus abstulit.* Fortassis enim fuerat dolendum, si quod Con-
ditor dederat, hostis abstulisset, at postquam non abstulit,
nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Addit
dicens. *Sicut Domino placuit ita factum est.* Si igitur iusta place-
re Domino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino pla-
cuerint, possumus, iusta sunt cuncta quæ patimur, & valde
iniustum est, si de iusta passione murmuramus. Sequitur.
Sit nomen Domini benedictum. Ecce omne quod rectum sen-
sit, Domini benedictione conclusit. Vt hunc aduersarius
inspiciat ad pœnam suam vnde erubescat, quia ipse Deo
contumax etiam in beatitudine conditus extitit, cui homo
hymnum gloriæ etiam percussus dicit. Redemptor autem E
noster per hoc quod dictus est cum patre dat omnia, per
hoc vero quod homo est, à patre accipit omnia. Dicat igi-
tur de Iudæa cum venturum incarnationis eius mysterium
crederet. *Dominus dedit.* Dicat de Iudæa cum expectatam
incarnationis præsentiam contempsisset. *Dominus abstulit.* Luc. 22. 19.
Quod autem Dominus gratias egisset, Euangelium atte-
statur. *Accepto enim pane gratias egisse* perhibetur. Gratias
itaque egit, qui flagella alienæ iniquitatis suscepit, & qui
nil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione
benedicit. Vt hinc videlicet ostendat, quid vnusquisque in
flagello propriæ culpæ facere debeat, si ille æquanimiter
flagella culpæ portauit alienæ, & quid faciat subditus, si
hæc fecit patri æqualis. Moraliter. Tentationibus eru-
ditus crescit, qui & in virtute habita largitatem dantis, & in
perturbatione fortitudinis potestatem tollentis agnoscit.
Quæ tamen fortitudo non tollitur, sed perturbatur, cum à
mente humili sedulo custoditur. In hoc vero quod inter- F
na perturbatione concutimur, dignum est vt ad conditio-
nis iudicium recurramus, vt inde cor nostrum adiutorio
suo maiores laudes exhibeat, vnde pulsatum verius imbe-
cillitatem infirmitatis suæ pensat. Sequitur.

In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, &c. Quia tacito co- 22.
gitationis motu possumus non loquendo peccare, & de B.
Iob dictum est *non peccauit*, constat quod murmurationis
vitium à cogitatione restrinxit. Et cum dicit. *Stultum locu-
tus non est*, patet quia culpam à lingua compescit. Nec pec-
cauit ergo, nec stulte locutus est, quia nec per conscientiā
tacitus tumuit, nec linguam in contumaciam relaxauit.
Allegorice. Quod nec peccasse, nec stultum aliquid
contra Deum locutus sit Dominus, Petrus attestatur dicēs.
Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Morali- 1. Pet. 2. 22.
ter. Solerti enim cura custodire animus dolens debet, ne
cum se intus tentatio stimulat, in verbis forte illicitæ locu-
tionis erumpat. Ne de probatione murmuret, ne ignis qui
hunc velut aurum concremat, per excessum sermonis illi-
citi in paleæ fauillam vertat. Nil vero obstat, si hoc quod G
de virtutibus diximus, de his quæ in ostensione virtutis
dantur donis Spiritus S. sentiamus. *Alij namque prophetia, alij* 1. Cor. 12. 10
genera linguarum, alij virtutes curationum donantur. Sed quia
hæc ipsa dona non semper in mente eodem modo sint, li-
quido ostenditur. Quod ne se mens in præsumptione ele-
uet, aliquando vtiliter subtrahuntur. Aliæ namque sunt
donationes S. Spiritus, sine quibus ad vitam nequaquam
pertingitur, vt est mansuetudo, humilitas, fides, spes, chari-
tas; aliæ quibus vitæ sanctitas pro aliorum vtilitate decla-
ratur, vt est prophetia, virtus curationum, genera lingua-
rum. Illa ergo sine periculo amitti non possunt, ista ple-
rumque sine dispendio subtrahuntur. Sed cum subtra-
huntur dicamus. *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen
Domini benedictum.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.
MORALIVM IN IOB H

LIBER III.

Factum est cum quadam die venissent filij Dei, & ad- Cap. II.
sisterent coram Domino, venisset quoque Satan inter 1.
eos, & staret in conspectu eius, vt diceret Dominus ad 2.
Satan. Vnde venis? Qui respondens ait. Circuiui 3.
*terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad
Satan. Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei simi-
lis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum & recedens a ma-
lo?* Hæc quia latius superius disseruimus, melius est vt si-
lendo prætereamus. Quamuis quod ei dicitur *vnde venis?*
Non vt prius dicatur, ac si enim Deus voce dicat. Ecce ab
vno, & in infirma carne posito vinceris, qui te contra me
auctorem omnium erigere conaris. Vnde mox Dominus
cum B. Iob bona sicut prius, diceret, hæc cum victoriæ tri-
umphis enumerans adiungit. *Adhuc retinens innocentiā suam.*
Ac si aperte dicat. Tu quidem malitiam exercuisti, sed ille
inno-

A innocentiam non amisit. Sequitur. *Tu autem commouisti me aduersum eum, vt affligerem eum frustra.* Quæramus ergo quomodo frustra, quomodo non frustra. Quia enim iustus est Deus, affligere frustra non potest. Sed rursum quia verax est, aliter non potuit dixisse quam fecit. Necesse quippe erat, vt sanctus vir soli Deo sibique notus, quanta virtute polleret, ad imitandum cunctis innotesceret. Aperta namque alijs virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione remaneret. Frustra ergo percussus est, cui culpa nulla reciditur, & non frustra, cui virtus ad meritum cumulatur. Quid est quod dicit. *Commouisti me?* Nunquid Satanæ verbis veritas in subditorum suorum cruciatibus accenditur? Absit. Sed quia nos ferire nisi commoti, nescimus; ipsa diuina percussio, commotio dicitur, & ad nostra verba, diuina voce descenditur, vt eius factum vtcumque capiatur. Sed quia hæc iam allegorice supra discussimus, replicare vitamus. Hinc ergo initium sumimus. Itaque ait. *Commouisti me frustra.* Cum Iob Redemptoris nostri speciem

B teneat, eique vna sit cum patre substantia, vnaque potestas, quomodo per Satan motum se aduersus eum asserit? Satan itaque ad huius afflictionem Dominum tunc commouit, quando in Paradisum primum hominem à culmine iustitiæ inobedientiæ culpa prostrauit. Nisi enim Adã primus per voluntarium vitium in anima mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem non veniret voluntariam. De quo & bene additur *frustra.* Frustra quippe afflictus est, qui & culpæ vltione pressus est, & cul-

Sap. 12. 15. pæ contagio inquinatus non est. Hinc est quod patri quidam sapiens dicit. *Cum sis iustus, iuste disponis omnia,* eum quoque qui non debet puniri condemnas. Sequitur.

4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Sæpe enim dum venire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus, vt ab ictu oculos defendamus, & corpus vulneri obijcimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Satan ergo hæc consuete sciens fieri, dicit. *Pellem pro pelle.* Ac si aperte dicat. Idcirco Iob tot extra se flagel-

C la æquanimiter patitur, quia pauet ne ipse feriatur. Sequitur.

5. *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem,* & reliqua. Superius dixit. *Tange cuncta quæ possidet,* nunc quasi prioris propositionis oblitus, fractus de alijs, alia postulat. Mystice. Malignus spiritus Redemptorem nostrum miracu-

Marc. 1. 24. lis coruscare conspiciens, clamat. *Scimus quia sis sanctus Dei.* Qui hæc dicens, cognoscendo Dei filium pertimescit. Sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, nonnunquam dum passibilem considerat, hominem purum putat. Multos autem substantialis speciei in pastorali positos loco didicerat, qui à visceribus charitatis alieni, valde pro minimo aliena damna pensabant. Hunc ergo quasi ex illis colligens, quia subtractis multis superari non vidit, vsque ad eius carnem per tactum passionis exarsit, velut diceret. *Pellem pro pelle,* & reliqua. Ac si aperte dicat. Moueri de his quæ extra se sunt, negligunt; sed tunc veraciter qui sit agnoscitur, si in seipso quod doleat experitur. Hæc per se Satan cum fieri appetit, non verbis, sed desiderijs, dixit.

D Hæc per membra sua & verbis & desiderijs intulit. Ipse quippe loquitur, cum iuxta Prophetæ vocem eius sequaces

Ierem. 11. 19. dicunt. *Mittamus lignum in panem eius.* Sequitur.

6. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam eius serua.* Manui itaque aduersarij sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adiutoris sui manu retinetur. De illis quippe omnibus erat,

Ioan. 10. 28. de quibus Veritas dicit. *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et tamen expetenti hosti dicitur. *Ecce in manu tua est.* Idẽ erat ergo in manu Dei, isdem in manu Diaboli. Pius enim adiutor; quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quem aduersarij sui iaculis erectis abscondit. Seruare autem animam Satan dicitur, irrumpere non audere, sicut patri di-

Matt. 6. 13. cimus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Mystice. Membrum Diaboli Pilatus, corpus eius sacerdotum principes exuerunt. Cum ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum Satanæ manibus tradidit, quid aliud quam eiusdem Satanæ manum in se sæuire permisit? Si igitur potestas Satanæ, eius accipitur manus, eius manus iuxta carnẽ pertulit; cuius potestatem corporis vsque ad sputa, colaphos, flagella, crucem, lanceamque tolerauit. Vnde &

E Pilato dixit. *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset* Ioan. 19. 11.
desuper. Animam vero eius serua. Non quo hanc tentare prohibetur, sed quo hanc tentare non posse conuincitur. Neque enim sicut nos tentatione concurimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Etenim si tentationem exterius est dignatus suscipere, mens tamen eius exterius diuinitatis suæ inhærens, inconcussa permanebat. Potest etiam eius anima electorũ vna signari, & cum Satan ad feriendam Redemptoris carnem permittitur, ab anima separatur. Quia cum corpus eius ad passionem accipit, electos eius à iure suæ potestatis amittit. Cumque illius caro per crucem moritur, horum mens contra tentamenta solidatur. Sequitur.

7. *Egressus Satan à facie Domini.* Sæpius hæc sunt superius dicta. *Percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius.* Sæpe enim multa flagella ex qualitate, si videlicet cum multa sunt, non sint grauia, & sæpe grauia ex quantitate, si non sint multa, leuigantur. Aduersarius vero in sanctum

F virũ non solum per nequitiam qualitatis, vt illud. *Percussit Iob vlcere pessimo,* sed etiam per pondus quantitatis exarsit, vt illud. *A planta pedis vsque ad verticem eius.* Mystice. Corpus Domini omnes sunt electi. Ab ipso namque mundi exordio redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis vsque ad verticem vulnus intulit, quia puris hominibus inchoans, vsq; ad ipsum caput Ecclesiæ sæuiendo peruenit. Nullus itaque electorum in hac vita venit, qui non huius hostis aduersa sustinuit. Moraliter. Sic nos quippe diuina pietas deserit, vt deserendo custodiat. Sic custodit, vt tamẽ permisso tentationis articulo, statum nobis nostræ infirmitatis ostendat. A planta nos pedis vsque ad verticem hostis vulnerat, quia nimirum cum licentiam percipit, à minimis incipiens vsque ad maiora peruenit. Qui corpus lacerat, sed ad animam non peruenit, cum cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit, vt quamuis delectatio mentem mordeat, delibe-

G ratione tamen sanctæ rectitudinis vsq; ad consensum molliter non inflectat. Sequitur. *Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Quid testa, nisi lutum? quid sanies, nisi lutũ? Luto ergo tergebat lutum. Pensabat quippe vir sanctus vnde sumptum fuerat quod gestabat, & corpus quod sibi sanũ subdiderat, percussum fragmento fictili curauit. In sterquilinio ponebat corpus, vt ex terra sumptum quæ esset carnis substantia, bene proficiens perpenderet animus. Intueri libet quare omnipotens Deus in hoc sæculo sic vehementer despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit. Idcirco quippe nos sic premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis. Hinc ergo vnusquisq; colligat, quid illic sint passuri quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat? Typice. Quid aliud in manu Domini est testa, nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa igne solidatur, & caro Domini per passionem robustior extitit, vt illud Prophetæ. *Aruit velut testa virtus mea.* Sanies itaque Psal. 21. 16.
putredo est sanguinis, & peccata carnis, ex longa vetustate peior sanies est. Vulnus itaque in saniem vertitur, cum ne-

H glecta culpa vsu deterius grauatur. Redemptor itaque noster, corpus suum in manibus persequentiũ tradens, saniẽ testa rasit, quia peccata nostra carne sua deleuit. Venit, vt scriptum est, *in similitudinem carnis peccati,* vt de peccato damnaret peccatum. Testa ergo sanies raditur, cũ carne cul- Rom. 8. 3.
pa superatur. Qui non in foro vbi lex perstrepit, sed in sterquilinio residet, quia attestante Paulo. *Infirma mundi elegit, vt confunderet fortia.* Ecce dolens in sterquilinio sedet, quia 1. Cor. 1. 27.
post perpetratas culpas libenter corda pœnitentium possidet. Qui dum mala sua flendo considerant, quasi ante se stercora sese abijciendo coaceruãt. Vnde per Prophetã dicitur. *Ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum?* Quotidie Esa. 66. 2.
etiam nunc vsq; peruersa tolerat, cum à reprobis eius electi lacerantur. Prauis enim motibus in Ecclesia Redemptoris vitam multi insequuntur, non gladijs, sed malis actibus. Qui non solum prauæ actionis seipsos inserunt, sed etiam iustorum rectitudinem inflectere ad peruersa moliuntur. Moraliter. Quid per testã nisi vigor districtionis, quid per saniẽ nisi fluctus illicitæ cogitationis accipitur? Percussi ergo testa saniem radimus, cum post pollutio-

A nem cogitationis illicitæ nosmetipsos aspere dimicando
mundamus. Aliter. Per testam fragilitas mortalitatis intel-
ligitur. Testa ergo saniem mundare est mortalitatis cur-
sum fragilitatemque pensare. Cum ergo praua se cogitatio
menti influit, quasi ex vulnere sanies decurrit. Sed citius
sanies tergitur, si in consideratione nostra fragilitas quasi
in manu testa teneatur. Sanies itaque tergitur, cum culpa
non solum ab opere, sed etiam à cogitatione resecatur.
Matt 5.28. Hinc Dominus. *Dico, inquit, vobis, quod si quis viderit mulie-
rem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* In
sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam solicitus respi-
cit, & se de bonis quæ per gratiam percipit, non extollit. In
sterquilinio nobis sedere est, ad ea quæ illicite gessimus,
mentis oculos pœnitendo reducere. Sequitur.

9. *Dixit autem illi vxor sua. Adhuc tu permanes in simplicitate
tua? Benedic Deum & morere.* Antiquus hostis humanum
genus duobus modis tentare consueuit. Vt videlicet cor-
da stantium, aut tribulationibus frangat, aut persuasioni-
B bus molliat. In vtrisq; ergo contra B. Iob se vehementer
exercuit. Nam patrifamilias intulit damna rerum, victus-
que ad subtilia tentandi argumenta conuertitur. Cor igi-
tur mulieris tenuit, & quasi scalam qua ad cor viri ascen-
dere potuisset, inuenit, sed nihil hac arte præualuit. Cum
enim cor nostrum antiquus hostis sua persuasione non
inbruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium subre-
Eccl. 12.16. pit. Hinc enim scriptum est. *A filijs tuis caue, & a domesticis tuis
Matt. 10.36 attende.* Et rursum. *Inimici hominis domestici eius.* Mystice.
Cuius speciem male persuadens mulier tenuit, nisi quo-
rumlibet carnalium in Ecclesiæ sinu positorum? Qui quo
verbis professæ fidei intus sunt, eo bonos incorrectis suis
moribus peius premunt. Suadent namque nos aliquando
verbis, aliquando exemplis illiciunt. Sed hoc ipsum ali-
quando metu, aliquando vero audacia agere moliuntur.
Quorum Petrus & Saruiæ filius speciem tenuerunt. Ille
videlicet à passione Dominum prohibendo, hic vero ma-
ledicentem Regi extinguere cupiens. Sed valde deterio-
res sunt, qui huic culpæ non formidine, sed elatione suc-
C cumbunt. Moraliter. Vxor namque male suadens,
est carnalis cogitatio mentem lacescens. Sæpe enim & fo-
ris flagellis atterimur, & intus carnali suggestione fatiga-
Thren. 1.20 mur. Hinc Ieremias ait. *Foris interficit gladius, & domi mors si-
milis est.* Sed hæc aliter aguntur à reprobis, aliter ab electis.
Illorum namque corda ita tentantur vt consentiant, isto-
rum non tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant.
Sequitur.

10. *Respondens autem Iob dixit. Quasi vna de stultis mulieribus lo-
cuta es.* Ecce vbique hostis frangitur, vbique superatur, quia
enim sensus prauæ mulieris, non autem sexus in vitio est.
Nequaquam ait, locuta es quasi vna ex mulieribus, sed ex
ineptis mulieribus, vt videlicet ostendatur, quia quod
prauum sapit, accedentis stultitiæ, non autem conditæ sit
naturæ. Sequitur. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala
quare non sustineamus?* Bona, scilicet dona Dei, vel tempora-
lia vel æterna. Mala autem flagella præsentia appellans.
Esa. 45. 7. De quibus Dominus per Prophetam dicit: *Ego Dominus &
D non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem &
creans malum.* Magna quippe consolatio tribulationis est,
si cum aduersa patimur, auctoris nostri ad memoriam do-
na reuocemus, nec frangit quod ex dolore obuiat, si men-
ti citius hoc quod ex munere subleuat, occurrat. Hinc
Eccl. 11.27. namque scriptum est. *In die bonorum, ne immemor sis malorum,
& in die malorum ne immemor sis bonorum.* Mystice. Sancti
viri tribulationum bello deprehensi, cum vno eodemq;
tempore alios ferientes, alios suadentes sentiunt, illis op-
ponunt scutum patientiæ, istis iacula intorquent doctri-
næ. Hos docentes corrigunt, illos tolerantes premunt. In-
surgentes namque hostes patiendo despiciunt, infirman-
tes vero ciues, compatiendo ad salutem educunt. Quia
Psal. 26.4. enim electis dicitur. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum,*
mentes carnalium quæ influxa Deo intentione deseruiũt,
non immerito mulieres vocantur. Ac si dicatur. Si ad bo-
na æterna tendimus, quid mirum si temporalia mala suf-
feramus? Hinc Paulus ait. *Non sunt condigna passiones huius
Rom. 8. 18. temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Mora-
liter. Quisquis subigere vitia appetit, & ab æterna in-

E tentione retributionis culmina veræ intentionis gressibus
tendit, quo magis vallari se vitiorum bellis vndique con-
spicit, eo se virtutum armis robustius accingit, & tanto mi-
nus iacula metuit, quanto contra hæc iacula venientia
fortiter pectus munit. Sequitur. *In omnibus his, non peccauit
Iob labijs suis.* Duobus modis labijs delinquimus, cum aut
iniusta dicimus, aut iusta reticemus. Nam & si aliquando
reticere culpa non esset, Propheta non diceret. *Væ mihi,* Esa. 6. 5.
quia tacui. Beatus Iob in cunctis quæ egit, in labijs suis mi-
nime peccauit, quia nec contra ferientem superba dixit,
nec contra suadentem reticuit. Mystice. Sancti viri cum
persecutionem foris intusque patiuntur, non solum in Dei
iniurijs minime excedunt, sed neque contra ipsos aduer-
sarios contumeliosa verba iaculantur. Hinc Petrus ait.
Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus. 1. Pet. 4.15.
Maledicus enim patitur, qui passionis suæ in tempore sui
saltem iniuria persecutoris effrenatur. Sequitur.

Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, 11.
F & reliqua. Qui ex condicto ad afflicti consolationem ve-
niunt, & inter se & erga percussum quantæ charitatis fue-
rint demonstrantur. Quamuis & per hoc quod Scriptura
hos tantis viri amicos fuisse testatur, quia boni studij & re-
ctæ fuerint intentionis ostenditur, sed tamen hæc ipsa il-
lorum intentio eis ad verba prorumpentibus ante districti
iudicis oculos subortæ indiscretione fuscauit. Mystice.
Amici B. Iob, & si bona intentione ad eum conueniunt,
hæreticorum tamen idcirco speciem tenent, quia ad cul-
pam indiscrete loquendo dilabuntur. Sancta itaque Ec-
clesia cum vulnera sustinet, cum membrorum suorum la-
psus dolet, insuper alios sub Christi nomine solerat hostes
Christi. Ad augmentum namque doloris eius, etiam hæ-
retici in contentione conueniunt, eamque quasi quibus-
dam iaculis, irrationabilibus verbis figunt. Sequitur. *Con-
uenerunt de loco suo.* Hæreticorum quippe locus ipsa est Su-
perbia, sicut e contra humilitas locus bonorum, vt illud
Salomonis. *Si ascenderit super te spiritus potestatem habens, lo-* Eccle. 10. 4.
cum tuum ne dimiseris. Hæretici igitur de loco suo veniunt,
G quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia mouentur.
Eliphas interpretatur Dei contemptus. Baldad autem ve-
tustas sola. Dum nouæ vitæ conuersionem hæretici negli-
gunt, & ex sola vetustate est quod intendunt. Sophar dis-
sipatio speculæ, vel speculatorem dissipans. Montes nam-
que fidelium ad contemplanda superna se erigunt, sed
dum hæreticorum verba peruertere recta contemplantes
appetunt, speculam dissipare conantur. Bene autem loca
de quibus veniunt, congrua hæreticorum actibus descri-
buntur. Dicitur enim Themanites, † Auster: Suites, Lo- † Auster.
quens: Naamatites, Decor. Prius enim hæreticos inordi-
natus calor accendit, nitor deinde loquacitatis erigit, &
tunc demum decoris hominibus hypocrisis ostendit. Se-
quitur. *Condixerant enim vt pariter venientes visitarent eum, &
consolarentur.* Condicunt sibi hæretici, quando praua quæ-
dam contra Ecclesiam concorditer sentiunt, & in quibus
à veritate discrepant, sibi in falsitate concordant. Hæretici
autem qui sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad
eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum si ami-
H ci nominantur, cum & ipsi Traditori dicitur. *Amice ad quod* Mat. 26.50.
venisti? Moraliter. Amici consolari veniunt, sed in
contumelias erumpunt, quia vitia insidiantia, virtutum
faciem sumunt, sed hostili inuectione nos feriunt. Sæpe
immoderata ira, iustitia, dissoluta remissio, misericordia;
sæpe incautus timor, humilitas vult videri. Bene autem di-
citur. *Condixerant enim sibi.* Vicina namque est Superbia
iræ, remissio timori. Condicendo enim veniunt, quæ con-
tra nos sibi ex quadam prauitatis cogitatione sociantur.
Sequitur.

Cumque eleuassent oculos procul, non cognouerunt eum. Ordo
quippe consolationis est, vt cum volumus afflictũ quem-
piam à mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo
eius luctui concordare. Dolentem namque non potest
consolari, qui non concordat dolori. Sed inter hæc scien-
dum est, quia his qui afflictum consolari desiderat, men-
suram necesse est dolori quem suscipit, ponat; ne non so-
lum dolentem non mulceat, sed intemperate dolens,
afflicti animum ad pondus desperationis premat. Amici

vero

A vero B. Iob plus quam necesse fuerat in consolatione doluerunt, qui dum percussionem cernūt, sed percussi mentem nesciunt, ita in immensum luctum versi sunt, ac si percussus. Virtutis fortitudinis in plagam corporis, etiam corde cecidisset. MYSTICE. Hæretici quique cum sanctæ Ecclesiæ facta considerant, oculos leuant, quia ipsi videlicet in imis sunt. Sancta quippe Ecclesia appetit hic mala recipere, vt possit ad æternæ remunerationis præmiū purgata peruenire. Hæretici igitur quia pro magno patientia appetunt, eam in vulneribus positam non cognoscunt. Hic namq; quod in illa cernunt, in suorum cordium cognitione non relinquunt. Sequitur. *Scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum.* Sicut vestimenta Ecclesiæ cunctos fideles accipimus, vt illud Prophetæ: *Omnibus his velut ornamento vestieris*, ita hæreticorum sunt omnes qui eis concordant, inhærentes illorum erroribus inuoluuntur. Qui dum ad deteriora quotidie ruunt, & sentiendo peiora in multis se partibus scindunt. Sicque fit, vt scissis sequacibus malitia eorum cogitationis aperiatur, vt discordiam dolus patefaciat, quos spiritus grauis concordiæ culpa claudebat. Per puluerem, terrenam intelligentiam: per caput, mentem, per cœlum, præceptum supernæ locutionis accipimus. Puluerem ergo super caput in cœlo spargere est, seculari intellectu mentem corrumpere, & de verbis cœlestibus terrena sentire. Super capita igitur puluerem spargunt, quia in præcepta Dei per terrenam intelligentiam vltra suarum mentium vires nituntur. MORALITER. Afflictos enim nos vitia minime cognoscunt, quia triste cor mox vt pulsauerint reprobata resiliunt, & quæ nos lætos quasi nouerant, quia penetrabant, mœrentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur. *Qui exclamantes plorauerunt.* Signatur enim pietas per ploratum; discretio, per scissionem vestium; affectus operum, per puluerem capitum. Sequitur.

13. *Sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus*, & reliqua. Verum continuis septem diebus & septem noctibus, cum afflicto Iob sederint, an certe diebus & noctibus
C totidem instantia ei crebræ visitationis adhæserint, ignoramus. Sæpe tamen Scriptura totum pro parte, & pro toto partem ponere consueuit. Intuendum videlicet est, quia sunt nonnulli qui & loqui præcipitanter incipiunt, & effrenate cœpta, effrenatius exsequuntur. Et sunt nonnulli qui tarde quidem loqui inchoant, sed semel inchoantes habere modum locutionis ignorant. Amici igitur B. Iob dolorem videntes, diu tacuerunt, sed tarde inchoantes indiscrete loquuti sunt, quia parcere dolenti noluerunt. Vnde necesse est vt non solum intueamur quid agimus, sed etiam cum quanta discretione peragamus. MYSTICE. In die quæ videmus agnoscimus, in nocte autem aut cæcitate nil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem vero ignorantia designatur. Septenario autem numero summa vniuersitatis exprimitur. Septem enim diebus omne hoc tempus consummatur. Quid est ergo in terra septem diebus & noctibus sedere, nisi quod hæretici, vel his in quibus verum lumen intelligunt, vel in his in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur,
D quasi infirmitati sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, & sub blandimentorum specie dolos deceptionis parant. In terra ergo considere est, aliquid de imagine humilitatis ostendere, vt dum humilius exhibent, persuadent superba quæ docent. Potest etiam per terram ipsa mediatoris incarnatio designari. Vnde ad Israël dicitur.
Exod. 20. 24. 25. 26. *Altare de terra facietis mihi.* In terra ergo sedere est vel in hoc quod aliquid de plenitudine veritatis intelligunt, vel in hoc quod suæ stultitiæ tenebris excæcantur hæretici, incarnationis mysterium negare non posse, veramque Redemptoris carnem cum S. Ecclesia credere. MORALITER. Cum afflictis nobis vitia sedent in terra, cum imaginem humilitatis ostentant, vt affectum vtilitatis subtrahant, vt dum se vnusquisque indignum considerat, res in quibus prodesse proximis poterat, ministrare pertimescat. Sequitur. *Et nemo loquebatur ei verbum.* Tacentes enim aduersarios habemus, si vere filios fidei prædicando generare negligimus. Si autem loqui recte incipimus, graues mox contumelias ex eorum responsione sentimus. Nonnunquam

E tamen hæretici cum torpore inertiæ fidelium corda considerant, erroris semen aspergere loquendo non cessant. Cū vero mentes bonorū vident alia sapere, de ærumna huius exilij strenue dolere, circumspectione sollicita linguam frenant. Quia vidēt quod contra corda dolentium in cassum loquentes citius obmutescunt, vnde mox subditur. *Videbant enim dolorem esse vehementem.* MORALITER. Si enim cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent. Nam cum plene via rectitudinis quæritur, superuacua suggestio prauitatis obduratur. Sæpe autem si nos fortiter stringimus, vitia ad vsum virtutis immutamus. Sed dum iram rationi subijcimus, in sancti zeli ministerium vertimus, si cum superbia erigit, hanc ad defensionem iustitiæ immutamus: si cum fortitudo carnis illecebrat, pietatis lucra mercemur.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. F

MORALIVM IN IOB

LIBER IV.



Qui textum considerat, & sensum sacræ lectionis ignorat, non tam se eruditione instruit, quam ambiguitate confundit. Ecce enim B. Iob maledixisse diei suo describitur, dicens. Cap. III.
Pereat dies in qua natus sum. Quis autē nesciat 3.
diem qua natus est nequaquam tunc stare potuisse? Cur ergo vir tantus malediceret rei quam nequaquam subsistere non ignoraret? Si enim subsistenti rei maledixit, perniciose egit. Si non subsistenti rei maledixit, otiose. Ideoq; sic otiosa velut etiam perniciosa formidanda sunt. Hinc enim scriptum est. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem.* Sequitur. Matt. 12. 36.

Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper. 4.
G Dies qui lapsus cursu temporis scitur, cur verti in tenebras dicitur, & qui non subsistit, quomodo vmbra voluit? Aut quam noctem tenebrosus turbo possidet, quam nullus status tenet? Aut quomodo optatur solitaria fieri, quæ transeundo iam fuerat nulla? Aut lucem quomodo expectat, quæ sensu caret? Sequitur.

Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus, cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Nunquid si egressus ex vtero statim perijsset, retributionis meritum ex hac ipsa perditione perciperet? Nunquid æterna præmia abortiui perfruuntur? Quod vero apud nos valet Baptismus, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides; vel pro maioribus virtus sacrificij, vel mysteria circumcisionis. Scriptum est. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, & reliqua. Veritas autem dicit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habet vitam æternam.* Quid est quod quiescere se asserit, si à reatu originalis culpæ nequaquam diuina eum sacramenta liberassent? Sequitur: *Cum regibus & consulibus terræ.* Quis ignoret quod reges & consules à solitudine procul sint, vel quam difficile ad requiem tendant? Vt illud. *Iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet.* Et illud. *Cui multum donatum est, multum quæretur ab eo.* Sequitur. *Aut cum principibus qui possident aurum.* Rarum valde est, vt qui aurum possident, ad requiem tendant. Cum Veritas dicat. *Difficile qui pecunias habent intrabunt in regnum cælorum.* Quia igitur verba hæc in superficie à ratione discordant, ipsa iam litera indicat. Sed quid est quod Dauid, qui retribuentibus mala non reddidit, Gelboe tamen montibus maledixit? Quid moriente Saül montes Gelboë peccauerunt? Hac ergo & alijs sacræ Scripturæ maledictionibus discimus, quid apud B. Iob in voce maledictionis inquiramus. Ne quem Deus post verbera remunerat, lector redarguere non intelligens præsumat. Sed sciendum est quod scriptura duobus modis maledictum memorat. Aliud videlicet, quod approbat, aliud quod damnat. Aliter profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Hinc scriptū est. *Benedicite, & nolite maledicere.* Et, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

Psal. 50. 7. Ioan. 3. 5. H Sap. 6. 6. Luc. 12. 48. Matt. 19. 23. Marc. 10. 23. 2. Reg. 1. 21. Rom. 12. 14. 1. Cor. 6. 10.

A *fidebunt.* Illinc. *Maledicta terra in opere tuo.* [Gen. 3. 17.] Hoc pensandum est, quia cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitia examinis erumpunt, vt Petrus Simoni, vt Helias quinquagenariis. Sed nec illud prætereundũ est, cur dicit. post hæc, post illa videlicet quæ ei acciderunt. Nimis itaq; incongruum est, vt suspicemur eum nullo instigante, nullo pulsatore ex impatientia ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum nouimus inter tot verbera magna Creatoris præconia humili mente reddidisse. ALLEGORICE. *Pereat dies in qua natus sum.* Per diem natiuitatis, omne hoc tempus nostræ mortalitatis intelligi potest. Quisquis igitur iam diem æternitatis videt, ægre diem mortalitatis suæ* videt. [* sustinet.] Et notandum quia nõ ait. Pereat dies in qua conditus, sed in qua natus sum. In die quippe iustitiæ homo est cõditus, sed iam in tempore culpæ natus. Ac si aperte dicat. Dies mutabilitatis pereat, & lumen æternitatis erũpat. Sed quia duobus modis perire dicimus, vel cum optamus aliquid vt nõ B sit, vel cum optamus vt male sit; liquido hic ostenditur, quia dies iste non ita vt non sit, sed perire optatur, vt male sit, vnde & paulo inferius dicitur. *Obscuret eũ caligo, & inuoluatur amaritudine.* Hoc autem tempus mutabilitatis nõ transitiuum est vt male sit, sed vt penitus non sit. Vt illud Angeli. *Per viuentem in secula, quia tempus iam non erit.* [Apoc. 10. 6. 7.] Humana enim anima seu angelicus spiritus & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis. Nam beate viuere siue per vitium, seu per supplicium perdit. Essentialiter autem viuere, neque per vitium, neq; per supplicium amittit. Igitur diei nomine, vir sanctus apostatam spiritũ exprimere voluit, qui in viuendi essentia, etiam mortuus subsistit. Antiquus autem hostis dies est per naturã à Deo conditus, sed nox est per meritum ad tenebras delapsus. Dies est cũ bona promittit, sed nox est cum mentes *consentium erroris tenebris obscurat. [* consentientium.] De illo enim Paulus ait. *Cum sit Angelus tenebrarum, transfigurat se in Angelum lucis.* [2. Cor. 11. 14.] Ac si ergo diceret. Pereat antiquus hostis, qui lucem promissionis ostendit, & peccati tenebras contulit. Pereat, id est, licentiam ten- C tandi amittat. MORALITER. Quasi dies quædam est nobis, cum mundi huius prosperitas arridet, quæ in nocte desinit, q̃ sæpe ad tribulationis tenebras perducit. Hinc Propheta ait. *Diem hominis non desideraui, tu scis.* [Iere. 17. 16.] Hinc Dominus per Prophetam dicit. *Vsq; ad noctem increpuerunt me renes mei.* [Psal. 15. 7.] Potest autem per diem peccati delectatio, per noctẽ vero cœcitas mentis intelligi. Optat igitur perire diem, vt omne quod blandire culpa cernitur, vigore iustitiæ interueniente destruatur. Optat etiam perire noctem, vt cœcata mens etiam per consensum perpetrat, animaduersione pœnitẽtiæ extinguat. Sed quærendum nobis est cur in die homo natus dicitur, in nocte autẽ conceptus. Scriptura sacra tribus modis hominem appellat, scilicet aliquando per naturam, vt illud. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* [Gen. 1. 26.] Aliquando per culpam, vt illud. *Vos autem sicut homines moriemini.* [Psal. 81. 7.] Et Paulus ait. *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne homines estis?* [1. Cor. 3. 3.] Aliquando per infirmitatem, vt illud. *Maledictus qui spem suam ponit in homine.* [Ierem. 17. 5.] Homo ergo in D die nascitur, sed in nocte concipitur, quia nequaquam à delectatione peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Pereat ergo delectatio, quæ in culpa hominem rapuit. Pereat incauta mentis infirmitas, quæ vsq; ad tenebras praui consensus excœcauit. Sequitur. *Dies illa vertatur in tenebras.* In tenebras dies vertitur, cum malignus hostis qualis est ea merito sæuiens, talis perspicitur in blandimentis latens. Quasi enim lucet dies iste, cum prauitatis eius persuasio prospera creditur. Sed cum iniquitas illius sicut est, agnoscitur; dies falsæ promissionis tenebris obscuratur. Dies in tenebras vertitur, cum culpa ipso delectationis exordio ad quem perditionis finem rapiat, videtur. In tenebras diem vertimus, cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis prauæ blandimenta per districta pœnitentiæ lamenta eructamus, cũ flendo insequimur quicquid in corde taciti ex delectatione peccauimus. Sequitur. *Non requirat eum Deus desuper, & non illustret lumine.* Duas omnipotens Deus ad se intelligendum creaturas fecerat. Angelicam videl. & humanam, vtramq; vero superbia percutit. Sed eam redimere debuit misertus, quam to

E perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid cõstat habuisse. Hinc enim Propheta ait. *Recordatus est quia caro sunt.* [Psal. 77. 39.] Et eo alius Angelum apostatam repellere debuit, quo nil infirmum ex carne gestauit. Est adhuc aliud quo & perdit* homo reparari debuit, & superbiens spiritus reparari nõ possit. Quia nimirum Angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostrauit. Ac si de eo dicatur. Quia ipse tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit, nec vnquam pristini luminis statum recipiat, quia hoc etiã non suasus amisit. MORALITER. Requirit quæ iudicando discutit, nõ requirit quæ ignoscendo in suo iam iudicio impunita derelinquit. Hic itaq; dies, id est, hæc peccati delectatio à Domino non requiretur, si animaduersione spontanea punitur. Paulo attestante qui ait. *Si nosipsos diiudicaremus, non vtiq; à Domino iudicaremur.* [1. Cor. 11. 31.] In iudicio namq; Dominus apparens, omne quod tunc redarguit lumine illustrat. Quasi enim sub quadam obscuritate tegitur, quicquid tunc in memoriam non reuocatur iudicis. Scriptum quippe est. *Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestãtur.* [Ephes. 5. 13.] Quia ergo omne F quod tegitur velut in tenebris occultatur, in die extremi iudicii non illustratur lumine, quod non discutitur vltione. Scriptum est enim. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* [Psal. 31. 1.] Sequitur.

5. *Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis.* Per vmbram mortis obliuio debet intelligi, quia sicut mors interimit vitam, ita obliuio extinguit memoriam. Quia ergo Apostata Angelus æternæ obliuioni traditur, vmbra mortis obscuratur. Ac si dicat. Sic enim eum erroris sui cæcitas obruat, vt nequaquam vlterius ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat. MORALITER. Diem tenebræ obscurant quando delectationem mentis inflicta pœnitentiæ lamenta transuerberant. Possunt etiam per tenebras occulta iudicia designari. Occulta enim iudicia quasi quædam ante nostros oculos tenebræ sunt, quia penetrari nequaquam possunt. Vnde de Domino scriptum est. *Posuit tenebras latibulum suum.* [Psal. 17. 12.] Diem igitur tenebræ obscurant, cum flendo nostræ delectationis gaudium ab illo iustæ animaduersionis radio inscrutabilia eius iudicia mise- G ricorditer occultant. In Scriptura enim sacra vmbra mortis aliquando obliuio mortis accipitur, vt illud. *Illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.* [Luc. 1. 79.] Aliquando imitatio Diaboli. De illo quippe dicitur. *Nomen illi mors.* Hinc vtiq; scriptum est. *Sedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta est eis.* [Apoc. 6. 8.] [Matt. 4. 16.] Aliquando mora carnis, vt illud. *Humiliasti nos in loco afflictionis, operuit nos vmbra mortis.* [Psal. 43. 20.] Vera enim mors est cum anima separatur à Deo. Quia ergo Redemptor solã pro nobis mortem carnis accepit, vmbrã mortis pertulit, & ante oculos culpam quam fecimus abscondit. Ac si ergo diceret. Ille veniat qui vt à morte carnis & spiritus debitores eripiat, mortem carnis non debens soluat. Sequitur. *Occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.* Quia enim antiquus hostis à luce intimi ordinis cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine inuoluitur, quia ex merito spontaneæ caliginis, æterno gehennæ tormento cruciatur. Quia enim in caligine oculus H confunditur, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationib* subnubilat mentem. Hinc scriptum est. *Et confusio adducens gloriam.* [Eccles. 4. 25.] Hæc caligo eorum mentem oppresserat, quibus Paulus dicebat. *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* [Rom. 6. 21.] Dies enim amaritudine inuoluitur, cum ad cogitationem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ sequuntur. Quicquid enim inuoluitur, ex latere omnis partis operitur. Diem ergo amaritudine inuoluimus, cum prauæ delectationis gaudium quæ supplicia sequantur ex omni parte aspicimus, & asperis hoc fletibus circumdamus. Sequitur.

6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Scriptum quippe est. *Ignis in conspectu eius ardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* [Psal. 4.] Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiritum à conspectu districti iudicis ad æterna illa supplicia pauenda illa tempestas rapit. Turbine nox illa possidetur, quia superba eius cæcitas districta animaduersione percutitur. MORALITER. Quasi enim

quidam

A quidam turbo tempestatis est, concitatus spiritus mœroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit, intelligit; mœrore mentem obnubilat, & quasi concusso serenæ lætitiæ acie, omnem in se tranquillitatem cordis pœnitentiæ turbine deuastat. Hinc enim scriptum est. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* (Psal. 47. 8.) Tharsis interpretatur exploratio gaudij, id est, perpetrationem culpæ non blandimenta securæ quietis foueant, sed piæ desæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat. Sequitur. *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus anni.* Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconuenienter accipimus. Quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum, quia sicut ex dierum multitudine annus dicitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis vniuersitas expletur. Hinc Esaias ait. *Spiritus Domini super me.* (Esa. 61. 1.) Et post paululum infert. *Vt prædicarem annum placabilem Domino.* (Ibid. 2.) B Quid vero per dies, nisi singulæ quæque electorũ mentes? Quid per menses, nisi multiplicatæ eorum Ecclesiæ, quæ vnam Catholicam faciunt, designantur? Illa ergo nox non computatur in diebus anni, quia antiquus hostis superbiæ suæ tenebris pressus, aduentum quidem Redemptoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* (Heb. 2. 16.) Possunt dies hi qui interna luce permanent, Angelici spiritus: menses autem, eorum ordines & dignitates intelligi. Singuli quique enim spiritus, quia lucent dies sunt. Sed quia certis quibusdam dignitatibus distinguuntur, vt alij Throni, alij Dominationes sint, menses vocãtur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur, nec in diebus anni, nec in mensibus numeratur. MORALITER. Illuminationis nostræ annus tunc perficitur, quando apparente æterno iudice sanctæ Ecclesiæ, peregrinationis suę vita completur. Tunc laboris sui remunerationem recipiet, cum expleto hoc C belli tempore, ad patriam redit, vt illud Prophetæ. *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* (Ps. 64. 12.) Dies vero anni huius, sunt singulæ quæque virtutes, menses autem, multiplicia facta virtutum. Ac si ergo districtum iudicem exoret dicens. Cum completo sanctæ Ecclesiæ tempore, externo te examine manifestas, sic dona quæ contulisti remunera, vt mala quæ commisimus, non requiras. Si enim nox illa computatur, omne quod egimus ea prauitatis nostræ extimatione confunditur, & dies virtutum iam non lucent, si hos in conspectu tuo adnumerata nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret. Sequitur.

7. *Sit nox illa solitaria.* Nox illa solitaria efficitur, quia districtione perpetua à frequentia supernæ patriæ separatur. Aliter. Ad perditionem quippe sociam hominem fecerat sibi, quem Redemptoris gratia reformat. Solitaria ergo nox efficitur, cũ sublatis eis qui electi sunt, solus antiquus hostis cum suo corpore æternis ignibus gehennæ mancipatur. Sequitur *Nec laude digna.* Cum enim humanum gen⁹ erroris tenebris pressum, Deos lapides crederet, q̃d aliud D quam noctis tenebras laudabat? Hinc Paulus ait. *Scimus quia Idolum nihil est.* (1. Cor. 8. 4.) Sed quæ immolant gentes dæmonijs immolant. Sed ecce iam cernimus, quia nox illa non esse digna laude cognoscitur, cum à redempto humano genere, idolorum veneratio reprobatur, & solitaria nox relinquitur, quia cum damnato apostata spiritu ad tormenta venit. MORALITER. Sunt nonnulli qui non solum nequaquam deflent quod faciũt, sed etiam laudare & defendere non desistunt. Et nimirum cum defenditur culpa, geminatur. Contra quod recte dicitur. *Peccasti? ne adijcias iterum.* (Eccl. 21. 1.) Ac si ergo dicat. Culpa quam fecimus sola remaneat, nec laudatur & defenditur, in conspectu nos iudicis multiplicius adstringat. Peccare quidem non debuimus, sed vtinam non vnguentes vel ea quę fecimus sola deferamus. Sequitur.

8. *Maledicant ei qui maledicunt diei.* In veteri translatione dicitur. Maledicant eam, qui maledixit diem, qui capturus est grandem cetũ. Antichristi enim his verbis, perditio* prouidetur futura. (*prænidetur.) Malignus namque spiritus, qui per meritũ E nox est, diem se in mundi finem simulat, cum se quasi Deũ hominibus ostendat. Noctem igitur maledicit, qui maledicit diem, quia ille nunc eius malitiam destruit, qui illustratione aduentus sui, tunc etiam potentiam eius fortitudini extinguit. Huius enim ceti fortitudo in aquis capitur, quia antiqui hostis versutia baptismi sacramento superatur. Hic autem de electis eius Angelis dicitur. Diem se quippe superbiens spiritus ostentare etiam Angelicis potestatibus voluit, cum se quasi in potentia diuinitatis super cæteros extollens, tot post se ad interitum legiones traxit. Sed hi qui in auctore suo humili corde persisterunt, cum errori eius noctem inesse conspicerent, diem claritatis illius de semetipsis humilia sentiendo calcauerunt, qui nunc nobis diei eius tenebras indicant, & quam sit illis despicienda facta claritas demonstrant. MORALITER. Illi veraciter mala transacta per animaduersionem pœnitentiæ corrigunt, qui iam ad bona fallentia nulla delectatione rapiuntur. Non quia adhuc noxia alia delectant, F falsum est quod cernitur, quia perpetrata alia deplorant. Aliter. Illi transactas culpas vere puniunt, qui maligni seductoris insidias in ipsa blanda suggestione deprehendunt. Sequitur. *Qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Leuiathan quippe additamentum eorum interpretatur, hominum scilicet: quia postquam primam culpam mala suggestione intulit, hanc quotidie augere grauioribus persuasionibus non desistit. Vel certe per exprobrationem additamentum hominum dicitur. Eos namque in paradiso immortales reperit, sed diuinitatem promittendo, immortalitatem calliditate subtraxit. Electi enim spiritus superbum apostatam comprimunt, quia humiles hunc sequi noluerunt, ipsisque administrantibus disponitur, vt ad internecionem apti certaminis destruendus funditus quandoque reuincetur. MORALITER. Omnes qui ea quæ mundi sunt, mente calcant, & ea quæ Dei sunt plena intentione desiderant, Leuiathan contra se suscitant, quia eius malitiam instigatione suæ conuersationis inflammãt. Nam qui eius voluntati subiecti sunt, quasi quieto ab illo G iure possidentur. Et quasi dormit, dum sopitus in eorum prauo corde quiescit. Sed excitatur in prouocatione certaminis, cum ius amiserit peruersæ dominationis. Hi ergo contra peccatum forti iudicio districtionis se erigunt, qui in suis tentationibus excitare antiquum aduersarium non formidant. Sequitur.

9. *Obtenebrentur stellæ caligine eius.* In Scriptura sacra aliquando Sanctorum iustitia designatur, vt Paulus Apostolus ait. *In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* (Phil. 2. 15.) Aliquando hypocritarum fictio demonstratur, vt illud. Misit draco caudam, & traxit *partem stellarum.* (Apoc. 12. 4.) Ac si ergo dicat. Contra eos quanto* humanos oculos, quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura præualeat, & hoc quod ante humana iudicia sumpserant, lumen laudis depònãt. (* Videtur ph asis corrupta.) MORALITER. Stellæ quippe noctis caligine tenebrantur, quando & hi qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent, vt etiam magna claritate luceãt, & tamen adhuc noctis reliqua nolentes trahant. Vnde & H in terra repromissionis in medio Ephraim tribui cauentes tribu Chananæus relinquitur. Aliter. Nox est consensus ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata. Nosque iam post pœnam ad hanc vitam damnati, cum mortis merito venimus. Multi tamen in tenebris vitæ pręsentis dum superna de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent. Qui tamen quantolibet se igne compunctionis accendant, dum corruptibili adhuc carne grauati sunt, æternum lumen, sicut est, videre non possunt. Dicat ergo. *Obtenebreatur stella caligine eius.* Id est, etiam illi in contemplatione sua antiquæ noctis adhuc tenebras sentiant, de quibus nimirum constat quod humano generi in huius vitæ caligine virtutum suarum radios expandant. Sequitur. *Expectet lucem, & non videat.* Lux Dominus est. Ipse quippe ait. *Ego sum lux mundi.* (Io. 8. 12.) Nox vero tenebrosus hostis, cum membris suis est, quę lucem expectat & non videt. Quia vel hi qui fidem sine operibus retinent cum pro eadẽ fide in extremo iudicio saluare se posse confidunt, spes illorũ frustrabitur, vt hi qui pro humana laude

A in bona actione se exhibent, in cassum aduenienté iudicé
retributionem bonorum operũ sperant. Veritate attestan-
Matth. 7. 2 te, quæ ait. *Amen dico vobis, receperũt mercedem suam.* Sequitur.
Nec ortum surgentis auroræ. Aurora quippe Ecclesia dicitur,
quæ à peccatorum suorum tenebris, ad lucem iustitiæ per-
Cant. 6. 9. mutatur. De qua dicitur. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi au-*
rora consurgens? In illa igitur luce, quæ in districti iudicis ad-
uentum monstrabitur, corpus damnati hostis ortũ surgentis
auroræ nõ videt, quia iniquus quisq; suorum caligine me-
ritorum pressus, quanta claritate S. Ecclesia in interuum
cordis lumen surgat, ignorat. Quæ etiam Ecclesia in iudi-
cio adhuc aurora erit, sed tunc ego dies. Ortus itaque auro-
ræ est exordium clarescentis Ecclesiæ, quem videre repro-
bi nequeunt, quia in conspectu districti iudicis malorum
suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur. De qui-
bus Propheta ait. *Tollatur impius ne videat gloriam iusti.* Aliter.
Iudæa lucem expectauit, & non vidit, quia humani generis
B redemptorem venturum, quod est prophetãdo, sustinuit;
sed venientem minime cognouit. Quæ & surgentis auroræ
ortum non vidit, quia infima illa sanctæ Ecclesiæ primor-
dia venerari contempsit. MORALITER. Quantalibet inten-
tione adhuc peregrina mens satagat, videre lucem sicut
est, non valet, quia hanc ei damnationis suæ cæcitas ab-
scondit. Ortus vero est auroræ illa noua natiuitas resurre-
Matt. 19. 28 ctionis Ecclesiæ. Hinc Dominus ait. *In regeneratione cum sede-*
rit filius hominis in sede maiestatis suæ. Sed quantalibet virtute
electi nunc fulgeant, penetrare nequeunt quæ erit illa no-
uæ natiuitatis gloria, qua tunc carne ad contemplandum
æternitatis lumen absconduntur. Sequitur.

10. *Quia non conclusit ostia ventris qui portauit me, nec abstulit*
mala ab oculis meis. Quod vnicuiq; homini venter est matris
hoc vniuerso humano generi extitit illa summa paradisi.
Ex ipsa namque humanum genus velut ex ventre prodijt.
Sed huius ventris ostia serpens aperuit, cum persuasione
callida in corde hominis mandatũ cœleste dissoluit. Nec
moueat quod non conclusisse quæritur, quem aperuisse
paradisi ianuam detestatur. Non conclusit enim dicit, ape-
C ruit: & mala non abstulit, irrogauit. Quasi eo si auferret, si
quiesceret, & quasi clauderet si ab irruptione cessaret. MO-
RALITER. Ostia quippe ventris sunt desideria concupiscẽ-
Esa. 26. 20. tiæ carnalis, de quibus per Prophetam dicitur. *Intra in cubi-*
cula tua, & claude ostia tua. Nox vero est culpa peccati, quæ
ostia ventris aperuit, quia concepto à peccato homini de-
sideria concupiscentiæ reserauit, non conclusit vt supra
aperuit & non abstulit, irrogauit. Sequitur.

11. *Quare non in vulua mortuus sum?* & reliqua. Quatuor quip-
pe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor con-
summatur in opere. In corde namque suggestione, dele-
ctatione, consensu & defensionis audacia perpetratur. Iis-
dem etiam quatuor modis peccatum consummatur in o-
pere. Prius namque latens culpa agit, postmodum etiam
ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, ac
hinc in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque
aut falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ de-
sperationis enutritur. Beatus igitur vir humani generis
D lapsus aspiciat, & dicat. *Quare non in vulua mortuus sum?* Id
est, in ipsa occulta perpetratione peccati, cur à carnis vita
mortificare me nolui? Sequitur. *Egressus ex vtero, non sta-*
tim perij? Id est, postquam ad apertam iniquitatem exij,
cur me tunc saltem perditum non cognoui? Perijsset
quippe in suo iudicio, si se perditum cognouisset. Sequi-
tur.

12. *Quare exceptus genibus?* Id est, post apertam culpam, cur
me adhuc in illa etiam consuetudo suscepit, vt valentio-
rem ad nequitias redderet, & prauis motibus sustinens
foueret? Sequitur. *Cur lactatus vberibus?* Id est, postquam in
culpæ consuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequi-
tiam, vel falsæ spei fiducia, vel lacte miseræ desperationis
enutriui? Augetur etiam culpa fauoribus enutrita. Hinc
Prou. 1. 10. Salomon ait. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne adquiescas.*
Sciendum quoque quod tres illi motus peccantium, iuxta
discessus sui ordinem facilius corriguntur, quartus vero
iste difficilius emendatur. Vnde & Redemptor noster
Puellam in domo, Iuuenem extra portam, Lazarum de
sepulchro, quartum vero non suscitat mortuum. Aliter.

Quare non in vulua mortuus sum? Id est, cum serpẽtis suggestio E
me conciperet, tunc vtinam quæ me mors sequeretur,
agnouissem, ne vsque ad delectationem suggestio raperet,
& morti arctius ligaret. Sequitur. *Egressus ex vtero, non statim*
perij? Ac si dicat. Vtinam ad exteriorem delectationem
exiens, qua interiore lumine priuabar, agnouissem; & sal-
tim in ipsa delectatione occumberem, ne per consensum
mors acrius puniret! Sequitur. *Cur exceptus genibus?* Ac si di-
cat. Vtinam minime me consensus subiectis prauis sensi-
bus excepisset, nec ipsa consensio me ad audaciam dete-
rius raperet! Sequitur. *Cur lactatus vberibus?* Id est, vtinam
blanditiæ mihi saltim post mala perpetrata voluissem, ne
tanto me nequius astringerem, quanto mollius in illa me
souerem! Sequitur.

Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Ad 13.
hoc homo in paradiso positus fuerat, vt si se conditori suo
astringeret, ad cœlestem Angelorum patriam quandoque
sine carnis morte transiret, in qua vel peccare, vel mori non F
posset. Hoc quietis silentium homo habuit, cum contra
hostem suum liberum voluntatis arbitrium accepit, cui
quia sua sponte succubuit, mox de se quod contra se per-
streperet inuenit. Hinc Paulus ait. *Video aliam legem in mem-* Rom. 7. 23.
bris meis. Ipsa enim carnis suggestio, quasi quidam clamor
est contra quietem mentis, quam ante transgressionem
homo non sensit. Sequitur.

Cum regibus & consulibus terræ. Reges non immerito An- 14.
gelorum spiritus accipimus, qui quo auctori omnium fa-
miliarius seruiunt, eo subiecta potius regunt. Qui bene
consules vocantur, quia dum ipsis nuntiantibus volunta-
tem conditoris agnoscimus, in eis proculdubio consultũ
ab angustia nostræ tribulationis inuenimus. Cum quibus
homo dormiret, quia nimirum cum eis quiesceret, si per-
suasoris linguam sequi noluisset. Aliter. Reges sunt sancti
prædicatores Ecclesiæ, qui & commissos sibi recte dispo-
nere, & sua bene regere corpora sciunt. Qui dum deside-
riorum in se motus temperant, super subiectis cogitatio-
nibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam consules ter-
ræ vocantur, quia extinctis peccatoribus vitæ consultum G
præbent. Qui & terrenas mentes per exhortationis suæ cõ-
silium ad cœlestia pertrahunt. Consul enim erat qui dice-
bat. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium* 1. Cor. 7. 25.
autem do. Seq. *Qui ædificant sibi solitudines.* Omnes enim qui
vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid vo-
lunt, densis cogitationum tumultibus, in corde compri-
muntur. Dumque desideriorum turbas intra se excitant,
prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant.
At contra sancti viri, quia nihil huius mundi appetunt,
nullis proculdubio in corde cogitationum tumultibus
premuntur. Solitudines ergo ædificare est à secreto cordis
terrenorum desideriorum tumultus expellere, & vna in-
tentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhe-
lare. An non cunctos à se cogitationum tumultus expule-
rat qui dicebat: *Vnam petij à Domino hanc requiram vt inhabi-* Psal. 26. 4.
tem in domo Domini. Et, *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudi-* Psal. 54. 8.
ne. Et Ieremias ait. *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam* Ierem. 15. 17
comminatione replesti me. Sequitur.

Cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas H
argento. Quos alios principes, nisi sanctæ Ecclesiæ rectores 15.
vocat? Quos indesinenter in loco præcedentium prædi-
catorum diuina dispensatio subrogat. De quibus eidem
Ecclesiæ Psalmista ait. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij,* & Psal. 44. 17.
reliqua. Quid vero aurum nisi sapientiam appellat? Vt
illud Salomonis. *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sa-* Prou. 21. 20
pientis. Quid autem per domos nisi conscientiæ designan-
tur? vnde sanato cuidam dicitur. *Vade in domum tuam.* Quid Matth. 9. 6.
per argentum, nisi eloquia diuina figurantur? De quibus
per Psalmistam dicitur. *Eloquia Domini, eloquia casta, argen-* Psal. 11. 7.
tum igne examinatum. Si enim parentem primum nulla pec-
cati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehen-
næ generaret. Sed hi qui nunc per redemptionem saluan-
di sunt, soli ab illo electi nascerentur. Eosdem ergo ele-
ctos aspicit vir sanctus, atque quomodo cum eis quiescere
potuisset, intendit. Sequitur.

Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem. Abortiuum 16.
dicitur, quod ante plenum tempus oritur, extinctum

A protinus occultatur. Abortiuos enim cum quibus quiescere potuisset omnes vocat, qui ab ipso primordio mundi ante redemptionis tempus exorti sunt, & tamen huic mūdo mortificare semetipsos curauerunt. Qui conscriptæ legis tabulas non habentes, quasi ab vtero mortui sunt, quia auctorem suum naturali lege timuerunt. Tempus itaque illud, quod iuxta mundi initium mortuos huic seculo patres nostros protulit, quasi abortiuus vterus fuit. Ibi namque Abel, Enoch & Noë, ibi Abraham, Isaac & Iacob fuerunt. Quia ergo à mundi primordio edita multitudo bonorum ex magna parte nostræ notitiæ subtrahitur, abortiuum hoc absconditum vocatur. Neque enim tot solummodo iustos, vsque ad acceptam legem extitisse credendū est, quot Moyses breuissima descriptione perstrinxit, quod non subtiliter dicitur, quia enumeratis paucis eorum frequentia nullo apud nos memoriæ scripto retinetur. Sequitur. *Vel qui concepti non viderunt lucem.* Hi namq; qui post
B acceptam legem in hoc mundo nati sunt, auctori suo eiusdem legis sunt admonitione concepti. Sed tamen concepti lucem minime viderunt, quia ad nostrum Dominicæ incarnationis quamuis hāc fideliter apertis Prophetarum vocibus excitari crederent, peruenire nequiuerunt. Incar-
Matt. 13. 17 natus quippe Dominus dicit. *Ego sum lux mundi.* Atque ipse lux ipsa ait. *Multi Prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Sequitur.

17. *Ibi impij cessauerunt à tumultu.* Corda peccantium per hoc quod strepitus desideriorum possidet, grauis cogitationū instigantium tumultus premit. Sed in hac luce à tumultu impij cessauerunt, quia nimirum mediatoris aduentum ad vitæ suæ requiem populi gentiles inuenerunt. Paulo at-
Rom. 11. 7. testante qui ait. *Quod quærebat Israël hoc non est consecutus, electio autem consecuta est.* In hac luce impij cessant, dum peruersorum mentes veritate cognita laboriosa mundi desideria fugiunt, & tranquillitati intimi amoris adquiescunt.
Matt. 11. 28. 29. Hinc ipsa lux ait. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem anima-*
C *bus vestris.* Sequitur. *Ibi requieuerunt fessi robore.* Omnes enim qui in hoc mundo fortes sunt, quasi robore fortes sunt, non robore defessi. Qui vero in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eo à propria virtute deficiunt. Hinc Psalmista ait. *De-*
Psal. 117. 81 *fecit in salutari tuo anima mea.* Et rursum. *Concupiuit anima*
Psal. 83. 3. *mea, & defecit in atria Domini.* Ac si aperte dicat. Illic requies lucis remunerat, quos hic interius recreans prouectus fatigat. Notandum quia non ait in hac luce, sed ibi. Quam enim continere electos conspicit, quasi locum nostrum hanc esse deprehendit. Hinc Psalmista ait. *Tu autem idem*
Psal. 101. 28 29. *ipse es, & anni tui non deficient. Filij seruorum tuorum habitabunt.* Sequitur.

18. *Et quondam vincti pariter sine molestia.* Iustos enim quamuis nullus desideriorum carnalium possideat tumultus, duris tamen vinculis eos in hac vita positos suæ corruptio-
Sap. 9. 15. nis molestia ligat. Scriptum quippe est. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum*
D *multa cogitantem.* Aliud namque de mente, aliud de corpore tolerant, & contra semetipsos quotidie in interno certamine exsudant. Iure ergo vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderij ad Deum liberum non habemus.
Phil. 1. 23. Hinc Paulus ait. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Hæc autem vincula in resurrectione rumpenda conspexerat, qui dice-
Psal. 115. 17. bat gaudens. *Dirupisti vincula mea*, & reliqua. Bene autem dicitur, *quondam vincti.* Quia dum illa semper præsens lætitia cernitur, omne quod erit & defluit, quasi iam præteritū videtur. Dum enim rerum finis attenditur, omne quod præterit quasi fuisse pensatur. Sequitur. *Non exaudierunt vocem exactoris sui.* Exactor ille importunus est persuasor, qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, & ob hoc quotidie expetere mortis debitum non desistit. De
Luc. 12. 58. hoc Veritas dicit. *Et iudex tradat te exactori.* Huius vox est tentatio miseræ suggestionis. Huius vocem audimus, cum tentatione pulsamur, sed non exaudimus, cum tentanti resistimus. Cuius vocem iusti non exaudierunt, quinimo suggestionem eius, & si audiunt cum tentantur, non tamen exaudiunt, quia consentire contemnunt. Sequitur.

Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo. Quia E 19.
in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Hinc
Veritas ait. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Hinc Psal- Ioan. 14. 2.
mista ait. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo* Psal. 138. 16
scribuntur. Tanta enim vis in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, se accepisse in alio exultet.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER V.

Beatus etenim Iob cum supernam requiem contem- 20.
platus diceret, *Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber* F
à Domino suo. Illico adiungit. *Quare data est misero lux?*

In Scriptura sacra nonnunquam lucis appellatione prosperitas, noctis autem nomine aduersitas designatur.
Vnde & per Psalmistam dicitur, *Sicut tenebræ eius, ita & lu-* Psal. 138. 12.
men eius. Lux enim miseris datur, quando hi qui sublimia contemplantes esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ prosperitatis non accipiunt, & cum valde defleant, quia tarde ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur. Sequitur. *Et vita his qui in amaritudine anima sunt?* In amaritudine quippe animæ sunt omnes electi, quia punire flendo non desinunt quæ deliquerunt, vel graui se mœrore afficiunt, quia longe huc à facie conditoris proiecti, adhuc in æternæ patriæ gaudijs non sunt. De quorum corde bene per Salo-
monem dicitur. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in* Prou. 14. 10.
gaudio illius non miscebitur extraneus. Sequitur.

Qui expectant mortem & non venit. Desiderant quippe 21.
Sancti mortificare se funditus, atque ab omni vita gloriæ G
temporalis extinguere, sed oculos Dei sæpe iudicijs, vel præesse in regimine, vel occupari iniunctis honoribus compelluntur. Desideriorum suorum detrimenta tolerant, vt maiora lucra conuersis alijs reponant. Sequitur. *Quasi effodientes thesaurum.* Qui thesaurum effodiunt, illi appropinquantes in effossione enixius laborant. Sic quippe qui mortificationem suam plene appetunt, quasi effodientes thesaurum quærunt, & eo in opere delectabilius exsudant, quo iam velut thesaurum præmia propinquiora
considerant. Vnde Paulus ait. *Non deserentes collectionem no-* Heb. 10. 25.
stram sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem. Aliter. Mundo morimur, si relictis visibilibus, in inuisibilibus abscondamur. Thesaurum effodimus cum sapientiam perquirimus, de
qua Salomon ait. *Si quæsieris illam quasi pecuniam, & sicut the-* Prou. 2. 4.
sauros effodies eam. Quam facile inuenit, qui molem à se terrenæ cogitationis repellit. Sequitur.

Gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum. Sicut 22.
enim in sepulchro absconditur corpus, ita in diuina con- H
templatione absconditur anima. Mundo adhuc viuimus cum mente foris vagamur. Sed mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius, in secreto internæ
contemplationis celamur. Hinc Paulus ait. *Mortui enim* Coloss. 3. 3.
estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Aliter. Thesaurum in sepulchro gaudentes quærimus, cum sacræ Scripturæ paginas sapientiam perquirentes voluimus, cum exempla præcedentium perscrutamur, quasi ex sepulchro gaudium sumimus, quia mentis diuitias apud mortuos inuenimus. Sequitur.

Viro cui abscondita est via, & circumdedit eum tenebris. Via 23.
enim sua viro abscondita est, quia etsi iam in qua sit vitæ qualitate considerat, adhuc tamen ad quem finem tendat, ignorat. Etsi iam superna appetit, etsi plenis hæc desiderijs quærit, adhuc si in eisdem desiderijs permaneat, nescit. Est autem & alia vitæ nostræ absconsio, quia nonnunquam & ad ipsa quæ recte nos agere credimus, an in districti iudicis examine recta sit ignoramus. Salomone
attestante qui ait. *Est via quæ videtur hominibus recta, no-* Prou. 14. 12.

A *ussima autem eum deducat ad mortem.* Sequitur *Et circumdedit eum Deus tenebris.* Tenebris namque homo circumdatur, quia quamuis cœlesti desiderio feruecat, quid de semetipso sit dispositum interius ignorat. Sequitur.

24. *Antequam comedam suspiro.* Comedere est namq; animæ, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia gemitu tribulationis afficitur, & postmodum contemplationis refectione satiatur. Sequitur. *Et quasi inundantes aquæ sic rugitus meus.* Aquæ cum inundant, cum impetu veniunt, & crescentibus multipliciter voluminibus intumescunt. Electi vero dum mentis suæ oculis diuina iudicia apponunt, dum de occulta de se sententia trepidant, dum præteritorum suorum recolunt quę deflent, dumque sibi adhuc futura quæ nesciunt pertimescunt, quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mœroris rugitus, quasi in subiecta litera defluunt. Sequitur.

25. B *Quia timor quem timebam venit mihi.* Iusti igitur deflent & pauent, & magnis se lamentis cruciant, quia defecti formidant. Et quamuis de correctione gaudeant, eorum trepidam mentem correctio ipsa perturbat, ne malum quod tolerant, non pia percussio disciplinæ sit, sed animaduersio iustæ vindictæ. Vt illud Psalmistæ. *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* Sequitur. (Psal. 89. 11.)

26. *Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio.* Quamuis quolibet in loco positi, cogitando, agendo, loquendo peccemus, tunc tamen per tria hæc animus effrenatius rapitur, cũ mundi huius prosperitate subleuatur. Nam cum auctoritate vocis à nullo restringitur lingua, licentius per abrupta diffrenatur. Sed sancti viri cũ mundi huius potestate fulciuntur, eot ad considerandam suam gloriam reprimunt, linguam ab immoderata locutione restringunt, opus ab inquietudinis vagatione custodiunt. Potestas quippe cum habetur, & cogitanda est ad vtilitatem, & dissimulanda propter tumorem. Aliter: Silere est mentem à terrenorum desideriorum voce restringere. Quiescunt qui terrenarum actionum strepitũ pro diuino amore postponunt. C Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene autem per Psalm. dicitur. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* (Psal. [illegible]) Quia qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen eius visionis abscondit. Sequitur. *Et venit super me indignatio.* Magna quippe arte doctrinę dicturus, verbera prætulit recte facta, vt vnusquisq; hinc consideret, quæ peccantibus postmodum supplicia maneant, si etiam iustos tam valida hic flagella castigant. Hinc Petrus ait. *Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* (1 Pet. 4. 18.) Sequitur.

CAP. IV. 1. 2. *Respondens Eliphaz Themanites dixit. Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* Eliphaz namque Latina lingua dicitur Domini contemptus. Et quid aliud hæretici faciũt, nisi quod dum falsa de Deo sentiunt, eum superbiendo contemnunt? Loqui namq; molliter Eliphaz inchoat, qui hæreticorum speciem tenet, qui & primus amicorum loquitur, qui dum loquendi custodiam negligit, vsq; ad afflicti D contumelias excedit dicens. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam.* Exasperare quippe hęretici auditores suos in exordio locutionis metuunt, vt vigilanter audiantur, & pene semper blanda sunt quæ proponunt, sed aspera quæ prosequendo subinferunt. Sequitur. 3. *Sed conceptum sermonem quis tenere possit?* Tria genera sunt hominum qui à se dissidunt. Sunt qui ad loquendum praua concipiunt, & nulla silentij grauitate refrenantur; & sunt qui cum praua concipiunt, magni silentij se vigore restringunt. Et sunt qui virtutum vsu roborati, vsque ad eam celsitudinem proueuntur, vt ad loquendum ne in corde quidem peruersa concipiant, quæ silendo compescant. Eliphaz itaque ex quo sit ordine ostenditur, cum ait. *Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Qui etiam loquendo se offensurum nouit. Praui igitur sicut in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites. Hinc Salomon ait. *Qui emittit aquam, caput est iurgiorum.* (Prou. 17. 14.) Sequitur.

4. *Ecce docuisti plurimos,* & reliqua. Magnæ celsitudinis iste vir fuit, qui inter curam domus, & multiplicium rerum cu- E stodiam, affectus pignorum, studiaq; laborum, erudiendis se cæteris impendit. Temporalia regenda disposuit, æterna prædicando nuntiauit. Sed seu hæretici, seu peruersi quilibet, cum bona iustorum referunt, ea ad argumentum criminis flectunt. Nam sequitur.

5. *Nunc autem venit super te plaga & defecisti.* Ab iniquis vero modo bonorum locutio, aut eiusdem linguę suę adiudicata testimoniũ in crimine vita succumbat. Qui etiam bona de iustis alijs cognita loquuntur, sed hæc ipsa protinus ad cumulum obiurgationis pertrahunt. Sequitur.

6. *Timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum.* Quæ cuncta superiori coniungit sententiæ. Sed intuendum valde est, quia quamuis non conueniẽter inchoasset, congruenter tamen ordines rerum narrat. Quatuor quippe modis vitam B. Iob virtutibus enumerãdo distinxit, dum & timori fortitudinem, & fortitudini patientiam, & patientiæ perfectionem iunxit. In via namq; Dei, timor gignit fortitudinem, vt Salomon ait. *In timore Dei, fiducia fortitudinis.* (Prou. 14. 26) F Quia dum mens nostra recto metu conditori omnium iungitur, potestate quadam supra omnia subleuatur, fortitudo autem non nisi in aduersitate ostenditur. Vnde mox patientia subrogatur, & statim post patientiam viarum perfectio subinfertur. Ille enim perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Sequitur.

7. *Recordare obsecro, quis vnquam innocens periit?* & reliqua. (Esa. 57. 1. Sap. 4. 11.) Sæpe enim hic & innocentes pereunt, sed ad æternam gloriam pereundo seruantur. Quia hic innocens perit, Propheta affirmat. *Iustus perit, & nemo est qui recogitet.* De rectis Sapientia dicit. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Sequitur.

8. 9. *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse.* Dolores seminare, est fraudulentiam dicere eos, & metere est, dicendo præualere. Vel certe dolores seminant qui peruersa agunt, metunt cum de eadem peruersitate puniuntur. Fructus quippe doloris est retributio damnationis. Seminãt ergo, inquit, dolores & metunt, quia iniqua sunt quæ faciunt, & in ipsa iniquitate G prosperantur, sicut Psalmista ait. *Polluuntur viæ eius in omni tempore.* (Psal. 9. 25.) Flante Dei, vindicta retributionis dicitur. Bene itaque qui dolores seminant flante Deo pereunt, quia vnde foris peruersa faciunt, inde ab intimis recte feriuntur. Flare ita lcendo dicitur, quia is qui in se tranquillus est perituris turbulentus videtur. Sequitur.

10. *Rugitus leonis & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.* Quid enim rugitus leonis appellat, nisi, vt paulo ante præmisimus, seueritatem viri? Quid vocem leænæ, nisi loquacitatem coniugis? Quid dentes catulorum leonum, nisi edacitatem prolis? Quia enim filij conuiuantes extincti sunt dentium expressione signantur. Quæ cuncta dum contrita Eliphas * exultat, quasi iure damnata denuntiat. (* exul. at.) Cuius adhuc duritiam increpationis ingeminat, cum subiungit.

11. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonum dissipati sunt.* Quem enim nomine tigris nisi B. Iob nota varietatis signat? H vel aspersum maculis simulationis? Sed nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum munditiæ color dissimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sępe dum de castitatis munditia extollitur, fortè de auaritiæ fœdatur. Quæ videl. tigris rapit prædam, quia humanis sibi fauoribus vsurpat gloriam. Quia enim rapta laude extollitur, quasi præda satiatur. Translatio autem Septuaginta Interpretum non habet Tigris, sed Mirmicoleõn periit. Mirmicoleon quippe paruum valde est animal formicis aduersum. Dicitur autem latine formicarum leo, vel certe formica & leo. Quid in Mirmicoleontis nomine Eliphas in B. Iob nisi pauorem & audaciam reprehendit? Ac si aperte dicat. Non iniuste percussus es; contra erectos timidus, contra subditos audax fuisti. TYPICE. Leo propter virtutem Dominum, propter sæuitiam Diabolum designat. De Domino. *Vicit Leo de Tribu Iuda.* De Diabolo. *Aduersarius vester Diabolus sicut leo rugiens.* (Apoc. 5. 5. 1. Petr. 5. 8.) Leænæ autem nomine aliquando sancta Ecclesia designatur, quia audax est in aduersis, vt idem Iob ait. *Non pertransiuit per eam leæna.* (Iob, 28. 8.) Aliquãdo Babylonia propter immanitatem. Ca-

tuli

A tuli autem Leonum sunt quilibet reprobi, ad iniquam vitam malignorum spirituū errore generati. Sancti etenim viri sollicite custodiunt semetipsos, ne leo idem antiquus hostis, eos sub aliqua imagine virtutis occidat, ne leænæ vox auribus perstrepat, idem ne Babylonis gloria sensum ab amore cœlestis patriæ auertat, ne catulorum dentes mordeant, idest, ne reproborum suasio in corde conualescat. Sed hæretici iam quasi de sanctitate locuti sunt, quia vitæ suæ meritis cuncta se superasse suspicantur. In tigris etiam nomine propter multiformis astutiæ varietatem non incongrue eum signauit, quem superius per leonem. Satan quippe modo stultorum mentes blande persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit. Item per Mirmicoleon designatur, quia carnalibus leo est, spiritualibus autem formica. Sequitur.

12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum.* Verbum absconditum hæretici audire se simulant, vt auditorum mentibus quandam prædicationis suæ reuerentiam obducant. Qui scilicet, vt mira ostendere valeant, noua

B semper exquirunt, vt Salomon ait. *Aqua furtiuæ dulciores* (Prou. 9. 17.) *sunt*, & reliqua. TYPICA. Verbum absconditum inuisibilis filius vocatur, de quo Ioannes ait. *In principio erat* (Ioan. 1. 1.) *Verbum*, & reliqua. Sed hoc Verbum absconditum electorum mentibus dicitur, cum potestas vnigeniti filij credentibus manifestatur. Potest etiam absconditum, allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Ioannes ait. *Vnctio eius docet nos de omnibus.* (1. Ioan. 2. 7.) Quæ nimirum aspiratio humanam mentem tangendo subleuat, & ex desiderijs internis inflammat. Absconditum ergo verbum audire est, locutionem sancti Spiritus corde percipere. Quæ profecto sciri non potest, nisi à quo habetur potest. Verbum hoc absconditum dicitur, quia illud à quibusdam proculdubio in corde percipitur, quod à maxima parte hominum nescitur. Vel certe afflatio sancti Spiritus, absconditum verbum est, quia sentiri potest, strepitu locutionis exprimi non potest. Sequitur. *Et quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius.* Venas itaque susurrij diuini suscepit furtiue, quia ad percipiendam virtutis eius notitiam, derelicto

C publicæ prædicationis ostio, prauæ intelligentiæ rimas quærit, de quibus Dominus dicit. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, hic fur est & latro.* (Ioan. 10. 1.) TYPICE. Venas superni susurrij auris cordis furtiue suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens raptim & occulte cognoscit, quia & subtracta à visibilibus inuisibilia conspicit, & repleta inuisibilibus, visibilia perfecte contemnit. Susurrium quippe occulti verbi est, hæc ipsa locutio aspirationis internæ. Venæ autem susurrij dicuntur causarum origines, quibus hęc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venam susurrij aperit, cum nobis latenter insinuat quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim amore, aliquando terrore compungit. Aliter. Qui enim susurrat, occulte loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur. Cum ergo omnipotens se nobis per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitor, sed susurrat, quia & se plene non intimat, quiddam ta-

D men de se humanæ menti manifestat. Tunc autem nequaquam iam susurrat, sed loquitur cum eius nobis certa species reuelatur. Hinc Dominus ait. *Palam de patre annuntiabo vobis* (Ioan. 16. 25.) Et Ioannes. *Videbimus eum sicuti est.* (1. Ioan. 3. 2.) Sequitur.

13. *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines.* In nocturna quippe visione, dubie cernitur. Rimas etgo susurrij in pauore nocturnæ visionis se percepisse hæretici asserunt, quia vt ea quæ docent alta alij ostendant, vix ea se capere posse denuntiant. Sed hinc colligendum est, quomodo audientibus certa esse poterunt, quæ ipsi dubie viderunt. TYPICE. Horror nocturnæ visionis est pauor occultæ contemplationis. Humana etenim mens, quo altius eleuata quæ sint æterna considerat, eo de factis temporalibus grauius tremefacta formidat. Sequitur. *Quando solet sopor occupare homines.* Ac si dicant hæretici. Cum homines *intenius dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus. (* infectius.) Figurate autem tribus modis somnus accipitur. Aliquando enim mors carnis accipitur, vt Paulus ait. *Nolo vos ignorare fratres de dormientibus*, *& paulo post. *Ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.* (1. Thess. 4. 13. 14) Aliquando torpor negligentiæ, vt illud. *Hora est iam nos de somno surgere.* (Rom. 13. 11.)

E Et, *Euigilate iusti.* (1. Cor. 15. 34.) Aliquando vero calcatis desiderijs terrenis, quies vitæ accipitur, vt illud. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* (Cant. 5. 2.) Quisquis enim ea quæ mundi sunt agere appetit, quasi vigilat, quisquis vero internam requiem quærens, huius mundi strepitum fugit, velut obdormiscit. Quia igitur nequaquam notitia interna concipitur, nisi ab externa implicatione cessetur, recte, nunc dicitur. *Quando sopor solet occupare homines*, vt Dominus ait. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* (Matt. 6. 24.) Sequitur.

14. *Pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* Quis enim hæretici de doctrinæ suæ altitudine mira videri appetunt, quasi pertimescunt quod dicunt. FIGVRATE. Quid per ossa nisi fortia acta accipimus? De quib. Propheta ait. *Dominus custodit omnia ossa eorum.* (Psal. 33. 21.) Ac si diceretur. Subtilitatis intimæ arcana percipiens, vnde me apud me fore credidi, ante conspectum iudicis inde titubaui. Districtionem quippe iustitiæ contemplantes, etiam de ipsis operibus iuste pertimescimus, quæ nos fortia egisse putabamus. Sequitur. F

15. *Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Vt incomprehensibilia se cognouisse indicent, non stetisse, sed transisse coram se spiritum narrat. Mystice autem nobis præsentibus transit spiritus, quando inuisibilia cognoscimus, & tamen hæc non solide, sed raptim videmus. Non ergo stat spiritus, sed transit, quia in suauitate contemplationis intimę diu mens fixa non permanet, quę mox ad semetipsum ipsa immensitate luminis reuerberata reuocatur. Pili carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationes. Transeunte ergo spiritu, pili carnis inhorruerunt, quia ante compunctionis vim cogitationes superfluæ fugiunt, vt nil fluxum libeat, quia afflatam mentem etiam contra semetipsam visitationis intimæ seueritas inflammat. Sequitur.

16. *Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum.* Vultum se vidisse incognitum hæretici simulant, vt esse se ei cognitos,

G qui ab humana mente cognosci non valet, ostendant. TYPICE. Quidam namque non dicimus, nisi de eo vtiq; quem exprimere aut nolumus, aut non volumus. Sed qua mente hoc loco dicitur quidam, exponitur cum protinus subinfertur. *Cuius non cognoscebam vultum.* Cum enim animus postponens omnia imaginem rerum, phantasmata, substantiamque semper vt est idem est, & vbique præsens est, cogitat, conspicit hanc. Quam si necdum quid sit apprehendit, agnouit certe quid non sit. Bene autem dictum est *Stetit.* Omnis quippe creatura quia ex nihilo facta est, & per semetipsam ad nihilum tendit. Stare ergo solius creatoris est, per quem cuncta transeuntem transeunt, & in quo aliquo aliquando ne transeant retinentur. Sequitur. *Imago coram oculis meis.* Sæpe hæretici Deum sibi imaginaliter fingunt, quem intueri spiritaliter nequeunt, eiusque vocem quasi auræ leuis audire se perhibent, qui ad secreta illius cognoscenda quasi esse se familiariores cæteris gaudent. Non enim ea docent quæ publice Deus loquitur, sed quæ eorum auri quasi latenter aspirat. MYSTICE. Imago patris fi-

H lius est, sicut Moyses de formatione hominis ait. *Ad imaginem suam fecit illum.* (Gen. 1. 27.) Et Apostolus. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* (Heb. 1. 3.) Cum ergo æternitas cernitur, prout infirmitatis nostræ possibilitas admittit, imago eius mentis nostræ oculis ante fertur. Quia vero cum in patre intendimus, hunc quantum accepimus per suam imaginem, id est, per filium videmus, vt ipse Dominus ait. *Nemo venit ad patrem nisi per me.* (Ioan. 14. 6.) Sequitur. *Et vocem quasi auræ leuis audiui.* Quid enim per vocem auræ leuis, nisi cognitio Spiritus sancti? Qui de patre procedens, & de eo quod est filij accipiens, nostrę tenuiter notitię infirmitatis infunditur. Quia igitur humana mens, quantalibet virtute tetenderit, vix de intimis extrema cognoscit, recte nunc dicitur. *Et vocem quasi auræ leuis audiui.* Sequitur.

17. *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur?* Humana iustitia diuinæ iustitię comparata, iniustitia est. Quia & lucerna in tenebris fulgere cernitor, sed in Solis radio posita tenebratur. Bene autem subditur. *Aut factore suo purior erit vir?* Puriorem autem se vir factori suo æstimat, si contra flagellum querelam parat, eumq; sibi proculdubio post-

A ponit, cuius iudicium de suæ afflictione redarguit. Qui enim mire hominem ex nihilo fecit, factum impie non affligit. Quapropter male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. Sequitur.

18. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles.* Natura quippe angelica etsi contemplatione auctori inhærendo in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen quo factura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem, ex alio ad aliud ire est, & in semetipsa stabilem non esse. Sola autem natura incomprehensibilis nescit moueri, quæ ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Hanc autem in angelis mutabilitatem dicit, quamuis immutabiles sint per hoc quod ei qui semper idem est, vinculis ligantur. Sequitur. *Et in Angelis suis reperit prauitatem.* Hoc de apostatis spiritibus infertur. Mire autem Deus omnipotens naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, vt & qui manere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea iam dignius, B quanto ex arbitrio starent. Sequitur.

19. *Quanto magis qui habitant domos luteas.* Luteas quippe domos habitamus, qui in corpora terrena subsistimus, vt Paulus ait. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* 2.Cor.4.7. Et rursum. *Scimus quia si terrestris domus nostra dissoluatur, &* 2.Cor.5.1. reliqua. Sequitur. *Qui terrenum habent fundamentum* Terrenum fundamentum est substantia carnalis, vt Psalmista ait. *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Psal.138.15. Sequitur. *Consumentur velut a tinea.* Tinea de veste nascitur, & eandem vestem de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quædam vero vestis animæ caro est. Ex qua nimirum carnalis tentatio velut tinea nascitur, ac per hanc ad interitum lacerata peruenit. Ac si dicatur. Si illi Spiritus immutabiles esse nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate se homines in bonis permanere constanter æstimant? Possunt quoque per angelos sancti Doctores intelligi, vt illud Prophetæ. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Malac.2.7. C Qui esse omnino sine culpa nequeunt, cum præsentis vitæ iter gradiuntur, quantalibet virtute fulgeant, quia eorum gressus tangitur, aut luto illiciti operis, aut puluere cogitationis. Domus luteas habitant, qui de illecebrosa hac vita carnis exultant. Hanc Paulus desperat habitare dicens. *Nostra conuersatio in cælis est.* Philip.3.20. *Qui enim seruiunt ei, non sunt stabiles,* quia cum mens ad alta nititur, carnis suæ cogitatione dissipatur. Prauitas ergo in angelis reperitur, dum ipsos quoque qui veritatem nunciant, nonnunquam subreptio vitæ fallacis grauat. Ac si dicat. Si electi mundi huius iniquitate feriuntur, quibus ictibus penetrantur reprobi? Tinea quippe damnum & non sonitum facit. Ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne continentiam, & per accessum temporis, ætatem vitæ. Sed hæc nequaquam conspiciunt. Sequitur.

D

20. *De mane vsque ad vesperam succidentur.* De mane vsque ad vesperam peccator succiditur, dum à vitæ suæ exordio vsque ad terminum, iniquitatis perpetratione vulneratur, vt Psalmista ait. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Psal.54.24. Sequitur. *Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Nullus intelligit vel eorum, qui pereunt, vel eorum qui perditos pereuntium mores imitantur. Vt illud. *Iustus perijt, & nemo est qui recogitet.* Potest etiam per mane prosperitas, vespere, huius mundi aduersitas designari. De mane ergo vsque ad vesperam reprobi succiduntur, quia & per prospera lasciuientes depereunt, & per aduersa impatientes ad insaniam exurgunt. Quos de mane vsque ad vesperam culpa nequaquam succideret, si vel prospera fomentum crederent, vel aduersa sectionem sui vulneris æstimarent. Sequitur.

21. *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Reliquos autem huius mundi despectos dicit, quos præsens seculum ad nullius gloriæ vsum eligit, sed quasi minimos indignosque derelinquit. Sed hos Dominus eligere non dedignatur. Paulo attestante qui ait. *Quæ stulta mundi sunt elegit Deus, vt confundat sapientes.* 1.Cor.1.27. *Et infirma mundi elegit, vt confundat fortia.* E Sequitur. *Morientur & non in sapientia.* Hoc loco Eliphas cum de electis diceret, qui reliqui fuerint auferentur & eis; illico adiungens. *Morientur & non in sapientia,* ad illud protinus recurrit, quod sapientius de reprobis protulit dicens. *Et quia nullus intelligit, & reliqua.* Mortem quidem & sapientiam pariter reprobi fugiunt, sed sapientiam penitus deserunt, mortis autem laqueos non euadunt. Et qui quando morituri viuere moriendo potuerant, dum mortem quæ procul dubio ventura est metuunt, & vitam simul, & sapientiam perdunt. Sequitur.

Voca ergo si est qui respondeat tibi. Omnipotens Deus sæpe Cap. V. 1.
eius precem in perturbatione deserit, qui præcepta eius in tranquillitate contemnit. Vnde scriptum est. *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Prou.28.9. Vocare nostrum est humili Deum prece deposcere. Respondere Dei est, effectum precibus præbere. Ac si dicat. Quantumlibet afflictus clames, Deum respondentem non habes. F Quia eos in tribulatione non inuenit quem mens in tranquillitate contempsit. Sequitur. *Et ad aliquem sanctorum conuertere.* Ac si deridens dicat. Sanctos quoque inuenire in afflictione adiutores non vales, quos habere socios in hilaritate noluisti. Sequitur.

Virum stultum interficit iracundia. Hæc nimirum senten- 2.
tia vera esset, si illata contra tanti viri patientiam non fuisset. Scriptum quippe est. *Tu autem cum tranquillitate iudicas.* Sap.12.18. Sciendum vero quia quotiens turbulentos motus animæ sub mansuetudinis virtute restringimus, redire ad similitudinem conditoris conamur. Quam nimirum similitudinem, cum tranquillitatem mentis ira perturbat, amittit. Per iram sapientia perditur, vt illud. *Ira in sinu stulti requiescit.* Eccl.7.10. Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Iacob.1.20. Per iram lux veritatis amittitur. Vt illud. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Eph.4.26. Duobus vero modis iracundia vincitur. Primus est, vt omnes sibi quas pati potest contumelias proponat. G Secundus modus est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus. Sciendum vero est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, ista ex virtute generatur. De hac Psalmista ait. *Irascimini & nolite peccare.* Psal.4.5. De hac Salomon ait. *Melior est ira risu.* Eccles.7.4. De illa. *Virum stultum interficit iracundia.* Ac si dicat. Ira per zelum sapientes turbat. Ira vero per vicium stultum trucidat. Sequitur. *Et paruulum occidit inuidia.* Inuidere enim non possumus, nisi eis quos in aliquo nobis meliores putamus. Paruolus ergo est qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit, cuius inuidia torquetur. Qui nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Hinc scriptum est. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap.2.24. Inuidia enim cum mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit bene gesta consumit, vt illud Salomonis. Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia. Prou.14.30. H Qui ergo liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. Imminutio ergo liuoris est affectus vigens internæ dulcedinis, & plena mors eius est perfectus amor æternitatis. Quia cum nulla terrena desiderat, nihil est quod eius erga proximum charitate contradicat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER VI.

EGo vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritu- 3.
dinem eius statim. Stultus quippe Iudæorum populus extitit, qui ipsam incarnationem æternæ sapientiæ spreuit. Qui quasi firma radice conualuit,

A ualuit, quia electorum vitam temporaliter extinguendo
superauit. Sed hunc Eliphas maledicendo despicit, quia
nimirũ omnes hæretici quorum tenere speciem amicos B.
Iob diximus, cum de nomine Christi gloriantur, Iudæo-
rum perfidiam ea auctoritate reprehendunt. Morali-
ter. Quasi firma radice stultus in terra figitur, quia totis
desiderijs in terreno amore solidatur. Cuius enim fortes
gloriam aspiciunt, protinus post gloriam quæ pœna se-
quatur, attendunt, & tacita intus cogitatione despiciunt.
Pulchritudinem quippe stulti maledicere est, eius gloriam
ex considerata damnatione iudicare. Statim ac si diceret.
Contra stulti pulchritudinem moram in maledictione
non habui, quia cum hæc cernerem, simul etiam pœnam
sequentem vidi. Nemini statim maledicerem, si qua me il-
lius gloriæ delectatio tenuisset. Sequitur.

4 *Longe fiant filij eius a salute.* Filij eius stulti sunt omnes
qui perfidiæ illius prædicatione generantur. Qui scilicet à
salute lõge sunt, qui etsi temporaliter vitam sine afflictio-
ne percipiunt, æterna grauius vltione feriuntur. Sicut
B de eisdem filijs illius dicitur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hy-*
Mat. 23.15. *pocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum,*
& cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.
Moraliter. Filij quippe stulti sunt qui in ambitione
huius seculi, ex eius imitatione pascuntur, qui profecto à
* in perpetratione. salute longius fiunt, quanto * impetratione nequitiæ
nulla infirmitate feriuntur. Sequitur. *Et conterentur in*
porta, & non erit qui eripiat. Quis portæ nomine, nisi me-
Ioan. 10.9. diator Dei & hominum debet intelligi? Qui ait. *Ego sum*
ostium. Per me si quis introierit, saluabitur. Filij igitur huius
stulti extra portam proijciuntur, in porta conterentur,
quia prauæ Iudæorum soboles ante mediatoris aduen-
tum in legis obseruatione floruerunt, sed in ipsa Redem-
ptoris nostri præsentia à diuinitatis obsequio perfidiæ suæ
meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui e-
ripiat. Quia scilicet dum ipsum redemptorem extinguere
C persequendo conati sunt, oblatæ sibi remedium ereptio-
nis absconderunt. Moraliter. Sicut vrbis aditus por-
ta dicitur, ita est dies iudicij porta regni, & per eum ab e-
lectis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. Hinc
Prou. 31.23. Salomon ait. *Nobilis in porta vir eius, quando sederit cum se-*
Prou. 31.31. *natoribus terræ.* Et rursum. *Date ei de fructu manuum suarum,*
& laudent eum in portis opera eius. Filij igitur huius stulti ante
portam electi sunt, sed in porta conterentur, quia huius
seculi amatores in præsenti vita superbiunt, sed in ipso re-
gni aditu æterna animaduersione feriuntur. Illos quippe
veritas æterna aduersitate eripit, quos in temporalibus
prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit
premi, tunc non valet eripi. Sequitur.

5 *Cuius messem famelicus comedet.* Huius stulti messis fue-
rat, sacræ legis eloquia. Quam stultus comedet. Quia ni-
mirum Gentilis populus verba legis intelligendo edidit,
ad quam plebs Iudaica sine intellectu laborauit. Hinc
Matt. 5.6. Veritas ait. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi*
saturabuntur. Moraliter. Habet etiam famelicus
messem, quando iniquus quisque donum intelligentiæ
rectæ accipit. Quam nimirum comedit famelicus, quia is
D qui ad Deum sanctis desiderijs anhelat, discit quod audit,
agit quod didicerit, & dum Doctores praui recta prædi-
catione reficiuntur, quid aliud quam stulti fruge satian-
tur? Sequitur. *Et ipsum rapiet armatus.* Antiquus hostis Iu-
daicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei
fraudulenta suggestione quasi iaculis extinxit. Mora-
liter. Antiquus namque hostis quasi inermis vincitur,
cum mala aperta suggerens, humanæ menti bona omnia
simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bo-
na alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Sequitur.
Et bibent sitientes diuitias eius. Huius stulti diuitias sitientes
bibunt, quia fluenta sacræ locutionis, quæ Iudaicus po-
pulus in superbiæ ostentatione possidet, conuersæ genti-
lium mentes irrigantur. Vnde & eis per Prophetam dici-
Esa. 55.1. tur. *Omnes sitientes venite ad aquas*, & reliqua. Moraliter.
Sæpe stultus habet interni liquoris fontem, sed non bibit,
quia ingenium quidem accipit intelligentiæ, sed tamen
veritatis sententias cognoscere loquendo contemnit. Di-
uitiæ quoque mentis sunt verba sacræ locutionis. Sed has

diuitias stultus oculis aspicit, & in ore mentis suæ visum E
minime assumit. Ad comprehendenda enim verba nullo
studio amoris elaborat; at contra alius sitim habet, & sæpe
hoc in diuinæ legis eruditione quandoque studendo in-
telligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit. Hinc
Salomon ait. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* *Prou. 30.28.*
Plerumq; enim aues quas ad volatum pennæ subleuant in
vepribus resident. Sequitur.

Nihil in terra sine causa. Idcirco enim sæpe desidiosus 6.
ingenium accipit, vt de negligentia iustius puniatur,
quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit, &
idcirco studiosus tarditate intelligentiæ premitur, vt eo
maiora præmia retributionis inueniat, quo magis studio
inuentionis elaborat. Sequitur. *Et de humo non egredietur do-*
lor. Dolor namque quasi de humo egreditur, cum homo
ad Dei imaginem conditus, de rebus insensibilibus flagel-
latur. Sed quia per occulta merita mentiũ, aperta prodeunt
flagella pœnarum, de humo dolor non egreditur, quo-
modo sensus nostri malitia exigit, vt à rebus insensibilibus
feriatur. Nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ F
percutit, sed de ea proculdubio quę peccando vim percus-
sionis extorsit. Sequitur.

Homo ad laborem nascitur, & auis ad volandum. Ad la- 7.
borem quippe homo nascitur, quia nimirum is qui sui
accepta est ratione præditus, considerat quod valde sibi
sit impossibile, vt hæc peregrinationis suæ tempore sine
gemitu euadat. Sed in eo quod caro flagellis afficitur,
mens ad appetenda subleuatur altiora, Paulo attestante
qui ait. *Et licet qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui* *2. Cor. 4.16.*
intus est, renouatur de die in diem. Inde enim mens ad summa
euolat, vnde caro in infimis durius laborat. Potest quoque
appellatione hominis carnalium vita signari, vnde Paulus
ait. *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne homines estis* *1. Cor. 3.3.*
& secundum hominem ambulatis? In hac itaque vita homo ad
laborem nascitur, quia carnalis quisque contra se vitia ap-
petit, desideriorum suorum se pondere affligit. Tanto e- G
nim quisque huius mundi veracius mala sentit, quanto
eius bona inhianter appetit. At contra tanto animus à la-
bore afflictionis se subtrahit, quanto per spem ad summa
sustollit. An non quasi auis ad volandum Paulus natus
fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat. *Nostra conuersatio* *Phil. 3.20.*
in cælis est? Sequitur.

Quamobrem ego deprecabor Dominum. & ad Deum ponam 8.
eloquium meum. Ac si aperte diceret. Illum rogo per quem
hæc tribui scio. Sequitur.

Qui facit magna. Quis omnipotentis Dei mirabilia 9.
perscrutari sufficiat? Quod cuncta ex nihilo creauit, quod
ipsa mundi fabrica mira potẽtiæ virtute disposita, & super
aereum cælum suspenditur, & super abyssum terra libra-
tur? Bene autem adiunxit. *Et inscrutabilia.* Minus enim fue-
rat magna facere, si tamen quæ facta sunt perscrutari po-
tuissent. Sequitur. *Et mirabilia absque numero.* Minoris au-
tem esset magnitudinis, si quæ inscrutabilia pauca fecis-
sent. Sed inter hæc sciendum est, quia diuina miracula &
semper debent considerari per studium: & nunquã discuti
per intellectum. Sæpe enim fit, vt dum nonnulli homines
mortuorum corpora in puluerem redacta considerant, & H
resurrectionis vim colligere ex ratione non possunt, hæc
ad statum pristinum redire posse desperant. Sequitur.

Qui dat pluuiam super faciem terræ, & reliqua. Omni- 10.
potens enim Deus, terræ pluuiam tribuit, cum arentia
corda Gentilium supernæ gratia prædicationis perfun-
dit, & aquis vniuersa irrigat, quia sterilitatem perditi ho-
minis repletione spiritus ad fructificationem format, sic-
ut per semetipsum Veritas dicit. *Qui biberit aquam*, & *Ioan. 4.13.*
reliqua. Vniuersitatis autem nomine homo significatur,
quia in ipso vera species & magna communicatio vniuer-
sitatis ostenditur. Vnde & Veritas Discipulis dicit. *Eun-* *Marc. 16.15.*
tes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.
Quamuis hoc loco vniuersa intelligi & aliter possunt.
Cum enim diuites & pauperes, fortes & debiles, sa-
pientes & insipientes spiritus ad suam cognitionem vo-
cat, vniuersa Deus aquis irrigat. Possunt autem vni-
uersorum nomine ipsę morum dissimilitudines designari.
Alius namq; elatione erigitur, alius libidine inflammatur,

A alius auaritiæ anhelat. Sed vniuersa Deus aquis irrigat,
quia vim sui sermonis in singulis iuxta morum diuersitates format, vt hoc in eius eloquio quisque inueniat, per
quod virtutis necessariæ germen ferat. Sequitur.

11. *Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate.*
In sublime humiles ponuntur, quia ij qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt. Hinc
Matt. 19. 28 enim Dominus dixit. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.* & reliqua. Tunc
mœrentes Dominus erigit, quia hi qui eius desiderijs prospera fugiunt, cruciatusque persequentium tolerant, tanto sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, quanto nunc
eunctis mundi gaudijs deuoti moriuntur. Hinc est enim
Prou. 14. 10 quod per Salomonem dicitur. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Quod tamen de electis Dei etiam in hac vita nihil obstat intelligi.
In sublime quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia transeunt. Videamus humilem Paulum. Ait enim. *Non*
2. Cor. 4. 5. B *enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum no-*
1. Cor. 2. 3. *strum, nos autem seruos vestros per Christum.* Videamus in sublime iam positum. *An nescitis quia angelos iudicabimus?* Et rur-
Eph. 2. 6. sus. *Conresuscitauit, & consedere nos fecit in cœlestibus.* Mœrentes etiam Dominus sospitate erigit, qui afflictos suos ad gloriam veræ lætitiæ soliditate sustollit. Sospitate quippe non insania erecti sunt, qui in bonis actibus positi ipsi in Domino firmi gratulantur. Nonnulli enim & iniquitates
Prou. 2. 14. perpetrant, & gaudere non cessant. De quibus dicitur. *Qui lætantur cum malefecerint*, & reliqua. Hi certe non sospitale eriguntur, sed insania, qui superbiunt cum affligi debuerant. Sequitur.

12. *Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Reproborum mentes peruersis cogitationibus semper inuigilant, sed plerumque eis superna dispensatio obuiat. Et quamuis prauitatem consilij nec fracti aduersitatibus corrigunt, tamen ne contra bonos præualeant eorum vires refrenantur. Sequitur.

13. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia*
C *prauorum dissipat.* Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando eius consilijs humana facta etiam tunc cogente seruauit cum resistunt. Astute namque aliquid agere fratres Ioseph ausi sunt, vt Dei consilium mutaretur. Sed diuino iudicio quod declinare conati
Gen. 37. 28. sunt, renitendo seruierunt. Ideo quippe ab eis Ioseph venditus fuerat, ne adoraretur. Sed ideo est adoratus, quia venditus. Sic diuinum consilium dum deuitatur, impletur. Sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Comprehendit etiam Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc ad pietatis suæ obsequium, nostræque salutis augmentum redigit, quod contra illum humana incredulitas exarsit. Hinc Psalmista ait. *Magna opera Do-*
Psal. 110. 2. *mini, exquisita in omnes voluntates eius.* Hinc Salomon ait. *Non*
Prou. 21. 30 *est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sequitur.

14. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Per diem tenebras incurrunt, qui in ipsa veritatis præsentia, perfidiæ errore cæcati sunt. Persecutores igi-
D tur redemptoris nostri, dum diuinæ virtutis miracola cernerent, & tamen in eius diuinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce perdiderunt. Hinc est quod de Iudæa dicitur, *Occidit Sol, cum adhuc esset dies.* Hinc
Ierem. 15. 9. iterum Propheta dicit. *Quid de nocte custos, quid de nocte custos?*
Esa. 21. 11. 12. *Venit mane & nox.* De nocte enim custos venit, quia humani generis protector & manifestus in carne apparuit, & tamen hunc pressa perfidiæ suę tenebris Iudæa minime agnouit. De cuius præsentia & noua lux mundo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. Iudæi autem aperta Dei miracula viderunt, & adhuc eum quasi
Ioa. 10. 24. palpantes quærebant, cum dicerent. *Quousque animas nostras tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Moraliter. Mens quippe iniquorum hominum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur. Qui quasi in nocte, sic in meridie palpant, quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, cæcati malitia malum quod non vident accusare quærunt. Bona enim in proximis aperta vident, sed si qua mala latent, inuestigant. Quod bene exprimitur, E
cum Loth protegentibus angelis, in domo eius Sodomitæ ostium non inuenerunt. Sequitur.

Porro saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu 15.
violenti pauperem. Ipse quippe pauper est, de quo per Paulum dicitur. *Propter vos egenus factus est, cum diues factus esset.* 2. Cor. 8. 9.
Potest per oris gladium accusantium Hebræorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur. *Filij hominum* Psal. 56. 5.
dentes eorum arma, & reliqua. Ipsi quippe clamauerunt. *Crucifige. Crucifige.* Per violenti vero manum, ipsa crucifigens Ioan. 19. 6.
Gentilitas exprimitur, quæ in Redemptoris morte Hebræorum voces opere impleuit. Redemptor autem noster & vires Gentilium, & linguam Hebræorum moriendo ex humilitate pertulit, sed ea diuinitatis suæ potentia resurgendo superauit. Moraliter quippe est quisquis apud semetipsum elatus non est. Vnde Veritas dicit. *Beati pau-* Matt. 5. 3.
peres spiritu, & reliqua. Gladius namque oris est, iniquitas persuasionis. Manus autem violenti est aduersitas potestatis. Ac si ergo diceret. Sed & in se Dominus mentes homi-
num solidat, vt eas ad perpetrandam nequitiam nec blan- F
dimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant. Sequitur.

Et erit egeno spes. Saluato enim paupere spem egenus 16.
recipit, quia resurgente carne Domino, fidelis quisque ad æternæ vitæ fiduciam conualescit. Spes quippe in æternitate animum erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat, sentit. Sequitur. *Iniquitas autem contrahet os suum.* Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis lingua infidelium contumelijs lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahet, cum hoc quod non vult per studium, per studium claudet. Aliter. Clarescente miraculo resurrectionis Domini, dum copiosa multitudo infidelium credidit, ab ereptoris sui iniurijs contumelijsque cessauit. Os enim suum quod Deum deridendo aperuit, infirmando contraxit. Moraliter. Nunc enim malus bonis derogat, & recta quæ agere negligit hæc malus obtrectando lacerare non cessat. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cum iustos quanta appetat gloria retributionis
agnoscit. Tunc malorum lingua digna tormentorum re- G
tributione ligatur. Sequitur.

Beatus homo qui corripitur à Domino. Prima virtus est, 17.
ne perpetrari debeant, sed vitan peccata. Secunda autem, saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verumetiam nec commissa agnoscimus. Turpis tamen animus percussione tangitur vt exerceatur, quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo iacet. Hinc Sa-
lomon ait. *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem om-* Prou. 3. 12.
nem filium quem recipit. Sequitur. *Increpationem ergo Domini ne reprobes.* Qui per culpam percutitur, sed ad querelam suæ percussionis elabitur, increpationem Domini reprobat, quia hanc iniuste se perpeti accusat. Qui autem non per purgationem criminis, sed per fortitudinis probationem feriuntur, cum causam suæ percussionis inquirunt, nequaquam increpationem Domini reprobare dicendi sunt, quia in semetipsis satagunt inuenire quod nesciunt. Sequitur.

Quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sana- H
bunt. Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos re- 18.
ducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit: & mentis duritiam suo pauore tabescit. Vulnerando ergo ad salutē reuocat, cum electos suos affligit exterius,
vt interius viuant. Vnde per Moysen dicitur. *Ego occidam,* Deut. 32. 39
& reliqua. Aliquando intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui iaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis vocat. Vnde & sponsa dicit. *Vulnerata charitate* Cant. 2.
ego sum. Sequitur.

In sex tribulationibus liberabit te, & in septimo non tanget 19.
te malum. Per senarium numerum præsentis vitæ operatio discursusque signatur. Sexto namque die omnia perficiēs hominem condidit, & septimo requieuit. Quapropter per septenarium numerum requies designatur. Paterna ergo pietas eruditione præsentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij à verbere abscondit, vt tanto tunc

ad

A ad salutem exhibeat, quanto nunc nos flagella durius secant. Sequitur.

20. *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.* Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita & fames est mentis silentium diuinæ locutionis, vnde rectè per
Ezech. 14. 13. Prophetam dicitur. *Immittam famem in terram*, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Bellum quippe patimur, cum carnis nostræ tentationibus
Psal. 139. 8. impugnamur De quo Psalmista ait. *Obumbrasti caput meum in die belli.* Quia igitur reprobi dum fame verbi deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur, electorum suorum Dominus mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sequitur.

21. *A flagello linguæ absconderis.* Flagellum linguæ, est exprobratio illicitæ contumeliæ. Flagello linguæ bonos feriunt praui, quia eorum opera irridendo persequuntur. Hinc
Psal. 90. 3. scriptum est. *Ipse liberabit me de laqueo venantium*, & reliqua. Sancta ergo anima à flagello linguæ absconditur, quia dũ in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit. Sequitur. *Et non timebis calamitatem*
B *cum venerit.* Habent enim sancti viri contra famem diuini verbi pabulum, contra belli gladium continentiæ scutum, contra flagellum linguæ protectionem patientiæ, contra exterioris calamitatis damnum, interioris amoris adiutorium, quo enim eos hostis callidus numerosius tẽtat, eo circumspecti Dei milites virtutibus diuinis ditiores fiunt. Potest etiam flagellũ linguæ sentẽtia vltimæ animaduersionis intelligi, quia districtus iudex reprobis dicet.
Matt. 25. 41. *Discedite à me*, & reliqua. Sed iustus quisque in tanta districtione sententiæ, blanda tunc iudicis voce refouetur, cum dicitur. *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, & reliqua. Et, *venite benedicti*, &c. Seq.
Matt. 25. 35.
Matt. 25. 34.

22. *In vastitate & fame ridebis.* Tunc quippe reprobos fames interficiet, quia suam illis faciem redemptor abscondet. Ipse quippe de se dixit. *Ego sum panis viuus*, & reliqua. Et scri-
Ioan. 6. 51. ptum est. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Vastitas cruciat, quia gehenna concremat. Hinc Psalmista ait. *Pones eos*
Psal. 20. 10. *vt clibanum ignis*, & reliqua. Sed tunc iustus ridebit, quia cũ iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria Do-
Psal. 51. 8. mini dignæ retributionis hilarescit. Hinc Psalmista ait. *Vi-*
C *debunt iusti & timebunt*, & reliqua. Sequitur. *Et bestias terræ nõ formidabis.* Callidus quippe aduersarius, bestia terræ dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violenta crudelitate efferatur. Sed tamen de Eccle-
Esa. 35. 9. sia dicitur. *Mala bestia non transibit per eam.* Illi igitur terræ bestiam morientes timent, qui conditoris sui potẽtiam viuentes non timent. Sancti enim viri quia diuinæ se formidini medullitus subdunt, omne de aduẽtu aduersarij pondus timoris abijciunt. Hinc Psalmista orat dicens. *Nequan-*
Psal. 7. 3. *do rapiat vt leo animam meam.* Ac si ergo diceret. Quia blandiente hoste modo nunc vinceris, hunc postmodum sæuientem non timebis. Sequitur.

23. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.* Quid ergo regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? quibus
1. Pet. 2. 5. dicitur. *Vos autem tanquã lapides viui superædificamini.* De qui-
Esa. 54. 11. bus Ecclesiæ pollicetur. *Ecce ego sternam per ordinẽ lapides tuos.* Qui igitur rectè viuit, pacto se lapidib. regionũ sociat, vitã suam proculdubio ad sanctorum præcedentium imitationẽ
D ligat. Sequitur. *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Non ait pacatæ, sed pacificæ, quia non pacẽ habent, sed pacem faciunt. Terræ ergo bestiæ, electis pacificæ fiunt, quia maligni spiritus cum honorũ corda aduersantes deprimunt, hæc nolentes ad amorẽ Domini impellunt; & afflicta mens tanto magis ad æternã patriam reditum dirigit, quantò in hoc ærumnoso exilio laboriosius viuit. Possunt etiam per terræ bestias motus carnis intelligi, q dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cor sub diuina lege deprimitur, etiam cum carnis incẽtiua detumescunt: & si ad tentandum rugiunt, nequaquam tamẽ vsq; ad effectum operum quasi ad aperti morsus rabiem exurgunt. Pacificæ itaq; sunt, quia motus carnis, etsi per desideria palpitant, aperta tamen nos contradictione nõ impugnant. Vel certe pacẽ nobiscum terræ bestiæ faciunt, quia motus carnis dum nos tentando lacessunt, ad amorem quietis intimæ impellunt. Sequitur.

E
24. *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atq; aliter inchoata. De illa
Luc. 2. 29. quippe dicitur. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.* De
Ioan. 14. 27. ista vero. *Pacem meam do vobis*, & reliqua. Pax enim nostra à desiderio creatoris inchoatur, & manifesta visione perficitur. Tabernaculum igitur iusti pacem habere dicitur, q a videlicet eius corpus quod mente inhabitatur, à peruersis desideriorum motibus, sub iustitiæ dispositione refrenatur. Sequit. *Et visitans speciem tuam non peccabis.* Species quippe nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus q sumus ipsi. Speciem ergo suam visitat quis, cum ad eum quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit, vt in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmitati alterius condescendat. Hinc Paulus ait.
1. Cor. 9. 20. *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem: ijs qui sine lege erant tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem*
F *saluos.* Tunc etiam plene vincitur peccatum, cum ex sua similitudine vnusquisq; perpendit quomodo in dilectione proximi dilatetur. Sequitur.

25. *Et scies quomodo multiplex erit semen tuum.* Cum vero à vitijs caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat vt loquendo quisque doceat vitam quam moribus seruat. Ille enim vberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Et tanto eius fœcundius prædicationis tribuitur, quanto hoc in eius pectore perfecti operis exaratione præuenitur. Sequitur. *Et progenies tua sicut herba terræ.* Quia de eius imitatione nascitur, dum arentem præsentis vitæ gloriam deserit, spe in æterna viridescit. Vel certe iusti progenies sicut herba terræ oritur, quia dum viuendo monstrat quod prædicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exurgit. Sequitur.

26. *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* Quid enim sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita signatur? Actiua quoque vita sepulchrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit. Sed contemplatiua perfectè sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit. Hinc Paulus sepultis
G dicebat. *Mortui enim estis*, & reliqua. Hinc est quod Abra-
Coloss. 3. 3. ham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit. Vir quippe perfectus sepulchrum in abundantia ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera cõgregat, & postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum, huic mundo funditus occultat. Actionis namq; tempus primũ est: contemplationis extremum. Vnde necesse est, vt pfectus quisque prius mentem virtutibus exerceat, atq; hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est quod Iacob pro Rachael seruiuit, & Liam accepit. Potest etiam per sepulchrum non solum in hac vita nostra contemplatio, sed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi. In abũdantia ergo sepulchrum ingreditur, qui post congesta vitæ pꝛ-sentis opera à mutabilitate sua plene mortuus in secreto
Ps. 30. 21. veri luminis occultatur. Vnde per Psalmistam dicitur. *Abscondes eos in abscondito vultus tui*, & reliqua. Sequitur. *Sicut affertur aceruus tritici in tempore suo.* Frumentum quippe in segete Sole tãgitur, quia in hac vita humana, anima respectu
H superni luminis illustratur. Pluuias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit. Ventis concutitur, quia tempestatib. exercetur, & secum crescentes paleas portat, quia nequiorem contra se quotidie vitam peccantium tolerat; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, vt à palearum connexione soluatur. Quia mens nostra cœlesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, à societate carnalium mundiorem recedit, & relictis paleis, ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna subleuatur. Et in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe tempus est alienum vita præsens, vnde quibusdam adhuc infi-
Ioan. 7. 6. delibus Veritas dicit. *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Sequitur.

27. *Ecce hoc vt inuestigauimus ita est.* Liquet profectò quod in his nil ab eo iuxta superficiem dicitur, quia iniuriam

ante

A ante faciem non iacet quod inuestigatur. Qui ergo hæc
inuestigare se indicat, quia in verbis exterioribus interio-
ra quæsierit demonstrat. Sequitur. *Quod auditum, mente per-*
tracta. Quantalibet enim doctrina mens polleat, grauis e-
ius impeitia est velle docere meliorem. Vnde & ea quæ ab
inimicis recta prolata sunt, ab interno arbitro non recta
iudicantur. Inde namque vim suæ rectitudinis amittunt,
quod auditori non congruunt.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER VII.

B
Cap. VI. VTinam appreehenderentur peccata mea quib. iram
2. *merui, & calamitas quam patior, in statera! quasi*
3. *arena maris hæc grauior appareret.* Stateræ no-
mine Dei & hominum mediator exprimi-
tur, qui ad pensandum vitæ nostræ meri-
tum venit, ac secum iustitiam simul & misericordiam de-
tulit. Sed misericordiæ lance præponderãs culpas nostras,
parcendo leuigauit. Calamitas quidem in statera grauis
apparuit, quia malum quod pertulit, nonnisi in præteotis
redemptoris agnouit. Magni autem arena maris est pon-
deris, sed calamitas hominis arena maris grauior dicitur,
quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordiæ
iudicem culpa leuigatur. Sequitur. *Vnde & verba mea dolore*
sunt plena. Iusti verba dolore plena sunt, quia quousq; præ-
sentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. Qui enim pere-
grinationem pro patria diligit, dolorem etiam inter dolo-
res nescit. Sequitur.

4. *Quia sagittæ Domini in me sunt.* Sagittarum quippe no-
mine, aliquando prædicatorum verba signantur. De his
Ps. 44. 6. Psalmista ait. *Sagittæ tuæ acutæ*, & reliqua. Et Esaias. *Mittam*
Esa. 66. 19. *ex his qui saluati fuerint, ad gentes in mari, in Africa, in Lydia, te-*
C *nentes sagittas, in Italiam & Græciam.* Aliquando animaduer-
sionis sententia designatur, sicut Iohas Regi per Heliseum
dicitur. *Iace sagittam.* Quo iacente ait. *Percuties Syriam, do-*
4. Reg. 13. 17. *nec consumas eam.* Ac si ergo diceret. Ego in exitio damna-
tionis non gaudeo, quia vim percussionis agnosco. Sequi-
tur. *Quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Quid est spiritus
hominis, nisi spiritus elationis? Sagittæ autem Domini,
spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animaduersionis
sententia afflictam mentem ab elatione compescunt, cum
supernæ sententiæ electos quos in peccatis inueniũt, dum
vulnerant, immutant: vt duritiam suam transfixa mens de-
serat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis cur-
rat. Sequitur. *Et terrores Domini militant contra me.* Iustorum
mens non solum perpendit quid tolerat, sed etiam pauet
quod restat. Videt qualia in hac vita patitur, metuit ne post
Psal. 87. 17. hanc grauiora patiatur. Hinc Psalmista ait. *In me transierũt*
iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. MORALITER. Iam
quippe per fidem mediatoris viuimus, & tamen adhuc per
expurgationem vitiorum, quasi sagittas Domini dura a-
D nimaduersionis intimæ flagella sustinemus. Sed ecce &
diuinæ correptionis percussione configimur, & tamen ad-
huc illud est grauius quod de terrore venturi iudicis æter-
nam animaduersionem formidamus. Sequitur.

5. *Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet*
bos cum ante præsepe plenum steterit? Per onagrum, agrestem
asinum; gentilis populus designatur. Per bouem, plebs Iu-
daica significatur, quæ iugo supernæ dominationis sup-
posita, ad spem proselitos colligens, corda quæ valuit vo-
mere legis traxit. Multos enim ex gentili populo, seu Iu-
dæorum, Incarnationis Domini mysterium desiderasse,
Matt. 13. 17. his verbis cognoscimus: de quibus Dominus ait. *Dico vobis,*
multi iusti & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & reli-
qua. Sed tunc onager herbam inuenit, cum Gentilis po-
pulus diuinæ Incarnationis gratiam accepit. Tunc etiam
bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudaicæ Do-
mini carnem lex exhibuit, quam diu expectante prophe-
tauit. Vnde & natus Dominus in præsepe ponitur. Ipse e-

nim ex nostra substantia carnem assumens, fœnum fieri E
voluit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præ-
buit dicens. *Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinẽ meum,* Ioan. 6. 56.
in me manet, & ego in eo. Ac si ergo dicat. Idcirco Gentilitas
gemit, quia eum necdum Redemptoris sui gratia refecit;
atque ideo Iudæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed
legis auctorem non videns, stans ante præsepe ieiunat.
MORALITER. Qui alij onagri appellatione signantur, nisi
qui in campo fidei constituti, nullius officij loris ligantur?
Bouis vero nomine hos signat, quos intra sanctam Eccle-
siam ad prædicationis officiũ suscepti ordinis iugum pre-
mit. Herba vero onagri & pabulum bouis, est interna re-
fectio populi fidelis. Quia enim longe ab interna sapien-
tia positi, æternam hæreditatem non cernimus, velut bru-
ta animalia à desiderata ieiunamus. De qua nimirum her-
ba redemptoris voce dicitur. *Per me si quis introierit, saluabi-* Ioan. 10. 9.
tur, & reliqua. Sequitur.

Aut poterit comedere insulsum, quod non est sale conditum? 6.
Quisquis enim carnalibus obsequiis intentus, legem in- F
telligere spiritaliter noluerit, quid aliud quam insulsum
cibum comedit? Sed quia præceptis eius dura iubentibus
Gentilitas subdi recusauit, insulsum cibum comedere no-
luit, quæ priusquam spiritus condimentum perciperet,
seruare vim litteræ expauit. Sed in hoc cibo sal veritas mi-
sit, & latere in lege saporem occultæ intelligentiæ docuit
dicens. *Si crederetis Moysi*, & reliqua. Et rursum. *Habete sal in* Ioan. 5. 46.
vobis. Et. *Pacem habete inter vos.* MORALITER. Verba quippe Marc. 9. 50.
moresque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus in-
gerunt, in delectationis ventre rapiuntur. Sed doctus quis-
que insulsa non comedit, quia prauorum dicta factaque
diiudicans, ab ore * cordis repellit. Hinc Psalm. ait. *Narra-* * aure.
uerunt mihi iniqui fabulationes suas, & reliqua. Sequitur. *Aut* Ps. 118. 85.
gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem? Lex namq;
carnaliter degustata mortem intulit, quia commissa delin-
quentium dura animaduersione distrinxit, & per præce-
ptum culpam innotuit, & hanc per gratiam non deleuit,
Paulo attestante qui ait. *Nihil ad perfectum perduxit lex.* Ad Heb. 7. 19.
Christum vero conuersa Gentilitas, quæ adhuc sonare per G
verba legis intelligit, angustata sunt desiderijs suis. MO-
RALITER. Sancti igitur viri cum æternis desiderijs anhe-
lant, in tanta vitæ altitudine se subleuant; vt audire iam
quæ mundi sunt, graue sibi ac deprimens pondus credant.
Valde namque intolerabile æstimant, quicquid illud non
sonat, quod intus amant. Sæpe enim mens superna appe-
tit, & stulta in infimis contemnit, nec tamen adhuc pro a-
more veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus ac-
cingitur. Durum quippe est appetere quod cruciat, sequi
quod vitam fugat. Sequitur.

Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi 7.
mei sunt. Absit enim ne vir sanctus in statu sui incolumita-
te constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despe-
xerit. Sed quia B. Iob membrum est Ecclesiæ sanctæ, eius
etiam voce loquitur. Quia nimirum amoris sui æstibus
anxia, cibum scripturæ veteris conuersa Gentilitas esurit,
quem dudum superba despexit. Aliter. Quia societatem
gentilium Iudæa habere contempsit, insulsum cibum su-
mere fastidiuit, & quia diuina sententia proposita morte
vetuerat, ne plebs Israelitica fœdus cum alienigenis iun- H
geret, gustare noluit quod gustatum affert mortem. Sed
ad Redemptoris gratiam Iudæa veniens, ab Israelitis infi-
delibus repulsa, dum per sanctos Apostolos ad collectio-
nem se gentilium dilatat, quasi hoc in cibo esuriens acce-
pit, quod indignum prius fastidiose despexit; & præ angu-
stia cibos quos dudum contempserat, comedit: quia re-
pulsa à Iudæorum duritia Gentiles suscipere populos quos
despexerat concupiscit. MORALITER. Mens enim pro-
ficiens quæ prius dum sola propria curaret, ferre aliena fa-
stidiebat, cum ad toleranda proximi infirma se attrahit,
ita vt pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus tan-
to post fortis appetat, quanto prius infima fugiebat,
hæc præ angustia comedit, quæ prius tangere nolebat. Se-
quitur.

Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi 8.
Dominus, & qui cœpit ipse me conterat? Non enim per contu-
maciam expetit se extingui, vt iniustitiam ferientis accuset,

A quod verbis sequentibus demonstrat, dicens. *Non contradicam sermonibus sancti.* Sciendum vero est quia aliquando nos aduersarius, aliquando autem conterit Deus. Ex aduersarij contritione deficimus à virtute. Per Domini vero contritionem fracti vitijs in virtute laboramus. Hinc scriptum est. Psal. 2. 9. *Reget eos in virga ferrea.* Cum enim nos exterius affligit, interius reficit. Et quia plerumque vitiorum contritionem in nobis Dominus agere inchoat, sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, aduersario aditum pandit. Quapropter sanctus vir exorat dicens. *Qui cœpit, ipse me conterat.* Ac si dicat. Hoc quod in me exorsum est, perficere feriendo non desinat, ne desertum me aduersario ad contritionem tradat. Sequitur.

9. *Soluat manum suam & succidat me. Soluat manum* dicitur, exerceat effectum. Sed cum nos extulli conditor conspicit, & amorem suum erga nos per verbera nõ exercet, quia ad feriendũ in nos nostra vitia manum ligat. Et cum securos nos ac de virtutum affluentia elatos repente vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus à statu sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, vt de semetipsa nihil sudeat, sed infirmitatis suę ictu prostrata manum B leuantis quęrat. Hinc est quod sancti viri tentari appetunt, flagellari concupiscunt dicentes Psal. 25. 2. *Proba me Domine, & tenta me.* Et. Psal. 37. 18. *Ego ad flagella paratus sum.* Sequitur.

10. *Et hæc mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Ac si dicat. Quia hic ideo non parcit, vt in perpetuum parcat. Ex afflictione enim consolor, quia corruptionis humanæ putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor. Valde quippe electi formidine tabescunt, cum perpetrasse se illicita nouere, sed perscrutantes inueniunt, quia nulla pro illicitis aduersa perpessi sunt. Sequitur. *Nec contradicam sermonibus sancti.* Verba Dei ad nos, sunt effectus operationum. In eo ergo nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur. Beatus igitur Iob sermonibus Dei contradiceret, si de eius percussionibus murmuraret. Sed quid de percussore suo sentiat indicans, quem enim ferientem tolerat sanctum vocat. Sequitur.

11. *Quæ enim fortitudo mea vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam?* Sciendum quod alia iustorum, atque alia est fortitudo reproborum. Iustorum quippe fortitudo est, C carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere. Hinc enim Sanctis dicitur. Psal. 30. 25. *Viriliter agite,* & reliqua. Reproborum vero fortitudo est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare. De his Propheta ait. Esa. 5. 22. *Væ qui potentes estis ad potandum vinum.* Et reliqua. Et. *Ecce occupauerunt animam meam, & irruerunt in me fortes.* Psal. 58. 4. Fortes quippe qui mala mundi tolerant pro mundo, eiusq; gaudia, vt ita dixerim, quærentes perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur. Ac si ergo vir sanctus dicat. Mala mundi pro mundo tolerare nequeo, quia iam in eius desiderio fortis non sum. Dum enim præsentis vitæ finem conspicio, cur pro mundo patiar, cuius appetitum calco? Sequitur.

12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Quid hoc loco ære aut lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur, qui nulla percussione mollescunt? Quo contra electis dicitur. Ezech. 36. 26. *Tollam vobis cor lapideum,* & reliqua. Paulus quoque ait. *Si linguis hominum loquar & Angelorum,* & reliqua. D 1. Cor. 13. 1. Lapidi similis est quisquis a pietatis præcepto durescit, & percussus sonitum humilis confessionis nõ reddit. Quidam vero metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitus emittunt. Sed quia humilitatis voces ex corde non proferũt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. Ac si ergo vir sanctus dicat. Reproborum similitudine sub disciplinæ verbere, nec more lapidum ita obduraui, vt à ministerio confessionis obmutescam, nec rursum quasi æs vocem confessionis reddo, & sensum vocis ignoro. Sequitur.

13. *Ecce non est auxilium mihi in me.* Patet iam ad cuius speciem percussionis animus percurrat, cum in se sibi esse auxilium denegat. Plerumque enim virtus adiuta deterius quam si deesset, interficit; quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit. Sequitur. *Et necessarij quoq; mei recesserunt à me.* Qui enim infirmum se in semetipsum insinuat, ad maioris adhuc meritum fortitudinis etiam proximis destituitur. Sequitur. E

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquet. 14. Amici nomine hoc loco proximus quilibet designatur. Duo sunt præcepta charitatis, amor videlicet Dei & proximi. Per amorem Dei, amor proximi gignitur; & per amorem proximi, Dei amor nutritur. Hinc scriptum est. *Qui non diligit fratrem suum quem videt,* & reliqua. Ioan. 4. 20. Quæ tamẽ diuina dilectio, per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Scriptum est enim. *Non agnoscetur in bonis amicus, & non celatur in malis inimicus.* Eccle. 12. 8. Quia nimirum qui ex aduersitate proximum despicit, aperte conuincitur quod hunc in prosperis non amauit. Et cum omnipotens Deus, ideo quosdam percutit, vt percussos erudiat, & non percussis occasionem boni operis præbeat. Quisquis percussum despicit, occasionẽ virtutis à se repellit, & tãto nequius se contra auctorem erigit, quanto hunc nec pium in salute propria, nec iustum in alieno vulnere agnoscit. Sequitur.

F *Prætereierunt me sicut torrens qui raptim transit in conuallibus fratres mei.* 15. Sæpe reprobi eam fidem quam tenemus, retinent; eadem Sacramenta percipiunt, eiusdem Religionis veritate continentur, sed tamen cum passionis viscera nesciunt, vim charitatis qua in Domino flagramus & proximo, non agnoscunt. Rectè ergo & prætereuntes vocantur, quia ex vno matris nobiscum gremio per fidem prodeunt, sed in vno charitatis studio erga Deum & proximum non figuntur. Qui enim terrena diligunt, spem supernæ patriæ deserunt, quasi ex montibus more torrẽtis valles petunt. Quos tamen hiems præsentis vitæ multiplicat, sed æstas venturi iudicij exsiccat, & reproborum lætitiam in ariditatem vertit. Torrentem quippe ad conuallem raptim transire est, prauorum mentes ad ima desideria sine obstaculo ac difficultate descendere. Omnis enim ascensus in labore est, descensus in voluntate. Aliter. Si conualles ima pœnarum loca intelligimus, iniusti quique sicut torrens raptim ad conuallem transeunt, quia in hac vita quã totis desiderijs appetunt, diu nequaquam * possunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad * V detur hic verbũ quoddam dee e. finem tendunt. In longum quidem voluptatum desideria pertrahunt, sed ad inferni claustra repente producuntur. G Sequitur.

Qui timet pruinam, irruet super eum nix. 16. Pruina quippe inferius gelescit, nix autem de superioribus ruit. Et sæpe nõnulli dum temporalia aduersa pertimescunt, districtionem æternæ animaduersionis abijciunt, de quibus dicitur. *Illic trepidauerunt timore,* & reliqua. Psal. 13. 5. Contra alij in terra homines contra veritatem pauent, eius veritatis iram cœlitus sustinent, & alij cum pati in terra inopiam metuunt, in æternum sibi abundãtiam supernæ refectionis abscindunt. Sequitur.

Tempore quo fuerint dissipati peribunt. 17. Quos enim præsentis vitæ sollicitudo ordinat, amissio dissipat, & tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perierunt. Sequitur. *Et cum incaluerint, soluentur de loco suo.* Iniquus enim quisque cum incaluerit de loco suo soluitur, quia in iudicio intimæ districtionis appropinquans, cum iam per cognitionem pœnæ feruere cœperit, ab ea qua dudum inhæserat carnis suæ delectatione separatur. H Hinc contra reprobos dicitur per Prophetam. *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Esa. 28. 19. Præsentem vitam ex desiderio retinet, sed de loco suo soluitur, qui oblectamenta carnis desiderans, eius diuitia per supplicium liquatur. Sequitur.

Inuoluta sunt semita gressuum eorum. 18. Omne quod inuoluitur, in semetipsum replicatur. Sed sunt nonnulli qui recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi ad semetipsos per circuitum redeunt. Qui bona quidem cupiunt, sed à malis nunquam recedunt. Esse quippe humiles, sed sine despectu; esse cõtenti proprijs, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patiẽtes, sed sine contumelijs, volunt. Aliter. Sæpe namque nonnulli contra quædam vitia se vehementer accingunt, sed quædam subigere negligunt. Cumque se contra ista non erigunt, & illa

conira

A contra se reparant, quæ subegerant. Alius carnem à luxuria domuit, sed mentem ab auaritia non refrenauit, cumque se in mundo pro exercenda auaritia retinet, erumpente occasionis articulo, etiam in luxuriam labitur, quam iam subegisse videbatur. Aliquando vero inuolutis gressuum semitis, & nonnulla culpa deuincitur, & alia per aliam perpetratur. Nam sæpe furto negationis iungitur, & periurij deinceps reatu cumulatur, & culpa culpæ adiungitur; quid aliud quam inuolutis semitis, atque innodatis vinculis prauorum gressus ligant? Vnde per Esaiam dicitur. *Et erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, onocentauris & pilosus clamabit alter ad alterum.* Quid per dracones, nisi malitia? quid per struthionem, nisi hypocrisis designatur? Et quia Græce onos Asinus dicitur, per Asinum luxuria designatur, per taurum vero ceruix superbiæ demonstratur, vt illud. *Tauri pingues obsederunt me.* Onocentauri ergo sunt, qui subiecti vitijs luxuriæ, inde ceruicem erigunt, vnde humiliari debuerant. Pilosus Græce dicitur Panas, Latine, incubos. Quorum nimirum forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate terminatur. Nam sæpe edendi delectatio seruit gulæ, & simulat seruire indigentiæ. Cumque ventrem in ingluuiem extendit, membra in luxuriam erigit. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia, ad perpetrandam aliam prouocat. Sequitur. *Ambulabunt in vacuum & peribunt.* In vacuum quippe ambulant, qui nihil secum de fructu sui laboris portant. Cuncta enim hæc moriens deserit, quæ iniuste viuens concupiuit. At contra in lege dicitur. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Et de iustis dicitur. *Venientes autem venient cum exultatione,* & reliqua. Sed quia iniustus quisque promerendæ vitæ meritum bene agendo non prouidet, in conspectu Dei vacuus apparet. Sequitur.

19. *Considerate semitas Theman, itinera Saba.* Theman, Auster, Saba autem rete interpretatur. Quid hic per Austrum, qui flatu tepôris membra dissoluit, nisi fluxa remissio viuendi? Quid autem per rete, nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mente ea quæ terrena sunt, appetunt; nec per gressus liberos ad Deum prodeunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant. Sunt namque plerique, qui non solum aliena non appetunt, verumetiam cuncta quæ possederant in mundo, derelinquunt. Sed dum amori propinquitatis indiscrete deseruiunt, ad ea sæpe per affectum cognationis redeunt quæ damnarunt. Quo itaque isti, nisi in rete ambulant, quos in præsenti seculo inchoatæ iam vitæ perfectio soluerat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Hinc Veritas dicit. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam, non potest meus esse Discipulus.* Recte igitur post Theman semitas, Saba itinera memorat, quia quos Auster reprobi tepôris soluerit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem prauorum opera describens considerate admonet, quia peruersa agere diligimus, sed hæc visa in alijs dijudicamus, & ea quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actione cognoscimus. Sicque fit, vt ad semetipsam mens redeat, & agere quod reprehendit erubescat. Sequitur. *Et expectate paulisper.* Sæpe dum præsentis vitæ breuitas quasi perseueratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur. Sed repente vitam finiens, æterna inuenit supplicia, quæ iam vitare nequeat. Hinc enim dicitur. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Cumque enim mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improuisa peruenit. Hinc Psalmista ait. *Pusillum adhuc, & non erit peccator.* Sequitur.

20. *Confusi sunt quia speraui.* Cum bonis mala reprobi ingerunt. Si hos à spe intima labefactari conspiciunt, effectu deceptionis hilarescunt. Cum vero bonorum operum spes interior figitur, & nequaquam malis exterioribus ad ima reclinatur, prauorum mentes confusio occupat, quia dum peruenire ad afflictorum intima nequeunt; incassum existere crudeles erubescunt. Sequitur. *Venerunt quoque vsque ad me, & pudore cooperti sunt.* Vsque ad sanctam quippe Ecclesiam in die iudicij reprobi veniunt, quia vsque ad eius conspiciendam gloriam perducuntur, vt ad maiora reatus sui supplicia repulsi, videant quod perdiderunt. Tunc vero iniquos pudor cooperit, cum eos in conspectu iudicis reatus conscientia adducit. Tunc omnis culpa ante oculos reducitur, & mens super gehennæ incendio, suo grauius igne cruciatur. De quibus recte per Prophetam dicitur. *Domine exaltetur manus tua, vt qui non vident, videant, & confundantur.* Possunt etiam hæc omnia amicis B. Iob congruere. Ac si de eis dicat. Dum me stultis increpationibus ad desperationem flectere nequeunt, ipsi temeritatis suæ insania confunduntur. Videntes corporis vulnera, & mentis conscientiam nescientes. Dum me de iniustitia increpare ausi sunt, vsque ad me necdum venerunt, sed dura me inuectione pulsantes, dum victorem animum inter aduersa deprehendunt, quasi ad me venientes erubescunt. Sequitur.

21. *Nunc venistis, & modo videntes plagam meam, timetis.* Ac si aperte dicat. Ego tunc timui Deum, cum fultus prosperis, flagellorum detrimenta non sensi. Vos qui ex amore Deum non timetis, ex sola eum percussione formidatis. Sequitur.

22. 23. *Numquid dixi, afferte mihi de substantia vestra, & donate mihi, vel, liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?* Hæreticorum quippe prædicatio substantia carnalis non inconuenienter accipitur, qua dum peruersa fulciuntur, quasi in verbis diuites ostendunt. Quam eo sancta Ecclesia non quærit, quo hanc spiritali intellectu transcendit. Manum quippe hostis, Satanæ fortitudinem vocat; & manum robustorum, vires malignorum spirituum appellat. Quos idcirco robustos appellat, quia dum absque carnis infirmitate sunt conditi, prauis eorum assertionibus imbecillitas adiuncta non obuiat. Hoc vero quod subsequitur.

24. *Docete me, & ego tacebo, & si quid forte ignoraui instruite me;* sub cuius discretionis libramine pendeat, incertum videtur, vtrum sit quod intulerat. Numquid dixi, an certe à superiorib. disiuncta sententia promitur, vt quasi per increpationem dicatur. *Doce me,* & reliqua. Quod tamen vtriq; distinctioni côuenit, quia ab intellectus sano tramite neutrumq; recedit. Beatus igitur Iob contra mundi diuites, pauper; contra potentes oppressus, contra sapientes stultus, doctrinam respondit, quia nec pauper eorum substantiam, nec oppressus adiutorium côtra robustos, nec stultus doctrinam sapientiæ carnalis quærit. Sanctus etenim vir, quia mente pulchre super semetipsum rapitur, & pauper inopia non angustatur, & oppressus nil patitur, & voluntarie stultus, carnalem sapientiam non miratur. Seq.

25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui me arguere possit?* Ac si aperte diceretur. Qua temeritate audita reprehenditis, qui percussionis meæ causas ignoratis? Mundus quippe ipse esse debet, qui curat aliena corrigere. Vnde ad Dauid dicitur. *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es.* Sequitur.

26. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis.* Duo sunt verba noxia humano generi. Vnum quod curat etiam aduersa laudare, aliud quod studet etiam semper recta corripere. Ex huius ergo qualitate Beatus Iob amicos fuisse redarguit. Sequitur. *Et in ventum verba profertis,* in ventum enim proferre est verba otiosa dicere. Nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoq; stultæ increpationis effrenatur. Prius enim loqui aliena libet, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat; quandoq; autem vsque ad apertas contumelias erumpat. Hinc Salomon ait. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Et item. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Et Isaias. *Cultus iustitiæ silentium.* Otiosum quippe verbum est quod ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Plerumq; nimis taciti, dum quorumdam mala respiciunt, & tamen in silentium linguam premunt, eo auctores mortis fiunt, quo virus, quod poterant, ejicere loquendo noluerunt. Hinc Propheta ait. *Væ mihi quia tacui.* Iustus autem cum opportunum considerat, postposita censura silentij, loquendo quę côgruunt, in vsum se vtilitatis impendit. Hinc namque dicitur. *Sapiens tacebit vsque ad tempus.*

A

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER VIII.

27. *Super pupillum irruistis, & subuertere nitimini amicum vestrum.* Quantæ namque infirmitatis se perpendat, insinuat quem pupillum vocat. Quia vero ab amore recedere etiam læsa charitas nescit, & subuerti velle sequeritur, & tamen amicū se esse testatur. TYPICE. S. quippe Ecclesiæ populus, qui mortui patria est, filius, pupillus non incongrue dicitur, cuius resurgentis vitam iam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur. Super pupillum vero hæretici irruunt, cum humilitatem fidelis populi importunis falsisque allegationibus affligunt. Tamen amicus est quem nituntur euertere, quia fidelis Dei populus, ipsos quoq; quos tolerat persequentes, amando non desinit ad veritatem vocare. Sequitur.

B

28. *Veruntamen quod cœpistis explete.* Ac si aperte diceret. Nec ante illatas molestias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adiutoria abscondo, quia & malis pressus exerceor, & ipsis tribulatoribus misericordiam persecutoribus benigne impendens cresco. Quia enim *Charitas patiens est, benigna est*, & cum vnum ex vtroq; defuerit charitas non est : vt a nobis charitas vere teneatur, necesse est quatenus & benignitatem patientia, & patientiam benignitas suffragetur. (1. Cor. 4. 4.) Beata igitur Iob quia patiens est, dicat. *Veruntamen quod cœpistis, explete.* Et quia benignitate præditus, dicat. *Præbete autem.* Sequitur. *Et videte an mentiar.* Ac si aperte dicat. Ea quæ assero nequaquam mihi ex auctoritate credite, sed an vera sint, ex ratione pensate. Neq; enim sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta recta quæ errantibus dicit, quasi ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet. Sequitur.

C

29. *Respondete quæso absq; contentione.* Neq; enim hæretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Vnde fit, vt contentionis certamina exquirant, & de Deo, qui *pax nostra est*, loqui pacifice nesciant, atq; ex pacis negotio, rixæ inuentores fiant. (Eph. 2. 14.) Quib. bene per Paulum dicitur. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* (1. Cor. 11. 16.) Sequitur. *Et loquentes id quod iustum est iudicate.* Iam namq; qui loquitur, dum vel suis auditoris sententiam expectat quasi eius iudicio supponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobationem meruit, ipse debet prius examinare quod dicit, quatenus inter cor & linguam, æquus discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensans si recta verba offerat, quę vtiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducat. Sequitur.

30. *Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, & in faucibus meis stultitia non personabit.* Ac si aperte diceret. Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensatis. Et cum rectum esse cœperit quod dicitis, iustum cognoscitis quod audistis. Sic enim sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, & tunc prædicamenta virtutis aperire. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces vero occulta tractatio designatur. Et quia ea quæ per publicam locutionem sancta prædicat Ecclesia, & iam per intimam fidem seruat, in lingua iniquitas non resonat, sed nec in faucibus stultitia, quicquid per linguam prædicationis emanat, hoc per fauces tacitæ expectationis degustat. Sequitur.

D

CAP. VII 1. *Militia est vita hominis super terram.* Alia translatio habet, tentatio, sed vtriusque verbi sensus aspicitur. Quid enim tentationis nomine, nisi pugna contra malignos spiritus exprimitur? Et quid appellatione militiæ, nisi contra hostes exercitus designatur? Tentatio itaque ipsa militia est, quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exsudat. Vita vero hominis tentatio perhibetur esse, quia ab statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredine subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est iam facta quod tolerat. Sic itaque humana vita tentatio est, vt etsi iam ab iniquitatis perpetratione compescimus, in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur: Tentatio ergo est, quæ aut aliena virtutibus ad cœleste præmium non valet assurgere, aut ditata donis spiritualibus aliquando deterius ex occasione virtutum ruit. Militia vero est vita hominis, quia vnusquisque dum quotidie ad vitæ terminum per temporum augmēta tendit, augendo vitam, viuere desinit. Et dum spatia temporum crescere appetit; ab eodem spatio quod protendendo colligit, crescendo pertransit. Nam cum ordinem militiæ locus crescit, toto simul hominis deficit. Sequitur. *Et sicut dies mercenarij dies eius.* Mercenarius ad laboris sui præmium citius peruenire exoptat. Dies itaque hominis æterna sapientis, recte diebus mercenarij comparantur, quia præsentem vitam, viam non patriam deputaut, & mercenarius in alienis laboribus exsudat, sed tamen sibi proprium præmium præparat. Voce autem Redemptoris dicitur. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Omnes ergo qui spe cœlestium prædiis exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus, & alieno quidem labore fatigamur, sed tamen prēmia nostra percipimus, & per hoc peruenimus ad propria, quod pure administratiuus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Sciendum quoque est quod mercenarius solicite curat inspicere, ne vnquam dies vacuus habeatur ab opere. Vnde & electus tanto fidentius spe tendit ad præmia, quāto nunc robustius perdurat ad laboris incrementa. Dies cum operibus numerat, ne à labore vacua transeant vitæ momenta formidat. Hinc namque dicunt. *Propter te mortificamur tota die.* Et. *Scio cui credidi, & certus sum.* Sequitur.

E

F

Ioan 18. 36.

Luc. 16. 12.

Rom 8. 36.

2. Tim. 1. 12.

2. *Sicut ceruus desiderat vmbram.* Vmbram quippe desiderare ceruo est, pro tentationis æstu sudoreque operis, æterni refrigerij requiem quærere. Hinc scriptum est. *Sitiuit anima mea ad Deum viuum.* & reliqua. Et. *Heu me, incolatus meus prolongatus est.* Et. *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis*, & reliqua. Sequitur. *Et sicut mercenarius præstolatur finem operis eius.* Mercenarius enim quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione. Sic quippe quod electis valde esse importabile ex dolore ostenditur, cōsideratione prouida ex remuneratione leuigatur. Hinc est quod Paulus quam sit graue quod patitur indicat, *qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortib. frequenter* fuisse testatur. Qui vltra vires grauatum se asserit dicens. *Supra modū grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*, sed remunerationem considerans ait. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Sequitur.

Psal. 41. 3.

Psal. 119. 5.

Ps. 41. 5.

G

2. Cor. 11. 23.

2. Cor. 1. 8.

Rom. 8. 18.

3. *Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Electi quippe conditori rerum seruiunt, & sæpe rerum inopia coangustantur. Qui igitur per actiones suas præsentia non quærunt, à mundi compendijs menses vacuos ducunt. Noctes quoq; laboriosas tolerāt, qui aduersitatum tenebras nō solum vsq; inopiam, sed sæpe ad corporis cruciatum portant. Potest etiam non inconuenienter intelligi, quod sanctus quisq; menses vacuos sicut mercenarius ducit, qui laborem iam sustinet, sed præmium necdum tenet. Hoc tolerat; illud expectat. Noctes vero laboriosas enumerat, quia aduersitates sibi præsentis temporis in virtutibus exercendis coaceruat. MYSTICE. Vacuos Ecclesia menses habet, quæ infirmis suis terrenas actiones absque vitæ præmio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas quæ in membris fortibus multiplices tribulationes portat. Mensium quippe nomine, dierū collectio & summa signatur. Per diē ergo vnaquæq; actio exprimi potest, per menses autem actuum finis intelligitur. Non solum igitur dies, sed menses vacuos dicimus, cum nos in terrenis actibus sine fructu laborasse, non ex actione principiū, sed fine pensamus. Cum enim laborea nostros aduersitas sequuntur, quasi vitæ nostræ vacui menses arguuntur, quia ex actionis completione agnoscitur, quam frustra in actionib. sudabatur. Sed quia in sacro eloquio nonnunquam nox pro ignorantia ponitur, Paulo attestante, qui

H

A respectu superni iudicis, quasi Solis calore liquefiunt, & semel locis pœnalibus traditi, ad operationis vsum vltra non redeunt. Potest etiam inferni nomine peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur. [Psal. 6. 6.] *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et illud. [Prou. 18. 3.] *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Qui autē impietati succumbit; vitā profecto iustitiæ moriendo derelinquit. Qui vero post peccatum, mole desperationis obruitur, quid aliud q̄ post mortem inferni supplicio sepelitur? A quo via iam reuersionis abscinditur. Rectè autē corda desperantiū comparantur nubibus, quia & caligine erroris obscura sunt, & peccatorum multiplicate condensa. Sed consumpta pertranseunt, quia claritate extremi iudicij irradiata dissipantur. Sequitur.

10. *Nec reuertatur vltra in domum suam.* Sicut domus corporis habitaculum corporale est, ita vnicuiq; menti hoc domus fit, quod ex desiderio inhabitare consueuit. Ad domum igitur suam vltra non reuertitur, quia semel quisq; æternis supplicijs traditus ad hoc vbi amore inhæserat, nullatenus B reuocatur. Potest etiam domus, habitatio cordis intelligi. Vnde sanato cuidam dicitur. [Matt. 9. 6.] *Vade in domum tuam.* Cum ergo quem desperatio obruit, à cordis sui habitaculo foras mittit, & redire introrsus non valet, quia rursus exterius ad deteriora cotidie pulsus cadit. Sequitur. *Neque cognoscet eum amplius locus eius.* Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor extitit, qui hunc vt in semetipsum [Psal. 101. 29] consisteret, creauit. De quo Psalmista ait, *Filij seruorum tuorum habitabunt.* Quem nimirum locum tunc homo deserit, cum seductoris verba audiens, à conditoris amore discessit. A conditore ergo suo tanto quisque districtius in iudicio non agnoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona reuocatur. Qui Iudex districtus ad examen vltimum veniens in iniquitate durantibus dixit. [Matt. 25. 41] [Matt. 25. 12] *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Nescio vos, vnde estis*, Sequitur.

11. *Quare & ego non parcam ori meo.* Ori etenim suo non parcit, qui confitens malum quod fecit, non erubescit. Hinc [Psal. 94. 2.] Psalmista ait. *Præueniamus faciem eius in confessione.* Hinc rursus [Prou. 28. 13.] scriptum est. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Sequi- C tur. *Loquar in tribulatione spiritus mei.* Tribulationem quippe spiritus, lingua commouet, vt reatum praui operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoq; est, quia & sæpe reprobi peccata cōfitentur, sed deflere cōtemnunt. Electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animaduersionis fletibus insequuntur. Hinc Psalmista ait. [Ps. 37.] *Iniquitatem meam ego pronunciabo.* & reliqua. Qui enim mala quę perpetrauit insinuat, sed flere recusat quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente, medicamentum vulneri non apponit. Sequitur. *Et confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Pauore namq; districti iudicis afflicti, dum quædam male gesta plangimus, ipsa vim nostræ amaritudinis ad discutiendum nos vigilantius excitant, alia etiam in nobis quæ amplius defleamus, inuenimus. Nam sæpe quæ torpentibus latuit, flentibus subtilius culpa innotescit. Habet enim in corde iustorum amaritudo animæ linguam suam, cum qua afflictam mentem, modo per replicationem donorum Dei, modo per propria D actionis suæ seueriter increpat. Vnde & nequaquam dicitur, fabulabor, sed *confabulabor*, quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, torpentem animū ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format. Seq.

12. *Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Ac si aperte diceret. Mare vel cetus, iniqui videlicet, eorumque author malignus spiritus, quia effrenari ad solam perpetrandæ iniquitatis licentiā appetunt, rectè pœnæ suæ carcere constringuntur. Ego autem qui iam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ corruptionis carcere premor? Carcere enim homo circumdatur, quia & plerumque virtutum profectibus ad alta exurgere nititur, & tamen carnis suæ corruptione præpeditur. Scriptum quippe est. [Sap. 9. 15.] *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Maris nomine corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa signātur. Ceti vero nomine antiquus hostis exprimitur; qui dum mentes secularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubricas cogitationes natat. Qui inferioribus deiectus, ne ad cœlestia volare præualeat, pœnæ E suæ pondere coarctatur. Hinc Petrus ait. [2. Pet. 2. 4.] *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartara tradidit in iudicio reseruare cruciandos.* Cetus ergo ac mare circumdatione carceris premitur, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, iniquorum se mentibus colligit, atque in eis vndas tumentium cogitationum voluit, vt implere mala quæ appetunt, nequeant, superna districtione angustantur. Sequitur.

13. 14. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* In sacro eloquio lectus, cubile, stratum, secretum solet cordis intelligi. Hine scriptum est. [Cant. 3. 1.] *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Et in Psalmo. [Ps. 149. 5.] *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Quid vero hoc loco somnia vel visiones accipimus, nisi imagines vltimi districtique examinis? Quod iam vtcumque per timorem cernimus, sed tamen vt est, veraciter non videmus. Sancti itaque viri ad cordis semper secreta redeunt cum ab hoc F mundo, vel vltra votum prospera, vel vltra vires aduersa patiuntur, atque externis laboribus fessi, quasi stratum vel lectulum cubilia mentis petunt. Ac si ergo aperte diceret. Si exteriora fugiens introrsus redeo, & vtcumq; requiescere in cordis cubili concupisco, ibi mihi dum districtionis contemplationem fabricas, quàm districtus adueniens iudex, vehementer me per ipsas meæ prouidentiæ imaginationes terres. *Et releuabor loquens mecum.* Quia nimirum cum ad mentis nostræ silentium fessi tenemur, quasi in strato colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba versamus. Sciendum quoq; est, quod imagines somniorum, aliquando ventris plenitudine vel inanitate fiunt; aliquādo illusione, vt illud Salomonis. [Eccl. 5. 2.] *Multas curas sequuntur somnia.* Aliquando per reuelationem vt Ioseph admonitus in somnis, vt fugeret in Aegyptum. Aliquando cogitatione simul & reuelatione, vt illud Danielis. [Dan. 2. 29] *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo quid esset post te, & qui reuelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt.* Sequitur.

15. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* G Quid per animam, nisi mentis intentio? Quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Anima ergo suspendium elegit, vt ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se subleuat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri ad alta animum tollunt, & ad amorem supernæ patriæ in virtutum se studijs accingunt, & hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur. Hinc Paulus ait. [Galat. 2. 20] *Viuo autem iam non ego.* & reliqua. Hinc. [Phil. 3.] *Hebræus ex Hebræis secundum legem Pharisæus.* Et rursum. [Philip. 3. 7.] *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Sequitur.

16. *Desperaui, nequaquam iam vltra viuam.* Iusti quippe desperare est præsentis vitæ bona, electione æternitatis deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. Sunt nonnulli iustorum, qui sic cælestia appetunt, vt tamen honores sibi temporaliter impensos teneant, aliena non ambiant, suis licite vtantur. Et sunt nonnulli iustorū, qui ad cōprehendendum culmen pfectionis accincti, dum altiora interius appetūt, exterius cuncta derelinquunt. De talibus Paulus ait. H [Coloss. 3. 3.] *Mortui enim estis.* & reliqua. Sequitur. *Parce mihi Domine nihil enim sunt dies mei.* Absit enim ne vir sanctus de diuinæ misericordiæ largitate desperet, qui sibi parci desiderat. Sed quia dum bona vitæ transeuntis per desperationem deserit, ad obtinenda quæ permanent in spe robustius assurgit. Sancti enim viri quo verius summa cognoscunt, eo sublimius terrena despiciūt; & idcirco præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, quia illuminatæ mentis oculos in consideratione æternitatis figunt. Sequitur.

17. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Hominem Deus magnificat, quia la gitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore illatę virtutis exaltat. Sed cor suū erga eum Dominus ponit, quia post dona iudicium exit, merita subtiliter pensat, vnæ pondera vehementer examinat. Ac si ergo aperte exclamet dicens. Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen caro est: & vias eius post munera, districte consideras, sed tamen se-

A remota pietate indiceris, pondus quod tua subtilitate imminet, ferre, nec subleuatos ad iustitiam spiritus valet. Sequitur.

18. *Visitas eum diluculo.* Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur, cum erroris nostri obscuritas, veritatis agnitione radiatur. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras, luce suæ cognitionis illustrat. Diluculum dicitur, cum iam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur. Sequitur. *Et subito probas illum.* Quia & accedendo corda nostra ad virtutes prouehit, & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutũ munera, nulla tentatione concuteretur, has se habere animus per semetipsum gloriaretur. Hinc Paulus ad tertium cœlum raptus legem repugnantem in membris suis habere se dolet. Sequitur.

19. *Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?* Saliua in os ex capite labitur, ab ore vero ad ventrem ducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrũ,
B nisi diuinitas per quam existendi principium sumimus, &
2. Cor. 11. 3. creatura sumus? Hinc Paulus ait. *Caput viri Christus. Caput autem Christi Deus.* Ventris nomine mens designatur, quæ dum supernum intellectum suscipit, refecta procul dubio omnium membra actionum regit. Hinc Salomon ait. *Lu-*
Prou. 20. 27. *cerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Saliuæ nomine, sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ de claritate conditoris adhuc in hac vita positos, vix gustu reuelationis tangit. Quam glutire nõ possumus, quia supernæ claritatis bono satiari non permittimur. Ac si ergo aperte diceretur. Tunc homini plane parcis, cum hunc ad perfectionem tuæ contemplationis admiseris, vt claritatem tuam raptus interius videat, & eum carnis suæ corruptio non repellat. Tunc permittis, vt *glutiam saliuam meam*, cum me sapore tuæ claritatis vsque ad abundantiam satietatis infuderis. Sequitur.

20. *Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum?* Ecce fatetur malum quod fecit, sed bonum quod Deo in recompen-
C satione debeat offerre, non inuenit. Vt certe cum dicitur. *Quid faciam tibi*, quia hæc ipsa bona quæ agere præcipimur, non præceptori, sed nobis prosunt. Hinc scriptum
Psal. 15. 2. est. *Bonorum meorum non eges.* Custos autem Deus dicitur, quia si eius custodia nos minime protegit, ante occulti hostis insidias, nostræ sollicitudinis oculus vigilans dor-
Psal. 126. 1. mit. Hinc Psalmista ait. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem*, & reliqua. Sequitur. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Tunc sibi contrarium Deus hominem posuit, cum homo Deum peccando dereliquit. Serpentis quippe persuasionibus captus, hostis eius extitit, cuius præcepta contempsit. Sed hæc ipsa contrarietas culpæ, facta est homini pondus pœnæ, & ceruicem cordis erigendam supposuit, quia qui subesse diuinis iussionibus noluit, sub suis se necessitatibus strauit. Nam otio tabescit, opere deficit, cibo reficitur, & cætera huiusmodi. Mens quoque modo spe decipitur, modo pauore vexatur. Amat sæpe quod despexerat, despicit quod amauerat. Repulsus enim homo à carne, molestias, & in men-
D te quæstiones tolerat, graue nimirum pondus semetipsum portat. Hinc scriptum est. *Graue iugum super filios Adam, à*
Eccl. 40. 1. *die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matre omnium.* Ac si ergo aperte dicat. Cur quasi contrarium tibi hominem despicis, qui certus scio, quia perire vel ipsum quem despicere credideris, non vis? Sequitur.

21. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Quibus profecto verbis, quid aliud quam desiderium præstolantis mediatoris innuitur? De quo Ioan.
Ioan. 1. 29. ait. *Ecce Agnus Dei*, & reliqua. Vel certe ab humano genere tũc peccatum plene tollitur, cum per incorruptionis gloriam, nostra corruptio permutatur. Redemptoris ergo gratiam, vel resurrectionis soliditatem desiderat, qui ini-
Gen. 3. 19. quitatem suam funditus auferri sperat. Sequitur. *Ecce nunc in puluere dormiam, & si mane me quæsieris non subsistam.* Peccanti primo homini dictum est, *Puluis es, & in puluerem ibis.* Mane autem dicitur illa tunc manifestatio mentium, quæ

in adueniente iudicio, apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. Hinc Psalmista ait. *Mane astabo*
Psal. 5. 5. *tibi & videbo.* Quærere autem Deo est homini subtiliter interrogatione discutere, & districte discernendo iudicare. Ac si ergo apertius deploret dicens. In præsenti quidem iam carnis mortem patior, & tamen adhuc de venturo iudicio grauiorem mortem, districtionis tuæ sententiam, pertimesco. Sequitur.

CAP. VIII. 1. *Respondens autem Baldath Suites dixit. Vsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex oris tui?* Iniustis semper grauia sunt
2. verba iustorum, & quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt. Vis quippe & summa loquentium quadrifaria qualitate distinguitur. Nam sunt nonnulli quos sentiendi simul ac dicendi amplitudo dilatat. Sunt nonnulli quos sentiendi simul ac dicendi inopia angustat. Sunt nonnulli qui efficaciã dicendi loquendo habent, sed acumen sentiendi non habent. Et sunt nonnulli qui acumini sentiendi subnixi sunt, sed ex inopia locutionis obmutescunt. Sed in beato viro Baldath
F cum multiplicitatem sermonis attribuit, profecto inopiam cordis reprehendit. Ac si aperte dicat. Abundantia spiritus in sermone oris attolleris, sed sensus indigentia coangustaris. Sequitur.

3. *Numquid Deus supplantat iudicium, & omnipotens subuertit quod iustum est?* Hæc B. Iob nec loquens negauerat, nec reticens ignorabat. Sed procaces quippe, etiam nota iactanter proferunt, vt loquendo docti videantur. Sciendũ vero est, quia diuinæ iustitiæ rectitudinem tunc laudant, cum se ad gaudiũ incolomitas subleuat. Sed si eorum vitã quamlibet breuiter vis supernæ correctionis attigerit, pulsati protinus consilium diuini examinis increpant. Non mirum ergo si hic diuinam iustitiam laudat, qui nihil aduersi ab ea iustitia tolerabat. Sequitur.

4. *Etiam si filii tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ.* Ac si afflictis Catholicis errorem prædicatores prædicant. Vitæ nostræ prouidete, & quã peruersa teneatis, ex eorum qui inter vos defuncti sunt, damnatione co-
G gnoscite, quia cõditori omnium nisi perfidia vestra displiceret, nequaquam à vobis tam numerosos populos interitu sæuiente subtraxerit. Sequitur.

5. *Tu tamen si diluculo surrexeris ad Deum, & omnipotentem deprecatus fueris.* Quia enim hæretici tenere lucem veritatis æstimant, sanctam Ecclesiam quasi in erroris nocte positam ad diluculum veritatis vocant, quatenus & per cognitionem Dei, quasi per diluculum surgant, & per preces pœnitentiæ peccata diluant. Sequitur.

6. *Si mundus & rectus incesseris.* Mundus videlicet in cogitatione, rectus in opere. Sequitur. *Statim euigilabit ad te.* Ac si aperte dicat. Quia is qui nunc tribulationibus tuis virtutem tuæ protectionis non exerit, quasi ab adiutorio hæsitantis dormit. Sequitur. *Et pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.* Idem præsentis vitæ contrarietates ammonet, vt tranquillitatis protinus securitatem probet. Sequitur.

7. *In tantum vt priora tua fuerint parua, & nouissima multiplicentur nimis.* Quia peruersi temporale gaudium, singulare
H bonum æstimant, hoc aliis pro magno pollicentur. Si vero habitaculum iustitiæ, consilium mentis vocat, afflictis catholicis, errorum magistri pacatum habitaculum iustitiæ promittunt, quasi eos ad sua pertrahunt, profecto à contentione conticescunt. Opes quoq; intelligentiæ sequentibus spondent crescere, dicentes. *In tantũ vt priora tua fuerint parua*, Subditur.

8. *Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam.* Generationem pristinam ac patrum memoriam nequaquam videri, sed inuestigari ammonent, quia hoc in ea nolunt conspici, quod liquido cunctis patet. Subiungitur.

9. *Hesterni quippe sumus, & ignoramus quomodo sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* Generatio itaq; pristina interroganda proponitur, vt transire tempus vitæ præsentis sicut vmbra monstretur, quia videlicet ea quæ gerant, & iam * transacta sunt, ad memoriam reducimus, patenter agnoscimus, quam celeriter hoc quoque fugiat, quod tenemus. * transacta
Sequitur.

A
10. *Ipsi docebunt te, & de corde suo proferent eloquia.* Notandum
quod superius dixerat, *Spiritus oris tui.* Nunc vero reductis
ad memoriam patribus dicit. *De corde suo proferunt eloquia.*
Ac si vitam sanctæ Ecclesiæ hæretici detestantes dicant.
Multiplicitatem spiritus habes in ore, in corde nō habes.
Sed illi cuncta te audiendi sunt, qui verba ex corde profe-
rentes recta viuendo docuerunt. Sequitur.
11. *Nunquid potest viuere scirpus absque humore, aut crescere care-*
ctum sine aqua? Cui Baltath scirpum vel carectum compa-
12. ret, ipse protinus aperit, cum subiungit. *Cum adhuc sit in flo-*
13. *re, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium*
qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit. Scirpi ergo vel
carecti nomine, hypocritæ vitam signat, quæ speciem qui-
dem rectitudinis habet, sed adhuc manu vsus fructum vtilita-
tis non habet. Quæ sterilitatis opere arida permanens, so-
lo sanctitatis colore viridescit. Sed neq; sine humore scir-
pus, neq; sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum
vita ad bona opera infusionem quidem superni luminis
percipit, sed in cunctis quæ agit exteriores laudes appetēs,
à fructu perceptæ infusionis inanescit. De quibus Veritas
B dicit. *Multi dicent mihi in illa die. Domine, Domine nonne in no-*
Matt. 7. 22. *mine tuo prophetauimus?* & reliqua. Scirpus in flore est, hypo-
crita in laude. Acutis vero angulis surgens carectum manu
non carpitur, quia exasperatus per arrogantiam sensibus,
de prauitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo
manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus,
si hunc quisque corripere audeat, asperitate sua protinus
corripientem secat, & quasi carpētis manu sua corripien-
tis animo, quidam, vt ita dixerim, sanguis mœroris currit.
Prou. 9. 8. Hinc Salomon ait. *Noli arguere derisorem, ne derideat te.* Iuxta
carnem quippe iusti herba sunt, Propheta attestante qui
Esa. 40. 6. ait. *Omnis caro fœnum.* Sed ante omnes herbas scirpus are-
scere dicitur, quia iustis in bono suo permanentibus, ad vi-
riditatem assumptæ rectitudinis hypocritarum vita sicca-
tur. Arescunt herbæ, etiam reliqua, quia iustorum opera
cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scir-
pus præuenit, quia priusquam hypocrita de carne transe-
at, ea quæ in se ostenderat, virtutum facta derelinquit.
Psal. 128. 6. Hinc scriptum est. *Fiant sicut fœnum ædificiorum quod prius-*
C *quam euellatur, exaruit.* Quid cuncta operibus suis sperat,
nisi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus
metui, sanctus ab hominibus vocari? Sed permanere spes
hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens, fu-
Matt. 6. 16. git quod tenet. De quibus Veritas dicit. *Receperunt merce-*
dem suam. Sequitur.
14. *Non placebit vecordia sua.* Magna quippe vecordia est, la-
boriosa agere, & ad auram laudis inhiare, forti opere præ-
ceptis cœlestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præ-
mium quærere. Sed tamen hac ipsa sua vecordia pascitur,
quia pro bono opere à cunctis honoratur. Hæc vero sua ei
vecordia placet interim, sed non placebit cum retributio-
nis tempus aduenerit. In pœna displicet, quod vecors fuit.
Sequitur. *Et sicut tela aranearum fiducia eius.* Bene hypocri-
tarum fiducia aranearum telis similis dicitur, quia omne
quod ad obtinendam gloriam exudat, ventus vitæ morta-
lis dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona tē-
poralia cum tempore amittunt. Pensandum quoque est,
quod fila araneæ per ordinem ducunt, quia sua hypocritæ
D quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela
studiose texitur, flatu dissipatur, quia quicquid hypocrita
cum labore peragit, aura humani fauoris tollit. Hinc Ve-
Matt. 6. 16. ritas ait. *Exterminant enim facies suas,* & reliqua. Sanctitatis
tunc fiduciam in ore hominum ponit, sed apparente cor-
dis teste, præterit omne quod exterius de humano fauore
confidit. Sequitur.
15. *Innitetur super domum suam, & non stabit.* Domus nostræ
cogitationis est, res quælibet quam per delectationem in-
habitat animus. Domus itaq; hypocritæ est delectatio fa-
uoris, quam quasi quietus inhabitat, quia per cuncta sua
opera, ad hanc se intra animum reclinat. Sed domus stare
non valet, quia laus cum vita præterit, & humanus fauor
in iudicio nō subsistit. Vnde fatuæ virgines turbatæ dictu-
Matt. 25. 8. ræ sunt. *Date nobis de oleo vestro.* Sequitur. *Fulciet eam, & non*
consurget. Hoc namq; quod per se stare non valet, fulcitur
vester, quia cum vitam suam hypocrita labefactari in indi-
cio conspicit, hanc fulciendo statuere operum enumera- E
tione contendit. Hinc quidam dicturi sunt. *Domine, Domi-* Mat. 7. 22.
ne, nonne in nomine tuo prophetauimus? & reliqua. Sed domus
laudis tot allegationibus fulta minime consurget, quia
protinus iudex dicit, *Numquam noui vos, discedite à me,* & re- Mat. 25. 12. 41.
liqua. Domus itaq; hypocritæ surgere non valet, quia per
omne quod iuxta præcepta cælestia agere potuit, à terre-
nis animam numquam leuat. Sequitur.
Humectus videtur antequam veniat Sol. Sæpe in sacro elo- 16.
quio Dominus Solis appellatione figuratur, sicut per Pro-
phetā dicitur. *Vobis autē qui timetis nomen Domini, orietur Sol* Malac. 4. 2.
iustitiæ. Scirpus itaque iste in nocte humidus est, Sole au-
tem veniente siccatur: quia nimirū hypocrita in tenebris
vitæ præsentis, sanctus ab hominibus creditur, sed dum
districtus Iudex venerit, quam sit iniquus apparebit. Se-
quitur. *Et in ortu suo germen eius egredietur.* Herba quælibet
nascendo è terra producitur, & post, aura & æstibus tangi-
tur, & tunc demum ad proferendum seminis sui germen
aperitur. Scirpus vero cum flore suo nascitur, moxque vt à
terra surgit, sui secum seminis germen producit. Bene ergo F
per herbas reliquas sancti quilibet, per scirpum vero hy-
pocrita designatur, quia iusti viri prius in opere suæ con-
uersationis oriuntur, & ad æternam patriam venientes ex-
pectata retributione perfruuntur. At contra hypocrita,
quæ mox in bono opere nascitur, præsentis mundi gloriā
recipere conatur. Germen itaque in ortu est remuneratio
in inchoatione. Sequitur.
Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter la- 17.
pides commorabitur. Quid radicum nomine, nisi latentes co-
gitationes accipimus? Quæ in occulto prodeunt, sed in o-
stensione operum per apertum surgunt. Lapidum vero
nomine in Scriptura sacra homines designantur, sicut san-
ctæ Ecclesiæ per Esaiam dicitur. *Ponam iaspide lapides pro-* Esa. 54. 12.
pugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos. Scirpus itaque iste,
qui inter lapides commoratur, super aceruum petrarum
radices densat, quia omnis hypocrita cogitationes in ex-
quirendam hominum admirationem multiplicat. Per o-
mne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogita-
tionib. laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in
aceruum radices mittunt. Scirpus etiam inter lapides cō- G
moratur, quia hypocrita stat vbi mentis suæ intentionem
solidat. Nam cum attestationem multorum ambit perci-
pere, quasi in luctatione subsistit. Sequitur.
Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te. 18.
De loco suo hypocrita absorbetur, cum à præsentis vitæ
fauoribus morte interueniente separatur. Sed hunc ab-
sorptum internus arbiter negat, seque eum nescire denun-
tiat, quia simulatoris vitam iuste reprobando veritas igno-
rat, nec recognoscit eius quæ egit bona, quia ex recta in-
tentione non protulit. Vnde & fatuis virginibus in iudicio
veniens, dicit. *Amen dico vobis, nescio vos.* Sed vtinam hypo- Matt. 25. 12.
critis sua perditio sola sufficeret, & nequaquam peruersa
eorum studia ardentes alios ad vitam duplicitatis instiga-
rent. Hoc namque vnusquisque proprium esse solet, vt
qualis ipse fuerit, tales sibi alios coniungi vellet. Sequi-
tur.
Hæc enim lætitia viæ eius, vt rursum alii germinentur. Ac si a- 19.
perte diceretur. Venientem iudicem nequaquam cogno-
scit, sed multipliciter recipit, quia & lætus in sua iniquita-
te lætus est, quia & aliis male propagatus est. Cui enim hic H
non sufficit iniquitas propria, torqueatur necesse est illic
& merito reatus alieni. Sequitur.
Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Quia 20.
nimirū districtus in iudicio apparens, & despectū simpli-
cium glorificando erigit, & malignorū gloriam reprobā-
do confringit. Maligni enim vocantur hypocritæ, q; bona
non benefaciunt, & recta quæq; sub studio laudis operan-
tur. Manum vero cui porrigimus, hunc videl. ab imis ele-
uamus. Malignis ergo Deus manū non porrigit, quia quæ-
rentes terrenam gloriam in imo derelinquit, & quamlibet
videantur recta esse quæ agunt, hos ad gaudia superna non
prouehit. Vt certe ideo appellantur maligni hypocritæ,
quia benignitatem erga proximos ostendunt, & dolos suæ
iniquitatis aperiunt. Quos contra bene per Moysem dici-
tur. *Non induas vestem ex lana linoq; contextam.* Per lanam Deu. 22. 11.

A alius auaritia anhelat. Sed vniuersa Deus aquis irrigat, quia vim sui sermonis in singulis iuxta motum diuersitates format, vt hoc in eius eloquio quisque inueniat, per quod virtutis necessariæ germen ferat. Sequitur.

11. *Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate.* In sublime humiles ponuntur, quia ij qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt. Hinc

Matt. 19. 28 enim Dominus dixit. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.* & reliqua. Tunc mœrentes Dominus erigit, quia hi qui eius desiderijs prospera fugiunt, cruciatusque persequentium tolerant, tanto sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, quanto nunc à cunctis mundi gaudijs deuoti moriuntur. Hinc est enim

Prou. 14. 10. quod per Salomonem dicitur. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Quod tamen de electis Dei etiam in hac vita nihil obstat intelligi. In sublime quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia transeunt. Videamus humilem Paulum. Ait enim. *Non*

2. Cor. 4. 5. B *enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Christum.* Videamus in sub-

1. Cor. 6. 3. lime iam positum. *An nescitis quia angelos iudicabimus?* Et rur-

Eph. 2. 6. sus. *Conresuscitauit, & consedere nos fecit in cœlestibus.* Mœrentes etiam Dominus sospitate erigit, qui afflictos suos ad gloriam veræ lætitiæ soliditate sustollit. Sospitate quippe non insaniae recti sunt, qui in bonis actibus positi ipsi in Domino firmi gratulantur. Nonnulli enim & iniquitates

Prou. 2. 13. perpetrant, & gaudere non cessant. De quibus dicitur. *Qui lætantur cum malefecerint,* & reliqua. Hi certe non sospitate eriguntur, sed insania, qui superbiunt cum affligi debuerunt. Sequitur.

12. *Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Reproborum mentes peruersis cogitationibus semper inuigilant, sed plerumque eis superna dispensatio obuiat. Et quamuis prauitatem consilij nec fracti aduersitatibus corrigunt, tamen ne contra bonos præualeant eorum vires refrenantur. Sequitur.

13. C *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat.* Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando eius consilijs humana facta etiam tunc congrue seruauit cum resistunt. Astute namque aliquid agere fratres Ioseph ausi sunt, vt Dei consiliū mutaretur. Sed diuino iudicio quod declinare conati

Gen. 38. 28. sunt, renitendo seruierunt. Ideo quippe ab eis Ioseph venditus fuerat, ne adoraretur. Sed ideo est adoratus, quia venditus. Sic diuinum consilium dum deuitatur, impletur. Sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Comprehendit etiam Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc ad pietatis suæ obsequium, nostræque salutis augmentum redigit, quod contra illum humana incredulitas exarsit. Hinc Psalmista ait. *Magna opera Do-*

Psal. 110. 2. *mini, exquisita in omnes voluntates eius.* Hinc Salomon ait. *Non*

Prou. 21. 30. *est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sequitur.

14. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Per diem tenebras incurrunt, qui in ipsa veritatis præsentia, perfidiæ errore cœcati sunt. Persecutores igi-

D tur redemptoris nostri, dum diuinæ virtutis miracula cernerent, & tamen in eius diuinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce perdiderunt. Hinc est quod de Iudæa dicitur, *Occidit Sol, cum adhuc esset dies.* Hinc

Ierem. 15. 9. iterum Propheta dicit. *Quid de nocte custos, quid de nocte custos?*

Es. 21. 11. 12. *Venit mane & nox.* De nocte enim custos venit, quia humani generis protector & manifestus in carne apparuit, & tamen hūc pressa perfidiæ suę tenebris Iudæa minime agnouit. De cuius præsentia & noua lux mundo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetusta cœcitas remansit. Iudæi autem aperta Dei miracula viderunt, & adhuc eum quasi

Ioa. 10. 24. palpantes quærebant, cum dicerent. *Quousque animas nostras tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* MORALITER. Mens quippe iniquorum hominum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur. Qui quasi in nocte, sic in meridie palpant, quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, cœcati malitia malum quod non vident accusare quærunt. Bona enim in proximis aperta vident,

E sed si qua mala latent, inuestigant. Quod bene exprimitur, cum Loth protegentibus angelis, in domo eius Sodomitæ ostium non inuenerunt. Sequitur.

15. *Porro saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Ipse quippe pauper est, de quo per Pau-

2. Cor. 8. 9. lum dicitur. *Propter vos egenus factus est, cum diues factus esset.* Pu(s)est per oris gladium accusantium Hebræorum lingua

Psal. 56. 5. signari, de quibus per Psalmistam dicitur. *Filij hominum dentes eorum arma,* & reliqua. Ipsi quippe clamauerunt. *Cru-*

Ioan. 19. 6. *cifige, Crucifige.* Per violenti vero manum, ipsa crucifigens Gentilitas exprimitur, quæ in Redemptoris morte Hebræorum voces opere impleuit. Redemptor autem noster & vires Gentilium, & linguam Hebræorum moriendo ex humilitate pertulit, sed ex diuinitatis suæ potentia resurgendo superauit. Moraliter quippe est quisquis apud

Matt. 5. 3. semetipsum clarus non est. Vnde Veritas dicit. *Beati pauperes spiritu,* & reliqua. Gladius namque oris est, iniquitas persuasionis. Manus autem violenti est aduersitas potestatis. Ac si ergo diceret. Sed & in se Dominus mentes humi-

F lium solidat, vt eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant. Sequitur.

16. *Et erit egeno spes.* Saluato enim paupere spem egenus recipit, quia resurgente carne Domino, fidelis quisque ad æternæ vitæ fiduciam conualescit. Spes quippe in æternitate animum erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat, sentit. Sequitur. *Iniquitas autem contrahet os suum.* Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis lingua infidelium contumelijs lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahet, cum hoc quod non vult per studium, per studium claudet. Aliter. Clarescente miraculo resurrectionis Domini, dum copiosa multitudo infidelium credidit, ab ereptoris sui iniurijs contumelijsque cessauit. Os enim suum quod Deum deridendo aperuit, infirmando contraxit. MORALITER. Nunc enim malus bonis derogat, & recta quæ agere negligit hæc malus obtrectando lacerare non cessat. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cum iustos quanta appetat gloria retributionis agnoscit. Tunc malorum lingua digna tormentorum re-

G tributione ligatur. Sequitur.

17. *Beatus homo qui corripitur à Domino.* Prima virtus est, ne perpetrari debeant, sed vitari peccata. Secunda autem, saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec cōmissa agnoscimus. Turpis tamen animus percussione tangitur vt exerceatur, quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo iacet. Hinc Sa-

Prou. 3. 12. lomon ait. *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Sequitur. *Increpationem ergo Domini ne reprobes.* Qui per culpam percutitur, sed ad querelam suæ percussionis elabitur, increpationem Domini reprobat, quia hanc iniuste se perpeti accusat. Qui autem non per purgationem criminis, sed per fortitudinis probationem feriuntur, cum causam suæ percussionis inquirunt, nequaquam increpationem Domini reprobare dicendi sunt, quia in semetipsis satagunt inuenire quod nesciunt. Sequitur.

H 18. *Quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.* Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit: & mentis duritiam suo pauore tabescit. Vulnerando ergo ad salutē reuocat, cum electos suos affligit exterius,

Deut. 32. 39 vt interius viuant. Vnde per Moysen dicitur. *Ego occidam,* & reliqua. Aliquando intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui iaculo transfixos, ad sensum nos re-

Cant. 2. ctitudinis vocat. Vnde & sponsa dicit. *Vulnerata charitate ego sum.* Sequitur.

19. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septimo non tanget te malum.* Per senarium numerum præsentis vitæ operatio discursusque signatur. Sexto namque die omnia perficiēs hominem condidit, & septimo requieuit. Quapropter per septenarium numerum requies designatur. Paterna ergo pietas eruditione præsentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij a verbere abscondit, vt tanto tunc

A ad salutem exhibeat, quanto nunc nos flagella durius secant. Sequitur.

20. *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.* Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita & fames est mentis silentium diuinæ locutionis, vnde recte per Prophetam dicitur. (Ezech. 14.13) *Immittam famem in terram*, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Bellum quippe patimur, cum carnis nostræ tentationibus impugnamur. De quo Psalmista ait. (Psal. 139. 8) *Obumbrasti caput meum in die belli.* Quia igitur reprobi dum fame verbi deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur, electorum suorum Dominus mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sequitur.

21. *A flagello linguæ absconderis.* Flagellum linguæ, est exprobratio illicitæ contumeliæ. Flagello linguæ bonos feriunt praui, quia eorum opera irridendo persequuntur. Hinc scriptum est. (Psal. 90.3.) *Ipse liberabit me de laqueo venantium*; & reliqua. Sancta ergo anima à flagello linguæ absconditur, quia dū in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit. Sequitur. B *Et non timebis calamitatem cum venerit.* Habent enim sancti viri contra famem diuini verbi pabulum, contra belli gladium continentiæ scutum, contra flagellum linguæ protectionem patientiæ, contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adiutorium, quo enim eos hostis callidus numerosius terat, eo circumspecti Dei milites virtutibus diuinis ditiores fiunt. Potest etiam flagellū linguæ sentētia vltimæ animaduersionis intelligi, quia districtus iudex reprobis dicet. (Matt. 25.41) *Discedite à me*, & reliqua. Sed iustus quisque in tanta districtione sententiæ, blanda tunc iudicis voce refouetur, cum dicitur. (Matt. 25.35) *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, & reliqua. Et. (Matt. 25.34) *venite benedicti*, &c. Seq.

22. *In vastitate & fame ridebis.* Tunc quippe reprobos fames interficiet, quia suam illis faciem redemptor abscondet. Ipse quippe de se dixit. (Ioan. 6.51.) *Ego sum panis viuus*, & reliqua. Et scriptum est. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Vastitas cruciat, quia gehenna concremat. Hinc Psalmista ait. (Psal. 20.10) *Pones eos vt clibanum ignis*, & reliqua. Sed tunc iustus ridebit, quia cū iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria Domini dignæ retributionis hilarescit. Hinc Psalmista ait. (Psal. 51. 8.) *Videbunt iusti & timebunt*, & reliqua. C Sequitur. *Et bestias terræ nō formidabis.* Callidus quippe aduersarius, bestia terræ dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violenta crudelitate efferatur. Sed tamen de Ecclesia dicitur. (Esa 35.9.) *Mala bestia non transibit per eam.* Illi igitur terræ bestiam morientes timent, qui conditoris sui potētiam viuentes non timent. Sancti enim viri quia diuinæ se formidini medullitus subdunt, omne de aduētu aduersarij pondus timoris abijciunt. Hinc Psalmista orat dicens. (Psal. 7.3.) *Nequando rapiat vt leo animam meam.* Ac si ergo diceret. Quia blandiente hoste modo nunc vinceris, hunc postmodum sæuientem non timebis. Sequitur.

23. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.* Quid ergo regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? quibus dicitur. (1. Pet. 2.5.) *Vos autem tanquā lapides viui superædificamini.* De quibus Ecclesiæ pollicetur. (Esa. 54.12.) *Ecce ego sternam per ordinē lapides tuos.* Qui igitur recte viuit, pacto se lapidib. regionū sociat, vitā suam proculdubio ad sanctorum præcedentium imitationē D ligat. Sequitur. *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Non ait pacatæ, sed pacificæ, quia non pacē habent, sed pacem faciunt. Terræ ergo bestiæ, electis pacificæ fiunt, quia maligni spiritus cum honorū corda aduersantes deprimunt, hæc nolentes ad amorē Domini impellunt; & afflicta mens tanto magis ad æternā patriam redire dirigit, quantū in hoc ærumnoso exilio laboriosius viuit. Possunt etiam per terræ bestias motus carnis intelligi, q dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cor sub diuina lege deprimitur, etiam cum carnis incētiua detumescunt: & si ad tentandum rugiunt, nequaquam tamē vsq; ad effectum operum quasi ad aperti morsus rabiem exurgunt. Pacificę itaq; sunt, quia motus carnis, etsi per desideria palpitant, aperta tamen nos contradictione nō impugnant. Vel certe pacē nobiscum terrę bestię faciunt, quia motus carnis dum nos tentando lacessunt, ad amorem quietis intimæ impellunt. Sequitur.

Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. E 24. In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atq; aliter inchoata. De illa quippe dicitur. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.* (Luc. 2. 29) De ista vero. *Pacem meam do vobis*, & reliqua. (Ioan. 14.27.) Pax enim nostra à desiderio creatoris inchoatur, & manifesta visione perficitur. Tabernaculum igitur iusti pacem habere dicitur, quia videlicet eius corpus quod mente inhabitatur, à peruersis desideriorum motibus, sub iustitiæ dispositione refrenatur. Sequit. *Et visitans speciem tuam non peccabis.* Species quippe nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus q sumus ipsi. Speciem ergo suam visitat quis, cum ad eum quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit, vt in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmitati alterius condescendat. Hinc Paulus ait. (1. Cor. 9.20.) *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus: vt Iudæos lucrarer, ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem: ijs qui sine lege erant tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* F Tunc etiam plene vincitur peccatum, cum ea sua similitudine vnusquisq; perpendit quomodo in dilectione proximi dilatetur. Sequitur.

25. *Et scies quoniam multiplex erit semen tuum.* Cum vero à vitijs caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat vt loquendo quisque doceat vitam quam moribus seruat. Ille enim vberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Et tanto eius fœcundius prædicatio tribuitur, quanto hoc in eius pectore perfecti operis cœlestis ratione præuenitur. Sequitur. *Et progenies tua sicut herba terræ.* Quia de eius imitatione nascitur, dum arentem præsentis vitæ gloriam deserit, spe in æterna viridescit. Vel certe iusti progenies sicut herba terræ oritur, quia dum viuendo monstrat quod prædicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exurgit. Sequitur.

26. *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* Quid enim sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita signatur? Actiua quoque vita sepulchrum est, quia à prauis nos operibus mortuos tegit. Sed contemplatiua perfecte sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus diuidit. G Hinc Paulus sepultis dicebat. (Coloss. 3.3.) *Mortui enim estis*, & reliqua. Hinc est quod Abraham coniugem mortuam in sepulchro duplici sepelit. Vir quippe perfectus sepulchrum in abundantia ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera cōgregat, & postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum, huic mundo funditus occultat. Actiuæ namq; tempus primū est: contemplationis extremum. Vnde necesse est, vt pfectus quisque prius mentem virtutibus exerceat, atq; hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est quod Iacob pro Rachael seruiuit, & Liam accepit. Potest etiam per sepulchrum non solum in hac vita nostra contemplatio, sed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi. In abūdantia ergo sepulchrum ingreditur, qui post congesta vitæ pˉsentis opera à mutabilitate sua plene mortuus in secreto veri luminis occultatur. Vnde per Psalmistam dicitur. (Ps. 30. 21.) *Abscondes eos in abscondito vultus tui*, & reliqua. Sequitur. *Sicut affertur aceruus tritici in tempore suo.* Frumentum quippe in segete Sole tāgitur, quia in hac vita humana, anima respectu superni luminis illustratur. H Pluuias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit. Ventis concutitur, quia tempestatib. exercetur, & secum crescentes paleas portat, quia nequiorem contra se quotidie vitam peccantium tolerat; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, vt à palearum connexione soluatur. Quia mens nostra cœlesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, à societate carnalium mundior recedit, & relictis paleis, ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna subleuatur. Et in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe tempus est alienum vita præsens, vnde quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit. (Ioan. 7.8 8.) *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Sequitur.

27. *Ecce hoc vt inuestigauimus ita est.* Liquet profecto quod in his vel ab eo iuxta superficiem dicitur, quia nimirum

A ante faciem non iacet quod inuestigatur. Qui ergo hæc
inuestigare se indicat, quia in verbis exterioribus interio-
ra quæsierit demonstrat. Sequitur. *Quod auditum, mente per-
tracta.* Quantalibet enim doctrina mens polleat, grauis e-
ius imperitia est velle docere meliorem. Vnde & ea quæ ab
inimicis tecta prolata sunt, ab interno arbitro non tecta
indicantur. In eo namque vim suæ rectitudinis amittunt,
quod auditori non congruunt.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

MORALIVM IN IOB

LIBER VII.

B *Vtinam apprehenderentur peccata mea quib. iram*
Cap. VI. *merui, & calamitas quam patior, in statera! quasi*
2. *arena maris hæc grauior appareret.* Stateræ no-
3. mine Dei & hominum mediator exprimi-
tur, qui ad pensandum vitæ nostræ meri-
tum venit, ac secum iustitiam simul & misericordiam de-
tulit. Sed misericordiæ lance præponderās culpas nostras,
parcendo leuigauit. Calamitas quidem in statera grauis
apparuit, quia malum quod pertulit, nonnisi in præsentia
redemptoris agnouit. Magni autem arena maris est pon-
deris, sed calamitas hominis arena maris grauior dicitur,
quia dura fuisse pœna ostenditur, dum per misericordiæ
iudicem culpa leuigatur. Sequitur. *Vnde & verba mea dolore
sunt plena.* Iusti verba dolore plena sunt, quia quousq; præ-
sentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat. Qui enim pere-
grinationem pro patria diligit, dolorem etiam inter dolo-
res nescit. Sequitur.

4. *Quia sagittæ Domini in me sunt.* Sagittarum quippe no-
mine, aliquando prædicationum verba signantur. De his
Ps. 42. 6. Psalmista ait. *Sagittæ tuæ acutæ*, & reliqua. Et Esaias. *Mittam*
Esa. 66. 19. *ex his qui saluati fuerint, ad gentes in mari, in Africa, in Lydia, te-*
C *nentes sagittas, in Italiam & Græciam.* Aliquando animaduer-
sionis sententia designatur, sicut Iohas Regi per Heliseum
dicitur. *Iace sagittam.* Quo iaciente ait. *Percuties Syriam, do-*
4. Reg. 13. 17 *nec consumas eam.* Ac si ergo diceret. Ego in ea illo damna-
tionis non gaudeo, quia vim percussionis agnosco. Sequi-
tur. *Quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Quid est spiritus
hominis, nisi spiritus elationis? Sagittæ autem Domini,
spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animaduersionis
sententia afflictam mentem ab elatione compescunt, cum
supernæ sententiæ electos quos in peccatis inueniūt, dum
vulnerant, immutant: vt duritiam suam transfixa mens de-
serat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis cur-
rat. Sequitur. *Et terrores Domini militant contra me.* Iustorum
mens non solum perpendit quid tolerat, sed etiam pauet
quod restat. Videt qualis in hac vita patitur, metuit ne post
Psal. 87. 17. hanc grauiora patiatur. Hinc Psalmista ait. *In me transierūt
iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* MORALITER. Iam
quippe per fidem mediatoris viuimus, & tamen adhuc per
expurgationem vitiorum, quasi sagittas Domini dura a-
D nimaduersionis intimæ flagella sustinemus. Sed acce &
diuinæ correptionis percussione configimur, & tamen ad-
huc illud est grauius quod de terrore venturi iudicis æter-
nam animaduersionem formidamus. Sequitur.

5. *Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet
bos cum ante præsepe plenum steterit?* Per onagrum, agrestem
asinum, gentilis populus designatur. Per bouem, plebs Iu-
daica significatur, quæ iugo supernæ dominationis sup-
posita, ad spem proselitos colligens, corda quæ valuit vo-
mere legis traxit. Multos enim ex gentili populo, seu Iu-
dæorum, Incarnationis Domini mysterium desiderasse,
Matt. 13. 17 his verbis cognoscimus: de quibus Dominus ait. *Dico vobis,
multi iusti & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis*, & reli-
qua. Sed tunc onager herbam inuenit, cum Gentilis po-
pulus diuinæ Incarnationis gratiam accepit. Tunc etiam
bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudaicæ Do-
mini carnem lex exhibuit, quam diu expectante prophe-
tauit. Vnde & natus Dominus in præsepe ponitur. Ipse e-
nim ex nostra substantia carnem assumens, fœnum fieri E
voluit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præ-
buit dicens. *Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinē meum,* Ioan. 54. 56.
in me manet, & ego in eo. Ac si ergo dicat. Idcirco Gentilitas
gemit, quia cum necdum Redemptoris sui gratia refecit;
atque ideo Iudæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed
legis authorem non videns, stans ante præsepe ieiunat.
MORALITER. Qui alij onagri appellatione signantur, nisi
qui in campo fidei constituti, nullius officij loris ligantur?
Bouis vero nomine hos signat, quos intra sanctam Eccle-
siam ad prædicationis officiū suscepti ordinis iugum pre-
mit. Herba vero onagri & pabulum bouis, est interna re-
fectio populi fidelis. Quia enim longe ab interna sapien-
tia positi, æternam hæreditatem non cernimus, velut bru-
ta animalia à desiderata ieiunamus. De qua nimirum her-
ba redemptoris voce dicitur. *Per me si quis introierit, saluabi-* Ioan. 10. 9.
tur, & reliqua. Sequitur.

Aut poterit comedere insulsum, quod non est sale conditum? 6.
Quisquis enim carnalibus obsequiis intentus, legem in- F
telligere spiritaliter noluerit, quid aliud quam insulsum
cibum comedit? Sed quia præceptis eius dura iubentibus
Gentilitas subdi recusauit, insulsum cibum comedere no-
luit, quæ priusquam spiritus condimentum perciperet,
seruare vim literæ expauit. Sed in hoc cibo sal veritas mi-
sit, & latere in lege saporem occultæ intelligentiæ docuit
dicens. *Si crederetis Moysi*, & reliqua. Et rursum. *Habete sal in* Ioan. 5. 46.
vobis. Et. *Pacem habete inter vos.* MORALITER. Verba quippe Marc. 9. 50.
moresque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus in-
gerunt, in delectationis ventre rapiuntur. Sed doctus quis-
que insulsa non comedit, quia prauorum dicta factaque
diiudicans, ab ore* cordis repellit. Hinc Psalm. ait. *Narra-* * aure.
uerunt mihi iniqui fabulationes suas, & reliqua. Sequitur. *Aut* Ps. 118. 85.
gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem? Lex namq;
carnaliter degustata mortem intulit, quia commissa delin-
quentium dura animaduersione distrinxit, & per præce-
ptum culpam innotuit, & hanc per gratiam non deleuit,
Paulo attestante qui ait. *Nihil ad perfectum perduxit lex.* Ad Heb. 7. 19.
Christum vero conuersa Gentilitas, quæ adhuc sonare per G
verba legis intelligit, angustata sunt desiderija suis. MO-
RALITER. Sancti igitur viri cum æternis desiderijs anhe-
lant, in tanta vitæ altitudine se subleuant; vt audire iam
quæ mundi sunt, graue sibi ac deprimens pondus credant.
Valde namque intolerabile æstimant, quicquid illud non
sonat, quod intus amant. Sæpe enim mens superna appe-
tit, & stulta in infimis contemnit, nec tamen adhuc pro a-
more veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus ac-
cingitur. Durum quippe est appetere quod cruciat, sequi
quod vitam fugat. Sequitur.

Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi 7.
mei sunt. Absit enim ne vir sanctus in statu sui incolumita-
te constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despe-
xerit. Sed quia B. Iob membrum est Ecclesiæ sanctæ, eius
etiam voce loquitur. Quia nimirum amoris sui æstibus
anxia, cibum scripturæ veteris conuersa Gentilitas esurit,
quem dudum superba despexit. Aliter. Quia societatem
gentilium Iudæa habere contempsit, insulsum cibum su-
mere fastidiuit, & quia diuina sententia proposita morte
vetuerat, ne plebs Israëlitica fœdus cum alienigenis iun- H
geret, gustare noluit quod gustatum affert mortem. Sed
ad Redemptoris gratiam Iudæa veniens, ab Israëlitis infi-
delibus repulsa, dum per sanctos Apostolos ad collectio-
nem se gentilium dilatat, quasi hoc in cibo esuriens acce-
pit, quod indignum prius fastidiose despexit; & præ angu-
stia cibos quos dudum contempserat, comedit: quia re-
pulsa à Iudæorum duritia Gentiles suscipere populos quos
despexerat concupiscit. MORALITER. Mens enim pro-
ficiens quæ prius dum sola propria curaret, ferre aliena fa-
stidiebat, cum ad toleranda proximi infirma se attrahit,
ita vt pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus tan-
to post fortis appetat, quanto prius infima fugiebat,
hæc præ angustia comedit, quæ prius tangere nolebat. Se-
quitur.

Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi 8.
Dominus, & qui cœpit ipse me conterat? Non enim per contu-
maciam expetit se extingui, vt iniustitiam ferientis accuset,

A quod verbis sequentibus demonstrat, dicens. *Non contradicam sermonibus sancti.* Sciendum vero est quia aliquando
nos aduersarius, aliquando autem conterit Deus. Ex ad-
uersarij contritione deficimus à virtute. Per Domini vero
contritionem fracti vicijs in virtute laboramus. Hinc scri-
Psal. 2.9. ptum est. *Reges eos in virga ferrea.* Cum enim nos exterius af-
B fligit, interius reficit. Et quia plerumque vitiorum contri-
tionem in nobis Dominus agere inchoat, sed cum mens
ex ipso exordio profectus extollitur, aduersario aditum
pandit. Quapropter sanctus vir exorat dicens. *Qui cœpit, ipse
me conterat.* Ac si dicat. Hoc quod in me exorsum est, perfi-
cere feriendo non desinat, ne desertum me aduersariu ad
contritionem tradat. Sequitur.

9. *Soluat manum suam & succidat me. Soluat manum* dicitur,
exerceat effectum. Sed cum nos extolli conditor conspi-
cit, & amorem suum erga nos per verbera nō exercet, quia
ad ferienda in nos nostra vitia manum ligat. Et cum secu-
ros nos ac de virtutum affluentia elatos repente vel flagel-
li dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus à statu
sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, vt de semet-
B ipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ tactu prostrata manum
leuantis quærat. Hinc est quod sancti viri tentari appetunt,
Psal. 25.2. flagellari concupiscunt dicentes *Proba me Domine, & tenta*
Psal. 37.18. *me.* Et. *Ego ad flagella paratus sum.* Sequitur.

10. *Et hæc mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Ac si
dicat. Quia hic ideo non parcit, vt in perpetuum parcat. Ex
afflictione enim consolor, quia corruptionis humanæ pu-
tredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor.
Valde quippe electi formidine tabescunt, cum perpetras-
se se illicita nouere, sed perscrutantes inueniunt, quia nul-
la pro illicitis aduersa perpessi sunt. Sequitur. *Nec contradi-
cam sermonibus sancti.* Verba Dei ad nos, sunt effectus ope-
rationum. In eo ergo nobis loquitur, quod erga nos taci-
tus operatur. Beatus igitur Iob sermonibus Dei contradi-
ceret, si de eius percussionibus murmuraret. Sed quid de
percussore suo sentiat indicat, quem enim ferientem tole-
rat sanctum vocat. Sequitur.

11. *Quæ enim fortitudo mea vt sustineam, aut quis finis meus, vt pa-
tienter agam?* Sciendum quod alia iustorum, atque alia est
fortitudo reproborum. Iustorum quippe fortitudo est,
C carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delecta-
tionem vitæ præsentis extinguere. Hinc enim Sanctis di-
Psal. 30.25. citur. *Viriliter agite,* & reliqua. Reproborum vero fortitu-
do est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella
conditoris insensibiliter perdurare. De his Propheta ait.
Esa. 5.22. *Væ qui potentes estis ad potandum vinum.* Et reliqua. Et. *Ecce oc-
cupauerunt animam meam, & irruerunt in me fortes.* Fortes
Psal. 58.4. quippe qui mala mundi tolerant pro mundo, eiusq; gau-
dia, vt ita dixerim, quærentes perdunt, nec tamen hæc
perdendo fatigantur. Ac si ergo vir sanctus dicat. Mala
mundi pro mundo tolerare nequeo, quia iam in eius de-
siderio fortis non sum. Dum enim præsentis vitæ finem
conspicio, cur pro mundo patiar, cuius appetitum calco?
Sequitur.

12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.*
Quid hoc loco ære aut lapidibus, nisi insensibilium homi-
num corda signantur, qui nulla percussione mollescunt?
Ezech. 36. Quo contra electis dicitur. *Tollam vobis cor lapideum,* & reli-
26. qua. Paulus quoque ait. *Si linguis hominum loquar & Angelo-
D rum,* & reliqua. Lapidi similis est quisquis a pietatis præce-
1. Cor. 13.1. pto durescit, & percussus sonitum humilis confessionis nō
reddit. Quidam vero metallo æris in nullo discrepantes,
cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confes-
sionis sonitus emittunt. Sed quia humilitatis voces ex cor-
de non proferūt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod
promiserunt. Ac si ergo vir sanctus dicat. Reproborum si-
militudine sub disciplinæ verbere, nec more lapidum ita
obduraui, vt à ministerio confessionis obmutescam, nec
rursum quasi æs vocem confessionis resono, & sensum vo-
cis ignoro. Sequitur.

13. *Ecce non est auxilium mihi in me.* Patet iam ad cuius spe-
ciem percussi animus percurrat, cum in se sibi esse auxilium
denegat. Plerumque enim virtus audita deterius quam si
deesset, interficit; quia dum ad sui confidentiam mentem
erigit, hanc elationis gladio transfigit. Sequitur. *Et necessa-
rij quoq; mei recesserunt à me.* Qui enim infirmum se in semet- E
ipsum insinuat, ad maioris adhuc meritum fortitudinis et-
iam proximis destituitur. Sequitur.

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini dere- 14.
linquet. Amici nomine hoc loco proximus quilibet desi-
gnatur. Duo sunt præcepta charitatis, amor videlicet Dei
& proximi. Per amorem Dei, amor proximi gignitur; & p
amorem proximi, Dei amor nutritur. Hinc scriptum est.
Qui non diligit fratrem suum quem videt, & reliqua. Quæ tamē Ioan 4.20.
diuina dilectio, per timorem nascitur, sed in affectum cre-
scendo permutatur. Scriptum est enim. *Non agnoscitur in* Eccli. 12.8.
bonis amicus, & non celatur in malis inimicus. Quia nimirum
qui ex aduersitate proximum despicit, aperte conuincitur
quod hunc in prosperis non amauit. Et cum omnipotens
Deus, ideo quosdam percutit, vt percussos erudiat, & non
percussis occasionem boni operis præbeat. Quisquis per-
cussum despicit, occasionē virtutis à se repellit, & tāto ne-
quius se contra auctorem erigit, quanto hunc nec pium in
salute propria, nec iustum in alieno vulnere agnoscit. Se-
quitur.

Prætereunt me sicut torrens qui raptim transit in conuallibus F
fratres mei. Sæpe reprobi eam fidem quam tenemus, reti- 15.
nent, eadem Sacramenta percipiunt, eiusdem Religionis
veritate continentur, sed tamen cum passionis viscera ne-
sciunt, vim charitatis qua in Domino flagramus & proxi-
mo, non agnoscunt. Rectè ergo & prætereuntes vocantur,
quia ex vno matris nobiscum gremio per fidem prodeunt,
sed in vno charitatis studio erga Deum & proximum non
figuntur. Qui enim terrena diligunt, spem supernæ patriæ
deserunt, quasi ex montibus more torrētis valles petunt.
Quos tamen hiems præsentis vitæ multiplicat, sed æstas
venturi iudicij exsiccat, & reproborum lætitiam in aridi-
tatem vertit. Torrentem quippe ad conuallem raptim
transire est, prauorum mentes ad ima desideria sine ob-
staculo ac difficultate descendere. Omnis enim ascensus
in labore est, descensus in voluntate. Aliter. Si conualles
ima pœnarum loca intelligimus, iniusti quique sicut ter-
rena raptim ad conuallem transeunt, quia in hac vita quā
totis desiderijs appetunt, diu nequaquam * possunt. Nam
quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad
finem tendunt. In longum quidem voluptatum desideria
pertrahunt, sed ad inferni claustra repente producuntur.
Sequitur.

* Videtur hic verbū quoddam dee. c.

G

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Pruina quippe in- 16.
ferius gelescit, nix autem de superioribus ruit. Et sæpe nō-
nulli dum temporalia aduersa pertimescunt, districtio-
nem æternæ animaduersionis abijciunt, de quibus dicitur.
Illic trepidauerunt timore, & reliqua. Contra alij in terra ho- Psal. 13.5.
mines contra veritatem pauent, eius veritatis iram cœlitus
sustinent, & alij cum pati in terra inopiam metuunt, in æ-
ternum sibi abundātiam supernæ refectionis abscindunt.
Sequitur.

Tempore quo fuerint dissipati peribunt. Quos enim præsentis 17.
vitæ sollicitudo ordinat, amissio dissipat, & tunc etiam ex-
terius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perie-
runt. Sequitur. *Et cum incaluerint, soluentur de loco suo* Iniquus
enim quisque cum incaluerit de loco suo soluitur, quia in
iudicio intimæ districtionis appropinquans, cum iam per
cognitionem pœnæ feruere cœperit, ab ea quæ dudum in- H
hæserat carnis suæ delectatione separatur. Hinc contra re-
probos dicitur per Prophetam. *Et tantummodo sola vexatio* Esa. 28.19.
intellectum dabit auditui. Præsentem vitam ex desiderio teni-
net, sed de loco suo soluitur, qui oblectamenta carnis desi-
derans, eius duritia per supplicium liquatur. Sequitur.

Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum. Omne quod inuolui- 18.
tur, in semetipsum replicatur. Sed sunt nonnulli qui recta
quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper
mala replicantur, & quasi extra se tensi ad semetipsos per
circuitum redeunt. Qui bona quidem cupiunt, sed à malis
numquam recedunt. Esse quippe humiles, sed sine despe-
ctu; esse contenti proprijs, sed sine necessitate; esse casti, sed
sine maceratione corporis; esse patiētes, sed sine contume-
lijs, volunt. Aliter. Sæpe namque nonnulli contra quæ-
dam vitia se vehementer accingunt, sed quædam subigere
negligunt. Cumque se contra ista non erigunt, & illa

A

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER VIII.

27. *Super pupillum irruistis, & subuertere nitimini amicum vestrum.* Quantæ namque infirmitatis se perpendat, insinuat quem pupillum vocat. Quia vero ab amore recedere etiam læsa charitas nescit, & subuerti velle se queritur, & tamen amicum se esse testatur. TROPICE. S. quippe Ecclesiæ populus, qui mortuo patre est, filius, pupillus non incongrue dicitur, cuius resurgentis viam iam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur. Super pupillum B vero hæretici irruunt, cum humilitatem fidelis populi importunis falsisque allegationibus affligunt. Tamen amicus est quem nituntur euertere, quia fidelis Dei populus, ipsos quoq; quos tolerat persequentes, amando non desinit ad veritatem vocare. Sequitur.

28. *Veruntamen quod cœpistis explete.* Ac si aperte diceret. Nec ante illatas molestias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adiutoria abscondo, quia & malis pressus exerceor, & ipsis misericordiam persecutoribus benigne impendens cresco. Quia enim *Charitas patiens est, benigna est*, & (1. Cor. 13. 4.) cum vnum ex vtroq; defuerit charitas non est: vt à nobis charitas vere teneatur, necesse est quatenus & benignitatem patientia, & patientiam benignitas suffragetur. Beatus igitur Iob quia patiens est, dicat. *Veruntamen quod cœpistis, explete.* Et quia benignitate præditus, dicat. *Præbete aurem.* Sequitur. *Et videte an mentiar.* Ac si aperte dicat. Ea quæ assero nequaquam mihi ex auctoritate credite, sed an vera sint, ex ratione pensate. Neq; enim sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta recta quæ errantibus dicit, C quasi ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet. Sequitur.

29. *Respondete quæso absq; contentione.* Neq; enim hæretici Inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Vnde fit, vt contentionis certamina exquirant, & de Deo, qui *pax nostra est*, loqui pacifice nesciant, atq; ex (Eph. 2. 14.) pacis negotio, rixæ inuentores fiant. Quib. bene per Paulum dicitur. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* (1. Cor. 11. 16.) Sequitur. *Et loquentes id quod iustum est iudicate.* Is namq; qui loquitur, dum velit sui auditoris sententiam expectat quasi eius iudicio supponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobationem meruit, ipse debet prius examinare quod dicit, quatenus inter cor & linguam, æquus discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensans si recta verba offerat, quę vtiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducat. Sequitur.

30. *Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, & in faucibus meis stultitia non personabit.* Ac si aperte diceret. Si subtilius vestra D perpenditis, verius aliena pensatis. Et cum rectum esse cœperit quod dicitis, iustum cognoscitis quod audistis. Sic enim sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, & tunc prædicamenta virtutis aperire. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces vero occulta tractatio designatur. Et quia ea quæ per publicam locutionem sancta prædicat Ecclesia, & iam per intimam fidem seruat, in lingua iniquitas non resonat, sed nec in faucibus stultitia, quicquid per linguam prædicationis emanat, hoc per fauces tacitæ expectationis degustat. Sequitur.

CAP. VII 1. *Militia est vita hominis super terram.* Alia translatio habet, tentatio, sed vtriusque verbi sensus aspicitur. Quid enim tentationis nomine, nisi pugna contra malignos spiritus exprimitur? Et quid appellatione militiæ, nisi contra hostes exercitus designatur? Tentatio itaque ipsa militia est, quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exsudat. Vita vero hominis tentatio perhibetur esse, quia ab statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredine subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est iam facta quod tolerat. Sic itaque humana vita tentatio est, vt etsi iam ab iniquitatis perpetratione compescimus, in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur: Tentatio ergo est, quæ aut aliena virtutibus ad cœleste præmium non valet assurgere, aut ditata donis spiritualibus aliquando deterius ex occasione virtutum ruit. Militia vero est vita hominis, quia vnusquisque dum quotidie ad vitæ terminum per temporum augmēta tendit, augendo vitam, viuere desinit. Et dum spatia temporum crescere appetit; ab eodem spatio quod protendendo colligit, crescendo pertransit. Nam cum ordinem militiæ locus crescit, toto simul homini deficit. Sequitur. *Et sicut dies mercenarij dies eius.* Mercenarius ad laboris sui præmium citius peruenire exoptat. Dies itaque hominis æterna sapientia, recte diebus mercenarij comparantur, quia præsentem vitam, viam non patriam deputant, & mercenarius in alienis laboribus exsudat, sed tamen sibi proprium præmium præparat. Voce autem Redemptoris dicitur. *Regnum meum non est de hoc mundo.* (Ioan 18. 36.) Omnes ergo qui spe cœlestium præditi exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus, & alieno quidem labore fatigamur, sed tamen pręmia nostra percipimus, & per hoc peruenimus ad propria, quod puri administramus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* (Luc. 16. 12.) Sciendum quoque est quod mercenarius solicite curat inspicere, ne vnquam dies vacuus habeatur ab opere. Vnde & electus tanto fidentius spe tendit ad præmia, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementa. Dies cum operibus numerat, ne à labore vacua transeant vitæ momenta formidat. Hinc namque dicunt. *Propter te mortificamur tota die.* (Rom. 8. 36.) Et. *Scio cui credidi, & certus sum.* (2. Tim. 1. 12.) Sequitur.

2. *Sicut ceruus desiderat vmbram.* Vmbram quippe desiderare ceruo est, pro tentationis æstu sudoreque operis, æterni refrigerij requiem quærere. Hinc scriptum est *Sitiuit anima mea ad Deum viuum*, & reliqua. (Psal. 41. 3.) Et. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est* (Psal. 119. 5.) Et. *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis*, & reliqua. (Ps. 41. 5.) Sequitur. *Et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui.* G Mercenarius enim quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione. Sic quippe quod electis valde esse importabile ex dolore ostenditur, cōsideratione prouida ea remuneratione leuigatur. Hinc est quod Paulus quam sit graue quod patitur indicat, *qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortib. frequenter* (2. Cor. 11. 23.) fuisse testatur. Qui vltra vires grauatum se asserit dicens. *Supra modū grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*, (2. Cor. 1. 8.) sed remunerationem considerans ait. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* (Rom. 8. 18.) Sequitur.

3. *Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Electi quippe conditori rerum seruiunt, & sæpe rerum inopia coangustantur. Qui igitur per actiones suas præsentia non quærunt, à mundi compendijs menses vacuos ducunt. Noctes quoq; laboriosas tolerāt, qui aduersitatum tenebras nō solum vsq; inopiam, sed sæpe ad corporis cruciatum portant. H Potest etiam non inconuenientēr intelligi, quod sanctus quisq; menses vacuos sicut mercenarius ducit, qui laborem iam sustinet, sed præmium necdum tenet. Hoc tolerat; illud expectat. Noctes vero laboriosas enumerat, quia aduersitates sibi præsentis temporis in virtutibus exercendo coaceruat. MYSTICE. Vacuos Ecclesia menses habet, quæ infirmis suis terrenas actiones absque vitæ præmio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas quæ in membris fortibus multiplices tribulationes portat. Mensium quippe nomine, dierū collectio & summa signatur. Per diē ergo vnaquæq; actio exprimi potest, per menses autem actuum finis intelligitur. Non solum igitur dies, sed menses vacuos dicimus, cum nos in terrenis actibus sine fructu laborasse, non ex actione principiū, sed fine pensamus. Cum enim labores nostros aduersitas sequitur, quasi vitæ nostræ vacui menses arguuntur, quia ex actionis completione agnoscitur, quam frustra in actionib. sudebatur. Sed quia in sacro eloquio nonnumquam nox pro ignorantia ponitur, Paulo attestante, qui

A venturam vitam scientibus dicit. *Omnes vos filij lucis, & filij*
1. Thes. 5. 5 *diei estis, non sumus noctis, neque tenebrarum.* Potest hoc in loco caecorum persona vox sanctae Ecclesiae accipi, qui post ignorantiae suae caliginem, ad amorem rectitudinis redeunt, & veritatis radijs illustrati, fletibus luunt quod errauerunt. In eis ergo sancta Ecclesia, in quibus ad vitam reuertitur laborem suum aestuanti seruo, & desideranti finem mercenario comparat, dicens. *Sicut seruus desiderat vmbram.* Et reliqua. Ad aestuantem, menses vacuos reddit, quia quo magis aeternum refrigerium quaeritur, eo magis quam vacue pro ista laboratur. Ad praestolantem vero, laboriosas noctes subintulit, quia quo magis ex termino operis praemium quod assequamur inspicimus, eo magis ingemiscimus diu nos perdidisse quod quaerimus. Quanto enim verius ad Deum reuertimur, tanto subtilius labores quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo pensamus. Sequitur.

4. *Si dormiero dicam, quando surgam? Et rursum expectabo vesperum.*
B Si vero ad solam iustitiam haec verba pensantur, per haec proculdubio animus dolentis exprimitur, qualiter per diuersos motus desiderij moestitia impellente varietur. In nocte dies quaeritur, in die vesperum desideratur, quia nimirum dolor non permittit placere quae adsunt. Aliter. Sancta quoque Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit, flere mutabilitatis suae damna non desinit. Ac si ergo dicat. In somno resurrectionem desidero, in resurrectione vero vesperum expecto, quia quieta exercitium actionis appeto, & exercitata otium quietis quaero. Conditus quippe homo fuerat, vt ab amore conditoris sui nunquam declinaret. Sed in eo quod pedem ad culpam mouit, à dilectione conditoris in semetipsum protinus cecidit, & salutis suae fortitudinem perdidit. Aliter. Dormire namque, in pecca-
1. Cor. 15. 34 tis iacere. Hinc Paulus ait, *Euigilate iusti.* Et reliqua. Et rur-
Eph. 5. 14. sum. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis,* & reliqua. Electus igitur quisque cum peccati somno premitur, ad iustitiae vigilias exurgere conatur, sed saepe cum surrexerit, ipsa se capulli magnitudine virtutum sentit. Vnde & tentari se praesentis vitae aduersitatibus post virtutes desiderat, ne peius ex con-
C fidentia virtutum cadat. Hinc scriptum est. *Proba me Domi-*
Psal. 25. 2. *ne & tenta me.* In somno quippe peccati, lumen iustitiae quaeritur, & cum virtutum prospera mentem leuant, adiutrix aduersitas desideratur. Expectamus prospera, formidamus aduersa. Vir igitur iustus vesperum expectat, quia cum exercere hunc tribulatione necesse est, ipsa sit ei aduersitas prospera. Potest vesperi nomine etiam peccati tentatio desi-
Gen. 1. 5. gnari. Hinc Moyses ait. *Factum est mane, & factum est vespere.* Mane quippe ad vesperum ducitur, quia nimirum lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis. Electi ergo post somnum resurrectionem appetunt, quia & de peccato ad iustitiae lumen euigilant, & in ipso iustitiae lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant. Quas nimirum non timent, sed expectant, quia vtilitati suae rectitudinis etiam tentamenta proficere non ignorant. Sequitur. *Et replebor doloribus vsque ad tenebras.* Et quia modo surgentia vitia bellum carnis excitant, modo deuicta animum ad
D elationem vocant. Bonorum vita vsque ad tenebras doloribus repletur, quia quousque tempus corruptionis agit, interna externaque afflictione concutitur, & salutis securitatem non inuenit, nisi cum diem funditus tentationis relinquit. Sequitur.

5. *Induta est caro mea putredine & sordibus pulueris.* Ac si aperte diceret. Carnalem vitam quam patior, aut labes lubricae operationis polluit, aut ex vitiorum memoria, caligo miserae cogitationis premit. Consentiendo quippe vitijs putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulueris foedamur. Aliter. Multi quippe in sancta sunt Ecclesia, qui dum amori carnis inseruiunt, foetore luxuriae computrescunt. Et sunt nonnulli, qui à voluptate quidem carnis abstinent, sed tamen tota mente in terrenis actibus iacent. Ac si ergo dicat. In illis quos lubricos tolero, carnem videlicet putrescentem gemo. In istis autem quos terram quaerentes patior, quid aliud quam foeditatem pulueris porto? Sequitur. *Cutis mea aruit, & contracta est.* In sanctae quippe Ecclesiae corpore hi qui solis exterioribus curis inseruiunt, congrue cutis vocantur. Quae

nimium eorum arescendo attrahitur, quia mentes carnalium, dum praesentia diligunt, & quasi iuxta posita concupiscunt, ad futura tendere per longanimitatem nolunt. E
Qui dum internae spei pinguedinem negligunt, vt attrahantur arefiunt, quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam aestus haec pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidauerat, cum siccitatem metuens dicebat. *Sicut adipe & pinguedine repleatur ani-* Psal. 62. 9
ma mea. Sequitur.

Dies mei velocius transierunt quam à texente tela succiditur. 6.
Congrua valde similitudine vita carnis telae comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit, sed quo ad augmentum proficit, ad incisionem tendit, quia cum tempora per cepta praetereunt, ventura breuiantur. Velocius ergo dies transeunt, quia tela tarditatem profectus habet, vita autem praesens moram defectus non habet. Ad finem quippe nostri itineris etiam quiescendo peruenimus, & per cursum nostri transitus etiam dormientes
imus. Sequitur. *Et consumpti sunt absque vlla spe.* Ac si aperte F
diceretur. Mentis fiduciam in praesenti vita ob hoc non posui, quia omne quod praeterit, calcando spreui. Reproborum etenim mens, dies praesentes amore constringit, vt sic semper hic appetant viuere, quatenus si valeant, viuendi cursum desiderant numquam finire. At contra rectorum mens ad aeternitatis intentionem tenditur, etiam cum praesens eam foeliciter vita comitatur. Sequitur.

Memento quia ventus est vita mea. Ac si aperte diceretur. 7.
Transeuntem velociter benignus respice, qui & tanto misericordius à te videri debeo, quanto ipse à consideratione breuitatis meae oculos non auerto. Hi etenim vitam carnis quasi permanentem diligunt, quia quanta sit vitae sequentis aeternitas non intendunt. Sancti autem viri, quod ad aeterna cor eleuant, quam breue sit quod fine clauditur pensant, & eorum sensui vilescit quod praeterit, quo intellectui radiat, & interlucet quod acceptum numquam recedit. Sequitur. *Nec reuertatur oculus meus, vt videat bona.* Ad videnda bona carnis oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera exuta carne, anima non recurrit. Hinc Salomon G
ait. *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia* Eccles. 9. 10
nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas. Sequitur.

Nec aspiciat me visus hominis. Visus quippe hominis est 8.
misericordia Redemptoris, quae insensibilitatis nostrae duritiam cum respicit, emollit. Vnde teste Angelo dicitur.
Respexit Iesus Petrum. Et. *Recordatus verbi quod dixerat Iesus.* Luc. 22. 61.
Et. *Egressus foras fleuit amare.* Exutam vero carne animam nequaquam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus ait. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Et
reliqua. Hinc Salomon ait. *Lignum vbi ceciderit, siue ad au-* 2. Cor. 6. 2
strum, siue ad aquilonem, ibi erit. Vir igitur sanctus damnationem Eccl. 11. 3
humani generis considerat, quod à praesenti seculo, sine Redemptoris agnitione subtrahitur, atque aeternis ignibus inreparabiliter sepelitur, & ex eius voce dicit. *Nec aspiciat me visus hominis.* Sequitur. *Oculi tui in me, & non subsistam.*
Ac si aperte diceret, districtus ad iudicium veniens, ad sal- H
uandum non vides, ad feriendum vides. Quia quem in praesenti vita dispensationis tuae miseratione non respicis, respiciendo postmodum per iustitiam extinguis. Tunc quippe peccator non subsistit, quia cum districtus Iudex merita subtiliter inquirit, reos ad tormenta non sufficit. Quamquis hoc etiam iustorum voci congruat, quorum mens semper sollicita, examina intendit, & considerant quam districte iudicet bona opera, quam subtiliter penset, & perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate iudicentur. Bene autem electionis cursum defectumque humani generis exprimens dicit.

Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descendit ad in- 9.
feros, non ascendit. Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata vento impellitur vt currat, calore autem Solis dissipatur, vt euanescat. Sic nimirum sunt corda hominum, quae per acceptae rationis ingenium ad alta emicant, impulsa autem maligni spiritus flatu, prauis desideriorum suorum motibus huc illucque pertrahuntur. Sed districto

respectu

A respectu superni iudicis, quasi Solis calore liquefiunt, & semel locis pœnalibus traditi; ad operationis vsum vltra non redeunt. Potest etiam inferni nomine peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur. [Psal. 6. 6.] *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et illud. [Prou. 18. 3.] *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Qui autẽ impietati succumbit; vitã profecto iustitiæ moriendo derelinquit. Qui vero post peccatum, mole desperationis obruitur, quid aliud quã post mortem inferni supplicio sepelitur? A quo via iam reuersionis abscinditur. Recte autẽ corda desperantiũ comparantur nubibus, quia & caligine erroris obscura sunt, & peccatorum multiplicate condensa. Sed consumpta pertranseunt, quia claritate extremi iudicij irradiata dissipantur. Sequitur.

10. *Nec reuertatur vltra in domum suam.* Sicut domus corporis habitaculum corporale est, ita vnicuiq; menti hoc domus fit, quod ex desiderio inhabitare consueuit. Ad domum igitur suam vltra non reuertitur, quia semel quisq; æternis supplicijs traditus ad hoc vbi amore inhæserat, nullatenus
B reuocatur. Potest etiam domus, habitatio cordis intelligi. Vnde sanato cuidam dicitur. [Matt. 9. 6.] *Vade in domum tuam.* Cum ergo quem desperatio obruit, à cordis sui habitaculo foras mittit, & redire introrsus non valet, quia rursus exterius ad deteriora coridie pulsus cadit. Sequitur. *Neque cognoscet eum amplius locus eius.* Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor extitit, qui hunc vt in semetipsum consisteret, creauit. De quo Psalmista ait, [Psal. 102. 29] *Filij seruorum tuorum habitabunt.* Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens, à conditoris amore discessit. A conditore ergo suo tanto quisque districtius in iudicio non agnoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona reuocatur. Qui Iudex districtus ad examen vltimum veniens in iniquitate durantibus dixit. [Matt. 25. 41] *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* [Matt. 25. 12] *Nescio vos, vnde estis*, Sequitur.

11. *Quare & ego non parcam ori meo.* Ori eterum suo non parcit, qui confiteri malum quod fecit, non erubescit. Hinc Psalmista ait. [Psal. 94. 2.] *Præueniamus faciem eius in confessione.* Hinc rursus scriptum est. [Prou. 28. 13.] *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Sequi-
C tur. *Loquar in tribulatione spiritus mei.* Tribulationem quippe spiritus, lingua commouet, vt reatum praui operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoq; est, quia & sæpe reprobi peccata cõfitentur, sed deflere cõtemnunt. Electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animaduersionis fletibus insequuntur. Hinc Psalmista ait. [Ps. 50. 5.] *Iniquitatem meam ego pronunciabo.* & reliqua. Qui enim mala quę perpetrauit insinuat, sed flere recusat. quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente, medicamentum vulneri non apponit. Sequitur. *Et confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Pauore namq; districti iudicis afflicti, dum quædam male gesta plangimus, ipsa vim nostræ amaritudinis ad discutiendum nos vigilantius excitant, alta etiam in nobis quæ amplius defleamus, inuenimus. Nam sæpe quæ torpentibus latuit, flentibus subtilius culpa innotescit: Habet enim in corde iustorum amaritudo animæ linguam suam, cum qua afflictam mentem, modo per replicationem donorum Dei, modo per propria
D actionis suæ seueriter increpat. Vnde & nequaquam dicitur, fabulabor, sed *confabulabor*, quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, torpentem animũ ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format. Seq.

12. *Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Ac si aperte diceret. Mare vel cætus, iniqui videlicet, eorumque author malignus spiritus, quia effrenari ad solam perpetrandæ iniquitatis licentiã appetunt, recte pœnæ suæ carcere constringuntur. Ego autem qui iam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ corruptionis carcere premor? Carcere enim homo circumdatur, quia & plerumque virtutum profectibus ad alta exurgere nititur, & tamen carnis suæ corruptione præpeditur. Scriptum quippe est. [Sap. 9. 15.] *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Maris nomine corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa signãtur. Ceti vero nomine antiquus hostis exprimitur; qui dum mentes secularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubricas cogitationes natat. Qui in in-

E ferioribus deiectus, ne ad cœlestia volare preualeat, pœnæ suæ pondere coartatur. Hoc Petrus ait. [2. Pet. 2. 4.] *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed irruentibus in infernum detractos in tartara tradidit in iudicio reseruare cruciandos.* Cetus ergo ac mare circumdatione carceris premitur, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, iniquorum se mentibus colligit, atque in eis vndam tumentium cogitationum voluit, vt implere mala quæ appetunt, nequeant, superna districtione angustantur. Sequitur.

13. *Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens* 14. *mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* In sacro eloquio lectus, cubile, stratum, secretum solet cordis intelligi. Hinc scriptum est. [Cant. 3. 1.] *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Et in Psalmo. [Ps. 149. 5.] *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Quid vero hoc loco somnia vel visiones accipimus, nisi imagines vltimi districtique examinis? Quod iam vtcunque per timorem cernimus, sed tamen vt est, veraciter non videmus. Sancti itaque viri ad cordis semper secreta redeunt cum ab hoc
F mundo, vel vltra votum prospera, vel vltra vires aduersa patiuntur, atque externis laboribus fessi, quasi stratum vel lectulum cubilia mentis petunt. Ac si ergo aperte diceret. Si exteriora fugiens introrsus redeo, & vtcumq; requiescere in cordis cubili cõcupisco, ibi mihi dum districtionis contemplationem subijcis, qua ini districtus adueniet iudex, vehementer me per ipsas meæ prouidentiæ imaginationes terres. *Et reuelabor loquens mecum.* Quia nimirum cum ad mentis nostræ silentium fessi reuertimur, quasi in stratu colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba versamur. Sciendum quoq; est, quod imagines somniorum, aliquando ventris plenitudine vel inanitate fiunt; aliquando illusione, vt illud Salomonis. [Eccl. 5. 2.] *Multas curas sequuntur somnia.* Aliquando per reuelationem vt Ioseph admonitus in somnis, vt fugeret in Aegyptum. Aliquando cogitatione simul & reuelatione, vt illud Danielis. [Dan. 2. 29.] *Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset post te, & qui reuelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt.* Sequitur.

15. *Quamobrem elegit suspẽdium anima mea, & mortem ossa mea.* Quid per animam, nisi mentis intentio? Quid per ossa, nisi
G carnis fortitudo designatur? Anima ergo suspendium elegit, vt ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se subleuat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri ad alta animum tollunt, & ad amorem supernæ patriæ in virtutum se studijs accingunt, & hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis interquuntur. Hinc Paulus ait. [Galat. 2. 20.] *Viuo autem iam non ego.* & reliqua. Hinc. [Phil. 3.] *Hebræus & Hebræis secundum legem Pharisæus.* Et rursum. [Philip. 3. 7.] *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Sequitur.

16. *Desperaui, nequaquam iam vltra viuam.* Iusti quippe desperare est præsentis vitæ bona, electione æternitatis deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. Sunt nonnulli iustorum, qui sic cælestia appetunt, vt tamen honores sibi temporaliter impensos teneant, aliena non ambiant, suis licite vtuntur. Et sunt nonnulli iustorũ, qui ad cõprehendendum culmen pfectionis accincti, dum altiora interius appetũt, exterius cuncta derelin-
H quunt. De talibus Paulus ait. [Coloss. 3. 3.] *Mortui enim estis.* & reliqua. Sequitur. *Parce mihi Domine nihil enim sunt dies mei.* Absit enim ne vir sanctus de diuinæ misericordiæ largitate desperet, qui sibi parci desiderat. Sed quia dum bona vitæ transeuntis per desperationem deserit, ad obtinenda quæ permanent in spe robustius assurgit. Sancti enim viri quo verius summa cognoscunt, eo sublimius terrena despiciũt; & idcirco præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, quia illuminatæ mentis oculos in consideratione æternitatis figunt. Sequitur.

17. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Hominem Deus magnificat, quia dignitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore illarę virtutis exaltat. Sed cor suũ erga eum Dominus ponit, quia post dona iudicium exercet, merita subtiliter pensat, vitæ pondera vehementer examinat. Ac si ergo aperte exclamet dicens. Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen curæ est: & vias eius post munera, districte consideras, sed tamen si

A 10. *Ipsi docebunt te, & de corde suo proferunt eloquia.* Notandum
quod superius dixerat, *Spiritus oris tui.* Nunc vero reductis
ad memoriam patribus dicit. *De corde suo proferunt eloquia.*
Ac si vitam sanctæ Ecclesiæ hæretici detestantes dicant.
Multiplicitatem spiritus habes in ore, in corde nō habes.
Sed illi contra te audiendi sunt, qui verba ex corde proferentes
recta viuendo docuerunt. Sequitur.

11. *Nunquid potest viuere scirpus absque humore, aut crescere carectum
sine aqua?* Cui Baldath scirpum vel carectum comparet,
12. ipse protinus aperit, cum subiungit. *Cum adhuc sit in flore,
13. nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium
qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.* Scirpi ergo vel
carecti nomine, hypocritæ vitam signat, quæ speciem quidem
veritatis habet, sed adhuc manu visus fructum vtilitatis
non habet. Quæ sterilitatis opere arida permanens, solo
sanctitatis colore viridescit. Sed neq; sine humore scirpus,
neq; sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum
vita ad bona opera infusionem quidem superni luminis
percipit, sed in cunctis quæ agit exteriores laudes appetēs,
à fructu perceptæ infusionis inanescit. De quibus Veritas
B dicit. *Multi dicent mihi in illa die. Domine, Domine nonne in no-*
Matt. 7.22 *mine tuo prophetauimus?* & reliqua. Scirpus in flore est, hypocrita
in laude. Acutis vero angulis surgens carectum manu
non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam sensibus,
de prauitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo
manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus,
si hunc quisque corripere audeat, asperitate sua protinus
corripientem secat, & quasi carpētis manū sua corripientis
animo, quidam, vt ita dixerim, sanguis mœroris currat.
Prou. 9. 8. Hinc Salomon ait. *Noli arguere derisorem, ne derideat te.* Iuxta
carnem quippe iusti herba sunt, Propheta attestante qui
Esa. 40. 6. ait. *Omnis caro fœnum.* Sed ante omnes herbas stirpus arescere
dicitur, quia iustis in bono suo permanentibus, ad viriditatem
assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccatur.
Arescunt herbæ, etiam reliqua, quia iustorum opera
cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus
præuenit, quia priusquam hypocrita de carne transeat,
ea quæ in se ostenderat, virtutum facta derelinquit.
Psal. 128. 6. Hinc scriptum est. *Fiant sicut fœnum ædificiorum quod, priusquam
C euellatur, exaruit.* Quid cunctis operibus suis appetit,
nisi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus
metui, sanctus ab hominibus vocari? Sed permanere spes
hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens, fu-
Matt. 6. 16. git quod tenet. De quibus Veritas dicit. *Receperunt mercedem
suam.* Sequitur.

14. *Non placebit vecordia sua.* Magna quippe vecordia est, laboriosa
agere, & ad auram laudis inhiare, fortis opere præceptis
cœlestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præmium
quærere. Sed tamen hac ipsa sua vecordia pascitur,
quia pro bono opere à cunctis honoratur. Hæc vero sua ei
vecordia placet interim, sed non placebit cum retributionis
tempus aduenerit. In pœna displicet, quod vecors fuit.
Sequitur. *Et sicut tela aranearum fiducia eius.* Bene hypocritarum
fiducia aranearum telis similis dicitur, quia omne
quod ad obtinendam gloriam exudat, ventus vitæ mortalis
dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia
cum tempore amittunt. Pensandum quoque est,
quod fila araneæ per ordinem ducunt, quia sua hypocritæ
D quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela
studiose texitur, flatu dissipatur, quia quicquid hypocrita
cum labore peragit, aura humani fauoris tollit. Hinc Ve-
Matt. 6. 16. ritas ait. *Exterminant enim facies suas,* & reliqua. Sanctitatis
nunc fiduciam in ore hominum ponit, sed apparente cordis
teste, præterit omne quod exterius de humano fauore
confidit. Sequitur.

15. *Innititur super domum suam, & non stabit.* Domus nostræ
cogitationis est, res quælibet quam per delectationem inhabitat
animus. Domus itaq; hypocritæ est delectatio fauoris,
quam quasi quietus inhabitat, quia per cuncta sua
opera, ad hanc se intra animum recludat. Sed domus stare
non valet, quia laus cum vita præterit, & humanus fauor
in iudicio nō subsistit. Vnde fatuæ virgines turbatæ dictu-
Matt. 25. 8. ræ sunt. *Date nobis de oleo vestro.* Sequitur. *Fulciet eam, & non
consurget.* Hoc namq; quod per se stare non valet, fulcitur
vester, quia cum vitam suam hypocrita labefactari in iudi-
cio conspicit, hanc fulciendo statuere operum enumeratione E
contendit. Hinc quidam dicturi sunt. *Domine, Domine,* Mat. 7. 22.
nonne in nomine tuo prophetauimus? & reliqua. Sed domus
laudis tot allegationibus fulta minime consurget, quia
protinus iudex dicit, *Numquam noui vos, discedite à me,* & re- Mat. 25. 12. 41.
liqua. Domus itaq; hypocritæ surgere non valet, quia per
omne quod iuxta præcepta cælestia agere potuit, à terrenis
animam numquam leuat. Sequitur.

Humectus videtur antequam veniat Sol. Sæpe in sacro elo- 16.
quio Dominus Solis appellatione figuratur, sicut per Pro-
phetā dicitur. *Vobis autē qui timetis nomen Domini, orietur Sol* Malac. 4. 2.
iustitiæ. Scirpus itaque iste in nocte humidus est, Sole autem
veniente siccatur: quia nimirū hypocrita in tenebris
vitæ præsentis, sanctus ab hominibus creditur, sed dum
districtus Iudex venerit, quam sit iniquus apparebit. Sequitur.
Et in ortu suo germen eius egredietur. Herba quælibet
nascendo è terra producitur, & post, aura & æstibus tangitur,
& tunc demum ad proferendum seminis sui germen
aperitur. Scirpus vero cum flore suo nascitur, moxque vt à
terra surgit, sui secum seminis germen producit. Bene ergo F
per herbas reliquas sancti quilibet, per scirpum vero hypocrita
designatur, quia iusti viri prius in opere suæ conuersationis
oriuntur, & ad æternam patriam venientes expectata
retributione perfruuntur. At contra hypocrita,
quæ mox in bono opere nascitur, præsentis mundi gloriā
recipere conatur. Germen itaque in ortu est remuneratio
in inchoatione. Sequitur.

*Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides 17.
commorabitur.* Quid radicum nomine, nisi latentes cogitationes
accipimus? Quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione
operum per apertum surgunt. Lapidum vero
nomine in Scriptura sacra homines designantur, sicut sanctæ
Ecclesiæ per Esaiam dicitur. *Ponam iaspidem lapidem pro-* Esa. 54. 12.
pugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos. Scirpus itaque iste,
qui inter lapides commoratur, super aceruum petrarum
radices densat, quia omnes hypocrita cogitationes in exquirendam
hominum admirationem multiplicat. Per omne
enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationib.
laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in
aceruum radices mittunt. Scirpus etiam inter lapides cō- G
moratur, quia hypocrita stat vbi mentis suæ intentionem
solidat. Nam cum attestationem multorum ambit percipere,
quasi in luctatione subsistit. Sequitur.

Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te. 18.
De loco suo hypocrita absorbetur, cum à præsentis vitæ
fauoribus morte interueniente separatur. Sed hunc absorptum
internus arbiter negat, seque eum nescire denunciat,
quia simulatoris vitam iuste reprobando veritas ignorat,
nec recognoscit eius quæ egit bona, quia ex recta intentione
non protulit. Vnde & fatuis virginibus in iudicio
veniens, dicit. *Amen dico vobis, nescio vos.* Sed vtinam hypo- Matt. 25. 12.
critis sua perditio sola sufficeret, & nequaquam peruersa
eorum studia ardentes alios ad vitam duplicatis instigarent.
Hoc namque vnusquisque proprium esse solet, vt
qualis ipse fuerit, tales sibi alios coniungi vellet. Sequitur.

Hæc enim lætitia viæ eius, vt rursum alii germinentur. Ac si a- 19.
perte diceretur. Venientem iudicem nequaquam cognoscit,
sed multipliciter recipit, quia & lætus in sua iniquitate
lætus est, quia & aliis male propagatus est. Cui enim hic H
non sufficit iniquitas propria, torqueatur necesse est illic
& merito reatus alieni. Sequitur.

Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Quia 20.
nimirū districtus in iudicio apparens, & despectū simplicium
glorificando erigit, & malignorū gloriam reprobādo
confringit. Maligni enim vocantur hypocritæ, q bona
non benefaciunt, & recta quęq; sub studio laudis operantur.
Manum vero cui porrigimus, hunc videl. ab imis eleuamus.
Malignis ergo Deus manū non porrigit, quia quętentes
terrenam gloriam in imo derelinquit, & quamliber
videantur recta esse quæ agunt, hos ad gaudia superna non
prouehit. Vt certe ideo appellantur maligni hypocritæ,
quia benignitatem erga proximos ostendunt, & dolos suę
iniquitatis aperiunt. Quos contra bene per Moysem dicitur.
Non indues vestem ex lana linoq; contextam. Per lanam Deu. 22. 11

A quippe simplicitas, per linum vero subtilitas designatur. Sequitur.

21. *Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.* Ac si aperte diceretur. Vita simplicium nec ante iudicium deserit, & malignorum mentes percutere deferendo, nec priusquam appareat, prætermitti. Os quippe iustorũ tunc risu replebitur, cum eodem corda finitis peregrinationis fletibus, æternæ lætitiæ exultatione satiantur. De hoc risu discipulis Dominus dicit. (Ioan. 16.20) *Mundus autem gaudebit, & vos tristes eritis. sed tristitia vestra in gaudium conuertetur.* Iubilum vero dicimus, cum tantam lætitiam corde concipimus, quantam sermonis efficacia non explemus, & tamen mentis exultatio hoc quod sermone non explicat, ore sonat. Bene autem os risu impleri dicitur, labia iubilo, quia in illa æterna patria cum iustorum mens in exultatione rapitur, lingua in cantu laudis eleuatur. *Donec* autem dicitur, non quod Omnipotens Deus eo vsque malignos non sublevet, quousq; electos suos ad iubilationis gaudia assumat, ac si post à pœna eripiat, quos ante in culpa deserens damnat. Sed hoc nequaquam ante iudicium faciet, cum dubium hominibus B videri possit, an fiat. Nam in electorũ suorum iubilo, quia malignis manum non porrigit, ea ipsa iam districtione vltimi examinis constat. Sic namque & per Psalmistam dicitur. (Psal. 109.1.) *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sequitur.

22. *Qui oderunt te induentur confusione.* Iustorum hostes in extremo examine confusio induit, quia cum transacta mala redundare sibi ante oculos mentis aspexerint, suus eos vndique deprimens reatus vestit. Ad pœnam quippe tunc factorum suorum memoriam tolerant, qui nunc quasi à sensu rationis extranei peccant gaudentes. Ibi videnti quã tum debuerint fugere, quod amauerunt. Sequitur. *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Tabernaculum quippe construitur, vt ab æstu corpus & frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ fælicitatis exprimitur? Per quam super se casura multipli... vt se à præsentis vitæ necessitatibus, quasi ab æstu & C ...bus defendant. Honoribus namq; exerceri ambiũt, ... specti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ...opiæ frigore tabescant. Vbi ergo mentis habitationẽ ...struit, ibi tabernacula proculdubio fixerunt. At contra iusti nec oblata bona suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt. Sed & cum bonis præsentibus vtuntur, ventura mala metuunt. Et dum de præsentibus malis gemunt, bonorum sequentium amore consolantur. Bene ergo dicitur *Tabernaculum impiorum non subsistet*, quia vitę effugientis amatores, dum studiose in præsentibus construuntur, repente ad æterna rapiuntur.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER IX.

D

Cap. IX. 1. 2.



Espondens autem Iob dixit. Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Homo quippe subpositus Deo iustitiam percipit, compositus amittit. Quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se quod accepit, priuat. Sequitur.

3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* In Scriptura sacra millenarius numerus pro vniuersitate solet intelligi. Hinc dicitur. (Ps. 104. 8.) *Verbi quod mandauit in mille generationes.* Et Ioannes ait. (Apoc. 20. 6.) *Et regnabunt cum eo mille annis.* Quia vero monas * multiplicatus in denarium ducitur, denarius per semetipsum ductus in millenarium tenditur, cum ab vno incipimus, vt ad millenarium veniamus. Quid hoc loco vnius appellatione, nisi bene viuendi initium? Quid millenarij numeri amplitudine, nisi eiusdẽ vitæ bonæ perfectio designatur? Cum Deo autem contendere est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Qui enim cum auctore contendit, vnum pro mille respondere non sufficit, quia qui se de perfectione erigit, habere se bene viuendi nec initium ostendit. Seq.

(* Est s. g. monas apud grammat.)

E

4. *Sapiens corde est, & fortis robore.* Sapiens quippe Deus dicitur, quia sapientia & occulta nostra subtiliter cognita percutit. Nunc vt sapiens omnia inuisibilis aspicit, & à nobis falli non potest, tunc vt fortis sine vllo obstaculo quos reprobat punit nec vitari potest. Sequitur. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse vt creata sibimet conueniant, ordinat. In quo ergo conditori resistitur, pacis conuentio dissipatur. Peruersa enim mens vnde contra auctorem se erigit, inde se in semetipsa confundit. Resistere autem dicimus, cum repugnare eius dispositionibus conamur. Neq; enim nostra infirmitas incõmutabili eius sententiæ obuiat, sed tamen quod explere non valet tentat. Contraire satagit, sed ipso gladio contradictionis frangit. Sequitur.

5. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.* In Scriptura sacra sæpe montium nomine, prædicantium multitudo signatur. De quibus per Psalmistam dicitur. F (Psal. 71. 3.) *Suscipiant montes pacem populo.* Sed mõtes Veritas transtulit, cum prædicatores sanctos à Iudaica obduratione subtraxit. Hinc dicitur. (Ps. 45. 3.) *Transferentur montes in cor maris.* Et ipsi aiunt. (Act. 13. 46.) *Vobis qui Deo primum oportebat loqui.* & reliqua. Sed hãc ipsam translationem nescierunt hi qui in Domini furore subuersi sunt, quia cum de suis finibus Hebræi Apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quod prædicationis lumen amiserunt. Sequitur.

6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* De loco quippe suo terra cõmota est, cum plebs Israelitica de Iudææ finibus euulsa, nimirum colla Gentibus subdidit, quia subdi auctori recusauit. Quę sc. terra columnas habuit, quia in sacerdotes & principes, legis doctores atq; Pharisæos ruitura eius pertinaciter structura surrexit. Sed translatis montibus columnæ cõcussæ sunt, quia subductis à Iudæa Apostolis, nec ipsi viuere in illa permissi sunt, qui ab illa vitæ prædicatores expulerunt. Per Romanũ quippe principem Titum protinus Iudæa destruitur, atque in cunctis gentibus sparsa dissipatur. Sequitur.

G

7. *Qui præcipit Soli, & non oritur: stellas claudit quasi sub signaculo.* Aliquando namq; in sacro eloquio Solis nomine claritas prædicatorum designatur, sicut per Ioannem dicitur. (Apoc. 6. 12.) *Factus est Sol sicut saccus cilicinus.* Ipsi etiam stellarum nomine signantur, de quibus dicitur. (Ierem. 3. 3.) *Prohibitæ sunt stellæ pluuiarum.* Prædicatores quippe sancti, & sol nostris oculis per diem fiunt, cum contemplationem nobis veræ lucis aperiunt. Et velut in tenebris stellę lucent, cum per actiuam vitam profuturi nostris necessitatibus terrena disponunt. Sed quia expulsis prædicatoribus non fuit qui plebi Iudaicæ in perfidiæ suæ nocte remanenti, vel claritatem contemplationis ostenderet, vel actiuæ vitæ lumẽ aperiret. Veritas quippe quæ hanc repulsa deseruit, subtracto prædicationis lumine merito suæ prauitatis excæcauit, & quasi sub signaculo stellas clausit, quia dum prædicatores suos per silentium intra semetipsum retinuit, cæcis iniquorũ sensibus cœleste lumen abscondit. Qui igitur prædicatores suos nũc Iudææ oculis subtrahit, sed postmodũ ostendit, quasi sub signaculo clausit stellas, vt absconsis prius & post coruscantibus H astrorum spiritualium radijs, noctem suæ perfidiæ, & nunc repulsa non videat, & tunc illuminata deprehendat. Hinc Esaias ait. (Esa. 10. 22.) *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Et Paulus. (Rom. 11. 25.) *Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fiet.* Hinc est quod duo illi eximij prædicatores dilata morte subtracti sunt, vt ad prædicationis vsum in fine reuocentur. De quibus dicitur. (Apoc. 11. 4.) *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ astantes.* Sequitur.

8. *Qui extendit cælos solus.* Quid namq; cœlorum nomine, nisi hæc eadem cælestis prædicantium vita signatur? De quibus per Psalmistam dicitur. (Ps. 18. 2.) *Cæli enarrant gloriam Dei.* Ipsi igitur cæli, ipsi Sol esse memorantur. Cæli scilicet, quia intercedendo protegunt, Sol autem, quia prędicando vim luminis ostendunt. Commota igitur terra, cæli extenti sunt, quia cum Iudæa ad vim persecutionis infremuit, Apostolorum vitam Dominus in cunctarum gentium cognitione dilatauit. Augusti quippe cæli fuerant, cum vna

plebs

A plebs per egregios prædicatores tenebat, sed solus Deus cœ-
los extendit, qui secreta mira dispensatione consilij, prædi-
catores suos vnde permisit in vna gente opprimi, fecit in
mundi cardines inde dilatari. Sequitur. *Et graditur super flu-*
ctus maris. Quid enim maris nomine, nisi in bonorum nece
sæuiens mundi huius amaritudo signatur? Hinc scriptum
Psal. 32. 7. est. *Congregans sicut in vtre aquas maris.* Super fluctus ergo
maris Dominus graditur, quia cum se procellæ persecutio-
nis erigunt, miraculorum eius obstupefactione franguntur.
Qui enim tumores humanæ vesaniæ mitigat, quasi
erectas in cumulo vndas calcat. Tot enim in his fluctibus
Dominus gressus posuit, quot superbis persecutoribus
Psal. 92. 4. miracula ostendit. Vnde Psalmista ait. *Mirabiles elationes*
maris, mirabilis in altis Dominus. Quod bene per Hieremiam
Ierem. 5. 22. Dominus dicit. *Posui arenam terminum mari præceptum sempi-*
ternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & in-
tumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Arenam quippe
B Dominus mari opposuit, quando frangendam mundi glo
riam, abiectos & pauperes elegit, sed transire arenam ne-
queunt, quia abiectorum miraculis & humilitate franguntur. Sequitur.

9. *Qui facit Arcturum & Oriones.* Nequaquam sermo verita-
tis, vanas Hesiodi, Arati, & Callimachi fabulas sequitur, vt
Arcturum nominans, extremam stellarum septé caudam
vrsæ suspicetur, & quasi Orion gladium teneat amatur in-
sanus. Hæc quippe astrorú nomina à cultoribus sapientiæ
carnalis inuenta sunt. Sed Scriptura sacra idcirco eisdem
vocabulis vtitur, vt res quas insinuare appetit, notitia vsi-
tatæ appellationis exprimantur. Quid namq; Arcturi no-
mine, qui in cœli arce constitutus, septem stellarum radijs
fulget, nisi Ecclesia vniuersalis exprimitur, quæ in Ioannis
Apocalypsi, per septem Ecclesias, perque septem candela-
bra figuratur? Quæ dum dona in se septiformis gratiæ spi-
ritus continet, claritate summæ virtutis irradians, quasi ab
axe veritatis lucet. Et sicut Arcturus semper versatur, & nú-
quam mergitur: ita sancta Ecclesia persecutiones improborum
sine cessatione tolerat, sed tamen vsq; ad mundi terminú
sine defectu perdurat. Arcturus ergo dum versatur, erigi-
C tur, quia tunc S. Ecclesia valétius in veritate relicitur, cum
ardentius pro veritate fatigatur. Oriones quippe in suo or-
tu tempestates excitant, & maria terrasque perturbant. Si-
gnificant autem Martyres. Quia dum sancta Ecclesia ad
statum prædicationis erigitur, pondus molestiasque per-
sequentium passuri, ad cœli axem quasi in hyeme venerût.
Oriones ergo cœlum edidit, cum sancta Ecclesia Marty-
tes misit. Ex Orionibus itaq; hyems horruit, quia crescen-
te Sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tem-
pestatem se persecutionis excitauit. Quid itaq; Hyadum
nomine, nisi doctores sanctæ Ecclesiæ signantur? Qui re-
motæ tempestate persecutionis expletis noctibus longis
infidelitatibus tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cum etiam
per credulitatis veritatem lucidior annus aperitur? Vocan-
tur autem Græco vocabulo yetus, pluuiæ. Bene ergo Hya-
dum appellatione expressi sunt, qui ad statum vniuersalis
Ecclesiæ, sanctæ prædicationis ferunt imbres. Hinc Moy-
Deut. 32. 2. ses ait. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum*, & reliqua. Et
D Esaias. *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* Ex-
Esa. 5. 6. tensis enim cœlis Dominus formauit Arcturum, quia in
honorem deductis Apostolis, in cœlesti conuersatione
fundauit Ecclesiam. Formato quoque Arcturo, fecit O-
12. riones, quia roborata fide, vniuersalis Ecclesia contra pro-
cellas mundi edidit Martyres. Editis quoque Orionibus
protulit Hyadas, quia conualescentibus contra aduersa
Martyribus, ad infundendam ariditatem humanorum
cordium, doctrinam contulit magistrorum. Sequitur. *Et*
interiora austri. Quid hoc austri nomine, nisi feruor sancti
Spiritus designatur? Quo dum repletus quisque fuerit,
ad amorem patriæ spiritualis ignescit. Hinc enim dicitur.
Cant. 4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster*, & reliqua. Interiora ergo Austri
sunt occulti illi Angelorum ordines, & secretissimæ patriæ
cœlestis sinus, quos implet calor Spiritus sancti. Illuc quip-
pe Sanctorum animæ, & nunc corporibus exutæ, & post
corporibus restitutæ perueniunt, & quasi astra in abditis
occultantur. Sequitur.

10. *Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non*
est numerus. Videlicet magna virtute, inscrutabilia ratione, E
innumerabilia multiplicitate. Diuinæ quippe fortitudinis
facta tunc verius explemus, cum hæc nos non posse co-
gnoscimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obstu-
pescendo reticemus. Hinc Psalmista ait. *Laudate eum in po-*
tentatibus eius, & reliqua. Sequitur. Psal. 19. 7.

Si venerit ad me, non videbo eum, & si abierit, non intelligam. 11.
Accessus igitur recessusque Dei à mente nostra minime
cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignora-
tur, quia & de tentatione incertum est vtrum probet, an
trucidet: & de donis nequaquam deprehenditur, vtrum
hic desertos remunerent, an in via nutriunt, vt ad patriam
perducant. Ac si ergo aperte deploret dicens. Postquam
semel sponte oculos perdidi, quomodo quæsitæ noctis cæ-
citatem patior, nec ortum iam nec occasum solis agnosco?
Sequitur.

Si repente interrogabit, quis respondebit ei? Repente interro- 12.
gat Deus, cum nos ad districtionem sui examinis inopina- F
tos vocat. Sed interrogationi illius respondere homo non
sufficit, quia si remota túc pietate discutitur, in illo exami-
ne etiam iustorum vita succumbit. Vel certe interrogat,
cum duris nos persequutionibus pulsat, & plerumq; qui
percutitur, gemit. Sed respondere non sufficit, quia & ipsa
ei percussionis suæ aduersitas displicet, sed tamen homo
tacet, & diuina iudicia discutere metuit, qui esse se pulue-
rem agnoscit. Hinc Paulus ait. *O homo, tu quis es qui respon-* Rom. 9. 20.
deas Deo. Sequitur. *Vel quis ei dicere potest, cur ita facis?* Aucto-
ris facta semper veneranda sunt indiscussa, quia iniusta
nequaquam esse possunt. Rationem quippe de occulto
eius consilio quærere nihil est aliud, quam contra eius con
silium superbire. Ad semetipsam ergo in percussione mens
redeat, & quod apprehendere non valet, non requirat.
Hinc Paulus dicit. *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, qua-* Ibidem.
re me fecisti sic? Sequitur.

Deus cuius iræ resistere nemo potest. Mirandum valde est, 13.
quomodo diuinæ iræ nullum posse resistere dicitur, cum
multos sæpe restitisse, exemplis exigentibus demonstra-
tur, sicut Moyses, Aaron, Phinees, & Dauid. Sed si subti- G
liter pensamus & verum cognoscimus, quia diuinæ iræ
non resistitur, & verum quod multi sæpe restiterunt. O-
mnes enim sancti qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt,
vt contra impetum percussionis eius opponantur, atque
vt ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, & velut
nolenti opponitur, quod ab ipso vt fiat imperatur. Cum
vero superat, indignatio humana non retinet. Hinc Moy-
ses & dispositæ ultionis iracundiam à semetipso repellere
non valuit, vt terram intraret repromissionis, qui stante
volente Domino & à populo amouit. Iræ igitur Dei & re-
sisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur; & resisti
omnino non valet, quando se & ad vlciscendum excitat,
& ipse precem, quæ ei funditur, non adspirat. Hinc ad
Hieremiam dicitur. *Tu ergo noli orare pro populo, nec assumas* Ierem. 7. 16.
pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore cla-
moris eorum ad me. Hinc rursum scriptum est. *Quid clamas*
super contritione tua? Insanabilis dolor tuus. Sequitur. *Et sub* Ierem. 30. 15.
quo curuantur qui portant orbem. Ipsi etenim orbem portant,
qui curas præsentis seculi tolerant. Vnde apud Græcos H
terræ principes Basilees vocantur. Laus enim populus in- San. Aist.
terpretatur. Basileus ergo Latine basis populi interpre-
tatur, quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui
motus illius potestatis pondere fixus regit. Ac si ergo aper-
te dicat. Et subiectos quondam districte deseris, & ere-
ctas potestates gentium misericorditer flectis. Aliter. An-
gelicæ virtutes orbem portant, quæ regendi curas ad-
ministrant, Paulo attestante qui ait. *Nonne omnes admi-* Heb. 1. 14.
nistratorij sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hære-
ditatem capiunt salutis? Ac si ergo diceret. Quis infirmo-
rum hominum tuis nutibus obuiet, cuius se fortitudine &
virtutes Angelicæ inclinant? Vel certe erecti essent illi sub
tilissimi spiritus, si plene eius maiestatis potentiam attin-
gerent. Sed qui orbem portant, sub Deo curui sunt, quia
diuinitatis eius celsitudinem quam subleuati videant, nec
virtutes tamen Angelicæ comprehendunt. Sequitur.

Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cũ 14.
eo? Ac si aperte dicat. Si creatura illa hunc considerare non

sufficit, quæ carne non premitur, qua mente ego de iudicijs disputo, qui pondere corruptionis angustor? Verba Dei ad nos sunt iudicia illius, quæ nostrorum actuum sententiam loquuntur, & verba nostra ad Deum sunt opera quæ exhibemus. Sed cum Deo loqui verbis suis non valet homo, quia apud subtile eius iudicium nullam de suis actibus fiduciam tenet. Sequitur.

15. *Qui etiamsi habuero quicquid iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.* Omnis quippe humana iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districte iudicetur. Prece ergo post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex solius iudicis pietate conualescat. Ac si ergo dicat. Et si ad opus virtutis accreuero ad vitam, non ex meritis, sed ex venia conualescam. Prece itaq; innitendum est cum recta agimus, vt omne quod iuste viuimus ex humilitate condiamus. Sequitur.

16. *Et cum inuocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam.* Plerumque etenim mens igne diuini amoris accenditur, atque ad intuenda cœlestia & arcana subleuatur, sed repentina tentatione percussa, quæ intentione fortis erecta fuerat in Deũ, ab hostis cogitationibus transfixa curuatur. Nam sæpe ad hoc vsque perducitur, vt miretur quomodo tam summa comprehendit, quam cogitatio illicita polluit, & rursum quomodo illicita recipit, quam super se validus feruor spiritus rapit. Hinc scriptum est. *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* (Psal. 106. 26.) Mens itaque ex ipsa sua mutabilitate fit trepida, & per hoc quod nolens patitur, repulsam se abiectamque suspicatur, sibique certitudinem exauditionis obnubilat. Sequitur.

17. *In turbine enim conteret me.* Peccator quisque in turbine atteritur, qui erectus in tranquillitate videbatur, quia quẽ diu superna longanimitas tolerat, extremi iudicij seueritas necat. Hinc Psalm. ait. (Psal. 49. 3.) *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Iustus autem idcirco tunc non conteritur, quia hic semper sollicite metuit ne conteratur. Sequitur. *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* Nonnulli etenim prius à præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malaue merita actiuæ perueniant. Quos quia à culpa originis salutis sacramenta non liberant, & hic nihil ex proprio egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum vulnus est, corruptibiles nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustoque iudicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, & qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Hinc namque scriptum est. *Non est mundus in conspectu eius, nec vnius diei infans super terram.* Hinc per semetipsam Veritas dicit. (Ioan. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Quæ etiam B. Iob non incongrue verba conueniunt. Vulneratum se itaque sine causa asserens, hoc de se foris loquitur, quod de illo Veritas in occulto testatur dicens. *Commouisti me aduersum eum vt affligerem eum frustra.* Sequitur.

18. *Non concedit quiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.* Sæpe iustis exercitium est virtutis, sola exterius aduersa tolerare. Sed vt eorum vires certamen plenæ probationis erudiat, nonnunquam & foris tormenta lacerant, & intus tormenta aduersarij. Vnde vir sanctus impletum se amaritudinibus asserit. Sequitur.

19. *Si fortitudo quæritur robustissimus est, si æquitas iudicij, nemo pro me audet testimonium dicere.* Ille quippe vitæ causas examinat, qui has per alienum testimonium non explorat. Quia qui districtus quandoque ostenditur illator pœnæ, diu tacitus extitit testis culpæ. Hinc etenim per Prophetam dicitur. (Iere. 29. 23.) *Ego sum iudex & testis.* Hinc rursum ait. (Esa. 42. 14.) *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* Sequitur.

20. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Ac si aperte dicat. Quid de alijs loquar, qui de me testimonium ipse ferre non valeo? Subdit etiam.

21. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Ac si aperte diceret. Conditoris contra me iudicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me infirmitatis caligine ignoro? Vnde per Prophetam dicitur. *Dedit abyssus vocem suam,* & reliqua. (Habac. 3. 10.) Plerumque enim si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur; si scimus, minime seruamus. Quis autem de virtute suæ conscientiæ non quantulumcunq; superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat? Et contra vtraque, quid superest nisi vt recta quæ agimus, sciendo nesciamus, vt hæc & recta æstimemus, & minima. Sequitur. *Et tædebat me vitæ meæ.* Tædet iustum viuere, quia & operando vitam non desinit quærere, & tamen eiusdem vitæ suæ meritum non valet inuenire. Subiungitur.

22. *Vnum est quod locutus sum. Innocentem & impium ipse consumet.* Ac si aperte diceretur. Hoc apud me verbum cogitationis protuli, quia nec innocens si districte discutior, apparebo: nec impius si apud me latere voluero, à superni examinis acumine abscondor. Innocens ergo à creatore consumitur, quia quantalibet eius simplicitas fuerit, diuinæ magnitudinis simplicitate deuoratur. Impius quoque à conditore consumitur, quia Deo cuncta ordinante, ipsis suis se versutijs, eius impietas iudicatur. Vel certe & innocentem & impium ipse consumere dicitur, quia quamuis in meritis vitæ diuisi sunt, à primo culpæ merito æque ad carnis interitum pertrahuntur. Hinc Salomon dicit. *Moritur doctus similiter vt indoctus.* (Eccles. 2. 16.) Et rursum. *Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.* (Eccles. 3. 19. 20.) Sequitur.

23. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Quis hæc non per superbiam prolata crederet, nisi sententiam iudicis audiret, qui ait? *Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* (Iob 42. 7.) Sed nos qui iam à Deo mente recessimus, & carne ad puluerem redimus, pœna duplæ mortis astringimur. Sed venit ad nos qui pro nobis sola carne moreretur, qui simplam suam duplæ nostræ coniungeret, & nos ab vtraque liberaret. De qua per Paulum dicitur. *Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel.* (Rom. 6. 10.) Omne desiderium cum desideratur pœna est. Hinc Salomon ait. *Spes quæ differtur affligit animam.* (Prou. 13. 12.) Ridere enim Dei est humanæ animæ nolle misereri. Vt illud. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* (Prou. 1. 26.) Ac si ergo ex voce eorum qui incarnationis mysterium cupierunt, dicat. Quia vita nostra quotidie flagello vindictæ pro culpa atteritur, ille iam veniat qui pro nobis semel sine culpa moriatur, & de innocentium pœnis dicatur, vltra non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cuius se desiderijs mens nostra castigat. Vel certe risum Dei, lætitiam appellat. De innocentium pœnis Dominus ridere dicitur, quia quo à nobis ardentius quæritur, eo suauius de nobis lætatur. Quasi quoddam quippe ex pœna gaudium facimus, cum per sancta desideria eius nos amore castigamus. Hinc Psalmista ait. *Constituite diem solemnem in condensis,* & reliqua. (Psal. 117. 27.) Sequitur.

24. *Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit.* Terræ nomine caro Christi exprimitur, appellatione impij Diabolus designatur. Huius impij manus fuerunt hi qui in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impij, quia antiqu' hostis redemptoris mentem corrumpere per se tentando non valuit, sed eius carnem per suos satellites, ad triduum permissus extinxit. Huius terræ iudices, sacerdotes, & principes, Pilatus, & illusores fuerunt. Vultus ergo iudicum opertus extitit ab impij malitia, quia mens persequentium eum quem carne tenere potuit, Deum nec per miracula agnouit. Hinc Paulus ait. *Vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum.* (2. Cor. 3. 15.) Sequitur. *Quod si non ille est, quis ergo est?* Ac si ergo diceret. Quis vnquam impius esse putandus est, si ille populus qui ipsam pietatem persecutus est, impius non est? Repente enim dimittitur à Diabolo ad sequaces eius. Sequitur.

25. *Dies mei velociores fuerunt cursore.* Cursoris officium est, quod sequitur annunciare. Omnes igitur electi qui ante aduentum Redemptoris orti sunt, quia hunc aut videndo tantummodo, aut etiam loquendo nuntiarunt, quasi cursores in mundo fuerunt. Sed quia ante præstolatũ Redemptoris tempus subtrahi perpendebantur, transire se velocius cursore dolent, diesq; suos breues esse ingemiscunt, quia vsque ad videndam Redemptoris lucem minime tendun-

A Gen. 1.31. tur. Sequitur. *Fugerunt, & non viderunt bonum.* Omnia quæ creata sunt, bona sunt, vt illud. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed hoc bonum principaliter bonum est, per quod hæc omnia bona sunt. Hinc Veritas ait. Mar. 10.18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Ac si ergo diceret. Ante expectatum tempus elapsi sunt, quia ad Redemptoris præsentiam peruenire nequiuerunt. MORALITER. Ad hoc homo conditus fuit, vt bonum quod est videre, videre possit, & per augmenta temporum; quandi possit eius vita tantummodo, non euolui. Sed qui sponte ad culpam decidit, quod attigit vetitum pertulit decursum, & qui stare ad lucem noluit, fugiendo oculos amisit, quia culpa cœpit ad ima decurrere, & se cæcitate perculit, ne intus lumen videret. Sequitur.

26. *Pertransierunt quasi naues poma portantes.* Hi qui poma deferentes maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorundem fructuum aliis cibos seruant. B Quid igitur antiqui patres, nisi naues poma portantes extiterunt? Qui diuinæ Incarnationis mysterium prophetantes, ipsi quidem odore potati sunt, sed nobis fructum de eadem spei perceptione detulerunt. Quod enim illi expectando odorati sunt, hoc nos cernendo, & percipiendo satiamur. Hinc Dominus ait. Ioan. 4.38. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Vel certe qui nauibus poma portant, cum paleis poma miscent, vt illæsa permaneant. Ita nimirum præcedentes in eo quod mysteria spiritualis vitæ denuntiant, per interfusam hæc historiam stipulam seruant, & opertum nobis fructum spiritus deferunt, cum carnalia loquuntur. MORALITER. Naues cum poma portant fructus terræ videlicet per fluctus ferunt. Terra vero hominis Paradisus extitit, poma etiam fuerunt mandati sermo, concessa possibilitas operis naturæ indita, intelligentia conditoris. Sed quia per crucis mysterium, ad ingenita naturæ bona restringimur, quasi per lignum poma portamus, & dum toi bona munerum seruare etiam nunc in tentationibus conamur; inter vitæ præsentis impellimur, mutabilitatis nostræ fluctu fatigamur. Aliter. Naues cum C poma portant, suauitatem odoris habent, sed grauitudinē ponderis non habent; & humanum genus cum ad superna repetenda se erigit, flagrat quidem odore memoriæ, sed ignem non exerit pondus vitæ. Paradisi celsitudinem cum ardoris recordatione meminimus, & importunos tentationum fluctus ex carne toleramus. Subditur. *Sicut Aquila volans ad escam.* Sicut enim Aquila quæ ad alta euolat, & tamen pro sumendis cibis terram petit: ita antiqui patres fuerunt, qui in quantum humanitatis infirmitas admittebat, creatoris lucem recta mente contemplati sunt, sed incarnandum hunc in mundi fine præscientes, quasi à Solis radiis ad terram oculos deflexerunt. Quem dum pro humano genere passurum, moriturumq; conspiciūt, quasi de eius morte semetipsos reficiunt. MORALITER. Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, sed per appetitum ventris terram expetit. Sic & humanum genus, in parente primo ad ima de sublimibus corruit. Sed quia cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, & quasi carnibus pascitur, cum deorsum corporeis vo- D luptatibus lætatur. Sequitur.

27. *Cum dixero nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, & dolore torqueor.* Plebs quippe Iudaica loqui vt prius noluit, quæcumque prædixerat, negauit. Sed commutata facie torquetur, quia dum internis sui hominis aspectum, quo agnosci à conditore poterat, fœditate perfidiæ polluit: à præsentibus malis incipiens, sub æterna se vltione damnauit. Quasi enim commutata facie ab auctore non cognoscitur, quæ perdita bonæ conscientiæ fide reprobatur. MORALITER. Sæpe enim tacitis vrgemur cogitationibus, cur omnipotens Deus condidit hominem, quem periturum præsciuit, cur non talem facere voluit, qui perire non possit. Sed cum hæc tacita mens interrogat, pauet, ne in superbiæ ausum erumpat: & nequaquam ita nos debere loqui dicimus, cum nostræ infirmitatis modum ex inquisitione transeuntes nosmetipsos pauore reprehendimus. Sic facies commutatur, quia quæ prius capiens mens summa requirebat, infirmitatem suam agnoscens, venerari incipit quod ignorabat. Sed in ipsa comminatione do- E lor est, quia valde affligitur, quod primæ culpæ merito ad intelligenda ea quæ de ipso sunt cæcatur. Ori silentium indicit, sed excitatus dolor ex ipso quo restringitur, augetur. Sequitur.

28. *Verebar omnia opera mea.* Quæ sint opera B. Iob, sacer huius historiæ textus ostendit. Quæ ergo opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari erga iniquitatē solet? Hinc itaq; colligimus, vt si veraciter placere Deo cupimus, postquam peruersa subegimus, etiam bene gesta timeamus. Duo quippe sunt quæ in bonis operibus formidanda sunt desidia videlic. & fraus. Hinc Propheta ait. Iere. 48.10. *Maledictus omnis qui facit opus Domini fraudulenter & desidiose.* Desidiam quippe minor Dei amor exaggerat. Fraudem vero mala mente possidens proprius amor creat. Contra hanc dicitur. Esa. 33.15. *Excutit manus suas ab omni munere.* Munus namque à corde est, capta gratia à cogitatione. Munus ab ore est, gloria per fauorem. Munus ex manu est, præmium per elationem. Ac si ergo humili confessione diceretur. Quæ aperte F egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. Sequitur. *Sciens quod non parcis delinquenti.* Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum à delicto mundus nemo reperitur? An pœnitenti parcet, delinquenti non parcet? Quia cum delicta plangimus, delinquentes non sumus? Et, cur Petrus negans respicitur, & ad lachrymas vocatur? Cur Paulus cum Redemptoris nomen in terra conaretur extinguere, eius verba meruit de cœlo audire. Sed tamen culpa in vtroq; punita est. Delinquenti ergo Dominus non parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sequitur.

29. *Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui?* Si enim remota pietate discutimur, opus nostrum pœna dignum est, quo remunerari præmijs præstolamur, non quod hunc laborasse pœnitet, sed quod incertus esset de præmiis, & inter labores dolet. Sciendum vero est quia sancti viri ita incerti sunt, vt confidant; atque ita confidunt, vt tamen ex securitate non torpeant. Sequitur. G

30. *Si lotus quasi aquis niuis, & fulserint quasi mundissimæ manus meæ.* Aquæ niuis sunt lamenta humilitatis. Quæ profecto humilitas, quia ante districti iudicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt vero nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent. Hi nimirū aquas habent, sed niuis aquas non habent. De quibus aquis niuis quidam ait. Psal. 50.19. *Cor contritum & humiliatum,* &c. Vel certe aquæ fontis vel fluminis ex terra oriuntur, aquæ vero niuis ab aëre promunt. Qui enim pro terrenis bonis in precibus compunguntur, ex terræ aqua perfusi sunt. Qui vero idcirco plorant, quoniam præmia superna desiderant, aqua niuis hos diluit, quia cœlestis compunctio infundit. Per manus enim quid aliud quam opera designantur? Vnde de quibusdam per Prophetam dicitur. Esa. 1.15. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Notandum quod nō ait. Fulserint mundissimæ, sed velut mundissimæ, quia quousque pœna corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus viuamus, veram munditiam non apprehendimus, H sed imitamur. Sequitur.

31. *Tamen sordibus intinges me.* Deus nos intingere dicitur, intinctos sordibus demonstrare, quia quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab eius munditia discordamus. Ac si ergo aperte dicat. Quamuis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamuis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video quia mundus non sum. Sequitur. *Et abominabuntur me vestimenta mea.* Vestis nomine corpus designatur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitate suæ substantiæ nuda esse videatur. Hinc Salomon ait. Eccl. 9.8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Et Esaias. Esa. 9.5. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustione.* More enim sacri eloquij vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt, sicut per Petrū de Iuda dicitur. Act. 1.18. *Hic possidens agrum de mercede iniquitatis.* Quem agrum moriens possidere non potuit, sed possedit, dictum est, possidere fecit. Hanc vestimentorum sordem metuebat Paulus dicens. Rom. 7.23. *Video aliam legem in membris meis,* & reliqua. Sequitur.

A 32. *Neque enim viro qui similis mei est, respondebo, nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.* Dum quum quolibet ex æquo in iudicio contendimus, & quod cótra nos dicatur, agnoscimus, & in his quæ dicimus, audimus. Quia ergo inuisibilis iudex quæ facimus videt, quasi quæ dicimus audit. Sed quia id quod ei displicet nequaquam plene cognoscimus, quasi quod ipse dicit, ignoramus. Sequitur.

33. *Non est qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* Durum quippe sonat quod Deum dicit arguere, sed durum non erit si recurrere ad memoriam, quód ipse per alium Prophetam dicit. *Quiescite agere peruerse,* & reliqua. (Esa. 1.16.) Et rursum. *Et venite & arguite me, dicit Dominus.* (Esa. 1.18.) In hoc enim quod Dominus se præcipit arguere, aperte insinuat quantam bonis actibus fiduciam præstet. Hinc est quod Dominus dicit. *Quæsiui virum qui interponeret sepem, & staret oppositum contra me ni dissiparem eam, & non inueni.* (Ezech. 22.30.) Sed quanquam præscriptis omnibus animaduersionis obuient, non tamen valent virtute propria ab humano genere supplicia mortis expellere. (B) Redemptor quippe humani generis in hominibus solus iustus apparuit, qui & hominem arguit ne delinqueret, & Deo obstitit, ne feriret. In vtrisque quippe manum posuit, quia & exempla hominibus quæ imitarentur præbuit, & Deo ipse opera quibus ergo homines placarentur moriendo ostendit. Sequitur.

34. *Auferat à me virgam suam, & pauor eius non me terreat.* Per legem quippe virga Deus terruerat, cum dicebat. Si quis hęc vel illa fecerit, morte moriatur. Sed incarnatus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Hinc est quod ei dicitur. *Intende, prospere procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam.* (Psal. 44.5.) Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater vt amaretur, inspirauit. Quod liquido Paulus dicit. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (pater.)* (Rom. 8.15.) Sequitur.

35. C *Loquar, & non timebo eum.* Vir etenim sanctus, quia humani generis Redemptorem venire mitem conspicit, non metum à Domino, sed affectum à patre sumit, & timorem despicit, quia per adoptionis gratiam ad amorem surgit. Hinc Ioannes ait. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* (1. Ioan. 4.18) A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ adspirata mansuetudinis gratia erexit. Sequitur. *Neque enim possum metuens respondere.* Respondere quippe cuilibet dicimus, cum factis illius digna opera recompensamus. Deo ergo respondere est, donis eius præcedentibus nostra obsequia reddere. Dona enim nobis largitur, benignitatem suam, & erga malos vtitur. Respondere homo tot beneficijs debet, sed tamen respondere metuens non valet, quia humani generis conditorem, qui adhuc seruiliter formidat, proculdubio non amat. Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus, cum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit. Sequitur.

CAP. X.

1. D *Tædet animam meam vitæ meæ.* Cum enim in amore conditoris mens nostra accenditur, omne desiderium præsentis vitæ leuigatur. In tædium delectatio vertitur, atque hanc cum errore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore seruiebat. Sequitur. *Dimittam aduersum me eloquium meum.* Quasi pro se eloquio suo vtitur, qui praua quæ gessit, defendere excusationibus conatur. Sed aduersum se eloquiũ dimittit, qui accusare in se hoc incipit, quod errauit. Sequitur. *Loquar in amaritudine animæ meæ.* Qui culpas suas detestans loquitur, restat necesse est, vt has in amaritudine animæ loquatur, vt hæc ipsa amaritudo puniat, quicquid lingua per mentis iudicium accusat. Sequitur.

2. *Dicam Deo, noli me condemnare.* Qui peccatorem se in amaritudine animæ afficit, quid Deo aliud quam ne condemnetur, dicit? Quia amaritudo præsentis pœnitentiæ, extinguit supplicia sequentis iræ. Duobus enim modis in hac vita iudicat Deus, cum aut per mala præsentia irrogare iam tormenta incipit sequentia. Vnde scriptum est. *Secundo eos qui non crediderunt, perdidit.* (Iudæ 5.) Et in Psalmo. *Induantur sicut diploide confusione.* (Psal. 108.29) Aut cum tormenta sequentia flagellis præsentibus extinguit. Hinc Paulus ait. *Cum iudicamur à* (1. Cor. 11. 32) *Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et alibi. *Ego quos amo arguo, & castigo.* (Apoc. 3. 19.) E Sequitur. *Indica mihi cur me ita iudices?* Ac si diceret. Quia flagellando me iudicas, ostende quod ad iudicium per flagellum securum reddas. Aliter. Plerumque enim iustus flagella ad probationem percipit, sed pro qua tamen specialiter culpa percutiatur minime cognoscit, atque magis in percussione trepidat, quo causam suæ percussionis ignorat. Petit vt semetipsum sibi iudex indicet, quatenus quod ille animaduertendo percutit, hoc in se flendo & ipse castiget. Sequitur.

3. *Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris, & opprimas me pauperem?* Ac si aperte diceretur. Tu qui summe bonus es, noui quia bonum non æstimas, vt pauperem per calumniam premas. Scio ergo quia non est iustum quod patior, & eo magis doleo, quod causas iustitiæ ignoro. Cum vero se pauperem, non innocentem memorat, non tam de vita audaciam arripit, sed quam se infirmum conspicit, ostendit. Sequitur. *Opus manuum tuarum.* Ac si aperte dicat. Impie opprimere non potes, quem te fecisse gratuito recordaris. Sequitur. *Et consilium impiorum adiuues?* Quos namque hoc in loco impios, nisi malignos spiritus vocat? Qui cum redire ipsi ad vitam nequeunt, crudeliter socios ad mortem quærunt. Quorum omnium consilium fuit, vt beatum Iob diuina correptio tangeret, & qui in tranquillitate iustus extiterat, saltem per flagella peccaret. F Sed impiorum consilium Dominus non audiuit, quia eorum tentationibus carnem iusti prodidit, animam negauit. Hoc etiam consilium assidue Dominus destruit, quia pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem iustorum pœna transeat persequentium, & per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Hinc Paulus ait. *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.* (1. Cor. 10.13) & reliqua. Sequitur.

4. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu vides?*
5. *Nunquid sicut dies hominis, dies tui, aut anni tui sicut humana sunt*
6. *tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris,*
7. *& scias quia nihil impie fecerim?* Ac si humiliter requi-
G rens diceret. Cur me in tempore per flagella examinas, quem apud te perfecte & ante tempora scisti? Cur culpas meas verberibus interrogas, quem per æternitatis tuæ potentiam, nec prius quam conderes ignoras? Oculi quippe carnei, facta temporum, nonnisi in tempore agnoscunt, & hunc anus visus quodlibet opus sequitur, non percurrit. Dies quoque & anni hominum, à diebus & annis æternitatis discrepant, quia vita nostra quæ tempore incipitur, & tempore finitur. Deo quippe nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura quasi quę non appareant, desunt. Quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, eum aspiciendo post & ante non tenditur. Sequitur. *Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere?* Ac si aperte dicat. Quid tibi restat, nisi parcere, cuius virtuti nullus valet obuiare? Quo enim nemo est, qui animaduersionem tuam ex merito suæ virtutis retineat, eo à te facilius tua pietas exigit, vt parcas. Sequitur.

8. *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me?* Ac si humiliter dicat. Quia sub H iusto examine dignum non est tuæ placationi quod feci, pensa misericorditer ne pereat, quod fecisti. Quibus etiã verbis peruersum Manichæi dogma destruitur, qui duo principia esse mentiens, à Deo Spiritum, à Satana vero carnem conditam asserere conantur. Plasmatum vero se propter imaginem retulit, factum vero totum in circuitu, in eo quod ex carnis constat indumento memorauit. Notandum vero est, quia per hoc plasmatum Dei manibus asserit, misericordiæ iudicis dignitatem suæ conditionis supponit. Ac si aperte dicat. Cur tanta vilitate despicis, quem tanta dignitate condidisti? Et quem ratione cæteris rebus præfers, cur ex dolore supponis? Sequitur.

9. *Memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Ac si aperte dicat. Infirmitatem carnis, & reatum iniquitatis laxa. Sicut lutum itaque homo est conditus, de limo sumptus, quia quasi aqua infundit puluerem, cum anima rigat carnem. Lutum quippe fit, cum se aqua terræ conspergit. Hæc autem quæ de exteriori homine dicitur, etiam interiori po-

A teſt congruere. Sicut lutum quippe homo interior extitit, quia cum ſpiritus gratiæ terrenæ menti infunditur, vt ad intellectum ſui conditoris erigatur. Humana namque cogitatio quæ peccati ſui ſterilitate aruit, per vim ſancti Spiritus viruit. Sequitur. *Et in puluerem reduces me.* Acſi patenter poſtulet dicens. Materiam quæſo originis, & pœnam finis aſpice, & culpis citius tranſeuntis parce. MORALITER. Cum enim per ſubtractionem ſpiritus mens electa ad aliquantulum in tentationem deſeritur, quaſi ab humore priſtino terra ſiccatur, vt infirmitatem ſuam derelicta ſentiat, & ſine infuſione ſupernæ gratiæ quantum homo aruit, agnoſcat. Sequitur.

10. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle*
11. *& carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me.* Plaſmatus quippe homo, ſicut lutum factus eſt, propagatus autem, & ſicut lac mulgetur ſemine, & ſicut caſeum coagulatur in carne. Carnibus & pelle induitur, oſſibus neruiſque ſubditur. MORALITER. Mens etenim cum per ſancti Spiri-
B tûs gratiam ab vſu vetuſtæ conuerſationis abſtrahitur, ſicut lac mulgetur, quia in quadam inchoationis nouæ teneritudine & ſubtilitate formatur. Sicut caſeum coagulatur, quia in conſtipatione pingueſcentis cogitationis aſtringitur, vt nequaquam iam per deſideria defluat, ſed in vno amore ſe colligens, ad ſolidam reformationem ſurgat. Pelle quippe & carnibus interior homo veſtitur, quia cum ad ſuperna erigitur, carnalium motuum obſidione vallatur. Carnibus & pelle veſtimur, ſed oſſibus & neruis compingimur, quia etſi foris irruente tentatione concutimur, intus tamen nos conditoris manus roborat contra tentamenta. Sequitur.

12. *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi.* Anguſtia quippe Dei laus eſſet diſcreta à creati corporis, niſi etiam ſequenter exprimeretur mira aſpiratio viuificationis. MORALITER. Vita quippe tribuitur, cum malignis mentibus benignitas adſpiratur. Sed vita ſine miſericordia accipi nequaquam valet, quia ad obtinenda iuſtitiæ bona Dominus non adiuuat, ſi prius miſericorditer anteactas nequitias non rela-
C xat. Vel certe vitam & miſericordiam nobis tribuit, quia cùm qua nos miſericordia ad bene viuendum præuenit, etiam ſubſequenter cuſtodit. Niſi enim miſericordiam ſubroget, ſeruari non valet vita quam præbet. Sequitur. *Et viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* In caſſum enim nobis conditor bona tribuit, ſi non omne quod tribuerit, ipſe cuſtodierit. MORALITER. Humanum quippe ſpiritum ſuperna viſitatio cuſtodit, cum hunc virtutibus dilatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non deſinit. Sequitur.

13. *Licet hæc celes in corde tuo, tamen ſcio quia vniuerſorum memineris.* Ac ſi aperte dicat. Cur de me trepido, qui & vniuerſas gentes colligas, ſcio. Quod tamen in corde celas, quia hoc adhuc aperto ſermone non indicas. Sed quia vniuerſorum reminiſceris, me proculdubio de venia certum facis. Sequitur.

14. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me non pateris?* Ad horam Dominus peccato parcit,
D cum reatum culpæ conceſſis fletibus diluit. Sed ab iniquitate noſtra mundos nos eſſe nõ patitur, quia volentes culpam fecimus, ſed nonnunquam nolentes eius memoriam cum delectatione toleramus. *Computruerunt & deteriorate*
Pſal. 37. 6. *runt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Ac ſi aperte dicat. Si culpam venia abſtulit, cur & à memoria non detergit? Sequitur.

15. *Et ſi impius fuero, væ mihi eſt, & ſi iuſtus, non leuabo caput.* Impius namque væ habet, iuſtus miſeriam, quia æterna damnatio reprobum ſequitur, & electus quiſque doloribus tranſitoriæ aduerſitatis expiatur. Impius caput leuat, ſed elatus euadere væ quod ſequitur, non valet. Iuſtus laboris ſui certamine afflictus, caput leuare non ſinitur, ſed preſſus à perpetua afflictione liberatur. Ac ſi ergo aperte deploret, dicens. Aut ſubſtratus carnis deſiderijs, ſupplicio æterno ſubijcior, aut repugnans illicitis motibus pœna præſenti

16. crucior. Sequitur. *Et propter ſuperbiam, quaſi leænam capies me.* Leæna cum eſcam catulis exquirit, ſubito in foueam captionis cadit. Sic nimirum humana mens capta eſt, quæ in libertate arbitrij condita deſideria carnis nutrire appetijt, quaſi leæna catulis eſcam quæſiuit, atque in captionis ſuæ

E foueam cecidit, quæ ſuadente hoſte ad cibum prohibitum manum tetendit. Quaſi leæna ergo captus eſt per ſuperbiam, quia inde hunc diſciplina ſuæ correptionis deprimit, vnde tranſgreſſionem præcepti non timens, audacter ſaltum in foueam dedit. Dumque etiam quiſque noſtrum per culpam aliquid appetit, quid aliud quam prædã in foueam concupiſcit? Quem tamen ſuperna miſeratio captum à fouea euehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Qui dum virtute extollitur, lapſus ad deſideria in humilitate religatur. Sequitur. *Reuerſuſq; mirabiliter me crucias.* Cum auctorem relinquimus, nec ipſa vllatenus deſtitutionis damna ſentimus. Quo enim nos longe cõditor deſerit, eo mens noſtra inſenſibilibus obdureſcit. At ſi afflatu ſancti Spiritus tangitur, ad conſiderationem protinus euigilat, in cœleſtiũ inquiſitione ſe excutit, amoris ſummi æſtibus inardeſcit: quia omnipotens Deus vnde mentem noſtram viſitans ad amorem ſuum erigit, inde
F hanc per lachrymas grauius affligit. Et dum perlata mens ad ſumma rapitur, compunctionis ſuæ pœnam gaudens miratur. Sequitur.

Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ militant aduerſum me. Teſtes enim Dei ſunt, qui per exercitium boni operis teſtantur quæ electos ſecutura ſint præmia veritatis. Vnde hos quoq; quos pro veritate paſſos agnoſcimus, Græco eloquio Martyres, id eſt, teſtes vocamus. Teſtes quippe ſuos contra nos Dominus inſtaurat, cum electorum vitam prauitati noſtræ ad arguendos nos inſtruendoſque multiplicat, vt qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur. Sequitur. *Et multiplicas iram tuam.* Eo multiplicari ira Dei dicitur quo eſſe multiplex indicatur, quia ex ea nunc bonorum vita & labore cognoſcimus, ſi emendari dum tempus eſt nolumus, quanta poſt animaduerſione feriamur. Electos quippe Dei cernimus & pia agere, & crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur diſtrictus iudex quanta illic feriat diſtrictione quos reprobat, ſi hic cruciat quos amat, Petro atteſtan- 17.

G te, qui ait. *Tempus eſt vt iudicium incipiat de domo Dei.* Si autem
1. Pet. 4. 17. primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelium? Sequitur. *Et pœnæ militant in me.* Conſideratis quippe Dei teſtibus, pœnæ in nobis militant, quia dum miranda illorum facta conſpicimus, vitam noſtram quæ ex eorum comparatione nobis diſplicet, ſtudioſa afflictione cruciamus, vt quicquid in nobis polluerunt opera, diluant lamenta. Sequitur.

18. *Quare de vulua eduxiſti me? Qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret.* Qui nimirum prima oratione iam protulit
19. dicens, *Quare non in vulua mortuus ſum,* qui hoc quoque quod hic adijcit ſubdens. *Fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero translatus ad tumulum,* illic verbis alijs non aliter adiungit dicens. *Sicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui con-*
Iob 3. 16. *cepti non viderunt lucem.* Quia vero hæc ſuperius lata digeſſimus, pro vitando lectoris faſtidio expoſita replicare deuitamus. Sequitur.

20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?* Cautũ
H ſe ac ſollicitum viuere oſtendit, qui breuitatem præſentis vitæ conſiderans, non eius vſum, ſed terminum conſpicit, vt ex fine colligat nihil eſſe quod tranſiens delectat. Hinc namque per Salomonem dicitur. *Si multis annis vixerit ho-*
Eccleſ. 11. 8. *mo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguuntur præterita.* Sequitur. *Dimitte ergo me vt plangam paululũ dolorem meum.* Ac ſi aperte dicat. Flagella tuæ percuſſionis tempora vt moderatis doloribus æſtimare mala quæ patior flendo conualeſcam. Sicut enim moderata afflictio lachrymas exprimit, ita immoderata ſubducit, quia mœror ipſe quaſi ſine mœrore fit, qui afflicti mentem deuorans ſenſum doloris tollit. Flere dolorem ſuum non valet, qui prauæ quidem conſuetudini contraire nititur, ſed tamen adhuc ſubcreſcentibus deſiderijs carnis grauatur, quia niſi à reatu culpæ nos ligauerimus miſericorditer dimittamur, perfecte flere non poſſumus hoc, quod in nobis ipſis contra noſmetipſos dolemus. Sequitur.

21. *Antequam vadam ad terram tenebroſam & opertam caligine mortis.* Quid .n. terræ tenebroſæ nomine, niſi terræ tartari

A claustra ſignantur? Quam æternæ mortis caligo operit,
quia damnatos quoſque in perpetuum à vitæ luce diſiun-
git? Nec immerito infernus terra dicitur, quia quique ab
eo capti fuerint, ſtabiliter tenentur. Scriptum quippe eſt.
Eccleſ.1.4. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum*
ſtat. Non quia ad terram tenebroſam qui culpam deflet,
ituruſ eſt; ſed quia ad hanc proculdubio qui plangere ne-
gligit, vadit. Subditur. *Non reuertar.* Quia nunquam vltra
miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœna-
libus iuſtitia iudicandi damnat. Sequitur.
25. *Terra miſeriæ & tenebrarum.* Miſeria ad dolorem, tenebræ
ad cæcitatem. Ea ergo quæ à conſpectu diſtricti iudicis ex-
pulſos tenet, miſeriæ & tenebrarum terra perhibetur, quia
foris dolor cruciat, quos diuiſos à vero intus cæcitas ob-
ſcurat lumine. Quamuis miſeriæ & tenebrarum terra &
aliter intelligi poteſt. Nam hæc quoque terra in qua na-
ſcimur, eſt quidem miſeriæ, ſed tenebrarum non eſt, quia
B multa hic corruptionis noſtræ patimur, ſed tamen adhuc
in ea per conuerſionis gratiam ad lucem redimus, Veritate
Ioan.12.35. ſuadente, quæ ait. *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ*
comprehendant. Illa vero ſimul miſeriæ & tenebrarum terra
eſt, quia quiſquis ad toleranda eius mala deſcenderit, ne-
quaquam vlterius ad lucem redit. Sequitur. *Vbi vmbra mor-*
tis & nullus ordo. Sicut mors exterior ab anima diuidit car-
nem, ita mors interior à Deo ſeparat animam. Vmbra ergo
mortis eſt, obſcuritas diuiſionis, quia damnatus quiſque
cum æterno ſuccenditur igne, ab interno lumine tene-
bratur. Natura vero ignis eſt, vt à ſeipſo & lucem exhibeat,
& concremationem. Sed tranſgreſſorum illa vltrix flam-
ma concremationem habet, & lumen non habet. Hinc
Matt.25.41 enim eſt quod de reprobis Veritas dicit. *Diſcedite à me ma-*
ledicti in ignem æternum, & reliqua. Hinc etiam per Pſalmi-
Pſal. 57.9. ſtam dicitur. *Super cecidit ignis, & non viderunt Solem.* Mi-
rum vero eſt valde quod dicitur, *vbi nullus ordo.* Neq; enim
omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata eſſe
* finit. vllo modo vel tormenta ſunt*. Quomodo namq; in ſup-
plicijs ordo non erit, dum damnatum quemq; iuxta
C modum criminis, & retributio ſequitur vltionis? Hinc
Sap.6.7. quippe ſcriptum eſt. *Potentes potenter tormenta patientur,* &
fortioribus fortior inſtat cruciatio. Sed ſanctus vir poſt
vmbram mortis intulit, quanta ſit confuſio in damnato-
rum mente ſubiungit, quia ipſa quoque ſupplicia quæ
ordinata per iuſtitiam veniunt, ordinata proculdubio in
corde morientium non ſunt. Repulſis ergo in ſupplicijs
ordo non erit, quia in eorum morte atrocius ipſa confuſio
mentis ſæuit. Quanta enim mira potentia iudicantis æqui-
tas ordinat, vt pœna animum quaſi inordinata confun-
dat. Vel certe abeſſe ordo ſupplicijs dicitur, quia quibus-
libet rebus in pœnam ſurgentibus propria qualitas non
ſeruatur. Sequitur. *Et ſempiternus horror inhabitans.* In huius
vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non
habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati
cœperit iam quod metuebat. Infernum vero & vmbra
mortis obſcurat, *& ſempiternus horror inhabitat,* quia eius
ignibus traditi, & in ſupplicijs dolorem ſentiunt, & in do-
loris anguſtia pulſanti ſe ſemper pauore feriuntur, vt &
D quod timent, tolerent, & rurſus quod tolerant, ſine ceſſa-
Marc.9.48. tione pertimeſcant. De his etenim ſcriptum eſt. *Vermis eo-*
rum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quia ergo &
mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, ſed nullate-
nus pauorem fugat, flamma comburit, ſed nequaquam
tenebras diſcutit, quantum per notitiam præſentis vitæ
colligitur, ſupplicia ordinem non habent, quæ non ſuam
per omnia qualitatem tenent. Quamuis illic ignis & ad
conſolationem non lucet, & tamen magis torqueat, ad ali-
quid lucet. Nam ſequaces quoſque ſuos ſecum in tor-
mento reprobi flamma illuſtrante viſuri ſunt, quorum
amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter
contra præcepta conditoris amauerunt, ipſorum quoque
eos interitus in augmento ſuæ damnationis affligat. Quod
profecto Euangelio teſte collegimus, in quo Veritate nun-
tiante diues ille quem contigit ad incendij æterni tormen-
ta deſcendere, quinque fratrum deſcribitur meminiſſe.
Sicut ergo cœleſtis ignis ardere nouit ad ſolatium puero-
rum vt vincula incenderet, & tamen ardere ad ſupplicium
neſcit; vt veſtimenta incenderet, ita è diuerſo gehennæ E
flamma reprobis, & nequaquam lucet ad conſolationis
gratiam, & tamen lucet ad pœnam, vt damnatorum ocu-
lis ignis ſupplicij & nulla claritate candeat, & ad doloris
cumulum dilecti qualiter crucientur, oſtendat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER X.

RESpondens autem Sophar Naamatites, dixit. *Num-* CAP. XI.
quid qui multa loquitur, non audiet? Et vir verbo- 1.
ſus iuſtificatur? Mos eſſe procacium ſolet, vt 2.
recte dictis è diuerſo ſemper reſpondeant,
ne ſi ad prolata conſentiant inferiores eſſe F
videantur. Quibus iuſtorum verba, quamlibet* facta ſo- *alet f.
nuerint,* multa ſunt, quia quorum vitia ſeſecant, audi- *muta.
tum grauant. Vnde & ad crimen trahitur, hoc quod recta
prædicatio contra crimina profertur. Nec fallacem qui-
dem Sophar ſententiam protulit, quod vir verboſus iuſti-
ficari nequaquam poſſit, quia dum quiſque per verba de-
fluit, perdita grauitate ſilentij, mentis* amittit. Hinc quip- *Deeſt hic ſubſtantiuum aliquod nomen.
pe ſcriptum eſt. *Cultus iuſtitiæ ſilentium.* Hinc Salomon ait. Eſa.32.17.
Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir qui non po- Prou.25.28
teſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Sed virtus veræ ſcien-
tiæ perditur, quæ ſub diſcretionis cuſtodia non profertur.
Sequitur.
Tibi ſoli tacebunt homines, & cum cæteros irriſeris, à nullo con- 3.
futaberis? Imperita mens, vt diximus, veritatis ſententias
grauiter tolerat, & ſilentium pœnam putat. Ferre vocem
non valet, quia tenta in vulnere ſui reatus dolet, vnde
mox ſe ad defenſionem præparat, vt reatus ſui verecun-
diam per verba prauæ refutationis tegat. Peruerſi enim
correctionis vocem, contumeliam deriſionis putant. Se- G
quitur.
Dixiſti enim, purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu 4.
tuo. Quomodo enim B. Iob ſe mundum dicere potuit, qui
ait? *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Sic habet Iob 4.20.
hoc prauorum malitia, vt cum vera in ſe flere mala renuit,
fingat aliena. Nam quaſi ſolatio facinoris vtitur, ſi falſis
vocibus & vita corripientis inquinetur. Sequitur.
Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi. 5.
Ipſe quippe homo ſibi loquitur, cum per hoc quod ſentit
nequaquam diuinitatis ſpiritu à carnalis prudentiæ intel-
lectu ſeparatur. Vnde & adhuc Petro hoc terrena ſapienti
Veritas dicit. *Non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Cui Matt 16.23
tamen recta confitenti dicitur. *Caro & ſanguis non reuelauit* Matt.16.17
tibi, & reliqua. Quid autem Dei labia, niſi iudicia eius ac-
cipimus? Labia itaque ſua Deus aperit, cum voluntatem
ſuam hominibus per aperta iudicia oſtendit. Quaſi enim
reſerato ore loquitur, cum remota obſcuritate diſpoſitio-
nis intimæ tenuit occultare quod vult. Nam velut clauſis
labijs ſenſum nobis ſuum non indicat, cum occulta iudi- H
cia cur quid faciat celat. Ac ſi ergo patenter diceret. Im-
peritiæ tuæ potius quam pœnæ compatior, quia ſola
carnis prudentia præditum, à veritatis te ſpiritu vacuum
agnoſco. Si enim Dei occulta iudicia cognoſceres, tam
procaces contra illum ſententias non ſumeres. Sequi-
tur.
Et oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex ſit lex eius. 6.
Publica ſapientiæ ſuperna ſunt opera, cum omnipotens
Deus regit quos creat, perficit bona quæ inchoat, & aſpi-
rando adiuuat quos viſitationis ſuæ lumine illuſtrat. Se-
creta vero ſapientiæ ſuperna ſunt opera, cum Dominus
quos creauit deſerit, cum bona quæ prouenìendo cœpe-
rat, nequaquam proſequendo conſummat, cum dona
quæ contulit minime cuſtodit. Ad hæc ſe Paulus ſapien-
tiæ illius ſecreta tetenderat cum dicebat. *O altitudo diuitia-* Rom.11.33.
rum ſapientiæ Dei, & reliqua. Sequitur. *Et quod multiplex ſit lex*
eius. Quid hoc loco Dei lex accipi, niſi charitas debet? per
quam ſemper leguntur in mente præcepta vitæ qualiter in

A ctione teorantur. De hac etenim lege veritatis voce di-
Ioan. 15. 12. citur. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* De hac Pau-
Rom. 13. 10. lus ait. *Plenitudo legis dilectio.* Sed hæc eadem lex multiplex
dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta vir-
tutum facta dilatatur. Quæ à duobus quidem præceptis
incipit, sed se ad innumerabilia extendit. Huius namq; le-
gis initium, dilectio est Dei, ac dilectio proximi. Sed Dei
dilectio per tria distinguitur, proximi autem ad duo præ-
cepta deriuatur. Sed hæc nimirum duo dum sollicita co-
gitantur intentione, cor ad innumera virtutum mysteria
tendunt, ne vel ad inferenda quæ non debet, desideriis in-
quieta mens ferueat, vel erga exhibenda quæ debet, otio
1. Cor. 13. 4. resoluta torpescat. Huius nimirum legis multiplicitatem
bene Paulus enumerat dicens. *Charitas patiens est, benigna est,*
non æmulatur, non inflatur, & reliqua. Sequitur. *Et intelligeres*
quod multum minora exigaris à Deo, quam meretur iniquitas tua.
Dolor quippe flagello temperatur, cum culpa cognosci-
tur. Si autem culpas perpendimus, profectò æquanimiter
B flagella toleramus, nec ex dolore ad impatientiam pro-
ruit, cum suo iudicio conscientia addicis. Sed Sophar sci-
ens quid diceret, sed cui diceret nesciens, non sine magna
iniquitate fuit, qui virum iustum vsque ad obiectionem
iniquitatis increpauit. Quanquam enim Sophar iniquum
vocet, quem superna sententia laudauerat, non tamen à
venia reprobatus excluditur, quia ad verba contumeliæ, di-
uini amoris zelo promouetur. Citius enim culpa dimitti-
tur, quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur. Sequi-
tur.
7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsq; ad perfectum, omni-*
potentem reperies? Quid Dei vestigia, nisi benignitatem illius
visitationis vocat? Quibus omnium progredi ad superna
prouocamur, cùm eius spiritus afflatu tangimur, & extra car-
nis angustias, subleuati per amorem, agnoscimus auctoris
nostri contemplandam speciem quam sequamur. Nam cù
mentem nostram spiritualis patriæ amor inflammat, quasi
sequentibus iter insinuat. Quæ enim necdum cernimus,
restat necesse est, vt vestigia sui amoris indagemus, quaten⁹
C. vsq; ad contemplationis speciem quandoq; mens veniat,
quem nunc quasi tergo subsequens per sancta desideria
Psal. 62. 9. explorat. Hinc Psal. ait. *Adhæsit anima mea post te.* Tunc quip-
pe manifestè omnipotens reperitur, cum mortalitatis no-
stræ funditus corruptione calcata, ab assumptis nobis in
diuinitatis suæ claritate conspicitur. Nunc autem à carnali
cogitatione animum infusi spiritus gratia subleuat, & in
contemptum rerum prætereuntium exaltat. Incircumscri-
pti luminis iubar intueri conatur, & non valet, quod infir-
mitate pressus animus, & nequaquam penetrat, & tamen
repulsus amat. Sequitur.
8. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde co-*
9. *gnosces? longior terra mensura eius, & latior mari.* Hæc quidem
tanto spiritualiter debent intelligi, quanto de Deo quic-
quam nefas est iuxta corporea lineamenta sentiri. Sed *cælo*
est celsior, quia incircumscriptione sui spiritus cuncta tran-
scendit. *Inferno profundior*, quia transcendendo subuehit.
Terra longior, quia creaturæ modum perennitate suæ æter-
D nitatis excedit. *Mari latior*, quia rerum temporaliū fluctus
sic regens possidet, vt hos sub omnimoda potentiæ suæ
præsentia coangustando circumdet. Possunt & cæli appel-
latione, Angeli; & inferni vocabulo dæmonia designari:
per terram verò, iusti homines, per mare autem peccatores
intelligi. *Excelsior* itaque *cælo est*, quia ipsi quoq; electi spiri-
tus, visionem tantæ celsitudinis perfectè non penetrant.
Profundior inferno est, quia malignorum spirituum astutias
longe subtilius quam ipsi putauerunt, iudicans damnat.
Terra longior. Quia longanimitatem nostram, patientia di-
uinæ longanimitatis exuperat. *Mari latior*. Quia vbiq; facta
peccantium retributionis suæ virtute damnat. Cui⁹ bene
potentiam egregius nobis doctor insinuat, cum breuiter
narrat. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit lati-*
tudo, longitudo, sublimitas & profundum. Habet quippe Deus
latitudinem, quia & in dilectione sua vsq; ad collectionem
persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ
patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sub-
limitatem, quia ipsum quoq; intelligentiam qui recepti
fuerint, in superna congregatione transcendit. Habet pro-
fundum, quia damnatis inferius districtionis suæ iudiciū E
incomprehensibiliter exercet. Ac si ergo despecto diceretur.
Profunditatem eius atq; excellentiam quanto tu cogno-
scere sufficis, qui vel virtute ad summa eueht, vel temet-
ipsum reprehendere in tentationibus nescit. Sequitur.
Si subuerterit omnia, vel in vnum coartauerit, quis contradicet 10.
ei? Vel quis dicere ei potest, cur ita facis? Subuertit Dominus cæ-
lum, cum terribili & occulta dispensatione, humanæ con-
templationis celsitudinem destruit. Subuertit infernum,
cum cuiuslibet mentem in suis tentationibus pauidam,
cadere etiam ad deteriora permittit. Subuertit terrā; cum
fructificationem boni operis aduersis irruentibus interci-
dit. Subuertit mare, cum fluctuationem nostræ turbatio-
nis immergenti subito pauore confodit. Cælum etiam si-
mul infernusq; coartatur, cum vnam eandemq; mentem,
& subleuatio contemplationis illuminat, & importunitas
tentationis obscurat. De cælo quippe lux oritur, infernus
autem tenebris possidetur. In vnum etiam terra mareque F
coartatur, cum vnam eandemq; & certitudo solidæ fidei
roborat, & tamen ex aliquantula mutabilitate perfidię au-
ra dubietatis versat. Hinc quidem ait. *Credo Domine adiuua*
infidelitatem meam. Diuinum quippe iudicium nec ad-
uersitate valet imminui, nec inq̃sitione agnosci. Sequitur.
Ipse enim nouit hominū vanitatem, & videns iniquitatem nonne con- 11.
siderat? Vana namque agimus, quoties transitoria cogita-
mus. Vnde euanescere dicitur, quod repente ab intuentiū
oculis aufertur. Hinc Psalm. ait. *Vniuersa vanitas omnis homo* Psal. 38. 6.
viuens. Apte autem post vanitatem, protinus iniquitas ad-
iungitur, quia dum per quædam transitoria ducimur, in
quibusdam noxie ligamur. Cumq; mens incommutabili-
tatis statum non tenet, à semetipsa defluens ad vitia pro-
rumpit. Potest ergo & vanitas culpa intelligi, & iniquitatis
nomine reatus grauior demonstrari. Si enim aliquando
vanitas culpa non esset, Psalm. non diceret. *Quanquam in* Psal. 38. 7.
imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Ex vanita-
te ergo, vt superius dictum est, ad iniquitatem ducimur, cū
prius ad leuia delicta defluimus, & vsu cuncta leuigante,
nequaquam post committere etiam grauiora timemus. G
Hinc Salomon ait. *Qui modica spernit, paulatim decidit.* Si e- Eccle. 19. 1.
nim curare parua negligimus, insensibiliter seducti, au-
denter etiam maiora perpetramus. Et notandum quod
non videri, sed considerari dicitur. Deus itaq; vanitatem
hominum nouit, iniquitatem considerat, quia nec mino-
ra delicta multa deserit, & ad maiora ferienda se intentius
accingit. Sequitur.
Vir vanus in superbiam erigitur. Vanitatis quippe finis est, 12.
vt cum peccato mentem sauciat, hanc ex culpa audacem
reddat, quatenus sui reatus oblita, quæ amissæ innocen-
tiam non dolet, iusto excæcata iudicio simul & humilita-
tem perdat. Sequitur. *Et quasi pullum onagri se liberum natum*
putat. Per pullum quippe onagri omne agrestium genus
exprimitur. Agri namque animalia in libertate habent, &
ire quo appetunt, & quiescere cum lassantur. Hoc tamen
plerumq; homini non licet, quod brutis animalibus licet.
Qui ergo implere cuncta quæ desiderat, per effrenatam li-
bertatem quærit, quid aliud quam pullo onagri similis es- H
se concupiscit; vt disciplinę hunc lora non teneant, sed au-
denter vagus per siluam desideriorum currat? Restat ergo
vt si esse tam similes pullo onagri nolumus, in cunctis quæ
appetimus totum prius internæ dispensationis exquira-
mus. Sequitur.
Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas. 13.
Firmari cor non hoc per virtutem dicitur, sed per insensi-
bilitatem, quisquis autem pertinacia insensibilitatis obdu-
rescit, quasi confirmat, ne hoc iaculis superni timoris con-
fodiant. Vnde quibusdam per Prophetam Dominus di-
cit. *Tollam à vobis cor lapideum, & dabo vobis carneum.* Per ma-
nus opera designantur. Cum culpa igitur manus ad Deum
expandere est, contra largitoris gratiam, de virtute ope-
rum superbire. Qui in conspectu diuini iudicis loquens si-
bi bona quæ facit tribuit, ad Deum manus superbiens ten-
dit. Sic profectò contra electos reprobi, sic contra Catho-
licos hæretici effrenantur, quatenus eos quos redarguere
ex infirmitate actionis non valent, ex crimine tumoris ac-
cusent. Sequitur.

A 14. 15. *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula.* Omne peccatũ aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul & opere. Iniquitas ergo in manu est, culpa in opere. Iniustitia vero in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe nostra tabernaculũ non incongrue vocatur, in qua apud nosmetipsos abscondimur, cũ foris in opere non videmur. Prius enim iniquitatem à manu subst[illegible], & post à tabernaculo ammonet iniustitiam abscidi, quia quisquis iam praua à se opera exterius resecat, necesse profecto est, vt ad semetipsum rediens solerter intentionis intentione sese discernat, ne culpa quam iam in actione nõ habet, adhuc in cogitatione perduret. Hinc Salomon ait. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domũ tuam.* (Prou. 24. 27) Quod si perfecte hæc duo tergimus, ad Deum statim sine macula faciem leuamus. Interna quippe facies hominis mens est. In qua nimirũ recognoscimus, vt ab auctore nostro diligamur. Quam scilicet B faciem leuare est in Deo animum per studia orationis attollere. Sed eleuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sua conscientia accusat. Quæ ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus necdũ deuictæ culpæ memoria inuidetur. Hinc per Ioannem dicitur. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, ab eo accipiemus.* (1. Ioan. 3. 21. 22.) Hinc Salomon ait. *Qui auertit aurem suam ne audiat legem,* & reliqua. (Prou. 28. 9.) Vt ergo ad precem facies sine macula leuetur ante orationis tempora, semper debet sollicite conspici, quicquid potest in oratione reprobari, & tunc etiam vere sine macula faciem leuamus, cum nec prohibita mala nos committimus, nec quæ nobis commissa sunt, ex proprio zelo retinemus. Sequitur. *Et eris stabilis, & non timebis.* Tanto nimirum minus quisque ante iudicem trepidat, quanto in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem seruat, quia dum sollicitus studet peragere quod mansuete conditor imperat, securus cogitat etiam quod terribiliter intendat. Sequitur.

C 16. *Miseriæ quoque oblitus eris, & quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.* Ac si aperte dicat. Si degustas gaudiũ quod intus permanet, leue fit protin* omne quod foris dolet. Mala quippe vitæ præsentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonũ quod sequitur, negligit. Ac si semel quisque se ad æterna erigat, prope nihil esse hic conspicit quicquid ad finem currit. Præsentis vitæ aduersa tolerat, & quasi nihil esse omne quod labitur, pensat. Bene autem præsentis vitæ miserias aquis prætereuntibus comparat, quia calamitas transiens electi mentem nequaquam concussione subruit, sed tamen tactu* mœroris infundit. (*doloris.) Nam minatur quidem per eruptem vulneris, & à suæ certitudine non frangitur saluus. Sequitur.

17. *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.* Fulgor quippe meridianus est in vespere, virtutis renouatio in tentatione, vt repentino charitatis feruore mens vigeat, quæ iam lumen sibi gratiæ occubuisse formidabat. Sequitur. *Et cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.* Sæpe namque tot tentamenta obsistunt, vt ipsa nos eorum numerositas pene D ad lapsum desperationis inclinet. Sed mœroris nostri caliginem conditor conspicit, & subtracti luminis radios infundit, ita vt recta protinus per dona mẽs vigeat, quã paulo ante decertantia vitia superbiæ calce deprimebant. Iustus ergo cum se consumptum putauerit, vt lucifer oritur, qui mox vt tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ resurmatur, & in seipso demonstrat diem iustitiæ, qui casurus paulo ante timuit noctem culpæ. Recte autem Lucifero iusti vita comparatur. Solem quippe præcurrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis Sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorum namque admiratione conspicimus, quid de maiestate veri luminis æstimemus. Aliter. Peccatoris enim lumen in die est, obscuritas in vespere, quia in præsenti vita fœlicitate attollitur, sed aduersitatis tenebris in fine debacchatur. Iusto autem meridianus fulgor ad vesperũ surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cum iam lumen occumbere cœperit, agnoscit. Hinc namque scriptum est. *Timenti Dominum bene erit in extremis.* (Eccli. 1. 13.) Et Psalmista. *Cum dederit dilectis suis somnũ ecce hæreditas Domini.* (Psal. 126. 3.) Quia huius quoque vitæ adhuc certamine positus, cum se consumptum putauerit, vt Lucifer oritur, quia foris cadens intus innouatur, & quo magis exterius aduersa tolerat, eo verius virtutum lumine interius coruscat, Paulo attestante, qui ait. *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* (2. Cor. 4. 16.) Sequitur.

E 18. *Et habebis fiduciam propositam tibi spem.* Tanto namque spes in Deum solidior surgit, quanto quisque pro illo grauiora pertulerit; quia nequaquam retributionis gaudiũ de æternitate colligitur, quod non hic prius per tribulatione seminatur. Hinc per Psalmistam dicitur. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* (Psal. 125. 6.) Hinc Paulus ait. *Si commorimur, & conuiuemus, si sustinemus & conregnabimus.* (2. Tim. 2. 12.) Tanto ergo maior fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Sequitur. *Et defossus securus dormies.* Sicut enim malis præsens securitas laborem, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. F Defossum se securũ dormire posse iam nouerat, qui dicebat. *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui,* & reliqua. (2. Tim. 4. 6.) Aliter. Rebus namque transitorijs occupati pensare negligimus, per quanta pensamus. Sed si reducto considerationis culto, vomere ager excutitur, quicquid in mente latebat inuenitur. Effossi ergo dormiunt, quia dum sua intima vigilanter penetrant, à laboriosis mundi oneribus sub quietis otio occultantur. Sequitur.

19. *Requiesces, & non erit qui te exterreat.* Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit; at cõtra quisquis in populo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec aduersitate quassatur. Dum nil habet in mundo quod appetat, nil est quod in mundo pertimescat. Hinc etenim Salomon ait. *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.* (Prou. 12. 21.) Et rursum. *Iustus quasi leo absque terrore erit.* (Prou. 28. 1.) Sequitur. *Et deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Neque enim iusti viri idcirco per bono orientium munera arcta custodiunt, vt ab alijs exorentur. G Sed siue hæretici seu peruersi quilibet per hoc quod inter homines quasi innocenter viuunt, videri pro hominibus intercessores volunt, & cum sancta insinuant loquentes quod ipsi appetunt, hoc alijs pro magno pollicentur. Sequitur.

20. *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.* Quod oculorum nomine vis intentionis exprimitur per Euangelium Veritas dicit. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* (Matt. 6.) Oculi ergo impiorum sunt intentiones in eis carnalium desideriorum. Qui idcirco deficiunt quia æterna negligunt, & sola semper transitoria præstolantur. Carnis vita per momenta deficit, & tamen carnale desiderium crescit. Quorum scilicet oculi tunc superna visione deficiunt, quia suo iudicio à terrena hic deficere delectatione noluerunt. Hinc Psalmista ait. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* (Psal. 145. 4.) A quibus & omne effugium perit, quia eorum malitia ab animaduersione districti iudicis quo se occultare valeat, non inuenit. H Nam nunc tot hic habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque eis effugium perit, quia eorum mens amissis omnibus se solummodo, & iudicem conspicit. Sequitur. *Et spes eorum abominatio animæ.* Quid hic peccator totis cogitationibus sperat, nisi vt potestate cæteros transeat? Cunctis rerum multiplicitate obsequentibus mirandus innotescat? Bene ergo spes eorum abominatio dicitur animæ, quia ea quæ carnales ambiunt, spiritales quique iudicio rectitudinis aduersantur. Nam quod peccatores voluptatem æstimant, hoc iusti procul dubio pœnam putant. Vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. Spes itaque carnalium abominatio dicitur, quia inde in perpetuum spiritus moritur, vnde ad tempus caro suauiter viuit. Sequitur.

CAP. XII. 1. 2. *Respondens autem Iob, dixit. Ergo vos estis soli homines, & vobiscum orietur sapientia?* Quisquis se præ omnes ratione æstimet, quid iste aliud quam solum esse se hominem exultat? Et sæpe contingit vt cum per tumorem mens in altum ducitur, in despectum hominum, & sui admiratione sublevatur. In cogitatione etenim proprij fauoris oritur

A scientia, sibique de singularitate sapientiæ blanditur. Qui ergo solum se sapere æstimat, quid aliud quam hanc eandem secum oriri sapientiam putat? Sequitur.

3. *Et mihi est cor sicut & vobis, nec inferior vestri sum.* Vt amicorum superbiam beatus Iob corrigat, esse se superiorem tacet. Nec præferendo se, sed conferendo indicat, quod de se ij qui sibi longe sunt impares discant. Sequitur. *Quis enim hæc quæ nostis ignorat?* Ac si aperte dicat. Cum cunctis sint nota quæ dicitis, de doctorum scientia singulariter tumetis? Sequitur.

4. *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit dominum, & exaudiet eum.* Sæpe infirma mens cum de bonis actibus cura humani fauoris excipitur, ad gaudia exteriora deriuatur. Cumque laudis suæ vocibus inhiat, quod esse cœperat, relinquit. Inde ergo à Deo disiungitur, vnde in Deo laudanda videbatur. Nonnunquam vero recto operi animus constanter innititur, & tamen humanis irrisionibus vrgetur, & eo seipsum robustius in Deo solidat, quo foris non B inuenit quo requiescat, fitq; Deo tanto proximus, quanto & à gratia humani fauoris alienus. In precem protinus funditur, & pressus exterius ad penetranda quæ intus sunt mundius loquitur. Quædam compuncta sese in precibus accingit, inde intra se supernę exauditioni iungitur. Vnde extra se ab humana laude separatur. Notandum vero, quam prouide interponitur *sicut ego.* Quia sunt nonnulli quos & humanæ irrisiones deprimunt, & tamen diuinis auribus exaudibiles non sunt. Hinc Elias quibusdam dicebat. *Clamate voce maiori. Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est.* Sed illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis prauitatibus vitæ innocētia seruat alienum. Sequitur. *Deridetur enim iusti simplicitas.* Huius mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera, fallacia demonstrare. At contra iustorū sapientia est, nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt, demonstrare, falsa deuitare, gratis bona exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam de iniuria vltionem C quærere, pro veritate contumeliam pati lucrum putare. Sed hęc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huiusmodi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum putatur. Sequitur.

3. Reg. 18. 27.

5. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum.* Quid hoc loco significatur nomine diuitum, nisi elatio superborum? Qui venturum iudicis aspectū non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument. Quoscumque itaque sequentis vitæ amor non humiliat, hoc in loco sacer sermo diuites appellat, quia in iudicij quique vltione non discrepant, vtrum an solis moribus intumescant. Bene itaq; iusti simplicitas & *Lampas* esse dicitur, & *contempta.* Lampas, quia interius lucet: contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lampas ergo contempta iustus est, quia superbi quiq; dum pensare bona sequentia nequeunt, pene nil æstimant quos non vident habere quod amant. Lampas ergo Dauid per innocentiam lucebat, sed tamen valde contempta, D quia exterioribus cernentibus non lucebat. Quid igitur Paulus, nisi contempta lampas apud diuitum congregationes fuit? de quo dicebant. *Epistolæ graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Sequitur. *Parata ad tempus statutum.* Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est extremi iudicij prædestinatus dies, quo iustus quisque qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur. Tunc enim cum Deo iudices venient, qui nūc pro Deo iniuste iudicantur. Vnde electis suis Veritas dicit. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione,* & reliqua. MYSTICE. Lampas nobis etiam Redemptor noster exstitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens tenebrosis nostris mētibus lucem per lignum fudit. Hinc scriptum est. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem,* & reliqus. Quem tamen apud cogitationes diuitum contemptum vidit Euangelista, cum diceret. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Et rursum. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit.* Quæ in tempore parata, de quo scriptum est. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Lampas ergo quæ nunc conte-

2. Cor. 10. 10.

Mat. 19. 28.

Ioan. 1. 9.

Ioan. 1. 11.

[illegible] 23. 11.

Psal. 74. 3.

mnitur, ad statutum tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die vltima iudicat, qui nunc peccantium derisiones portat. Hinc Propheta ait. *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* E

Psal. 4: 14.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XI.



Bundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum. Quia plerumque mali eo magis contra Deum superbiunt, quo ab eius largitate, & contra meritum ditantur, & qui prouocari, bonis ad meliora debuerunt, donis peiores fiunt. Sed intelligendum est nobis, quomodo prædones appellentur, dum protinus addatur, *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Si enim prædones sunt, violenter abstulerunt. Et dubium non est, quia violentorum non sit adiutor Deus. Quomodo igitur ipse dat, quod hi qui prædones sunt nequiter tollunt? Sed sciendum est, quia aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus habere sinit. Nam quod peruerse prædones faciunt, hoc dispositor æquissimus fieri, nonnisi iuste permittit, vt & is qui rapere sinitur, cæcatus mente culpam augeat, & is qui rapinam patitur, iam in eiusdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetrauit culpa feriatur. Quod tamen intelligi de rebus quoque spiritalibus potest. Nam plerumque nonnulli doctrinæ dona percipiunt, sed ex eisdem donis intumescunt, & magni præ cæteris videri volunt. Atque omnipotētem Deum prouocare est, de eius donis inter proximos superbire. Qui etiam prædones non immerito vocantur, quia dum loquuntur quę non faciunt, in vsu locutionis suæ verba iustorum tollunt. Sequitur.

Cap. XII. 6.

F

G

8. *Nimirum interroga iumenta & docebunt te, volatilia cæli & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Quid per iumenta nisi sensus pigriores? Quid per cœli volatilia, nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus? De iumentis namque, id est, sensu pigrioribus scriptum est. *Animalia tua inhabitabunt in ea.* Et quia sublimia sapientes in verbis nostri Redemptoris euolant, scriptum est. *Ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Quid vero per terram, nisi terrena sapientes? Vnde & primo homini cœlestia deserenti dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Quid per pisces maris nisi curiosos huius sæculi debemus accipere? de quibus Psalmista ait. *Pisces maris qui perambulant semitas maris.* Qui in magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta hæc inquisita doceant, adiungit dicens.

Psal. 67. 11

Matt. 13. 32

Gen. 3. 19.

Psal. 8. 9.

9. *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Ac si aperte dicat. Sine sensu tardiores, seu sublimia sapientes H sine terrenis actibus deditos, seu huius mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta hæc creatorem omnium Deum fatentur, & de potestate eius concorditer sentiunt, quamuis sub eo non concorditer viuant. Quod tamen intelligi etiam iuxta solā speciem literæ vtiliter potest, quia omnis respecta creatura, quasi dat vocem attestationis propriæ ipsam quam habet speciem suam, quia dum nostris oculis suas species ingerunt, se à semetipsis non esse testantur. Eo ipso enim quod creatura sunt, per ostensam speciem creatori suo quasi vocem confessionis reddunt. Qui quia omnia condidit, qualiter etiam debeant administrari disponit. Sequitur.

10. *In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis est.* Per manus quippe potestas exprimitur. Anima igitur omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis, in eius potestate est, à quo est vt ipse prouideat, qualiter sit qui præstat esse, quod nō fuit. Potest vero per animā omnis viuentis iumentorum vita signari. Omnipotens autē Deus iumentorum animam vsq; ad corporeos sensus viuificat, hominum vero spiritum, vsq; ad spiritualem intellectum

A tendit. In eius ergo manu est anima omnis viuentis, & spi-
ritus vniuersæ carnis hominis, dũ & in illo hoc præstat ani-
mæ, vt viuificet carnem, & in isto hoc viuificat animam, vt
ad intelligendam perueniat æternitatem. In sacro autem
eloquio spiritus hominis aliquando pro anima ponitur, vt
Joan 18.30. illud. *Inclinato capite emisit spiritum.* Aliquando pro effectu
Heb. 1.7. spiritali, sicut scriptum est. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Hoc
autem loco si anima omnis viuentis ipsa vita corporis si-
gnatur, spiritus vniuersæ carnis hominis, effectus intelli-
gentiæ spiritalis exprimitur. Sequitur.

11. *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis, saporem?* Pe-
ne nullum latet, quod quinque sensus corporis nostri, vi-
delicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, in omni
quod sentiunt atque discernunt, virtutem discretionis &
sensus à cerebro trahunt. Ex istis ergo corporalibus exte-
rioribusque interiora & spiritalia colligenda sunt. Intuen-
dum quippe est, quia cum vna sit sapientia, aliüm intuus,
alium maius inhabitat. Alij hoc, alij illud præstat, & quasi
B cerebri more, nobis in eius ipsis velut quibusdam sensibus
vtitur, vt quamuis ipsa sibi met non quam sit dissimilis, per
nos tamen diuersa & dissimilia operetur semper. Sed in
his verbis B. Iob, etiam de electis ac reprobis aliquid in-
nuere videtur, quia verba sapientiæ quæ reprobi audiunt,
electi non solum audiunt, sed etiam gustant, vt eis in cor-
de sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solum-
modo auribus sonat. His etiam verbis beatus Iob, ami-
corum suorum imperitiam, & eorum qui de doctrina sa-
pientiæ inflantur, arrogantiam reprobat. Sequitur.

12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Illa
enim dicta in sapientiæ radice solidata sunt, quæ per vi-
uendi vsum etiam actuum experimento conualescunt.
Sequitur.

13. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium &
intelligentiam.* Hæc non incongrue de vnigenito summi pa-
tris accipimus, vt ipsum esse Dei sapientiam sentiamus.
Nam Paulus quoque nostro intellectui attestatur dicens.
1 Cor. 1.24. *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, quia apud ipsum sem-*
C *per est, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,*
Joan. 1.1. *& Deus erat Verbum.* Habet autem Deus consilium & in-
telligentiam. Consilium videlicet, quia disponit sua; intel-
ligentiam, quia cognoscit nostra. Potest quoque consilij
nomine ipsa occulta iudicij mora signari, vel quod ali-
quando tardius delinquentes percutit, non quia iniquo-
rum culpa non conspicitur, sed vt damnationis eorum re-
tinentia, quæ pro agenda pœnitentia differtur, quasi tarda
ex consilio prodire videatur. Sequitur.

14. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet.* Omnipotens Deus hu-
manum cor destruit cum relinquit; ædificat, dum replet.
Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed
recedendo, quia ad perditionem sufficit sibi dimissa. Vn-
de plerumque fit, vt cum audiens exigentibus culpis o-
mnipotentis Dei gratia non repletur, in cassum exterius à
prædicatore moneatur, quia mutum est os omne quod
loquitur, si ille intemsio corde non clamet, qui adspirat
Psal. 126.1. verba quæ audiuntur. Hinc Propheta ait. *Nisi Dominus ædi-*
ficauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Sequitur.
D *Si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.* Quia omnis homo
per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ
suæ carcerem facit, vt hunc reatus animi premat, etiam si
nemo exterius accuset? Qui cum iudicante Deo in malitiæ
suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clandi-
tur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minime
meretur. Nam sæpe nonnulli à prauis actibus exire cupi-
unt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur in
malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non
possunt. Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nul-
lus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque est Dei,
clausis non aperire. Vnde & ad Moysen dicitur de Pharao-
Exod. 7. ne. *Ego indurabo cor eius.* Sequitur.

15. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Si aqua scientia
Prou. 18. 4. prædicationis accipitur, vt scriptum est. *Aqua profunda ver-*
ba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ, cum aqua con-
tinetur, cuncta siccantur, quia si scientia prædicatorum
subtrahitur, eorum qui virescere in spe æterna poterant,
corda protinus arescunt, vt in desperata siccitate rema-

E neant, dum fugiunt diligenter, nesciunt sperare mansu-
ra. Potest etiam aquæ nomine sancti Spiritus gratia desi-
Joan 7.38. gnari. Hinc Veritas ait. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura,*
flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Si ergo spiritus gratia
ab auditoris mente subtrahitur, arescit protinus quæ iam
per spem virescere in audiente videbatur. Quod autem
non aquam, sed aquas memorat, pluralitatis appellatio-
ne, ad septiformem donorum spiritualium gratiam recur-
ne. Sequitur. *Si emiserit eas, subuertent terram.* Sed sancti Spi-
ritus gratia superno munere iuxta vocem prædicantis in-
funditur, statim terra subuertitur, quia peccatricis mentis
duritia, ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, vt
tanto se postmodum præceptis Dominicis flendo subij-
ciat, quanto superbiendo prius contra Dominum ceruî-
cem erigebat. Sequitur.

16. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia.* Quia enim Omnipo-
tens Deus, pietatis suæ mysterio homo factus est, prius
mansuetudinis doctrinam protulit, & postmodum in iu-
dicio quantæ sit fortitudinis ostendit; rectè superius sa-
F pientia ante fortitudinem memoratur, cum de Patris
vnigenito dicitur. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo.* Quia
verò ad iudicandum veniens, in terrore suæ virtutis ap-
parebit, & repulsis reprobis, electis suis in regno per-
petuo qualiter sit sapientia Patris indicauit; rectè in sub-
sequenti sententia apud ipsum esse prius *fortitudo*, & post,
sapientia dicitur. Sequitur. *Ipse nouit & decipientem & eum*
qui decipitur. De iniquis quidem, Dominus dicturus est.
Mat. 25.41. *Discedite à me, quia nescio vos.* Sed quia scire Dei aliquando
cognoscere dicitur, aliquando approbare, & scit ini-
quum, quia cognoscendo iudicat. Neque enim iniquum
quempiam iudicasset, si nequaquam cognosceret. Et
tamen iniquum nescit, quia eius facta non approbat. Et
nouit ergo, quia deprehendit, & non nouit, quia non ap-
probat. Nouit etenim decipientem, quia plerumque an-
teriora eius mala conspicit, & hunc iusto iudicio cadere
Apoc. 22.11. etiam in alia peccata permittit. Scriptum est. *Qui nocet no-*
ceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Nouit quoque
G & eum qui decipitur, quia sæpe committunt homines
mala quæ sciunt, & idcirco permittuntur decipi, vt cadant
in mala etiam quæ nesciunt. Quod tamen deceptis ali-
quando ad purgationem, aliquando ad vltionis initium
fieri solet. Sequitur.

17. *Adducet consiliarios in stultum finem.* Adducit autem consi-
liarios in stultum finem, cum etiam bonum quodlibet
non bona intentione faciunt, sed ad temporalis muneris
retributionem tendunt. Rectè etiam consiliarios prædi-
catores accipimus, qui suis auditoribus consilium vitæ
præbent. Sed cum prædicator quisque ideo æterna præ-
dicat, vt temporalia lucra consequatur, profectò in stul-
tum finem deducitur, quia illo per laborem tendit, vnde
per mentis rectitudinem fugere debuit. Sequitur. *Et iudi-*
ces in stuporem. Omnes enim qui in examinandis aliorum
moribus præsunt, rectè iudices vocantur. Sed cum is qui
præest subiectorum vitam nequaquam sollicitè discutit,
neque qualiter corrigat agnoscit, in stuporem iudex de-
ductus est, quia qui iudicare mala acta debuit, nequa-
H quam ea quæ iudicanda sunt, deprehendit. Sequi-
tur.

18. *Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Quid
in fune accipitur, nisi peccatum, sicut in Salomone dici-
Prou. 5.22. tur. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum*
constringitur. In renibus autem carnis delectatio accipitur.
Regum itaque balteum dissoluit, quando in his qui be-
ne regere sua membra videbantur, propter elationis cul-
pam, castitatis in eis cingulum destruit, vt eorum membris
delectatio peccati dominetur. Sequitur.

19. *Ducit Sacerdotes ingloriosos, & optimates supplantat.* Magna
Sacerdotis gloria est, rectitudo subditorum. Vnde bene
1. Thess. 2.19. egregius prædicator discipulis dicit. *Quæ est nostra spes & gau-*
dium aut corona gloriæ. Nonne vos ante Dominum? Sed cũ sacer-
dotes vitam discipulorum negligunt, & nullum de eorum
prouectibus ante Deum fructum ferunt, quid aliud quam
ingloriosi ducuntur? Quia ante districtum iudicem nulli-
tum gloriam tunc cum inueniunt, quam modo in subdi-
torum suorum moribus prædicationis studio non exqui-

runt.

A runt. Sequitur. *Et optimates supplantat.* Quia cum mentem regentium iusto iudicio deserit, hæc internum retributionis præmium non requirit, & in eo supplantatur quod fallitur, vt pro æterna gloria, de principatu temporali gratuletur. Sequitur.

20. *Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens.* Cum sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur. Peccatori autem dixit Deus. Psal. 49.16. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et plerumque Doctor qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui quæ operari contempsit, docere incipit subditos praua quæ agit. Commutat ergo labium veracium, quia hi qui prius cœlestia prædicando veraces erant, dum temporalia diligentes ad terrena corruunt, labium veracium commutatur, & senum doctrina tollitur, quia diligentes temporalia . . . . suorum præcepta sequuntur, vt locum regiminis quasi ad fru- B ctum voluptatis teneant, non ad vsum laboris. Quod tamen apertius de Iudæis valet intelligi, qui ante Incarnationem Domini veraces fuerunt, quia hunc venturum esse crediderunt atque nuntiauerunt. Sed postquam in carne apparuit, hunc esse negauerunt. Labium itaque veracium mutatum est, quia quem venturum dixerant, negauerunt præsentem: & doctrina senum ablata est, quia nequaquam ea credendo secuti sunt, quæ patres suos meminerunt prædixisse. Sin vero senes eosdem quoque Iudæos accipimus, qui suadente perfidia, veritatis verbo contraire conati sunt, doctrina senum ablata est, postquam hanc Ecclesia ex Gentibus videlicet iuuencula accepit, quæ per Psalmistam dicit. Ps. 118.100. *Super senes intellexi.* Sequitur.

21. *Effundens despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans.* Cum enim Iudæorum populus in legis mandato permaneret, & cuncta Gentilitas nulla Dei præcepta cognosceret, & illi per fidem principari videbantur, & isti in profundo pressi iacuerant per infidelitatem. Sed C cum Incarnationis Dominicæ mysterium Iudæa negauit, Gentilitas credidit, & principes in despectionem ceciderunt, & hi qui oppressi in culpa perfidiæ fuerant, in veræ fidei libertate leuati sunt. Aliter. Principes etenim non immerito vocantur qui suis semper cogitationibus principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiæ comprimunt. Sed sæpe contingit, vt in occulto animus de ipsa sua sapientia in elationis fastu subleuetur, & sub eis vitijs corruat, de quibus se victorem fuisse gaudebat. Sed nonnunquam hi qui in vitijs iacere videntur, ad pœnitentiæ lamenta currunt, seque contra culpas quibus subiacebant, erigunt; & sub se postmodum carnis suæ motus deprimunt, à quibus ante premebantur. Sequitur.

22. *Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* Cum enim quoque mystica de occultis Prophetarum verbis à credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris reuelantur? Hinc Dominus ait. Mat. 10.27. *Quæ* D *dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Vmbra autem mortis erat legis duritia, quæ vnumquemque peccantem morte corporis punire sanciebat. Sed postquam Redemptor noster asperitatem legalis sanctionis per mansuetudinem temperauit, non iam pro culpa mortem carnis inferri constituit, sed mors quantum timenda esset indicauit. In luce proculdubio vmbram mortis produxit. Ista etenim mors in qua caro separatur ab anima, vmbra illius mortis est, in qua anima separatur à Deo. In luce ergo vmbra mortis producitur, cum intellecta morte spiritus mors carnis minime timetur. Aliter. Profunda enim de tenebris Dominus reuelat, quando aperta sententia ex occultis suis consilijs iudicat, vt de vnoquoque quæ sentiat ostendat. Quia enim videt nunc creator omnia, & ipse in consilijs non videtur, recte de illo per Psalmistam dicitur. Psal. 17.12. *Posuit tenebras latibulum suum.* Vmbra enim mortis est praua operatio, quæ de imitatione antiqui hostis quasi de corporis liniamentis exprimitur. De quo etiam sub cuiusdam significatione dicitur. Apoc. 6. 8. *Et nomen illi mors.* Et plerumque eius maligna cogitatio mentes hominum latet, atque per hoc

E quod nescitur amplius præualet. Vmbra ergo in lucem producitur, dum sanctorum mentibus maligna operatio antiqui hostis vt destrui possit aperitur. Sequitur.

23. *Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituet.* Intelligi fortasse valet, quoniam gentes Dominus multiplicat & perdit, quia nascuntur quotidie moriturι. *Et subuersas in integrum restituet*, quia resurgunt qui fuerant mortui. Quod tamen melius accipimus, si hoc qualiter in earum mente agitur, sentiamus. Multiplicat enim gentes & perdit, quia eas & per fœcunditatem sobolis extendit, & tamen in propria infidelitate derelinquit. Sed *subuersas in integrum restituet*, quia quas in infidelitatis casu reliquerat, quandoque ad fidei statum reducet. Sequitur.

24. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos vt frustra incedant per inuium.* Cor enim principum terræ immutatum F est, cum in Iudæa summi sacerdotes & seniores populi illi suo consilio conabantur obsistere, quem prius venturum esse prædicabant. Cumq; eius nomen persequendo molirentur extinguere, decepti sua malitia incedere per inuium frustra conabantur. Sequitur.

25. *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce.* Qui enim inter tot miracula aperta trepidat, quasi in tenebris palpat, quia quod tangit, non videt. Omnis vero qui errat, nunc huc, nunc illuc ducitur, & quia aliquando ostendebant credere cum dicerent, *Nisi hic esset a Deo, non poterat facere quicquam.* Ioan. Aliquando vero hunc à Deo esse denegabant, cum despicientes dicerent. Matt. 13.55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas, & sorores eius nonne apud nos sunt?* Sequitur. *Et errare eos faciet quasi ebrios.* Videbant quippe eum & suscitare mortuos, & tamen esse mortalem, quia non crederet Deum, quem conspiciebant suscitare mortuum? Sed rursum cum hunc mortalem conspicerent, despiciebant credere hunc immortalem esse Deum. Per hoc ergo quod omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit, qui pos- G sit & diuina ostendere, & humana pati, errare eos quasi ebrios facit, vt eorum superbia, quæ incarnationis eius mysterium despicere maluit, quam sequi, & contra humanitatem eius se extolleret, & inter locutionem diuinitatis eius potentiam miraretur. Quæ cuncta quia B. Iob oculis præsentia per Prophetiæ spiritum facta sunt, recte sequitur.

CAP. XIII. 1. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea.* In illo enim ea quæ secutura erant videbat adsistentia, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante oculos eius adsistunt. Sed vtilitatem dicta non habent, si intellectu carent. Sequitur. *Et intellexi per singula.* Cum enim aliquid ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, Prophetia minime est. Vidit namque Pharao per somnium quæ erant Ægypto ventura. Gen. 41.17. Sed quia nequiuit intelligere quod vidit, Propheta scilicet non fuit. Aspexit Balthasar Rex articulum manus scribentis in Dan. 5.25. pariete, sed Propheta non fuit, quia intellectum rei quam H videtat, non accepit. Vt igitur B. Iob Prophetiæ spiritum se habere testetur, non solum audisse & vidisse, sed etiam intellexisse se omnia asserit. Sequitur.

2. *Secundum scientiam vestram & ego noui, nec inferior vestri sum.* Quibus videlicet dictis innotuit quantæ humilitatis fuit, qui se eis inferiorem negat, quorum vitam sancte viuendo longe transcenderat. Nam & secundum eorum scientiam se nosse confirmat, qui sciendo cœlestia eorum terrenas cogitationes per prophetiæ spiritum transibat. Sequitur.

3. *Sed tamen cum omnipotente loquar, & disputare cum Deo cupio.* Cum omnipotente loquimur, dum eius misericordiam deprecamur. Cum eo vero disputamus, dum nos illius coniungentes iustitiæ, facta nostra subtili indagatione discutimus. Vel certe cum Deo disputare est eum, qui hic eius præceptis paruit, cum illo postmodum ad iudicandos populos iudicem venire, sicut cunctа relinquentibus prædicatoribus dicitur. Matt. 19.28. *Vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Loqui

A ergo ad orationem; disputare ad iudicium pertinet. Vir igitur sanctus modo ad omnipotentem loquitur, vt cum omnipotente postmodum disputet. Quia ille cum Deo postmodum iudex venit, qui hic ei modo in prece familiariter steterit. Sequitur.

4. *Prius vos ostendens fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum.* Liquet enim quia Catholicorum figuram non tenent, qui cultores peruersorum dogmatum vocantur. Qua in re hoc quoque oportet intendi, quod mendacij fabricatores dicuntur. Sicut enim paries ædificatur lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Sequitur.

5. *Atque vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.* Sicut clausa ianua in domo, quæ intus membra lateant, ignoratur, sic plerumque stultus si taceat, vtrum stultus an sapiens sit, absconditur, si tamen nulla alia opera prodeant, quæ sensum etiam tacentis loquantur. Vnde per Salomonem dicitur.

Prou. 17. 28. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* Sequitur.

B

6. *Audite ergo correptionem meam, & iudicium labiorum meorum attendite.* Bene autem prius correptionem, & postmodum iudicium intulit, quia nisi per correptionem prius tumor stultitiæ deprimatur, nequaquam intelligentia iudicium iusti cognoscitur. Sequitur.

7. *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Deus fallacio non eget, quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Hæretici autem quia quæ praue de Deo intelligunt, ex veritate tueri non possunt, quasi ad probandum radium luminis falsitatis requirunt. Sequitur.

8. *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?* Stulti cum per humana facta conspiciunt, hæc eis omnia esse reprehensibilia videntur, suæque imperitiæ atque infirmitatis oblita tanto intentius de alienis iudicant, quanto profundius se ignorant. At contra iusti, & cum prauorum facta redarguunt, semper suæ infirmitatis conscij, eos etsi exterius feriendo, tamen interius compatiendo reprehendunt, quia illius solius est peccata hominum sine compassione discutere, qui ex natura suæ omnipotentiæ ignorat peccare. Quia igitur amici B. Iob ita eius facta reprehenderant, ac si in seipsis reprehensibile nihil haberent. Sequitur.

C

9. *Aut placebit ei quem celare nil potest: aut decipietur vt homo vestris fraudulentijs?* Haud eum Deo hæretici exhibent, qui ea asserunt, quæ nequaquam ipsi pro quo loquuntur, placent; cumque dum quasi defendere nituntur, offendunt, dum in aduersitate eius cogitant, cui videntur ex prædicatione famulari. Vnde per Psalmistam dicitur. *Vt destruas inimicum & vltorem.* Quia autem fallere Deum nil potest, hoc in eis indicat, quod intus sentiunt, non quod famulari foris videntur. Sequitur.

Psal. 8. 3.

10. *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis.* Sunt namque nonnulli qui & veritatem in corde sentiunt, & tamen quæ falsa sunt de Deo foris loquuntur. Ne enim vinci videantur, & cognoscunt veritatem interius, & tamen hanc interius * impugnant. Ac si ergo diceret. Tanto magis de falsitate apud eum estis reprehensibiles, quanto & apud vosmetipsos quod verum est, videtis. Et sunt nonnulli qui quando ad mentem redeunt, Dei iustitiam & rectitudinem contemplantur, & orando & flendo contremiscunt, sed postquam contemplatio transierit, sic audaces ad iniquitatem redeunt, ac si post dorsum eius positi, ad iustitiam eius lumine videantur. Hi itaque apud se in abscondito quasi corporaliter videntem accipiunt faciem Dei. Sequitur.

* exterius

E

11. *Statim vt se commouerit turbabit vos, & terror eius irruet super vos.* Cum sit naturæ incommutabilis omnipotens, in ira iudicij perturbatus non est. Sed humano verbo motus Dei dicitur ipsa districtio eius iudicij, qua humana prauitas feritur. Iusti autem viri ante Deum metuunt, quando eius ira contra eos mouetur, & ne commotum sentiant, tranquillum timent. At contra peruersi tunc iam feriri pertimescunt, cum feriuntur, eisque tunc terror eius à suo internoque exsurgit, cum vindicta perturbat. Vnde per Prophetam dicitur. *Et tanto sola vexatio intellectum dabit auditui.* Sequitur.

Esa. 28. 19.

12. *Memoria vestra comparabitur cineri.* Omnes qui cogitatione terrena huic seculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alij bellorum titulis, alij altis ædificiorum mœnibus. Aura etenim cinerem spargit, sicut scriptum est. *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ.* Recte ergo stultorum memoriam cineri comparat, quia illic ponitur, vbi ab aura rapitur. Sequitur.

Psal. 1. 4.

Et redigentur in lutum ceruices vestræ. Sicut per oculum visus, sic per ceruicem solet superbia designari. Ceruix itaque in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, & elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulchris iacent diuitum cadauera. Sequitur.

13. *Tacete paulisper, vt loquar quodcunque mihi mens suggesserit.* Sensum suum locutos audiat. Quos idcirco silentium restringit, vt ea quæ illi mens suggesserit, dicat. Ac si aperte dicat. Non ego carnaliter, sed spiritaliter loquor, quia per sensum spiritus audio, quæ per ministerium corporis profero. Sequitur.

F

14. *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* In scriptura sacra dentes aliquando sancti prædicatores accipi solent, vt illud. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Aliquando interni accipi sensus solent, vt illud Hieremiæ. *Fregit ad numerum dentes meos.* Hoc igitur loco, quia dentes internos sensus accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt & comminuunt, atque ad ventrē memoriæ transmittunt: considerare magnopere quid agere iusti soleant, debemus, qui plerumque si qua in se quamlibet leuiter carnalia esse deprehendunt, hæc internis sensibus retractantes, vehementer in semetipsis insequuntur, afflictione se conterunt, magnisque cruciatibus vel minima in se praua diiudicant, atque hæc per pœnitentiam damnant. Quod idcirco agunt, vt in conspectu æterni iudicis & ipsi inueniri, in quantum possibile est, irreprehensibiles debeant, & hi qui eos sic seruire conspiciunt, emendare semetipsos à culpis grauioribus inardescant. Sequitur. *Et animam meam porto in manibus meis.* Animam in manibus portare est intentionem cordis in operatione ostendere. Ac si igitur contra amicos suos B. Iob dicat. *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Id est cur vel me districte coram hominibus diiudico, vel quid appetam in opere ostendo, si vtilitate proximorum, nec mala diiudicando, nec bona ostendendo proficio? Sequitur.

Cant. 6. 5.
Thren. 3. 16.

G

15. *Etiam si occiderit me, sperabo in ipso.* Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere est patiens, qui & diuersis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non inclinatur. De reprobis namque sensu scriptum est. *Confitebuntur tibi, cum benefeceris ei.* Sequitur.

Psal. 48. 19.

16. *Verumtamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit saluator meus.* Cum Paulus Apostolus dicat. *Si nosmet ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Eo tunc Dominum Saluatorem inuenitur facimus, quo nunc pro timore Domini peccatum nostrum à nobis metipsis plus redarguitur. Sequitur. *Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* Sciendum quippe est quod duobus modis in conspectu Domini venimus. Vnum quidem quod hic peccata subtiliter perpendentes in eius nos conspectu ponimus, & flendo diiudicamus. Nam quotiens conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu eius stamus. Vnde recte quoque per virum Dei Heliam dicitur. *Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto.* Alio quoque modo in conspectu Domini venimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius assistimus. Hypocrita igitur per examen vltimum ante conspectum iudicis venit. Sed quia modo culpas suas considerare & deflere dissimulat, in conspectu Domini venire recusat. Sequitur.

1. Cor. 11. 31.

H

3. Reg. 17. 1.

17. *Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.* Per hoc quod ænigmata nominat, figuratam se habere locutiones demonstrat. Vnde apte quoque voce fidelis populi subditur.

18. *Si fuero iudicatus, scio quia iustus inueniar.* Quod ab eisdem beati Iob persona non discrepat, quandiu nunc ipse foris de semetipso loquitur, quod de illo Veritas hosti eius internus dixerat. *Vidisti seruum meum Iob, quod non sit ei similis super*

Iob 1. 8.

terram?

A *terram?* Sed in his verbis quæstio est. Inferius enim dicit.
Iob 14.17 *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Neq; enim simul conuenire queunt peccatum & iustitia. Sed sanctus vir sibi iniquitatem tribuens, & omnipotenti Deo purgationem suam, & peccatorem se cognoscit ex se, & iustum se factum non ignorat ex munere. Sequitur.

19. *Quis est qui iudicetur mecum?* Sancti viri ita se in operibus suis Deo auctore custodiunt, vt omnino vnde accusentur exterius non inueniantur. Sequitur.

20. *Quare tacens consumor?* Tacens enim consumitur, qui de stulta se cogitatione reprehendens, apud semetipsum dente conscientiæ mordetur. Ac si aperte dicat. Sicut vixi vt accusatorem exterius nullum timerem, vtinam sic vixissem vt intra memetipsum accusatricem conscientiam non haberem! Tacens enim consumitur, qui foris in se non inuenit, vnde irascatur. Sequitur. *Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar.* Hoc loco quid Dei faciē, nisi animaduersionē debeamus accipere? in qua dum peccata respicit, punit. A qua videl. nullus etiam iustus absconditur, si duo B quæ postulat non amoueantur. Seq.

21. *Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat.* In quibus videl. duobus, quid aliud prophetiæ vocem, quam tempus gratiæ & redemptionis inquirit? Lex namque sub percussionis vltione populum tenuit, vt quisquis sub illa peccaret, pro suis morte puniretur. Nec enim plebs Israelitica ex amore Domino, sed ex timore seruiebat. Nunquam vero impleri iustitia per timorem potest, quia iuxta Ioannis vocem.
1. Ioan. 4.18 *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ac si ergo diceret. Percussionis duritiam remoue, formidinis pondus tolle, sed & irradiante gratia dilectionis spiritum securitatis infunde, quia si longe à percussione & formidine non fuero, scio quia à districtione tui examinis non abscondor, quoniam in conspectu tuo iustus esse non valet, qui tibi non per dilectionem, sed per formidinem seruit. Sequitur.

22. C *Voca me, & respondebo tibi; aut certe loquar, & tu responde mihi.* Dum humanis oculis per assumptam carnē Redemptor noster apparuit, sua peccata hominibus aperuit, quæ & perpetrabant, & nesciebant. Aliter. Vocare Dei est, nos amando & eligendo respicere. Respondere autem nostrum est, amori illius bonis operibus parere. Vbi apte subditur. *Aut certe loquar, & tu responde mihi.* Loquimur namque, cum eius faciem per desiderium postulamus. Respondit autem Deus loquentibus cum nobis se amantibus apparet. Sequitur.

23. *Responde mihi. Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.* Iste in hac vita iustorum labor est, vt semetipsos inueniant, & inuenientes flendo & corrigendo, ad meliora perducant. Et quamuis inter iniquitatem atq; peccatum nihil distare perhibeat Ioann. Apostolus, qui ait.
1. Ioan. 3.4 *Iniquitas peccatum est.* Ipso tamen vsu loquendi, plus iniquitas quam peccatum sonat, & omnis se homo liberè peccatorem fatetur, iniquum vero nonnunquam erubescit dicere. Inter scelera vero & delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum vero pondus D peccati non transit; quia cū offerri sacrificium p legem iubetur, nimirū pcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto. Et scelus nonnunquam in opere est, delictum vero plerumq; in sola cogitatione. Seq.

24. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Humanum genus contemplationem intimæ lucis habuit in Paradiso. Sed sibimetipsi placens, quo à se recessit, lumē conditoris perdidit, eiusq; faciem ad ligna Paradisi fugit, quia post culpam videre metuebat, quem amare consueuerat. Sed ecce post culpam venit in pœnam, ex pœnā iterum ad amorem redit, quia quisquis fugerit, culpæ fructus inuenit, atq; illam faciem quam timuit in culpa, excitatus requirere pœna, vt iam caliginem cæcitatis suæ fugat; atque hoc ipsum quod auctorem suum non vides; grauiter perhorrescat. Sequitur.

25. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?* Quid est homo nisi folium? Qui videlicet in Paradiso ab arbore cecidit, quid est nisi folium? Qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur. Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus, motibus mouetur. Bene autem post folium, etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit E in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione, sed post stipula apparuit in delectione. Quia enim de alto cecidit, folium: quia vero per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam stipula sicca est. Ac si aperte deploret dicens. Cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis? Sequitur.

Scribis contra me amaritudines. Quia omne quod loquimur transit: quod vero scribimus, manet. Deus non loqui, sed scribere amaritudines dicitur, cum diu super nos eius flagella perdurant. Semel quippe peccanti homini dictū 26.
est. *Terra es, & in terram ibis.* Quæ in Paradiso data de morte carnis nostræ sententia, ab ipso initio generis humani vsque in finem seculi non mutatur. *Quis est* enim *homo qui viuit, & non videbit mortem?* Seq. *Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Ecce vir iustus quia in iuuentute sua se peccasse Gen. 3.19.
non inuenit, adolescentiæ facta pertimescit. Vel certe quia Psal. 88.
prima ætas apta bonis actibus adolescentia est, & iusti viri F
cum magna mentis maturitate proficiunt, nonnunquam ad memoriam actionum suarum initium reducunt, seque tantum de suis primordijs reprehēdunt, quantum ex grauitate mētis altius profecerunt, quia eo indiscretos se fuisse inueniunt, quo discretionis arcem plenius postmodum consequūtur; rectè nunc per sancti sui vocem adolescentiæ peccata formidantur. Seq.

Posuisti in neruo pedem meū, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. In neruo Deus pedem hominis posuit, quia prauitatem illius forti districtionis suæ sententia ligauit. Cuius omnes semitas obseruat, quia subtiliter singula eius quæque diiudicat. Semita enim angustior esse solet quam via. Quia autem vias actiones, non 27.
inmerito semitas actionū cogitationes accipimus. Deus itaq; omnes semitas obseruat, quia in singulis quibusque nostris, & cogitationes pensat, & vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum quam recte ponantur, ne & hoc quod bonum agitur, non recto desiderio agatur. Possunt quoq; per pedum vestigia, quædam male acta signari. Nam pes in corpore est, vestigiū in via, & plerumq; dum quædam praue agimus, intuentibus hoc fratribus exemplum malorum pbemus. Et quia inflexu, extra viam pedibus sequentibus, vestigia distorta relinquimus, dum per nostra opera ad scandalum aliena amœna corda prouocamus. Quæ tamen cuncta omnipotens Deus subtiliter examinat, atq; in iudicio singula recompensat. Sed quando homo, qui carnis suæ infirmitate constringitur, contra cuncta valeat subtiliter assurgere, atq; inconcussa cogitatione rectitudinem tenere? Seq. G

Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentū quod comeditur à tinea. Sicut enim vestimentum de se exorta tinea comeditur, ita homo in semetipso putredinem habet de qua consumatur, atque hoc est vnde consumitur, vt non sit. Aliter. Homo enim quasi putredo consumitur, dū carnis suæ corruptione conteritur, cuiqui immunda tentatio, non aliunde, sed à semetipso nascitur, mox tineæ carnem terorario, quasi vestem de qua exit, consumit. Sequitur. 28.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. In sacro eloquio mulier aut pro sexu ponitur, aut pro infirmitate. Pro sexu quippe sicut scriptum est. *Misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* Pro infirmitate vero, sicut per quendam sapientem dicitur. *Melior iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Hoc igitur loco, mulieris nomine, quid nisi infirmitas designatur, cum dicitur, *Homo natus de muliere?* Ac si apertius dicatur. Quid in se habet fortitudinis, qui natus est de infirmitate? Ecce viri sancti vocibus pœna hominibus breuiter est expressa, qui & angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne quod hic agitur; pœna miseriæ est. Ipsi etenim corruptioni carnis seruire ad necessaria atque concessa, miseria est. Sequitur. H
Cap. IV.
1.
Gal. 4.4.
Eccl. 42.14.

Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, 2.

A *& numquam in eodem statu permanet.* Quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi
Esa. 40.6. quidam flores in campo? Vnde Esaias ait. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos agri.* Homo etenim more floris procedit ex occulto; & subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Quæri enim potest, cur vitæ hominis cursum, vmbræ potius quam Soli comparat, nisi quia amisso amore conditoris, calorem cordis perdidit, & in solo iniquitatis suæ
Matt. 24.12 frigore remansit. Quia iuxta veritatis vocem. *Abundauit iniquitas, & refrigescit charitas multorum.* Qui igitur in amore Dei calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit, tenet; scilicet velut vmbra fugit. Vnde recte quoque de illo scriptum est. Quia secutus est vmbram. Bene autem dicitur. *Et numquam in eodem statu permanet,* quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad iuuentutem, iuuentus ad senectutem, senectus transit
B ad mortem, in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur. Sequitur.

3. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere tecum in iudicium?* Considerauit quippe superius & omnipotentis Dei potentiam, & infirmitatem suam deduxit ante oculos. Se & Dominum pensauit, quis cum quo ad iudicium veniat. Vidit hinc hominem, inde conditorem, id est puluerem & Deum. Et recte ait. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?* Sequitur.

4. *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Ipse qui per se solus est mundus, mundare præualet immunda. Homo enim in corruptibili carne viuens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis eius conceptio, immunditia est. Vnde Psalmista ait. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus*
Psal. 50.7. *sum, & in delictis peperit me mater mea.*

S. ODONIS ABBATIS
C
CLVNIACENSIS II.
MORALIVM IN IOB

LIBER XII.

5. BReues dies hominis sunt, *numerus mensium eius apud te est.* Hoc etenim apud nos velut non esse considerat, quanta velocitate transcurrit. Quia vero omnipotenti Deo etiam labentia instant, apud eum esse numerum mensium nostrorum perhibet. Vel certe in diebus breuitas temporis, in mensibus vero quasi multiplicata dierum spacia designantur. Nobis vero dies breues sunt. Sed quia vita nostra ostenditur apud Deum, numerum mensium nostrorum esse memoratur. Vnde & per Salomonem dicitur. *Longitudo dierum in dextera illius.* Sequitur.
Eccl. 3.26. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absq; omnipotentis Dei consilio occulto veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decreuit qualiter per secula disponan-
D tur. Statutum quippe iam homini est, quantum, hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum aduersitas feriat, ne electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Quod tamen intelligi etiam iuxta spiritum valet, quia nonnumquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus, à quibusdam vero repulsi in imis iacemus. Nemo enim est qui tantum virtutes apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, vt ex hoc homo quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non eleuet quæ valet. Sequitur.

6. *Recede paululum ab eo vt requiescat, donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius.* Hoc loco *recede* dicitur, vim flagelli amoue. Quis enim valet Deo recedente quiescere, cum ipse solus sit requies? Et à quo quisque quanto longe fuerit, fit tanto & inquietus. Itaque sic *recede ab eo* dicitur, vt intelligas feriendo. Mercenarius quanto longe est à fine operis,
E tanto & à retributione mercedis. Ita vir quisque sanctus in hac vita positus, dum longe se ab exitu vitæ præsentis conspicit, longe se esse ab æternis gaudijs gemit. Sequitur.

7. *Lignum habet spem. Si præcisum fuerit rursum virescit, & rami eius pullulant.* In scriptura etenim sacra ligni nomine, aliquando crux intelligitur, vt illud. *Mittamus lignum in panem eius.* Aliquando autem vir iustus aut etiam iniustus, vt Hier. 11.19.
illud Prophetæ. *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, exaltaui lignum humile.* Aliquando autem incarnata Dei sapien- Eze. 15. 6.
tia figuratur, vt illud. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eã.* Prou. 3.18.
Hoc itaque loco cum lignum præfertur homini, quid homo, nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine nisi iusti vniuscuiusque vita signatur? *Lignum* etenim *habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit.* Quia cum in morte passionis pro veritate afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur, & qui hic virebat per fidem, illic virescit per speciem. *Et rami eius pullulant.* Quia plerumque ex passione F
iusti fideles quoq; ad amorem cœlestis patriæ multiplicantur, & viriditatem vitæ spiritalis accipiunt, dum hunc pro Deo fortiter egisse gratulantur. Sequitur.

Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuum fuerit 8.
truncum illius: ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi 9.
cum primum plantatum est. Quid radix iusti, nisi sancta prædicatio, quia ab ipsa oritur, & in ipsa subsistit? Et quid terræ vel pulueris nomine, nisi peccator accipitur: Iusti igitur radix in terra senescit, & in puluere truncus emoritur, quia corda prauorum eius prædicatio despecta, cunctis viribus effœta creditur. Et in puluere truncus emoritur. Quia inter manus persequentium corpus illius examinatur. Ad odorem aquæ germinat, quia per afflatum sancti Spiritus in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Succiso trunco, comam facere est, extincto corporaliter iusto, ipso suæ passionis exemplo, multorum corda excitare, & ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur. *Quasi cum primum plantatum est.* Omne quod hic à iustis agitur, secunda plantatio est, quia prima videlicet plantatio, non in opere iustorum, sed in G
præscientia conditoris est. Potest etiam radix iusti ipsa natura humanitatis intelligi ex qua subsistit. Quæ videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit, in puluerem redacta. Cuius in puluere truncus emoritur, quia extinctum corpus à sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquæ germinat, quia per aduentum sancti Spiritus resurgit. *Et facit comam quasi cum primum plantatum est,* quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset. Quod fortasse de Domino valet intelligi, quoniam & si occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad viriditatem vitæ venit. Huius rami pullulant, quia ex resurrectione illius multiplicati, longe lateque fideles creuerunt. Huius radix in terra quasi senuit, quia eius prædicatio Iudæorum cordi perfidiæ despecta fuit. *Et in puluere truncus emortuum est.* Quia in corde persequentium quod perfidiæ suæ vento leuabatur, despectabilis & contemptus est habitus, quia carne potuit occidi. Sed *ad odorem aquæ germinauit.* Quia per virtutem Dei extincta caro illius ad vitam rediit, iuxta quod
scriptum est. *Quem Deus suscitauit à mortuis.* *Et fecit comam* H
quasi cum primum plantatum est. Quia illa Apostolorum debilitas, quæ in morte illius expauit & negauit, & negando Act. 2 10
aruit, per resurrectionis eius gloriam rursus ad fidẽ viruit. Vnde & subditur.

Homo vero cum mortuum fuerit, & nudatus, atque consumptus, 10.
vbi quæso est? Nullus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum non venit ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur, ipsa amissione iustitiæ morimur. Concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, interitu etiã carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur à iustitia, consumitur in pœna. Hanc nuditatem peccatoris filij, tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit. *Cito proferte stolam primam.* Prima Luc. 15 22
quippe stola est, innocentiæ vestis, quam homo bene conditus accepit, male à serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur. *Beatus qui vigilat, & custodit* Apoc. 16.15.

vesti-

A

vestimenta sua ne nudus ambulet. Vestimenta quidem custodimus, cum præcepta innocentiæ seruamus in mente, vt cum nos iudici culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pœnitentia operiat. Quia peccator homo illic stare noluit, vbi conditus fuit: hic vero vbi cecidit, diuersa et prohibentur, patriam volens perdidit. A peregrinatione vero sua quam diligit, inuitus expellitur. Vbi ergo est, qui in eius amore non est, vbi verum esse est? Sequitur.

11. *Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat:*
12. *sic homo cum dormierit, non resurget.* Mare mens hominis,
* *cons.* & quasi fluctus maris sunt cogitationes * mentis, quæ aliquando per iram tumescunt, per gratiam tranquillæ fiunt, per odium cum amaritudine defluunt. Sed cum homo moritur, aquæ maris recedunt, quia iuxta Psal. vocem, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Et rursum de morte scriptum est. *Amor quoque, & odium simul peribunt.* Arescit ergo fluuius vacuefactus, quia subducta anima, vacuum corpus remanet. Quasi enim alueus fluminis vacuus, corpus exanime.

Psal. 145. 4. *Eccl. 9. 6.*

B

Sed in his valde durum videtur esse quod *Sic homo cum dormierit non resurget.* Cur itaque laboramus, si in resurrectionis retributione non tendimus? Quomodo autem dicitur, *non resurget*, cum scriptum sit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Sed subiecta sententia indicat quæ discretio in præmissa lateat. Nam subditur. *Donec atteratur cælum non euigilabit, nec consurget de somno suo.* Liquet enim quia non resurget, sed donec atteratur cælum, quia nisi huius finis aduenerit, humanum genus à somno mortis ad vitam non euigilabit. Non ergo quia omnimodo non resurgat, sed quia ante contritionem cæli humanum genus minime resurgat, insinuat. Sequitur.

1. Cor. 15.

13. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me?* Quia ante aduentum mediatoris Dei & hominum, omnis homo quamuis mundæ probatæque vitæ fuerit, ad inferni claustra descendit dubium non est. Nec tamen ita iustorum animas ad infernum dicimus descendisse, vt in locis pœnalibus tenerentur: sed esse superiora inferni loca credenda sunt, vt in superioribus requiescerent iusti, & in inferioribus cruciarentur iniusti. Vnde & Psalmista propter præuenientem se Dei gratiam dicit. *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori.* Beatus igitur Iob, ante mediatoris aduentum ad infernum se descendere sciens, conditoris sui illic protectionem postulat, vt à locis pœnalib. alienus existat. Sequitur. *Et abscondas me donec pertranseat furor tuus.* Furor etenim omnipotentis Dei in hoc quotidie vim iræ districtionis peragit, quod viuentes indigne dignis suppliciis demergit. Qui furor nunc equidem transit, sed in finem pertransit, quia modo agitur, sed in extremo termino consummatur. Qui tamen iste furor, quantum ad electorum animas in Redemptoris nostri aduentu pertransiit, quia eas ab inferni claustris, ad paradisi gaudia mediator Dei & hominum dum ipse illuc pie descenderet, reduxit. Seq. *Et constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Hanc itaque redemptionem vir Domini præsciens, in qua erant multi ex Gentilitate liberandi, sicut ipse ait. *Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris.* Apud omnipotentem Deum tempus sibi constitui suæ recordationis petit. Hinc est enim quod in Euangelio Dominus dicit. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Omnia videlicet electa. Sequitur.

Psal. 85. 13. C *Galat. 4. 4.* *Iob. 10. 13.* D *Ioan. 12. 32.*

14. *Putasne mortuum hominem rursum viuet?* Solent iusti viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, vt infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam infirmantium dubietatem omnimodo contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant, & per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Sequitur. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Qui itaque immutationem suam tanto desiderio expectat, quam sit de resurrectione certus, insinuat, & cursum vitæ præsentis quantum despiciat, innotescit; qui hunc militiam appellat. Per malitiam quippe semper ad finem tenditur, & quotidie conclusioni terminus expectatur. Cursum itaque vitæ huius despicit, & statum soliditatis requirit, qui per hoc quod mutabiliter militat, ad immutationem suam peruenire festinat. Sequitur. E

15. *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Respondere cuilibet dicimus, cum eius factis congrua ad inuicem opera reddimus. In illa igitur mutatione vocat Dominus, & respondet homo, quia ante incorrupti claritatem, incorruptus homo ostenditur post corruptionem. Nunc etenim quousque subditi corruptioni sumus, auctori nostro minime respondemus, quia dum corruptio ab incorruptione longe est, similitudo apta nostræ responsioni non est. De illa vero immutatione scriptum est. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sequitur. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Ac si patenter dicat. Idcirco creatura corruptibilis persistere ad incorruptionem potest, quia tuæ potestatis manu erigitur, & tuæ respectus gratia, vt persistat, tenetur. Potest quoque dexteræ nomine filius designari, quia *omnia per ipsum facta sunt.* Operi igitur manuum suarum porrexit omnipotens Deus dexteram suam, quia vt abiectum atque in infimis iacens, ad summa erigeret genus humanum, incarnatum ad hoc vnigenitum misit, ex cuius nobis incarnatione datum est, vt qui ex voluntate propria in corruptionem cecidimus, vocanti nos Deo quandoque ad incorruptionis gloriam respondere valeamus. Seq.

1. Ioan. 3. 2. *Ioan. 1. 3.* F

16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* Gressus Deus dinumerat, cum singula quæque nostra opera propter retributionem signat. Quid enim in gressibus, nisi vnaquæque nostra actio designatur? Omnipotens itaque Deus & gressus dinumerat, & parcit peccatis, quia & subtiliter acta nostra considerat, & tamen hæc pœnitentibus misericorditer relaxat. Sequitur.

17. *Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* Signatur quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc quod nunc exterius agimus, nisi pœnitentia interueniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei, sub quadam occultatione seruatur, vt quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum iudicii. Vnde etiam per Moysem dicitur. *Nonne hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam illis.* Cum vero pro malis quæ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, & hæc per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram & signat & curat; quia nec inulta hic deserit, nec in iudicio punienda seruat. Vel certe peccata nostra signantur in sacculo, cum mala quæ fecimus, sollicito semper corde pensamus. Quid namque est cor hominis, nisi sacculus Dei? Vbi dum studiose conspicimus per quanta delinquimus, peccata nostra quasi in Dei sacculo signata portamus. Ac si ergo dicat. Quæ modo signas vt pœnitendo videam, ergo procul dubio non in retributione videantur. Sequitur.

Deut. 32. 34. 41. G

18. *Mons cadens defluet, & saxum transfertur de loco suo. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur, & homi-*
19. *nes ergo similiter perdes.* Hoc crebro agitur, vt cadentibus rupibus saxum ad loca alia transferatur, vt aquæ lapides excauent, & paulatim terra alluuionib. consumatur. Sed magna nobis intentione discutiendum est, quod infertur. *Et homines similiter perdes.* Quid est enim hoc quod cadente monte & saxo translato, quod excauato lapide, & per alluuionem terræ consumpta perditio humana, nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia duo sunt genera tentationum? Vnum quod in mente etiam iusti hominis per repentinum euentum agitur, quatenus sic subito tentetur, vt hunc inopinato euentu concutiat & prosternat, casumque suum omnino nisi postquam ceciderit, videat. Aliud vero quod paulatim venit in mentem, & resistentem animum lenibus suggestionib. inficit, & omnes in eo vires iustitiæ, non nimietate sua, sed assiduitate consumit. Quæ ergo alta est tentatio quæ iustos plerumque subita inuasione prosternit, dicatur. *Mons cadens defluet, & saxum transfertur de loco suo*, id est mens sancta, cuius locus iustitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursum quia alia est tentatio quæ se cordi hominis leniter infunditur, omnemque duritiam fortitudinis corrumpit atque consumit, dicatur, *Lapides excauant aquæ.* Quia videl. duritiam mentis absorbens assidua & mollia blandimenta libidinis, & lentum atque subtile vitium corrumpit durum & forte propositum mentis. Vnde subditur. *Et alluuione paulatim terra consumitur.* Sicut enim influente aqua paulatim consumitur

H

A mitur terra; sic leniter surripiente vitio mens etiam fortis absorbetur. Vnde bene subiungitur. *Et homines ergo similiter perdes*, id est quia cum tentationem iusto iudicio eius meoti qui stare in alto cernitur, repente dominari permittis, cadere ac defluere facis mentem, & cum voluntas ad iudicium commutatur, quasi ad locum alium transfertur saxum. Sequitur.

20. *Roborasti eum paululum, vt in perpetuum transiret.* Paululum roboratus est homo, quia viuendi vires ad modicum accepit, vt in perpetuum transeat, vbi eius vitam terminus non concludat. Sequitur. *Immutabis faciem eius, & mittes eum.* Facies hominis immutatur, cum eius species morte atteritur. Omittit vero, quia ab his quæ volens tenuit, transire ad æterna cogitur nolens. Sequitur.

21. *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.* Sicut enim hi qui adhuc vites * sunt, mortuorum animas quo loco habeantur, ignorant; ita mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur, nesciunt. Quod tamen de animabus sanctis senoendum non est. Quia qui intus claritatem omnipotentis Dei vident, nullomodo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique qui amorem præcipuum filijs impendunt, hoc eis B. Iob nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amauerunt. Quod tamen si intelligi spiritaliter debet, non incongrue filiorum nomine opera designantur, sicut de muliere Paulus dicit, quia salua erit per filiorum generationem. Nobiles ergo sunt filij recta opera facientes, ignobiles autem facta peruersa. Et sæpe homo agere quælibet bona intentione nititur, sed tamen pro multis quæ subrepunt, eius acta apud omnipotentem Deum qualiter habeantur incertum est. Sequitur.

* viui, seu in viuis f.

B

22. *Et tamen caro eius dum viuit, dolebit: & anima eius super semetipsum lugebit.* De coniugibus Paulus dicit. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Quia quisquis in se gaudere appetit, eo ipso iam in luctu est, quo à vera lætitia recessit. Væ quippe lætitia menti, creator est. Sequitur.

2.Cor.7.28.

CAP. XV.

1. *Respondens autem Eliphaz Themanites dixit.* Crebro iam diximus, beatum Iob, typum sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, amicos vero illius hæreticorum speciem tenere, qui quasi ex defensione Domini, occasionem stultæ locutionis inueniunt, & contumeliosa contra bonos verba iaculantur. Quibus cuncta quæ à fidelibus sentiuntur, quasi in vento prolata displicent. Vnde nunc dicitur.

C

2. *Numquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens?* Nec bonorum verba, dicta rationis æstimant, sed stimulos furoris. Vnde & subditur. *Et implebit ardore stomachum suum?* Qui ea etiam quæ sciunt contumeliose dicere, student semper vt dictum est ex Domini defensione palliare. Sequitur.

3. *Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, & loqueris quæ tibi non expediunt.* Nullum vero existimant timorem Domini habere, nisi eum quem potuerunt ad suæ confessionis stultitiam trahere. Vnde adiungit.

4. *Quantum in te est euacuasti timorem, & tulisti preces coram Domino.* Tulisti, dicitur abstulisti. Ac si aperte dicat. De tua iustitia præsumens creatoris tui gratiam despicis deprecari. Cum enim vera mala hæretici contra bonos non inueniunt, fingunt quæ redarguunt, vt iusti esse videantur. Et fit plerumque vt ad aperta contumeliorum verba perueniant. Vnde ad hoc subditur.

D

5. *Docuit enim iniquitas tua os tuũ, & imitaris linguam blasphemantium.* Iniquitas os docet, quando ea mala vita concipitur, quod peius dicatur. Ac si ei aperte diceretur. Quod peruerse loqueris, ex peruersiori vita didicisti. Sed quoniam sancta Ecclesia veram Domini carnem, veram Domini mortem confitens, ab hæreticis qui hoc negant, irrogare Deo contumeliam creditur. Vnde nunc dicitur. *Et imitaris linguam blasphemantium.* Sequitur.

6. *Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi.* Quia enim ex errore confessionis existimant mala aduersitatis erumpere, labia sua ei asserunt respondere, vt culpa eloquij sit causa flagelli. Sequitur.

7. *Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit eius sapientia?*

E Ac si verbis apertioribus dicat. Qui de æterno loqueris, pensa quia temporalis es. Qui de eius sapientia disputas, pensa quia consilium ignoras. Sequitur.

8. *Quid nosti quod ignoremus, quid intelligis, quod nesciamus?* Quæ videlicet dicta patenter ostendunt, ex qua mentis elatione prodeat, quicquid quasi ad Dominicam defensionem sonat. Sequitur.

9. *Et senes & antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui.* Quia omnes hæretici à sancta vniuersali Ecclesia sunt egressi, testatur Ioannes qui ait. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Sed vt ea quæ asserunt commendare stultis mentibus hominum quasi de antiquitate possent, antiquos patres se habere testantur, atque ipsos doctores Ecclesiæ, suæ professionis magistros dicunt. Cumque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum patrum magisterio falsa præsumptione gloriantur, vt ea quæ ipsi dicunt etiam antiquos patres tenuisse fateantur. Sequitur.

1.Ioan.2.19

11. *Numquid grande est, vt consoletur te Deus, sed verba tua praua hoc prohibent.* Ac si ei patenter dicat. Si professione fidei corrigeris, iamdudum consolationem flagellis habere potuisses. Sequitur.

F

12. *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?* Sæpe iustorum mens ita ad altiora contemplanda suspenditur, vt exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed quia hanc contemplationis vim in occulto agere hæretici ignorant, hoc à iustis & recta sapientibus fieri magis per hypocrisim, quam per veritatem putant. Sequitur.

13. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones?* Plerumque iusti aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera coguntur fateri. Quod beatus Iob fecerat, quem post iustitiam flagella deprimebant. Sed cum eorum dicta iniusti audiunt, hæc per elationem potius, quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba iustorum pensant, & dici humiliter posse vera bona non æstimant. Sequitur.

14. *Quid est homo vt immaculatus sit?* Eo enim ipso quod dicitur humo, terrenus exprimitur, & infirmus. Homo enim ab humo appellatus est. Et quomodo valet esse sine macula, qui sponte sua ad infirmitatẽ concidit factus de terra. Vbi & additur. *Et iustus appareat, natus de muliere?* Primam quippe viro iniustitiã mulier propinauit in Paradiso. Quomodo ergo iustus apparebit, qui de illa natus est, quæ iniustitiæ propinatrix extitit? Sequitur.

G

15. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Hoc cælorum nomine repetit, quod Sanctorum prius appellatione signauit. Nam de eisdem sanctis scriptum est. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Quia per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent. Sed dum immutabili veritati semper inhærere desiderant, inhærendo agunt vt immutabiles fiant. Cumque ad hanc se toto affectu tenent, quandoque accipiunt vt super semetipsos ducti, vincant hoc quod in semetipsis mutabiles extiterunt. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius*, quia per semetipsos ante districtum iudicium, nec ipsi esse mundi ad perfectum possunt, qui munditiæ prædicatores fiunt. Ioanne attestante qui ait. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus*, & reliqua. Sequitur.

Psal.18.2.

H

1.Ioan.1.8.

16. *Quanto magis abominabilis & inutilis homo?* Abominabilem scilicet propter immunditiam maculæ: inutilem vero propter iniustitiam imperfectæ vitæ. Qui tamen abominabilis & inutilis intelligi & aliter potest. Aliquando enim homo peruersus quædam recte agere videtur, sed per ea quæ iniqua sunt, etiam ea eius quæ recta sunt destruuntur. Et quia multum Deo displicent mala, neque illa placent quæ videntur bona. Qui ergo in malis suis Deo abominabilis est, in bonis inutilis. Sequitur. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Culpa enim quæ ab stulto homine, sine vlla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Sequitur.

17. *Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi.* Habent hoc omnes arrogantes proprium, vt cum rectum quid vel parum senserint, in vitium hoc elationis inflectant, atq; vnde

per

A per intellectum sibimetipsis altiores fiunt, inde per tumorem elationis in foueam cadant. Et vt fortiorem sibi auctoritatem arroget, dicit. *Quod vidi narrabo tibi.* Quia vero nunnumquam hæretici de damnatis suis patribus confunduntur, & tamen eorum sententias, quasi cum auctoritate ad medium proferunt, ex quorum stultitia iure reprobantur. Subditur.

18. *Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos. Quibus so-*
19. *lis data est terra, & non transiuit per eos alienus.* Solis suis patribus datam terram existimant, quia solos errorum suorum magistros rexisse veraciter Ecclesiam putant. Quis vero *alienus*, nisi apostata Angelus vocatur? Vnde per Psalmistam de cunctis simul malignis spiritibus dicitur. *Quoniam*
Psal. 53. 5. *alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam.* Hæretici igitur, quia doctorum suorum corda Apostatæ Angelo existimant non fuisse subiecta, transisse per eos alienum denegant. Cui videlicet alieno per vnumquemque transire est, iniquas in corde eius cogitationes immittere. Sequitur.

B 20. *Cunctis diebus suis impius superbit.* Solent etiam electi in quibusdam cogitationibus suis atque actibus superbire, sed quia electi sunt, cunctis diebus suis superbire non possunt, quia priusquam vitam finiant, ad humilitatis* metum ab elatione corda commutant. Impius vero diebus suis omnibus superbit, quia sic vitam terminat, vt ab elatione minime recedat. Vnde bene subditur. *Et numerus annorum incertus est tyrannidis eius.* Superbire minime debuisset, etiamsi annorum suorum certum numerum habere potuisset, vt sciens quantum viueret, præsciret quando se ab elatione remoueret. At postquam vita semper incerta est, tantum semper mortis subreptionem timere debet, quantum numquam prouidere valet. Bene autem superbiam impij tyrannidem vocat. Proprie enim tyrannus dicitur qui in communi Republica non iure principatur. Sed sciendum est, quia omnis superbia iuxta modum proprium tyrannidem exercet; nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum vellet. Et cum deest potestas foris, apud se tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus. Sequitur.

* *circum.*

C 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille insidias suspicatur.* Nil autem simplici corde fœlicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nil est quod pati ab alijs formidet. At contra mens praua semper in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab alijs inferantur, & quicquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari à proximis formidat. Fit vndique suspecta, vndique trepida. Omne quod ad memoriam venit exquirere contraria creditur. Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic proculdubio *terroris sonitus* semper *in auribus est*, & sæpe contingit, vt tali cuilibet proximus suus simpliciter loquatur, nil aduersum cogitet. Sed *cum pax sit, ille insidias suspicatur*, quia qui semper dolose agit, simpliciter erga se agi non æstimat. Et quia scriptum est. *Impius cum in pro-*
Prou. 18. 3. *fundum venerit peccatorum, contemnit:* inuolutus iniquitatis suæ tenebris, iam de luce desperat. Vnde & sequitur.

22. *Non credit quod reuerti possit de tenebris, circumspectans vndique gladium.* Quia dum feriri se vndique insidijs credit, salute desperata, semper ad nequitiam excrescit. Sequitur.

D

23. *Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies.* Panis etenim stipendium vitæ præsentis, tenebrarum vero dies tempus vltionis accipitur. In hac vita quæ ..... suo aliquando iste peruersus iram superni iudicis perpendit præsentem, sed è malo non auertitur, vt etiam ipsa quoque ab eius interitu valeat auerti. Accusante autem se conscientia feriri metuit, sed tamen semper auget quod feriatur. Contemnit enim reditum suum, desperat veniam, superbit in culpa. Sequitur.

24. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.* In omni quod iniquus agit tribulatione & angustia vallatur, quia cor eius anxietate & suspectione confunditur. Sciendum quoque, quia Rex qui præparatur ad prælium, sic de hoste suspectus est, vt eundem quem ducit, exercitum metuat ne labefactetur, ne destitutione militum, oculis pateat inimicorum. Iniquus ergo angustia vallatur sicut qui præparatur ad prælium, quia videlicet falsa agens, falsa loquens, formidat ne suos amittat milites, id est argumenta falsitatis, & veritatis oculis pateat, si ei fortasse defuerit, quod ea fallacia opponat. Sequitur. E

25. *Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* Hæc de ipso iniquorum capite scilicet Antichristo apertius sentiuntur. Qui contra Deum manum erigens, roborari dicitur, quia paruo tempore permittitur exaltari, vt cum ad modicum gloriari sinitur, eo in perpetuum atrocius puniatur. Sed quia eius membra sunt omnes iniqui, hoc quod in fine mundi ille tunc singulariter acturus est vnus, videamus modo qualiter à malis agatur singulis. Contra Deum quippe manum tendere est in operatione praua despectis Dei iudicijs perseuerare, & quia tunc magis irascitur cum permittit impleri, quod saltim concipi cogitatione non debuit. Contra omnipotentem iniquus ille roboratur, quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus & peruersa faciat, & tamen fœliciter viuat, de quo adhuc subditur.

F 26. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo.* Erecto collo aduersus Deum currere est, ea quæ creatori displicent cum audacia perpetrare. De quo recte dicitur *cucurrit*, id est in malo opere obstaculum de aduersitate non habuit, de quo adhuc additur. *Et pingui ceruice armatus est.* Pinguis ceruix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus in pingui ceruice armatur contra Dominum, quia rebus temporalib. tumens, contra præcepta veritatis quasi de magnitudine carnis erigitur. Sequitur.

27. *Operuit faciem eius crassitudo.* Visus quippe in facie, in qua & prima corporis honorabilior pars est. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus, illud videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit, & hoc quod ire eis honorabile esse debuit, ante Dei oculos fœdat, quia curis multiplicibus aggrauat. Sequitur. *Et de lateribus eius arvina dependet.* Quia aruina pinguedo est carnis, latera dicere solemus diuitum, hos quos eis coniunctos cernimus. Aruina de lateribus eius pendet, quia quisquis potenti & iniquo adhæret, ipse quoque de eius potentia velut ex pinguedine rerum tumet. Qui patronum peruersi iniquitatem sequens Deum non timet, quos valet, & quantos valet pauperes affligit, & de gloria temporali cor eleuat. Sequitur. G

28. *Habitauit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.* Quia enim à conuersatione conuenientium ciuitas appellatur, ciuitates desolatæ sunt ipsi obloquentium cunei peruersorum, quorum clamoribus peruersus iste laudatur, cum ad praua opera per nequitiam rapitur. Domus vero desertæ sunt cogitationes prauæ quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit, iniquorum omnium cogitationibus placere appetit. Qui deserti & desolati dicuntur, quia omnipotens Deus & conuersationes, & cogitationes talium deserit. Ruentia namque domorum atque ciuitatum ædificia tumulos faciunt. Quomodo dum praui quique confusis actionibus sibimetipsis ad peruersa opera iunguntur, ostendunt proculdubio, quia ædificia vitæ ceciderunt. Sequitur. H

29. *Non habitabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terra radicem suam.* Quod hic *non habitabitur* dictum est, in quibusdam codicibus reperi *non dilabitur*. Sed sensus non discrepat, quamuis à se sermo discordet. Ille enim virtutibus dilabitur, cuius mentem non habitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio auctoris sui gratiam non inhabitat, profecto virtutibus non ditatur. Propter hoc ergo quod interius est vacuus ditatur, non inhabitabitur: propter hoc vero quod transitoria foris tumet, recte subiungitur. *Nec perseuerabit substantia eius.* Superbus enim quisque dum contra Dominum roboratur, dum currit *erecto collo*, & in *pingui ceruice* contra auctorem erigitur, stare quasi arbor videtur: sed status eius sine radice est, quia velut ad leuem flatum, sic ad modum occultæ sententiæ vita eius eruitur. Sin vero hoc loco etiam, æternæ vitæ retributionem accipimus, de qua Propheta ait. *Portio mea in terra viuentium.* Iniquus iste in Psal. 141. 6.

A *Poteram & ego similia vestri loqui.* Narrat iustus quid face-
4. re potuerit, sed ne iustitiam deserat, quod facere poterat declinat. Sequitur.

*Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! Consolarer &
5 ego vos sermonibus meis, & mouerem caput meum super vos. Robo-
6. rarem vos ore meo, & mouerem labia quasi parcens vobis.* Aliquando necesse est vt prauis mentibus quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, diuina flagella optari benigne debeant. Quod cum magno fit amoris studio, videlicet non errantis pœna, sed correptio quæritur, & oratio potius quam maledictio esse monstratur. Notandum quod non ait, Esset anima mea pro anima vestra, sed, *Vtinam esset anima vestra, pro anima mea.* Quis profecto sibi malediceret, si se illis similem fieri optaret, illis vero meliora voluit quos sibi fieri similes quæsiuit. Consolamur vero prauos in flagello constitutos, cum de exteriori percussione interiorem in eis conualescere salutem indicamus. Caput etiam mouemus, cum mentem, quæ principale nostrum est, ad compassionem inflectimus, eosque inter flagella roboramus,
B cum doloris eorum vim verbis mitibus lenimus. Sunt namque nonnulli, qui dum interna nesciunt, de malis exterioribus despectabiliter affliguntur. Quod vero non ait, parcens, sed *quasi parcens vobis*, nequaquam hoc negligenter prætereundum puto, quia sancta Ecclesia disciplinæ vigorem cum permixtione mansuetudinis seruans, aliquando malis, & quasi parcens, parcit; aliquando vero & quasi non parcens, parcit. Sancta ergo Ecclesia cum prædicatores suos quædam facta malorum sub dispensatione inuectionis increpat, labia quasi parcens mouet, sed tamen parcendo non parcit, quia ab inuectione culpæ generaliter non tacet, quæ specialiter tacet. Sequitur.

7. *Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescit dolor meus, & si tacuero, non recedit à me.* Hoc personæ beati Iob qualiter congruat, nullus ignorat; sed si ad sanctæ Ecclesiæ typum trahatur, hæc & cum loquitur dolor minime quiescit, quando locutione sua peruersos minime corrigi conspicit, & cum tacet dolor minime recedit, quia etsi aduersa
C ta conticenent, hoc ipsum amplius quod tacet gemit, quia se tacente peruersiorum culpas excrescere conspicit. Sequitur.

8. *Nunc autem oppressit me dolor meus.* Dolore suo sancta Ecclesia premitur, quando in malitia sua crescere peruersos intuetur. Et quia dum praui crescunt, etiam infirmi qui in ea sunt, ad sequenda studia prauitatis initiantur, recte additur. *Et ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Sicut enim per ossa fortes, sic per artus infirmi quique designari solēt. Membra ergo Ecclesiæ ad nihilum rediguntur, quando ex imitatione prauorum in hoc mundo crescentium, infirmi quique deterius informantur. Videntes etenim malorum fœlicitatem, sæpe & ab ipso fidei statu dilabuntur. Bene autem dicitur. *Nunc autem*, quia videlicet tempus doloris Ecclesiæ modo est, & tempus gaudij postmodum sequitur. Sequitur.

9. *Et rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* Quid per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes qui in ea dupliciter viuunt, qui fidem vocibus
D clamant, operibus denegant. Has autem rugas in electis suis Ecclesia sancta non habet, quia videlicet nesciunt aliud foras ostendere, & intus aliud habere. Vnde recte
Eph. 5. 27. egregius prædicator dicit. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.* Ac si ergo dicat. Ipsi insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi, duplicitatis suæ in se malitiam non emendant. Sequitur. *Et suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi.* Etiam pacis iure tempore sancta Ecclesia falsiloquum patitur, dum sunt in ea multi qui de æternitatis promissione diffidunt, & tamen se fideles esse mentiuntur. Qui dum prædicationi eius aperte contradicere non præsumunt, falsiloquum non contra faciem, sed quasi post dorsum patitur. Sed cum tempus malitiæ eruperit, is qui nunc metuens derogat, ad contradicendum ante faciem venit, quia verbis veræ fidei apertis vocibus obsistit. Sequitur.

10. *Colligit furorem suum in me.* Habet nunc diabolus contra sanctam Ecclesiam furorem, sed sparsus furor eius est, quia E
occultæ sunt eius tentationes quas per singulos mouet. Cum vero contra eam aperta persecutione eruperit, furorem suum in ea colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Sequitur. *Et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis.* De quo & subditur. *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Ille quippe antiquus hostis contra hanc dentib. fremit, eamq; terribilibus oculis intuetur, qui per alios crudelia exercet, & per alios quæ exerceat prouidet. Dentes namq; huius hostis sunt bonorum persecutores atq; carnifices, qui eius membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi vero huius hostis sunt hi qui contra eam prouident mala quæ fiant, suisque consilijs persecutorum eius crudelitatem inflammāt. Antiquus ergo aduersarius fremit contra eam dentib. suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum. Intuetur eam *terribilibus oculis*, quia prauorum consilijs non cessat mala exquirere, in quibus hanc semper deterius affligat. Sequitur.

Aperuerunt super me ora sua exprobrantes. Ora sua reprobi F
exprobrantes aperiunt, cum & erroris sui mala prædicare 11.
non metuunt, & prædicamentis rectæ fidei inuident. Seq. *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Maxilla quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Iudææ
specie per Hieremiam dicitur. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius.* Maxillam quippe peruersi feriūt, Thren. 1. 2.
cum bonos prædicatores insequuntur, & tunc reprobi grande aliquid fecisse æstimant, cum vitam prędicatorum necant. Illa quippe pœna eos satiat, quæ mentem Ecclesiæ præcipue castigat. Sequitur.

*Conclusit me Deus apud iniquum, & in manus impiorum me 12.
tradidit.* Electorum populus apud iniquum concluditur, cum eius caro antiqui hostis persecutionib. temporaliter datur. Qui non spiritu, sed manibus traditur impiorum, quia quo hunc in mente capere nequeunt, eo contra carnem illius crudelius inardescunt. Sequitur.

Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. In eo quod 13.
se repente contritum asserit, nimirum mētem improuidam designauit. Qui dum mala quæ ventura sunt præui- G
dere nesciunt, tanto eis grauiora fiunt, quanto & ab eis inopinata tolerātur; firmis autem mentibus repente aduersa non veniunt, quia priusquam veniant, prouidentur. Quod tamen nunc quoq; sancta Ecclesia in quibusdam tolerantibus patitur, qui post doctrinæ opulentiam, subitis aliquando vitijs conteruntur, vt sic in quibusdam malis corruant, ac si verbi pabulum nunquā habuissent. Sequitur. *Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit quasi in signū.* Sicut in malis ceruix superbiam, sic in bonis libertatem erectionemq; significat. Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quæ sentiunt prædicare libere non p̄sumunt, recte de hoc hoste dicitur. *Tenuit ceruicem meam, confregit.* Fortasse autem hi ceruicis appellatione signati sunt, qui pacis eius tempore plus quam decet, eriguntur; & sub occasione defendendæ rectitudinis, vitio deseruiunt elationis. Qui persecutionis tempore, idcirco aduersa plus sentiunt, quia de prosperis extolluntur. Constat nimirum quia idcirco signum ponitur vt sagittarū emissione feriatur. Fide- H
lis autem populus in signum hosti suo est positus, quia eum semper suis ictibus impetit, eumque suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita assidua mala tolerat, velut in signo positus excipit facientes. Seq.

*Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, non 14.
pepercit, & effudit in terra viscera mea.* Hæc iuxta literam B. Iob
congrui* posse videbantur per hoc quod dicitur. *Circumdedit me lanceis suis,* nisi subderet quod eo scriptum minime *congruere.
legitur. *Effudit in terra viscera mea.* Ea qua re necesse est, vt dum hoc iuxta literam inuenire non possumus, ea quæ in verbis eius secundum historiam sonant, iuxta spiritum requiramus. Sancta Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum iaculis impeditur. Bene autem circumdare lanceis dicimus, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. *Conuulnerauit lumbos meos.* In lumbis quippe luxuria est. Vnde & is qui cupiebat voluptatem libidinis à corde extinguere, prædicauit dicens.

A *succincti lumbos mentis vestræ.* Cum ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc proculdubio in lumbis ferit. Vbi notandum quoque est, quod non ait, vulnerauit, sed *conuulnerauit lumbos meos.* Sicut enim loqui aliquando vnius est, colloqui vero duorum, vel fortasse multorum: sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus. Sequitur. *Non pepercit.* Ac si dicat. Non destitit. *Et effudit in terra viscera mea.* Quid aliud sanctæ Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes, qui eius quædam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deseruiunt? Sed antiquus aduersarius cum fideles quosdam, qui interioribus Sacramentis deseruire videbantur, ad secularia negotia pertrahit, eius proculdubio viscera in terram fundit. Sequitur.

1. Pet. 1.

25. *Concidit me vulnere super vulnus.* In infimis suis sancta Ecclesia vulnere super vulnus conciditur, quando peccatum peccato adduntur, vt culpa vehementius exaggeretur. Quem

B auaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, vt perpetratam culpam ex falsitate etiam defendatur, quid iste, nisi super vulnus concisus est vulnere? Vnde quoque & per Prophetam dicitur. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Sequitur. *Irruit in me quasi gigas.* Facile quippe inimico resistitur, si non ei vel in multis, vel in vno diutius consentiatur, sin vero eius suasionibus anima subesse consueuit, quanto se ei crebrius subijcit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat. Sequitur.

Ose. 4. 2.

26. *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Quid in sacco & in cinere, nisi pœnitentia? Quid in cute, & in carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, & cinere caro cooperitur, quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne in districti iudicis examine ad vltionem videatur. Sequitur.

17. *Facies mea intumuit fletu.* Facies quippe Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminum positi apparent primi, vt ex eorum specie sit honor fidelis populi, etiamsi quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus ac si de proprijs affligunt. Sequitur, *Et palpebræ meæ caligauerunt.* Palpebræ enim recte appellatæ sunt, qui ad prouidenda pedum itinera vigilant. Sed cum occulta Dei iudicia nec præpositi vigilantes intelligunt, palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant. Sequitur.

18. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, dum haberem mundas ad Deum preces.* Absque iniquitate enim manus suæ pertulit, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Et tamen dolorem crucis pro nostra redemptione tolerauit. Qui solus pro omnibus *mundas ad Deum preces* habuit, quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus orauit dicens. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Sequitur.

1. Pet. 2. 22.

Luc. 23. 34.

19. *Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat locum in te latendi clamor meus.* Peccanti homini dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Quæ scilicet terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia vnusquisque peccator redemptionis suæ pretium sumens, confitetur ac laudat, & quibus volet proximis innotescit. Terra etiam eius sanguinem non aperuit, quia sancta Ecclesia redemptionis eius mysterium in cunctis iam mundi partibus prædicauit. Ipse enim sanguis redemptionis qui sumitur, clamor est nostri redemptoris. Vnde etiam Paulus dicit. *Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Locum enim latendi clamor eius in nobis inuenit, si hoc quod mens credit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, restat vt vnusquisque iuxta modulum suum viuificationis suæ mysterium proximis innotescat. Sequitur.

D

Gen. 3. 19.

Heb. 12. 24.

20. *Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.* Cum enim filius labefactaretur in terra, erat ei testis in cælo. Testis quippe hij pater est, de quo ipse in Euangelio dicit. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Qui recte etiam *conscius* dicitur, quia vna voluntate, vno consilio pater cum filio semper operatur. Quod fortasse etiam ad vocem eius corporis referri valet. Sancta namque Ecclesia idcirco aduersa vitæ præsentis tolerat, vt hanc superna gratia ad præmia æterna perducat. Carnis suæ mortem despicit, quia resurrectionis gloriæ intendit, & transitoria sunt quæ patitur, perpetua quæ præstolatur. De quibus nimirum bonis perpetuis dubietatem non habet, quia fidele iam testimonium redemptoris gloriam tenet. Qui recte *conscius* dicitur, quia naturam nostram non solum creando nouit, sed etiam assumendo. Scite enim eius est nostra suscepisse. Vnde etiam per Psalmistam dicitur. *Ipse enim scit figmentum nostrum.* Quæ tamen vox cum beato Iob congruere nobis etiam singulis potest. Omnis enim qui ex eo quod agit, humanas laudes appetit, testem in terra quærit; qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se habere in cælo considerat. Sequitur.

Ioan. 5. 37.

E

Psal. 102. 14.

Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. Quid enim per oculum, nisi cordis intentio designatur? Sicut scriptum est. *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Cum ergo verbosi amici sunt, id est eum & ipsi derogant, qui in fide sociantur, ad Deum necesse est vt oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat. Sequitur. 21.

F

Luc. 11. 34.

Atque vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo. Peccatores quidem nos esse semper agnoscimus, sed tamen sæpe in flagello positi, pro quo magis peccato flagellamur, ignoramus. Et nos ipsi subtili inquisitione discutimus, vt sic quomodo possumus causam persecutionis nostræ inuestigare valeamus, quæ dum plerumque nos latet, fit nobis oneri cæcitas nostra, & de eo quod patimur plus dolemus. Quisquis vero cum collega suo ad iudicium accedit, & quod sentit, dicit: & quicquid contra dicitur agnoscit, & vnde pulsat & nouit vnde pulsatur. Qui enim diuina animaduersione percutitur, dum nouit quidem quia vapulat, sed cur vapulet ignorat, quasi dicit ipse quod sentit, sed quod contra se dicitur, nescit quia ipse quidem ingemiscit in verbere, sed Deus aperte non declarat, pro qua eum feriat vltione. Seq. 22.

G

Ecce enim breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertar, ambulo. Omne quod transit, breue est, etiamsi tardius terminari videatur. In mortis autem semita, per quam non reuertimur, ambulamus; non quod ad vitam carnis minime resurgendo reducimur, sed quod ad labores huius vitæ mortalis vel ad conquirenda præmia laboribus iterum non venimus. Sequitur. 23.

Spiritus meus attenuabitur. Attenuatur spiritus timore iudicij, quia electorum mentes quo amplius extremo iudicio propinquare se sentiunt, eo ad discutiendos semetipsos terribilibus contremiscunt, & si quas in se carnales cogitationes vnquam inueniunt, pœnitentiæ ardore consumunt, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt. Sequitur. *Dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum.* Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque vnde in oculis suis iam quasi non viuit, inde veraciter in oculis sui conditoris viuit. Sequitur. CAP. XVII. 1.

H

Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Ac si aperte dicat. Culpam non feci, & flagella suscepi. Sed hac in re animum mouet, quia in multis se historiæ locis peccasse confitetur, qua ratione nunc peccasse se abnegat? Sed ad hæc animo celeriter occurritur, quia nec tantum peccauit, vt flagella mereretur, nec tamen sine peccato esse potuit. Redemptor etiam ad ereptionem nostram veniens, & non peccauit, & amaritudinem pertulit, quia pœnam nostræ culpæ sine culpa suscepit. Seq. 2.

Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Ipse etenim non peccauit in cogitatione vel opere, ipse in amaritudine moratus est per passionem, ipse liberatus est per resurrectionem. Ipse iuxta patrem positus est per ascensionem, quia profectus in cælum sedet a dextris Dei. Et quia per ascensionis eius gloriam Iudæa in Discipulorum eius persecutionem commota est, recte nunc dicitur. *Et cuiusuis manus pugnet contra me.* Sequitur. 3.

Cor

A *Cor eorum longe fecisti à disciplina.* Si enim disciplinę custo-
4. diam noscent, nequaquam Redemptoris nostri præcepta
contemnerent. Ipsa eos carnis suæ mortalitas excitasset ad
amorem vitæ immortalis. Hoc ipsum namque in hac vita
corruptionis nos esse subiectos iam de flagello disciplinæ
est. Æstu enim & frigore, fame, sitique turbari, morbis af-
fici, quandoq; etiam extingui, quid sunt hęc alia quam fla-
gella peccati? Neq; hoc ita dicitur, ac si omnipotens & mi-
sericors Deus longe cor hominis à disciplina faciat, sed quod
sponte lapsum ibi remanere vbi cecidit iudicãdo permit-
tat. Sequitur. *Propterea non exaltabuntur.* Quia dum infimis
voluptatibus dimissi terrena bona semper desiderant, cor
ad superna gaudia numquam leuant. Exaltarentur quippe
si mentem ad spem patriæ cœlestis erigerent. Sed qui per
disciplinam custodire vitam minime student, semper per
desideria in imis iacent. Sequitur.

5. *Prædam pollicetur socijs, & oculi filiorum deficient.* Postquam
de multitudine iniquorum, id est de antiqui hostis corpo-
re beatus Iob sententiam protulit, mox ad ipsum eorum
B principem, id est caput omnium perditorum sententiam
vertit, atq; à plurali numero ad singularẽ redit. Peruersus
itaq; iste auctor erroris prædam socijs pollicetur, quia ma-
lignis spiritibus prauorum mittit animas, in eorum fine ra-
piendas. *Et oculi filiorum eius deficient.* Quia dum intentiones
hominum ad sola terrena speranda excitat, hoc illos ama-
re facit, quod diu tenere non possint. Possunt quoq; & per
socios fortasse intelligi crudelissimi quique & omni mali-
tia iam repleti. Per filios vero hi qui adhuc deceptoris pro-
missionibus illusi, augendæ prauitati nutriuntur. Seu *oculi
filiorum eius deficient*, quia prauorum intentiones cadunt.
Sequitur.

6. *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram
eis.* Hæc beatus Iob dicat ex se, dicat ex vocibus omnium
electorum. Omnis quippe qui flagello percutitur, quasi
in prouerbium ponitur vulgi, quia stultus quisq; dum cui-
quam maledicere appetit, ex illius similitudine maledi-
ctionem sumit, quem temporaliter percussum videt, eam-
que pœnam suo optat aduersario, quam euenisse conspi-
C cit iusto: sicque fit vt non recte sapientibus in exemplum
deducatur iustus. Sequitur.

7. *Caligauit ad indignationem oculus meus, & membra mea quasi
in nihilum sunt redacta.* Ad indignationem oculus caligat
quando ipsi quoq; qui in dominico corpore, id est in Ec-
clesia, lumen veritatis habent, dum se diutius despici ac
dedignari conspiciunt, de occultis iudicij admiratione tur-
bantur, & secretum Dei penetrare nequeunt, cur pręuale-
re peruersi contra bonorum innocentiam permittantur.
Membrorum quippe nomine, teneritudo infirmorum ex-
primitur, qui dum peruersos prospiciunt florere, iustosque
cruciari, ad hoc nonnumquam perueniunt, vt se bona vel
inchoasse pœniteant. Sequitur.

8. *Stupebunt super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabi-
tur.* Hoc loco innocens necdum perfectus iustus accipitur,
qui bona adhuc inchoans, etsi nocere alijs non nouit, per-
fecta tamen ipse agere nequaquam valet. Succenditur vero
contra hypocritam innocens, dum gloriæ simulatoris in-
uidet, etiam qui nulli nocere solet. Sin vero hoc in loco in-
D nocens quilibet perfectus in bono accipitur, contra hypo-
critam innocens suscitatur, quando & florere conspicit, &
tamen cum suo eum flore contemnit. Sequitur.

9. *Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitu-
dinem.* Considerato quippe hypocrita, iustus viam suam
tenet, quia dum illum ex peruersa voluntate obtinere ea
quæ mundi sunt, intuetur: ipse ad amorem cœlestium ro-
bustius stringitur, sciẽs quia bonis desiderijs præmia æter-
na non deerunt, dum & prauis & duplicibus cordibus bo-
na temporalia non negantur. Qui ex re *mundis* quoq; *ma-
nibus addet fortitudinem*, quia conspiciens peruersos obtine-
re terrenam gloriam, bona opera sua prouehit ad perfe-
ctionem, & tanto altius temporalia despicit, quanto hæc
etiam malis abundare cernit. Sequitur.

10. *Igitur vos omnes conuertimini & venite.* Quæ videlicet ex-
hortationis verba, proprie ad electos format, quos ad æ-
ternitatem vocat. Qui duobus modis inuitantur, scilicet
vt & conuertantur & veniant. Conuertantur nimirum fi-
de, veniant opere. Vel certe conuertantur deserendo ma- E
la, & veniant bona faciendo, sicut scriptum est. *Declina à* Psal. 36. 27.
malo & fac bonum. Sequitur. *Et non inueniam in vobis vllam sapien-
tiam.* Quid est enim quod eos ad sapientiam vocat, & ta-
men optat ne illos sapientes inueniat, nisi quod ad veram
sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fi-
ducia decipiuntur? De quibus scriptum est. *Væ vobis qui sa-
pientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Se- Esa. 5. 21.
quitur.

*Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquen- 11.
tes cor meum.* Sancta electorum Ecclesia per diurna & no-
cturna tempora conspicit vitæ suæ spatia transire, quia no-
ctem in aduersitatibus, diem vero in prosperitatibus ha-
bere consueuit. Quasi enim lux ei oritur ex tranquillita-
te pacis, & nox ex dolore persecutionis. Sed cum post
quietis otia, ad excrescentes contra se persecutiones labo-
remque redit, dies suos transisse testatur. In quibus tamen
diebus solet tanto grauioribus curis premi, quanto a se
ipsa tranquillitate pacis subtiliores à iudice rationes excu-
gitat exquiri. Sed dum bonis mentibus temporalis fœlici- F
tas transit, etiam cura eis terrenæ dispensationis subtrahi-
tur, quæ eos in cogitationibus torquere videbatur. Se-
quitur.

Noctem verterunt in diem. Dissipatæ etenim cogitationes 12.
noctem in diem verterunt, quia nonnumquam iustis amplius
placet ex aduersitate mala perpeti, quam ex prosperitate
terrenæ dispensationis cura fatigari. Sequitur. *Et rursum post
tenebras spero lucem.* Lux enim post tenebras speratur, quia
vel post noctem vitæ præsentis æternum lumen percipi-
tur, vel ita hic aduersitas atque prosperitas alternat, vt sibi
succedere vicissim non desinant. Vnde fit, vt & in luce nox
in suspicione fit, & nocte lux in præsumptione, sicut scri-
ptum est. *In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die ma-
lorum ne immemor sis bonorum.* Sequitur. Eccl. 11. 27.

*Si sustinuero, infernus domus mea est, in tenebris straui lectulum 13.
meum.* Priores etenim sancti & sustinere aduersa poterant,
& tamen corporibus educti adhuc ab inferni locis libera-
ri non poterant, quia necdum venerat qui illuc sine culpa G
descenderet, vt eos qui ibi ex culpa tenebantur, liberaret.
Tunc vero homo suum lectulum in tenebris strauit, quã-
do lucem iustitiæ persuasori callido consentiendo dese-
ruit, & quia in ipsis inferni locis iustorum quoque animæ
sine tormento tenebantur, vt & pro originali culpa adhuc
illuc descenderent, & tamen ex proprijs actibus suppli-
cium non haberent. Quasi in tenebris lectulum strauisse
est, in inferno sibi requiem pręparasse. Graue enim tædium
electis fuit post solutionem carnis, adhuc speciem non vi-
dere creatoris. Quod tædium non immerito beatus Iob
tenebras vocat. Sequitur.

*Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermi- 14.
bus.* Quid est quod dixit putredini, *Pater meus es*, nisi quod
omnis homo ab origine iam viciata descendit? Vnde &
additur. *Mater mea, & soror mea vermibus.* Quia videlicet, &
ab ipsa putredine, & cum ipsa venimus in hunc mundum.
Quantum enim ad materiam corruptibilis carnis, mater
nostra ac soror vermes sunt, quia & de putredine processi-
mus, & cum putredine venimus quam portamus. Quod si
intelligi spiritualiter potest, & mater natura, & consuetudo H
non immerito soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus.
Quæ videl. mater & soror vermes sunt, quia ex natura cor-
ruptibili, & consuetudine peruersa cogimur, vt quasi qui-
busdam vermibus, sic inquietis cogitationibus in mente
fatigemur. Carnis enim natura viciata, & consuetudo per-
uersa, quia innumeras curas in corde infirmitatis nostræ
generant, bene mater & soror vermes vocantur. Mordent
enim animum curæ dum inquietant. Sequitur.

Vbi est ergo nunc præstolatio mea? Quæ esse potuit præstola- 15.
tio iustorum, nisi iustus & iustificans Deus, qui ad pœnas
humani generis sponte descenderet, vt captiuos mortis
iustitiæ suæ virtute liberaret? Huius enim præsentiam mi-
nime cessabant intenta cogitatione præstolari, quã quan-
doque esse venturam nouerant, sed venire citius quære-
bant. Sequitur. *Et patientiam meam quis considerat?* Expressit
desiderium quo festinato carne posita redimi, & ab in-
feris ad superna reuocari. Et quidem paucorum homi-

A num ista fuit perpendere, vt scirent de præsentis vitæ laboribus, vel de subsequenti post mortem dilectione cogitare. Quod vtrumque iusti ante aduentum redemptoris nostri se perpeti dolebant. Vnde rectè dicitur. *Et patientiam meam quis considerat?* Et quidem non deest qui patientiam consideret, sed cum citius non exaudit, quasi minus considerat dicitur Deus. Ipsa enim humani generis quæ venit in fine mundi Dei redemptio, ab his qui à mundi initio præcesserunt tarde credebatur, qui a longo temporis spacio à cœlestium remuneratione disiuncti sunt, Veritate attestante, quæ ait. *Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Sequitur.

Luc. 10. 24.

16. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Cum constet quod apud inferos iusti non in locis pœnalibus, sed in superiori quietis sinu tenerentur, magna nobis oboritur quæstio, quidnam sit quod beatus Iob asserit dicens. *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Sicut itaque quantum a celsitudine cœli aer iste caliginosus infernus

B est, quantum ad eiusdem aeris altitudinem terra inferius iacet, & infernus intelligi & profundus potest: quantum vero ad eiusdem altitudinem terræ, & illa loca inferi, quæ superiora sunt alijs receptaculis, inferni profundissimi appellatione signantur, quod enim cœlo, terra ad aera, hoc ille est superior infernorum sinus ad terram. Sed mirum valde quod adiungit. *Descendent omnia mea.* Cum enim sola anima mea descensura esset ad inferiora loca, quid est quod vir sanctus illuc perhibet omnia sua descendere, nisi quod ibi se esse tutum videt, vbi pondus suæ remunerationis intelligit? Quia hoc quod ex se insensibile in terra desecerit, quousque ad incorruptionem resurrectionis redeat, se esse non sentit. Vel certe in infernum eius omnia descendunt, quia laborum omnium retributio adhuc in sola inferni quiete recipi præstolabatur, & quasi illuc descendit omne quod egit, quia ibi quietem retributionis suæ ex omnibus inuenit. Sequitur. *Putasne saltem ibi erit requies mihi?* In quibus nimirum verbis, & innotescit quod desiderat, & tamen se esse adhuc de suscipienda requie dubium designat

C ... cuius sancta opera tot flagella secuta sunt, occulto iudicio superni iudicis post flagella temporalia etiam mansura tormenta sequerentur. Quia in re cum magno nobis timore pensandum est, quis nostrum iam de requie æterna securus sit, si & ea adhuc & ille trepidat, cuius virtutis præconia & ipse iudex qui petiit clamat. *Si enim iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebit?*

1. Pet. 4. 18

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XIV.

D RESpondens autem Baldath Suithes dixit. * *Intelligeprius & sic loquamur.* Omnes hæretici sanctam Ecclesiam in quibus incognitis superbire putant, quædam vero nec intelligere suspicantur. Sequitur.

Vsque ad quem finē verba iactabitis. Intelligite prius, &c.

CAP. XVIII.

1. *Quare reputati sumus vt iumenta, & sorduimus coram te?* Hu-
2. manæ menti est proprium hoc sibi fieri suspicari quod facit. Arbitrantur enim se despici, quia bonorum mores despicere consueuerunt. Et quia in his quæ comprehendi valent ratione contra hæreticos, ostendit Ecclesia rationabile non esse quod astruunt, æstimari se ab eius iudicio velut
3. iumenta suspicantur. Sequitur.

4. *Qui perdis animam tuam in furore tuo.* Hæretici vel zelum rectitudinis vel spiritalem gratiam sanctæ prædicationis, non virtutis pondus, sed insaniam furoris existimāt, quo furore videl. peritæ fidei suas animas arbitrantur. Seq. *Nunquid propter te derelinquetur terra?* Quid ergo est dicere, *nūquid propter te derelinquetur terra*, nisi hoc quod sæpe fidelib. dicunt quia si hoc est verum quod vos dicitis, omnis terra derelicta, quam iam per multitudine nos tenemus. Seq. *Et transferentur rupes de loco suo.* Hæretici rupes vocant eos quos sublimibus in hu... genere excedere sensibus æstimant, quos profecto doctores se habere gloriantur. Cum vero sancta Ecclesia peruersos quosq. prædicatores intra sinum fidei rectæ colligere studeret, quid aliud quam de locis proprijs mouet, vt intra eam recta sentientes iaceant humiliter, qui in peruersis suis sensibus prius rigidi stabant? Sed hoc fieri hæretici omnino contradicunt, & propter vocem eius rupes de loco proprio transferri renuuntur. Sequitur.

E

Nonne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? 5.
Hæc si in præsentis vitæ diffinitione denuntiat, fallitur; quia plerumq; & impijs inesse lumen prosperitatis cernitur, & pios tenebræ ignobilitatis & paupertatis abscondunt. Sin vero ad hoc eius sermo dirigitur, vt ostendat quid impij in suo fine patiantur, veraciter dicitur. *Nonne lux impij extinguetur?* Omnis namque impius habet flammam ignis proprij, quem in corde suo ex feruore desideriorum temporalium accendit, sed non splendebat *flamma ignis eius*, cum in die exitus omnis exterior decor subtrahitur, & solo suo intrinsecus ardore concrematur. Flamma ergo ab igne subtrahitur, cū gloria exterior ab æterno eius ardore separatur. Habent etiā & iusti flammam ignis sui, sed omnino quæ resplendeat, quia videl. eorum desideria in bonis operibus lucent. Seq. *Lux obtenebrescet in tabernaculo ipsius.* Si plerumq; tenebras tristitiam, non immerito lucē accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo illius obtenebrescit, quia in eius conscientia quam male inhabitat gaudium, quod de temporalibus rebus fuerat, deficit. Seq. *Et lucerna quæ super eum est extinguetur.* Vt enim de vsu multorum loquar, lucerna lumen in testa est, lumē vero in testa est, gaudium in carne. *Lucerna ergo quæ super eum est extinguetur*, quia cum malorū suorū retributio impium sequitur, in eius mente gaudium carnale dissipatur. Sic enim iniquorū mentē terrena gaudia possident, vt super ipsam sint, nō apud ipsam. Sequitur.

F 6.

Arctabuntur gressus virtutis eius. Nunc enim quasi virtutis 7.
suæ gressus extendit, quotiens potestatis suæ violentias exercet. Sed *gressus virtutis eius arctabuntur*, quia vires malitiæ illius quas nunc in voluptatibus suis exhibet postmodum pœna constringit. Sequ. *Et præcipitabit eum consiliū suum.* Habet nunc consilium omnis iniquus præsentia appetere, æterna desperare, iniusta agere, iusta deridere. Sed cum iudex iustorum iniustorumq; venerit, suo vnusquisq. impius consilio præcipitatur, quia per hoc quod hic elegit appetere, praua cogitationibus in æterni supplicij tenebras mergitur. Quem enim hic gloria temporalis extollit, illum illic sine termino pœna premit. Sequitur.

G

Immisit enim in rete pedem suum, & in maculis eius ambulat. 8.
Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit, eijcit; sic qui in peccatis se deijcit, non mox vt voluerit surgit, & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, & cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sæpe namque contingit vt quis huius mundi delectatione persuasus in eo ad honoris gloriam pertingat, & plerumq; habita vilescunt, percipiendo discit quam sit vile quod expetiit. Vnde reuocatus ad mentē, exquirit qualiter sine culpa fugiat, quod se conspicit esse adeptum. Sed ipsa enim dignitas quæ implicauit, tenet; & sine culpa alijs fugere non valet hoc, vbi sine culpa peruenit. Sequitur.

H

Tenebitur planta illius laqueo. Quia videlicet stringitur funis in peccati laqueo, & quia hostis generis humani cum 9.
vniuscuiusque vitam in culpa diligat, ad eius mortem anxius anhelat. Sequitur. *Exardescet contra eum sitis.* Antiquus quippe noster inimicus, cum in peccato vitam illaqueat, sitit, vt mortem peccatoris bibat. Quod tamen & aliter intelligi potest. Nam peruersa mens cum in peccato se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie euadere peccati laqueos quærit. Sed vel terrores vel opprobria hominum metuens, eligit in æternum mori, quam ad tempus aliquid aduersitatis perpeti. Vnde se totum vitijs deserit, quibus iam semel obligatum sentit. Cuius ergo vsque ad finem vita in culpa constringitur, eius planta laqueo tenetur. In cuius quippe animo cōtra eum sitis exardescit, quia quo agere peruerse consueuit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire est, huius mundi bona concupiscere. Sequitur.

Ab-

A 10. *Absconditus est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.* In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis lucris occultatur. Inimicus quippe insidians ostendit humanæ menti quid in terreno lucro appetat, & occultat peccati laqueum vnde eius animam stringit. Decipula vero à decipiendo vocata est, & tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione huius mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Quæ videlicet non facile deciperet, si videri potuisset. Sic quippe decipula ponitur, vt dum esca ostenditur, nequaquam ipsa à transeunte videatur: quasi esca quippe in laqueo est lucrum cum culpa, & huius mundi prosperitas cum iniquitate. Ibi ergo inimicus decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit, quia illic periculum deceptionis inserit, vbi viam esse inuenerit propinquæ cogitationis. Et quia peruersus homo, omne quod facit, etiam pati metuit, recte sequitur.

11. *Vndique terrebunt eum formidines.* Tales enim contra se omnes esse suspicatur, qualis ipse esse contra omnes nititur. Sequitur. *Et inuoluent pedes eius.* Praua itaque desideria ad pessimam actionem trahunt, & pessima actio restringit in formidine. Quæ videlicet formido inuoluit pedes, ne in rectam exire valeant actionem, & sæpe contingit, vt idcirco quisque bonus esse metuat, ne hoc à prauis ipse patiatur, quod se bonis fecisse reminiscitur; dumque hoc pati quod fecit, metuit: vndiq; territus, vndiq; suspectus, quasi pedes inuolutos habet. Sequitur.

B

12. *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas eius.* Scripturæ sacræ more optare videtur quod futurum prævidet, scilicet non maledicentis animo, sed prædicentis. Omnis itaque homo, quia ex anima & carne constat, quasi ex robore & infirmitate compositus est. Robur ergo hominis, anima est rationalis, quæ impugnantibus vitijs resistere per rationem valet. Ergo robur iniqui fame attenuatur, quia eius anima nulla interna cibi refectione pascitur, de qua scilicet fame per Prophetam dicitur. *Emittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ sed audiendi verbum Dei.* Costæ ergo vniuscuiusq; sunt sensus animæ, qui latentes cogitationes muniunt. Inedia igitur inuadet costas, quando omni spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt, & cogitationes suas regere vel tueri non possunt. Sequitur.

Amos. 8. 11.

C

13. *Deuoret pulchritudinem cutis eius, & consumet brachia illius primogenita mors.* Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur, quia corporale opus brachijs agitur: quid autem mors nisi peccatum est, quod ab interiori vita animã occidit? Si igitur peccatum mors, non incongrue primogenita mors superbia valet intelligi, quia scriptum est. *Initium omnis peccati superbia.* Pulchritudinem igitur cutis eius & brachia illius primogenita mors deuorat, quia iniqui gloriam vel operationem superbia supplantat. Sequitur.

Eccl 10 15.

*Auellatur.

14. D * *Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi rex, interitus.* Hoc loco interitus nomine ipse hostis generis humani qui interitum intulit, designatur. Iste itaque interitus, in die exitus quasi rex super impium calcat, quia quem prius blandis persuasionibus decipit, ad extremum violentis nisibus ad supplicium rapit. Sin vero interitus nomine, non aperte Diabolus, sed peccatum debet intelligi, ex quo contigit reprobos ad interitum trahi: talis nimirum interitus quasi rex calcat mentem, cum eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito tentatio deesse peccati, sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud dominanti seruire. Huius quippe de tabernaculo fiducia auellitur, quando peruersus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat, repentina morte dissipatur. Seq.

15. *Habitent in tabernaculo ipsius socij eius qui non est.* Id est in mente eius apostatæ Angeli per cogitationes nequissimas conuersentur, eius videlicet socij, qui idcirco iam non est, quia summa essentia recessit, & per hoc quotidie excrescente defectu quasi ad non esse tendit, quod semel ab eo, qui vere est, cecidit. Seq. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur.* Sulphur quid aliud quam fomitum ignis est? Quod tamen sic ignem nutrit, vt fœtorem grauissimum exhalet. Quid itaq; in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? Quod dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna incendia præparat. Hoc ergo in tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quoties peruersa delectatio carnis in eius mente dominatur. Sequitur. E

16. *Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius.* Quid namque radicum nomine, quæ in occulto positæ * sunt, & germen in apertum ferunt, nisi cogitationes accipimus? Quæ dum nõ videntur in corde, visibilia opera producunt, vnde & messis nomine, eadẽ aperta operatio designatur, quæ videl. ex latenti radice producitur. Sed dum prauus quisq; cogitationes suas in infimis reb. ponit, & sempiternæ viriditatis gaudia appetere negligit, quid aliud quam radices suas deorsum siccare permittit? Cuius messis sursum atteritur, quia eius omnis operatio à superno iudicio quasi nihilum deputatur, etiamsi ante oculos humanos bona videatur. Seq.

* sitæ.

F 17. *Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen illius in plateis.* Intuendum nobis est, quia sic Baldath Suithes de vnoquoq; loquitur, vt latenter ad caput omnium iniquorum, eius verba vertantur. Plateæ quoque appellatione Græca, à latitudine sunt vocatæ. Memoriam vero suam in terra statuere conatur Antichristus, cum in terrena gloria appetit si esset possibile in perpetuum permanere. Nomen suum in plateis celebrare gaudet, cum longe lateque operationem suæ iniquitatis extendit. Sed quia diu hæc iniquitas non sinitur extolli, dicitur. *Memoria illius pereat de terra.* Sequitur.

18. *Expellet eum de luce ad tenebras.* De luce ad tenebras ducitur, cum de honore vitæ præsentis ad æterna supplicia damnatur. Vnde apertius subditur. *Et de orbe transferet eum.* De orbe quippe transfertur, cum superno apparente iudice de hoc mundo tollitur, in quo peruerse gloriatur. Sequitur.

19. G *Non erit semen eius, neque progenies in populo suo, nec vlla reliquiæ in regionibus eius.* Scriptum quippe est quia Dominus Iesus *interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Dum ergo eius iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies eius in populo suo non relinquitur, quia & ipse eius populus cum eo ad supplicium pariter vrgetur, & omnes iniqui qui de eius peruersa persuasione in prauis actibus nati sunt, illustratione aduentus Domini æterno interitu cum eodem capite suo ferientur. Sequitur.

2. Thes. 2. 8.

20. *In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror.* Tanta enim tunc contra iustos iniquitate effrenabitur, vt etiam electorum corda non paruo pauore feriantur. Vnde scriptum est. *Ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi.* Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc vero contra eum certamen iustitiæ & nouissimi electi habere narrantur & primi, quia scilicet & hi qui in fine mundi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt, & illi etiam qui à prioribus mundi partibus præcesserant, Enoch scilicet & Helias, ad medium reuocantur, & crudelitatis eius sæuitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Huius vires in tanta potestate laxatas nouissimi obstupescunt, & primi metuunt. Sequitur. H

Mat 24. 24.

21. *Ergo hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius qui ignorat Deum.* Superius enim dixerat. *Expellet eum de luce ad tenebras, & de orbe transferet eum,* cuius cum mala subiungeret, adiunxit. *Hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius qui ignorat Deum.* Videlicet indicat, quia is qui nunc Deum ignorando extollitur, tunc ad propria tabernacula peruenit, quando eum sua iniquitas in supplicia demergit, & locum suum quandoque inuenit tenebras, qui dum hic de falsa gauderet luce iustitiæ, locum tenebat alienum; Peruersi enim in omni quod per simulationem faciunt, nomen gloriæ iustorum quasi locum occupare alienum nituntur. Sequitur.

Cap. XIX.

1. 2. Respondens autem Iob dixit. *Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Sancti viri eloquia, vt sæpe iam diximus, aliquando ex persona propria, ali-

A quando vero ex voce capitis, aliquando autem ex typo vniuersalis Ecclesiæ sentienda. Valde ergo affligitur anima iustorum, quando illi contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene viuere ignorant, & ex voce sibi iustitiam vendicant, quam moribus impugnant. Atteruntur enim boni sermonibus iniquorum, quando contra illi in verbis tument. Sequitur.

3. *En decies confunditis me.* Numeratis vicibus locutionum amicorum Iob, adhuc quinquies locutos eos esse cognoscimus. Sed propter hoc quod ab eis quinquies increpationes audierat, quorum increpationibus quinquies ipse responderat, decies se perhibet esse confusum: quia & in eo grauiter laborauit quod iniusta increpatus est, & in eo confusionem pertulit, quod verba doctrinæ non audientibus dixit. Sin vero ad typum sanctæ Ecclesiæ hæc verba referimus, liquet quod magnum est gaudium seruare Decalogi præcepta. Sed hanc peruersi decies confundunt, quia per omne quod peccant, prauis suis moribus Decalogi præcepta relinquunt. Sequitur. *Et non erubescitis opprimentes*

B *me?* Sunt nonnulli quos ad perpetrandam nequitiam obortа subito malitia mutat, sed tamen humana verecundia reuocat, & plerumq; per hoc quod exterius erubescunt, ad innocentiam redeunt, & contra se internum iudicium sumunt. Et sunt nonnulli, qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana iudicia spernunt. Hinc est enim quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est. *Et peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Plerumq; enim tales sunt aduersarij sanctæ Ecclesiæ, qui à perpetrandis malis, nec timore Domini, nec pudore hominum refrenantur. Sequitur.

Esa. 3. 9.

4. *Nempe & si ignoraui, mecum erit ignorantia mea.* Habent hoc hæretici proprium, vt de inani scientiæ suæ arrogantia inflentur, & recte credentium simplicitatem sæpe derideant, & nullius esse meriti vitam humilium ducant. At contra, sancta Ecclesia in omni quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne scientia inflet, ne inquisitione occultorum nimeat, & perscrutari aliqua quæ vltra vires sunt illius præsumat. Vtilius etenim studet nescire,

C quæ perscrutari non valet, quam audacter diffinire quæ nescit. Scriptum est quippe. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimitur gloria.* Dulcedo etenim mellis, si plusquam necesse est, sumitur; vnde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque est requisitio maiestatis, sed qui hanc plus scrutari appetit, quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderate mel sumptum perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Nobiscum vero esse dicitur quod pro nobis est, & rursum non nobiscum esse dicitur, quod contra nos est. Quia ergo scientia sua cor hæretici inflat, fidelis autem cognitio ignorantiæ suæ humiliat, dicat B. Iob sua voce, dicat etiam confessione vniuersalis Ecclesiæ, *mecum erit ignorantia mea.* Et quia hæc ipsa hæretici quæ scire quærunt, ad vitium solius elationis accipiunt, vt contra fideles & humiles docti videantur, recte subiungitur.

Prou. 25. 27.

5. *At vos contra me erigimini.* Ac si apertius dicatur. Qui erigi contra vosmetipsos ex mea persecutione debuistis. Ordo

D quippe erectionis in bono iste est, vt primum contra nos, & postmodum contra malos erigamur. Nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Contra nosmetipsos enim erigimur, quando mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos pœnitentiæ vltione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, & nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur. Qui ii districte prius nostra in nobis mala insequimur, iustum quoque est, vt etiam contra aliena mala viriliter erigamur, & ea quæ in nobis punimus, etiam in alijs redarguendo superemus. Sequitur. *Et arguitis me opprobrijs meis.* Omnes reprobi graue opprobrium deputant mala temporalia, & tanto esse vnumquemque à Deo despectum credunt, quanto hunc afflictum ea percussionis flagello conspiciunt. Nil enim in moribus, nil in actibus quærunt, sed quoslibet quos in hac vita viderint percussos esse, iam diuino iudicio damnatos arbitrantur. Sequitur.

E 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* O quam durum sonat vox iusti verberib. afflicti, quam tamen non elatio, sed dolor expressit. Sed iustus non est qui iustitiam in dolore deserit. Beatus autem Iob, quia mite cor habuit, nec in dura voce peccauit. Nam si hunc peccasse in hac voce dicimus, impleſſe Diabolum astruimus quod proposuit dicens. *Tange os eius & carnem, si non in facie benedixerit tibi.* Grauis itaq; quæstio oritur. Si etenim non peccauit in eo quod dicit, *saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* Deum quod dici nefas est iniuste egisse aliquid consentimus. Beatus enim Iob vitam suam attenderat, & ea quæ patiebatur flagella pensabat, & videbat æquum non esse, vt ad talem talia flagella reciperet, & cum dicit non se æquo iudicio afflictum, hoc libenti voce locutus est, quod in secreto suo Dominus de illo aduersario eius dixerat, *Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Igitur & vera Iob dixit, dum vitam cum flagello pensauit, & Deus non iniusto iudicio Iob afflixit, quia meritа

Iob 2. 5.

Iob. 2. 3.

F ea flagello cumulauit, & Diabolus quod promiserat, non impleuit, quia beatus Iob inter verba, quæ durum sonant, & à vera sententia, & à mente humilium nõ recessit. Sequitur. *Et flagellis suis me cinxerit.* Aliud quippe est, flagellis percuti, aliud cingi. Flagellis namque percutimur, cum consolationem & in doloribus ex rebus alijs habemus. Nam cum tanta nos afflictio deprimit, vt ea nullius rei cõsolatione respirare animus possit, non iam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur, quia tribulationum verbere ex omni parte circumdamur. Cinctus enim flagellis Paulus fuerat cum dicebat. *Foris pugnæ, intus timores.* Sequitur. 2. Cor. 7. 5.

7. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, vociferabor, & non est qui iudicet.* Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire vocem dolentium, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, vt quietis tranquillitas, quæ hic inueniri non valet, alibi quæratur. *Et non est qui iudicet.* Non est enim qui iudicet dicitur, quando iudicare dissimulat. Sequitur.

8. *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle*

G *meo tenebras posuit.* Circumseptam verberibus semitam suã vidit, cum transire ad securitatem cupiens, euadere flagella non potuit, & quia se pereunti aspexit, nec tamen percussione dignam vitam in semetipso reperit, quasi in calle cor ignorantiæ suæ tenebras inuenit, qui cur ita flagellaretur, penetrare non potuit. Quod ad infirma quoque membra sanctæ Ecclesiæ non incongrue refertur. Quia igitur sæpe infirmitate, nonnunquam vero ignorantia peccatur, ex infirmioribus membris dicitur. *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum.* Ex eis vero qui ad ipsum opus bonum quod eligant, caligant; subditur. *Et in calle meo tenebras posuit.* In calle ergo suo tenebras inuenit, quia in his quæ agere appetit, quid eligere debeat, nescit. Contra hæc vtraque per Psalmistam dicitur. *Dominus illuminatio mea & salus mea.* Sequitur. Psal. 26. 1.

9. *Expoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Quod cuncta hæc beati viri in afflictione positi personæ conueniant, dubium non est. Sed quia historiæ verba patent, expositione iuxta literam non indigent. Oportet ergo vt per sensus debeat mysticos inuestigari. Id est iustitia ab infirmis ablata est, quæ ab eis auferri non posset, sed idcirco potuit tolli, quia more vestimenti exterius adhæsit.

H Qua in re quærendum est, quomodo sanctæ Ecclesiæ membra dici valeant qui potuerunt iustitiam perdere, quam tenere videbantur. Sed sciendum est quod plerumque à membris eius infirmantibus iustitia ad tempus amittitur, sed per cognitionem culpæ postmodum ad pœnitentiam redeunt, seseque ad eandem iustitiam fortius quam credebatur, astringunt. Sequitur. *Et abstulit coronam de capite meo.* Sicut caput corporis prima pars est, ita principale interioris hominis mens est. Corona vero victoriæ præmium est, quod desuper ponitur, vt qui certauerit, remuneretur. Quia ergo multi aduersitatibus pressi minime in certamine perdurant, in eis sancta Ecclesia quasi de capite coronam amittit. Corona quippe in capite est, superna remuneratio in corde. Et sunt plerique qui dum aduersitatibus affliguntur superna

præmia

A præmia cogitare negligunt, & ad perfectionem victoriæ
peruenire non possunt. In his itaque corona de capite au-
fertur, quia supernum & spiritale præmium de mentis co-
gitatione tollitur. Vel certe caput fidelium non immerito
Sacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini præ-
Esa. 9. 14. mia sunt. Vnde & per Prophetam *caput & cauda* extermina-
ri dicitur. Corona ergo de capite aufertur, cum supernæ re-
munerationis præmia etiam ipsi deserunt, qui in hoc Ec-
clesiæ corpore præesse videbantur. Sequitur.
10. *Destruxit me vndique & pereo, & quasi auulsæ arbori abstulit
spem meam.* Quasi vndique enim Ecclesia destruitur, atque
in infirmis membris deperit, quando ipsa quæ videbantur
fortia corruunt, quando corona de capite abstrahitur. Ar-
bor quippe vento impellitur vt cadat, & quem minæ ter-
rent vt & ad iniustitiam corruat, quid aliud quam arboris
flatu ventum pertulit, & statum suæ rectitudinis amisit.
Sequitur.
11. *Iratus est furor eius contra me, & sic me habuit quasi hostem
1. Cor. 10. 13. suum.* Prædicatore quippe attestante didicimus, quia *fide-
B lis est Deus, & non patitur nos tentari supra id quod possumus ferre,
Iere. 30. 14. sed facit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.* Per Pro-
phetam quoque dicit Dominus. *Plaga inimici, percussi te
castigatione crudeli.* Qui ergo ita percutitur, vt vires illius
à percussione superentur, non hunc Dominus quasi filium
per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. Sequi-
tur.
12. *Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me.* La-
trones namque eius, maligni sunt spiritus, qui exquirendis
hominum mortibus occupantur, qui viam sibi in afflicto-
rum cordibus faciunt, quando inter aduersa quæ exterius
tolerant, cogitationes quoque prauas immittere non de-
sistunt. Sequitur. *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In
gyro enim tabernaculum obsident, quando ex omni la-
tere suis tentationibus mentem cingunt, quæ tamen ver-
ba, vt iam prædiximus, beato Iob, etiam iuxta historiam
congruunt, quia dum mala quæ pertulit, ante oculos con-
gessit, non quasi filium, sed quasi hostem percussum se esse
C indicauit. Per quem etiam sibi latrones eius viam fece-
runt, quia maligni spiritus contra eum licentiam percussio-
nis acceperunt. Cuius in gyro tabernaculum obsiderunt,
quia sublatis rebus & filiis, etiam corpus eius omne vul-
neribus attriuerunt. Sed mirum valde est, cum *latrones* di-
ceret, cur addidit, *eius.* Vt videlicet eosdem latrones Dei
esse monstraret. Sed quia in eis & voluntas iniusta est, &
potestas iusta, & latrones dicuntur eius, & Dei. Sed quia, vt
sæpe iam diximus, sanctus vir positus in dolore pœnarum,
modo suis, modo Ecclesiæ, modo Redemptoris nostri
vocibus vtitur, & plerumque sic sua narrat, vt tamen per
typum, ea quæ sunt sanctæ Ecclesiæ ac redemptoris nostri
proferat, post posita cura historiæ, paulisper in his quæ sub-
iungit, qualiter Redemptoris nostri vocibus congruat, de-
monstremus. Sequitur.
13. *Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt
à me.* Hoc melius ostendimus, si Ioannis ad medium testi-
Ioan. 1. 11. monium proferamus, qui ait. *In propria venit, & sui eum non
D receperunt.* Adeo quippe fratres longe facti sunt, & noti re-
cesserunt, quia tenentes legem prophetare Hebræi noue-
rant, & præsentem minime recognoscebant. Vnde & recte
dicitur.
14. *Et dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant obliti
sunt mei.* Iudæi etenim propinqui per carnem, non per legis
instructionem, quasi obliti sunt quem prophetauerunt,
dum eum & incarnandum verbis legis canerent, & incar-
natum verbis perfidiæ negarent. Sequitur.
15. *Inquilini domus meæ & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt
me.* Inquilini domus Dei fuerant sacerdotes, quorum ori-
go in Dei seruitio, deputatum iam per officium in con-
ditionem tenebatur. Ancillæ autem non immerito intel-
liguntur Leuitarum animæ ad secreta tabernaculi, quasi
ad interiora cubilis familiarius seruientes, qui incarnatum
Dominum, quem dudum per legis verba prædixerant, co-
gnoscere ac venerari noluerunt. Sequitur. *Et quasi peregri-
nus fui in oculis eorum.* Redemptor etenim noster dum à sy-
nagoga cognitus non est, in domo sua quasi peregrinus
Ierem. 14. 8. extitit. Quod aperte Propheta testatur dicens. *Quare sicut
colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* E
Sequitur.
Seruum meum vocaui, & non respondit. Quid enim Iudai- 16.
cus populus fuit, nisi seruus, qui non amore filii obseque-
batur Domino, sed timore seruili? Quo contra nobis per
Paulum dicitur. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in ti-* Rom. 8. 15.
*more, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pa-
ter.* Hunc igitur seruum vocauit Dominus, quia collatis
muneribus quasi emissis vocibus ad se eum ducere studuit,
sed *non respondit*, quia digna opera donis eius reddere con-
tempsit. Vocat enim nos Dominus, cum muneribus præ-
uenit. Sequitur. *Ore meo deprecabar illum.* Ac si apertius dice-
retur. Ego ille qui ante incarnationem meam toties præ-
cepta facienda per Prophetarum ora mandaueram, incar-
natus ad eum veniens, ore eum proprio deprecabar. Hinc
per Sponsam dicitur. *Osculetur me osculo oris sui.* Bene autem Cant. 1. 1.
dicitur, *deprecabar*, quia in carne monstratus, dum manda-
ta vitæ humiliter dixit, quasi superbientem seruum vt vi-
neret, rogauit. Sequitur. F
Halitum meum exhorruit vxor mea. Quid vxor Domini, ni- 17.
si synagoga accipitur, in legis fœdere carnali ei intelligen-
tia subiecta? Halitus vero ex carne est, sed infidelis populus
carnem Domini carnaliter intellexit, quia purum hunc
hominem credidit. Halitum ergo eius vxor exhorruit, quia
synagoga eum quem videbat hominem, Deum credere
expauit. Sequitur. *Et orabam filios vteri mei.* In vtero autem
proles concipitur, quæ in hac vita profertur. Quid ergo
vterum Domini, nisi eius consilium debemus accipere, in
quo ante secula per prædestinationem concepti sumus, vt
creati per sæcula produceremur? Deus ergo qui manet ante
sæcula, vteri sui filios orauit, quia eos quos potenter per di-
uinitatem suam condidit, incarnatus veniens humiliter
rogauit. Sequitur.
Stulti quoque despiciebant me. Sapientibus à veritatis fide 18.
cadentibus, recte de stultis additur quoque, quia dum Pha-
risæi Dominum, ac legisperiti despicerent, eorum increduli-
tatem etiam populi turba secuta est, quæ in eo quod homi-
nem vidit, Redemptoris mundi prædicamenta despexit. G
Sequitur. *Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.* Quasi acce-
debat quippe ad corda populorum Dominus, cum eis mi-
racula demonstraret, & quasi recedebat, cum nulla signa
ostenderet. Sed recedenti Domino detrahebant, cum à
miraculis quiescenti, præbere fidem nolebant. Sequi-
tur.
Abominati sunt me quondam consiliarii mei & quem maxime 19.
diligebam aduersatus est mihi. Scribæ itaque & legis doctores
qui erudire populos ad vitā consueuerant, quid aliud quā
venturi Redemptoris consiliarii fuerunt? Qui tamen dum
incarnatum Dominum conspicerent, consiliis suis multos
ab eius fide diuiserunt, quamuis prius ad credendum in-
carnationem eius per Prophetarum verba multos docuis-
se viderentur. Ipse enim ordo suadente perfidia à fide veri-
tatis auersus est, qui prius in labore prædicationis seruiens
maxime diligebatur. Sequitur.
Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. In osse fortitu- 20.
do, in carnibus vero infirmitas corporis designatur. Quia H
igitur Christus & Ecclesia vna persona est, quid per os nisi
ipse Dominus designatur, quid per carnē nisi discipuli, qui
passionis eius tempore infirma sapuerunt? Per pellem vero
quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ
fœminæ figurantur, quæ ad præparanda subsidia corporis,
exterioribus Domino ministeriis seruiebant? Nam cum
eius discipuli, quamuis necdum firmi veritatis fidem po-
pulis prædicarent, ossi suo inhærebant carnes, & cum san-
ctæ mulieres ea quæ necessaria erant, præpararent; quasi
pellis exterius manebat in corpore. Quasi ergo consumpta
carne os Domini pelli suæ adhæsit, quia fortitudo eius
passionis tempore fugientibus discipulis, iuxta se mulieres
inuenit. Sequitur. *Et derelicta sunt tantummodo labia circa den-
tes meos.* Quid enim circa dentes aliud quam labia habe-
mus, etiamsi nulla flagella patiamur? Sed quid per labia,
nisi locutio, quid per dentes, nisi S. Apostoli designantur?
Sed quia passionis eius tempore, isti dentes præ timore
morsus amiserunt morsum correptionis, amiserunt fidu-
ciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodæ operatio-

A nis, ita vt duo ambulantes post eius mortem ac resurre-
Luc. 24. 21. ctionem in via loquerentur, & dicerent. *Nos sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel,* recte nunc dicitur. *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Confabulabantur adhuc de eo, sed iam in illo minime credebant. Peractis itaque his quæ in voce capitis dixit, ad propria verba B. Iob reuertitur dicens.

21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Hoc habere solet proprium mens piorum, quod cum iniusta ab aduersarijs patitur, non tam ad iram, quam ad preces mouetur, vt se moderari eorum prauitas placide valeat, plus deprecari quam irasci eligunt. Notandum quoque quod eis quæ secreto apud Deum gesta sunt, beati viri in publico verba concordant. A Sathan quippe percussus fuerat, nec tamen percussionem suam Sathanæ tribuit, sed tactum se manu Domini appellat, sic-
Iob 2. 5. ut ipse quoque Sathan dixerat. *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem.* Sequitur

B
22. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Non abhorret à locutione pietatis, quod à Deo se perhibet persequi. Est namque persecutor bonus, sicut de se-
Psal. 100. 5. metipso ore prophetico Dominus dicit. *Detrahentem occulte aduersus proximum suum hunc persequebar.* Cum vero sanctus quisque flagellari permittitur, scit quod persecutionem contra commissa vitia ex interna dispensatione patiatur. Crudeles autem mentes persecutorum cum potestatem feriendi appetunt contra bonorum vitam, non studio purgationis, sed liuoris facibus accenduntur. Et quidem hoc faciunt, quod Deus omnipotens fieri permittit, sed dum vna causa cum Deo etiam per eos agitur, non tamen voluntas vna in eadem causa seruatur, quia cum Omnipotens amando purgationem exhibet, iniustorum prauitas sæuiendo malitiam exercet, quod intelligi & ali-
* iustius. ter potest. Tanto enim Deus omnipotens, * iustus aliena vitia percutit, quanto in semetipso nihil habet vitiorum. Homines cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam
C infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam, oculos nouerint reuocare. Ac si aperte diceretur. Ita ex infirmitatibus meis afflictis, ac si more Dei de infirmitate nihil habeatis. Vnde & subditur. *Et carnibus meis saturamini?* Quorum mens proximorum pœnas esurit, saturari proculdubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis pro-
Prou. 23. 20 culdubio carnibus satiantur. Vnde per Salomonem dicitur. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt.* Sequitur.

23. *Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, vel plumbi la-*
24. *mina vel certe sculpantur in silice* cuncta quæ pertuli? Quia forti patrum sententia . . . . grauis ille Iudæorum populus agnouit, *stylo ferreo & plumbi lamina* scripta sunt, quia vero hæc etiam dura Gentilium corda nouerunt, quid ea nisi sculpta in silice videmus? Et notandum, quia in plumbo quod scribitur ipsa metalli mollitie citius deletur. In silice vero tardius quidem valent literæ exprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immerito per plumbi laminam Iudæa exprimitur, quæ præcepta Dei & sine la-
D bore percepit, & cum celeritate perdidit. Recte Gentilitas per silicem figuratur, quæ verba sacri eloquij via custodienda suscipere potuit, sed tamen fortiter suscepta seruauit. Per stylum vero ferreum, quid aliud quam fortis Dei
Ierem. 17. 1. sententia designatur. Vnde & per Prophetam dicitur. *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* Recte quoque per plumbi laminam eos accipimus, quos auaritiæ pondus grauat, quibus per increpantem Prophetam
Psal. 4. 3. dicitur. *Filij hominum vsquequo graues corde?* Per plumbum namque, cuius natura grauius est ponderis, peccatum auaritiæ specialiter designatur, quod mentem quam infecerit, ita grauem reddit, vt ad appetenda sublimia attolli nequa-
Zach. 5. 5. 6. quam possit. Hinc enim in Zacharia scriptum est. *Leua ocu-*
7. *los tuos, & vide, quid est hoc quod egreditur, & dixi, quidnam est? & ait. Hæc est amphora egrediens. Et dixit. Hæc est oculus eorum in terra vniuersa, & ecce talentum plumbi portabatur.* Quæ tamen B. Iob verba sanctæ Ecclesiæ quoque congruunt, quæ duo sacri eloquij testamenta custodiens, quasi secundum sermones suos scribere petit. Quæ quia futuri sententia modo hoc non formidat vt debet, necdum cognouit eũ quantu

E per pondus auaritiæ grauantibus, modo autem duris cordibus loquitur, stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe in silice scribit. Sequitur.

25. *Scio enim quod Redemptor meus viuit.* Qui enim non ait Cõditor, sed Redemptor, aperte eum denuntiat, qui vt nos de captiuitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaq; passione nos à perpetua morte liberauit. Et notandum quanta fide se in virtute eius diuinitatis astringit, de quo &
2. Cor. 13. 4. per Paulum dicitur. *Quia si & crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Ait namque. *Scio enim quod redemptor meus viuit.* Ac si apertis vocibus dicat. Infidelis quisq; illum flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum nouerit, ego illum post mortem viuere certa fide credo. Sed quid B. Iob per resurrectionem illius etiam de suæ carnis resurrectione confidis, aperta quæsumus voce profitere. Sequitur. *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Quia videlicet resurrectionem quam in se ostendit, in nobis etiam quandoq;
F facturus est. Resurrectionem quippe quam in se ostendit, nobis promisit, quia suæ capitis gloriam sequuntur membra. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen eiusdem resurrectionis exquiro. Credo namque, quia resurrecturus sim, sed volo audire qualis. Sequitur.

26. *Et rursum circumdabor pelle mea.* Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur, quia nõ sicut Euticius Constantinopolitanæ vrbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, ostendit manus & latus, palpan-
Luc. 24. 39. daque ossa præbuit dicens. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sequitur. *Et in carne mea videbo Deum.* Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem, apertis vocibus fatetur. Quid ergo remanet,
G vnde possit mens nostra dubitare? Si itaque iste vir sanctus ante effectum resurrectionis Dominicæ reducendam carnem in integro statu credidit, quis erit reatus nostræ dubitationis, si vera carnis resurrectio, nec post exemplum creditur Redemptoris? Sequitur.

27. *Quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Si enim sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, quia post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamuis substantia carnis non sit, profecto alius est qui moritur, alius qui resurgit. Sed B. Iob hanc eius sententiam veridica voce destruit, qui ait. *Quem visurus sum ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Nos autem B. Iob fidem sequentes, & Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram diuersam & eandem. Eandem per naturam, diuersam per gloriam. Eandem per veritatem, diuersam per potentiam. Sequitur. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nihil nos certius habere credimus, quam hoc quod in sinu tenemus. In sinu ergo suam spem repositam
H tenuit, qui vera certitudine de spe resurrectionis præsumpsit. Sequitur.

28. *Quare ergo nunc dicitis, persequamur eum, & radicem verbi inueniamus contra eum.* Priori quippe sententia iniquorum facta reprehendit, sequenti autem ea diuino iudicio pœnas innotuit. Ait enim. *Quare ergo nunc dicitis, persequamur eum, & radicem verbi inueniamus contra eum.* Peruersi quilibet malo studio bene prolata audiunt, & in lingua iusti accusationis auditum inuenire appetunt, quid aliud quam contra eum verbi radicem quærunt, ex qua videlicet loquendi originem sumunt, & ramos prauæ loquacitatis in accusationem dilatent. Sequitur.

29. *Fugite ergo à facie gladij, quia vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.* Omnis qui peruerse agit, eo ipso quo hoc despicit, esse Dei iudicium nescit. Si enim hoc timendo sciret, quæ in illo sunt punienda non ageret. Nam sunt plerique qui æternum esse iudicium verbotenus sciunt, sed peruersa agendo testantur, quia nesciunt. Qui enim

A torbine terroris adueniat. Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, iræ diem vtique tremendo præcaueret. Faciem quoque gladij fugere est, animaduersionis districtæ sententiam prius quam appareat, placare.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XV.

CAP. XX. Qvia amici B. Iob nequaquam peruersi esse potuerint, Sophar Naamathitis verba restantur, qui de ore eius terrorem venturi iu-
1. dicij audiens protinus adiungit.

2. *Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur.*
B Ac si apertis vocibus dicat. Quia extremum iudicij terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timorem confundor. Tanto quippe se animus amplius in cogitatione dilaniat quanto illud esse terribile quod imminet, pensat. Sequitur.

3. *Doctrinam, qua me arguis, audiam: & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.* Ac si aperte dicat. Tua quidem verba audio, sed an recte prolata sint spiritu meæ intelligentiæ discerno. Sequitur.

4. *Hoc scio a principio ex quo positus est homo super terram, quod*
5. *laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Liquet nunc quia suæ intelligentiæ spiritu inflatus, eas quas contra impios sententias profert, in B. Iob redargutionibus inflectit. Quem enim prius iusta agere, & postmodum pœnas tolerare conspexit, omnem in illo hypocrisim æstimat fuisse quod vidit, quia videlicet a iusto Deo iustum famulum affligi posse non credidit. Sed nos intueamur, quam vera dicit, si hæc contra impios loqueretur. Impij itaque, quia præsentem vitam diligunt, in eo proculdubio elati, percipere laudem quærunt, linguæ fauoribus extolluntur, nec
C esse boni, sed dici appetunt. Quam videlicet laudem longam esse æstimant dum assequuntur, sed breuem intelligunt fuisse dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur quam nil fuit, quod amauerunt, & sæpe hypocrita dum sanctum se simulat, & iniquum exhibere minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora prospicere nequeunt. Sed hoc eorum gaudium æternitati comparatum quid erit, quando irruente mortis articulo ita consumitur ac si omnino non fuerit? Cuius nimirum gaudij lætitia pertransit, & pœna permanet, & cum res amittitur, causa durat. Sequitur.

6. *Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes te-*
7. *tigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Superbia hypocritæ vsque ad cœlum ascendere dicitur, quando eius elatio cœlestem vitam agere videtur. Cuius etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus illius sanctorum præcedentium coæquari meritis creditur, sed
D *quasi sterquilinium in fine perdetur*, quia in morte sua dum ad tormenta ducitur, stercorum vitiorum plenus, a malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est. *De stercore boum lapidatus est piger.* Sequitur. Eccles. 22.
Et qui eum viderint, dicent. Vbi est? Plerumque hypocritarum vita etiam ab hominibus reproba in fine cognoscetur, vt signis iam apertioribus qui fuerint, ostendantur. Qui igitur hunc elatum viderunt, de extincto dicent. *Vbi est?* Quia neque hic vbi elatus fuerat apparet, neque in æternitatis requie de qua esse putabatur. Vnde subditur.

8. *Velut somnium auolans non inuenietur, transit sicut visio nocturna.* Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet in veritate? Vnde recte quoque somnio comparatur, quia omnis laus & gloria quasi dum tenetur, amittitur. Sæpe namque in nocturna visione nonnulli pauperes facti se diuites admirantur, sed repente euigilantes inueniunt

E quam falsum fuerit, quod gaudebant; eosque euigilasse pœnitet, quia euigilantes inopiam veram tenent. Sic hypocritarum mentes dum aliud est quod agunt, atque aliud quod hominibus ostendunt, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt; sed inter hæc occultæ vocationis hora surrepit, & cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, moxque vt supplicia æterna receperint, ibi vident quam virtutum æstimatione diuites in somno fuerunt. Sequitur.

Oculus qui eum viderat, non videbit, neque vltra intuebitur locus suus. Quid est locus hypocritæ, nisi cor adulantium? Ibi 9.
quippe requiescit, vbi fauores inuenerit. Oculus ergo qui eum viderat non videbit, quia substractus in mortem stultis amatoribus suis absconditur, qui eum consueuerant admirando conspicere. Nec vltra eum locus suus intuebitur, quia linguæ adulantium hunc ad iudicium fauoribus non sequuntur. Sequitur.

Filij eius atterentur egestate. Scriptum est. *In maleuolam animam non introibit sapientia.* Et per Psalm. dicitur. *Diuites egue-* 10. F
runt & esurierunt. Filij itaque huius hypocritæ atterentur egestate, quia hi qui in hypocrisim ex eius imitatione nascuntur, dum veritatis soliditatem non tenent, in cordis egestate deficiunt. Sequitur. *Et manus illius reddent illi dolorem suum.* Quid per manus nisi opera designantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem iustam ex iniqua recipiet operatione. Sequitur. Sap. 1. 4. Psal. 33. 11.

Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in pul- 11.
uere dormient. Quid itaque adolescentia huius hypocritæ nisi inchoatio prauitatis est? In adolescentia quippe iam libido feruescere inchoat, & tunc adolescentiam hypocrita habet, cum appetere & amplecti libidinem gloriæ cœperit. Quam iam dum adulantium blanda fomenta multiplicant, robustiorem reddunt, & quasi in ossa conuertunt. Hoc enim quod male cœpit, peius quotidie per consuetudinem roborat: quæ nimirum ossa cum eo in puluere dormient, quia eo vsque in illo iniquæ consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis puluerem pertrahant. Aliter, cum hypocrita leuis ac mobilis multa pueriliter facit, etiam in his quæ fortia egerit, in vitio mollescit. Quæ videli- G
cet eius ossa, cum eo in puluere dormient, quia videlicet sicut puluis est omnis simulatio illa quam agit, ita in illo & si quid habet validum, omni soliditate vacuatur, vt per virtutes arrogantium hoc quoque perdat quod in eo potuit esse virtutis. Sequitur.

Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lin- 12.
gua sua. In ore hypocritæ malum dulce est, quia ei iniquitas suauis in mente, os quippe cordis cogitatio est, de qua scriptum est. *Labia dolosa in corde, & corde locuta sunt mala.* Sed Psal. 11. 3.
hoc malum quod in ore hypocritæ dulce est, sub lingua eius absconditur, quia asperitas malitiæ, quæ latet in mente, sub regimine blandæ locutionis operitur. Malum namque in lingua, & non sub lingua esset, si loquens hypocrita malitiam suæ prauitatis aperiret. Sequitur.

Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo. 13.
Malum enim quod diligit parcit, quia non hoc in semetipso pœnitendo persequitur. Vnde & additur. *Non derelinquet illud.* Si enim vellet relinquere, nequaquam parceret, quia H
persequeretur. Sed hoc celat in gutture, quia seruat in cogitatione, vt nunquam proferat in voce. Sequitur.

Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Quod 14.
panis in vtero, hoc est satietas temporalis delectationis in mente. Satietur ergo nunc hypocrita illata laude, delectetur honoribus, panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, quia satietas transitoriæ delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertitur. Et *fel aspidum*, id est, malignorum spirituum persuasio fuisse cognoscetur, quod hic laus gloriæ esse credebatur. Vel certe quia panis scripturæ sacræ intelligentia non inconuenienter accipitur, quæ mentem reficit, eique boni operis vires præbet. Et plerumque hypocrita etiam sacri eloquij eruditionis mysteriis studet, nec tamen vt ex eisdem viuat, sed vt cæteris hominibus quam sit doctus appareat, sed dum de sacræ legis scientia gloriatur, vitæ potum conuertit sibi in veneni poculum, & inde reprobus moritur vnde ad vitam eruditus videbatur. Neque hoc inconuenienter accipitur,

quod

A quod nonnunquam hypocrita dum doctrinæ verbo ad ostensionem studet, diuino iudicio cæcatus, hoc ipsum verbum praue intelligit, quod male quærit, & cum in errorem hæreseos labitur, contingit ei, vt sicut de felle aspidum, sic infelix de pane moriatur, & in doctrina sua mortem inueniat, quia in verbis vitæ vitam minime quæsiuit. Sequitur.

15. *Diuitias, quas deuorauit, euomet; & de ventre illius extrahet eas Deus.* Vult hypocrita scire diuina eloquia, nec tamen facere; vult docte loqui, nec viuere. Pro eo quod non ait, quæ nouit, etiam hoc quod nouit, amittit. Diuitias igitur sacræ legis quas legendo deuorauit, obliuiscendo euomit, easque de ventre illius extrahit, quia hoc quod seruare noluit, iusto iudicio de eius memoria euellit, ne præcepta Dei saltim in lingua teneat, quæ non seruat in vita. Vnde per Prophetam dicitur. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Sequitur.

Psal. 49.16.

B

16. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.* Aspis paruus est serpens, vipera prolixioris est corporis. Vipera enim dicitur, eo quod vi pariat. Quid ergo per aspides paruos nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parua prius suasione surrepunt? Quid vero per linguam viperæ, nisi violenta Diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter surrepit, postmodum vero etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum sugit, quia initium suggestionis occultæ, prius paruum in corde nascitur: sed occidit eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur. Sed fortasse hæc ipsa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia aspis veneno suo concite, vipera autem tardius occidit, per aspidem violenta & subita, per viperam lenis & diuturna tentatio designatur. Vnde illi mors in surrectione capitis, viperæ autem in lingua esse perhibetur, quia repentina tentatio sæpe inopinatam mentem mox vt surgit interficit, longa vero tentatio quia praua diutius persuadendo suggerit, velut ex lingua vipera occidit. Sequitur.

C

17. *Non videat riuulos fluminis torrentis mellis & butyri.* In Euangelio dicit Dominus. *Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Riuuli ergo sunt fluminis, dona Spiritus sancti. Riuulus est fluminis Charitas, Riuulus fluminis Fides, Riuulus fluminis Spes. Sed quoniam omnis hypocrita nec Deum nec proximum diligit, cum transitoriam mundi gloriam quærit, riuulos fluminis non videt, quia irrigatione non perinfunditur Charitatis. Et notandum quod non riuos, sed riuulos dicit. Accipi enim riuuli fluminis possunt esse dona spiritalia, quæ in amantis mente ita de cœlestibus subtiliter currunt, vt per os carnis impleri non possint. Fluuius autem torrens est, ipsa inundatio Spiritus sancti, quæ in contemplantis animum exuberanti infusione colligitur, cum mens plusquam intelligere sufficit repletur. Mel enim desuper cadit, butyrum vero ex animalium lacte colligitur. Mel itaque ex aere, butyrum ex carne est. Summi autem patris vnigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia, qui cum nos diuinitatis suæ dulcedine, & mysterio incarnationis repleuit, melle nos pariter & butyro satiauit. Quia ergo spiritus Christi mentem quam repleuerit, & diuinitatis eius dulcedine, & incarnationis fide lætificat, isti riuuli torrentis fluminis mellis simul & butyri esse memorantur. Sequitur.

Ioan. 7. 38.

D

18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* Persoluit enim in tormento ea quæ hic illicite seruauit desideria, & flammis vltricibus traditus semper moritur, quia semper in morte seruatur. Non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur, sed vt sine fine crucietur, viuere sine fine in pœna compellitur, vt cuius vita hîc mortua fuit in culpa, illicq; mors viuat in pœna. Sequitur. *Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.* Qui enim multa inuenit ad culpam, nouis cruciatur inuentionibus in pœna. Nam quod hîc suspicari non potuit, hoc illic vltionibus traditus sentit. Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus iubere: sic plerumque peruersi quique in prauis actionibus exercentur, vt plus inueniant in peruersa operatione quod faciant, quam ex vsu reproborum iniquitatis pernouerunt. Vnde & amplioris retributionis tormento feriuntur. Sequitur.

E

19. 20. *Quoniam confringens nudauit pauperis domum, rapuit, & non ædificauit eam, nec est satiatus venter eius.* Domum pauperis confringit & nudat, quia eum quem per potentiam conterit, expoliare quoque per auaritiam non erubescit. Rapit eam & non ædificat. Ac si aperte diceretur. Qui hanc ædificare debuit insuper rapit. *Rapuit ergo, & non ædificauit eam*, quia non solum de suo nil tribuit, sed etiam quod erat alienum, tulit. Venter quippe iniqui auaritia est, quia in ipsa colligitur, quicquid peruerso desiderio glutitur. Liquet vero quia auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit. Sequitur. *Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.* Maioris autem iracundiæ est, cum & hoc tribuitur quod male desideratur, atque inde repentina vltio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupiuit. Vnde & per Psalmistam dicitur, cum escam carnis male populus desiderasse perhibetur. *Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit plurimos eorum.* Sequitur.

F

Psal. 77. 38.

21. *Non remansit de cibo eius.* Cibus eius est omne quod peruerso desiderio concupiuit. Sed peruerso hypocritæ de cibo suo nil remanet, quia cum ipse ad æterna supplicia ducitur, à cunctis bonis, quæ hîc possederat, alienatus. Vnde & adhuc subditur. *Propterea nihil remanebit de bonis suis.* Si enim de bonis suis aliquid remaneret, secum quæ habuerat tolleret; sed quia omnia ambiens timere iudicem noluit, ea hac vita subtractus, nudus ad iudicem vadit. Sequitur.

22. *Cum satiatus fuerit, arctabitur.* Prius quippe anhelat per auaritiam, concupita congregare, & cum quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit, satiatur, arctatur, quia dum anxiatur qualiter adquisita custodiat, ipsa sua eum satietas angustat. Sequitur. *Aestuabit, & omnis dolor irruet super eum.* Prius namque dolorem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret. At postquam adquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum sollicito timore custodiat, quod cum graui labore meminit adquisitum. Post hæc quoque ad gehennam ducitur, æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor super eum irruet, quem & hîc prius pœna concupiscentiæ, postmodum vero cura custodiæ, & illic quandoque pœna vltionis cremabit. Sequitur.

G

23. *Vtinam impleatur venter eius, & immittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.* Super hunc hypocritam Dominus bellum suum pluit, cum iudiciorum suorum gladijs eius opera percutit. Bellum namq; Dei pluere est, iniqui vitam districtis sententijs desuper ad interitum vrgere. Sequitur.

24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.* Sciendũ quod auaritia aliquando per elationem subrepit, aliquando vero per timorem. Sunt namque nonnulli dum potiores videri appetunt, in alienarum rerum ambitum succenduntur. Et sunt nonnulli qui dum sibi subsidiorum necessaria deesse timent, mentem ad auaritiam relaxant, & aliena ambiunt, cum sibi sua sufficere non posse suspicantur. Omnis ergo necessitas non incongrue ferrum vocatur, quia vitam inopis mœroris vulnere cruciat, sicut quoq; de eius necessitatibus scriptum est, qui a fratribus venditus, afflictam vitam ducebat. *Ferrum pertransiuit animam eius.* Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ præsentis, quæ dure premunt, & vitam inopis insequuntur? Ferrum quippe ærugo consumit, æs autem consumere difficilius solet. Ferro ergo necessitas præsens, quæ transitoria est, ære autem sententia æterna figuratur. Et quia iudicium supernũ ab iniqui mente non attenditur, iure arcui comparatur, quomodo velut ex insidijs percutit, dum illud is qui percutitur non attendit. *Fugiet ergo arma ferrea, & irruet in arcum æreum*, quia dum præsentes necessitates metuens mul-

H

Psal. 104. 18.

A rapet auaritiam rapit, extremi iudicij districtis se percus-
sionibus anteponit Sequitur.
25. *Eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudi-
ne sua.* Iniquus iste insidiatur deprædationibus proximorũ,
sed dũ praua in cogitatione machinatur, quasi adhuc gla-
dius in vagina est. Dum vero malum quod cogitauit, ini-
que perficit, de vagina sua egreditur: quia de occultatio-
ne cogitationis suæ per iniquitatem malę operationis spe-
citur, ostēditur in opere, qualis latuit in cogitatione. Et no-
tandum quod ait. *Eductus & egrediens de vagina sua.* Eductus
scilicet per seductorem, egrediens vero per propriā volun-
tatem. Fulgur quippe cum repente desuper venit, cum ter-
rore ante oculos clarescit, claritatem ostendit, & antepo-
sita percutit. Sic sic videlicet iniquus cum gloriam vitæ
præsentis assumpserit, vnde in hoc mundo per potentiam
clarus ostenditur, inde agitur vt multi feriantur. Quia e
fulgurare ei quies est, in huius vitæ honore clarescere. Sed
B quia splendor gloriæ illius æternis gehennæ supplicijs
mancipatur, rectè nunc dicitur *fulgurans in amaritudine sua.*
Quia enim modo quasi ex terrore & claritate feriens gau-
det, inde post supplicia in perpetuum sustinet. Sequitur.
Vadent & venient super eum horribiles. Quid hoc loco horri-
biles nisi maligni spiritus appellantur? bonis videlic. men-
tibus pauendi atque fugiendi? Et quia ijdem maligni spi-
ritus certis quibusque vicijs singuli obsequi sunt creden-
di, cum peruersus iste alia quidem vitia ad momentum de-
serere videtur, sed alia agere incipit, profectò super hunc
horribiles vadunt & veniunt, quia peruersi mentem etsi
alia mala deserunt, alia occupant. Sequitur.
26. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius.* Quamuis hy-
pocrita actiones bonas in superficie ostendit, quædam ta-
men in eo malorum operum tenebræ appareant, sed tamen
minus prodit in opere, quam in eius latet cogitatione.
Nam qui cuncta simul in effectu non explet, cuncta quæ
noceant in mente tacitus tenet. Sequitur. *Deuorabit eum
ignis, qui non succenditur.* Miro valde modo paucis verbis ex-
pressus est gehennæ ignis. Ignis namque corporeus, vt esse
C ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse
est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur,
nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere. At
contra gehennæ ignis cum sit corporeus, & in semetipso
reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succen-
ditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel inextinguibilis
durat, & succensione non indiget, & ardore non caret,
quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mū-
di origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reprobo-
rum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine li-
gnis nunquam finiret. Sequitur. *Affligetur relictus in taberna-
27. culo suo.* Iniqui enim tabernaculum caro est, quia lætus i-
psam inhabitat, & si sit possibile, optat vt eam nunquam
relinquat. Quam videlicet carnem cum in resurrectione
susceperit, cum ea gehennę ignibus traditus ardebit. Tunc
ab ea educi appetit, tunc eius tormenta si valeat euadere,
quęrit. Tunc incipit velle vitare quod amauit. sed qui ean-
dem carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt ex
ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere
D non vult, & tamen ab ea abstrahitur: illic eam relinque-
re appetit, & tamen in ea propter supplicia seruatur. Ad
augmentum itaque tormenti, & hic de corpore no-
lens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus. Sequi-
tur.
28. *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus
eum.* Quid enim per cœlos, nisi iustos; & quid per terram
nisi peccatores accipimus? Vnde & in Dominica oratione
Matt. 6.10. petimus. *Fiat voluntas tua in cælo & in terra.* Huius itaque
impij ad illud terribile iudicium deducti, reuelant cœli
iniquitatem, & terra resurgit aduersus eum, vt qui hic nec
bonis vnquam nec malis pepercit, in illo eum tremendo
examine & iustorum vita, & peccatorum pariter accuset; &
grauis quidem est, si quid iustis potius, quam peccatoribus
noceat. Vnde & per Prophetam dicitur. *Sanguis eius in me-
Ezec. 24.7 dio eius est. Super limpidissimam petram effudit eum, non effudit
illum super terram, vt possit operiri puluere.* Possunt vero per
terram non peccatores & reprobi, sed hi qui terrenis acti-
bus occupati, eleemosynarum & lachrymarum ope ad
æternam vitam perueniunt, designari. De quibus per Psal- E
mistam dicitur, cum venire Dominus ad iudicium nun-
ciaretur. *Aduocauit cælum desursum & terram, vt discerneret* Psal. 49.4.
populum. Hypocritæ itaque huius cœli iniquitatem reue-
lant, atque terra aduersus eum consurget, cum & hi qui
cum Deo iudices veniunt, & hi qui per iudicium liberan-
tur, prauitatis illius testes existunt. Sequitur.
Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei. 29.
Tunc germen domus illius aperitur, cum omne malum, 1 o
quod in conscientia illius nascebatur, ostenditur. Modo
quippe germen domus hypocritæ manet occultum, quia
etsi in bona imagine apparet eius operatio, sed latet in-
tentio. In hoc itaque hypocrita germen domus aperitur,
quia in eius mente cogitatio peruersa detegitur, & in die
furoris Dei detrahetur, quia ostensa ita iudicis flammis
vltricibus traditur, ab eius conspectu separatur. Sequitur.
*Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Do-
mino.* Si enim bene agere in hac vita positus voluisset, par- F
tem apud Dominum cœlestis regni consortium haberet;
sed quia prauis subdi desiderijs elegit, partem suam à Do-
mino in tormentis inuenit, quia eiusdem Domini partici-
pari gratia non quæsiuit. Qui enim pro magnis malis in
supplicium mergitur, fortasse credebatur quod per id ver-
bis quæ male dixerat, minime iudicaretur. Sed cum distri-
cta omnipotentis iustitia Dei supplicium à reprobis pro
peruersis actibus exigit, eis mala vsque ad verborum re-
tributionem reddit. Sancti autem viri non partem à Do-
mino accipere, sed partem suam ipsum Dominum habere
desiderant. Vnde Propheta deprecatur dicens. *Portio mea* Psal. 118.57
Dominus. Iniquus vero, qui portionem suam habere ipsum
Dominum non quæsiuit, partem suam extra Dominum
ignem inuenit. Hæc Sophar ita intulit, vt per ea quæ con-
tra hypocritam dixerat, beati Iob vitam feriret, existimans
quod is qui à Domino percussus esset, cuncta bona quæ
egerat, mente simplici non egisset. Quem enim percussum
vidit, Deo displicuisse credidit. Sed B. Iob more sanctæ &
vniuersalis Ecclesiæ, quæ à peruersis verborum iacula æ-
quanimiter tolerat, & cum superborum dicta audit, humi- G
litatis iter transitum non derelinquit, cum magna cordis
humilitate subiunxit, dicens.
Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam. Qui enim CAP. XXI.
cum diceret, *audite*, addidit *quæso*, cum quanta humilita-
te loquatur insinuat, dum contra superbientes rogat, 1.
vt eorum sensum ad salutis doctrinam deducat. Sequi- 2.
tur.
*Sustinete me vt & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ri- 3.
dete.* Boni etenim quum loquuntur, duo sunt quæ in suis
locutionibus attendunt, vt videlicet aut sibi & auditori-
bus suis, aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse
non possunt. Cum enim bene audiuntur bona quæ di-
cunt, simul sibi & auditoribus prosunt. Cum enim ab au-
ditoribus deridentur, sibi proculdubio præstiterunt quos
à culpa liberos fecerunt. Et notandum quia dum subiun-
geret, *agite pœnitentiam*, præmisit *audite*. Cum vero sub-
deret, *post mea si videbitur, verba ridete*, præmisit *sustinete me*.
Audire quippe volentis est, sustinere nolentis. Amici H
ergo eius si doceri appetunt, audiant; si autem irridere pa-
rati sunt, sustineant quæ dicuntur. Sequitur.
*Nunquid contra hominem disputatio mea est, vt merito non de- 4.
beam contristari?* Omnis qui Deo placet, & hominib' displi-
cet, causas tristitiæ nullas habet. Qui autem hominibus
placens Deo displicet, aut simul Deo & hominibus displi-
cere se credit, si hunc tristitia non afficit, à virtute sapien-
tiæ alienus existit. Beatus autem Iob displicuisse Deo inter
flagella se credidit, & idcirco animum ad tristitiam voca-
uit, quia despiciendus non erat cui se displicuisse formida-
bat Sequitur.
Attendite me & obstupescite, id est, considerate quæ egi, & 5.
admiramini. Sequitur. *Et superponite digitum ori vestro.* Ac si
aperte dicat. Scientes bona quæ egi, & considerantes mala
quæ patior, vosmetipsos etiam à verborum culpa com-
pescite, atq; in meis persecutionibus vestra damna formi-
date. Vel certe quia digitis quæq; discernimus, non incon-
grue per digitum discretio designatur. Vnde per Psalm.
dicitur. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad* Psal. 143.1.

A *prælium, & digitos meos ad bellum.* Digitus ergo ori superponitur, cum per discretionem lingua refrenatur, ne per hoc quod loquitur, in stultitiæ culpa dilabatur. Sequitur.

6. *At ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.* Quia B. Iob sctuum suorum oblitus non fuerit, extrema eius locutio ostendit. Quia ex te hoc nunc quidem ab eo amicis dicitur. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco; constat nimirum quod per irrisionem dicatur. Ac si aperte diceretur. Si me aliquid hypocritæ habere meminero, in pœnitentiæ mox fletu contremisco. Carnem vero suam si recordatus fuerit tremore perhibet concuti, id est infirmitatem operis, vltionis pauore fatigari. Sequitur.

7. *Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis?* Nisi eos enim patientia diuina toleraret, nequaquam diu vitam in peccatis ducerent. Subleuantur namque diuitijs, cum esse potentes incipiunt. Confortantur vero, cum in
B hac vita diu subsistere permittuntur. Quos enim substantia subleuat, in fastu suæ potentiæ dierum longitudo confortat. Vel certe subleuati & confortati referuntur, quia subleuantur honoribus, confortantur rebus. Sequitur.

8. *Semen eorum permanet coram eis.* In augmento magnæ fœlicitatis, cum magno patrimonio dantur & hæredes. Ac ne qua necessitas temporis saltim ab oculis subtrahat eos, in quibus animus exultat. Sequitur. *Propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.* Ecce adest vita, adsunt honores & diuitiæ, adsunt filij, adsunt nepotes. Sequitur.

9. *Domus eorum secura sunt & pacata, & virga Dei non est super illos.* Securæ & pacatæ sunt, quis peccantes viuunt, lugenda agunt, & gaudia non relinquunt, & virga eos supernæ disciplinæ non percutit. Sequitur.

*abortiuit

10. *Bos eorum concepit, & non *abortit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.* Vulgaris locutionis est, vt bouem masculum, & vaccam fœminam, sed literaturæ locutio communis generis appellat. Vnde nunc dicitur. *Bos eorum concepit,*
C *& non abortiuit,* & reliqua. Dominis gregum prima fœlicitas est, si grex sterilitatem non habens, concipit; secunda si conceptus ad partum venit, tertia vero, si hoc quod parturitum est, per nutrimenta ad profectum ducatur. Vt ergo tota simul adesse impijs demonstret, eorum greges B. Iob asserit concepisse, & non abortiuisse, peperisse, & fœtu proprio non esse priuatos.

11. *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.* Ipsum quoque infantum lusum in domo iniquorum ne vilem valde esse crederemus, subiungens ait.

12. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi.* Ac si patenter dicat. Cum Domini honoribus & rebus tument, subiecti ludicris actibus gaudent. Sequitur.

13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ecce beatæ vitæ eorum gaudia diu narrauerat, quomodo nunc asserit quod in puncto ad inferna descendant, nisi
D quod omnis longitudo temporis vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur? In puncto enim stylum ponimus & leuamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit, quia hanc accepit & amisit. Potest in puncto hoc quoque intelligi, quod sæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, vt nec flere ante mortem liceat quæ peccauerunt. Sequitur.

14. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis.* Hæc verbis dicere vel stulti minime præsumunt, sed tamen peruersi omnes Deo recedere non verbis, sed moribus dicunt. Dicunt ergo *recede à nobis*, qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque prauis actibus impugnant, etiamsi verbis eum laudare videantur. Dicunt etiam, *scientiam viarum tuarum nolumus*, eo ipso quo eius scientiam apprehendere contemnunt. Via autem Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia est. Sed quia hæc omnia iniqui despiciunt, Deo dicunt. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Dum enim in præsenti vita superbiunt, dum honoribus inflantur, dum etiam si non habent appetunt, vias Dei in cogitatione contemnunt. Sequitur.

Quis est omnipotens vt seruiamus ei? Mens enim hominis E
male exterius fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, vt neque ad semetipsam intus redeat, nec quoque eum qui est inuisibilis, cogitare sufficiat. Vnde viri carnales nulla spiritalia contemnentes Deum, quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perueniunt, vt etiam non esse suspicentur. 15.
Vnde scriptum est. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Sequitur. *Et quid nobis prodest si orauerimus eum?* Cum Deus in oratione non quæritur, citius animus in oratione lassatur, quia cum illa quisque postulat quæ fortasse iuxta occultum iudicium Deus retribuere recusat, ipse quoque venit in fastidio, qui non vult dare quod amatur. Sese magis Dominus quam ea quæ condidit vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est. *Quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Sequitur. Psal. 13. 1. Psal. 13. 1. Luc. 12. 31.

16. *Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit à me.* Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit, nam quisquis ea minime diligit, se magis illis quam sibi illa supponit. Quid namque est iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere salutem, temporalem cum damno interiori appetere, & dolores transitorios ad æternos gemitus commutare? Vir igitur sanctus has iniquorum cogitationes intuens aspernatur, & dicat. *Consilium eorum longe sit a me.* Sequitur. F

17. *Quoties lucerna eorum extinguitur.* Sæpe impius in lucem suam æstimat filiorum vitam, sed cum filius qui nimie amatur, subtrahitur, lucerna impij quæ videbatur, extincta est. Sæpe impius præsentis honoris gloriam lucernam putat, sed dum sublata dignitate deijcitur, lucerna extincta est, quæ ei iuxta desiderium lucebat. Sequitur. *Et superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui.* Inundatio impijs superuenit, cum dolorum fluctus ex aliqua aduersitate patiuntur. Bene autem dicitur. *Et dolores diuidet furoris sui*, qui enim æternos dolores impio per retributionem seruat, & aliquando mentem eius etiam temporali dolore transuerberat, quia hic quoque & illic percutit, furoris sui super impium dolores diuidit. Neque enim pœna præsens, quæ iniusti animum à prauis desiderijs non immutat, ab æternis supplicijs liberat, vnde & per Psalmistam dicitur. *Pluit super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Dicendo etenim laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit, sed quia ab his doloribus peccator qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non iam totum calicem, sed partem calicis dixit; quia videlicet eorum passio hic quidem per dolores incipitur, sed in vltione perpetua consummatur. De quorum fine adhuc subiungitur. G Psal. 10. 6.

18. *Erunt sicut palea ante faciem venti, & sicut fauilla quam turbo dispergit.* Iniquus cum in potestate conspicitur, cum valde in oppressionibus ac violentiis effrænatur, ab infirmorum cogitationibus grauis nimium, & quasi in hunc mundum radicatus æstimatur. Cum enim districti iudicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt, qui vt ita dicam, iræ flatu subito leuantur, atque asportantur ad ignem, quos hic quondam in suis præiudicijs quasi ducti ponderis super iacentem molem indigentium lachrymæ mouere non poterant, & ad sapientis iudicij manum leues sunt, qui per iniustitiam proximis graues fuerunt. Sequitur. *Et sunt fauilla quam turbo dispergit.* Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita fauilla est, quia & si ad momentum apparet viridis, ab eius tamen iudicio iam consumpta cernitur, quia consumptioni æternæ est deputata. Hanc fauillam turbo dispergit, quia *Deus noster manifeste veniet, & non silebit*, & reliqua. Sequitur. H Psal. 49. 3.

19. *Deus seruabit filiis illius dolorem patris, & cum reddiderit tunc sciet.* Et rursum scriptum est. *Anima quæ peccauerit, ipsa punietur.* Peccatum quippe originale à parentibus trahimus, & nisi per gratiam baptismatis soluamur, etiam parentum peccata portamus, quia vnum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata patrum in filios, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima punitur prolis: & rursum peccata parentum non reddit in filios, quia ab originali culpa per baptismum liberamur, non iam parentum Ezec. 18. 4. 20.

A culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Sed tamen intelligi etiam aliter potest; quia quisquis praui parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, ne-
Esa. 18. 19. quaquam delicto illius grauatur. Sequitur. *Et cum reddiderit tunc sciet.* Nesciat enim impius mala quæ fecit, nisi pro eisdem malis puniri iam cœperit. Vnde & per Prophetam dicitur. *Et tantummodo sola vexatio intellectum auditui dabit.* Tunc namque intelligit quod audiuit, cum se iam pro contemptu vexari doluerit. Sequitur.

20. *Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet.* Qui si in hac vita positus, culpam suam videre voluisset, de omnipotentis furore postmodum non biberet, sed qui hic auertit oculos à respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Sequitur.

21. *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? aut si numerus*
B *mensium eius dimidietur?* Neque enim sic debemus accipere, vt iniquus iste postea quam damnatus æternis supplicijs fuerit, de domo sua, id est cognatis quos reliquerit, minime cogitabit, cum per semetipsam Veritas dicit, quia diues qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus quos reliquerat, etiam in supplicium positus, curam ge-
Luc. 16. 28. rebat. Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa. Pro summo hic namque bono concupiscit germen generis, habere domum vel familiam, opibus repleri, & diu in hac carnis corruptione viuere. Sed si fortasse aliquid ad eius desiderium veniat, quod tamen obtinere non possit nisi cum offensione conditoris, eius animus ad paululum perturbatur: cogitat quia si hoc egerit vnde offensam sui conditoris incurrit, in domo, in filijs, in vita percutitur, sed superbia sua protinus instigatus obdurescit, & quamlibet in vita percussionem sentiat, nequaquam curat, dummodo quæ cogitauerit expleat, & quousque viuit, voluptates suas perficere non desistat. Et in hoc ergo se peccator contra
G Deum erigit, vbi Deus omnipotens eius erectionem frangit, & nec illata percussio mentem humiliat, quam in deliberatione contra Deum obstinatio obdurat. Sequitur.

22. *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?* Cum his quæ de nobis agnoscimus ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere, & eam quæ de nostra nobis incertitudine surrexerat, cogitationis querelam placare. Ecce enim quod electos ad vitam flagella reuocant, & malis actibus reprobos nec flagella compescũt, omnipotentis Dei iudicia super nos valde occulta sunt, & iniusta non sunt. Sed tendamus oculum mentis ad superiora. In illis aspicimus, quia de nobis quid iuste conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus Angelorum merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit, alios sponte lapsos ab statu suæ celsitudinis in æternæ damnationis vltione prostrauit. Nobiscum igitur iniuste nihil agit, qui & superiorem nobis naturam iuste iudicauit. Sequitur.

23. *Iste moritur robustus & sanus, diues & felix. Viscera eius plena*
D *sunt adipe, & medullis ossa eius irrigantur. Alius vero moritur in*
24. *amaritudine animæ suæ absque vllis opibus.* Ista cum ita sint, quis
25. in omnipotentis secreto discutiat, cur ita hæc esse permittat? Sed electis & reprobis vita quidem dispar est, carnis autem in morte corruptio dispar non est. Vnde subiungitur.

26. *Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.* Quid ergo mirum si prosperitate vel aduersitate præsentis sæculi, dissimiliter ad momentum currunt, qui per corruptionem carnis ad terram similiter redeunt? Illa est ergo solummodo vita cogitanda, in qua cum resurrectione carnis ad finem dissimilem pertingitur retributionis. Sequitur.

27. *Certe noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.*
28. *Dicitis enim, vbi est domus principis? & vbi tabernacula impiorum?* Impium enim crediderant, quem à lætis rebus temporaliter destructũ videbant. Sed sanctus vir tanto eos alta considerationе diiudicat, quanto inter damna quę pertulerat, infracta rectitudine stabat. Quid enim ei foris rerũ damna nocuerit, qui illum non amiserat, quem interius amabat? E

Allegorica. *Viscera eius plena sunt adipe.* Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impingat mentem diuitis, dum eleuatur animus superbientis. Superbia quippe cordis, quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Vnde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur. *Prodijt* *Psal. 72. 7.*
quasi ex adipe iniquitas eorum. Amatores huius sæculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si exterior dignitati desint terrenæ & domesticæ diuitię, quantum ad suum iudicium ossa quidem habent, sed & medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator huius sæculi exteriori potestate fulcitur, vt etiam interiori terrenæ domus abundantia saginetur, dicitur, *& medullis ossa eius irrigantur.* Vel certe ossa sunt huius diuitis prauæ consuetudines & duræ. Medullæ vero in ossibus, sunt ipsa mala desideria viuendi, quæ neque ex prauitatis satisfactione satiantur. Quæ medullæ quasi ossa irrigant, cum ipsa praua desideria peruersas consuetudi- F
nes suas in voluptatum delectatione conseruant. Et sunt nonnulli qui in hoc mundo diuitias non habent, sed habere concupiscunt, elati esse appetunt, quamuis in hoc mundo quod cupiunt, obtinere non possint. Et cum nullis rebus vel honoribus fulti sint, per mala tamen desideria in conspectu interni iudicis, reos conscientia addicit. Talis etenim quisque plerumque ideo affligitur, quia ditescere ac superbire non valet. In puluere etenim dormire est, in terrenis desiderijs oculos mentis claudere. Vnde vnicuique peccanti, & in culpa sua dormienti dicitur. *Sur-* *Ephes. 5. 14.*
ge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Vermes vero qui de carne nascuntur, eos simul operiunt, quia siue diuitis siue pauperis animum curæ carnales premunt. In rebus enim terrenis pauper & diues reprobos quamuis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille iam cum metu habet, iste cum anxietate appetit, & quia habere non valet, dolet. Sed cum scriptum sit. *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spi-* *1. Cor. 2. 11.*
ritus hominis qui in illo est? qua ratione nunc dicitur certe G
noui cogitationes tuas? Sed tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel opibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, per *Matth. 7. 16.*
hoc quod foris agitur, quicquid latet aperitur. Proinde B. Iob cum amicorum colloquentium cogitationes nosse se diceret, adiunxit. *Et sententias contra me iniquas*, vt ex patenti se ostendat, quia hoc quod in eis latebat, inuenisset. Sequitur.

Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intel- 29.
ligere cognoscetis, quia in diem perditionis seruatur malus, & ad 30.
diem furoris ducitur. Sæpe etenim diu diuina patientia tolerat, quos iam ad supplicia præscita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit peiora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foueam tendant, hoc ei pro nihil esse existimat, quod hic peruersi relinquendo multiplicant. Viator quippe dicitur, qui præsentem vitam sibi esse viam, & non patriam attendit. Qui in dilectione prætereuntis seculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Hinc H
Moyses ait. *Transiens videbo visionem hanc.* Hinc Hieremias *Exod. 3. 3.*
ait. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte*, &c. *Thren. 1. 12.*
Igitur, quia malus ad diem perditionis seruatur, & ad diem furoris ducitur, hoc non nisi qui est viator intelligit, quoniam qui cor in præsentibus figit, quæ iniquum sequantur supplicia, non deprehenditur. Sequitur.

Quis arguet coram eo viam eius, & quæ fecit quis reddet illi? 31.
Sæpe malus indignationem conditoris sui quam in æternum passurus est, & in hac quoque vita positus experitur, dum prosperitatem quam amat, amittit; & aduersitatem quam formidat inuenit. Et quamuis increpari de suis prauitatibus auctorum lingua etiam in prosperis valeat, scimus tamen quod cum facta sua peruersum quemque deijciunt, iustorum increpatio conualescat. Sed qua ratione ista dicuntur, dum etiam iustis tacentibus hoc quoque notum sit, quia totiens hic iniqui via arguitur, quoties eius prosperitas interuenisse aduersitate turbatur. Sed B. Iob dum de omni malorũ corpore loqueretur, subito ad in-

A quorum omnium caput verba conuertit. Vidit enim quod in finem mundi Sathan hominem ingrediens, quem sacra Scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis & prodigijs in sanctitatis ostensione se eleuat, vt argui ab homine eius facta non valeant, quia cum potestate terroris adiunguntur etiã signa ostensæ sanctitatis, & ait. *Quis arguet coram eo viam eius* Quis videlicet hominum illum increpare audeat, cuius visum ferre pertimescit? Sed tamen eius viam, non solũ Helias & Enoch, qui in eius reprobatione ad medium reducuntur, etiam omnes electi arguunt dum contemnunt, dũ virtute mentis eius malitiæ resistunt. Sed quia hoc ea diuina gratia, & non suis viribus faciunt, rectè nũc dicitur. *Quis arguet coram eo viam eius?* Quis etenim nisi Deus, cuius adiutorio electi vt resistere valeant fulciuntur? Multi enim nũc vias Antichristi iudicantes corripiunt, sed hoc quasi in eius absentia faciunt, dum illum arguunt quem adhuc specialiter non intuentur. Cum vero in illo damnato homine

B venerit, quisquis eius præsentiæ resistit, coram eo visu eius arguet, cuius vires conspicit & contemnit. Vel certe viam eius arguere est, prosperitatem cursus eius æterno supplicio interueniente turbare. Quod quia Dominus solus pro

2. Thess. 2. 8. pria virtute facturus est, de quo scriptum est. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, rectè dicitur. *Quis arguet coram eo viam eius?* Vnde & sequitur. *Et quæ fecit quis reddet ei?* Quis nimirum nisi Dominus qui solus illi perdito homini quæ fecit reddet, dum potestatem eius tam validam per aduentum suum æterna damnatione contriuerit? Sequitur.

32. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Quia sepulchra mortuos contegunt, quid aliud per sepulchra, quam reproborum corda signantur in quibus extinctæ à vita beatitudinis animæ velut in sepulchris latent? Iniquus ergo iste ad sepulchra deducitur, quia in prauorũ cordibus recipietur, quomodo soli illi eum suscipiunt, in quibus mortuæ animæ à Deo reperiuntur. De quo recte etiam dum eius supplicia describerentur, per Prophe-

C tam dicitur. *In circuitu illius sepulchra eius, omnes interfecti*

Ezec. 32.22 *& qui ceciderunt gladio.* Illi quippe in inferno iuxta illum sunt. Sathanæ itaque in congerie mortuorum vigilare est, in reproborum cordibus malitiæ suæ astutias exercere. Sequitur.

33. *Dulces fuit glareis Cocyti.* Græca lingua Cocytus, luctus dicitur, qui tamen luctus fœminarum vel quorumlibet infirmantium solet intelligi. Sapientes huius sæculi à luce veritatis exclusi, quasi vmbras quasdam de veritatis inquisitione tenere conati sunt. Vnde Cocytum fluuium currere apud inferos putauerunt, videlicet designantes quod hi qui digna doloribus opera faciunt, in infernum ad luctum

Ps. 30.25. decurrunt. Scriptum quippe est. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.* Qui enim in Domino confortari renuunt, ad luctum per animi infirmitatem tendunt. Glaream lapillos fluminũ appellare consueuimus, quos aqua defluens trahit. Quid ergo per glaream, nisi reprobi designantur, qui suis voluptatibus dediti, quasi semper ad ima trahuntur? Qui enim contra voluptates huius sæculi stare fortiter no-

D lunt, glareæ Cocyti fiunt, quia suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt, vt in æternum postea lugeant, qui modo se in suis voluptatibus delectabiliter relaxant. Et quia antiquus hostis suum vas illum reprobum hominem ingressus dum dona peruersis tribuit, dum eos in hoc mundo honoribus extollit, dum eorum oculis prodigia ostendit, dum fluxæ mentes hunc in suis prodigijs mirantur & sequuntur, bene de eo dicitur. *Dulcis fuit glareis Cocyti.* Cum enim hunc electi despiciunt, cum mentis calce contemnũt, illi eum sequentes diligunt, qui velut ab aqua voluptatis ad perpetuum luctum trahuntur, qui per terrenam concupiscentiam more glareæ quotidianis lapsibus ad ima dilabuntur. Sequitur. *Et post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.* Hoc loco homo humana sapiens dicitur. Sed cum plus sint omnes, quam innumerabiles, quærendum nobis est, cur ante se innumerabiles, & post se omnes trahere dicitur, nisi quod antiquus hostis in reprobum tunc hominem ingressus, cunctos quos carnales inuenerit, sub suæ iugum ditionis rapit. Qui & nunc priusquam appa-

E reat, innumerabiles quidem, non tamen omnes carnales trahit, quia quotidie à carnali opere ad vitam multi reuocantur, atque ad statum iustitiæ alij per breuem, alij vero per longam pœnitentiam redeunt, & nunc innumerabiles rapit, cum falsitatis suæ stupenda hominibus signa non exhibet. Cum vero coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit, post se tunc non innumerabiles, sed omnes trahit, quia bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractatione subijciunt. Hæc Beatus Iob, quia contra iniquorum principem mire disserit, qui in hac vita extolli permittitur, sed in aduentu Domini destruetur, de se patenter ostendit, quia flagella Dominica non ex offensione susceperit, quomodo si iniquus quisq; in hac vita permittitur prosperari, necesse est vt electus Dei debeat sub flagelli seruore teneri, ea qua re amicos arguit dicens.

Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati? Amici B. Iob eum consolari non

F poterant, in quorum sermonibus veritati contraibant. Cumque hunc hypocritam vel impium dicerent, per hoc quod ipsi mentientes perpetrabant culpam, augebant proculdubio pœnam iusti vulneribus afflicti.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XVI.



QVi contra veritatis verba . . . . allegatione deficiunt, sæpe etiam nota replicant, ne tacendo victi videantur. Vnde Eliphaz beati Iob sermonibus pressus, ea dicit quæ nullus ignorat, ait enim. CAP. XXII. 1.

2. *Nunquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?* In comparatione etenim Dei, scientia nostra ignorantia est. Ex Dei namq; participatione sapimus, non com- G paratione. Sequitur.

3. *Quid prodest Deo, si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fueris vita tua?* In omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Dominum iuuamus. Vnde per Psalmistam dicitur. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Sequitur. Ps. 15. 2.

4. *Nunquid timens te arguet te, & veniet tecum ad iudiciũ?* Quis hoc vel desipiens senserit, quod Dominus ex timore arguat, & ex metu iudicium suum contra nos proponat? Sed quia verba sua metiri nesciunt, proculdubio ad odiosa dicta dilabuntur, in quibus si se minime reprehendunt, statim ad noxia & contumeliosa prosiliunt. Vnde Eliphaz qui odiosa intulit, ad contumeliosa protinus verba prorupit dicens. *Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?* Sequitur.

5. *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa.* In Scriptura

6. sacra appellatione pignoris aliquando donum Spiritus

H sancti signatur, vt illud Pauli. *Qui dedit nobis pignus spiritus.* 2. Cor. 5. 5.

Aliquando confessio peccatorum, sicut in lege scriptum est. *Si debitum debet tibi quispiam frater tuus, & abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue.* Quia ergo sancta Ecclesia quoslibet ab hæreticis ad veritatem fidei reuertentes, Deut. 24. 12. 13. præcipit prius vt confiteri erroris sui culpam debeant, persuadet; quasi per hæreticorum speciem, per Eliphaz dicitur. *Abstulisti pignus fratrum tuorum sine causa*, id est, ab his qui à nobis ad te veniunt inutiliter confessionem erroris exegisti. Si vero, vt prædiximus, pignus dona sancti Spiritus sentimus, hæretici sanctam Ecclesiam fratrum suorum dicunt pignus abstulisse, quia illos qui ad illam veniunt, dona spiritualia suspicantur amittere. Vnde sequitur. *Et nudos expoliasti vestibus.* Eos quos hæretici peruersis prædicationibus trahũt, præcepta doctrinæ suæ quasi quædã vestimẽta habere existimant, & tamdiu illos vestitos putãt, quamdiu hæc quæ ipsi prædicauerunt, ab illis seruari considerãt. Ex quibus cum quidam ad sanctam Ecclesiam redeũt, eos protinus doctrinæ vestimenta perdidisse suspicantur. Sed

cum

A cum nudus expoliari nequeat, quærendum nobis est, quomodo prius nudi, & postmodum expoliari memorantur. Sed sciendum quia omnis qui cordis puritate perfruitur, eo ipso quo duplicitatis tegumentum non habet, nudus est. Et sunt nonnulli apud hæreticos, qui cordis quidem puritatem habent, sed tamen doctrinæ eorum dogmata peruersa suscipiunt. Hi nimirum & ex sua puritate nudi sunt, & quasi ex eorum prædicatione vestiuntur. Sequitur.

7. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.* Hæretici quo veritatis soliditatem non tenent, eo nonnunquam student vt loquaciores appareant, & contra Catholicorū fidem quasi doctrinæ scientia glorientur. Cunctos quos aspiciunt prauis ad se trahere sermonibus quærunt, & vnde sibi alios ad interitum sociant, inde aliquid se agere viuaciter putant. Eos vero lassos dicimus, qui sub huius seculi onere laborioso fatigantur. Vnde & per semetipsam
Matt. 11. 28. B Veritas dicit. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* Hæretici igitur qui sua dogmata prædicare non cessant, sanctam Ecclesiam quasi de imperitia irrident dicentes. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.* Se enim dare aquam lasso existimant, cum quibusdam sub terreno fasce laborantibus, sui poculum erroris præbent, & panem esurienti se non subtraxisse suspicantur, quia etiam de inuisibilibus atq; incomprehensibilibus inquisiti, cum superba audacia respondent, & tunc se doctos præ omnibus credunt, cum loqui de incognitis infelicius præsumunt. Sancta vero Ecclesia dum quempiam videt esurire quod ei non prosit accipere, aut si iam sunt sibi cognita modeste supprimit, aut si adhuc videntur incognita, humiliter fatetur, eosque ad ordinatæ humilitatis sensum re-
Rom. 11. 20. uocat, cum per suum illis prædicatorem dicit. *Non plus sape-*
Rom. 12. 3. *re quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et rursum. *Noli altum sapere, sed time.* Sequitur.

8. *In fortitudine brachij tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam.* Ac si patenter dicat: Qui in prædicatione tua terram vniuersaliter occupasti, potentiæ fortitudinis, non ratio veritatis fuit. C Quia enim Christianos principes prædicationem eius tenere conspiciunt, hoc quod ei à populis creditur, non virtutem rectitudinis, sed causam secularis potentiæ esse suspicantur. Sequitur.

9. *Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.* Plebes quæ hæreticis prædicantibus sunt subiectæ, ex carnali intelligentia errorum eorum semina peruersa suscipiunt, eisque in sua damnatione sociantur. Sed cum sancta Ecclesia ipsos errorum prædicatores, vel ratione victos ad se suscipit, vel studio peruersitatis obduratos, sub disciplinæ suæ vinculo restringit, destituti hæretici cum remanere apud se plebes sine prædicatoribus vident, quid aliud à sancta Ecclesia quā viduas vacuas relictas dolent? Et quia subtractis hæreticorum magistris eorum discipulos in suo opere infirmari suspicantur, quasi lacertos pupillorū comminutos ab Ecclesia esse conqueruntur. Vel certe quia sancta Ecclesia dum quosdam ab hæreticis venientes suscipit, liquet nimirum quod pristino errori eorum contradicit. D Quia ergo eos à carnali intentione suæ superstitionis reuocat, hæretici eum hos aliter viuere aspiciunt, quam docuerunt, lacertos eorum ab operatione, quam prius tenuerant, comminutos esse ab Ecclesia detestantur. Sequitur.

10. *Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita.* Illum formido subita conturbat, qui considerare negligit, quid ex districtione iudicis venientis immineat. Quia ergo fidelem populum hæretici culpis perfidiæ oppressum credunt, circumdatum laqueis accusant, & quia existimāt quod futura non præuideat, in percussione sua hunc subita conturbatum formidine putant. Sequitur.

11. *Et putabas tenebras te non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri?* Ac si aperte dicat. Securitatem pacis tibi in spe proposueras, & idcirco de præsumptione tua quasi de luce gaudebas, nec te vnquam opprimi tribulationibus existimasti. Sequitur.

12. *An cogitas quod Deus altior cælo sit, & super stellarum verticem*
13. *sublimetur? & dicis. Quid enim nouit Deus? Et quasi per caliginem*
14. *iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardi-*
E *nes cæli perambulat.* Sunt plerique ita hebetes, vt formidare nesciant, nisi quod corporaliter vident. Vnde fit vt Deum non metuant, quem videre non possunt. Hæretici autem qui se sapientes arbitrantur, verba contra Catholicos irrisionis proferunt, atque ab eis illum non timeri suspicantur, quem videre corporaliter nequeunt, vt quasi per torporem sensus auctorem suum existiment, quia *excelsior cælo est, & super stellarum vertices sublimatur,* ex longinquo videre non posse. Et quia inter nos & cælestem sedem, partes aeræ intersunt, quasi in nube latens per caliginem iudicet, & superioribus intentus, minus ima perpendat: & dum cæli cardines ambiendo constringit, inferiora non videat. Sed quis de Deo vel desipiens ista suspicetur? Qui nimirum eum sit semper omnipotens, sic intendit omnibus, vt adsit singulis; sic adest singulis, vt simul omnibus nunquam desit. Nam etsi quosdam peccatores deserit, eisdem tamen ipsis adest per iudicium, quibus deesse videtur per adiumentum. Sequitur.

Nunquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcauerunt viri F
iniqui? Sicut semita Redemptoris nostri humilitas, ita semi- 15.
ta seculorum superbia. Seculorum itaque semitam viri iniqui calcant, quia per huius vitæ delicias in elatione perambulant. Sequitur.

Qui sublati sunt ante tempus suum, & flumen subuertit funda- 16.
menta eorum. Cum tempus vitæ à diuina nobis præscientia sit proculdubio finitum, quærendum valde est, qua ratione nunc dicat quod iniqui ex præsenti seculo ante tempus proprium subtrahantur. Omnipotens enim Deus, etsi aliquando mutat sententiam, nunquam ergo eo tempore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex diuina potentia ante tempora præscitur. Sed sciendum quia creans & ordinans nos omnipotens Deus iuxta singulorum merita disponit, & terminum; vt & malus ille breuiter viuat, ne multis bene agentibus noceat, vel bonus diutius in hac vita subsistat, vt multis boni operis adiutor existat. Quamuis omnipotens Deus illud tempus vniuscuiusq; ad mortem præsciat, quo eius vita terminatur. Nec alio in tempore quispiam mori poterit, nisi ipso quo moritur. Cum G
ergo ita sit, quid est quod dicitur quod iniqui *ante tempus suum sublati sunt,* nisi quod omnes qui præsentem vitam diligunt, longiora sibi eiusdem vitæ spatia promittunt? Sed cum eos mors superueniens à præsenti vita subtrahit, eorum vita spatia, quæ sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueuerant, intercidit. Iniqui etenim dum corde transire ad æterna negligunt, & cuncta præsentia fugitiua esse non intuentur, mentem in amore vitæ præsentis figunt, & quasi longæ habitationis in ea sibi fundamenta construunt, quia in terrenis rebus per desideria solidantur, & quia quotidiano temporis lapsu, ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque dedicationem reproborum eosdem reprobos subtrahendo destruit, recte de iniquis dicitur. *Et flumen subuertit fundamenta eorum,* id est, ipse cursus mutabilitatis statum in eis subruit peruersæ constructionis. Sequitur.

Qui dicebant Deo, recede a nobis. Hæc etiam B. Iob dixisse 17.
quis ambigat? Et quæ in eius dictis exposuimus, propter H
legentis fastidium replicare deuitamus. Sequitur. *Et quasi nihil facere posset omnipotens, æstimabant eum.* In his ergo sermo, & non sententia immutatur. Nam quod per B. Iob
dictum est. *Quid est omnipotens vt seruiamus ei?* Hoc per Eli- Iob 21. 15.
phaz dicitur, & quasi nihil possit facere æstimabant eum. Sequitur.

Cum ille implesset domos eorum bonis. Malorum domos Do- 18.
minus bonis implet, quia etiam ingratis bona sua non denegat, vt aut benignitatem conditoris erubescant, & ad bonitatem redeant, aut redire omnimodo contemnentes inde illic grauius puniantur. Sequitur. *Quorum sententia procul sit a me.* Hoc enim per B. Iob dictum est, ait namque. Quorum consilium longe sit à me. Quamuis aliud sententia, & aliud consilium possit intelligi. Sententia quippe in ore est, consilium in cogitatione. Constat nimirum quia iste malorum verbis, iste vero etiam à cogitatione desiderat esse dissimilis. Sequitur.

Videbunt iusti & lætabuntur & innocens subsannabit eos. Iusti 19.
cum hic multos errare conspiciunt, de errore pereuntium

A non possunt lætari: si enim gaudent erroribus, iusti non sunt. Rursum si per insultationem lætantur, eo quod tales non sunt quales alios esse conspiciunt, omnino superbi sunt. Vnde & Pharisæus iustificationem perdidit, qui Publicani meritis gaudendo se prætulit, dicens. *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* (Luc. 18. 11.) Quando ergo videbunt iusti iniquorũ interitum & lætabuntur, nisi cum districto iudici perfecta iam securitate exultationis inhæserint, cum in illo extremo examine illorum damnationem conspiciunt, & de se iam quod metuant non habebunt? Nunc itaque reprobos aspiciunt & gemunt, tunc conspicient & subsannabunt, quia eos exultando despicient, quos modo nec sine gemitu iniqua perpetrantes, nec sine metu videri pro iniquitate morientes. Sequitur.

20. *Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum deuorabit ignis?* Hi etenim iniqui erecti sunt, quia in prauis actionib⁹ extolluntur, quia peruersa agunt, & tamen pro peruersis B actibus minime feriuntur. Sed eorum erectio tunc succiditur, cum vel à præsenti vita ad interitum, vel à conspectu æterni iudicis, ad æternum gehennæ incendium pertrahuntur. Qui etsi hic mortuam suam carnem relinquunt, ipsam quoque in resurrectione recipient, vt cum carne ardeant, in qua peccauerunt. Sicut enim eorum culpa in mente fuit & corpore, ita eorum pœna in anima erit pariter & carne. Sequitur.

21. *Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus*
22. *optimos. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo.* Culpa superbiæ est docere meliorem. Quam sæpe hæretici perpetrant, qui de his quæ praue sentiunt, quasi docere Catholicos præsumunt. Tunc enim putant Deo acquiescere, si illis cõtigerit eorum peruersitatibus consentire, & acquiescentibus pacem promittunt, quia cõtra eos qui sibi consentiunt iam iurgari desistunt. Fructus autem optimos sibi consentientibus pollicentur, quia eos solos bona opera agere existimant, quos ad sua dogmata se trahere exultant. Quibus hoc congruit quod adiungit. *Suscipe* C *ex ore illius legem*, quia ea quæ ipsi sentiunt, ex ore Dei procedere suspicantur. *Et pone sermones eius in corde tuo.* Ac si astruat dicens. Quos nunc vsque in ore, & non in corde tenuisti: quia enim eorum peruersa dogmata respuit, non eum verba Dei in sensu, sed in ostensione habuisse criminantur. Sequitur.

23. *Si reuersus fueris ad omnipotentem ædificaberis, & longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo.* Fidelem populum à Deo discessisse hæretici existimant, cum suis prædicationibus resistentem vident, ac si aperte dicant. Quia nostris dogmatibus resistendo à Deo recessisti, idcirco à iustitiæ ædificatione destructus es. Tabernaculũ vero aliquando accipimus tabernaculum corporis, aliquando vero habitaculũ cordis. Nam sicut animâ habitamus in corpore, ita per cogitationem habitamus in mente. Iniquitas ergo in tabernaculo mentis est, peruersa intentio in studio cogitationis, iniquitas autem in tabernaculo corporis est per expletionem operis actio carnalis. Ac si Eliphaz patenter dicat. Quisquis ad Deum post errata reuertitur, in cogitatione simul D & in opere mundatur. Sequitur.

24. *Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.* Quid per terram, nisi infirmitas actionis, quid per duritiã silicis, nisi fortitudo signatur? Quid per torrentes aureos, nisi doctrinam intimę claritatis accipimus? Omnipotens autem Dominus ad se conuersis pro terra dat silicem, quia pro infirma actione, fortitudinem tribuit robusti operis. Dat etiam pro silice torrentes aureos, quia pro robusto opere doctrinam multiplicat claræ prædicationis. Sequitur.

25. *Eritq; omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* Quos magis alios hostes patimur, quam malignos spiritus, qui cogitationibus nostris obsidẽt? Argenti nomine sacra eloquia designari testatur Psalmista qui ait. (Psal. 11. 7.) *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ.* Et sæpe cum sacris eloquijs intendimus, malignorum spirituum insidias grauius toleramus, quia menti nostræ terrenarum cogitationum puluerem aspergunt, vt intentionis nostræ oculos à luce intimæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista proiulerat, cum dicebat. *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.* Sed quia B nemo hostes sua virtute superat, per Eliphaz dicitur. *Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* Ac si aperte diceretur. Dum malignos spiritus Dominus à te sua virtute repulerit, diuini eloquij talentum lucidum excrescit. Sequitur.

26. *Tunc super omnipotentem delicijs affluens.* Super omnipotentem delicijs affluere est, in amore illius Scripturæ sacræ epulis satiari, in cuius nimirum verbis tot delicias inuenimus, quot ad prouectum nostrum intelligentiæ diuersitates accipimus. Hinc etiam in admirationem sponsæ scriptum est. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* (Cant. 8. 5.) Sequitur. *Et eleuabis ad Deum faciem tuam.* Ad Deum faciem eleuare est, cor ad sublimia inuestiganda attollere, nam sicut per corporis faciem homini, ita per interiorem hominem Deo noti atque conspicabiles sumus. Cum vero culpæ reatu deprimimur, ad Deum leuare cordis nostri faciem veremur; cum vero pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, & sic perpetrata planguntur, vt plangenda minime F perpetrentur, magna menti fiducia nascitur, & ad conspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies leuatur. Ac si aperte hæretici fideli populo dicerent. Quamdiu prædicationem nostram non sequeris, cor in infimis premis. Sequitur.

27. *Rogabis eum, & exaudiet te.* Rogant quippe Dominum, sed exaudiri minime merentur, qui iubentis Domini præcepta contemnunt. Vnde scriptum est. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* (Prou. 28. 9.) Sequitur. *Et vota tua reddes.* Qui vota vouit, sed hæc per infirmitatem soluere non valet, ei ex peccati pœna agitur, vt volenti bonum, posse subtrahatur. Cum vero in conspectu intimi iudicis ea quę obsistit culpa detergitur, fit protinus vt votum possibilitas sequatur. Sequitur.

28. *Decernes rem, & eueniet tibi.* Hoc esse proprium infirmantium solet, vt tantum quempiam existiment iustum, quanto hunc adipisci conspiciunt omne quod appetit, cum videlicet nouerimus nonnunquam bona terrena iustis subtrahi, quæ largo munere tribuuntur iniustis. G Sed si dicta hæc Eliphaz de donis spiritalibus intulit, sciendum quod res decernitur & venit, cum virtus quæ ex desiderio expetitur, largiente Deo etiam affectum prosperatur. Vnde & adhuc subditur. *Et in vijs tuis splendebit lumen.* In vijs quippe iustorum lumen resplendere est, per iter operum virtutum signa suæ claritatis aspergere, vt quocumque per intentionem pergunt, ab intuentium cordibus peccati noctem excutiant, & sui operis exemplo in eis iustitiæ lumen infundant. Sequitur.

29. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur.* Quæ nimirum sententia à veritatis ore non discrepat, dicentis. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* (Matt. 23. 12.) Vnde per Salomonem dicitur. (Prou. 18. 12.) *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.* Recte autem dicitur. *Qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur*, quia quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio in H oculis esse solet. Hinc enim scriptum est. *Et oculos superborum humiliabis.* (Psal. 17. 28.) Oculos ergo inclinare est, nullum respiciendo despicere, sed se minorem atq; imparem cunctis quos aspicit æstimare. Saluabitur itaque qui oculus inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit. Sequitur.

30. *Saluabitur autem innocens, mundicia manuum suarum.* Quæ scil. sententia, si de cœlestis regni retributione promittitur, veritate fulcitur, quia cum de Deo scriptum sit. (Rom. 2. 6.) *Qui reddidit vnicuiq; iuxta opera sua*, illum in extremo examine iustitia æterni iudicis saluat, quẽ hic eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin vero ad hoc saluari hic quisque munditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, proculdubio erratur, quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectu inueniet quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moysi voce dicitur. *Nullus quippe apud te per se innocens est.* (Exod. 34. 7.) Quæ tñ omnia pro typo hæreticorũ promissionibus congruunt. Qui cum fideles quosque in præsenti vita afflictos inueniũt, eos ex culpa perfidiæ per-

A cussos arbitrantur, eisque si sua dogmata sequantur, salu-
tem innocentiæ per bonorum operum munditiam pro-
mittunt. Sequitur.

CAP. XXIII. *Respondens autem Iob dixit. Nunc quoque in amaritudine est*
sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum.
1. More suo B. Iob planioribus verbis inchoat, sed dicta sua,
2. alta mysterij prosecutione cōsummat. Mederi quippe do-
lori afflicti ex amicorum consolatione debuerat, sed cōso-
latio eorum ad blandimenta fallaciæ erupit, quia videlicet in-
ordinatæ consolationis intentio percussionem, quam mi-
nuere debuit, multiplicauit. In quibus nimirum verbis per
typum sanctæ Ecclesiæ etiam fidelium dolor exprimitur,
qui eo amplius gemunt, quo malos blandiri conspiciunt,
Rom.16.18 quia iuxta Pauli vocem, *Per dulces sermones & benedictiones se-*
ducunt corda innocentium. Manus quippe plagæ est fortitudo
percussionis. Primam namque percussionem suam electi
considerant, quia conditoris sui visione diuisi sunt, quia
nequaquam illuminationis intimæ claritate fruuntur, sed
B in præsentis vitæ exilio quasi in cæcitatis loco religati ge-
munt. Semper ergo habent in hac vita manum plagæ ge-
mitum suum, sed cum adhuc etiam in hac vita aduersa ac-
cedunt, manus plagæ eorum etiam super gemitum grauia-
tur. Sequitur.

3. *Quis mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam illum?* Electus
quisque nisi dominum cognouisset, vtiq; non amaret. Sed
aliud est cognoscere per fidem, atq; aliud per speciē, aliud
inuenire per credulitatem, aliud per cōtemplationem. Ex
qua re agitur, vt electi omnes eum quem fide cognouerūt,
videre quoq; per speciem anhelent, cuius amore flagran-
tes æstuant, quia eius dulcedinis suauitatem iam ipsa suæ
fidei certitudine degustant. Quid enim solium Dei est,
nisi illi angelici spiritus, qui scriptura teste Throni vocati
sunt? Qui vtique vsque ad solium Dei venire vult, quid
aliud quam interesse angelicis spiritibus concupiscit, vt
nulla iam defectiua temporum momenta sustineat, sed
permanenti gloria in contemplationem æternitatis exur-
gat? Sequitur.

C *Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.*
4. Coram Deo ponere iudicium est, intra secretum mentis
per contemplationem fidei, ad tremendum examen ma-
iestatis illius oculos nostræ considerationis aperire, quod
peccator homo mereatur attendere, & occultus nūc & ta-
citus iudex quam terribilis post appareat, considerare. Qui
enim sibi in conspectu Dei iudicium ponit, os suum incre-
pationibus replet, quia dum subtile examen tremendi
contra se iudicis contemplatur, amara se pœnitentiæ inue-
ctione persequitur. Sequitur.

5. *Vt sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loqua-*
tur mihi. Tunc enim culpas plangimus, cum pensare cœpe-
rimus, sed tunc subtilius pensamus, cum solicitius plangi-
mus, atque ex lamentis in corde nostro plenius nascitur
quid est quod peccantibus diuina districtio minatur, quæ
erunt illa reproborum improperia, qui terrores, quæ im-
placabilis maiestatis auersio. Tanta enim tunc Dominus
reprobis iratus dicet, quanta eos pati ex æquitate permise-
rit. Sequitur.

D *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ*
6. *mole me premat.* Mens etenim quælibet iusti, si ab omnipo-
tente Domino districte iudicatur, mole magnitudinis pre-
mitur. Sequitur.

7. *Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudi-*
cium meum. Quis enim alius nisi mediator Dei & hominum
homo Christus Iesus, æquitatis nomine designatur? De
1.Cor.1.30. quo scriptum est. *Qui factus est sapientia nobis a Deo & iustitia.*
Quæ scilicet iustitia dum in hunc mundum contra vias
peccatorum venit, antiquum hostem vicimus, à quo captiui
tenebamur. Ac si ergo diceret. Ad redarguendas vias meas
incarnatum filium mittat, & tunc insidiantem aduersa-
rium per absolutionis meæ iudicium victor excludam.
Sequitur.

8. *Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam*
9. *eum; si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum, si me ver-*
tam ad dextram, non videbo illum. Creator quippe omnium in
parte nō est, quia vbiq; est, & tunc inuius inuenitur, quan-
do is qui totus vbique est, in parte quæritur. Sequitur.

Ipse vero scit viam meam. Ac si aperte dicat. Videre non E 10.
valeo videntem me, & cum qui me subtiliter intuetur, in-
tueri non possum, vt videlicet ostendat quia tanto cautius
formidandus est, quanto conspicabilis non est. Qui enim
ita nos aspicit, vt à nobis aspici nequeat, eo magis timen-
dus est, quo cuncta videns, minime videtur. Aliter. Ad
orientem quippe imus, cum mentem in consideratione
maiestatis eius attollimus, sed non apparet, quia qualis in
natura sua est, à cogitatione mortali videri non præualet.
Ad occidentem imus, cum subiectum * in Deo cordis ocu- * sub arū.
lum, sed ipsa immensitate luminis reuerberatum, ad nos-
metipsos reducimus, & lassati discimus super nos valde
esse quod quærebamus, nostram mortalitatem conside-
rantes, indignos nos adhuc esse deprehendimus, qui im-
mortalem videre valeamus. Ad sinistram ire est, peccato-
rum delectationibus consentire. Et nimirum constat, quia
Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatio-
ne peccati per sinistram iacet. In dexteram proculdubio
vertitur, qui de virtutibus eleuatur, sed Deum videre non F
valet, qui priuata lætitia de bonis actibus gaudet, quia in
eo cordis oculum tumor elationis premit. *Ipse scit viam*
meam, ac si patenter dicat. Ego me & districte discutio, &
tamen ille quem videre non valeo videt subtiliter cuncta
quæ ago. Sequitur. *Et probabit me quasi aurum quod per ignem*
transit. Aurum in fornace ad naturæ suæ claritatem profi-
cit, dum sordes amittit. Quasi aurū ergo, quod per ignem
transit, probatur anima iustorum, quibus caustione tri-
bulationis & subtrahuntur vitia, & merita augentur. Se-
quitur.

Vestigia eius secutus est pes meus. Quasi quidam namque 11.
Dei gressus sunt, ipsæ quas cernimus eius operationes,
quibus bonos quisque malusque regitur, quibus iusti in-
iustique suis ordinibus disponuntur, quibus & subiectus
quisque ad meliora quotidie ducitur, & aduersus ad de-
teriora corruens toleratur. De quibus nimirum gressibus
Propheta dicebat. *Visi sunt gressus tui Deus.* Nos itaque cum Psal.67.25.
virtutem longanimitatis atque pietatis eius intuemur, &
intuentes imitari contendimus, quid aliud quam gressuū G
eius vestigia sequimur, quia extrema quædam eius opera-
tionis imitamur? Hæc enim patris sui vestigia Veritas ad-
monebat imitari, cum diceret. *Orate pro persequentibus & ca-* Matt.5.44.
lumniantibus vos, & reliqua. Potest tamen beatus Iob, sic in
futura operatione incarnandæ sapientiæ intendere, sicut
nos eiusdem sapientiæ iam præterita opera per fidem vi-
demus. Cuius nimirum vitam dum B. Iob superno spiritu
repletus sollicita intentione conspiceret, futuram man-
suetudinis illius humilitatem præuidens, quasi ad exem-
plum sibi propositum recurrit, vt quicquid in hac vita
ageret, ad imitationis illius vestigia figeret. De quibus eius
vestigijs per Petrum dicitur. *Christus passus est pro nobis vobis* 1.Petr.2.21.
relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Sequitur. *Viam*
eius custodiui, & non declinaui ex ea. Custodit enim & non de-
clinat, qui hoc vbi intendit, operatur; & custodire quippe
per intentionem est, non declinare per operationem. Hæc
namque est sollicitudo iustorum, vt actus suos quotidie
iuxta vias veritatis examinent, & eas sibi in regulam pro-
ponentes, à rectitudinis earum tramite non declinent. H
Sequitur.

A mandatis labiorum eius non recessi. Sicut bene obsequen- 12.
tes famuli, dominorum suorum vultibus semper intenti
sunt, vt ea quæ præceperint festini audiant, & implere con-
tendant: sic iustorum mentes per intentionem suā omni-
potenti Domino assistunt, atque in scriptura eius quasi os
eius intuentur, vt quia per eam Deus loquitur omne quod
vult, tanto à voluntate eius non discrepant, quanto ean-
dem voluntatem illius, eius eloquio agnoscunt. Sequitur.
Et in sinu meo abscondi verba oris eius. In sinu etenim cordis
verba oris eius abscondimus, quando mandata eius non
transitorie, sed implenda opere audimus. Hinc est e-
nim quod de ipsa matre virgine scriptum est. *Maria au-* Luc.2.19.
tem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Sequi-
tur.

Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationes eius. 13.
Nunquid nam non sunt Angeli & homines, cœlum &
terra, aër & maria, cuncta volatilia & quadrupedia atque

A Sap. 1. 14 sapientia? Et certe scriptum est. *Creauit vt essent omnia.* Cum ergo in rerum creatura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, *ipse enim solus est?* Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, & nisi manu gubernantis teneantur, esse nequaquam possunt. Hinc enim ad

Exod. 3. 14. Moysem dicitur. *Ego sum qui sum.* Et, *Qui est misit me ad vos,* cogitationem quippe eius nullus auertit, quia nemo resistere eius occultis iudicijs præualet. Nam etsi quidam fuerunt, qui deprecationibus suis eius cogitationem auertisse viderentur, ita fuit eius interna cogitatio, vt sententiam eius auertere deprecando potuissent, & ab ipso acceperunt quod agerent apud ipsum. Dicat ergo. *Et nemo auertere potest cogitationem eius*, quia semel fixa iudicia mutari

Psal. 148. 6 nequaquam possunt. Vnde scriptum est. *Præceptum posuit & non præteribit.* Sequitur. *Et anima eius, quod voluit, hoc fecit.* Cum hic cunctis exterior corporeis, cunctis mentibus

B interior Deus, ea ipsa via eius qua penetrat omnia, cuncta disponit, anima illius appellatur, cuius videlicet voluntati, nec illa obsistunt quæ contra voluntatem illius fieri videntur, qui ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcepit, vt per hoc illud certius impleatur quod iubetur. Apostatæ quippe Angeli peruersa voluntas est, sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, vt ipsæ quoque eius insidiæ vtilitati bonorum seruiant, quos purgando tentant. Sequitur.

14. *Cum expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.* Ac si aperte dicat. Iam perpendo quæ patior, sed ad hæc formido quæ pati possum. Explet enim in me voluntatem suam, quia multis me persecutionibus affligit, sed *multa similia præsto sunt ei*, quia ferire si cogitat, adhuc inuenit vbi plaga crescat. Sequitur.

15. *Et idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum timore solicitor.* Bene à facie Domini turbatur, qui terrorem maiestatis illius, cordis sui obtutibus proponit, & eius rectitudinis pauore concutitur, dum se reddendis rationibus conspicit idoneum non esse, si districte iudicetur. Recte au-

C tem dicitur. *Et considerans eum timore solicitor*, quia diuinæ animaduersionis vim cum minime quisque considerat, minime formidat, & tanto magis in hac vita quasi securus est, quanto à consideratione internæ districtionis alienus. Sequitur.

16. *Dominus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.* Ex diuino munere cor iusti molle dicitur, quia superni iudicij timore penetratur. Molle est etenim quod penetrari potest, durum quod penetrari non potest. Vnde per Salomo-

Prou. 28. 14 nem dicitur. *Beatus homo qui semper est pauidus. Qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Non autem secura, sed conturbata sunt corda bonorum, quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hic habere non appetunt, securitatem suam districtionis intimæ consideratione perturbant. Sequitur.

17. *Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Ille enim in flagello positus à salute corporis propter imminentes tenebras perit, qui idcirco pro trans-

D actis percutitur, vt à futuris supplicijs abscondatur. Flagella quippe bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari, futura deuitant. Beatus autem Iob, quia in flagello positus, nec à peccatis præcedentibus purgabatur, nec ab imminentibus tergebatur, sed eius tantummodo in flagello virtus augebatur, fiducialiter dicit. *Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Qui etenim semper diuinæ formidinis pondus aspexit, eius cordis faciem caligo peccati non operuit, & is quem supplicia nulla sequebantur, salutem corporis propter imminentes tenebras non amisit. Sequitur.

CAP. XXIV. 1. *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.* Quid dies eius nisi ipsa eius æternitas appellatur? quæ nonnunquam vnius diei pronuntia-

Psal. 83. 11. tione exprimitur, sicut scriptum est. *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Nonnunquam vero per suam longitudinem dierum multorum appellatione signatur, de qui-

Psal. 101. 25 bus scriptum est. *In seculum seculi anni tui.* Nos itaque intra tempora voluimur, per hoc quod creatura sumus. Deus

E autem qui creator est omnium æternitate sua tempora nostra comprehendit, quia ipse quidem nostra comprehensibiliter conspicit, nos autem ea quæ eius sunt comprehendere nullatenus valemus. Sed cum natura Deus simplex sit, mirandum valde est, cur dicit. *Qui nouerunt eum ignorant dies illius.* Neque enim aliud ipse, atque aliud dies eius sunt. Deus namque hoc est quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Quid est itaque dicere, *qui nouerunt eum ignorant dies illius*, nisi quia & cognoscunt eum, & adhuc nesciunt? Nam & qui eum iam fide tenent, adhuc per speciem ignorant, & cum ipse sit æternitas quam veraciter credimus, qualiter tamen sit ipsa eius ignoramus. Sequitur.

Alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos. Quos aliorum nomine, nisi hæreticos designat? qui à sanctæ Ecclesiæ gremio extranei existunt. Ipsi enim terminos transferunt, quia constitutiones patrum præuari- 2.

cando transcendunt, de quibus constitutionibus scri- F

ptum est. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Qui greges diripuerunt & pascunt, quia imperitos quosque peruersis ad se persuasionibus trahunt, & doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt. Sequitur. Prou. 22. 28

Asinum pupillorum abigerunt, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ. Quos hoc loco pupillos accipimus, nisi electos Dei in mentis teneritudine positos, qui magna fidei gratia nutriuntur, & patris sui iam pro se mortui faciem necdum vident? Sunt namque nonnulli, qui quamuis ipsi agere spiritalia nequeant, ad summa tamen tendentibus libenter subsidia ministrant. Portare enim asinus onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est, qui terrenis rebus deseruiens deportat onera vsibus hominum. Et sæpe cum hæretici quemlibet talem à sanctæ Ecclesiæ gremio auertunt, quasi pupillorum asinum abigunt. Quæ autem vidua, nisi sancta Ecclesia debet intelligi? quæ occisi viri sui interim visione priuata est. 3.

Bos autem huius est viduæ, vnusquisque prædicator, & sæpe contingit, vt hæretici peruersis suis dogmatibus, ipsos etiam qui prædicatores videbantur, trahant. Bouem ergo viduæ auferunt, cum de sancta Ecclesia etiam prædicantem tollunt, vbi recte est adiunctum, *pignore.* Pignus namque cum tollitur, aliud quidem est quod tenetur, sed tamen adhuc aliud quæritur, & plerumque ideo eos conantur auferre qui prædicant, vt eorum etiam sequaces trahant. Pro pignore ergo bos viduæ tollitur, quando idcirco ipse qui prædicat, recipitur, vt alij sequantur. Sequitur. G

Subuerterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ. Paupertatis namque nomine sæpe humilitas designari solet, & nonnunquam hi qui mansueti atque humiles videntur, si seruare discretionem nesciunt, exemplis aliorum cadunt. Sequitur. 4.

Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum. Onager enim agrestis est asinus. Et recte in hoc loco onagris comparantur hæretici, quia in suis voluptatibus dimissi, à vinclis fidei & rationis sunt alieni. Vnde scri- 5.

ptum est. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non [*] recte dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Sequitur. *Vigilantesque ad prædam præparant panem liberis.* Ad prædam vigilant, qui verba iustorum ad proprium sensum rapere semper conantur, vt per hæc peruersis filijs panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris prauitatis hæreticæ typum gerentis dicitur. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Sequitur. H Ierem. 2. 24 [*] recta. Psal. 100. 6. Prou. 9. 17.

Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt, vindemiant. Potest agri nomine Scripturæ sacræ latitudo signari, quam hæretici non suam demetunt, quia ex ea sententias longe à suis sensibus diuersas tollunt. Quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per verissimas sententias, botros virtutum profert. Cuius vineæ tamen, id est Scripturæ sacræ, conditorem quasi vi opprimunt, 6.

quia

A Esa. 43. 24. quia eius sensum in verba sacri eloquij inflectere violenter conantur. Quid icit. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, & eandem vineam vindemiant, qui ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ professione coaceruant. Potest agri vel vineæ nomine vniuersa Ecclesia signari, quam peruersi doctores demetũt, & auctorem eius in membris suis opprimẽdo vindemiant, quia creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa, qui recti videbantur, rapiunt; quid aliud quam spicas, vel botros animarum tollunt? Sequitur.

7. *Nudos dimiserunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Sicut vestimenta corpus, ita bona o-
Apoc. 16. 15. pera protegunt animam. Vnde cuidam dicitur. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* Hæretici itaque cum in quorumdam mentibus bona opera destruunt, nimirum velamina indumentorum tollunt. Operimentum quippe ad iustitiam pertinet, frigus ad culpam. Et sunt nonnulli qui in quibusdam rebus peccata faciunt,
B in quibusdam vero recta opera sequuntur. Qui ergo ex aliis actibus delinquit, atque ex aliis bona peragit, quid iste nisi in frigore vestitus alget & tegitur? Quia ex alio opere feruescit ad iustitiam, qui ex alio frigescit ad culpam. Sed cum hæretici talibus bona opera subtrahunt, agunt ne in frigore habeant quo vestiantur. Potest vero per frigus, desiderium, per vestimenta, operatio designari. Et sunt plerique qui adhuc peruersis desiderijs æstuant, sed contra se spiritaliter decertantes, rectis sibi operibus repugnant, & bonis actibus tegunt hoc quod sinistrum sibi resultare per tentationem sentiunt. Hi itaque vnde mala desiderant, inde algent; vnde autem bona operantur, inde vestiti sunt. Cum vero hæretici peruersis allegationibus rectæ fidei eis opera subtrahunt, quid agunt nisi vt hi qui adhuc desideriorum carnalium frigora sentiunt, sine bonorum actuum vestimento moriantur? Sequitur.

8. *Quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amC plexantur lapides.* Imbres sunt montium, verba doctorum.
Psal. 120. 1. De quibus montibus voce sanctæ Ecclesiæ dicitur. *Leuaui oculos meos ad montes.* Hos itaq; imbres montium rigant, quia sanctorum Patrum fluenta satiant. Velamen autem vt iam prædiximus, boni operis tegmen accipimus, quo quisque tegitur, vt ante omnipotentis Dei oculos prauitatis eius
Psal. 31. 1. fœditas operiatur. Vnde scriptum est. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quos autem nomine lapidum, nisi fortes intra sanctam Ecclesiam viros
1. Pet. 2. 5. accipimus? Quibus per primum pastorem dicitur. *Et vos tamquam lapides viui superædificamini.* Hi itaque, qui de nullo opere suo confidunt, ad sanctorum Martyrum protectionem currunt, atq; ad sacra eorum corpora fletib. insistunt, promereri se veniã eis intercedentibus deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonæ actionis velamen non habent, lapides amplexantur. Sequitur.

9. *Vim fecerunt deprædantes pupillum, & vulgum pauperem spoliauerunt.* Hæretici vero deprædantes pupillos vim faciũt, quia contra infirmas fidelium mentes verborum & operum violentia grassantur. Vulgus autem pauper, est indo-
D ctus populus, qui si veras sapientiæ diuitias haberet, vestimentum suæ fidei non amitteret. Quasi quidam intra sanctam Ecclesiã senatores sunt veri doctores, qui cum scientiam in corde multiplicant, veris apud se diuitijs abundãt. Sed hæretici vulgus pauperum exspoliant, quia doctos nõ præualent, indoctos quoq; à velamine fidei prædicatione pestifera denudant. Sequitur.

10. *Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.* Quod ait *nudis*, hoc replicat, *absq; vestitu.* Sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur, nudus est, & otiosus: qui autem mala agit, nudus incedit; quia sine velamine boni operis per iter prauitatis pergit. Sunt vero nonnulli, qui sacri eloquij dicta desiderant, qui quotiens patrum sententias pro ædificandis mentibus in cogitatione versant, quasi de bona segete spicas portant. Hæretici igitur nudis & incedentibus absq; vestitu, & esurientibus spicas tollunt, quia hoc quidem otiosi sint, & in nullis se bonis exerceant, seu per iter impudẽtiæ absq; velamine boni operis pergant, etiam

E si quando iam ad pœnitentiam redire cupiũt, & pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus patrum sententias destruunt. Sequitur.

Inter aceruos eorum meridiati sunt, quia calcatis torculari- 11.
bus sitiunt, omnes qui sanctam Ecclesiam persequuntur, quid aliud quam torcular calcant? Quod diuina dispensatione agi permittitur, vt animarum botri in spiritale vinũ defluant, quæ carne corruptibili exutæ ad regna cœlestia velut in apotheca currant. Sed omnes qui vitam fidelium persequuntur, calcant, & sitiunt, quia ad agenda crudelia ferociores fiunt, & impietatis suæ meritis cæcati, eo ambiunt grauiora facere, quo iam grauia fecerunt. Hæretici autem cum per se persecutionis potestatem non habent, huius sæculi potentes commouent, eorumque mentes ad persequendum pertrahunt, & quibus valent persuasionibus accendunt. Quos cum crudelia agere contra Catholicorum vitam conspiciunt, quasi in ipso Solis feruore requiescunt. Sequitur.

F 12. *De ciuitatibus fecerunt viros gemere.* Quia ciuitates à conuenientibus populis appellantur, nõ immerito ciuitatum nomine veræ suot fidei Ecclesiæ designatæ, quæ in singulis mundi partibus positæ, vnam Catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes cõcorditer viuunt. Hæretici igitur quia peruersis sæpe huius mundi potentib. adhærentes, bonorum socialem vitam atq; concordiam psequuntur, recte nunc dicitur. *De ciuitatib. fecerunt viros gemere.* Quos recte beatus Iob viros memorat, quia illos magis hæretici extinguere ambiunt, qui perfectis gressibus p viam Dei non fluxe & eneruiter, sed viriliter currunt. Sequitur. *Et anima vulneratorum clamauit, & Deus inultum abire non patitur.* Vulneratur quippe anima iustorum, cum fides turbatur infirmorum, quibus iam hoc ipsum clamare est, de alieno lapsu tabescere. Sed *Deus inultum abire non patitur*, quia etsi iniusto ordine iniuste aliquid fieri permittit, inultum tamen abire non sinit iniustum, quod fieri permisit iniuste, quia & de reproborum iniustitia quasdam, quas inesse considerat, culpas percutit electorum, & tamen æ- G
terna iustitia ferire non negligit iniustitiam ferientium. Sequitur.

13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Plerumque peruersi, & cognoscunt recta quæ sequi debeant, & tamen sequi despiciunt quæ cognoscunt. Lumini ergo rebelles sunt, quia sua desideria sequendo, bonum despiciunt quod nouerunt. Sequitur. *Nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.* Qui enim prius sciendo rebelles sunt, postmodum sequuntur
Rom. 1. 21. vt nesciant, sicut de quibusdam scriptum est. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* De quibus paulo post additur. *Tradidit illos Deus in* Rom. 1. 28.
reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Angustior est quippe semita quam via. Qui autem bona manifestiora agere contemnunt, nequaquam ad subtiliora intelligenda perueniunt. Expectauit omnipotens Deus, vt per eius semitas pergerent, sed vtinam per eas vel reuersi voluissent, vt vitæ itinera quæ noluerunt per innocentiam, saltim per pœnitentiam tenerent. Sequitur.

H 14. *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem, per noctem vero erit quasi latro.* Cum homicida in nece proximorum per nocturnum maxime silentium soleat grassari, cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum & pauperem dicitur, in nocte vero quasi fur esse perhibetur? Sed ipsis verbis literæ dum sibi non congruunt, ad indaganda spiritus secreta reuocamur. In Scriptura sacra mane aliquando aduentus Dominicæ incarnationis designatur, vt illud Prophetæ. *Venit mane & nox.* Esa. 21. 12.
Quia & nouæ lucis primordia in Redemptoris nostri præsentia fulserunt, & tamen a persecutorum cordibus suæ perfidiæ tenebræ non sunt detersæ. Aliquando aduentus iam terribilis & districti iudicij. Vt illud. *In matutino* Psal. 118. 8.
interficiebam omnes peccatores terræ. Et illud. *Mane astabo tibi, & videbo.* Psal. 5. 5. Aliquando vero præsentis vitæ prosperitas nobis conlucet, sicut per Salomonem dicitur. *Væ terræ* Eccles. 10. 16.
cuius Rex est puer, & cuius principes mane comedunt. Scriptum est enim. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Mane ita- 1. Ioan. 3. 15
que primo consurgit homicida, quia in præseptus vitæ

A glori peruersus quisque erigitur, & illorum vita deprimitur, qui diuinam sequentem gloriam sitiunt, quasi sanari in vespere exquirunt. Prauus etenim quisque in hoc mundo dignitatem transitoriæ potestatis arripiens, tanto se ad peragenda mala acrius dilatat, quanto per charitatis viscera nullum amat. Totis enim cogitationibus contra bonos sæuit, & innocentiæ vitam interimit. *Per noctem vero erit quasi fur.* In nocte quippe tribulationis & delectationis suæ etsi exercere crudelitatis manum non valet, eis tamen quos præualere conspicit, consilia peruersitatis præbet, huc illucque discurrit, & quæque potest, in bonorum læsione suggerit. Sequitur.

15. *Oculi adulteri obseruant caliginem, dicens, non me videbit oculus.* Hoc etiam iuxta litteram nil obstat intelligi, vt qui adulterium perpetrare desiderat, tenebras exquirat. Sed quia contra hæreticos sententia promitur, dignum est, vt
2.Cor.2.17. hoc quod dicitur, Mystice sentiatur. Nam Paulus ait. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Adulter quip-
B pe in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit. & peruersus quisque ac vanæ gloriæ seruiens, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia non per sacrum eloquium in Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Vbi apte subditur. *Non me videbit oculus,* quia adulterium quod in mente agitur, valde difficile est, vt ab humano visu penetretur. Quod peruersa mens tanto securius perpetrat, quanto se ab hominibus videri non metuit, quos erubescat. Sequitur. *Et operit vultum suum.* Idcirco operit adulter faciem suam ne cognoscatur. Omnis autem qui sentiendo vel agendo nequiter viuit, operit vultum suum, quia ad hoc peruersitate dogmatis vel operis tendit, vt ab omnipotente Deo in iudicio recognosci non possit. Vnde in fine qui-
Matt.7.23. busdam dicturus est. *Numquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Quid autem vultus cordis humani est, nisi similitudo Dei? Quem videl. vultum peruersus operit, vt cognosci nesciat cum vitam suam, vel malis actibus, vel
C perfidiæ errore confundit. Sequitur.

16. *Perfodit in tenebris domos sicut in die, condixerant sibi & ignorauerunt lucem.* Quidnam hoc loco domorum nomine, nisi conscientiæ designantur, in quibus habitamus contractan-
Marc.5.19. do quid agimus? Vnde cuidam sanato dicitur. *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit.* Iustis itaque cum in præsenti seculo diei prosperitates clarescunt, eis errorum magistri peruersa suadere metuunt, sed consilia exquirunt, detectionem prosperitatis eorum summopere præstolantur, vt in aduersitatis tenebris, eorum mentes suadendo perfodiant, quibus prospere viuentibus peruersa loqui minime audebant, quos mox vt in aduersitate viderint, exurgunt: & non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt, quia præsentis vitæ solam gloriam diligentes, flagellum damnationem putant. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ea ipsa eorum corrumpere aduersitate moliuntur. Sequitur.

D
17. *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* Aurora quippe mens iusti est, quæ peccati sui tenebras deserens, ad lucem iam erumpit æternitatis, sicut de sancta quo-
Cant.6.9. que Ecclesia dicitur. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quo igitur iustus quisque iustitiæ luce irradians in præsenti vita honoribus sublimatur, eo ante peruersorum oculos tenebræ mortis fiunt, quia qui peruerse se egisse meminerunt, corrigi pertimescunt. Semper enim desiderant in suis prauitatibus se laxare, incorrecti viuere. Sequitur. *Et sic in tenebris quasi in lumine ambulant.* Peruersæ etenim mentes gaudent in facinoribus, per culpam suam quotidie ad supplicium trahuntur, & securi sunt. Vnde & per
Eccl.8.14. Salomonem dicitur. *Sunt impij qui ita securi sunt, quasi iusto-*
Prou.2.14. *rum facta habeant.* De quibus rursum scriptum est. *Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Sic itaque in tenebris quasi in luce ambulant, quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux iustitiæ circumfundat. Vel certe, quia tenebræ vitam præsentem non inconuenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur, lux vero nostra patria æterna est, in qua dum vultus prospicimus, corda

E nostra in nobis vicissim videmus. Iniqui autem, quia vitam præsentem ita diligunt, atque hæc exilij tempora complectuntur, ac si iam in patria regnent, recte dicitur. *Sic in tenebris, quasi in luce ambulant.* Sequitur.

18. *Leuis est super faciem aquæ.* A plurali numero ad singularem redit, quia plerumque vnus malum inchoat, & imitando multi subsequuntur: sed eius principaliter culpa est, qui peruersis sequentibus exempla præbuit iniquitatis. Vnde ad illum redit crebro sententia, qui auctor extitit in culpa. Aquæ autem superficies huc illucque aura impellitur, & nulla stabilitate solidata mouetur. Iniqui igitur mens plus quam aquæ superficies leuis est, quia quamlibet hanc aura tentationis attigerit, sine tarditate aliqua retractationis trahit. Si enim cor fluxum cuiuslibet peruersi cogitamus, quid aliud quam in vento positam aquæ superficiem cernimus. Sequitur. *Maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum.* Quisquis in vita præsenti recta agit, & aduersa sustinet, laborare quidem aduersitate cernitur, sed F
ad benedictionem hæreditatis perpetuæ consummatur. Quisquis vero peruersa agit, & tamen prospera recipit, seque à malis actib. nec donorum largitate compescit, prosperari quidem conspicitur, sed reatu perpetuæ maledictionis ligatur. Via namque vinearum, rectitudo est Ecclesiarum. Quam in re siue hæreticum seu carnalem quempiam nil obstat intelligi, quia via vinearum, id est rectitudo Ecclesiarum amittitur, dum vel fides recta vel rectitudo iustitiæ non tenetur. Ille namque *per viam vinearum* ambulat, qui sanctæ vniuersalis Ecclesiæ prædicationem pensans, neque à fidei, neque à bonorum actuum rectitudine declinat. Sequitur.

Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium. Idcirco iniqui- 19.
quitas frigori comparatur, quia peccatoris mentem torpore constringit. Vnde scriptum est. *Sicut frigidam facit ci-* Ierem.6.7.
sterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia sua. Quid contra charitas calor est, quia videlicet mentem accendit,
quam replet. De quo scriptum est. *Abundabit iniquitas, & re-* Mat.24.12.
frigescet charitas multorum. Et sunt nonnulli qui dum iniqui-
tatum suarum frigora declinant, ad veram fidem vel ad G
sanctitatis habitum veniunt. Sed quia plusquam necesse est de suis sensibus præsumunt, sæpe in fide quam accipiunt, ea quæ non capiunt, perscrutari volunt, vt ratione magis in Deo, quam fide teneantur. Quia vero humana mens perscrutari non valet diuina secreta, omne quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt, & per inquisitionem nimium in errorem labuntur. Hi itaque cum necdum crederent, vel adhuc iniquitatis operi vacarent, aquæ niuium fuerunt, sed cum carnalia facta deserentes, in fide ad quam perducti sunt, plus appetunt perscrutari quam capiunt, amplius profecto calent, quam calere debuerunt. Bene ergo de hoc peruerso quolibet, prophetantis duntaxat sententia, non optantis dicitur. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Sequitur. *Et vsque ad inferos peccatum illius.* Peccatum quippe vsque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correptionem atque pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Io-
annem dicitur. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt quis* H
roget. Peccatum namque ad mortem est, peccatum vsque Ioan.5.16.
ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ei venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur.

Obliuiscatur eius misericordia. Omnipotentis Dei misericor- 20.
dia obliuisci eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiam fuerit oblitus, quia quisquis enim nunc iustum non timet, post hæc inuenire non valet misericordem. Quæ nimirum sententia non solum ei intenditur, qui veræ fidei prædicamenta deserit, sed etiam qui in fide recta positus carnaliter viuit, quia vltio æternæ animaduersionis non euaditur, vtrum in fide an in opere peccetur. Sequitur. *Dulcedo illius vermis.* Quisquis in hoc mundo appetit prosperari, cæteros excedere, rebus & honoribus tumere, huic tumultum cura secularis in delectatione est, quies in labore. Valde enim fatigatur, si desit ei cura seculi qua fatigatur. Quia autem natura est vermium momentis singulis incessanter moueri, non immerito signatur vermium nomine inquietudo cogitationum. Peruersæ itaque mentis dulcedo vermis est,

A quia inde delectabiliter pascitur, vnde per inquietudinem incessanter agitatur. Potest quoq; apertius vermis nomine caro signari. Vnde & superius * dicitur. *Homo putredo & filius hominis vermis.* Luxuriosus * igitur quilibet *, & carnis voluptatibus deditus *, quanta sit cæcitas, demonstratur cum dicitur. *Dulcedo illius vermis.* Quid namq; caro nisi putredo ac vermis est? & quisquis carnalibus desiderijs anhelat, quid aliud quam vermem amat? quid enim sit carnis substantia, restantur sepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere scaturientem vermibus carnem potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quid sit examinis *, & intelligitur quid amatur.

* Imo inferius scil. sequenti cap. vers. 6.
* Hæc cõgruentius fortassis in genitiuo vel datiuo.
* exanimis

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

MORALIVM IN IOB

LIBER XVII.

B



Verbis itaque præcedentibus sanctus vir per discretas prudentiæ arcæ sententias iniqui cuiuslibet culpas pertulit, & quam sit damnanda eius actio expressit, de cuius pœna subijcit dicens. *Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* In recordatione enim conditoris nõ reducitur, quisquis vsq; ad finem vitæ vicijs subiugatur. Nam si hunc superni respectus memoria tangeret, proculdubio ab iniquitate reuocaret. Eius quippe merita exigunt, vt funditus ab auctoris recordatione deleatur. Sciendum vero est q; recordari Deus nequaquam proprie dicitur. Qui enim obliuisci non potest, quo pacto recordari potest? Sed quia eos nos, quorum recordamur, amplectimur; ab his autem quorum obliuiscimur, elongamur: humano vsu & recordari Deus dicitur, cum dona tribuit, & obliuisci cum in culpa derelinquit. De hoc infructuoso ligno per Ioannem dicitur. *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Hoc aũt loco, vt æterna supplicia reprobis designentur, nequaquam dicitur abscidi, sed conteri, quia videl. reprobos mors quidem carnis abscidit, sed pœna subsequens conteret. Quasi enim hic inciditur, cum à p̃senti vita separatur. Sed in gehenna conteritur, cum perpetua damnatione cruciatur. Seq.

Luc. 3.9. Matt. 3.10.

C

21. *Pauit enim sterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit.* Quæ hoc loco sterilis, nisi caro nominatur? quæ dum sola præsentia appetit, bonas gignere cogitationes nescit. Quæ autem vidua, nisi anima nuncupatur? q̃ quia conditor sibi iungere voluit, ad thalamum vieri carnalis venit, Psalmista attestante, qui ait. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Quæ recte vidua dicitur, quia eius vir pro ea mortem pertulit, & nunc in cœli penetralibus, ab eius oculis occultus, quasi in parte alterius regionis viuit. Iniquus ergo sterilẽ pascit, & viduæ benefacere negligit, quia carnis desiderijs seruiens, curam animæ vitamq; cõtemnit. Caro quippe non solum sterilis, sed etiam q̃ non parit dicitur, q a suo sensu bonas cogitationes gignere nec in vltimis valet. Quod tamen intelligi de hæreticis etiam prædicantibus potest. Vnusquisq; namque prædicator erroris dum plebẽ extra vnitatem Ecclesiæ positam docet, profecto sterilem, & eam quæ parere non valet, pascit; quia ei vsum sui laboris impendit, quæ spiritales fructus nequaquam reddit. *Bene autem viduæ non facit,* quia videlicet sanctæ vniuersali Ecclesiæ, cuius vir aduersa mortis pertulit, viuere ac deseruire cõtemnit. Viduæ enim benefacere est, in eius quæ morte viri suspiratur, consolatione laborare. Sæpe autem prædicator erroris huius mundi diuitibus iungitur. Vnde subditur.

Psal. 18. 6.

D

22. *Detraxit fortes in fortitudine sua.* In fortitudine quippe suę prauitatis fortes quosq; detrahit, cum per sui erroris astutiam mundi huius potentes rapit, quos contra per Paulum dicitur. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Fortitudo autem peruersi prædicatoris est, elata scientia locutio-

1. Cor. 1.27.

E nis, qua inflatus cæteros despicit, atque in contemptu omnium quasi singulariter apud se peritus intumescit. Sequitur. *Et cum steterit non credit vitæ suæ.* Stat in hoc mundo peruersus quisq; prædicator, quousque terreno viuit in corpore, sed vitæ suæ credere renuit, quia de Deo vera cognoscere contemnit. Vitæ enim suæ crederet, si conditoris sui substantiam recte sentiret. Nam peruersus quisque etiamsi rectam fidem in sinu Ecclesiæ tenere videatur, stat, & vitæ suæ non credit, quia recta quidem sunt quæ per fidem de conditore intelligit: sed tamen fidei opera contemnit, & incredulitatis reus arguitur, quia ab eo quod se ostẽdit credere viuẽdo reprobatur. Hinc enim per Ioannem dicitur. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Sequitur.

1. Ioan. 2.4.

23. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia.* Quisquis delinquit & viuit, idcirco hunc diuina dispensatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate cõpescitur, munus quippe supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius astringit. Hinc per Paulum dicitur. *An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Sequitur. *Oculi enim eius in vijs eius sunt.* Vias enim suas intuetur peccator, quia sola cogitare, sola cernere nititur, quæ sibi ad cõmodum temporale suffragentur. Hinc enim Paulus dicit. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* Via namque elati superbia, via raptoris auaritia, via est lubrici concupiscentia carnalis. In vijs ergo suis iniquus quisque oculos deprimit, quia solis vitijs vt per hæc animo satisfaciat, intendit. Vnde & per Salomonem dicitur. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Sequitur.

F

Rom. 2.4.5.

Phil. 2.21.

Prou. 17.24.

24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* Iniquorum gloria cum plerumque in annorum multitudinem tendatur, ab infirmorum mentibus esse longa, & quasi stabilis æstimatur. Sed eam repentinus hanc finis intercipit, breuem fuisse sine dubio redarguit, quomodo terminans innotescit, quia quod præterire potuit, modicum fuit. Eleuantur ergo ad modicum & non subsistunt, quia eo ipso quod videri alti appetunt, à vera Dei essentia longe per elationem fiunt. Subsistere etenim nequeunt, quia ab æternæ essentiæ soliditate diuiduntur, atq; hanc primam ruinam tolerant, quia per priuatam gloriam in semetipsis cadunt. Hinc enim per Psalmistam dicitur. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Vir itaq; sanctus cum prauorum gloriam defectumque discuteret, ad cuncta protinus mentis oculum tetendit dicens. *Humiliabuntur sicut omnia & auferentur.* Omnia, profecto terrena, ac si aperte dicat. Stare vllo modo nequeunt, quia ipsa quoq; fugiunt quibus innituntur, dumque temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt. Sed quæri potest, cum per Salomonem dicitur. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra vero in æternũ stat,* cur B. Iob omnia humiliari asserat & auferri. Quod tamẽ facile discutimus, si terrã & cœlũ vel qualiter trãseat, vel qualiter maneant distinguamus. Vtraq; namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamẽ per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namq; per Paulum dicitur. *Præterit enim figura mundi huius.* Sequ. *Et sicut summitates spicarum conterentur.* Spicarum quippe summitates, aristæ sunt. Aristæ autem coniunctæ in spica prodeunt, sed crescendo paulisper à se hirsutæ & rigidæ distinguũtur. Quid ergo prauos huius mũdi diuites dixerim, nisi aristas quasdam humani generis? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam vnanimiter affligũt, aduersum se quidem diuisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Sed trituræ tempus adueniet, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana nõ conterat. Cumque aristæ franguntur, candor granorum ostenditur, quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorũ iustitia quãta veritate clareat, demonstratur. Sequitur.

G

Psal. 72.18.

Eccl. 1.4.

H

1. Cor. 7.31.

25. *Quod si ita non est, quis me poterit arguere esse mentitum?* Cur ergo dicitur, *si ita non est,* mentitum me arguere quis potest, dum scilicet nouerimus q; fallacem reprehendere cuilibet licet? Sed si loquentis sensum subtili interrogatione discutimus, quam sint recta quæ protulit citius inuenimus.

Iustus

A Iustus namque, & si quid vnquam delinquendo loquitur,
dignum non est vt ab iniustis & praue viuentib. iudicetur,
ac si ergo dicat. Ita cuncta vt protuli, quæ tamen si ita non
essent, à vobis redargui non possem, quia dum adhuc pro-
priç succumbitis, alienam reprehendere fallaciam non va-
letis. Sequitur. *Exponere autem Deum verba mea.* Ante Deum
quippe verba ponere est, considerato intimo iudice, exte-
riora dicta pensare. Vir igitur sanctus ab amicis superbien-
tibus, verba sua ante Deum poni posse non æstimat. Ac si
aperte dicat. Idcirco q̃ loquor ponere ante iudicem nõ va-
letis, q à cius vobis faciem peccantes absconditis. Quod
tamen & ex typo sanctæ Ecclesiæ nil obstat intelligi. Quæ
cum de infirmis suis ab hæreticorum irrisione reprehẽdi-
tur, ipsam irrisionis eorum astutiam dedignatur. Sequitur.

CAP. XXV. *Respondens autem Baldath Suithes dixit. Potestas & terror apud*
eum est, ac si aperte dicat. Solus corda mortalium veraciter
1. terret, qui hæc ex diuinitatis suæ potentia veraciter possi-
2. det, humana enim potentia quem in terrorem incutit, q̃ iure
eiusdem potentiæ quando careat, nescit? Seq. *Qui facit con-*
B *cordiam in sublimibus suis.* Bonos quippe omnipotens Deus
ad meritum prouehit, cum contra eorum vitam malos sæ-
uire permittit, atque in concordia componuntur summa,
dum confunduntur infima, quia inde in cœlestibus, ele-
ctos suos Angelorum choris sociat, vnde in terrenis & in-
fimis reproborum mores suis moribus aduersantes portat.
Sed inter hæc libet inquirere, si pax in sublimibus summa
Dan. 10.13. seruetur, quid est quod per Angelum Danieli dicitur. *Ego*
veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit
mihi viginti & vno diebus? Sed quia certa Angelorum mini-
steria dispensandis singulis quibusq; Gentibus sunt præla-
ta, cum subiectorum mores aduersum se vicissim præposi-
torum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus
contra se venire referuntur. Cumq; vniuscuiusque gentis
vel culpa vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur,
eiusdem gentis propositus vel obtinuisse in certamine, vel
non obtinuisse perhibetur. Sequitur.

3. *Numquid est numerus militum eius?* In cognitione humanę
rationis supernorum spirituũ numerus non est, quia quan-
C ta sit illa frequentia inuisibilis exercitus, nescit, de quo per
Dan. 7. 10. Danielem dicitur *Millia millium ministrabant ei, & decies mil-*
lies centena millia assistebant ei. Supernorum ciuium numerus
infinitus & definitus exprimitur, vt qui Deo est numerabi-
lis, esse nobis innumerabilis demonstretur. Angelicos spi-
ritus recte Dei milites dicimus, quia eos decertare contra
potestates aereas non ignoramus, quæ tamen certamina
non labore, sed imperio peragunt. Cui tamen militiæ ele-
ctorum hominum numerus iungitur, qui per sublime mẽ-
tis desiderium à terrenæ conuersationis seruitute liberan-
2. Tim. 2. 4. tur, de quibus per Paulum dicitur. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* Qui licet nunc pauci appareant, in
inuisibili tamen patria innumerabiles regnant. Sequitur.
Et super quem non surget lumen illius? Lumen quippe Dei est
gratia præueniens, quæ nisi in nostro corde gratuitu sur-
geret, profecto me[...] nostra in peccatorum suorum tene-
bris obscura remaneret. Sequitur.

4. *Numquid iustificari potest homo comparatus Deo?* Versus iste
superius ab eato subdictur, & nunc in eius exprobratione
D replicatur. Omnis namq; vir iustus, Dei illustratione iustus
est, non comparatione. Humana quippe iustitia auctori
comparata iniustitia est, quia etsi in ipsa sua cõditione ho-
mo perstitisset, creatori non posset coæquari creatura. Se-
quitur. *Aut apparere mundus natus de muliere?* Ac si aperte
diceretur. Ne contra authorem suum homo superbiat,
consideret vnde huc venit, & intelligit quid sit. Sequi-
tur.

5. *Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt [...]ndæ in cõspectu eius.*
Quid per lunam nisi cuncta simul Ecclesia? quid per stel-
las, nisi singulorum bene viuentium animæ designantur?
Qui dum inter prauorum hominum conuersationes ma-
gnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent.
Phil. 2. 15. Vnde per Paulum quoq; discipulis dicitur. *Inter quos lucetis*
sicut luminaria in mundo. Quia enim sancta Ecclesia lunæ ap-
pellatione exprimitur, Propheta restatur dicẽs. *Eleuatus est*
Sol, & luna stetit in ordine suo. Luna ergo nõ splendet, & stellæ
non sunt mundæ in cõspectu eius, quia nec sancta Ecclesia
vi rrote propria tot miraculis emicat, nisi hanc p̃uenientis E
gratiæ dona perfundant, nec singulorum bene viuentium
mentes à peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pie-
tate iudicetur, quia apud districti iudicis oculos sua vnum-
quemque corruptibilitas inquinat, nisi hunc cotidie gra-
tia parcentis tergat. Sequitur.

Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Ac si a- 6.
perte diceretur. Si ipsi quoq; esse sine contagio non valẽt,
qui inter præsentis vitæ tenebras virtutibus lucent, quanto
reatu iniquitatis obstricti sunt qui adhuc carnaliter viuũt?
Si à peccato liberi esse nequeunt qui iam in cœlestibus de-
siderijs conuersantur, quæ peccatorum pondera tolerant,
qui carnis suæ voluptatibus dediti, adhuc putredinis iugũ
portant? Hinc Petrus ait. *Si iustus vix saluabitur, impius & pec-* 1. Pet. 4. 18.
cator vbi parebunt? Recte quippe homo *putredo*, filius vero
hominis *vermis* vocatur. Primus quippe homo putredo, nõ
vermis, quia & si per mortem putruit, non tamen ex putre-
dine per natiuitatem venit. Qui autem filius est, vermis di-
citur, quia iam ex mortalium corporum corruptione pro-
pagatur. Sequitur. F

Respondens autem Iob dixit. Cuius adiutor es? Numquid imbe- CAP.
cillis? & sustentas brachium eius qui non est fortis? Adiuuare im- XXVI.
becillem charitatis est, adiuuare vero potentem velle, ela- 1.
tionis. Ac si ergo aperte dicat. Dum eum iuuare niteris sub 2.
cuius magnitudine succumbis, omne q̃ impendis solatiũ,
de ostentatione est, nõ de pietate. Sed inter hæc sciendum
est, quia plerumq; etiam Deum, qui videl. imbecillis non
est, humiliter agentes adiuuamus. Vnde & per Paulum di-
citur. *Adiutores enim Dei sumus.* Nam cum ei (quem ipse per 1. Cor. 3. 9.
internam gratiam infundit) nos exhortationis voce con-
currimus, hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus, nos
exterius ministerio vocis adiuuamus. Sequitur.

Cui dedisti consilium forsitan illi qui nõ habet sapientiam. Da- 3.
re stulto consilium, charitatis est; dare sapienti, ostentatio-
nis, dare vero ipsi sapientiæ, peruersitatis. Sequitur. *Et pru-*
dentiam tuam ostendisti plurimam. Omnis cui prudentia re-
cta est, plurima non est, quia iuxta Pauli vocem, *non plus*
appetit sapere quam oportet sapere. Cui vero plurima, non est Rom. 12. 3.
recta, quia dum vltra modum tenditur, in quo liber latere G
culpę declinatur. Prudentiam vero suam plurimam osten-
dunt, qui prudentiores videri præ aliis appetunt. Seq.

Quem docere voluisti? nonne eum qui fecit spiramentum? Per 4.
spiramentum viuimus, per prudentiam sapientes sumus.
Prius autem nostrum est viuere, postmodum sapere, quia
vt sapientes esse possimus, prius agitur vt simus. Qui ergo
vitam dedit, ipse proculdubio & prudentiã contulit. Bal-
dath autem, qui beatum Iob pro culpa flagellatum credi-
dit, occultum Dei iudicium q̃ venerari humiliter debuit,
superba nisus est temeritate penetrare. Ipsi ergo se per pru-
dentiam prætulit, cuius iudicium non intelligendo iudi-
cauit. Sequitur.

Ecce gigantes gemunt sub aquis. Dignum quippe erat, vt per 5.
increpationem prius tumorem sapiẽtiæ terrenæ retunde-
ret, & per doctrinam postmodũ ad plena mysterijs verba
transiret. Gigantes autem vel apostatas Angelos, vel super-
bos quosq; homines nil obstat intelligi. Hinc enim p Pro-
phetam dicitur. *Mortui non viuent, gigantes non resurgẽt.* Hinc Esa. 26. 14.
rursum scriptum est, *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gi-* Prouerb. 21. 16.
gantum commorabitur. Ac si ergo diceret. Cur de sciẽtia ho- H
mo superbiat, cum ignorantiæ abyssus & ipsos superbissi-
mos Angelorum spiritus premat? Si autem gigantum no-
mine potẽtes huius seculi designãtur, in aquis possunt po-
puli signari, Ioanne attestante, qui ait. *Aquæ sunt populi.* Bene Apoc. 17. 15.
autem contra superbientem dicitur. *Ecce gigantes gemunt sub*
aquis. Quia elati omnes dum in hac vita alicqui bonorum
celsitudinem cupiunt, sub ponderib. populorum gemunt.
Nam quantum quis hic altius erigitur, tanto curis grauio-
ribus oneratur, eisque ipsis populis mente in cogitatione
supponitur, quibus superponitur dignitate. Seq. *Et qui ha-*
bitant cum eis. Ac si dicat. Pariter gemunt, qui gloriæ eorum
ex delectatione sociantur. Seq.

Nudus est infernus coram illo, & nullum operimentum est perdi- 6.
tioni. Quod Paulus quoq; ait. *Omnia enim nuda & aperta sunt* Heb. 4. 13.
oculis eius. Inferni vero & perditionis nomine, diabolum &
omnes damnationis eius socios designat. Seq.

Qui

A

7. *Qui extendit Aquilonem super vacuum.* Aquilonis nomine in sacro eloquio appellari diabolus solet, qui ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit. (Esa. 14. 13) *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Qui super vacuum extenditur, quia illa corda possidet, quæ diuini amoris gratia non repleotur. Sequitur. *Et appendit terram super nihilum.* Quid enim terræ nomine, nisi sancta Ecclesia designatur? Quæ dum prædicationis verba suscipit, fructū boni operis reddit. De qua per Moysem dicitur. (Deut. 32. 1) *Audiat terra ex ore meo.* Et quid per *nihilum*, nisi gentiles designantur? De quibus per Prophetam dicitur. (Esa. 40. 17) *Omnes gentes velut nihilum & inane reputata sunt ei.* Ergo in nihilum terra suspenditur, quę prius vacuum ab Aquilone tenebatur, quia illa corda gentilium repleta sunt charitate Dei, quæ pressa prius fuerant tepore diaboli. Aliter. Quia Iudæorum corda à fide vacua diabolo sunt subdita, extendit Aquilonem super vacuum. Quia vero nullis existentibus meritis, sicut dictum est, (Psal. 55. 6) *pro nihilo saluos facies illos*, super gentes Dominus fundauit Ecclesiam, quæ per Prophetam *nihilum* sunt vocatæ, apte secutus adiunxit. *Appendit terram super nihilum.* Sequitur.

B

8. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum.* Quid hoc loco aquam, nisi scientiam? quid nubes, nisi prædicatores appellat? Hinc scriptum est. (Prou. 18. 4) *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ.* Hinc Esaias ait. (Esa. 60. 8) *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Vt vero auditores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prędicationis distillatione foueantur, *ligat Deus aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum*, quia doctorum prædicationem temperat, vt auditorum infirmitas dictorum rore nutrita conualescat. Hinc Paulus ait. (1. Cor. 3. 1) *Nō potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*, & cætera. Pariter namque aquæ erumperent, si eis tam infirmis auditoribus, quanta est scientia ex ore loquentis emanaret, si simul se omnis plenitudo prędicationis effunderet, & nihil sibi in ea proficientibus reseruaret. Sequitur.

9. *Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulā suam.* In vultu solet cognitio demonstrari. Solij ergo eius vultus tenetur, quia à nobis in hac vita gloria regni eius nō quanta intrinsecus habetur, agnoscitur: super quę recte expandi nebula dicitur, quia sicut est, illa cœlestis regni gloria non

C

videtur. Nam, (Sap. 9. 15) *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Ad vidēdum ergo eum nebula aspergitur, quia nostra ipsa ignorantiæ obscuritate caligamus. Vnde recte per Psalmistam dicitur. (Psal. 17. 10) *Caligo sub pedibus eius. Tenet* ergo *vultum solij sui*, quia maiestatis suæ potentiam mortalib abscondit. Sed si eius solium angelicas virtutes accipimus, ipsis quoque velut sedi regiæ præsidet, sui nobis vultum solij tenet: quia quamdiu in hac mortali carne subsistimus, quæ & quanta sint illa angelorum ministeria non videmus. *Et expandit super illud nebulam suam*, quia procul dubio & cor nostrum ad quærēdum subleuat, & tam occulta moderatione agitur, vt ipsa inquisitionis suæ immensitate reprimatur. Vnde scriptum est. (Habac. 3. 10) *Dedit abyssus vocem suam, ab altitudine fantasiæ suæ.* Vel certe quia solium Dei, ipsi nos sumus, *vultum solij sui* non immerito tenere dicitur, dum nostra scientia progredi ad altiora prohibetur. Super quod solium suum nebulā suam Deus aspergere dicitur, quia inuisibilis manens, occulta super

D

nos iudicia exerit, vt & fiat in promptu quod videre possimus, & tamen origo facti lateat in abditis, vt cur fiat, nescire debeamus. Sequitur.

10. *Terminum circumdedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ.* Aquas Dominus termino circumdat, quia humani generis scientiam moderatur, vt quousque vicissitudines alternantium temporum transeant, perfectæ ad cognitionē claritatis intimæ non pertingant. Si vero lucis nomine, iustos accipim*, tenebrarum vero appellatione, peccatores. Vnde & Paulus dicit. (Ephes. 5. 10) *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, hoc ipsum quod diximus sentiri nil obstat, quia perfecta æternitatis scientia nulli tribuitur, quousq; cursus iustorum iniustorumq; finiatur. Sequitur.

11. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Quid aliud columnas cœli, quam vel sanctos Angelos, vel summos prædicatores Ecclesiæ appellat? super quos in cœlestibus erescēs vniuersa spiritalis fabricæ structura surrexit,

E

sicut alias scriptura testatur dicens. (Apoc. 3. 12) *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Possumus etiam columnas cœli & ipsas Ecclesias non inconuenienter accipere. Hinc Salomon ait. (Prou. 9. 1) *Sapientia ædificauit sibi domum, & scidit columnas septem.* Ac si ergo diceret, Quia nec in plenitudine ipsi pertingere ad voluntatis celsitudinē præualent, qui eosdem voluntatis præmia denuntiantes vident. Sed ipsæ quoque cœlestium virtutes, quæ hunc sine cessatione cōspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt; sed eisdem tremor timoris non est, sed admirationis. Seq.

12. *In fortitudine sua repente maria congregata sunt, & prudentia eius percussit superbum.* Quid aliud maris nomine, quam præsens seculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium diuersis cogitationum fluctibus intumescūt? Sed iam *in fortitudine illius maria congregata sunt*, quia incarnato Domino discordantia secularium corda concorditer credunt. Quis hic superbos nominatur, nisi ille qui dixit. (Esa. 14. 14) *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo?* Et de quo voce Dei dicitur. *Qui factus est vt nullum timeret, & ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Notandum vero quod non ait, fortitudo, sed *prudentia eius percussit superbum.* Nam quamuis sicut dictum est propter naturam simplicem Dei,

F

fortitudo sapientia sit, Dominus tamen diabolum quantum ad faciem *expectat, non virtute, sed ratione superauit. (* spectat.) Ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captiuitate sua quasi iuste tenuit hominē, qui libero arbitrio conditus ei iniusta suadenti consensit. Sed dum audacter eum, in quo nihil sibi competebat, appetijt, iure illum, quem quasi iuste tenebat, amisit. Prudentia itaque, non virtute percussus est, quia dum ad tentandum Deum soluitur, ab homine possidendo religatur, vt inde eum qui sub ipso erat, perderet; vnde cum illo qui super ipsum est, congredi præsumpsisset. Seq.

13. *Spiritus eius ornauit cælos.* Quos cœlos, nisi eos de quibus scriptum est. (Psal. 18. 2) *Cœli enarrant gloriam Dei?* quos tunc ornauit spiritus, cum repleuit. Quod Luca referēte didicimus qui ait. (Act. 2. 2. 3. 4) *Factus est repente de cœlo sonus tāquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq; supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Sequitur. *Et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Quis enim co-

G

lubri nomine appellatur, nisi antiquus hostis & lubricus, & tortuosus, qui decipiendo homini colubri more locutus est? De quo per Prophetam dicitur. (Esa. 27. 1) *Leuiathan serpentem vectem, tortuosum.* Cauernæ huius lubrici corda fuerunt iniquorum, quæ quia ad prauitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requieuit. sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de proprijs cauernis expulsus est, quia dum nobis diuina gratia medetur, is qui nos tenuerat antiquus hostis, à nobis ejicitur, sicut incarnata Veritas dicit. (Ioan. 12. 31) *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Vnde iam nunc sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia in eis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat. Seq.

14. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cum vix paruam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Quid hoc loco viarum nomine, nisi a-

H

ctiones Domini appellat? Vnde & per Prophetam Dominus dicit. (Esa. 55. 8) *Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ.* Aduentum ergo Dominicum narrans *ex parte* vias Dei retulerat, quia alia eius actio fuit qua nos condidit, alia qua redemit. Eam itaque, quæ de Domini actione narrat, extremi iudicij comparatione leuigans ait. *Ecce ex parte dicta sunt viarū eius*, quod & *paruam stillam sermonum eius* appellat, quia quicquid altum, quicquid terribile in hac vita positi de eius consideratione cognoscimus, ex immensitate secretorum cœlestium, velut tenuis ad nos gutta superni liquoris emanat. *Et quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Ac si aperte dicat. Si humilitatis eius admiranda vix ferimus, sonorum atque terribilem maiestatis eius aduentum, qua virtute tolerabimus? Hunc tonitruum aduentus illius etiam Dauid Psalmista *insonat, dicens. (* intonat. Psal. 49. 3) *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.*

A

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XVIII.

CAP. XXVII. 1.



Addidit quoque Iob assumens parabolam suam, & ait. Quo profecto versu ostenditur huius sanctissimi viri dicta quam mystice sint prolata, dum parabola id est similitudo assumpta narratur ab eo qui nihil inferius per comparationem vel similitudinem loquitur. Ad eam itaq; similitudinem cuncta trahenda sunt, qua figurate Ecclesia designatur, & in ipso quidem locutionis exordio dicta aperte prolata sunt, sed subiectis obscuritatibus implicantur. Sequitur.

B

2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum: & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* Quibus nimirum verbis beatus Iob & sua narrat, & Ecclesiæ tempora afflicta significat, in quibus aperta infidelium pertinacia premitur, & persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus namque modis Ecclesia ab aduersarijs tentari solet, vt videlicet persecutionem aut verbis patiatur aut gladijs. Nunc vero de ea persecutione loquitur, in qua non gladijs, sed falsis assertionibus lacessitur. Vir itaq; Sanctus sanctæ Ecclesiæ typum gestans, vt Deum esse fateatur, ait. *Viuit Deus.* Vt vero res humanas eum curare perhiberet, subdidit. *Qui abstulit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam.* Ista enim quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente, testatur; nec tentatori suo amaritudinis suæ potestatem tribuit, sed auctori. Sequitur.

3. *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,*
4. *non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur mendacium.* Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens mendacium dixit. Nam & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab

C

æquitate discrepat quicquid à veritate discordat. Sed inter hoc quod ait loqui, postmodũ subdidit, meditari; magna distantia est. Nonnumquam enim peius est mendacium meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ prauitatis, quamuis nonnumquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam præcipitando mentiatur. Sed quia scriptum est.

Sap. 1. 11. *Os quod mentitur occidit animam.* Et, *Perdes eos qui loquuntur*

Psal. 5. 7. *mendacium.* Hoc quoque mẽdacij genus perfecti viri summopere fugiũt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, nec suæ animæ noceant, dum præstare vitam nituntur alienæ. Sequitur.

5. *Absit à me vt iustos vos esse iudicem, donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Ab innocentia quippe recederet, si bona

Prou. 17. 15. de malis æstimaret, Salomone attestante, qui ait. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est ante Deum.* Sunt namque nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt.

D

Ezec. 13. 18. Hinc enim per Prophetam dicitur. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Sequitur.

6. *Iustificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Cœptam namque iustificationem desereret, si in peccantium laude declinaret. Sequitur. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ac si aperte dicat. Pro vobis non debeo ad culpam pertrahi, qui peccare in proprijs formidaui. Sciendum vero est quod quisquis à pręceptis Dominicis discordat opere, quotiens ea audit, corde suo reprehenditur atq; confunditur, quia id quod non fecerit, memoratur. Nam in quo errasse considerat, ipsa se conscientia latenter accu-

Psal. 118. 6. sat. Vnde Dauid Propheta precatur dicens. *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.* Grauiter namq; vnusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quæ viuendo contempsit. Hinc Io-

1. Ioan. 3. 21. annis voce dicitur. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã*

Ioan. 14. 13. *habemus ad Deum.* Et, *Quæcunque petierimus, accipiemus.* Ac si diceret. Si id quod præcipit facimus, id quod petimus, obtineamus. Valde namq; hæc apud Deum vtraq; sibi necessario congruunt, vt & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Si quæri potest quo pacto à corde suo reprehẽdi se negat, qui se peccasse superius accusat, dicens. *Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum? Vel certe si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Sed sciendum est quod sunt peccata quæ à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla quę etiam à iustis vitari non possunt. Mens itaq; iustorum etsi libera est à peruerso opere, aliquando tamẽ corruit in peruersa cogitatione. Et in peccato ergo labitur, quia saltim in cogitatione declinatur, & tamen vnde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet, quia ante se reparat quam per consensum cadat. Sequitur. E

Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus. 7.

In sacro eloquio *sicut* & *quasi*, non aliquando pro similitudine ponuntur, sed pro veritate. Vnde est illud. *Et vidimus gloriam eius gloriã quasi vnigeniti à patre*, vnde & hic *sicut* & *quasi* Ioan. 1. 14.

pro affirmatione potius, quam pro similitudine dictum videtur. Inter impium vero & iniquum hoc distare nonnumquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius enim pro infideli ponitur, id est a pietate religionis alienus; iniquus vero dicitur, qui prauitate operis ab æquitate discordat, vel si fortasse Christianæ fidei nomẽ portat. Beatus igitur Iob voce typica sanctæ Ecclesiæ, quia alios rectæ fidei cõtradicentes tolerat, impium se habere fatetur inimicum. Quia vero alios sub pretentu fidei intus positos in prauis operib. patitur, iniquum aduersarium suum detestatur. * Si autẽ *sicut* & *quasi* oportet vt magis pro similitudine posita sentiamus, sancta Ecclesia quia viuẽtes carnaliter intra se tolerat, de similitudinẽ impiorũ notat. Intus quippe inimicus est, qui fidelem se dum affirmat vocibus, moribus negat. Seq. F * testatur.

Quæ enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & nõ liberet Deus animam eius? Hypocrita qui Latina lingua dicitur simulator, iustus non esse appetit, sed videri, & idcirco auarus raptor est, qui dum iniqua agit, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ: qui dum præsentia diligit, futura minime sperat. Sequitur. 8. G

Nunquid clamorem eius audiet Deus, cum venerit super eum angustia? Clamorem eius angustiæ tempore Dominus nõ audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse Dominum clamantem non audit. Scriptũ quippe est. *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Hinc Dominus ait. *Nouissime veniunt fatuæ virgines dicentes. Domine, Domine aperi nobis.* Et respondetur eis, *Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Sequitur. 9. Prou. 28. 9. Matt. 25. 11.

Aut poterit in omnipotente delectari? Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima numquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis, & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima: quantoq; acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis. Vtraq; enim simul & æqualiter amari non possunt. Delectari ergo in Deo hypocrita non valet, quia in eius mente desideria superna nõ prodeunt, quam profecto spinæ terreni amoris premunt. De quo aperte subditur. *Et inuocare Dominum in omni tempore.* Tunc quippe Deum hypocrita inuocat, cum hunc terrenarum rerum tribulatio angustat. Nam cum in hoc seculo effectum quæsitæ fœlicitatis inuenerit, auctorem qui hanc ipsam fœlicitatem tribuit, non quærit. Sequitur. 10. H

Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondam. Sic B. Iob loquitur verbis suis, vt aliquid signet ex nostris. Nam sancta Ecclesia docens in quantum cognoscere expedit, nil veritatis abscondit. Quia enim manus Dei vocatur filius, *omnia* quippe *per ipsum facta sunt: per manum Dei* docere se perhibet eos, quos in propria sapientia remanere fatuos videbat. Ac si aperte dicat. Ego ex me aliquid nescio, sed quicquid ex veritate sentio, hoc de eiusdem veritatis largitate comprehendo. Sequitur. 11. Ioan. 1. 3.

Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini? Scriptum est. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non* 12. Luc. 12. 47. 48.

fecit

A [Iacob 4.17.] *fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multa. Qui autem non cognouit & non fecit digna, plagis vapulabit paucis.* Rursusque scriptum est. *Scienti igitur bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Ad maioris ergo culpæ cumulũ hostes suos sancta Ecclesia perhibet, & scire quid sequi debeant, & sequi nolle quod sciunt. Sequitur.

13. *Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam ab omnipotente suscipient.* Quam profecto partem hæreditatemque protinus insinuat, cum subiungit.

14. *Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.* Non absurde impij vocantur hæretici, qui per errorem praui dogmatis à cognitione veritatis sunt alieni. Quos sequenti verbo etiam violentos appellat: quippe qui scripturæ sententias recta dogmata continentes ad intellectum prauum conantur violenter inflectere. Violenti ergo sunt, etsi non rebus hominum, certe sensibus præceptorum, filij autem *violentorum* sunt sequaces hæreticorum, qui dum errori eorum consentiunt, quasi ex eorum prædicatione generantur. Sed multiplicati B in gladio erunt, quia quamuis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi tamen iudicis sententia feriuntur. Vnde per Moysen Dominus dicit [Deut. 32.42]. *Gladius meus manducabit carnes.* Nepotes quippe hæreticorum sunt, qui de errantium filiorum prædicatione nascuntur, quos nequaquam panis satiat, quia dum in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quam capiunt, semper à veritatis cognitione ieiunant. Sequitur.

15. *Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.* Ex eo videlicet hæreticorum populo derelicti sepeliẽtur in interitu, quia dum ad lucem veritatis nõ redeunt, profecto in pœna perpetua intelligentia terrena deprimuntur. Sequitur. *Et viduæ eius non plorabunt.* Quas viduas eius accipimus, nisi subiectas eius plebes morte illi⁹ fœliciter destitutas? Quia sæpe vt diximus, dum prædicator erroris ad æterna supplicia rapitur, subiectæ plebes illius ad cognitionis veræ gratiam reuertuntur. His enim plebibus peruersus prædicator quasi maritus præfuit, quia male eis coniunctus inhæserat corruptor mentis. C Nequaquam ergo viduę vel destitutæ plorant, quia morte praui doctoris viam veritatis inueniunt, ex eius interitu affligi posse videbãtur. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo errore remanentes dum sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant, consolantur. Sequitur.

16. *Si comportauerit sicut terra argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta.*
17. *Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis. & argentum innocens diuidet.* Argentum intelligi sacri eloquij claritas solet, sicut alias dicitur [Ps. 11.7.]. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne probatum.* Horum scilicet argentum, id est hæreticorum eloquium, terræ est comparatum, quia de Scriptura sacra vt aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum vestimenta præparant, quia fluxe & inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia. *Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis.* Iustus ergo vestietur eis vestimentis quæ præparauit iniustus; quia vir sanctus eisdem sententijs ad veritatem vtitur, quibus se peruersus quisque doctum ostendere contra veritatem conatus. D *Et argentum innocens diuidet.* Argentum est innocentem diuidere, eloquia Domini minute discreteque exponere, & vnicuique quod digne congruat coaptare. Nam eloquium Domini, quod hic argentum vel vestimenta hoc alibi spolia nominantur. Quod etiam Psalm. testatur per comparationem dicens. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Sequitur.

18. *Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.* Tinea sibi domum corrumpendo ædificat, nec meliori comparatione hæreticus demonstrari potuit, qui locum suæ perfidiæ non nisi in mentibus quas corrumperet, fecit, qui etiam sequaces suos ab æterno igne esse liberos pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Vnde & subditur. *Et sicut custos fecit vmbraculum.* Vmbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur, & promissa ab hæreticis requies cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Sequitur. E

Diues cum dormierit, nihil secum auferet, aperit oculos suos & nihil inueniet. 19. Cui nimirum sententię Psalmista concinens dicit [Ps. 75.6.]. *Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Res suas cum moreretur secum tolleret, si ad potentis vocem cum viueret sibi tulisset. Nam terrena omnia quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. Sed quia homo ex anima constat & corpore, cum vnius rei somnus dicitur, alterius vigilia demonstratur, quia cum corpus obdormiscit in morte, tunc anima vigilat in vera cognitione. Et dormit ergo diues & oculos aperit, quia cum carne moritur, eius anima videre cogitur, quod præuidere contempsit. *Aperit oculos suos, & nihil inueniet,* quia illic aperit ad supplicia, quos hic ad misericordiam clausos habebat. Aperit oculus, & pietatis fructum nõ inueniet, quos clausos hic tenuit cum viueret. Sequitur. F

Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. 20. Videamus nunc inopiam diuitis ardentis, cuius tanta fuit abundantia epulantis. Ait enim [Luc. 16. 24.]. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Nõ autem immerito aquæ tunc illa inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens, solet lacus designari nomine. Vnde per Prophetam humani generis voce dicitur [Thren. 3. 53.]. *Lapsa est in lacum vita mea.* Tempestatis vero nomine, iudicij turbinem designat, quod etiam Psalmista testatur dicens [Psal. 49.3.], *Deus noster manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.* Et quia ipsa venturi exitus ignorantia nox vocatur, nocte eum opprimet tempestas, id est turbo diuini iudicij eum dum ignorat, apprehendit. Sequitur.

Tollet eum ventus vrens. 21. Quis hoc loco *ventus vrens*, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, vt ad æternitatem suppliciorum trahat? Peruersum ergo quemlibet *ventus vrens* dicitur tollere, quia insidiator malignus spiritus, qui viuentem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. G Hinc Hieremias [Ierem. 1.13.]. *Ollam succensam video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Sequitur. *Et velut turbo rapit eum de loco suo.* Locus peruersorum est temporalis vitæ dilectio, & carnis voluptas. Quasi turbine igitur vnusquisq; de loco suo rapitur, cum à cunctis suis delectationibus, extremo territus die, separatur. De quo extremo die apte subiungitur.

Et mittet super eum, & non parcet. 22. Peccatorem quotiens Deus feriendo corrigit, ad hoc flagellum mittit vt parcat. Cum vero eius vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellũ emittit, sed nequaquam parcit. Qui enim flagellum emisit vt parceret, ad hoc emittit quandoque ne parcat. In hac namque vita, Dominus tanto magis studet vt parcat quanto magis expectando flagellat. Sequitur. *De manu eius fugiens fugiet.* Ille etenim fugit de manu ferientis, qui prauitatem suæ corrigit actionis. Vel certe quia in sacro eloquio manus, operatio solet intelligi, de manu percussi fugit, qui dum praui interitum conspicit, vias prauitatis relinquit. H Vnde adhuc subditur.

Stringet, stringet super eum manum suam.* 23. [*D. ft. ... in B blur.] Manus quippe stringere est vitæ suæ opera rectitudine confirmare. Vnde etiam Paulus ait [Heb. 12. 12.]. *Remissas manus, & dissoluta genua erigite.* Dum itaque alienum interitum conspiciunt, reuocantur ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta ducitur, à tormento alius inde liberatur. *Stringet ergo super eum manum suam,* quia conspicit in aliena pœna quod timeat, & dum delinquentem hic percussum respicit, dissoluta opera sua iustitiæ vigore constringit. Hinc scriptum est [Psal. 57. 11.]. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* & reliqua. Sequitur. *Et sibilabit super illum, intuens locum eius.* Quid in sibilo, nisi intentio admirationis exprimitur? Si vero in sibilo fortasse alia significatio quæritur, moriente peccatore hi qui interitum eius aspiciunt, os in sibilo stringunt, dum ad ea quæ contempserant verba spiritalia conuertuntur, vt iam credere & prædicare incipiant, quæ prius dum iniquum

A

Prou. 21. 11. florere cernerent non credebant. Hinc Salomon ait. *Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus.* Vir igitur sanctus postquam potentum pœnas qui extolluntur in seculo, sufficienter expleuit, rursum ad hæreticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio verba conuertit. Nam sequitur.

CAP. XXVIII.

1. *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur.* In argento eloquium, in auro vitæ vel sapientiæ claritas designari solet. Et quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur: qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt, quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas reuocat, vt si vere loqui desiderant, inde sumere debeant quod loquantur, & ait. *Habet argentum venarum suarum principia.* Ac si aperte dicat. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines à sacris paginis sumat. Vera siquidem fidelium sapientia, cui vniuersalis Ecclesia locus est, tribulationem vobis persequentibus patitur, sed à cunctis peccatorum sordibus persecutionis

B

Eccle. 2. 5. vestræ igne purgatur. Vnde scriptũ est. *In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis.* Quo in loco hoc quoque potest conuenienter intelligi, vt de sua stulta hæretici passione videantur increpari. Nam sæpe pro Iesu Christi Domini ac Redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seseq; eisdem passionibus eos fieri martyres sperant: quibus sancti viri voce nunc dicitur. *Auro locus est, in quo conflatur.* Nam iuxta hoc quod iam & ante nos dictum est. QVISQVIS EXTRA ECCLESIÆ VNITATEM PATITVR, PŒNAS PATI POTEST, MARTYR FIERI NON POTEST, quia, *Auro locus est in quo conflatur.* Quid itaq; ad hæc hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum quo debeatis conflari nescitis. Sequitur.

2. *Ferrum de terra tollitur.* Solent hæretici de iustitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione iactari, nosq; iniquos vt dicimus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humillimam ergo confessionem & ve-

C

racem defensionem contra eos vir sanctus loquitur dicẽs. *Ferrum de terra tollitur.* Ac si aperte dicat. Fortes igitur qui acutissimis linguarum gladijs in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquãdo terra in infimis actionibus fuerunt.

Gen. 3. 20. Peccãti quippe homini dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Sed de terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Ecclesiæ à terra, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despici quicquid fuit, qui iam accepit esse quod non fuit. Sequitur. *Et lapis solutus calore in æs vertitur.* Tunc lapis calore solutus, cum cor durum atque à diuini

* igne, amoris igne frigidum, eodem diuini amoris * tangitur, & in feruore spiritus liquatur, vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat, ex quo ardore scilicet & emollitur ad amorem, & operatur ad operationem: vt sicut prius durus fuerat in amore sæculi; ita se fortem postmodum exerceat in amore Dei, & quod ante audire renuebat, & credere & prædicare incipiat. Sequitur.

3.

D

Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. Tempus posuit tenebris, iniquis videlicet modum, quod iniqui esse desistant, vnde eisdem per Apostolum dicitur.

Ephes. 5. 10. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sicut alijs

Rom. 13. 12. quoque discipulis idem doctor egregius dixit. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Vniuersorum nomine electos & reprobos voluit comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eueniant, ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod è malo opere dignum trahantur ad supplicium. Sequitur.

4. *Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante.* Quid durius illa perfidia Iudæorum? qui populus, qui auctorem vitæ videre per fidem noluit, quem per Prophetam prædixit, nisi lapis caliginis fuit? quia &

E

crudelitate durus fuit, & infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo, vmbra mortis dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei de qua trahitur, fuerint lineamenta. Quis autem mortis nomine, nisi Diabolus vocatur? De quo per quandam ministri sui significationem

Apoc. 6. 8. dicitur. *Nomen illi mors.* Cuius ille populus vmbra extitit, quia iniquitatem illius sequens, eius in se imaginem expressit. Quid vero torrentis nomine, nisi ille à conspectu tremendi iudicis per vltimum examen egrediens, atque electos & reprobos diuidens, ignis vocatur? Vn-

Dan. 7. 10. de per Prophetam dicitur. *Fluuius igneus rapidus, qui egrediebatur a facie eius.* Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam nouit in cœlestibus? Et tanto magis illic sperat inuenire se propria, quanto hic cuncta quæ præterenut esse à se deputat aliena. Hinc Paulus ait. *Dum su-*

2. Cor. 5. 6 *mus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* Potest fortasse in torrentis nomine, ipsa irrigatio sanctæ prædicationis intelligi, iuxta id quod per Salomonem dicitur. *Ocu-*

Prou. 30. 17 *lum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, ef-*

F

fodiant illum corui de torrentibus. Sanctorum quippe prædicatio obduratas mentes reproborum deserit, & ad pia humilium se corda conuertit. Sequitur. *Et eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur.

2. Cor. 8. 6. *Qui propter nos egenus factus est dum esset diues?* Cuius videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerunt, per quorum profectus præsentiam gentilitatem circuiẽtus, mundum perambulauit vniuersorum. Sed eorum qui vmbra mortis & lapis caliginis extiterunt, *pes hominis egentis oblitus est,* quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti Apostoli cœlorum regnum Iudææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsis in suis

Act. 13. 46. Actibus dicunt. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quos recte quoque & inuios vocat, quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ

G

ad cor viam præbere noluerunt. Sequitur.

5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne subuersa est.* Panem Iudæa dare consueuerat, quæ legis verba proferebat. Sed hæc terra in loco suo igne subuersa est, quia fidelium signa conspiciens, inuidiæ se face concremauit. Quia enim semper inuidia de superbia nasci solet, in loco suo igne perijt, quæ idcirco arsit inuidia, quia superbiam non reliquit. Sequitur.

6. *Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.* Quid enim hoc loco per lapides nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? In scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono accipi solent. Hinc * Io-

* Lucas. Luc. 3. 8. annes ait. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hinc Petrus ait. *Et vos tanquam lapides viui superædificamini*

1. Pet. 2. 5. *domos spirituales.* Saphirus quidem lapis colorem aeris habet, & quia de Iudæa nonnunquam sanctæ animæ, quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt; dicitur. *Locus sapphiri lapides eius.* Et quam magna vitæ ac sapientiæ claritate per fi-

H

dem fulsit, adiungitur. *Et glebæ illius aurum.* Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ autem ex humore & puluere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito puluerem se esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ in illa glebæ iacuerunt. Glebas hæc terra habuit in Prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis & operis vnanimitate tenuerunt. Sequitur.

7. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Quis hoc loco auis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera librauit? Qui apte quoq; etiam vulturis appellatione exprimitur, qui manens in altitudine diuinitatis suæ, quasi quodã volatu sublimi, cadauer mortalitatis nostræ cõspexit in infimis, & sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, & dum mortuum animal perijt,

mor-

A mortem apud nos, qui apud se erat immortalis inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna morte nos liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus mortalem vidit, sed quod morte sua nostram mortem destrueret, minime adtendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit, qui dum humilitatis eius vias quibus nos ad alta subleuauit, considerare noluit, semitam auis ignorauit. Neque enim pensare studuit quod eius humilitas nos leuaret ad cœlestia, & mortis eius intentio reformaret ad vitam. Sequitur.

8. *Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna.* In cunctis Latinis codicibus institores positos reperimus, in Græcis vero negotiatores inuenimus. Qui hoc loco institores, nisi Prophetæ sancti vocati sunt, qui synagogæ mores ad fidem instruere prophetando curauerunt? Quorum nimirum filij, sancti Apostoli nuncupantur, qui vt Deum hominem crederent, ad eandem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. Calcarent quippe institorum B filij, si prædicatores sancti eiusdem synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eiusdem sanctæ Ecclesiæ prædicatores accipimus, institorum filios pastores & doctores, qui Apostolorum viam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui synagogam minime calcauerunt, quia dum eorum partes, id est Apostoli ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab eius vocatione cessauerunt. Per quam videlicet synagogam leæna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita, nequaquam se ad illum Iudææ populum diutius occupauit. Recte autem Ecclesia leæna nuncupatur, quia male viuentes in vitijs, ore sanctæ prædicationis interficit. Ecclesia itaq; per synagogam transijt, sed non pertransijt, quia ex illa ad fidem paucos rapuit. Sequitur.

9. *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes.* Manum quippe ad silicem extēdit, quia ad duritiam gentium suæ brachium prædicationis misit. Vnde & eisdem beatus Iob passionis suæ historiam præsciens gentibus innotescendam dicit. Iob. 19. 24. *Scribantur hæc stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice.* C Quid vero hoc loco montes, nisi huius seculi potentes accipimus, qui pro terrena substantia altum tument? De quibus Psalmista ait. Psal. 143. 5. *Tange montes, & fumigabunt.* Sed montes à radicibus sunt euersi, quia prædicante sancta Ecclesia summi huius sæculi potentes in adoratu omnipotentis Dei ab intima cogitatione ceciderunt. Sequitur.

10. *In petris riuos excidit*, id est in duris Gentilium cordibus fluuios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoq; de irriganda dicitur ariditate Gentilium. Psal. 106. 35. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* Sequitur. *Et omne pretiosum vidit oculus eius.* Sciendum magnopere, quia tanto vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. In Scriptura sancta videre Dei aliquando pro eligere ponitur. Vidit pretiosum, cum humanam animam de se abiecta sapientem gratiæ suæ illustratione respexit, de qua videl. anima per Prophetam dicitur. Ierem. 15. 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Sequitur.

D *Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscōdita produxit*
11. *in lucem.* Quid namque hic aliud flumina, nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur? Sed horum fluminum Iudæa speciem tenuit, dum literæ superficiem tenens, eorum profunda nesciuit; nos vero veniente Domino in eis interna spiritalia quærimus, eorum profunda rimamur. 2. Cor. 3. 6. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere ipso donante præualemus. Per nos ergo qui non literam quæ occidit, sed spiritum qui viuificat, sequimur: profunda fluuiorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit, qa dicta legis, quæ caligosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Vnde & loquens in parabolis Mat. 10. 27 per Euangelium Veritas discipulis præcipit dicens. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Sequitur.

12. *Sapientia vero vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?*
13. *Nescit homo pretium eius.* Vir itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam de qua Paulus Apostulus dicit. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam?* E De qua per Salomonem dicitur. 1. Cor. 1. 24. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Prou. 9. 1 Et de qua Psalmista ait. Psal. 103. 24 *Omnia in sapientia fecisti.* Huius nimirum sapientiæ homo pretium nescit, quia nihil dignum æstimatione illius inuenit; non autem hoc sapientiæ pretium & esse dicitur & nesciri sed idcirco nesciri quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustijs quisque depressus cum remedium subuentionis non inuenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Huius ergo sapientiæ pretium nescire est, dignum operis meritum quo illam percipiat non inuenire. Ad hoc namq; pretium damus, vt eius vice rem quam appetimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, vt hanc sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Hinc Paulus ait. Rom. 5. 8. *Cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro impijs mortuus est.* Sequitur. *Nec inuenietur in terra suauiter viuentium.* Quid hoc loco signatur terræ nomine, nisi anima humana? De qua Psalmista ait. Psal. 142. 6. *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi.* Hæc autem sapientia inueniri *in terra suauiter viuentium* nō F valet, quia quisquis adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Nam si vere saperet, expulsus ab internis gaudijs de ea in qua cecidit exilij sui cæcitate lugeret. Hinc namq; per Salomonem dicitur. Eccl. 1. 18. *Qui apponit scientiam apponit dolorem.* Seq.

14. *Abyssus dicit, non est mecum.* Quid hoc loco abyssum nisi corda hominum vocat? quę & per lapsum fluida, & per duplicitatem sunt caligine tenebrosa. Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur, quia iniqua mēs dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Namque teste Paulo, 1. Cor. 3. 19. *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum.* Tanto quisquis totus amplius stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Sequitur. *Et mare loquitur, non est mecum.* Quid enim maris nomine nisi secularium mentium amara inquietudo signatur, quæ dum se vicissim inimicitijs impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt? Recte enim mare vita secularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus cōcitatur, ab internæ Sapientiæ quiete atq; stabilitate disiungitur. Quo contra G bene per Prophetam dicitur. Esa. 66. 2. *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?* Sequitur.

15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea.* Quod namque per aurum obrizum, nisi sancti Angeli designantur? qui recte & *aurum* vocantur & *obrizum*. Aurum, quia fulgent claritate iustitiæ; obrizum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines vero iusti quandiu in hac carne corruptibili mortaliter viuūt, aurum quippe esse possunt, obrizum omnino esse nō possunt, quia Sap. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Nam quamuis in hac vita ex magna iustitiæ claritate resplendeant, nequaquam ad purum, peccatorum sordibus carent, Ioanne Apostolo attestante, qui ait. 1. Ioan. 1. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sed quia pro hac sapientia nullus Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorium hominum sæpius apparuisse didicimus, Angelis, poneret, dictum est. H *Non dabitur obrizum pro ea.* Seq.

16. *Nec appendetur argentum in commutatione eius.* Quia enim argento sæpe eloquia diuina signantur, possunt argēti vocabulo etiam eiusdem eloquij scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplendet luce virtutum. Sed quia lex peccata iudicare potuit, non auferre, non quisquā veterum Patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor extitit. *Argentum ergo in commutatione* huius sapientiæ *non appenditur*, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione vnigeniti filij nullius meriti fuisse pensatur. Sequitur.

17. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* Quid enim per Indiam, quæ nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur? Tincti autem colores sunt Indiæ, huius mundi sapientes, qui quamuis per infidelitatem & plerumque per actionem fœdi sunt, ante humanos tamen oculos superductæ honestatis colore fuscantur. Sed coæterna Dei Sapientia

A tincti Indiæ coloribus non confertur, quia quisquis hanc
veraciter intelligit, ab his omnibus quos mundus sapien-
tes coluit, quam longe distet, agnoscit. Sequitur. *Nec lapidi
Sardonico pretiosissimo vel sapphiro.* Sardonicus quippe terræ
rubræ similitudinem tenet, sapphirus vero aeream habet
speciem. Possunt ergo in Sardonico, per terram rubram,
homines; in sapphiro autem per aëream visionem Angeli
designari. Nam cum terræ rubræ speciem lapis Sardonicus
habeat, non immerito hominem significat, quia & Adam
qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra no-
minatur. Quid est ergo quod dicitur, quia hæc Sapientia
lapidi Sardonico vel sapphiro non confertur, nisi quod is
1 Cor. 1. 24 qui est *Dei virtus & Dei sapientia, mediator* scilicet *Dei & homi-*
1. Tim 2.5. *num homo Christus Iesus*, tanta magnitudine excellat omnia,
vt ei nec in terra primi homines, nec in cœlo Angeli com-
Psal. 88. 7. parentur? Vnde & per Psalmistam dicitur. *Quis in nubibus
æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Pos-
sunt autem per Sardonicum lapidem patres Testamenti
veteris, per Saphirum vero prædicatores primi Testa-
B menti noui. Ac si patenter insinuat dicens. Et qui homo
inter homines cernitur, nec in antiquis quisquam, nec in
nouis patrib. æquatur, quia ex deitate habet, quod in hu-
manitate quemquam similem non habet. Seq.

17. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Auri namque me-
tallum nouimus potiori metallis omnibus claritate fulge-
re: vitri vero natura est, vt extrinsecus visum, pura intrinse-
cus perspicuitate perlucear. Quid ergo aliud in auro vel
vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beato-
rum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & cla-
ritate fulgent, & puritate transslucent? quam Ioannes in A-
Apoc. 21 18. pocalypsi conspexerat cum dicebat. *Et erat structura muri
eius ex lapide iaspide, ipsa vero ciuitas ex auro mundo, simile vitro
mundo.* Sequitur.

18. *Nec commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa & eminentia.*
Excelsum quippe vas auri Helias extitit, excelsum vas auri
Hieremias, excelsa atque eminentia auri vasa priores Pa-
tres fuerunt. Sed hæc Dei Sapientia vt à carnali nos conuer-
satione redimeret, apparuit in carne, & qui illam veraciter
C non agnouit, mediatorem Dei & hominum Christum Ie-
sum esse vnum ex prophetis putauit. Ecclesia vero pro hac
sapientia vasa auri excelsa & eminentia non commutauit,
quia Christum Dei filium non vnum esse Prophetarum,
sed vnum prophetarum Dominum credidit. Sequitur. *Nec
commemorabuntur comparatione eius.* Omnes enim supernæ
patriæ electi sancti quidem & iusti sunt, sed participatione
sapientiæ, non cóparatione. Quid enim sunt homines Deo
comparati? Lumen autem sapientia, lumé & serui sapien-
tiæ vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen il-
Ioan. 1. 9 luminatum, sicut scriptum est. *Erat lux vera quæ illuminat o-
mnem hominem venientem in hunc mundum.* Istis autem tan-
Matt. 5. 14 tummodo dicitur. *Vos estis lux mundi.* Sequitur. *Trahitur sa-
pientia de occultis.* De occultis sapientia trahitur, quia cum sit
inuisibilis, non nisi inuisibiliter inuenitur, quæ recte quo-
que trahi dicitur, quia sicut flatum trahimus vt corpus vi-
uat, sic ab intimis sapientiæ spiritus ducitur, vt ad vitam a-
131 nima subsistat. Vnde Psalmista ait. *Os meum aperui, & attraxi
spiritum.* Sequitur.

Non adæquabitur ei topazium Aethiopiæ. Quid Æthiopia
nisi præsentem mundum accipimus? quæ coloris nigredi-
ne designat peccatorem pollutum fœditate meritorum.
Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas
designari solet, infidelitatis prius nigra peccatis, quam ve-
niente Domino Abacuc Propheta vidit timore perterri-
tam & ait. Tabernacula Æthiopum expauescent, taberna-
cula terræ Madian. Topazion vero pretiosus lapis est, &
quia Græca lingua Pan omne dicitur, pro eo quod omni
calore resplendet, Topazion quasi Thonpazion vocatur.
Dum vero in Deú conuersa Gentilitas credidit, ex ea mul-
ti sunt ita dono spiritus locupletati, vt quasi multis colori-
bus, sic multis in alijs virtutibus luceant. Ac si ergo eis di-
ceretur. Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus
existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari non po-
test ei de quo dictum est. *Quod nascetur ex te sanctum vocabi-
tur filius Dei.* Seq. *Nec tincturæ mundissimæ cóponentur.* Tinctæ
enim mundissimę vocantur hi qui veraciter sunt humiles,

E & veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ea semetipsa vir-
tutum speciem nó habent, sed hanc ex dono gratiæ super-
uenientis tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem
naturaliter habuissent; sed mundissimæ tinctæ sint, quia
humiliter custodiunt superuenientem in se virtutum gratiá
quam acceperunt. Pensandum magnopere est, q à sancto
viro requiritur vnde sapientia veniat. Ab eo etenim venit
à quo orta est. Sed quia ab inuisibili & coæterno patre na-
scitur, eius via occulta est. Vnde & per Prophetam dicitur,
Generationem illius quis enarrabit? Locus vero intelligentiæ Esa 53. 8.
eius est humana mens, quam hęc Dei sapientia dum reple-
uit, sanctam facit. Quia ergo & inuisibilis est de quo pro-
dijt, & incertum nobis est in cuius mente intellecta re-
quiescat, recte nunc dicitur. *Vnde ergo sapientia veniet, vel quis
est locus intelligentiæ?* Sed hoc valde mirum est quod protinus subinfertur.

Abscondita ab oculis omnium viuentium. Sapientia quippe 20.
quæ Deus est, si omnium viuentium oculis esset occulta,
hanc proculdubio sanctorum nemo vidisset. Sed & huic F
sententię Ioannem audio concordantem, qui ait. *Deum ne-* Ioan. 1.18.
mo vidit vnquam. Sed iuxta beati Iob sententiam, sapientia
quæ Deus est, *abscondita est ab oculis omnium viuentium*: quia
in hac mortali carne cósistentibus & videri potuit p quas-
dam circumscriptas imagines, & videri non potest per in-
circumscriptum lumen æternitatis. Sin vero à quibusdam
potest in hac incorruptibili carne viuentibus, sed tamé in-
æstimabili virtute crescentibus quodam contemptionis
acumine æterna Dei claritas videri. Hoc quoque à beato
Iob sententia non abhorret, qui ait. *Abscondita est ab oculis o-
mnium viuentium.* Quam quisquis sapiétiam, quæ Deus est,
videt; huic vitæ funditus moritur, ne iá eius amore tenea-
tur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter viuit.
Hinc Moysi dicitur, *Non enim videbit me homo, & viuet.* Exod. 33.20

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

G

LIBER XIX.

21. *Volucres quoque cœli latet.* In scriptura sacra
volucres aliquando in malo, aliquando
vero in bono datur intelligi. Per volucres
quippe nonnunquam potestates aeriæ de-
signantur, bonorú studijs aduersæ. At con-
tra in bono volucres poni solent. *Simile est regnum cælorum*
Luc. 13. 19. *grano sinapis, quod acceptú homo misit in hortum suum & creuit,
& factú est in arbore magna, & volucres cæli requieuerunt in ramis
eius.* Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est.
Abscondita est ab oculis omnium viuentium, recte subiungitur.
Volucres cæli quoque latet, quia in hac corruptibili carne con-
stituti naturæ eius potentiam ipsi quoq; viuendo non pe-
netrant, qui iam per meritum sanctæ contemplationis vo-
lant, vbi apte subiungitur. H

22. *Perditio & mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam
eius.* Quid perditionis & mortis nomine, nisi maligni spiri-
tus designantur, qui inuentores mortis & perditionis ex-
titerunt? Videre quippe perfecte coæternam Dei sapien-
tiam, hoc est quod habere. Ideo iniqui spiritus hanc sa-
pientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequa-
quam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe eius clau-
serunt oculos cordis, superfusis eius radijs repugnantes.
Famam ergo sapientiæ malignis spiritibus audisse est, sed
eandem sapientiam non vidisse, & eius potentiam ex vir-
tute illius cognouisse, & tamen sub ea humiliter stare no-
luisse. Hinc Veritas ait. *Ille homicida erat ab initio, & in verita-* Ioan. 8. 44.
te non stetit. Sequitur.

23. *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* Locus sa-
pientiæ pater est. Locus sapientiæ sicut ipsa Sapientia atte-
stante dicitur. *Ego in patre, & pater in me.* Aliter ergo sapien- Io. 14. 10 11.
tia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanita-
tis transitum, locum vero per statum diuinitatis. Ac si
aperte diceretur. Humanæ cogitationi occulta sunt,

vel

A vel quando per carnem ad homines Sapientia veniat, vel
quomodo apud patrem inuisibilis etiam cum foris appa-
ruerit persistat. Quamuis hoc intelligi & aliter potest. Nam
via eius non inconuenienter accipitur hoc ipsum quod
venit ad cor, sese que nobis intrinsecus infundit. Locus ve-
ro eius fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quoq;
Ioan.1.23. via illius dicitur. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domi-
ni.* Et quia hominibus incertum est, vel in cuius corde ve-
niat, vel in quo postquam venerit, permanẽdo requiescat,
recte nunc dicitur. *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum
illius.* Quia solius diuinæ visionis est cernere, vel quibus
modis intellectus sapientiæ quem perceperit mortiferis
cogitationibus non admittat. Sequitur.

24. *Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cælo sunt, re-
spicit.* Respicere quippe Dei est ea quæ amissa ac perdita
fuerant, ad suam gratiam reformare. Vnde scriptum est.
Prou. 20.8. *Rex qui sedet in solio iudicij sui, dissipat omne malum in intuitu suo.*
Sequitur.

25. *Qui fecit ventis pondus.* Velocitate enim ac subtilitate ven-
B torum in scriptura sacra solent animæ designari, sicut per
Psal.17.11. Psalmistam de Deo dicitur. *Qui ambulat super pennas vento-
rum,* id est qui transgreditur virtutes animarum. *Fecit* ergo
ventis pondus, quia dum superna sapientia replet animas, eas
maturitate induta graues reddet, non illa grauitate qua di-
Psal.4.3. citur. *Filij hominum vsquequo graues corde?* Aliud namque est
grauem esse per consilium, aliud per peccatum, aliud gra-
uem esse per cõstantiam, aliud per culpam. Vel certe ven-
tis pondus facere est, concessam hic electis de virtutibus
gloriam permixta infirmitate temperare. Sequitur. *Et aquas
appendit mensura.* Aquæ in scriptura sacra aliquando san-
Ioan.7.38. ctum Spiritum significant, vt illud. *Qui credit in me, sicut di-
cit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Aliquando
Eccles.15.7. scientiam prauam, aliquando scientiam sacram, velut; *A-
Prou.9.17. qua sapientiæ salutaris potauit eos.* Prauam, vt illud Salomo-
nis. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Aliquando tribulationem,
Psal.68.2. vt illud. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ ad ani-
Apoc.17.15. mam meam.* Aliquando defluentes populos, vt illud Apo-
Esa.32.20. calypsis. *Aquæ vero sunt populi.* Aliquando mentes fidem se-
C quentium designari solent, sicut Propheta ait. *Beati qui se-
minatis super omnes aquas.* Hoc igitur in loco quid aquarum
nomine, nisi electorum corda signantur, quæ per intelle-
ctum sapientiæ auditum iam supernæ vocis acceperunt?
De quibus recte dicitur. *Et aquas appendit mensura.* quia san-
cti ipsi, qui subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quam-
diu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibus-
dam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum
proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur
superbia, sit in eis ipsarum quædam mensura virtutum.
Sequitur.

26. *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.*
27. *Tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.* So-
Deut.32.2. lent per pluuias prædicantium dicta signari. Vnde per
Moysem dicitur. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Quo-
rum videlicet verba cum blande persuadent, pluuiæ sunt;
cum vero terribilia de venturo iudicio intonant, procellæ.
Et notandum quod pluuijs lex ponitur, vt via procellis
sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatoribus
D posita, vt viuendo impleant, quod loquendo suadere fe-
stinant. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox
opere non adiuuatur. *Viam autem procellis sonantibus* posuit,
cum prædicatoribus sanctis suis ad corda hominum terro-
re venturi iudicij percussa aditum fecit. Vsitata quippe sa-
cri eloquij locutione videre Dei dicitur videre nos facere,
Gen.22.12. sicut iusto viro Dominus dicit, *Nunc cognoui quod timeas Deũ.*
Et Israëlitæ præmonentur. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt
Deut.13.3. sciat si diligitis eum,* id est vt scire vos faciat. Tunc ergo cum
legem pluuijs poneret, hoc est mandatum custodiæ prædi-
catoribus daret, hanc incarnatam sapientiam videri & e-
narrari à prædicatoribus, præparari & inuestigari ab audi-
toribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam
bene viuendo in viam iudicij propitiam parat. Et notan-
dum quæ de ea quatuor dicta sint. Ait enim *vidit, enarrauit,
præparauit & inuestigauit.* Vidit namque, quia species est; e-
narrauit, quia verbum; præparauit, quia remedium; inue-
stigauit, quia occultum. Sequitur.

*Et dixit homini. Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recede- E
re à malo intelligentia.* Ac si aperte diceretur. Ad temetipsum 28.
homo reuertere, cordis tui secreta perscruta. Si Deum ti-
mere deprehendis, profecto constat quia hac sapiẽtia ple-
nus es, quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se,
iam cognoscis interim quid sit in te. Hinc scriptum est. *Ini-
tium sapientiæ timor Domini.* Sed quia illa vera est ter vim diui- Psal.110.10
ni timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custo-
dit, recte subditur. *Et recedere a malo intelligentia.* Sequi-
tur.

Addidit quoque Iob assumens parabolam suam. Quia enim CAP.
parabola similitudo nominatur, aperte constat quod per XXIX.
exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad 1.
loquendum parabolam assumpsisse memoratur. Cum et-
enim sua narrat, quæque sunt sanctæ Ecclesiæ ventura de-
nuntiat, & per hoc quod ille patitur, indicat ipse quid illa
patiatur. Sed electi omnes qui in fine mundi temporibus
Antichristi fuerint in illa tribulatione comprehensi, remi-
niscuntur horum temporum in quibus nunc Ecclesia fidei
pacem tenet, & superba hæreticorum colla comprimit, F
non potentatu culminis, sed iugo rationis, & per vocem
beati Iob dicit.

Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos? Quia enim 2.
statutus numerus dierum vocantur menses, quid nomine
signat mensium nisi collectiones animarum? Dies quippe
dum colliguntur, in mensibus subtrahuntur. Quia & in
hoc tempore sancta Ecclesia dum veritatis luce resplen-
dentis animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando
etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut Propheta ait.
Erit mensis ex mense, perfectio videlicet erit in requiem, quib. Esa.66.23.
nunc perfectio fuerit in operatione. Reminiscatur ergo
perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta præ-
dicationis suæ collectis animabus reportabat lucra, & an-
gustata tribulationibus dicat. *Quis mihi tribuat vt sim iuxta
menses pristinos?* Sequitur.

*Secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat 3.
lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in te-
nebris.* Tunc quippe videt ex se persecutione cogente infir-
motum tumultus cadere, quos nunc vt mater intra pacis G
sinum paruulus fouet, & in tranquillas fidei cunas conti-
net, qui admixti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriun-
tur. Tunc se in illis æstimat cadere quæ se nunc in eis re-
spicit custodiri, lucernæ enim signatur nomine sacræ lumẽ
scripturæ. Hinc Psalmista ait. *Lucerna pedibus meis verbum* Psa.118.105
tuum Domine. Quia autem principale nostrum, appellatio-
ne capitis mens vocatur, per Psalmistã dicitur. *Impinguasti* Psal.22.5.
in oleo caput meum. Ac si aperte dicat. Charitatis pinguedi-
ne replesti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput
Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras mentis no-
stræ irradiant, vt in hoc caliginoso vitæ præsentis loco dum
verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videa-
mus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta
vniuersalis Ecclesia etsi alienas occultas cogitationes non
penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit
tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locu-
tionis. Sequitur.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in 4.
tabernaculo meo. Sicut vniuscuiusque hominis, sic sanctæ Cant.8.8.
Ecclesiæ ætas describitur. Paruula tunc quippe erat, cum H
natiuitate recens verbum vitæ prædicare non poterat.
Hinc enim de illa dicitur. *Soror nostra paruula est, & vbera
non habet.* Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei ver-
bo copulata, sancto repleta Spiritu per prædicationis my-
sterium in filiorum conceptione fœtatur, quos exhortan-
do parturit, conuertendo parit. De eius hac ætate Domi-
no dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Tunc ergo cum in die- Cant.1.3.
bus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per præ-
dicationem filios parere non valet, reminiscitur fœcundi-
tatis antiquæ. Quid hoc loco tabernaculum, non habita-
tionem mentis accipimus? quia per omne quod cogitan-
do agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quis-
quis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto Deus il-
li in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante
Dei esse oculos viderat, qui dicebat. *Et meditatio cordis mei
in conspectu tuo semper.* Sancta itaque Ecclesia in magnis Psal.18.15.

A ti ne tribulationibus deprehensa, cum multos à Deo conspicit praua cogitatione discedere, videt profecto mentis eorum habitaculum discedente Deo vacuum remanere, & iure deplorans dicit, *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* Quibus verbis non immerito etiam simulatio religionis plangitur, quia nonnulli etiam nunc Christiani esse non appetunt, sed videri. His videlicet Deus in publico est, non in secreto. Sed sancta Ecclesia Deum in secreto habere desiderat, quia illos vere fideles respicit, quos ad vitam fidei corde pleno permanere cognoscit. Sequitur.

5. *Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.* Pueri scilicet vocantur, quia cœlestibus mandatis inseruiunt. Vnde per Prophetam Dominus dicit. Esa. 8. 18. *Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.* Et rursus in Euangelio. Ioan. 21. 5. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Nunc ergo in circuitu eius sunt pueri, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur, qui cœlestia mandata custodiunt, & spiritalis disciplinæ regulis obsequuntur. Qui profecto tunc ad obsequium pueri deerant, B quando plurimi qui reperti fuerunt spiritalia eius mandata contemnunt. Sequitur.

6. *Quando lauabam pedes meos butyro.* Quia Christum & eius Ecclesiam vnam esse personam crebro iam diximus, illum videlicet huius corporis caput, hanc autem illius capitis corpus. Aliter hæc verba iuxta vocem capitis accipi, atque aliter iuxta vocem corporis debent. Quos ergo pedes Domini, nisi sanctos prædicatores accipimus? De quibus dicit. 2. Cor. 6. 16. *Et inambulabo in eis.* Butyro igitur pedes lauantur, quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. Vt enim vt supra iam diximus, vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso. Hinc Iacob dicit. Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* Pedes ergo lauantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur, atque mundatur collectus puluis de gloria prædicationis. Vel certe butyro pedes lauantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, & quos fatigat iniunctus prædicationis labor, exhibita à discipulis pinguedo boni operis fouet. C Non quod ideo prædicent vt alantur, sed ideo alantur vt prædicent, id est vt prædicare subsistant. Si autem sentire ista ea voce solius corporis debemus, nimirum pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri, qui dum ad vsus necessarios ea quæ sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terræ inhærent. Sed debent hi qui præsunt, qui doctrinæ studio inuigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam ipsi vacando percipiunt, crebro admonitionis voce infusionem pinguedinis ministrare. Et pedes butyro lauant, quia eorum vulneribus pœnitentiæ vnguenta subministrant. Reminiscatur igitur Ecclesia nunc vehementer afflicta, quomodo pacis suæ tempore per exortationis verbum membra in se etiam extrema mundabat, & dicat. *Quando lauabam pedes meos butyro.* Quod de beato Iob admirabiliter liber intueri, qui inter tot affectus pignorum, inter tot studia sacrificiorum, subiectis suis quamlibet extremis bona sequentis vitæ prædicabat, vt eos de cœlestibus imbueret qui sibi ad terrena opera deseruirent. Sequitur. *Et Petra mihi fundebat* D *riuos olei.* Quia Petræ nomine Christus accipitur, prædicator egregius fatetur dicens. 1. Cor. 10. 4. *Petra autem erat Christus.* Quæ videlicet Petra nunc aduersum sanctæ Ecclesiæ olei riuos fundit, quia in ea loquens Dominus prædicamenta vnctionis intimę emanat. De hac Petra olei riuus exijt liber Matthæi, liber Marci, liber Lucæ, liber Ioannis. In diuersis mundi huius partibus quot prædicamenta edidit, tot Petra hæc per ora Apostolorum omnium riuos fudit. Riui vocantur olei, quia decurrunt, & vnguent *, in quib. quisque tingitur, vngitur; quisquis tingitur interius impinguatur. Sequitur.

* vngunt.

7. *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi.* Mos veterum fuit, vt seniores in porta consisterent, & causas introeuntium iudicarent. Quod beatum Iob egisse pro cultu iustitiæ certum tenemus. Sed quid per ciuitatis portam, nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conuentum regni cœlestis ingreditur? Vnde Propheta ait. Psal. 9. 15. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Syon.* Quid vero per Cathedram, nisi Magisterij auctoritas designatur? Græca autem voce platea pro latitudine dicitur. Nunc ergo Ecclesia ad ciuitatis portam procedit, quia vt aditum cœlestis regni percipiat, in sanctis actionibus exercet. Cui in platea paratur Cathedra, quia in magnæ auctoritatis latitudine sui Magisterij exhibet libertatem. Qui enim recta quę sentit, publica voce prædicat, quasi in platea in cathedra sedet. Sequitur.

8. *Videbant me iuuenes & abscondebantur, & senes assurgentes stabant.* Si historiæ intendimus, quæ dixit credimus, si allegoriæ, quæ prędixit videmus. Iuuenes namque dici solent, quia nulli consilij grauitate deprimuntur, senes vero non eos scriptura vocare consueuit, qui sola quantitate temporum, sed morum grandæuitate maturi sunt. Vnde per quendam sapientem dicitur. Sap. 4. 8. 9. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Sanctam ergo Ecclesiam vident nunc iuuenes & absconduntur, senes vero ei assurgentes adsistunt, quia vigorem eius atque rectitudinem immaturi formidant, grandæui glorificant: F leues quique qui sunt, fugiunt, graues vero atque perfecti hanc vitæ suæ meritis adsurgendo venerantur. Sequitur.

9. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.*
10. *Vocem suam cohibebant duces, & lingua sua gutturi suo adhærebat.* Quid hoc loco alij duces vel principes intelligi possunt, nisi hæreticæ prauitatis auctores? De quibus per Psalmistam dicitur. Psal. 106. 40. *Effusa est contentio super principes, & seduxerunt eos in inuio & non in via.* Nunc ergo hæreticarum plebium principes auctoritate sanctæ Ecclesiæ perpendentes cessant loqui, & quasi ori suo digitum superponunt, dum falsis querelis, non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant. Vocem suam duces cohibent, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere conantur, ne loqui peruersa nunc audeant, & auctoritatis frenantur pondere, & virtute rationis. Quorum lingua gutturi suo adhæret, quia & si peruersa loqui libera voce non audent, intus tamen G apud se contegunt cuncta quæ contra veram fidem proponere falsa moliuntur. Horum ergo temporum sequenti tribulatione deprehensa reminiscens Ecclesia deplorat. Sequitur.

11. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.* Dum beatificari se ab audientibus sibique testimonium reddi à videntibus fatetur beatus Iob, qualis in sermone, qualis in opere fuit, ostenditur. Quod si ad vocem sanctæ Ecclesiæ referamus, ille eius verba beatificat, qui ea quæ audierit, opere cōsummat. Ille ei testimonium reddit, qui exemplis vitæ illius bene viuendo respondet. Sequitur.

12. *Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor.*
13. *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.* Magnæ misericordiæ ista sunt opera, liberare vociferantem pauperem, pupillo adiutorium ministrare, periturum eripere, cor viduæ consolari. Hæc beatus Iob & eis minoris subditis, & tamen per sanctam Ecclesiam exhibenda signauit. Quæ vtcumque nunc incessabiliter H exercet, vt videlicet filios suos & loquendo pascat, & defendendo protegat. Hæc autem quæ supra diximus pietatis opera sancta Ecclesia & corporaliter exhibet, & spiritaliter exhibere non cessat. Nam & *pauperem vociferantem* liberat, cum peccatori veniam deprecanti, eas quas commiserat culpas relaxat. De talibus quippe pauperibus dicitur. Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pupillum vero cui non est adiutor liberat, dum vnusquisque mortuo antiquo Patre diabolo, ad sanctæ Ecclesiæ sinum currens, in ea sanæ exhortationis adiutorium inuenit, qui iam desideria mundi persequentis fugit. Potest pupilli nomine fidelis quisque etiam propter mortem boni patris intelligi, cuius ad templum visione destitutus est, quā solatio destitutus non est. *Benedictio* etiam *perituri* super eum venit, cum peccatoris interitum præuenit, & eum sanctis exhortationibus à culpæ fouea reducit. Vnde scriptum est. Iac. 5. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Cor autem viduæ consolatur, dum fideli cuique animæ,

A quia æternas Domini retributiones narrat, quasi viri sui bona ad memoriam reuocat. Cui quia spiritaliter animaiuncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctæ Ecclesiæ vocibus ex eius resurrectione refouetur. Sequitur.

14. *Iustitia indutus sum, & vestiuit me sicut vestimento.* Vestimento vtique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndiq; bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in alijs actionib⁹ iustus est, in alijs iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit. Sequitur. *Et diademate iudicio meo.* Iustorum iudicia recte diademati comparantur, quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. Quę nimirum iudicia secum quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo debeant solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehementer accendunt, & de perpetratis malis districte redarguunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur. *Cogi-*
B *tationes iustorum iudicia.* Sequitur.

15. 16. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Inter hæc Lectoris animus forsitan quærat, cur B. Iob suas tam subtiliter virtutes enumerat. Sanctorum quippe virtutum est bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Sed sancti viri cum coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi seruiunt, sed vtilitati. Vnde beatus Iob amicis suis se iniuste increpantibus, atque idcirco nescientibus bona sua loquendo aperit, vt nimirum discerent non contra eius vitam increpantes erigi, sed hanc tacentes imitari. Intuendum nobis prius est, quam rectos narrandi ordo seruetur, vt ante iustitiæ, & post misericordiæ opera describantur. Ille quippe bene agit quæ pia sunt, qui scit prius seruare quæ iusta, vt collatus in proximis riuus misericordiæ de iustitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed iniustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis debuerant prius iuste viuendo misereri. Vnde scriptum est.
C Eccl. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quæ videlicet verba si ad vocem sanctæ Ecclesiæ typica interpretatione referamus, ipsa est *oculus cæco*, quia per verbum lucet, ipsa est *pes claudo*, quia per adiutorium continet. Cæcos enim prædicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Cæcus quippe est qui adhuc quo pergat, non videt. Claudus autem est, qui non potest ire quo videt. Sed quia sancta Ecclesia duos in se populos colligit, Iudaicum scilicet atque Gentilem, recte etiam potest cæco Gentilis, claudo autem Iudaicus populus designari. Gentilis quippe quasi oculos non habuit, quia non accepta lege non vidit quo ire debuisset. At contra Iudaicus habens oculos claudus fuit, quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit. Quem cum ad se venientem sancta Ecclesia suscipit, quia ei iam vetus tenenti etiam nouum testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius quasi alterum pedem iungit. Qui fidelis sanctæ Ecclesiæ
Matt. 5. 3. D populus adhoc recte subiungit. *Pater eram pauperum.* Quia videlicet humiles, qui *pauperes spiritu* dicti sunt, ex eius prædicatione generantur. Sed plerumque multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes diligunt, sed quia si minime tribuant, iram iudicis superni formidant. Quia igitur aliud est bonum opus ex præcepto, aliud vero etiam ex affectu facere, sanctus vir non se patronum vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur. Quia nimirum magnum charitatis officium misericordiæ vertit in affectum naturæ, vt eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem. Sequitur. *Et causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Strenuus quippe erat in negotijs pauperum. Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse est vt ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat.
Eccl. 7. 19. Hinc enim per Salomonem dicitur. *Qui Deum timet nihil negligit.* Qua in re notandum videtur ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod

E profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensemus. Ipse quippe vt nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum *omnia nuda & aperta*
Heb. 4. 13. *sint oculis eius*, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare,
Gen. 18. 20. 21. qui ait. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Quæ scilicet verba etiam per vocem Ecclesiæ ad interpretationem typicam possumus non inconuenienter referre. Ipsa quippe electus suos, cum mala carnalium iudicat, hoc quod nescit inuestigat, quia mala quæ nescit operando, inuestigat per iudicium corrigendo. Sequitur.

17. F *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Toties quippe ex iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit, quoties ex erroris morsu animam prædicando diripuit. Quis namque iniquus verius dici potest, quam Diabolus? Cuius molas conterimus, quoties decernendo contra eius insidias occulta illius machinamenta monstramus, ac de eius dentibus prædam tollimus, quia mentem quã iam ad peccandum frangendo momorderat, ad salutem vitę conuertendo reuocamus. Per molas quippe occultæ eius insidiæ, per dentes vero apertę iam culpę perpetratio demonstratur. De quibus inimicorum molis ac dentibus per Psal-
Psal. 17. 7. mistam scriptum est. *Deus vero cõteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.* Sed prius necesse est occulta consiliorum illius machinamenta prodere, vt auditoris nostri animum valeamus postmodum ab aperto lapsu reuocare. Contra hunc leonem sancta Ecclesia, quia eius insidias cõspicit, fidei caulas munit, cuius toties molas frangit, quoties hæreticorum argumenta destruit: totiensque ab eius dentibus prædam diripit, quoties ab errore quempiam prædicando conuertit. Sequitur.

18. *Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Quid hoc loco per nidi nomẽ exprimitur? Multitudo quippe illa bonorum quæ persecutionum temporib fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in nido, sic in loco quietis explere credidit. Hinc scriptum est.
G Psal. 83. 4. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum.* Palma enim tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. Cũ multis autẽ difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, & post collectione plurimorum in eiusdem fidei gloria diutius stare cõcupiscit. Sicut palma ergo multiplicare se dies credidit, quæ emergente subitæ tentationis articulo, pacis suę gratiam & tarde fidelibus adeptam, & citius ab infidelibus interceptam dolet. Nec immerito iustorũ vita palmæ cõparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superius vero & visu & fructibus pulchra. Inferius corticum suarũ inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita despecta inferius, superi⁹ pulchra. In ima ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum multis tribulationibus angustatur; in summa vero illa quasi pulchrę viriditatis folijs, amplitudine retributionis expanditur, in hoc autem quod palma minoris amplitudinis ab imis inchoat, & iuxta ramos ac ramos
H ampliori robore exsurgit, designatur proficiens vita iustorum, qui nequaquam sunt in terrenis studijs fortes & in cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se exhibent Deo, quam seculo fuisse meminerunt, & si tepidus prima inchoat, feruentius extrema consumit: videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat. Hanc scilicet iustorum con-
Esa. 40. 31. stantiam Propheta insinuens ait. *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Sequitur.

19. *Radix mea aperta est secus aquas.* Iuxta aquas etenim radix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta latenter cogitatio mentis expanditur. Quæ scilicet verba si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducimus, radix illius ipsa debet Incarnatio Redemptoris intelligi, quæ iuxta aquas aperta est, dum Deus inuisibilis per assumptionem humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ. Hinc
Psal. 1. 3. scriptum est. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est se-*

A *tus decursus aquarum.* Sequitur. *Et ros morabitur in messione mea.* Subaudis dicebam, messio enim sanctæ Ecclesiæ non inconuenienter accipitur, cum perfectæ animæ à corporibus abstractæ, velut maturæ segetes à terra decisæ ad cœlestia horrea demigrant. Ros namque desuper cadit, messis deorsum colligitur. Ergo ros moratur in messione, quia gratia desuper veniens agit vt digni simus quid de inferioribus colligamus. Hinc Paulus ait. *Gratia Dei sum id quod*
1. Cor. 15. 10. *sum.* Sequitur.

20. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Sancta quippe Ecclesia quasi amissam gloriam deplorat, cum fideles suos ad vitam veterem redire considerat, ait enim. *Dicebamque, Gloria mea semper innouabitur.* Quia eos quos in se nouæ vitæ militare credidit, vetustis desiderijs seruire cognoscit. Arcus autem nomine in sacro eloquio, aliquando malorum insidiæ designantur, vt il-
Psal. 63. 4. lud. *Intenderunt arcum rem amaram.* Aliquando vero dies
Psal. 59. 6. iudicij, vt illud. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant*
B *a facie arcus.* Aliquando autem ipsa eadem sacra eloquia de-
Psal. 7. 13. signantur, vt illud. *Arcum suum tetendit, & parauit illum.* Quid igitur in hoc loco arcus nomine, nisi sacrum eloquium debet intelligi? In chorda etenim Testamentum nouum, in cornu vero Testamentum vetus accipitur. In arcu autem dum chorda trahitur cornu curuatur, sicut in hoc eodem sacro eloquio dum Testamentum nouum legitur, duritia Testamenti veteris emollitur. Nec indecenter dicimus chordam Testamento nouo congruere, quod de Incarnatione Dominica certum est extitisse. Quasi ergo chorda trahitur, & cornu curuatur, quia dum in Testamento nouo incarnatio mediatoris agnoscitur, ad spiritalem intelligentiam rigor Testamenti veteris inclinatur. In manu etenim arcum tenet, qui diuina eloquia quæ intellectu cognoscit, operatione perficit. Instauratur ergo arcus in manu, dum quicquid de sacro eloquio studendo cognoscitur, viuendo completur. Hinc etiam Salomon dum fortes
Cant. 3. 8. spiritalis pugnæ describeret bellatores, ait. *Omnes tenentes*
Philip. 2. 21. *gladios, & ad bella doctissimi.* Sed dum *omnes quæ sua sunt quæ-*
C *runt, non quæ sunt Christi Iesu,* scripta Dei vbique reperta opponuntur oculis, sed hæc cognoscere homines dedignantur, pene nullus quærit scire quod credit. Multitudo ergo bonorum præcedentium arcum suum destrui doleat, quæ sacrum eloquium restaurari semper per studium subsequentium credebat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XX.

Sancta quippe Ecclesia hæreticorum vel carnalium tribulationibus pressa præteritorum reminiscitur temporum, in quibus omne quod ab ea dicitur, cum metu à fidelibus audi-
D tur, & aduersariorum suorum proteruiam deplorans dicit.

21. *Qui me audiebant expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum.* Ac si aperte dicat. Non vt hi proterui ac tumidi, qui dum veritatis verba suscipere renuunt, prædicationis meæ sententiam quasi docendo præcurrunt. Citius nunc discipuli intenti ad eius consilium tacent, quia eius verba non audent impugnare, sed credere. Sequitur.

22. *Verbis meis addere nihil audebant.* Quia tunc nimirum hæretici cum contra hanc libertate pessima fuerint effrenati, dictis eius addere aliquid præsumunt, cum prædicamentorum eius rectitudinem quasi emendare moliuntur. Sequitur. *Et super illos stillabat eloquium meum.* In hac stillatione eloquij, quid aliud quam mensura prædicationis accipitur? Quia oportet vt exhortationis gratia singulis iuxta capacitatem ingenij conferatur. Hinc est quod iubente Domino non solum phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Sequitur.

E
23. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Verba quippe sanctæ prædicationis sicut pluuiam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus, vt potu sanctæ prædicationis irrigemur. Vnde recte per Psalmistam dicitur. *Anima mea sicut* Psal. 142. 6.
terra sine aqua tibi. Qui dum in extrema parte iam seculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi *ad imbrem serotinum* os cordis aperimus. Nam si os in corde non esset, Psalmista non diceret. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt* Psal. 11. 3.
mala. Hinc scriptum est. *Dabo vobis pluuiam temporaneam &* Deut. 11. 14.
serotinam. Sequitur.

24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Hoc si iuxta historiæ verba percipimus, credi necesse est quod vir sanctus talem se exhibuerit subditis, vt etiam ridens timeri potuisset. Qua in re quid aliud docemur, nisi quod talis esse debet dispensatio regiminis, vt is qui præest ea se circa subditus mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum? Hoc quoq; iuxta
F historiam non inconuenienter accipitur, quod protinus subinfertur. *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* Scriptum Prou. 17. 24.
quippe est. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Rursumque per eundem Salomonem dicitur. *Oculi sapientis in capite eius.* Eccl. 2. 14.
Paulus quoque ait. *Caput viri Christus.* Oculi sapientis ergo 1. Cor. 11. 3.
in capite eius sunt, dum Redemptoris sui semper opera quæ imitari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus huius in terram non cecidit, quia quæ terrena sunt per concupiscentiam non aspexit. Sed quia sæpe vox capitis ad vocem corporis, sæpe vox corporis ad vocem capitis transit. Qui enim sunt in carne vna nihil obstat vt conueniant etiam in voce vna. Dicat ergo ex voce capitis de electis suis, dicat Ecclesia. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Ridere enim Dei est Sanctorum vias prosequenti fauore prosperari, sicut de his quoque per visum dicitur, quos in hoc seculo fœlicitatis blandimenta comitantur. Arrisit illis tempus. Sed Redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multis iam donis testatoribus, & gratiam fauoris eius acci-
G pimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus. Hinc per Salomonem dicitur. *Beatus vir qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ corruet in malum.* Quid namque terra nisi peccator vocatur? cui prima sententia dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Lux ergo vultus Gen. 3. 19.
Domini in terra nequaquam cadit, quia visionis eius claritas peccatoribus non apparet. Scriptum namque est. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Quasi enim lux in terram caderet, si in extremo iudicio veniens claritatem maiestatis suæ peccatoribus aperiret. Quod si hæc verba ex sanctæ Ecclesiæ voce suscipimus, non incongrue intelligere possumus lucem vultus eius in terram non cadere, quia occupatis in terrenis actionibus vitat summa contemplationis suæ mysteria prædicare. Dici enim infirmis fortia prohibet, ne dum incapabilia audiunt, prædicationis verbis, quibus subleuari debuerant, opprimantur. Sequitur.

25. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.* Quia in corde repro-
H borum priori loco actiones carnis sunt, & posteriori actiones animæ, in eorum proculdubio cogitationibus Christus non primus, sed vltimus sedet. Sed electi quique quia ea præ omnibus quæ æterna sunt cogitant, posteriori cura minima si qua sunt temporalia disponunt, quibus & magistra voce Veritas dicit. *Quærite primum regnum Dei & iusti-* Matt. 6. 33.
tiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, in eorum corde Dominus primus sedet. Sequitur. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Quasi rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit, ex ipsa hac diuersitate cogitationum quasi quidam illum exercitus circumstat. Sic certe quasi Rex sedet circumstante exercitu, quia præsidente illo mentibus electorum circumstat turba virtutum. Qui etiam mœrentium consolator est, ea promissione qua dicit: *Beati qui lu-* Matt. 5. 5.
gent, quoniam ipsi consolabuntur. Et rursus. *Videbo vos, & gaude-* Ioan. 16. 22.
bit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Ea vero,

quæ

A quæ de sanctæ Ecclesiæ capite diximus, nihil obstat si ad vocem quoque ipsius Ecclesiæ referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi Rex præsidet, quem fidelium suorum turba circumstat, quæ scilicet multitudo fidelium, recte quoque exercitus dicitur, quia in procinctu bonorum operum indesinenter quotidie contra tentationum bella præparatur. Corda quoque mœrentium sancta Ecclesia consolatur, dum præsentis peregrinationis ærumna afflictas mentes electorum pensat, & has æternæ patriæ promissione lætificat. Sciendum nobis est quod valde ædificare lectorem etiam iuxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mixta sit, & regendi auctoritas, & benignitas consolandi. Ait enim. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu.* Ecce auctoritas regiminis. *Eram tamen mœrentium consolator.* Ecce ministerium pietatis. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet, & iuste consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina. Sequitur.

B

Cap. XXX.

1. *Nunc autem derident me iuniores tempore.* Omnes hæretici vniuersali Ecclesiæ comparati, iuniores tempore congrue vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab illis. Vnde recte quoque per Ioannem dicitur. *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* (1. Ioan. 2. 19) Iuniores ergo sanctam Ecclesiam irrident, cum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinam eius despiciunt. De quibus adhuc subditur. *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium? vel qui alij huius gregis canes vocantur, nisi doctores sancti, qui eorundem fidelium custodes exstiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigilijs iniquitati clamauerunt, magnos, vt ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eidem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* (Psal. 67. 24.) Patres vero hæreticorum dicimus, eos videlicet quos Hæresiarchas vocamus, de quorum peruersa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum canibus gregis sui hæreticorum patres ponere dedignatur, quia inuentores errorum diiudicando respuit, eosque inter veros patres numerare contemnit. Sequitur.

C

2. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.* Virtus quippe in manu est, magnitudo in operatione: sed virtus manuum hæreticorum à sancta Ecclesia pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quicquid operantur. Charitatem quippe Dei & proximi deserunt, qui & de Deo falsa sentiunt, & proximis iurgando diuiduntur. Nonnunquam vero hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed quia ad eadem signa, quæ exhibent, nulla humilitate concordant, recte subditur. *Et vita ipsa putabantur indigni.* Vel certe omnes hæreticos sancta Ecclesia vita ipsa fatetur indignos, quia nimirum sub nomine Christi militant contra nomen CHRISTI, de quibus adhuc subditur.

3. *Egestate & fame steriles.* Omnes hæretici dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari quam capiunt, fame sua steriles fiunt, neque ea quærunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam seruent, longanimitatem exhibeant, sed ea solummodo quæ eos doctos ac loquaces demonstrent; illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi videantur. Quam bene eorum audaciam Prædicator egregius refrenat dicens. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (Rom. 12. 3.) Sequitur.

D

4. *Qui rodebant in solitudine squallentes calamitate & miseria, & mandebant herbas & arborum cortices.* Rodi solet, quod comedi non potest. Hæretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt, quam dum non intelligunt quasi non edunt; & quia per supernam gratiam non adiuti hanc edere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt, & qui ab vniuersalis Ecclesiæ societate disiuncti sunt, non quolibet loco rodere, sed *in solitudine* memorantur. Qui recte perhibentur *calamitate & miseria* squalidi, quia & morum suorum pernicie & sensus prauitate despecti. Qui herbas quoque & cortices arborum mandunt, quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna & intima percipere nequeunt, sed vix in illo quædam tenera & exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora, per arborum cortices, patrum eloquia exteriora signantur. Vel certe herbas mandere est, de Scriptura sacra minima præcepta seruare, maiora contemnere. Quos bene Veritas increpat dicens. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis.* (Matt. 23. 23) Qui arborum cortices mandunt, quia sunt nonnulli qui in sacris voluminibus solam literæ superficiem venerantur, nec quicquam de spiritali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint, esse suspicantur. Hinc Paulus ait. *Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri.* (Rom. 16. 18.) Aliter. Quid aliud hoc in loco solitudo, quam boni destitutio demonstratur? Vnde & sub Iudææ typo Hieremias peccatoris animam deplorat, dicens. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* (Thren. 1. 1.) Sed cum per beatum Iob de prauis dicitur, *rodebant in solitudine,* libet intueri, hoc etiam quod per Psalmistam dictum est. *Inimici eius terram lingent.* (Psal. 71. 9.) Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ seruientium, vnum videlicet quod semper ad auaritiam blandimentis vtitur linguæ, aliud vero quod aperta vi ta intendit rapinæ. Omnes igitur qui aliena appetunt, sed ea quæ appetunt rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus, & quasi mollicie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingent? Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, & concupiscentes aliena, blandire quidem ex fraude despiciunt, quia etiam iniusto robore possunt implere quod volunt, hoc quod appetunt non lambunt, sed rodunt. De his quippe ac si dicat Ecclesia, aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi prius ipsi in interioribus suis, soli ac vacui à virtutum cultura remanerent. Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus nil in hac vita nisi vnde affligeretur inuenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit deseruimus, mentisque curam negligimus, & miseriæ negligentiam, infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitatis igitur causam in vsum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? Quid enim per herbas, nisi tenera, ac terræ proxima bene inchoantium vita? Et quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorum, qui iam sublimia appetunt, designantur? Praui namque cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consolendo contradicunt. Cum vero iam quosdam pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, à quibusdam illos suis operibus diuertunt. Herbas itaque eis, & arborum cortices mandere est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam iam more arborum ad superiora tendentium persuasionibus pestiferis, quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Vel certe herbas mandere est, leuia quædam ac tenera de antiquis Patribus imitari. Arborum vero cortices edere est, eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sequitur. *Et radix iuniperorum erat cibus eorum.* Arbor namque iuniperi pro folijs punctiones habet, sic quippe sunt hirsuta quæ profert, vt spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Vnde iusti voce & pœnitentis dicitur. *Conuersus sum in ærumna mea dum confringitur spina.* (Psal. 31. 4.) Quid vero per radicem iuniperi, nisi auaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur? De qua & per Paulum dicitur. *Radix omnium malorum est cupiditas.* (1. Tim. 6. 10.) Quia igitur plerumque hæretici solo construunt, sed erroris prædicamenta non deserunt, dum sumptus percipere quasi doctores volunt, bene de eis sancti viri nunc voce dicitur. *Et radix iuniperorum erat cibus eo-*

E F G H

bus eo-

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XVIII.

CAP. XXVII. 1. *Addidit quoque Iob assumens parabolam suam, & ait.* Quo profecto versu ostenditur huius sanctissimi viri dicta quam mystice sint prolata, dum parabola id est similitudo assumpta narratur ab eo qui nihil inferius per comparationem vel similitudinem loquitur. Ad eam itaq; similitudinem cuncta trahenda sunt, qua figurate Ecclesia designatur, & in ipso quidem locutionis exordio dicta aperte prolata sunt, sed subiectis obscuritatibus implicantur. Sequitur.

2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum: & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* Quibus nimirum verbis beatus Iob & sua narrat, & Ecclesiæ tempora afflicta significat, in quibus aperta infidelium peruicacia premitur, & persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus namque modis Ecclesia ab aduersariis tentari solet, vt videlicet persecutionem aut verbis patiatur aut gladiis. Nunc vero de ea persecutione loquitur, in qua non gladiis, sed falsis assertionibus lacessitur. Vir itaq; Sanctus sanctæ Ecclesiæ typum gestans, vt Deum esse fateretur, ait. *Viuit Deus.* Vt vero res humanas eum curare perhiberet, subdidit. *Qui abstulit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam.* Ista enim quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente, testatur; nec tentatori suo amaritudinis suæ potestatem tribuit, sed auctori. Sequitur.

3. 4. *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur mendacium.* Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens mendacium dixit. Nam & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab æquitate discrepat quicquid à veritate discordat. Sed inter hoc quod ait loqui, postmodum subdidit, meditari; magna distantia est. Nonnumquam enim peius est mendacium meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ prauitatis, quamuis nonnumquam sit aliquod mendacii genus culpæ leuioris, si quisquam præcipitando mentiatur. Sed quia scriptum est.

Sap. 1. 11. *Os quod mentitur occidit animam.* Et, Psal. 5. 7. *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* Hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum falaciam defendatur, nec suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ. Sequitur.

5. *Absit à me vt iustos vos esse iudicem, donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Ab innocentia quippe recederet, si bona de malis æstimaret, Salomone attestante, qui ait. Prou. 17. 15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est ante Deum.* Sunt namque nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur. Ezec. 13. 16. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Sequitur.

6. *Iustificationem meam quia cœpi tenere, non deseram.* Cœptam namque iustificationem desereret, si in peccantium laude declinaret. Sequitur. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ac si aperte dicat. Pro vobis non debeo ad culpam pertrahi, qui peccare in propriis formidaui. Sciendum vero est quod quisquis à præceptis Dominicis discordat opere, quotiens ea audit, corde suo reprehenditur atq; confunditur, quia id quod non fecerit, memoratur. Nam in quo errasse considerat, ipsa se conscientia latenter accusat. Vnde David Propheta precatur dicens. Psal. 118. 6. *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.* Grauiter namq; vnusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quæ viuendo contempsit. Hinc Ioannis voce dicitur. 1. Ioan. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et, Ioan. 14. 13. *Quicquid petierimus, accipiemus.* Ac si diceret. Si id quod præcipit facimus, id quod petimus, obtineamus. Valde namq; hæc apud Deum vtraq; sibi necessario congruunt, vt & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Si quæri potest quo pacto à corde suo reprehendi se negat, qui se peccasse superius accusat, dicens. *Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum? Vel certe si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Sed sciendum est quod sunt peccata quæ à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla quæ etiam à iustis vitari non possunt. Mens itaq; iustorum etsi libera est à peruerso opere, aliquando tamen corruit in peruersa cogitatione. Et in peccato ergo labitur, quia saltem in cogitatione declinatur, & tamen vnde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet, quia ante se reparat quam per consensum cadat. Sequitur.

7. *Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus.* In sacro eloquio *sicut & quasi*, non aliquando pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Vnde est illud. Ioan. 1. 14. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre*, vnde & hic *sicut & quasi* pro affirmatione potius, quam pro similitudine dictum videtur. Inter impium vero & iniquum hoc distare nonnumquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius enim pro infideli ponitur, id est à pietate religionis alienus; iniquus vero dicitur, qui prauitate operis ab æquitate discordat, vel si fortasse Christianæ fidei nomen portat. Beatus igitur Iob voce typica sanctæ Ecclesiæ, quia alios rectæ fidei contradicentes tolerat, impium se habere fatetur inimicum. Quia vero alios sub pietatu fidei intus positos in prauis operib. patitur, iniquum aduersarium suum detestatur. * Si autem *sicut & quasi* oportet vt magis pro similitudine posita sentiamus, sancta Ecclesia quos viuentes carnaliter intra se tolerat, de similitudine impiorum notat. Intus quippe inimicus est, qui fidelem se dum affirmat vocibus, moribus negat. Seq.

* testatur.

8. *Quæ enim spes hypocritæ si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius?* Hypocrita qui Latina lingua dicitur simulator, iustus non esse appetit, sed videri, & idcirco auarus raptor est, qui dum inique agit, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ: qui dum præsentia diligit, futura minime spectat. Sequitur.

9. *Nunquid clamorem eius audiet Deus, cum venerit super eum angustia?* Clamorem eius angustiæ tempore Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse Dominum clamantem non audit. Scriptum quippe est. Prou. 28. 9. *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Hinc Dominus ait. Matt. 25. 11. *Nouissime veniunt fatuæ virgines dicentes. Domine, Domine aperi nobis.* Et respondetur eis, *Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Sequitur.

10. *Aut poterit in omnipotente delectari?* Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima numquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis; & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima: quantoq; arctiori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis. Vtraq; enim simul & æqualiter amari non possunt. Delectari ergo in Deo hypocrita non valet, quia in eius mente desideria superna non prodeunt, quam profecto spinæ terreni amoris premunt. De quo aperte subditur. *Et inuocare Dominum in omni tempore.* Tunc quippe Deum hypocrita inuocat, cum hunc terrenarum rerum tribulatio angustat. Nam cum in hoc seculo effectum quæsitæ fœlicitatis inuenerit, auctorem qui hanc ipsam fœlicitatem tribuit, non quærit. Sequitur.

11. *Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondam.* Sic B. Iob loquitur verbis suis, vt aliquid signet ea nostris. Nam sancta Ecclesia docens in quantum cognoscere expedit, nil veritatis abscondit. Quia enim manus Dei vocatur filius, *omnia* quippe *per ipsum facta sunt*: Ioan. 1. 3. *per manum Dei* docere se perhibet eos, quos in propria sapientia remanere fatuos videbat. Ac si aperte dicat. Ego ex me aliquid nescio, sed quicquid ea veritate sentio, hoc de eiusdem veritatis largitate comprehendo. Sequitur.

12. *Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?* Scriptum est. Luc. 12. 47. 48. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non*

fecit

A Iacob 4.17. fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit & non fecit digna, plagis vapulabit paucis. Rursusque scriptum est. *Scienti igitur bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Ad maioris ergo culpæ cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet, & scire quid sequi debeant, & sequi nolle quod sciunt. Sequitur.

13. *Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam ab omnipotente suscipient.* Quam profecto partem hæreditatemque protinus insinuat, cum subiungit.

14. *Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.* Non absurde impij vocantur hæretici, qui per errorem praui dogmatis à cognitione veritatis sunt alieni. Quos sequenti verbo etiam violentos appellat: quippe qui scripturæ sententias recta dogmata continentes ad intellectum prauum conantur violenter inflectere. Violenti ergo sunt, etsi non rebus hominum, certe sensibus præceptorum, filij autem *violentorum* sunt sequaces hæreticorum, qui dum errori eorum consentiunt, quasi ex eorum prædicatione generantur. B Sed multiplicati in gladio erunt, quia quamuis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi tamen iudicis sententia feriuntur. Vnde per Moysem Dominus dicit. (Deut. 32.42.) *Gladius meus manducabit carnes.* Nepotes quippe hæreticorum sunt, qui de errantium filiorum prædicatione nascuntur, quos nequaquam panis satiat, quia dum in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quam capiunt, semper à veritatis cognitione ieiunant. Sequitur.

15. *Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.* Ex eo videlicet hæreticorum populo derelicti sepeliuntur in interitu, quia dum ad lucem veritatis nō redeunt, profecto in pœna perpetua intelligentia terrena deprimuntur. Sequitur. *Et viduæ eius non plorabunt.* Quas viduas eius accipimus, nisi subiectas eius plebes morte illius* fœliciter destitutas? Quia sæpe vt diximus, dum prædicator erroris ad æterna supplicia rapitur, subiectæ plebes illius ad cognitionis veræ gratiam reuertuntur. His enim plebibus peruersus prædicator quasi maritus præfuit, quia male eis coniunctus inhæserat corruptor mentis. C Nequaquam ergo viduę vel destitutæ plorant, quia morte praui doctoris viam veritatis inueniunt, ex eius interitu affligi posse videbantur. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo eis ore remanentes dum sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant, consolantur. Sequitur.

16. *Si comparauerit sicut terra argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta.*
17. *Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet.* Argentum intelligi sacri eloquij claritas solet, sicut alias dicitur. (Ps. 11.7.) *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne probatum.* Horum scilicet argentum, id est hæreticorum eloquium, terræ est comparatum, quia de Scriptura sacra vt aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum vestimenta præparant, quia fluxe & inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, scripturæ sacræ contexunt testimonia. *Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis.* Iustus ergo vestietur eis vestimentis quæ præparauit iniustus; quia vir sanctus eisdem sententijs ad veritatem vtitur, quibus se peruersus quisque doctum ostendere contra veritatem conatur. D *Et argentum innocens diuidet.* Argentum est innocentem diuidere, eloquia Domini minute discreteque exponere, & vnicuique quod digne congruas coaptare. Nam eloquium Domini, quod hic argentum vel vestimenta hoc alibi spolia nominantur. Quod etiam Psalm. testatur per comparationem dicens. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Sequitur.

18. *Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.* Tinea sibi domum corrumpendo ædificat, nec melius comparatione hæreticus demonstrari potuit, qui locum suæ perfidiæ non nisi in mentibus quas corrumpit, fecit, qui etiam sequaces suos ab æterno igne esse liberos pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Vnde & subditur. *Et sicut custos fecit vmbraculum.* Vmbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur, & promissa ab hæreticis requies cum tempore destruitur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Sequitur. E

19. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet.* Cui nimirum sententiæ Psalmista concinens dicit. (Ps. 75.6.) *Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Res suas cum moreretur secum tolleret, si ad potentis vocem cum viueret sibi tulisset. Nam terrena omnia quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. Sed quia homo ex anima constat & corpore, cum vnius rei somnus dicitur, alterius vigilia demonstratur, quia cum corpus obdormiscit in morte, tunc anima vigilat in vera cognitione. Et dormit ergo diues & oculos aperit, quia cum carne moritur, eius anima videre cogitur, quod præuidere contempsit. *Aperit oculos suos, & nihil inueniet,* quia illic aperit ad supplicia, quos hic ad misericordiam clausos habebat. Aperit oculos, & pietatis fructum nō inueniet, quos clausos hic tenuit cum viueret. Sequitur. F

20. *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.* Videamus nunc inopiam diuitis ardentis, cuius tanta fuit abundantia epulantis. Ait enim. (Luc. 19. 24.) *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Nō autem immerito aquæ tunc illa inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens, solet lacus designari nomine. Vnde per Prophetam humani generis voce dicitur. (Thren 3.53.) *Lapsa est in lacum vita mea.* Tempestatis vero nomine, iudicij turbinem designat, quod etiam Psalmista testatur dicens, (Psal. 49.3.) *Deus noster manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.* Et quia ipsa venturi exitus ignorantia nox vocatur, nocte eum opprimet tempestas, id est turbo districti iudicij eum dum ignorat, apprehendit. Sequitur.

21. *Tollet eum ventus vrens.* Quis hoc loco *ventus vrens*, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, vt ad æternitatem suppliciorum trahat? Peruersum ergo quemlibet *ventus vrens* dicitur tollere, quia insidiator malignus spiritus, qui viuentem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. G Hinc Hieremias. (Ierem. 1.13.) *Ollam succensam video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Sequitur. *Et velut turbo rapiet eum de loco suo.* Locus peruersorum est temporalis vitæ dilectio, & carnis voluptas. Quasi turbine igitur vnusquisq; de loco suo rapitur, cum à cunctis suis delectationibus, extremo territus die, separatur. De quo extremo die apte subiungitur.

22. *Et mittet super eum, & non parcet.* Peccatorem quotiens Deus feriendo corrigit, ad hoc flagellum mittit vt parcat. Cum vero eius vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit. Qui enim flagellum emisit vt parceret, ad hoc emittit quandoque ne parcat. In hac namque vita, Dominus tanto magis studet vt parcat quanto magis expectando flagellat. Sequitur. *De manu eius fugiens fugiet.* Ille etenim fugit de manu ferientis, qui prauitatem suæ corrigit actionis. Vel certe quia in sacro eloquio manus, operatio solet intelligi, de manu percussi fugit, qui dum praui interitum conspicit, vias prauitatis relinquit. H Vnde adhuc subditur.

23. *Stringet*, stringet super eum manus suas.* Manus quippe stringere est vitæ suæ opera rectitudine confirmare. Vnde etiam Paulus ait. (Hebr. 12.12.) *Remissas manus, & dissoluta genua erigite.* Dum itaque alienum interitum conspiciunt, reuocantur ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta ducitur, à tormento alius inde liberatur. *Stringet ergo super eum manus suas,* quia conspicit in aliena pœna quod [illegible] vitat, & dum delinquentem sic percussum respicit, dissoluta opera sua iustitiæ vigore constringit. Hinc scriptum est. (Psal. 57.11.) *Lætabitur iustus cum viderit vindictam,* & reliqua. Sequitur. *Et sibilabit super illum, intuens locum eius.* Quid in sibilo, nisi intentio admirationis exprimitur? Si vero in sibilo fortasse alia significatio quæritur, morientem peccatorem hi qui interitum eius aspiciunt, quasi in sibilo stringunt, dum ad ea quæ contempserant verba spiritualia conuertuntur, vt iam credere & prædicare incipiant, quæ prius dum iniquum

* D [illegible] vet [illegible] Bibl.

A florere cernerent non credebant. Hinc Salomon ait. Prou. 21. 11. *Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus.* Vir igitur sanctus postquam poenarum poenas qui extolluntur in seculo, sufficienter expleuit, rursum ad hæreticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio verbi conuertit. Nam sequitur.

CAP. XXVIII.

2. *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur.* In argento eloquium, in auro vitæ vel sapientiæ claritas designari solet. Et quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur: qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt, quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas reuocat, vt si vere loqui desiderant, inde sumere debeant quod loquantur, & ait. *Habet argentum venarum suarum principia.* Ac si aperte dicat. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines à sacris paginis sumat. Vera siquidem fidelium sapientia, cui vniuersalis Ecclesia locus est, tribulationem vobis persequentibus patitur, sed à cunctis peccatorum sordibus persecutionis B vestiæ igne purgatur. Vnde scriptum est. Eccle. 2. 5. *In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis.* Quo in loco hoc quoque potest conuenientes intelligi, vt de sua stulta hæretici passione videantur increpari. Nam sæpe pro Iesu Christi Domini ac Redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seseq; eisdem passionibus eros fieri martyres sperant: quibus sancti viri voce nunc dicitur. *Auro locus est, in quo conflatur.* Nam ioata boe quod iam & ante nos dictum est. QVISQVIS EXTRA ECCLESIÆ VNITATEM PATITVR, POENAS PATI POTEST, MARTYR FIERI NON POTEST, quia, *Auro locus est in quo conflatur.* Quid itaq; ad hæc hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum quo debeatis conflari nescitis. Sequitur.

2. *Ferrum de terra tollitur.* Solent hæretici de iustitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione iactari, nosq; iniquos vt dicimus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humillimam ergo confessionem & ve- C racem defensionem contra eos vir sanctus loquitur dicēs. *Ferrum de terra tollitur.* Ac si aperte dicat. Fortes igitur qui acutissimis linguarum gladijs in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquādo terra in infimis actionibus fuerunt. Gen. 3. 20. Peccāti quippe homini dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Sed de terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Ecclesiæ à terra, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despici quicquid fuit, qui iam accepit esse quod non fuit. Sequitur. *Et lapis solutus calore in æs vertitur.* Tunc lapis calore solutus, cum cor durum atque à diuini * igne, amoris igne frigidum, eodem diuini amoris * tangitur, & in feruore spiritus liquatur, vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat, ea quo ardore scilicet & emollitur ad amorem, & operatur ad operationem: vt sicut prius durus fuerat in amore sæculi; ita se fortem postmodum exerceat in amore Dei, & quod ante audire renuebat, & credere & prædicare incipiat. Sequitur.

3. D *Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat.* Tempus posuit tenebris, iniquis videlicet modum, quod iniqui esse desistant, vnde eisdem per Apostolum dicitur. Ephes. 5. 10. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sicut alijs Rom 13. 12. quoque discipulis idem doctor egregius dicit. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Vniuersorum nomine electos & reprobos voluit comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eueniant, ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod è malo opere dignum trahantur ad supplicium. Sequitur.

4. *Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante.* Quid durius illa perfidia Iudæorum? quid populus, qui auctorem vnę videre per fidem noluit, quem per Prophetam prædixit, nisi lapis caliginis fuit? qui & E crudelitate durus fuit, & infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo, vmbra mortis dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei de qua trahitur, fuerint liniamenta. Quis autem mortis nomine, nisi Diabolus vocatur? De quo per quendam ministri sui significationem dicitur. *Nomen illi mors.* Apoc. 6. 8. Cuius ille populus vmbra extitit, quia iniquitatem illius sequens, eius in se imaginem expressit. Quid vero torrentis nomine, nisi ille à conspectu tremendi iudicis per vltimum examen egrediens, atque electos & reprobos diuidens, ignis vocatur? Vnde per Prophetam dicitur. *Fluuius igneus rapidus, qui egrediebatur à facie eius.* Ioan. 7. 10. Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam nouit in cœlestibus? Et tanto magis illic sperat inuenire se propria, quanto hic cuncta quæ præterennt esse à se deputat aliena. Hinc Paulus ait. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* 2. Cor. 5. 6 Potest fortasse in torrentis nomine, ipsa irrigatio sanctæ prædicationis intelligi, iuxta id quod per Salomonem dicitur. *Oculum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant illum corui de torrentibus.* Prou. 30. 17 F Sanctorum quippe prædicatio obduratas mentes reproborum deserit, & ad pia humilium se corda conuertit. Sequitur. *Et eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur. *Qui propter nos egenus factus est dum esset diues?* 2. Cor. 8. 6. Cuius videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerunt, per quorum profectus præsentium gentilitatem circuiēns, mundum perambulauit vniuersorum. Sed eorum qui vmbra mortis & lapis caliginis extiterunt, *pes hominis egentis oblitus est*, quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti Apostoli cœlorum regnum Iudææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsis in suis Actibus dicunt. Act. 13. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quomodo repulistis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quos recte quoque & inuios vocat, quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt. Sequitur. G

5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne subuersa est.* Panem Iudæa dare consueuerat, quæ legis verba proferebat. Sed hæc terra in loco suo igne subuersa est, quia fidelium signa conspiciens, inuidię se face concremauit. Quia enim semper inuidia de superbia nasci solet, in loco suo igne perijt, quæ idcirco arsit inuidia, quia superbiam non relinquit. Sequitur.

6. *Locus saphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.* Quid enim hoc loco per lapides nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? In scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono accipi solent. Hinc * Ioannes ait. * Lucas. Luc. 3. 8. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hinc Petrus ait. *Et vos tanquam lapides viui superædificamini domos spiritales.* 1. Pet. 2. 5. Saphirus quidem lapis colorem aeris habet, & quia de Iudæa numquam sanctæ animæ, quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt; dicitur. *Locus saphiri lapides eius* Et quam magna vitæ ac sapientiæ claritate per fidem fulsit, adiungitur. *Et glebæ illius aurum.* H Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ autem ea humore & pulnere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito puluerem se esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ in illa glebæ iacuerunt. Glebas hæc terra habuit in Prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratię in professionis & operis vnanimitate tenuerunt. Sequitur.

7. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Quis hoc loco auis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera librauit? Qui apte quoq; etiam vulturis appellatione exprimitur, qui manens in altitudine diuinitatis suæ, quasi quodā volatu sublimi, cadauer mortalitatis nostræ cōspexit in infimis, & sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, & dum mortuum animal perijt,

mor-

A mortem apud nos, qui apud se erat immortalis inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna morte nos liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus mortalem vidit, sed quod morte sua nostram mortem destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit, qui dum humilitatis eius vias quibus nos ad alta subleuauit, considerare noluit, semitam auis ignorauit. Neque enim pensare studuit quod eius humilitas nos leuaret ad cœlestia, & mortis eius intentio reformaret ad vitam. Sequitur.

8. *Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna.* In cunctis Latinis codicibus institores positos reperimus, in Græcis vero negotiatores inuenimus. Qui hoc loco institores, nisi Prophetæ sancti vocati sunt, qui synagogæ mores ad fidem instruere prophetando curauerunt? Quorum nimirum filij, sancti Apostoli nuncupantur, qui vt Deum hominem crederent, ad eandem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. Calcarent quippe institorum
B filij, si prædicatores sancti eiusdem synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem sanctæ Ecclesiæ prædicatores accipimus, institorum filios pastores & doctores, qui Apostolorum viam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui synagogam minime calcauerunt, quia dum eorum patres, id est Apostoli ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab eius vocatione cessauerunt. Per quam videlicet synagogam leæna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita, nequaquam se ad illum Iudææ populum diutius occupauit. Recte autem Ecclesia leæna nuncupatur, quia male viuentes in vitijs, ore sanctæ prædicationis interficit. Ecclesia itaq; per synagogam transijt, sed non pertransijt, quia ex illa ad fidem paucos rapuit. Sequitur.

9. *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes.* Manum quippe ad silicem extēdit, quia ad duritiam gentium suæ brachium prædicationis misit. Vnde & eisdem beatus Iob passionis suæ historiam præsciens gentibus in-
Iob.19.24. notescendam dicit. *Scribantur hæc stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice.* Quid vero hoc loco montes,
C nisi huius seculi potentes accipimus, qui pro terrena sub-
Psal.143.5. stantia altum tument? De quibus Psalmista ait. *Tange montes, & fumigabunt.* Sed montes à radicibus sunt euersi, quia prædicante sancta Ecclesia summi huius sæculi potentes in adoratu omnipotentis Dei ab tuma cogitatione ceciderunt. Sequitur.

10. *In petris riuos excidit*, id est in duris Gentilium cordibus fluuios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoq;
Psal.106.35. de irriganda dicitur ariditate Gentilium. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* Sequitur. *Et omne pretiosum vidit oculus eius.* Sciendum magnopere, quia tanto vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. In Scriptura sancta videre Dei aliquando pro eligere ponitur. Vidit pretiosum, cum humanam animam de se abiecta sapientem gratiæ suę illustratione respexit, de
Ierem.15.19. qua videl. anima per Prophetam dicitur. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Sequitur.

D *Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscōdita produxit*
11. *in lucem.* Quid namque hic aliud flumina, nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur? Sed horum fluminum Iudæa speciem tenuit, dum literæ superficiem tenens, eorum profunda nesciuit; nos vero veniente Domino in eis inter-
2.Cor.3.6. na spiritalia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere ipso donante præualemus. Per nos ergo qui non literam quæ occidit, sed spiritum qui viuificat, sequimur: profunda fluminum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit, quia dicta legis, quæ caligosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Vnde & loquens in parabolis
Mat.10.27. per Euangelium Veritas discipulis præcipit dicens. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Sequitur.

12. *Sapientia vero vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Ne-*
13. *scit homo pretium eius.* Vir itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam de qua Paulus Apostolus dicit.

Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam? De qua per Salomo- E 1.Cor.1.24.
nem dicitur. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Et de qua Psal- Prou.9.1.
mista ait. *Omnia in sapientia fecisti.* Huius nimirum sapientię Psal.103.24.
homo pretium nescit, quia nihil dignum æstimatione illius inuenit; non autem hoc sapientiæ pretium & esse dicitur & nesciri. sed idcirco nesciri quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustijs quisque depressus cum remedium subuentionis non inuenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Huius ergo sapientiæ pretium nescire est, dignum operis meritum quo illam percipiat non inuenire. Ad hoc namq; pretium damus, vt eius vice rem quam appetimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, vt hanc sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Hinc Paulus ait. *Cum* Rom.5.8.
adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro impijs mortuus est. Sequitur. *Nec inuenitur in terra suauiter viuentium.* Quid hoc loco signatur terræ nomine, nisi anima humana? De qua Psalmista ait. *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi.* Psal.142.6.
Hæc autem sapientia inueniri *in terra suauiter viuentium* nō valet, quia quisquis adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Nam si vere F
saperet, expulsus ab internis gaudijs de ea in qua cecidit exilij sui cæcitate lugeret. Hinc namq; per Salomonem dicitur. *Qui apponit scientiam apponit dolorem.* Seq. Eccl.1.18.

Abyssus dicit, non est mecum. Quid hoc loco abyssum nisi 14.
corda hominum vocat? quę & per lapsum fluida, & per duplicitatem sunt caligine tenebrosa. Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur, quia iniqua mēdum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Namque teste Paulo, *Sapientia huius mundi, stulti-* 1.Cor.3.19.
tia est apud Deum. Tanto quisquis intus amplius stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Sequitur. *Et mare loquitur, non est mecum.* Quid enim maris nomine nisi secularium mentium amara inquietudo signatur, quæ dum se vicissim inimicitijs impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt? Recte enim mare vita secularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus cōcitatur, ab internæ Sapientiæ quiete atq; stabilitate disiungitur. Quo contra G
bene per Prophetam dicitur. *Super quem requiescit spiritus*
meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Esa.66.2.
Sequitur.

Non dabitur aurum obrizum pro ea. Quod namque per au- 15.
rum obrizum, nisi sancti Angeli designantur? qui recte & *aurum* vocantur & *obrizum*. Aurum, quia fulgent claritate iustitiæ; obrizum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines vero iusti quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter viuūt, aurum quippe esse possunt, obrizum omnino esse nō possunt, quia *Corpus quod corrum-* Sap.9.15.
pitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ea magna iustitiæ claritate resplendeant, nequaquam ad purum, peccatorum sordibus carent, Ioanne Apostolo attestante, qui
ait. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus,* 1.Ioan.1.8.
& veritas in nobis non est. Sed quia pro hac sapientia nullus Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorium hominum sæpius apparuisse didicimus, Angelis, poneret, dictum est. *Non* H
dabitur obrizum pro ea. Seq.

Nec appendetur argentum in commutatione eius. Quia enim 16.
argento sæpe eloquia diuina signantur, possunt argēti vocabulo etiam eiusdem eloquij scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata iudicare potuit, non auferre, non quisquā veterum Patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor extitit. *Argentum ergo in commutatione* huius sapientiæ *non appenditur*, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione vnigeniti filij nullius meriti fuisse pensatur. Sequitur.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus. Quid enim per Indiam, 17.
quæ nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur? Tincti autem colores sunt Indiæ, huius mundi sapientes, qui quamuis per infidelitatem & plerumque per actionem fœdi sunt, ante humanos tamen oculos superductæ honestatis colore fucantur. Sed coæterna Dei Sapientia

A tincti Indiæ coloribus non confertur, quia quisquis hanc
veraciter intelligit, ab his omnibus quos mundi sapien-
tes coluit, quam longe distet, agnoscit. Sequitur. *Nec lapidi*
Sardonico pretiosissimo vel sapphiro. Sardonicus quippe terræ
rubræ similitudinem tenet, sapphirus vero aëream habet
speciem. Possunt ergo in Sardonico, per terram rubram,
homines; in sapphiro autem per aëream visionem Angeli
designari. Nam cum terræ rubræ speciem lapis Sardonicus
habeat, non immerito hominem significat, quia & Adam
qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra no-
minatur. Quid est ergo quod dicitur, quia hæc Sapientia
lapidi Sardonico vel sapphiro non confertur, nisi quod is
1. Cor. 1. 24. qui est *Dei virtus & Dei sapientia, mediator* scilicet *Dei & homi-*
1. Tim. 2. 5. *num homo Christus Iesus*, tanta magnitudine excellat omnia,
vt ei nec in terra primi homines, nec in cœlo Angeli com-
Psal. 88. 7. parentur? Vnde & per Psalmistam dicitur. *Quis in nubibus*
æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Pos-
sunt autem per Sardonicum lapidem patres Testamenti
veteris, per Saphirum vero prædicatores exprimi Testa-
B menti noui. Ac si patenter insinuat dicens. Et qui homo
inter homines cernitur, nec in antiquis quisquam, nec in
nouis patrib. æquatur, quia ex deitate habet, quod in hu-
manitate quemquam similem non habet. Seq.

17. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Auri namque me-
tallum nouimus potiori metallis omnibus claritate fulge-
re: vitri vero natura est, vt extrinsecus visum, puritate intrinse-
cus perspicuitatis perluceat. Quid ergo aliud in auro vel
vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beato-
rum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & cla-
ritate fulgent, & puritate translucent? quam Ioannes in A-
Apoc. 21. 18. pocalypsi conspexerat cum dicebat. *Et erat structura muri*
eius ex lapide iaspide, ipsa vero ciuitas ex auro mundo, simili vitro
mundo. Sequitur.

18. *Nec commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa & eminentia.*
Excelsum quippe vas auri Helias exstitit, excelsum vas auri
Hieremias, excelsa atque eminentia auri vasa priores Pa-
tres fuerunt. Sed hæc Dei Sapientia vt à carnali nos cõuer-
satione redimeret, apparuit in carne, & qui illam veraciter
C non agnouit, mediatorem Dei & hominum Christum Ie-
sum esse vnum ex prophetis putauit. Ecclesia vero pro hac
sapientia vasa auri excelsa & eminentia non commutauit,
quia Christum Dei Filium non vnum esse Prophetarum,
sed vnum prophetarum Dominum credidit. Sequitur. *Nec*
commemorabuntur comparatione eius. Omnes enim supernæ
patriæ electi sancti quidem & iusti sunt, sed participatione
sapientiæ, non cõparatione. Quid enim sunt homines Deo
comparati? Lumen autem sapientia, lumẽ & serui sapien-
tiæ vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen il-
Ioan. 1. 9. luminatum, sicut scriptum est. *Erat lux vera quæ illuminat o-*
mnem hominem venientem in hunc mundum. Istis autem tan-
Matt. 5. 14. tummodo dicitur. *Vos estis lux mundi.* Sequitur. *Trahitur sa-*
pientia de occultis. De occultis sapientia trahitur, quia cum sit
inuisibilis, non nisi inuisibiliter inuenitur, quæ recte quo-
que trahi dicitur, quia sicut flatum trahimus vt corpus vi-
uat, sic ab intimis sapientiæ spiritus ducitur, vt ad vitam a-
131 nima subsistat. Vnde Psalmista ait. *Os meum aperui, & attraxi*
spiritum. Sequitur.

Non adæquabitur ei topazium Æthiopiæ. Quid Æthiopia
nisi præsentem mundum accipimus? quæ coloris nigredi-
ne designat peccatorem pollutum fœditate meritorum.
Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas
designari solet, infidelitatis prius nigra peccatis, quam ve-
niente Domino Abacuc Propheta vidit timore perterri-
tam & ait. Tabernacula Æthiopum expauescent; taberna-
cula terræ Madian. Topazion vero pretiosus lapis est, &
quia Græca lingua Pan omne dicitur, pro eo quod omni
colore resplendet, Topazion quasi Thonpazion vocatur.
Dum vero in Deũ conuersa Gentilitas credidit, ex ea mul-
ti sunt ita dono spiritus locupletati, vt quasi multis colori-
bus, sic multis in aliis virtutibus luceant. Ac si ergo eis di-
ceretur. Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus
existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari non po-
test ei de quo dictum est. *Quod nascetur ex te sanctum vocabi-*
tur filius Dei. Seq. *Nec tincturæ mundissimæ cõponentur.* Tincturę
enim mundissimę vocantur hi qui veraciter sunt humiles,
& veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ex semetipsa vir- E
tutum speciem nõ habent, sed hanc ex dono gratiæ super-
uenientis tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem
naturaliter habuissent; sed mundissimæ tincturę sunt, quia
humiliter custodiunt superuenientem in se virtutum gratiã
quam acceperunt. Pensandum magnopere est, quod à sancto
viro requiritur vnde sapientia veniat. Ab eo etenim venit
à quo orta est. Sed quia ab inuisibili & coæterno patre na-
scitur, eius via occulta est. Vnde & per Prophetam dicitur,
Generationem illius quis enarrabit? Locus vero intelligentiæ Esa. 53. 8.
eius est humana mens, quam hęc Dei sapientia dum reple-
uit, sanctam facit. Quia ergo & inuisibilis est de quo pro-
diit, & incertum nobis est in cuius mente intellecta re-
quiescat, recte nunc dicitur. *Vnde ergo sapientia veniet, vel quis*
est locus intelligentiæ? Sed hoc valde mirum est quod proti-
nus subinfertur.

Abscondita ab oculis omnium viuentium. Sapientia quippe 20.
quæ Deus est, si omnium viuentium oculis esset occulta,
hanc procul dubio sanctorum nemo vidisset. Sed & huic
sententię Ioannem audio concordantem, qui ait. *Deum ne-* F
mo vidit vnquam. Sed iuxta beati Iob sententiam, sapientia Ioan. 1. 18.
quæ Deus est, *abscondita est ab oculis omnium viuentium:* quia
in hac mortali carne cõsistentibus & videri potuit p quas-
dam circumscriptas imagines, & videri non potest per in-
circumscriptum lumen æternitatis. Sin vero à quibusdam
potest in hac incorruptibili carne viuentibus, sed tamẽ in-
æstimabili virtute crescentibus quodam contemplationis
acumine æterna Dei claritas videri. Hoc quoque à beato
Iob sententia non abhorret, qui ait. *Abscondita est ab oculis o-*
mnium viuentium. Quam quisquis sapiẽtiam, quæ Deus est,
videt, huic vitæ funditus moritur, ne iã eius amore tenea-
tur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter viuit.
Hinc Moysi dicitur, *Non enim videbit me homo, & viuet.* Exod. 33. 20.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB G

LIBER XIX.

VOlucres quoque cæli latet. In scriptura sacra 21.
volucres aliquando in malo, aliquando
vero in bono datur intelligi. Per volucres
quippe nonnunquam potestates aeriæ de-
signantur, bonorũ studiis aduersæ. At con-
tra in bono volucres poni solent. *Simile est regnum cælorum*
grano sinapis, quod acceptũ homo misit in hortum suum & creuit, Luc. 13. 19.
& factũ est in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis
eius. Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est.
Abscondita est ab oculis omnium viuentium, recte subiungitur.
Volucres cæli quoque latet, quia in hac corruptibili carne con-
sistenti naturæ eius potentiam ipsi quoq; viuendo non pe-
netrant, qui iam per mentem sanctæ contemplationis vo-
lant, vbi apte subiungitur. H

Perditio & mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam 22.
eius. Quid perditionis & mortis nomine, nisi maligni spiri-
tus designantur, qui inuentores mortis & perditionis ex-
stiterunt? Videre quippe perfecte coæternam Dei sapien-
tiam, hoc est quod habere. Ideo iniqui spiritus hanc sa-
pientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequa-
quam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe eius clau-
serunt oculos cordis, superfusis eius radiis repugnantes.
Famam ergo sapientiæ malignis spiritibus audisse est, sed
eandem sapientiam non vidisse, & eius potentiam ex vir-
tute illius cognouisse, & tamen sub ea humiliter stare no-
luisse. Hinc Veritas ait. *Ille homicida erat ab initio, & in verita-* Ioan. 8. 44.
te non stetit. Sequitur.

Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius. Locus sa- 23.
pientiæ pater est. Locus sapientiæ sicut ipsa Sapientia atte-
stante dicitur. *Ego in patre, & pater in me.* Aliter ergo sapien- Io. 14. 10 n.
tia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanita-
tis transitum, locum vero per statum diuinitatis. Ac si
aperte diceretur. Humanæ cogitationi occulta sunt,

A vel quando per carnem ad homines Sapientia veniat, vel
quomodo apud patrem inuisibilis etiam cum foris appa-
ruerit persistat. Quamuis hoc intelligi & aliter potest. Nam
via eius non inconuenienter accipitur hoc ipsum quod
venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus ve-
Ioan. 1. 23. ro eius fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quoq;
via illius dicitur. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domi-
ni.* Et quia hominibus incertum est, vel in cuius corde ve-
niat, vel in quo postquam venerit, permanendo requiescat,
recte nunc dicitur. *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum
illius.* Quia solius diuinæ visionis est cernere, vel quibus
mundis intellectus sapientiæ quem perceperit mortiferis
cogitationibus non admittat. Sequitur.
24. *Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cælo sunt, re-
spicit.* Respicere quippe Dei est ea quæ amissa ac perdita
fuerant, ad suam gratiam reformare. Vnde scriptum est.
Prou. 20. 8. *Rex qui sedet in solio iudicij sui, dissipat omne malum in intuitu suo.*
Sequitur.
25. *Qui fecit ventis pondus.* Velocitate enim ac subtilitate ven-
B torum in scriptura sacra solent animæ designari, sicut per
Psal. 17. 11. Psalmistam de Deo dicitur. *Qui ambulat super pennas vento-
rum,* id est qui transgreditur virtutes animarum. *Fecit ergo
ventis pondus,* quia dum superna sapientia replet animas, eas
maturitate indutas graues reddet, non illa grauitate qua di-
Psal. 4. 3. citur. *Filij hominum vsquequo graues corde?* Aliud namque est
grauem esse per consilium, aliud per peccatum, aliud gra-
uem esse per constantiam, aliud per culpam. Vel certe ven-
tis pondus facere est, concessam hic electis de virtutibus
gloriam permixta infirmitate temperare. Sequitur. *Et aquas
appendit mensura.* Aquæ in scriptura sacra aliquando san-
Ioan. 7. 38. ctum Spiritum significant, vt illud. *Qui credit in me, sicut di-
cit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Aliquando
Eccles. 15. 3. scientiam prauam, aliquando scientiam sacram, velut; *A-
Prou. 9. 17. qua sapientiæ salutaris potauit eos.* Prauam, vt illud Salomo-
nis. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Aliquando tribulationem,
Psal. 68. 2. vt illud. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ ad ani-
Apoc. 17. 15. mam meam.* Aliquando defluentes populos, vt illud Apo-
Esa. 32. 20. calypsis. *Aquæ vero sunt populi.* Aliquando mentes fidem se-
C quentium designari solent, sicut Propheta ait. *Beati qui se-
minatis super omnes aquas.* Hoc igitur in loco quid aquarum
nomine, nisi electorum corda signantur, quæ per intelle-
ctum sapientiæ auditum iam supernæ vocis acceperunt?
De quibus recte dicitur. *Et aquas appendit mensura.* quia san-
cti ipsi, qui sublevante spiritu ad summa rapiuntur, quam-
diu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibus-
dam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum
proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur
superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum.
Sequitur.
26. *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.*
27. *Tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.* So-
Deut. 32. 2. lent per pluuias prædicantium dicta signari. Vnde per
Moysem dicitur. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Quo-
rum videlicet verba cum blande persuadent, pluuiæ sunt;
cum vero terribilia de venturo iudicio intonant, procellæ.
Et notandum quod pluuijs lex ponitur, vt via procellis
sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatoribus
D posita, vt viuendo impleant, quod loquendo suadere fe-
stinant. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox
opere non adiuuatur. *Viam* autem *procellis sonantibus* posuit,
cum prædicatoribus sanctis suis ad corda hominum terro-
re venturi iudicij perculsa aditum fecit. Vsitata quippe sa-
cri eloquij locutione videre Dei dicitur videre nos facere,
Gen. 22. 12. sicut iusto viro Dominus dicit, *Nunc cognoui quod timeas Deũ.*
Et Israëlitæ præmonentur. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt
Deut. 13. 3. sciat si diligitis eum,* id est vt scire vos faciat. Tunc ergo cum
legem pluuijs poneret, hoc est mandatum custodiæ prædi-
catoribus daret, hanc incarnatam sapientiam videri & e-
narrari à prædicatoribus, præparari & inuestigari ab audi-
toribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam
bene viuendo in viam iudicij propitiam parat. Et notan-
dum quæ de ea quatuor dicta sint. Ait enim *vidit, enarrauit,
præparauit & inuestigauit.* Vidit namque, quia species est; e-
narrauit, quia verbum; præparauit, quia remedium; inue-
stigauit, quia occultum. Sequitur.

*Et dixit homini. Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recede- E
re à malo intelligentia.* Ac si aperte diceretur. Ad temetipsum 28.
homo reuertere, cordis tui secreta perscruta. Si Deum ti-
mere deprehendis, profecto constat quia hac sapientia ple-
nus es, quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se,
iam cognoscis interim quid sit in te. Hinc scriptum est. *Ini-
tium sapientiæ timor Domini.* Sed quia ille veraciter vim diui- Psal. 110. 10.
ni timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custo-
dit, recte subditur. *Et recedere a malo intelligentia.* Sequi-
tur.
Addidit quoque Iob assumens parabolam suam. Quia enim CAP.
parabola similitudo nominatur, aperte constat quod per XXIX.
exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad 1.
loquendum parabolam assumpsisse memoratur. Cum et-
enim sua narrat, quæque sunt sanctæ Ecclesiæ ventura de-
nuntiat, & per hoc quod ille patitur, indicat ipse quid illa
patiatur. Sed electi omnes qui in fine mundi temporibus
Antichristi fuerint in illa tribulatione comprehensi, remi-
niscuntur horum temporum in quibus nunc Ecclesia fidei
pacem tenet, & superba hæreticorum colla comprimit, F
non potentatu culminis, sed iugo rationis, & per vocem
beati Iob dicit.
Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos? Quia enim 2.
statutus numerus dierum vocantur menses, quid nomine
signat mensium nisi collectionem animarum? Dies quippe
dum colliguntur, in mensibus subtrahuntur. Quia & in
hoc tempore sancta Ecclesia dum veritatis luce resplen-
dentis animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando
etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut Propheta ait.
Erit mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requiem, quib. Esa. 66. 23.
nunc perfectio fuerit in operatione. Reminiscatur ergo
perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta præ-
dicationis suæ collectis animabus reportabat lucra, & an-
gustata tribulationibus dicat. *Quis mihi tribuat vt sim iuxta
menses pristinos?* Sequitur.
Secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat 3.
*lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in te-
nebris.* Tunc quippe videt ex se persecutione cogente infir-
morum tumultus cadere, quos nunc vt mater intra pacis G
sinum paruulos fouet, & in tranquillas fidei cunas conti-
net, qui admixti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriun-
tur. Tunc se in illis æstimat cadere quæ se nunc mixtis re-
spicit custodiri. Lucernæ enim signatur nomine sacræ lumẽ
scripturæ. Hinc Psalmista ait. *Lucerna pedibus meis verbum* Psal. 118. 105.
tuum Domine. Quia autem principale nostrum, appellatio-
ne capitis mens vocatur, per Psalmistã dicitur. *Impinguasti* Psal. 22. 5.
in oleo caput meum. Ac si aperte dicat. Charitatis pinguedi-
ne repleſti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput
Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras mentis no-
stræ irradiant, vt in hoc caliginoso vitæ præsentis loco dum
verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videa-
mus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta
vniuersalis Ecclesia etsi alienas occultas cogitationes non
penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit
tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locu-
tionis. Sequitur.
Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in 4.
tabernaculo meo. Sicut vniuscuiusque hominis, sic sanctæ Cant. 8. 8.
Ecclesiæ ætas describitur. Paruula tunc quippe erat, cum H
natiuitate recens verbum vitæ prædicare non poterat.
Hinc enim de illa dicitur. *Soror nostra paruula est, & vbera
non habet.* Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei ver-
bo copulata, sancto repleta Spiritu per prædicationis my-
sterium in filiorum conceptione fœtatur, quos exhortan-
do parturit, conuertendo parit. De eius hac ætate Domi-
no dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Tunc ergo cum in die- Cant. 1. 3.
bus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per præ-
dicationem filios parere non valet, reminiscatur fœcundi-
tatis antiquæ. Quid hoc loco tabernaculum, nisi habita-
tionem mentis accipimus? quia per omne quod cogitan-
do agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quis-
quis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto Deus il-
li in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante
Dei esse oculos viderat, qui dicebat. *Et meditatio cordis mei* Ps. 18. 15.
in conspectu tuo semper. Sancta itaque Ecclesia in magnis

A gnia æternas Domini retributiones narrat, quasi viri
sui bona ad memoriam reuocat. Cui quia spiritaliter a-
nima iuncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctæ Ec-
clesiæ vocibus ex eius resurrectione refouetur. Sequi-
tur.
24. *Iustitia indutus sum, & vestiuit me sicut vestimento.* Vestimen-
to vtique cum vestimur, ea omni parte circumdamur. Ille
ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndiq; bono
opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nu-
dam relinquit. Nam qui in alijs actionib' iustus est, in alijs
iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit. Sequi-
tur. *Et diademate iudicio meo.* Iustorum iudicia recte diade-
mati comparantur, quia per magni operis gloriam ad re-
tributionis ducunt coronam. Quæ nimirum iudicia secum
quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo de-
beant solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehe-
menter accendunt, & de perpetratis malis districte redar-
guunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur. *Cogi-*
B *tationes iustorum iudicia.* Sequitur.
15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam*
16. *quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Inter hæc Lectoris
animus fortasse quærat, cur B. Iob suas tam subtiliter vir-
tutes enumerat. Sanctorum quippe virorum est bona quæ
fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis in-
currere. Sed sancti viri cum coguntur bona narrare quæ
faciunt, non elationi seruiunt, sed vtilitati. Vnde beatus
Iob amicis suis se iniuste increpantibus, atque idcirco ne-
scientibus bona sua loquendo aperit, vt nimirum disce-
rent non contra eius vitam increpantes erigi, sed hanc
tacentes imitari. Intuendum nobis prius est, quam re-
ctus narrandi ordo seruetur, vt ante iustitiæ, & post
misericordiæ opera describantur. Ille quippe bene agit
quæ pia sunt, qui scit prius seruare quæ iusta, vt collatus
in proximis riuus misericordiæ de iustitiæ fonte ducatur.
Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impen-
dunt, sed iniustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter
proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis [illegible]
C buerant prius iuste viuendo misereri. Vnde scriptum est.
Eccl. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quæ videlicet verba si ad
vocem sanctæ Ecclesiæ typica interpretatione referamus,
ipsa est *oculus cæco*, quia per verbum lucet, ipsa est *pes claudo*,
quia per adiutorium continet. Cæcos enim prædicando
illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Cæcus
quippe est qui adhuc quo pergat, non videt. Claudus au-
tem est, qui non potest ire quo videt. Sed quia sancta
Ecclesia duos in se populos colligit, Iudaicum scilicet at-
que Gentilem, recte etiam potest cæco Gentilis, claudo
autem Iudaicus populus designari. Gentilis quippe quasi
oculos non habuit, quia non accepta lege non vidit quo
ire debuisset. At contra Iudaicus habens oculos claudus
fuit, quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum
recti operis non tetendit. Quem cum ad se venientem
sancta Ecclesia suscipit, quia ei iam vetus tenenti etiam
nouum testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius
quasi alterum pedem iungit. Qui fidelis sanctæ Ecclesiæ
Matt. 5. 3. populos adhuc recte subiungit. *Pater eram pauperum.* Quia
D videlicet humiles, qui *pauperes spiritu* dicti sunt, ea eius
prædicatione generantur. Sed plerumque multa homi-
nes pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes
diligunt, sed quia si minime tribuant, iram iudicis superni
formidant. Quia igitur aliud est bonum opus ea præce-
pto, aliud vero etiam ea affectu facere, sanctus vir non se
patronum vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed
patrem fuisse testatur. Quia nimirum magnum charitatis
officium misericordiæ vertit in affectum naturæ, vt eos
quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præ-
erat per protectionem. Sequitur. *Et causam quam nesciebam in-*
uestigabam. Strenuus quippe erat in negotijs pauperum.
Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse est
vt ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat.
Eccl. 7. 19. Hinc enim per Salomonem dicitur. *Qui Deum timet nihil*
negligit. Qua in re notandum video ne ad proferendam
sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere
indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos mo-
ueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod

profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri sub- E
tilius facta pensemus. Ipse quippe vt nos à præcipitata sen-
tentiæ prolatione compesceret, cum *omnia nuda & aperta* Heb. 4. 13.
sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare,
qui ait. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus* Gen. 18. 20. 21.
est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & vide-
bo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est
ita, vt sciam. Quæ scilicet verba etiam per vocem Ecclesiæ
ad interpretationem typicam possumus non inconueni-
enter referre. Ipsa quippe electos suos, cum mala carna-
lium iudicat, hoc quod nescit inuestigat, quia mala quæ
nescit operando, inuestigat per iudicium corrigendo.
Sequitur.
Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. 17.
Totiens quippe ea iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit, F
quotiens ea erroris morsu animam prædicando diripuit.
Quis namque iniquus verius dici potest, quam Diabolus?
Cuius molas conterimus, quotiens detegendo contra eius
insidias occulta illius machinamenta monstramus, ac de
eius dentibus prædam tollimus, quia mentem quam iam ad
peccandum frangendo momorderat, ad salutem vitæ con-
uertendo reuocamus. Per molas quippe occultæ eius insi-
diæ, per dentes vero apertæ iam culpæ perpetratio demon-
stratur. De quibus inimicorum molis ac dentibus per Psal-
mistam scriptum est. *Deus vero contriuit dentes eorum in ore ipso-* Psal. 57. 7.
rum, molas leonum confringet Dominus. Sed prius necesse est
occulta consiliorum illius machinamenta prodere, vt au-
ditoris nostri animum valeamus postmodum ab aperto
lapsu reuocare. Contra hunc leonem sancta Ecclesia, quia
eius insidias conspicit, fidei caulas munit, cuius totiens mo-
las frangit, quotiens hæreticorum argumenta destruit: to-
tiensque ab eius dentibus prædam diripit, quotiens ab er-
rore quempiam prædicando conuertit. Sequitur.
Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo 18.
dies. Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur? Multitudo
quippe illa bonorum quæ persecutionum temporibus fue-
rit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in ni-
do, sic in loco quietis explere credidit. Hinc scriptum est. G
Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum. Palma enim Psal. 83. 4.
tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. Cum multis autem
difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, & pro
collectione plurimorum in eiusdem fidei gloria diutius
stare concupiscit. Sicut palma ergo multiplicare se dies cre-
didit, quæ emergente subitæ tentationis articulo, pacis suæ
gratiam & tarde fidelibus adeptam, & citius ab infidelibus
interceptam dolet. Nec immerito iustorum vita palmæ com-
paratur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & qua-
si aridis corticibus obuoluta, superius vero & visu & fructi-
bus pulchra. Inferius corticum suarum inuolutionibus an-
gustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis ex-
panditur. Sic quippe est electorum vita despecta inferius,
superius pulchra. In ima ista quasi multis corticibus obuol-
uitur, dum multis tribulationibus angustatur; in summa
vero illa quasi pulchræ viriditatis folijs, amplitudine retri-
butionis expanditur, in hoc autem quod palma minoris
amplitudinis ab imis inchoat, & iuxta ramos ac ramos H
ampliori robore exsurgit, designatur proficiens vita iusto-
rum, qui nequaquam sunt in terrenis studijs fortes & in
cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos
se exhibent Deo, quam seculo fuisse meminerunt, &
si tepidus prima inchoat, feruentius extrema consumit:
videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infati-
gabilis in nouitate perdurat. Hanc scilicet iustorum con-
stantiam Propheta intuens ait. *Qui confidunt in Domi-* Esa. 40. 31.
no, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, cur-
rent, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient. Se-
quitur.
Radix mea aperta est secus aquas. Iuxta aquas etenim ra- 19.
dix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta læ-
tantes cogitatio mentis expanditur. Quæ scilicet verba
si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducimus, radix illius i-
psa debet Incarnatio Redemptoris intelligi, quæ iuxta
aquas aperta est, dum Deus inuisibilis per assumptionem
humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ. Hinc
scriptum est. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est se-* Psal. 1. 3.

[A] *cus decursus aquarum.* Sequitur. *Et ros morabitur in messione mea.* Subaudis dicebam, messio enim sanctæ Ecclesiæ non inconuenienter accipitur, cum perfectæ animæ à corporibus abstractæ, velut maturæ segetes à terra decisæ ad cœlestia horrea demigrant. Ros namque desuper cadit, messis deorsum colligitur. Ergo ros moratur in messione, quia gratia desuper veniens agit vt digni simus qui de tonsionibus colligamus. Hinc Paulus ait. *Gratia Dei sum id quod sum.* [1. Cor. 15. 10.] Sequitur.

20\. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Sancta qnippe Ecclesia quasi amissam gloriam deplorat, cum fideles suos ad vitam veterem redire considerat, ait enim. *Dicebamque, Gloria mea semper innouabitur.* Quia eos quos in se nouæ vitæ militare credidit, vetustis desiderijs seruire cognoscit. Arcus autem nomine in sacro eloquio, aliquando malorum insidiæ designantur, vt illud. *Intenderunt arcum rem amaram.* [Psal. 63. 4.] Aliquando vero dies iudicij, vt illud. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant a facie arcus.* [Psal. 59. 6.] [B] Aliquando autem ipsa eadem sacra eloquia designantur, vt illud. *Arcum suum tetendit, & parauit illum.* [Psal. 7. 13.] Quid igitur in hoc loco arcus nomine, nisi sacrum eloquium debet intelligi? In chorda etenim Testamentum nouum, in cornu vero Testamentum vetus accipitur. In arcu autem dum chorda trahitur cornu curuatur, sicut in hoc eodem sacro eloquio dum Testamentum nouum legitur, duritia Testamenti veteris emollitur. Nec indecenter dicimus chordam Testamento nouo congruere, quod de Incarnatione Dominica certum est extitisse. Quasi ergo chorda trahitur, & cornu curuatur, quia dum in Testamento nouo incarnatio mediatoris agnoscitur, ad spiritalem intelligentiam rigor Testamenti veteris inclinatur. In manu etenim arcum tenet, qui diuina eloquia quæ intellectu cognoscit, operatione perficit. Instauratur ergo arcus in manu, dum quicquid de sacro eloquio studendo cognoscitur, viuendo completur. Hinc etiam Salomon dum fortes spiritalis pugnæ describeret bellatores, ait. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* [Cant. 3. 8.] [Philip. 2. 21.] [C] Sed dum *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi Iesu,* scripta Dei vbique reperta opponuntur oculis, sed hæc cognoscere homines dedignantur, pene nullus quærit scire quod credit. Multitudo ergo bonorum præcedentium arcum suum destrui doleat, quæ sacrum eloquium restaurari semper per studium subsequentium credebat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XX.

Sancta quippe Ecclesia hæreticorum vel cardinalium tribulationibus pressa præteritorum reminiscitur temporum, in quibus omne quod ab ea dicitur, cum metu à fidelibus auditur, [D] & aduersariorum suorum proteruiam deplorans dicit.

21\. *Qui me audiebant expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum.* Ac si aperte dicat. Non vt hi proterui ac tumidi, qui dum veritatis verba suscipere renuunt, prædicationis meæ sententiam quasi docendo præcurrunt. Citius nunc discipuli intenti ad eius consilium tacent, quia eius verba non audent impugnare, sed credere. Sequitur.

22\. *Verbis meis addere nihil audebant.* Quia tunc nimirum hæretici cum contra hanc libertate pessima fuerint effrenati, dictis eius addere aliquid præsumunt, cum prædicamentorum eius rectitudinem quasi emendare moliuntur. Sequitur. *Et super illos stillabat eloquium meum.* In hac stillatione eloquij, quid aliud quam mensura prædicationis accipitur? Quia oportet vt exhortationis gratia singulis iuxta capacitatem ingenij conferatur. Hinc est quod iubente Domino non solum phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Sequitur.

[E] 23\. *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Verba quippe sanctæ prædicationis sicut pluuiam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus, vt potu sanctæ prædicationis irrigemur. Vnde recte per Psalmistam dicitur. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* [Psal. 142. 6.] Qui dum in extrema parte iam seculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi *ad imbrem serotinum* os cordis aperimus. Nam si os in corde non esset, Psalmista non diceret. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala.* [Psal. 11. 3.] Hinc scriptum est. *Dabo vobis pluuiam temporaneam & serotinam.* [Deut. 11. 14.] Sequitur.

24\. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Hoc si iuxta historiæ verba percipimus, credi necesse est quod vir sanctus talem se exhibuerit subditis, vt etiam ridens timeri potuisset. Qua in re quid aliud docemur, nisi quod talis esse debet dispensatio regiminis, vt is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum? [F] Hoc quoq; iuxta historiam non inconuenienter accipitur, quod protinus subinfertur. *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* [Prou. 17. 24.] Scriptum quippe est. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Rursumque per eundem Salomonem dicitur. *Oculi sapientis in capite eius.* [Eccl. 2. 14.] Paulus quoque ait. *Caput viri Christus.* [1. Cor. 11. 3.] Oculi sapientis ergo in capite eius sunt, dum Redemptoris sui semper opera quæ imitari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus huius in terram non cecidit, quia quæ terrena sunt per concupiscentiam non aspexit. Sed quia sæpe vox capitis ad vocem corporis, sæpe vox corporis ad vocem capitis transit. Qui enim sunt in carne vna nihil obstat vt conueniant etiam in voce vna. Dicat ergo ex voce capitis de electis suis, dicat Ecclesia. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Ridere enim Dei est Sanctorum vias prosequenti fauore prosperari, sicut de his quoque per risum dicitur, quos in hoc seculo felicitatis blandimenta comitantur. Arrisit illis tempus. Sed Redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multis iam donis testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus, [G] & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus. Hinc per Salomonem dicitur. *Beatus vir qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ corruet in malum.* Quid namque terra nisi peccator vocatur? cui prima sententia dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* [Gen. 3. 19.] Lux ergo vultus Domini in terra nequaquam cadit, quia visionis eius claritas peccatoribus non apparet. Scriptum namque est. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Quasi enim lux in terram caderet, si in extremo iudicio veniens claritatem maiestatis suæ peccatoribus aperiret. Quod si hæc verba ex sanctæ Ecclesiæ voce suscipimus, non incongrue intelligere poterimus lucem vultus eius in terram non cadere, quia occupatis in terrenis actionibus vitat summa contemplationis suæ mysteria prædicare. Dici enim infirmis fortia prohibet, ne dum incapabilia audiunt, prædicationis verbis, quibus subleuari debuerant, opprimantur. Sequitur.

25\. [H] *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.* Quia in corde reproborum priori loco actiones carnis sunt, & posteriori actiones animæ, in eorum proculdubio cogitationibus Christus non primus, sed vltimus sedet. Sed electi quique quia ea præ omnibus quæ æterna sunt cogitant, posteriori cura minima si qua sunt temporalia disponunt, quibus & magistra voce Veritas dicit. *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis,* [Matt. 6. 33.] in eorum corde Dominus primus sedet. Sequitur. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Quasi rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit, ex ipsa hac diuersitate cogitationum quasi quidam illum exercitus circumstat. Siue certe quasi Rex sedet circumstante exercitu, quia præsidente illo mentibus electorum circumstat turba virtutum. Qui etiam mœrentium consolator est, ea promissione qua dicit. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* [Matt. 5. 5.] Et rursus. *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* [Ioan. 16. 22.] Ea vero

quæ

A quæ de sanctæ Ecclesiæ capite diximus, nihil obstat si ad vocem quoque ipsius Ecclesiæ referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi Rex præsidet, quem fidelium suorum turba circumstat, quæ scilicet multitudo fidelium, recte quoque exercitus dicitur, quia in procinctu bonorum operum indesinenter quotidie contra tentationum bella præparatur. Corda quoque mœrentium sancta Ecclesia consolatur, dum præsentis peregrinationis ærumna afflictas mentes electorum pensat, & has æternæ patriæ promissione lætificat. Sciendum nobis est quod valde ædificare lectorem etiam iuxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mista sit, & regendi auctoritas, & benignitas consolandi. Ait enim. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu.* Ecce auctoritas regiminis. *Eram tamen mœrentium consolator.* Ecce ministerium pietatis. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iuste consolans misericordia, & pie sæviens disciplina. Sequitur.

B CAP. XXX.

1. *Nunc autem derident me iuniores tempore.* Omnes hæretici universali Ecclesiæ comparati, iuniores tempore congrue vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab illis. Unde recte quoque per Ioannem dicitur. *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* (1. Ioan. 2. 19) Iuniores ergo sanctam Ecclesiam irrident, cum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinam eius despiciunt. De quibus adhuc subditur. *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium? vel qui alij huius gregis canes vocantur, nisi doctores sancti, qui eorumdem fidelium custodes extiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigilijs totenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eidem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* (Psal. 67. 24.) Patres vero hæreticorum dicimus, eos videlicet quos Hæresiarchas vocamus, de quorum perversa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum canibus gregis sui hæreticorum patres ponere dedignatur, quia inventores errorum diiudicando respuit, eosque inter veros patres numerare contemnit. Sequitur.

C

2. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.* Virtus quippe in manu est, magnitudo in operatione: sed virtus manuum hæreticorum à sancta Ecclesia pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quicquid operantur. Charitatem quippe Dei & proximi deserunt, qui & de Deo falsa sentiunt, & proximis iurgando dividuntur. Nonnunquam vero hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed quia ad eadem signa, quæ exhibent, nulla humilitate concordant, recte subditur. *Et vita ipsa putabantur indigni.* Vel certe omnes hæreticos sancta Ecclesia vita ipsa fatetur indignos, quia nimirum sub nomine Christi militant contra nomen CHRISTI, de quibus adhuc subditur.

3. D *Egestate & fame steriles.* Omnes hæretici dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari quam capiunt, fame sua steriles fiunt, neque ea quærunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servent, longanimitatem exhibeant, sed ea solummodo quæ eos doctos ac loquaces demonstrent; illa scire appetunt, ex quibus singulariter eruditi videantur. Quam bene eorum audaciam Prædicator egregius refrenat dicens. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (Rom. 12. 3.) Sequitur.

4. *Qui rodebant in solitudine squallentes calamitate & miseria, & mandebant herbas & arborum cortices.* Rodi solet, quod comedi non potest. Hæretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt, quam dum non intelligunt quasi non edunt; & quia per superbam gratiam non adiuti bene edere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt, & qui ab universalis Ecclesiæ societate disiuncti sunt, non quolibet loco rodere, sed *in solitudine* memorantur. Qui recte perhibentur *calamitate & miseria* squalidi, quia & morum suorum pernicie & sensus pravitate despecti. Qui herbas quoque & cortices arborum mandunt, quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna & intima percipere nequeunt, sed vix in illa quædam tenera & exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora, per arborum cortices, patrum eloquia exteriora signantur. Vel certe herbas mandere est, de Scriptura sacra minima præcepta servare, maiora contemnere. Quos bene Veritas increpat dicens. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis.* (Matt. 23. 23.) Qui arborum cortices mandunt, quia sicut nonnulli qui in sacris voluminibus solam literæ superficiem venerantur, ne quicquam de spiritali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint, esse suspicantur. Hinc Paulus ait. *Huiusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* (Rom. 16. 18.) Aliter. Quid aliud hoc in loco solitudo, quam boni destitutio demonstratur? Unde & sub Iudææ typo Hieremias peccatoris animam deplorat, dicens. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* (Thren. 1. 1.) Sed cum per beatum Iob de pravis dicitur,

F

rodebant in solitudine, libet intueri, hoc etiam quod per Psalmistam dictum est. *Inimici eius terram lingent.* (Psal. 71. 9.) Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ servientium, unum videlicet quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguæ, aliud vero quod aperta vi ad intendit rapinæ. Omnes igitur qui aliena appetunt, sed ea quæ appetunt rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus, & quasi mollicie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingunt? Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, & concupiscentes aliena, blandire quidem ea fraude despiciunt, quia etiam in aperto robore possunt implere quod volunt, hoc quod appetunt non lambunt, sed rodunt. De his quippe ac si dicat Ecclesia, aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi prius ipsi in interioribus suis, soli ac vacui à virtutum cultura remanerent. Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus nil in hac vita nisi unde affligeretur invenit.

G

Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit deservimus, mentisque curam negligimus, & miseriæ negligentiam, infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitatis igitur causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? Quid enim per herbas, nisi tenera, ac terræ proxima bene inchoantium vita? Et quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorum, qui iam sublimia appetunt, designantur? Pravi namque cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cum vero iam quosdam pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, à quibusdam illos suis operibus divertunt. Herbas itaque eis, & arborum cortices mandere est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam iam more arborum ad superna tendentium persuasionibus pestiferis, quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Vel certe herbas mandere est, levia quædam ac tenera de antiquis Patribus imitari. Arborum vero cortices edere est, eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sequitur. *Et radix iuniperorum erat cibus eorum.* Arbor namque iuniperi pro folijs punctiones habet, sic quippe suos hirsuta quæ profert, ut spinis similis contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Unde iusti voce & pœnitentis dicitur. *Conversus sum in ærumna mea dum confringitur spina.* (Psal. 31. 4.) Quid vero per radicem iuniperi, nisi avaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur? De qua & per Paulum dicitur. *Radix omnium malorum est cupiditas.* (1. Tim. 6. 10.) Quia igitur plerumque hæretici sola instruunt, sed erroris prædicamenta non delerunt, dum sumptus percipere quasi doctores volunt, bene de eis sancti viri nunc voce dicitur. *Et radix iuniperorum erat cibus eo-*

A

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XVIII.

CAP. XXVII. 1.



Ddidit quoque Iob assumens parabolam suam, & ait. Quo profecto versu ostenditur hu
ius sanctissimi viri dicta quam mystice sint
prolata, dum parabola id est similitudo as-
sumpta narratur ab eo qui nihil inferius
per comparationem vel similitudinem loquitur. Ad eam
itaq; similitudinem cuncta trahenda sunt, qua figurate Ec-
clesia designatur, & in ipso quidem locutionis exordio di-
cta aperte prolata sunt, sed subiectis obscuritatibus impli-
B cantur. Sequitur.
2. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum: & omnipotens, qui ad
amaritudinem adduxit animam meam.* Quibus nimirum ver-
bis beatus Iob & sua narrat, & Ecclesiæ tempora afflicta si-
gnificat, in quibus aperta infidelium pernicacia premitur,
& persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus nam-
que modis Ecclesia ab aduersarijs tentari solet, vt videlicet
persecutionem aut verbis patiatur aut gladijs. Nunc vero
de ea persecutione loquitur, in qua non gladijs, sed falsis
assertionibus lacessitur. Vir itaq; Sanctus sanctæ Ecclesiæ
typum gestans, vt Deum esse fateatur, ait. *Viuit Deus.* Vt ve-
ro res humanas eum curare perhiberet, subdidit. *Qui abstu-
lit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam.*
Ista enim quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia
disponente, testatur; nec tentatori suo amaritudinis suæ
potestatem tribuit, sed auctori. Sequitur.
3. *Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,
4. non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua meditabitur men-
dacium.* Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repe-
C tens mendacium dixit. Nam & omne mendacium iniqui-
tas est, & omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab
æquitate discrepat quicquid à veritate discordat. Sed inter
hoc quod ait loqui, postmodū subdidit, meditari; magna
distantia est. Nonnumquam enim peius est mendacium
meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque præcipita-
tionis est, meditari vero studiosæ prauitatis, quamuis non-
numquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si
quisquam præcipitando mentiatur. Sed quia scriptum est.
Sap. 1. 11. *Os quod mentitur occidit animam.* Et, *Perdes eos qui loquuntur
Psal. 5. 7. mendacium.* Hoc quoque mēdacij genus perfecti viri sum-
mopere fugiūt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam
defendatur, nec suæ animæ noceant, dum præstare carni
nituntur alienæ. Sequitur.
5. *Absit à me vt iustos vos esse iudicem, donec deficiam non recedam
ab innocentia mea.* Ab innocentia quippe recederet, si bona
Prou. 17. 15. de malis æstimaret, Salomone attestante, qui ait. *Qui iusti-
ficat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est
D ante Deum.* Sunt namque nonnulli, qui dum malefacta ho-
minum laudibus efferunt, augent quæ increpare debue-
Ezech. 13. 16. runt. Hinc enim per Prophetam dicitur. *Væ qui consuunt pul-
uillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vni-
uersæ ætatis.* Sequitur.
6. *Iustificationem meam quia cœpi tenere, non deseram.* Cœptam
namque iustificationem desereret, si in peccantium laude
declinaret. Sequitur. *Neque enim reprehendit me cor meum in
omni vita mea.* Ac si aperte dicat. Pro vobis non debeo ad
culpam pertrahi, qui peccare in proprijs formidaui. Scien
dum vero est quod quisquis à præceptis Dominicis discor-
dat opere, quotiens ea audit, corde suo reprehenditur atq;
confunditur, quia id quod non fecerit, memoratur. Nam
in quo errasse considerat, ipsa se conscientia latenter accu-
Psal. 118. 6. sat. Vnde Dauid Propheta precatur dicens. *Tunc non confun-
dar, dum respicio in omnia mandata tua.* Grauiter namq; vnus-
quisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo,
vel audiendo respicit, quæ viuendo contempsit. Hinc Io-
1. Ioan. 3. 21. annis voce dicitur. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciā
Ioan. 14. 13. habemus ad Deum.* Et, *Quicquid petierimus, accipiemus.* Ac si di-
ceret. Si id quod præcipit facimus, id quod petimus, obtine- E
mus. Valde namq; hæc apud Deum vtraq; sibi necessario
congruunt, vt & oratione operatio, & operatione fulcia-
tur oratio. Si quæri potest quo pacto à corde suo reprehēdi
se negat, qui se peccasse superius accusat, dicens. *Peccaui, quid
faciam tibi ô custos hominum? Vel certe si iustificare me voluero, os
meum condemnabit me.* Sed sciendum est quod suos peccata quæ
à iustis vitari possunt, & sunt nonnulla quæ etiam à iustis vita-
ri non possunt. Mens itaq; iustorum etsi libera est à peruerso
opere, aliquando tamē corruit in peruersa cogitatione. Et
in peccato ergo labitur, quæ saltim in cogitatione declina-
tur, & tamen vnde semetipsam postmodum flendo repre-
hendat, non habet, quia ante se reparat quam per consen-
sum cadat. Sequitur.
Sicut impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus. 7.
In sacro eloquio *sicut* & *quasi*, non aliquando pro similitu-
dine ponitur, sed pro veritate. Vnde est illud. *Et vidimus glo-* Ioan. 1. 14.
riam eius, gloriā quasi vnigeniti à patre, vnde & hic *sicut* & *quasi*
pro affirmatione potius, quam pro similitudine dictum F
videtur. Inter impium vero & iniquum hoc distare non-
numquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen
omnis iniquus est impius. Impius enim pro infideli poni-
tur, id est à pietate religionis alienus; iniquus vero dicitur,
qui prauitate operis ab æquitate discordat, vel si forrasse
Christianæ fidei nomē portat. Beatus igitur Iob voce typi-
ca sanctæ Ecclesiæ, quæ alios rectæ fidei cōtradicentes tole-
rat, impium se habere fatetur inimicum. Quia vero alios
sub prætextu fidei iustus positos in prauis operib. patitur, ini-
quum aduersarium suum detestatur. * Si autē *sicut* & *quasi* * testatur.
oportet vt magis pro similitudine posita sentiamus, sancta
Ecclesia quos viuētes carnaliter intra se tolerat, de simili-
tudinē impiorū notat. Intus quippe inimicus est, qui fide-
lem se dum affirmat vocibus, moribus negat. Seq.
Quæ enim spes hypocritæ, si auare rapiat, & nō liberet Deus ani- 8.
mam eius? Hypocrita qui Latina lingua dicitur simulator,
iustus non esse appetit, sed videri, & idcirco auarus raptor
est, qui dum iniqua agit, desiderat de sanctitate venerari, G
laudem vitæ rapit alienæ: qui dum præsentia diligit, futura
minime sperat. Sequitur.
Numquid clamorem eius audiet Deus, cum venerit super eum an- 9.
gustia? Clamorem eius angustiæ tempore Dominus nō au-
dit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse Do-
minum clamantem non audit. Scriptū quippe est. *Qui auer-*
tit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Hinc Prou. 28. 9.
Dominus ait. *Nouissime veniunt fatuæ virgines dicentes. Domine,* Matt. 25. 11.
Domine aperi nobis. Et respondetur eis, *Amen, amen dico vobis,
nescio vos.* Sequitur.
Aut poterit in omnipotente delectari? Qui enim terrenarum 10.
rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse
quidem sine delectatione anima numquam potest. Nam
aut infimis delectatur, aut summis; & quanto altiori studio
exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad in-
fima: quantoq; acriori cura inardescit ad infima, tanto te-
pore damnabili frigescit à summis. Vtraq; enim simul &
æqualiter amari non possunt. Delectari ergo in Deo hy-
pocrita non valet, quia in eius mente desideria superna nō H
prodeunt, quam profecto spinæ terreni amoris premunt.
De quo aperte subditur. *Et inuocare Dominum in omni tem-
pore.* Tunc quippe Deum hypocrita inuocat, cum hunc
terrenarum rerum tribulatio angustat. Nam cum in hoc
seculo effectum quæsitæ fœlicitatis inuenerit, aucto-
rem qui hanc ipsam fœlicitatem tribuit, non quærit. Se-
quitur.
Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscon- 11.
dam. Sic B. Iob loquitur verbis suis, vt aliquid signet ex no-
stris. Nam sancta Ecclesia docens in quantum cogno-
scere expedit, nil veritatis abscondit. Quia enim manus
Dei vocatur filius, *omnia* quippe *per ipsum facta sunt*: *per* Ioan. 1. 3.
manum Dei docere se perhibet eos, quos in propria sa-
pientia remanere fatuos videbat. Ac si aperte dicat. E-
go ex me aliquid nescio, sed quicquid ex veritate sen-
tio, hoc de eiusdem veritatis largitate comprehendo.
Sequitur.
Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini? Scri- 12.
ptum est. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non* Luc. 12. 47.
48.

fecit

A fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non
Iacob 4.17. cognouit & non fecit digna, plagis vapulabit paucis. Rursusque
scriptum est. Scienti igitur bonum, & non facienti, peccatum est
illi. Ad maioris ergo culpæ cumulū hostes suos sancta Ec-
clesia perhibet, & scire quid sequi debeant, & sequi nolle
quod sciunt. Sequitur.

13. Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum
quam ab omnipotente suscipient. Quam profecto partem hæ-
reditatemque protinus insinuat, cum subiungit.

14. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius
non saturabuntur pane. Non absurde impij vocantur hære-
tici, qui per errorem praui dogmatis à cognitione verita-
tis sunt alieni. Quos sequenti verbo etiam violentos ap-
pellat: quippe qui scripturæ sententias recta dogmata
continentes ad intellectum prauum conantur violenter
inflectere. Violenti ergo sunt, etsi non rebus hominum,
certe sensibus præceptorum, filij autem violentorum sunt
sequaces hæreticorum, qui dum errori eorum consen-
tiunt, quasi ex eorum prædicatione generantur. Sed mul-
B tiplicati in gladio erunt, quia quamuis modo immensa
multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi ta-
men iudicis sententia feriuntur. Vnde per Moysem Do-
Deut. 32.42. minus dicit. Gladius meus manducabit carnes. Nepotes quip-
pe hæreticorum sunt, qui de errantium filiorum prædica-
tione nascuntur, quos nequaquam panis satiat, quia dum
in sacri verbi pabulo plus quærunt sentire quam capi-
unt, semper à veritatis cognitione ieiunant. Sequi-
tur.

15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu. Ex eo vide-
licet hæreticorum populo derelicti sepelientur in interitu,
quia dum ad lucem veritatis nō redeunt, profecto in pœ-
na perpetua intelligentia terrena deprimuntur. Sequitur.
Et viduæ eius non plorabunt. Quas viduas eius accipimus, nisi
subiectas eius plebes morte illi* fœliciter destitutas? Quia
sæpe vt diximus, dum prædicator erroris ad æterna sup-
plicia rapitur, subiectæ plebes illius ad cognitionis veræ
gratiam reuertuntur. His enim plebibus peruersus prædi-
cator quasi maritus præfuit, quia male eis coniunctus in-
C hæserat corruptor mentis. Nequaquam ergo viduę vel de-
stitutæ plorant, quia morte praui doctoris viam veritatis
inueniunt, ex eius interitu affligi posse videbātur. Vel cer-
te non plorant viduæ, quia in suo errore remanentes dum
sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa ne
lugeant, consolantur. Sequitur.

16. Si comparauerit sicut terra argentum, & sicut lutum prepara-
17. uerit vestimenta. Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis. & ar-
gentum innocens diuidet. Argentum intelligi sacri eloquij cla-
Ps. 11.7. ritas solet, sicut alias dicitur. Eloquia Domini eloquia casta, ar-
gentum igne probatum. Horum scilicet argentum, id est hæ-
reticorum eloquium, terræ est comparatum, quia de Scri-
ptura sacra vt aliquid sciant, ex appetitu terrenæ laudis e-
laborant. Qui etiam sicut lutum vestimenta præparant,
quia fluxe & inquinabiliter ea quibus se tueri volunt, scri-
pturæ sacræ contexunt testimonia. Præparabit quidem, sed
iustus vestietur illis. Iustus ergo vestietur eis vestimentis quæ
præparauit iniustus; quia vir sanctus eisdem sententijs ad
veritatem vtitur, quibus se peruersus quisque doctum o-
D stendere contra veritatem conatur. Et argentum innocens di-
uidit. Argentum est innocentem diuidere, eloquia Domi-
ni subtiliter discreteque exponere, & vnicuique quod digne
congruat coaptare. Nam eloquium Domini, quod hic
argentum vel vestimenta hoc alibi spolia nominantur.
Quod etiam Psalm. testatur per comparationem dicens.
Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Se-
quitur.

18. Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbra-
culum. Tinea sibi domum corrumpendo ædificat, nec me-
liori comparatione hæreticus demonstrari potuit, qui lo-
cum suæ perfidiæ non nisi in mentibus quas corruperit,
fecit, qui etiam sequaces suos ab æterno igne esse liberos
pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis æter-
næ, sed verba eius soliditatem non habent, quia plenitu-
dine veritatis carent. Vnde & subditur. Et sicut custos fecit
vmbraculum. Vmbraculum namque custodis nullo funda-
mento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur,
& promissa ab hæreticis requies cum tempore destrui- E
tur, quæ post hanc vitam nullatenus inuenitur. Se-
quitur.

Diues cum dormierit, nihil secum auferet, aperit oculos suos & ni- 19.
hil inueniet. Cui nimirum sententię Psalmista concinens di-
cit. Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnū suum, Ps. 75.6.
& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Res
suas cum moreretur secum tolleret, si ad potentis vocem
cum viueret sibi tulisset. Nam terrena omnia quæ seruan-
do amittimus, largiendo seruamus. Sed quia homo ex a-
nima constat & corpore, cum vnius rei somnus dicitur, al-
terius vigilia demonstratur, quia cum corpus obdormiscit
in morte, tunc anima vigilat in vera cognitione. Et dormit
ergo diues & oculos aperit, quia cum carne moritur, eius
anima videre cogitur, quod præuidere contempsit. Aperit
oculos suos, & nihil inueniet, quia illic aperit ad supplicia, quos
hic ad misericordiam clausos habebat. Aperit oculos, &
pietatis fructum nō inueniet, quos clausos hic tenuit cum
viueret. Sequitur.

Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tem- F
pestas. Videamus nunc inopiam diuitis ardentis, cuius tan- 20.
ta fuit abundantia epulantis. Ait enim. Pater Abraham mi- Luc. 16. 24.
serere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in a-
qua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Nō
autem immerito aquæ tunc illa inopia comparatur, quia
in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens,
solet lacus designari nomine. Vnde per Prophetam hu-
mani generis voce dicitur. Lapsa est in lacum vita mea. Tem- Thren. 3.53.
pestatis vero nomine, iudicij turbinem designat, quod
etiam Psalmista testatur dicens, Deus noster manifeste veniet, Psal. 49.3.
Deus noster, & non silebit. Et quia ipsa venturi exitus igno-
rantia nox vocatur, nocte eum opprimet tempestas, id est
turbo diuini iudicij eum dum ignorat, apprehendit. Se-
quitur.

Tollet eum ventus vrens. Quis hoc loco ventus vrens, nisi 21.
malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in
corde excitat, vt ad æternitatem suppliciorum trahat? Per-
uersum ergo quemlibet ventus vrens dicitur tollere, quia
insidiator malignus spiritus, qui viuentem quemque ac- G
cendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Hinc Hie-
remias. Ollam succensam video, & faciem eius a facie Aquilonis. Ierem. 1.13.
Sequitur. Et velut turbo rapit eum de loco suo. Locus peruerso-
rum est temporalis vitæ dilectio, & carnis voluptas. Quasi
turbine igitur vnusquisq; de loco suo rapitur, cum à cun-
ctis suis delectationibus, extremo territus die, separatur.
De quo extremo die apte subiungitur.

Et mittet super eum, & non parcet. Peccatorem quotiens 22.
Deus feriendo corrigit, adhuc flagellum mittit vt parcat.
Cum vero eius vitam in peccato permanentem feriendo
concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit. Qui
enim flagellum emisit vt parceret, ad hoc emittit quan-
doque ne parcat. In hac namque vita, Dominus tanto ma-
gis studet vt parcat quanto magis expectando flagellat.
Sequitur. De manu eius fugiens fugiet. Ille etenim fugit de
manu ferientis, qui prauitatem suæ corrigit actionis. Vel
certe quia in sacro eloquio manus, operatio solet in-
telligi, de manu percussi fugit, qui dum praui interi- H
tum conspicit, vias prauitatis relinquit. Vnde adhuc sub-
ditur.

Stringit*, stringet super eum manus suas. Manus quippe 23.
stringere est vitæ suæ opera rectitudine confirmare. Vnde * D. [illegible]
etiam Paulus ait. Remissas manus, & dissoluta genua erigite. [illegible]
Dum itaque alienum interitum conspiciunt, reuocantur Heb. 12. 12.
ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta du-
citur, à tormento alius inde liberatur. Stringit ergo super
eum manus suas, quia conspicit in aliena pœna quod [illegible]
& dum delinquentem superculsum respicit, dissoluta o-
pera sua iustitiæ vigore constringit. Hinc scriptum est. Læ- Psal. 57. 11.
tabitur iustus cum viderit vindictam, & reliqua. Sequitur. Et
sibilabit super illum, intuens locum eius. Quid in sibilo, nisi in-
tentio admirationis exprimitur? Si vero in sibilo fortasse
alia significatio quæritur, moriente peccatore hi qui in-
teritum eius aspiciunt, quasi sibilum stringunt, dum ad ea
quæ contempserant verba spiritalia conuertuntur, vt iam
credere & prædicare incipiant, quæ prius dum [illegible]

A

Prou. 21. 11. florere cernerent non credebant. Hinc Salomon ait. *Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus.* Vir igitur sanctus postquam potentum pœnas qui extolluntur in seculo, sufficienter expleuit, rursum ad hæreticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio verba conuertit. Nam sequitur.

CAP. XXVIII.

1. *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur.* In argento eloquium, in auro vitæ vel sapientiæ claritas designari solet. Et quia hæretici sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solideutur: qui libri ad loquendum nobis quasi quædam argenti venæ sunt, quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus, eos ad sacræ auctoritatis paginas reuocat, vt si vere loqui desiderant, inde sumere debeant quod loquantur, & ait. *Habet argentum venarum suarum principia.* Ac si aperte dicat. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est vt causarum origines à sacris paginis sumat. Vera siquidem fidelium sapientia, cui vniuersalis Ecclesiæ locus est, tribulationem vobis persequentibus paritur, sed à cunctis peccatorum sordibus persecutionis ve-

B

Eccle. 2. 5. stræ igne purgatur. Vnde scriptū est. *In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis.* Quo in loco hoc quoque potest conuenienter intelligi, vt de sua stulta hæretici passione videantur increpari. Nam sæpe pro Iesu Christi Domini ac Redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seseq; eisdem passionibus eius fieri martyres sperant: quibus sancti viri voce nunc dicitur. *Auro locus est, in quo conflatur.* Nam iuxta hoc quod iam & ante nos dictum est. QVISQVIS EXTRA ECCLESIÆ VNITATEM PATITVR, PŒNAS PATI POTEST, MARTYR FIERI NON POTEST, quia, *Auro locus est in quo conflatur.* Quid itaq; ad hæc hæretici dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum quo debeatis conflari nescitis. Sequitur.

2. *Ferrum de terra tollitur.* Solent hæretici de iustitiæ suæ cōtra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione iactari, nosq; iniquos vt diximus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humillimam ergo confessionem & veracem defensionem contra eos vir sanctus loquitur dicēs.

C

Ferrum de terra tollitur. Ac si aperte dicat. Fortes igitur qui acutissimis linguarum gladijs in hac acie defendendę fidei ferrum fiunt, aliquādo terra in infimis actionibus fuerunt.

Gen. 3. 19. Peccāti quippe homini dictum est. *Terra es, & in terram ibis.* Sed de terra ferrum tollitur, cum fortis propugnator Ecclesiæ à terra, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despici quicquid fuit, qui iam accepit esse quod non fuit. Sequitur. *Et lapis solutus calore in æs vertitur.* Tunc lapis calore solutus, cum cor durum atque à diuini amoris igne frigidum, eodem diuini amoris * tangitur, & in feruore spiritus liquatur, vt ad sequendam vitam desi-

* igne,

deriorum æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat, ex quo ardore scilicet & emollitur ad amorem, & operatur ad operationem: vt sicut prius durus fuerat in amore sæculi; ita se fortem postmodum exerceat in amore Dei, & quod ante audire renuebat, & credere & prędicare incipiat. Sequitur.

3.

D

Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. Tempus posuit tenebris, iniquis videlicet modum, quod iniqui esse desistant, vnde eisdem per Apostolum dicitur.

Ephes. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sicut alijs

Rom. 13. 12. quoque discipulis idem doctor egregius dixit. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Vniuersorum nomine electos & reprobos voluit comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eueniant, ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod è malo opere dignum trahantur ad supplicium. Sequitur.

4. *Lapidem quoque caliginis & vmbram mortis diuidit torrens a populo peregrinante.* Quid durius illa perfidia Iudæorum? quid populus, qui auctorem vitę videre per fidem noluit, quem per Prophetam prædixit, nisi lapis caliginis fuit? quia & crudelitate durus fuit, & infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo, vmbra mortis dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei de qua trahitur, fuerint liniamenta. Quis autem mortis nomine, nisi Diabolus vocatur? De quo per quandam ministri sui significationem

E

Apoc. 6. 8. dicitur. *Nomen illi mors.* Cuius ille populus vmbra extitit, quia iniquitatem illius sequens, eius in se imaginem expressit. Quid vero torrentis nomine, nisi ille à conspectu tremendi iudicis per vltimum examen egrediens, atque electos & reprobos diuidens, ignis vocatur? Vnde per Prophetam dicitur. *Fluuius igneus rapidus, qui egrediebatur a facie eius.* Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam nouit in cœlestibus? Et tanto magis illic

Dan. 7. 10.

sperat inuenire se propria, quanto hic cuncta quæ præterennt esse à se deputat aliena. Hinc Paulus ait. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* Potest fortasse

2. Cor. 5. 6.

in torrentis nomine, ipsa irrigatio sanctæ prædicationis intelligi, iuxta id quod per Salomonem dicitur. *Oculum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant illum corui de torrentibus.* Sanctorum quippe prædicatio obduratas mentes reproborum deserit, & ad pia humilium se corda conuertit. Sequitur. *Et eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.* Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur.

Prou. 30. 17.

F

2. Cor. 8. 9. *Qui propter nos egenus factus est dum esset diues?* Cuius videlicet egentis hominis pedes sancti prædicatores fuerunt, per quorum profectus pręsentiam gentilitatem circuiēns, mundum perambulauit vniuersorum. Sed eorum qui vmbra mortis & lapis caliginis extiterunt, *pes hominis egentis oblitus est*, quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti Apostoli cœlorum regnum Iudææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsis in suis

Act. 13. 46. Actibus dicunt. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quos recte quoque & inuios vocat, quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt. Sequitur.

G

5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne subuersa est.* Panem Iudæa dare consueuerat, quæ legis verba proferebat. Sed hæc terra in loco suo igne subuersa est, quia fidelium signa conspiciens, inuidię se face concremauit. Quia enim semper inuidia de superbia nasci solet, in loco suo igne perijt, quæ idcirco arsit inuidia, quia superbiam non reliquit. Sequitur.

6. *Locus saphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.* Quid enim hoc loco per lapides nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? In scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono accipi solent. Hinc * Ioannes ait. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hinc Petrus ait. *Et vos tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales.* Saphirus quidem lapis colorem aeris habet, & quia de Iudæa numquam sanctæ animæ, quæ cœlestem vitam ducerent, defuerunt; dicitur. *Locus saphiri lapides eius.* Et quam magna vitæ ac sapientiæ claritate per fidem fulsit, adiungitur. *Et glebæ illius aurum.* Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ autem ex humore & puluere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito puluerem se esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ in illa glebæ iacuerunt. Glebas hæc terra habuit in Prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratię in professionis & operis vnanimitate tenuerunt. Sequitur.

* Lucæ. 3. 8.

1. Pet. 2. 5.

H

7. *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Quis hoc loco auis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera librauit? Qui apte quoq; etiam vulturis appellatione exprimitur, quia manens in altitudine diuinitatis suæ, quasi quodā volatu sublimi, cadauer mortalitatis nostræ cōspexit in infimis, & sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, & dum mortuum animal petijt,

A mortem apud nos, qui apud se erat immortalis inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna morte nos liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus mortalem vidit, sed quod morte sua nostram mortem destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit, qui dum humilitatis eius vias quibus nos ad alta subleuauit, considerare noluit, semitam auis ignorauit. Neque enim pensare studuit quod eius humilitas nos leuaret ad cælestia, & mortis eius intentio reformaret ad vitam. Sequitur.

8. *Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam leæna.* In cunctis Latinis codicibus institores positos reperimus, in Græcis vero negotiatores inuenimus. Qui hoc loco institores, nisi Prophetæ sancti vocati sunt, qui synagogæ mores ad fidem instruere prophetando curauerunt? Quorum nimirum filij, sancti Apostoli nuncupantur, qui vt Deum hominem crederent, ad eandem fidem ex eorum sunt prædicatione generati.
B Calcarent quippe institorum filij, si prædicatores sancti eiusdem synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem sanctæ Ecclesiæ prædicatores accipimus, institorum filios pastores & doctores, qui Apostolorum viam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui synagogam minime calcauerunt, quia dum eorum patres, id est Apostoli ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab eius vocatione cessauerunt. Per quam videlicet synagogam leæna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita, nequaquam se ad illum Iudææ populum diutius occupauit. Recte autem Ecclesia leæna nuncupatur, quia male viuentes in vitijs, ore sanctæ prædicationis interficit. Ecclesia itaq; per synagogam transijt, sed non pertransijt, quia ex illa ad fidem paucos rapuit. Sequitur.

9. *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes.* Manum quippe ad silicem extêdit, quia ad duritiam gentium suæ brachium prædicationis misit. Vnde & eidem beatus Iob passionis suæ historiam præsciens gentibus in-
Iob. 19. 24. notescendam dicit. *Scribantur hæc stylo ferreo in plumbi lami-*
C *na, vel certe sculpantur in silice.* Quid vero hoc loco montes, nisi huius seculi potentes accipimus, qui pro terrena sub-
Psal. 143. 5. stantia altum tument? De quibus Psalmista ait. *Tange montes, & fumigabunt.* Sed montes à radicibus sunt euersi, quia prædicante sancta Ecclesia summi huius sæculi potentes in adoratu omnipotentis Dei ab intima cogitatione ceciderunt. Sequitur.

10. *In petris riuos excidit*, id est in duris Gentilium cordibus fluuios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoq;
Psal. 106. 35. de irriganda dicitur ariditate Gentilium. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* Sequitur. *Et omne pretiosum vidit oculus eius.* Sciendum magnopere, quia tanto vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. In Scriptura sancta videre Dei aliquando pro eligere ponitur. Vidit pretiosum, cum humanam animam de se abiecta sapientem gratiæ suæ illustratione respexit, de
Ierem. 15. 19. qua videl. anima per Prophetam dicitur. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Sequitur.

D *Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscôdita produxit*
11. *in lucem.* Quid namque hic aliud flumina, nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur? Sed horum fluminum Iudæa speciem tenuit, dum literæ superficiem tenens, eorum profunda nesciuit; nos vero veniente Domino in eis inter-
2. Cor. 3. 6. na spiritalia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere ipso donante præualemus. Per nos ergo qui non literam quæ occidit, sed spiritum qui viuificat, sequimur: profunda fluuiorum Dominus scrutatur, & abscondita in lucem producit, quia dicta legis, quæ caligosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Vnde & loquens in parabolis
Mat. 10. 2 per Euangelium Veritas discipulis præcipit dicens. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Sequitur.

12. *Sapientia vero vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Ne-*
13. *scit homo pretium eius.* Vbi itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam de qua Paulus Apostolus dicit.
Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam? De qua per Salomo- E
nem dicitur. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Et de qua Psal- 1. Cor. 1. 24. Prou. 9. 1.
mista ait. *Omnia in sapientia fecisti.* Huius nimirum sapientiæ Psal. 103. 24.
homo pretium nescit, quia nihil dignum æstimatione illius inuenit; non autem hoc sapientiæ pretium & esse dicitur & nesciri: sed idcirco nescitur quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustijs quisque depressus cum remedium subuentionis non inuenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Huius ergo sapientiæ pretium nescire est, dignum operis meritum quo illam percipiat non inuenire. Ad hoc namq; pretium damus, vt eius vice rem quam appetimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, vt hanc sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur? Gratis quippe redempti sumus. Hinc Paulus ait. *Cum* Rom. 5. 8.
adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro impijs mortuus est. Sequitur. *Nec inuenitur in terra suauiter viuentium.* Quid hoc loco signatur terræ nomine, nisi anima humana? De qua Psalmista ait. *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi.* Psal. 142. 6.
Hæc autem sapientia inueniri *in terra suauiter viuentium* nô F
valet, quia quisquis adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Nam si vere saperet, expulsus ab internis gaudijs de ea in qua cecidit exilij sui cæcitate lugeret. Hinc namq; per Salomonem dicitur. *Qui apponit scientiam apponit dolorem.* Seq. Eccl. 1. 18.

Abyssus dicit, non est mecum. Quid hoc loco abyssum nisi 14.
corda hominum vocat? quę & pêr lapsum fluida, & per duplicitatem sunt caligine tenebrosa. Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur, quia in qua mês dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Namque teste Paulo, *Sapientia huius mundi, stulti-* 1. Cor. 3. 19.
tia est apud Deum. Tanto quisquis intus amplius stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. Sequitur. *Et mare loquitur, non est mecum.* Quid enim maris nomine nisi secularium mentium amara inquietudo signatur, quæ dum se vicissim inimicitijs impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt? Recte enim mare vita secularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus cûcitatur, ab internæ Sapientiæ quiete atq; stabilitate disiungitur. Quo contra bene per Prophetam dicitur. *Super quem requiescit spiritus* G
meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Esa. 66. 2.
Sequitur.

Non dabitur aurum obrizum pro ea. Quid namque per au- 15.
rum obrizum, nisi sancti Angeli designantur? qui recte & *aurum* vocantur & *obrizum*. Aurum, quia fulgent claritate iustitiæ; obrizum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines vero iusti quandiu in hac carne corruptibili mortaliter viuût, aurum quippe esse possunt, obrizum omnino esse nô possunt, quia *Corpus quod corrum-* Sap. 9. 15.
pitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ea magna iustitiæ claritate resplendeant, nequaquam ad purum, peccatorum sordibus carent, Ioanne Apostolo attestante, qui ait. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus,*
& veritas in nobis non est. Sed quia pro hac sapientia nullus 1. Ioan. 1. 8.
Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorium hominum sæpius apparuisse didicimus, Angelis, poneret, dictum est. *Non* H
dabitur obrizum pro ea. Seq.

Nec appendetur argentum in commutatione eius. Quia enim 16.
argento sæpe eloquia diuina signantur, possunt argêti vocabulo etiam eiusdem eloquij scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata iudicare potuit, non auferre, nec quisquâ veterum Patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor extitit. *Argentum ergo in commutatione* huius sapientiæ *non appenditur*, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione vnigeniti filij nullius meriti fuisse pensatur. Sequitur.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus. Quid enim per Indiam, 17.
quæ nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur? Tincti autem colores sunt Indiæ, huius mundi sapientes, qui quamuis per infidelitatem & plerumque per actionem fœdi sint, ante humanos tamen oculos superductæ honestatis colore fuscantur. Sed coæterna Dei Sapientia

A tincti Indiæ coloribus non confertur, quia quisquis hanc veraciter intelligit, ab his omnibus quos mundus sapientes coluit, quam longe distet, agnoscit. Sequitur. *Nec lapidi Sardonico pretiosissimo vel sapphiro.* Sardonicus quippe terræ rubræ similitudinem tenet, sapphirus vero aeream habet speciem. Possunt ergo in Sardonico, per terram rubram, homines; in sapphiro autem per aëream visionem Angeli designari. Nam cum terræ rubræ speciem lapis Sardonicus habeat, non immerito hominem significat, quia & Adam qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra nominatur. Quid est ergo quod dicitur, quia hæc Sapientia lapidi Sardonico vel sapphiro non confertur, nisi quod ia
1.Cor.1.24. 1.Tim.2.5. qui est *Dei virtus & Dei sapientia, mediator* scilicet *Dei & hominum homo Christus Iesus*, tanta magnitudine excellat omnia, vt ei nec in terra primi homines, nec in cœlo Angeli comparentur? Vnde & per Psalmistam dicitur.
Psal.88.7. *Quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Possunt autem per Sardonicum lapidem patres Testamenti veteris, per Saphirum vero prædicatores exprimi Testa-
B menti noui. Ac si patenter insinuat dicens. Et qui homo inter homines cernitur, nec antiquis quisquam, nec in nouis patrib. æquatur, quia ea deitate habet, quod in humanitate quemquam similem non habet. Seq.

*17. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Auri namque metallum omnibus potiori metallis omnibus claritate fulget: vitri vero natura est, vt extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & claritate fulgent, & puritate translucent: quam Ioannes in Apocalypsi conspexerat cum dicebat.
Apoc.21.18. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa vero ciuitas ex auro mundo, simili vitro mundo.* Sequitur.

18. *Nec commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa & eminentia.* Excelsum quippe vas auri Helias extitit, excelsum vas auri Hieremias, excelsa atque eminentia auri vasa priores Patres fuerunt. Sed hæc Dei Sapientia vt à carnali nos conuersatione redimeret, apparuit in carne, & qui illam veraciter
C non agnouit, mediatorem Dei & hominum Christum Iesum esse vnum ex prophetis putauit. Ecclesia vero pro hac sapientia vasa auri excelsa & eminentia non commutauit, quia Christum Dei Filium non vnum esse Prophetarum, sed vnum prophetatum Dominum credidit. Sequitur. *Nec commemorabuntur comparatione eius.* Omnes enim supernæ patriæ electi sancti quidem & iusti sunt, sed participatione sapientiæ, non cōparatione. Quid enim sunt homines Deo comparati? Lumen autem sapientia, lumē & serui sapientiæ vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen il-
Ioan.1.9. luminatum, sicut scriptum est. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Istis autem tan-
Matt.5.14. tummodo dicitur. *Vos estis lux mundi.* Sequitur. *Trahitur sapientia de occultis.* De occulta sapientia trahitur, quia cum sit inuisibilis, non nisi inuisibiliter inuenitur, quæ recte quoque trahi dicitur, quia sicut flatum trahimus vt corpus viuat, sic ab intimis sapientiæ spiritus docitur, vt ad vitam a-
Psal.118.131. nima subsistat. Vnde Psalmista ait. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Sequitur.

Non adæquabitur ei topazium Aethiopiæ. Quid Æthiopia nisi præsentem mundum accipimus? quæ coloris nigredine designat peccatorem pollutum fœditate meritorum. Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet, in infidelitatis prius nigra peccatis, quam veniente Domino Abacuc Propheta vidit timore perterritam & ait. Tabernacula Æthiopum expauescent, tabernacula terræ Madian. Topazion vero pretiosus lapis est, & quia Græca lingua Pan omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, Topazion quasi Thonpazion vocatur. Dum vero in Deū conuersa Gentilitas credidit, ex ea multi sunt ita dono spiritus locupletati, vt quasi multis coloribus, sic multis in aliis virtutibus luceant. Ac si ergo eis diceretur. Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari non potest de quo dictum est. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Seq. *Nec tincturæ mundissimæ cōponentur.* Tincturæ enim mundissimæ vocantur hi qui veraciter sunt humiles,

E & veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ex semetipsa virtutum speciem nō habent, sed hanc ex dono gratiæ superuenientis tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent; sed mundissimæ tincturæ sunt, quia humiliter custodiunt superuenientem in se virtutum gratiā quam acceperunt. Pensandum magnopere est, q à sancto viro requiritur vnde sapientia veniat. Ab eo etenim venit à quo orta est. Sed quia ab inuisibili & coæterno patre nascitur, eius via occulta est. Vnde & per Prophetam dicitur,
Generationem illius quis enarrabit? Locus vero intelligentiæ eius est humana mens, quam hęc Dei sapientia dum repleuit, sanctam facit. Quia ergo & inuisibilis est de quo prodijt, & incertum nobis est in cuius mente intellecta requiescat, recte nunc dicitur. *Vnde ergo sapientia veniet, vel quis est locus intelligentiæ?* Sed hoc valde mirum est quod protinus subinfertur. Esa.53.8.

20. *Absconditia ab oculis omnium viuentium.* Sapientia quippe quæ Deus est, si omnium viuentium oculis esset occulta, hanc proculdubio sanctorum nemo vidisset. Sed & huic
F sententię Ioannem audio concordantem, qui ait. *Deum nemo vidit vnquam.* Sed iuxta beati Iob sententiam, sapientia quæ Deus est, *abscondita est ab oculis omnium viuentium*: quia in hac mortali carne cōsistentibus & videri potuit p quasdam circumscriptas imagines, & videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero à quibusdam potest in hac incorruptibili carne viuentibus, sed tamē inæstimabili virtute crescentibus quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri. Hoc quoque à beato Iob sententia non abhorret, qui ait. *Abscondita est ab oculis omnium viuentium.* Quam quisquis sapiētiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iā eius amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter viuit. Hinc Moysi dicitur, *Non enim videbit me homo, & viuet.* Ioan.1.18. Exod.33.20.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

G

LIBER XIX.



21. Volucres quoque cæli latet. In scriptura sacra volucres aliquando in malo, aliquando vero in bono datur intelligi. Per volucres quippe nonnunquam potestates aeriæ designantur, bonorū studijs aduersæ. At contra in bono volucres poni solent. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptū homo misit in hortum suum & creuit, & factū est in arbore magna, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.* Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est. *Abscondita est ab oculis omnium viuentium*, recte subiungitur. *Volucres cæli quoque latet*, quia in hac corruptibili carne constituti naturæ eius potentiam ipsi quoq; viuendo non penetrant, qui iam per meritum sanctæ contemplationis volant, vbi apte subiungitur. Luc.13.19.

H
22. *Perditio & mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam eius.* Quid perditionis & mortis nomine, nisi maligni spiritus designantur, qui inuentores mortis & perditionis extiterunt? Videre quippe perfecte coæternam Dei sapientiam, hoc est quod habere. Ideo iniqui spiritus hanc sapientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequaquam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe eius clauserunt oculos cordis, superfusis eius radijs repugnantes. Famem ergo sapientiæ malignis spiritibus audisse est, sed eandem sapientiam non vidisse, & eius potentiam ex virtute illius cognouisse, & tamen sub ea humiliter stare noluisse. Hinc Veritas ait. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Sequitur. Ioan.8.44.

23. *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* Locus sapientiæ pater est. Locus sapientiæ sicut ipsa Sapientia attestante dicitur. *Ego in patre, & pater in me.* Aliter ergo sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanitatis transitum, locum vero per statum diuinitatis. Ac si aperte diceretur. Humanæ cogitationi occulta sunt, Io.14.10 11.

A vel quandu per carnem ad homines Sapientia veniat, vel
quomodo apud patrem inuisibilis etiam cum foris appa-
ruerit persistat. Quamuis hoc intelligi & aliter potest. Nam
via eius non inconuenienter accipitur hoc ipsum quod
venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus ve-
Ioan. 1. 23. ro eius fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quoq;
via illius dicitur. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domi-
ni.* Et quia hominibus incertum est, vel in cuius corde ve-
niat, vel in quo postquam venerit, permanẽdo requiescat,
recte nunc dicitur. *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum
illius.* Quia solius diuinæ visionis est cernere, vel quibus
modis intellectus sapientiæ quem perceperit mortiferis
cogitationibus non admittat. Sequitur.

24. *Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, re-
spicit.* Respicere quippe Dei est ea quæ amissa ac perdita
fuerant, ad suam gratiam reformare. Vnde scriptum est.
Prou. 20. 8. *Rex qui sedet in solio iudicij sui, dissipat omne malum in intuitu suo.*
Sequitur.

25. *Qui fecit ventis pondus.* Velocitate enim ac subtilitate ven-
B torum in scriptura sacra solent animæ designari, sicut per
Psal. 17. 12. Psalmistam de Deo dicitur. *Qui ambulat super pennas vento-
rum,* id est qui transgreditur virtutes animarum. *Fecit ergo
ventis pondus,* quia dum superna sapientia replet animas, eas
maturitate induta graues reddet, non illa grauitate qua di-
Psal. 4. 3. citur. *Filij hominum vsquequo graues corde?* Aliud namque est
grauem esse per consilium, aliud per peccatum, aliud gra-
uem esse per cõstantiam, aliud per culpam. Vel certe ven-
tis pondus facere est, concessam hic electis de virtutibus
gloriam permixta infirmitate temperare. Sequitur. *Et aquas
appendit mensura.* Aquæ in scriptura sacra aliquando san-
Ioan. 7. 38. ctum Spiritum significant, vt illud. *Qui credit in me, sicut di-
cit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Aliquando
Eccles. 15. 7. scientiam prauam, aliquando scientiam sacram, velut; *A-
Prou. 9. 17. qua sapientiæ salutaris potauit eos.* Prauam, vt illud Salomo-
nis. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Aliquando tribulationem,
Psal. 68. vt illud. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ ad ani-
Apoc. 17. 15. mam meam.* Aliquando defluentes populus, vt illud Apo-
Esa. 32. 20. calypsis. *Aquæ vero sunt populi.* Aliquando mentes fidem se-
C quentium designari solent, sicut Propheta ait. *Beati qui se-
minatis super omnes aquas.* Hoc igitur in loco quid aquarum
nomine, nisi electorum corda signantur, quæ per intelle-
ctum sapientiæ auditum iam supernæ vocis acceperunt?
De quibus recte dicitur. *Et aquas appendit mensura.* quia san-
cti ipsi, qui subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quam-
diu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibus-
dam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum
proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur
superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum.
Sequitur.

26. *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.*
27. *Tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit.* So-
Deut. 32. 2. lent per pluuias prædicantium dicta signari. Vnde per
Moysem dicitur. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Quo-
rum videlicet verba cum blande persuadent, pluuiæ sunt;
cum vero terribilia de venturo iudicio intonant, procellæ.
Et notandum quod pluuijs lex ponitur, vt via procellis
sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatoribus
D posita, vt viuendo impleant, quod loquendo suadere fe-
stinant. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox
opere non adiuuatur. *Viam autem procellis sonantibus* posuit,
cum prædicatoribus sanctis suis ad corda hominum terro-
re venturi iudicij perculsa aditum fecit. Vsitata quippe sa-
cri eloquij locutione videre Dei dicitur videre nos facere,
Gen. 22. 12. sicut iusto viro Dominus dicit, *Nunc cognoui quod timeas Deũ.*
Et Israëlitæ præmonentur. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt
Deut. 13. 3. sciat si diligitis eum,* id est vt scire vos faciat. Tunc ergo cum
legem pluuijs poneret, hoc est mandatum custodiæ prædi-
catoribus daret, hanc incarnatam sapientiam videri & e-
narrari à prædicatoribus, præparari & inuestigari ab audi-
toribus fecit. Sibi quippe illam præparat, quisquis illam
bene viuendo in viam iudicij propitiam parat. Et notan-
dum quæ de ea quatuor dicta sint. Ait enim *vidit, enarrauit,
præparauit & inuestigauit.* Vidit namque, quia species est; e-
narrauit, quia verbum; præparauit, quia remedium; inue-
stigauit, quia occultum. Sequitur.

*Et dixit homini. Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recede- E
re à malo intelligentia.* Ac si aperte diceretur. Ad temetipsum 28.
homo reuertere, cordis tui secreta perscruta. Si Deum ti-
mere deprehendis, profecto constat quia hac sapiẽtia ple-
nus es, quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se,
iam cognoscis interim quid sit in te. Hinc scriptum est. *Ini-
tium sapientiæ timor Domini.* Sed quia ille veraciter vim diui- Psal. 110. 10.
ni timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custo-
dit, recte subditur. *Et recedere à malo intelligentia.* Sequi-
tur.

Addidit quoque Iob assumens parabolam suam. Quia enim CAP.
parabula similitudo nominatur, aperte constat quod per XXIX.
exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad 1.
loquendum parabolam assumpsisse memoratur. Cum et-
enim sua narrat, quæque sunt sanctæ Ecclesiæ ventura de-
nuntiat, & per hoc quod ille patitur, indicat ipse quid illa
patiatur. Sed electi omnes qui in fine mundi temporibus
Antichristi fuerint in illa tribulatione comprehensi, remi-
niscuntur horum temporum in quibus nunc Ecclesia fidei
pacem tenet, & superba hæreticorum colla comprimit, F
non potentatu culminis, sed iugo rationis, & per vocem
beati Iob dicit.

Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos? Quia enim 2.
statutus numerus dierum vocantur menses, quid nomine
signat mensium nisi collectiones animarum? Dies quippe
dum colliguntur, in mensibus subtrahuntur. Quia & in
hoc tempore sancta Ecclesia dum veritatis luce resplen-
dentis animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando
etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut Propheta ait.
Erit mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requiem, quib. Esa. 66. 23.
nunc perfectio fuerit in operatione. Reminiscatur ergo
perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta præ-
dicationis suæ collectis animabus reportabat lucra, & an-
gustata tribulationibus dicat. *Quis mihi tribuat vt sim iuxta
menses pristinos?* Sequitur.

*Secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat 3.
lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in te-
nebris.* Tunc quippe videt ex se persecutione cogente infir-
morum tumultus cadere, quos nunc vt mater intra pacis G
sinum paruulos fouet, & in tranquillas fidei cunas conti-
net, qui admixti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriun-
tur. Tunc se in illis æstimat cadere quæ se nunc in ixtis re-
spicit custodiri, lucernæ enim signatur nomine sacræ lumẽ
scripturæ. Hinc Psalmista ait. *Lucerna pedibus meis verbum Psa. 118. 105.
tuum Domine.* Quia autem principale nostrum, appellatio-
ne capitis mens vocatur, per Psalmistã dicitur. *Impinguasti Psal. 22. 5.
in oleo caput meum.* Ac si aperte dicat. Charitatis pinguedi-
ne repleſti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput
Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras mentis no-
stræ irradiant, vt in hoc caliginoso vitæ præsentis loco dum
verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videa-
mus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta
vniuersalis Ecclesia etsi alienas occultas cogitationes non
penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit
tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locu-
tionis. Sequitur.

*Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in 4.
tabernaculo meo.* Sicut vniuscuiusque hominis, sic sanctæ Cant. 8. 8.
Ecclesiæ ætas describitur. Paruula tunc quippe erat, cum H
nondum valuit recens verbum vitæ prædicare non poterat.
Hinc enim de illa dicitur. *Soror nostra paruula est, & vbera
non habet.* Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei ver-
bo copulata, sancto repleta Spiritu per prædicationis my-
sterium in filiorum conceptione fœtatur, quos exhortan-
do parturit, conuertendo parit. De eius hac ætate Domi-
no dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Tunc ergo cum in die- Cant. 1. 3.
bus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per præ-
dicationem filios parere non valet, reminiscitur fœcundi-
tatis antiquæ. Quid hoc loco tabernaculum, nisi habita-
tionem mentis accipimus? quia per omne quod cogitan-
do agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quis-
quis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto Deus il-
li in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante
Dei esse oculos viderat, qui dicebat. *Et meditatio cordis mei
in conspectu tuo semper.* Sancta itaque Ecclesia in magnis Psal. 18. 15.

A quia æternas Domini retributiones narrat, quasi viri
sui bona ad memoriam reuocat. Cui quia spiritaliter a-
nima iuncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctæ Ec-
clesiæ vocibus ex eius resurrectione resonetur. Sequi-
tur.

14. *Iustitia indutus sum, & vestiuit me sicut vestimento.* Vestimen-
to vtique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille
ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndiq; bono
opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nu-
dam relinquit. Nam qui in alijs actionib⁹ iustus est, in alijs
iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit. Sequi-
tur. *Et diademate iudicio meo.* Iustorum iudicia recte diade-
mati comparantur, quia per magni operis gloriam ad re-
tributionis ducunt coronam. Quę nimirum iudicia secum
quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo de-
beant solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehe-
menter accendunt, & de perpetratis malis districte redar-
guunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur. *Cogi-*
B *tationes iustorum iudicia.* Sequitur.

15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam*
16. *quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Inter hæc Lectoris
animus forsitan quærat, cur B. Iob suas tam subtiliter vir-
tutes enumerat. Sanctorum quippe virorum est bona quæ
fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis in-
currere. Sed sancti viri cum coguntur bona narrare quæ
faciunt, non elationi seruiunt, sed vtilitati. Vnde beatus
Iob amicis suis se iniuste increpantibus, atque idcirco ne-
scientibus bona sua loquendo aperit, vt nimirum disce-
rent non contra eius vitam increpantes erigi, sed hanc
tacentes imitari. Intuendum nobis prius est, quam re-
ctus narrandi ordo seruetur, vt ante iustitiæ, & post
misericordiæ opera describantur. Ille quippe bene agit
quæ pia sunt, qui scit prius seruare quæ iusta, vt collatus
in proximis riuus misericordiæ de iustitiæ fonte ducatur.
Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impen-
dunt, sed iniustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter
proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis de-
C buerant prius iuste viuendo misereri. Vnde scriptum est.
Eccl. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quæ videlicet verba si ad
vocem sanctæ Ecclesiæ typica interpretatione referamus,
ipsa est *oculus cæco*, quia per verbum lucet, ipsa est *pes claudo*,
quia per adiutorium continet. Cæcos enim prædicando
illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Cæcus
quippe est qui adhuc quo pergat, non videt. Claudus au-
tem est, qui non potest ire quo videt. Sed quia sancta
Ecclesia duos in se populos colligit, Iudaicum scilicet at-
que Gentilem, recte etiam potest cæco Gentilis, claudo
autem Iudaicus populus designari. Gentilis quippe quasi
oculos non habuit, quia non accepta lege non vidit quo
ire debuisset. At contra Iudaicus habens oculos claudus
fuit, quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum
recti operis non tetendit. Quem cum ad se venientem
sancta Ecclesia suscipit, quia ei iam vetus tenenti etiam
nouum testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius
quasi alterum pedem iungit. Qui fidelis sanctæ Ecclesiæ
Matt. 5. 3. populus adhuc recte subiungit. *Pater eram pauperum.* Quia
D videlicet humiles, qui *pauperes spiritu* dicti sunt, ex eius
prædicatione generantur. Sed plerumque multa homi-
nes pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes
diligunt, sed quia si minime tribuant, iram iudicis superni
formidant. Quia igitur aliud est bonum opus ex præce-
pto, aliud vero etiam ex affectu facere, sanctus vir non se
patronum vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed
patrem fuisse testatur. Quia nimirum magnum charitatis
officium misericordiæ vertit in affectum naturæ, vt eos
quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præ-
erat per protectionem. Sequitur. *Et causam quam vsque in-*
uestigabam. Strenuus quippe erat in negotijs pauperum.
Qui enim æternæ retributionis bona cogitat, necesse est
vt ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat.
Eccl. 7. 29. Hinc enim per Salomonem dicitur. *Qui Deum timet nihil*
negligit. Qua in re notandum video ne ad proferendam
sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere
indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos mo-
ueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod
profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri sub- E
tilius facta pensemus. Ipse quippe vt nos à præcipitata sen-
tentiæ prolatione compesceret, cum *omnia nuda & aperta* Heb. 4. 13.
sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare,
qui ait. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus* Gen. 18. 20. 21.
est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & vide-
bo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est
ita, vt sciam. Quæ scilicet verba etiam per vocem Ecclesiæ
ad interpretationem typicam possumus non inconueni-
enter referre. Ipsa quippe electos suos, cum mala carna-
lium iudicat, hoc quod nescit inuestigat, quia mala quæ
nescit operando, inuestigat per iudicium corrigendo.
Sequitur.

Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. 17.
F Totiens quippe ex iniqui dentibus Ecclesia prædam tulit,
quotiens ex erroris morsu animam prædicando diripuit.
Quis namque iniquus verius dici potest, quam Diabolus?
Cuius molas conterimus, quotiens defendendo contra eius
insidias occulta illius machinamenta monstramus, ac de
eius dentibus prædam tollimus, quia mentem quā iam ad
peccandum frangendo momorderat, ad salutem vitę con-
uertendo reuocamus. Per molas quippe occultæ eius insi-
diæ, per dentes vero apertę iam culpę perpetratio demon-
stratur. De quibus inimicorum molis ac dentibus per Psal-
mistam scriptum est. *Deus vero cōteret dentes eorum in ore ipso-* Psal. 57. 7.
rum, molas leonum confringet Dominus. Sed prius necesse est
occulta consiliorum illius machinamenta prodere, vt au-
ditoris nostri animum valeamus postmodum ab aperto
lapsu reuocare. Contra hunc leonem sancta Ecclesia, quia
eius insidias cōspicit, fidei caulas munit, cuius totiens mo-
las frangit, quotiens hæreticorum argumenta destruit: to-
tiensque ab eius dentibus prædam diripit, quotiens ab er-
rore quempiam prædicando conuertit. Sequitur.

Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo 18.
dies. Quid hoc loco per nidi nomē exprimitur? Multitudo
quippe illa bonorum quæ persecutionum temporib⁹ fue-
rit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in ni-
do, sic in loco quietis explere credidit. Hinc scriptum est. G
Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum. Palma enim Psal. 83. 4.
tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. Cū multis aūt
difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, & pro
collectione plurimorum in eiusdem fidei gloria diutius
stare cōcupiscit. Sicut palma ergo multiplicare se dies cre-
didit, quæ emergente subitæ tentationis articulo, pacis suę
gratiam & tarde fidelibus adeptam, & citius ab infidelibus
interceptam dolet. Nec immerito iustorū vita palmæ cō-
paratur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & qua-
si aridis corticibus obuoluta, superius vero & visu & fructi-
bus pulchra. Inferius corticum suarū inuolutionibus an-
gustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis ex-
panditur. Sic quippe est electorum vita despecta inferius,
superi⁹ pulchra. In ima ista quasi multis corticibus obuol-
uitur, dum multis tribulationibus angustatur; in summa
vero illa quasi pulchrę viriditatis folijs, amplitudine retri-
butionis expanditur, in hoc autem quod palma minoris
amplitudinis ab imis inchoat, & iuxta ramos ac ramos
ampliori robore essurgit, designatur proficiens vita iusto- H
rum, qui nequaquam sunt in terrenis studijs fortes & in
cælestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos
se exhibent Deo, quam seculo fuisse meminerunt, &
si tepidus prima inchoat, feruentius extrema consumit:
videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infati-
gabilis in nouitate perdurat. Hanc scilicet iustorum con-
stantiam Propheta intuens ait. *Qui confidunt in Domi-* Esa. 40. 31.
no, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, cur-
rent, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient. Se-
quitur.

Radix mea aperta est secus aquas. Iuxta aquas etenim ra- 19.
dix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluenta læ-
tanter cogitatio mentis expanditur. Quæ scilicet verba
si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducimus, radix illius i-
psa debet Incarnatio Redemptoris intelligi, quæ iuxta
aquas aperta est, dum Deus inuisibilis per assumptionem
humanitatis suæ paruit aspectibus visionis nostræ. Hinc
scriptum est. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est se-* Psal. 1. 3.

A quæ de sanctæ Ecclesiæ capite diximus, nihil obstat si ad vocem quoque ipsius Ecclesiæ referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi Rex præsidet, quem fidelium suorum turba circumstat, quæ scilicet multitudo fidelium, recte quoque exercitus dicitur, quia in procinctu bonorum operum indesinenter quotidie contra tentationum bella præparatur. Corda quoque mœrentium sancta Ecclesia consolatur, dum præsentis peregrinationis ærumna afflictas mentes electorum pensat, & has æternæ patriæ promissione lætificat. Sciendum nobis est quod valde ædificare lectorem etiam iuxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mixta sit, & regendi auctoritas, & benignitas consolandi. Ait enim. *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu.* Ecce auctoritas regiminis. *Eram tamen mœrentium consolator.* Ecce ministerium pietatis. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iuste consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina. Sequitur.

B

CAP. XXX.

Nunc autem derident me iuniores tempore. Omnes hæretici vniuersali Ecclesiæ comparati, iuniores tempore congrue

1. vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab il-

1. Ioan. 2. 19 lis. Vnde recte quoque per Ioannem dicitur. *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Iuniores ergo sanctam Ecclesiam irrident, cum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinam eius despiciunt. De quibus adhuc subditur. *Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium? vel qui alij huius gregis canes vocantur, nisi doctores sancti, qui eorundem fidelium custodes exstiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigilijs inimicis clamauerunt, magnos, vt ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eidem Ec-

Psal. 67. 24. clesiæ per Psalmistam dicitur. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Patres vero hæreticorum dicimus, eos videlicet quos Hæresiarchas vocamus, de quorum peruersa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi

C in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum canibus gregis sui hæreticorum patres ponere dedignatur, quia inuentores errorum diiudicando respuit, eosque inter veros patres numerare contemnit. Sequitur.

2. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.* Virtus quippe in manu est, magnitudo in operatione: sed virtus manuum hæreticorum à sancta Ecclesia pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quicquid operantur. Charitatem quippe Dei & proximi deserunt, qui & de Deo falsa sentiunt, & proximis iurgando diuiduntur. Nonnunquam vero hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed quia ad eadem signa, quæ exhibent, nulla humilitate concordant, recte subditur. *Et vita ipsa putabantur indigni.* Vel certe omnes hæreticos sancta Ecclesia vita ipsa fatetur indignos, quia nimirum sub nomine Christi militant contra nomen CHRISTI, de quibus adhuc subditur.

3. D *Egestate & fame steriles.* Omnes hæretici dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari quam capiunt, fame sua steriles fiunt, neque ea quærunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam seruent, longanimitatem exhibeant, sed ea solummodo quæ eos doctos ac loquaces demonstrent; illa scire appetunt, ea quibus singulariter eruditi vi-

Rom. 12. 3. deantur. Quam bene eorum audaciam Prædicator egregius refrenat dicens. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Sequitur.

4. *Qui rodebant in solitudine squallentes calamitate & miseria, & mandebant herbas & arborum cortices.* Rodi solet, quod comedi non potest. Hæretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt, quam dum non intelligunt quasi non edunt; & quia per supernam gratiam non adiuti hanc edere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt, & qui ab vniuersalis Ecclesiæ societate disiuncti sunt, non quolibet loco rodere, sed *in solitudine* memorantur. Qui recte perhibentur *calamitate & miseria* squalidi, quia & morum sunt pernicie & sensus prauitate despecti. Qui her- E bas quoque & cortices arborum mandunt, quia elationis suæ obice repulsi, in sacro eloquio magna & intima percipere nequeunt, sed vix in illa quædam tenera & exteriora cognoscunt. Per herbas quippe, dicta planiora, per arborum cortices, patrum eloquia exteriora signantur. Vel certe herbas mandere est, de Scriptura sacra minima præcepta seruare, maiora contemnere. Quos bene Veritas in-

Matt. 23. 23 crepat dicens. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis.* Qui arborum cortices mandunt, quia sunt nonnulli qui in sacris voluminibus solam literæ superficiem venerantur, nec quicquam de spiritali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod

Rom. 16. 18. exterius audierint, esse suspicantur. Hinc Paulus ait. *Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri.* Aliter. Quid aliud hoc in loco solitudo, quam boni destitutio demonstratur? Vnde & sub Iudææ typo Hieremias pec- F

Thren. 1. 1. catoris animam deplorat, dicens. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Sed cum per beatum Iob de prauis dicitur,

Psal. 71. 9. *rodebant in solitudine,* libet intueri, hoc etiam quod per Psalmistam dictum est. *Inimici eius terram lingent.* Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ seruientium, vnum videlicet quod semper ad auaritiam blandimentis vtitur linguæ, aliud vero quod aperta vi tantum intendit rapinæ. Omnes igitur qui aliena appetunt, sed ea quæ appetunt rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus, & quasi mollicie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingunt? Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, & concupiscentes aliena, blandire quidem ea fraude despiciunt, quia etiam iniusto robore possunt implere quod volunt, hoc quod appetunt non lambunt, sed rodunt. De his quippe ac si dicat Ecclesia, aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi priua ipsi in interioribus suis, soli ac vacui à virtutum cultura remanerent. Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis

G lapsa in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus nil in hac vita nisi vnde affligeretur inuenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit deseruimus, mentisque curam negligimus, & miseriæ negligentiam, infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitatis igitur causam in vsum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare? Quid enim per herbas, nisi tenera, ac terræ proxima bene inchoantium vita? Et quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorum, qui iam sublimia appetunt, designantur? Praui namque cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cum vero iam quosdam pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, à quibusdam illos suis operibus diuertunt. Herbas itaque eis, & arborum cortices mandere est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam iam more arborum ad superiora tendentium persuasionibus pestiferis, quasi quibusdam malitiæ

H suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Vel certe herbas mandere est, leuia quædam ac tenera de antiquis Patribus imitari. Arborum vero cortices edere est, eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sequitur. *Et radix iuniperorum erat cibus eorum.* Arbor namque iuniperi pro folijs punctiones habet, sic quippe sunt hirsuta quæ profert, vt spinis similia contrectatorem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Vnde iusti

Psal. 31. 4. voce & pœnitentis dicitur. *Conuersus sum in ærumna mea dum confringitur spina.* Quid vero per radicem iuniperi, nisi auaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinæ

1. Tim. 6. 10. producuntur? De qua & per Paulum dicitur. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Quia igitur plerumque hæretici sola instruunt, sed erroris prædicamenta non deferunt, dum sumptus percipere quasi doctores volunt, bene de eis sancti viri nunc voce dicitur. *Et radix iuniperorum erat ci-*

bus eorum. Quia dum totis mentis suæ sensibus auaritiam cogitant, quasi eo alimento vescuntur, de quo nasci proculdubio peccatorum sequentium punctiones solent. Aliter. Qui enim non frugem diuini eloquij concupiscunt, sed ad rerum temporalium ambitum seruiunt, nequaquam pane tritici, sed radice iuniperi satiantur. Contemnentes namque Deum hic minime sentiunt, quantum sit mali quod agunt. Adhuc enim iuniperi radicem comedunt, sed huius radicis quam sint rami aspeti non attendunt. Quia nimirum praua actio modo quasi ex radice delectat in culpa, sed postmodum quasi ea ramis pungit in pœna. Sequitur.

5. *Qui de conuallibus ista rapientes, cum singula reperissent, cum clamore currebant.* De conuallibus illa rapiunt, quia hæc de humilibus dictis Patrum superbo spiritu colligunt, quæ dum pro suis se partibus inuenisse gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt. Quia videlicet omne quod sentiunt, appetitæ laudis ad aures hominum diffamare conantur. Aliter. In comparatione videlic. supernorum omnis præsens vita conuallis est, hirsutem, quia sublimia montium, id est, fortia acta sanctorum contemplari nesciunt, sed per oblectationem in infimis quasi in conuallibus conuersantur, & dum quodlibet lucrum vel parui stipendij inueniunt, cum clamore currunt, quia huc abstrahere etiam iurgando moliuntur. In conualle enim repertis singulis cum clamore currere est, subortis causarum occasionibus etiam pro parua stipe litigare. Possunt quoque per herbas, atque arborum cortices non solum vt prædictum est, bonorum opera, sed in hac vita consolationes ac prosperitates intelligi. Sæpe enim omnipotens Deus electos cum donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus sublevat, cumque eos præferendo cæteros honorabiles reddit, latius imitabiles ostendit. Et nonnunquam praui quidam eorum vitam despiciunt, sed fœlicitatem in hoc mundo assequi concupiscunt. Qui igitur hic blandimenta transitoriæ quærunt consolationis, herbas comedunt, quia in cogitationibus suis exteriorem eorum gloriam meditantur, arborum cortices mandunt: & quoniam in his omnibus soli auaritiæ tota intentione deseruiunt, radice iuniperi replentur. Quæ cuncta de conuallibus rapiunt, quia ex amore huius infimæ & corruptibilis vitæ immensis cupiditatibus inardescunt, & cum singula reperiunt ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet sanctorum Patrum quorum merita adipisci non quærunt, loca atq; regimina apprehendere satagunt, & cum tranquilla nequeunt, hæc plerumque assequi, etiam disrupta concordiæ pace moliuntur. Sequitur.

6. *In desertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel super glaream.* Iure igitur inuentores peruersorum dogmatum torrentes vocantur, quia à calore charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt, qui non perpetua plenitudine profluunt, sed Catholicorum allegationibus quasi æstibus solis exsiccantur. Et quidem inuentores peruersorum dogmatum contra sanctam Ecclesiam exorti feruore iam veritatis extincti sunt, sed tamen eorum discipuli ea quæ illi docuerunt tenere ac defendere non desistunt. Hi ergo qui illorum sequuntur errores *in desertis torrentium* habitant, id est, in eorum prædicatione confidunt, quorum eloquia Catholicorum iam responsione & ratiocinatione siccata sunt. Quid vero aliud cauernas terræ, quam occultas hæreticorum prædicationes accipimus? Sic enim inter se hæretici clandestinis conuenticulis coëunt, vt errori suo reuerentiam quam ex ratione non valent, præbeant ex occultatione. Glaream quippe illos minutissimos dicimus lapides, quos aqua fluuialis trahit. Doctores igitur peruersorum dogmatum super glaream habitant, quia illas hominum mentes attrahunt, quæ nulla grauitatis stabilitate solidantur, quas velut de loco semper ad locum flumina errorum ducunt. Vnde & prædicator egregius cum auditores suos non temporaliter duci, sed forti cuperet grauitate solidari, admonuit dicens, *Vt iam non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* (Ephes. 4.14.) Aliter. In bona etenim parte recte torrentes sanctos prædicatores accipimus, qui dum in præsenti vita diuinis nobis eloquijs influunt, aquarum multitudine quasi in hyeme colliguntur. Qui & æstiuo sole adueniente se subtrahunt, quia cum æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Horum torrentia deserta sunt vitæ temporalis commoda. Ea namque deserunt, & ad loca se cœlestis adipiscenda conuertunt. Cuncta autem hæc torrens ille reliquerat, qui dicebat. *Propter quæ omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* (Philip. 3.8.) Sed quia prauorum mentes, ea in hac vita adipisci appetunt, quæ despicientes iusti derelinquunt, *in desertis torrentium* habitare referuntur: illa enim quæ sanctis indigna sunt, ipsi percipere pro magno concupiscunt. Cauernæ autem terræ sunt cogitationes prauæ, in quibus se ab humanis oculis abscondunt. Praui quippe vt sunt, ab hominibus videri refugiunt. Glarea namque est vita præsens, quæ indesinenter ad terminum suum ipso defectu mutabilitatis quasi impulsu fluminis ducitur. Super glaream itaque habitare est, fluxui vitæ præsentis inhærere, & ibi intentionem ponere, vbi gressum nequeat fixe stando solidare. Est aliud in glarea quod nequaquam debeat tacendo præteriri. Quia cum pes in eius superficie ponitur, ipsa eius volubilitate labitur, atque ad ima deuoluitur. Cui videlicet rei in nullo discrepat vita prauorum, quia cum pro more mundi aliqua student licita atq; honesta agere, quasi planum in superficie pedem ponunt; sed repente pes ad ima labitur, quia eorum actio, dum plura semper appetit, vsque ad iniqua & illicita descendunt. Sequitur.

7. *Qui inter huiuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delitias computabant.* Quid nomine sentium, nisi eas quas supra diximus, punctiones intelligimus peccatorum? Quia autem peruersæ mentes gaudent iniquitatibus quas flere debuerunt, omnes hæretici tanto se inani lætitia extollunt, quanto magis ad peiora conualescunt, & quasi esse sub sentibus delitias deputant, quia inde peruersam ad gaudium subleuant, vnde spinas peccatorum portant. Aliter. Inter huiuscemodi impij lætantur, quia nimirum attendunt transitoria quæ percipiunt, & intueri negligunt permanentia quæ perdunt, cumque amore temporalium flagrant, veram lætitiam vulenter ignorant. Lætantur itaque, sed *sub sentibus*, quia rebus quidem temporalibus gaudent, sed tamen dum dispensare sine tribulatione eadem temporalia non valent, ea cura punguntur miseri, qua premuntur. Manent *sub sentibus*, & hoc ipsum *delitias* æstimant, qui & dura quidem ea præsentis vitæ amore tulerant, & tamen effectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putant. Sequitur.

8. *Filij stultorum & ignobilium.* Eorum videlicet filij qui fuerunt errorum magistri. Filij igitur dicuntur, non de eorum semine, sed de imitatione generati, qui docendo peruersa stulti fuerunt per ignorantiam, viuendo nequiter ignobiles per actionem, qui Redemptori nostro, nulla sapientia, nulla vitæ cognitione coniuncti sunt. De quo Salomonis voce in laude sanctæ Ecclesiæ dicitur. *Nobilis in portis vir eius.* (Prou. 31.23.) Hi itaque qui peruersa errantium exempla secuti sunt, filij stultorum & ignobilium esse memorantur. Recte subiungitur. *Et in terra penitus non parentes.* Quia dum hic videri aliquid appetunt, nimirum à terra viuentium extortes fiunt. Aliter. Sciendum nobis est quod alij intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti, sed tamen nobiles, alij vero sunt stulti & ignobiles. Stulti namque dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt, qui carnis prudentiam contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt, & ad nobilitatem internæ prolis virtute nouitate subleuantur. Qui stultam sapientiam mundi despiciunt, & sapientiam Dei stultitiam concupiscunt. Scriptum quippe est. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* (1. Cor 1.25.) Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet dicens. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* (1. Cor 3.18.) Hanc stultitiam qui perfecte secuti sunt, voce Sapientiæ audire meruerunt. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim tribus Israel.* (Matt. 19.28) Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. At contra sunt stulti & ignobiles, qui dum supernam sapientiam semetipsos sequantes fugiunt, in sua ignorantia quasi in abiectæ prolis vilitate sopiuntur. Stulti sunt ergo & ignobiles quos ab æterno hæreditatis

consortio

A Ioan. 8.34. consortio repellit serenitas mentis. Scriptum quippe est. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quorum dum pleri- que actus imitantur, filij stultorum & ignobilium fiunt, dumque & sensibus ac moribus sequuntur & stulti sunt, veram sapientiam non intelligunt, & ignobiles quia nulla spiritus libertate renouantur. Sicut enim plerique in terra sunt, & à cognitione hominum abiectione vilitatis suæ quasi quadam superductione velaminis absconduntur: ita nonnulli sunt in Ecclesia, qui dum abiectioni se prauorum operum insobdunt, diuino conspectui noti non sunt, qui- Luc. 13.27. bus & quandoq; dicendum est, *Discedite à me operarij iniqui- tatis, nescio vos.* Esse ergo in terra & parere est, in fide recta per virtutem operis nobilitatem mentis ostendere. Esse vero in terra, & penitus non apparere est, in Ecclesia qui- dem fide consistere, sed nihil dignum fide in opere de- monstrare. Sequitur.

9. *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis prouer- bium.* Quibos videlicet versibus, illud sanctæ Ecclesiæ tem- B pus exprimitur, quod publice à reprobis irridetur, quando iniquis crescentibus in opprobrium fides & veritas erit in crimine. Sancta itaq; electorum Ecclesia afflictionis tem- * efficitur. pore prouerbium prauis afficitur *, quia eum bonos mori per tormenta conspiciunt, ab eorum similitudinem maledi- ctionis sumunt. Sequitur.

10. *Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam con- spuere non verentur.* Longe à sancta Ecclesia fugiunt omnes iniqui, non passibus gressuum, sed qualitatibus morum: longe fugiunt, non loco, sed merito, dum crescente super- bia aperta etiam exprobratione contemnũt: faciem nam- que eius conspuere est, non tantum in absente bonis de- trahere, sed vnumquemq; iustum etiam in præsentia con- futare. Quos tunc praui dum aperte irridendo despiciunt, in eorum contumelijs fluxa verba quasi defluentes saliuas mittunt. Sequitur.

11. *Pharetram suam aperuit & afflixit me.* Quid per pharetram, nisi occultum consilium designatur? Sagittam vero de C pharetra Dominus eijcit, quãdo de occulto consilio aper- tam sententiam emittit. Quia enim flagellatur quisq; co- gnoscimus, sed qua ex causa flagellum veniat, ignoramus. Cum vero post flagella, vitæ correctio sequitur, etiam ipsa consilij virtus aperitur. Pharetra igitur clausa est consilium occultum, sed aperta pharetra affligimur, quando per id quod post flagellum sequitur, quo consilio flagellamur, videmus. Sancta igitur electorum Ecclesia aduersariorum voces insolentes sustinens, dum cernit quod eius prædica- tio non admittit, quorundam duritiem deserens, prædica- tionis suæ verba moderatur. Perpendens etenim persecu- tores suos ad exhortationis vocem deteriores existere, magis eligit tacere: cumque indignos qui audiant conspi- cit, prædicationem suam obducto silentio adstringit. Vn- de apte subiungitur. *Et frenum posuit in os meum.* Ac si aperte fateatur dicens. Quia in quibusdam profectum non vidi, prædicationis ab eis impetum temperaui, vt vitam meam saltem per patientiam discerent, cum verba mea admitte- re per oblatam prædicationem nollent. Sequitur.

D 12. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Ad sinistram quippe calamitates surgerent, si à quibuslibet ex- tra religionem positis, & aperte Christum negantibus per- secutionis aduersa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriũtur, quia hi qui sub Christi nomine militant, Christi in ea nomen impugnant. Ipso enim locutionis vsu, pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus, pro sinistro vero id quod de- Zach. 3.1. spicimus. Quod Zacharias aperte insinuat, dicens. *Et osten- dit mihi Dominum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Bene autem hæc ipsa dextra orientis vocatur. De ipso quippe eius capite scriptum est. Oriens est nomen eius. Nam quia ab oriente lux surgit, recte Oriens dicitur, cuius iustitiæ lumine nostræ iniustitiæ nox illustratur. Ad orientis er- go dexteram calamitates surgunt, quia hi quoque ad per- secutionem prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur. Quas videlicet calamitates rectè illico asserit surgere, quia non erant extranei qui perse-

E quuntur ab eis repente malum, & illico fiunt. Si vero dextra hi qui veraciter fideles sunt, appellantur, calamita- tes ad dexteram orientis surgunt, quia erumpente perse- cutionis articulo crudeles prauorum impetus iusti patiun- tur. Sequitur. *Pedes meos subuerterunt, & oppresserunt quasi flu- ctibus semitis suis.* Quid per pedes Ecclesiæ, nisi extrema illius membra signantur? quæ dum ad opera terrena deseruiunt, tanto celerius ab aduersarijs falli possunt, quanto subli- mia minus intelligunt. Hos itaque pedes aduersarij sub- uertunt, videlicet cum extrema membra illius ad sui do- gmatis errorem trahunt; quia scilicet vita prauorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendum, vt ita dixerim, mentem eorum quasi tempestas illabitur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur. *Quasi tempe-* Prou. 10.25. *stas transiens, non erit impius.* Sequitur.

13. *Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium.* Dicat hæc B. Iob de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis. Dicat vniuersa Ec- F clesia de prauis persequentibus, scilicet aduersarijs apertis. Ipsi quippe eius itinera dissipant, cum in quorundam in- firmorum mentibus veritatis vias callida persuasione per- turbant. Ipsi insidiantes præualent, cum eos quos aper- te ad malum trahere nequeunt, bona simulando per- uertunt. Sed mirum valde quod subijcit. *Non fuit qui* *ferret auxilium,* cum de diuino adiutorio Psalmista clamet. Psal. 9.10. *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione.* Qua itaque ratione nunc dicitur, *non fuit qui ferret auxilium,* nisi quia omnipo- tens Deus, eos quos in æternum diligit, aliquando ad tem- pus relinquit? Vnde scriptum est. *Ad punctum in modico* Esa. 54.7. *dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Sequi- tur.

14. *Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt.* Quid hoc loco muri nomine, nisi Redemptor humani generis appellatur? De quo pro san- ctæ Ecclesiæ ædificatione per Prophetam dicitur. *Ponetur* Esa. 26.1. *in ea murus & antemurale.* Sed quasi murus rumpitur, cum G prauorum persuasionibus fides, quæ in Redemptore no- stro est, in quorundam corde dissipatur. Cumq. peruersis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam ianua erro- ris aperitur? Quasi rupto ergo muro & aperta ianua super bonos mali irruunt, cum accepta temporaliter potestate peruersi ipsa quoque in quorundam corde destruere mu- nimina fidei conantur. De quibus aperte dicitur. *Et ad meas miserias deuoluti sunt.* Quia videlicet prius ad suas. Nisi enim peruerse viuendo ad suas miserias caderent, ne- quaquam ad eas postmodum & alios suaderent. Potest quoque intelligi muri nomine, munitio disciplinæ. Salo- mone attestante, qui ait. *Per agrum hominis pigri transiui, &* Prou. 24.30. *per vineam viri stulti, & ecce totam repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Quasi ergo hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum, vel prauorum hominum persuasione callida, disciplinæ munimina in corde dissipantur. Sequitur.

15. *Redactus sum in nihilum.* Apud æstimationem quippe ma- H lorum in nihilum redigimur, quando ea quæ ipsi quasi summa diligunt, bona temporalia non tenemus. Sequitur. *Abstulisti quasi ventus desiderium meum.* Fidelis quippe popu- lus se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Ventus ergo desiderium tollit, cum res quælibet transito- ria æternitatis appetitum destruit, vbi adhuc congrue sub- infertur. *Et velut nubes pertransijt salus mea.* Nubes quippe in altum eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit; sic nimi- rum, sic sunt temporalia iniquorum bona. Alti quippe per honoris celsitudinem degere videntur, & ad cursum vitæ suæ quotidie quasi quibusdam mortalitatis suæ flati- bus impelluntur. Sequitur.

16. *Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.* Electorum quippe anima nunc marcescit, quia in illa postmodum æterna exultatione viridescit. Modo eos dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequun- tur. Scriptum quippe est. *Timenti Dominum bene erit in extre-* Eccl. 1.13. *mis.* Et rursum de Ecclesia dicitur. *Ridebit in die nouissimo.* Sed Prou. 31.25. hæc quę allegorica indagatione transcurrim⁹, oportet vt p omnia etiã iuxta historiam teneamus. quæ tñ nunc idcirco

præterea,

A præterea, quis hæc & aperta esse legentibus non ignoro. Sequitur.

17. *Et nocte os meum perforatur doloribus.* Quid per ossa nisi fortes quique in sanctæ Ecclesiæ corpore designantur? qui quasi os ab usse membra continent, dum mores infirmantium stabiliter portant. Sed cum tribulationis vnimę contra eam feruor excreuerit, *in nocte os illius perforatur doloribus*, quia nonnunquam tormentis victi etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur. Sequitur. *Et qui me comedunt non dormiunt.* Quia maligni spiritus, qui carnales quoq; de Ecclesia eo assumunt, tanto magis quiescere à tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere grauantur. Sequitur.

18. *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.* Si historiam intendimus, quid aliud vestimentum B. Iob, quam eius corpus accipimus? cuius videlicet vestimentum consumitur, dum caro cruciatur. Iuxta allegoriæ vero mysterium, vestimentum est

B sanctæ Ecclesiæ fidelium vita. Nam sicut tota simul Ecclesia vestimentum Christi, ita fideles quique einsdem Ecclesiæ vestimenta deputantur. Hinc Paulus ait *Vt exhiberet sibi* (Ephes.5.27.) *gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.* Hinc (Esa.49.18.) per Prophetam Dominus ait. *Viuo ego quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Sed cum procella suæ persecutionis oboritur, plerique fidelium ab eius amore separantur, qui ei sedule inhærere videbantur. Tunicæ capitium collum circumdat induentis, collum vero cum stringitur, vocis vsus & vitalis flatus necatur. Sanctam ergo Ecclesiam reprobi quasi capitio tunicę constringunt, quia in ea persecutionibus suis vitam fidei & prædicationis vocem extinguere conantur. Sequitur.

19. *Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri.* In reproborum quippe iudicio sancta electorum Ecclesia luto comparatur, quia temporaliter conculcata despicitur: *fauillæ* assimilatur & *cineri*, quia dum bona eius interiora non vident, ad sola hanc mala peruenisse æstimant, quæ exhibere corporaliter vident. Sequitur.

C *Clamabo ad te, & non exaudies, sto, & non respicis me.* San-

20. cta quippe Ecclesia persecutionis suæ tempore, fide stat, desiderijs clamat, sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Sequitur.

21. *Mutatus es mihi in crudelem.* Ac si aperte dicat. Qui in teipso crudelitatis nil habes, mihi, quem respirare à percussione non sinis, crudelis videris. Ita enim Deus esse crudelis non potest, sicut nec mutari vllatenus potest. Sed quia omnino in Deo nunquam nec crudelitas nec mutabilitas venit, dum mihi dicit, quod in semetipso Deum nec crudelem nec mutabilem sentiat, ostendit. Nam dum circa nos quædam prospera & aduersa variantur, in eo quod nos mutamur, quasi eius circa nos mutatum animum inspicamur. Ipse vero in se incommutabilis permanens, aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum pro qualitate meritorum. Sequitur. *Et in duritia manus tua aduersaris mihi.* Manus enim Dei dura creditur, cum voluntati nostrę

D contraria hoc quod ei in nobis displicet, feriendo persequitur, & flagella ingeminat, cum dolentis anima clementiam expectat. Quæ tamen iuxta allegoriæ mysterium bene sanctæ Ecclesiæ verbis congruunt, ex vocibus infirmorum, qui plerumque se plus ferui æstimant, quam mereri putant, & quasi crudelitatem arbitrantur iudicis, districtionem æquissimam rationis. Quia & cum vulnus ægri medicinali ferramento abscidit, medicus crudelis vocatur: qui tamen per secantis manus duritiam aduersatur vulneri, sed concordat saluti. Sequitur.

22. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valde.* Quia præsentis vitæ gloria, quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur: velut eleuatur & super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur. Quoniam ad hoc solum hunc fugitiuæ fœlicitatis aura subleuat, vt repente deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia cunctis in honore est, Infirmi quique in ea, qui transitorijs successibus lætantur, quo nisi super ventum videntur eleuati? Qui subsequente persecutionis tempore, dum prosperitatis aura pertransit, eorum pristinus eleuatio corruit, & repente cadentes discunt, quia eleuati prius in ventum sederunt. Quæ videlicet verba etiam sancti viri personæ specialiter congruunt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse videbatur. Qui quasi super ventum positus elisus est valde, quia rebus exterioribus fultus vnde æstimabatur surgere, videbatur inde cecidisse. Sequitur. E

23. *Scio quia morti trades me vbi constituta est domus omni viuenti.* Recte B. Iob etiam iuxta historiam congruit, dum nimium constat quia ante Redemptoris gratiam, ad inferni claustra etiam iusti deducerentur. Ipsa quippe inferni receptio domus omnium viuentium, non illuc ipsa corruptionis suæ conditione pertransijt. Nullus hic venit, qui ad carnis mortem eiusdem corruptionis suę non tetendit. De qua videlicet morte per Psalm. dicitur. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* (Psal.88.49.) ALLEGORICE. Sanctæ Ecclesiæ vocibus ex persona congruit infirmorum, quia enim multos in se voluptatibus deditos conspicit, eorumque tam interitum præscit, pensat quod in via vitæ præsentis, suis quidem desiderijs seruiunt, sed tamen ad mortis domum perueniunt omnes qui in ea carnaliter viuunt. Sequitur. F

24. *Veruntamen non ad consummationem eorum emittis manum tuam, & si corruerint ipse saluabis.* In quibus profecto verbis hoc solerter debet intelligi, quod B. Iob dum sua narrat, in se alios transfigurat. Manum itaq; suam Dominus ad consummationem peccantium non emittit, cum feriendo à peccatis corripit: & corruentes saluat, dum cadentes ad culpam in salutem corporis vulnerat, vt prostrati exterius, interius surgant, quatenus iacentes corpore, ad interiorem statum redeant, qui stantes exterius ab statu mentis iacebant. Sequitur.

25. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Scire enim necesse est quia ille perfecte tribuit, qui cum afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit, vt prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam sæpe vt prædiximus, largitorem muneris rerum facit abundantia, & non virtus compassionis. Persecutionis G igitur vltimæ sancta Ecclesia tribulatione deprehensa, reducat ad memoriam pacis tempore bona quæ gessit dicens. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Sequitur.*

*Hic præterit author duos versus, nimirum 26. & 27.

28. *Mœrens incedebam sine furore, consurgens in turba clamabam.* Notandum sollicite iuxta historiam videtur, quod sanctus vir, qui paulo superius dixit, *eleuasti me*, inferius adiunxit, *mœrens incedebam.* Miro etenim ordine vno eodemq; tempore conuenire in actibus bonorum solet, & foris honor culminis, & intus afflictæ mœror humilitatis. Sæpe namque seditiosorum tumultus hominum pręposttorum suorum mentem lacessunt, sibique ordinis limitem inordinatis motibus excedunt, & plerumque qui præsunt, nisi in ore cordis sancti Spiritus freno teneantur, in ira retributionis atrocitate prosiliunt, quantumque pręualent agere, tantum sibi in subditis æstimant licere. Sed boni contra actum multorum insolentium clamorem habent, & furorem non habent, quoniam quos clementer tolerant, docere non cessant. Sed hæc quæ iuxta historiam de vno diximus, iuxta allegoriam necesse est, vt de diuersis Ecclesiæ H electis sentiamus. Ipsa quippe in electis suis etiam per prospera incedit mœrens, quia nil sibi vere prosperum deputat, quousq; bonum quod secreter quærit, apprehendat. Ipsa etiam in turba sine furore consurgit & clamat, quia prauorum vitam studio rectę æmulationis, non autem vesania furoris insequitur. Itaque irascitur, & amat, sæuit, & tranquilla est. Sequitur.

29. *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Quid draconum nomine nisi malitiosorum hominũ vita signatur? De quibus & per Prophetam dicitur. *Traxerunt ventum quasi dracones.* (Ierem.14.6.) Peruersi etenim quiq; ventum quasi dracones trahũt, cum malitiosa superbia inflantur. Qui autem struthionum appellatione, nisi simulatores intelligi solent? Struthio etenim pennas habet, sed volatum non habet, quia simulatores quiq; speciem sanctitatis habẽt, sed virtutem sanctitatis non habent. Visu quippe eos bonę actionis decorat, sed à terra minime penna virtutis leuat. Electus itaque

A sanctæ Ecclesiæ populus, quia pacis suæ tempore intra se quosdam malitiosos ac simulatores patitur, dicat. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, quod B. Iob vocibus specialiter congruit, quia ad culmen magnæ fortitudinis bonus inter malos fuit. Sequitur.

30. *Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.* Hæc iuxta historiam pensare negligimus, quia videlicet sermonis virtus patet ex pœna passionis. Sed quia vt sæpe iam diximus, plerumque B. Iob sic narrat gesta, vt gerenda præmoneat. Bene hoc sanctæ Ecclesiæ vocibus congruit, quæ dolorem persecutionis vltimæ infirmis grauiter sentit, cumque ab illa alij pereunt valentiores quiq; mœrore cruciantur. Exterior quippe causa eius est terrena dispensatio, interior vero cura cœlestis. Cutis ergo nomine infirmi signantur, qui nunc in ea exteriori vtilitati deseruiunt. Per ossa vero fortes eius figurati sunt, in quibus corporis illius tota compago solidatur. Sequitur.

B 31. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Quia organum per fistulas, & cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organũ vero sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantiũ, per chordas vero citharæ, intentionem recte viuentium non inconuenienter accipimus, quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata corda in cithara per intuentium admirationem sonat. Siccatur etenim chorda, vt congruum in cithara cantũ reddat, quia & sancti viri castigant corpus suum, & seruituti subijciunt, atq; ab infimis ad superiora tenduntur. Pensandum quoq; est quod chorda in cithara si minus tenditur, nõ sonat, si amplius, raucum sonat. Quia nimirum virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quam valet. Ac si ergo sancta Ecclesia extremis persecutionibus pressa fateatur dicens. Pacis quidem meæ tempore per alios parua more citharæ, per alios vero more organi magna & sonora prædicabam. Sed C nunc in luctu cithara & organum versum est, quia dum me contemni conspicio, eos qui prædicationis cantũ non audiunt deploro. Hæc per quosdam S. Ecclesia in fine factura est. Hæc per quosdam in suis iam exordijs fecit.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXI.

CAP. XXXI



Qui itaque sanctus vir fortitudine ab omni lapsu exteriora sua custodiæ interioris disciplina constrinxerit, insinuat dicens.

1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarẽ quidem de virgine.* Cum sit inuisibilis anima, nequaquam cor earum rerum delectatione tangitur, nisi quod D inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus & tactus, quasi quædã viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra eius sunt substantiam cõcupiscat. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quæq; anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc enim Hieremias ait. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras.* (Ierem. 9. 21.) Quisquis verò per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atq; obligatus desiderijs, incipit velle quod noluit. Vt enim sanctus vir cogitationes cordis caste seruare potuisset, fœdus cũ oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum incautus amaret: & quia non in se actionem tantummodo sed etiam cogitationem luxuriæ extinxit, secutus adiunxit. *Vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sequitur.

2. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?* Ac si aperte dicat. Si mentem in cogitatione polluero, eius qui mundiciæ auctor est, esse hæreditas nequaquam possum. E Nulla enim bona sunt cætera, si occulti iudicis oculis castitatis testis testimonio nõ approbantur, ac si aperte fateatur dicens. Habere me possessionem suam excelsorum conditor tenuit, si mens mea ante conspectum illius in infimis desiderijs tabescit. Seq.

3. *Nunquid perditio est iniquorum, & alienatio operantibus iniquitatem?* Festina consolatione bonorũ, consideratur finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malũ conspiciũt, quod euadunt, leue existimant quicquid aduersum in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum suarum desideria compleant, in finis sui damnatione sensuri sunt, quia mortem male viuentes amauerãt. Quod videlicet alienationis verbum dirius sonaret, si hoc interpres in suæ linguæ voce tenuisset. Quod enim apud nos alienatio, hoc apud Hebræos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit reprobis, cum apud hæreditatem districti iudicis, se anathema esse conspiciunt, quia hic eum peruersis moribus contempserunt. Sequitur.

F 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Quid viarum nomine, nisi actiones denuntiat. Hinc enim per Hierem. dicitur. *Bonas facite vias vestras, & studia vestra.* (Ierem. 7. 3.) Quid vero appellatione gressuum, nisi motus mentiũ, vel profectus accipimus meritorum? Quibus profecto gressibus, ad semetipsam nos Veritas vocat dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* (Matt. 11. 28.) Sic autem Dominus vniuscuiusque considerat vias, sic dinumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes in eius iudicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim dicit. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* (Matt. 5. 22.) Sequitur.

5. *Si ambulaui in vanitate, aut festinauit in dolo pes meus,* 6. *appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.* Scire Dei dicitur, scire nos facere. Quis vero stateræ nomine, nisi mediator Dei, & hominum designatur? in quo æqua lance omnia merita nostra pensantur, & in cuius præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem G *statera* appendimur, quotiens ad vitæ eius exempla prouocamur. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* (1 Petr. 2. 21. 22.) Ac si aperte dicat. Si qua vnquam leuiter, si qua perniciose perpetraui, Dei & hominum mediator appareat, vt in eius vita cognoscam, an ego veraciter simplex fui. Vanitas quippe ad leuitatem, dolus vero ad malitiam pertinet. Et plerumque nonnulli ad quædam post malitiosa perueniunt, quia prius leuia non declinant. Sequitur.

7. *Si declinauit gressus meus de via.* Totiens de via gressus declinat, quotiens nostra cogitatio iter rectitudinis per sensum relinquit erroris. Quasi vero tot gressus extra viã ponimus, quot peruersis desiderijs cœlestis vitæ delectatione separamur. Vt enim præfati sumus, adhuc carnis corruptibilis pondere grauati, nequaquam valemus sic viuere, vt nulla nos possit culpa delectatione pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud est consentientem animam perimi. Sequitur. *Si secutum est oculus meus cor meum.* Ecce iterum per H interioris vigoris custodiam, ad exteriorũ membra disciplina redit, vt si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus per disciplinæ magisterium oculus videre recusaret. Sicut enim sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam cõcepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deseruire. Nam plerumq; res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim, vt exempli causa dicamus, Dauid Vriæ coniugem ideo studiose respexit, quia si vnquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit. Vnde & mox subditur. *Et si in manibus meis adhæsit macula.* Quia vero vir sanctus in superiora omnia sub conditione intulit, si hæc vnquam perpetrauerit, sententia se maledictionis astringit dicens.

8. *Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.* More sacri eloquij serere dicimus, verba vitæ prædicare. Hinc etenim Propheta ait. *Beati qui seminatis super omnes aquas.* (Esa. 32. 20.) Comedere autẽ est, bonis operibus satiari. Vnde per semetipsã Veritas dicit. *Meus cibus est vt faciam voluntatẽ eius qui misit me.* (Ioan. 4. 34.)

A Si ergo ea quę prętulit, facere prętermisit, ait. *Seram, & alius comedat.* Ac si aperte dicat. Quod os meum loquitur, non ego, sed alter operetur. Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur, quia quem lingua vigilans acuit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salomonem, mulier filium quem vigilans lactare conata fuerat, dormiens interemit. Sequitur. 3. Reg. 3.19.

9. *Si deceptum est cor meum super mulierem, & si ad ostium amici mei insidiatus sum.* Fornicationis culpa, quia ab adulterij reatu discernitur, prædicatoris egregij eloquio testatur, qui inter cætera asserit dicens. *Neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neque adulteri, regnum Dei possidebunt.* Quamuis nonnunquam à reatu adulterij nequaquam discrepet culpa fornicationis, cum Veritas dicat. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quia enim in Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena coniunx, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit, quia etiam solo visu cum turpiter vel inepte concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ea loco vel ordine concupiscentis discernitur, quia sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterij inquinat culpa. Sed hæc B. Iob dicens, patenter innotescit, quod à reatu culpæ adulterij liber fuit, qui hoc si vnquam fecerit, eandem culpam veri sibi expetit in pœnam, dicens. Ephes. 5.5. Matth. 5.28. B

10. *Scortum sit alteri vxor mea, & super illam incuruentur alii.* Et quia hoc plerumq; quod faciendo non perpendimus, quam graue sit patiendo pensauimus, eiusdem tanti facinoris quod pati reus debet denuntiat, exprimendo manifestat dicens.

11. 12. *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Hoc inter peccatum distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Vnde & prædicator sanctus cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit, si quis sine peccato, sed *si quis sine crimine est.* Quis vero esse sine peccato valeat, cum Ioannes dicat. *Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* In quo videl. peccatorum, & criminum * districtione pensandum est, quia nonnulla peccata animum polluunt, nam crimina extinguūt. Vnde B. Iob crimen luxuriæ definiens ait. *Ignis est vsq; ad perditionem deuorans.* Quia nimirum reatus facinorum non vsq; ad inquinationē maculat, sed *vsq; ad perditionem* vorat, & quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, secutus adiunxit, *& omnia eradicans genimina.* Genimina quippe sunt animæ operationes bonæ, cui tamen si peruerso ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Sequitur. C Tit. 1.6. 1. Ioan. 1.8. * distinctione.

13. *Si contempsi iudicium subire cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* Qui enim iudicari cum seruis ancillisq; non renuit, liquido indicat quod contra nullū vnquam proximum apud se tumidus fuit. Inter hæc autem libet inquirere vitam suam in omnibus quanta vir sanctus discretione custodit. Non enim longe superius dixit. *Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes adsurgentes stabant.* Quis digne considerare valeat huius viri etiam sublimia virtutum moderamina, in quo tanta est auctoritas regiminis, vt ad silentium restringantur duces: tanta humilitas cordis, vt ex æquo ad iudicium venire permittat seruus ancillæ? Sequitur. D Iob 29.8.

14. *Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit quid respondebo illi?* Qui venturum iudicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarum in melius causas parat; qui æternum Dominum tremore cordis intuetus, iura temporalis dominij super subiectos moderari compellitur. Et quia eo quisq; extollitur, quo se esse super alios videt, illum oportet qui super est, semper aspiciat, vt ex eius metu qui supra omnia est crescentem intrinsecus animi tumorem premat. Sequitur.

15. *Nunquid non in vtero fecit me, & illum operatus est, & formauit in vulua vnus?* Potentibus viris magna est virtus humilitatis considerata æqualitas conditionis. Omnes namq; homines natura æquales sumus. Sed accessit dispensationis ordine, vt quibusdam prælati videamur. Si igitur hoc à mente deprimimus quod temporaliter accessit, inuenimus citius quod naturaliter sumus. Ac si aperte dicat. Cur non æque debeamus in cuiusque negotij iudicio discuti, qui per conditoris potentiam sumus æqualiter facti? Sequitur. E

16. *Si negaui quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Per hęc dicta sanctus ostenditur non solum ad * opiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deseruisse. Sed quid si ipsa vellent pauperes quæ fortasse accipere non expediret, an, quia in Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola æstimanda sunt, quæ accipere pauperes volunt, quæ humiles petunt? Et proculdubio oportet vt incunctanter detur, quicquid cum vera humilitate requiritur, id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde iam superbire est, extra metas inopiæ aliquid desiderare. Vnde & per superbiam petentibus dicitur. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Qui ergo illi sunt veraciter pauperes, qui inflati superbiæ spiritu non sunt, quos aperte Veritas exprimit, cum dicit. *Beati pauperes spiritu,* recte nunc per sanctum virum dicitur. *Si negaui quod volebant pauperibus,* quoniam qui ea volunt quæ profecto liquet quod eis non expediunt, eo ipso quod superbiæ spiritu tument, iam pauperes non sunt. Petentem sibi viduam expectare noluit, vt non solum eā munere, sed etiam ea celeritate muneris, bonorum operum merita augeret. Vnde scriptum est. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Sequitur. * inopiam F Iacob. 4.3. Matth. 5.3. Prou. 3.28.

17. *Si comedi buccellam meam, & non comedit pupillus ex ea.* Rex scilicet pietatis se præiudicium facere æstimans, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset. Quę profecto communio conuersationis esse cum talibus inter domesticos pariter debet, ex quibus æternæ proficiant merita retributionis. Sequitur.

18. *Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Miseratio etenim etsi eius fuit arbitrij vt cum ipso proficeret, liquet tamen quia eius arbitrij non fuit, vt cum ipso de vtero exiret. Constat ergo quia suę virtuti nihil tribuit, qui profecto testatur quia ex conditionis munere accepit. Sed pensandum nobis est quod asserit, *creuit mecum.* Nonnulli enim quod ætate mores crescerent ab innocentia decrescunt. Electis vero cum foris ætas corporis, intus si deficiat, crescit ætas virtutis. Sequitur. G

19. 20. *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absq; operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus sum?* Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit, quod autem operuit, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet esse connexæ debent, vt vicaria semper ope fulciantur, quatenus nec humilitas cum veneratur proximū largitatis gratiam deserat, nec pietas cum largitur intumescat. Ac si aperte B. Iob dicat. In amore proximi vno eodemque ordine & superbiæ vitium & pietatis premens, prætereuntem quempiam & humiliter aspiciens non despexi, & misericorditer æqualem feci. Quisquis enim super eum cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, maiorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo mercessit. Sequitur. H

21. *Si leuaui super pupillum manum meam, cum viderem me in porta superiorem:* Mos apud veteres fuit, vt ad portam seniores sederent, qui certantium iurgia iudiciaria examinatione distinguerent, quatenus vrbē, in qua concorditer oportebat viuere, discordes minime intrarent. Vnde & per Prophetā Dominus dicit. *Constituite in porta iudicium.* Hoc itaq; loco quid portę nomine exprimitur, nisi quod agebatur in porta? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo quod pugnatur ex castris, ita iudicium quod in porta agi consueuerat, porta nominatur. In porta ergo se superiorem videt, qui se melioris partis esse in iudicio æquitatis merito concupiscit. Ac si ergo B. Iob patenter dicat. Neque tunc vtilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exequi volui, quando me in iudicio etiam ex iustitia potiorem vidi. Sed Amos 5.15.

quia

A quia plerumque humana mens tenuit bona credere, quæ
nescit operari, maledicti sibi sententiam protinus sub-
iicit, si qua horum quæ dixerat opere non impleuit, di-
cens.
22. *Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum*
suis ossibus conteratur. Quia operatio corporea per hume-
rum ac brachium agitur, bona quæ ore protulit, si opere
non impleuit, cadere sibi humerum & conteri brachium
exoptat. Ac si aperte dicat. Si ea quæ dixi, operari renui:
ipsum quod mihi ad operandum datum est, corporis mem-
brum perdam, vt videlicet cadat à corpore quod exercere
nolui ad vtilitatem. Si vero hæc maledicti sententia ad spi-
ritalem est intelligentiam referenda, liquet profecto quod
brachium corpori per humerum iungitur, & sicut per bra-
chium bona operatio, ita per humerum socialis vitæ con-
iunctio designatur. Vnde Propheta quoque intuens san-
ctos vniuersalis Ecclesiæ populos Deo concorditer serui-
Soph. 3. 9. turos, ait; *Et seruient in humero vno.* In eo ergo quod dicit. *Si*
B *leuaui super pupillum manum meam, cum viderem me in porta su-*
periorem, miram virtutem patientiæ seruasse se asserit, qui
grauari se personis minimis, nec contra hoc quod sibi iu-
ste competere poterat, declinauit. Quod tamen si minime
fecerit, adiungit. *Humerus meus à iunctura sua cadat.* Quia ni-
mirum qui patientiam seruare contempsit, socialem vi-
tam citius per impatientiam deserit. A iunctura etenim
humerus cadit, cum aduersitatis aliquid ferre animus non
valens, fraternam concordiam relinquit: & quasi mem-
brum separatur à corpore, cum is qui operari bona pote-
rat, à bonorum omnium absciditur vniuersitate. Neque
enim vnquam seruari concordia, nisi per solam patien-
tiam valet. Recte autem humero cadente subiungitur. *Et*
brachium meum cum suis ossibus conteratur. Quia nimirum
cuncta nostra operatio cum quibuslibet videatur esse vir-
tutibus, soluitur, nisi per charitatis vinculum patientia
conseruetur. Sua enim bona perdit opera qui aliena mala
renuit perpeti. Sed sancti viri humerus à iunctura sua non
C cadit, quia videlicet eius dilectio à socialis vitæ concordia
per impatientiam non recedit, eiusque brachium minime
frangitur, quia eius omnis operatio in coniunctione hu-
meri, id est, in charitatis connexione custoditur. Sequi-
tur.
23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* A
pauore tantæ similitudinis pensemus, si possimus, quan-
tus in sancto viro timor fuerit. Fluctus enim cum tument,
desuper imminent, cumque eam quam deferunt mortem
minantur, nulla iam nauigantibus cura rerum tempora-
lium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ea
ipsa quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia
sumpserunt, cunctæ res in despectum metus veniunt,
amore viuendi. *Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum ti-*
muit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit quæ
hic possidens portat. Est vero aliud, quod de maris con-
cussione debeat solerter intueri. Tempestas quippe cum
oritur, prius leues vndæ, & postmodum volumina maiora
concitantur. Ad extremum, fluctus se in alta erigunt, &
D nauigantes quosque ipsa sua altitudine subuertunt. Sic sic
nimirum extrema illa properat quæ vniuersum mundum
subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis & cla-
dibus, quasi quibusdam vndis sua nobis exordia ostendit,
& quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur,
tanto grauiora irruere tribulationum volumina videmus.
Ad extremum vero commotis elementis omnibus super-
nus iudex veniens, finem omnium apportat, quia vi-
delicet tunc tempestas fluctus in lucem leuat. Vnde &
Heb. 12. 26. dicitur. *Adhuc modicum, & ego mouebo non solum terram, sed*
etiam cœlum. Quam scilicet tempestatem quia sancti viri
vigilantes aspiciunt, quasi tumentes super se quotidie
fluctus expauescunt, atque ex his tribulationibus quæ
mundum feriunt, præuident quæ sequantur. Sequi-
tur.
24. *Et pondus eius ferre non potui.* Quia cum superbæ maiesta-
tis vim ad iudicium venientis terroremque tanti exami-
nis considerando animus conatur exquirere, mox ad
semetipsum refugiens, sese expauescit inuenisse. Sed inter
hæc pensandum est, quia beatus Iob ista de se loquitur,
laudatus & flagellatus. Si igitur ad meritorum profectum E
ita percussus est qui sic timuit, quomodo feriendus est,
qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei iudicia
eos qui se eleuant, si & illos ad tempus deprimunt qui
hæc semper in humilitate formidant? Quomodo pondus
Dei poterit ferre, qui despicit, si hoc & ille in verbere per-
tulit, qui per timorem præuidit? Vnde summopere for-
midandum nobis est illud tantæ districtionis examen.
Constat autem quia in hac vita cum percutit, si percussio-
nem correctio sequitur, disciplina patris est, non ira iudi-
cis; amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso
ergo præsenti verbere iudicia æterna pensanda sunt. Hinc
enim perpendere summopere debemus, quomodo fera-
tur illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet eius ira quæ
purgat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB F

LIBER XXII.

SI *putaui aurum robur meum, & obrizum dixi fi-*
duciam meam. Obrizum dicimus, obrude au-
rum. Sanctus ergo vir nec aurum robur sibi
esse, id est, rudem auri molem fiduciam cre-
didit; quia spem atque delectationem suam
in solius gratia conditoris figens, neque de quantitate au-
ri, neque de specie peccauit. De creatore quippe desperasse
fuerat, si spem in creatura posuisset. ALLEGORICE. Quid
hoc in loco aurum accipimus, nisi præclari intellectus in-
genium? Quid obrizum, nisi mentem? quæ dum igne
amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchri- G
tudinis, quotidiana innouatione feruoris. Nescit enim
mens per torporem veterascere, quæ studet per deside-
rium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur.
Renouamini spiritu mentis vestræ. Sicut enim in ornamentum
aurum supponitur, vt gemmatum desuper ordo dispona-
tur, ita clara Sanctorum ingenia diuinis muneribus hu-
militer substernuntur, & distincta super se gratiarum do-
na percipiunt, & nisi quid simile aurum cum sapientia ha-
beret, quidam sapiens minime dixisset. *Sapientia absconsa &* Eccle. 10. 32
thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Ac si aperte fateatur
dicens. Nec quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui,
nec meorum propriæ si qua egisse me bona contigit, nec
principalem deputaui. Qui adhuc subtilius humilitatem
nobis sui cordis insinuat, adiungit dicens. Sequitur.
Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit 25.
manus mea. Sancti quippe viri in huius peregrinationis æ-
rumna, omnia quæ appetunt, adhuc creatoris sui speciem
contemplari minime sinuntur, omnem præsentis vitæ co-
piam, inopiam deputant; quia videlicet nihil extra Deum H
sufficit vnicuique veraciter Deum quærit, & plerumque
eis ipsa sua abundantia fit vehementer onerosa, quia hoc
ipsum grauiter tolerant quod festinantes ad patriam, in
itinere multa portant. Quid multas diuitias appellatas per
significationem credimus, nisi abundantia humana con-
siliorum? Quas quærentis manus inuenit, cum hæc cogi-
tatio tractantis gignit. Has etenim Salomon Sapientiæ
diuitias contemplatus ait. *Corona Sapientium diuitiæ eorum.* Prou. 14. 24
Qui quia diuitias non metalla terrena, sed prudentiam
nominat, illico per contrarietatem subdit. *Fatuitas stultorum* Idem ibid.
imprudentia. Hinc Paulus ait. *Habemus thesaurum istum in* 2. Cor. 4. 7.
vasis fictilibus. Multas itaque apud nos diuitias reperimus,
cum diuina abundantius intelligentiæ eloquia inuestigando
percipimus, atque in his plura nec tamen sibimet diuersa
sentimus. Hæc est autem secura lætitia in diuinis paginis
vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire.
Ac si ergo aperte diceretur. Nequaquam in eo me locu-
pletem ex iustitia credidi, quo recte quæ agere debui
etiam multa cognoui, nec intelligentia cor extulit, quia

A pe proprium conspicit, quod ex parentis veteris imitatio-
ne descendit, vbi apte subditur. *Et celaui in sinu meo iniquita-
tem meam.* Scriptura etenim sacra plerumque sinum pone-
re pro mente consueuit, sicut voce Ecclesiæ de persecuto-
ribus nostris, qui nobis natura quidem coniuncti sunt, sed
Psal.78.12. vita disiuncti, per Psalmistam dicitur. *Redde vicinis nostris se-
ptuplum in sinu eorum.* Quia igitur sinus secretum mentis ac-
cipitur, in sinu iniquitatem celare est, hanc in conscientiæ
latibulis occultare, nec per confessionem detegere, sed
Iac.5.16. per defensionem velare. Quo contra Iacobus dicit. *Confi-
temini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemi-
Prou.28.13. ni.* Salomon quoque ait. *Qui abscondit scelera sua non dirige-
tur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam
consequetur.* Sed inter hæc sciendum est, quod plerumque
homines & culpas confitentur & humiles non sunt. Bea-
tus itaque Iob quantæ humilitatis fuerit ostendit, qui se
& inter aduersarios nouerat viuere, & tamen non vere-
batur culpas voce confessionis aperire. Sed notandum
B quod superius virtutes suas loquitur, inferius peccatum
fatetur. Hinc enim liquido demonstrat, quam vera
de bonis suis dixerat, qui noluit tacere de malis. Sequi-
tur.

34. *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum
terruit me, & non magis tacui, & non egressus sum ostium.* Ac si
aperte dicat. Turbatis contra me extrinsecus alijs, ipse in
me imperturbabilis mansi. Quid namque hoc loco ostium,
nisi os debemus accipere? per os quippe egredimur, dum
verbis quibus possumus secreta nostri cordis aperimus, &
quales intus manemus in conscientia, tales foras egredi
per linguam. Sunt vero nonnulli qui omnino despici me-
tuunt, ac ne viles fortasse iudicentur, sapientes videri ap-
petunt; hi coguntur ostium egredi, quia pulsati contume-
lijs quam magni quasi apud se lateant, loquentes denun-
tiant, dumque per impatientiam victi quædam de se quæ
nesciebantur aperiunt, tanquam per oris ostium egrediun-
tur. Vnde B. Iob dicturus quod oris ostium non fuisset
C egressus, præmisit, *tacui*; quia videlicet impatientiæ turba-
tus, à domo conscientiæ exisset, si tacere nesciisset. Et no-
tandum quod B. Iob ait. *Si expaui ad multitudinem nimiam,*
vt cuius constantiæ fuerit, agnoscatur; quia videlicet ne-
quaquam exterret exterius numerus hominum, quem nō
deuastat interius turba vitiorum. In hac etenim vita qui
nulla prospera appetit, nulla procul dubio aduersa perti-
mescit. Quæ scilicet verba, si ad intellectum mysticum
trahimus, in eius citius operatione nostri redemptoris fa-
cta inuenimus. Ipse quippe à multitudine nimia non expa-
Luc 22.52. uit, qui persecutores suos *cum gladijs & fustibus* venientes
Ioan.18.5. vna tantum responsione percutit dicens, *ego sum.* Ipsum
despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis
supplicijs liberans, palmas in facie æquanimiter accepit.
Ipse tacuit, & ostium egressus non est, quia sub ipsa iam
passionis hora, cum humanitatis infirma pateretur, diui-
nitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei
& hominum, quasi egredi ostium fuisset, si cum teneretur
vt homo maiestatis suæ potentiam voluisset ostendere, &
D per diuinitatis magnitudinem, susceptæ carnis infirma
transire. Vt enim apertus homo mori posset, Deus mansit
1.Cor 2.8. occultus, *quia si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifi-
Mat.26.63. xissent.* Non est ergo egressus ostium, qui & requisitus à Pi-
lato tacuit, atque inter persecutorum manus, & corpus
passioni obmisit quod pro electis assumpserat, & resisten-
tibus demonstrauit quod erat. Vnde etiam per Psalmistam
Ps.87.9.10 dicitur. *Posuerunt me in abominationem sibi, traditus sum & non
egrediebar.* Sequitur.

35. *Quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum omnipotens
audiat?* Sanctus vir postquam tot virtutū suarum sublimia
gesta narrauit; sciens quod sui à meritis ad summa perueni-
re nequeat, adiutorem quærit, & quem nimirum, nisi vni-
genitum Dei filium contemplatur? Qui humanam natu-
ram in hac mortalitate laborantem, dum suscepit, adiuuit.
Ipse quippe adiuuit hominem factus homo, vt puro ho-
mini via redeundi fieret per hominē Deum. Sciebat quip-
pe quod ad requiē liberationis æternæ, preces nisi per ad-
uocatum suum audiri non possent, de quo per Ioannem
1.Ioan.2.2. Apostolum dicitur. *Si quis peccauerit, aduocatū habemus apud
patrem Iesum Christum iustū, & ipse est propitiatio pro peccatis no-* E
stris. Adiutor ergo quæritur, vt desideriū exaudiatur, quia
nisi pro nobis interpellatio mediatoris intercederet, ab
aure Dei procul dubio nostrarum precum voces silerent.
Notandum quoque est, quod nequaquam dicitur preces,
sed desiderium meum omnipotens audiat. Vera quippe postula-
tio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis.
Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei
non faciunt verba nostra, sed desideria. Hinc in Euangelio
Dominus dicit. *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio tuo, ora* Matth.6.6
*patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito red-
det tibi.* Sequitur. *Et librum scribat, ipse qui iudicat.* Quia enim
ismenti adhuc populo lex est transmissa per seruum, dili-
gentibus vero filijs Euangelij gratia est collata per Domi-
num, qui ad redemptionem nostram veniens, nouum no-
bis testamentum condidit, sed de eiusdem nos testamenti
mandato discutiens, quandoque etiam iudex venit: neces-
sarium non est vt per expositionem clarescat, quid est. *Li-* F
brum scribat ipse qui iudicat. Ipsa enim per se Veritas dicat. *Pa-* Ioan 5.22.
ter non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Erit ergo
tunc author iudicij qui nunc est conditor libri, vt tunc di-
strictus exigat, quod modo mansuetus iubet. Quem scilic.
librum noui testamenti, quia ipse per se humani generis
redemptor in extremo conderet, bene Ezechiel Propheta
denuntiat dicens. *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris,* Ezec 9.2.
*respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusq; vas interitus in manu eius.
Vir quoq; vnus in medio eorum vestitus lineis, & atramentarium
scriptoris in manu eius.* Sequitur.

Vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi co- 36.
ronam mihi. Librum quippe in humero portare est, scriptu-
ram sacram operando perficere. Et notandum quam or-
dinate describitur, & prius *in humero* portari, & postmo-
dum sicut *corona* circumdari. Quia videlicet sacri eloquij
mandata si modo bene portantur in opere, post nobis vi-
ctoriæ coronam exhibent in retributione. Sequitur.

Per singulos gradus meos pronunciabo illum. De his quippe 37
meritorum gradibus per Psalmistam dicitur. *Ambulabunt* G
de virtute in virtutem. De his iterum sanctam Ecclesiam cō- Psal 83.8.
templatus ait. *Deus in gradibus eius dignoscetur, dum suscipiet* Psal.47.4.
eam. Neque enim, sicut dictum est, repente ad summa per-
uenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa
mens ducitur. Ille ad doctrinam Dei veraciter ascendit,
qui ad obtinendam hanc gradibus sanctæ operationis cu-
perit, & quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat,
qui percepisse se eius scientiam non per verba tantum-
modo, sed etiam per opera demonstrat. Vnde adhuc sub-
ditur. *Et quasi principi offeram illum.* Omne enim quod offe-
rimus in manibus tenemus. Venienti ergo ad iudicium
principi librum offerre est, verba præceptorum illius in
actione tenuisse. Sequitur.

Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent? 38.
Quid est clamare terram, deflere sulcos, & fructus pro-
prios emendo comedere, cui nunquam necesse est sua e-
mere? Quis clamantem audiuit terram? quis sulcos de-
flentes vidit? & cum sulci terræ semper ex terra sint, quid
est quod pronuntiatione distincta clamasse terra, & sulci
eius eius deflenisse denegantur? Sed quoniam historia H
deficit, mysticus requirendus est intellectus. Omnis enim
qui vel priuato iure domesticam familiam regit, vel pro
vtilitate communi fidelibus plebibus præest, in hoc quod
iura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid
aliud quam terram incolendam tenet? Ad hoc quippe di-
uina dispensatione cæteris vnusquisque præponitur, vt
subiectorum animus quasi substratæ terræ prædicationis
illius semine fœcundetur. Sed terra contra possessorem
clamat, si contra eum qui sibi præest, aliquid iustum, vel
priorata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Sunt non-
nulli qui nullo lectionis, nullo exhortationis vomere
proscissi, quædam bona quamuis minima, tamen ex se-
metipsis proferunt, quasi terra necdum exarata. Sunt ve-
ro nonnulli, qui ad audiendum semper atque retinendū,
sanctis sunt prædicationibus ac meditationibus intenti, à
priori amentis duritia, quasi quodā linguæ vomere scissi,
semina exhortationis accipiunt, ac fruges boni operis per
sulcos voluntariæ afflictionis reddunt, cum semper de spi-

A Respondensque Heliu filius Barachiel Buzites dixit, Iunior sum
6. tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum
7. indicare meam sententiam. Sperabam enim quod ætas prolixior
loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiã. Heliu quip-
pe quamdiu pro ætatis suæ respectu tacuerit, sapiẽtior fuit,
cum vero in aliis annorum multitudinem semetipsum p̄-
ferens, despicit, quam pueriliter desipiat, ostendit. Nam
contra eius sententiam & ætas prolixior loquitur, & per
annorum multitudinem sapientia docetur, quia & si lon-
gæuitas sensum non probet, vsus tamen vehementer exer-
cet. Sequitur.
8. Sed vt video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis
dat intelligentiam. Hæc recte diceret, si eandem intelligen-
tiam sibi præ cæteris non arrogaret. Quatuor quippe sunt
species quibus omnium tumor arrogantũ demonstratur,
aut cum bonum à semetipsis habere se æstimant, quibus
1.Cor.4.7. contra dicitur. Quid habes quod non accepisti & reliqua. Aut si
sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meri-
B tis putant. Contra quos Paulus dicit. Gratia estis saluati per
Eph.2.8.9. fidem, (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operib. vt ne
quis glorietur. Aut certe cum iactant se habere quod non
Apoc.3.17. habent, sicut Angelo Laodiciæ dicitur. Quia dicis, quod diues
sum & locupletatus, & nullius egeo. Nescis quia tu es miser & mise-
rabilis, & pauper, cæcus & nudus, aut despectis cæteris singula-
riter videri appetunt habere quod habent, sicut Pharisæus
Luc.18.11. ait. Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum. Heliu
ergo quamuis dari à Domino sapientiam cõfitetur, in hac
tamen elationis specie labitur, vt sapientiorem se cæteris
gaudeat. Sequitur.
9. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Ideo
10. dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sententiam. Ex-
11. pectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram, donec
12. disceptaremini sermonibus, & donec putabam vos aliquid dicere,
* spectat. considerabam. Quantum ad intentionem literæ * expectat,
loquens Heliu indicat quam superbe tacuerit. Cum enim
dicit, expectaui sermones vestros, Et, putabam vos aliquid dicere,
C aperte declarat se ad verba senum, iudicãtis potius studio
q̃ dicentis voto tacuisse. Quamuis hæc melius vitam arro-
gantium signaui, q aliquando intra sanctam Ecclesiã posi-
ti, cum eiusdem sanctæ Ecclesiæ aduersarios conspiciunt,
non in eis temporum annos, sed intentionem solent pen-
sare verborum. Nam quãtolibet sint eisdem arrogantibus
antiquiores hæretici, eos audacter comprimunt, in quorũ
verbis dogmata peruersa reprehendunt. Seq.
13. Sed vt video, non est qui arguere possit Iob. & respondere ex vobis
sermonibus eius. Ne forte dicatis, inuenimus sapientiam, Deus proie-
cit eum non homo. Sæpe hæretici per hoc quod esse & hominibus
despicabiles solent, cum à cunctis fere gentibus sanctam
Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem eius quibus
valent obtrectationibus lacerare contendunt dicẽtes. Id-
circo illis cuncta temporalia suppetunt, quia ei præmia æ-
ternorum munerum subtrahuntur. Quorum voci Heliu
obuiat dicens. Ne forte dicatis, inuenimus sapientiã, Deus proiecit
eam & non homo. Ac si arrogantes intra sanctam Ecclesiam,
D sed tamẽ fideles contra hæreticos dicant. Per hoc quod sanctã
Ecclesiam in honore hominũ florere temporaliter cerni-
tis, proiectam eam à Domino non credatis. Scit enim re-
demptor eius & in hoc itinere solatia venienti tribuere, &
peruenienti ad æternã patriam superna præmia reseruare. In
cassum igitur dicitis, quia Deus eam & nõ homo proiecerit,
cum venerari illã à cunctis fere hominib. videtis: quia sic ei
terrenæ gloriæ adiumentum tribuitur, vt per hoc multipli-
cius etiam ad cœlestia subuehatur. Sequitur.
14. Nihil locutus est mihi. Quid est, nihil locutus est mihi? Nun-
quid sancta Ecclesia per prædicatores suos cum intra se
arrogantes conspicit, erudire ac redarguere prætermittit?
Sed omnes arrogantes voces quidem sanctæ Ecclesiæ au-
diunt, sed sibi eas dici dissimulant, quando elationis vitiũ
emendare cõtemnunt, ne se de superbia redargui æstimẽt,
quia esse se humiles putãt, quia etiam redargui despiciunt,
dum sapiẽtiores se & ipsis redarguentibus arbitrantur. Seq.
Et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. Arrogantes
enim intra sanctam ecclesiam positi respondent contra ea,
sed non sicut hæretici exterius constituti. Neq; enim con-
tradicunt praua prædicando, sed peruerse viuendo, quia
nec de Deo vt hæretici indigna sentiũt, sed de se plusquam E
necesse est, digna suspicantur. Sequitur.
Et extimuerunt, nec responderunt vltra, abstuleruntq́; à se elo- 15.
quium. Bene ab Heliu verba amici Iob extimuisse referun-
tur, quia nonnunquam arrogantes Ecclesiæ defensores,
quamuis ordinem dicendi non taceant, tamen aduersarios
ipsa dictorum virtute perturbant. Seq.
Quoniam igitur expectaui & non sunt locuti, steterunt nec re- 16.
sponderunt vltra. Finis esse locutionis sapientium solet, vt eo
vsq; dicatur, quo aduersariis silentium imponant. Non e-
nim se ostendere, sed praua docẽtes compescere cupiunt.
Sed quoniam amicis tacentibus Heliu adhuc verba mul-
tiplicat, patet quia vir arrogans & formam in se arrogan-
tium intentans, non aduersariorum dicta superare, sed sa-
pientiam ostentare festinat. Sequitur.
Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. 17.
Hanc enim partem suam omnis arrogans æstimat, si scien-
tiam non tam habeat, quam ostendat. Quo* contra Moyses
ait. Vas quod non habuerit operculum & ligaturam immundum F
erit. Prædicatores autem sancti partem suam reputant, si Num.19.15.
intus quidem ipsi de sapientia gaudeant, foris iam alios ab
errore compescant, neq; à se ita loquendo vacant, vt gau-
dium mentis in ostensione ponant disertæ locutionis: sed
bona scientiæ in cordis secreto meditantur, & ibi gaudent
vbi hoc percipiunt, non vbi in tentationum laqueos innote-
scere compelluntur. Sequitur.
Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. Non- 18.
numquam arrogantes viri dum p̄dicatores sanctos magna
loqui, ac pro locutione sua venerari conspiciunt, locutio-
nis eorum celsitudinem non vtilitatẽ intentionis imitan-
tur. Nam sæpe contingit vt sapientes viri cum se non audiri
considerant, ori suo silentium indicant, sed plerumq. dum
conspiciunt quod iniquorum facinora ipsis tacentibus & non
corripientib. crescunt, vim quamdã spiritus sui sustineant,
vt in locutione aperta correptionis erumpant. Hinc Hie-
remias ait. Non recordabor eius, nec loquar vltra in nomine eius. Iere.20.9.
Et adiunxit. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clau- ibid.
susq; in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. Sed quia sæpe G
nõnulla vitia virtutes se esse mentiuntur, sicut effusio non-
numquam misericordia, & tenacia nonnumquam parsi-
monia, & crudelitas aliquando iustitia vult videri: Ita ple-
rumq; mentem ad loquendi impetũ, vanæ gloriæ anxietas
nequaq̃ se intra silentium capiens, quasi charitatis inflam-
mat, atq; appetitæ ostensionis vis ad effrænationem locu-
tionis impellit, & quasi sub studio cõsulendi, libido erum-
pit apparendi. Non enim curat loquendo quod prosit, sed
quod appareat. Sequitur.
En venter meus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas 19.
nouas disrumpit. Quod si spiritaliter intelligere debemus,
hoc loco videl. ventrẽ suum cordis sinũ appellat, in musto
vero, sancti Spiritus feruor accipitur. De quo in Euangelio
Dominus dicit. Vinum nouum in vtres nouos. Lagunculas ve- Matt.9.17
ro infirmas ipsa humanitate cõscientias, vel certe hæc ter-
rena corporum vascula nõ inconuenienter accipimus. De
quibus Paulus Apostolus dicit. Habemus thesaurum istum in 2.Cor.4.7.
vasis fictilibus. Heliu autem inflatione elationis extensus, ac H
si ad loquendum per charitatis gratiam ardore S. Spiritus
accendatur, sensus sui spiritum in eo quod tacuit, quasi musto
absque spiraculo comparauit. Mustum ergo lagunculas no-
uas disrumpit, quia feruoris eius potentia etiam spiritalia
corda transcendit. Sancti enim Spiritus feruore non solum
vetera, sed etiam noua vita vi capitur. Sequitur.
Loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & responde- 20.
bo. Bene ait respirabo, quia labor iustorum est videre praua
nec corrigere: ita grauis est labor arrogantium, si quod sa-
piunt, non ostendunt. Vim quippe introsecus æstuantem
ferre vix possunt, si omne quod sentiunt paulo tardius inno-
tescunt. Vnde necesse est, vt cum res bona agitur, prius eius
elatio in corde vincatur, ne si à radice miseræ intentionis
prodeat, amarus nequitiæ fructus producat. Hi igitur qui
adhuc vitiorum bello subiacent, nequaquam per prædi-
cationis vsum præesse magisterio cæterorum debent. Hinc
est enim quod iuxta diuinæ dispensationis vocem ab anno
vicesimo & quinto leuitæ tabernaculo seruiunt, sed quin-
quagenario custodes vasorum fiunt. Sequitur.

A *Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo, ne-*
21. *scio quamdiu subsistam, & post modicum tollat me factor meus.*
22. Recta consideratio quod Deum homini idcirco non æ-
quat, quia quamdiu hic subsistat, vel quando à Deo in iu-
dicio tollatur, ignorat. Et bene ait. *Post modicum tollat
me factor meus*, quia quamlibet longum fuerit tempus vi-
tæ præsentis, eo ipso breue est, quo permanens non est.
Sequitur.

Cap. *Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.*
XXXIII. *Ecce aperui os meum, loquatur in faucibus meis.* Hoc enim habet
1. proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant in-
2. ferre quod docent, & recta quæ sapiunt, recte ministrare
non possunt. Recte autem bis per Prophetam dicitur. *Vos*
Ezech. 34. 4. *autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* At contra
vera doctrina tanto vehementius hæc elationis vitium per
cogitationem fugit, quanto ardentius verborum suorum
iaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Humilita-
tem namque magistram omniumque matrem virtutum,
& loquendo dicere, & viuendo conantur ostendere, vt
B eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermo-
1. Thess. 2. 7. nibus eloquantur. Hinc Paulus ait. *Facti sumus paruuli in
medio vestrum.* In faucibus vero loqui est silenter dicere, &
non clamoribus vociferari. Quibus verbis arrogantes in-
tra sanctam ecclesiam positos signat. Hi enim velut in fau-
cibus dicuntur loqui, quando non contra aduersarios ex-
tra viuentes clamant, sed quosdam intra sinum sanctæ Ec-
clesiæ quasi vicinos ac iuxta positos increpant. Sæpe vero
arrogantes eandem quam tenent arrogantiam se fugere
ostendunt, & dum sic cuncta agunt vt nullum lateant,
hæc prauitatis singulis quasi latenter narrant, quate-
nus non solum de sensu intelligentiæ, sed de ipso apud
homines etiam arrogantiæ contemptu glorientur. Se-
quitur.

3. *Simplici corde meo sermones mei, & sententiam labia mea pura
loquentur.* Magnæ virtutis laus est simplicitas locutionis,
quam quia arrogantes non habent, habere se hanc solici-
tius asserunt, vt securius audiantur, & pure se locuturos
denuntiant, quia duplicitatis suæ malitiam deprehendi
C formidant. Sæpe autem & falsis vera permiscent, vt inde
eorum mendacio citius credatur, vnde inesse eis assertio
veritatis agnoscitur. Sequitur.

4. *Spiritus Dei fecit me, & inspiraculum omnipotentis viuificauit
me.* Subdicturus vera præmittit elata. Sic nimirum, sic arro-
gantium mentes insaniunt, vt & in eis quæ recte sentiunt,
elationis suæ fortitudine deprauentur. Vnde fit vt etiam
eorum recta auditores nequaquam instruant, quia profe-
cto illos per eam quę tumide sentiunt, non ad sui reueren-
tiam, sed ad contemnendum vocant. Hinc enim per Moy-
sen dicitur. *Vt qui fluxum seminis sustinet, immundus erit.* Bo-
Leuit. 15. 2. no autem ordine & factum se astruit & animatum. Per spi-
ritum factum, & per spiraculum se narrat animatum.
Facto quippe Adam scriptum est. *Inspirauit in faciem eius
Gen. 2. 7. spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Se-
quitur.

Si potes responde mihi, & aduersus faciem meam consiste. Ecce
5. dum narrat ordinem veræ conditionis, in fastum subito
superbæ elationis erumpit. Sequitur.

D *Ecce & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque for-*
6. *matus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat, & elo-*
7. *quentia mea non sit tibi grauis.* Quid est hoc quod Heliu ordi-
nem veræ conditionis agnoscit, & modum rectæ locutio-
nis ignorat, nisi hoc quod arrogantes omnes cunctis qui-
dem hominibus æqualiter se conditos meminerunt, sed
fastu scientiæ auditores suos æquales sibi vel esse, vel cre-
dere dedignantur? Habent etiam arrogantes proprium,
quod priusquam dicant, mira se dicere semper existimant,
& locutionem suam admirando præueniunt, quia vel in
acutis sensibus ipsa elatio quanta sit fatuitas ignorat. No-
tandum quoque est quod Paulus dum mite Hebræos ad-
Heb. 13. 22. monet, adiunxit. *Rogo autem fratres mei, vt sufferatis verbum
solatij, etenim perpaucis scripsi vobis.* Heliu autem inania pro-
tulit, & quasi consolando subiungit. *Miraculum meum
Prou. 16. 18. non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi grauis.* Hinc Sa-
Prou. 15. 33. lomon ait. *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humilia-
tur.* Sequitur.

Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum audiui. Atque E
eandem vocem subiungens ait. *Mundus sum ego, & absque* 8.
delicto immaculatus, & non est iniquitas in me. Quia querelas in 9.
me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in neruo pe- 10.
des meos, custodiuit omnes semitas meas. Moxque contra hæc 11.
quæ beatum Iob dixisse narrauit, sententiam suam profe-
rens ait.

Hoc est ergo in quo non es iustificatus. Profecto beatus Iob 12.
veraciter dixerat, quod absque culpa fuerat flagellatus.
Hoc enim ipse de se, quod de illo ad Diabolum Dominus
dixit. *Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Sed Iob 2. 3.
Heliu non credidit cessante culpa potuisse eum etiam pro
gratia flagellari. Nesciebat enim flagellis eius non delere
vitium, sed meritum augere, & pro eo quod sine delicto se
dixerat flagellatum, hac eum sententia increpat dicens.
Hoc est ergo in quo non es iustificatus. Habent enim hoc arro-
gantes proprium, vt plus arguere appetant, quam consola-
ri: & quæque hominibus euenire cognoscunt, euenisse ex
suis iniquitatibus arbitrantur. Nesciunt quippe occulta
iudicia subtiliter quærere, atque id quod non intelligunt F
humiliter perscrutari, quia eos sæpe à secretis inuestigatio-
nibus iudiciorum Dei ipsa scientiæ suæ elatio eijcit, dum
extollit. Notandum quoque est quod B. Iob *in neruo* pedem
suum positum dixit, sed nequaquam mundum hunc mun-
do quod ei obijcitur absque peccato vel immaculatum, &
sine iniquitate fuisse memorauit. Sed Heliu dum cum au-
steritate studuit increpare quæ dicta sunt, mentiens addi-
dit quæ dicta non sunt. Qui enim semper increpare appe-
tunt, & nunquam fouere, multa plerumque increpando
mentiuntur; nam vt arguere docte videantur, fingunt non-
numquam quæ redarguant. Sequitur. *Respondebo tibi quod
maior sit Deus homine.* Dicatur fortasse ab aliquo, quis ita vel
cum non audit ignorat? Sed nimirum hæc scientia vilis
creditur, si non ex ipsa intentionis suæ radice pensetur.
Flagellato videlicet loquebatur, qui & percussionis ver-
bera acceperat, & causas verberum nesciebat. Idcirco ergo
intulit, *Respondebo tibi quod maior sit Deus homine*, vt flagella-
tus homo considerans, quia illo maior est Deus, in omni
quod patitur eius iudicio se postponat, cui se minorem es- G
se non dubitat. Sequitur.

Aduersus eum contendis quod non ad omnia responderit tibi. Se- 13.
mel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Ac si diceret. 14.
Deus singulorum cordibus priuatis vocibus non respon-
det, sed tale eloquium constituit, per quod cunctorum
quæstionibus satisfacit. In Scripturæ quippe eius eloquio
causas nostras singuli si requirimus inuenimus, nec opus
est vt in eo quod specialiter quisque tolerat, responderi si-
bi diuina voce specialiter quærat. Ibi enim nobis omnibus
in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur.
Ibi vita præcedentium fit forma sequentium, id est cogita-
tionibus vel tentationibus singulorum nō iam passim per
Prophetarum voces, non per angelica officia satisfacit.
Quia in Scriptura sacra quicquid potest singulis euenire,
comprehendit; atque per exempla præcedentium, etiam
vitam sequentium informare curauit. Intelligi hoc etiam
subtilius potest, quod Pater vnigenitum consubstantia-
lem sibi filium genuit. Loqui enim Dei est verbum genuis-
se. Semel autem loqui est, verbum aliud præter vnigeni- H
tum non habere. Secundo autem non repetit, quia videli-
cet hoc ipsum verbum, id est filium non nisi vnicum ge-
nuit. Quod autem non præteritum, sed futurum tempus
posuit, liquet omnibus, quia Deo tempus nec præteritum
congruit nec futurum. Tanto ergo in eo quodlibet tem-
pus ponitur libere, quanto nullum vere. Verbum nam-
que pater sine tempore genuit. Et quis digne fari queat il-
lam ineffabilem natiuitatem, quod de æterno natus est
coæternus? quod existens ante sæcula genuit æqualem?
quod gignente natus posterior non est? Quæ videlicet
nos mirari possumus, sed intueri minime valemus. Se-
quitur.

Per somnium. Quid est quod per somnium nobis locutio 15.
diuinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognosci-
mus, si non interius desiderijs vigilemus? In somno enim
exteriores sensus dormiunt, & interiora cernuntur. Si ergo
interna contemplari volumus, ab externa implicatione

dormia-

A dormiamus. Vox videlicet Dei quasi per somnium audi-
tur, quando tranquilla mente ab huius sæculi actione quie-
scitur, & in ipso mentis silentio diuina præcepta pensan-
tur. Cum enim ab externis actionibus mens sopitur, tum
plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur, tunc verba
Dei viuacius mens penetrat, cum ad se admittere curarum
sæcularium tumultus recusat. Male autem homo vigilat,
quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter in-
quietat. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum
turba dum perstrepit, claudit. Sequitur. *In visione nocturna.*
In diurna autem luce certius cernimus, in nocturna vero
visione sub quibusdam imaginationibus videmus. Nox
quippe est vita præsens. Sancti autem omnes quamdiu in
hac vita sunt, diuinæ naturæ secreta quasi sub quadam ima-
ginatione conspiciunt, videl. quia necdum sicut sunt ea ma-
Esa. 26. 9. nifestius contemplantur. Hinc Propheta ait. *Anima mea de-*
siderauit te in nocte. Sequ. *Quando irruit sopor super homines*, ab
exteriori quippe actione cessare, dormire est. Sequ. *Et dor-*
B *miunt in lectulo.* Sanctis enim viris dormire in lectulo est,
intra mentis suæ cubile quiescere. Vnde scriptum est. *Exul-*
Psal. 149. 5. *tabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Seq.
16. *Tunc aperiet aures virorum.* Cum enim ab exterioribus a-
ctionibus sopiuntur, aperta aure interni examinis causas
audiunt, qui dum subtiliter, vel flagella publica, vel iudi-
cia occulta considerant, semetipsos affligere flendo non
cessant. Sequitur. *Et erudiens eos instruit disciplina.* Quia con-
siderantis menti & sese per pœnitentiam lacerantis, quasi
quædam plagæ percussionis sunt lamenta compunctio-
nis. Vnde etiam Salomon recte vim percussionis vtrusque
Prou. 20. 30. coniungens dicit. *Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in se-*
cretioribus ventris. Quia enim ipsa compunctio mentem la-
cerat, eandem compunctionem non incongrue discipli-
nam vocat. Quatuor quippe sunt qualitates, quibus viri
iusti anima in compunctione vehementer afficitur. Cum
aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit,
aut iudiciorum sententiam metuens, & secum quærens
C cogitat vbi erit. Aut cum mala vitæ præsentis solerter ad-
tendens, mœrens considerat vbi est, aut cum bona super-
næ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lu-
gens conspicit vbi non est. Sequitur.
17. *Vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de superbia.*
Quid enim homo de proprio nisi peccatum fecit? Et scri-
Eccli. 10. 15. ptum est. *Initium omnis peccati superbia.* Bene ergo dicitur,
*auertitur quia homo eum ab his quæ fecit * auertit, de superbia li-
beratur. Contra conditorem quippe superbire est, præ-
cepta eius peccando transcendere. At contra quisquis quod
fecit, vitare appetit, id quod à Deo factus est recognoscit,
& ad conditionis suæ ordinem humiliter redit, dum sua
opera fugiens, talem se, qualis à Deo factus est, diligit. Se-
quitur.
18. *Eruens animam eius de corruptione, & vitam illius vt non transeat*
in gladium. Omnis quippe peccator ab hac corruptione vi-
tiorum illuc ad gladium compellitur transire pœnarum,
& vnde hic inique delectatus est, inde illic iuste crucia-
D tur. Notandum est ergo quod Deus nobis *per somnium* lo-
quens, prius nos à corruptione, & postmodum à gladio
liberat. Quia nimirum illius vitam illic eripit ab vltione
supplicij, cuius hic mentem subtrahit à delectatione pec-
cati. Sequitur.
19. *Increpat quoque per dolorem in lectulo.* In Scriptura sacra le-
ctus, siue grabatum, siue stratum, aliquando voluptas car-
Ioan. 5. 8. nis accipitur, vt illud. *Surge, tolle grabatum tuum, & vade in do-*
mum tuam. Aliquando repausatio in bonis operibus, vt il-
lud in Actibus Apostolorum. *Ænea sanet te Dominus Iesus Chri-*
Act. 9. 34. *stus, surge & sterne tibi.* Surgere enim est mala perpetrata re-
linquere, sternere autem mercedis causas in quib. requie-
scere debeat, operari. Aliquando vero requies temporalis
Ps. 40. 4. accipitur, sicut scriptum est. *Vniuersum stratum eius versasti in*
infirmitate eius. Ac si diceret. Omne quod hic sibi parauit ad
requiem, hoc ei mutasti occulto iudicio ad perturbatio-
nem, quæ nos in præsentis vitæ requie, vel tentationis stimulis,
vel flagelli afflictione conturbat. *Et omnia ossa eius marcescere*
facit. Ossa in Scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scri-
Ps. 33. 21. ptum est. *Dominus custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non con-*
teretur. Et quia in ea requie sancta nobis ab hoc sæculo præ-

paramus, flagello tentationis afficimur: qui fortasse de E
virtutibus nostris inflari poteramus, cognitæ infirmitatis
tædio extenuamur. Cum enim sicut cupimus ad Domi-
num proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pul-
saret, alicuius nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia
nobiscum superna dispensatione agitur, vt infirmitatis quia
proficientes obliuiscimur, tentati recolamus, & in pro-
fectu nostro quid de diuino munere, & in tentatione co-
gnoscimus quid de proprijs viribus sumus. Sicque illa o-
mnia nostrarum virium velut pinguis viridisque gratula-
tio, anxietatis mœrore siccatur. Sequitur.
Abominabilis ei fit in vita sua panis. Quid per panem aliud 20.
quam præsentis vitæ delectatio intelligitur? Ac si ergo di-
cat. Afflicta mens sibi in amaritudinem verti considerat,
quicquid se ante blande libenterque sapiebat. In Scriptura
enim sacra panis nomine aliquando ipse Dominus desi-
gnatur, sicut ipse ait. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* A- Ioan. 6. 51.
liquando vero spiritalis doni gratia, vt illud Prophetæ. *Qui*
obturat aures suas ne audiat sanguinem, id est peccatis suadentib. Esa. 33. 15. 16. F
non præbet consensum, *& claudit oculos suos ne videat malum*,
id est omne quod rectitudini aduersum est, non approbat. *Iste*
in excelsis habitat, id est mentem in sublimibus fixit. *Muni-*
menta saxorum sublimitas eius, id est ad supernam patriam per
præcedentium patrum exempla subleuatur. *Panis ei datus est*,
id est refectio spiritalis gratiæ. Aliquando panis dicitur di-
uinæ doctrinæ eruditio, sicut per Prophetam dicitur. *Qui* Esa. 21. 14
habitatis in terra Austri, id est, in Ecclesia Spiritu sancto re-
pleta. *Cum panibus occurrite fugienti*, id est cum quis mala sua
euadere nititur, eruditionis eloquio consulite. Aliquando
quoque hæreticorum prædicatio, sicut Salomon ea voce
Ecclesiæ hæreticorum dicit. *Panes occultos libentius edite.* Et il-
lud. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Ali- Prou. 9. 17
quando namque subsidium vitæ præsentis. Vnde Iacob ait.
Domine Deus si dederis mihi panem ad edendum, & reliqua. Et Gen. 28. 20
Dominus. *Quæritis me non propter me, sed quia manducastis ex* Ioann. 6. 26
panibus, & saturati estis. Porro aliquando iocunditas humanæ Thren. 1. 11
delectationis accipitur. Hinc Hieremias ait. *Omnis populus* G
eius gemens & quærens panem, dederunt pretiosa quæque pro cibo,
ad refocillandam animam. Gemit enim populus & quærit pa-
nem, cum praua multitudo affligitur, quia non ad votum
præsentis vitæ iocunditate satiatur. Sed *pretiosa quæque pro*
cibo dat, quia virtutes mentis in appetitu transitoriæ delecta-
tionis inclinat, & refocillare animam nititur, quia pueris
suis desiderijs satisfacere conatur. Seq. *Et anima illius cibum*
ante desiderabilem. Vnusquisque enim cum sibi bene viuendi
prosperitas arridet, hilarescit; atque ipsa hilaritas animum
velut desiderabilis cibus reficit. Sed cum tentatione paulo
amplius imminente pulsatur, à mente eius per mœroris fa-
stidium, gaudium omne respuitur, quæ prius eodem gau-
dio quasi saturata lætabatur, nihilque ei aliud quam semet-
ipsum & agnoscere & flere delectat. Seq.
Tabescet caro illius, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Cum 21.
enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atte-
ritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Carnis autem no-
mine, ipsa delectatio carnalis accipitur: vel, quid per ossa H
nisi virtutes animi designantur? Tabescit ergo caro, & ossa
nudantur, quia dum flagellis arguentibus carnalis delecta-
tio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant
virtutum fortia patescunt. Nemo quippe quantum profe-
cerit, nisi inter aduersa cognoscitur. Seq.
Appropinquabit corruptioni anima illius, & vita eius mortiferis. 22.
Tentati enim vniuscuiusque iusti anima corruptioni appro-
pinquare dicitur, quando vt eam virtus possit extollere per
flagella compellitur, quod se ex propria infirmitate deber
sentire. Corruptioni videlicet appropinquat, quia ex suis
se viribus perditioni proximum non ignorat, vt hoc quod
à perditione longe est, non sibi, sed Domino tribuat. Ap-
propinquat vero mortiferis, quia ex infirmitate carnis pro-
ximum se peccatis mortem ferentibus respicit, à quib. di-
uino munere tanto magis longe fit, quanto se eis proximum
ex suis mentis deprehendit. Per contemplationem con-
ditionis suæ Dauid corruptioni appropinquauerat, cum
dicebat. *Memento Domine quod puluis sumus, homo sicut fœnum* Ps. 102. 15.
dies eius. Per contemplationem quoque infirmitatis
propriæ Paulus mortiferis appropinquauerat, cum
dice-

A dicebat, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi*
Rom. 7. 23. 24. *mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, qua est in*
membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mor-
tis huius?

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXIV.

23. Elin itaque dum tentatum superius homi-
nem demonstrat, vnum in quo tentatione sit
positum humanum genus ostendit. Vnde
mox generale submtulit remedium, dicens.
B *Si fuerit pro eo angelus loquẽs.* Quis enim iste an-
gelus est nisi ille qui per Prophetam dicitur. *Magni consilij*
Angelus? Quia enim Græca lingua euangelizare denuntiare
dicitur, semetipsum adnuntians nobis Dominus, Angelus
Rom. 8. 34. vocatur, & bene ait. *Si fuerit pro eo angelus loquens*, quia sicut
ait Apostolus, *etiam interpellat pro nobis*. Sequitur. *Vnum de si-*
milibus. Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus,
aliquando contraria contrarijs curet. Veniens ergo ad nos
desuper medicus noster, totosq; nos inueniens languorib.
pressos, quiddam nobis simile, & quiddam cõtrarium ap-
posuit. Quia enim ad homines homo venit, concordauit
nobis veritate naturæ, sed q a ad peccatores iustus, discre-
pauit à nobis vigore iustitię. Quia igitur Dominus vere na-
tus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnib. tamẽ distat
à nobis magnitudine potentiæ, sed sola nobis concordat
veritate naturę. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod
semetipsum pro omnibus hominem demonstrare digna-
tus est. Sequitur. *Vt adnuntiet hominibus æquitatem.* Quia nisi
C ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum
non appareret. Inde quippe adnuntiat æquitatem no-
stram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram.
Sequitur.
24. *Miserebitur eius, & liberabit eum dicet.* Mediator Dei & homi-
num homo Christus Iesus in eo miseretur hominis, quo
formam hominis sumpsit: qua misericordia homine re-
dempto dicit patri. *Libera eum*, vt non descendat in corru-
ptionẽ. Sicut iam supra diximus, dicere eius est, libera ho-
minem, naturã hominis assumendo liberam demonstrare.
Ex ea quippe carne q̃ sumpsit, etiam hanc ostendit liberam
Ioan. 8. 36. quam redemit, sicut ipse ait. *Si vos filius liberauerit, vere liberi*
eritis. Superius enim dictum fuerat. *Appropinquauit corruptio-*
ni anima eius, postmodũ dicitur, *non descendat in corruptionem.*
Ac si diceret. Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se
corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptio-
nis interitum non descendat. Ad corruptionem enim de-
scenderet, si suis viribus longe se à corruptione esse iudica-
ret. Sed quia corruptioni appropinquauit humiliter, de-
D bet ab ea misericorditer liberari, vt eo contra impugnan-
dum vitia fortis sit, quo se suis meritis cognoscit infirmũ.
Sequitur. *Inueni in quo ei propitier.* Ac si aperte mediator Dei
& hominum dicat. Quia nullus hominum fuit, qui coram
Deo intercessor iustus pro omnib. appareret, memetipsum
ad propitiandum hominibus hominem feci, & dum me
hominem exhibui, in quo iusto homine hominibus pro-
pitiarer inueni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus,
dum pœnam nostram moriendo tolerauit, corruptionem
nostram resurgendo mutauit: bene iste Angelus mortalita-
tis nostræ flagella subiungit, eorumq́. miseretur, dicens.
25. *Consumpta est caro à supplicijs, reuertatur ad dies adolescentiæ*
suæ. Ac si diceret. Mortalitatis suæ pœna in quandam vete-
stati suę senectutem deiectus est, *reuertatur ad dies adolescen-*
tiæ suæ, id est priori integritate renouetur, vt non eo maneat
quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod per-
cipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sępe adole-
scentiam pro nouitate vitæ ponere consueuit. Vnde ve-
Cant. 1. 3. nienti sponso dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Senectu-
tem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem, desle-
Psal. 6. 8. bat ille qui ait. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* E contra
alius gaudere in virtutibus admouens dicit. *Lætare iuuenis* E
in adolescentia tua. Sequitur. Eccl. 11. 9.
Deprecabitur Dominum & placabilis ei erit. Prius enim po- 26.
stulare angelum, & postmodum hominem dicit, quia nisi
ante ipse Dominus per incarnationem suam interpellans
patrem vitam nostram peteret, nunquam se nostra insen-
sibilitas ad postulanda ea quæ æterna sunt, excitaret. Sed
incarnationis eius præcessit oratio, vt corporis nostri eui-
gilatio subsequatur. Sequitur. *Et videbit faciem eius in iubilo.*
Aliter enim quisque compungitur cum interna intuens
malorum suorum pauore terretur: aliter vero compungi-
tur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam & secu-
ritate roboratur. Menti enim nostræ de consideratione
cæcitatis suę prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis
vitiorum ærugo concremetur. Et tunc mundatis oculis
cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur; vt prius purge-
mus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestius
contemplemur per gaudia quod quærimus. Iubilus nam- F
que dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipi-
tur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: &
tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis pro
prietatibus exprimatur. Hinc scriptum est. *Beatus populus* Psal. 88. 16
qui scit iubilationem. Quia enim per faciem quẽlibet agno-
scimus, nõ immerito cognitionem Dei, faciem vocamus.
Vnde Iacob postquam cum angelo luctatus est, ait. *Vidi* Gen. 32. 30
Dominum facie ad faciem. Ac si diceret. Cognoui Domi-
num, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cogni-
tionem plenissime fieri Paulus in fine testatur dicens, *Tunc* 1. Cor 13. 12.
cognoscam sicut & cognitus sum. Sequitur. *Et reddet homini iusti-*
tiam suam. Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra
est, sed quæ diuina largitate fit nostra, sicut in Dominica
oratione dicimus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Luc. 11. 3.
Suam quippe iustitiam homini Dominus reddit, nõ quam
ex semetipso habuit. Illam ergo iustitiam reddet Deus
homini, ad quam conditus fuit, vt inhærere Deo libeat,
vt minacem eius sententiam pertimescat, vt serpen- G
tis callidi blandis iam promissionibus non credat. Se-
quitur.
Respiciet homines, & dicet, peccaui. Sed peccatorem se vn- 27.
de cognosceret, si iustitiam non haberet? Nemo quippe
fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, depre-
hendit. Nam qui omnino peruersus est, neque hoc potest
videre quod est; qui vero peccatorem se esse intelligit, iam
ex parte aliqua esse iustus incohauit, atque id quod non
iustus fecerat, ex eo quod est iustus accusat. Scriptura et-
enim sacra aliquando homines ponere solet humana sa-
pientes, sicut ait Paulus. *Cum enim sit inter vos zelus & con-* 1. Cor. 3. 3.
tentio, nonne carnales estis? nonne homines estis? Qui etiam qoia
carnali affectioni succumbunt, non iam homines, sed iu-
menta nominantur. Vnde per Dauid dicitur. *Homo cum in* Ps. 48. 13.
honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & reliqua. A-
liquando homines cum dicit, eos à bestijs ratione distin-
guit, quib. per Prophetam Dominus dicit. *Vos autem pascua*
mea greges homines estis. Recte ergo de hoc pœnitẽte dicitur.
Respiciet homines, & dicet, peccaui. Ac si dicatur. Sanctorum H
virorum exempla conspicit, atq; eorum comparatione se
pensans, iniquum se esse deprehẽdit. Qui enim plenissime
intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspi-
cere qualis nõ est: vt ex bonorum forma metiatur quanto
ipse deserto bono deformis est. Vnde & per Ezechielem
dicitur. *Fili hominis ostende domui Israel Templum vt confundan-* Ezech. 43. 10. 11.
tur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam vt erubescant ex
omnibus quæ fecerunt. Tunc quippe templum ostẽditur, cum
iusti anima quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suã
peccatorib. demonstratur. Metiri vero fabricam est, pen-
sare subtiliter iustorum vitam. Sequitur. *Et vere deliqui, & vt*
eram dignus non recepi. Peccatores se plerumq; confitentur,
etiam qui se esse non credunt. Nam sæpe contingit vt pas-
sim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata
sua veraciter alijs arguentibus audiunt, defendunt se sum-
mopere, atque innocentes videri conantur. Vnusquis-
que enim in flagello positus, minus adhuc peccata sua cõ-
siderat, si vel tanto vel amplius se percussum quam mere-
batur, existimat. Iste autem quia quanto maiorum exem-
pla considerat, tanto districtiori examinatione se pensat,

A minus se percussum quam merebatur agnoscit, quia in il-
lorum iustitia conspicit quam grauis sibi culpa fuerit,
quod errauit. Et idcirco hoc quod patitur districtum esse
non sentit, quia districte nouit pensare quod fecit. Sequi-
tur.

28. *Liberauit enim animam suam ne pergeret in interitum.* Quia
præueniente diuina gratia, in operatione bona nostrum
liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, q
liberanti nos Domino consentimus. Vnde Paulus cum di-
1.Cor. 15.10 ceret. *Abundantius illis omnibus laboraui*, ne labores suos sibi
tribuisse videretur illico adiunxit; *non autem ego, sed gratia*
Dei mecum. Sequitur. *Sed viuens lucem videret.* Lucem videli-
Ioan. 8.12. cet veritatis, quam corde videre mortuus non posset, vel
certe quia Dominus dixit. *Ego sum lux mundi.* Videbunt lu-
cem etiam mortui, quando omnes iniusti cum venire ad
iudicium in humanitatis forma conspexerint. Sed viuens
tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma eius
diuinitatis attendit. Sequitur.

29. B *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos.* Ac si di-
ceret. Quod semel de vno dixi, hoc tribus vicibus per sin-
gulos agitur. Sed solerter intuendum est, quæ istæ tres vi-
ces sint, quibus vnusquisque homo anxietate mœroris af-
ficitur, & post mœrorem, protinus ad securitatem lætitiæ
vocatur. Igitur si vigilanter attendimus, has tres vices mœ-
roris & lætitiæ in vniuscuiusque electi animo istis alterna-
ti modis inuenimus, id est conuersatione, tentatione, mor-
te. In prima quippe quam diximus conuersationis vice,
grauis mœror est, cum sua vnusquisque peccata conside-
rans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam
Dei per spatium securæ conuersationis ambulare. Recte
ergo de hoc amarescente homine dici potest, *Abominabilis*
Versib. 20. 21. 22. *ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis. Ta-*
bescet caro eius, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur, Appropin-
quauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Sicut su-
pra dictum est. Sed quia diuina gratia diutius tribis difficul-
C tatibus affici non permittitur, ruptis peccatorum nostro-
rum vinculis, citius nos ad libertatem nouæ conuersatio-
nis consolando perducit, fitque cordi immensa lætitia,
quia ei quem desiderat iam per spem securitatis appropin-
quat, vt recte de hoc dici debeat *Deprecabitur Deum & pla-*
Ver. superio. 26. 27. 28. *cabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iu-*
stitiam suam. Respiciet homines & dicet. Peccaui, & vere deliqui,
& vt eram dignus non recepi. Liberauit animam suam ne pergeret
in interitum, sed viuens lucem videret. Post primam igitur vi-
cem mœroris atque lætitiæ, quam vnusquisque per studium
conuersionis agnoscit, hæc secunda subortitur, quia ne se-
curitatis negligentia dissoluatur, impulsu tentationis affi-
citur. Et quidem quisque in ipso conuersationis initio ma-
gna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed do-
rum laborem postmodum probationis experitur. Tres
quippe modi sunt conuersorum. Inchoatio, medietas, at-
que perfectio. In inchoatione autem veniunt blandimen-
ta dulcedinis: in medio quoque tempore certamina ten-
tationis, ad extremum vero perfectio plenitudinis. Prius
D ergo illos dulcia suscipiunt quæ consolentur, postmodum
amara quæ exerceant; & tunc demum suauia atque subli-
mia quæ confirment. Plerumque autem conuersus quisq;
talibus tentationum stimulis agitatur, quibus ante con-
uersionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur.
Non quia tunc eadem radix tentationis deerat, sed quia
non apparebat. Humanus quippe animus multis cogita-
tionibus occupatus sæpe sibimet ipsi aliquo modo manet
incognitus, vt omnino quod tolerat nesciat. Inter hæc er-
go deprehensa mens huc illucq; distenditur, & multiplici-
bus tentationum æstibus dissipatur; ita vero circum fremen-
tibus tentationum motibus angustatur, vt recte de eo dici
debeat, *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, vt supra. Sed quia
misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non
1.Cor. 10.13 reprobari, sicut scriptum est. *Fidelis autem Deus qui non patie-*
tur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam
prouentum vt possitis sustinere, citius consolationis opus oc-
currit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impu-
gnantesq; se cogitationum motus interna pace tranquil-
lat. Moxq; anima immensam de spe cœlesti lætitiam perci-
pit, dum deuictum malum respicit quod tolerauit, vt iure

de hoc tentato liberatoque homine dici debeat. *Videbit* E
faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam ne pergeret in in-
teritum, sed viuens lucem videret. Post conuersationis nam-
que certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc
dura tentatio. Quia venire non potest ad perfectæ gaudia
libertatis, nisi prius debitum soluerit humanæ conditio-
nis. Conuersus autem quisque sibi cauere sollicitus, tacite
secum considerare non cessat, æternus iudex quam distri-
ctus adueniat, suumque terminum quotidie prospicit, &
ante seueritatem tantæ iustitiæ quas rationes vitæ suæ sit
positurus attendit. Considerat quippe quod viam vitæ
præsentia nequaquam sine culpa transire potuimus; consi-
derat quia nec hoc quidem sine aliquo reatu est quod lau-
dabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis e-
nim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel su-
perare vel assequi? Et tamen Dauid dicit. *Ne intres in iudi-* Psal. 142.2.
cium cum seruo tuo. Solutioni ergo carnis appropinquans,
nonnunquam terrore vindictæ etiam iusti anima turba-
tur, cui & si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, F
mortis articulo interueniente concutitur, vt iure dici de-
beat. *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, & reliqua. Sed quia
iustorum animæ à leuibus quibusque contagiis ipso sæpe
mortis pauore purgantur, æternæ retributionis gaudia
iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero
contemplationem percipiunt quamdam retributionis æ-
ternæ, etiam priusquam carne expolientur. Hilarescunt,
& dum vetustatis debitum soluunt noui iam muneris læ-
titia perfruuntur, recte dicitur. *Videbit faciem eius in iubilo.*
Sequitur.

Et reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuen- 30
tium. Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis
cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuunt, luce mo-
rientium tenebrescunt. Illuminantur autem *luce viuentium*
qui despecto temporali lumine, ad splendorem internæ
claritatis recurrunt vt ibi viuant, vbi verum lumen sentien-
do videant: vbi non aliud lumen atq; aliud vita, sed vbi lux G
ipsa vita sit. Vbi sic nos lux exterius circumscribat, vt inte-
rius impleat; sic interius impleat, vt incircumscripta exte-
rius circumscribat. Illuminantur ergo hac *luce viuentium*,
quam tanto tunc subtilius conspiciunt, quanto nunc ad
illam prius viuunt. Sequitur.

Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor. Qualem se 31.
apud se habeat, hac locutione manifestat. Immensa enim
superbia est, a seniore sibi reuerentiam exigere, & silentium
imperare meliori. Sequitur.

Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere. volo enim 32.
te apparere iustum. Quia autem prædicatores iusti dum quos-
libet corripiunt, sæpe per humilitatis gratiam ad cogita-
tionum suarum intima reuertuntur, atque in eo ipso quod
corripiunt, ne quid fortasse fallantur exquirunt, correptis-
que licentiam tribuunt, vt si quid pro seipsis iustius sen-
tiunt fateantur. Hoc nonnunquam etiam arrogantes imi-
tari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposi-
ta, quasi eorum quos corripiunt, si forte reperiri potue-
rint, iustitiam quærunt, non quia ita sentiunt, sed quia or- H
nati per speciem humilitatis concupiscunt. Metuunt e-
nim ne superbi ac tumidi quia sunt, esse videantur. Sequi-
tur.

Quod si non habes audi me, & tace, & docebo te sapientiam. 33.
Qui enim veraciter quærunt audire quod iustum est, æ-
quanimiter expectant audire quod quærunt. Heliu autem
qui veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod
quæsierat, non permisit: sed mox quæ intrinsecus gesta-
uit, erupit, qualemque se in oculis suis habebat, osten-
dit dicens. *Tace, & docebo te sapientiam.* Arrogantes enim
viri, quando aliquid humiliter sonant, diu in eiusdem
specie humilitatis non perdurant, cum fortasse quærunt
vt audiant, mox loquendo obuiant ne doceantur. Se-
quitur.

Pronuntians itaque Heliu etiam hæc locutus est. Quid enim CAP. XXIV. 1.
per huius pronuntiationis vocabulum nisi inflatio elatio-
nis ostenditur? Vt verba quæ de alta superbiæ radice veni-
bant, cum quadam quasi altitudine & distinctione proce-
derent. Sequitur.

Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris 2.
enim

A *enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.* Ac si diceret.
3. Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec
stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes
ergo atque eruditi audire quod dico, qui potestis ea quæ
fuerint dicta cognoscere. Videamus igitur quantū timeat,
qui verba sua non nisi à sapientibus audire decenter existi-
Rom. 1. 14. mat. Verus autem prædicator sapientiæ dicit. *Sapientibus &*
insipientibus debitor sum. Sequitur.
4. *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.*
Sed verum hoc iudicium & humile corde quæsierit, faci-
le cognoscimus si subsequentia eius verba pensemus. Se-
quitur.
5. *Quia dixisti Iob, iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.*
6. *In iudicando enim me mendacium est, & violenta sagitta mea abs-*
que vllo peccato. Hæc B. Iob dixisse queritur, quæ tamen quia
minime dixerit, requisita sacræ historiæ verba testan-
tur. Sed qui iudicium æque quæsierat, ea culpa quam
finxit, protinus sententiam promulgat: nam sequi-
B tur.
7. *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam,*
8. *qui graditur cum operantibus iniquitatem?* Ecce iudicium
quærens iudicium protulit, & post allegationem suā nulla
B. Iob expectata sententia, eum damnatione dignum ea
reproborum societate iudicauit. Ait enim: *Quis est vir vt est*
Iob? Vt vtiq; subaudiamus, nullus; atq; subiungit, *Qui bibit*
subsannationem quasi aquam. Aqua autem cum bibitur, ita li-
quide sumitur, vt ad sorbendum nulla sui pinguedine re-
tardetur. Subsannationem vero vt aquam bibere est, Deū
sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, vt eo quod su-
perbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio cōtradicat.
Hæc autem eius sententia super B. Iob, quantum ab trami-
te veritatis exorbitet, illa etiam attestatione cognoscimus
Iob 1. 8. qua ad Diabolum dicit. *Numquid considerasti seruum meū Iob,*
quod non sit ei similis super terram? Ecce quē veritas dicit absq;
comparatione iustum, eum Heliu asserit absque compara-
tione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantium præ-
C dicatorum solent, vt etiam afflictos auditores suos magis
districte corripere appetant, quam blande refouere. Plus
enim student vt mala obiurgando increpent, quam bona
Prou. 14. 3. laudando confirment. Vnde scriptum est. *In ore stulti virga*
superbia. Nonnumquam vero etiam prædicatores iusti rigi-
de feriunt: sed aliud est cum iustitia stimulat, aliud cum
superbia instat. Iusti cum seuere corrigunt, internæ dulce-
dinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine
refrænāda prauorum, duritiam districti vigoris assumunt,
sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore
ardent, in quos aspera correptione sæuiunt. Vnde scri-
Eccl. 12. 11. ptum est. *Verba sapientium quasi stimuli, & sicut claui in altum*
defixi. Sequitur.
9. *Dixi enim, non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cū eo.* Quod
profecto quia minime dixerit, quisquis beati Iob verba le-
git, agnoscit. Sed qui idcirco loquitur, vt semetipsum o-
stendendo superbiat, quid mirum si in altero fingit quod
reprehendat? Sequitur.
10. *Ideo viri cordati audite me.* Ecce iterum fastu superbiæ in-
D flatus, eos tantummodo qui quasi digne intelligendo se
assequi valeant, quærit.
11. *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim ho-*
minis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet ei. Benedixit,
quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non est,
in hac vita nequaquam hoc semper agitur quod subiūxit,
quia iuxta opus suum singulis & *iuxta vias* reddet. Nam &
multos illicita ac peruersa perpetrantes gratuito præuenit,
atque ad opera sancta conuertit. Et nonnullos rectis acti-
bus deditos flagello interueniente corripit, ac si placentes
Eccl. 8. 14. quasi displiceant affligit, Salomone attestante qui ait. *Sunt*
iusti quibus mala veniunt, quasi opera egerint impiorum, & sunt
impij qui ita securi sunt, ac si iustorum facta habeant. Verius ergo
Heliu diceret si dixisset, quia in omnipotente impietas at-
que iniquitas non est, etiam eum iuxta vias proprias ho-
minibus reddere non videtur, nam & quod à nobis non
intelligitur, ex occulti iudicij non iniusta lance profertur.
Sequitur.
12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens sub-*
Iob. 2. 3. *uertit iudicium.* Ad Diabolum Dominus dicit. *Commouisti*
me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Contraria quippe E
videntur, nisi subtili cōsideratione pensentur. Aliud nam-
que est damnare, aliud affligere. Affligit ergo mala aliquid
frustra, sed frustra non damnat. An non iuxta *frustra* Iob af-
flixerat, cum non delebat vitium, sed meritum augebat.
Frustra enim condemnare non potest, quia damnatio fieri
non ex parte ad aliquid potest. Quæ videlicet in extremo
punit omne quod hic quisque commiserit. *Nec omnipotens*
subuertit iudicium, quia & si minus recta videntur esse quæ
patimur, recte tamen in occulto examine decernuntur.
Sequitur.
Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super or- 13.
bem quem fabricatus est? Vt videl. subaudias nullum. Per se
quippe mundum regit, quem per se cōdidit, nec eget alie-
nis adiutorijs ad regendum, qui non eguit ad faciendum.
Sed hæc idcirco colliguntur, vt liquido indicet, quia om-
nipotens Deus si per semetipsum regere non negligit, quæ
creauit: quod bene creauit, vtiq; bene regit, quia quod pie
condidit, impie non disponit. Sequitur. F
Si direxerit ad eum cor suum spiritum illius & flatum ad se tra- 14.
het. Curuum cor est, cum ima appetit, dirigitur cum ad su-
perna subleuatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum
dirigit, spiritum & flatum illius Dominus ad se trahit, spi-
ritum videl. pro internis cogitationibus, flatum vero quo
corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo
spiritum hominis & flatum ad se trahere est, ad conuersio-
nem sui desiderij, & interiora nostra & exteriora commu-
tare, vt nihil iam menti exterius libeat, nihil caro inferius
vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est,
ad eum videlicet à quo est & interius desiderando ferueat,
& exterius recedomando constringat. Seq.
Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Simul 15.
enim omnis caro deficit, quando iam nullis suis motibus
seruit, quia præsidens spiritus cuncta eius fluxa restringit,
& quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa male
viuebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semet-
ipsum Hierem. interfecerat cum dicebat. *Postquam conuer-* G
tisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi percussi femur Ier. 31. 19.
meū. Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur?
Et quid est quod ait, *Postquam ostendisti mihi, percussi femur*
meum, nisi postquam superna spiritaliter vidit, omne quod
inferius in se carnaliter viuebat, extinxit? In peccato enim
quisq; positus, mortalitatis suæ obliuiscitur, & terrā se esse
non meminit dum adhuc per superbiam inflatur. Post cō-
uersionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur,
quid se esse aliud quam cinerem recordatur? In cinerem
Abraham reuersus fuerat dicēs. *Loquar ad Dominum meum,* Gen. 18. 27.
cum sim puluis & cinis. Hinc Dauid ait. *Auferes spiritum eorum* Ps. 103. 29.
& deficient, & reliqua. Sequitur.
Si habes ergo intellectum audi quod dicitur, & ausculta vocem 16.
eloquij mei. Habēt hoc proprium omnes arrogantes, vt cum
fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium ela-
tionis erumpant, sensusq; omnium in sui cōparatione de-
spiciant, seq; in suo iudicio aliorum meritis anteponant.
Ecce Heliu quomodo paulisper in elationem per verbo- H
rum incrementa proficit. Sæpius namq; dixerat. *Si habes* Iob. 33. 32.
quod loquaris, responde mihi, & reliqua. Ac si diceret. Dic ali-
quid, si tamen dignus potueris esse qui dicas. Hinc autem
ait. *Si habes intellectū audi quod dicitur.* Ac si aperte dicat. Audi
me, si tamē dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quoti-
diani defectus qui in cordibus reproborum fiunt, quibus
indesinenter ad deteriora descendunt. Seq.
Numquid qui non amat iudicium sanari potest, quomodo tu 17.
eum qui iustus est in tantum condemnas? Bonam quidem sen-
tentiam protulit, sed B. Iob proferenda non fuit. In omni
enim quod dicitur summopere intuēdum est qd dicatur,
cui dicatur, quomodo dicatur. Heliu aūt attendit quod
diceret, sed cui diceret non attendit. Beatus quippe Iob
amabat iudicium, qui causas suas subtiliter cum Deo pen-
sare nouerat, nec condemnauerat eum qui iustus est: sed
cur sine peccato pcussus fuerat in dolore positus cum hu-
militate requirebat. Amat iudicium quisquis vias suas sub-
tiliter discutit, & secretariū cordis ingressus, quid Domi-
nus ipse tribuat, quid ipse debeat Deo pensat. Arguens B.
Iob quod iudicium non amaret, & quia eum qui iustus est,

con-

A condemnasset; ilico eiusdem iusti id est Domini iustitiam subdit. Sequitur.

18. *Qui dicit Regi, Apostata, qui vocat duces impios.* Sæpe nouimus quod plerique qui præsunt inordinatum sibi metum à subditis exigunt, & non tam propter Dominũ, quam pro Domino venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosq; subditos in sui comparatione despiciũt. Vnde scriptum est. *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis*, bene eouita cor dicimr. *Qui dicit Regi, Apostata.* Vnusquisque enim superbus rector totiens ad culpam apostasiæ delabitur, quotiens præesse hominibus delectatur, honoris sui singularitate lætatur. Sub quo enim sit non considerat, & quod æqualibus quasi non sit æqualis exultat. Ad viam namque pietatis ducerent, si subditorum oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux quippe est impius, qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes inuitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostẽdit erroris. Paulus dux impius esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem reprimebat dicens. *Non quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs, cum possemus oneri esse vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestrum.* (Eccli. 32. 1. — B — 1. Thess. 2. 6. 7.)

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXV.



IPsa humanæ conditionis qualitas indicat, quam longe rebus cæteris præstat. Nam collata homini ratio asserit quantum omnia, quæ vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen quia ab internis atq; inuisibilibus oculos claudimus, atque visibilibus pascimur, plerumq; hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur. Cumq; nõ intuemur quod ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarũ non ex personis, sed ea rebus adiacentibus ducimur, sicq; fit vt is quoq; apud nos intus in disceptatione veniat, qui foris honoratur, quia dum pro his quæ erga illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. At contra de Deo dicitur. (C)

19. *Qui non accipit personam principum, nec cognouit Tyrannum, cum disceptaret contra pauperem.* Potest autem per Principem vel Tyrannum, quisq; superbus intelligi, per pauperes vero humiles designari. Tyrannum ergo disceptantem contra pauperem non cognoscit omnipotens Deus, quia superbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in iudicio se nescire perhibet dicens. *Nescio vos, vnde sitis.* Et quia sic potentes cum vult destruit, sicut cum voluit potentes creauit, apte ratiocinando subiungitur. *Opus enim manuum eius sunt vniuersi.* Atq. mox subditur. (Luc. 13. 25. 27.)

20. *Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi & pertransibunt.* Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito & repente tolluntur, quia finem suum cogitando præuidere nesciunt. Subito est quod ante cogitare non potuit. Subito diues ille stultus est, qui horrea quæ præparauit, deseruit; & inferni locum, quem non præuidebat, inuenit. Vnde ei dicitur. *Hac nocte repetent animam tuam à te*, at contra de iustis dicitur. *Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat.* In media enim nocte curuati pertransibunt, qui in obscuritatis suæ negligentia * humilitati rapiuntur. Tunc curuabuntur per sententiam iudicis, qui nunc curuari negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inuiti curuentur in morte, sponte curuantur in humilitate. Vnde sanctæ Ecclesiæ de conuersa prole persecutorum dicitur. *Venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te.* Et bene de morientibus populis non ait, transibunt, sed *pertransibunt*, qui etiam viuendo temporaliter quotidie ad finem tendimus, & præsentem vitam quasi quandam viam inhiigendo transimus; hoc ipsum mortalis viuere, quasi ad mortem ire est, & quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum cui pallium propinquamus. Sequitur. *Et auferent violentum absq; manu.* Subaudis diuina iudicia. Absq; manu vero auferent eum, qui manu violentus fuit, absq; manu auferent, quia videlicet subito exitu vrgente inuisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat. Sequitur. (D — Luc. 12. 20. — 1. Thess. 5. 4. — * humiliati — Esa. 60. 14 — E)

21. *Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum cõsiderat.* Tunc enim nequaquam considerare credebatur, quando violentus iste omne malum quod poterat, inulte perpetrabat. Æstimabatur Deus iniusti acta non cernere, quia differebat iuste dãnare, & magna eius patientia quasi quædam negligentia putabatur. Iniquus quoq; ipse totiẽs se in peccatis suis non videri à Deo credidit, quotiens inulte peccauit, cui per quendam sapientem dicitur. *Ne dicas, Peccaui, & quid accidit mihi triste?* Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non protulit pœnam. Gressus vero hominum vocat, vel singulas operationes quibus innitimur, vel alternantes motus intimæ cogitationis, quibus quasi passibus vel longe à Domino recedimus, vel prope ad Deum propinquamus; ad Deum enim quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis motibus proficit: & rursum tot gressibus longe fit, quot malis cogitationib. decrescit. Seq. (Eccli. 5. 4 — F)

22. *Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Quid per tenebras nisi ignorantiam, & quid per vmbram mortis, nisi obliuionem illud voluit designare? De quarumdam quippe ignorantia dicitur. *Tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et rursum de obliuione quæ in morte contingit scriptum est. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Quia ergo per mortẽ funditus obliuioni traditur quicquid viuendo cogitatur, quasi quædã obliuio est, & vmbra mortis. Ac si ergo diceret. Idcirco eius iudicio nullus absconditur, quia nullatenus potest aut non videre quod fecimus, aut obliuisci quod videt; quamuis intelligi tenebræ vel vmbra mortis etiam aliter possunt. Omnis namque immutatio, velut quædam mortis immutatio est. Id enim quod mutat, quasi ab eo quod erat, interficit; vt desinat esse quod fuit, & incipiat esse quod non fuit. Lumen igitur verum, creator videlicet noster, quia à nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed eius esse, sine mutabilitate fulgere est, tenebræ ei vel vmbra mortis dicitur non inesse. Vnde alias scriptum est. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et vnde rursus Paulus Apostolus dicit. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem*. Lux enim æterna quæ Deus est, quanto incommutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt: & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Sequitur. (Eph. 4. 18 — Psal. 145. 4 — G — Iacob. 1. 17 — 1. Tim. 6. 16)

23. *Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.* Hic nimirum nõ illud iudicium designatur, quod per æternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conuersionem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur. *Neque enim vltra in hominum potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium*, profecto ostenditur esse quoddam iudicium quod quandoque etiam à damnatis ac reprobis desideretur. Et quod est illud nisi hoc de quo Paulus Apostolus dicit. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et de quo per Prophetam dicitur. *Non est iudicium in gressibus eorum.* Et quod Dauid ait. *Honor Regis iudicium diligit.* Vt videlicet qui iam Deum honorat ea fide, se iuste iudicet quid ei debeat in operatione. Hinc Propheta ait. *Reduc me in memoriam vt iudicemur simul, narra si quid habes vt iustificeris.* Debet enim vniuscuiusque mens & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se solicita inquisitione discutere: debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerse viuendo respondit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Vnde bene Salomon ait. *Cogitationes iustorum iudicia.* Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis, considerant quam districte quandoque feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se egisse meminerunt, puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt. Nec deest in hoc iudicio mente concepto omne (H — 1. Cor. 11. 31 — Esa. 59. 8 — Psal. 98. 4 — Esa. 43. 26 — Prou. 12. 5)

A ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius sæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Quia ergo nunc in potestate est internum mentis nostræ contra nos subire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos quales fuimus, pœnitendo torqueamus, nō cessemus dum licet iudicare quod fecimus. Audiamus caute quod dicitur. *Neque enim vltra in hominis potestate est vt veniat ad Deum in iudicium*. Sequitur.

24. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro alijs.* Postquam multa narrata sunt de pœna malorum, subito infertur occultum iudicium, quod pie super nos iusteque disponitur, quomodo alij perdunt quod tenere videbantur, & alij accipiunt quod alij ex meritis perdunt. Cunctis autem liquet, quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, vt alios ad tormenta deferat, alios ad participationem regni cælestis admittat. B Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc publice demonstratur. Nam iuste ac misericorditer singulorum corda, vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecus trahit. Hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit, illorum superbiam in infimis desiderijs mergit, & qui videntur humano iudicio, iam in conspectu æterni iudicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset Iudam viuendi sortem etiam post ministerium Apostolatus amittere? Et quis è contra latronē crederet causam vitæ et in ipso mortis articulo inuenire? Cernuntur etiam qui relictis cœlestibus terram quærunt. Quæ autem maior poterit esse contritio, q̃ deserto creatore creaturam quærere? desertis supernis gaudijs, in infimis rebus inhiare? Vnde bene per Psal. 146. 6. Prophetam dicitur. *Humiliat autem peccatores vsq; ad terram.* Quod autem dicēs. *Conteret multos*, illico adiunxit, *innumerabiles*, multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ C humanæ rationis numerum transit. Vel certe indicare voluit q omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, vt eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Vnde Propheta intuens tantos hoc ecclesiæ tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est e- Psal. 39. 6. lectorum numerum summamq̃ue transire, ait. *Multiplicati sunt super numerum.* Sequitur.

25. *Nouit enim opera eorum, & idcirco inducit noctem & conterentur.* Sciendum summopere est, quod iniquus quisque duobus modis in nocte conteritur, vel cum exterioris iudicij tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius cæcatur. In nocte corruit, cum per extremum iudicium, vi- Matt. 22. 13 uendi lumen in perpetuum amittit. Vnde scriptum est. *Ligate ei pedes & manus, & mittite eum in tenebras exteriores.* Rursum in nocte iniquus cōteritur, cum peccatorum p̄cedentium confusione damnatus, veritatis lumen non inuenit, & quid deinceps agere debeat, nō agnoscit. Omne quippe D peccatum quod tamen citius pœnitendo non tegitur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitētia non diluit, ipsu suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur ad peius & alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentia peccati merito etiam Ps. 68. 28. in alijs cadat. Hinc Dauid ait. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitia tua.* Igitur quia p̄cedentibus peccatis cæcatus oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animum ex anteactæ culpæ damnatione cōfundit, merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Inducere autem noctem dicitur Dominus, non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, vt hoc ipsum in nocte cæcasse sit, à cæcitatis tenebris liberare noluisse. Sequitur.

26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.* In Scriptura sacra *quasi* aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate poni cōnsueuit. E Pro similitudine enim *quasi* ponitur, 2. Cor. 6. 10. sicut Apostolus dicit. *Quasi tristes, semper autem gaudētes.* Pro Ioan. 1. 14. veritate autem ponitur, sicut Ioannes ait. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Hoc autem loco nihil differt verum pro similitudine, an pro veritate sit positum, q quolibet dicatur ordine, aperte praua malorū vita signatur. Impios vero Scriptura sacra proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impijs discernuntur, quia cum omnis impius sit peccator, non tamē omnis peccator est impius; peccator enim dici etiam qui in fide pius est potest. Vnde Ioannes ait. *Si dixerimus quia peccatum non* 1. Ioan. 1. 8. *habemus, veritas in nobis non est.* Impius vero proprie dicitur, q à religionis pietate separatur. De talibus enim Propheta ait. *Non resurgunt impij in iudicio.* Psal. 1. 5. Locus autem videntium sancta Ecclesia vocatur, in ipsa enim recte consistitur, vt lumen verum quod Deus videatur. Vnde ad Moysem dicitur. *Est locus penes me, & stabis supra petram cum transiet mea* Exod. 33. 21. 22. *maiestas.* Et post paululum. *Auferam manum meam, & videbis posteriora mea.* Ibid. 23. Multi quippe intra sanctam Ecclesiam positi, pia specie extra Ecclesiam inuenti sunt, impia conuersatione. F De quibus bene alias scriptum est. *Vidi impios sepultos, qui cum adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.* Eccl. 8. 10. Sequitur.

27. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo.* Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & grauius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo grauius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat, cum dicebat. *Qui prius fui blasphemus & persecutor,* & 1. Tim. 1. 13. reliqua. Petrus vero infirmitate peccauit. Industria vero peccauerant hi, de quibus dicebat, ipse magister. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* & reliqua. Ioan. 15. 22. 24. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, & quæ ipsi negligunt facere, etiam in alijs detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, G quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in alijs amarent. Sequitur. *Et omnes vias eius intelligere noluerunt.* Non enim infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt*, quia sæpe quæ facere despiciunt etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est. *Seruus nesciens voluntatem domini sui* Luc. 12. 47. 48. *& non faciens digna, plagis vapulabit paucis, & seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens iuxta eam, vapulabit multis.* Impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse, superbia. Via quippe est incarnatæ omnis actio quam temporaliter gessit, viæ eius sunt viuendi ordines, quos ad se venientibus strauit. Tot itaque ad se venientibus vias præbuit, quot bene viuendi exempla monstrauit. Humilitatis eius Propheta vias aspexerat, cum suspirabat H dicens. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.* Ps. 118. 15. Quia ergo superbi quiq; humilitatis Dominicæ facta contemnunt, recte dicitur, *vias eius intelligere noluerunt.* Vias itaque eius intelligere est, & humiliter tolerare transitoria, & perseueranter expectare mansura, vt exemplo Dominico æterna quæratur gloria opprobrijs temporalib. comparata. Sequitur.

28. *Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.* Cum enim isti superbiunt, clamant ad Dominum hi qui ipsis superbientibus opprimuntur. Vel certe idcirco dicitur quod ad Deum fecerunt clamorem pauperum peruenire, quia istis cadētibus in eorū loco pauperes, id est humiles spiritu subrogantur. Et quia hoc eorum casu factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis genere quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis. Vel certe, quia cuncta quæ superius dicta sunt, referri etiam ad rectores Ecclesiasticos possunt, qui relicto prædicationis studio, sub occasione regiminis terrenis negotiis inuoluūtur, apte subiungitur. *Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audire vocem pauperū.* Quia nimirū dū ipsi curis secularib. occupati prædicationis officium deserunt, gregem subditorū in querelam prorumpere clamore cōpel-

lunt,

A sunt, vt quasi inter vnusquisq; subiectus de vita ficti pastoris immurmuret, cur tenet magistri locum, qui nō exercet officium, quamuis fortasse melius per tumorem potentiū superbia Iudæorum, & per clamorem pauperum desideria gentium figurantur, sicut attestante Veritate per epulantem splendide diuitem Iudaicus populus designatur. Et per vulneratum Lazarum, qui interpretatur adiutus, forma Gentilis populi exprimitur. Illis ergo peccantibus pauperum clamor auditur, quia dum Iudæi contra Deum superbiunt, ad Deum vota Gentilium peruenerunt. Sequitur.

29. *Ipso enim concedente pacem quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?* Nemo ergo discutiat cur stante Iudaico populo dudum in infidelitate Gentilitas iacuit, & cur ad fidem Gentilitate surgente Iudaicū populū infidelitatis culpa prostrauit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. B Si enim Gentilitatem miraris assumptam, *ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?* Si Iudæam obstupescis perditam, ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? Itaq; consilium summæ & occultæ virtutis satisfactio sit aperte rationis. Vnde in Euāgelio Dominus cum de huius rei causa loqueretur, ait. *Confiteor tibi Domine Pater* Matt.11.25 *cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Seq. *Et super Gentes, & super omnes homines.* Ac si aperte admoneantur adtendere, quia hoc iudicium quod super vnam Gētem describitur, etiam super omnes homines inuisibili examinatione celebratur, vt alius repellatur, alius eligatur occulte, sed nullus iniuste. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute timeamus. Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnā animam, sicut super vnam vrbem, sicut super vnā gentem, sicut super vniuersam generis humani multitudinē. Quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Qui enim omnia administrando implet, regit implendo; nec vniuerso deest cum disponit vnum, nec vni deest, cum disponit C vniuersum, cunctæ scilicet naturæ sua potentia verus operatur. Sequitur.

30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Quia igitur de specie transiuit ad genus, nunc de genere se conuertit ad speciem. Verum namq; regem super se Iudæa regnare noluit, & ideirco ex gentibus meritis hypocritam Ioan. 5. 43. accepit, sicut quoq; Veritas in Euangelio dicit. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; alius veniet in nomine suo, hunc accipietis.* Potest etiā per hypocritam, caput Antichristus* designari, seductor quippe ille tunc sanctitatem simulat, vt ad iniquitatem trahat, sed propter peccata populi regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius regimine præordinantur, qui digni eius Domino ante secula præsciuntur qui peccatis subsequentibus exigunt, vt sub illo iudicijs præcurrentibus disponantur. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia iudicis, sed ex culpa patientis; quamuis plerique & principatum illius non viderunt, & tamen eius principatui pec- D catorum suorum conditione deseruiunt, quia & quem dominantem sibi minime conspiciunt, eum procul dubio peruerse viuendo venerantur. An non eius membra sunt qui per affectatæ sanctitatis speciem appetunt videri quod non sunt? Ille namq; principaliter hypocrisin sumet, quia cum sit damnatus homo & nequam spiritus, Deum se esse mentitur, sed proculdubio ex eius nunc corpore prodeūt, qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscōdunt, vt professione videri appetant, quod esse operibus recusant, quia enim scriptum est. Ioan. 8. 34. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quanto nunc liberius peragunt peruersa quæ volunt, tanto eius seruitio obnoxij obligantur. Sed quæri potest rationabiliter quomodo hoc in loco dicitur, quod *regnare hypocritam* Dominus facit, cum hac de re specialiter queritur per Prophetam dicens. Osee 8. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt & non cognoui.* Quis enim recte sentiens dicat, quia facit Dominus quod minime cognoscit; sed quia scire Dei approbare est, nescire, reprobare. Vnde quibusdam quos reprobat dicit, Luc. 13. 27. *Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et aliquando facere Dei est, id quod fieri prohibet irascendo permittit merite. Vnde & regis Ægypti cor se obdurare asseruit, quia videlicet obdurari permisit. Miro modo hypocritas Dominus regnare facit & nescit: facit sinendo, nescit reprobando.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXVI.



31. 32. *Quia ergo locutus sum ad Deum, te quoque non prohibeo. Si erraui, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum, vltra non addam.* Sicut sæpe contingit vt bona loquantur & mali, multa Heliu fortis paulo superius se dixisse memorat, & secu- F turus ideirco ne fortasse errauerit, requirebat. Neq; enim requireret, si se errasse credidisset. Est namque, vt dixi, propria arrogantium fraus, vt tunc de errore requirere studeant, quando se nouerint non errasse. Qui rursum requirere vel argui de errore despiciunt, si quando se errasse veraciter cognoscunt. Sequitur.

33. *Numquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?* Ac si diceret. Ego coram Deo rationes positurus sum. Cur modo iniquitas mea à te reprehenditur? Quæ constat quia quod in iudicio à te non requiratur? Recti viri cum iniuste ab hominibus impetuntur, ad supernum iudicium recurrūt. Iob.16.19. Vnde & ab eodem Iob dicitur. *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.* Et quia ei summopere placere cupiunt, eius solius testimonium requirunt. Peruersi quoque quia iustorum vitam deserunt, sed nonnumquam eloquia scrutantur, cum de suis male gestis increpantur, hoc assumunt in argumento defensionis, quod iusti proferunt cum testi- G monio puritatis. Vnde eis & consuetudo iam facta est, vt si quis eos de factis suis arguat, Dei magis iudicium quam hominum quærant. A Deo enim & cum se damnandos nouerint, iudicari metuunt, iudicari ab hominibus erubescunt. Proponunt ergo magis quod metuūt, vt hoc minus declinare valeant quod erubescunt. Scriptum quippe est. Rom.14.12 *Vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo.* Quia vero esse culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoāt, quam qui respondent, subdidit dicens. *Tu enim cœpisti loqui, & non ego.* Eo se innocentem credidit, quo pulsatus erupit, nimirum nesciens quia innocentia non tempore defenditur, sed ratione. Quid enim eius defensionib. adminiculatur? Quod si tacenti nulla intulit, recte tamen inchoanti praua respondit. *Quod si quid nosti melius, loquere.* Quamuis dum non ait, quia melius nosti, sed quid melius nosti, loquere: nimis hinc ipsum superbisse est, de melioris scientia dubitasse. Ecce dum quasi humiliter B. Iob loqui tribuit, quod intrinsecus gestaret, ostendit. Sequitur.

H 34. *Viri intelligentes loquantur mihi.* Dedignatus videlicet si B. Iob loqui præsumeret, qui quasi eius intelligere verba non posset. Et quia non solum ad loquēdum, sed etiam ad audiendum B. Iob indignum fuisse iudicauit. Sequitur. *Vir sapiens audiat me.* Ac si diceret. Huic loqui iniuste conceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur. Atque mox aperte quam despecta de illo sentiat, manifestat dicens.

35. *Iob autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.* Sine disciplina locutum B. Iob credidit, quia iustum se in suis operibus fuisse memorauit. Verum fortasse Heliu diceret, si ea quæ B. Iob de seipso narrauerat, non de illo hæc eadem ipse disciplinæ auctor æstimasset. Innocentem enim Iob se asserit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra percussum. Quod ergo vox percussi superbum sonuit, quæ à sententia ferientis nullatenus discrepauit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant, imo mentiendo superbiunt, qui contra veritatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur. Sequitur.

A 36. *Pater mi probetur Iob vsque ad finem.* Ecce hoc quod de ar-
rogantiæ tumore conceperat, in verbis etiam maledictio-
nis exaltat, sed fortasse beneuole vim probationis opta-
ret, si stetisse enim in probatione indicasset. Vt vero aperte
malitia eius crudelitatis appareat, probare adhuc per fla-
gella deprecatur, quem inter flagella lapsum fuisse iam
queritur; præmisit, quod sensit, vt apertius cognosci de-
beat quod optat. Adhuc feriri postulat quod iam peccasse
sub manu ferientis accusat. Propria hæc arrogantium vo-
ta sunt, vt vitam dolentium examinari acrius deprecetur,
quia quanto sibimetipsis iniustiores sunt, tanto alienis dolo-
ribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem a-
lienæ infirmitatis trahere, & sicut suæ, ita etiam proximi
imbecillitati misereri. Viri autem veraciter sancti flagella-
ri quempiam etiam pro culpa cognoscunt, & si quædam
eius inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia
compatiuntur, & sciunt sic fomenta premere, vt sciant
etiam cruenta resnuere, quatenus in eis cum dura emol-
B liunt, infirma roborent. Sequitur. *Ne desinas ab homine*
iniquitatis. Hominem iniquitatis vocat, quem Deus iu-
stum præ omnibus superna attestatione denuntiat. Sequi-
tur.

37. *Qui addit super peccata sua blasphemiam.* Accusat eum & pro
peccatis suis flagella meruisse, & post flagella peccasse.
Longe vero aliter Dominus indicat, qui & *frustra* flagella-
tum insinuat, & bona duplicia post flagella retribuit: pœ-
na enim debetur culpæ, non præmium. Beatus ergo Iob
sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem pre-
mia subsequuntur. Sequitur. *Inter nos interim constringatur,*
& tunc ad iudicium prouocet sermonib. suis Deum. Ac si diceret.
Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam diuinæ
examinationi sufficiat. Sequitur.

CAP. XXXV. *Igitur Heliu hæc rursum locutus est.* Omnis qui multa loqui-
tur, in locutione sua semper incipere studet, quatenus in-
1. choatione ipsa suspensos auditores faciat, & eo attentius
taceant, quo quasi nouum audire aliquid expectant. Se-
C quitur.

2. *Numquid tibi æqua videtur tua cogitatio, vt diceres, iustior Deo*
sum? Quia B. Iob iustiorem se Deo non dixerit, omnis qui
Iob. 23. 7. textum historiæ legit, agnoscit. Sed ait. *Proponat æquitatem*
contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum. Vitam suã
videl. pensans, & causas percussionis ignorans, vt sæpe iam
dictum est, pro diluendis peccatis se credidit, & non pro
augendis meritis flagellari: & idcirco iudicium suum ad
victoriam peruenire confisus est, quia culpam in se, pro
qua debuisset percuti, non inuenit. Quod quidem de illo
Iob. 2. 3. & Dominus ad Diabolum dixit. *Commouisti me aduersum*
eum, vt affligerem eum frustra. Vel certe intueri Redemptoris
nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui est virtus patris &
sapientia, etiam eius æquitas non inconuenienter accipi-
tur. Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugienti-
bus incarnatam ostendendo contra posuit, eos protinus
ab iniquitate reuocauit. Sequitur.

3. *Dixisti enim. Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi pro-*
D *derit, si ego peccauero?* Si tota libri series attẽditur, nil horum
B. Iob dixisse monstratur, sed arrogantes cum non possunt
reprehendere iuste quæ sunt, reprehendunt mentiendo
quæ non sunt. Sequitur.

4. *Itaq. ego respondebo sermonib. tuis, & amicis tuis tecum.* Dictis
superioribus quasi B. Iob culpabilia verba narrauit, atque
ex eis sibi materiam loquendi præposuit, sed verbis subse-
quentibus forti acumine discurrit hoc quod sibi ad dicendi
materiam fallaciter finxit, & fortes quidem sunt senten-
tiæ quæ sequuntur, sed beati Iob personæ minime congru-
unt. Sequitur.

5. *Suscipe cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te*
6. *sit. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquita-*
7. *tes tuæ, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei?*
aut quid de manu tua accipiet? Quamuis beato Iob scienti ma-
iora nequaquam dici ista debuerant, vera tamen sunt quæ
dicuntur, quod videlicet Deo nec peccata nostra noceant,
nec bene gesta concurrant. Sequitur.

8. *Hominis qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium homi-*
nis adiuuabit iustitia tua. Sed inter hæc illud solerter intuen-
dum quod ait. *Suscipe cœlum, & intuere, & contemplare æthera*
quod altior te sit. Hæc enim dicens, nimirum colligit vt con- E
siderare debeat quanto minus Deo actione sua aut prosit
aut noceat, cui altitudine cœli atque ætheris prodesse vel
nocere non possit. Quamuis in cœlo vel æthere possumus
supernas potestates accipere, diuinis semper obtutibus in-
hærentes, vt cum Angelicos spiritus longe adhuc à nobis
distare conspicimus, ipsi creatori atq; dominatori spiritũ
quanto distamus iniectius agnoscamus, corpoream tamen
cœli ætherisque materiam hoc loco sentire nil obstamus.
Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem
ad interiora reuocamur. Vnde Paulus ait. *Inuisibilia enim per* Rom. 1. 20.
ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus
eius & diuinitas. Humana impietas ei nocet, quem peruer-
tendo inquinat, & rursum eum adiuuat nostra iustitia, quẽ
à prauis actionibus mutat. Noceri enim vel adiuuari ne-
sciunt ea quæ vel à bono corrumpi, vel à malo permutari
non possunt. Supernæ igitur potestates eo lædi vel iuuari
nequeunt, quo esse iam incommutabiles acceperunt. Se- F
quitur.

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt & eiulabũt 9.
propter vim brachij tyrannorum. Calumniatores recte dicere
possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona
rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus & vitæ reprobæ
exemplo interna nostra dissipare contendunt. Illi nam-
que ea quæ nobis extra sunt, inuadere ambiunt, isti nos
prædari interius quærunt: & quia in hoc mundo abundat
malorum vita quæ cruciat, recte dicitur. *Propter multi-*
tudinem calumniatorum clamabunt. Quisquis enim male vi-
uere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce ca-
lumniatoris vtitur. Quisquis vero peccatũ suadens, etiam
terrere nos appetit, iam cuncta nos brachio tyrannidis fe-
rit. Aliud est enim vitia suadere viuendo, aliud iubendo
terrere. Sequitur.

Et non dixit, vbi est Deus qui fecit me? Mos sacræ scripturæ 10.
est, vt à singulari numero ad pluralem subito transeat, atq;
à plurali ad singularem vertatur. Vnde & Heliu à plurali
numero in singularem veniens, ad personam subitu infir- G
mi vniuscuiusque transiuit, fortasse quia à singulis melius
recognoscitur quicquid dici singulariter auditur, vt ad cor
suum quisque redeat, & in semetipso hoc quod de vno-
quoque dicitur, reprehendat. Quisquis enim aduersita-
tum tribulatione frangitur, à quo factus est minime con-
templatus. Nam qui quod non erat, fecit, factum sine gu-
bernatione non deserit, & qui benigne hominem, nequa-
quam cruciari iniuste permittit. Sequitur. *Qui dedit carmi-*
na in nocte. Carmen in nocte est, lætitia in tribulatione, quia
& si pressuris temporaliter affligimur, spe iam tamen de æ-
ternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat
dicens. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Carmen in no- Rom. 12. 12.
cte Dauid expresserat, qui dicebat. *Tu es refugium a pressura* Ps. 31. 7.
quæ circumdedit me, exultatio mea, redime me à circumdantibus
me. Sequitur.

Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit 11.
nos. Iumẽta terræ sunt, qui vsu vitæ carnalis ima appetunt:
volucres vero cœli sunt, qui superbæ curiositatis studio H
sublimia perscrutantur. Illi viuendo se deponunt infra
quam sunt, isti inquirendo se eleuant vltra quam possunt.
Illis per sacra eloquia dicitur. *Nolite fieri sicut equus & mulus* Psal. 31. 9.
in quibus non est intellectus. Istorum superbus labor increpa-
tur, dum dicitur. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scru-* Eccl. 3. 22.
tatus fueris. *Docet* igitur *nos* Deus *super iumenta terræ, & super*
volucres cœli. Quia dum hoc quod sumus, agnoscimus, nec
carnis nos infirmitas deijcit, nec superbiæ spiritus leuat,
nec defluendo imis subijcimur, nec superbiendo de sub-
limibus inflamur. Qui enim labitur carne, iumento-
rum appetitu prosternitur, qui vero extollitur mente mo-
te volucrum quasi leuitatis penna subleuatur. Et est sen-
sus, subaudis, hoc quoque non dixit. Hoc itaque quod iu-
mentis & volucribus antecellit, eum non dicit in tribula-
tione memorari. Ac si diceret. Infirmus quisque idcirco
nequaquã se in perturbatione corroborat, quia & in tran-
quillitate non temperat, & idcirco nescit aduersa tolerare,
quia constitutus in prosperis cogitatione se non nouit à
volatu volucrum premere, nec carnales motus à iu-
mentorum ingluuie subleuare. Quodquidem intelligi

etiam

A etiam aliter potest. *Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos.* Nam sicut iumentorum vocabulo signatur vita hominum carnis adhuc motib. subditorum, ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum superborum, vt per iumenta quidem terreni homines, per volucres vero dæmonia designentur. Vnde cum semina
Mat. 13. 4. Dominus iuxta viam diceret cecidisse, subiunxit. *Venerunt volucres cæli & comederunt ea*, nimirum per volucres signans aereas potestates. Sancti autẽ viri, qui nec infima hominum exempla appetunt, nec rursum dæmoniaca subtilitate falluntur, & *super iumẽta terræ, & super cæli volucres*, virtute eruditionis excrescunt. Paulus *super iumenta* iam *terræ* edoctus
Phil. 3. 18. 19. 20. fuerat, dicens. *Multi ambulant*, & paulo post, *quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt, nostra autem conuersatio in cælis est.* Et rursum,
1. Cor. 6. 3. *super volucres cæli* eruditum se nouerat, cum dicebat. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Ac si diceret, infirmus pusilla-
B nimitate victus ista non dixit, & idcirco eum aduersitatis tentatio non perculit, quia tranquillitatis tempora hæc cuncta transeuntia nulla perfectione superauit. Sequitur.

12. *Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum.* Ibi, videlicet in tribulatione, vt è contra de gaudio scriptũ
Psal. 101. 19. est. *Filij seruorum tuorum inhabitabunt ibi.* Sed videbunt, incertum, vtrum dicat, propter superbiam malorum non exaudiet, an propter superbiam malorum clamabunt. Intelligi autem melius potest, si non exaudiri potius, *propter malorum superbiam*, q̃ clamare referantur. Nam quod propter malorum superbiam clamant, supra iam dictum est. Ergo nobis hoc versu innuitur, q̃ paulo subtilius attendatur, q a sæpe oppressi quidem dum clamauerint, ex se quidem merentur audiri, sed tamen eorum desideria propter opprimentium superbiam differuntur. Iustus quippe Dominus, & suos permittit temporaliter opprimi, & violentorum malitiam nequiter augeri, vt dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia consummetur. Ac si diceret.
C Reatus opprimentium audire voces prohibet oppressorũ, nec eripiuntur visibiliter iusti, quia saluari inuisibiliter nõ merentur iniusti. Vnde rursum per Prophetam dicitur.
Psal. 48. 11. *Cum viderint sapientes morientes, simul insipiens & stulti peribunt.* Sequitur.

13. *Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur.* Notandum quod duo sint dicta, quia & clamantem non frustra audit, & tamen quod patitur respicit, & exaudiri voces dissimulat, & quod vnusquisque tolerat, non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod à superna cura negligitur. Sæpe enim nostra desideria quia celeriter non fiunt, exaudiuntur, & quod implere concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sequitur.

14. *Etiam cum dixeris, non considerat, iudicare coram illo, & expecta eum.* Fortasse enim dum clamor noster quasi negligitur, spes quæ cordi inerat, infirmatur: & superna adiutoria defutura credimus, quia tardius impetramus, ac pene incõsiderata Deo esse ingemiscimus, quæ inulta toleramus.
D Sed cum nos ista desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas cum Domino subtiliter pensat, si bona eius ad memoriam reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit, apud semetipsam callide non excusat, si perpendit quod ab eo iuste meruit, & quod clemẽter accepit. Ac si diceret. Cum idcirco Deus considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis ingredere, atque illic coram eius oculis causæ tuæ iudicium suscipe, & quæ ipse viuendo contulisti, vel quæ miserabiliter percepisti, discerne. Nã qui semetipsum coram Deo non iudicat, eum dum affligitur, non expectat. Sequitur.

15. *Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur valde.* Scelus quippe Deus diu tolerat, quia in perpetuum damnat, & furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum sine fine in posterum seruat. Electorum namq; est hic corripi, vt ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri: nostrũ est hic flagella percipere, quibus seruatur de æternitate
Heb. 12. 6. gaudere. Hinc enim scriptum est. *Flagellat omnẽ filium quem*
Apoc. 3. 19. *recipit.* Hinc ad Ioannem dicitur. *Ego quos amo arguo & castigo.* Notandum vero est, quod subintulit *valde*, quia & si

E quæ longanimiter tolerat, quædam tamen in hac etiam vita flagellat, & hic nonnumquam ferire inchoat, quod æterna damnatio consummat. Ergo & nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit, quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare credidisset? Et rursum si hic cuncta percuteret, extremum iudicium vnde restaret? Sequitur.

16 *Ergo Iob frustra aperuit os suum, & absque scientia verba multiplicat.* Hæc nimirum inferens, beatum Iob, & nil scisse asserit, & multa dixisse: & cum ipse quæ sentit loquaciter inferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque esse proprium arrogantium solet, vt & pauca credant, quæ ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca dicuntur. Sequitur.

CAP. XXXVI.

Addens quoque Heliu etiam hæc locutus est. Sustine me paululum, & indicabo tibi. Multa iam dixerat, & sustineri adhuc
1. paululum sperat, quia videlicet arrogantes graue se dam-
2. num perpeti iudicant, si scientiam suam loquendi breuitate constringant: tanto enim semetipsos credunt Do-
F ctiores ostendere, quanta se potuerunt multiplicare loquacitatis aperire. Sequitur. *Adhuc habeo, quod pro Deo loquar.* Quia enim sæpe sibi sentiunt silentij reuerentiam non deferri, Deum nonnumquam potẽtiam de quo quasi loquuntur, insinuant, ac sub prætextu illius sibi silentium exigunt, quod minime merẽtur. Quia vero nonnumquam Doctores laudã crebro repetunt, si quæ obscurius dicunt, vt quæ occulta prædicant, auditorum cordibus voce hæc iterationis infundant, plerumque hoc appetunt etiam arrogantes imitari, & insolenter ea quæ dixerint replicant. Sequitur.

3. *Repetam scientiam meam à principio.* Sed quia nominata scientis tumor cordis in voce claruerat, arrogans aperte agnoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur. Sequitur. *Et operatorem meum probabo iustum*, vt dum quasi pro Dei iustitia loquitur, apud humana iudicia quicquid arroganter affluit, excusetur. Sequitur.
G
4. *Vere enim absque mendacio sermones mei.* Cum ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumq; etiam iusti laudare bona quæ dicunt, non quod ipsi suis laudibus inhiant, sed quod auditores suos audiendi sollicitudine accendant, vt dum eorum voce præferuntur, ab illorum cordibus ardentiore affectu rapiantur. Vnde Paulus cum mira Corinthijs, & multa dixisset, adiunxit. *Os* 2. Cor. 6. 11.
nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatũ est. Sed arrogantes dum cor bonorum nesciunt, & solas aliquando voces imitantur, efferunt laudando q̃ dicunt, nõ quod eis torpor audientium displicet, sed quod sibi inhianter placent. Seq. *Et perfecta scientia probabitur tibi.* Nimirum sensit se magna dictorum, sed tumenti corde hoc quod de semetipso sublimiter æstimauit, tacere non potuit, & idcirco q̃ rectum sensit, laudando præcurrit, quia iam quidem diuino iudicio reus esset, si magna de se saltem silẽdo sensisset. Ante subtile enim veritatis examen secuti omnino nõ sumus, etiam si humano iudicio quod in nobis reprehendi debeat non habemus. Sequitur. H

5. *Deus potentes non abijcit, cũ & ipse sit potens.* In vsu vitæ mortalis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex his quæ circa ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut peccata atq; flagitia. Quædam vero nonnumquam nobis ex his quæ circa ipsa sunt, nocẽt, sicut temporalis potentia vel copula coniugalis. Bonum namq; est cõiugium, sed mala sunt quæ circa illud ex huius mundi cura succrescunt. Vnde Paulus ait. *Qui autem cum vxore est, cogitat* 1. Cor. 7. 33.
quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Magna est etiam potẽtia temporalis, quia habet Deum meritum suum, de bona administratione regiminis. Nonnumquam tamen eo ipso quo præminet cæteris, elationis cogitatione intumescit, subiectos despicit, ex æquo respicere cæteros dedignatur, sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptũ
est. *Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios super-* Iob. 41. 25.
biæ, & de cuius corpore dicitur. *Generatio cuius excelsi sunt o-* Prou. 30. 13.
culi, & palpebræ eius in alta surrectæ. Deum quippe imitari desiderat, q̃ fastigium potentiæ alienis intentus vtilitatibus, & nõ suis elatus laudibus, administrat, q̃ prælatus cæteris, prodesse appetit, non præesse. Tumoris namq; elatio, non

A ordo potestatis in crimine est, potentiam Deus tribuit, ela-
tionem vero potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tol-
lamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt quæ
Deo largiente possidemus. Sequitur.
6. *Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* Scriptu-
ra sacra plerumque pauperes humiles vocare consueuit.
Vnde in Euangelio cum adiectione spiritus nominantur,
Matt.5.3. dum dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
cælorum.* Quia enim diuitiæ visibiliter potentes ostendunt,
apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscien-
tijs non sunt. Eos vero impios vocat, qui aut à fidei pieta-
te disiuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, pra-
uis sibi moribus contradicunt. Omnipotens Deus elatos
destruit, humiles vero per *iudicium* liberos reddit, vel cer-
te *iudicium pauperib. tribuit*, quia hi qui nequiter opprimun-
tur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt. Se-
quitur.
7. *Non aufert à iusto oculos suos, & reges in solio suo collocat in per-*
B *petuum, & illic eriguntur.* Abstulisse enim à iustis oculos suos
fortasse Dominus creditur, quia iniustorum crudelitati-
bus hic sine vindicta lacerantur, sed famulos suos tunc
magis respicit, cum iniuste eos nequitia persequentis affli-
git. Videns enim quod humiliter tolerent, nimirum iam
prævidet, quid illic eis misericorditer recompenset. Reges
autem bene sancti viri scripturæ sacræ testimonio vocan-
tur, quia tentationum suarum motibus non consentien-
do succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Quia igi-
tur ab hac potestate regiminis, ad potestatem transeunt
retributionis, dicatur recte. *Reges in solio collocat in perpetuū.*
Semetipsos enim regendo ad tempus fungati sunt, sed in
regni erectionis internæ solio in perpetuum collocantur,
* incipiūt & eo illic accipiunt * alios digne iudicare, quo hic nesciūt
semetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur. *Do-*
Psal.93.15 *nec iustitia conuertatur in iudicium.* Apte autem *in perpetuum*
subdens, apte quid dicat insinuat: si enim de terreni re-
gni solio diceret, nullatenus *in perpetuum* subdidisset,
C quia quique illud accipiunt, profecto non in eo *in perpe-
tuum*, sed temporaliter collocantur. Bene autem subdi-
* inuenit. dit, *& illic eriguntur*, ac si intentioni audiētis inuenerit * di-
cens. Qui hic humiliati sunt, illic eriguntur. Sanctis nam-
que viris iste locus humilitatis est, vt ille sit celsitudinis.
Ps 43 20. Vnde alias scriptum est. *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Se-
quitur.
8. *Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, iudi-*
9. *cabit eis opera eorum, & scelera eorum quia violenti fuerint.* Cate-
næ obligationis sunt, ipsa adhuc retentio peregrinationis.
Phil.1.23. Ligatum se his catenis Paulus aspexerat, cum dicebat. *De-
siderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Paupertatis funibus
vinctum se esse cernebat, quando veras diuitias intuens,
eas etiam discipulis exorabat, dicens. *Vt sciatis quæ sit spes*
Eph.1.18. *vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Bene
autem post ista subditur. *Indicauit eis opera eorum, quia vio-
lenti fuerint.* Cum enim supernam gloriam magis amando
cognoscimus, tunc mala quæ egimus, grauiora fuisse sen-
D timus. Vnde & Paulus post perceptam gratiam supernorū,
ea quæ in se studia virtutum crediderat fuisse, iam scelera
1.Tim.1.13. cognoscebat dicens. *Qui prius fui blasphemus & persecutor, &
contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans fe-
ci in incredulitate.* Vel certe. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc ar-*
Phil.3.7. *bitratus sum propter Christum detrimenta.* Sequitur.
10. *Reuelabit quoq; aurem eorum vt corripiat, & loquetur vt re-
uertantur ab iniquitate.* Aurem reuelare est, intellectum co-
gnitionis aperire, reuelata vero aure vnusquisque corripi-
tur, quādo intrinsecus æternorum bonorum desiderium
percipit. Potest vero in catenis & funibus paupertatis, pœ-
na etiam temporalis afflictionis intelligi. Quia sæpe iuben-
tis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur,
vt ad bona desideria pœnæ trahant, quos præmia non inui-
Psal.31.9. tant. Vnde per Prophetam dicitur. *In freno & chamo maxil-
las eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sequitur.
11. *Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono. &
annos suos in gloria.* Per bonum recta actio, per gloriam vero
superna retributio designatur. Qui ergo obedire præceptis
cœlestibus student, *dies in bono* contemplantur, *annos in glo-
ria*, quia & cursum præsentis temporis in recto opere, &
consummationem suam perficiunt felici retributione. Se- E
quitur.
Si vero non audierint, transibunt per gladium, & consumentur 12.
stultitia. Quia & vindicta eos in tribulatione pereuñt, & fi-
nis in fatuitate concludit. Sunt etenim nonnulli quos à
perditis moribus nec tormenta compescunt. De quibus
per Prophetam dicitur. *Percussisti eos nec doluerunt, flagellasti* Iere. 5.3.
eos, & renuerunt suscipere disciplinam. Bene ergo dicitur, quod
per gladium transeunt, & stultitia consumentur, quia peccata q̄
flagellis emendare debuerant, flagellis exaggerant. Et hic
iam eius percussiones sentiunt, & illic iustæ retributionis
supplicia non euadunt, fatuitas quippe stultitiæ est, quod
illas sic iniquitas obligat, vt à culpa eos nec pœna compe-
scat. Sequitur.
Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Cum *simulatores* 13.
diceret, apte subiunxit, *& callidi*, quia nisi ingenio calleant,
quod videri appetunt, congrue simulare nō possunt. Sunt
enim nonnulla vitia quæ etiam à sensu tardioribus facile
perpetrantur. Elatione namq; intumescere, auaritiæ æsti- F
bus inhiare, luxuriæ pulsantis succumbere etiam quilibet
obtusus potest. Simulationis vero falsitatem exequi, nisi
quis subtilioris ingenij fuerit, non potest. Quisquis enim
talis est, ad custodienda videlicet duo, continua obserua-
tione diuiditur, vt callide nouerit & occultare quod est, &
ostentare quod non est. Iram quippe Dei mereri est, etiam
nesciendo peccare: prouocare vero est, mandatis illius
sciendo cōtraire, scire bonum, sed despicere, facere posse,
sed non velle. De quibus voce Dominica dicitur. *Væ vobis*
Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis. Sequitur. Mat.23.27.
Neque clamabunt cum vincti fuerint. Omnis iniquus, qui cum
iniquus sit, sanctus videri appetit, in flagelli percussione
deprehensus, fateri quod iniquus est, erubescit. Quasi
liberi vero sumus cum nulla correctione castigamur, quasi
vincimur, cum flagello percussionis adstringimur. Vincti
igitur tanto clamamus altius, quanto in percussione po-
siti, peccata nostra veracius confitemur. Simulatores et- G
iam deprehensi flagello percussionis externæ, quia con-
fessionem puram vel afflicti exercere negligunt, quasi
vincti clamare contemnunt: quamuis intelligi etiam ali-
ter potest. Omnis enim qui cum iniquus sit, dici san-
ctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se ta-
cita cogitatione reprehendit, tamen dum sæpius san-
ctum audire se cœperit, hoc quod de se intrinsecus te-
nebat amittit. Dum vero subita percussione feriun-
tur, iniquos se vel veraciter fateri, vel sicut sunt depre-
hendere omnino non possunt, quia videlicet sanctos
se humana professione crediderunt. Quibus bene per
Prophetam dicitur. *Redite præuaricatores * ad cor.* Sequi- Esa.46.8.
tur. * præua-
ricatores.
Morientur in tempestate anima eorum. Quasi tranquillum 14.
namque videbantur viuere, cum de sanctitatis curarent
laude gaudere. Sed tempestate subita eorum anima mori-
tur, quæ humanæ laudis pessima tranquillitate lætabatur.
Hinc quippe eos turbo subito rapit percussionis, quos ar-
rogantia externi fauoris extollit: & dum amplectuntur H
in laude quod non sunt, repente inueniunt in vltione q̄
sunt. Sequitur. *Et vita eorum inter effœminatos.* Si enim viri-
liter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione vitia- Psal.30.25.
ret. Vt de electis Propheta persuadet dicens. *Viriliter agite,
& confortetur cor vestrum.* Igitur simulatorum vita *inter effœ-
minatos* moritur, quia laudis luxuria corrupta reperitur: trā-
slatione vero alia non habetur, vita eorum *inter effœminatos*,
sed vita eorum vulnerentur ab Angelis: vtrumq; tamen & si
sermone discrepat, ratione concordat. Quia effœminato-
rum vitam Angeli vulnerant, dum nuntij veritatis eam ia-
culis sanctæ prædicationis impugnāt. Quia igitur de dam-
natione reproborum quid agatur, audiuimus, de ereptio-
ne humilium quid sequatur, audiamus. Sequitur.
Eripiet pauperem de angustia sua. Pauper de angustia sua 15.
eripitur, cum vnusquisq; humilis, de hac peregrinationis
suæ afflictione liberatur. Sequitur. *Et reuelauit in tribulatio-
ne aurem eius.* Aurem in tribulatione reuelare est, auditum
cordis verberum plagis aperire. Cum enim præcepta de-
spicimus, pia districtione nobiscum agitur, vt flagella ti-
meamus. Sequitur.

A
16. *Igitur saluabit te de ore angusto latissime.* Omnis qui viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras deijcit, semetipsum quasi in puteum vel in foueam mersit. Si vero diutina perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora iam possit exurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Vnde Dauid Propheta sub specie
Psal. 68. 16. peccantium exorat, dicens. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Latissime quippe de ore angusto saluatur, qui & post iniquitatum iugum, ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur. Dauid Propheta conclusionem angustioris
Psal. 30. 8. 9 aspexerat, cum dicebat. *Saluam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici.* Latissime autem saluatum se nouerat, cum subderet dicens. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Sequitur. *Et non habentis fundamentum subter se.* Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est, quod tamen vtcumque sit, in boni natura coalescit.
B Quem enim rapit iniquitas, infernus absorbet. Aliter. Infernus vero non habere fundum recte creditur, quia quisque ab illo rapitur, in immenso deuoratur. Aliter. Nam sicut quis in puteo mergitur, puteus fundo retineretur, ita corruens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quo labitur, non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora deijcitur, quasi in puteum cecidit, fundum non inuenit quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensura peccati. Sequitur. *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Requies mensæ est refectio satietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur, quia in
*Videtur hic verbũ aliquod deesse. æternæ voluntatis * præparatur. Huius mensæ epulas esuriebat Propheta cum diceret. *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Sequitur.
Psal. 16. 15.

17. *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.* Bonorum causa tristitia est, quorum causa quasi impij iudicatur, quia eorum hîc iustitia paterno flagello fatigatur, vt ad ampliorem vigilantiam, non solũ perceptione man-
C datorum, sed etiam verberum percussione doceantur. Sed *causam iudiciumque* recipiunt, quia ea caustius quamodo viuunt, tunc in culmine iudiciariæ potestatis excrescunt, vt tanto tunc potentius cuncta iudicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta iudicantur. Hæc Heliu quando spondendo intulit, quæ B. Iob semper credendo stabiliter tenuit. Sequitur.

18. *Non te ergo superet ira vt aliquem opprimas.* Arrogantes enim iræ motus deputant, quicquid à sancta Ecclesia geritur censura disciplinæ, & quia humanæ laudis appetitu benigni student semper apparere, nullos censent districtionis seueritate corrigendos. Vnde à bonis rectoribus, sicut superius dictum est, opprimi æstimant, quos inuitos cernunt à vitijs coërceri. Auctore autem Domino quia in cunctis mundi partibus sancta Ecclesia culmine religionis excreuit, hanc ipsam temporalem potentiam, quia quidem bene vtitur, obtrectando in vitium elationis inflectunt. MORALITER. Omnis per quem necesse est
D aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu iustitiæ iræ immanitas vastat, & dum quasi sæuit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, iusteque se facere æstimat, quicquid ira nequiter dictat. Quia videlicet his qui corrigere nititur, ira superetur, opprimit antequam corrigat, & dũ plus quam debet accenditur, sub iustæ vltionis obtentu, ad immanitatem crudelitatis effrænatur. Sequitur. *Nec multitudo locorum inclinet te.* At si idem sanctæ Ecclesiæ humilitatem magis inter prospera conseruanti, arrogantium voce dicatur. Quia vbique fidei reuerentia coleris, caue ne eiusdem reuerentiæ fastibus extollaris; quosdam quippe conspiciunt, quia sub religionis obtentu vitio elationis intumescunt, & quod in quibusdam iure reprehendunt, hoc iniuste ad crimen omnium pertrahunt. Notandũ vero quod non ait. Nec multitudo locorum extollat te, sed ait; *Nec multitudo locorum inclinet te.* Omnis enim qui temporaliter extollitur, eo ipso quo extollitur, inclinatur: quia cum se exterius erigit, intus cadit. MORALITER. In tot quippe locis inclinamur, in quot superuacuis curis extendimur. Nã E
sicut locus est corporis, spatiũ corporale, ita locus est mentis vnaquæque intentio cogitationis. Quæ dum huc illocque impellitur, si dilectione aliqua cogitationis suæ libenter occupatur, velut in loco quodã ponitur, vt quiescat: nam quotiens victi tędio à cogitatione in cogitationẽ ducimur quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortæ cogitationes vnitatẽ bonæ intentionis dissipãt. Recta etenim mens staret, si veri cui debuerat cogitationi, semper inhæreret. Seq.

Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robu- 19.
stos fortitudine. Quos alios esse Ecclesię robustos accipimus, nisi eos qui ad vincenda mundi huius desideria, & cœptis sublimibus, & consummatis prouectibus conualescunt? Magnitudo itaque eius in robustorum suorum vita consi- F
stit, quia tunc gloriosior redditur, cum pro defensione veritatis, ad mortem vsque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri, subductis de hoc mundo Apostolis, subductis ad superna Martyribus, quia fortasse G
doctores valentioresque præpositos abunde esse conspiciunt, quasi soli se remansisse intra Ecclesiam suspicantur. Vnde dum se præferunt ei, velut consulentes illudunt, dicentes. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.* Ac si apertis exprobrationibus dicat. Nequaquam magnitudinẽ habere confidas, quia subductis prioribus partibus, iam non habe unde quoniam vita glorieris. Dicunt hęc profecto nescientes, quia omnipotẽs Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit; nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vitæ debiles ad certamina roborat. Cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur. *Pro patribus tuis* Psal. 44. 17.
nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. MORALITER. Robusti quippe sunt motus cordis, cum nulla nisi quæ vitia tolerant, sentiunt. Sed magnitudinem & robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quod sumus. Robustos motus deponimus, quando non iam de virtute attollimur, sed in culpa con- G
sentiendo obruendi ipsa qua quatimur, infirmitate formidamus. Ac si aperte diceretur. Omne quo intrinsecus de bona actione intumueras reprime, & cordis motus quos ex recto opere robustos habueras, depone, quia iam in ipsa aduersitatis tentatione consideras, quam frustra prius de te magna elatus æstimabas. Quæ videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur, quia nimirum tentatione humilitas proficit. Prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit, sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Sequitur.

Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis. Ac si aperte 20.
arrogantes dicãt. Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, vt in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari cõsuetudini dediti, in cunctis quæ appetunt, passim viuunt. Noctẽ vero protrahere est, vt pro robustis populi ascendant, si H
per negligentiam agitur, vt doctorum & fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendant, quando hi qui viuere inique didicerunt, pastorũ loca percipiunt, quod recte quidem dici poterant, si humiliter diceretur. MORALITER. Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur, quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione, cõsiderat quod à virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis moeroribus, quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab interni luce gaudij eius oculus clauditur, dum sollicita trepidat ne hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Vnde & bene dicitur, quod in hac nocte pro robustis populi ascendunt, quia videl. in hoc mœrore tentationis pro robustis motibus cogitationes indignæ & multiplices in corde prosiliunt. Nam dũ se in perturbatione conspicit, iam pœnæ amissæ quod fuerat, fluctus in se innumeros, tumultuque coaceruat. Ac si quippe diceret in tentatione deprehensus. Citius tenebras mœroris excide, ne qui in

A dicebat, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi*
Rom 7.23. *mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in*
24. *membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXIV.

23. HEliu itaque dum tentatum superius hominem demonstrat, vnum in qua tentatione sit positum humanum genus ostendit. Vnde mox generale subintulit remedium, dicens.
B *Si fuerit pro eo angelus loquens.* Quis enim iste angelus est nisi ille qui per Prophetam dicitur. *Magni consilij Angelus?* Quia enim Græca lingua euangelizare denuntiare dicitur, semetipsum adnuntians nobis Dominus, Angelus
Rom 8.34. vocatur, & bene ait. *Si fuerit pro eo angelus loquens*, quia sicut ait Apostolus, *etiam interpellat pro nobis*. Sequitur. *Vnum de similibus.* Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria contrarijs curet. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, totosq; nos inueniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Quia enim ad homines homo venit, concordauit nobis veritate naturæ, sed quia ad peccatores iustus, discrepauit à nobis vigore iustitiæ. Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnib. tamé distat à nobis magnitudine potentiæ, sed sola nobis concordat veritate naturæ. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod semetipsum pro omnibus hominem demonstrare dignatus est. Sequitur. *Vt adnuntiet hominibus æquitatem.* Quia nisi
C ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe adnuntiat æquitatem nostram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Sequitur.

24. *Miserebitur eius, & libera eum dicet.* Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus in eo miseretur hominis, quo formam hominis sumpsit: qua misericordia homine redempto dicit patri. *Libera eum*, vt non descendat in corruptioné. Sicut iam supra diximus, dicere eius est, libera hominem, naturá hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne q̃ sumpsit, etiam hanc ostendit liberam
Ioan. 8.36. quam tedemit, sicut ipse ait. *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Superius enim dictum fuerat. *Appropinquauit corruptioni anima eius*, postmodũ dicitur, *non descendat in corruptionem.* Ac si diceret. Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim descenderet, si suis viribus longe se à corruptione esse iudicaret. Sed quia corruptioni appropinquauit humiliter, de-
D bet ab ea misericorditer liberari, vt eo contra impugnandum vitia fortis sit, quo se suis meritis cognoscit infirmú. Sequitur. *Inueni in quo ei propitier.* Ac si aperte mediator Dei & hominum dicat. Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor iustus pro omnib. appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci, & dum me hominem exhibui, In quo iusto homine hominibus propitiater inueni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus, dum pœnam nostram moriendo tolerauit, corruptionem nostram resurgendo mutauit: bene iste Angelus mortalitatis nostræ flagella subiungit, eorumq; miseretur, dicens.

25. *Consumpta est caro à supplicijs, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Ac si diceret. Mortalitatis suæ pœna in quandam vetustatis suæ senectutem deiectus est, *reuertatur ad dies adolescentiæ suæ*, id est priori integritate renouetur, vt non eo maneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sæpe adolescentiam pro nouitate vitæ ponere consueuit. Vnde ve-
Cant. 1.3. nienti sponso dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem, deflebat ille qui ait. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* E contra
Psal. 6.8.

E alius gaudere in virtutibus admonens dicit. *Lætare iuuenis* Eccl. 11.9.
in adolescentia tua. Sequitur.

Deprecabitur Dominum & placabilis ei erit. Prius enim postulare angelum, & postmodum hominem dicit, quia nisi 26.
ante ipse Dominus per incarnationem suam interpellans patrem vitam nostram peteret, numquam se nostra insensibilitas ad postulanda ea quæ æterna sunt, excitaret. Sed incarnationis eius præcessit oratio, vt corporis nostri euigilatio subsequatur. Sequitur. *Et videbit faciem eius in iubilo.* Aliter enim quisque compungitur cum interna intuens malorum suorum pauore terretur: aliter vero compungitur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam & securitate roboratur. Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concrementur. Et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur; vt prius purgemus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quærimus. Iubilus nam- F
que dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus exprimatur. Hinc scriptum est. *Beatus populus* Psal. 88.16.
qui scit iubilationem. Quia enim per faciem quẽlibet agnoscimus, nó immerito cognitionem Dei, faciem vocamus. Vnde Iacob postquam cum angelu luctatus est, ait. *Vidi* Gen. 32.30.
Dominum facie ad faciem. Ac si diceret. Cognoui Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur dicens, *Tunc* 1. Cor 13.12.
cognoscam sicut & cognitus sum. Sequitur. *Et reddet homini iustitiam suam.* Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ diuina largitate fit nostra, sicut in Dominica oratione dicimus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Luc. 11.3.
Suam quippe iustitiam homini Dominus reddit, nó quam ea semetipso habuit. Illam ergo iustitiam reddet Deus homini, ad quam conditus fuit, vt inhærere Deo libeat, vt minacem eius sententiam pertimescat, vt serpen- G
tis callidi blandis iam promissionibus non credat. Sequitur.

Respiciet homines, & dicet, peccaui. Sed peccatorem se vn- 27.
de cognosceret, si iustitiam non haberet? Nemo quippe fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino peruersus est, neque hoc potest videre quod est; qui vero peccatorem se esse intelligit, iam ex parte aliqua esse iustus incboauit, atque id quod non iustus fecerat, ex eo quod est iustus accusat. Scriptura etenim sacra aliquando homines ponere solet humana sapientes, sicut ait Paulus. *Cum enim sit inter vos zelus & inui-* 1. Cor. 3.3.
dia, nonne carnales estis? nonne homines estis? Qui etiam quia carnali affectioni succumbunt, non iam homines, sed iumenta nominantur. Vnde per Dauid dicitur. *Homo cum in* Ps. 48.13.
honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & reliqua. Aliquando homines cum dicit, eos à bestijs ratione distinguit, quib. per Prophetam Dominus dicit. *Vos autem pascua mea greges homines estis.* Recte ergo de hoc pœnitẽte dicitur. H
Respiciet homines, & dicet, peccaui. Ac si dicatur. Sanctorum virorum exempla conspicit, atq; eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehẽdit. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis nó est: vt ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Vnde & per Ezechielem Ezech 43.
dicitur. *Fili hominis ostende domui Israel Templum vt confundan-* 1.10.
tur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam vt erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Tunc quippe templum ostẽditur, cum iusti anima quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suá peccatorib. demonstratur. Meriri vero fabricam est, pensare subtiliter iustorum vitam. Sequitur. *Et vere deliqui, & vt eram dignus non recepi.* Peccatores se plerumq; confitentur, etiam qui se esse non credunt. Nam sæpe contingit vt passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter alijs arguentibus audiunt, defendunt se summopere, atque innocentes videri conantur. Vnusquisque enim in flagello positus, minus adhuc peccata sua cósiderat, si vel tanto vel amplius se percussum quam merebatur, existimat. Iste autem quia quanto maiorum exempla considerat, tanto districtiori examinatione se pensat,

minus

A minus se percussum quam merebatur agnoscit, quia in illorum iustitia conspicit quam grauis sibi culpa fuerit, quod etmuit, Et idcirco hoc quod patitur districtum esse non sentit, quia districte nouit pensare quod fecit. Sequitur.

28. *Liberauit enim animam suam ne pergeret in interitum.* Quia præueniente diuina gratia, in operatione bona nostrum liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimus, quia liberanti nos Domino consentimus. Vnde Paulus cum diceret.
1.Cor. 15.10 *Abundantius illis omnibus laboraui*, ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adiunxit; *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Sequitur. *Sed viuens lucem videret.* Lucem videlicet veritatis, quam corde videre mortuus non posset, vel
Ioan. 8.12. certe quia Dominus dixit. *Ego sum lux mundi.* Videbunt lucem etiam mortui, quando omnes iniusti eum venire ad iudicium in humanitatis forma conspexerint. Sed viuens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma eius diuinitatis attendit. Sequitur.

29. *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos.* Ac si diceret.
B Quod semel de vno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendum est, quæ istæ tres vices sint, quibus vnusquisque homo anxietate mœroris afficitur, & post mœrorem, protinus ad securitatem lætitiæ vocatur. Igitur si vigilanter attendimus, has tres vices mœroris & lætitiæ in vniuscuiusque electi animo istis alternari modis inuenimus, id est conuersatione, tentatione, morte. In prima quippe quam diximus conuersationis vice, grauis mœror est, cum sua vnusquisque peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conuersationis ambulare. Recte ergo de hoc anhelescente homine dici potest,
Versib. 20.21.22. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro eius, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur, Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.* Sicut supradictum est. Sed quia diuina gratia diutius istis difficultatibus affici non permittitur, ruptis peccatorum nostro-
C rum vinculis, citius nos ad libertatem nouæ conuersationis consolando perducit, fitque cordi immensa lætitia, quia ei quem desiderat iam per spem securitatis appropinquat, vt recte de hoc dici debeat.
Ver. superio. 26.27.28. *Deprecabitur Deum & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam. Respiciet homines & dicet. Peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi. Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.* Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam vnusquisque per studium conuersionis agnoscit, hæc secunda suboritur, quia ne securitatis negligentia dissoluatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conuersationis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum probationis experitur. Tres quippe modi sunt conuersorum. Inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem veniunt blandimenta dulcedinis: in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectio plenitudinis. Prius
D ergo illos dulcia suscipiunt quæ consolentur, postmodum amara quæ exerceant; & tunc demum suauia atque sublimia quæ confirment. Plerumque autem conuersus quisque talibus tentationum stimulis agitatur, quibus ante conuersionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur. Non quia tunc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus sæpe sibimet ipsi aliquo modo manet incognitus, vt omnino quod tolerat nesciat. Inter hæc ergo deprehensa mens huc illucque distenditur, & multiplicibus tentationum æstibus dissipatur, ita vero circumfrementibus tentationum motibus angustatur, vt recte de eo dici debeat, *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, vt supra. Sed quia misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non
1.Cor.10.13 reprobari, sicut scriptum est. *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum vt possitis sustinere*, citius consolationis opus occurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit, dum deuictum malum respicit quod tolerauit, vt iure

E de hoc tentato liberatoque homine dici debeat. *Videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.* Post conuersationis namque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio. Quia venire non potest ad perfecta gaudia libertatis, nisi prius debitum soluerit humanæ conditionis. Conuersus autem quisque sibi caute sollicitus, tacite secum considerare non cessat, æternus iudex quam districtus adueniat: suumque terminum quotidie prospicit, & ante seueritatem tantæ iustitiæ quas rationes vitæ suæ sit positurus attendit. Considerat quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus; considerat quia nec hoc quidem sine aliquo reatu est quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen Dauid dicit. *Ne intres in iudicium cum seruo tuo.* Psal. 142.2.
Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam iusti anima turbatur, cui & si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, F
mortis articulo interueniente concutitur, vt iure dici debeat. *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, & reliqua. Sed quia iustorum animæ a leuibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pauore purgantur, æternæ retributionis gaudia iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationem percipiunt quamdam retributionis æternæ, etiam priusquam carne expoliantur. Hilarescunt, & dum vetustatis debitum soluunt noui iam muneris lætitia perfruuntur, recte dicitur. *Videbit faciem eius in iubilo.* Sequitur.

Et reuocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viuentium. 30.
Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuunt, luce morientium tenebrescunt. Illuminantur autem *luce viuentium* qui despecto temporali lumine, ad splendorem internæ claritatis recurrunt vt ibi viuant, vbi verum lumen sentiendo videant: vbi non aliud lumen atque aliud vita, sed vbi lux G
ipsa vita sit. Vbi sic nos lux exterius circumscribat, vt interius impleat; sic interius impleat, vt incircumscripta exterius circumscribat. Illuminantur ergo hac *luce viuentium*, quam tanto tunc subtilius conspiciunt, quanto nunc ad illam prius viuunt. Sequitur.

Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor. Qualem se 31.
apud se habeat, hac locutione manifestat. Immensa enim superbia est, a seniore sibi reuerentiam exigere, & silentium imperare meliori. Sequitur.

Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere. volo enim te apparere iustum. 32.
Quia æque prædicatores iusti dum quoslibet corripiunt, sæpe per humilitatis gratiam ad cogitationum suarum intima reuertuntur, atque in eo ipso quod corripiunt, ne quid fortasse fallantur exquirunt, correptisque licentiam tribuunt, vt si quid pro seipsis iustius sentiunt fateantur. Hoc nonnunquam etiam arrogantes imitari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposita, quasi eorum quos corripiunt, si forte reperiri potuerint, iustitiam quærunt, non quia ita sentiunt, sed quia ornari per speciem humilitatis concupiscunt. Metuunt enim ne superbi ac tumidi quia sunt, esse videantur. Sequitur. H

Quod si non habes audi me, & tace, & docebo te sapientiam. 33.
Quia enim veraciter quærunt audire quod iustum est, æquanimiter expectant audire quod quærunt. Heliu autem qui veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod quæsierat, non permisit: sed mox quæ intrinsecus gesta erat, erupit, qualemque se in oculis suis habebat, ostendit dicens. *Tace, & docebo te sapientiam.* Arrogantes enim viri, quando aliquid humiliter sonant, diu in eiusdem specie humilitatis non perdurant, cum fortasse quærunt vt audiant, mox loquendo obuiant ne doceantur. Sequitur.

Pronuntians itaque Heliu etiam hæc locutus est. Quid enim CAP. XXIV. 1.
per huius pronuntiationis vocabulum nisi inflatio elationis ostenditur? Vt verba quæ de alta superbiæ radice veniebant, cum quadam quasi altitudine & distinctione procederent. Sequitur.

Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auri 2.

A *enim verba probat, & guttur escas gusta dijudicat.* Ac si diceret.
3. Sicut nec noris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec
stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes
ergo atque eruditi audite quod dico, qui potestis ea quæ
fuerint dicta cognoscere. Videamus igitur quantũ timeat,
qui verba sua non nisi à sapientibus audire decenter existi-
Rom. 1. 14. mat. Verus autem prædicator sapientiæ dicit. *Sapientibus &*
insipientibus debitor sum. Sequitur.

4. *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.*
Sed vtrum hoc iudicium & humile corde quæsierit, faci-
le cognoscimus si subsequentia eius verba pensemus. Se-
quitur.

5. *Quia dixisti Iob, iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.*
6. *In iudicando enim me mendacium est, & violenta sagitta mea abs-*
que vllo peccato. Hæc B. Iob dixisse queritur, quæ tamen quia
minime dixerit, requisita sacræ historiæ verba restan-
tur. Sed qui iudicium æque quæsierat, ex culpa quam
finxit, protinus sententiam promulgat: nam sequi-
B tur.

7. *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam,*
8. *qui graditur cum operationibus iniquitatum?* Ecce iudicium
quærens iudicium protulit. & post allegationem suã nulla
B. Iob expectata sententia, eum damnatione dignum ex
reproborum societate iudicauit. Ait enim: *Quis est vir vt est*
Iob? Vt vtriq; subaudiamus, nullus; atq; subiungit, *Qui bibit*
subsannationem quasi aquam. Aqua autem cum bibitur, ita li-
quide sumitur, vt ad sorbendum nulla sui pinguedine re-
tardetur. Subsannationem vero vt aquam bibere est, Deũ
sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, vt eo quod su-
perbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio cõtradicat.
Hæc autem eius sententia super B. Iob, quantum ab trami-
te veritatis exorbitet, illa enim attestatione cognoscimus
Iob 1. 8. qua ad Diabolum dicit. *Numquid considerasti seruum meũ Iob,*
quod non sit ei similis super terram? Ecce quẽ veritas dicit absq;
comparatione iustum, eum Heliu asserit absque compara-
tione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantium præ-
C dicatorum solent, vt etiam afflictos auditores suos magis
districte corripere appetant, quam blande refouere. Plus
enim student vt mala obiurgando increpent, quam bona
laudando confirment. Vnde scriptum est. *In ore stulti virga*
Prou. 14. 3. *superbia.* Nonnumquam vero etiam prædicatores iusti rigi-
de feriunt: sed aliud est cum iustitia stimulat, aliud cum
superbia inflat. Iusti cum seuere corrigunt, internæ dulce-
dinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine
refrænãda prauorum, duritiam districti vigoris assumunt,
sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore
ardent, in quos aspera correptione feriunt. Vnde scri-
Eccl. 12. 11. ptum est. *Verba sapientum quasi stimuli, & sicut claui in altum*
defixi. Sequitur.

9. *Dixit enim, non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo.* Quod
profecto quia minime dixerit, quisquis beati Iob verba le-
git, agnoscit. Sed quia idcirco loquitur, vt semetipsum o-
stendendo superbiat, quid mirum si in altero fingit quod
reprehendat? Sequitur.

10. *Ideo viri cordati audite me.* Ecce iterum fastu superbiæ in-
D flatus, eos tantummodo qui quasi digne intelligendo se
assequi valeant, quærit.

11. *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim ho-*
minis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Benedixit,
quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non est,
in hac vita nequaquam hoc semper agitur quod subiũxit,
quia iuxta opus suum singulis & *iuxta vias* reddet. Nam &
multos illicita ac peruersa perpetrantes gratuito præuenit,
atque ad opera sancta conuertit. Et nonnullos rectis acti-
bus deditos flagello interueniente corripit, ac si placentes
Eccl. 8. 14. quasi displiceant affligit, Salomone attestante qui ait. *Sunt*
iusti quibus mala veniunt, quasi opera egerint impiorum, & sunt
impij qui ita securi sunt, ac si iustorum facta habeant. Verius ergo
Heliu diceret si dixisset, quia in omnipotente impietas at-
que iniquitas non est, etiam cum iuxta vias proprias ho-
minibus reddere non videtur, nam & quod à nobis non
intelligitur, ex occulti iudicij non iniusta lance profertur.
Sequitur.

12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens sub-*
Iob. 2. 3. *uertit iudicium.* Ad Diabolum Dominus dicit. *Commouisti*
me aduersum eum, vt affligerem eum frustra. Contraria quippe E
videntur, nisi subtili cõsideratione pensentur. Aliud nam-
que est damnare, aliud affligere. Affligit ergo iuxta aliquid
frustra, sed frustra non damnat. An non iuxta *frustra* Iob af-
flixerat, cum non delebat vitium, sed meritum augebat.
Frustra enim condemnare non potest, quia damnatio fieri
non ex parte ad aliquid potest. Quæ videlicet in extremo
punit omne quod hic quisque commiserit. *Nec omnipotens*
subuertit iudicium, quia & si minus recta videntur esse quæ
patimur, recte tamen in occulto examine decernuntur.
Sequitur.

Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super or- 13.
bem quem fabricatus est? Vt videl. subaudias nullum. Per se
quippe mundum regit, quem per se cõdidit, nec eget alie-
nis adiutorijs ad regendum, qui non eguit ad faciendum.
Sed hæc idcirco colliguntur, vt liquido indicet, quia om-
nipotens Deus si per semetipsum regere non negligit, quæ
creauit: quod bene creauit, vtiq; bene regit, quia quod pie
condidit, impie non disponit. Sequitur. F

Si direxerit ad eum cor suum spiritum illius & flatum ad se tra- 14.
het. Curuum cor est, cum ima appetit, dirigitur cum ad su-
perna subleuatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum
dirigit, spiritum & flatum illius Dominus ad se trahit, spi-
ritum videl. pro internis cogitationibus, flatum vero quo
corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo
spiritum hominis & flatum ad se trahere est, ad conuersio-
nem sui desiderij, & interiora nostra & exteriora commu-
tare, vt nihil iam mens exterius libens, nihil caro inferius
vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est,
ad eum videlicet à quo est & interius desiderando ferueat,
& exterius se edomando constringat. Seq.

Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Simul 15.
enim omnis caro deficit, quando iam nullis suis motibus
feruet, quia præsidens spiritus cuncta eius fluxa restringit,
& quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa male
viuebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semet-
ipsum Hieremias interfecerat cum dicebat. *Postquam conuer-* G
Ier. 31. 19. *tisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi percussi femur*
meũ. Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur?
Et quid est quod ait, *Postquam ostendisti mihi, percussi femur*
meum, nisi postquam superna spiritaliter vidit; omne quod
inferius in se carnaliter viuebat, extinxit? In peccato enim
quisq; positus, mortalitatis suæ obliuiscitur, & terrã se esse
non meminit dum adhuc per superbiam inflatur. Post cõ-
uersionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangimur,
quid se esse aliud quam cinerem recordatur? In cinerem
Abraham reuersus fuerat dicẽs. *Loquar ad Dominum meum,* Gen. 18. 27.
cum sim puluis & cinis. Hinc Dauid ait. *Auferes spiritum eorum* Psal. 103. 29.
& deficient, & reliqua. Sequitur.

Si habes ergo intellectum audi quod dicitur, & ausculta vocem 16.
eloquij mei. Habẽt hoc proprium omnes arrogantes, vt cum
fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium ela-
tionis erumpant, sensusq; omnium in sui cõparatione de-
spiciant, seq; in suo iudicio aliorum meritis anteponant.
Ecce Heliu quomodo paulisper in elationem per verbo- H
rum incrementa proficit. Sæpius namq; dixerat. *Si habes* Iob. 33. 32.
quod loquaris, responde mihi, & reliqua. Ac si diceret. Dic ali-
quid, si tamen dignus potueris esse qui dicas. Hinc autem
ait. *Si habes intellectũ audi quod dicitur.* Ac si aperte dicat. Audi
me, si tamẽ dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quoti-
diani defectus qui in cordibus reproborum fiunt, quibus
indesinenter ad deteriora descendunt. Seq.

Numquid qui non amat iudicium sanari potest, quomodo tu 17.
eum qui iustus est in tantum condemnas? Bonam quidem sen-
tentiam protulit, sed B. Iob proferenda non fuit. In omni
enim quod dicitur summopere intuẽdum est qd dicatur,
cui dicatur, quomodo dicatur. Heliu aũt attendit quod
diceret, sed cui diceret non attendit. Beatus quippe Iob
amabat iudicium, qui causas suas subtiliter cum Deo pen-
sare nouerat, nec condemnauerat eum qui iustus est: sed
cur sine peccato percussus fuerat in dolore positus cum hu-
militate requirebat. Amat iudicium quisquis vias suas sub-
tiliter discutit, & secretarium cordis ingressus, quid Domi-
nus ipse tribuat, quid ipse debeat Deo pensat. Arguens B.
Iob quod iudicium non amaret, & quia eum qui iustus est,

A condemnasset, ilico eiusdem iusti idest Domini iustitiam subdit. Sequitur.

18. *Qui dicit Regi, Apostata, qui vocat duces impios.* Sæpe nouimus quod plerique qui præsunt inordinatum sibi metum à subditis exigunt, & non tam propter Dominũ, quam pro Domino venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciũt.
Eccli. 32. 1. Vnde scriptum est. *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis*, bene contra eos dicitur. *Qui dicit Regi, Apostata.* Vnusquisque enim superbus rector totiens ad culpam apostasiæ delabitur, quotiens præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. Sub quo enim sit non considerat, & quod æqualibus quasi non sit æqualis exultat. Ad viam namque pietatis ducerent, si subditorum oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux quippe est impius, qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes inuitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostẽdit erroris. Paulus dux
B impius esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem re-
1. Thess. 2. 6. 7. primebat dicens. *Non quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs, cum possemus oneri esse vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestrum.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

MORALIVM IN IOB

LIBER XXV.

Ipsa humanæ conditionis qualitas indicat, quantum longe rebus cæteris præstat. Nam collata homini ratio asserit quantum omnia, quæ vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen quia ab inter-
C nis atque inuisibilibus oculos claudimus, atque visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur. Cumque nõ intuemur quod ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarũ non ex personis, sed ex rebus adiacentibus ducimur, sicque fit vt is quoque apud nos intus in disceptatione veniat, qui foris honoratur, quia dum pro his quæ erga illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. At contra de Deo dicitur.

19. *Qui non accipit personam principum, nec cognouit Tyrannum, cum disceptaret contra pauperem.* Potest autem per Principem vel Tyrannum, quilibet superbus intelligi, per pauperes vero humiles designari. Tyrannum ergo disceptantem contra pauperem non cognoscit omnipotens Deus, quia superbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in iudicio se nescire perhibet dicens. *Nescio vos, vnde sitis.* Et quia
Luc. 13. 25. 27. sic potentes cum vult destruit, sicut cum voluit potentes creauit, apte ratiocinando subiungitur. *Opus enim manuum eius sunt vniuersi.* Atque mox subditur.

D
20. *Subito morientur, & in media nocte curuabuntur populi & pertransibunt.* Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito & repente tolluntur, quia finem suum cogitando præuidere nesciunt. Subito est quod ante cogitare non potuit. Subito diues ille stultus est, qui horrea quæ præparauit, deseruit; & inferni locum, quem non præuidebat, inuenit.
Luc. 12. 20. Vnde ei dicitur. *Hac nocte repetent animam tuam à te*, at contra
1. Thess. 5. 4. de iustis dicitur. *Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat.* In media enim nocte curuati
* humilitate. pertransibunt, qui in obscuritatis suæ negligentia * humilitati rapiuntur. Tunc curuabuntur per sententiam iudicis, qui nunc curuari negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne inuiti curuentur in morte, sponte curuantur in humilitate. Vnde sanctæ Ecclesiæ de conuersis prole per-
Esa. 60. 14 secutorum dicitur. *Venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te.* Et bene de morientibus populis notat, transibunt, sed *pertransibunt*, qui etiam viuendo temporaliter quotidie ad finem tendimus, & præsentem vitam quasi quandam viam subigendo transimus; hoc ipsum moriturus viuere, quasi ad mortem ire est, & quot dies vitæ peragi-mus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Sequitur. *Et auferent violentum absque manu.* Subaudis diuina iudicia. Absque manu vero auferent eum, qui manu violentus fuit, absque manu auferent, quia videlicet subito exitu vrgente inuisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat. Sequitur.

Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum cõsiderat. Tunc enim nequaquam considerare credebatur, 21.
quando violentus iste omne malum quod poterat, inulte perpetrabat. Æstimabatur Deus iniusta acta non cernere, quia differebat iuste dãnare, & magna eius patientia quasi quædam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipse totiẽs se in peccatis suis non videri à Deo credidit, quotiens multe peccauit, cui per quendam sapientem dicitur. *Ne dicas,* Eccli. 5. 4
Peccaui, & quid accidit mihi triste? Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit pœnam. Gressus vero hominum vocat, vel singulas operationes quibus innitimur, vel alternantes motus intimæ cogitationis, quibus
quasi passibus vel longe à Domino recedimus, vel prope ad F
Deum propinquamus; ad Deum enim quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis motibus proficit: & rursum tot gressibus longe fit, quot malis cogitationib. decrescit. Seq.

Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi 22.
qui operantur iniquitatem. Quid per tenebras nisi ignorantiam, & quid per vmbram mortis, nisi obliuionem intelligit designare? De quarumdam quippe ignorantia dicitur. *Te-* Ephe. 4. 18
nebris obscuratum habentes intellectum. Et rursum de obliuione quæ in morte contingit scriptum est. *In illa die peribunt o-* Psal. 145. 4
mnes cogitationes eorum. Quia ergo per mortẽ funditus obliuioni traditur quicquid viuendo cogitatur, quasi quædã obliuio est, & vmbra mortis. Ac si ergo diceret. Idcirco eius iudicio nullus absconditur, quia nullatenus potest aut non videre quod fecimus, aut obliuisci quod videt; quamuis intelligi tenebræ vel vmbra mortis etiam aliter possunt. Omnis namque immutatio, velut quædam mortis immutatio est. Id enim quod mutat, quasi ab eo quod
erat, interficit; vt desinat esse quod fuit, & incipiat esse G
quod non fuit. Lumen igitur verum, creator videlicet noster, quia à nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed eius esse, sine motabilitate fulgere est, tenebræ ei vel vmbra mortis dicitur non inesse. Vnde alias scriptum est. *Apud quem non* Iacob 1. 17
est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et vnde rursus Paulus Apostolus dicit. *Qui solus habet immortalitatem, & lu-* 1. Tim. 6. 16
cem habitat inaccessibilem, Lux enim æterna quæ Deus est, quanto incommutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt: & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Sequitur.

Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in 23.
iudicium. Hic nimirum nõ illud iudicium designatur, quod per æternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conuersionem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur. *Neque enim vltra in hominis potestate est, vt*
veniat ad Deum in iudicium, profecto ostenditur esse quod- H
dam iudicium quod quandoque etiam à damnatis ac reprobis desideretur. Et quod est illud nisi hoc de quo Paulus Apostulus dicit. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudica-* 1. Cor. 11. 31
remur. Et de quo per Prophetam dicitur. *Non est iudicium in* Esa. 59. 8
gressibus eorum. Et quod Dauid ait. *Honor Regis iudicium dili-* Psal. 98. 4
git. Vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, sollicite iudicet quid ei debeat in operatione. Hinc Propheta ait.
Reduc me in memoriam vt iudicemur simul, narra si quid habes vt Esa. 43. 26
iustificeris. Debet enim vniuscuiusque mens & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere: debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerse viuendo retribuit. Quod electi quidem quotidie facere omni-
no non cessant. Vnde bene Salomon ait. *Cogitationes iusto-* Prou. 12. 5
rum iudicia. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis, considerant quam districte quandoque feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se egisse meminerunt, puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt. Nec deest in hoc iudicio mente concepto omne

A ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius sæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Quia ergo nunc in potestate est internum mentis nostræ contra nos inhire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos quales fuimos, pœnitendo torqueamus, hoc cessemus dum licet iudicare quod fecimus. Audiamus caute quod dicitur. *Neque enim vltra in hominis potestate est vt veniat ad Deum in iudicium.* Sequitur.

24. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro alijs.* Postquam multa narrata sunt de pœna malorum, subito infertur occultum iudicium, quod pie super nos iusteque disponitur, quomodo alij perdunt quod tenere videbantur, & alij accipiunt quod alij ea meritis perdunt. Cunctis autem liquet, quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, vt alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cælestis ad-

B mittat. Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc publice demonstratur. Nam iuste ac misericorditer singulorum corda, vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecus trahit. Hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserere exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit, illorum superbiam in infimis desiderijs mergit, & qui videntur humano iudicio, iam in conspectu æterni iudicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset Iudam viuendi sortem etiam post ministerium Apostolatus amittere? Et quis è contra latronem crederet causam vitæ etiam in ipso mortis articulo inuenire? Conteruntur etiam qui relictis cœlestibus terram quærunt. Quæ autem maior poterit esse contritio, quam deserto creatore creaturam quærere? desertis supernis gaudijs, in infimis rebus inhiare? Vnde bene per

Psal. 146. 6. Prophetam dicitur. *Humiliat autem peccatores vsque ad terram.* Quod autem dicens. *Conteret multos,* illico adiunxit, *innumerabiles,* multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ

C humanæ rationis numerum transit. Vel certe indicare voluit quod omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, vt eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Vnde Propheta intuens tantos hoc ecclesiæ tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est e-

Psal. 39. 6. lectorum numerum summamque transire, ait. *Multiplicati sunt super numerum.* Sequitur.

25. *Nouit enim opera eorum, & idcirco inducit noctem & conterentur.* Sciendum summopere est, quod iniquus quisque duobus modis in nocte conteritur, vel cum exterioris iudicij tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius cæcatur. In nocte conterit, cum per extremum iudicium, viuendi lumen in perpetuum amittit. Vnde scriptum est. *Li-*

Matt. 22. 13. *gate ei pedes & manus, & mittite eum in tenebras exteriores.* Rursum in nocte iniquus conteritur, cum peccatorum præcedentium confusione damnatus, veritatis lumen non inuenit, & quid deinceps agere debeat, non agnoscit. Omne quippe

D peccatum quod tamen citius pœnitendo non tegitur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur ad peius & alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non tam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito etiam

Ps. 68. 28. in alijs cadat. Hinc Dauid ait. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitia tua.* Igitur quia præcedentibus peccatis cæcatus oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animum ea anteactæ culpæ damnatione confundit, merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Inducere autem noctem dicitur Dominus, non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, vt hoc ipsum in nocte cæcasse sit, a cæcitatis tenebris liberare noluisse. Sequitur.

26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.* In Scriptura sacra *quasi* aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate poni consueuit. Pro similitudine enim *quasi* ponitur, sicut Apostolus dicit. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Pro 2. Cor. 6. 10.
veritate autem ponitur, sicut Ioannes ait. *Vidimus gloriam* Ioan. 1. 14.
eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Hoc autem loco nihil differt vtrum pro similitudine, an pro veritate sit positum, quia quolibet dicatur ordine, aperte praua maiorum vita signatur. Impios vero Scriptura sacra proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impijs discernuntur, quia cum omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius; peccator enim dici etiam qui in fide pius esse potest. Vnde Ioannes ait. *Si dixerimus quia peccatum non* 1. Ioan. 1. 8.
habemus, veritas in nobis non est. Impius vero proprie dicitur, qui à religionis pietate separatur. De talibus enim Propheta
ait. *Non resurgunt impij in iudicio.* Locus autem videntium Psal. 1. 5.
sancta Ecclesia vocatur, in ipsa enim recte consistitur, vt lumen verum quod Deus videatur. Vnde ad Moysem dicitur. *Est locus penes me, & stabis supra petram cum transibit mea* Exod. 33. 21.
maiestas. Et post paululum. *Auferam manum meam, & videbis* 22.
posteriora mea. Multi quippe intra sanctam Ecclesiam positi, Ibid. 23.
pia specie extra Ecclesiam inuenti sunt, impia conuersatione. De quibus bene alias scriptum est. *Vidi impios sepul-* F
tos, qui etiam aduiuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciui- Eccl. 8. 10.
tate quasi iustorum operum. Sequitur.

Qui quasi de industria recesserunt ab eo. Sciendum quippe est 27.
quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & grauius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo grauius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccauerat, cum dicebat. *Qui prius fui blasphemus & persecutor,* & 1. Tim. 1. 13.
reliqua. Petrus vero infirmitate peccauit. Industria vero peccauerant hi, de quibus dicebat, ipse magister. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* & reliqua. Ioan. 15. 22. 24.
Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, & quæ ipsi negligunt facere, etiam in alijs detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in alijs amarent. Sequitur. *Et omnes vias eius intelligere noluerunt.* Non enim infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt,* quia sæpe quæ facere despiciunt etiam scire contemnunt. G
Quia enim scriptum est. *Seruus nesciens voluntatem domini sui* Luc. 12. 47.
& non faciens digna, plagis vapulabit paucis, & seruus sciens vo- 48.
luntatem domini sui, & non faciens iuxta eam, vapulabit multis. Impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse, superbia. Via quippe est incarnatæ omnis actio quam temporaliter gessit, viæ eius sunt viuendi ordines, quos ad se venientibus strauit. Tot itaque ad se venientibus vias præbuit, quot bene viuendi exempla monstrauit. Humilitatis eius Propheta vias aspexerat, cum suspirabat H
dicens. *In mandatis tuis me exercebor, & considerabo vias tuas.* Ps. 118. 15.
Quia ergo superbi quique humilitatis Dominicæ facta contemnunt, recte dicitur, *vias eius intelligere noluerunt.* Vias itaque eius intelligere est, & humiliter tolerare transitoria, & perseueranter expectare mansura, vt exemplo Dominico æterna quæratur gloria opprobrijs temporalib. comparata. Sequitur.

Et peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audire vocem 28.
pauperum. Cum enim isti superbiunt, clamant ad Dominum hi qui ipsis superbientibus opprimuntur. Vel certe idcirco dicitur quod ad Deum fecerunt clamorem pauperum peruenire, quia istis cadentibus in eorum loco pauperes, id est humiles spiritu subrogantur. Et quia hoc eorum casu factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis genere quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis. Vel certe, quia cuncta quæ superius dicta sunt, referri etiam ad rectores Ecclesiasticos possunt, qui relicto prædicationis studio, sub occasione regiminis terrenis negotiis inuoluuntur, apte subiungitur. *Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audire vocem pauperum.* Quia nimirum dum ipsi curis secularib. occupati prædicationis officium deserunt, gregem subditum in querelarum prorumpere clamore compellunt,

A lnot, vt quasi iure vnusquisq; subiectus de vita ficti pasto-
ris immurmuret, cur tenet magistri locum, qui nō exercet
officium, quamuis fortasse melius per tumorem potentiū
superbia Iudæorum, & per clamorem pauperum desideria
gentium figurantur, sicut attestante Veritate per epulan-
tem splendide diuitem Iudaicus populus designatur. Et
per vulneratum Lazarum, qui interpretatur adiutus, for-
ma Gentilis populi exprimitur. Illis ergo peccantibus pau-
perum clamor auditur, quia dum Iudæi contra Deum su-
perbiunt, ad Deum vota Gentilium peruenerunt. Sequi-
tur.

29. *Ipso enim concedente pacem quis est qui condemnet? Ex quo ab-
sconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?* Nemo er-
go discutiat cur stante Iudaico populo dudum in infideli-
tate Gentilitas iacuit, & cur ad fidem Gentilitate surgente
Iudaicū populū infidelitatis culpa prostrauit. Nemo discu-
tiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito.
B Si enim Gentilitatem miraris assumptam, *ipso concedente pa-
cem, quis est qui condemnet?* Si Iudæam obstupescis perditam,
ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contemple-
tur eum? Itaq; consilium summæ & occultæ virtutis satis-
factio sit aperte rationis. Vnde in Euāgelio Dominus cum
de huius rei causa loqueretur, ait. *Confiteor tibi Domine Pater*
Matt. 12. 35. *cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & re-
uelasti ea paruulis.* Seq. *Et super Gentes, & super omnes homines.*
Ac si aperte admoneantur attendere, quia hoc iudicium
quod super vnam Gētem describitur, etiam super omnes ho-
mines inuisibili examinatione celebratur, vt alius repella-
tur, alius eligatur occulte, sed nullus iniuste. Hoc ergo quod
in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute
timeamus. Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnā
animam, sicut super vnam vrbem, sicut super vnā gentem,
sicut super vniuersam generis humani multitudinē. Quia
& sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic
simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Qui enim o-
C mnia administrando implet, regit implendo; nec vniuer-
so deest cum disponit vnum, nec vni deest, cum disponit v-
niuersum, cunctæ scilicet naturæ sua potentia verus ope-
ratur. Sequitur.

30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*
Quia igitur de specie transiuit ad genus, nunc de genere se
conuertit ad speciem. Verum namq; regem super se Iudæa
regnare noluit, & idcirco ex gentibus meritis hypocritam
Ioan. 5. 43. accepit, sicut quoq; Veritas in Euangelio dicit. *Ego veni in
nomine Patris mei, & non accepistis me; alius veniet in nomine suo,
hunc accipietis.* Potest etiā per hypocritam, caput Antichri-
* Anti-christus. stus * designari, seductor quippe ille tunc sanctitatem si-
mulat, vt ad iniquitatem trahat, sed propter peccata popu-
li regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius re-
gimine præordinantur, quia digni eius Domino ante secu-
la præsciuntur qui peccatis subsequentibus exigunt, vt sub
illo iudicijs præcurrentibus disponantur. Quod ergo tunc
Antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia iu-
dicis, sed ex culpa patientis; quamuis plerique & princi-
D patum illius non viderunt, & tamen eius principatui pec-
catorum suorum conditione deseruiunt, quia & quem do-
minantem sibi minime conspiciunt, eum proculdubio
peruerse viuendo venerantur. An non eius membra sunt
qui per affectatæ sanctitatis speciem appetunt videri quod
non sunt? Ille namq; principaliter hypocrisin sumet, quia
cum sit damnatus homo & nequam spiritus, Deum se esse
mentitur, sed proculdubio ex eius nunc corpore prodeūt,
qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscōdunt,
vt professione videri appetant, quod esse operibus recu-
sant, quia enim scriptum est. *Omnis qui facit peccatum, seruus*
Ioan. 8. 34. *est peccati.* Quanto nunc liberius peragunt peruersa quæ
volunt, tanto eius seruitio obnoxij obligantur. Sed quæri
potest rationabiliter quomodo hoc in loco dicitur, quod
regnare hypocritam Dominus facit, cum hac de re specialiter
Osee 8. 4. queritur per Prophetam dicens. *Ipsi regnauerunt, & non ex
me, principes extiterunt & non cognoui.* Quis enim recte sen-
tiens dicat, quia facit Dominus quod minime cognoscit;
sed quia scire Dei approbare est, nescire, reprobare. Vnde
Luc. 13. 25. 27. quibusdam quos reprobat dicit, *Nescio vos vnde sitis, discedite
à me omnes operarij iniquitatis.* Et aliquando facere Dei est, id
quod fieri prohibet irascendo permittit metire. Vnde & E
regis Ægypti cor se obdurare asseruit, quia videlicet obdu-
rari permisit. Miro modo hypocritas Dominus regnare fa-
cit & nescit: facit sinendo, nescit reprobando.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXVI.

Via ergo locutus sum ad Deum, te quoque non pro- 31.
hibeo. Si erraui, tu doce me. Si iniquitatem locutus 32.
sum, vltra non addam. Sicut sæpe contingit vt
bona loquantur & mali, multa Heliu fortia
paulo superius se dixisse memorat, & secu-
turus idcirco ne fortasse errauerit, requirebat. Neq; enim F
requireret, si se errasse credidisset. Est namque, vt dixi, pro-
pria arrogantium fraus, vt tunc de errore requirere stude-
ant, quando se nouerint non errasse. Qui rursum require-
re vel argui de errore despiciunt, si quando se errasse vera-
citer cognoscunt. Sequitur.

Numquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Ac si dice- 33.
ret. Ego coram Deo rationes positurus sum. Cur modo
iniquitas mea à te reprehenditur? Quæ constat quia quod
in iudicio à te non requiratur? Recti viri cum iniuste ab
hominibus impetuntur, ad supernum iudicium recurrūt.
Vnde & ab eodem Iob dicitur. *Ecce in cœlo testis meus, & con-* Iob. 16. 19.
scius meus in excelsis. Et quia ei summopere placere cupiunt,
eius solius testimonium requirunt. Peruersi quoque quia
iustorum vitam deserunt, sed nonnumquam eloquia scru-
tantur, cum de suis male gestis increpantur, hoc assumunt
in argumentum defensionis, quod iusti proferunt cum testi-
monio puritatis. Vnde eis & consuetudo iam facta est, vt si G
quis eos de factis suis arguat, Dei magis iudicium quam
hominum quærant. A Deo enim & cum se damnandos
nouerint, iudicari metuunt, iudicari ab hominibus erube-
scunt. Proponunt ergo magis quod metuūt, vt hoc minus
declinare valeant quod erubescunt. Scriptum quippe est,
Vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo. Quia vero esse Rom. 14. 12.
culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoāt,
quam qui responderint, subdidit dicens. *Tu enim cœpisti lo-
qui, & non ego.* Eo se innocentem credidit, quo pulsatus e-
rupit, nimirum nesciens quia innocentia non tempore de-
fenditur, sed ratione. Quid enim eius defensionib. admi-
niculatur? Quod si taceret nulla intulit, recte tamen in-
choanti praua respondit. *Quod si quid nosti melius, loquere.*
Quamuis dum non ait, quia melius nosti, sed quid melius
nosti, loquere: nimis hoc ipsum superbisse est, de melio-
ris scientia dubitasse. Ecce dum quasi humiliter B. Iob
loqui tribuit, quod intrinsecus gestaret, ostendit. Se-
quitur.

Viri intelligentes loquantur mihi. Dedignatus videlicet si H
B. Iob loqui præsumeret, qui quasi eius intelligere verba 34.
non posset. Et quia non solum ad loquēdum, sed etiam ad
audiendum B. Iob indignum fuisse iudicauit. Sequitur.
Vir sapiens audiat me. Ac si diceret. Huic loqui iniuste con-
ceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur.
Atque mox aperte quam despecta de illo sentiat, manife-
stat dicens.

Iob autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplin- 35.
nam. Sine disciplina locutum B. Iob credidit, quia iustum
se in suis operibus fuisse memorauit. Verum fortasse He-
liu diceret, si ea quæ B. Iob de seipso narrauerat, non de il-
lo hæc eadem ipse disciplinæ auctor æstimasset. Innocen-
tem enim Iob se asserit flagellatum, quem Deus etiam per-
hibuit frustra percussum. Quod ergo vox percussi super-
bum sonuit, quæ à sententia ferientis nullatenus discre-
pauit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant,
dum arrogantiam vitant, imo mentiendo superbiunt, qui
contra veritatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim
necessitate cogente, vera de se bona loquuntur, tanto magis
humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur. Sequitur.

A
36. *Pater mi probetur Iob vsque ad finem.* Ecce hoc quod de arrogantiæ tumore conceperat, in verbis etiam maledictoris exaltat, sed fortasse benevole vim probationis optaret, si stetisse eum in probatione indicasset. Vt vero aperte malitiæ eius crudelitatis appareat, probare adhuc per flagella deprecatur, quem inter flagella lapsum fuisse iam queritur; præmisit, quod sensit, vt apertius cognosci debeat quod optat. Adhuc feriri postulat quod iam peccasse sub manu ferientis accusat. Propria hæc arrogantium vota sunt, vt vitam dolentium examinari acrius deprecentur, quia quanto sibimetipsis iustiores sunt, tanto alienis doloribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem alienæ infirmitatis trahere, & sicut suæ, ita etiam proximi imbecillitati misereri. Viri autem veraciter sancti flagellari quempiam etiam pro culpa cognoscunt, & si quædam eius inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia compatiuntur, & sciunt sic tumentia premere, vt sciant etiam cruenta resouere, quatenus in eis cum dura emolliunt, infirma roborent. Sequitur. *Ne desinas ab homine*
B
iniquitatis. Hominem iniquitatis vocat, quem Deus iustum præ omnibus superna attestatione denuntiat. Sequitur.

37. *Qui addit super peccata sua blasphemiam.* Accusat eum & pro peccatis suis flagella meruisse, & post flagella peccasse. Longe vero aliter Dominus iudicat, qui & *frustra* flagellatum insinuat, & bona duplicia post flagella retribuit: pœna enim debetur culpæ, non præmium. Beatus ergo Iob sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem præmia subsequuntur. Sequitur. *Inter nos interim constringatur, & tunc ad iudicium prouocet sermonib. suis Deum.* Ac si diceret. Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam diuinæ examinationi sufficiat. Sequitur.

CAP. XXXV.
1. *Igitur Heliu hæc rursum locutus est.* Omnis qui multa loquitur, in locutione sua semper incipere studet, quatenus inchoatione ipsa suspensos auditores faciat, & eo attentius taceant, quo quasi nouum audire aliquid expectant. Sequitur.
C

2. *Numquid tibi æqua videtur tua cogitatio, vt diceres, Iustior Deo sum?* Quia B. Iob iustiorem se Deo non dixerit, omnis qui
Iob. 23. 7. textum historiæ legit, agnoscit. Sed ait. *Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.* Vitam suam videl. pensans, & causas percussionis ignorans, vt sæpe iam dictum est, pro diluendis peccatis se credidit, & non pro augendis meritis flagellari: & idcirco iudicium suum ad victoriam peruenire confisus est, quia culpam in se, pro qua debuisset percuti, non inuenit. Quod quidem de illo
Iob. 2. 3. & Dominus ad Diabolum dicit. *Commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Vel certe intueri Redemptoris nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui est virtus patris & sapientia, etiam eius æquitas non inconuenienter accipitur. Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugientibus incarnatam ostendendo contra posuit, eos protinus ab iniquitate reuocauit. Sequitur.

3. *Dixisti enim. Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi pro-*
D *derit, si ego peccauero?* Si tota libri series attenditur, nil horum B. Iob dixisse monstratur, sed arrogantes cum non possunt reprehendere iuste quæ sunt, reprehendunt mentiendo quæ non sunt. Sequitur.

4. *Itaq. ego respondebo sermonib. tuis, & amicis tuis tecum.* Dictis superioribus quasi B. Iob culpabilia verba narrauit, atque ea eis sibi materiam loquendi præposuit, sed verbis subsequentibus forti acumine discutit hoc quod sibi ad dicendi materiam fallaciter finxit, & fortes quidem sunt sententiæ quæ sequuntur, sed beati Iob personæ minime congruunt. Sequitur.

5. *Suscipe cælum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te*
6. *sit. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquita-*
7. *tes tuæ, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Quamuis beato Iob scienti maiora nequaquam dici ista debuerunt, vera tamen sunt quæ dicuntur, quod videlicet Deo nec peccata nostra noceant, nec bene gesta concurrant. Sequitur.

8. *Hominem qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua.* Sed inter hæc illud solerter intuendum quod ait. *Suscipe cælum, & intuere, & contemplare æthera*

E *quod altior te sit.* Hæc enim dicens, nimirum colligit vt considerare debeat quanto minus Deo actione sua aut prosit aut noceat, cui altitudine cœli atque ætheris prodesse vel nocere non possit. Quamuis in cœlo vel æthere possumus supernas potestates accipere, diuinis semper obtutibus inhærentes, vt cum Angelicos spiritus longe adhuc à nobis distare conspicimus, ipsi creatori atq; dominatori spirituum quanto distamus interius agnoscamus, corpoream tamen cœli ætherisque materiam hoc loco sentire nil obstamus. Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora reuocamur. Vnde Paulus ait. *Inuisibilia enim, per* Rom. 1. 20.
ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Humana impietas ei nocet, quem peruertendo inquinat, & rursum eum adiuuat nostra iustitia, quem à prauis actionibus mutat. Noceri enim vel adiuuari nesciunt ea quæ vel à bono corrumpi, vel à malo permutari non possunt. Supernæ igitur potestates eo lædi vel iuuari nequeunt, quo esse iam incommutabiles acceperunt. Sequitur. F

9. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.* Calumniatores recte dicere possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus & vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt. Illi namque ea quæ nobis extra sunt, inuadere ambiunt, isti nos prædari interius quærunt: & quia in hoc mundo abundat malorum vita quæ cruciat, recte dicitur. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.* Quisquis enim male viuere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris vtitur. Quisquis vero peccatum suadens, etiam terrere nos appetit, iam contra nos brachio tyrannidis sæuit. Aliud est enim vitia suadere viuendo, aliud iubendo terrere. Sequitur.

Et non dixit, vbi est Deus qui fecit me? Mos sacræ scripturæ 10.
est, vt à singulari numero ad pluralem subito transeat, atq; à plurali ad singularem vertatur. Vnde & Heliu à plurali numero in singularem veniens, ad personam subito infirmi vniuscuiusque transiuit, fortasse quia à singulis melius recognoscitur quicquid dici singulariter auditur, vt ad cor suum quisque redeat, & in semetipso hoc quod de vnoquoque dicitur, reprehendat. Quisquis enim aduersitatum tribulatione frangitur, à quo factus est minime contemplatus. Nam qui quod non erat, fecit, factum sine gubernatione non deserit, & qui benigne hominem, nequaquam cruciari iniuste permittit. Sequitur. *Qui dedit carmina in nocte.* Carmen in nocte est, lætitia in tribulatione, quia & si pressuris temporaliter affligimur, spe iam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat dicens. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Carmen in no- Rom. 12. 12.
cte Dauid expresserat, qui dicebat. *Tu es refugium à pressura* Ps. 31. 7.
quæ circumdedit me, exultatio mea, redime me à circumdantibus me. Sequitur.

Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit 11.
nos. Iumenta terræ sunt, qui vsu vitæ carnalis ima appetunt: volucres vero cœli sunt, qui superbæ curiositatis studio sublimia perscrutantur. Illi viuendo se deponunt infra quam sunt, isti inquirendo se eleuant vltra quam possunt. Illis per sacra eloquia dicitur. *Nolite fieri sicut equus & mulus* Psal. 31. 9.
in quibus non est intellectus. Istorum superbus labor increpatur, dum dicitur. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scru-* Eccl. 3. 22.
tatus fueris. *Docet* igitur *nos* Deus *super iumenta terræ, & super volucres cœli.* Quia dum hoc quod sumus, agnoscimus, nec carnis nos infirmitas deijcit, nec superbiæ spiritus leuat, nec defluendo imis subijcimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim labitur carne, iumentorum appetitu prosternitur, qui vero extollitur mente more volucrum quasi leuitatis penna subleuatur. Et est sensus, subandis, hoc quoque non dixit. Hoc itaque quod iumentis & volucribus antecellit, eum non dicit in tribulatione memorari. Ac si diceret. Infirmus quisque idcirco nequaquam se in perturbatione corroborat, quia & in tranquillitate non temperat, & idcirco nescit aduersa tolerare, quia constitutus in prosperis cogitatione se non nouit à volatu volucrum premere, nec carnales motus à iumentorum ingluuie subleuare. Quodquidem intelligi
etiam

A etiam aliter potest. *Qui docet nos super iumenta terræ, & super*
volucres cæli erudit nos. Nam sicut iumentorum vocabulo
signatur vita hominum carnis adhuc motib. subditorum,
ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum su-
perborum, vt per iumenta quidem terreni homines, per
volucres vero dæmonia designentur. Vnde cum semina
Matt. 13. 4. Dominus iuxta viam diceret cecidisse, subiunxit. *Venerunt*
volucres cæli & comederunt ea, nimirum per volucres signans
aereas potestates. Sancti autē viri, q a nec infima hominum
exempla appetunt, nec rursum dæmoniaca subtilitate fal-
luntur, *& super iumēta terræ, & super cæli volucres*, virtute eru-
ditionis excrescunt. Paulus *super iumenta* iam *terræ* edoctus
Phil. 3. 18. 19. 20. fuerat, dicens. *Multi ambulant*, & paulo post, *quorum finis in-*
teritus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui
terrena sapiunt, nostra autem conuersatio in cælis est. Et rursum,
1. Cor. 6. 3. *super volucres cæli* eruditum se nouerat, cum dicebat. *Nescitis*
quoniam Angelos iudicabimus? Ac si diceret, infirmus pusilla-
nimitate victus ista non dixit, & idcirco eum aduersitatis
B tentatio perculit, quia tranquillitatis tempora hæc cuncta
transeuntia nulla perfectione superauit. Sequitur.

12. *Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum.*
Ibi, videlicet in tribulatione, vt è contra de gaudio scriptū
Psal. 101. 29 est. *Filij seruorum tuorum inhabitabunt ibi.* Sed videbitur, in-
certum, vtrum dicat, propter superbiam malorum non ex-
audiet, an propter superbiam malorum clamabunt. Intel-
ligi autem melius potest, si non exaudiri potius, *propter ma-*
lorum superbiam, q̄ clamare referantur. Nam quod propter
malorum superbiam clamant, supra iam dictum est. Ergo
nobis hoc versu innuitur, q paulo subtilius attendatur, q a
sæpe oppressi quidem dum clamauerint, ex se quidem me-
rentur audiri, sed tamen eorum desideria propter oppri-
mentium superbiam differuntur. Iustus quippe Dominus,
& suos permittit temporaliter opprimi, & violentorum
malitiam nequiter augeri, vt dum horum vita in purgatio-
C ne teritur, illorum nequitia consummetur. Ac si diceret.
Reatus opprimentium audire voces prohibet oppressorū,
nec eripiuntur visibiliter iusti, quia saluari inuisibiliter nō
merentur iniusti. Vnde rursum per Prophetam dicitur.
Psal. 48. 11. *Cum viderint sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.*
Sequitur.

13. *Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum cau-*
sas intuetur. Notandum quod duo sint dicta, quia & cla-
mantem non frustra audit, & tamen quod patitur respicit,
& exaudiri voces dissimulat, & quod vnusquisque tolerat,
non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod
à superna cura negligitur. Sæpe enim nostra desideria quia
celeriter non fiunt, exaudiuntur, & quod implere con-
cite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Se-
quitur.

14. *Etiam cum dixeris, non considerat, iudicare coram illo, & ex-*
specta eum. Fortasse enim dum clamor noster quasi negligi-
tur, spes quæ cordi inerat, infirmatur: & superna adiutoria
defutura credimus, quia tardius impetramus, ac pene in-
D cōsiderata Deo esse ingemiscimus, quæ inulta toleramus.
Sed cum nos ista desperationis procella conturbat, con-
cussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas
cum Domino subtiliter pensat, si bona eius ad memoriam
reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit, apud semetipsam
callide non excusat, si perpendit quod ab eo iuste meruit,
& quod cleméter accepit, Ac si diceret. Cum idcirco Deus
considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima co-
gitationis ingredere, atque illic coram eius oculis causæ
tuæ iudicium suscipe, & quæ ipse viuendo contulisti, vel
quæ miserabiliter percepisti, discerne. Nā qui semetipsum
coram Deo non iudicat, eum dum affligitur, non expectat.
Sequitur.

15. *Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur valde.* Sce-
lus quippe Deus diu tolerat, quia in perpetuum damnat,
& furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum si-
ne fine in posterum seruat. Electorum namq; est hic conte-
ri, vt ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri: nostrū
est hic flagella percipere, quibus seruatur de æternitate
Heb. 12. 6. gaudere. Hinc enim scriptum est. *Flagellat omnē filium quem*
Apoc. 3. 19. *recipit.* Hinc ad Ioannem dicitur. *Ego quos amo arguo & casti-*
go. Notandum vero est, quod subintulit *valde*, quia & si
quæ longanimiter tolerat, quædam tamen in hac etiam E
vita flagellat, & hic nonnumquam ferire inchoat, quod
æterna damnatio consummat. Ergo & nonnulla percu-
tit, & nonnulla inulta derelinquit, quia si nulla reseca-
ret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursum
si hic cuncta percuteret, extremum iudicium vnde resta-
ret? Sequitur.

Ergo Iob frustra aperuit os suum, & absque scientia verba mul- 16
tiplicat. Hæc nimirum inferens, beatum Iob, & nil scisse as-
serit, & multa dixisse: & cum ipse quæ sentit loquaciter in-
ferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque
esse proprium arrogantium solet, vt & pauca credant, quæ
ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca di-
cuntur. Sequitur.

Addens quoque Heliu etiam hæc locutus est. Sustine me paulu- CAP.
lum, & indicabo tibi. Multa iam dixerat, & sustineri adhuc XXXVI.
paulalum sperat, quia videlicet arrogantes graue se dam- 1.
num perpeti iudicant, si scientiam suam loquendi breui- 2.
tate constringant: tanto enim semetipsos credunt Do- F
ctiores ostendere, quanto se potuerint multiplicare lo-
quacitatis aperire. Sequitur. *Adhuc habeo, quod pro Deo lo-*
quar. Quia enim sæpe sibi sentiunt silentij reuerentiam
non deferri, Deum nonnumquam potētiam de quo quasi
loquuntur, insinuant, ac sub prætextu illius sibi silentium
exigunt, quod minime merētur. Quia vero nonnumquam
Doctores sancti crebro repetunt, si qua obscurius dicunt,
vt quæ occulta prædicant, auditorum cordibus voce hæc
iterationis infundant, plerumque hoc appetunt etiam ar-
rogantes imitari, & insolenter ea quæ dixerint replicant.
Sequitur.

Repetam scientiam meam à principio. Sed quia nominata 3.
scientia tumor cordis in voce claruerat, arrogans aperte a-
gnoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur. Sequi-
tur. *Et operatorem meum probabo iustum*, vt dum quasi pro Dei
iustitia loquitur, apud humana iudicia quicquid arrogan-
ter affluit, excusetur. Sequitur. G

Vere enim absque mendacio sermones mei. Cum ab infirmis 4.
auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent ple-
rumq; etiam iusti laudare bona quæ dicunt, non quod ipsi
suis laudibus inhiant, sed quod auditores suos audiendi
sollicitudine accendant, vt dum eorum voce præferuntur,
ab illorum cordibus ardentiore affectu rapiantur. Vnde
Paulus cum mira Corinthijs, & multa dixisset, adiunxit. *Os* 2. Cor. 6. 11.
nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatū est. Sed ar-
rogantes dum cor bonorum nesciunt, & solas aliquando
voces imitantur, efferunt laudando q̄ dicunt, nō quod eis
torpor audientium displicet, sed quod sibi inhiantes pla-
cent. Seq. *Et perfecta scientia probabitur tibi.* Nimirum sensit se
magna dicturum, sed tumenti corde hoc quod de semet-
ipso sublimiter æstimauit, tacere non potuit, & idcirco q
rectum sensit, laudando præcurrit, quia iam quidem diui-
no iudicio reus esset, si magna de se saltem silēdo sensisset.
Ante subtile enim veritatis examen secuti omnino nō su-
mus, etiam si humano iudicio quod in nobis reprehendi
debeat non habemus. Sequitur. H

Deus potentes non abijcit, cū & ipse sit potens. In vsu vitæ mor- 5.
talis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex
his quæ circa ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt
noxia, sicut peccata atq; flagitia. Quædam vero nonnum-
quam nobis ex his quæ circa ipsa sunt, nocēt, sicut tempo-
ralis potentia vel copula coniugalis. Bonum namq; est cō-
iugium, sed mala sunt quæ circa illud ex huius mundi cura
succrescunt. Vnde Paulus ait. *Qui autem cum vxore est, cogitat* 1. Cor. 7. 33.
quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Magna est etiam potē-
tia temporalis, quia habet Deum meritum suum, de bona
administratione regiminis. Nonnunquam tamen eo ipso
quo præminet cæteris, elationis cogitatione intumescit,
subiectos despicit, ex æquo respicere cæteros dedignatur,
sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptū
est. *Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios super-* Iob. 41. 25.
biæ, & de cuius corpore dicitur. *Generatio cuius excelsi sunt o-* Prou. 30. 13.
culi, & palpebræ eius in alta surrecta. Deum quippe imitari de-
siderat, q fastigium potentiæ alienis intentius vtilitatibus,
& nō suis elatus laudibus, administrat, q prælatus cæteris,
prodesse appetit, non præesse. Tumoris namq; elatio, non

A tudo potestatis in crimine est, potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt quæ Deo largiente possidemus. Sequitur.

6. *Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* Scriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consueuit. Vnde in Euangelio cum adiectione spiritus nominantur,
Matt. 5. 5. dum dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quia enim diuitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientijs non sunt. Eos vero impios vocat, qui aut à fidei pietate disiuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, prauis sibi moribus contradicunt. Omnipotens Deus elatos destruit, humiles vero per *iudicium* liberos reddit, vel certè *iudicium pauperib. tribuit*, quia hi qui nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt. Sequitur.

7. *Non aufert à iusto oculos suos, & reges in solio suo collocat in perpetuum, & illic eriguntur.*
B Abstulisse enim à iustis oculos suos fortasse Dominus creditur, quia iniustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur, sed famulos suos tunc magis respicit, cum iniuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim quod humiliter tolerent, nimirum iam prævidet, quid illic eis misericorditer recompenset. Reges autem bene sancti viri scripturæ sacræ testimonio vocantur, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis, ad potestatem transeunt retributionis, dicatur recte. *Reges in solio collocat in perpetuũ.* Semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis internæ solio in perpetuum collocantur,
* incipiũt & ea illic accipiunt * alios digne iudicare, qui hic nesciũt semetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur. *Do-*
Psal 93.15. *nec iustitia conuertatur in iudicium.* Apte autem *in perpetuum* subdens, apte quid dicat insinuat: si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus *in perpetuum* subdidisset,
C quia quique illud accipiunt, profecto non in eo *in perpetuum*, sed temporaliter collocantur. Bene autem subdi-
* inuenerit. dit, *& illic eriguntur*, ac si intentioni audientis inuenerit* dicens. Quia hic humiliati sunt, illic eriguntur. Sanctis namque viris iste locus humilitatis est, vt ille sit celsitudinis.
Ps 43 20. Vnde alias scriptum est. *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Sequitur.

8. *Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indi-*
9. *cabit eis opera eorum, & scelera eorum quia violenti fuerint.* Catenæ obligationis sunt, ipsa adhuc retentio peregrinationis.
Phil. 1.23 Ligatum se his catenis Paulus aspexerat, cum dicebat. *Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse.* Paupertatis funibus vinctum se esse cernebat, quando veras diuitias intuens, eas etiam discipulis exorabat, dicens. *Vt sciatis quæ sit spei*
Eph. 1.18. *vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Bene autem post ista subditur. *Indicabit eis opera eorum, quia violenti fuerint.* Cum enim supernam gloriam magis amando cognoscimus, tunc mala quæ egimus, grauiora fuisse sen-
D timus. Vnde & Paulus post perceptam gratiam supernorũ, ea quæ in se studia virtutum crediderat fuisse, iam scelera
1.Tim.1.13. cognoscebat dicens. *Qui prius fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Vel certe. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc ar-*
Phil. 3. 7. *bitratus sum propter Christum detrimenta.* Sequitur.

10. *Reuelabit quoq; aurem eorum vt corripiat, & loquetur vt reuertantur ab iniquitate.* Aurem reuelare est, intellectum cognitionis aperire, reuelata vero aure vnusquisque corripitur, quãdo intrinsecus æternorum bonorum desiderium percipit. Potest vero in catenis & funibus paupertatis, pœna etiam temporalis afflictionis intelligi. Quia sæpe iubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, vt ad bona desideria pœnæ trahant, quos præmia non inuitant. Vnde per Prophetam dicitur. *In freno & chamo maxil-*
Psal.31. 9. *las eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sequitur.

11. *Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.* Per bonum recta actio, per gloriam vero superna retributio designatur. Qui ergo obedire præceptis cœlestibus student, *dies in bono* complentur, *annos in gloria*, quia & cursum præsentis temporis in recto opere, & consummationem suam perficiunt felici retributione. Sequitur.
E

12. *Si vero non audierint, transibunt per gladium, & consumentur stultitia.* Quia & vindicta eos in tribulatione percutit, & finis in fatuitate concludit. Sunt etenim nonnulli quos à perditis moribus nec tormenta compescunt. De quibus per Prophetam dicitur. *Percussisti eos nec doluerunt, flagellasti* Iere. 5.3.
eos, & renuerunt suscipere disciplinam. Bene ergo dicitur, quod *per gladium transeunt, & stultitia consumentur*, quia peccata quæ flagellis emendare debuerant, flagellis exaggerant. Et hic iam eius percussiones sentiunt, & illic iustæ retributionis supplicia non euadunt, fatuitas quippe stultitiæ est, quod illas sic iniquitas obligat, vt à culpa eos nec pœna compescat. Sequitur.

13. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Cum *simulatores* diceret, apte subiunxit, *& callidi*, quia nisi ingenio calleant, quod videri appetunt, congrue simulare nõ possunt. Sunt enim nonnulla vitia quæ etiam à sensu tardioribus facile
F perpetrantur. Elatione namq; intumescere, auaritiæ æstibus inhiare, luxuriæ pulsanti succumbere etiam quilibet obtusus potest. Simulationis vero falsitatem exequi, nisi quis subtilioris ingenij fuerit, non potest. Quisquis enim talis est, ad custodienda videlicet duo, continua obseruatione diuiditur, vt callide nouerit & occultare quod est, & ostentare quod non est. Iram quippe Dei mereri est, etiam nesciendo peccare: prouocare vero est, mandatis illius sciendo contraire, scire bonum, sed despicere, facere posse, sed non velle. De quibus voce Dominica dicitur. *Væ vobis* Mat. 23.27.
Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis. Sequitur.
Neque clamabunt cum vincti fuerint. Omnis iniquus, qui cum iniquus sit, sanctus videri appetit, in flagelli percussione deprehensus, fateri quod iniquus est, erubescit. Quasi liberi vero sumus cum nulla correctione castigamur, quasi vincimur, cum flagello percussionis adstringimur. Vincti igitur tanto clamamus altius, quanto in percussione positi, peccata nostra veracius confitemur. Simulatores etiam deprehensi flagello percussionis extremæ, quia confessionem puram vel afflicti exercere negligunt, quasi G
vincti clamare contemnunt: quamuis intelligi etiam aliter potest. Omnis enim qui cum iniquus sit, dici sanctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se tacita cogitatione reprehendit, tamen dum sæpius sanctum audire se cœperit, hoc quod de se intrinsecus tenebat amittit. Dum vero subita percussione feriuntur, iniquos se vel veraciter fateri, vel sicut sunt deprehendere omnino non possunt, quia videlicet sanctos se humana professione crediderunt. Quibus bene per Prophetam dicitur. *Redite prævaricatores * ad cor.* Sequitur. Esa.46. 8. * prænaricatores.

14. *Morientur in tempestate anima eorum.* Quasi tranquillum namque videbantur viuere, cum de sanctitatis curare eo laude gaudere. Sed tempestate subita eorum anima moritur, quæ humanæ laudis pessima tranquillitate lætabatur. Hinc quippe eos turbo subito rapit percussionis, quos arrogantia externi fauoris extollit: & dum amplectuntur H
in laude quod non sunt, repente inueniunt in vltione quod sunt. Sequitur. *Et vita eorum inter effœminatos.* Si enim viriliter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Vt de electis Propheta persuadet dicens. *Viriliter agite,* Psal 30.25.
& confortetur cor vestrum. Igitur simulatorum vita *inter effœminatos* moritur, quia laudis luxuria corrupta reperitur: trãslatione vero alia non habetur, vita eorum *inter effœminatos*, sed vita eorum vulneretur ab Angelis: vtrumq; tamen & si sermone discrepat, ratione concordat. Quia effœminatorum vitam Angeli vulnerant, dum nuntij veritatis eam iaculis sanctæ prædicationis impugnãt. Quia igitur de damnatione reproborum quid agatur, audiuimus, de ereptione humilium quid sequatur, audiamus. Sequitur.

15. *Eripiet pauperem de angustia sua.* Pauper de angustia sua eripitur, cum vnusquisq; humilis, de hac peregrinationis suæ afflictione liberatur. Sequitur. *Et reuelabit in tribulatione aurem eius.* Aurem in tribulatione reuelare est, auditum cordis verberum plagis aperire. Cum enim præcepta despicimus, pia districtione nobiscum agitur, vt flagella timeamus. Sequitur.

A 16. *Igitur saluabit te de ore angusto latissime.* Omnis qui viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras deijcit, semetipsum quasi in puteum vel in foueam mersit. Si vero diutina perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora iam possit exurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Vnde Dauid Propheta sub specie
Psal. 68.16. peccantium exorat, dicens. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Latissime quippe de ore angusto saluatur, qui & post iniquitatum iugum, ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur. Dauid Propheta conclusionem angustioris
Psal. 30. 8.9 aspexerat, cum dicebat. *Saluam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici.* Latissime autem saluatum se nouerat, cum subderet dicens. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Sequitur. *Et non habentis fundamentum subter se.* Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est, quod tamen vtcumque sit, in boni natura coalescit.
B Quem enim rapit iniquitas, inferous absorbet. Aliter. Infernus vero non habere fundum recte creditur, quia quisque ab illo rapitur, in immenso deuoratur. Aliter. Nam sicut quis in puteo mergitur, putei fundo retinetur, ita corruens quasi in quodam fundi loco consistere anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quo labitur, non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora deijcitur, quasi in puteum cecidit, fundum non inuenit quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensura peccati. Sequitur. *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Requies mensæ est refectio satietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur, quia in
*Videtur hic verbũ aliquod deesse. æternæ voluntatis * præparatur. Huius mensæ epulas esuriebat Propheta cum diceret. *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Sequitur.
Psal. 16.25. 17. *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumq; recipies.* Bonorum causa tristitia est, quorum causa quasi impij iudicatur, quia eorum hic iustitia paterno flagello fatigatur, vt ad ampliorem vigilantiam, non solũ perceptione man-
C datorum, sed etiam verberum percussione doceantur. Sed *causam iudiciumque* recipiunt, quia ea e iustitia qua modo viuunt, tunc in culmine iudiciariæ potestatis enitescunt, vt tanto tunc potentius cuncta iudicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta iudicantur. Hæc Heliu quando spondendo intulit, quæ B. Iob semper credendo stabiliter tenuit. Sequitur.
18. *Non te ergo superet ira vt aliquem opprimas.* Arrogantes enim iræ motui deputant, quicquid à sancta Ecclesia geritur censura disciplinæ, & quia humanæ laudis appetitu benigni student semper apparere, nullos censent districtionis seueritate corrigendos. Vnde a bonis rectoribus, sicut superius dictum est, opprimi æstimant, quos inuitos cernunt à vitijs coërceri. Auctore autem Domino quia in cunctis mundi partibus sancta Ecclesia culmine religionis excreuit, hanc ipsam temporalem potentiam, qua quidem bene vtitur, obtrectando in vitium elationis inflectunt. MORALITER. Omnis per quem necesse est
D aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu iustitiæ iræ immanitas vastat, & dum quasi sæuit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, iusteque se facere æstimat, quicquid ira nequiter dictat. Quia videlicet is qui corrigere nititur, ira superetur, opprimit antequam corrigat, & dũ plus quam debet accenditur, sub iustæ vltionis obtentu, ad immanitatem crudelitatis effrenatur. Sequitur. *Nec multitudo locorum inclinet te.* Ac si idem sanctæ Ecclesiæ humilitatem magis inter prospera conseruanti, arrogantium voce dicatur. Quia vbique fidei reuerentia coleris, caue ne eiusdem reuerentiæ fastibus extollaris; quosdam quippe conspiciunt, quia sub religionis obtentu vitio elationis intumescunt, & quod in quibusdam iure reprehenduot, hoc iniuste ad crimen omnium pertrahunt. Notandũ vero quod non ait. Nec multitudo locutionis tollat te, sed ait; *Nec multitudo locorum inclinet te.* Omnis enim qui temporaliter extollitur, eo ipso quo extollitur, inclinatur: quia cum se exterius erigit, intus cadit. MORALITER. In tot quippe locis inclinamur, in quot superuacuis curis extendimur. Nã E
sicut locus est corporis, spatiũ corporale, ita locus est mentis vnaquæq; intentio cogitationis. Quæ dum huc illucq; impellitur, si dilectione aliqua cogitationis suæ libenter occupatur, velut in loco quodã ponitur, vt quiescat: nam quotiens victi tędio à cogitatione in cogitationẽ ducimur quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortæ cogitationes vnitatẽ bonæ intentionis dissipãt. Recta etenim mens staret, si vni cui debuerat cogitationi, semper inhæreret. Seq.
Depone magnitudinem tuam absq; tribulatione, & omnes robustos fortitudine. Quos alios esse Ecclesię robustos accipimus, 19.
nisi eos qui ad vincenda mundi huius desideria, & cœptis sublimibus, & consummatis prouectibus conualescunt? Magnitudo itaque eius in robustorum suorum vita consi- F
stit, quia tunc gloriosior redditur, cum pro defensione veritatis, ad mortem vsque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri, subductis de hoc mundo Apostolis, subductis ad superna Martyribus, quia fortasse B
doctores valentioresque præpositos abunde esse conspiciunt, quasi soli se remansisse totam Ecclesiam suspicantur. Vnde dum se præferunt ei, velut consulentes illudunt, dicentes. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.* Ac si apertis exprobrationibus dicat. Nequaquam magnitudinẽ habere confidas, quia subductis prioribus patribus, iam non habes de quorum vita glorieris. Dicunt hęc profecto nescientes, quia omnipotẽs Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit; nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vitæ debiles ad certamina roborat. Cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires quas remouerat, subministrat.
De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Psal. 44.17.
MORALITER. Robusti quippe sunt motus cordis, cum nulla nisi quæ virtutis sunt, sentiunt. Sed magnitudinem & robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quod sumus. Robustos motus deponimus,
quando non iam de virtute attollimur, sed in culpa consentiendo obruendi ipsa qua quatimur, infirmitate formidamus. Ac si aperte diceretur. Omne quo intrinsecus de G
bona actione tumueras reprime, & cordis mot' quos ex recto opere robustos habueras, depone, quia iam te ipsa aduersitatis tentatione consideras, quam frustra prius de te magna elatus æstimabas. Quæ videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur, quia nimirum tentatione humilitas proficit. Prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit, sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Sequitur.
Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis. Ac si aperte 20.
arrogantes dicãt. Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, vt in locum fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari consuetudini dediti, in cunctis quæ appetunt, passim viuunt. Noctẽ vero protrahere est, vt pro robustis populi ascendant, si H
per negligentiam agitur, vt doctorum & fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendant, quando hi qui viuere inique didicerant, pastorũ loca percipiunt, quod recte quidem dici poterant, si humiliter diceretur. MORALITER. Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur, quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione, cõsiderat quod à virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis mœroribus, quasi quibusdam tenebris cæcatur, atq; ab omni luce gaudij eius oculus clauditur, dum sollicita trepidat ne hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Vnde & bene dicitur, quia in hac nocte pro robustis populi ascendunt, quia videl. in hoc mœrore tentationis pro robustis motibus cogitationes indignæ & multiplices in corde prosiliunt. Nam dũ se in perturbatione conspicit, iam pœnæ amissæ quod fuerat, fluctus in se innumeros, tumultuique concitat. Ac si quippe diceret in tentatione deprehensus. Citius tenebras mœroris incide, ne qui in

A dicebat, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi* Rom. 7. 23. 24. *mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXIV.

23. Eliu itaque dum tentatum superius hominem demonstrat, vnum in qua tentatione sit positum humanum genus ostendit. Vnde mox generale subintulit remedium, dicens. *Si fuerit pro eo angelus loquens.* Quis enim iste angelus est nisi ille qui per Prophetam dicitur. *Magni consilij Angelus?* Qui enim Græca lingua euangelizare denuntiare dicitur, semetipsum adnuntians nobis Dominus, Angelus vocatur, & bene ait. *Si fuerit pro eo angelus loquens*, quia sicut Rom. 8. 34. ait Apostolus, *etiam interpellat pro nobis*. Sequitur. *Vnum de similibus*. Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria contrarijs curet. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, totosq; nos inueniens languorib. pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Quia enim ad homines homo venit, concordauit nobis veritate naturæ, sed quia ad peccatores iustus, discrepauit à nobis vigore iustitiæ. Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnib. tamẽ distat à nobis magnitudine potentiæ, sed sola nobis concordat veritate naturæ. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod semetipsum pro omnibus hominem demonstrare dignatus est. Sequitur. *Vt adnuntiet hominibus æquitatem.* Quia nisi C ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe adnuntiat æquitatem nostram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Sequitur.

24. *Miserebitur eius, & liberabit eum dicet.* Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus in eo miseretur hominis, quo formam hominis sumpsit: qua misericordia homine redempto dicit patri. *Libera eum*, vt non descendat in corruptionẽ. Sicut iam supra diximus, dicere eius est, liberã hominem, naturã hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne q̃ sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit, sicut ipse ait. *Si vos filius liberauerit, vere liberi* Ioan 8. 36. *eritis*. Superius enim dictum fuerat. *Appropinquauit corruptioni anima eius*, postmodũ dicitur, *non descendat in corruptionem*. Ac si diceret. Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim descenderet, si suis viribus longe se à corruptione esse iudicaret. Sed quia corruptioni appropinquauit humiliter, de- D bet ab ea misericorditer liberari, vt eo contra impugnandum vitia fortis sit, quo se suis meritis cognoscit infirmũ. Sequitur. *Inueni in quo ei propitier.* Ac si aperte mediator Dei & hominum dicat. Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor iustus pro omnib. appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci, & dum me hominem exhibui, in quo iusto homine hominibus propitiarer inueni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus, dum pœnam nostram moriendo tolerauit, corruptionem nostram resurgendo mutauit, bene iste Angelus mortalitatis nostræ flagella subiungit, eorumq; miseretur, dicens.

25. *Consumpta est caro à supplicijs, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Ac si diceret. Mortalitatis suæ pœna in quandam vetustatis suæ senectutem deiectus est, *reuertatur ad dies adolescentiæ suæ*, id est priori integritate renouetur, vt non eo maneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sæpe adolescentiam pro nouitate vitæ ponere consueuit. Vnde renatis sponsu dicitur. *Adolescentulæ dilexerunt te.* Senectu- Cant. 1. 3. tem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem, deflebat ille qui ait. *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* E contra Psal. 6. 8. alios gaudere in virtutibus admonens dicit. *Lætare iuuenis* E Eccl. 11. 9. *in adolescentia tua.* Sequitur.

26. *Deprecabitur Dominum & placabilis ei erit.* Prius enim postulare angelum, & postmodum hominem dicit, quia nisi ante ipse Dominus per incarnationem suam interpellans patrem vitam nostram peteret, numquam se nostra insensibilitas ad postulanda ea quæ æterna sunt, excitaret. Sed incarnationis eius præcessit oratio, vt corporis nostri euigilatio subsequatur. Sequitur. *Et videbit faciem eius in iubilo.* Aliter enim quisque compungitur cum interna timens malorum suorum pauore terretur: aliter vero compungitur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam & securitate roboratur. Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concremetur. Et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur; vt prius purgemus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quærimus. Iubilus nam- F que dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus exprimatur. Hinc scriptum est. *Beatus populus* Psal. 88. 16. *qui scit iubilationem.* Quia enim per faciem quẽlibet agnoscimus, nõ immerito cognitionem Dei, faciem vocamus. Vnde Iacob postquam cum angelo luctatus est, ait. *Vidi* Gen. 32. 30. *Dominum facie ad faciem.* Ac si diceret. Cognoui Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur dicens, *Tunc* 1. Cor 13. 12. *cognoscam sicut & cognitus sum.* Sequitur. *Et reddet homini iustitiam suam.* Iustitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ diuina largitate fit nostra, sicut in Dominica oratione dicimus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Luc. 11. 3. Suam quippe iustitiam homini Dominus reddit, nõ quam ea semetipso habuit. Illam ergo iustitiam reddet Deus homini, ad quam conditus fuit, vt inhærere Deo libeat, G vt minacem eius sententiam pertimescat, vt serpentis callidi blandis iam promissionibus non credat. Sequitur.

27. *Respiciet homines, & dicet, peccaui.* Sed peccatorem se vnde cognosceret, si iustitiam non haberet? Nemo quippe fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino peruersus est, neque hoc potest videre quod est; qui vero peccatorem se esse intelligit, iam ea parte aliqua esse iustus inchoauit, atque id quod non iustus fecerat, ex eo quod est iustus accusat. Scriptura etenim sacra aliquando homines ponere solet humana sapientes, sicut ait Paulus. *Cum enim sit inter vos zelus & inui-* 1. Cor. 3. 3. *dia, nonne carnales estis? nonne homines estis?* Qui etiam quia carnali affectioni succumbunt, non iam homines, sed iumenta nominantur. Vnde per Dauid dicitur. *Homo cum in* Ps. 48. 13. *honore esset non intellexit, comparatus est iumentis*, & reliqua. Aliquando homines cum dicit, eos à bestijs ratione distinguit, quib. per Prophetam Dominus dicit. *Vos autem pascua meæ greges homines estis.* Recte ergo de hoc pœnitẽte dicitur. *Respiciet homines, & dicet, peccaui.* Ac si dicatur. Sanctorum H virorum exempla conspicit, atq; eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehẽdit. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, talem nimirum debet conspicere qualis nõ est: vt ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Vnde & per Ezechielem dicitur. *Fili hominis ostende domui Israel Templum vt confundan-* Ezech. 43. 1. 11. *tur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam vt erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Tunc quippe templum ostẽdimus, cum iusti anima quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suã peccatorib. demonstratur. Metiri vero fabricam est, pensare subtiliter iustorum vitam. Sequitur. *Et vere deliqui, & vt eram dignus non recepi.* Peccatores se plerumq; confitentur, etiam qui se esse non credunt. Nam sæpe contingit vt passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter alijs arguentibus audiunt, defendunt se summopere, atque innocentes videri conantur. Vnusquisque enim in flagello positus, minus adhuc peccata sua cõsiderat, si vel tanto vel amplius se percussum quam merebatur, existimat. Iste autem quia quanto maiorum exempla considerat, tanto districtiori examinatione se pensat,

A minus se percussum quam merebatur agnoscit, quia in illorum iustitia conspicit quam grauis sibi culpæ fuerit, quod errauit. Et idcirco hoc quod patitur districtum esse non sentit, quia districte nouit pensare quod fecit. Sequitur.

28. *Liberauit enim animam suam ne pergeret in interitum.* Quia præueniente diuina gratia, in operatione bona nostrum liberum arbitriū sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, q liberanti nos Domino consentimus. Vnde Paulus cum diceret. *Abundantius illis omnibus laboraui*, ne labores suos sibi
1.Cor. 15.10 tribuisse videretur illico adiunxit; *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Sequitur. *Sed viuens lucem videret.* Lucem videlicet veritatis, quam corde videre mortuus non posset, vel
Ioan. 8.12. certe quia Dominus dicit. *Ego sum lux mundi.* Videbunt lucem etiam mortui, quando omnes iniusti eum venire ad iudicium in humanitatis forma conspexerint. Sed viuens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma eius diuinitatis attendit. Sequitur.

29. *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos.* Ac si di-
B ceret. Quod semel de vno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendum est, quæ istæ tres vices sint, quibus vnusquisque homo anxietate mœroris afficitur, & post mœrorem, protinus ad securitatem lætitiæ venitur. Igitur si vigilanter attendimus, has tres vices mœroris & lætitiæ in vniuscuiusque electi animo istis alternari modis inuenimus, id est conuersatione, tentatione, morte. In prima quippe quam diximus conuersationis vice, grauis mœror est, cum sua vnusquisque peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conuersationis ambulare. Recte ergo de hoc amarescente homine dici potest, *Abominabilis*
Versib 20. 21. 22. *ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro eius, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur, Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.* Sicut supra dictum est. Sed quia diuina gratia diutius istis difficultatibus affici non permittitur, ruptis peccatorum nostro-
C rum vinculis, citius nos ad libertatem nouæ conuersationis consolando perducit, fitque cordi immensa lætitia, quia et quem desiderat iam per spem securitatis appropinquat, vt recte de hoc dici debeat. *Deprecabitur Deum & pla-*
Ver. superio. 26.27.28. *cabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam. Respiciet homines & dicet. Peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi. Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.* Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam vnusquisq; per studium conuersionis agnoscit, hæc secunda suboritur, quia ne securitatis negligentia dissoluatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conuersationis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum probationis experitur. Tres quippe modi sunt conuersorum. Inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem veniunt blandimenta dulcedinis; in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectio plenitudinis. Prius
D ergo illos dulcia suscipiunt quæ consolentur, postmodum amara quæ exerceant; & tunc demum suauia atque sublimia quæ confirment. Plerumque autem conuersus quisq; talibus tentationum stimulis agitatur, quibus ante conuersionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur. Non quia tunc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus sæpe sibimet ipsi aliquo modo manet incognitus, vt omnino quod tolerat nesciat. Inter hæc ergo deprehensa mens huc illucq; distenditur, & multiplicibus tentationū æstibus dissipatur; ita vero circum frementibus tentationum motibus angustatur, vt recte de eo dici debeat, *Abominabilis ei fit in vita sua panis,* vt supra. Sed quia misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non
1.Cor. 10.13 reprobari, sicut scriptum est. *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum vt possitis sustinere,* citius consolationis opus occurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesq; se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxq; anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit, dum deuictum malum respicit quod tolerauit, vt iure

E de hoc tentato liberatoque homine dici debeat. *Videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret.* Post conuersationis namque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio. Quia venire non potest ad perfectæ gaudia libertatis, nisi prius debitum soluerit humanæ conditionis. Conuersus autem quisque sibi caute sollicitus, tacite secum considerare non cessat, æternus iudex quam districtus adueniat; suumque terminum quotidie prospicit, & ante seueritatem tantæ iustitiæ quas rationes vitæ suæ sit positurus attendit. Considerat quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus; considerat quia nec hoc quidem sine aliquo reatu est quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen Dauid dicit. *Ne intres in iudi-* Psal. 142.2.
cium cum seruo tuo. Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnumquam terrore vindictæ etiam iusti animæ turbantur, eis & si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, F
mortis articulo interueniente concutitur, vt iure dici debeat. *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, & reliqua. Sed quia iustorum animæ à leuibus quibusque contagijs ipso sæpe mortis pauore purgantur, æternæ retributionis gaudia iam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplationem percipiunt quamdam retributionis æternæ, etiam priusquam carne expolientur. Hilarescunt, & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur, recte dicitur. *Videbit faciem eius in iubilo.* Sequitur.

Et reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuen- 30.
tium. Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo viuunt, luce morientium tenebrescunt. Illuminantur autem *luce viuentium* qui despecto temporali lumine, ad splendorem internæ claritatis recurrunt vt ibi viuant, vbi verum lumen sentiendo videant: vbi nō aliud lumen atq; aliud vita, sed vbi lux G
ipsa vita sit. Vbi sic nos lux exterius circumscribat, et interius impleat; sic interius impleat, vt incircumscripta exterius circumscribat. Illuminantur ergo hac *luce viuentium,* quam tanto tunc subtilius conspiciunt, quanto nunc ad illam prius viuunt. Sequitur.

Attende Iob & audi me, & tace dum ego loquor. Qualem se 31.
apud se habeat, hac locutione manifestat. Immensa enim superbia est, a seniore sibi reuerentiam exigere, & silentium imperare meliori. Sequitur.

Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere, volo enim 32.
te apparere iustum. Quia autē prædicatores iusti dum quos libet corripiunt, sæpe per humilitatis gratiam ad cogitationum suarum intima reuertuntur, atque in eo ipso quod corripiunt, nequid fortasse fallantur exquirunt, correptisque licentiam tribuunt, vt si quid pro seipsis iustius sentiunt fateantur. Hoc nonnunquam etiam arrogantes imitari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposita, quasi eorum quos corripiunt, si forte reperiri potuerint, iustitiam quærunt, non quia ita sentiunt, sed quia or- H
nati per speciem humilitatis concupiscunt. Metuunt enim ne superbi ac tumidi quia sunt, esse videantur. Sequitur.

Quod si non habes audi me, & tace, & docebo te sapientiam. 33.
Quia enim veraciter quærunt audire quod iustum est, æquanimiter expectant audire quod quærunt. Heliu autem qui veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod quæsierat, non permisit: sed mox quæ intrinsecus gestauit, erupit, qualemque se in oculis suis habebat, ostendit dicens. *Tace, & docebo te sapientiam.* Arrogantes enim viri, quando aliquid humiliter sonant, diu in eiusdem speciæ humilitatis non perdurant, cum fortasse quærunt vt audiant, mox loquendo obuiant ne doceantur. Sequitur.

Pronuntians itaque Heliu etiam hæc locutus est. Quid enim CAP. XXIV. 1.
per huius pronuntiationis vocabulum nisi inflatio elationis ostenditur? Vt verba quę de alta superbiæ radice veniebant, cum quadam quasi altitudine & distinctione procederent. Sequitur.

Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris 2.

A *enim verba probat, & guttur esca gustu diiudicat.* Ac si diceret.
3. Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit, ita nec
stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes
ergo atque eruditi audite quod dico, qui potestis ea quæ
fuerint dicta cognoscere. Videamus igitur quantū timeat,
qui verba sua non nisi à sapientibus audire decenter existi-
Rom.1.14. mat. Verus autem prædicator sapientiæ dicit. *Sapientibus &*
insipientibus debitor sum. Sequitur.
4. *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.*
Sed vtrum hoc iudicium & humile corde quæsierit, faci-
le cognoscimus si subsequentia eius verba pensemus. Se-
quitur.
5. *Quia dixit Iob, iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.*
6. *In iudicando enim me mendacium est, & violenta sagitta mea abs-*
que vllo peccato. Hæc B. Iob dixisse queritur, quæ tamen quia
minime dixerit, requisita sacræ historiæ verba testan-
tur. Sed qui iudicium æque quæsierat, ex culpa quam
finxit, protinus sententiam promulgat: nam sequi-
B tur.
7. *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam,*
8. *qui graditur cum operationibus iniquitatum?* Ecce iudicium
quærens iudicium protulit, & post allegationem suā nulla
B. Iob expectata sententia, eum damnatione dignum ex
reproborum societate iudicauit. Ait enim: *Quis est vir vt est*
Iob? Vt vtiq; subaudiamus, nullus; atq; subiungit, *Qui bibit*
subsannationem quasi aquam. Aqua autem cum bibitur, ita li-
quide sumitur, vt ad sorbendum nulla sui pinguedine re-
tardetur. Subsannationem vero vt aquam bibere est, Deū
sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, vt eo quod su-
perbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio cōtradicat.
Hæc autem eius sententia super B. Iob, quantum ab tramí-
te veritatis exorbitet, illa etiam attestatione cognoscimus
Iob 1. 8. qua ad Diabolum dicit. *Numquid considerasti seruum meū Iob,*
quod non sit ei similis super terram? Ecce quē veritas dicit absq;
comparatione iustum, eum Heliu asserit absque compara-
tione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantium præ-
C dicatorum solent, vt etiam afflictos auditores suos magis
districte corripere appetant, quam blande refouere. Plus
enim student vt mala obiurgando increpent, quam bona
Prou. 14. 3. laudando confirment. Vnde scriptum est. *In ore stulti virga*
superbiæ. Nonnumquam vero etiam prædicatores iusti rigi-
de feriunt: sed aliud est cum iustitia stimulat, aliud cum
superbia inflat. Iusti cum seuere corrigunt, internæ dulce-
dinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine
refrænāda prauorum, duritiam districti vigoris assumunt,
sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore
ardent, in quos aspera correptione sæuiunt. Vnde scri-
Eccl. 12. 11. ptum est. *Verba sapientium quasi stimuli, & sicut claui in altum*
defixi. Sequitur.
9. *Dixit enim, non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cū eo.* Quod
profecto quia minime dixerit, quisquis beati Iob verba le-
git, agnoscit. Sed qui idcirco loquitur, vt semetipsum o-
stendendo superbiat, quid mirum si in altero fingit quod
reprehendat? Sequitur.
10. *Ideo viri cordati audite me.* Ecce iterum fastu superbiæ in-
D flatus, eos tantummodo qui quasi digne intelligendo se
assequi valeant, quærit.
11. *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim ho-*
minis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet ei. Benedixit,
quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non est,
in hac vita nequaquam hoc semper agitur quod subiūxit,
quia iuxta opus suum singulis & *iuxta vias* reddet. Nam &
multos illicita ac peruersa perpetrantes gratuito præuenit,
atque ad opera sancta conuertit. Et nonnullos rectis acti-
bus deditos flagello interueniente corripit, ac si placentes
Eccl. 8. 14. quasi displiceant affligit, Salomone attestante qui ait. *Sunt*
iusti quibus mala eueniunt, quasi opera egerint impiorum, & sunt
impij qui ita securi sunt, ac si iustorum facta habeant. Verius ergo
Heliu diceret si dixisset, quia in omnipotente impietas at-
que iniquitas non est, etiam cum iuxta vias proprias ho-
minibus reddere non videtur, nam & quod à nobis non
intelligitur, ex occulti iudicij non iniusta lance profertur.
Sequitur.
12. *Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens sub-*
Iob. 2. 3. *uertit iudicium.* Ad Diabolum Dominus dicit. *Commouisti*
me aduersum eum, vt affligerem eum frustra. Contraria quippe E
videntur, nisi subtili cōsideratione pensentur. Aliud nam-
que est damnare, aliud affligere. Affligit ergo iuxta aliquid
frustra, sed frustra non damnat. An non nata *frustra* Iob af-
flixerat, cum non delebat vitium, sed meritum augebat.
Frustra enim condemnare non potest, quia damnatio fieri
non ex parte ad aliquid potest. Quæ videlicet in extremo
punit omne quod hic quisque commiserit. *Nec omnipotens*
subuertit iudicium, quia & si minus recta videntur esse quæ
patimur, recte tamen in occulto examine decernuntur.
Sequitur.
Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super or- 13.
bem quem fabricatus est? Vt videl. subaudias nullum. Per se
quippe mundum regit, quem per se cōdidit, nec eget alie-
nis adiutorijs ad regendum, qui non eguit ad faciendum.
Sed hæc idcirco colliguntur, vt liquido indicet, quia om-
nipotens Deus si per semetipsum regere non negligit, quæ
creauit: quod bene creauit, vtiq; bene regit, quia quod pie
condidit, impie non disponit. Sequitur. F
Si direxerit ad eum cor suum spiritum illius & flatum ad se tra- 14.
het. Curuum cor est, cum ima appetit, dirigitur cum ad su-
perna subleuatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum
dirigit, spiritum & flatum illius Dominus ad se trahit, spi-
ritum videl. pro internis cogitationibus, flatum vero qui
corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo
spiritum hominis & flatum ad se trahere est, ad conuersio-
nem sui desiderij, & interiora nostra & exteriora commu-
tare, vt nihil iam menti exterius libeat, nihil caro inferius
vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est,
ad eum videlicet à quo est & interius desiderando ferueat,
& exterius se edomando constringat. Seq.
Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Simul 15.
enim omnis caro deficit, quando iam nullis suis motibus
seruit, quia præsidens spiritus cuncta eius fluxa restringit,
& quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa male
viuebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semet-
ipsum Hierem. interfecerat cum dicebat. *Postquam conuer-* G
Ier. 31. 19. *tisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi percussi femur*
meū. Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur?
Et quid est quod ait, *Postquam ostendisti mihi, percussi femur*
meum, nisi postquam superna spiritaliter vidit; omne quod
inferius in se carnaliter viuebat, extinxit? In peccato enim
quisq; positus, mortalitatis suæ obliuiscitur, & terrā se esse
non meminit dum adhuc per superbiam inflatur. Post cō-
uersionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur,
quid se esse aliud quam cinerem recordatur? In cinerem
Gen. 18. 27. Abraham reuersus fuerat dicēs. *Loquar ad Dominum meum,*
Ps. 103. 29. *cum sim puluis & cinis.* Hinc Dauid ait. *Auferes spiritum eorum*
& deficient, & reliqua. Sequitur.
Si habes ergo intellectum audi quod dicitur, & ausculta vocem 16.
eloquij mei. Habēt hoc proprium omnes arrogantes, vt cum
fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium ela-
tionis erumpant, sensusq; omnium in sui cōparatione de-
spiciant, seq; in suo iudicio aliorum meritis anteponant.
Ecce Heliu quomodo paulisper in elationem per verbo-
rum incrementa proficit. Sæpius namq; dixerat. *Si habes* H
Iob. 33. 32. *quod loquaris, responde mihi*, & reliqua. Ac si diceret. Dic ali-
quid, si tamen dignus potueris esse qui dicas. Hinc autem
ait. *Si habes intellectū audi quod dicitur.* Ac si aperte dicat. Audi
me, si tamē dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quoti-
diani defectus qui in cordibus reproborum fiunt, quibus
indesinenter ad deteriora descendunt. Seq.
Numquid qui non amat iudicium sanari potest, quomodo tu 17.
eum qui iustus est in tantum condemnas? Bonam quidem sen-
tentiam protulit, sed B. Iob proferenda non fuit. In omni
enim quod dicitur summopere intuēdum est quid dicatur,
cui dicatur, quomodo dicatur. Heliu aūt attendit quod
diceret, sed cui diceret non attendit. Beatus quippe Iob
amabat iudicium, quia causas suas subtiliter cum Deo pen-
sare nouerat, nec condemnauerat eum qui iustus est: sed
cur sine peccato percussus fuerat in dolore positus cum hu-
militate requirebat. Amat iudicium quisquis vias suas sub-
tiliter discutit, & secretariū cordis ingressus, quid Domi-
nus ipse tribuat, quid ipse debeat Deo pensat. Arguens B.
Iob quod iudicium non amaret, & quia eum qui iustus est,
con-

A condemnasset; dicit eiusdem iusti id est Domini iustitiam
subdit. Sequitur.
18. *Qui dicit Regi, Apostata, qui vocat duces impios.* Sæpe noui
mus quod plerique qui præsunt inordinatum sibi metum à
subditis exigunt, & non tam propter Dominum, quam pro
Domino venerari volunt. Intus enim se tumore cordis ex-
tollunt, cunctosq; subditos in sui comparatione despiciũt.
Eccle. 32. 1. Vnde scriptum est. *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in
illis quasi vnus ex illis.* bene contra eos dicitur. *Qui dicit Regi,
Apostata.* Vnusquisque enim superbus rector totiens ad
culpam apostasiæ delabitur, quotiens præesse hominibus
delectatur, honoris sui singularitate lætatur. Sub quo enim
sit non considerat, & quod æqualibus quasi non sit æqua-
lis exultat. Ad viam namque pietatis docerent, si subdito-
rum oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux quippe
est impius, qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in
præceps ruit, ad abrupta sequentes inuitat. Dux est impius,
qui per erroris exempla viam ostẽdit erroris. Paulus dux
B impius esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem re-
1. Thess. 2. 6. primebat dicens. *Non quærentes ab hominibus gloriam, neque à
7. vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse vt Christi Apostoli, sed
facti sumus paruuli in medio vestrum.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXV.

Ipsa humanæ conditionis qualitas indicat,
quam longe rebus cæteris præstat. Nam col-
lata homini ratio asserit quantum omnia, quæ
vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura
rationalis antecedit. Et tamen quia ab inter-
C nis atq; inuisibilibus oculos claudimus, atque visibilibus
pascimur, plerumq; hominem non ex eo quod ipse est, sed
ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur. Cumq; nõ intue-
mur quod ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarũ
non ex personis, sed ea rebus adiacentibus ducimur, sicq;
fit vt is quoq; apud nos intus in disceptatione veniat, qui
foris honoratur, quia dum pro his quæ erga illum sunt ho-
norabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponi-
tur. At contra de Deo dicitur.
19. *Qui non accipit personam principum, nec cognouit Tyrannum,
cum disceptaret contra pauperem.* Potest autem per Principem
vel Tyrannum, quisq; superbus intelligi, per pauperes ve-
ro humiles designari. Tyrannum ergo disceptantem con-
tra pauperem non cognoscit omnipotens Deus, quia su-
perbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in iu-
Luc. 13. 25. dicio se nescire perhibet dicens. *Nescio vos, vnde sitis.* Et quia
27. sic potenter cum vult destruit, sicut cum voluit potenter
creauit, apte ratiocinando subiungitur. *Opus enim manuum
eius sunt vniuersi.* Atq. mox subditur.
D *Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi & per-*
20. *transibunt.* Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui,
subito & repente tolluntur, qui finem suum cogitando
præuidere nesciunt. Subito est quod ante cogitare non potuit.
Subito diues ille stultus est, qui horrea quæ præparauit, de-
seruit; & inferni locum, quem non præuidebat, inuenit.
Luc. 12. 20. Vnde ei dicitur. *Hac nocte repetent animam tuam à te,* at cõtra
1. Thess. 5. 4. de iustis dicitur. *Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies
illa tamquam fur comprehendat.* In media enim nocte curuati
* humilia- pertransibunt, qui in obscuritatis suæ negligentia * humi-
litati rapiuntur. Tunc curuabuntur per sententiam iudicis,
qui nunc curuari negligunt per humilitatem cordis. Electi
autem ne inuiti curuentur in morte, sponte curuantur in
humilitate. Vnde sanctæ Ecclesiæ de conuersa prole per-
Esa. 60. 14 secutorum dicitur. *Venient ad te curui filij eorum qui humilia-
uerunt te.* Et bene de morientibus populis non ait, transi-
bunt, sed *pertransibunt*, qui etiam viuendo temporaliter
quotidie ad finem tendimus, & præsentem vitam quasi
quandam viam fugiendo transimus; hoc ipsum morita-
tis viuere, quasi ad mortem ire est, & quot dies vitæ peragi-

mus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus E
propinquamus. Sequitur. *Et auferent violentum absq; manu.*
Subaudis diuina iudicia. Absq; manu vero auferent eum,
qui manu violentus fuit, absq; manu auferent, quia vide-
licet subito exitu vrgente inuisibiliter rapitur, qui visibili-
ter rapiebat. Sequitur.
Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum cõ- 21.
siderat. Tunc enim nequaquam considerare credebatur,
quando violentus iste omne malum quod poterat, inulte
perpetrabat. Æstimabatur Deus iniusti acta non cernere,
quia differebat iuste dãnare, & magna eius patientia quasi
quædam negligentia putabatur. Iniquus quoq; ipse totiẽs
se in peccatis suis non videri à Deo credidit, quotiens inul-
te peccauit, cui per quendam sapientem dicitur. *Ne dicas,* Eccle. 5. 4
Peccaui, & quid accidit mihi triste? Emendare non vult nequi-
tiam, pro qua dignam non protulit pœnam. Gressus vero
hominum vocat, vel singulas operationes quibus inniti-
mur, vel alternantes motus intimæ cogitationis, quibus
quasi passibus vel longe à Domino recedimus, vel prope ad F
Deum propinquamus; ad Deum enim quasi tot gressibus
mens accedit, quot bonis motibus proficit: & rursum tot
gressibus longe fit, quot malis cogitationib. decrescit. Seq.
Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi 22.
qui operantur iniquitatem. Quid per tenebras nisi ignoran-
tiam, & quid per vmbram mortis, nisi obliuionem studuit
designare? De quarumdam quippe ignorantia dicitur. *Te-* Eph. 4. 18
nebris obscuratum habentes intellectum. Et rursum de obliuio-
ne quæ in morte contingit scriptum est. *In illa die peribunt o-* Psal. 145. 4
mnes cogitationes eorum. Quia ergo per mortẽ funditus obli-
uioni traditur quicquid viuendo cogitatur, quasi quædã
obliuio est, & vmbra mortis. Ac si ergo diceret. Idcirco
eius iudicio nullus absconditur, quia nullatenus potest
aut non videre quod fecimus, aut obliuisci quod videt;
quamuis intelligi tenebræ vel vmbra mortis etiam aliter
possunt. Omnis namque immutatio, velut quædam mor-
tis immutatio est. Id enim quod mutat, quasi ab eo quod
erat, interficit; vt desinat esse quod fuit, & incipiat esse G
quod non fuit. Lumen igitur verum, Creator videlicet no-
ster, quia à nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit,
nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed eius esse, si-
ne mutabilitate fulgere est, tenebræ ei vel vmbra mortis
dicitur non inesse. Vnde alias scriptum est. *Apud quem non* Iacob. 1. 17
est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et vnde rursus
Paulus Apostolus dicit. *Qui solus habet immortalitatem, & lu-* 1. Tim. 6. 16
cem habitat inaccessibilem. Lux enim æterna quæ Deus est,
quanto incommutabiliter fulget, tanto penetrabiliter vi-
det: & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, ne-
que penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat.
Sequitur.
Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in 23.
iudicium. Hic nimirum nõ illud iudicium designatur, quod
per æternam retributionem punit, sed quod mente con-
ceptum per conuersionem diluit. Ad illud quippe venire
non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat.
Dum ergo dicitur. *Neque enim vltra in hominis potestate est, vt
veniat ad Deum in iudicium,* profecto ostenditur esse quod- H
dam iudicium quod quandoque etiam à damnatis ac re-
probis desideretur. Et quod est illud nisi hoc de quo Pau-
lus Apostolus dicit. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudica-* 1. Cor. 11. 31
remur. Et de quo per Prophetam dicitur. *Non est iudicium in* Esa. 59. 8
gressibus eorum. Et quod Dauid ait. *Honor Regis iudicium dili-* Psal. 98. 4
git. Vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, so, iste
iudicet quid ei debeat in operatione. Hinc Propheta ait.
Reduc me in memoriam vt iudicemur simul, narra si quid habes vt Esa. 43. 26
iustificeris. Debet enim vniuscuiusque mens & causas suas
apud Dominum, & causas Domini contra se sollicita in-
quisitione discutere: debet caute pensare, vel quæ ab eo
bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerse viuẽ-
do tribuerit. Quod electi quidem quotidie facere omni-
no non cessant. Vnde bene Salomon ait. *Cogitationes iusto-* Prou. 12. 5
rum iudicia. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra si-
num cordis, considerant quam districte quandoque fe-
riat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se e-
gisse meminerunt, puniunt flendo quod perpetrasse se in-
telligunt. Nec deest in hoc iudicio mente concepto omne

A ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam
conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excru-
ciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius sæuit,
quia videlicet ab exterioribus non accedit. Quia ergo
nunc in potestate est internum mentis nostræ contra nos
subire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos
quales fuimus, pœnitendo torqueamus, hoc cessemus dum
licet iudicare quod fecimus. Audiamus caute quod dici-
tur. *Neque enim vltra in hominis potestate est vt veniat ad Deum in*
iudicium. Sequitur.

24. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro aliis.*
Postquam multa narrata sunt de pœna malorum, subito
infertur occultum iudicium, quod pie super nos iusteque
disponitur, quomodo alij perdunt quod tenere videban-
tur, & alij accipiunt quod alij ex meritis perdunt. Cunctis
autem liquet, quod in illa extrema requisitione examen
publicum facturus est omnipotens Deus, vt alios ad tor-
mentad deferat, alios ad participationem regni cœlestis ad
B inuitat. Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod
tunc publice demonstratur. Nam iuste ac misericorditer
singulorum corda, vel examinans, vel disponens, alios in
exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecus trahit. Hos
accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis de-
serit exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit,
illorum superbiam in infimis desiderijs mergit, & qui vi-
dentur humano iudicio, iam in conspectu æterni iudicis
stent. Quis enim hominum æstimare potuisset Iudam vi-
uendi sortem etiam post ministerium Apostolatus amitte-
re? Et quis è contra latronē crederet causam vitæ et in ipso
mortis articulo inuenire? Conteruntur enim qui relictis
cœlestibus terram quærunt. Quæ autem maior poterit esse
contritio, quam deserto creatore creaturam quærere? desertis
supernis gaudijs, in infimis rebus inhiare? Vnde bene per
Psal. 146. 6. Prophetam dicitur. *Humiliat autem peccatores vsque ad terram.*
Quod autem dicēs. *Conteret multos*, illico adiunxit, *innume-*
rabiles, multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ
C humanæ rationis numerum transit. Vel certe indicare vo-
luit quod omnes qui pereunt intra electorum numerum non
habentur, vt eo sint innumerabiles, quo extra numerum
currunt. Vnde Propheta intuens tantos hoc ecclesiæ tem-
pore specie tenus credere, quantos nimirum certum est e-
Psal. 39. 6. lectorum numerum summamque transire, ait. *Multiplicati*
sunt super numerum. Sequitur.

25. *Nouit enim opera eorum, & idcirco inducit noctem & conteren-*
tur. Sciendum summopere est, quod iniquus quisque duo-
bus modis in nocte conteritur, vel cum exterioris iudicij
tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius
excæcatur. In nocte corruit, cum per æternum iudicium, vi-
uendi lumen in perpetuum amittit. Vnde scriptum est. *Li-*
Matt. 22. 13. *gate ei pedes & manus, & mittite eum in tenebras exteriores.* Rur-
sum in nocte iniquus côteritur, cum peccatorum præceden-
tium confusione damnatus, veritatis lumen non inuenit,
& quid deinceps agere debeat, nō agnoscit. Omne quippe
peccatum quod tamen citius pœnitendo non tegitur, aut
D peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna pec-
cati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso
suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum
peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe
vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur
ad peius & alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato o-
ritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est
& pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor
peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito etiam
Ps. 68. 28. in alijs cadat. Hinc Dauid ait. *Appone iniquitatem super iniqui-*
tatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Igitur quia præceden-
tibus peccatis cæcatus oculus cordis, ipsa cæcitas quæ pec-
cantis animum ex anteactæ culpæ damnatione cōfundit,
merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis
lumen veritatis absconditur. Inducere autem noctem di-
citur Dominus, non quod ipse tenebras inferat, sed quod
obscura corda peccantium misericorditer non illustret, vt
hoc ipsum in nocte cæcasse sit, à cæcitatis tenebris libera-
re noluisse. Sequitur.

26. *Quasi impios percussit eos in loco videntium.* In Scriptura sa-
cra *quasi* aliquando pro similitudine, aliquando pro veri-
tate poni cōnsueuit. Pro similitudine enim *quasi* ponitur,
sicut Apostolus dicit. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Pro 2. Cor. 6. 10.
veritate autem ponitur, sicut Ioannes ait. *Vidimus gloriam* Ioan. 1. 14.
eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Hoc autem loco nihil dif-
fert vtrum pro similitudine, an pro veritate sit positum, quæ
quolibet dicatur ordine, aperte praua malorū vita signa-
tur. Impios vero Scriptura sacra proprie infideles appellat.
Hac namque distantia peccatores ab impijs discernuntur,
quia cum omnis impius sit peccator, non tamē omnis pec-
cator est impius; peccator enim dici etiam qui in fide pius
est potest. Vnde Ioannes ait. *Si dixerimus quia peccatum non* 1. Ioan. 1. 8.
habemus, veritas in nobis non est. Impius vero proprie dicitur,
qui à religionis pietate separatur. De talibus enim Propheta
ait. *Non resurgunt impij in iudicio.* Locus autem videntium Psal. 1. 5.
sancta Ecclesia vocatur, in ipsa enim recte consistitur, vt
lumen verum quod Deus videatur. Vnde ad Moysem di-
citur. *Est locus penes me, & stabis supra petram cum transiet mea* Exod. 33. 21.
maiestas. Et post paululum. *Auferam manum meam, & videbis* 22.
posteriora mea. Multi quippe intra sanctam Ecclesiam positi, Ibid. 23.
pia specie extra Ecclesiam inueniri sunt, impia conuersa- F
tione. De quibus bene alias scriptum est. *Vidi impios sepul-*
tos, qui cum adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciui- Eccl. 8. 10.
tate quasi iustorum operum. Sequitur.

Qui quasi de industria recesserunt ab eo. Sciendum quippe est 27.
quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut igno-
rantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, & grauius
quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo grauius
studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus pec-
cauerat, cum diceba*t. Qui prius fui blasphemus & persecutor,* & 1. Tim. 1. 13.
reliqua. Petrus vero infirmitate peccauit. Industria vero
peccauerant hi, de quibus dicebat, ipse magister. *Si non ve-*
nissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, & reliqua. Ioan. 15. 22. 24.
Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non
faciunt, sed etiam persequuntur, & quæ ipsi negligunt fa-
cere, etiam in alijs detestantur. Horum peccatum scilicet
non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio per-
petratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec ta- G
men possent, ea quæ in se negligunt, saltem in alijs ama-
rent. Sequitur. *Et omnes vias eius intelligere noluerunt.* Non
enim infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt*,
quia sæpe quæ facere despiciunt etiam scire contemnunt.
Quia enim scriptum est. *Seruus nesciens voluntatem domini sui* Luc. 12. 47. 48.
& non faciens digna, plagis vapulabit paucis, & seruus sciens vo-
luntatem domini sui, & non faciens iuxta eam, vapulabit mul-
tis. Impunitatem peccandi existimant remedium nescien-
di. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, at-
que ideo non discernunt, quia aliud nescisse, aliud scire
noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse, su-
perbia. Via quippe est incarnatæ omnis actio quam
temporaliter gessit, viæ eius sunt viuendi ordines, quos
ad se venientibus strauit. Tot itaque ad se venientibus
vias præbuit, quot bene viuendi exempla monstrauit.
Humilitatis eius Propheta vias aspexerat, cum suspirabat
dicens. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.* H
Quia ergo superbi quique humilitatis Dominicæ facta con- Ps. 118. 15.
temnunt, recte dicitur, *vias eius intelligere noluerunt.* Vias ita-
que eius intelligere est, & humiliter tolerare transitoria, &
perseueranter expectare mansura, vt exemplo Dominico
æterna quærant gloria opprobrijs temporalib. compara-
ta. Sequitur.

Et peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audire vocem 28.
pauperum. Cum enim isti superbiunt, clamant ad Domi-
num hi qui ipsis superbientibus opprimuntur. Vel certe
idcirco dicitur quod ad Deum fecerunt clamorem paupe-
rum peruenire, quia istis cadētibus in eorū loco pauperes,
id est humiles spiritu subrogātur. Et quia hoc eorum casu
factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis
genere quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis.
Vel certe, quia cuncta quæ superius dicta sunt, referri et-
iam ad rectores Ecclesiasticos possunt, qui relicto prædi-
cationis studio, sub occasione regiminis terrenis negotiis
inuoluuntur, apte subiungitur. *Vt peruenire facerēt ad eum cla-*
morē egeni, & audire vocem pauperū. Quia nimirū dū ipsi curis
secularib. occupati prædicationis officium deserunt, gre-
gem subditū in querelarum prorumpere clamore compel-
lunt,

A luni, vt quasi iure vnusquisq; subiectus de vita ficti pasto-
ris immurmuret, cur tenet magistri locum, qui nó exercet
officium, quamuis fortasse melius per tumorem potentiũ
superbia Iudæorum, & per clamorem pauperum desideria
gentium figurantur, sicut attestante Veritate per epulan-
tem splendide diuitem Iudaicus populus designatur. Et
per vulneratum Lazarum, qui interpretatur adiutus, for-
ma Gentilis populi exprimitur. Illis ergo peccantibus pau-
perum clamor auditur, quia dum Iudæi contra Deum su-
perbiunt, ad Deum vota Gentilium peruenerunt. Sequi-
tur.

29. *Ipso enim concedente pacem quis est qui condemnet? Ex quo ab-
sconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?* Nemo er-
go discutiat cur stante Iudaico populo dudum in infideli-
tate Gentilitas iacuit, & cur ad fidem Gentilitate surgente
Iudaicũ populũ infidelitatis culpa pstrauit. Nemo discu-
tiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito.
B Si enim Gentilitatem miraris assumptam, *ipso concedente pa-
cem, quis est qui condemnet?* Si Iudæam obstupescis perditam,
ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contemple-
tur eum? Itaq; consilium summæ & occultæ virtutis satis-
factio sit aperte rationis. Vnde in Euãgelio Dominus cum
de huius rei causa loqueretur, ait. *Confiteor tibi Domine Pater*
Matt. 11. *cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & re-
uelasti ea paruulis.* Seq. *Et super Gentes, & super omnes homines.*
Ac si aperte admoneantur attendere, quia hoc iudicium
q super vnam Gẽtem describitur, etiam super omnes ho-
mines inuisibili examinatione celebratur, vt alius repella-
tur, alius eligatur occulte, sed nullus iniuste. Hoc ergo q
in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute
timeamus. Sic enim intenduntur diuina iudicia super vnã
animam, sicut super vnam vrbem, sicut super vnã gentem,
sicut super vniuersam generis humani multitudinẽ. Quia
& sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis, & sic
simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Qui enim o-
C mnia administrando implet, reget implendo; nec vniuer-
so deest cum disponit vnum, nec vni deest, cum disponit v-
niuersum, cunctæ scilicet naturæ sua potentia verus ope-
ratur. Sequitur.

30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*
Quia igitur de specie transiuit ad genus, nunc de genere se
conuertit ad speciem. Verum namq; regem super se Iudæa
regnare noluit, & idcirco ex gentibus meritis hypocritam
Ioan. 5. 43. accepit, sicut quoq; Veritas in Euangelio dicit. *Ego veni in
nomine Patris mei, & non accepistis me; alius veniet in nomine suo,
hunc accipietis.* Potest etiã per hypocritam, caput Antichri-
* Anti-christi. stus* designari, seductor quippe ille tunc sanctitatem si-
mulat, vt ad iniquitatem trahat, sed propter peccata popu-
li regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius re-
gimine præordinantur, quia digni eius Domino ante secu-
la præsciuntur qui peccatis subsequentibus exigunt, vt sub
illo iudicijs præcurrentibus disponantur. Quod ergo tunc
Antichristus super impios regnat, non est ex iniustitia iu-
dicis, sed ex culpa patientis; quamuis plerique & princi-
D patum illius non viderunt, & tamen eius principatui pec-
catorum suorum conditione deseruiunt, quia & quem do-
minantem sibi minime conspiciunt, eum proculdubio
peruerse viuendo venerantur. An non eius membra sunt
qui per affectatæ sanctitatis speciem appetunt videri quod
non sunt? Illo namq; principaliter hypocrisin sumet, quia
cum sit damnatus homo & nequam spiritus, Deum se esse
mentitur, sed proculdubio ex eius nunc corpore prodeũt,
qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscõdunt,
vt professione videri appetant, quod esse operibus recu-
sant, quia enim scriptum est. *Omnis qui facit peccatum, seruus
Ioan. 8. 34. est peccati.* Quanto nunc liberius peragunt peruersa quæ
volunt, tanto eius seruitio obnoxij obligantur. Sed quæri
potest rationabiliter quomodo hoc in loco dicitur, quod
regnare hypocritam Dominus facit, cum hac de re specialiter
queritur per Prophetam dicens. *Ipsi regnauerunt, & non ex
Osee 8. 4. me, principes extiterunt & non cognoui.* Quis enim recte sen-
tiens dicat, quia facit Dominus quod minime cognoscit;
sed quia scire Dei approbare est, nescire, reprobare. Vnde
Luc. 13. 25. 27. quibusdam quos reprobat dicit, *Nescio vos vnde sitis, discedite
à me omnes operarij iniquitatis.* Et aliquando facere Dei est, id
quod fieri prohibet irascendo permittit inferre. Vnde & E
regis Ægypti cor se obdurare asseruit, quia videlicet obdu-
rari permisit. Miro modo hypocritas Dominus regnare fa-
cit & nescit: facit sinendo, nescit reprobando.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXVI.

Quia ergo locutus sum ad Deum, te quoque non pro- 31.
hibeo. Si erraui, tu doce me. Si iniquitatem locutus 32.
sum, vltra non addam. Sicut sæpe contingit vt
bona loquantur & mali, multa Heliu fortiã
paulo superius se dixisse memorat, & secu-
turus idcirco ne fortasse errauerit, requirebat. Neq; enim F
requireret, si se errasse credidisset. Est namque, vt dixi, pro-
pria arrogantium fraus, vt tunc de errore requirere stude-
ant, quando se nouerint non errasse. Qui rursum require-
re vel argui de errore despiciunt, si quando se errasse vera-
citer cognoscunt. Sequitur.

Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Ac si dice- 33.
ret. Ego coram Deo rationes positiuus sum. Cur modo
iniquitas mea à te reprehenditur? Quæ constat quia quod
in iudicio a te non requiratur? Recti viri cum iniuste ab
hominibus impetuntur, ad supernum iudicium recurrũt.
Vnde & ab eodem Iob dicitur. *Ecce in cœlo testis meus, & con-* Iob. 16. 19.
scius meus in excelsis. Et quia ei summopere placere cupiunt,
eius solius testimonium requirunt. Peruersi quoque quia
iustorum vitam deserunt, sed nonnumquam eloquia scru-
tantur, cum de suis male gestis increpantur, hoc assumunt
in argumento defensionis, quod iusti proferunt cum testi- G
monio puritatis. Vnde eis & consuetudo iam facta est, vt si
quis eos de factis suis arguat, Dei magis iudicium quam
hominum quærant. A Deo enim & cum se damnandos
nouerint, iudicari metuunt, iudicari ab hominibus erube-
scunt. Proponunt ergo magis quod metuũt, vt hoc minus
declinare valeant quod erubescunt. Scriptum quippe est,
Vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo. Quia vero esse Rom. 14. 12.
culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoãt,
quam qui responderint, subdidit dicens. *Tu enim cœpisti lo-
qui, & non ego.* Eo se innocentem credidit, quo pulsatus e-
rupit, nimirum nesciens quia innocentia non tempore de-
fenditur, sed ratione. Quid enim eius defensionib. admi-
niculatur? Quod si tacenti nulla insilit, recte tamen in-
choanti praua respondit. *Quod si quid nosti melius, loquere.*
Quamuis dum non ait, quia melius nosti, sed quid melius
nosti, loquere: nimis hoc ipsum superbisse est, de melio-
ris scientia dubitasse. Ecce dum quasi humiliter B. Iob
loqui tribuit, quod intrinsecus gestaret, ostendit. Se-
quitur.

Viri intelligentes loquantur mihi. Dedignatus videlicet si H 34.
B. Iob loqui præsumeret, qui quasi eius intelligere verba
non posset. Et quia non solum ad loquẽdum, sed etiam ad
audiendum B. Iob indignum fuisse iudicauit. Sequitur.
Vir sapiens audiat me. Ac si diceret. Huic loqui iniuste con-
ceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur.
Atque mox aperte quam despecta de illo sentiat, manife-
stat dicens.

Iob autem stulte locutus est, & verba illius non sonant discipli- 35.
nam. Sine disciplina locutum B. Iob credidit, quia iustum
se in suis operibus fuisse memorauit. Verum fortasse He-
liu diceret, si ea quæ B. Iob de seipso narrauerat, non de il-
lo hæc eadem ipse disciplinæ auctor æstimasset. Innocen-
tem enim Iob se asserit flagellatum, quem Deus etiam per-
hibuit frustra percussum. Quod ergo vox percussi super-
bum sonuit, quæ à sententia ferientis nullatenus discre-
pauit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant,
dum arrogantiam vitant, imo mentiendo superbiunt, qui
contra veritatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim
necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis
humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur. Sequitur.

A 36. *Pater mi probetur Iob vsque ad finem.* Ecce hoc quod de ar-
sogantiæ tumore conceperat, in verbis etiam maledictio-
nis exaltat, sed fortasse beneuole vim probationis opta-
ret, si stetisse eum in probatione iudicasset. Vt vero aperte
malitia eius crudelitatis appareat, probare adhuc per fla-
gella deprecatur, quem inter flagella lapsum fuisse iam
queritur; præmisit, quod sensit, vt apertius cognosci de-
beat quod optat. Adhuc feriri postulat quod iam peccasse
sub manu ferientis accusat. Propria hæc arrogantium vo-
ta sunt, vt vitam dolentium examinari acrius deprecẽtur,
quia quanto sibimetipsis iustiores sunt, tanto alienis dolo-
ribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem a-
lienæ infirmitatis trahere, & sicus suæ, ita etiam proximi
imbecillitati misereri. Viri autem veraciter sancti flagella-
ti quempiam etiam pro culpa cognoscunt, & si quædam
eius inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia
compatiuntur, & sciunt sic tumentia premere, vt sciant
B etiam cruenta refouere, quatenus in eis cum dura emol-
liunt, infirma roborent. Sequitur. *Ne desinas ab homine
iniquitatis.* Hominem iniquitatis vocat, quem Deus iu-
stum præ omnibus superna attestatione denuntiat. Sequi-
tur.

37. *Qui addit super peccata sua blasphemiam.* Accusat eum & pro
peccatis suis flagella meruisse, & post flagella peccasse.
Longe vero aliter Dominus indicat, qui & *frustra* flagella-
tum insinuat, & bona duplicia post flagella retribuit: pœ-
na enim debetur culpæ, non præmium. Beatus ergo Iob
sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem pre-
mia subsequuntur. Sequitur. *Inter nos interim constringatur,
& tunc ad iudicium prouocet sermonib. suis Deum.* Ac si diceret.
Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam diuinæ
examinationi sufficiat. Sequitur.

CAP. XXXV. *Igitur Heliu hæc rursum locutus est.* Omnis qui multa loqui-
tur, in locutione sua semper incipere studet, quatenus in-
1. choatione ipsa suspensos auditores faciat, & eo attentius
taceant, quo quasi nouum audire aliquid expectant. Se-
C quitur.

2. *Numquid tibi æqua videtur tua cogitatio, vt diceres, Iustior Deo
sum?* Quia B. Iob iustiorem se Deo non dixerit, omnis qui
Iob. 23. 7. textum historiæ legit, agnoscit. Sed ait. *Proponat æquitatem
contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.* Vitam suã
videl. pensans, & causas percussionis ignorans, vt sæpe iam
dictum est, pro diluendis peccatis se credidit, & non pro
augendis meritis flagellari: & idcirco iudicium suum ad
victoriam peruenire confisus est, quia culpam in se, pro
qua debuisset percuti, non inuenit. Quod quidem de illo
Iob. 2. 3. & Dominus ad Diabolum dixit. *Commouisti me aduersum
eum, vt affligerem eum frustra.* Vel certe intueri Redemptoris
nostri præsentiam potuit. Ipse enim qui est virtus patris &
sapientia, etiam eius æquitas non inconuenienter accipi-
tur. Quam scilicet æquitatem, quia Deus iniquis fugienti-
bus incarnatam ostendendo contra posuit, eos protinus
ab iniquitate reuocauit. Sequitur.

3. *Dixisti enim. Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi pro-
D derit, si ego peccauero?* Si tota libri series attẽditur, nil horum
B. Iob dixisse monstratur, sed arrogantes cum non possunt
reprehendere iuste quæ sunt, reprehendunt mentiendo
quæ non sunt. Sequitur.

4. *Itaq. ego respondebo sermonib. tuis, & amicis tuis tecum.* Dictis
superioribus quasi B. Iob culpabilia verba narrauit, atque
ex eis sibi materiam loquendi præposuit, sed verbis subse-
quentibus forti acumine discutit hoc quod sibi ad dicendi
materiam fallaciter finxit, & fortes quidem sunt senten-
tiæ quæ sequuntur, sed beati Iob personæ minime congru-
unt. Sequitur.

5. *Suscipe cælum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te
6. sit. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicata fuerint iniquita-
7. tes tuæ, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei?
aut quid de manu tua accipiet?* Quamuis beato Iob scienti ma-
iora nequaquam dici ista debuerunt, vera tamen sunt quæ
dicuntur, quod videlicet Deo nec peccata nostra noceant,
nec bene gesta concurrant. Sequitur.

8. *Hominem qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium homi-
nis adiuuabit iustitia tua.* Sed inter hæc illud solerter intuen-
dum quod ait. *Suscipe cælum, & intuere, & contemplare æthera
quod altior te sit.* Hæc enim dicens, nimirum colligit vt con- E
siderare debeat quanto minus Deo actione sua aut prosit
aut noceat, cui altitudine cœli atque ætheris prodesse vel
nocere non possit. Quamuis in cœlo vel æthere possumus
supernas potestates accipere, diuinis semper obtutibus in-
hærentes, vt cum Angelicos spiritus longe adhuc à nobis
distare conspicimus, ipsi creatori atq; dominatori spirituũ
quantũ distamus interius agnoscamus, corpoream tamen
cœli ætherisque materiam hoc loco sentire nil obstamus.
Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem
ad interiora reuocamur. Vnde Paulus ait. *Inuisibilia eius, per* Rom. 1. 20.
*ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus
eius & diuinitas.* Humana impietas ei nocet, quem peruer-
tendo inquinat, & rursum eum adiuuat nostra iustitia, quẽ
à prauis actionibus mutat. Noceri enim vel adiuuari ne-
sciunt ea quæ vel à bono corrumpi, vel à malo permutari
non possunt. Supernæ igitur potestates eo lædi vel iuuari
nequeunt, quo esse iam incommutabiles acceperunt. Se- F
quitur.

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt & eiulabũt 9.
propter vim brachij tyrannorum. Calumniatores recte dicere
possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona
rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus & vitæ reprobæ
exemplo interna nostra dissipare contendunt. Illi nam-
que ea quæ nobis extra sunt, inuadere ambiunt, isti nos
prædari interina quærunt: & quia in hoc mundo abundat
malorum vita quæ cruciat, recte dicitur. *Propter multi-
tudinem calumniatorum clamabunt.* Quisquis enim male vi-
uere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce ca-
lumniatoris vtitur. Quisquis vero peccatũ suadens, etiam
terrere nos appetit, iam contra nos brachio tyrannidis sæ-
uit. Aliud est enim vilia suadere viuendo, aliud iubendo
terrere. Sequitur.

Et non dixit, vbi est Deus qui fecit me? Mos sacræ scripturæ 10.
est, vt à singulari numero ad pluralem subito transeat, atq;
à plurali ad singularem vertatur. Vnde & Heliu à plurali
numero in singularem veniens, ad personam subito infir- G
mi vniuscuiusque transiuit, fortasse quia à singulis melius
recognoscitur quicquid dici singulariter auditur, vt ad cor
suum quisque redeat, & in semetipso hoc quod de vno-
quoque dicitur, reprehendat. Quisquis enim aduersita-
tum tribulatione frangitur, à quo factus est minime con-
templatur. Nam qui quod non erat, fecit, factum sine gu-
bernatione non deserit, & qui benigne hominem, nequa-
quam cruciari iniuste permittit. Sequitur. *Qui dedit carmi-
na in nocte.* Carmen in nocte est, lætitia in tribulatione, quia
& si pressuris temporaliter affligimur, spe iam tamen de æ-
ternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat
dicens. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Carmen in no- Rom. 12. 12
cte Dauid expresserat, qui dicebat. *Tu es refugium à pressura* Ps. 31. 7.
*quæ circumdedit me, exultatio mea, redime me à circumdantibus
me.* Sequitur.

Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit 11.
nos. Iumẽta terræ sunt, qui vsu vitæ carnalis ima appetunt:
volucres vero cœli sunt, qui superbæ curiositatis studio H
sublimia perscrutantur. Illi viuendo se deponunt infra
quam sunt, isti inquirendo se eleuant vltra quam possunt.
Illis per sacra eloquia dicitur. *Nolite fieri sicut equus & mulus* Psal. 31. 9.
in quibus non est intellectus. Istorum superbus labor increpa-
tur, dum dicitur. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scru-* Eccl. 3. 22.
tatus fueris. *Docet* igitur nos Deus *super iumenta terræ, & super
volucres cæli.* Quia dum hoc quod sumus, agnoscimus, nec
carnis nos infirmitas deijcit, nec superbiæ spiritus leuat,
nec defluendo imis subijcimur, nec superbiendo de sub-
limibus inflamus. Qui enim labitur carne, iumento-
rum appetitu prosternitur, qui vero extollitur mente mo-
re volucrum quasi leuitatis penna subleuatur. Et est sen-
sus, subaudis, hoc quoque non dixit. Hoc itaque quod iu-
mentis & volucribus antecellit, eum non dicit in tribula-
tione memorari. Ac si diceret. Infirmus quisque idcirco
nequaquã se in perturbatione corroborat, quia & in tran-
quillitate non temperat, & idcirco nescit aduersa tolerare,
quia constitutus in prosperis cogitatione se non nouit à
volatu volucrum premere, nec carnales motus à iu-
mentorum ingluuie subleuare. Quodquidem intelligi

etiam

A etiam aliter potest. *Qui docet nos super iumenta terræ, & super*
volucres cæli erudit nos. Nam sicut iumentorum vocabulo
signatur vita hominum carnis adhuc motib. subditorum,
ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum su-
perborum, vt per iumenta quidem terreni homines, per
volucres vero dæmonia designentur. Vnde cum semina
Mat. 13. 4. Dominus iuxta viam diceret cecidisse, subiunxit. *Venerunt*
volucres cæli & comederunt ea, nimirum per volucres signans
aëreas potestates. Sancti autẽ viri, q a nec infima hominum
exempla appetunt, nec rursum dæmoniaca subtilitate fal-
luntur, & *super iumenta terræ, & super cæli volucres*, virtute eru-
ditionis excrescunt. Paulus *super iumenta* iam *terræ* edoctus
Phil. 3. 18. 19. 20. fuerat, dicens. *Multi ambulant*, & paulo post, *quorum finis in-*
teritus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui
terrena sapiunt, nostra autem conuersatio in cælis est. Et rursum,
1. Cor. 6. 3. *super volucres cæli* eruditum se nouerat, cum dicebat. *Nescitis*
quoniam Angelos iudicabimus? Ac si diceret, infirmus pusilla-
nimitate victus ista non dixit, & idcirco eum aduersitatis
B tentatio perculit, quia tranquillitatis tempora hæc cuncta
transeuntia nulla perfectione superauit. Sequitur.
12. *Ibi clamabunt, & non exaudiet propter superbiam malorum.*
Ibi, videlicet in tribulatione, vt è contra de gaudio scriptũ
Psal. 101. 29 est. *Filij seruorum tuorum inhabitabunt ibi.* Sed videbunt, in-
certum, vtrum dicat, propter superbiam malorum non ex-
audiet, an propter superbiam malorum clamabunt. Intel-
ligi autem melius potest, si non exaudiri potius, *propter ma-*
lorum superbiam, q̃ clamare referantur. Nam quod propter
malorum superbiam clamant, supra iam dictum est. Ergo
nobis hoc versu innuitur, q paulo subtilius attendatur, q a
sæpe oppressi quidem dum clamauerint, ex se quidem me-
rentur audiri, sed tamen eorum desideria propter oppri-
mentium superbiam differuntur. Iustus quippe Dominus,
& suos permittit temporaliter opprimi, & violentorum
malitiam nequiter augeri, vt dum horum vita in purgatio-
ne teritur, illorum nequitia consummetur. Ac si diceret.
C Reatus opprimentium audire voces prohibet oppressorũ,
nec eripiuntur visibiliter iusti, quia saluari inuisibiliter nõ
merentur iniusti. Vnde rursum per Prophetam dicitur.
Psal. 48. 11. *Cum viderint sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.*
Sequitur.
13. *Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum cau-*
sas intuetur. Notandum quod duo sint dicta, quia & cla-
mantem non frustra audit, & tamen quod patitur respicit,
& exaudiri voces dissimulat, & quod vnusquisque tolerat,
non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod
à superna cura negligitur. Sæpe enim nostra desideria quia
celeriter non fiunt, exaudiuntur, & quod implere con-
cite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Se-
quitur.
14. *Etiam cum dixeris, non considerat, iudicare coram illo, & ex-*
specta eum. Fortasse enim dum clamor noster quasi negligi-
tur, spes quæ cordi inerat, infirmatur: & superna adiutoria
defutura credimus, quia tardius impetramus, ac pene in-
cõsiderata Deo esse ingemiscimus, quæ inulta toleramus.
D Sed cum nos ista desperationis procella conturbat, con-
cussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas
cum Domino subtiliter pensat, si bona eius ad memoriam
reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit, apud semetipsam
callide non excusat, si perpendit quod ab eo iuste meruit,
& quod clemẽter accepit. Ac si diceret. Cum idcirco Deus
considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima co-
gitationis ingredere, atque illic coram eius oculis causæ
tuæ iudicium suscipe, & quæ ipse viuendo contulisti, vel
quæ miserabiliter percepisti, discerne. Nã qui semetipsum
coram Deo non iudicat, eum dum affligitur, non expectat.
Sequitur.
15. *Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur valde.* Sce-
lus quippe Deus diu tolerat, quia in perpetuum damnat,
& furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum si-
ne fine in posterum seruat. Electorum namq; est hic conte-
ri, vt ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri: nostrũ
est hic flagella percipere, quibus seruatur de æternitate
Heb. 12. 6. gaudere. Hinc enim scriptum est. *Flagellat omnẽ filium quem*
Apoc. 3. 19. *recipit.* Hinc ad Ioannem dicitur. *Ego quos amo arguo & casti-*
go. Notandum vero est, quod subintulit *valde*, quia & si

quæ longanimiter tolerat, quædam tamen in hac etiam E
vita flagellat, & hic nonnumquam ferire inchoat, quod
æterna damnatio consummat. Ergo & nonnulla percu-
tit, & nonnulla inulta derelinquit, quia si nulla reseca-
ret, quis Deum res humanas curare credidisset? Et rursum
si hic cuncta percuteret, extremum iudicium vnde resta-
ret? Sequitur.
Ergo Iob frustra aperuit os suum, & absque scientia verba mul- 16
tiplicat. Hæc nimirum inferens, beatum Iob, & nil scisse as-
serit, & multa dixisse: & cum ipse quæ sentit loquaciter in-
ferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque
esse proprium arrogantium solet, vt & pauca credant, quæ
ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca di-
cuntur. Sequitur.
Addens quoque Heliu etiam hæc locutus est. Sustine me paulu- Cap.
lum, & indicabo tibi. Multa iam dixerat, & sustineri adhuc XXXVI.
paululum sperat, quia videlicet arrogantes graue se dam- 1.
num perpeti iudicant, si scientiam suam loquendi breui- 2.
tate constringant: tanto enim semetipsos credunt Do-
ctiores ostendere, quanta se potuerint multiplicare lo- F
quacitatis aperire. Sequitur. *Adhuc habeo, quod pro Deo lo-*
quar. Quia enim sæpe sibi sentiunt silentij reuerentiam
non deferri, Deum nonnumquam potẽtiam de quo quasi
loquuntur, insinuant, ac sub prætextu illius sibi silentium
exigunt, quod minime merẽtur. Quia vero nonnumquam
Doctores sancti crebro repetunt, si qua obscurius dicunt,
vt quæ occulta prædicant, auditorum cordibus voce hæc
iterationis infundant, plerumque hoc appetunt etiam ar-
rogantes imitari, & insolenter ea quæ dixerint replicant.
Sequitur.
Repetam scientiam meam à principio. Sed quia nominata 3.
scientia tumor cordis in voce claruerat, arrogans aperte a-
gnoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur. Sequi-
tur. *Et operatorem meum probabo iustum*, vt dum quasi pro Dei
iustitia loquitur, apud humana iudicia quicquid arrogan-
ter affluit, excusetur. Sequitur. G
Vere enim absque mendacio sermones mei. Cum ab infirmis 4.
auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent ple-
rumq; etiam iusti laudare bona quæ dicunt, non quod ipsi
suis laudibus inhiant, sed quod auditores suos audiendi
sollicitudine accendant, vt dum eorum voce præferuntur,
ab illorum cordibus ardentiore affectu rapiantur. Vnde
Paulus cum multa Corinthijs, & multa dixisset, adiunxit. *Os* 2. Cor. 6. 11.
nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatũ est. Sed ar-
rogantes dum cor bonorum nesciunt, & solas aliquando
voces imitantur, efferunt laudando q̃ dicunt, nõ quod eis
torpor audientium displicet, sed quod sibi inhiantes pla-
cent. Seq. *Et perfecta scientia probabitur tibi.* Nimirum sensit se
magna dicturum, sed tumenti corde hoc quod de semet-
ipso sublimiter æstimauit, tacere non potuit, & idcirco q
rectum sensit, laudando præcurrit, quia iam quidem diui-
no iudicio reus esset, si magna de se saltem silẽdo sensisset.
Ante subtile enim veritatis examen securi omnino nõ su-
mus, etiam si humano iudicio quod in nobis reprehendi
debeat non habemus. Sequitur. H
Deus potentes non abijcit, cũ & ipse sit potens. In vsu vitæ mor- 5.
talis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex
his quæ circa ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt
noxia, sicut peccata atq; flagitia. Quædam vero nonnum-
quam nobis ex his quæ circa ipsa sunt, nocẽt, sicut tempo-
ralis potentia vel copula coniugalis. Bonum namq; est cõ-
iugium, sed mala sunt quæ circa illud ex huius mundi cura
succrescunt. Vnde Paulus ait. *Qui autem cum vxore est, cogitat* 1. Cor. 7. 33.
quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Magna est etiam potẽ-
tia temporalis, quia habet Deum meritum suum, de bona
administratione regiminis. Nonnumquam tamen eo ipso
quo præminet cæteris, elationis cogitatione intumescit,
subiectos despicit, ex æquo respicere cæteros dedignatur,
sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptũ
est. *Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios super-* Iob. 41. 25.
biæ, & de cuius corpore dicitur. *Generatio cuius excelsi sunt o-* Prou. 30. 13.
culi, & palpebræ eius in alta surrecta. Deum quippe imitari de-
siderat, q fastigium potentiæ aliorum intentus vtilitatibus,
& nõ suis elatus laudibus, administrat, q prælatus cæteris,
prodesse appetit, non præesse. Tumoris namq; elatio, non

A
16. *Igitur saluabit te de ore angusto latissime.* Omnis qui viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras deiicit, semetipsum quasi in puteum vel in foueam mersit. Si vero diutina perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora iam possit exurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Vnde Dauid Propheta sub specie
Psal. 68. 16. peccantium exorat, dicens. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Latissime quippe de ore angusto saluatur, qui & post iniquitatum iugum, ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur. Dauid Propheta conclusionem angustioris
Psal. 30. 8. 9 aspexerat, cum dicebat. *Saluam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici.* Latissime autem saluatum se nouerat, cum subderet dicens. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Sequitur. *Et non habentis fundamentum subter se.* Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est, quod tamen vtcumque sit, in boni natura coalescit.
B Quem enim rapit iniquitas, infernus absorbet. Aliter. Infernus vero non habere fundum recte creditur, quia quisque ab illo rapitur, in immenso deuoratur. Aliter. Nam sicut quis in puteo mergitur, putei fundo retinetur, ita cernens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quo labitur, non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora deiicitur, quasi in puteum cecidit, fundum non inuenit quo ligatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensura peccati. Sequitur. *Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Requies mensæ est refectio satietatis internæ, quæ pinguedine plena dicitur, quia in
*Videtur hic verbū aliquod deesse. æternæ voluntatis * præparatur. Huius mensæ epulas esuriebat Propheta cum diceret. *Satiabor dum manifestabitur*
Psal. 16. 15. *gloria tua.* Sequitur.

Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.
17. Bonorum causa tristitia est, quorum causa quasi impij iudicatur, quia eorum hic iustitia paterno flagello fatigatur, vt ad ampliorem vigilantiam, non solū perceptione man-
C datorum, sed etiam verberum percussione doceantur. Sed *causam iudiciumque* recipiunt, quia ex ea iustitia qua modo viuunt, tunc in culmine iudicantis potestatis excrescunt, vt tanto tunc potentius cuncta iudicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta iudicantur. Hæc Heliu quando spondendo intulit, quæ B. Iob semper credendo stabiliter tenuit. Sequitur.

18. *Non te ergo superet ira vt aliquem opprimas.* Arrogantes enim iræ motui deputant, quicquid à sancta Ecclesia geritur censura disciplinæ, & quia humanæ laudis appetitu benigni student semper apparere, nullos censent districtionis seueritate corrigendos. Vnde à bonis rectoribus, sicut superius dictum est, opprimi æstimant, quos inuitos cernunt à vitijs coërceri. Auctore autem Domino quia in cunctis mundi partibus sancta Ecclesia culmine religionis excreuit, hanc ipsam temporalem potentiam, qua quidem bene vtitur, obtrectando in vitium elationis inflectunt. MORALITER. Omnis per quem necesse est
D aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu iustitiæ iræ immanitas vastat, & dum quasi feruet zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, iusteque se facere æstimat, quicquid ira nequiter dictat. Quia videlicet is qui corrigere nititur, ira superetur, opprimit antequam corrigat, & dū plus quam debet accenditur, sub iustæ vltionis obtentu, ad immanitatem crudelitatis effrænatur. Sequitur. *Nec multitudo locorum inclinet te.* Ac si idem sanctæ Ecclesiæ humilitatem magis inter prospera conseruanti, arrogantium voce dicatur. Quia vbique fidei reuerentia coleris, caue ne eiusdem reuerentiæ saltibus extollaris; quosdam quippe conspiciunt, quia sub religionis obtentu vitio elationis intumescunt, & quod in quibusdam iure reprehendunt, hoc iniuste ad crimen omnium pertrahunt. Notandū vero quod non ait. Nec multitudo locorum extollat te, sed ait; *Nec multitudo locorum inclinet te.* Omnis enim qui temporaliter extollitur, eo ipso quo extollitur, inclinatur: quia cum se exterius erigit, intus cadit. MORALITER. In tot quippe lo-

E cis inclinamur, in quot superuacuis curis extendimur. Nā sicut locus est corporis, spatiū corporale, ita locus est mentis vnaquæque intentio cogitationis. Quæ dum huc illucque impellitur, si dilectione aliqua cogitationis suæ libenter occupatur, velut in loco quodā ponitur, vt quiescat: nam quotiens victi tędio à cogitatione in cogitationē ducimur quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortæ cogitationes vnitatē bonæ intentionis dissipāt. Recta etenim mens staret, si vni cui debuerat cogitationi, semper inhæreret. Seq.

19. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.* Quos alios esse Ecclesię robustos accipimus, nisi eos qui ad vincenda mundi huius desideria, & cœptis sublimibus, & consummatis prouectibus conualescunt?
F Magnitudo itaque eius in robustorum suorum vita consistit, quia tunc gloriosior redditur, cum pro defensione veritatis, ad mortem vsque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri, subductis de hoc mundo Apostolis, subductis ad superna Martyribus, quia fortasse doctores valentioresque præpositos abunde esse conspiciunt, quasi soli se remansisse intra Ecclesiam suspicantur. Vnde dum se præferunt ei, velut consulantes illudunt, dicentes. *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.* Ac si apertis exprobrationibus dicat. Nequaquam magnitudinē habere confidas, quia subductis prioribus partibus, iam non habes de quorum vita glorieris. Dicunt hęc profecto nescientes, quia omnipotēs Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit, nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vitæ debiles ad certamina roborat. Cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum vites quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur. *Pro patribus tuis* Psal. 44. 17.
nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. MORALITER. Robusti quippe sunt motus cordis, cum nulla nisi quæ virtutis sunt, sentiunt. Sed magnitudinem & robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quod sumus. Robustus motus deponimus, quando non iam de virtute attollimur, sed in culpa con- G
sentiendo obruendi ipsa qua quatimur, infirmitate formidamus. Ac si aperte diceretur. Omne quo intrinsecus de bona actione intumueras reprime, & cordis mot⁹ quos ex recto opere robustos habueras, depone, quia iam in ipsa aduersitatis tentatione consideras, quam frustra prius de te magna elatus æstimabas. Quæ videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur, quia nimirum tentatione humilitas proficit. Prospera est ipsa aduersitas, quæ mentem ab elatione custodit, sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Sequitur.

Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis. Ac si aperte 20.
arrogantes dicat. Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, vt in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari cōsuetudini dediti, in cunctis quæ appetunt, passim viuunt. Noctē vero protrahere est, vt pro robustis populi ascendant, si H
per negligentiam agitur, vt doctorum & fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt, quando hi qui viuere inique didicerunt, pastorū loca percipiunt, quod recte quidem dici poterant, si humiliter diceretur. MORALITER. Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur, quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione, cōsiderat quod à virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis moribus, quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab omni luce gaudij eius oculus clauditur, dum sollicita trepidat ne hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Vnde & bene dicitur, quod in hac nocte pro robustis populi ascendunt, quia videl. in hoc mœrore tentationis pro robustis moribus cogitationes indignæ & multiplices in corde prosiliunt. Nam dū se in perturbatione conspicit, iam pœnæ amissæ quod fuerat, fluctus in se innumeros, tumultuque coaceruat. Ac si quippe diceret in tentatione deprehensus. Citius tenebras mœroris incide, ne qui in

A tranquillitate de te alta senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum te caligine confundas. Quod rectè Heliu diceret, si tamen cui diceret, sciret. Nam hæc B. Iob tanto minus congruunt, quanto ab illo omnia altius sciuntur. Sequitur.

21. *Caue ne declines ad iniquitatem, hanc enim cœpisti sequi post miseriam.* Hoc profectò arrogantes Ecclesię miseriam vocant quod despectam Deo eius multitudinem suspicantur, & eo illam altiore elatione contemnunt, quo & despectam Deo funditus suspicantur. His igitur figurata expositione transcursis, iam nunc inferenda sunt quę moraliter sentiũtur, vt figura Ecclesiæ cognita, quam expressam generaliter credimus, audiamus etiam quod ex his verbis in singulis specialiter colligamus. MORALITER. Iniquitatem post miseriam sequitur, qui post mala quæ post correctionem sustinet feruenti corde, impatientiæ fastibus inflammatur. Quod B. Iob perpetrasse Heliu credidit, quia eum inter flagella positum, liberis effari vocibus audiuit. Videlicet
B nesciés quia omne quod dixit, non hoc de iniquitate impatientiæ, sed de virtute veritatis protulit, qui ab interni iudicis sententia, nec cum se iustificaret, errauit. Quid est hoc quod dum ad eam declinari vetat, de ea protinus quasi ad quam declinatum iam fuerit, damnat; nisi quod arrogantes viri plus videri iudices quam consolatores volunt? Vnde & nonnunquam ea districtis sententijs feriunt, quæ nata in corde suspicantur, & prius quam certa sit culpa delinquentium, profertur innectio districta verborum.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXVII.

22. C ECce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Hoc in loco Heliu Redemptoris nostri aduentum humilem, non humilis conspicit, & eum prophetando prędicat, quem elatis moribus impugnat. Ac si dicat. Qui humilis videtur in infirmitate, excelsus manet
2.Cor.13.14 in fortitudine, Paulo etiam attestante, qui ait. *Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Sequitur. *Nullus ei similis in legislatoribus.* Legislator Moyses, Legislator Iosue, Legislatores etiam Prophetæ. Legislatores cunctos dicere possumus, quos ea lege scimus admonuisse recta populum. Sed huic mediatori *in Legislatoribus similis nullus est.* Quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, & ab his quæ in semetipsis experti sunt, prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, filius sine adoptione, nec perpessus vnquam quod redargnit, & sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante secula ex diuinitate dominetur. Sequitur.

23. D *Quis poterit scrutari vias eius, aut quis ei dicere operatur iniquitatem?* Ac si dicatur. Cuius perscrutari actio non potest, quo pacto reprehendi potest? Nemo enim bene iudicat, quod ignorat. Tanto ergo debemus sub eius iudicijs silendo quiescere, quanto & rationem iudiciorum illius nos cernimus non videre. Vnde & bene subdit.

24. *Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri.* In scriptura sacra aliquando viri Angeli, aliquando autem perfectæ vitæ homines memorantur. Nam quia aliquando vir Angelos dicitur, Daniel Propheta testatur, qui
Dan.9.21. ait. *Ecce vir Gabriel.* Rursus quia virorum nomine, perfectæ vitæ homines exprimuntur, in Prouerbijs Sapientia lo-
Prou.8.4. quitur dicens. *O viri ad vos clamito.* De Domino igitur viri canunt, cum eius nobis potentiam vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen *opus eius* ignoratur, quia nimirum iudicia illius ipsi etiam qui hunc prædicant impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quæ prædicant, & tamen eius opera ignorant, quia cognoscunt eos per gratiam à quo facti sunt. Hinc Psalmista
Psal.17.12. ait. *Qui posuit tenebras latibulum suum.* Et item. *Iudicia tua abyssus multa.* Ac si aperte diceret. De quo fortes quique locuti sunt, eius operatuæ mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuæ notitiæ eo quo humanitate circumscriberis, transeunt. Sequitur. E

Omnes homines videat eum, vnusquisque intuetur procul. 25.
Omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit, Deum esse, quem nimirum iam videre est, dominationem illius ratiocinanda conspicere, procul quippe eum intueri est, non iam illum per speciem cernere, sed adhuc ea sola operum suorum admiratione pensare. Procul illum hîc etiam electi conspiciunt, quia necdum claritatem illius per acumen intimæ visionis apprehendunt, cui & si iam per amorem iuxta sunt, adhuc tamen ab illo terreæ habitationis pondere distinguntur, quem nimirum reprobi etiam eum in iudicium venientem viderint, procul intuentur, quia non eum in diuinitatis forma, sed in sola, qua & comprehendi potuit, humanitate conspiciunt. Sequitur. F

Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Superius di- 26.
xerat. *Ecce Deus excelsus.* Nunc iterum dicit. *Ecce Deus magnus.* Quid est, quod de Deo loquens, *Ecce* dicit, & *Ecce* repetit, nisi quod ecce dicimus de hac re quam in præsenti monstramus, & quia Deus vbique præsens est, cum dicitur de illo, *Ecce*, etiam non videntibus adesse memoratur. Bene autem vincere eum nostram scientiam narrat, quem videri ab hominibus dixerat, quia etsi ex ratione conspicitur, magnitudo illius nulla nostri sensus subtilitate penetratur. Sequitur. *Numerus annorum eius inæstimabilis.* Dicere vtcumque æternitatem voluit, & ipsam æternitatis longitudinem annos vocauit. Cum enim breuitatem temporis dilatare volumus, momenta per horas, horas per dies, dies per menses, menses autem per annos extendimus. Quia ergo amplum quiddam dicere voluit, sed quid diceret latius non inuenit, in Deo annos sine æstimatione numeri multiplicauit, dicens. *Numerus annorum eius inæstimabilis*, vt dum ea quæ apud se sunt prolixa multiplicat; æternitatis longitudinem se metiri non posse, infirmitas humana cognoscat. Sequitur. G

Qui aufert stellas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum. 27.
Sunt enim in cœli facie aliæ stellæ quas nulla pluuia subsequitur, & aliæ prodeunt quæ arentem terram imbribus infundunt. Igitur quotiens in sancta Ecclesia recte quidam viuunt, sed tamen prædicare eandem rectitudinem nesciunt. Stellæ quidem sunt, sed in siccitate aëris natæ, quia per exemplum bene viuendi lucere cæteris possunt, sed per prædicationis verbum pluere nequeunt. Cum vero in ea quidam & recte viuunt, & alijs eandem rectitudinem verbis prædicationis influunt, quasi ad proferendas pluuias in cœlum stellæ producuntur; quæ sic vitæ suæ meritis luceant, vt etiam sermone prædicationis pluant. An non in hoc cœlo astrum pluuiæ Moyses exurit? Sic quippe Esaias & Ieremias, & cæteri Prophetæ fuerunt, quorum videlicet animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex præsenti vita superna iudicia auferunt, quasi à cœli facie stellæ pluuiæ subtrahuntur, & ad occultum astra redeunt, cum peractis suis cursibus Sanctorum animæ in thesauris dispositionis intimæ reconduntur. Sed H cum Prophetas abstulit, eorum vice Dominus Apostolos misit, qui in similitudinem gurgitum pluerent, id est, vberiore prædicatione emanarent. Possunt quoque per stellas pluuiæ, sancti Apostoli designari. De quibus Iudææ reprobatæ per Ieremiam dicitur. *Prohibitæ sunt stellæ pluuiarum* Ierem.3.3.
& serotinus imber non fuit. Stellas pluuiæ ergo Dominus abstraxit, atque ad instar gurgitum imbres fudit; quia cum Iudæa prædicantes Apostolos abstulit, doctrina nouæ gratiæ mundum irrigauit. Sed ablatis stellis pluuiæ in instar gurgitum imbres dedit, qui etiam seductis ad superna Apostolis, per expositorum sequentium linguas, fluenta diuinæ scientiæ diu abscondita largiori effusione patefecit. Nam quod illi sub breuitate locuti sunt, hoc exponendo isti multipliciter auxerunt. Sequitur.

Qui de nubibus fluunt. Hi quippe gurgites de nubibus 28.
fluunt, quia si ex sanctis Apostolis vis intelligentiæ non

incaperet,

A incipere, nequaquam per ora doctorum largior manaret. In scriptura enim sacra aliquando per nubes, mobiles

Eccl.11.4. quique homines designantur, vt illud Salomonis. *Qui obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet.* Ventum immundos Spiritus, nubes vero subiectos homines appellat. Aliquando Prophetæ, vt illud,

Psal. 17.12. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Aliquando Apostoli vt il-

Esa. 5.6. lud. *Mandabo nubibus meis, ne super eos pluant imbrem.* Sequitur. *Vt prætexunt cuncta desuper.* Nubes cum super aërem prætexunt, si in cœlo oculos attollimus, non cœlum, sed ipsas intuemur. Quia ergo carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in cœlum oculos leuamus, & velut in cœlum aciem tendimus, quia pressi vsu rerum corporalium, doceri spiritualia conamur. Sed quia transire intellectus ad diuina non sinitur, nisi prius per sanctorum præcedentium exempla formetur, quasi iam cœlum noster oculus suspicit, sed nubes videt, quia comprehendere quæ Dei sunt, appetit:

B sed vix mirari ea quæ hominibus collata sunt, potest.

Psal. 75.5. Vnde & alias dicitur. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* More enim nubium extensa desuper nos patrum vita tegimur, vt ad fructum fœcundi germinis infundamur; & quasi intuentes cœlum, prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus, & post illa quæ sunt cœlestia experiendo penetramus. Sequitur.

29. *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium.* Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam prædicationis aperiens, eos in mundi latitudine circumquaque diffudit. Bene autem dictum est. *Quasi tentorium suum.* Tentorium quippe in itinere poni solet, & cum prædicatores sancti in mundum mittuntur, iter Domino faciunt. Vn-

Malach. 3.1 de scriptum est. *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam.* Et vnde rursum per Psalmistam

Psal. 67.5. dicitur. *Iter facite ei qui ascendit super Occasum.* Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum eloquio infundit, atque in hoc itinere tentorium Dei

C sunt. Hæc eadem corda Sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens, agit quæ disposuit, & non videtur. Sequitur.

30. *Et fulgurare lumen suum desuper.* Quid enim sentire fulgura, nisi miracula debemus? De quibus per Psalmi-

Psal. 17.15. stam dicitur. *Fulgura multiplicabit, & conturbabit eos.* Per has ergo nubes lumine suo fulgurat desuper, quia per prædicatores suos insensibilitatis nostræ tenebras etiam miraculis illostrat. Sequitur. *Cardines quoque maris operuit.* Omnipotens enim Deus choruscantibus nubibus cardines maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim pœne cunctorum iam gentium corda penetrauit. Ecce in vna fide Orientis limitem Occidentisque coniunxit. Sequitur.

31. *Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.* Per hæc nimirum verba prædicatorum, id est, guttas nimium, per hæc fulgura miraculorum Deus *populos iudi-*

D *cat*, qua eorum territa ad pœnitentiam vocat. Nam dum superna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda sua redeunt, & sese de anteactis prauitatibus affligentes, æterna tormenta pertimescunt. Sed per easdem nubes per quas terror affligitur, etiam esca datur, quæ magna prædicatorum dispensatio est, vt sic sciant superbientium mentes affligere, vt etiam afflictas nouerint consolationis eloquio nutrire, quatenus & peccantes de æternis supplicijs terreant, & pœnitentes de supernis regni gaudijs pascant. De hoc quippe iudicio di-

Ioan. 20.23 citur. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* De

Mat. 14.16. his quoque dicitur. *Date illis vos manducare.* Ac si diceret. Si sanctos suos in ministerio prædicationis extendit, eorumque verba miraculis adiuuat, totius mundi limites aduocat, per quæ & prius superbientes iudicat, & post verbum consolationis nutriens in spe humiles roborat. Notandum quod non ait, omnibus, sed *multis*, quia vi-

2. Thess. 3.2. delicet scriptum est. *Non omnium est fides.* Et quibusdam dicitur. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sequi- B *Ioan. 8.47.*

tur.

In manibus abscondit lucem. Immanes quippe sunt, qui 32.

se elatis cogitationibus abscondunt. Quos contra Esaias ait. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis* *Esa. 5.21.*

prudentes. Quos contra etiam Paulus ait. *Nolite pruden-* *Rom. 12.16.*

tes esse apud vosmetipsos. Sed his immanibus lux absconditur, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Vnde per semetipsam Veritas dicit. *Confiteor* *Matt. 11.25*

tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sequitur. *Et præcepit ei, vt rursum adueniat.* Quia veritatis lumen quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis humiliatisque reuelatur. Lux quippe aduenit, cum afflicta mens ipsas quas de perituris rebus tribulationum tenebras tolerat, agnoscit, quia nisi aliquid ex lumine interno perciperet, ne hoc ipsum, quia lumen perdiderat, videret. Quod specialiter intelligi etiam de Iudæis potest,

qui idcirco Redemptori nostro in carne uenienti contradicere ausi sunt, quia apud semetipsos immanes extiterunt. Sed his immanibus lux absconsa est, quia superbi lumen veritatis dum persequuntur, amiserunt. Sed quia in finem mundi ad fidem recipiendi sunt, recte subiun- F

gitur. *Et præcepit ei vt rursum adueniat.* Vnde & per Esaiam *Esa. 10.22.*

dicitur. *Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Tunc quippe lux ad eos reuertitur, cum ipsi ad confitendam redemptoris nostri potentiam conuertentur. Si autem *in manibus*, nequaquam per datiuum casum vnum nomen, sed duas partes orationis accipimus. Potest & aliter intelligi, quia *in manibus* lux absconditur, cum apud rectum iudicem iniqui quique in suis operibus cæcantur. Cui tamen præcipitur *vt rursum adueniat*, quia dum peccatores se è suis viribus saluari non posse cognouerint, gratiæ lumen accipiant, & protectionis intimæ radijs illustrantur, vt maiori ardore postmodum cœlestem patriam diligant, quam prius in terrena delectatione flagrabant. Sed hæc cum de cœlesti patria loquimur, cum inesse mira claritate prodita Angelorum agmina audimus, ad nosmetipsos mentem reducimus, & G

quod terrena gestamus, membra cogitamus. Qua consideratione permotum cor, ac male sibi conscium trepidat, & tantæ illius quam audit patriæ ciuem se fieri posse desperat. Sequitur.

Annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit. Amicus 33.

veritatis est, rectæ amator actionis. Vnde & ipsa Veritas discipulis dicit. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio* *Ioan. 15.14.*

vobis. Amicus quippe, animi custos dicitur. De hac igitur luce æternæ patriæ *amico suo Deus annunciat quod possessio eius sit*, vt nequaquam se infirmitatis desperet, nequaquam hoc quod creatus, sed quod recreatus est, penset; sed tanto certius sciat, quia illius lucis claritatem possideat, quanto nunc vitiorum pulsantium tenebras verius calcat. Sequitur. *Et ad eam possit ascendere.* Quid enim difficilius quam homini in terra edito terrena & fragilia membra gestanti, cœlorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare? Sed eorundem spirituum ad nos conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit. H

Sicut de illo Patri per Prophetam dicitur. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Et quia inter nos & eosdem spiritus dis- *Psal. 8. 6.*

cordantes scandalum repetit, mira potentia, mirabiliorit etiam pietate summa creans, ima suscipiens, vna cum summis iunxit. Hinc est enim quod eodem rege nato, Angelorum chori in eius annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, & de victa prauæ vitæ discordia hus quos dudum desperaerant, ciues agnoscunt, consono ore prædicantes. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ* *Luc. 2. 14.*

voluntatis. Is ergo qui propter nos minor angelis extitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. Vnde & moriendo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidi, ascendendo de cœlestis patriæ hæreditate gloriari; vt quo caput præijsse conspiciunt, illuc se subsequi & membra gratuletur. Vnde bene & ab eodem nostro capite dicitur. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* *Luc. 17. 37.*

Sequitur. CAP.

Super hoc expauit cor meum. Ac si dicat. In admirationis XXXVII. 1.

excessum

A excessum se transtulit. Et quia non ç spei spiritu mens afflata est, semetipsam qualis in vetusta cogitatione fuerat, reliquit; quia pauor dum mortem percutit, bane à semetipsa alienam reddit. Nonnunquam Latini interpretes extasim pauorem vocant. Sequitur. *Et motum est de loco suo.* Locus quippe humani cordis, delectatio est vitæ præsentis, sed cum diuina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis. Consideratione igitur internæ patriæ de loco suo animus mouetur, quia derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Sequitur.

2. *Audiet auditionem in terrore vocis eius.* Mos sacri eloquij est, vt cum audiri aliquid per auditum insinuat, audiri eundem auditum dicat. Sicut Abacuc ait. *Domine audiui auditum tuum, & timui.* (Habac. 3. 2.) Notandum vero est quod vox Dei non in gaudio, sed in *terrore* audiri perhibetur, quia nimirum peccator quisque dum sola quæ terrena sunt, cogitat, dum cor oppressum in infimis cogitationibus gestat; si repente diuinæ gratiæ aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quod cuncta quæ ait districta æterni iudicis animaduersione puniuntur.

B Auditio igitur vocis Dei, prius *in terrore* fit, vt post vertatur in dulcedinem; qui ante nos districti iudicij timore castigat, vt iam castigatos supernæ dulcedinis consolatione reficiat. Sequitur. *Et sonum de ore illius procedentem.* Sonus de ore Dei est, vis timoris de superna irruens aspiratione, quia cum nos de venturis Dominus aspirando replet, proculdubio de male gestis præteritis terret. Potest autem per os, Dei vnigenitus filius designari. Os ergo Domini non immerito ipsum accipimus, per quem nobis omnia loquitur. Hinc est etiam quod Propheta ait. *Os enim Domini locutum est.* (Esa. 1. 20.) Per sonum vero oris, potest eiusdem Domini Spiritus sanctus designari. Vnde & alias in eiusdem Spiritus significatione scriptum est. *Factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.* (Act. 2. 2.) Sonus igitur de ore Domini procedit, cum consubstantialis ei Spiritus ad nos per filium veniens, surditatem nostræ insensibilitatis rumpit. Vnde in Euangelio dicitur. *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* (Ioan. 16. 14.)

C Potest ergo & per terrorem vocis vis fortitudinis, & per sonum oris dulcedo consolationis intelligi, quia quos Spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, & postmodum spe cœlestium consolatur, vt tantum post confitendo præmijs gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Sed quia sunt nonnulli qui DEVM res humanas curare non æstimant, & eas ferre fortuitis motibus putant. Sequitur.

3. *Subter omnes cælos ipse considerat, & lumen ipsius super terminos terræ.* Possunt cœli nomine sancti prædicatores designari. Hinc enim scriptum est. *Cæli enarrant gloriam Dei.* (Psal. 18. 2.) Sunt namque nonnulli, qui cum mira Apostolorum opera audiunt, quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes quod sicut dicit Apostolus. *Linguæ in insigne sunt non fidelibus, sed infidelibus.* (1. Cor. 14. 22.) Sed elenatis cœlis Dominus inferiora considerat, quia & ablatis summis prædicatoribus incessanter etiam infima nostræ infirmitatis curat.

D Et quasi *subter cælos lumen illius terræ terminos* respicit, quia post sublimem vitam præcedentium etiam peccatorum mores actusque gratiæ suæ illustratione comprehendit. Qui & si virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit. Potest etiam intelligi *lumen illius super terminos terræ*, quod prædicatio supernæ gratiæ dum gentes ad fidem colligit, tota semetipsam mundi limites clausit. Vel certe termini terræ, sunt fines hominum peccatorum, & sæpe contingit, vt plerique Deum deserant, & vitæ suæ tempora in desiderijs carnalibus expendant. Sed tamen cum superna gratia respicit, in extremis suis ad Deum redeunt, quæ sint iudicia æterna cognoscunt, cuncta quæ se peruerse egisse meminerunt, fletibus puniunt, atque hæc vere se insequi rectis operibus ostendunt, quibus subsequente iustitia profecto totum dimittitur, quod ante deliquerunt. Hinc etiam per Prophetiæ spiritum Anna dicit. *Dominum iudicabit fines terræ.* (1. Reg. 2. 10.)

E

4. *Post eum rugiet sonitus.* Quem enim Dominus illustrando repleuerit, eius vitam proculdubio in lamentum vertit, atque illuminatæ menti, quo magis æterna supplicia insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat. Sequitur. *Sonauit voce magnitudinis suæ.* Voce enim magnitudinis Deus tonat, cum se nobis bene iam per lamenta præparatis, quam sit magnus in supernis insinuat. Quasi enim de cœlo tonitruus procedit, cum nos incuria negligentiaque torpentes respectus gratiæ pauore subito percutit, atque in terra positi sonum de superioribus audimus. Quia terrena cogitantes superni terroris sonum repente pertimescimus. Sequitur. *Et non vastabitur cum audita fuerit vox eius.* Vox Domini auditur, cum gratiæ eius aspiratio mente conspicitur, cum insensibilitas occultæ surditatis rumpitur, & cor ad studium summi amoris excitatum, virtutis intimæ clamore penetratur. Sed istam vocem superuenientis spiritus, qui se in aure cordis insinuat, nec ipsa mens quæ per hanc illustrata fuerat, inuestigat.

F Pensare enim non valet inuisibilis virtus, quibus sibi meatibus influat, quibus à se modis veniat, quibus recedat. Vnde bene per Ioannem dicitur. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed non scis vnde veniat, & quo vadat.* (Ioan. 3. 8.) Sequitur.

5. *Tonauit Deus voce sua mirabiliter.* Voce sua Deus mirabiliter tonat, quia vi corda nostra incomprehensibiliter penetrat, quæ dum latentibus motibus premit in timore, quanto ardore sequendus sit, aliquo modo silenter clamat. Sequitur. *Qui facit magna & inscrutabilia.* Vt enim homo terrenis vsibus deditus, in suis desiderijs pressus, subito ad noua efferueat, atque ad consueta frigescat, exterioribus curis renuntians, internis contemplationibus anhelat. Quis hanc virtutem supernæ vocis considerare sufficiat, quis considerando comprehendat? Magna sunt quæ per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent, si perscrutari potuissent. Sequitur.

6. *Qui præcipit niui vt descendat in terram.* Quia Psalmista ait. *Lauabis me & super niuem dealbabor.* (Psal. 50. 9.) Quid hoc loco per niuem, nisi per lucem iustitiæ candida accipimus corda Sanctorum?

G Aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, vt niues fiant; sed cum ipsæ niues ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes, quæ dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur, cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant, & infirmis humiliter prædicantes, more niuium corda arentium liquefacta erigunt. Niues ergo ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimia corda Sanctorum, quæ iam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix cum iacet operit, cum vero liquatur, rigat: ita Sanctorum virtus & per infirmitatem suam apud Deum vitam peccatoris protegit, & per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram, vt fructus ferat, infundit. Sequitur. *Et hyemis pluuijs.*

H Hyems est quippe vita præsens, in qua nos & si iam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor adstringit, quia scriptum est. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* (Sap. 9. 15.) Habet autem hæc hyems pluuias, tectorum proculdubio prædicationes. De quibus videlicet pluuijs, per Moysen dicitur. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendat sicut ros verba mea.* (Deut. 32. 2.) Et nimirum pluuiæ hyemi congruunt, æstate cessabunt, quia nunc cum carnalium oculis vita cœlestis absconditur, necesse est vt Sanctorum nobis prædicationibus irroretur. Cum vero æterni iudicij æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit, quia veniente iudice, ad cor suum quique reducitur, vt sancta iam cum agere non valet, sentiat. Sequitur. *Et imbri fortitudinis suæ.* Imber quippe fortitudinis Dei est, prædicatio diuinitatis: nam imber infirmitatis eius, prædicatio incarnationis. De qua per Paulum dicitur. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* (1. Cor. 1. 25.) Et rursum. *Si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* (2. Cor. 13. 4.) Sic au-

A tem sancti viri humanitatis eius infirma prædicant, vt auditorum suorum cordibus, etiam diuinitatis fortia infundant. Audiamus per tonitruum nubis imbrem fortitudinis. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (Ioan. 1. 1.) Audiamus etiam imbrem infirmitatis. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* (Idem. 1. 14.) Sequitur.

7. *Qui in manu hominum omnium signat vt nouerint singuli opera sua.* Dum ergo imber fortitudinis in terra descendit, in manu vniuscuiusque signatur, vt sua opera sciat, quia dum virtus incomprehensibilis maiestatis agnoscitur, ab vnoquoque subtilius sua vita pensatur. Creator namque omnipotens à cunctis insensibilibus, irrationabilibusque distractum, rationalem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit, ignorare non posset. Naturæ enim lege scire compellitur, seu prauum siue rectum sit quod operatur. Nam si bona facere se nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentationem gloriantur? Rursum si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant?
B Eo enim ipso quod rationalem creaturam Deus hominem condidit, *in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua.* Sequitur.

8. *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.* Quis alius nomine bestiæ, nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis sæuus imperijt, & integritatem vitæ illius male suadendo laniauit? Contra quem Prophetæ vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquo statu restauranda promittitur, & mala bestia non transibit per eam. Sed hæc bestia, cum post Redemptoris aduentum, post prædicatorum voces quasi post tonitruum nubium, in fine mundi illum damnatum hominem, qui Antichristus vocatur, inuaserit; quid aliud quam *latibulum suum* ingreditur, vt *in antro* proprio demoretur? Vas quippe illud Diaboli, antrum ac latibulum bestiæ est, vt insidians hominibus viam huius vitæ carpentibus, in illo & per signa lateat, & per malitiam occidat. Qui tamen omnium reproborum corda etiam nunc priusquam apertus appareat, possidet: eaque per occultam malitiam quasi
C proprium antrum tenet, atque ad omne quod nocere bonis appetit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Iudæorum persequentium corda antrum huius bestiæ non fuerunt, in quorum diu consilijs latuit, sed repente vocibus erupit clamantium, *Crucifige, crucifige?* (Ioan. 19. 6.) Hinc scriptum est. *Posuit tenebras & facta est nox.* (Ps. 103. 20.) Notandum vero magnopere æstimo quod hæc bestia non solum antrum suum ingredi, sed in eo etiam morari perhibetur. Intrare ergo in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest, quia cor iusti huius bestiæ antrum non est. Quos enim quasi proprium antrum possidet, eorum mentes procul dubio inmorans, tenet: quia prius in eis cogitationes vsque ad iniqua desideria, & post iniqua desideria vsque ad nequissima opera ducit. Sequitur.

9. *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.* Quia igitur interiora Austri Sol feruentior tenet, in Arcturo vero cursum omnimodo non habet, interiorum nomine
D plebs Iudaica, Arcturi vero vocabulo, hoc in loco populus Gentilis exprimitur. Hi enim qui vnum atque inuisibilem Deum nouerant, eiusque legi saltem carnaliter seruiebant, quasi sub meridiano Sole ferventes in fidei calore eleuabantur. Gentiles autem, quia nullam scientiam supernæ cognitionis attigerant, velut sine Sole frigidi sub Aquilone manebant. A Iudæis surgit malitia persequens, & à Gentilibus potestas premens, dum quod Iudæi occidere Christum ex inuidia petijt, hoc Gentilis iudex Romana auctoritate perpetrauit. Sequitur.

10. *Flante Deo concrescit gelu,* quia quo fidelium cordibus sanctus Spiritus aspirauit, quo maiora virtutum miracula contulit, eo infidelium mentibus grauioris inuidiæ torpor excreuit, atque inde contra Deum plebs infidelis obduruit, vnde * humiles * populi arctam duritiam, quam se astrinxerat, emolliuit. (* humilis. * populus.) Sequitur. *Et rursum latissimæ funduntur aquæ.* Post gelu quippe Dominus latissimas aquas fudit, quia postquam Iudæorum sæuitiam vsque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia, amoris sui aspiratione liquefecit. Hinc quidam

E sapiens ait. *Sicut glacies in sereno, sic soluentur peccata tua.* (Eccli. 3. 17.) Sequitur.

11. *Frumentum desiderat nubes.* Quid enim quique electi sunt nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? Quæ nunc in triutura areæ paleas tolerant, quia in hac purgatione sanctæ Ecclesiæ mores contrarios reproborum portant. Sed hoc frumentum quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias expectat, vt crescat. Quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Vnde & Dominus in Euangelio. *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* (Matt. 9. 37. 38.) Sequitur. *Et nubes spargunt lumen suum.* Nubes enim lumen spargere est, prædicatores sanctos exempla vitæ & loquendo, & agendo dilatare. Sequitur.

12. *Quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas
F gubernantis duxerit.* Nubes igitur Dei cuncta per circuitum lustrant, quia prædicationis luce mundi fines illuminant. Sed quia diuinis nutibus subditæ nequeunt explere quod volunt, ire non possunt, nisi qua eas voluntas gubernantis duxerit. Sequitur. *Ad omne quod præceperit eis super faciem orbis terræ.* Sæpe enim cum gubernantis voluntate perducuntur, aliter agere appetunt, sed aliter disponuntur. Nam plerumque quosdam auditores suos student blande corrigere, & tamen eorum sermo in asperitate ducitur; plerumque quosdam increpare aspere appetunt, sed tamen eorum vigor per mansuetudinis spiritum refrænatur. Sicut ergo non possunt ire quo volunt, ita etiam nequeunt agere sicut volunt. Sequitur.

13. *Siue in vna tribu, siue in terra sua, seu in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.* Nubes quidem suas Dominus ducit, *siue in vna tribu, siue in terra sua, seu in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri*, quia prædicatores veteris nouique Testamenti, aliquando soli tribui Iudæ contulit, & Israël pene totum ex praua Regum
G gubernatione reprobauit. Aliquando & *in terra sua* has pluere nubes facit, quia eundem Israël electum ad antiquam gratiam post corruptionem captiuitatemque reuocauit. Aliquando *loco suæ misericordiæ* eas clarescere voluit, quia per prædicatores sanctos etiam gentibus virtutum miracula ostendit, vt sola misericordia ab iugo erroris absolueret, quos ingenti perfidiæ ita deprimebat. Vna quippe tribus profecto Iudæ intelligitur. Terra autem Dei simul omnis Iudæa nominatur, locus vero misericordiæ Dei, est Gentilitas, de qua dicit Apostolus. *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* (Rom. 15. 9.) Sequitur.

14. *Ausculta hæc Iob, sta & considera miracula Dei.* Quasi in comparatione sui iacentem vidit, quem ad verba tantæ prædicationis vt staret, admonuit, sed licet Heliu bona quæ dicit, nesciat pensare cui dicit, nos tamen indagare verba doctrinæ eius subtiliter debemus. Stare quippe est recta agere. Vnde per Paulum dicitur. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (1. Cor. 10. 12.) Iacentes ergo Dei miracula considerant, qui eius
H potentiam sciendo pensant, sed viuendo non amant. Per contemplationem quidem in consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionem sese à terra non erigunt. Vnde bene in Balaam dicitur. *Qui cadens apertos oculos habet.* (Nu. 24. 16.) Heliu itaque ista dicens, nequaquam credidit B. Iob viuendo tenuisse quod dixit. Sequitur.

15. *Nunquid scis quando præceperit Deus pluuijs, vt ostenderent lucem nubium eius?* Si nubes sancti prædicatores sunt, pluuiæ nubium sunt verba prædicationum. Sed cum nubes per aera transuolant, nisi pluuia deorsum veniat, nescitur quantam aquarum immensitatem portant. Nisi clausus vter pluuias erumpat, intelligi non valet, quod in eis etiam claritatis latet. Quia nimirum prædicatores sancti si taceant, & nequaquam loquentes ostendant, quanta sit cœlestis spei claritas quam in cordibus gestant, aut reliquis hominibus similes, aut longe his despectiores videntur. Cum autem aperire per prædicationem cœperint, quæ sit supernæ patriæ remuneratio quam intrinsecus tenent, cum persecutione pressi in qua virtutis arce profecerint innotescunt. Sed plerumque prædicatores sancti osten-

K ctis ostendere semetipsos vt prosint, cupiunt: nec tamen possunt; plerumque latere vt quieti sint appetunt, nec tamen permittuntur. Nemo igitur scit quando lucem pluuiæ ostendunt, cum nemo comprehendit quando Deus virtutem prædicationis præbeat, vt prædicantium gloria clarescat. Ac si ergo aperte dicat. Nunquid si venturos in mundum prædicatores iam conspicis, quando eos ad prædicandum Dominus repletione spiritus impellat, quibusue modis eorum vitæ claritatem mundo innotescat, apprehendis? Sequitur.

16. *Nunquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas semitas eius?* Habent istæ nubes semitas, subtilissimas scilic. sanctæ [Matt. 7.14.] prædicationis vias. *Angusta* quippe *porta est, quæ ducit ad vitam.* Quæ semitæ magnæ sunt, quia quanto in præsenti vita pro ipsa viuendi custodia angustæ sunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur. Perfecta quippe scientia est scire omnia, & tamen iuxta quendam modum scientem se esse nescire, bona sollicite agere, sed de suis scire nil esse. B Hinc Veritas ait. *Dum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicito, serui inutiles sumus.* [Luc. 17.10.] [1. Cor. 8. 2.] Et Paulus inquit. *Qui se existimat aliquid scire, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.* Ac si ergo diceret. Iam summa recta prædicantium conspicis, qui postquam per scientiam ad alta se eleuant, deorsum se humiliter per cognitionem suæ ignorantiæ inclinantur. Sequitur.

17. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?* Sæpe B. Iob, figuram sanctæ Ecclesiæ tenere iam diximus. Vestimenta vero Ecclesiæ sunt omnes qui ei fidei adunatione iunguntur. De quibus eidem Ecclesiæ per [Esa. 49. 18.] Prophetam Dominus dicit. *Viuo ego, omnibus his velut ornamento vestieris.* Per Austrum vero, qui nimirum calidus ventus est, non immerito sanctus Spiritus designatur, quo quisque dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur. [Cant. 4.16.] Vnde bene in Canticis Canticorum dicitur. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Vestimenta ergo sanctæ Ecclesiæ calida sunt, dum *terra Austro* perflatur, quia hi qui ei per fidem inhærent, C feruentibus charitatis studijs inardescunt, dum eorum mens sancti Spiritus afflatu perfunditur. MORALITER. Vnusquisque enim qui recte viuit, atque hoc & alios docere consueuit, quasi tot vestimenta habet, quot auditores ei concorditer inhærent: qui quidem more vestium, quasi per poros corporis calorem accipit, quia ad amorem Dei exemplo actionis, impulsu exhortationis ignescit. Qui velut frigus proprium respuit, dum a pristina iniquitate discedit: calorem quem accipit, retinet; quia in eo quem per prædicamenta sumpserit, feruore conualescit. Dum ergo verbo doctorum accenduntur auditores, quasi ex viuenti corpore vestimenta calefiunt, sed dum ea profectu auditorum, etiam vita docentium proficit, quasi ex calefactis vestimentis calor ad corpus redit. Sed nequaquam sibi doctores tribuant, quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident, quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad auditores corporeum vox docentium in cassum sonat. Postquam vero hæc D fortiter dixit per arrogantiam, leuiter motus irrisionis illico verba subiunxit, dicens.

18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Possunt per cœlos hi qui in cœlestibus sunt conditi, Angelici Spiritus designari. Vnde in oratione nostra dicere [Matt. 6.10.] voce Veritatis instruimur. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Naturæ namq; æris est, rubigine difficile consumi, & virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixæ persistiterunt, lapsis superbientibus Angelis hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine subripientis culpæ mordeantur, vt in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt conditæ æterna subtilitate subsistant. Possunt etiam per cœlos, vt sæpe diximus, electorum mentes exprimi, a cunctis terrenis conta- [Philip. 3. 20.] gijs intimo amore suspensæ. Hinc dicitur. *Nostra conuersatio in cælis est. Qui solidissimi vt ære fusi sunt*, quia ab integritate cœptæ fortitudinis nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Sequitur.

19. *Ostende nobis quid dicamus ei. Nos quippe inuoluti tenebris.* Ac si dicat. Tu qui tam magna intelligentiæ luce perfruens, docere nos qui ignorantiæ tenebris inuoluimur, debes. Qui mox ab irrisione resiliens, despiciendo subiungit. E

20. *Quis narrat ei quæ loquor?* Ac si aperte dicat. Quæ ego ei de suis laudibus acute sentiens, non audire loquor, qui hæc narrare, vel postquam audierit, potest? Sequitur. *Etiamsi locutus fuerit homo, deuorabitur.* Omne quod aliquid deuorat hoc introrsus trahens ab intuentium oculis occultat, & rem quæ videri in superficie potuit in profundum rapit. Homo igitur cum de Deo tacet, per rationem in qua est conditus esse aliquid videtur. At si aliquid de Deo loqui cœperit illico quam nihil sit ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate deuoratur, & quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suæ ignorantiæ angustia deglutitur. Sed ecce æternitas tunc hominibus vere innotuit, cum sese humanitate suscepta monstrauit, quæ quia necdum reuelata fuerat, de eisdem hominibus recte subiungitur. F

21. *At nunc non vident lucem.* De qua nimirum etiam per Prophetam dicitur. *Populus qui sedebat in tenebris lucem vidit magnam.* [Esa. 9. 2.] Sequitur *Subito cogetur aer, cogetur in nubes.* Aër quippe ita sua ipsa tenuitate spargitur, vt nulla firmitate solidetur, nubes autem tanto firmiores sunt, quanto densiores. Quid ergo per aërem, nisi mentes secularium designantur? Quæ innumeris huius vitæ desiderijs deditæ, huc illucq; more aeris fluidæ dispergunter. Sed *aer in nubes cogitur*, cum fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, vt intra sinum cordis recta sentiendo se colligant, & in vanis cogitationibus non liquescant. Sequitur. *Et ventus transiens fugauit eas.* Ventus quippe transiens est vita præsens. Ventus ergo transiens nubes fugat, quia mortalis vita percurrens prædicatores sanctos a nostris oculis corporaliter occultat. Sequitur.

22. *Ab Aquilone aurum veniet.* Quid per Aquilonem, nisi peccati frigore constricta Gentilitas designatur? Quam ille sub iugo suæ tyrannidis tenuit, qui dixit superbiens. *Sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo.* [Esai. 14. 13.] G Quid vero auri nomine, nisi animæ fideles exprimuntur? De quibus per Ieremiam dicitur. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* [Thren. 4. 1.] Ab Aquilone ergo aurum venire dicitur, quia per respectum gratiæ Redemptoris a Gentilitate dudum perfidiæ torpore frigida, intra sanctam Ecclesiam pretiosa Deo vita fidelium multiplicatur. Hinc per Esaiam dicitur. *Dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere.* [Esa. 43. 6.] Sequitur. *Et a Deo formidolosa laudatio.* Sic enim a Deo dicitur, ac si ab his qui in parte Dei sunt, id est, fidelibus diceretur. Auro igitur ab Aquilone veniente, a Deo formidolosa laudatio prodijt, quia dum claritatem suæ fidei Gentilitas obtulit, multitudo Hebræorum fidelium diuina iudicia pertimescendo laudauit. Sed quomodo ab Aquilone aurum veniat, quomodo ab his qui sub Deo sunt, formidolosa laudatio erumpat, ipsa nobis historia sacri eloquij ostendat, vbi de Cornelij conuersione narrat. Sed idcirco conuersis Gentibus, ab Hebræis iam fidelibus formidolosa laudatio prodijt, quia nimirum iuste Iudæa repulsa est, dum pia est Gentilitas vocata, & H damna suæ repulsionis timuit, dum lucra alienæ vocationis vidit. Sequitur.

23. *Digne eum inuenire non possumus.* Et si inuenire iam Deum possumus, non tam digne, quia quod in illo sentimus, ex fide est, nondum ex specie. Seq. *Magnus fortitudine & iudicio, & iustitia, & enarrari non potest. Magnus* quippe est *fortitudine*, quia fortem aduersarium superat, & de domo illius vasa contumeliæ auferens, in misericordiæ vasa permutat: Magnus *iudicio*, quia etsi hic electos suos per aduersa deprimit, hos quandoq; in gloria æternæ prosperitatis extollit. Magnus *iustitia*, quia etsi hic diu tolerat, quandoq; tamen sine termino reprobos damnat. *Enarrari non potest*, sentiri digne non valet, quanto minus dici? Sed melius hinc vtcumque dicimus, si sub considerationis eius formidine admirando taceamus. Sequitur.

24. *Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.* Hoc loco Heliu eos qui ad intelligentiam suam fortes appellat: & notandum quod non ait. Et non audebunt contemplari sapientes, quib⁹ videlicet

A verbis peritos quidem, sed arrogantes. * Heliu ergo dum multa fortiter sentit, in locutionis suæ fine se tetigit. Viri namque arrogantes & docti cum recte non viuunt, sed tameo recta dicere doctrinæ impulsionibus compelluntur, ipsi damnationis suæ aliquo modo præcones fiunt. Contemplari enim Dei sapientiam nequeunt, qui sibi sapientes videntur, quia tanto ab eius luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt, quia in eorum mentib. dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, & vnde se lucere præ cæteris æstimant, inde se à lumine veritatis priuant.

* Hic deest aliquod verbum.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

B

LIBER XXVIII.

Cap. XXXVIII. 1.

RESPONDENS *autem Iob Dominus de turbine, dixit.* Aliter enim Dominus seruis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem promouet, aliter cum per districtionem ne extollantur, premit. In illa enim discit quod appetat, in ista quod metuat. Quia enim humiliandus erat beatus Iob, qui prostratus vlceribus, sic virtutibus stabat, ne robustissimum pectus eius elationis tela confoderent, quod constabat certe quia illata vulnera nō vicissent, ei profecto Dominus loqui de turbine perhibetur. Sciendum præterea est quod in duobus modis locutio diuina distinguitur. Aut per semetipsum namq; Dominus loquitur, aut per creaturam aliquam eius ad nos verba formantur. Sed per semetipsum loquitur, sola nobis interna inspirationis aperitur, verboque eius sine verbis ac syllabis cor docetur. Dei enim locutio ad nos intrinsecus C facta, videtur potius quam auditur. Cum enim per Angelum Dominus voluntatem suam indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat. Verbis vt illud. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* [Ioan. 12. 28.] Rebus, vt Ezechiel, qui nil verbis audiuit, electri tamen speciem in medio ignis vidit. In quibus itaque mediator Dei & hominum demonstratur, aliquando verbis simul & rebus, vt illud. *Cum audisset Adam vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem,* & reliqua. [Gen. 3. 8.] Aliquando imaginib. sicut Iacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit, [Gen. 28. 12.] sicut Petrus linteum reptilibus plenum. [Act. 10. 12.] Aliquando cœlestibus substantiis, vt illud. De nube sonuit. *Hic est filius meus dilectus.* [Matth. 17. 5.] Aliquando terrenis substantiis, sicut Balaam corripuit in ore asinæ humana verba formans. [Num. 22. 28.] Aliquando terrenis simul & cœlestibus simul substantiis, sicut Moysi loquens ignem rubūque sociauit. [Exod. 3. 3.] Nonnumquam vero humanis cordib. etiam per Angelos Deus secreta eorum præsentia virtutem suæ adspirationis infudit. Vnde Zacharias ait. *Dixit ad me, Angelus qui loquebatur in me.* [Zac. 1. 13. 14.] Et paulo post. *Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur,* & reliqua. D Vtrum autem beato Iob per semetipsum, an ei per Angelum sit locutus, ambigitur. Sequitur.

2. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Quis est iste non dicimus, nisi de eo vtique quem nescimus. [Luc. 12. 55.] Scire autem Dei, approbare est: nescire, reprobare. Vnde quibusdam quos reprobat, dicit, *Nescio vos.* In eo vero quod sententias, & non addidit quales, bonas vtique accipim*, quas quidem *imperitis* asserit *sermonib.* inuolutas, quia cum verbis iactantiæ fuerunt prolatæ. Imperitię quippe vitium est, rectum nō recte sapere, id est cœleste donum ad appetitum terrenæ laudis inclinare. Sicut Apostolus ait. *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.* [1. Cor. 8. 2.] Sequitur.

3. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Viri nimirum sunt, qui vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur, vt illud. *Viriliter agite.* [Psal. 30. 25.] Et in Prouerbiis. *O viri ad vos clamito.* [Prou. 8. 4.] Lumbos vero accingere est, vel in opere luxuriam, vel in cogitatione refrænare. Hinc enim scriptum est. *Sint lumbi vestri præcincti.* [Luc. 12. 35.] Beato igitur Iob præcipitur, vt quemadmo-E dum prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc etiam luxuriam restringat elationis. Hinc per Moysem dicitur. *Circumcidite præputia cordis vestri.* [Deut. 10. 16.] Seq. *Interrogabo te, & responde mihi.* Trib. modis nos conditor interrogare consueuit, cū aut flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit, vel desit patientia, ostendit; vt in beato Iob ostēditur. Aut quædam quæ volumus præcipit, & nostram nobis obedientiam patefacit. Sicut Abraham terram suam iubetur egredi, vnicumque immolare filium. [Gen. 22. 2.] Aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abscondit, & mensura nobis nostræ humilitatis innotescit. Hinc scriptum est. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* [Psal. 10. 4.] Ac si ergo beato Iob dicatur, Verbis ad sublimia considerando te excito, & dum ea quæ super te sunt nescire perspicis, tibimetipsi te notiorem reddo. Tunc enim mihi vere respondes, si quæ ignoras, intelligis. Sequitur.

4. F *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?* In Scriptura sacra quid aliud fundamenta, quam prædicatores accipimus? Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit. Hinc Psalmista ait. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* [Psal. 86. 1.] Singulari autem numero, fundamētum Dominus accipitur, de quo & Paulus ait. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [1. Cor. 3. 11.] Ac si enim beato Iob diceretur. Virtutem fortium considera, meque eorum ante secula auctorem pensa, & cum eos quos in tempore cōdidi mirabiles suspicis, perpende quantum subdi debeas, quem auctorem mirabilium sine tempore esse cognoscis. MORALITER. Si peccatoris animus puluis est, dicente Psalmista. *Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis,* & reliqua. [Psal. 1. 4.] Nil obstat intelligi, terram animam iusti. De qua scriptum est. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem.* [Heb. 6. 7.] Sed huius terræ fundamentum fides est. Cum enim non credenti æterna fides datur, ad ædificium subsequentis operis iam fundamentum ponitur. G Cum autem ei qui venturi iudicij terrorem despicit, peccatis se carnis & spiritus audenter inuoluit, repente futurorum timor infunditur, vt bonæ vitæ surgat ædificium, iam fundamenta construuntur. Ac si ergo iustificato peccatori Veritas dicat. Virtutes à me acceptas, tibi non tribuas: noli contra me de meo munere extolli. Sequitur.

5. *Indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius, si nosti? Vel quis tetendit super eam mensuram lineam?* In carne autē Dominus ad Ecclesiam veniens mensuras terræ lineis mēsus est, quia fines Ecclesię occulti iudicij subtilitate distinxit. Paulus namque Apostolus, cum Macedoniæ prædicare negligeret, per visum illi apparuit vir Macedo qui diceret. *Transiens in Macedoniam adiuua nos.* [Act. 16. 9.] At contra sicut scriptum est. *Tentabant Apostoli ire Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* [Act. 16. 7.] Dum ergo prædicatores sancti & vocantur ad Macedoniam, & ab Asia prohibentur, ista occultarum mensurarum linea illic ducta est, hinc reducta. Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiamsi intra fidei limitem esse videantur. MORALITER. H Quis enim terræ, id est iustæ animæ mensuras ponit, nisi conditor noster, qui interno iudicij secreto moderamine, alij sermonem scientiæ, alij plenam fidem, alij gratiam sanitatum, alij operationem virtutum, alij prophetiam tribuit? [1. Cor. 12. 8. 9. 10.] Sic itaque Creator noster ac dispensator, cuncta moderatur, vt qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic vnusquisque quod non accepit, in altero possideat, vt ipse alteri possidendo quod accepit humiliter impendat. Hinc Petrus ait. *Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* [1. Pet. 4. 10.] Super hanc enim terram linea tenditur, quando electæ vniciuque animæ ad sumendam viuendi regulam patrum præcedentium exempla monstrantur, vt ex illorum vita consideret, quid in suis actibus seruet. Ideo enim per sacra eloquia subtilis ante nos Sanctorum vita expanditur, vt nostra opera vel minora proficiant, vel maiora moderentur; quatenus nec minus conetur explere mens quam sufficit, nec plus arripiat quam accepit. Sequitur.

A *Super quem bases illius solidatæ sunt?* Subaudis, nisi super me, qui cuncta mirabiliter teneo, & bonis exterioribus intus principaliter originem præsto? Huius terræ bases, sanctæ Ecclesiæ Doctores sunt, qui dum recta prædicant, & prædicationi suæ viuendo concordant, omne pondus Ecclesiæ sua morum suorum grauitate sustentant. Possunt per bases etiam Prophetæ signari, qui dum primi aperte de Dominica Incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases eos conspicimus à fundamento surgere, & superpositæ fabricæ pondera sustinere. Vnde ad Moysem Dominus cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, fundi earum bases argenteas iubet. MORALITER. Bases vniuscuiusque animæ sunt intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt. Et quia

1. Cor 3.11. scriptum est. *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, & reliqua. Tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Nam inaniter quislibet summa opera facit, si tota intentione cordis veræ

B vitæ præmia non requirit. Sequitur. *Aut quis demisit lapidem angularem eius?* Lapis angularis ille est. De quo scriptum est. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, & reliqua. Qui

Psal 117.22. dum in se Iudaicum Gentilemque populum suscepit, in vna Ecclesiæ fabrica quasi duos parietes iunxit. Hinc enim scriptum est. *Fecit vtraque vnum*, quia angularem se la-

Eph. 2.14. pidem non solum in inferioribus, sed & in supernis exhibuit, quia & in terra plebi Israeliticæ nationes gentium, & vtraque simul angelis in cœlo sociauit, eo quippe nato clamauerunt Angeli. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*

Luc. 2.14. *hominibus bonæ voluntatis.* MORALITER. Lapis angularis est ad sacra eloquia intellectus duplex; quia tunc diuinitus dimittimur, quando nequaquam districto iudicio ignorantiæ suæ tenebris illigatur, sed quadam libertate perfruitur, dum in præceptis Dei sufficit vel exequendo exteriora agere, vel contemplando interna sentire. Incarnatus enim Redemptor veniens dum vtraque exhibuit, in se vtraque sociauit, videlicet actiuam & contemplatiuam vi-

C tam, ad quod numquam noster intellectus assurgeret, nisi ille ad suscipiendam nostram veniret naturam. Ac si ergo Dominus diceret. Quis dimisit lapidem angularem nisi ego, vnicum quem sine tempore genui, seruandis hominibus cum tempore ostendi? In cuius vita discerent etiam diuersæ viuendi studia non discrepare. Sequitur.

7. *Cum me laudarent simul astra matutina.* Quia enim primi angeli conditi sunt, non immerito *astra matutina* vocantur, qui venturum diem subsequentis seculi per lucem sapientiæ existendo præuenerunt. Bene autem additur *simul*, quia nimirum ipsi electi, angeli etiam cum redemptis in fine mundi hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificant, simul laudant, quia dum nos conspiciunt recipi, suum

Luc. 2.14. gaudent numerum repleti, dicentes. *Gloria in excelsis Deo* & reliqua. Aliter *matutina astra* dicuntur, quia sæpe ad exhortandos hões missi sunt, & dum venturum mane nuntiant, ab humanis cordibus præsentis vitæ tenebras fugant. Se-

D quitur. *Et iubilarent omnes filij Dei.* Iubilatio quippe dicitur, cum cordis lætitia, oris efficacia non expletur. Laudent itaque angeli, qui iam tantæ claritatis latitudinem in sublimibus vident: iubilent vero homines, qui adhuc in inferioribus oris sui angustias sustinẽt, quæ quia certo futura Dominus nouerat, non tam facienda insinuat, quam facta narrat. Sequitur.

8. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens?* Quid enim mare, nisi persequentium turbas accipimus? Vuluæ enim nomine occulta & malitiosa & carnaliũ cogitatio designatur. De hac vulua cordis iniquorum alias dicitur. *Concepit dolorem*, & reliqua. Erumpebas enim

Psal 7.15. mare *quasi de vulua procedens*, cum minarum secularium fluctus in sanctæ Ecclesiæ interitum sæuirẽt; sed auctore Deo ostijs conclusum est, quia contra tumores persequentium sancti viri oppositi sunt, vt eorum rarraculis atq; reuerentia iræ persequentium frangerentur. Aliter. Per mare hoc seculum accipere debemus; secundo cõtra hoc mare Dominus ostia opposuit, quia & prius humano generi præcepta legis, & postmodum nouæ gratiæ Testamentum dedit.

E Prius enim Deus ab operibus iniquitatis prohibuit dicendo. *Non occides, non mœchaberis* & reliqua. Postmodum etiam à cogitatione culpas constrinxit, dicendo. *Omnis qui viderit* Deut. 5.17. 18.

mulierem ad concupiscendam eam, & reliqua. Et. *Diligite inimicos vestros*, & reliqua. Vbi etiam tempus ostendit, cũ de vulua procedere dixit. Quia videlicet tunc humano generi Matth. 5.28. Idem. 5.44.

præceptis legis obuiauit, quando adhuc sensum suæ origini vicinum quasi ab ortu proprio ad profectũ vitæ carnalis exiebat. De vulua quippe procedere est in lucem præsentis gloriæ carnaliter apparere. MORALITER. Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurũ? Quod mare quantum sæuiat attendit, quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. Vulua enim praua cogitationis adolescentia est. De qua per Moysem Dñs dicit.

Sensus enim & cogitatio humana cordis prona est in malum ab adolescentia sua. Corruptionis namq; malum vnusquisque no- Gen. 8. 21.

strum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit. Dominus

autem *ostijs mare cõcludit*, quia prauis motibus claustra cor- F

dia inspirata formidine iudicij, & æterni tormenti immensi temporis pauore subijcit. Sequitur.

Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis in * *fantiæ obuoluerẽ.* Mare sæuiens nube induitur, quia *infantiæ.

crudelitas persequentium stultitiæ suæ velamẽto vestitur. Interposita enim caligine infidelitatis suæ, perspicuam veritatis lucem videre non sufficit, & id quod agit per crudelitatis impulsum, per cæcitatis suæ meritum non agnoscit.

Nam si cognouissent, sicut ait Apostolus, *nunquam Dominum* 1. Cor. 2. 8.

gloriæ crucifixissent. Hæc autem nubes non solum solet infideles extra positos premere, sed quosdam etiam viuentes carnaliter intra Ecclesiam tenebrare. Hinc enim scriptum

est. *Opposuit nubem, ne transeat oratio.* Qui enim terrena assi- Thrl. 3.44.

due cogitat, quia vult, hæc etiam tolerat in oratione cum non vult. Pannis quippe infantiæ pedes & brachia constringuntur. Quia ergo persecutores sanctæ Ecclesiæ puerilia sapiunt, iustis semper nocere volunt, sed diuina dispẽsatione constricti, quia volũt brachia non extendunt, & si

cuncta mala perpetrare leuiter appetunt, nequaquam ta- G

men implere cuncta quæ appetunt, permittuntur. Aliter. *Nubem* Deus *vestimentum* posuit, dum populum Iudæorum ab errore perfidiæ eripuit: nec tamen illis claritatem sui luminis patefecit; quasi ex tenebris eos abstulit, sed adhuc nube vestiuit. Quem etiam verborũ suorum caligine quasi pannis infantiæ inuoluit, dum non aperta spiritus prædicatione, sed præceptis literæ adstrinxit. Infirmus namque populus cum præceptorum pannos noleus pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione peruenit. Hinc est enim quod eis in lege *oculum pro oculo* exigere præcipitur, &

quandoq; tamen reuelata gratia percussi maxillam alteram Matt 5. 39.

iubentur præbere. MORALITER. Mare tumultuosum vide-

licet cogitationibus cor nostrum nube vestitur, quia ne in Idem. 5. 39.

terrenam quietem pure cõspiciat, in quietudinis suæ confusione tenebratur. Hoc mare caligine, quasi *infantiæ pannis* obuoluitur, quia à contemplandis sublimibus adhuc terrenis sensibus suæ infirmitatis ligatur. Hinc Paulus ait.

Videmus nunc per speculum in ænigmate, & reliqua. *Nunc cogno-* H

sco ex parte, & reliqua. Et, *Et cum essem paruulus, sapiebam vt* 1. Cor. 13. 12. 1. Cor. 13. 9.

paruulus, & reliqua. Sequitur. Idem ead. vers. 11.

10. *Circumdedi illud terminis meis.* Terminis suis Dominus mare circumdat, quia iras persequẽtium iudiciorum suorum dispensatione modificat, vt insani tumidi vnda furoris, pleno frangantur littore occultæ dispensationis. Aliter. Terminis illud Dominus circũdedit suis, quia præceptorum limite populum rudem ab immoratis * animi euagationibus cinxit. MORALITER. Terminis suis Dominus hoc *immoderatis.

mare circumdat, quia cor nostrum adhuc corruptionis suæ molestia & cura turbulentum sub mensura suæ contemplationis humiliat, vt licet plus appetat, vltra tamen quam sibi conceditur, non ascendat. Aliter. Furenti mari terminos imponit, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat, modo agẽs ne praua suggestio ad delectationem veniat, modo prauam delectationem vsq; ad consensum venire, phibet. Sequitur. *Et posui vestem & ostia.* Quid per ostia, nisi prædicatores sancti? Quid per vestẽ, nisi incarnatus Dominus

desi-

A designatur? Qui hæc videlicet ostia contra sæuientis ma-
ris impetum tanto valentiora opposuit, quanto ea sua ob-
seruatione roborauit. Non enim immerito sancti ostia
vocantur, quia & ingressum fidelibus aperiunt, & rursum
sese perfidis ne ingrediantur, opponunt. De quibus ostiis
extitit Petrus qui Cornelium recepit, & Simonem repu-
Act. 10. 34. lit dicens. *In veritate comperi quoniam non est personarum acce-
ptor Deus*. Ostia etiam erant huius Ecclesiæ, quibus dicebat
Ioan. 20. 23 Dominus. *Quibus remiseritis peccata remittuntur eis*, & reliqua.
Aliter Clausa namque ostia opposito vecte roborantur.
Vectem ergo Dominus opposuit, quia contra lasciuos
motus humani generis vnigenitum misit, quia præcepta
spiritalia quæ loquendo docuit, agendo solidauit. Sequi-
tur.

11. *Hinc vsque venies & non procedes amplius.* Quia nimirum
occulti iudicij mensura est, & quando persecutionis pro-
cella prosiliat, & quando conquiescat; ne aut non exagita-
B ta electos non exerceat, aut non moderata in profundum
mergat. Sequitur. *Et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Cum
vero notitia fidei vsque ad persequentes extenditur, tur-
bati maris timor sedatur. ibique fluctus suos mare frangit,
quia ad cognitionem veritatis veniens omne quod nequi-
ter egit, erubescit. Vnde per Paulum quibusdam dicitur.
Rom. 6. 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* Ali-
ter. Mare quippe propria ostia transcenderat, quia claustra
legis oppositæ humani rumoris vnda satiebat. At postquã
mundus oppositum sibi vnigenitum reperit, elationis suę
impetum fregit, & transire non valuit, quia eius fortitu-
dine furoris sui terminum clausum inuenit. Hinc enim
Ps. 113. 3. scriptum est. *Mare vidit & fugit.* Possunt per ostia etiam a-
pertæ passiones eius non inconuenienter intelligi, quibus
& occultum vectem posuit, quia eas ex inuisibili diuinita-
te roborauit. Contra quas mundi fluctus veniunt, sed fra-
cti dissiliunt, quia superbi eas videndo despiciunt, sed ea-
rum vires experiendo pertimescunt. MORALITER. Quid
per ostia nisi virtutes? Quid per vectem, nisi robur charita-
C tis accipimus? Facilè autem omne virtutum bonum tẽta-
tione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa chari-
tate solidetur. Vnde & Paulus cum quibusdam ostia vir-
Coloss. 3. 14. tutum opponeret, tubur vectis adiunxit dicens. *Super om-
nia autem charitatem habentes, quod est vinculũ perfectionis.* Quia
ergo Dominus per inspiratæ charitatis fortitudinem na-
scentia in corde vitia reprimit; insurgentis maris impetũ
per obstructa claustra compescit. Beatus igitur Iob ne sibi
tribuat quod contra procellas cordis fortiter stat, voce di-
uina audiat. *Quis conclusit ostiis mare?* Et reliqua.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXIX.

D
12. NVMQVID *post ortum tuum præcepisti diluculo,
& ostendisti auroræ locum suum?* Subaudis, vt e-
go? Ortus quippe diuinitatis Domini, ante,
& post, non habet. Ortus vero humanitatis
eius, quia cœpit & desinit, & ante & post ha-
bere, à tempore accepit. Sed quia dum ipse vmbram no-
stræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis
infudit, rectè per hunc ortum quem creator sibi in tempo-
re concedit, locum suum sine tempore aurora cognouit.
Quia enim diluculum vel aurora à tenebris in lucem ver-
titur, non immerito diluculi vel auroræ nomine omnis
Ecclesia electorum designatur, quæ ab infidelitatis nocte
Cant. 6. 9. ad lucem fidei ducitur. Hinc enim scriptum est. *Quæ est ista
quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* Aliter. Aurora vel di-
luculũ noctem quidem præterisse nũtiant, nec tamen diei
claritatem integram ostendunt: sed cum illam pellunt,
hanc suscipiunt, lucem tenebris permixtam tenent. Quid
itaque in hac vita omnes qui veritatem sequimur, nisi au-
rora vel diluculum sumus? Quia & quædam iam quæ lu-
cis sunt agimus, & tamen quibusdam adhuc tenebrarum
reliquiis non caremus. Hinc scriptum est. *Non iustificabitur* E
in conspectu tuo omnis viuens. Paulus quoque ait. *Video aliam* Psal. 142. 2.
legem in membris meis, repugnantem, & reliqua. Et rursum.
Nox præcessit. dies autem appropinquauit, & reliqua. Dies au- Rom. 7. 23. Rom. 13. 12.
tem sanctæ Ecclesiæ tunc erit, cum ei admixta peccati vm-
bra iam non erit. Locus autem huius auroræ, est perfecta
claritas visionis internæ. Locum suum aurora considerat,
quando sancta anima ad contemplandam conditoris sui
faciem flagrat, dicens, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum*, & Psal. 41. 3.
reliqua. Hunc signat locum Dominus dicens. *Vbicunque* Luc. 17. 37.
fuerit corpus, & reliqua. Quæ beatitudo futuræ retributio-
nis priusquam per corpus ipse innotesceret, in paucorũ
intellectu continuit. Sequitur.

13. *Numquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios
ex ea?* Extrema terræ Dominus tenuit, quia in fine seculo-
rum ad destitutam iam, & alienis regibus subditam Syna-
gogam venit, atque ex illa *impios excussit*, quia spiritalia fi-
dei prædicamẽta renuentes, etiam à carnalis sacrificij glo- F
ria repulit. Aliter. Quia ex Iudæa paucos abiectos & hu-
miles elegit, *extrema terræ* tenuit. Legis enim Doctores de-
seruit, & piscatores tenuit, dumque eius extrema tenet, ex
ea impios excutit, quia dum infirmos fideles roborat, for-
titer in illa infideles damnat. Res autem quæ concuti-
tur, huc illucque ducta fatigatur. Concussa ergo Iudæa
fuerat, quæ per alios dicebat, *quia bonus est*, & per alios re- Ioan. 7. 12.
sistebat dicens. *Non, seducit turbas.* Aliter. *Extrema terræ* con-
cussit & tenuit, quia cum infirma corda humilium pio ti-
more terruit, nequaquam ea iudicio districto dereli-
quit. Inde enim multitudo credentium in Deum, ro-
bustius stetit, vnde in se humilia tenuit. Hinc Salomon
ait. *Beatus vir qui semper est pauidus, qui autem mentis est dura,* Prou. 28. 14.
corruet in malum. Aliter Terra, sancta Ecclesia. *Extrema a-
gitur terræ* Dominus tenet & concutit, quia Ecclesiæ suæ
vltima per aduentum Anti-Christi persecutione imma-
nissima turbare permittit. Et quia plerique intra Ecclesiam
sunt. sicut Apostolus dicit. *Quia confitentur se nosse Deum,* Tit. 1. 16.
factis autem negant. Impios ergo ex ea Dominus excutit, G
quia hos quos nunc intima vitia possident, tunc in vora-
ginem apertæ infidelitatis cadent, atque in acetuum pa-
learum transeunt. MORALITER. Per terram quippe
homo infirma * sapiens designatur, cui peccanti di- * infima.
ctum est. *Terra es, & in terram ibis.* In extrema vtique vi- Gen. 3. 19.
tæ, Dominus sæpe peccatores terrendo concutit, concu-
tiendo conuertit, conuertendo tenet, atque ab eorum
cordibus impios cogitationum motus euellit. Sequi-
tur.

14. *Restituetur vt lutum signaculum.* Quid aliud Dominus
plebem Israeliticam nisi lutum reperit, quam obsequiis
gentilium deditam in Ægypto seruientem lateribus inue-
nit? Sed dum arcana secretorum & Prophetas contulit,
quid eam aliud quam seruandi mysterij *signaculum* fecit?
Quæ dum in redemptorem suum postmodum credere
noluit, terram potius quam veritatem diligens, dixit per
Sacerdotes suos. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in* Ioan. 11. 48.
eum, & reliqua. Accepti verbi mysteria perdidit, & sola H
terrena sapere, quæ inquinant, elegit. Aliter. Hi qui nunc
videntur in Ecclesiæ sinu *signaculum*, tunc ante oculos o-
mnium restituuntur *vt lutum*. Solet Sacra scriptura pro fi-
de appellare signaculum, pro iniquitate lutum. Vnde &
ab sponso suo Ecclesiæ dicitur. *Pone me vt signaculum su-* Cant. 8. 6.
per cor tuum. Per lutum vero, terrena contagia demon-
strantur, attestante Psalmista qui ait. *Eduxisti me de lacu* Ps. 39. 3.
miseriæ, & de luto fecis. Multi enim à terrenis contagiis e-
repti, cœlestis fidei sacramento signantur, sed apparent
non tentati *signaculum*, qui erunt proculdubio tentati *lu-
tum*. Vbi & rectè dicitur, *restituetur*. Quales enim ante fi-
dem esse poterant, tales post reprobi inueniuntur. MO-
RALITER. Hominem quippe Dominus, quem ad suam
similitudinem condidit, quasi quoddam suæ potentiæ *si-
gnaculum* fecit, quod tamen *vt lutum restituetur*, quia licet
æterna supplicia per conuersionem fugiat, in vltione ta-
men perpetratæ superbiæ, carnis morte damnatur. Sequi-
tur. *Et stabit sicut vestimentum.* Imposita namque & grossio-
ra vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induendis
membris bene applicata non inhærent, stare referuntur.

A Iudæa igitur circa veritatis notitiam etiam cum seruire videretur, *sicut vestimentum* stetit, quia per exteriora mandata seruire se Domino ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit. Aliter. Tot nunc quasi vestib. sancta Ecclesia induitur, quot fidelium veneratione decoratur. Vnde & ei ostensis gentib. à Domino per Prophetã (Esa. 49.18.) dicitur. *Viuo ego, quia his omnib. velut ornamento vestieris.* Multis tamen quasi fidelibus nunc specie tenus induitur, sed pulsante persecutionis impetu tunc eis nudabitur. Stare vero hoc loco ponitur, in peccato persistere, vt illud (Ps. 1.1.) *In via peccatorum non stetit*, vel certe sicut induta vestis tenditur, exuta fracta complicatur: ita vnusquisque qui ab Ecclesia recesserit, confractus atque abiectus iacebit, qui dũ indueretur decorus atq; tensus fuit. Si vero stare intelligimus perdurare, sicut vestimentum stat quisque reprobus, (Psal. 101.27) quia in hac vita quam diligit, breui durat, vt illud. *Omnia sicut vestimentum veterascent*, & reliqua. MORALITER. *Lutum* B namque nostrum sicut *vestimẽtum* stare est, vsque ad resurrectionis tempus inane exutumque perdurare. Sequitur.

15. *Auferetur ab impiis lux sua.* Quia dum credere veritatem Iudęi renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt, & dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiæ suæ gloria cæcantur. Scriptum quippe est. *Obscurentur oculi eorum ne videant.* (Ps. 68.24.) Et. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* (Esa. 6.10.) Aliter. Neque enim eos nunc Dei lumen illustrat, qui iniquitatis suæ malitiam fidei nomine palliant. Sunt vero nonnulli qui æterna quæ audiunt veraciter credunt, & tamen eidem quam tenent fidei male viuendo contradicũt. Qui dum peruersa agunt, & tamen de Deo recta sentiunt, ne tenebrescant funditus ex quadam parte fulgore luminis illustrantur. Qui plus terrena quam cælestia diligunt pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur, amittunt. Quod maxime multiplicius in persecutione Anti-Christi agetur. Quamquam & in suis operatorib. ipse auctor iniquorum iam appareat, qui dum venit, (1. Ioan. 2.18.) hinc Ioannes ait. *Nũc Anti-Christi multi facti sunt.* MORALI- C TER. Mors enim carnis, quę electos luci suę restituit, lucem suam reprobis tollit. Lux namque superbientibus est gloria vitæ præsentis. Quæ ei lux tunc subtrahitur, cũ per carnis interitum ad rationum suarum tenebras vocatur. Seq. (Rom. 2.20.) *Et brachium excelsum conteretur.* Excelsum quippe brachium conteretur, quando prædicata fidei gratia superba legis operatio reprobatur, cum dicitur. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Aliter. Quid namque excelsum brachiũ accipitur, nisi superba Anti-Christi celsitudo? quæ super reprobas mentes hominum, fastu glorię secularis erigitur, ita vt Deum se super homines mentiatur. Vnde Paulus A- (2. Thess. 2.4.8.) postolus dicit. *Itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. Quem Dominus Iesus Christus*, sicut idem ait Apostolus, *interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Excelsum quippe brachium tunc confringitur, quia celsitudo cordis vltra naturæ ordinem violenter arrepta diuinæ iustitię modo dissipatur, vt quam se peruerse in breui erexerat, per pondus iudicij in æternum fracta cognoscat. D Sequitur.

16. *Numquid ingressus es profundum maris?* Ac si dicat, vt ego. Si enim mare more diuini eloquij seculum debet intelligi, nil prohibet profunda maris inferni claustra sentire. Quod profundum maris Dominus petijt, cum inferni nouissima electorum suorum animas erepturus intrauit. Vnde & per (Esa. 51.10.) Prophetam dicitur. *Posuisti in profundum maris viam vt transirent liberati.* MORALITER. Mare quippe est mens humana cuius profunda Deus ingreditur, quando prioris vitæ nequitias ad memoriã reducit, & fluctuantem in confusione sua animum concutit? *Profundum maris* Deus intrat, quando etiam desperata corda permutat, vel cum cor seculare [...]miliat, vel quando visitare mentes etiam pressas sceleribus non dedignatur. Seq. *Et in nouissimis abyssi deambulasti?* Quod supra profundum maris dixerat, hoc aliis verbis replicans, *Abyssi nouissimum* vocat, quia sicut aquarum Abyss* nulla nostra visione comprehẽditur, ita occulta inferi nullo à nobis cogitationis sensu penetrãtur, deambulare quippe non constricti sed liberi est. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in infernum deambulauit, liber (Psal. 87.5.) quippe ad ligatos venit. Vnde scriptum est. *Factus sum sine adiutorio inter mortuos liber.* Hinc Petrus ait. *Solutis inferni doloribus iuxta quod impossibile teneri illum ab eo.* (Act. 2.24.) E Vel certe quia deambulando nos eum de loco ad locum ducimur, hic illicque præsentes inuenimur. Ambulasse in inferno Dominus dicitur, vt electis animabus in locis singulis per diuinitatis potentiã præsens fuisse monstratur. MORALITER. Quid enim est Abyssus nisi mens humana? Quæ dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est velut obscura Abyssus latet. Vnde bene per Prophetã dicitur. *Dedit Abyssus vocem suam. In nouissimis* ergo *Abyssi* Deo (Habac. 3.10.) deambulare est, etiam nequissimorum hominum corda conuertere, & desperatas mentes visitationis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reformare, atque post immensa scelera cor obscurum vitiisq; tenebrosum visitationis timore reprimere, & ad lamentum compunctionis prouocare. De his gressibus Propheta ait. *Visi sunt ingressus tui Deus, ingressus Dei mei.* (Psal. 67.25.) Sequitur.

17. F *Numquid apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Portæ enim mortis, potestates sunt aduersæ, quas descendẽs Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superauit, quæ appellatione quoque alia tenebrosa ostia vocantur, quia dum per occultationis suæ insidias non videntur, deceptis mentib. viam mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt, quia immundorum spirituum fraudulentam maliciam & respicit & premit, quæ tenebrosa ostia nos etiã cernimus, quando supernæ lucis* illustramur. Vnde & per Prophetam dicitur. *Dominus mihi adiutor est, & ego videbo inimicos meos.* (Psal. 117.6.) Hostes igitur nostros ipse videt, quia suo eos munere nobis visibiles facit. Vel certe *tenebrosa ostia* Dominus videt, cum claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit. MORALITER. Portæ enim mortis sunt cogitationes, quas Deo pandimus, quãdo eas in pœnitentia flendo confitemur. Tũc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando solonis prauis cogitationibus ad nos post confessionem venit. Tenebrosa namque ostia sunt latentia mortis mala, quæ & habere intrinsecus pos- G sunt, quæ tamen Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiæ destruit. Scriptum quippe est. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* (Prou. 20.8.) Sequitur.

*Desideratur hic substantiuus in ablatiuo, cuiusmodi potest esse (radiis.)

18. *Numquid considerasti latitudinem terræ?* Dum enim Dominus angustias mortis petiit, fidem suam in gentibus dilatauit, atque in innumera corda sanctam Ecclesiam extendit. Cui per prophetam dicitur. *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* (Esa. 54.2.) Pauci enim ea plebe Israëlitica ipso prędicante, crediderunt, innumeri vero gẽtium populi viam vitæ illo moriente & resurgente secuti sunt. MORALITER. Nisi enim virtutes animum dilatarent nequaquam Paulus Corinthiis diceret. *Dilatamini & vos, & nolite iugum ducere cum infidelib.* (2. Cor. 6.13.) Intuẽdum est quod dicitur, *considerasti*. Latitudo namque bonorum interior est, & nequaquam comprehenditur, nisi caute consideretur. Nam plerumq; eos exterius inopia humiliat, pœna cruciatus angustat. Sed tamen inter hæc semper interior fortitudo vs- H que ad speranda cœlestia dilatat. Scriptum namque est de Apostolis. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* (Act. 5.41.) Sequitur.

19. *Indica mihi si nosti omnia? In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit.* Quid enim lucis nomine nisi iustitia accipitur, & quid per tenebras, nisi iniquitas designatur? Vnde quibusdam dicitur. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* (Eph. 5.10.) Et de quibusdam in peccato manentibus memoratur. *Qui dormiunt, nocte dormiunt.* (1. Thess. 5.9.) Ac si beato Iob diceretur. Si plenam te habere scientiam suspicaris, dic vel in cuius corde ea quæ nunc est malitia perseueret. Sequitur. *In qua via habitet lux*, id est, in cuius mentem veniens iustitia impleat. Sequitur.

20. *Et tenebrarum quis locus sit?* Id est in quo iniquitas cæca perduret. Sequitur. *Et ducas vnumquodque ad terminos suos*, id est, vt diiudices si vel is qui nunc iniquus cernitur in huius iniquitate vitam finiat, vel is qui iustus cernitur extremitatẽ vitæ suæ cum iustitiæ perfectione concludat. Sequitur.

Et intelligas semitas domus eius. Id est cõsideres atq; discer-

A nas vel cui bona actiu perseuerans, æternam mansionem præstet in regno, vel quem vsque ad terminum suum actio praua constringens, in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansione ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit, sed quis hominum ista discussus dicat? quis ista saltem imperterritus audiat? Multos enim videmus iustitiæ luce resplendere, & ad finem nequitiæ suæ obscuritate tenebrari, & multos peccatorũ tenebris obuolutos, & tamen iuxta vitæ suæ terminum repente reddi luce iustitiæ liberos, & multos viam iustitiæ vsque ad obitum tenere, & plerosque conspeximus vsque ad exitum cœpta semel crimina sine cessatione cumulasse. Sequitur.

21. *Sciebas tunc quod nasciturus esses, aut numerum dierum tuorum noueras.* Ac si illi aperte diceret. Quid mirum, si terminum tuum non intelligis, qui nec initium comprehẽdis? Aliter. Homines quippe tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur. Nam ipsa conceptio natiuitas dicitur, iuxta hoc quod scriptum est. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et iccirco se nascituros nesciunt, quia nec priusquam creentur, existunt. Deus vero qui sine initio semper existit, præsciuit de se hoc quod in vterum virginis per initium sumpsit, & quia præsciuit, disposuit, quia disposuit, nil profecto in humana forma sine sua voluntate tolerauit. Sequitur.

B

Matth. 1. 20.

22. *Numquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti?* Quid aliud in niue vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum quippe est. *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit animam malitia sua.* Et rursum. *Abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* In frigore enim niuis, vel in duritia grandinis, quid accipi potius potest, quam vita prauorum, quæ & torpore frigescit, & per duritiæ malitiam percutitur? Sequitur.

Iere. 6. 7.

Mat. 24. 12.

23. *Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Cum enim aduersarius noster diabolus tentare nos nititur, prauorum motibus quasi suis cõtra nos armis vtitur, per ipsos quippe nos sæuiens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsis flagellum fiunt. De quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Aliter in niue vel grandine frigida vel dura accipimus corda prauorum, sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus eligit, & quia multos electos adhuc inter prauorum vitam repositos habeat, nouit apte in niue vel grandine *thesauros* habere se perhibet. Thesaurus quippe, apo tis thesauros, id est, à positione nominantur. In niue ergo vel grandine habentur thesauri, quia pleri que iniquitatis torpore frigidi, ad supernam gratiam assumpti, in sancta Ecclesia iustitiæ luce fulgescunt, & prauam aduersariorum scientiam doctrinæ suæ ictibus tundũt, quod ad diem belli pugnæ præparatos diu in suæ scientiæ sinu regit. Sed cum repente eos eduxerit, resistentia aduersariorum pectora, illorum verbis ac redargutionibus, quasi quibusdam grandinib. percutit. Vnde alias scriptum est. *Præ fulgore in conspectu eius*, & reliqua. Grãdo .n. veniẽs percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium & blandientes rigant & feriunt. Nam quemadmodum feriunt, Propheta testatur dicens. *Virtutem terribilium tuorum dicent*, & reliqua. Et quemadmodum blandientes rigant secutus adiunxit. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt*, & reliqua. Sequitur.

C

Psal. 17. 13.

D

Psal. 144. 6. 7.

24. *Per quam viam spargitur lux.* Ipse quippe via est, qui ait. *Ego sum via, veritas & vita.* Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per eius præsentiam cuncta gẽtilitas illustratur. *Spargitur* autẽ conuenienter dixit, quia per Apostolorum voces non angusta atque coartata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit. Sequitur. *Diuiditur æstus super terram.* Quod per æstum persecutio designatur, Dominus testatur de iactu seminis supra petram, dicens. *Sole orto æstuauerũt omnia*, & reliqua. Quod paulo post cum exposuit æstum persecutionem vocauit. Sparsa igitur luce æstus super terram diuisus est, quia clarescente vita fidelium, accensa est crudelitas perfidorum. Diuisus namque æstus erat, quando nunc Hierosolymis, nunc Damasco, nũc in alijs longe regionibus persecutio sequebat. Scriptum quippe est. *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat in Hierosolymis. & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ.* Aliter. Per lucis nomen iustitia designatur, de qua scriptum est. *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam.* Omne autẽ quod spargitur, non continuo, sed quadam intermissione iactatur. Lux ergo in hac vita spargitur, quia ad omnes rei intelligentia continua non habetur. Dum enim aliud sicuti est comprehendimus, & aliud ignoramus, quasi sparsa luce, & ex parte cernimus, & in obscuritate ex parte remanemus. Tunc vero lux nobis sparsa iam non erit, quando mẽs nostra ad Deum funditus rapta fulgescit. Ac si ergo ei aperte diceretur. Dic quo ordine iustitia mea occultis sensib. cor infundo, cumq; per accessum non videor, & tamen visibilia opera hominũ inuisibiliter immuto. Sequitur. *Diuiditur æstus super terrã.* Hostis namq; callidus quos luce iustitiæ enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desiderijs inflammare contendit. Vnde & Israelitæ postq̃ vocati sunt, contra Moysen, de excrescente labore conqueruntur dicentes. *Videat Dominus & iudicet, quoniã fœtere fecistis odorẽ nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladiũ vt interficeret nos.* Post lucem vero æstus seqtur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationibus certamen augetur. Recte ergo ẽt diuidi æstus dicitur, qa nimirum non singulis omnibus, sed quibusdam vicinis ac iuxta positis vitijs fatigantur. Prius enim cõspersionem vniuscuiusq; antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationũ laqueos opponit. Lętis enim morib. luxuriam, tristibus poculum discordiæ porrigit. Hunc autem æstum aliter diuidit callidus supplantator, aliter misericors cõditor. Ille diuidit vt pullum citius interimat, iste vt eum tolerabiliter reddat. Sequitur.

Act. 8. 1.

E

Esa. 9. 2.

F

Exod. 5. 21.

25. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* Ac si diceret, nisi ego? Diuiso enim æstu, cursum inter ipsas persecutionis angustias, prædicationis impetum roborasse, vt tanto magis virtus prædicantium cresceret, quanto magis persequẽtium crudelitas obuiaret, quatenus arentia corda audientium pluuiæ guttis infunderẽt, vt siccitatem perfidiæ vberibus irrigarent. Hunc persecutionis æstum Paulus tolerabat, & irrigabat cum diceret. *Laboro vsque ad vincula quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum.* De hoc imbre alias dicitur. *Mandabo nubibus ne pluant super terrã imbrem.* Sed notandum quod eundem imbrem non vehementem, sed *vehementissimum* vocat. Imber vehemẽs, est vis magna, imber vero vehementissimus, vis & immensitas prædicationis. Vehemens namq; imber est, cum prædicatores sancti credi æterna suadebant. Imber autem vehementissimus, cum propter spem admonebant rem deseri, cuncta visibilia propter inuisibilia contemni. Sequitur. *Et viam sonantis tonitrui.* Quid enim per tonitruum, nisi prædicatio superni terroris accipitur? quem terrorem dum percipiunt humana corda quatiuntur. Aliquando vero in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur. Quia antiquorũ Patrum Propheta ad nostram notitiam quasi ex nubis concussione prolatus est, qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erat, terribiliter sonuit. Vnde Apostoli Boanarges, id est, filij tonitrui vocati sunt. Aliquãdo ipsa eius prædicatio accipitur, per quam supernorum iudiciorum terror auditur. Incassum quippe prædicatio audientis aure percipitur, quæ peruenire ad intima surdo corde prohibetur. Sed quia Dominus viam sonantis tonitrui dare asserit, quos cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit, hinc Paulus ait. *Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi sui, ad loquendum mysterium Christi.* Seq.

G

2. Tim. 2. 9.

Esa. 5. 6.

H

Coloss. 4. 3.

26. *Et plueret super terram absque homine in deserto, vbi nullus mortalium commoratur.* Super terram absque homine in deserto pluere est, verbum Dei Gentilitati prædicare, quæ dum nullum cultum diuinitatis tenuit, nullam in se speciem boni operis ostendit. Videlicet desertum fuit, in qua quia legislator non fuit, & quia rationabiliter Deũ quærere non fuit, quasi hominum nullus fuit, & velut solis bestijs occupata vacua à mortalibus extitit. De hac deserta terra alias dicitur. *Posuit flumina in desertum.* Bene autem postquam æstus super terram diuisus est, cursum vehementissimum imber accepit, vt in desertum plueret quia postquã in Iudæa asperitas persecutionis inhorruit, ad Israel missus quisque prædicator ad vocandas gentes

Psal. 106. 33.

A deflexit. Vnde sancti Apostoli dicunt. *Vobis quidem oporte-*
Act. 13.46. *bat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indi-*
gnos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sequi-
tur.

27. *Vt impleret inuiam & desolatam.* Quid vero completa
reddidit, demonstratur, cum ilico adiungitur. *Et produce-*
ret herbas virentes. Inuia namque Gentilitas fuit, ad quam
via Dei verbo non patuit. *Desolata* etiam recte vocata est,
vel ratione consilij, vel fructu boni operis destituta. Sed
desolata impleta est, cum exteriori prædicationi internam
aspirationem contulit, vt corda Gentilium arentia vire-
scerẽt, clausa patescerent. In scriptura enim sacra aliquan-
do herba viror gloriæ temporalis accipitur, sicut Prophe-
Psal. 86.6. ta ait. *Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat.* Ali-
Iob 40.14. quando refectio diaboli, sicut de illo à Domino dicitur.
Huic montes herbas ferunt. Aliquando sustentatio prædicato-
Psal. 146.8. rum, vt illud. *Producit in montibus fœnum & herbam seruituti*
Gen. 1.11. *hominum.* Aliquando bona operatio, sicut scriptum est.
B *Germinet terra herbam virentem.* Aliquando æternæ vitæ
scientia designatur, sicut per Hieremiam dicitur. *Onagri*
Ierem. 14.6. *steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones, defecerunt o-*
culi eorum quia non erat herba. Significat Iudæorum persecu-
tionem. Ipsi dracones virulenta cogitatione steterunt in
Ioan. 19.19. rupibus, non in Deo, dicentes, *non habemus regem*, & reli-
qua. Ventum elationis traxerunt oculi, id est spes eorum
temporalis diligens, corruit, herba defecit, quia eorum
cordibus defuit æternitatis scientia. Sed hoc in loco viren-
tes herbas, sanctæ Doctrinæ scientiam vel congruas ope-
rationes accipimus: quia dum sanctæ prædicationis im-
brem gentilitas percepit, & vitæ opera & doctrinæ verba
Esa. 35.7. germinauit. Hinc Propheta ait. *In cubilibus, in quibus prius*
habitabant dracones, orietur viror calami & iunci. Vbi in cala-
mo scriptores, in iunco auditores designauit, in draconum
cubilibus, populum, quem hostis malitia possidebat.
MORALITER. Deserta terra sunt, qui fidei nomine censen-
tur, verba vitæ audiunt auribus, sed ea transire vsque ad
C interna cordis minime permittunt. Quæ scilicet terra ho-
minem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret,
& nullus mortalium in hac terra commoratur: quia & si
quando in eorum conscientia rationabilium sensuum co-
gitationes veniunt, non persistũt. Sed dum misericors im-
bri suo cursum dare designatur, compuncti per internam
gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt. Et implet ter-
ram *inuiam*, quia dum præbet auditum verbo, cumulatur
mysterio. *Et producit herbas virentes*, quia per gratiam com-
punctionis verba non solum libenter accipit, sed etiam v-
bertim reddit, vt quod audire non poterat, iam loqui con-
Psal. 103.30. cupiscat. Hinc scriptum est. *Emitte spiritum tuum & creabun-*
tur, & reliqua. Sequitur.

28. *Quis est pluuiæ pater, vel quis genuit stillas roris?* Ac si dice-
ret, nisi ego, qui siccam terram humani cordis guttis scien-
tiæ gratuitæ spargo? De hac enim pluuia alias dicitur. *Plu-*
Ps. 67.10. *uiam voluntariam segregabis Deus*, & reliqua. *Pater pluuiæ* De*
dicitur, quia superna nobis prædicatio non de nostro me-
rito, sed de eius gratia generatur. Stillæ enim roris ipsi san-
D cti prædicatores sunt, qui arua pectoris nostri inter mala
vitæ præsentis, quasi inter tenebras siccæ noctis arentia
gratia supernę largitatis infundunt. De his stillis contuma-
Ierem. 3.3. ci Iudææ dicitur. *Propterea prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, &*
serotinus imber non fuit. Rorem aspergebat Paulus cum Co-
1. Cor. 2.2. rinthiis diceret. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi*
Christum Iesum & hunc crucifixum. Et rursum pluuiam ma-
2. Cor 6.11. nauit dicens. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum*
Deut. 32.2. *dilatatum est.* Hinc Moyses ait. *Expectetur sicut pluuia eloquium*
meum, & descendant sicut ros verba mea. Sequitur.

29. *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?*
Quid enim aliud in gelu vel glacie, nisi frigida, & perfi-
diæ torpore constricta accipimus corda Iudæorum? Qui
quondam per acceptionem legis, per mysteria, sacrificia;
vel prophetiæ sic intra sinum gratiæ quasi intra vterum
creatoris habebantur? Sed quia veniente Domino con-
stricti frigora perfidiæ, feruorem fidei & charitatis amise-
runt, à secreto gratiæ sinu proiecti, quasi glacies de vtero
creatoris egressi sunt. Per cœlum autem vita sublimis San-
Esa 66. 2. ctorum intelligitur, cui cœlo dicitur. *Attẽde cœlum & loquar.*

E Hinc Dominus ait. *Cœlorum mihi sedes est.* De qua sede alias
scriptum est. *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Quia ergo sapien-
tia est Deus, sedes Dei cœlum est, anima iusti sedes sapien-
tiæ. Cœlum est vtique anima iusti. Cœlum fuit Abraham,
Isaac & Iacob. Sed quia persecutores Domini Pontifices
Iudæorum, perfidiæ torpore frigidi, de illorum Patrum
progenie processerunt, quasi de cœlo gelu exiit. Quod ta-
men gelu idcirco nobis Dominus genuisse se dicat, quia
Iudæos quos naturaliter ipse bonos condidit, iusto iudi-
cio pro eorum malitia frigidos à se exire permisit. Domi-
nus enim auctor est naturæ, non culpæ. Aliter. In gelu &
glacie Sathan nil obstat intelligi. Ipse quippe quasi de Dei
vtero glacies processit, quia à calore secretorum eius ma-
litiæ torpore frigidus magister iniquitatis exiuit. Ipse gelu
de cœlo est genitus, quia constricturus corda reprobo-
rum, à summis cadere est promissus* ad ima. MORALI- *permiss.
TER. Mentes namque hominum omnipotens Deus dum
timore format, quasi concipit, easque ad apertas virtutes
F dum prouehit, gignit; sed si de acceptis virtutibus extol-
luntur, relinquit. Quasi enim de Dei vtero glacies egre-
ditur, quando hi qui iã intus incaluerunt ex virtutũ dono
frigescũt, & inde exteriorem gloriam torpẽtes appetunt.
Vnde ad interna diligenda ardentius flagrare debue-
runt. Hanc glaciem nunc in vtero Dominus portat, quia
intra sinum sanctæ Ecclesiæ tolerat; sed per extremum
& publicatum iudicium hanc repellet, dicens. *Nescio vos* Luc. 13.27.
vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. Cœlum
vtique sacrum eloquium intelligitur, quod diem nobis
intelligentiæ aperiens Sole nos iustitiæ illustrat. Quod
dum nos vitæ præsentis nox continet, stellis nobis man-
datorum fulget. Sed quia *oportet hæreses esse, vt probati mani-* 1. Cor. 11.19.
festi fiant. Sacra Scriptura eos qui se superbire appetunt,
atque exteriores fauores per illam sequuntur, à se frigidos
emittit, qui dum à superna intelligentia resplendentes e-
loquiis & obdurati, ipsi seducunt cæteros, corruunt ad i-
ma venientes, & gelu sunt, & alios adstringunt; duratus-
que in ima corruit, qui ad cognitionem Dei prius tractabi- G
lis in summis & liquidus stabat. Dominus tamen hoc ge-
lu gignere perhibetur, non quo prauorum mentes ipse ad
culpam formet, sed quo à culpa non liberat. Sicut scri-
ptum est. *Ego obdurabo cor Pharaonis.* Potest & in bonam Exod. 4.21.
partem nobis eius intelligentia sine obstaculo difficulta-
tis intelligi. Terra enim si post iactatum semen complui-
tur, irrigatur quam* si immoderatus* accipit, pinguedi- *Oratio fortassis congruentior, quæ si immoderatius.
dinem frumenti virtutemque mutat: sed si pluuia gelu
premitur, quo vetatur semen progredi foras, cogitur intus
radicari ac multiplicari. Quid ergo est, Dominus prius
quidem patrem se pluuiis, insinuat, postmodum vero de
suo vtero egredi glaciem narrat, seque gelu gignere de cœ-
lo pronuntiat, nisi quod miro modo Dominus pectoris
terram ad suscipienda verbi semina, & prius per occul-
tam gratiam compunctionis pluuiam infundit, & post-
modum ne in conceptis virtutibus immoderatius pro-
fluat disciplina intimæ dispensationis premit? Vt quum
perceptæ gratiæ pluuia irrigat, etiam disciplinæ rigor ad-
stringat, ne si aut antequam debet aut plusquam necesse H
est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat.
Videamus, Paulus, infusa videlicet terra, quid ait. *Velle ad-* Rom. 7.18.
iacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Et rursum. *Vt non* Gal. 5.17.
quæ vultis illa faciatis. Potest etiam in gelu vel glacie præ-
sentis vitæ aduersitas designari, quæ dum sub asperitate
suas sanctos comprimit, valentiores reddit. Miro quippe
consilio Dominus electos quoque in hac vita tanquam
in hyeme aduersis ventorum & frigora tolerare permittit,
vt velut in æstiuis serenitate postmodum fructus quos hic
conceperunt, demonstrent. Vnde sponsi voce vniuscuiusque
animæ dicitur. *Surge propera amica mea, formosa mea & veni,* Cant. 2.10.11
iam enim transiit hyems, imber abijt & recessit. Sequitur.

30. *Ipsi in similitudinem lapidis aquæ durantur.* Aquas Aposto-
los accipimus, lapis vero pro ipsa duritia aliquando Gen-
tiles populi designantur. ipsi quippe lapides coluerunt, &
de eis dictum est. *Similes illis fiant qui faciunt ea.* Quia ergo Psal. 113.8.
primum Iudæa Deo credidit, Gentilitate omni in perfidiæ
suæ obstinatione remanente, postmodum vero ad fidem
Gentilium corda mollita sunt, & Iudæorum infidelitas
obdu-

A obdurata, benedicitur. *Aqua in similitudinem lapidis duran-*
tur. Hinc Paulus Gentibus dicit. *Sicut aliquando vos non cre-*
Rom. 11. 30. 31. 32. *didistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, propter illorum*
incredulitatem, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericor-
diam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus
omnia sub incredulitate, vt omnium misereatur. Aliter. Per a-
quam populos, per lapidem vero eiusdem Sathan duritia
designatur. Illo igitur ad ima veniente, in similitudinem
lapidis aquæ duratæ sunt, quia eius malitiam imitati ho-
mines, mollia viscera charitatis amiserunt. MORALITER.
Aquæ enim per glaciem in superficiem durescunt, sed flu-
ida in intima remanent. Et quid per aquas nisi fluxa acci-
pimus corda reproborum? Quæ cum & proposito virtu-
tem deserunt, fortasse in bonis operibus per hypocrisim
ostendunt, dumque in intimis suis ad vitia defluunt, &
fortassis imitatores Sanctorum se fingunt, *aquæ in similitu-*
dinem lapidis durantur. Aliter. Quia fluxæ cogitationes inte-
rius lacessunt, nequaquam tamen vsque ad consensum
B praui operis trahunt: sed mens vincendi consuetudine qua-
si sub quadam duritia exterius abscondit, quicquid intus
ex tentationis pulsatione mollescit. Mentes enim quæ per
prospera molliter fuerunt liquidæ, constrictæ aduersitatib.
durescunt, & ad *similitudinem lapidis* aqua perducitur, quan-
do infirmus quisque per acceptam desuper tolerantiam,
passiones sui redemptoris imitatur. *In similitudinem* quippe
lapidis indurauerat, qui dicebat. *Impleo ea quæ desunt passio-*
Coloss. 1. 24. *num Christi in carne mea:* Sequitur. *Et superficies abyssi constrin-*
gitur. Quia super tecto quodam ignorantiæ vestræ velami-
ne, incomprehensibilitas diuini iudicij humanæ mentis
oculo nullatenus penetratur. Scriptum quippe est. *Iudicia*
Psal. 35. 7. *tua abyssus multa.* Aliter. Aliud quidem Sathanæ, intrinsec⁹
latet, atque aliud intrinsecus ostendit. *Transfigurat enim se*
2. Cor. 11. 14. *velut Angelum lucis*, quia dum quasi bona persuasionis eius
species, velut solida desuper glacies ostenditur, in profun-
dum latens eius malitia non videtur. MORALITER. *Superfi-*
cies abyssi cõstringitur, quia superductam sanctitatis speciem
fluxa ac instabilis eorum conscientia hominibus tegitur.
C Nam cum sibimetipsis turpes sint intrinsecus, ante alienos
tamen oculos quadam viuendi venustate vestiuntur. Ali-
ter. Quia praua cogitatio etsi vsque ad suggestionem venit
vsque ad consensum non prosilit, quia fluctuantes motus
animi superductus rigor sanctæ deliberationis premit. So-
let enim lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo a-
mittere: aduersa vero cum nos exterius deprimunt, inte-
rius cautiores reddunt. Post gelu itaque vel glaciem *super-*
ficies abyssi constringitur, quia mens nostra ad conseruanda
profunda dona quæ acceperit, ipsis aduersitatibus muni-
Esa. 24. 16. tur. Hanc abyssum tegebat Esaias dicens. *Secretum meum*
2. Cor. 12. 6. *mihi.* Et Paulus. *Parco autem ne quis me existimet supra id quod*
videt & audit aliquid ex me. Sequitur.

31. *Numquid coniungere valebis micantes stellas, Pliades, aut gyrum*
ἀπὸ τοῦ *Arcturi poteris dissipare?* Pleiades stellæ Apo tu plistu, id est
πλείστου. à pluritate vocatæ sunt; ita autem vicinæ sibi & diuisæ sunt
conditæ, vt & simul sint, & tamen coniungi nequaquam
possint. Arcturus vero ita nocturna tempora illustrat, vt
in cœli axe positus per diuersa se vertat, nec tamen occi-
D dat. Quid enim micantes Pleiades, quæ & septem sunt, a-
lios quam Sanctos omnes denuntiant, qui inter præsentis
vitæ tenebras, spiritus septiformis gratiæ nos lumine illu-
strant? Quia ab ipsa mundi origine, vsque ad eius termi-
num diuersis temporibus ad prophetandum sunt missi,
iuxta aliquid sibi coniuncti sunt, & iuxta aliquid nõ con-
iuncti. Coniuncti per intentionem mentis, & disiuncti
sunt per diuisionem suæ imaginis, quam diuersis tempo-
ribus Abel, Esaias, & Ioannes apparuit. Diuisi quidem fue-
runt tempore, sed non prædicatione, quia & confessione
vocis & virtutum sibi vnanimitate iunguntur. In Arcturo
autem, qui per gyrum suum nocturna spatia non casurus
illustrat, nequaquã particulatim edita vita Sãctorum, sed
tota simul Ecclesia designatur; quæ fatigationes quidem
patitur, nec tamẽ ad defectum prostrata inclinatur. Dum
enim sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur,
præsentis vitæ vmbra terminatur, eaque stante nos præte-
rit, quia illam sua incolumitate perdurante, mortalitatis
huius vita percurrit. Aliter. Arcturus in septem quidem

E stellis voluitur, & modo quidem tres ad summa eleuat,
quatuor ad ima: & quatuor superius erigit, & tres inferius
premit. Sancta quoque Ecclesia cum modo infidelibus
Trinitatis notitiã, modo aũt fidelib. virtutes quatuor, i.
Prudentiam, Fortitudinem, Iustitiam, tẽperantiam prædi-
cat, quasi rotata prædicationis statum sui speciem quodam-
modo immutat. Nam cum confidentiam proprij laboris
euacuat, & fidem Trinitatis exaltat, tres Arcturus stellas e-
leuat, & quatuor inclinat. Hinc Paulus ait. *Si Abraham ex* Rom. 4. 2. 3.
operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid
enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi
ad iustitiam. Et cum desolata fide præsumere prohibet, sed
operari enixius quæ præcepta sunt iubet, non quatuor, sed
tres deponit. Hinc Iacobus ait. *Sicut corpus sine spiritu mor-* Iac. 2. 26.
tuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Arcturus itaque
voluitur, quia sancta Ecclesia iuxta auditorum suorum
mentes in diuerso latere prædicationis arte versatur. Sed
hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia
labores Ecclesiæ ad requiem permutat. Tunc & Pleia- F
des plenius iunget, quia nimirum Sancti omnes etiam vi-
sionis specie sibi copulantur, quando in fine mundi sancta
Ecclesia ab his quos nunc sustinet, laboribus soluitur.
Potest igitur per Arcturum, qui à plaga frigoris nascitur,
lex: per Pleiades vero quæ ab Oriente surgunt, Testamen-
ti noui gratia designari. Quasi enim ab Aquilone lex ve-
nerat, quæ tanta subditos rigiditatis asperitate terrebat.
Nam dum pro culpis suis alios præciperet lapidibus ob-
rui, alios gladij morte mulctari, plaga torpens, & velut à
Sole charitatis aliena, præceptorum suorum semina plus
premebat ex frigore, quam ex calore nutriebat. Hinc Pe-
trus ait. *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruicem di-* Act. 15. 10.
scipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?
Per septem nimirum stellas Testamentum exprimitur ve-
tus, quasi in veneratione legis dies septimus, & per he-
bdomadam integram constituti sacrificij vota reddeban-
tur. Pleiades vero quæ septem sunt, Testamenti noui gra-
tiam designant; per illud enim fideles suos septiformis mu-
neris lumine illustrat. Qua igitur se Arcturus vertit, Pleia- G.
des ostendit, quia per omne quod Testamentum vetus lo-
quitur, Testamenti noui opera nuntiantur. Redemptor
autem noster in carne veniens Pleiades iunxit, quia ope-
rationes septiformis Spiritus simul in se & iũctas & manẽ-
tes habuit. De quo per Esaiam dicitur. *Egredietur virga de ra-*
dice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eũ Spiri- Esa. 11. 2.
tus timoris Domini. De quo Zacharias ait. *Super lapidem vnum*
septem oculi sunt. Dũ Pleiades iungit, Arcturi gyrum dissi- Zach. 3. 9.
pat, quia dum semetipsum factum hominem habere con-
iunctas sancti Spiritus operationes innotuit, in Testamẽ-
to veteris literę laborem soluit, vt fidelis quisque iam cum
libertate spiritus illud intelligat, cui prius in formidine
inter tot discrimina seruiebat. Sequitur.

Numquid produces luciferum in tempore suo? Pater quippe
in suo tempore luciferum produxit, quia sicut scriptum 32.
est. *Cum venerit plenitudo temporis misit Deus filium suum fa-*
ctum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: Galat. 4. 4. 5.
Qui natus ex Virgine velut lucifer in tenebris nostræ no-
ctis apparuit, quia fugata obscuritate peccati, æternum H
nobis mane nũtiauit. Luciferum se innotuit, quia diluculo
ex morte surrexit, & fulgore luminis mortalitatis nostrę
tetram caliginem expressit. Hinc Ioannes ait. *Stella splendi-*
da & matutina. Sequitur. *Et vesperum super filios terræ consurge-*
re facis? Vesperum vero Dominus consurgere facit, quia Apoc. 22. 16.
infidelibus Iudæorum cordibus dominari Antichristum,
eorum merito exigente permittit. Terrena quippe & non
cœlestia requirentes, sponte filij terræ esse voluerunt, &
ad percipiendam luciferi nostri claritatẽ cæcati sunt. Hinc
Dominus ait. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me,* Ioann. 5. 43.
alius veniet in nomine suo, & illum accipietis. MORALITER. Ele-
ctis lucifer oritur, & vesperum reprobis Deo permittente
dominatur. Vnus enim atque idem sermo Dei est in ore
prædicantis. Quem dum isti gaudendo, illi vero inuiden-
do audiunt, claritatem sibi luciferi in Vesperi tenebras
vertũt. Hinc Paulus ait. *Christi bonus odor sumus Deo in his qui*
salui fiunt, & in his qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mor- 2. Cor. 2. 15. 16.
tem, alijs autem odor vitæ in vitam. Sequitur.

A
33. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terram?* Ordinem cœli nosse est, supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem vero eius in terram ponere est ante humana corda talium secretorũ causas aperire, supernorum iudiciorum mysteria, vel considerando discutere, vel loquendo manifestare, quod vtique facere in hac vita nullus potest. Quis intelligat cur viuit alius insidians proximis, & moritur alius qui profuturus vitæ esset multorum? Ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXX.

B
34. NVMQVID *eleuabis in nebulam vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?* Vocem quippe suam Dominus in nebulam leuat, quando prædicatorum suorum linguas ad caligosa corda infidelium exhortatione format, eumque aquarum impetus operit, dum bene agentis membra eius turba resistentium premit. Hinc enim scriptum est. *Factum est verbum Domini ad Ieremiam dicẽs. Ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos, noli subtrahere verbum: si forte audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali quod ego cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus. Si non audieritis me, vt ambuletis in mea, quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens & dirigens, & non audistis. Dabo domũ istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentib. terræ. Et audierunt sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cumque complesset Ieremias loquẽs omnia quæ præceperat ei Dominus vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus dicens. Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini?* Per semetipsum quoque Dñs in nebulã voce leuauit, quando præsentem se etiam assumpto corpore exhibens, veritatem suam non securis infidelib. quando per caliginem sonuit dicens. *Ego & pater vnum sumus.* Et. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Sed eum protinus *aquarum impetus* operuit, quia contra illum mox sæuiens populorũ turba surrexit. Scriptum quippe est. *Propterea ergo quærebant eum Iudæi occidere, quia non solum soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* De hoc aquarum impetu per Prophetam clamat. *Circumdederunt me sicut aqua tota die.* Et. *Saluum me fac Deus quoniã intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.* MORALITER. Quamquam fideles sumus, dum quibusdam superuacuis curis premimur, obducta confusione caligamus. Et cum nobis etiam talibus mira quædam Dominus de se sentienda insinuat, quasi *in nebulam vocem leuat*, dum caligosis nostris mentibus semetipsum loquitur, velut in nebula is qui non cernitur, auditur. Cum enim cæcis nostris mentibus subtilia de seipso insinuat, *in nebulam vocem leuat.* Cum vero tentatione vitiorum ipse de Deo noster intellectus opprimitur, quasi *aquarum impetu* in voce sua Deus operitur. Tot enim super illum aquas admittimus, quot post inspirationem eius gratiæ cogitationes illicitas in corde versamus. Sequitur.

Ierem. 26. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

C

Ioan. 10. 30.
Idem. 8. 58.
Ioan. 5. 18.
Psal. 57. 18.
Ps. 68. 2.

D

35. *Numquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus?* Fulgura quippe ex nubibus exeunt, sicut mira opera ex sanctis prædicatorib. ostenduntur. Nubes quippe ideo vocari solẽt, quia & coruscãt miraculis, & verbis pluunt. Hinc scriptum est. *Fulgura multiplicabit & conturbabit ea.* Vadunt enim fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant, & superna reuerentia auditorum corda transfigunt. Reuertuntur, cum non sibi, sed Dei virib. tribuunt, quicquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est enim Deo dicere, *Adsumus*, nisi illi laudem attribuere gratiæ, à quo se accepisse sentiunt victoriam pugnæ? Fulgur quippe ibat cum Petrus diceret. *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi dabo. In nomine Iesu Christi surge & ambula.* Fulgur autem redit cum ait. *Quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute & pietate fecerimus hunc ambulare?* Et reliqua. Aliter. Fulgura, id est sancti viri mittuntur & eunt, cum à secreto contemplationis ad publicum operationis exeunt, cum ab abscondito speculationis intimæ, in actiuæ vitæ latitudine diffunduntur; sed reuertuntur, quia post opera exteriora quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, vt illic ardoris sui flammam reficiant, & quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant. Vnde Salomon ait. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant*, quia enim corda audientium rigant, flumina; quia vero accedunt, fulgura nominantur. Hinc enim dicitur. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.* Illinc. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt voces suas.* Adsumus, namque dicere est, præsentes se mãdo monstrare. Sequitur.

Psal. 17. 15.

E
Act. 3. 6.
Ibid 3. 12.
Eccl. 1. 7.
Psal. 96. 4.
Psal. 92. 36.
F

36. *Quis posuit in visceribus hominum sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* In galli nomine, prædicatores sancti designantur, qui inter tenebras vitæ præsentis student lucem venturam prædicando, quasi cantando nuntiare. Dicunt enim. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Et. *Hora est iam nos de somno surgere.* De hoc gallo alias dicitur. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum, gallus succinctus lumbis, & aries, nec est rex qui resistat ei.* Vbi leo, Christus accipitur, gallus prædicatores, & Aries Ecclesiarum præpositi designantur: quartum feliciter incedens, Antichristus est prospera cuncta tenens. Notandum quod sapientia diuinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum electis non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, & iuxta quod loquitur lingua, inquirit conscientia. Gallo itaque intelligentia datur, quia doctori veritatis discretionis virtus vt nouerit quibus, quando, vel quomodo inferat diuinitus monstratur. Non enim cunctis vna eademque exhortatio conuenit. Solet enim gallus profundioribus horis noctis, valentiores ac productiores edere cantus, luce vero propinquante, minores ac minutiores omnino voces formare. Sic quippe prædicatores iniquis adhuc mentibus faciunt, dum magnis vocibus æterni iudicij terrores intimant. Illustratis vero mentibus non tam ea quæ sunt pœnæ terribilia, sed ea etiam quæ sunt præmijs mitiora prædicant. Hinc etiam galli sancti se prædicatores prius excutiũt, & sic alios sollicitos reddunt: prius enim sua punire fletibus student, & tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Sequitur.

Rom. 13. 11. 12.
Prou. 30. 29. 30. 31.

G

37. *Quis enarrauit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Quid enim cœlorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum? Per cœli vero concentum, concors prædicantium sermo signatur. Conditor igitur noster cum cœli rationem enarrare cœperit. *Dormire concentum cæli facit*, quia cũ iam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc Ieremias ait. *Non docebit vltra proximum suum; & vir fratrem suum dicens. Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, dicit Dominus.* Vel certe cœlorum ratio est ipsa viuificatrix virtus, quæ spiritus format Angelorum. Dominus enim sicut est causa causarum, sicut vita viuentium, ita etiam ratio rationabilium creaturarum. Tunc ergo cœlorum rationem narrat, cum semetipsum nobis claræ visione manifestat. Vnde in Euangelio dicit. *Venit hora cum iam non in parabolis loquar vobis, sed palam de patre adnunciabo vobis.* MORALITER. *Cælorum rationem* Dominus narrat, dum nunc insinuando superna secreta, electorum suorum mentes illuminat: *concentum* vero *cæli dormire facit*, dum concordes hymnos Angelorum, atque illa cœlestium virtutum gaudia reproborum cordibus iusto iudicio abscondit. Qui concentus cœli, quamuis intrinsecus in se vigilet, in ipsa tamen reproborum ignorantia extrinsecus dormit. Narratur ergo secreti cœlestis ratio, & tamen concentus cœli dormire permittitur, quia & aliis per inspirationem supernæ retributionis scientia pandi-

H
Iere. 31. 34.
Ioan. 16. 25.

A tur,& alijs quæ sit internæ laudis suauitas occultatur. Cō-
centus enim supernæ laudis in aure illius proruperat, qui
Psal. 41. 5. dicebat. *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad do-*
mum Dei. Sequitur.
38. *Quando fundabatur puluis in terra, & glebæ compingebantur.*
More enim suo, quæ adhuc futura sunt, quasi iā præterita
diuinus sermo describit. De eo quippe dicitur. *Qui fecit quæ*
futura sunt Puluis itaque tunc in terra fundatur, quia in so-
lida membra reducitur: glebæ compinguntur, quia nimi-
rum firma corpora ex puluere collecta consurgunt. Mo-
RALITER. Quid in puluere, nisi peccatores accipimus, qui
nullo rationis pondere solidati, cuiuslibet tentationis fla-
tu rapiuntur? De quibus scriptum est. *Non sic impij, non sic,*
Psal. 1. 4. *sed tanquam puluis,* & reliqua. Puluis ergo in terra fundatus
est, cum peccatores vocati, in Ecclesiam traditi, fidei sunt
ratione solidati, vt immobiles postmodum contra tenta-
menta consisterent. In hac itaque terra glebæ compactæ
Act. 4. 32. sunt, quia vocati peccatores, & per sancti Spiritus gratiam
B infusi, in collectione sunt charitatis vniti. Hinc enim scri-
ptum est, quia *erat in eis cor vnum & anima vna* in Domino,
Has etiam glebas in Ecclesia ex diuersitate meritorum di-
stinguere valemus. Nam dum alius est ordo prædicātium,
alius auditorum, alius continentium, alius virginum, alius
pœnitentium, quasi ex vna terra è diuersa glebarum for-
ma distincta, dum in vna fide, in vna charitate dispaira de-
monstrantur. Sequitur.
Numquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum eius im-
1. *plebis?* Ista nimirum illa leæna est de qua Iob dixerat. *Non*
Iob. 28. 8. *calcauerant ea filij institorum, nec pertransibit per ea leæna.* Huic
ergo leænæ prædam Dominus capit, vt animam catulo-
rum eius impleat, quia ad augmentum huius Ecclesiæ in-
numeros de Gentilitate diripuit, & per animarum lucrum
esurientium Apostolorum vota satiauit. Ipsi quippe catuli
pro mentis teneritudine & formidinis infirmitate vocati
sunt, qui passo Domino clausis foribus residebant. Sicut
Ioan. 20. 19. de illis scriptum est. *Cum esset sero die illa vna Sabbathorum, &*
fores essent clausæ, & reliqua. Et hæc quidem facta à sanctis
C Apostolis nouimus, hæc nunc etiam fieri à rectis doctori-
bus scimus. Ipsi enim subsequentium populorum patres
sunt, tametsi præcedentium filij. Vnde & non immerito ca-
tuli dicuntur. Vel certe, quia etsi quorūdam magistri sunt,
vniuersalis tamen Ecclesiæ esse discipuli gloriantur. Leæ-
næ itaque Dominus prædam capit, quia virtute suæ inspi-
rationis ab errore vitam delinquentium diripit, & animas
catulorum eius replet, quia conuersatione multorum
pijs doctorum desiderijs satisfacit. Sequitur.
Quando cubant in antris, & in speluncis insidiantur. Cum e-
2. nim nequaquam sancti Apostoli contra membra Diabo-
li in voce liberæ prædicationis exurgerent, adhuc contra
aduersarios suos quasi in antris insidiabantur. Clausis q̄p-
pe forib. quasi in quibusdam abditis specubus suis catuli
rapturi mundum cubant, vt animarum prædam postmo-
dum præsumentes diriperent. Horum primo illi catulo e-
surienti, sed etiam valentius tensa per linteum Gentilita-
Act. 10. 13. te, quasi monstrata præda dicitur. *Macta & manduca.* Aliter.
Doctores etenim sancti qñ & arguenda conspiciunt, & ta-
D mē per silentium in cogitationib. retinent, quasi in specu-
bus latent; & velut in antris se contegunt, quia in suis cor-
dib. occultāt. Sed cū opportunum tempus inuenerint,
repente prosiliunt, & nulla quæ dicenda sunt reticent, &
ceruicem superbientiū morsu asperæ increpationis tenēt:
neq; enim cuncta tempora doctrinæ sunt congrua. Sequi-
tur.
Quis præparat coruo escam suam quando pulli eius ad Dominum
3. *clamant?* Quid enim corui pullorum nomine, nisi peccati
nigra Gentilitas designatur? De qua per Prophetam dici-
tur. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum,* & reli-
Psal. 146. 9. qua. Iste coruus esca fuit, dum ipsam Ecclesiam quæreret,
sed nūc escam accipit, quia ipse ad conuersionem alios ex-
quirit, cuius videlicet pulli, id est prædicatores ex eo editi,
non in se præsumūt, sed in virtib. redemptoris sui; & quam-
uis animarum pijs vocibus esuriant, nihil tamen sua virtu-
1. Cor. 3. 7. te posse sciunt. *Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui ri-*
gat, sed qui incrementum dat Deus. Sequitur. *Vagantes eo quod*
non habeant cibos. In hac vagatione nil aliud quàm æstuan-
tium prædicatorum vota signantur, qui dum in Ecclesiæ E
sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succen-
si, nunc ad nos, nunc ad illos colligendos desiderium
mittunt. Quasi quædam quippe vagatio est ipsa cogita-
tionis æstuatio. Sic quippe Paulus transire ad alia ex alijs
appetit, quia ipsa eum quæ implet charitas impellit. Re-
tentus Ephesi, Corinthijs scribit. *Ecce tertio hoc paratus* 2. Cor. 12. 14.
sum venire ad vos. Rursum Ephesi commorans, Galathis Gal. 4. 20.
loquitur dicens. *Vellem modo esse apud vos, & mutare vocem*
meam. Potest etiam corui nomine nigra per infidelitatis
meritum plebs Iudaica designari. Pulli nimirum sancti
Apostoli sunt, plebis Israeliticæ carne generati; qui dum
pro gente sua ad Dominum preces funderent, quasi pul-
li coruorum eum de quo carnaliter editi sunt spiritali in-
telligentia parentem populum pauerunt. Igitur dum *pul-*
li clamant, coruo esca præparatur, quia dum Apostoli ex-
orant, plebs dudum perfida ad cognitionem fidei duci-
tur, & ex prædicatione filiorum, dum Iudæa audiens
modo in tribus millibus, modo in quinque millibus spi- F
rituali est intelligentia satiata. Sed vagantes pulli coruo
huic esurientes quæsierunt escam, quia Iudæa credere
nolente, Apostoli in vniuersam mundi partem dispersi
sunt, dicentes resistentibus. *Vobis quidem primum oportue-* Act. 13. 46.
rat loqui verbum Dei, sed quoniam repellistis illud, & indignos vos
iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Tuncque cor-
uus escam inuenit, quia conuersa Gentilitate Iudaicus
populus ad extremū stultitiam suæ infidelitatis relinquet.
Sicut scriptum est. *Donec plenitudo gentium intraret, & sic o-* Rom. 11. 25.
mnis Israel saluus fiet. MORALITER. Coruus editis pullis, vt
fertur, escam plene præbere dissimulat, priusquam plume-
scendo nigrescant. Coruus profecto est doctus quisque
prædicator, peccatorum suorum nigredinem menti re-
ducēs, cui quidem nascuntur in fide discipuli; sed fortasse
dum à peccatis præteritis memoriam auertunt, humilita-
tis nigredinem non ostendunt, quibus discretus doctor
sublimia discere quærentibus interna mysteria non mini-
strat. Si vero in confessione vitæ præteritæ lamenta sui ge-
mitus velut nigrescentes plumas proferant, ilico esurien- G
tibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat.
Sed dum pulli vt saluentur, clamant: coruo esca præpa-
ratur, quia dum verbum Dei boni auditores esuriunt, pro-
ficiendis eis maiora doctoribus intelligentiæ, dona tri-
buuntur. Sequitur.
Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes
ceruas obseruasti? Meridiana pars ibices aues vocat, quæ Ni- CAP. XXXIX.
li fluenta inhabitant. Orientalis vero, occidentalisq; pla-
ga, parua quadrupedia Ibices nominant, quibus & moris 4.
est in petris parere, qui casu ruentes, suis se cornibus illæ-
sos suscipiunt. Ceruorum vero mos est serpentes extingue-
re, & flumina transeuntes capitum onera vicissim ferre. In
ceruis vero vel ibicibus, magistrorum spiritualium perso-
na signatur, qui in petris pariūt; dum in doctrina patrum,
qui petra pro soliditate vocati sunt, ad conuersionem a-
nimas gignunt, ipsi nullius casus damna sentiunt, quia
quicquid eis ruinæ temporalis accesserit, geminis se in te-
stamentis suscipiunt. De quibus dicitur. *Cornua in manibus* Habac. 3. 4.
eius. His se excipiebat cornibus Paulus dicens. *Quæcunque* H
scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, & reliqua. Ipsi Rom. 15. 4.
etiam cerui vocati sunt. Vt illud Ieremiæ. *Cerua in agro pepe-* Iere. 14. 5.
rit & reliquit. Ipsi more ceruarum interemptis vicijs quasi
serpentes viuunt, & ad fontem vitę acrius inardescūt. Hinc
scriptum est. *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum,* & reli- Psal. 41. 2.
qua. Ipsi dū labentia huius temporalitatis momenta qua-
si quædam flumina transeunt compatiētes charitate, one-
ra sua inuicem portant, implentes ꝙ dictum est. *Inuicem o-*
nera vestra portate, & reliqua. Quia vero post aduētum Do- Galat. 6. 2.
mini spiritales magistri per mundum sparsi sunt, vt animas
in fide prædicando gignere potuissent, & quia tempus In-
carnationis Domini ante Prophetarum voces cognitum
non fuit, quamuis ipsa futura incarnatio præcognita om-
nibus electis fuerit, bene B. Iob de tempore partus ibicum,
ceruarum discutitur. Possunt vero ceruarum significatio-
ne doctores, appellatione ibicum auditores intelligi. In
petris vero ibices pariunt, qa ad exercenda sancta opera, p
exempla patrum p̄cedentium fœcundantur, vt cū fortasse

præ-

A præcepta sublimia audiunt, & infirmitatis propriæ conscij eos implere posse diffidunt, maiorum vitam conspiciunt, atq; in eorum considerata fortitudine bonorum operum fœtus ponant, vel bigraria. Verborum contumelijs pressas cum virtutem patientiæ seruare non sufficit, Dauid factum ad memoriam reducat. Parturientes enim ceruas obseruare est, ipsos labores patrum qui spiritales filios genuerant, cauta consideratione pensare. Cauta quippe se obseruatione circumspiciunt, vt sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi. Qui per vigorem disciplinæ patres sunt, per pietatis viscera esse matres nouerunt, quia labores sanctæ conceptionis tolerant, & proferendo Dei filios intra vterum charitatis ponant. Sequitur.

5. *Si numerasti menses conceptus earum.* Subaudis, vt ego, qui in sanctis prædicatoribus non solum fructus exterioris operis, sed ipsas diutinas cogitationes numero, quia ad retributionem seruo. B Sancti enim viri cum de profectu auditorum cogitant, quasi iam in vterum conceptum portant: sed cum nonnulla quæ dicenda sunt, differunt, & aptum suis exhortationibus tempus quærunt, veluti aperto quem fieri appetūt in mensium prolixitate dilatantur. Possunt per menses, quia congesti dies sunt, etiam multiplicatæ virtutes intelligi. In mensib. quoque luna renascitur, nihilq; obstat si per menses nouæ regenerationis creatura signetur. De qua Paulus Apostolus ait. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* [Gal. 6. 15.] Sancti igitur cum se ad prædicandum parant, prius se interius virtutibus innouant, vt ad hoc quod loquendo docent, viuēdo concordent. Curant summopere vt contra iram, patientiam; contra luxuriam, cordis munditiam ponant, sicque in conceptu sanctæ prædicationis menses virtutum fiunt, quos tamen menses Dominus solus dinumerat, qui eadem bona in eorum cordib. non nisi qui dedit, pensat. Sequitur. *Et scisti tempus partus earum.* Subaudis, vt ego, qui dum in cogitatione virtutum menses dinumero, quando hoc quod implere appetunt, parere valeant, C scio. Sequitur.

6. *Incuruantur ad fœtum, & *aperiunt, & rugitus emittunt.* [*pariunt.] Mugiunt quippe dum per incuruationem suam in conuersatione lucis auditorū animas gignunt; quia ab æternis supplicijs nos remouere, nisi flendo & dolendo non possunt. Hinc Paul' dicebat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* [Gal. 4. 19.] Et *O insensati Galathæ,* & reliqua. [Galat. 3. 1.] Notandum vero est quod incuruantur istæ ceruæ vt pariant, quia ab immensitate contemplationis intimæ, ad infirmitatem nostram condescendunt. Hinc Paulus ait. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* [1. Cor. 3. 1. 2.] Sequitur.

7. *Separantur filij earum, pergunt ad pastum, egrediuntur & non reuertentur.* Pastum Scriptura sacra illud viriditatis æternæ pabulum vocat. Vnde Psalmista ait. *Dominus regit me,* & reliqua. [Psal. 22. 1.] Et rursum. *Nos autem populus eius & oues pascuæ eius.* [Psal. 99. 3.] Pergunt ergo ad pastum, quia de corporibus exeuntes illa pabula internæ viriditatis inueniunt. *Et non reuertentur ad eas.* Quia in illa suscepta contemplatione iam nullatenus D indigent verba audire dicentium. Hinc enim scriptum est. *Non docebit vltra quis proximum suum, & vir fratrem suum dicens. Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me,* & reliqua. [Iere 31. 34.] Et Dominus. *Palam,* inquit, *de patre annuntiabo vobis.* [Ioan 16. 25.] Sequitur.

8. *Quis dimisit onagrum liberum in solitudine?* Subaudis vt ego? Per onagrum eorum vita signatur, qui à turbis popularibus remoti conuersantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est seruitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis sponte desudetur; at si quem semel à dominatione desideriorum collum eius excusserit, quadam iam libertate perfruitur, ab hoc graui iugo seruitutis Dominus reuocat dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* [Math. 11. 28.] Liber ergo dimittitur, quia calcatis terrenis desiderijs appetitione rerum tēporalium securitatem mentis exonerat. Mystice. Nescio dignum quis iudicet per tale animal, incarnatum Dominum posse figurari, qui in Scriptura sacra vermis & scarabeus nominatur. Vt illud. *Ego sum vermis.* [Psal. 21. 7.] Et, *Scarabeus de ligno clamauit.* Sic quippe agno & serpenti comparatur. E Per hæc enim omnia dici singulariter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Potest ergo onager incarnatum Dominum designare, agri quippe est animal onager. Et quia incarnatus Dominus Gentilitati magis quam Iudææ profuit, quasi non in domum, sed potius in agrum venit. Hinc scriptum est. *Species agri mecum est.* [Psal. 49. 11.] Et quia incarnatus Dominus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo alias dicitur. *Inter mortuos liber.* [Psal. 87. 6.] *Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati.* [Ioan. 8. 34.] Hic quippe dimissus est liber, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis iugo nullumodo tenetur. Sequitur. *Et vincula eius quis soluit?* Subaudis, nisi ego? Soluuntur vero vniuscuiusque vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Soluit itaque Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos erumpit, & propitius dissipat omne quod in electa mente ligabatur. Typice. F Vincula Domini tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis, illius resurrectionis sunt gloriā cōmutatæ. Esurire enim, sitire, lacessere, teneri, flagellari, crucifigi nostræ mortalitatis vinculū fuit. Sed cum expleta morte inferni claustra patefecerent, quid aliud nisi infirmitatis nostræ vincula soluebantur? De quibus vinculis Petrus ait. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* [Act. 2. 24.] Sequitur.

9. *Cui dedi in solitudine domum.* Hoc loco solitudinem debemus intelligere corporis, an solitudinem cordis? Sed quid est solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ ac terrenorum desideriorum cogitationi se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe. Omnes enim motus importune se offerentium leuium cogitationum quasi quasdam circumuolantes muscas ab oculis mentis abigit manu grauitatis, & quoddam sibi cum G Domino secretum intra se quærit, vbi cum illo exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est. *Factum est silentium in cœlo quasi media hora.* [Apoc. 8. 1.] Allegorice. Per solitudinem Gentilitas designatur, in qua dum Patriarcha non fuit ad intelligendum Deum, qui ratione vteretur non fuit, homo pene non fuit. Hinc Esaias ait. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* [Esa. 35. 1.] Et rursum de Ecclesia dicitur. *Ponet desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* [Idem. 51. 3.] In solitudine ergo Dominus domum accepit, quia post mortem ac resurrectionem suam ad gratiam fidei Gentilitatem vocare dignatus est. Sequitur. *Et tabernacula eius in terra salsuginis.* Salsugo accendere sitim solet, & quia sancti viri quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur. Sicut scriptum est. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,* & reliqua. [Matt. 5. 6.] Allegorice. Terra salsuginis Gentilitas intelligitur, quæ priusquam verā Dei sapientiam H cognosceret, salsuginem protulerat, quia nullam viriditatem boni intellectus proferens peruersa sapiebat. De qua scriptum est, *Terra fructifera à salsugine,* & reliqua. [Psa. 106. 34.] Tabernaculum ergo in terra salsuginis Redemptor noster accepit, qui incarnatus pro hominib. derelicta à Deo Gentilitatis corda possedit. De quo scriptum est. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* [Idem ead. 35.] Sequitur.

10. *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Multitudinem ciuitatis contemnere est, humanæ conuersationis praua studia deuitare, vt iam non libeat terrenorum hominum (qui præ abundantia iniquitatis multi sunt) perditos mores imitari. Cum paucis namque ingredi angustam portam desiderant, & non cum multis læta itinera ingredi appetunt, quæ ad interitum ducunt. Vnde & sponsi voce sponsæ in Canticis Cāticorum dicitur. *Nisi cognoueris te, ò pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos.* [Cant. 1. 8.] Moraliter. Contemnit multitudinem ciuitatis, id est mores despexit humanæ conuersationis. Homo quippe inter homi-

A hominem factus, vsum tenere hominum noluit. Idcirco namque inter nos homo factus est, vt non solum nos sanguine fuso redimeret, sed ostenso exemplo commutaret. In conuersatione igitur nostra & veniendo alia inuenit, & viuendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe progeniti prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus aduersa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cum Iudæi illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex refugit, cumque eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Quia ergo noua conuersatione vsus iter hominis, quia mores secutus non est, bene de eo scriptum est. *Contemnit multitudinem ciuitatis*, Vel certè quod multos per spatiosam viam vagantes deseruit, & per angustam gradiantes paucos elegit. Multitudinem namque ciuitatis contemnere est, humani generis partem, quæ latam viam ingreditur,

B quæ & pro abundantia iniquitatis multa est, à regni sui sorte reprobare. Sequitur. *Clamorem exactoris non audit*. Quis intelligi exactor alius pôt nisi Diabolus? Qui semel in Paradiso homini malæ persuasionis nummum contulit, & quotidie ab eo huius debiti exigere reatum quærit. Huius exactoris sermo est malæ suggestionis inchoatio. Sciendum præterea est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat.

1. Reg. 14. 27 Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit, vt Ionathan in gustu mellis edendi tempus anteceſſit. Aliquando vero tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit,

Nu. 11. 31. 32 sicut populus in eremo cibos carnium petiit, quos lautiores putauit. Aliquando quælibet sumenda sint præparare accuratius expetit, vt puer filiorum Heli, nô coctas more solito de sacrificio carnes, sed crudas quærebat, quas accu-

1. Reg. 2. 15. ratius exhiberet. Aliquando autem in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit, quælibet sumenda

Ezec. 16. 49 sint. Vt illud *Sodomæ iniquitas fuit saturitas panis & abundantia aquæ*. Aliquando despectus est cibus, sed auidius sumi-

Gen. 25. 34. tur, vt Esau primogenitorum gloriam lenticula vendens. Ser-

C mo ergo huius exactoris est necessaria postulatio naturæ: clamor vero eius, mensuram necessitatis transiens, appetitus gulæ. Hic itaq; onager exactoris huius sermonê audit, clamorem non audit, quia discretus ac continens vir, & vsque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & à

Rom. 13. 14. voluptate restringit. Hinc quippe scriptum est. *Carnis curâ ne feceritis in desideriis*. MYSTICE. Huius exactoris violentos

Ioan. 14. 30. motus Dñs non expauit adueniens, sicut ipse ait. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non inuenies quicquam*. Venit quippe ad eum exactor humani generis, quia illum hominem vidit; sed quem in se infirmitate despectum hominê credidit, virtute supra hominem sensit. Hus[9] nimirum exactoris typum Laban tenuit, quando cum furore veniês

Gen. 31. 34. sua apud Iacob Idola requisiuit. De hoc exactore Redemptori nostro Gentilitatem ab eius dominio liberanti per

Esa. 9. 4. Prophetam dicitur *Iugum enim oneris eius, & sceptrum exactoris eius superasti*, & reliqua. Sequitur.

11. *Circumspicit montes pascuæ*. Montes pascuæ, altæ contem-

D plationes internæ refectionis. Sancti enim viri, quanto magis se exterius despiciendo deiiciunt, tanto amplius interius reuelationum contemplatione pascuntur. Vnde scri-

Psal. 83. 7. ptum est. *Ascensus in corde eius disposuit in valle lachrymarum*. Aliter. Montes etiam pascuæ sunt, sublimes virtutes Angelorum, quæ idcirco hic nos ministrando & adiuuando reficiunt, quia illic internæ contêplationis toto pinguescunt; quæ quia largiente Deo in omni nos certamine protegût, rectè circumspici dicuntur. Aliter. Montes pascuæ possunt altæ sententiæ Scripturæ sacræ accipi. De quibus scriptum

Psal. 103. 18. est. *Montes excelsi ceruis*. Quia nimirum hi qui iam dare contemplationis saltus nouerunt, altas sententiarum diuinarum virtutes, quasi cacumina montium ascêdunt. MYSTICE. Montes accipimus elatos huius seculi, qui in corde suo altitudinem terrarum tenuerunt: sed quia etiam tales Dñs Ecclesiæ suæ corde conuersos inuiscerat, eosque à priori elatione commutans in sua membra transformat, isti môtes pascuæ eius sunt, quia nimirum de conuersatione errantium, de superborum humilitate satiatur, & sicut Apo-

Ioan. 6. 27. stolis ad prædicationem missis præcepit dicens. *Operamini,*

Idem. 4. 34. *nô cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. Sicut ipse ait. *Meus cibus est, vt faciam voluntatê eius qui misit me*. De his mô-

B tib. scriptum est. *Nô repellet Dominus plebem suam, quoniam in* *Psal. 93. 14.*
manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines môtium ipsius sunt. *Psal. 94. 4.*

Conuertit namque eum quem conspicit sicut scriptû est.
Conuersus Dominus respexit Petrum. Et sicut Salomon ait. *Rex* *Luc. 22. 61.*
qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo. Nota- *Prou. 20. 8.*
dum quod non ait, inspicit, sed *circumspicit*; in Iudæa quippe incarnatus est Dominus, quæ posita in medio gentium
fuit, atque ideo circumspicit montes quia latos *huius se- *[* elatos.]*
culi circunquaq; positos ex Gentilitatis vniuersitate colligit. In his itaq; môtib. pascitur, quia bonis operib. conuersorum quasi herbis virentib. saginatur. Hinc scriptum est. *V-
bi pascis, vbi cubas in meridie*. Seq. *Virentia quæque perquirit*. Vi- *Cant. 1. 7.*
rentia quippe sunt omnia, quæ temporaliter condita venturo fine iocunditate vitæ præsentis quasi æstiuo sole siccantur. Virentia aût vocata sunt, quæ nulla temporalitate marcescunt; hinc onagro despectis reb. transitoriis virentia perquirere est, in æternum mansura sancto vnicuiq; vi-
ro desiderare. TYPICE. Arentia namq; sunt corda hominû *F*
quæ in huius seculi peritoris plantata æternitatis fiduciam non habent: virêt aût, quę illi hæreditati inhærent. De qua
Petrus Apostolus dicit. *In hæreditatem incorruptibilem*. Quis- *1. Pet. 1. 4.*
quis itaq; intrinsecus arescere formidat, arentia extrinsecus mundi huius desideria fugiat. Quisquis a Domino perquirere desideras æternam patriam appetens, interna cordis plantatione viridesces. Hæc autem de onagrô exposita duplici intellectui sufficiant, lectoris vero iudicio relinquendum est, quid magis duxerit eligendum.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

MORALIVM IN IOB

LIBER XXXI.

G

NVMQVID *volet Rinocerus seruire tibi*? Subaudis? Qui cum prædicamentis quidem hominum diu resistere pertuli, sed tamen repente cum volui miraculis straui. Rinocerus *12.*
enim indomitæ omnino naturæ est, ita vt si
quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiês quippe vt fertur, illico moritur. Ei[9] vero nomine Latina lingua interpretatum sonat in nare cornu. Et quid aliud in nare, nisi fatuitas, quid in cornu, nisi elatio designatur? Nam quia in nare fatuitas solet intelligi, Salomone attestante didicim[9]
qui ait. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua*. Et *Prou. 11. 22.*
quod in cornu superbia designatur, Propheta demonstrat dicens. *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentib. nolite exal-*
tare cornu. Quid ergo in Rinocerote hoc, nisi potentes hu- *Ps. 74. 5.*
ius seculi designâtur? vel ipsæ in eo principatuû potestates, qui typo fatuæ iactationis elati, dum falsis exterius inflan- *H*
tur honoribus, veris miseriis intus inanescunt, quib. bene
dicitur. *Quid superbit terra & cinis*? Sed cornu suum Rino- *Eccl. 10. 9.*
cerus iste terendo Ecclesiam in Martyrib. lassatus inclinauit, cum potestates huius mundi non verbis, sed miraculis Deus fregit, sibiq; subditas fecit. Aliter. Rinocerus iste, qui etiam Monocerus Græcis exemplarib. nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur. Et sicut quidam dicunt, virgo ei puella proponitur, quæ se veniente sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita, caput deponit, sicque ab eis à quibus capi quæritur, repente velut eneruis inuenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam Elephantem cornu (quod immane singulariter gestat) in ventre infigere perhibetur, vt eum facile sternat. Potest ergo per hunc Vnicornem, ille populus designari, qui dum de accepta lege, non opera, sed solâ inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter ceteras bestias, cornu singulariter gestauit. Vnde
scriptum est. *Libera me de ore Leonis, & à cornib. Vnicornuorum*. *Ps. 21. 22.*
Ac si ergo B. Iob typum beatæ Ecclesiæ tenenti dicatur. Numquid illum populum quem superbire in nece fide-

A lium stulta sua elatione consideras, sub iure tuæ prædica-
tionis inclinas? Subaudis, vt ego? qui & in me illum singu-
lari cornu extolli conspicio, & tamen mihi cum volueto
protinus subdo, Paulus ergo ad medium ducatur, qui dũ
contra Deum se quasi de custodia legis nesciens, extulit,
cornu in nare gestauit. Vnde & hoc ipsum naris cornu per
1. Tim. 1. 13 humilitatem tu postmodum inclinans dicit. *Qui prius fui bla-
sphemus & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam conse-
cutus sum, quia ignorans feci.* Virgo nimirum Rinocerotis si-
num suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei sapientia
incarnationis suæ mysterium de cœlo loquendo patefe-
Act. 9. 4. cit dicens. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et fortitudinem
suam Rinocerus perdidit, quia prostratus humo omne
quod superbum tumebat, amisit. Sequitur. *Aut morabatur
ad præsepe tuum?* Præsepe hoc loco ipsa Scriptura sacra non
inconuenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia
Psal. 67. 11 sancta satiantur. De quibus per Prophetam dicitur. *Anima-
lia tua habitabunt in ea.* Sed elati oẽs in primordiis nascentis
B Ecclesiæ tanto minus in prædicatorum præsepe claudi se
iam contempserant, quanto magis in voluptatibus pro-
prijs dimissi desperationis suæ campum tenebant. De qui-
Ephes. 4. 19 bus Paulus ait. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudici-
tiæ in operatione immunditiæ omnis in auaritiam.* Et tamen eum
voluit repente Dominus ad suum eos præsepe religauit. Ec-
ce enim cernimus quod potentes huius seculi, eius prin-
cipes prædicamenta Dominica libenter audiunt, constã-
*passimq. ter legunt, passimq; * à præsepe non exeunt, quia præcepta
Dei quæ aut legendo aut audiendo cognoscunt, nequa-
quam viuendo transcendunt, sed ad verbi pabulum quasi
clausi stare æquanimiter tolerant, vt edendo & permanen-
do pinguescant. Aliter. Isdem Rinocerus etiã ad Dei præ-
sepe moratus est, quia ruminare verba Euangelij dedigna-
Gal. 2. 1. 2. tus non est. Ait enim. *Ascendi Ierosolymã cum Barnaba assum-
pto & Tito, ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum
Act. 9. 5. eis Euangelium.* Et quia prius ieiunus audierat. *Durum tibi est
contra stimulum calcitrare.* mira postmodum virtute præsi-
dentis pressus ex verbi pabulo vires obtinuit. Sequitur.
C *Numquid alligabis Renocerota ad arandum loro tuo?* Lora sunt
9. Ecclesiæ præcepta disciplinæ; arare vero est, per prædica-
tionis studium humanum pectus vomere linguæ proscin-
dere. Scimus, Rinocerus iste terrenus videlicet princeps,
quanta prius crudelitate sæuierit, & nunc agente Domino
cernimus quantis disciplinæ loris adstrictus sit, qui nõ so-
lum se à prauis operibus retinet, sed etiam in sanctæ fidei
prædicatione exercet; quos dum metuere Deum in suis a-
ctionib. cernimus, quid aliud q̃ loris ligatos videmus? Cũ
vero eam fidem, quam dudum persequendo impugnaue-
rant, nunc prolatis legib. prædicare non cessant, quid aliud
faciunt, nisi aratri labori insudant? Aliter. Loris præfatus
Rinocerus astringitur, quia videlicet vno in tempore cæ-
citate, prædicatione, baptismate ligatur, vt non solum ho-
mines crudelitatis cornu nõ impetat, sed eorum etiam re-
fectione sæuiens, aratrum prædicationis trahat. Ipse quip-
1. Cor. 9. 10. pe de euangelizantibus quasi de arantib. dicit. *Debet enim
in spe qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Qui
igitur tormenta prius fidelibus irrogauerat, & per fidem
D postmodum flagella libenter portat, profecto bene liga-
tos sub aratro desudat ad segetem, qui viuebat in campo
male liber à timore. Sequitur. *Aut confringet glebas vallium post
te?* Plerumq; autem terræ principes loris fidei ligati exigẽ-
te ira ad feriendum rapiuntur, regni culmina quasi cornu
ad profectum regni cœlestis inclinant. Aliter. Iam Domi-
nus quorundã mentes intrauerat, qui illum veraciter hu-
mani generis redemptorem credebant; qui tamen dum
nequaquam à pristina obseruatione recederent, dura lite-
ræ prædicamenta custodirent, eis prædicator egregius di-
Galat. 5. 2. cit. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Qui ergo
in humili mente fidelium, legis duritiã redarguendo con-
triuit, quid aliud quam in valle post Dominum glebas fre-
git? Ne videlicet grana seminum quæ ex eius aratro fidei
sulcus cordis excepetat, per custodiam literæ depressa de-
perirent. Sequitur.
Numquid habebis fiduciam in fortitudine eius? Ac si dicatur,
14. vt ego? In Rinocerotis fortitudine fiduciam Dominus ha-
bere se asserit, quia quod temporaliter terreno principi
cõtulit, ad cultum suæ venerationis inclinauit. Quo enim B
in mundo plus potest, eo pro mundi auctore plus præua-
let. Nam quia à subiectis ipse metuitur, tanto facilius per-
suadet, quanto & cum potestate indicat qui vere metuatur.
Aliter. In Rinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus ha-
buit, quia quãto illum crudelius dura sibi inferẽtem per-
tulit, tanto per se constantius tolerantem aduersa præsci-
uit. Sequitur. *Et derelinques ei labores tuos?* Labores enim suos
huic Renoceroti Dominus dereliquit, quia conuerso ter-
reno principi eam quam sua morte mercatus est Ecclesiam
credidit. Quia videlicet in eius manu quanta sollicitudine
pax fidei sit tenenda, commisit. Aliter Labores etiam quos
ipse in carne pertulerat Rinocerotι dereliquit, quia con-
uersum illum vsque ad imitationem propriæ passionis tra-
xit. Vnde & per eundem Rinocerotam dicitur. *Suppleo ea
quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Sequitur. Colos. 1. 24.
Numquid credes ei quod reddat sementem tibi, & aream tuam 15.
congreget? Quid aliud semen, nisi verbum prædicationis
accipitur? Sicut in Euangelio Dominus dicit. *Exijt qui semi-* Matt. 13. 3.
nat semen suum. Et sicut Propheta ait. *Beati qui seminatis super* Esa. 32. 20.
omnes aquas. Quid aliud area, nisi Ecclesia debet intelligi? F
De qua rursus voce Præcursoris dicitur. *Et permundabit areã
suam.* Quis ergo in initio nascentis Ecclesiæ crederet, dum Matth. 3.
cõtra eã ille indomit* principatus terræ tot minis & crucia-
tibus sæuiret, quia Rinocerus iste Deo sementẽ redderet, .i.
acceptum prædicationis verbũ operibus repensaret? Quis
possit tunc infirmorum credere quod eis aream congre-
garet? Ecce eum modo pro ecclesia leges promulgat, qui
dudum contra eam per varia tormenta sæuiebat. Hic de
quibuslibet Gentes capere potuerit, ad fidei gratiam illas
suadendo perducit, eisq; æternam vitam indicat, quib. ca-
ptis præsentem seruat. Aliter. Consideremus Paulum quis
ante fidem fuerit, & profecto cognoscimus quia nullus
tunc fidelium crediderat, quod ad iugum Deus suæ formi-
dinis vim tantæ elationis inclinaret. Vnde & Ananias pa-
uens ait. *Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala sanctis
tuis fecerit in Ierusalem.* Qui tamen repente commutatus ab Act. 9. 13.
hoste prædicator efficitur, & in cunctis mundi partib. Re- G
demptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tole-
rat; alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus re-
uocat, & tanto Dei aream congregat, quanto illum prius
elatione ventilabat. Sed neq; hoc abhorret à Paulo quod
Rinocerus buxei coloris dicitur. Quid enim per colorem
buxeum, nisi abstinentiæ pallor exprimitur? Cui ipse te-
naciter adhærere testatur dicens. *Castigo corpus meum & in
seruitutem subijcio,* & reliqua. Qui cum aliorum ingluuiem 1. Cor. 9. 27.
redarguit, cornu Elephantos in ventrẽ ferit. Vt illud. *Multi
enim ambulant quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico inimi-* Phil. 3. 18.
cos crucis, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & reli-
qua. Et rursum. *Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo
ventri.* Quæ ergo in Paulo scripta cognouimus, superest vt Rom. 16. 18.
facta & in alijs credamus. Sequitur.
Penna Struthionis similis est pennis Herodij & accipitris. Quis
Herodium & accipitrem nesciat aues reliquas quanta vo- 16.
latus sui velocitate transcendant? Struthio vero eorum
pennæ similitudinem habet, sed volatus eorum celerita-
tem non habet. A terra vero eleuari non valet, & alas quasi H
ad volatum specie tenus erigit. Significat omnipotens
hypocritas, qui dum bonorum vitam simulant, imitatio-
nem sanctæ visionis habent, sed veritatem sanctæ actionis
non habent; qui alas per figuram sanctitatis extendunt,
sed curarum secularium pondere grauati, nullatenus à ter-
ra subleuantur. De quo pondere per Prophetam dicitur.
Filij hominum vsquequo graues corde? De his Dominus ait. *Væ* Psal. 4. 3.
*vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris deal-
batis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt* Matt. 23. 27.
ossibus mortuorum, & reliqua. Et quoniam Accipitris & He-
rodij parua sunt corpora, sed pennis densioribus fulta; id-
circo eum celeritate transuolant, quia aeris parũ inest quod
aggrauat, multum quod leuat. At contra Struthio raris pẽ-
nis indutus, immani corpore grauatũ, vt & si volare appe-
tit, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aera
non suspendat. Bene ergo in Herodio & accipitre electo-
rum persona signatur, quia q̃diu in hac vita sunt, sine quã-
tulæ culpæ contagio esse non possunt. Sed cum in eis pa-

rum

A tum quid ioest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollit; at contra hypocritæ, & si faciunt pauca quæ eleuant, perpetrant multa quæ grauant. Hæc quoque ipsa Struthionis penna, ad pennas Herodij & accipitris similitudinem coloris habet, virtutis similitudinem non habet. Quid ergo in his aspicimus, nisi quod electorum virtutes solidæ volant, & ventos humani fauoris premunt? Hypocritarum vero actio quamlibet recta videatur volare non sufficit, quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit. Aliter. Quid Struthionis nomine, nisi Synagoga signatur? quæ alas habuit, sed corde in infima repens, nunquam se à terra sublenauit? Quid vero per Herodium & accipitrem, nisi antiqui Patres exprimuntur? qui ad ea quæ potuerint intelligenda perspicere valuerunt etiam viuendo penetrare. Pēna igitur Struthionis, Herodij & accipitris est similis, quia Synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed

B viuendo nescit. Vnde eiusdem Synagogæ populis Veritas

Matt. 23. 2. ait. *Super Cathedrā Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite*, & reliqua. Sequitur.

17. *Quæ derelinquit in terra oua sua.* Quid enim per oua nisi tenera adhuc proles exprimitur? quæ diu fouenda est, vt ad viuum volatile perducatur. Oua quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tñ calefacta in viuis volatilibus conuertuntur: ita nimirum paruuli auditores ac filij certum est quod frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant, assidua doctorum voce fouendi sunt, quousque valeant per intelligentiam viuere, & contemplatione volare. Attamen hypocritæ quamuis peruersa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt. Bene autem loquendo in fide vel conuersatione filios pariunt, sed eos bene viuendo nutrire non possunt, quia ex amore nimio rebus se exterioribus subdunt, in quibus quantomagis se extollunt, tantominus de prolis suæ defectu cruciantur. Oua ergo in terra dereliquisse est, nullum cœlestis vitæ filiis exemplum præbere. Aliter. In ouis aliud

C est quod cernitur, aliud quod speratur, & videri spes non

Rom. 8. 24. pōt. Paulo attestāte, qui ait, *Quod enim videt quis, quid sperat?* Quid ergo per Struthionis oua, nisi synagogæ carne editi Apostoli designantur? Qui dum se in mundo despectos, atque humiles exhibent, sperare gloriam in supernis docent. Abiecti namque & quasi nullius momenti apud electos habiti in terra velut oua iacuerunt, sed intus in eis latebat vnde viuerent, & sublati spei pennis ad cœlestia volarent. Quæ oua Struthio in terra derelinquit, quia eos quos carne genuerat synagoga Apostolos audire contemnens, vocandæ Gentilitati deseruit. Sequitur. *Tu forsitan in puluere calefacies ea?* Ac si dicat, vt ego, qui illa in puluere calefacio Quia scilicet paruulorum animas, & in medio peccantiū positas, amoris mei igne succendo. Quid enim puluis, nisi

Esa. 65. 25 peccator accipitur? Hinc enim scriptum est *Serpentis puluis panis eius.* Hinc est enim quod plerosq; cernimus, & in medio populorum viuere, & tamen vitam torpentia populi non tenere, & vt ita dixerim in frigore calere, vt nequaquā iacentia in infimis torpeant, sed in viuis volatilib. versa, sese

D ad cœlestia contemplando, id est volando suspendunt. Aliter. Mira autem potentia Dñs hæc eadem in puluere oua calefacit, quia viuos Apostolorum fœt⁹ in illa abiecta dudum Gentilitate suscitauit, & quos synagoga velut insensatos inutilificatosque despexerat, ipsi nunc in veneratione gentium per doctrinę magisterium viuentes volant. Oua Struthio in puluere dereliquit, quia & omnes quos prędicando synagoga genuit, à terrenis desideriis minimè suspendit. Sequitur.

18. *Obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri cōterat.* Quid in agro, nisi mundus iste signatur? De quo in Euangelio

Matt. 13. 38. Dominus dicit. *Ager autem est mūdus.* Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur? qui huius mūdi rapinis insidiās, humana quotidie morte satiatur. De qua per Prophetam

Esai. 35. 9. pollicente Domino dicitur. *Et mala bestia non transibit per ea.* Hypocritæ enim eos quos in conuersatione filios generant, more Struthij derelinquunt, & omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinæ custodia destitutos prauorum operum exempla peruertant; si enim oua quæ gignunt, diligerent; nimirum metuerent ne quis ea peruersa opera demonstrando calcaret. Hinc

E

Phil. 3. 2. Paulus metuebat cum diceret. *Videte malos operarios.* Et rursum. *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens*

Ibid 3. 18. *dico) inimicos crucis Christi.* Hanc agri bestiam etiam ouis quæ posuerat formidabat dicens. *Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à charitate quæ est*

2. Cor. 11. 3 *in Christo Iesu.* Hinc Petrus ait. *Aduersarius vester Diabolus,*

1. Petr. 5. 9. *quasi leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Aliter. Tunc oua pes calcat, & bestia agri conterit, cum in terra deseruntur, quia videlicet, humana corda dum semper terrena cogitare, semper quæ ima sunt agere appetunt, ad conterendum se agri bestiæ, id est Diabolo sternunt, vt cum diu infima cogitatione abiecta sunt, quandoque etiam maiorum criminum perpetratione frangantur. Synagoga ergo oua quæ genuit à terra suspendere bene viuendo neglexit, sed omnipotens Deus multos eius filios quamuis in terrenis desideriis mortuos ac frigidos reperit, calore tamen sui amoris à mortuis animauit, sed

F vitam quam filiis synagoga non dedit, hanc postmodum inuadit, dum molitur persequendo extinguere, quos se ad bona opera non meminerat fouendo genuisse. Sequitur.

19. *Duratur ad filios, quasi non sint sui.* Hypocritæ quippe obduratis cordibus viuunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debiti amoris agnoscunt, & quia sua semper appetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compassione mollescunt. O quam mollia viscera gestabat Paulus dicens. *Nunc viuimus si vos statis in Domino.* Et. *Testis mihi est*

1 Thess. 3. 8. *Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Iesu.* Ephe-

Philip. 1. 8. sius quoque ait. *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vo-*

Ephes. 3. 13. *bis quæ est gloria vestra.* Aliter. Quasi non suos respicit, quos aliter viuere quam docuit ipsa reprehendit, & durescente sæuitia terrores admouet, seque in eorum cruciatibus exercet: atque inuidiæ facibus inflammata, in quibus non laborauit vt possint viuere, laborat vt debeant interire. Et cum Domini membra persequitur placere se per hoc Do-

G mino suspicatur. Vnde & eisdem Struthionis ouis Veritas

Ioan. 16. 2. dicit. *Venit hora vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Sequitur. *Frustra laborauit nullo timore cogente.* *Illic namque trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Ecce e-

Psal. 13. 5 nim diuina voce præcipitur. *Si quis tibi tulerit tunicam, & voluerit tecum iudicio contendere dimitte illi & pallium.* Apostolus

Matt. 5. 40. ait. *Quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem*

1. Cor 6. 7. *patimini?* Et tamen hypocrita assumpto sanctæ conuersationis habitu filiorum custodiam deserit, & temporalia quæque defendere etiam iurgiis quærit, exemplo suo eorum perdere corda non trepidat, & quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat. In errore discipulus labitur, & tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur, ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspicit, & hæc quasi inaudita pertransit; at si quod sibi leuiter inferri temporale damnum senserit, in vltionis ira repente ab intimis inardescit: mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrænatur. Aliter. In labore quippe illam persecutionis anhelare non timor, sed crudelitas cogit. Sed

H quia plerumque vitia colore virtutum tincta, tanto nequiora sunt, quanto & esse vitia minime cognoscuntur, eo in persecutione synagoga durior exiuit, quo religiosiorem se fieri fidelium mortibus æstimauit, & idcirco quæ ageret discernere omnino non potuit, quia lumen sibi intelligentiæ per superbiæ abiectionem clausit. Sequitur.

20. *Priuauit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiā.* Quāuis aliud sit priuari, aliud nō dare, hoc tñ repetiit subdēdo nec dedit, quod præmisit priuauit, ac si diceret, quod dixit *priuauit*, non iniuste sapientiam abstulit, sed iuste non de-

Exod. 4. 21. dit. Vnde & Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur. Aliter. Districtum quippe est occultæ retributionis examen, & quia sciens humilitatem perdit, etiam veritatis intelligentiam nesciens amisit. Minora sunt vulnera quæ in redemptoris aduentu fidelibus intulit, quam ea quibus sanctam Ecclesiam adhuc per aduentum Antichristi ferire contendit. Sequitur.

21. *Cum tempus fuerit in altum alas erigit. Deridet equitem, & ascensorem eius.* Quid enim alas huius Struthionis accipimus, nisi perceptas hoc tamen tempore cogitationes hypocri-

tæ quasi complicatas? Qui opportunitate comperta, eas quasi in altum eleuādo superbiens manifestat. Alas in altum erigere est, per superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, quia in semetipso stringit quæ cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat. Notandum vero quod non ait, deridet equum & ascensorem, sed *equitem & ascensorem*. Equus quippe est vniuscuiusque animæ corpus suum, quod videlicet nouit, & ab illicitis restringere, & in bonis operibus relaxare. Equitis ergo nomine animam sancti viri exprimit. Hinc enim scriptum est. *Exercitus qui sunt in cælo sequebātur eum in equis albis.* (Apoc. 19. 14.) Ascensor autem equitis omnipotens est Dominus, qui vniuscuiusque iusti animam possidet, sua mēbra possidentem. *Deridet* ergo hypocrita *equitem*, quia electorum despicit sanctitatem. Deridet ascensorem equitis, dum prosilit, vsque ad iniuriam creatoris. Aliter. In altum Struthio alas erigit, quando suo conditori synagoga non vt antea formidando, sed aperte iam repugnando contradicit. In membra quippe Diaboli transiens, & mendacij hominem Deum credens, contra fideles tantum in altum extollitur, quantum & Dei corpus se esse gloriatur, quę quia non solum humilitatem Domini, sed ipsam etiam diuinitatem, non tantum equitē, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam verbum Dei, tunc equitem ascendit, quando humanam animam principę carni pręsidentem, iuncto cultui semetipsum creando subiugauit; carnem quippe diuinitas anima mediāte, suscepit, & per hoc totum simul equitē tenuit, quia in semetipsum non solum illa regebatur, sed hanc etiam quæ regebat adstrinxit. Iudæa igitur per aduentum superbientis Antichristi laqueo seductionis capta, quia redemptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit, deridet equitem, quia eius in omnib. diuinitatem contradicit, deridet nihilominus & ascensorem. Sed redemptor vnus idemq; & eques, & equitis ascensor, & cum in mundum venit, fortes contra mundum prædicatores exhibuit, & cum in mūdi terminum Antichristi fiduciam tolerat, virtutem ipse certantibus subministrat. Sequitur.

22. *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitū?* Equi nomine sanctus quisq; prædicator accipitur, Propheta attestante qui ait. *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas.* (Habac. 3.) Per hinnitum prędicatio exprimitur, verus autem quisque prædicator ante fortitudinem, & post hinnitum accipit, qui cum in se prius vitia extinxerit, tunc pro erudiendis alijs ad vocem prædicationis venit, fortitudinem habet, qua aduersa constanter tolerat; hinnitū quia ad superna blandiens vocat. Equo enim suo Dominus & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis fortitudinē ministrat actionis. Collum n. equi hinnitu circūducitur, quia ne ad peruersa opera prodeat suis vocib. & sua prædicationis ligatur. Hinc n. per Salomonem dicitur. *Coronā gratiarū accipies capiti tuo, & torquē aureā collo tuo.* (Prou. 1. 9.) MORALITER. Vnicuiq; animæ cui misericorditer Deus præsidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet. De qua Petrus ait. *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærēs quē deuoret, cui resistite fortes in fide.* (1 Pet. 5. 8.) Huic aūt fortitudini hinnitus iungitur, cum fit quod scriptum est. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* (Rom. 10. 10.) Sequitur.

23. *Numquid suscitabis eum quasi locustas?* Subaudis, vt ego, qui illum ad altiora excitando subleuo, qui grauiori persecutionis æstu excruciari permitto. Locustarum nomine aliquando Iudæorum populus signatur, vt illud de Ioanne. *Locustas & mel siluestre edebat.* (Marc. 1. 6.) Aliquando conuersa Gentilitas, vt illud. *Florebit amigdalum*, id est Ecclesia primitus flore virtutum. *Impinguabitur locusta*, id est sicca Gēntilitas pinguedine terræ, *& dissipabitur capparis.* id est Iudæa. (Eccles. 12. 5.) (Ibidem.) Aliquando adulantium lingua. Vt illud. *Ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti.* (Exod. 10. 13.) Aliquando vero per comparationem, resurrectio Dominica, vel prædicatorum vita signatur, vt illud. *Excussus sum sicut locustæ.* (Psal. 108. 23.) Recte vtique ipsa prædicatorum perfectio locustis exprimitur. Mire enim locustarum quotiens se attollere conantur, crura figunt, & alas erigunt, quia recte agendo se stabiliunt, & ad alta videndo subleuantur, rursumque pedibus se suis post saltum excipiunt, dum post contemplationem sublimium, ad actiuam vitam reuertuntur. Vel sicut locustæ matutinis horis vix à terra se subleuant, cum vero æstus ex arserit, tanto altius quanto alacrius volant. Ita nimirum sanctus quisque prędicator, cum quieta fidei tempora conspicit, humilis ac despectus accipitur; si autem persecutionis ardor incandeat, corde cœlestibus inhærens, mox quantæ sit sublimitatis, ostendit. MORALITER. Vnusquisque, qui Deum sequitur in ipso suo exordio, vt locusta suscitatur, qui etsi in quibus actionibus locustarum more flexis poplitibus terræ inhæret, in quibusdam tamen expansis alis se in aera suspendit. Conuersis quippe initia bonis moribus malisque immixta sunt, dum noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Sequitur. *Gloria narium eius terror.* In scriptura sacra vocabulo narium, aliquando fatuitas narium solet intelligi, vt illud. *Circulus aureus in naribus suis.* (Prou. 11. 22.) Aliquando antiqui hostis instigatio, vt illud. *De naribus eius procedit fumus.* (Iob. 41. 11.) Aliquando vero præscientia designatur, vt illud Prophetæ. *Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus eius, quia excelsus reputatus est ipse.* (Esa. 2. 22.) Hoc autem loco narium nomine prædicatoris sancti præscientia ac præstolatio designatur. Dum enim venire extremum iudicium, ostendi cœlestem patriam, persolui iustis præmia appetit, quasi per nares spiritum de futuris trahit. Sed gloria nariū eius terror est, quia visionem districti iudicis quam iustus vehementer expectat, iniustus venire formidat. Hinc Paulus ait. *Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.* (2. Tim. 4. 6. 7. 8.) MORALITER. Pro eo quod non visa res odore deprehenditur, non immerito nariū nomine spei nostræ cogitationes exprimuntur, quibus venturū iudicium quod & si oculis adhuc non cernimus, iam tamen spetando prę uidemus. Omnis autem qui bene viuere incipit, audiens quod per extremum iudicium iusti ad regnum vocentur, hilarescit. Sed quia quædam mala adhuc ex reliquo sibi inesse considerat, hoc ipsum iudicium de quo exultare inchoat, appropinquare formidat, vitam quippe suam bonis malisque permixtam conspicit, & cogitationes suas aliquando spe & timore confundit. Sequitur.

24. *Terram vngula fodit.* Quid per vngulam nisi prædicatoris sancti virtutum perfectio demonstratur? quia videlicet *vngula terram fodit*, dum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes elicit, & auditorum corda à secularibus curis euacuat, cum ipse contemni* seculū opere ostendit? Hinc Paulus discipulis ait. *Hæc cogitate quæ & didicistis, & accepistis, & audistis in me, & Deus pacis erit vobiscum.* (Philip. 4. 9.) Et rursum. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* (Philip. 3. 17.) Aliter. Equus iste vngula terram fodit, cum prædicator quisq; inquisitione forti terrenas in se cogitationes discutit, easq; flendo à se euacuare non cessat. Hinc ad Ezechielem dicitur. *Fili hominis fode parietem.* (Ezec. 8. 8.) Item ad Esaiam Dominus dicit. *Ingredere petram, abscondere fossa humo à facie timoris Domini, & maiestatis eius*, (Esa. 2. 10.) id est penetra duritiam cordis tui, & terrenas cogitationes ab ira districti iudicis in humilitate mentis cela. MORALITER. Vngula terram fodere est, districta abstinentia carnem domare. Sequitur. *Exultat audacter.* Audacter exultat, quia sic aduersis non frangitur, sicut nec prosperis eleuatur. Aduersa namq; non deijciunt, quem prospera nulla corrumpunt. Ne ergo prematur aduersis, habet vim fortitudinis ne eleuetur prosperis, habet pondus desuper sedentis. In aduersis hilarescit, quia augeri sibi virtutis meritum lætatur. Hinc de Apostolis dicitur. *Ibant gaudentes à conspectu concilij*, & reliqua. (Act. 5. 41.) Solent namque hæretici potestatum mundi defensionibus contra fidei prædicationem quasi quibusdam armis se tegere, sed equus iste potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsius quoque vitæ præsentis desiderium per mentis excessum calcat. Hinc per Salomonem dicitur. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* (Prou. 28. 1.) MORALITER. Qui enim valenter reprimit quod impugnat, audacter exultat de his quæ in æterna pace desiderat. Hinc per Salomonem dicitur. *Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* (Pro. 24. 27.) Sequitur. *In occursum pergit armatis.* Plerumque enim quieti atq; innocuissi

*contemnere.

A cassi relinquimur, si obuiare prauis pro iustitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, in quantum locus admittit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos vltro obijcere, sicut de Paulo scriptum est. Act. 19. 28. *Repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes. Magna Diana Ephesiorum*, & paulo post. *Paulo autem volente intrare in populū, non permiserunt discipuli.* Nam cum iustitiā q̄ nos amamus in alijs feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur. MORALITER. Hostes armati sunt immundi spiritus innumeris contra nos fraudib' accincti, qui cum suadere nobis iniqua nequeant, ea sub virtutum specie nostris obtutibus apponūt. Effossa igitur terra armatis hostib. in occursum pergere est, deuicta carnali nequitia contra spiritualia vitia certamen subire. Nāqui adhuc secum eneruiter pugnat, frustra contra se bella extra se posita suscitat. Vel certe armatis hostibus in occursū pergimus, quando per exhortationis studium, eorum insidias & in alieno corde præuenimus: quando nostra cura B ordinate postposita accessum immundorum spirituum à proximi mente prohibemus. Sequitur.

25. Rom. 8. 35. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Videamus quomodo pauorem despiciat, qui ait. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio?* Contra hunc itaque equum tot sunt gladij hostium, quot genera persecutionum. Sed vir sanctus quia ventura aduersa non metuit, pauorem despicit: quia vero nec superueniente persecutione vincitur, nequaquam gladijs cedit. MORALITER. *Contemnit pauorem*, quia nullius tentationis formidine ad hoc vsque terretur vt taceat, *nec cedit gladio*, quia & si violenta illum tentatio percutit, à cura tamen proximi non repellit. Nam Paulus quos ab hoste gladios suscipiat, dicit, & quomodo eisdem gladiis non cedat ostendit. Rom. 7. 23. *Video autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ*, & reliqua. Cæteris autem dicit. Coloss. 3. 5. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Sequitur.

C 26. *Super ipsum sonabit pharetra.* In scriptura sacra pharetræ nomine aliquando iustum Dei occultumque consilium accipitur, vt illud. Iob. 30. 11. *Pharetram suam aperuit & afflixit me.* Aliquando clandestina prauorum machinatio designatur, vt illud Psal. 10. 2. *Parauerunt sagittas suas in pharetra.* Igitur quia equus Dei nulla aduersitate terretur, ei quoq; magis obuiatur, vt eum ex obsessa machinatione longe feriant, cui apertis Act. 23. 13. congressionib. minime appropinquant. Hæc tunc super equum Dei pharetra sonuerat, cū quadraginta viri in Pauli morte conspirauerant. Pharetra ergo sonuit, quia occultæ machinationis ad Paulum causa peruenit. Sequitur. *Vibrabit hasta & clypeus.* Contra equum quippe Dei quia prauorum consilia minæque perstrepunt, pharetra sonat, quia aperta pœna vt interficiatur exquirit, hasta vibratur, quia vero ei disputatione resistitur, clypeus antefertur. Habent enim sancti prædicatores sagittas quib. cor audientium feriunt. De quib. Paulus dicebat. 2. Tim. 2. 9. *Laboro vsque ad vincula quasi malè operans, sed sermo Dei non est alligatus.* Contra quas persecutores clypeo suæ disputationis corda audienD tium muniunt. MORALITER. Equo Dei hostis callidor sagittas per insidias impetit, qñ ei sub virtute vicium abscōdit, hasta aūt cominus vulnerat, cum manifesta nequitia et scientem tentat. Sæpe nonnulli vitæ suæ custodiam negligentes in immundiciam libidinis demerguntur: nonnulli vero dum libidinis immundiciā fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Hasta aūt est culpa de vitio, sagitta aūt de virtute culpa, sed perfectus quisque ab vtroq; protegitur. Hinc Salomon ait. Prou. 3. 26. *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.* Cui etiam clypeum fraudulentus hostis opponit, vt si resistentis pectus feriēdo non perforat, saltem quibusdam obiectionib. proficientis intercludat. Sequitur.

27. *Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tuba clangorem.* Primo homini peccanti dictum est. Gen. 3. 19. *Terra es, & in terram ibis.* Quia ergo sancti Spiritus zelo inflammatus vel inter supplicia positus quoslibet peccatores ad se trahere non desistit, feruens proculdubio terram sorbet. Tubæ aūt clangunt, cum huius sæculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Quia igitur persecutionū minas prædicatores minime formidant, clangorem tubæ sonare non reputant. Hæc à principibus sacerdotum tuba sonuerat, cum flagellatos Apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est. Act. 5. 40. *Cæsis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu.* Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat, ait Petrus. Ibid. 5. 29. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et rursum. Ibid. 4. 20. *Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* MORALITER. Contra equum clangor tubę insonat, qñ electi mente in eo quod agit fortiter è vicino quędam posita culpa terribiliter tentat. Sed *feruens & fremens sorbet terrā*, quia nimio ardore semetipsum discutit, & quicquid in se terrenum rēperit, quo proficiendū consumit, & clangorem tubæ sonare non reputat, quia considerationem fortium ne vitium quod de virtute gloria nascatur sollicitus declinat. Sequitur.

28. *Vbi audierit buccinam, dicit vah.* Equus ergo audita buccina vah dicit, quia fortis quisq; prædicator, cum certamen F sibi passionis propinquare desiderat, de exercitio virtutis exultat, nec terretur pugnæ periculo, quia victorię lætatur triumpho. Videamus Paulum, quomodo amat quod refugit, quomodo refugiat quod amat. Ait. n. Phil. 1. 23. *Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse.* Et tamen dicit. 2. Cor. 5. 4. *Qui sumus in hoc habitaculo ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita.* MORALITER. Multos. n. sua fœlicitas strauit, multos diuturna pax inertes reddidit. Equus ergo audita buccina dicit vah, quia videlicet prælator Dei cū vim tentationis incumbere conspicit, vtilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius aduersitate confidit. Seq. *Procul odoratur bellū.* Bellum quippe procul odorare est, aduersa quæ longe adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improuisa superare. Idcirco. n. quodlibet certamē exsuperat, quia mente certamini ante certamen parat. Hinc Paulus discipulis ait. 2. Cor. 13. 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* MORALITER. Bellum namque procul odorari est, ea causis præcedentib. quę vitiorum pugnæ subsequantur agnoscere, & sicut flatu narium, sic prouisas cogitationum nequiG tias latenter indicare. De quo odoratu rectè in Ecclesię suę laudib. dicit. Cant. 7. 4. *Nasus tuus sicut turris est in Libano.* Seq. *Exhortationes ducum & vlulatū exercitus.* Duces aduersæ partis sunt errorisauctores. De quib. per Psalmistam dicitur. Ps. 106. 40. *Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in inuio & non via.* De quibus per semetipsum Veritas dicit. Matt. 15. 14. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadūt.* Hos autem duces exercitus sequitur, prauorum scilicet turba, quæ iniquis eorum præceptionib. famulatur. Duces autem exhortantur, quia hi qui infidelibus præsunt, praua quæ teneris præcipiunt, quasi exhortatione persuadent. Exercitus vero vlulat, quia caterua reproborum contra vitam moresq; fidelium dum soli rapacitati inhiant, quasi per vlulatum clamant. Sed quisq; prædicator longe ante considerat q̧ vel authores eorum contra electos valeant præcipere, vel turba eis subdita q̄ possit immaniter insanire. De his ducib. ut Paulus ait. *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*, Rom. 16. 18. hos vlulatus odorabatur dicens. Act. 20. 29. *Intrabunt post discessionem meam lupi graues in vos.* MORALITER. H Tentantia quippe vitia quæ inuisibile contra nos pręliū regnante super se superbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cū deuictum cor ceperit, mox illud septem principalib. vitiis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit. *Initiū* quippe *omnis peccati superbia*, Eccl. 10. 15. ex qua nimirum nascitur inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaria, ventris ingluuies luxuria, sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. De inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & nouitatum præsumptiones oriuntur. De inuidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa p̄cepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violētiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immūditia, multiloquiū,

A hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem desperatio futuri generatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus vlulare, quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se miserunt, sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis namque gloria dicit. Debes maiora appetere, vt quo potestate valueris, multos excedere, eo etiam valeas & pluribus prodesse. Inuidia quoque loquitur, in quo illo, vel illo minor es? Non ergo tibi aut superiores esse, aut etiam æquales debent. Ita etiam fatur. Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferre non possunt, quia & si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te sine mensura cumulantur. Tristitia vero ait. Quid habes vnde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Auaritia namque dicit. Vnde culpa est quod quæ-
B dam habenda concupiscis, qui non multiplicare appetis, sed egere pertimescis? Ventris ingluuies clamat. Ad esum Deus munda omnia condidit, & quia satiari cibo respuit, quid aliud quam muneri contradicit? Luxuria vero fatur. Cur te in voluptate tua non dilatas? Si n. misceri Deus hominum in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum fœminam non fecisset, sed miles Dei quia solerter præuidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur, quia mala præeuntia quid menti persuadere valeat, cogitatione sollicita respicit. Exhortationem ducum naris sagacitate deprehendit, & quia longe præsciendo subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi vlulatum exercitus odorando cognoscit. Sequitur.
29 *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, & expandit alas suas ad Austrum?* Non autem hic illud plumæ tempus dicitur, quo in nido vestitur, sed illa annua pluma describitur, quæ laxata vetere penna renouatur. Et quidem domesticis munita ac tepentia loca requiruntur. Agrestib. vero moris est, vt flante Austro alas expandant, quatenus eo-
C rum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest, alis contra radium solis expansis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt. Quid ergo per accipitrem signatur, nisi quod vnusquisque Sanctorum tactus flatu Spiritus sancti concalescit, & vsum vetustæ conuersationis abiiciens, noui hominis formam sumit? Quod Paulus admonet dicens. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum qui secundum Deum creatus est.* [Coloss. 3.] Et rursum. *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen qui intus est renouatur de die in diem.* [2. Cor 4. 16.] Alas quippe nostras ad Austrum expandere est, per aduentum sancti Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire, vt iam non libeat defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, cum ad Austrum & alas expanderit, quia tunc se vnusquisque virtutum pennis induit, cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim vetera fatendo non detegit, nouæ vitæ opera minime producit, qui nescit lugere quod grauat, non valet proferre quod subleuat. Sequitur.
D
30 *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?* [Ezec. 17. 3. 4.] In scriptura sacra vocabulo Aquilæ, aliquando præsentis seculi potestates designantur, vt est in Ezechiel. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium eius euulsit.* Aquila autem Nabuchodonosor intelligitur, qui immensitate exercitus magnarum alarum, pro diuturnitate temporum longa membrorum, pro multis diuitiis plena plumis, pro innumera terrenæ gloriæ plena varietate. Quia vero Iudææ celsitudinem petens, nobilitatem regni eius, quasi medullam cedri abstulit. Aliquando vero insidiatores spiritus exprimuntur, vt illud Hieremiæ. *Velociores fuerunt persecutores nostri Aquilis cæli.* [Thren. 4. 19.] Aliquando subtiles Sanctorum intelligentiæ, vel volatus Dominicæ Ascensionis intelligitur, vt in Ezechiel. de quatuor animalib. legitur, & in Apocalypsi similiter. [Ezec. 1. 5. Apoc. 4. 6. 7.] Sed hoc loco Aquilæ nomine subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur. Ad præceptum ergo Dei eleuatur Aquila, dum iussionib. diuinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita, quæ in arduis nidum

ponit, cum desideria terrena despiciens, spe iam cœlestib. E nutritur, & habitationem mentis suæ in abiecta & infima conuersatione non constituit. Hinc Paulus ait. *Nostra conuersatio in cœlis est.* [Philip. 3. 20.] Et rursum. *Qui conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus.* [Ephes. 2. 6.] Hinc perfectæ animæ sequenti se Dominus per Prophetam dicit. *Sustollam te super altitudinem terræ.* [Esa. 58. 14.] Sequitur.

In petris manet. 31 In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur, quis alius quam Christus accipitur? vt est illud. *Petra autem erat Christus.* [1. Cor. 10. 4.] Cum autem pluraliter appellantur, sancti exprimuntur, qui illius robore solidati sunt. [1. Pet. 2. 5.] Hinc Petrus ait. *Et vos tamquam lapides viui coædificamini domos spirituales.* Ista autem aquila in petris manere dicitur, quia in dictis antiquorum & fortium patrum mentis statione collocatur, & dum eos ad memoriam reducit, in celsitudine illorum fortitudinis nidum sibi construit sanctæ meditationis. Possunt etiam petræ nomine sublimes virtutum cœlestium potestates intelligi, quæ velut petræ in F arduis, ita ab omni motu mutabilitatis alienæ sunt, & ad soliditatem fixæ celsitudinis ipsa cui inhærent, æternitate duruerunt. Vir itaque sanctus cum terrena despicit, more se Aquilæ ad altiora suspendit, & per contemplationis spiritum subleuatus perennem Angelorum gloriam præstolatur, atque huic mundo hospes illa appetendo quæ aspicit, iam in sublimib. figitur. Seq. *Et in præruptis silicib. commoratur atque inaccessis rupib.* Prærupti scilicet sunt illi fortissimi Angelorum chori, quia pars eorum cecidit, pars vero remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem menti, sed superni numeri quantitate prærupti: propter hanc præruptionem mediator venit, vt mensuram cœlestis patriæ locupletius fortasse cumularet. Hinc de Patre dicitur. *Propositum eius in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso.* [Ephe. 1. 10.] Ipsi etiam sunt inaccessæ rupes. Cordi n. peccatorum hominum valde inaccessa est claritas Angelorum, quia quo ad pulchra corporalia cecidit, eo a spirituali specie oculos clausit. Sequitur.

Inde contemplatur escam, G 32 id est ex illis choris Angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ maiestatis, quia non visa adhuc esurit, qua tandem visa satiatur. Scriptum quippe est. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* [Esa. 53. 11.] Et rursum. *Beati qui esuriunt,* & reliqua. [Matt. 5. 6. 8.] Et item. *Beati mundo corde,* & reliqua. Seq. *Oculi eius de longe prospiciunt.* Quantumlibet enim in hac vita positus quisque profecerit, nec Deum per speciem, sed per ænigmata & per speculum videt. Ac si ergo diceret. Intentionis aciem fortiter tendunt, necdum propinquum aspiciunt, cuius claritatis magnitudinem penetrare laudabilem nequaquam possunt, libet ad medium Esaiæ verba deducere. *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere.* [Esa. 33. 15.] *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum.* Et item. [Ibidem. paulo inferius.] *Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbit, oculi eius cernent terram de longe.* In excelsis namque habitare est, H cor in cœlestib. ponere, & munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum fortium patrum exempla respicimus, castrisque cœlestibus iungimur. Aquæ fideles sunt, quia verba vitæ quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Panis ei datur, cum contemplatione reficitur. Regem in decore suo vident, quia vltra semetipsos rapti, in ipso deitatis fulgore oculos cordis figunt. Sequitur.

Pulli eius lambunt sanguinem. 33 Ac si aperte diceretur. Ipsa quidem contemplatione diuinitatis pascitur, sed quia auditores eius deitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito Crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem lambere est, passionis Dominicæ infirma venerari. Hinc Paulus discipulis ait. *Non enim iudicaui scire me aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc Crucifixum.* [1. Cor. 2. 2.] Sequitur. *Et vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Cadauer quippe a casu dicitur. Et non immerito corpus Domini propter casum mortis, cadauer vocatur. Hinc ipsa Veritas ait. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* [Mat. 24. 28.] Aliter. Omnis enim qui in peccati mortem ceciderit, non inconuenienter poterit cadauer vocari. Quasi exanimis namque iacet, qui iustitiæ

viui-

A viuificantem spiritum non habet, sanctus autem quisque
prædicator, illò prædicationis vtilitate tendit, vbi prodes-
se prospicit. Vt ex eo quod iam spiritaliter viuit, alijs in
morte sua iacentibus prosit. Esca quippe iustorum est,
conuersio peccatorum, de qua dicitur. *Operamini non ci-*
Luc. 6. 27. *bum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Sanctus itaq;
Iob tanta hac districtione flagelli non æstimauit augeri si-
bi merita, sed vitia resecari, quæ quia in se nulla cognouit,
Præterit Author versum 34 vbi sic. percussum iniuste se credidit, & percutientem prorsus ar-
guere est, de percussione murmurare. Considerans autem
Dominus quod ea quæ protulit, non ex tumore superbiæ,
sed ex qualitate collegerat vitæ, pie illum increpat, dicens.
Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob. *Numquid qui contendit cum Deo, tam facile quiescit? vtique qui*
arguit Deum, debet & respondere illi. Ac si apertius diceretur.
35. Qui tanta de tua actione locutus es, cur auditam Sancto-
rum vitam siluisti? Ipse quippe considerabas tuam, sed a-
liorum celsitudinem nesciebas. Auditis igitur aliorum vir-
tutibus, si quid vales responde de tuis.

B

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXXII.

RESPONDENS *autem Iob Domino dixit. Qui*
36. *leuiter locutus sum, responde quid possum?* Ac si di-
37. cat. Sermonem meum defenderem, si hunc
cum rationis pondere protulissem: at post-
quam lingua leuitate vsa conuincitur, quid
restat nisi vt conticendo refrænetur? Sequitur. *Manum meã*
ponam super os meum. Vsu sacri eloquij, in manu operatio,
in ore locutio solet intelligi. Manum ergo super os pone-
re est, virtute boni operis culpas tergere incautæ locutio-
nis. Quis enim est tam perfectus, qui saltem in otioso ser-
Iacob. 3. 2. mone non peccet? Iacob attestante, qui ait. *In multis enim*
C *offendimus omnes.* Vnde sancta Ecclesia manum super os po-
nit, dum in electis eius quotidie otiosæ locutionis vitam
virtute bonæ actionis operitur. Scriptum namque est. *Beati*
Psal. 31. 1. *quorum remissæ sunt iniquitates*, & reliqua. Sequitur.
Vnum locutus sum quod vtinam non dixissem, & alterum qui-
38. *bus vltra nõ addam.* Si transacta verba beati Iob discutimus,
nil eum nequiter dixisse reperimus; si vero ea quæ cum ve-
ritate ac libertate prolata sunt, in aliquo superbiæ vitio fle-
ctimus, duo solummodo iam non erunt, quia multa sunt.
Sed quia nostrum est hominib. sensum verbis aperire, lo-
qui vero nostrum ad diuinas aures, est motum mentis ex-
pressione actionis ostendere. Vnum ergo loqui illicite est,
res flagello dignas agere, aliud loqui est etiam de flagello
murmurare. Ac si ergo dicat. Rectum quidẽ me inter ho-
mines credidi, sed te loquẽte ante flagella prauum, & post
flagella me rigidum inueni. Quibus vltra vnum non ad-
do, quia nimirum quanto te loquente subtilius intelligo,
tanto memetipsum humilius inuestigo. Electi autem in
Ecclesia in vno & ab alio deliquisse se sentiunt, quia se in-
D telligunt vel in cogitatione & opere, vel in Dei ac proximi
neglecta dilectione peccasse, quib. se promittunt vltra nil
addere, quia per conuersionis gratiam curant pœnitendo
quotidie etiam transacta purgare. Omnis autem peccator
in pœnitentia duplicem habere gemitum debet, nimirum,
quia & bonum quod oportuit, non fecit; & malum quod
non oportuit, fecit. Sequitur.
CAP. XI. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit. Accinge sicut*
1. *vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi.* Hæc autem o-
2. mnia primo iam Domini sermone tractata sunt. Sequitur.
Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me,
3. *vt tu iustificeris?* Beatus itaque Iob quia culpam suam inter
flagella non inuenit, nec tamen flagella eandem causam
sibi esse augendi meriti deprehendens, iniuste feriri se cre-
didit, cũ quid in se debuisset corrigi nil inuenit. Nõ enim
idcirco eum flagella cœlestia percusserunt, vt in eo culpas
extinguerent, sed potius vt merita augerent. Sed ne eum i-
psa innocentia in tumorem elationis inflecteret, diuina
voce corripitur, vt superna sententia etsi non est cognita,
non tamen credatur iniusta. Sequitur.

E *Si habet brachium sicut Deus, et si voce simili tonat?* Cum enim
4. Deo vox & brachium dicitur, cauendum summopere est
ne quid in eo mens corporeũ suspicetur. In Anthropomor-
phitarum namque heresim cadere est, eum qui incircum-
scriptè implet & complectitur omnia, inter corporea line-
amenta concludere: sed omnipotens Deus ad sua nos tra-
bens, vsque ad nostra se humiliat, atque vt alta insinuet,
humilius condescendit. Vnde fit vt per scripturam suam
aliquando à corporib. omnium similitudinem trahat, vt
illud. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et. *In scapulis* Zach. 2. 8.
suis obumbrabit tibi. Aliquando à mentibus vt illud. *Recorda-* Psal. 90. 4.
tus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Aliquando ab aui-
bus, vt illud. *Expandit alas suas & accepit eos.* Aliquando etiã Ierem. 2. 2.
ab insẽsatis rebus, vt illud. *Ecce ego stridebo super vos, sicut stri-* Deut. 32. 11.
det plaustrum onustum fœno. Cum aũt in Deo oculi, scapulæ
atque alæ nõminantur, effectus quidam operationis ostẽ- Amos. 2. 13.
ditur. Cum vero manus & brachiũ, dextera vel vox in Deo
dicitur, per hęc vocabula consubstãtialis eius filius demõ- F
stratur. Ipse quippe est manus & dextera, vt illud. *Tollam in*
cælum manum meã. Et. *Iurabo per dexterã meam.* Ipse brachiũ. Deut. 32. 40.
Et brachium Domini cui reuelatum est? Ipsa vox. *Ipse dixit, & fa-* Esa. 53. 1.
cta sunt. Deo ergo brachium habere est, operantem filium Ps. 32. 9.
gignere. Voce tonare est, consubstantialem sibi filium ter-
ribiliter demonstrare. Sed cum beato Iob ista dicũtur, mi-
ra dispensatione pietatis eum, dũ increpat, exaltat. Seq.
Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, 5.
& speciosis induere vestib. Subaudis vt ego. Ipse sibi circumdat
decorem. De quo scriptum est. *Dominus regnauit, decorem in-* Psal. 92. 1.
dutus est. Ipse apud nos *in sublime* erigitur, cũ in nostris men-
tibus in natura sua esse impenetrabilis demonstratur. Ipse
vero *gloriosus est*, qui dum seipso perfruitur, accidentis lau-
dis indigens non est. Ipse *speciosis* induitur *vestibus*; qui san-
ctorum choros quos condidit, in vsum sui decoris assum-
psit, & velut quandam vestem, gloriosam sibi Ecclesiã ex-
hibet, *Non habentem maculam aut rugam.* Vnde ei per Pro- Ephes. 5. 27.
phetam dicitur. *Confessionem & decorem induisti*, & reliqua. Psal. 103. 1.
Disperge superbos in furore tuo. Subaudis vt ego, qui eos tran- G
quillitatis tempore immites contra me tolero, & districtè
quandoque veniens in meo eos furore dispergo. Absit aũt
vt quis credat quod in illa diuinitatis substãtia furore trã-
quillitas varietur. Hinc. n. scriptum est. *Tu aũt Domine cum* Sap. 12. 18.
tranquillitate iudicas. Sed furor Domini in loco, non pertur-
batio diuinæ substantię sed super peccatores male cõscios
examinatio iustæ vindictæ dicitur. Sequitur. *Et respiciens o-*
mnem arrogantem humilia. Ac si dicat, vt [illegible]. Duobus nãq;
modis à Domino peccator vnusquisque [illegible] respicitur; cum
aut à peccato conuertitur, aut ex pecc[illegible]o punitur. De re-
spectu enim conuersionis dicitur, q[illegible] *Respexit Dominus* Luc. 22. 61.
Petrum, & reliqua. De respectu rursum vltionis dicitur. *Vul-* Psal. [illegible]
tus autem Domini super facientes mala, & reliqua. Sequitur.
Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in lo- 7.
co suo. Subaudis vt ego. Superbi enim ex respectu Domini
confunduntur, aut hic de pietate cognoscentes & damnã-
tes crimina, aut illic supplicia de iustitia sentientes. Impio-
rum vero locus ipsa superbia est; quia cum scriptum sit. *Ini-* Ecc. 10. 15.
tium omnis peccati superbia. Vnde oritur impietas, ibi conti- H
netur. Quamuis nec quicquam à superbia distat impietas.
Valde enim superbire est de auctore peruersa sentire. Im-
pius ergo in loco suo conteritur, quia ipsa superbia, qua e-
leuatur, opprimitur. Vnde Propheta ait, *Deiecisti eos dum al-* Ps. 72. 18.
leuarentur. Sequitur.
Absconde eos in puluere. Ac si dicat, vt ego. Superbos enim 8.
atque impios iusto iudicio Dominus in puluere abscon-
dit, quia nimirum quasi ante faciẽ veri luminis non appa-
ret, quisquis adhuc ea quæ mundi sunt, appetit: atque sub
puluere terrenæ cogitationis latet. Hunc prauatum cogi-
tationum puluerem oppressa mens tolerat, quæ ventus ne-
quissimæ tentationis asportat. Sequitur. *Simul & facies eorũ*
demerge in foueam. Ac si dicat, vt ego. Iusto namque iudicio
superborum facies Dominus in foueam mergit, quia in-
tentionem cordis eorum sese vltra omnes erigentem in-
ferius deiicit. Ima. n. respicit, cuius facies foueam attendit.
Recte ergo eorum facies in foueam demergi perhibentur,
quia sequentes infima, ad inferni barathrum tendunt. Se-
quitur.

A *Et ego confitebor quia saluare te possit dextera tua.* Ac si aperte
9. diceret. Si potes terribilia hæc facere ipsa quæ pertuli, tibi & non mihi deputo bona omnia quæ fecisti. Si vero peccantes alios respiciendo non potes perdere, liquet quod à reatu nequitiæ tua te virtute non liberares. Sequitur.

10. *Ecce Behemoth quem feci tecum.* Quem sub Behemoth nomine, nisi antiquum hostem insinuat, qui interpretatus ex Hebræa voce in Latina lingua, animal sonat? Sed cum de Deo dicitur, quia fecit omnia simul, hoc animal cum homine fecisse indicat, dum cuncta quia semel fecerit constat. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est, & quoad simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Sed cur de Behemoth specialiter dicitur cũ B. Iob factum, quod commune cum creaturis omnibus generaliter habeatur? Subtili autem discussione simul factum Angelum hominemque cognoscimus; simul, videlicet non vnitate temporis, sed cogitatione rationis. Simul per acceptam
B imaginem sapientiæ, & non simul per coniunctam substan-
Gen. 1.26. tiam formæ. Scriptum namque est de homine. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et per Eze-
Ezec. 28.12. chiel. ad Sathan dicitur. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia & perfectus decore in delicijs paradisi Dei fuisti.* Quia ergo in cuncta conditione rerum, nullum rationale animal nisi Angelus & homo est, quicquid ratione vti non potest, cum homine factum non est. Ergo homo cum eum qui ratione secum factus est perijsse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsa propinqui sui perditione pertimescat. Sciendum vero est, quia nefarium Manichæi dogma hic reprehendimus, qui dum duo principia loquitur, tenebrarum gentem non factã asserere conatur. Quomodo enim gentem dicit nequissimam non factam, dum Behemoth istum videlicet auctorem nequitiæ per naturam bene conditum se Dominus fecisse testatur. Sequitur.

Esa. 11.7. *Fœnum sicut bos comedit.* Hæc etiam eadem Esaias ait. *Leo sicut bos comedit paleas.* Quid autem fœni palearumque no-
Idem 40.6. mine, nisi carnalium vita signatur? De qua per Prophetam
C dicitur. *Omnis caro fœnum.* Qui ergo hic Behemoth, illic leo, & qui hic fœnum, illic paleæ nominantur; boues enim aquam quamlibet sordidam bibunt, sed fœno nonnisi mundo vescuntur. Quid est ergo quod boui, qui mundum comedit, Behemoth iste cõparatur, nisi hoc quod de isto
Abac. 1.16. antiquo hoste per Prophetam dicitur? *Esca eius electa.* Fœnũ ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritalium quærit. Sed quærendum est si fœno vita carnalium designatur, quomodo fœnum comedens escam habet electam. Sed hoc citius occurrit, quia nonnulli hominum & apud Deum fœnum sunt, & apud homines sanctitatis nomine censen-
Eccl. 8.10. tur. De quibus per Salomonem dicitur. *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate.* Per hoc quidem quod mundam vitam per studium dicunt, sed ex illa iustus placere non appetunt, recte esca eius electa dicitur, & tamen fœnum sicut bos comedere Behemoth iste memoratur. Sequitur.

11. *Fortitudo eius in lumbis, & virtus eius in vmbilico* perhibetur.
D Hinc veritas ait. *Sint lumbi vestri præcincti.* Hinc Petrus ait.
Luc. 12.35. 1. Pet. 1.13. *Succincti lumbos mentis vestræ.* Quia vero fœminarum luxuria fœminis in vmbilico continetur, Propheta testatur dicens. *In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus.* Behemoth
Ezec. 16.4. itaque iste insatiabiliter sæuiens, & deuorare simul hominem quærens, modo in superbiam mentem erigit, modo carnem luxuriæ voluptate corrumpit. Bene autem nequaquam fortitudo eius in lumbis vel vmbilico eorum dicitur, qui prosternuntur, quia nimirum eius proprie corpus fiunt qui suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per luxuriæ fluxa succumbunt. Sequitur.

12. *Stringit caudam suam quasi cedrum.* In sacra scriptura cedri nomine aliquando alta excellentia gloriæ cœlestis exprimitur, vt illud Prophetæ. *Iustus vt palma florebit, sicut Ce-
Psal. 91.13. drus Libani,* & reliqua. Aliquando autem prauorum rigida
Psal. 28.5. elatio designatur, vt illud. *Vox Domini confringentis Cedros.* Quid autem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur? Cum nimirum vas proprium illum perditum hominẽ ingrediatur, qui specialiter Anti-Christus nuncupatur, quem quia modo honoribus sæculi, mo- E
do signis ex prodigijs fictæ sanctitatis in timore potentiæ eleuare permittitur, recte voce dominica cauda illius cedro comparatur. Sicut cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit, ita tunc Anti-Christus mundi gloriam temporaliter obtinens mensuras hominum & honoris culmine, & signorum potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est, qui in sublimibus conditus potentiam naturæ suæ non perdidit vel deiectus, cuius idcirco virtus nunc maxime ostenditur, quia dispensatione diuinæ fortitudinis ligatur. Vnde per Ioannem dicitur. *Vidi Angelum descendentem de cæ-* Apoc. 20.1.
lo, habẽtem clauem abyssi & catenam magnam in manu sua, & ap- 2.
prehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super illum. Bene autem stringere caudam dicitur, quia tota eius virtus in vno illo damnato homine congesta densatur, vt tanto per illum fortia ac mira faciat, quanto illum collectis suis viribus instigat. MORALITER.
Caudam itaq; quasi cedrum stringere dicitur, quia semel F
eius recepta in corde tentatio, in cunctis quæ subsequenter intulerit, velut ex iure dominatur. Huius ergo Behemoth caput herba est, cauda cedrus, quia ex prima quidẽ suggestione blandiens substernitur, sed per vsũ vehementer inualescens, sub crescentis tentationis fine roboratur. Vnde bene stringere caudam dicitur. Dente enim vulnerat, quando ligat, quia prima suggestio percutit, sed percussam mentem ne euadere valeat, inualescente tentatione adstringit. Behemoth enim iste prius illicita suggerens linguam exerit, post ad delectationem pertrahens dentẽ figit, ad extremum vero per consensionem possidens caudã stringit. Sequitur. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt.* Tot iste Behemoth testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet, qui prauis persuasionibus corda hominum viruleuta erroris semina fundendo, corrumpunt. Qui *perplexi sunt*, quia videlicet prædicatorum illius argumẽta dolosis assertionibus enodantur, vt recta esse simulent, quæ peruersa persuadẽt, vt alligationum implicatio quasi neruorum perplexitas, etsi videri possit, solui nõ possit. Ipsum G
nimirum suum caput imitantes, qui quasi leo in insidijs, & sæuit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis. Multi enim Anti-Christum non videiũt, sed tamẽ testiculi eius sunt, quia corda actionis suæ exemplo corrumpunt. Quisquis nãq; in superbia tollitur, quisquis auaritiæ desiderijs cruciatur, vel luxuriæ voluptatib. soluitur, quid aliud quam Anti-Christi testis? Qui dum se libenter huius vsibus implicat, exemplo suo alijs erroris fœtus ministrat. MORALITER. Testes eius sunt suggestiones prauæ, quibus in mentis corruptione femescit, atq. in constuprata anima iniqui operis prolem gignit, siue pestifera argumenta machinationum. Per ipsa quippe calliditatis suæ vires erigit, & fluxa mortalium corda corrumpit. Sed horum *testiculorum nerui perplexi sunt*, quia suggestionũ illius argumenta, implicatis inuentionibus alligantur, vt plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse peccata fugere appetunt, hoc sine alio peccati laqueo non euadãt, & culpas faciant dum vitant; veluti quis quæ mundi sunt
deserens, alieno se subdere regimini appetit, sed eum qui H
sibi ad Deum præesse debeat, minus cauta inquisitione discernit. Cui fortasse is qui sine iudicio eligitur, & præesse iam cœperit, agi quæ Dei sunt prohibet, quæ mundi sunt iubet. Pensans itaque subditus vel quæ sit culpa inobedientiæ, vel quod contagium sæcularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat. Sed si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia & qui murorum vndiq; ambitu refugiat clauditur, ibi se in fuga præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Sequitur.

Ossa eius velut fistulæ æris. In corpore ossa sunt quæ conti-
nentur. Habet ergo carnes hæc bellua, habet ossa; quia & 13.
iniqui sunt alij, qui tamen ab alijs in errore tenẽtur, & nequiores aliqui in errore & alios retinẽt. Quid aliud ossa Anti-Christi, quam quoslibet in eius corpore valẽtiores accipimus, in quorũ corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota eius corporis compago subsistit? Recte enim fistulæ æris cõparantur, quia nimirum more metalli in

seu-

[A] sensibus sonum loquendi habent, sed sensum bene viuendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt, quod elati viuendo contemnunt. Vnde bene per [1. Cor. 13. 1.] Paulum dicitur. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* MORALITER. Quid per ossa Behemoth istius nisi consilia designantur? Nam sicut in ossibus fortitudo est corporis roburque subsistit, ita in fraudulentis consiliis tota se eius malitia erigit; neque enim vi quempiam premit; sed calliditate pestiferæ persuasionis interficit. Et rursum, sicut medullæ confortant ossa quia irrigant, ita eius consilia per naturæ spiritalis potentiam infusa ingenija subtilitas roborat. Hoc vero testiculi ab ossibus, id est suggestiones à consiliis distant, quod per illos aperte nocentia inserit, per hæc autem quasi & bono consulens ad culpam trahit. Bene autem æris fistulis comparantur. Æris quippe fistulæ sonoris aptati cantibus solent, ita quoque astuta consilia [B] dum si qua blanda prouisione consulunt, cor à forti intentione peruertunt, & dum dulcia resonant, ad noxia inclinant. Veluti quis frangere voluntates parat, & alterius voluntatibus subdi, huic hostis callidus blandiens dicit: O quanta per temetipsum agere mitanda poteras, si nequaquam te iudicio alterius subdidisses! & his similia. Sequitur. *Cartilago illius quasi lamina ferrea.* Cartilago namque ossis quidem speciem habet. Quid est ergo quod cartilago eius laminis ferreis comparatur, nisi quod hi qui in illo debiliores sunt ad perpetranda mala nequiores existũt? Ferro quippe cætera metalla conciduntur; & cartilago eius similis ferro dicitur, quia hi qui in eius corpore ad ostentationem virtutum non sufficiunt, contra necem fidelium acrius accendũtur. Qui recte non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur; quia dum se circumquaque in crudelitate dilatare ambiunt, quasi in ferri se laminis extendunt. MORALITER. Quid per cartilaginem, nisi simulatio eius accipitur? Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et [C] sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem. Plerumque in vlciscendis vitiis crudelitas agitur, & iustitia putatur, atque immoderata ira iusti zeli meritum creditur. Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas habetur; nonnumquam effusio misericordia creditus. Quid per laminas ferri, nisi duntia fortitudinis designatur? Nonnulli enim infirma faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus iungunt, & quo esse magna sentiunt, eo de sua nequitia emẽdari contem- [Thre. 4. 7. 8.] nunt. De quibus Ieremias ait. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorũ, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorũ ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.* Seq.

14 *Ipse est principium viarum Dei.* Quid enim vias Dei, nisi eius actiones accipimus? De quibus per Prophetam dici- [Esa. 55. 8.] tur. *Non enim viæ meæ sicut viæ vestræ.* Et principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Hinc Propheta ait. *Cedri non fuerunt* [D] *altiores illo in Paradiso Dei, abietes non coæquauerunt summitatem* [Ezech. 31. 8.] *eius.* & reliqua. Et rursum. [Idem 28. 12.] *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in deliciis paradisi fuisti.* Consideret ergo homo quid eleuatus in terra mereatur, si & prælatus Angelis in cœlo prosternitur. Hinc propheta ait *Inebriatus* [Esa. 34. 5.] *est in cœlo gladius.* Sequitur. *Qui fecit eum, applicabit gladium eius.* Gladius quippe Behemoth istius, ipsa nocendi malitia est. Sed ab eo à quo bonus per naturam factus est eius gladius applicatur, quia eius malitia diuina dispensatione restringitur, ne ferire tantum hominum mentes quantum appetit permittatur. Iste namque Behemoth qui a principium viarum Dei est, cum contra sanctum virum licentiam tentationis accepit, cuncta abstulit, conuiuantes filios extinxit, sed gladius eius à conditore replica- [Iob. 2. 6.] tur, cum dicitur. *Animam illius serua.* Notandum quoque est, quod vesanum dogma Arrij aperta in hoc loco ratione dissipatur; facturam quippe Dei filium patitur, & ecce Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo vt Arrius non factum filium prædicet, aut eum post Behemoth conditum stultum putet. Quia vero nos cognoscimus cum quanto hoste pugnamus, superest [E] vt vnusquisque nostrum tanto se plenius auctori subiaceat, quãto contra se sæuire violenter aduersarij vires pensat.

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II. MORALIVM IN IOB

LIBER XXXIII.



HVic *montes herbas ferunt.* In scriptura sacra cum numero singulari mons ponitur, aliquãdo incarnatus Dominus designatur. Sicut scriptum est. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium.* [Esa. 2. 2.] [F] Aliquando sancta Ecclesia, vt illud. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion.* [Psal. 124. 1.] Aliquando testamentum Domini, sicut Habacuc ait. *Deus à Libano veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso.* [Habac. 3. 3.] Aliquando Apostata Angelus, vt illud. *Transmigra in montem sicut passer.* [Ps. 10. 2.] Cum vero montes plurali numero nominantur, aliquando celsitudo Apostolorum atq; Prophetarum designatur, vt illud. *Iustitia tua sicut montes Dei.* [Psal. 35. 7.] Aliquando vero secularium potestatum tumor exprimitur, de quibus dicitur. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* [Psal. 96. 5.] Elati namque seculi huius, huic Behemoth *herbas ferunt*, quia ex eo illum reficiunt, quod nequiter operantur, quia suas illi offerunt fluxas & lubricas voluntates. *Erunt* enim, ait Apostolus, *homines seipsos amantes, voluptatum amatores magis quam Dei.* [2. Tim. 3. 2. 4.] Quæ est ergo herba mõtium, nisi voluptas fluxa quæ ex corde gignitur superborum? Quib. nimirum herbis Behemoth iste pascitur, quia in eis pœnam æternæ mortis esuriens, eorum perditis morib. satiabitur. Sequitur. *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Quid per bestias agri nisi immundi spiritus designantur? Vnde & de ipso malignorum spirituum principe contra Ephraim dicitur. *Bestia agri scindet eos.* [Ose. 13. 8.] [G] Et Esaias. *Mala bestia non transibit per eam.* [Esa. 35. 9.] Et, quid per agrum nisi præsens seculum accipitur? Hinc Dominus ait. *Ager autem est mundus.* [Matt. 13. 38.] Agri ergo bestiæ in herbis montium ludunt, quia proiecta de superioribus in hunc mundum dæmonia, prauis superborum operibus delectantur. Bestiæ in herbis ludunt, cum reprobi spiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. Pro eo enim quod superbi quique nullum malum cogitando prætereunt, nulla est agri bestia quæ non horum montium herba satietur. Sequitur.

16 *Sub vmbra dormit.* Obumbratio in sacro eloquio aliquãdo incarnatio Domini ponitur, vt illud. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* [Luc. 1. 35.] Aliquando mentis refrigerium à feruore carnalium cogitationum, vt illud. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* [Psal 16. 8.] Vel. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* [Cant. 2. 3.] Aliquando vmbras recedentem charitatem frigidæ mentis accipimus, sicut de peccante homine dictum est, quia secutus est vmbras. Nonnumquam vero per vmbram (si tñ cum adiectione mortis ponatur) vel mors carnis expri- [H] mitur, vt illud. *Et cooperuit nos vmbra mortis.* [Ps. 43. 20.] Mors quippe carnis imago est mortis æternæ. Vel certe mors Diabolus, vt illud. *Nomen illi mors.* [Apoc. 6. 8.] Vmbra ergo mortis sunt oẽs reprobi, qui illius nequitiam elationis imitanẽ, eiusq; imaginem quasi vmbrã exprimũt. Hoc aũt loco vmbra nequitiæ torpor accipiẽ, in qua ipse Behemoth dormit, q a contra corda claritate calentia solicitus vigilat, in frigidis aũt securus iacet. Dormire etiam in sanctorũ cordib. non põt, quia si quãdo se in eis ad momentum collocat, tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentib. sanctæ cogitatiunes ad cœlum clamant. Vnde fit, vt bonarum actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, & ad corda reproborum frigida redeat. Seq. *In secreto calami.* In sacro eloquio calami vel arundinis appellatione, aliquãdo verbum manens accipitur, vt illud. *Lingua mea calamus scribæ.* [Ps. 44. 2.] & reliqua. Aliquando doctorum peritia, vt illud. *Et in cubilib. in quib. prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.* [Esa. 35. 7.] Vbi per calamũ doctrina scribentiũ, per iuncum viriditas auditorũ intelligitur. Aliquando mobilitas mẽtis, vt il-

A vt illud. *Quid existis videre? Arundinem vento agitatam?* (Matt. 11. 7.) Aliquando nitor gloriæ temporalis accipitur, vt illud Sapientiæ. (Sap. 3. 7.) *Fulgebunt iusti & tamquam scintillæ in arundineto discurrẽt.* Vbi arundinetum vitam secularium appellat. Hoc ergo loco appellatione calami, mentes secularium designantur; quorum corda tacitus tenet, dum eos ad appetitum temporalis nitoris, atque altitudinis commouet, & quasi ibi ipse quietus dormit vbi eos quos possidet, quiescere non permittit. In hoc enim quod ipsi interitus more calami vacui remanent, locum Behemoth isti vbi apud se requiescere debeat, præbent. Sequitur. *In locis humentibus.* Loca namq; humentia, sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit. Loca quippe humentia, sunt opera voluptuosa. *In his itaque locis humentibus dormit*, quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit. Aliter. Possunt loca humentia, membra genitalia, id est luxuria designari, vt & per calamum gloria superbiæ, & per loca humentia, B luxuria corporis exprimatur. Duo quippe hæc sunt vitia quæ humano generi immaniter dominantur, vnum videlicet spiritus, atque aliud carnis. Antiquus itaque hostis humanum genus vel per elationem præcipitat, vel per luxuriam premit, quosdam vero etiam in vtroque possidet. Sequitur,

17. *Protegunt vmbræ vmbram eius.* Vmbræ quippe sunt Diaboli omnes iniqui, qui dum imitatione iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Vmbræ itaque vmbram protegunt, quia peccatores quique in quo sibi male sunt conscij, in eo & alium peccantem dum corripiunt, defendunt. Quod ad hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa in qua & ipsi obligati sunt, in alijs corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Hinc Propheta ait. (Esa. 34. 14.) *Orientur in domibus spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius.* Vbi per vrticas cogitationum pruriginem, per spinas vitiorum punctiones accipimus; per paliurum vero, quæ spina est densissima, nequissimorum tuitionem intelligimus. *Circumdabunt eum salices torrentis.* In sacro eloquio C salicum * (*nomen.) nomine aliquando pro viriditate boni ponitur, vt illud Prophetæ. *Germinabunt in herbis sicut salices iuxta fluentes aquas.* (Ioan. 44. 4.) Aliquando pro sterilitate reprobi designantur, vt illud. *In salicibus in medio eius*, & reliqua. (Psal. 136. 2.) Torrens vtique mortalis vitæ cursum designat, vt illud. *De torrente in via bibet.* (Psal. 109. 7.) *Circumdabunt eum salices torrentis.* Qui amatores vitæ mortalis, à bonis actibus quasi fructibus alieni, tanto antiquo hosti arctius inhærent, quanto eos largius delectatio transitoriæ voluptatis infundit. Hos etiam quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat. Habent honestatis interdum verba quasi folia, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. Sequitur.

18. *Absorbebit fluuium & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Quid hoc loco fluuij nomine, nisi humani generis decursio designatur? Quæ velut à sui fontis origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit. Quid autem signatur appellatione Iordanis, nisi qui iam imbuti sunt sacramento baptismatis? D Quia enim Redemptor noster in hoc flumine baptizari dignat* est, eius nomine debẽt baptizati omnes exprimi, quo hoc ipsum contigit sacramẽtum Baptismatis inchoare. Ac si ergo diceret. Ante redemptorem mundi mundum nõ miratus absorbuit, sed quod est acrius etiam post Redemptoris aduentum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt deglutire se posse confidit: alios enim fidei errore supplantat, alios vsu prauæ operationis inclinat. De talibus dictum est. (Tit. 1. 16.) *Confitentur nosse Deum, factis autem negant.* Et, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* (1. Ioan. 2. 4.) Aliter. Quos per Iordanem dicimus exprimi, possunt per fluuium designari; quique enim fide iam veritatis agnouerunt, sed viuere fideliter negligunt, recte fluuius dici possunt, quia videlicet deorsum fluunt. Iordanis vero Hebraico vocabulo descensio eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui vias veritatis appetentes semetipsos abijciunt, atque à vitæ veteris elatione discedunt: cumque æterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt. Hinc dicitur. (Matt. 16. 24.) *Qui vult post me venire abneget semetipsum.* Sed antiquus hostis hoc pro magno non habet, cum sub iure E suę Tyrannidis terrena quærentes tenet. Propheta quippe testante cognouimus, quia *esca eius electa.* Magnopere enim illos rapere nititur, quos despectis terrenis studijs, iungi iam cælestibus contemplatur. Hinc per Prophetam (Dan. 7. 4.) dicitur. *Vocauit Dominus iudicium ad ignem, & deuorauit abyssum multam, & comedit partem domus.* Sequitur.

19. *In oculis eius quasi hamo capiet eum.* Quis nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de se in necem Diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, vt in eo Behemoth iste quasi escam suã mortem carnis appeteret; quam mortem dum in illo iniuste appetit, nos quos quasi iuste tenebat, amisit. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se deuoratorẽ duceret, ibi diuinitas, quę perforaret. In oculis quippe habere dicimus, quod coram nobis positum videmus. Antiquus vero hostis humani generis F redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit dicens. *Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* (Matt. 8. 29.) quem & nouit & momordit. Sequitur. *Et in sudibus perforabit nares eius.* Quid aliud sudes, id est palos accipimus, qui videlicet exacuuntur vt figantur, nisi acuta sanctorum consilia? Quæ huius Behemoth nares perforant, dum sagacissimas eius insidias & vigilando circumspiciunt, & superando trãsfigunt. Per nares odor trahitur. Naribus ergo Behemoth callidæ eius insidiæ designantur, per quas sagacissime nititur, & occulta cordis nostri bona cognoscere, & hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus nares eius perforat, quia callidas eius insidias acutis sanctorum sensibus penetrans eneruat. Possunt per sudes acutas, per ipsius carnem manifestæ sapientiæ verba signari. Et quia naribus odor trahitur, per Behemoth nares illa antiqui hostis exploratio figuratur; qui cum Deum incarnatum esse dubitaret, hunc miraculis voluit cognoscere dicens. *Si filius Dei es*, & reliqua. (Matt. 4. 3.) Sed dum ei protinus respondetur. *Non in solo pane viuit homo*, & reliqua. (4. 7.) G Et. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, quasi sententiarum suarum acuminibus indagationem antiqui hostis veritas perculit, quasi nares eius sudibus perforauit. Sequitur.

20. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Subaudis vt ego. Leuiathan quippe additamẽtum eorum dicitur. Hominum videlicet, quibus semel culpam præuaricationis intulit, & hanc vsque ad æternam mortem quotidie pessimis suggestionibus extendit. Potest quoque per irrisionem Leuiathan vocari. Primo quippe homini persuasione callida diuinitatem se addituram perhibuit, sed immortalitatem tulit. Sed Leuiathan iste hamo captus est, quia in Redemptore nostro dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Huius hami linea, Christi est Genealogia. Nam cum dicitur. *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob* (vsque ad Mariam Virginem) (Matt. 1. 2.) quasi quædam linea torquetur, in cuius extremo incarnatus Dominus, id est hamus ligaretur, quẽ in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus appeteret. H Sequitur. *Et fune ligabis linguam eius?* Subaudis, vt ego. Scriptura enim sacra funis nomine aliquando dimensionẽ sortis designat vt illud. *Funes ceciderũt mihi in præclaris*, & reliqua. (Psal. 15. 6.) Aliquãdo peccata, vt illud Prophetæ. *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis.* (Esa. 5. 18.) Aliquando autem fidem designare consueuit. Salomone attestante qui ait. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* (Eccl. 4. 12.) Hoc itaque loco funis nomine, siue peccatum, siue fidem nil obstat intelligi. Incarnatus vero Dominus fune linguam Leuiathan ligauit, quia *in similitudine carnis peccati* apparuit, (Rom. 8. 3.) & omnia errorum eius prædicamenta damnauit, vt Apostolus ait. *Et de peccato damnauit peccatum.* (Ibidem.) Vnde bene per Prophetam dicitur. *Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti.* (Esa. 11. 15.) Si autem fune fides signatur, Leuiathan lingua fune stringitur, quia extensa fidei Trinitatis doctrina, errorum prædicamenta siluerũnt. Hinc enim scriptum est. *Tu dirupisti fontes & torrentes*, & reliqua. (Psal. 73. 15.) Sequitur.

21. *Numquid pones circulum in naribus eius?* Subaudis, vt ego. Sicut per nares insidiæ, ita per circulum diuinæ virtutis

A omnipotentia designatur. Circulus ergo ein naribus po-
nitur, dum circumdocta protectione supernæ formidine
eius sagacia retinetur, ne contra infirmitates hominum
tantum præualeat, quantum perditionis argumenta laten-
ter explorat. Potest etiam circuli nomine occulti iudicij
adiutorium designari. Leuiathan itaque in naribus à Dño
circulus ponitur, quia iudicij eius potentia in insidijs suis
ne quantum vult præualeat, coartatur. Vnde Regi Baby-
4. Reg. 19. 28. loniæ dicitur. *Ponam circulum in naribus tuis.* Sequitur. *Aut*
armilla perforabis maxillam eius? Subaudis, vt ego. Per ar-
millam occulti eius iudicij erga nos protectio impēsa de-
signatur. Maxilla itaque Leuiathan perforatur, quia inef-
fabili misericordiæ potentia sic malitiæ antiqui hostis ob-
uiat, vt aliquando eos etiam quos iam cœpit, amittat: &
quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad
innocentiam redeunt. Aliter. In ore tenere Leuiathan
dicitur, non quos perfectè peccato implicat, sed quos ad-
B huc peccati persuasionibus tentat, sed miro dispensatio-
nis ordine, dum tentantur, humiliantur; dum humilian-
tur, eius esse iam desinunt. Mandendum quidem, sed non
deglutiendum acceperat Paulum, quando illum post tot
reuelationum sublimia, stimulis carnis agitabat. Vnde oc-
2. Cor. 12. 7. cultis Dei dispensationibus seruiens, sanctos ad interitum
tentat volens, sed ad regnum tentando seruat inuitus. Se-
quitur.

22. *Namquid multiplicat ad te preces, vt loquatur tibi mollia?*
Subaudis, vt mihi. Si enim ad personam filij Dei hæc ver-
ba referantur, incarnato Domino ei *mollia* loquebatur,
Marc. 1. 24. cum diceret. *Scio quia sis Sanctus Dei.* Preces multiplicat, cū
Matt. 8. 31. per legiones diceret. *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.*
Quamuis intelligi aptius potest, quia ad Deū preces mul-
tiplicat, cum in iudicio corpus eius sibi parci deprecantur
Idem. 25. 11. 12. dicentes. *Domine, Domine, aperi nobis.* Quibus respondetur.
Nescio vos. Mollia etiam per membra sua tunc loquetur,
cum dixerint. *Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetaui-*
Idem 7. 22. *mus?* & reliqua. Sed mox audient *Nescio qui estis.* Sequitur.
Numquid feriet tecum pactum? Subaudis, vt mecum. Sequi-
C tur.

Et accipies eum seruum sempiternum? Subaudis, vt ego. An-
23. tiquus itaque hostis, & à sinceritate diuinæ innocentiæ,
malitiæ suæ succensus face discordat, sed ab eius iudicio
etiam discordando non discrepat. Nam viros iustos sem-
per maliuole tentari appetit, sed tamen hoc Domino vel
misericorditer fieri, vel iuste permittit. Hæc ergo ipsa ten-
tationis licentia pactum vocatur, in qua & desiderium
tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas
iusti dispensatoris impletur. In pacto namque discordan-
tium iurgia fine desiderato concluduntur. Et bene ex hoc
pacto seruus accipi perhibetur, quia inde obtemperat nu-
tibus supernæ gratiæ, vnde exercet iram nequissimæ vo-
luntatis suæ. Seruus ergo ex pacto est, qui dum volunta-
tem suam implere permittitur, à superni consilij volunta-
te ligatur. Hoc autem in loco à Domino non solum ex pa-
cto seruus, sed sempiternus seruus accipitur. Neque e-
nim iustos iam in fœlicitate pollentes tentare permitti-
tur, sed cum suo corpore, reprobis scilicet flammis vl-
D tricibus tradetur, quibus sine fine crucietur; quos scili-
cet cruciatus dum iusti conspiciunt, in Dei laudibus cre-
scunt. Igitur, si vtilitate iustorum, & hic tentatio, & il-
lic damnatio proficit, sempiternus seruus est. Sequi-
tur.

24. *Numquid illudes ei quasi aui?* Quid est quod aduersarius
noster prius Behemoth, postmodum Leuiathan dicitur,
nunc vero aui perditionis suæ illusionem comparat? Be-
hemoth quippe bellua interpretatur, quæ quadrupes o-
stenditur, dum *sicut bos* fœnum comedere perhibetur. Le-
uiathan vero quia hamo capitur, proculdubio serpens
in aquis innotescitur. Irrationale vtique & quadrupes
animal est per actionis immundæ satietatem, draco per
nocendi malitiam, auis per subtilis naturæ leuitatem. In
eis quippe quos ad stultitiam luxuriæ excitat, iumentum
est; in eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco
est; in eis autem quos in statu superbiæ quasi alta sapien-
tes eleuat, auis est. Sed huic videlicet quasi aui Dominus
illusit, dum ei in passione vnigeniti filij ostendit carnem
quasi escam, sed laqueum diuinitatis abscondit. Sequi- E
tur. *Aut ligabis eum ancillis tuis?* Subaudis, vt ego. In ser-
uis etsi despecta est conditio, virilitas viget, in ancillis au-
tem cum conditione pariter sexus est. Ancillis ergo suis
Leuiathan huius fortitudinem Dominus ligauit, quia at-
testante Paulo. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat for-* 1. Cor. 1. 27
tia. Vnde Salomon ait. *Sapientia ædificauit sibi domum, &* Prou. 9. 1. 2.
excidit columnas septem, immolauit victimas, miscuit vinum, pro-
posuit mensam, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem & ad mœ-
nia ciuitatis. Infirmos enim prædicatores mundo exhi-
buit, & potentes quosque qui eius corpus fuerunt sub
terroris sui vincula restrinxit, & in semetipso Leuiathan iste
ancillis ligatur, cum infirmis prædicantibus, veritatis lu-
mine clarescente contra electorum mentes antiquus ho-
stis non quantum vult, sæuire permittitur. Sed ne sub in-
fidelitatis captiuitate cūctos quos appetit, teneat, signis &
virtutibus coarctatur. Sequitur.

Concident eum amici, diuident illum negotiatores. Totiens F
enim conciditur Leuiathan iste, quotiens diuini verbi 25.
gladio sua ab illo membra separantur. Iniqui enim cum
veritatem audiunt, & sancto timore perculsi ab antiqui
hostis se imitatione suspendunt, ipse in corpore suo diui-
ditur, cui hi qui praue inseruierant, subtrahuntur. San-
cti enim prædicatores prius ancillæ sunt per formidinem
De quibus dicitur. *Nolite timere pusillus grex.* Amici per fi- Luc. 12. 32.
dem. Vt illud. *Vos autem dixi amicos,* & reliqua. Ad extre- Ioan 15. 15.
mum quoque negotiatores per actionem. Vt illud. *Eun-*
tes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc 16 15
In prædicatione quippe fidei, quasi quoddam negotium
geritur, dum verbum datur, & fides ab auditoribus sumi-
tur. Hinc enim Psalmista ait. *Sumite Psalmum & date Tym-*
panum. Et rursum Salomon ex voce sanctæ Ecclesiæ ait. *Sin-* Psal. 80. 3.
donem fecit & vendidit, & cingulū tradidit Cananeo. Quia enim
per prædicatores Dei valde laudabiliter Leuiathā istius res
possessa diuiditur. Veritatis vox per Prophetam pollice- Prou 31 24.
tur dicens. *Et si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris.*
Sequitur. Iere. 15. 19.

Numquid implebis sagenas pelle eius, aut gurgustium piscium G
capite illius? Quid per sagenas, aut gurgustium piscium, ni- 26.
si Ecclesiæ fidelium, quæ vnam Catholicam faciunt, desi-
gnantur? Vnde in Euangelio scriptum est. *Simile est regnum*
cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congre- Mat. 13. 47
ganti. In pelle vero Leuiathan istius, stultos eius corporis,
in capite autem prudentes accipimus. Vel certe pelle quæ
est exterius, subditi ad hæc extrema seruientes, capite au-
tem præpositi designantur. Prius itaque intra sanctam Ec-
clesiam fidelium quasi pellem Diaboli, extremos atq; in-
firmos, id est indoctos piscatores colligit, & postmodum
caput illius, id est Philosophos & prudentes sibi aduersa-
rios subdidit. Sequitur.

Pones super eum manum tuam? Id est, vt ego qui forti illum
potentia reprimens, non plusquā expedit sæuire permitto. 27
Vel certe super eū manū ponere est, virtutis potestate su-
perare. Sequitur. *Memento belli nec vltra addas loqui.* Ac si a-
perte diceretur. Si occulti hostis contra te bellum consi-
deras, quicquid à me pateris non accusas. Alta quippe di-
spensatio iudiciorum Dei idcirco sæpe bene merentes fa- H
mulos vel minis impetit, vel flagellis premit, quia mira po-
tentia præuidit. Quod si quieti ac liberi in tranquillita-
te persisterent, tentationes ferre aduersarij non valentes,
mente prostrati vulneribus iacerent. Sequitur.

Ecce spes eius frustrabitur eum. Quid sic de eo debet intelli-
gi, vt referri etiam ad corpus illius possit, quia iniqui om- 28.
nes qui districtionem iustitiæ diuinæ non metuunt, in cas-
sum sibi de misericordia blandiuntur. Sequitur. *Et videnti-*
bus cunctis præcipitabitur. Quia æterno tunc iudice terribili-
ter apparente, adstantibus legionibus Angelorum, atque
electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua
crudelis & fortis in medium captiua deducetur, & cum
suo corpore, id est cum reprobis omnibus æternæ gehen-
næ incēdijs mancipatur. Cum dicitur. *Discedite à me maledi-* Mat. 25. 41.
cti, & reliqua. Sequitur. *Non quasi crudelis suscitabo eum.* Et CAP. XLI.
velut si mox à nobis rationis causa quæreretur, quomodo
eum non quasi crudelis suscitas, quem scimus quia tantos
inuadere & deuorare permittas? Statim subditur dicens.

Quis

Quis enim resistere potest vultui meo? Et. *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?* Quibus duobus versib. & virtutem suæ potentiæ, & omne pondus rationis expleuit. Ac si ergo diceret. Non enim quasi crudelis suscito, quia de eius fortitudine electos meos potenter eripio. Et rursum reprobos non iniuste, sed rationabiliter damno, id est, & eos quos benigne eligo, eripere mirabiliter possum, & eos quos respuo, non iniuste derelinquo. Nemo quippe vt diuina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Scriptum quippe est. Psal. 58. 11. *Misericordia tua præueniet me.* Et Paulus. Ephe. 2. 8. *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei donum est.* Bonum quippe quod agimus & Dei est & nostrum. Dei; per præuenientem gratiam: nostrum; per obsequentem liberam voluntatem. Quapropter & Deo gratias in æternum agimus, & tamen retribui nobis præmia speramus. Sequitur. *Omnia quæ sub cælo sunt mea sunt.* Omnibus liquet quod non solum ea quæ sub cœlo sunt, sed etiam quæ super cœlos sunt eius voluntati seruiunt. Sed quia de Leuiathan loquitur, qui iam non in ætherea cœli sede continetur, cuncta quæ sub cœlo sunt asserit sua esse, vt eum quoque qui de cœlo cecidit, suæ edoceat potestati seruire. Sequitur.

3. *Non parcam ei verbis potentibus ad deprecandum compositis.* Qui hoc legisse se nouit, nequaquam existimet quia culparum suarum Diabolus sit veniam petiturus. Sed fortasse de Antichristo dicitur. 2. Thess. 2. 8. *Quem Dominus Iesus Christus interficiet spiritu oris sui.* Vt territus tantæ maiestatis præsentia ad preces inclinet. Quod tamen de iniquis omnibus intelligi aptius potest, qui sero ad petitionum verba veniunt. Vnde in Euangelio Veritas dicit. Mat. 25. 11. *Domine, Domine aperi nobis.* Quibus respondetur. *Amen dico vobis, nescio vos.* Possumus & in hoc tempore accipere quod de futuro diximus. Sunt namque nonnulli qui prolixas ad Deum preces habent, sed vitam deprecantium non habent. Hi quippe & fletus in oratione percipiunt, & tamen expletis precibus cum vitiorum suggestione pulsantur, nequaquam pro æterni regni desiderio se fleuisse meminerunt. Quorum tamen petitionibus Deus non parcit, quia eorum preces opere destruuntur. Sequitur.

4. *Quis reuelauit faciem indumenti eius?* Subaudis nisi ego, qui seruorum meorum gratiam subtilissimæ discretionis inspiro, vt reuelata malitia, faciem eius nudam videant, quam ille sub habitu sanctitatis occultat. Latenter enim Leuiathan iste bonis insidians, sub specie sanctitatis illudit, vt mala quæ eis publice non valet inferre, tecta bonæ actionis velamine subintromittat. Vnde & membra eius sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt. Hinc enim scriptum est. 2. Cor. 11. 14. *Ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Quid ergo mirum si ministri eius transfigurantur velut ministri iustitiæ? Sequitur. *Et in medio oris eius quis intrauit?* Subaudis, nisi ego, qui per secretas electorum mentes, suggestionum eius verba discutio, vt nequaquam pensentur quod resonant, sed quo intendant. Sequitur.

5. *Portas vultus eius quis aperiet?* Subaudis, nisi ego? qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos, perspicua cogitatione manifesto? Sicut enim sancti prædicatores, portæ Sion vocantur, ita etiam per portas Leuiathan istius, errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio peruersa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Sequitur. *Per gyrum dentium eius formido.* Id est, iniquos prædicatores Anti-Christi peruersæ huius seculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæuiendo terrere. Hinc in Apocalypsi scriptum est. Apoc. 9. 19. *Potestas equorum in ore & in cauda eius.* In ore namque doctorum scientia, in cauda vero secularium potentia figuratur. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ sunt dentes .. de quibus dicitur. Cant. 4. 2. *Dentes tui sicut grex detonsarum*, & reliqua. Ita Leuiathan dentes sunt errorum magistri, qui reproborum vitam mordendo dilaniant, & eos à veritatis integritate subductos, in sacrificio falsitatis mactant. Sequitur.

6. *Corpus illius quasi scuta fusilia.* In Scriptura sacra scuti* nomine aliquando pro diuina protectione ponitur. *nomen. Vt illud Psal. 5. 13. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ*, & reliqua. Aliquando pro humana repugnatione, vt illud. Psal. 75. 4. *Ibi confregit potentias, & gladium & scutum.* Scuta quippe fusilia ictu quidem ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissoluunt. Corpus ergo Leuiathan istius, id est omnes iniqui, quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, nullo correptionis iaculo se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Hinc per Ieremiam dicitur. Thren. 3. 65. *Reddes eis vicem Domine, iuxta opera manuum suarum, dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Sequitur. *Compactum squamis se* præstentibus.* * prementibus. Fertur quia draconis corpus squamis tegitur, nec citius iaculatione penetratur. Ita omne corpus Diaboli, id est multitudo reproborum cum de iniquitate corripitur, quibus valet tergiuersationibus se excusare conatur, & quasi quasdam defensionis suæ squamas obijcit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit, quam deflere, quasi squamis tegitur, ne à sanctis prædicatoribus gladio verbi iaculetur. Has defensionum suarum squamas amisit Paulus in illuminatione. Sicut scriptum est de eo. Act. 9. 18. *Et ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ.* Hæ squamæ quamuis omne pene humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter & callidorum hominum mentes premunt. Ipsi enim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto & stultius videri ab hominibus peccatores erubescunt. De quibus bene per Prophetam dicitur. Esai 34. 14. 15. *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem, ibi habuit foueam hericius.* Per lamiam quippe hypocritæ, per hericium vero malitiosi quique qui diuersis se defensionib. congerunt, designantur. Sequitur.

7. *Vna vni coniungitur, & spiculum non tedit per ea.* Quia in iniquitatibus suis dum vicissim se superba defensione protegunt, sanctæ exhortationis spicula ad se nullatenus permittunt. Sequitur.

8. *Vna alteri adhærebit, & tenentes se nunquam separabuntur.* Qui enim diuisi corrigi poterant, iniquitatum suarum pertinacia vincti perdurant; & tanto magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores fiunt, quanto à se inuicem nulla increpatione separantur. Hinc Salomon ait. Eccli. 21. 10. *Stuppa collecta Synagoga peccantium.* Hinc Naum Propheta ait. Nahu. 1. 10. *Sicut spinæ inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium.* Sequitur.

9. *Sternutatio eius splendor ignis.* Sternutatio quippe inflato à pectore exurgit, quæ cum apertos ad emanandum poros non inuenit, cerebrum tangit, & congesta per nares exigens, totum caput protinus concutit. Quasi enim inflatio à pectore Leuiathan surgit, dum elatio se erigit ex præsentis seculi potestate: sed poros non inuenit, quia contra iustos extollere quantum appetit, prohibetur. Cerebrum autem concutit, quia sensum Sathanæ in fine mundi arctius perturbat, & caput turbat, dum per Antichristum persecutionem fidelium vehementer excitat. Tunc congesta inflatio per eius nares egreditur, quia tota superbiæ eius iniquitas apertis malitiæ flatibus demonstratur. Sternutatio ergo vocatur illa extrema Antichristi commotio, in quo Leuiathan ingreditur, vt per eum reprobis principetur; & si potest fieri vt membra etiam Domini electa perturbet, qui tantis signis & prodigijs vtitur, vt miraculorum potentia quasi quodam ignis lumine resplendere videatur. Sequitur. *Oculi eius vt palpebræ diluculi.* Per oculos quippe eius consiliarij designantur, qui dum peruersis machinationibus quæ qualiter agenda sint præuident, malignis eius operatijs quasi ostensum pedibus iter præbent. Qui recte palpebris diluculi comparantur. Palpebras namque diluculi extremas noctis horas accipimus. Prudentes igitur peruersis Antichristi consilijs inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi, quia fidem quam in Christo inuenerunt quasi erroris nocti [illegible] & venerationem Antichristi verum esse mane pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere, & veritatis lucem signis clarescentibus nuntiare. Sequitur

Harum punctorum loco in MS. hæc verba habentur [emasserunt] sed quæ Lamina minime videtur.

10. *De ore eius lampades procedunt.* Qui enim prouident, oculi; qui autem prædicant, os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem perfidiæ accendunt. Vnde enim quasi per Sapientiam lucent, inde proculdubio per nequitiam concremant. Sequitur. *Sicut tæda ignis accensa.* Tæda enim cum accenditur, odorem

quidem

A quidem suauem habet, sed lumen obscurum; ita ista Prædicatores Antichristi, quia sanctitatis speciem sibi arrogant, sed tamen opera iniquitatis exercent. Olent enim per similitudinem iustitiæ, sed obscure ardent per nequitiæ perpetrationem. Sequitur.

11. *De naribus eius procedit fumus.* Oculorum quippe acies fumo sauciatur, id est, de miraculorum eius insidiis ad momentum caligosa dubietas etiam in electorum corde generatur. De Leuiathan quippe naribus fumus exit, quia ex eius prodigiis mendacibus, etiam bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. Hinc enim dicitur. *Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita*
Mat. 24. 24 *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* MORALITER. Quia Leuiathan ille serpens & regulus dicitur, sicut Esaias
Esa. 14. 29 ait. *De radice colubri egredietur regulus.* Et regulus non morsu sed flatu perimit, recte de naribus eius fumus procedere asseritur, cuius noxiis inspirationibus praua in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Qui etiam aliquando electo-
B rum oculos tangit. Hinc enim scriptum est. *Turbatus est præ*
Psal. 6. 8. *ira oculus meus.* Fumus iste reproborum cordibus quot illicita desideria inserit, quasi per tot ante oculos globos cogitationum intumescit. Hinc Ioel ait. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.*
Ioel. 1. 4. Vos luxuria, & inanis gloria, & ventris ingluuies, & ira designatur. Sequitur. *Sicut olla accensa atque feruens.* Velut enim olla feruens est vnaquæque tunc anima cogitationum suarum impetus, quasi spumas vndarum ardentium sustinens. Quasi ignis zeli commouetur, & ipsa temporalis oppressio more ollæ intrinsecus clausas tenet. MORALITER. Olla enim succenditur, cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur. Olla autem feruet, cum iam etiam per consensum in desideriis prauæ persuasionis accenditur, & tot vndas feruendo proiicit, per quot se nequitias vsque ad exteriora opera extendit. Hinc enim scriptum
Ierem. 1. 13. est. *Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Seq.
C
12. *Halitus eius prunas ardere facit.* Quid enim prunas, nisi succensas internis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat? Ardent enim cum quodlibet temporale appetunt. Toties igitur Leuiathan halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit: alias namque superbiæ, alias inuidiæ, alias luxuriæ facibus inflammat. Sequitur. *Et flamma de ore eius egredietur.* Flamma quippe eius oris est, ipsa instigatio occultæ locutionis, quam praue ad vniuscuiusque animum pertingere facit. Vnde ardet in desideriis animus, cum eius suggestionibus instigatur. Hæc quotidie suggerit, hæc vsque ad præsentis vitæ terminum suggerere non desistit, sed tunc se nequius dilatat, cum per illum damnatum hominem veniens, in huius mundi se gloria apertius ostentat.

S. ODONIS ABBATIS
D
CLVNIACENSIS II.
MORALIVM IN IOB

LIBER XXXIV.

13. IN collo eius morabitur fortitudo. Quid enim collo Leuiathan istius, nisi elationis extensio designatur? Qui contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis, etiam rumore potestatis extollitur. Quia enim per collum superbia designatur, Esaias testatur dicens. *Ambulauerunt ex-*
Esa. 3. 16. *tento collo.* Quicquid vtique tunc superbe extollitur, quicquid callide machinatur, etiam sub virtute potentiæ secularis exequitur. Quod Daniel Propheta intuens ait. *Dolus*
Dan. 8. 25. *in manu eius dirigetur.* Sequitur. *Et faciem eius præcedet egestas.* Per faciem quippe solet notitia designari. Vnde scriptum
Exod. 33. 14. est. *Facies mea præcedet te.* Sciendum vero est quod egestas in sacro eloquio aliter electorum ponitur, atque aliter reproborum. Egestas namque electorum est, cum veræ diuitiæ cælestis patriæ ad eorum animum redeunt, & in hoc ærumnoso præsentis vitæ exilio positi, pauperes se esse meminerunt. De illis diuitiis Paulus dicit. *Vt sciatis quæ sit eius vo-* E
Ephes. 1. 18. *cationis spes, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis.* Egestas vero reproborum propriè dicitur, quia dum repleni vitiis, virtutum diuitiis vacuantur. De his dicitur. *Dicis quod*
Apoc. 3. 17. *diues sum & locupleratus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis pauper & cæcus & nudus.* Egestas ergo faciem præcedet, quia nemo cognitioni eius iungitur nisi prius virtutum diuitiis, vel cogitationibus sanctis denudetur. Vel certe quia multis fraudulenter subrepit, vt ab eis reprehendi nequaquam possit. Et sic eorum virtutes euacuat, quatenus astutiæ malitiam non ostendat, faciem eius egestas præire perhibetur. Hinc enim dicitur per Prophetam. *Comederunt alieni robur eius, & ipse ignorauit.* Aliter.
Ose. 7. 9. Terribili quidem ordine dispositionis occultæ priusquam Leuiathan iste in illo damnato homine quem assumit appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahuntur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia
F tolluntur, & tunc contra eos antiquus ille per aperta prodigia hostis ostenditur. Quamuis etiam fidelibus in eius certamine signa non deerunt. Sed tanta erunt illius, vt nostrorum aut pauca, aut nulla videantur. Sequitur.

Membra carnium eius cohærentia sibi. Carnes enim Leuia- 14.
than huius sunt omnes reprobi, qui ad intellectum spiritualis patriæ per desiderium non assurgunt. Membra vero sunt hi qui eisdem peruerse agentibus & sese ad iniquitatem præcedentibus coniunguntur. Sicut è contra per Paulum de Dominico corpore dicitur. *Vos estis corpus Christi &* 1. Cor. 12. 27
membra de membro. Quia enim malignus hostis sibi in peruerso à primis vsque ad maximum concordat, diuinus sermo in eo membra carnium sibimet cohærentia memorat: sic namque peruersa vnanimiter sentiunt, vt nulla contra se vicissim disputatione diuidant. Et idcirco contra bonos vehementer præualent, quia in malo se concorditer tenent. Quam scindi optat concordiam Propheta dicens. *Præcipita Domine & diuide linguas eorum.* Sequitur. *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.* Quid appel- G
Psal. 54. 10 latione fulminis, nisi tremendæ illæ extremi iudicii sententiæ designantur? Quæ idcirco fulmina vocantur, quia nimirum eos quos feriunt, in perpetuum incendunt. Fulmina ad locum alium non referentur, quia iustis gaudentibus, solos tunc reprobos feriunt. Sequitur.

Cor eius indurabitur quasi lapis. Cor enim antiqui hostis, vt 15.
lapis indurabitur, quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollietur. Sequitur. *Et stringetur quasi malleatoris incus.* Quia inferni vinculis coarctabitur, vt æterni supplicii continua percussione, more incudis tundatur; sicut enim alia vasa formantur, ipsa vero tot percussionibus in vas aliud non transfertur: ita etiam nos modo illo persequente componimur: ipse autem & semper percutitur, & in vase vtili numquam mutatur. Ipso enim tentante tundimur, sed vt ad vsum domus supernæ veniamus, superni artificis manu formamur. Sequitur.

Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. 16.
Solet in Scriptura aliquando tempus præteritum pro fu- H
turo, & futurum pro præterito poni. Sicut Ioanni mulier paritura masculum qui regat Gentes *in virga ferrea*, res gesta futura demonstrat, & Psalmista. *Foderunt*, inquit, *manus meas &* Psal. 2. 9.
pedes meos, res futura pro præterita ponitur. Hoc ergo loco Psal. 21. 17.
nil obstat intelligi, quia sub futuri temporis modo præterita describuntur. Cadente itaque ab arce beatitudinis Leuiathan, ruinam eius etiam electos angelos expauisse, vt cum illum ex illorum numero superbia elapsus erecit, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Huius itaque lapsus eos & terruit & purgauit; terruit, ne conditorem suum superbe despicerent; purgauit vero, quia exeuntibus reprobis actum est, vt electi soli qui beate in æternum viuerent, remanerent. Possumus hoc loco etiam angelos sanctos prædicatores accipere. Hinc Propheta ait. *Angeli pacis amare flebunt.* Hinc Malachias ait. *Labia sacerdotis* Esa. 33. 7.
custodiant scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Malac. 2. 7.
Domini exercituum est. Adueniente namque districto iudice, extrema hic Leuiathan damnatio designatur, qua de huc

mun-

A mundo per iram iudicij tollitur, qui nunc mira mansuetu-
dinis longanimitate toleratur. Tanto autem hinc pon-
dere terroris excutitur, vt sanctorum etiam prędicatorum
fortitudo, qui in corporibus reperiri potuerint, immenso
terrore turbetur. Qui tertiti purgantur, quia si qua eis in-
esse poterit leuium rubigo vitiorum, hoc pauore excoqui-
tur. Considerandum vero est, hi qui oderunt aduentum
iudicis, quid facient si terrorem tanti iudicij etiam qui di-
ligunt, expauescunt? Sequitur.

17. *Cum apprehenderit eum gladim, obsistere non poterit neque ha-
sta neque thorax.* In Sciptura aliquando per gladium sancta
Ephes. 6.17 prædicatio designatur. Vt illud. *Et gladius spiritus, quod est*
Iob. 27.14. *verbum Dei.* Aliquando æterna damnatio. Vt illud. *Si mul-
tiplicati fuerint filij eius in gladio erunt.* Aliquando tribulatio
Luc. 2.35. temporalis. Vt illud. *Et tuam ipsius animam pertransibit gla-
dius.* Aliquando antiqui hostis ira vel persuasio designatur.
Psa. 143. 10. Vt illud. *Qui liberas Dauid seruũ tuum de gladio maligno.* Anti-
qui ergo hostis est gladius ille tunc damnatus homo in v-
B sum ministerij eius assumptus; ipsum quippe per malitiam
fraudis exacuit, & infirmorum corda transfigit. Si autem
gladij nomine eius ira signatur, recte non gladium, sed à
gladio apprehendi perhibetur. In tãtam quippe nunc in-
saniam vertetur, vt dominari omnibus appetens, nequaq̃
suæ dominetur: non enim iram possidens tenet, sed ab ira
sæuiens, tenetur. Per hastam namque prædicationis iacu-
la, per thoracem vero fortitudo patientiæ designatur. Le-
uiathan ergo in Antichristum veniens, tantæ virtutis ap-
parebit, vt si supernum adiutorium desit, & prædicantium
acumen obtundat, & longanimitatem patientiæ destruat.
Sequitur.

18. *Reputabit enim, vt paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.*
Quod superius hastæ & thoracis nomine posuit, hoc infe-
rius, ferri & æris appellatione replicauit. Ferro ergo præ-
dicationis iacula, ære autem longanimitatis constan-
tia designatur. Vnde & sub Aser specie, de sancta Ecclesia
Deut. 33.25. per Moysem dicitur. *Ferrum & æs calciamentum eius.* Vbi per
ferrum virtus, per æs vero perseuerantia exprimitur, sed
C Leuiathan iste quando gladium, id est Antichristum as-
sumpserit, nisi diuina gratia protegantur, & prædicantium
vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, & constan-
tiam patientiæ quasi lignum putridum in puluerem redi-
get. Sequitur.

19. *Non fugabit vir sagittarius.* Sagittæ namq; verba sunt præ-
dicatorum, quæ ex voce bene viuẽtium diriguntur, & au-
dientium corda transfigunt. His vulnerata fuerat, quæ di-
Psal. 63.8. cebat. *Vulnerata charitate ego sum.* Hinc scriptum est. *Sagitta
Psal. 44.6. paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Et rursum. *Sagittæ tuæ acutæ,*
& reliqua. Vir itaque est Sagittarius, qui per sanctæ inten-
tionis arcum, audientium cordibus verba rectæ exhorta-
tionis infigit, sed Leuiathan istum à reproborum cordib.
sancti prædicatoris sagitta non excutit, quia quisquis ab
illo apprehenditur, verba iam prædicantium audire con-
temnit. Sequitur. *In stipulam versi sunt ei lapides fundæ.* Quid
per fundam, nisi sancta Ecclesia designatur? Sancta nam-
que Ecclesia dum volubilitate temporum, per tribulatio-
D num circuitũ more fundæ ducitur, fortes ex illa viri quasi
lapides de funda prodeunt, quibus ictib. iniquorum cor-
Zac. 9. 15. da tundantur. Hinc per Prophetam dicitur. *Deuorabunt &
subiicient lapidib.* Leuiathan ergo Sanctorum robur in stipu-
læ mollitiem despiciendo rediget, quorum lingua prius
pectus illius duris ictibus tutudit. Sequitur.

20. *Quasi stipulam æstimauit malleum.* In Scriptura sacra mal-
lei nomine aliquando Diabolus designatur, per quem de-
Iere. 50 23. linquentium culpæ feriũtur. Vt illud Prophetæ. *Quomodo
confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ.* Aliquãdo vero
3. Reg. 6.7. percussio cœlestis accipitur. Vt illud. *Malleus & securis, & o-
mne ferramẽtum non sunt audita in domo cũ ædificaretur.* Quid
est ergo quod Leuiathan iste malleum despicit, nisi quod
supernæ animaduersionis ictus formidare contemnit? &
quasi stipulam deputat, quia ad iustæ iræ se pondera velut
contra leuissimum terrorem parat. Sequitur. *Et ridebit vi-
brantem hastam.* Contra Leuiathan enim Dominus hastam
vibrat, quia in eius interitum districtam minatur senten-
tiam: sed apostata spiritus auctorem vitæ etiam cum sua
morte despiciens hastam vibrantem deridet. Sequitur.

E *Sub ipso erunt radij Solis.* In Scriptura enim sacra cum figu-
21. rate Sol ponitur, aliquando Dominus intelligitur. Vt il-
lud. *Errauimus à via veritatis, & lumẽ iustitiæ non illuxit nobis, &
Sap. 5.6. Sol non ortus est nobis.* Aliquando persecutio. Vt illud in Eu-
angelio. *Orto Sole aruerunt.* Aliquando de re qualibet ma-
Matt. 13.6. nifestæ visionis ostensio. Vt illud. *In Sole posuit tabernaculum
suum.* Aliquando autem intelligentia sapientiæ designa-
Psal. 18. 6. tur. Vt illud. *Quartus Angelus effudit phialam suam in Sole, &
datum est illi æstu afficere homines & igni.* Hoc autem loco, quid
Apoc. 16. 8. per Solis radium, nisi acumina sapientium demonstran-
tur? Quia enim multi in sancta Ecclesia lucere sapientiæ
fulgore videbuntur, tunc vel persuasionibus capti, vel mi-
nis territi, vel cruciatibus fracti, Leuiathan istius se di-
tioni subijciunt. Recte dicitur. *Sub ipso erunt radij Solis.* Se-
quitur. *Sternet sibi aurum quasi lutum.* Appellatione quippe
auri in sacro eloquio, aliquando diuinitatis claritas desi-
Cant. 5.11. gnatur. Vt illud. *Caput eius aurum optimum.* Aliquando splẽ-
F dor supernæ ciuitatis. Vt illud. *Et ipsa ciuitas auro mundo si-
Apoc. 21.18. mili vitro mundo.* Aliquando charitas. Vt illud. *Ad mamillas
Ibid. 1.13. præcinctus zona aurea.* Aliquando autem nitor gloriæ secu-
laris. Sicut per Prophetam dicitur. *Calix aureus Babylon.* A-
Iere. 51. 7. liquando vero pulchritudo sanctitatis accipitur. Vt illud
Ieremiæ. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color opti-
Thren. 4.1. mus?* Luti quoq; nomine in sacro eloquio, aliquando ter-
renarum rerum multiplicitas designatur. Vt illud Abacuc.
*Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum
Abac. 2. 6. lutum?* Aliquando sordidum sapiens iniqua doctrina. Vt
idem Propheta ait. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aqua-
Idem. 3.15. rum multarum.* Aliquando desiderium sordidæ voluntatis
Psal. 68.15. exprimitur. Vt illud. *Eripe me de luto vt non infigar.* Hoc igitur
loco aurum claritas sanctitatis accipitur; lutum vero vel
terrenarum rerum auaritiam, vel prauarum contagia do-
ctrinarum, vel sordes carnalium voluptatum nil obstat in-
telligi. Quia enim Leuiathan iste eos qui intra sanctam Ec-
clesiam fulgore iustitiæ resplendere videbantur, cum car-
nalibus voluptatibus sibi subijcit, aurum sibi proculdubio
vt lutum sternit, sed hoc nunc in multorum cordib. quoti-
G die ait, sicut Paulus dicit. *Vt reueletur in suo tempore. Nam my-
2. Thes. 2.7. sterium iniquitatis.* &c. Totiens ergo sibi nunc aurum subij-
cit, quotiens castitatem fidelium per carnis vitia sternit,
quotiens sensum continentium per immunda desideria
dissipat. Sequitur.

Feruescere faciet quasi ollam profundum mare. Quid per ma- 22.
re, nisi vita secularium? Quid per profundum, nisi altæ &
abditæ eorum cogitationes exprimuntur? Profundum er-
go mare quasi ollam feruescere facit, quia nimirum con-
stat quod persecutionis extremo tempore, contra electo-
rum vitam studeat animos reproborum excitare. Sequi-
tur. *Et ponet quasi cum vnguẽta bulliunt.* Quia ergo reprobi ita
seducuntur, vt quicquid agunt, ex iniquitate perfidiæ, pro
veritate rectæ fidei se agere suspicantur, quasi bene redo-
Ioan. 16.2. let, id quod zelo religionis exercent. Hinc Dominus ait. *Et
omnis qui interficit vos arbitretur obsequium præstare Deo.* Igitur
sicut olla feruens, dum crudeliter persequuntur, sed apud
eos vnguentum redolet dum mentes eorum vanis suspi-
H cionibus deceptę, æstimant quasi Deo obsequium persol-
uant. Sequitur.

Post eum lucebit semita. Post Leuiathan quippe semita lu- 23.
cere perhibetur, quia quorum corda penetrat, eorũ prodi-
gijs illustrat. Sequitur. *Æstimabit abyssum quasi senescentem.*
Psal. 35. 7. Iudicia Dei abyssi appellari nomine Psalmista ostendit di-
cens. *Iudicia tua abyssus multa.* Senectus vero aliquando pro
Heb. 8. 13. finis propinquitate ponitur. Vnde ait Apostolus. *Quod an-
tiquatur & senescit, prope interitum est.* Abyssum namq; sene-
scere æstimat, qui terminari quandoque in supplicijs su-
pernam animaduersionem putat. Igitur antiquus iste per-
suasorum iniquorum mentibus futuras pœnas quasi certo
fine determinat, vt eorum culpas sine termino correctio-
nis extendat. Sũt enim etiam nunc qui peccatis suis pone-
re finem negligunt, qui habere quandoque finem futura
super se iudicia suspicantur. Contra quos Veritas dicit. *Ibũt
Mat. 25.46. hi in supplicium æternum, iusti aũt in vitam æternam.* Ad districti
ergo iudicis iustitiam pertinet, vt numquam careant suppli-
cio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere pec-
cato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, quia quam-
diu

A din valnit habere ooluit terminum criminis. Sequitur.
24. *Non est potestas quæ comparetur ei.* Potestas eius super ter-
ram cunctis eminentior perhibetur, quia etsi actionis suæ
merito infra homines cecidit, omne tamen hominum ge-
nus naturæ Angelicæ coodit one transcendit, licet sanctis
hominibus meritorum suorum deiectione subiaceat. Se-
quitur. *Qui factus est vt nullũ timeret.* Siquidem per naturam
factus est, vt conditorem suum caste timere debuisset, ti-
Psal. 18.10. more videlicet qui *permanet in seculum seculi*, sed sua peruer-
sitate talis factus est, *vt nullum timeret.* Ei quippe à quo fa-
ctus fuerat subesse despexit; dum præesse cæteris, & nulli
Esa. 14.14. subesse concupiuit, dicens. *Ascendam super altitudinem nu-
bium, similis ero altissimo.* Sequitur.
25. *Omne sublime videt.* Id est, cunctos velut infra se positos
quasi de sublimi respicit, quia dum per intentionem con-
tra auctorem nititur, æstimare sibi quemlibet similem de-
signatur, quod apte etiam eius membris congruit, quia o-
mnes iniqui per tumorem cordis elati, cunctos quos cer-
B nunt superbiæ fastu despiciunt, quibus bene per Prophetã
Esa. 5.21. dicitur. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corã vobismetipsis
Rom. 12.16. prudentes.* Et Paulus. *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et
notãdum quod Leuiathan iste, per corporeum animal de-
signatur & cordis superbia, cum exterius vsque ad corpus
extẽditur, prius per oculos indicat, ipsi quippe per fastum
tumoris inflati quasi ex sublimi respiciunt, & quo se depri-
Prou. 30.13. munt, altius extollunt. Hinc Salomon ait. *Generatio cuius
excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alto subrecta.* Sequitur. *Ipse est
Rex super vniuersos filios superbiæ.* Vt Leuiathan iste in cunctis
quæ superius dicta sunt, caderet, sola se superbia percutit.
Eccl. 10.15. Scriptum namq; est. *Initium omnis peccati superbia.* Per hanc
enim ille succubuit, per hanc se sequentem hominem stra-
uit, eo enim telo salutem nostræ immortalitatis impetijt,
quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Sed idcirco hanc Do-
minus doctrinæ suæ locutionem inseruit, vt cum post ma-
la omnia Leuiathan istius superbiam diceret, quid esset
malis omnibus deterius indicaret. Nulla quippe ad publi-
cum proderent, nisi hæc mentem in occulto constringe-
C ret: alia quippe iudicia eas solummodo virtutes impetunt,
quibus ipsa distinguuntur. Vt videlicet ira patientiam, ga-
strimargiam abstinentia libido continentiam expugnet.
Superbia autem (quam vitiorum radicem diximus) ne-
quaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cũ-
cta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer
morbus, corpus omne corrumpit, contra quos Scriptura
Iacob. 4.6. clamat. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Con-
Matt. 11.29 tra huius languoris pestem Veritas dicit. *Discite à me, quia
mitis sum, & humilis corde.* Ne igitur nobis Leuiathan istius
membra, vel mira faciendo fallerent, apertum signum Do-
minus quo deprehendi valeat, demonstrauit, dicens. *Ipse
est Rex super vniuersos filios superbiæ.*

S. ODONIS ABBATIS CLVNIACENSIS II.

MORALIVM IN IOB

D

LIBER XXXV.



CAP. XLII. Gitur postquam fideli famulo Dominus Le-
uiathan hostis eius quam sit fortis & callidus
1. ostendit, B. Iob ad vtraque respondit. Con-
tra immanes quippe vires eius intulit.
2. *Scio quia omnia potes.* Contra occultas vero
machinationes illius subiunxit: *& nulla te latet cogitatio.* Vn-
de & mox eadem ei exprobrat dicens.
3. *Quis est iste qui celat consilium absq; scientia?* Absque scientia
enim Leuiathan celat consilium, qui quamuis contra in-
firmitatem nostram multis fraudibus occultetur, prote-
ctoris tamẽ nostri sancta nobis inspiratione detegitur. Se-
quitur. *Ideo insipienter locutus sum, & quæ vltra modum exce-
derent scientiam meam.* Omnis humana sapientia quantolibet
acumine polleat, diuinæ sapientiæ comparata, insipientia
est. Beatus itaque Iob ea quæ dixerat, sapienter dixisse se
crederet, si verba superioris sapientiæ non audiret, in cuius
operatione stultum est nostrum omne quod sapit. Hinc E
Abraham ait. *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis.* Hinc Gen. 18.27.
Moyses omni sapientia Ægyptiorum instructus ait. *Obsecro
Domine non sum eloquens, ab heri enim & nudiustertius ex quo lo-* Exod. 4.10.
cutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris linguæ ego sum.
Sequitur.
Audi & ego loquar, interrogabo te & responde mihi. Audire 4.
Dei est sub semetipso surgentia nostra percipere. Ad Deũ
ergo qui & tacentium corda cognoscit, loqui nostrum est,
non vocis, sed promentis ad illum desiderijs inhiare. Et
quia ideo quisquis interrogat vt discere valeat quod igno-
rat, homini Deum interrogare est, in conspectu eius ne-
scientem se cognoscere. Respondere Dei est, eum qui se
humiliter nescientem cognouerit occultis inspirationi-
bus erudire. Ait enim. *Audi & loquar.* Ac si diceret. Miseri-
corditer desideria mea percipe, vt dum hæc pietas tua per-
cipiens audiat à te, multipliciora consurgant. *Interrogabo te,*
id est, nescientem me ex tuæ scientiæ contemplatione co-
gnosco, *& responde*, Id est, stultitiam propriam humiliter F
cognoscentem doce. Sequitur.
Auditu audiui te, nunc autem oculus meus videt te. His nimi- 5.
rum verbis aperte indicat, quia quanto visus superior est
auditu, tanto differt ab eo quod prius extitit, & hoc post-
modum per flagella proficit. Sequitur.
Idcirco ipse me reprehendo. Quanto enim quisque minus 6.
videt, tanto sibi minus displicet, & quanto maioris gratiæ
lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse co-
gnoscit. Sequitur. *Et ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Ac si
aperte dicat. De nullo auctoris mei dono superbio, quia
sumptus ex puluere per illatæ mortis sententiam ad pul-
uerem me redire cognosco. *In fauilla enim & cinere* pœni-
tentiam agere est, contemplata summa essentia, nil aliud
quam fauillam se cineremq; cognoscere. Vnde & curati
reprobæ in Euangelio Dominus dicit. *Si in Tyro & Sidone* Luc. 10.13
*facta fuissent virtutes quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cine-
re pœnitentiam egissent.* Sequitur.
Et dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem. Iratus est furor meus 7.
in te, & in duos amicos tuos, &c. Quantum quidem ad huma- G
na iudicia attinet, in verbis suis amici B. Iob multa illore-
ctius dixisse crederentur. Sed Veritas aliam ea occulto re-
gulam proferens ait. *Non estis locuti coram me rectum, sicut ser-
uus meus Iob.* Coram me, ait, id est intus, vbi sæpe multorum
vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Vnde &
de electis dictum est. *Erant ambo iusti ante Deum.* Hinc Psal- Luc. 1. 6.
mista ea orat dicens. *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Et no- Psal. 5.
tandum, quod non dicitur sicut Iob, sed sicut *meus Iob*, licet
in positione seruitutis, dum eum quasi sub quadam pecu-
liaritate commemorat, cuncta quæ in defensione sua di-
xerat, quia nõ contumaci superbia, sed humili veritate di-
xit, ostendit. Sed quid est hoc quod B. Iob & laudatur ho-
sti, & in seipso reprehenditur, & tamen amicis antefertur,
nisi quod sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute
transcendit, sed eo ipso quod homo fuit ante Dei oculos
esse sine reprehensione non potuit? B. igitur Iob pro culpa
se credidit, & non pro gratia flagellari, & in eo reprehendi-
tur, quod intentione flagellum fuisse alia suspicatur, & ta- H
men amicis resistentibus interni iudicij definitione præla-
tus est. Sequitur.
Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & offerte holocau- 8.
sta pro vobis. Ecce iustus & misericors Deus nec culpas sine
increpatione deserit, nec reatum sine conuersione dere-
linquit. Et prius putredinem vulneris innotuit, & post re-
media consequendæ salutis indicauit. Sed quia diximus
per amicos B. Iob hæreticos designari, qui Deum dum de-
fendere nituntur, offendunt, quos omnipotens tamen
Deus sæpe corpori S. Ecclesiæ per cognitionem veritatis
inuiscerat, Iob quippe typum gessit Ecclesiæ, per tauros,
ceruix superbiæ, per arietes vero ducatus exprimitur. De
hæreticis namque superbientibus dicitur. *Consilium tauro-* Psal. 67.31
rum inter vaccas populorum. Et quia sequentes se populos ve-
lut greges trahunt, arietes aliquando nominantur. Hinc
Hieremias ait. *Principes tui velut arietes.* Tauros enim & arie- Thren. 1. 6.
tes in sacrificio offerre est, superbum ducatũ conuersionis
humilitate mactare, vt edomita ceruice superbiæ, discant
obediendo sequi qui dudũ ducendo præire conabantur.

A Recte quoque hæc eorum superbia septem sacrificijs expiatur, quia hæretici ad Ecclesiam reuertentes per humilitatis hostiam dona spiritus gratiæ septiformis accipiunt, vt qui elationis suæ vetustate tabuerunt, nouitate gratiæ refomentur: hoc enim incōcussa fide retinemus, quia quos spiritus gratiæ repleuerit, perfecit eis quod non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atque iustitiæ operationem præbet. In Scriptura sacra solet septenario numero aliquando secura requies designari: vt illud. Gen. 2. 2. *Et requieuit Deus die septima.* Aliquando vniuersitas præsentis temporis huius. Hinc est quod muros Hiericho tubis clangentibus Arca Dei Iosue 6. 3. 4. septem circuiuit dies. Hinc Propheta ait. Ps. 118. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.* Aliquando autem sanctæ Ecclesiæ vniuersitas designatur: vt illud in Apocalypsi. Apoc. 1. 4. *Ioannes septem Ecclesijs*, & reliqua. Veniant ergo hæretici qui extra sunt positi, & prius se vniuersitati sanctæ Ecclesiæ misceant, & tunc de B mum veniam de reatu pristinæ elationis exquirant. Pro culpa sua septem sacrificia offerunt, qui reatus sui absolutionem non accipiunt, nisi gratiæ septiformis spiritu, vniuersalis potius qua excisi fuerant, aggregentur. Sequitur. *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia.* Ac si hæreticis redeuntibus aperte diceretur. Vniuersali vos Ecclesiæ per humilitatem pœnitentiæ iungite, atque per eam quam per vosmetipsos digni nō estis, veniam eius à me precibus obtinere. Qui cum per hanc veraciter sapere discitis, prioris apud me vestræ sapientiæ stoltitiam deletis. Sequitur. *Neq; enim locuti estis coram me, sicut seruus meus Iob.* Hæc paulo ante Dominus protulit, & tamen hæc iterando subiunxit. Quid est hoc nisi quod sententiam quam in semel iudicando dixerat, iterum replicando confirmat? Sequitur.

9. *Abierunt ergo tres amici Iob, Eliphaz Themanites, & Baldah Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.* Intuēdum vero est quod ita caute sicut prædictus fuerat ordo acceptæ veniæ custoditur, vt in sacrificijs Dominus non illorum, sed B. C Iob faciem suscepisse refertur. Sequitur.

10. *Dominus quoq; conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis.* Iam enim (sicut superius memorat) pro amicis auditus fuerat. Hic autem aperte ostenditur, quia etiā pro semetipso pœnitens, tanto citius exaudiri meruit, quanto deuote pro alijs intercessit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis proximi dilectione conditur. Hinc Dominus ait. Matt. 5. 44. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et rursum. Idem 11. 25. *Cū stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus aliquem*, & reliqua. Sequitur. *Addidit Dominus omnia quæcumq; fuerant Iob, duplicia.* Cuncta quæ amiserat, duplicia recepit, quia per pietatem benigni iudicis, tentationis nostræ dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus enim tentat probatio, quam remuneratio consolatur. Hinc quoq; dicitur. Esa 54. 7. Psal. 93. 19. *Ad punctum in modicum reliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Et item. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Mystice. D Sancta quippe Ecclesia ea se multos nunc percussione tentationis amittit, in fine tamē huius seculi, ea quæ sua sunt duplicia recipit, quando susceptis ad plenum gentibus, ad eius fidē currere omnes, quæ tunc inuenta fuerit, etiam Iudæam, consentit. Hinc enim scriptum est. Rom. 11. 25. *Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fiet.* Et veritas ait. *Helias veniet, & restituet omnia.* Vel certe S. Ecclesiæ in fine suo duplum recipere est, in singulis nobis, & de beatitudine animæ, & de carnis incorruptione gaudere. Hinc Propheta dicit. Esa 61. 2. *In terra sua duplicia possidebunt* Sequitur.

11. *Venerunt ad eum omnes fratres sui & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt panem cum eo in domo, & mouerunt super eum caput.* Diuinæ pietatis muneribus consolatus, etiam humana debet charitate refoueri, vt vndique ei etiam consolationis gaudia respondeant, quem vndique dolorum tristitia aduersa lacerabat. In comestione enim panis, charitas, in motione vero capitis, admiratio designatur. Mystice. Tunc autem fratres sui ac sorores ad correptum veniunt, quando ex plebe Iudaica quot inuenti fuerint ad fidem conuertuntur, ipsa enim per cognationem iuncta est, vel qui fortes futuri sunt velut fratres, vel infirmi velut sorores ad eum per cognitionis fidem debita gratulatione concurrunt. Tunc in domo eius panem comedunt, cum postposita obseruatione superiacentis literæ in S. Ecclesia mystici eloquij quasi frugis medulla pascuntur. Bene autem dicitur. *Omnes qui nouerant eum prius.* Prius quippe nouerant, quem in passione sua quasi incognitum contempserant. Nam nasciturū Christum nullus qui plane legem didicit, ignorauit, quorum & notitia prior & ignorantia posterior bene ac breuiter Isaac caligante signatur. Qui dum Iacob benediceret, & quid eueniret in futuro præuidebat, & quis illi præsens assisteret nesciebat. Sed ecce in fine mundi veniunt, & eum quem prius nouerant, recognoscunt. Ecce in domo eius panem comedunt, quia in S. Ecclesia sacri eloquij fruge pascūtur. In capite namque principale mentis accipitur. Sicut per Psalmistam dicitur. *Impinguasti in oleo caput meum.* Psal. 22. 5. Hoc itaq; loco caput mouere est, & immobilitatē mentis excutere, & ad cognitionem fidei crudelitatis gressibus propinquare. F Caput igitur mouetur, cum per formidinem veritatis tacta ab insensibilitate sua mens quatitur. Sequitur. *Et consolati sunt eum super omne malum quod intulerat Dominus super eum.* Percussi enim mœrorem consolari est, et post percussionem de venia congaudere. Nam quantum quisq; cernitur, de restituta proximi salute hilarescere, tanto se indicat de ablata doluisse. Typice. Consulantur Christū, consolātur Ecclesiam, qui ab infidelitatis pristinę errore resipiscūt, & prauitatē vitæ per quam recta docentibus repugnant. Magna quippe prædicatorum consolatio est, subsequens profectus auditorū. Reuelatio namq; docentis, est immutatio proficientis. Qui ad consolandum post flagella veniunt, quia omnitū passionis tempore prædicamenta fidei contemnentes, quem hominem ex morte probauerunt, Deum credere despexerunt. Vnde Dominus dicit. *Sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit*, & reliqua. Psal. 68. 21. In fine igitur mundi credentes Hebręi conueniant, & humani generis redemptori in potētia diuinitatis quasi suo Iob oblationum suarū vota persoluantur. Sequitur. G *Et dederunt ei vnusquisq; ouem vnam & inaurem vnam.* Hæc iuxta historiam veraciter dicta credimus. Sed quid per ouem mystice nisi innocentia? quid per inaurem, nisi obedientia designatur? Per ouem quippe simplex animus, per inaurem vero ornatus humilitatis gratia auditus exprimitur. Notandū quod cum inaure ouis, & cum oue inauris offertur, quia nimirū innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ iungitur, Domino attestante qui ait. Ioan. 10. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Auream inaurem obtulisse perhibetur, vt videlicet in ea quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes auri more cætera metalla transcendit. Sed quia nulla esse innocentia, nulla esse vera obedientia in multiplicibus hæreticorum diuisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes, offerant ouem, sed vnam; offerant inaurem, sed vnam, id est, tales veniant qui in vnitate S. Ecclesiæ innocui obedientesque persistant. Sequitur.

12. H *Dominus autem benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius.* Hæc in historia facta credimus, hæc mystice faciēda speramus. Quantū enim ad Israëlitici populi susceptionem pertinet, vrgente fine in præsentis seculi dolore S. Ecclesia animarum multiplici collectione consolatur. Tanto quippe locupletius ditabitur, quanto & manifestius innotescit quod ad finem præsentis vitæ temporalitas vrgetur. Prædicatores namque S. Ecclesiæ benedictione primi temporis Psalmista ditari conspexerat, cum dicebat. Psal. 91. 10. *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi. Et bene placentes erunt vt annuntient.* Sequitur.

13. *Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ. Et fuerunt ei septem filij & tres filiæ.* Cum cuncta beato Iob duplicata sunt, cur filij totidem sunt redditi, quot amissi? Sed & filios dupliciter addidit, cum decem postmodum in carne restituit. Decem vero qui amissi fuerant, in occulta animarum vita seruauit. Possumus autem in his animalibus aggregatam fidelium vniuersitatem * intelligi. Hinc scriptū est. Psal. 8. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, & reliq. Et rursum. Ps. 67. 11. *Animalia tua habitabunt*

* intellige.

A *bitabunt in ea.* Agnoscamus ergo in ouibus fideles atq; innocentes ex Iudæa populos, legis dudum pascuis saciatos. In camelis simplices ex gentilitate venientes, qui prius sub ritu sacrilego quasi quadam deformitate membrorum valde turpes ostensi sunt fœditate vitiorum. Possunt rursum in bobus Israelitæ accipi, quasi iugo legis attriti: asini vero Gentiles designari. Qui dum se colendis lapidibus inclinabant, supposito quibuslibet idolis bruto sensu seruiebant. Sancta ergo Ecclesia, quæ in exordijs suis innumeris tentationibus pressa, vel Israeliticum populum, vel multos ex Gentibus amisit, videl. quos lucrari non potuit, duplicia in fine recipit, quia in ea ex vtraq; nationum fideliũ multipliciter excrescit. Possunt per iugatos boues, prædicatores intelligi: possunt per asinas mentes simplicium designari. Sancta vero Ecclesia duplicia recipit, quia dum prædicatores sancti, qui pressi formidine in eius dudum tentatione tacuerunt, & mentes simplicium quæ victæ B terroribus veritatem illius confiteri formidabant, tanto iam nunc robustius in confessione veritatis suæ voces suas exerunt, quanto debilius ante timuerunt. Millenarius numerus apud secularem scientiam idcirco perfectus habetur, quia denarij numeri quadratum solidum reddit, decẽ quippe decies ducta fiunt centum, quæ iam figura quadrata, sed plena est. Vt autem in altitudinem surgat, & solida fiat, rursum centum decies multiplicantur, & mille fiunt. Septenarius autem ea ratione perfectus habetur, quod ex primo pari, & ex primo impari consummatur. Prius enim impar, ternarius est, primusq; par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat, quia ex eisdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Senarius vero ideo perfectus est, quia primus in numeris completur partibus suis, id est, sexta sui parte, & tertia & dimidia quæ sunt, vnũ, duo, tria, & fiunt in summa sex. Sed in sacra scriptura senarius numerus ideo perfectus est, quia in mundi origine Dominus ea quę cœpit, sexto die opere impleuit. Septenarius in ea perfect⁹ est, quia omne bonum opus septem vir- C tutibus agitur, vt & fide simul & opere consumetur. Denarius quoque in ea perfectus est, quia lex in decem præcepta concluditur, omnisq; culpa non amplius quam per decem verba cohibetur, atq; narrante veritate, operatores vineæ Mat. 20.10 denario remunerantur. In denario quippe tria iunguntur & septem, homo autem quia ex anima constat & corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus specialiter, & quatuor corporaliter viget. Sed homo denario remuneratur, quia in illa perfectione supernæ patriæ septem nostra ad tria iunguntur æterna, vt homo contemplationem Trinitatis accipiat, vel certe septem virtutes sunt, quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque in hac etiam vita denarium accipit, dum eisdem septem virtutibus, fidem, spem, charitatemque coniungit. Millenarius namque perfectus est, quia appellatione eius vniuersitas designatur. Psal. 104.8. Vnde scriptum est. *Verbi quod mandauit in mille generationes.* B. igitur Iob, *quatuordecim millia ouium* recepit, quia dum in S. Ecclesia virtutum perfectio ad vtrumque sexum duci- D tur, septenarius in ea numerus duplicatur. *Et sex millia camelorum*, quia plenitudinem in illa operis accipiunt, qui ab illa dudum vitiorum suorũ fœditate perierunt. *Mille* quoque *iuga boum*, ac *mille asinas* recepit, quia Israëlitas atque Gentiles, doctos ac simplices post tentationum casus in culmine perfectionis assumit. *Septem* quoque *filios & tres filias* recepit, quia eorum mentibus quos septem virtutibus generat, ad perfectionem summam, fidem, spem, charitatemq; coniungit, vt tanto verius prole sua gaudeat, quanto suis fidelibus nil deesse virtutis pensat. Sequitur.

14. *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.* Per filios Iob vniuersum genus humanum accipimus. Homo namque quasi dies ex conditione claruit, quia hunc auctor suus ingenitæ innocentiæ splendore respersit, sed sponte sua ad peccati tenebras lapsus est. Vnde alias dicitur. *Secutus est vmbram.* Sed enim auctor pietatis, quem prius potenter ad iustitiam condidit, potentius redimendo postmodum ab errore reuocauit. Et quia multa nunc exhibenda sunt quæ in paradiso necessaria nõ fue- E runt, vt est virtus patientiæ, laboris, eruditio doctrinæ, castigatio corporis, assiduitas precum, confessio delictorum inundatio lacrymarum, quia salutis bonum ex ipsa conditus homo conditione, percepit, nomen secundæ filiæ velut Cassia ex merito redolet, vt quia prima filia quasi dies extitit per dignitatem conditionis, secunda Cassia sit per fragrantiam fortitudinis ex gratia redemptionis. Vnde & idem venienti redemptori per Prophetam dicitur. *Mirrha & gutta & cassia*, & reliqua. Quia vero tertio ordine humanum genus etiam carnis resurrectione reuocato in illo conuentu æternæ laudis assumitur, tertia filia Cornustibij vocatur. Quid per Cornustibij, nisi lætantium cantus exprimitur? Ibi enim veraciter adimpletur quod scriptum est. *Cantate Domino canticum nouum*, & reliqua. Sequitur. Psal. 95.1.

15. *Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra.* Electorum quippe animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt. Quanto exterius F affligendo se despiciunt, tanto intus verius componuntur. Hinc enim scriptum est. *Concupiuit rex decorem tuum.* Et. Psal. 44.12. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, & reliqua. Sequitur. *Deditq; eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.* Pater enim noster inter masculos etiã fœminis iura successionis tribuit, quia inter fortes atque perfectos, infirmos & humiles ad sortem supernæ hæreditatis admittit. Hinc Dominus ait. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quas bene Paulus man- 1. Cor. 15.41 siones iuxta merita distributas insinuat cum ait. *Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate.* Sequitur. Ioan. 14. b.

16. *Vixit autem post hæc Iob centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, vsq; ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.* In Scriptura sacra non facile plenus dierum ponitur, nisi is cuius per eandem Scripturam vita laudatur. Vacuus quippe dierum est, qui quãlibet multum vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit. At contra *plenus dierum* dicitur, cui nequaquam dies G sui pereundo transeunt, sed ex quotidiana mercede boni operis apud iustum iudicem, & postquam transacti fuerint reseruantur. Mystice. Si quatuordecim per denarium ducimus, ad centesimum & quadragesimum numerum peruenimus. Et recte vita S. Ecclesiæ per multiplicata decem & quatuor computatur, quia vtrumq; testamentum custodiens, & tam secundum legis Decalogum, quam secundum quatuor Euangelij libros viuens, vsque ad perfectionis culmen extenditur. Bene autem B. Iob post flagella viuere dicitur, quia & S. Ecclesia prius disciplinæ flagello percutitur, & postmodum vitæ perfectione roboratur. *Vsque ad quartam generationem* filios conspicit, quia hac ætate quæ anni quatuor temporibus voluitur, vsque ad finem mundi per ora prædicantium nascentes sibi quotidie soboles contemplatur. Quod si per tres propagines Ioseph Gen 40.12. pincernæ somnium edisserens spatium trium dierum intellexit, cur non etiam per quatuor generationes annua quatuor tempora figurentur? Sancta quippe Ecclesia vidit filios suos, cum primum fidelium sobolem conspexit, *vidit* H *filios filiorum*, cum ab eisdem fidelibus ad fidem gigni & alios agnoscit. Quæ etiam *senex & plena dierum* moritur, quia subsequente luce ex mercede quotidianorum operum deposito corruptionis pondere, ad incorruptionem spiritalis patriæ mutatur. Per hæc enim transeuntia tempora, id quod non transit operatur. Vnde Apostolis dicitur. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam* Ioan. 6.27. *æternam.* Mori autem dicitur, quia cum illa æternitatis contemplatio absorbuerit, ab hac mutabilitatis suæ funditus extinguit, vt in ea iam quod acumen visionis intimæ impediat, vllo modo nihil iuuat. Hanc itaque mortem, hanc dierum plenitudinem, & in B. Iob, id est, vno membro Ecclesiæ credamus factam, & in tota simul Ecclesia speremus esse faciendam. Quatenus ita teneatur rei gestæ veritas, vt non euacuetur rei gerendæ Prophetia.

F I N I S.

DOMINI STEPHANI EDVENSIS EPISCOPI: DE SACRAMENTO Altaris Tractatus.

Floruisse Stephanum Eduensem Episcopum circa annum Domini 950. Ioannes Garetius centenario 10. se legisse testatur, cui quoque assentiuntur Bellarminus lib. 2. de Eucharistia, cap. 35. & Possevinus in apparatu sacro.

TRACTATVS DOMINI STEPHANI Eduensis Episcopi de Sacramento Altaris, Prologus.



Rdinatrix omnium Dei sapientia attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suauiter, scilicet Dei filius: miro & ineffabili modo se carne induens, stola immortalitatis nos induit, & corruptibili indumento incorruptionis. Qui expleta dispensatione à Patre sibi credita, volens nobis relinquere omnia saluti necessaria, visibili materia ordinauit & fieri praecepit inuisibilia Socramenta. — Matrimonium. — *Quomodo enim posset homo intelligere dona spiritualia nisi aliquo visibili moneretur ad ea percipienda? virtus enim Sacramentorum, inuisibilem operatur effectum. Quod exemplorum documentis liquido apporebit. Sacramentum Baptismi ordinatur in aquis regenerationis: quia sicut aqua sordes exteriores abluuntur, ita spirituali gratia in lauacro regenerationis data, mundantur interiora inquinamenta. Item in copula maris & fœminæ quæ coniugium dicitur, vnitas capitis & membrorum, id est Christi & Ecclesiæ intelligitur.* — 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum — *Item olei vnctione figuratur operatio diuinæ misericordiæ. Oleum enim sanat, reficit & superuatat: Dei misericordia contritos sanat, contritiones alligat, esurientes pane indeficienti reficit & iustos & iudicio superexaltat. Hoc modo in Ecclesiasticis Sacramentis Spiritusancto cooperante ordinantis, inuisibiliter operatur Gratia septiformis. Licet enim vnus & idem sit Spiritus qui in singulis prout vult operatur, tamen pro varietate distributionum assignatur diuisio gratiarum. Nam diuisiones sunt donorum pro qualitate suscipientium.* — 1. Cor. 6. Pluuia voluntaria. — *Nulla igitur in Spiritu varietas, sed sine omni alteratione identitas. Diuidit quibus vult, & quantum vult, & non diuiditur, omnia continet: & in omnibus est. Qui dat ipse donum est. Et cum dona sint diuisa: vnus manet & indiuisus, qui donat, vnus est qui in se dato, dat plura: Et cum sit quod datur, ipse est dono diuersa.* — Gratia septiformis septem lateti ordine in interiori homine repræsentatis. — *Omnia quæ donantur, ad vnum referuntur: velut cum quis distribuat alij aurum, alij argentum, alij copiam gemmarum multa diuidit, & vnum facere intendit, scilicet, mutuum obsequij & amicitiæ cum gratiarum actione. Ita in distributione donorum Spiritus sanctus plura distribuit: & vnum efficit.* — Num. 6. Iudic. 13. Capillorum tonsio in figura ab Apostolis Nazaræorum exemplo. — *Sed quod vnum templum Dei; de quo Apostolus. Templum Dei sanctum est, quod estis vos, hoc templum Spiritus sanctus sui infusione imbre salutifero rigat, & ab omni ruina & corruptione conseruat. Hoc est pluuia voluntaria quæ aspergit hominem septiformis gratia. Primo custodit ostium cordis, & vitia introire non permittit. Secunda: quæ sint facienda, scrutinio mentis legit, & deliberat vt se & alios erudiat. Tertia: quæ sordes vitiorum purgat, de corporibus obsessis dæmones fugat. Quarta: expulsis tenebris introducit opera lucis. Quinta est in operibus misericordiæ: vt in pauperum visitatione, peregrinorum susceptione, pedum ablutione, mortuorum inhumatione. Sexto, à seruitute peccati eximitur homo ad libere seruiendum Deo. Septimo, in ara crucis crucifigit hominem cum vitijs & concupiscentiis. Sic fungitur in se homo vice Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, atque Sacerdotis, his virtutibus homo interior adornatur. Ad quod significandum: prædictorum graduum ministerio, Ecclesia decoratur. Sed qui ad hos gradus promoueri intendunt: regale signum prius accipiunt quod habent in summitate capitis expressum, & à rotunditate corona nuncupatum. Tonsio capillorum & rasura, ostendunt vitia quæ pullulant & succrescunt esse resecanda. Rotunda forma tonsionis, regnum spirituale quo præminent cæteris. Hi sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Prædicto stigmate insigniti dicuntur clerici: eo quod eos Dominus sortitur & ipsi Dominum sortiuntur. Quod autem sine de sorte Domini designaui qui in tonsione in persona eorum dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ. Item: hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Et in alio Psalmo: Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. Ad cuius gloriam præclaræ hæreditatis perueniunt milites Christi: qui mundo renunciant & Deo militant, de laboribus suis vitæ necessaria quærunt, superflua abijciunt, & mundum contemnunt. Vnde non immerito, signo regio signantur, qui se Dei hæredes, & in regia & in præclara hæreditate regnaturos se profitentur. Tonsura capillorum à Nazaræis videtur habuisse exordium: qui crine seruato deuotione completa caput radebant. Vnde ab Apostolis est institutum, vt qui diuino cultui sunt mancipati: hoc signaculo sint Domino consecrati. His prælibatis, ordinem prædictorum Graduum exequamur.*

OSTIARIORVM OFFICIUM.

CAP. I.

IN primo sunt Ostiarij: quorum est prouida solicitudo ostium Ecclesiæ seruare, deposita in Ecclesia fideliter custodire, indignis ianuam claudere, dignis aperire, vt & quos cognouerint recipiendos admittant, quos repellendos excludant. — Claues Ecclesiæ. — Inde enim quo dantur eis claues Ecclesiæ Episcopo dicente: Sic agite, quasi reddituri rationem de rebus quæ his clauibus recluduntur. Sed ad discernendum qui sint digni vel indigni: cautela Ostiariæ ministrationis eget auxilio gratiæ spiritualis. — Catechumeni. — Primitiua etenim Ecclesia, vsque ad Euangelium Catechumenos recipiebat. Post Euangelium iubebantur exire: quia nondum renati, indigni erant communicare Sacramentis. Excludebantur & Ethnici, qui omnino à fide erant alieni. Sic Excommunicati, ab introitu Ecclesiæ, & Sacramentorum participatione sunt eliminandi.

De Lectorum Officio, & ordinatione.

CAP. II.

IN secundo sunt Lectntes, qui debent Scripturas Canonicas legere, & quæ legerint distincte pronunciare,

pronun-

A pronunciata pie & fideliter intelligere. Qui enim distincte legunt & pronunciant, auditoribus intelligentiam parant: qui vero confuse, sensus eorum perturbant. Oportet Lectorem esse præditum scientia, munitum eloquentia: quatenus cola & commata, distinctiones, subdistinctiones, accentuum varietatem discernere sciat, & quæ secundum systolem vel diastolem, siue encletice fuerint pronuncianda. Sed nisi intus sit qui doceat, in vanum lingua docentis laborat. Opus est enim esse moribus ornatum, honestæ vitæ probatum, ne à se Spiritum docentem repellat. His datur tenendus in manibus codex diuinarum Scripturarum, præcipiente Episcopo & monente, vt conuenienter tractent suum ministerium, his verbis: Accipite, & estote Verbi Dei relatores: si fideliter & vtiliter officium vestrum impleueritis, partem habituri cum ijs qui verbum Dei bene ministrauerunt.

B

De Exorcistarum Officio, & ordinatione.

Cap. III.

TErtium ordinem ornant Exorcistæ sic vocati à potestate adiurandi: quia in fide S. Trinitatis dæmones expellunt de corporibus obsessis. Hi debent coram Deo & hominibus clarere munditia vitæ, sordibus vitiorum expulsis, Sancti Spiritus gratia mundante. Qui enim super immundos spiritus habent imperium, eos oportet habere Spiritum mundum. Et qui tradita sibi potestate malignos spiritus eijciunt de corporibus obsessis, spiritu benignitatis & operibus mundis vitia & immunditias expellant de cordibus suis, & quorum medicina alijs proficit: sibimet sciant mederi. Non enim probatus est medicus qui alij medetur, nesciens curare morbum quo læditur: præcipue cum eodem languore laborent, ipse, & ille cui medetur. His quia ex re nomen habent, dat Episcopus librum Exorcismorum, dicens: Accipite, & habete potestatem ponendi manus super Energumenos & Catechumenos.

Liber exorcismorum.

C

De Acolythorum Officio, & ordinatione.

Cap. IV.

OFficium Acolytorum qui quartum obtinent gradum: est, ante Diaconem ferre cereum accensum cum cerosferario vsq; ad Analogium, & tenere debent, dum legitur Euangelium, & dum Missæ celebratur sacrosanctum Mysterium. In quo significatur quod sicut in manibus gestant lumen visibile, ita lumen splendidum quod est Christus, habeant in mente, fide, & operatione. Exemplo enim vitæ, & verbo doctrinæ tenentur de suis & aliorum cordibus tenebras expellere: & radio sui luminis alios illuminare. Vnde quia & nomine & re sunt ceroferarij, accipiunt candelabrum cum cereo, vt sciant se ad luminaria accendenda mancipatos. Accipiunt & vrceolum: in quo datur eis potestas infundendi aquam in calicem Dominicum, quibus dicitur. Accipite ceroferarium cum cereo: vt sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipite vrceolum: quo infundatis aquam in calicem Domini.

Sacrosanctum missæ Mysterium.

Candelabrum cum Cereo. Vrceolum.

D

De Officio, & ordinatione & continentia Subdiaconorum.

Cap. V.

QVinto gradu præcellunt Subdiaconi, non ordine numerandi, sed priuilegio dignitatis. Horum est ministerium, epistolam legere, leuitis ministrare, altaria componere, substratoria, pallas, corporalia lauare, aquam ablutionum in baptisterium vergere, de oblationibus ponere in altario quantum possit sufficere populo. In ministerio altaris approximant, quia vasa in quibus fit consecratio Dominici corporis & sanguinis, portant. Vnde sermo Propheticus ad istos dirigitur. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Propterea lex continentiæ quæ munditiam parat & conseruat, eis indicitur: cuius obseruantia non est naturæ, sed gratiæ. *Quod enim de carne est caro est: quod de spiritu, spiritus est.*

Oblationes in altari.

E Dicuntur Subdiaconi, quasi sub Leuitis ad eis seruiendum ordinari. Et quia plus alijs prædictis ordinibus ministerio altaris eis appropinquare permittitur, inter sacros ordines numerantur. Ad designandum eorum officium, dat eis Episcopus patenam & calicem. Archidiaconus, vrceum cum aqua & manutergium: quibus Presbyter & Leuita tractaturi Dominica Sacramenta, lauent & mundent manuum inquinamenta. Manipulus eis datur ab Episcopo dicente. Accipe manipulum, imple ministerium tuum: potens est enim Dominus, vt augeat tibi gratiam. Induendo tunicam, dicat Episcopus: Induat te vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdet te semper.

Quod Christus Ecclesiasticas administrationes susceperit.

Cap. VI.

F

DOminus noster in propria persona prædictas suscepit administrationes, quatenus exemplo sui, cum pia deuotione & vitæ emendatione suscipiendas esse demonstraret. Qui enim Spiritus est incircumscriptus, Sanctus Sanctorum, Deus homo factus, in vtero virginis circumscriptus: de plenitudine sua voluit nobis circumscribere vnctionem S. Spiritus, qua vngimur in singulis ordinibus. Vnde quicunq, ad suscipiendum ordines accedit, solicite bene viuendo caueat ne effectum vnctionis spiritualis amittat. Euacuatur enim S. Trinitas, vbi interuenit vitæ turpitudo. Qui enim de vsuris, simonijs, falsis testimonijs periurijs, & alijs modis illicitis male acquirendo lucra sectantur: vnctionem à se expellunt: & puluere sordido squalidi efficiuntur. Officio Ostiarij vsus est Dominus, quando funiculo de resticulis facto, vendentes & ementes de templo eiecit, & cathedras nummulariorum euertit. Hoc autem spiritualiter in Ecclesia agitur, cum Giezitæ & Simoniaci, & alij qui de donis Dei gratuitis turpia quærunt lucra, à consortio fidelium expelluntur. Propterea ipse ait. *Ego sum ostium*: per me si quis introierit, ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Ingredietur ipso cooperante & ducente in præsenti, ad iustitiam, & bene expleta sibi credita dispensatione: in futuro egredietur ad gloriam. Lector fuit, cum in medio Seniorum, in libro Esaiæ legit: Spiritus Domini dulcis super me, ad Euangelizandum pauperibus misit me. Exorcistam se ostendit in dæmoniorum eiectione, & in aurium surdi & muti apertione dicens: Effeta, quod est aperire, in quo Exorcistis significandum reliquit eorum ministerio aperiri ora ad confitendum, & corda ad credendum, & bene operandum. Quod fit, quando expulsis dæmoniacorum operum tenebris, verum lumen Iesum Christum suscipiunt in cordibus suis. Acolyti vices in se ostendit, dicens: Ego sum lux mundi. *Qui me sequitur: non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Subdiaconi: quando aqua missa in peluim, linteo se præcinxit, & pedes discipulorum lauit. In quo docemur quod pedes suos & aliorum lauant, qui puluere terrenæ cupiditatis expulso, irriguo charitatis quod lætificat ciuitatem Dei, lauant pedes viuorum, & desideria carnalia expellunt.

Vitæ turpitudo. [illegible]

G

Quando Lectorem. *Esa. 61. Luc. 16.*

Quando Exorcistæ. *Matth. 7.*

Quando Acolytum. *Ioan. 8.*

Quando Subdiaconum.

H

De ordine Diaconi seu Diaconatus.

Cap. VII.

AVctoritate noui & veteris testamenti, & humilitate Domini nostri Iesu Christi in se hoc mysterium suscipientis, commendatur ordo Diaconi, cui sextus gradus attribuitur, vt ex perfectione senarij, eius dignitas demonstretur. In veteri testamento post ordinationem Aaron & filiorum eius, ex præcepto Domini à Moyse institutam, eidem præceptum fuit quatenus in adiutorium diuini Mysterij tribus Leui ordinaretur: quibus fuit iniuncta dispensatio coram Aaron & eius filiis seruire in tabernaculo fœderis. Arcam & vasa & vtensilia gestabant, & in circuitu castrametantes, tentoria construebant. Et quia à viginti annis & supra, hominis vigor ascendit, in hac ætate missi sunt in omnibus prædictis ad transportandum deponendis & iterum resumendis deseruire. Ad exemplar huius institu-

A

tionis, Apostoli tempore gratiæ, septẽ viros boni testimonij, plenos Spiritu S. eligentes, & oratione facta man⁹ imponentes ordinauerunt. Dicti autẽ sunt Diaconi, quasi seruitio altaris mancipati. Quibus institutum est super humerum sinistrũ stolam portare, & in diebus ieiunij super eundem humerum Planetam complicare. Cũ enim ordinantur, debent iugum Domini accipere, quo omnia ad sinistrã, id est, vitam temporalem pertinentia premant & despiciãt, donec finitis laboribus, in dextra, id est, in vita æterna & beata requiescant. De his statutum est canonica & Apostolica præceptione, vt vicario Christi in S. Sanctorum introeunte, septem in sublimiori gradu assistentes, mensę altaris seruiant: & gratia septiformi insigniti, Spiritum S. coadiutorem habeãt. Hi sunt septem Angeli tuba canentes, septẽ candelabra, septem tonitrua. Debent enim sapientes, alta mysteria resonando manifestare, sicut scriptum est. *Quasi tuba exalta vocem tuam, tu qui Euangelizas Sion: exalta, noli timere.* Et iterum. *Clama, ne cesses. Opera eorum lucida sunt: ne turpitudine vitæ reprobi sint, cum alijs prædicauerint.* *Asperitas sermonis sit in aliorum correptione, vt comminando, arguendo, quodam modo videantur tonitruum emittere.* Sic Dominus comminando terrebat, dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et B. Ioannes: *Genimina viperarum, quis docuit vos fugere a ventura ira?* Officium istorum est, præconizare ad orandum, monere genua ad flectendum, legere Euangelium. Horũ etiam est, sacramenta Dominici corporis dispensare, mensam Dei adornare. Sacerdos autem, de manu Diaconi debet accipere calicẽ Domini, causa vitandæ præsumptionis, dum hi celebrant, albis induti, altario assistant: & habeant interius albedinem, quam præferunt exterius, munditiã mentis significantem quatenus qui exteriori habitu humiliter vestiuntur, spiritualiter virtutibus induantur. In quibusdam habent vicem sacerdotis: vt in ministerio baptizandi, communicandi, delicta confitentium misericorditer suscipiendi. *Væ illis qui ministerium sibi creditum pie & iuste non impleuerint, quia peribunt morte horribili.* Audiant quid indictum est Leuitis à Moyse, de morte corporali. Interdictum erat in lege, ne vasa tangere nuda præsumerent, nisi prius à sacerdote inuoluta fuissent. Illi metuebant mortem corporis: Plus metuenda est mors animæ æternalis. Propterea dicente Apostolo, oportet Diaconos esse irreprehensibiles, id est, sine crimine, continentes, non bilingues, non turpia lucra sectantes. Probet se vnusquisque & sic ministret.

Esa. 58.
1. Cor. 9.

B

Marc. 3.
Matth. 53.
Officium Diaconorum.

Diaconi in quibus sacerdotis vicem obtineant.

C

Nõ potest Diaconus confitentium delicta sacramentaliter excipere, potest tamen in absentia Episcopi vel presbyteri solemnem publicorũ pœnitentium reconciliationẽ, quæ quidẽ erat Ecclesiæ ceremonia, exercere, vt apparet è S. Cypriano lib. 3. epist. 17.

Quando Christus Leuitarum Officium suscepit.

Cap. VIII.

Leuitarum ministerium Dominus suscepit: quando cœna facta sacramentum sui corporis dispensauit, & discipulis tradidit. Vbi Apostolos dormientes, ad orandũ excitauit, Leuitam se ostendit. Ait enim. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Cum autem ordinatur (quod debet fieri ab anno 21. & supra) Episcopus solus manus imponit: quia non ad Sacerdotium sed ad ministerium ordinantur. Ponit etiam stolam super sinistrum humerum: in quo monentur iugum Domini æquanimiter esse sustinendum, & vt pertinentia ad sinistram, viuide & ore despiciant. Datur eis textus Euangelij, in quo accipiunt potestatem legendi Euangelium, & prædicandi.

D

Vide Bellarminum lib. 1. de Sacramento ordinis cap. 6.
Marc. 14.
Textus Euangelij.

De ordine presbyteratus.

Cap. IX.

Ordo Presbyterorũ primus & summus, in perfectione septenarij vltimus est ordinatus. In quorum figura Aaron & filij eius seruiebant in Tabernaculo Fœderis, sicut scriptum est, *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* In lege sacerdotes dicebantur, qui nũc Presbyteri vocantur, & qui tunc principes Sacerdotum: nunc Pontifices siue Episcopi dicuntur. Hi successores Apostolorũ, alios ordinant ad sui ordinis ministerium. Ordinãtur Presbyteri, vt sint Episcoporum coadiutores ad regendum & instruendum dominicũ gregem. Sic Moyses 70. viros prudentes elegit, quorum consilio innumerã populi multitudinem rexit. Inde est quod 7. discipulorum vicem obtinent, in ministerium sibi commissum. Sicut enim illi missi sunt à Domino in omnem ciuitatem & locũ quo erat ipse venturus, vt et prædicando & miracula faciendo viam præpararẽt, & infideliũ corda ad fidem conuerterent, ita Presbyteri nostri coadiutores, baptizando, rudes populos instruendo, communicando, & cætera sacramẽta dispensando, nostras vices supplere debent. Excipiuntur illa, quibus quadã prærogatiua fulget & præeminet Episcopalis dignitas, quæ sunt quinque: Basilicarũ dedicatio, Chrismatis vnctio, manuum impositio, Clericorũ ordinatio, super populum benedictio. Hæc potestas solis Episcopis attribuitur, ne ab omnib. vendicata, soluto obedientiæ vinculo insolentiam generaret. Vtrique sunt vicarij summi Pontificis qui primo offensus culpa originali, quotidie offendit actuali. Vt illa euacuaretur, semel mortuus est in cruce: vt ista deleretur, voluit ministerio sacerdotũ sacrificari iterata immolatione. Vnde, quidam versificator: Mortuus ille semel, licet vltra non moriatur: Idẽ quotidie sine vulnere sacrificatur. Ipse sacrificans est & sacrificiũ, hostia & sacerdos, quia Deus est & homo. Vicarius eius quia tantũ homo: sacrificans tantũ est & sacerdos. Ille mediator Dei & hominis, homines Deo reconciliauit: iste, populum Deo placabilem reddit. Ille ad dexteram Patris pro nobis interpellat, iste pro grege sibi credito orat. Ille peccata dimittit, iste ligat & soluit. Ille in ara crucis hostiam sanctam & Deo placentem se Patri obtulit, iste ipsum eundem offert in mensa altaris. Nobis autẽ qui quotidie labimur, vt eius interuẽtu releuemur, fuit necessarium habere præsentẽ hunc salutis nostræ auctorẽ. Vnde Deus misericors iterata immolatione voluit se nobis exhibere præsentem, non tamen visibilem: quatenus eo præsente summo & vero sacerdote, sine vllo horrore corda fideliũ magis conterãtur, & fidei deuotio augeatur. Sic enim recolimus eius passionem, resurrectionem, atq; gloriosam ascensionem. Quod ita à nobis recolendũ est, vt memores suorum beneficiorũ, ipsi commoriendo conformemur, vt in gloria Patris per ipsum & cum ipso resurgere valeamus. Nullus modus fuit cõuenientior excitare peccãtes ad pœnitentiam, quã Christi opera reducere ad memoriã. Visus est in laborum tolerantia egisse pœnitentiã qui nec pœnituit, nec adminiculo pœnitentiæ indiguit, sicut scriptũ est, *peccatũ non fecit nec inuentus est dolus in ore eius.* Vnde in eo pœnitentia non fuit, sed pœnitendi formã nobis donauit. Et licet crux Christi hæc omnia repræsentet, tñ res ipsa efficacior est quã figura. Et cum præsens est veniæ largitor, magis confidit exaudiri deuotus peccator. Mira potestas nõ humana sed Angelica, quã Dominus in se suscipiens cõmendauit, & à nobis suscipiendã contrito corde & humili, demonstrauit. Inter cœnandum, corpus & sanguinem suum discipulis tradens, inquit: *Hoc facite in meam commemorationem,* & ipse suscepit, eum tormentũ crucis patienter & voluntarie sustinuit. *Oblatus est enim quia voluit.* Quod exemplo docuit à nobis summa deuotione celebrari. Vnde Apostolus: *Quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Suscepturi igitur curã sacerdotij, coram summo & vero sacerdote fulgeant puritate cõscientiæ, & munditia vitæ. Isti cum ordinantur, ab Episcopo super capita eorum manum tenente, benedicuntur. Omnes autẽ Presbyteri astantes cũ Episcopo, manus leuant, & Spiritum S. inuocãt. Inuocatione facta, stola super vtrumq; humerum ponitur, vt per arma iustitiæ à dextris & à sinistris muniantur. Datur eis calix cum vino, & patena cum hostia, in quo traditur eis potestas ad offerendum Deo placabiles hostias. Propterea oleo sancto manus inunguntur, per q gratia S. Spiritus eis oblata significatur & quod abundent operibus misericordiæ designatur. In hac etiam, manus sacerdotis quæ in figura crucis oleo sancto signantur, conformantur manibus Christi, & illud insigne miraculũ & salutiferum quod inter manus sacerdotis fieri creditur: hæc manus Christi operantur, qui ait: *Sine me nihil potestis facere.* Vnde cum ipso & per ipsum & in ipso, totum agitur sacrificium. Vnctio Episcopis fit in capite, quia ordinantur vicarij illius qui vnctus est oleo lætitiæ in plenitudine. In vnctione visibili, quæ est sacramentum spiritualis vnctionis, datur potestas ligandi atque soluendi. Induti amictu, alba cingulo, stola planeta superuestiuntur: per quam supereminentia charitatis intelligitur.

E

De his quæ solis Episcopis reseruantur.
Culpa originalis.
Christus sine vulnere sacrificatur.

F

Cur inuisibilis sit Christus in Sacramento.

G

H

Calix cum vino, & patena cum hostia.
Inunctio manuum sacerdotis.
Ioan. 15.
Indumẽta sacerdotũ.

De figni-

A

De significatione vestimentorum sacerdotalium.

Cap. X.

QVoniam de indumentis veteris sacerdotij, eorumq; significatione à multis tractatum est: ea sub silentio prætermittentes, noui sacerdotij vestimenta & eorum significationes (quod ad præsens attinet) paucis explanare conamur. Sciendum autem est, quod sacerdos celebraturus, sacrosanctum mysterium quod excellit omne sacramentum: capitis sui scil. Christi (cuius membrum est) vices in se suscipit. Caput eius, amictu velatur: in quo diuinitas velata humanitate figuratur. Vnde in Apocalypsi, Angelus nube amictus, de cœlo descendisse legitur. Alba designat gloriam dominicæ resurrectionis quam nunciantes Angeli apparuerunt in vestibus albis. Ideoque induitur veste alba, vt candidatione virtutum ostendatur ornandum esse nouum sacerdotium. Cingulum quo alba constringendo renibus coaptatur, mittit nos ad illum Euangelicum sermonem, quo Dominus ad præcingēdum lumbos nostros nos hortatur. Mappula qua solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum. Vnde Dominus discipulis ait: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*. Et alibi: *Vigilate, quia nescitis quando Dominus veniet*. Stola circundata collo, ad interiora descendens: significat obedientiā filij Dei, & iugum seruitutis quod pro salute hominum portauit. *Obediuit Patri vsq; ad mortē crucis*, & subiecit se seruituti. Quæ enim maior seruitus ea, qua opprobria, irrisiones, & flagella sustinuit? Qui ergo stolam humeris superponit, sciat iugum Domini esse suaue & onus eius leue quod se portaturum promisit. Casula vndiq; integra, vnitatem fidei designat. Hęc, est illud *vestimentum Aaron in cuius barbam vnguentum à capite effluxit, & in oram vestimenti eius*. Per hoc autem signatur vnctio spiritualis qua *vnctus est Christus præ consortibus suis*. Hæc in Apostolos & in vniuersos ecclesię ministros emanauit. Extēsio manuū sacerdotis extra casulam, prætendit in cruce, manuū Christi extensionē. Quæ ante & retro quasi diuidi videtur: hoc est q duo parietes dissidētes, angulari lapide vniūtur. Amictus ad decorē sup casulā replicatur, q a filij Dei humanitate, omnis ecclesia decoratur.

Amictus. — *Alba.* — *Cingulum* *Luc. 12.* — *Mapula.* *Mar. 14.* *Mat. 11.* *ad Phil. 2.* — B — *Stola.* — *Casula.* *Psal. 13.* — *Extensio manuum sacerdotis extra casulam.* — C — *Amictus super casulam replicatus.* *Exod. 28.* *Ioan. 15.*

De ornamentis Episcoporum.

Cap. XI.

PRæter hoc Pontifices vna tunica vtuntur: secundum quosdam, duabus tunicis, & annulo, pallio, mitra, & sandalijs. Vsus est Aaron hyacinthina tunica, quam sibi induit Dei sapientia, & Apostolos vestiuit, dicens: *Omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis*. Hæc est tunica illa inconsutilis quæ sine damno scindi non potuit. Alia tunica serica, traheos originem à vermibus, Christi est caro cōcepta de Spiritu sancto, qui de se ait: *Ego sum vermis & nō homo*. Annulus in digito, Ecclesiam cuius minister est, sponsam Christo associat: & fulgore suo, dona S. Spiritus fulgentia demonstrat. Pallium de ouino vellere contextum, humilitatis est ornamentum: quanto enim quisque altior, tanto debet esse humilior. Illis solis Pontificibus datur, q à sede Apostolica mittuntur. In Sandalijs signatur, quia venit ad nos calciata diuinitas, sicut scriptū est: In Idumeā extendam calciamentum meum. Mitra quę est corniculata, prætendit coronam spineam, per quam, ad vnam fidem conuenerunt duo Testamenta, illa grauiter pungens, nostra suauiter demulcens. Illa, amara: nostra, dulcedine plena. Væ illis qui illam non gestant pœnitenti corde, ad sui & aliorum correptionē. Væ illis qui de cruce descendunt & crucis mysterium in se depingunt.

D — *Psal. 21.* — *Psal. 59.*

De obseruandis in Missa celebratione.

Cap. XII.

TAlibus indumentis sacerdos decenter ornatus, veniens ad altare, cōfitetur se indignum celebrare tam excellens mysterium, quia in conspectu illius cuius immolatio repręsentatur, nullus nisi per gratiā suam est iustificatus. In confessione percutiendo pectus, gemit pro peccatis & oratione fratrum, à Domino postulat sibi indulgeri, dicens: Mea culpa, promittit vt de his pœnitētiam agat: in quibus cōscientia eum accusat. Osculatur Euangelium & altare, significans illum qui osculo suæ incarnationis fecit vtraque vnum, conuersione Iudæorum & Gentium. Tenet dexteram partem altaris, quia Christus in lege promissos, primum Iudæis quam gentibus prædicauit. Tunc gentiles sinistram tenebant, quia alieni erant à diuino cultu propter idolorum culturam. Interim de Propheticis vel Apostolicis scriptoris Chorus Deo laudes concinit: & pneumatizando *Kyrie eleyson*, supplicat sibi misereri. Ter triplicatū signat Trinitatem Angelorū, q̄ triplicata, laudes incessanter summæ Trinitati decantat. Finito pneumate, Choro tacente: Sacerdos se conuertens ad occidentem, Clerum salutat & populum, dicēs: *Dominus vobiscum*, quasi q dignatus est inter vos habitare visibili p̄sentia, maneat in vobis habitante gratia: & ab occursu infidelitatis conuertat corda vestra ad orientem veri luminis. Ista salutatio fit ab Episcopis, dicēdo, *pax vobis*. In quo ostenduntur specialiter esse vicarij Christi, qui Apostolos in hunc modum salutauit. In festiuis diebus solet *gloria in excelsis decantari*. In quo innuitur congratulandum esse meritis Sanctorū qui sancti sunt socij Angelorū gratia illius cuius natiuitas ab Angelis pastorib. est nunciata. Quam laudem consequenter vociferat totius electi conuentus: laudans Deum tanq̄ multitudo cœlestis exercitus. Postea respiciens ad orientem, scil. spiritualiter ad eum de quo scriptum est. Oriens nomen eius: exclamat, *Oremus*, monens se & alios orare: quia Dominus orauit & discipulos ad orandum excitauit. Lectione siue Epistola pronunciata: sequitur responsoriū & *alleluia*. Lectio, Sanctorum Patrum monita & exhortationes: Epistola subsequentium p̄dicationem repręsentat. Responsorium, fidem audientium qui eorum prædicationi præbuerunt assensum, vnde responsorium nominatur: q a responsio secundum voluntatem interrogantium assensus est vel concessio. Vel graduale dicitur, quia per grados virtutum ad hoc peruenitur. Oportet enim, vt eos qui rudimēta fidei suscipiunt, gratia Dei præueniat: & vt stabiles maneant, subsequatur. Vnde alleluiatici cantus modulatio subsequitur: quæ laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones Deo deuotas, quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbū est breue: sed longo protrahitur pneumate. Nec mirum si vox humana deficit ad loquēdum: vbi mens non sufficit ad cogitandum, quia quæ vox, quæ lingua poterit repetere: *quæ præparauit Dominus diligentibus se*? Tractus qui (tacito Alleluia) in quibusdam temporib. decantatur: significat gemitus & suspiria pœnitentium in conualle lachrymarum: gemunt & suspirant & gaudio ciuium supernorum cōgratulantur: vt ita irriguū inferius sursum fluens irriguo superiori misceatur. Hoc gemitu suspirabat qui dicebat: *Liquefacta est anima mea*. Postea à Diacono, vel à sacerdote Euangelium à dextro cornu altaris transfertur ad sinistrum, dextra attribuitur Iudęis: propter legis venerationem, sinistra gentilib. propter idololatriam execrabilem. Illis credita Euangelica doctrina: prius à Iudæis repulsa. Vnde in sinistra parte & versus aquilonem legendum est Euangeliū: vt sequaces illius q voluit sedem suam ponere in aquilone, Euangelica p̄dicatione conuertantur ab infidelitate. Aliquādo (sicut in festiuis diebus) p̄nunciatur in analogio, quia iubet vt ascendere qui Euangelizat Sion, & sancti in valle lachrymarū ascensiones in corde suo disposuerunt: quib. gloria in cœlis sui memoriā in terris meruerunt. Ideoq; in altu & in publicu exclamādo est eorum victoria: vt magis alacres efficiantur in pugna. Dehinc sacerdos incipit symbolū fidei: adhibēs testimoniū verbis Euāgelij. Illud chorus vsq; ad finē succinit: ostendens se p̄manere in vnitate eiusdem fidei. Quo finito, sacerdos salutatione p̄missa monet ad orandū: vt stabiles sint in fide: quā p̄fessi sunt in sermone. Statim chorus decātat offertoriū, ac si dicat, q confessus sum ore teneo corde & adimplebo opere. In primis meipsum offero: vt sacrificiū nostrum sit humilitas & cordis contritio. Tunc sacerdos offert dona

E — *Euangelij & altaris osculum.* — *Progressus ad dexteram partem altaris.* — *Kyrie eleyson.* — *Dominus vobiscum.* — F — *Pax vobis.* — *Gloria in excelsis.* *Luc. 2.* — *Zach.* — *Oremus.* — G — *Graduale.* — *Tractus.* — *Cant. 5.* — *Euangelium.* — H — *Oblatio.* *Incensum*

A

siue libamina cum incenso: scilicet panem & vinum sanctificanda: populus, sua munera. Per incensum, designatur suauitas flagrans igne charitatis: hoc est vnguentū quo domus est repleta vincens omnia aromata. Quod loquor est Eucharistia, sacramentum scilicet panis & vini: à quo omnis bonus odor est: & omnia nostræ fidei Sacramenta. Vnde Eucharistia id est bona gratia excellenter dicitur: (Eucharistia.) quia in hoc Sacramento ille sumitur à quo omnis gratia datur. *Ab eo* enim solo *omne datum optimum: in quo est plenitudo omnium gratiarum.* (Thus.) Thus in igne: oratio est incensa charitate. Hunc ignem Dei filius accendit in thuribulo assumptæ humanitatis: vt currentes in odore vnguentorum suorum, offeramus ei odorem bonorum operum. Dona sacranda scilicet panis & vinum: hoc ordine oblata ad altare perueniunt. A subdiacono diaconus accipit: & offert manibus sacerdotis, vel aliquotiens causa curæ diligentioris sacerdos componit in dextera altaris. Cuius rei mysterium est: quod lex per subdiaconem significata in sacrificijs suis sacrificium nostræ salutis figurauit: doctrina Euangelica cuius diaconus minister est, manifestaoit & solennitat celebrare instituit.

B

Aqua vino miscetur: vt vnda regenerans ita sanguini Christi adiuncta intelligatur. (Ioan. 19.) Quia per alterum sine altero nemo salutem consequatur: per hoc etiam vnio Christi & Ecclesiæ designantur. Vtrumq; de latere Christi emanauit: quod non fuit sine ratione mysterij. Præparantur panis & vinum ad conficiendum Sacramentum, vt quibus fit refectio corporalis: fiat animæ cibus & potus salutaris. Sicut enim illa corpus hominis sustentant & spiritum lætificant: ita res Sacramenti quæ est Christus Dominus noster Dei filius, est lætitia hominum & Angelorum sibi & Angelos & homines reconcilians. Vnde ipse qui in Sacramento sumitur ait: (Ioan. 6.) *Caro mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus.* Panis ille debet esse triticeus: quia Dominus grano tritici se comparauit dicens: (Ioan. 12.) *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipsum solum manet.* Vnum granum fuit & solum: ante resurrectionem: post fructificauit & multiplicatum est per fidei propaginem.

C

Quot fideles: tot sunt grana illi grano deifico vnita, ex quibus conficitur vnum corpus, quod est Christus & Ecclesia. Azymus est, vt secundum Apostolum, (1. Cor. 5) *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.* His autem compositis, silente choro, sacerdos incipit orare in silentio: illud significans (Ioan. 11) tempus quo Dominus noster iam non palam ambulabat apud Iudæos, cum cogitarent eum interficere, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatē quæ dicitur Effram, & ibi morabatur cum discipulis suis. (Inclinatio ante altare Humilitas.) Et inclinans se ante medium altaris, supplicat à Deo patre sibi dari spiritum humilitatis: vt in memoria Dominicæ valeat sacrificium afferre Deo compunctionis, humilitas enim virtus est sine qua nulla oratio, nulla meditatio nec operatio accepta est Deo, qui nos erudiens ait: (Matt. 11.) *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Virginitas enim beatæ Mariæ placuit ex humilitate, ipsa attestante. (Luc. 1.) *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

D

Sequitur inuocatio Trinitatis: quæ facienda est principio cuiusque sermonis vel operis. Dicit enim, (Suscipe sancta Trinitas.) *suscipe sancta Trinitas*, sine cuius fide impossibile est aliquid placere Deo. Deinde orat omnium astantium precibus adiuuari. Conuertens se ad populum dicit: *Orate.* Et chorus orat pro eo: dicens. *Mittat tibi Dominus auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.* Sciendum est quia in celebratione missæ, quinaria fit conuersio sacerdotis ad populum: ad memorandum quod totiens Dominus die resurrectionis apparuit consolando pro passione sua gemitus desolatorum. Accepto spiritu humilitatis, sacerdos non præsumens de se, sed a clero & à populo postulans munus orationum, vt pro se & pro his Deum interpellans exaudiatur: dicit orationes quæ secretæ dicuntur, quia secreta & humili voce proferuntur. In hoc silentio est memoria dominicæ passionis: quæ in hebdomada ante paschali cessantibus hymnis & laudibus solet celebrari. Dominus etiam imminente passione, ante suspendium crucis secreto orauit dicens: Pater si fieri potest transeat à me calix iste. Orante sacerdote super oblatam in silentio fit quædam ad sanctum sacrificium præparatio. Repræsentans quod cum Dominus se absconderet,

E

nec palam apud Iudæos ambularet: abscondita dispensatione præparabat nobis salutiferum suæ passionis mysterium. Post miraculum dilecti sui à morte suscitati eo palam ambulante, sacerdos rumpit silentium exclamans: (Per omnia sæcula sæculorum.) *Per omnia sæcula sæculorum*, & rogat Dominum esse cum illis: & chorus orat eius spiritui Dominum vniri. Monet etiam vt habeant sursum corda ad Dominum, ipsius sublevāte gratia: (Sursum corda.) vt mentes eorum sint in cœlestibus & æternis, non in terrenis & transitorijs. Responsione chori audiens eorum mentes ad Dominum erectas: confitetur dignum esse & iustum ei agere gratias, qui terrena eleuat ad cœlestia, & quod graue est & ponderosum facit fluere sursum. Recte Deo gratias agit: qui per bona opera se ei acceptabilem reddit. Vt digne à nobis laudes referantur Deo: oportet nos bene viuendo assimilari cœlorum virtutibus: quatenus in exhibitione gratiarum, vna sit vox hominum & Angelorum. Illi incessanter laudant in gloria: nos quantum possumus laudemus pro misericordia nobis exhibita.

F

Orandus est pater vt concedat nobis iustitiam: & interpellante filio & intercedentibus angelorum suffragijs, perueniamus ad eorum gloriam, per quem Deo omnipotenti gratias referimus, corde credentes & ore confitentes: quo per Iesum Christum filium suum æternaliter genitum, temporaliter natum, ab omni creatura humana & angelica laudatur, adoratur, & reuerenter honoratur. Per ipsum enim vniuersa visibilia & inuisibilia creat, viuificat & conseruat. Quod manifeste declarauit beatus Ioannes dicens: (Ioan. 1.) *In principio erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* Maiestatem patris per filium laudant Angeli in ministerio. Adorant dominationes: inclinato scabello pedum eius dominio. Potestates reuerentur: quia omnia potest, & omnis potestas ab ipso. Omnes etiam spiritus cœlestes laudes eius ineffabili exultatione concelebrant: hymnum sine fine concinentes. Vnde sacerdos laudibus Angelorum precatur adiungi voces hominum: per Iesum Christum Dominum nostrum, qui vtrosque facit participes æternorum gaudiorum.

G

Inde chorus quasi cum ramis palmarum ei pergens obuiam à Bethania venienti in Ierusalem, hymnum decantat Angelicum. Sanctus, sanctus, sanctus, &c. (Sanctus sanctus sanctus. Osanna in excelsis.) Trina sanctus repetitio: sanctæ Trinitatis est confessio. Quia semel Dominus profertur: vnitas substantiæ in personis designatur. Cuius gloria pleni sunt cœli & terra: Angelica scilicet creatura & humana. Ideo osanna in excelsis quasi obsecramus: vt salutem consequi cum Angelis gloriamur? quia benedictus qui venit in nomine Domini Iesus Christus filius tuus per quem nos saluas & benedicis.

De Canonis declaratione.

Cap. XIII.

(Te igitur.) TE igitur, &c. Ex præmissis datur intelligi: quod Deus pater per filium suum ab omni creatura cœlesti laudatur & glorificatur. Tum beneficio datæ gloriæ & illius confirmationis.

H

A quo intellectu initium canonis præcedentibus hoc modo continuatur. Quia clemētissime pater per Iesum Christum filium tuum ab Angelis & cœlestibus virtutibus collaudaris, cum quib. ad laudem tuam nostras voces deprecamur admitti. Igitur per eūdem filiū tuum te rogamus ac petimus: vt tibi sit gratū & acceptum quod offerimus. Rogamus humiliter: petimus confidenter. Te rogamus pro lapsis: qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexisti. A te poscimus munus salutiferum, de tua misericordia confisi: qui non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam tuam saluare nos voluisti. Offerimus corporis alimēta, vt ex eis suscipiamus spiritualia: offerimus panem & vinū, vt inde percipiamus Verbum caro factum. Petitio declaratur per hoc quod sequitur, vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. Donum est quod à superiori datur, munus quod ab inferiori. Vnde panis & vinum, sunt dona à Deo nobis donata: munera, à nobis Deo oblata. Solemus enim illos munerare à quibus aliquid volumus obtinere. Eadem sunt sacrificia, sancta scil. Deo dicata, & ad sanctum

sacri-

A

sacrificium præparata. Illibata sunt nec corporali gustu, nec aliqua fractione viciata, sed integra & intacta. Inde est quod panis integer debet apponi: & de pane & vino solēt oblationes fieri. Precamur vt hæc habeas accepta. Ita vt oblatione istorum munerum tibi grata augeatur deuotio nostra: & offensus culpis nostris, eorum oblatione nobis placatus efficiaris, & benedicas: vt tua benedictione facias cōuerti in illud corpus filij tui quod pepēdit in cruce: quod glorificatum est in resurrectione: quod deificatū est in ascensione. Signantur triplici cruce: in quo ostēditur totum mysterium fieri sancta Trinitate cooperante. Scire autem vos conuenit quod à principio canonis vsq; ad finem memoratur angaria dominicæ passionis, præcipue quod actum est in hebdomada antepaschali. Sequitur: Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum; vna cum famulo tuo Papa nostro, rege nostro, & antistite nostro, & omnib. orthodoxis atq; catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus. Oratio sine charitate, est infructuosa, flos est sine fructu, spica sine grano, vox aëra verberans sine audiente. Vnde Propheta: Iniquitatē si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus, charitas in tribus cōsistit: in dilectione Dei sui, & proximi. Vnde sacerdos nullum fidelem debet excipere ab oratione: quæ Deo fit gratior ex mutua charitate. Orat itaq; sacerdos primo generaliter pro tota Ecclesia catholica: vt Dñs dignetur eam pacificare ab incursu visibilium & inuisibilium hostium, & in tranquillitate custodire, & adunare, i.e. in vnitate fidei cōseruare: ne erroribus hæreticorum siue schismaticorum diuidatur: sed vnitas capitis & membrorum in fide Sacramentorum cōseruetur, & regere, vt moderamine iustitiæ omnia in se fiāt & disponātur. Deinde sub quadam distinctione enumerat partes Ecclesiæ: dicens: Vna cum famulo tuo Papa nostro, &c. Sicut enim administrationes sunt diuersæ: ita orationes sunt variadę. Alia enim solicitudo adhibēda est publicis, alia priuatis, alia forēsibus negocijs, alia ecclesiasticis.

B

Pro quib. sacerdos oret.

C

Caput Ecclesiæ Christus.

Alio modo pro se orandum exigunt Ecclesiasticæ personæ, vt Dominus Papa, Archiepiscopi, & Episcopi, alio rex, & fideles singuli. Infideles cum nō sint in Ecclesia: nō sunt de corpore ecclesiæ cuius caput Christus est, cui nō communicat aliquis à fide: & licet pro diuersitate personarum orationes varientur, earum tamē intentio vno fine cōcluditur. Sic enim orādum est pro vniuersis fidelibus: vt abstrahantur à noxijs & ad salutaria dirigantur. Memento Domine famulorum famularumq; tuarum. In præcedenti capitulo oratio fit generaliter pro ecclesia. Deinde distinguendo partes ecclesię: rogamus pro Papa, & pro antistite, pro rege, pro omnibus orthodoxis, scilicet pro ijs quorum gloria est rectitudo fidei Christianæ, conscientia eis testimonium perhibēte sanctæ meditationis & honestæ conuersationis, pro his etiam qui fidem excolunt vomere prędicationis, & semine boni operis. Hoc autem sequēti capitulo oramus pro familiaribus, absentibus, pręsentibus: pro astantibus, scil. pro ijs omnibus qui assistunt pręsentes mysterio altaris. Communicantes: quorum Deo cognita est fides & nota deuotio. Solus enim est qui scrutatur corda & renes Deus: cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur. Vel quorum fidem Deus approbat. Eius enim cognoscere est approbare. Pro eis omnibus supra memoratis offerimus sacrificium laudis, & ipsi offerunt Deo: referendo gratiarū actiones qui per filium suum à nobis voluit laudari, benedici & glorificari. Offerimus re: ipsi offerunt fide & deuotione. Offerimus sacramenta cōficiendo: ipsi offerunt vota soluendo, immolāt sacrificium laudis; & reddūt altissimo vota sua. Adiuti virtute sacramenti comprimunt ipsi vicia & peccata: in ædificādo, & Deo vouēdo virtutes & bona opera. Offerimus vinum & oblatam: ipsi offerunt mentem sanctam & deuotam. Itaq; offerimus pro nobis & pro ipsis: ipsi pro se & pro nobis. Vnde superius postulauimus eorum orationibus adiuuari: dicētes, orate pro nobis. Sciendum est autem quod vbi orauimus pro tota ecclesia, rogauimus & pro istis. Specialiter tamē familiares absentes & pręsentes, & alios assistentes memoramus: vt circa eos augeatur nostræ deuotionis affectus. Vnde quos chariores habemus, hoc loco nominare solemus. Potest autem esse

Memento.

D

De speciali oratione quæ fit à sacerdote in sacramento.

E

repetitio generalis orationis, ita: Memēto Domine famulorum famularumq; tuarum, omnium scil. fidelium corporaliter absentium & hic assistentiū. Iterandæ enim sunt orationes: quia assiduitate orationis multotiens placatur Deus, & postulationibus nostris fit propitius. Item sciendum est quod si vnus tantum sit præsens, vel nulli sint præsentes, vt in missis solitarijs: nō ideo mutantur quæ pluraliter solent fieri orationes. Primo enim nō solebant missæ celebrari sine collecta fidelium multitudine. Postea mos inoleuit, solitarias sicut monachos celebrare solitarias, quod eis cōcessum est ex indulgentia. Inde etiam sæculares consueuerunt missas cantare priuatas. Tunc fiunt salutationes ad omnes fideles, qui assistunt quasi præsentes fide & charitate Sacramentis communicantes. Quotquot enim sunt de corpore Christi, quod est ecclesia, salutantur: & eorum suffragia postulantur, quorum fides per gratiam Dei adiuuat fieri tanta mysteria. Nec est aliquis fidelium, qui nō sit particeps sacramentorum. Qui enim à corpore præcisi sunt quod est vera vitis, qui sunt palmites: & putrida membra: ab hoc sacramēto sunt alieni. A capite enim in totius corporis membra: à vite in palmites effunditur humor salutaris totum corpus viuificante gratia Dei. Ita vno præsente sacerdos plures alloquitur, & salutat quia præsens astat omnis ecclesia. Singula enim membra sibi inuicē & capiti & corpori cohærent quandiu vegetantur spiritu Dei. Inde est quod nō solum sacerdotes & clerus qui secundum dispensationē ministeriorum diuersis officijs occupātur, aut diuinis laudibus hoc sacrificium offerunt: etiam ad audientes osculo pacis cōmunicantes cooperantur: & omnes vbicunq; sint fideles, nullis separantur, nisi qui à corpore Christi præciduntur. Omnia enim membra huius corporis quandiu sibi cohærent glutino charitatis, sunt quasi vna persona. Qui diuiduntur ab hac vnitate, & eijciuntur à sacramētorum cōmunione, alieni sunt à Christi regno & ecclesiæ. Subiungitur causa oblationis, cum dicitur, pro se suisq; omnib. Offerentes erant pro salute animarum suarum, suisq; omnibus, i.e. pro amicis, & rebus suis & amicorum, pro pace illorum, pro reditu peregrinantium, pro sanitate infirmorū, pro cōuersione errantium, pro fructibus terrę, pro aëris serenitate, pro alijs cōmodis adipiscendis vel conseruandis, pro obtinendis successibus prosperis. Habemus enim in ipso cōsolationem pręsentis vitę & futurę. Pro redemptione animarum nostrarum, pro spe salutis & incolumitatis nostrę. Facta est nostra redēptio, Christo semel in cruce passo: Nam passione Christi redempti sumus & liberati de manu inferi. Culpis nostris exigentib. quotidie labimur, ab hoc lapsu iterata immolatione, quæ fit in altari, resurgimus & renouamur. Immolatio iteratur, nō Christus occiditur, sed ipso pręsente passio eius repręsentatur. Superabundante misericordia, maius fuit precium, quam nostrum delictum, Deus enim homo factus, mortuus est, vt deificetur homo & nō moriatur. Qui se dedit, maius dare nō potuit. Si autē Deus maius precium dare non potuit, quid retribuamus ei? Offerimus ei calicem salutaris sacrificij quo redempti, quo liberati, sed etiam saluati, habentes beatam spem resurgēdi enim animarum salute, & corporum incorruptione. Supra memorati offerunt, tibiq; reddunt vota sua, non idolis, nō dæmonijs, sed tibi Deo viuo & vero. Communicantes & memoriam venerantes. Aliter enim, ne conuenienter offerrent Deo, nec vota redderent, nisi digne communicarent, quia extra communionem fidelium & venerationē sanctorum, nō est locus afferendi verum sacrificium. Orationes enim fidelium, & sanctorum suffragia, adiuuant vt Deo fiant acceptæ oblationes & vota, postulantes eorum suffragia, eos & in ipsis Christum veneramur, qui tantum sanctis suis cōtulit, vt valeamus meritis & precibus eorum adiuuari. Qui honorat filium, & patrem honorificat qui misit illū. In memoria & veneratione sanctorum talis ordo est cōsiderandus, vt primum memoretur beata virgo domina & regina hominum & Angelorum, secūdo virtutes cælorum, tertio fiat memoria patriarcharum & Prophetarum, quarto Apostolorū, quinto Martyrum, sexto cōfessorum, septimo virginum. Hæ sequuntur agnum quocunq; ierit. Sicut gratiarū septiformis est donatio, ita facta est septenaria diuisio ordināte Spiritu sancto. Ante consecrationē, fit

F

G

Immolatur Christus, sed nō occiditur.

H

Communicantes.

Ordo in sanctorum veneratione seruandus.

memo-

A memoria plurimorum martyrum qui stolas suas in sanguine agni dealbauerunt, & cum eo coronati non velata facie, sed manifesta visione Deũ agnoscunt, hos in memoria venerantes precamur vt beatæ virginis q̃ præcellit omnibus sanctis, & eorum intercessio, sit nobis salutifera propiciatio. Numerum non attendimus quare plures vel pauciores: quia qui canonem ordinauit: quos sibi placuit, dictante Spiritu sancto, memorare instituit. Hanc igitur oblationem, quia in vnitate sanctæ Ecclesiæ offerimus cum Sanctorũ veneratione, adiuti eorum intercessione. Igitur hanc oblationem seruitutis nostræ, id est, humilitatis nostræ, q̃ in procinctu est tibi seruiendi, vota soluendi, & sacrificium laudis tibi offerendi. Signanter apposuit seruitutis respiciens ad illud q̄ dictum est superius. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te Domine: Hæc oblatio non tantum est sacerdotis: sed cunctæ familiæ, id est, cleri & populi, & non assistentis familiæ: sed totius Ecclesiæ. Hanc quæsumus vt placatus accipias. Licet

B culpis nostris nobis sis infensus: rogamus vt efficiaris placatus fidelium orationibus & Sanctorũ intercessionibus,

Mysterium. meritis & precibus. Ab ipso placato tria petimus: dies nostros in pace custodiri, & ab æterna damnatione nos eripi, & inter electos numerari. Nõ est medium inter infernum, vbi est damnatio, & cœlum vbi est beatitudo & salus. Qui enim nõ damnantur, omnes saluari nõ dubitantur. Vnde

Duplex Pax mundi. circa idem videtur verborum conculcatio cum dicitur, à damnatione eripi & inter electos numerari. Sed intelligẽdum est in p̃senti, id est, fac nos in præsenti mereri ne damnemur: vt in futuro per gratiam Dei saluemur. Notandum est quod duplex est pax mundi, vna per quam orat Ecclesia: vt cessent malignantium perturbationes & hostiles incursiones. Altera perniciosa & omnino vitanda: quoniam licet hominib. absq; contradictione libere vti carnis desiderijs & suis voluptatibus. Prima est pax sed transitoria, secunda nõ est pax, sed cõfusio & iniquitas odiosa. Item pax Dei duplex est quæ omnib. modis est appetenda. Vna est tranquillitas mentis & quies sanctæ meditationis: de qua

C scriptum est: Elegit suspendium anima mea. Altera est quæ exuperat omnem sensum: in qua nulla est inquietudo, nul-

Ioan. 14. Ad Phil. 4. la perturbationum vicissitudo, sed æterna beatitudo. Vtrãque Dominus discipulis suis promisit, & dedit dicens: Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis: pacem relinquit militantibus, pacẽ suam dat ad se peruenientibus. Cum vtraq; pax sit à Deo; propriè dicitur sua, pax super pacem exuperans omnẽ sensuum intelligentiam. Quam oblationem, memoratis illis pro quibus offerimus, quosque Deo Patri mediante hostia & interpellante reconciliare intendimus: vt oblatio habeat efficaciam & virtutem conferendi q̄ petimus, rogamus eam in melius p̄moueri, & in æternitate ascribi, & ratam, id est, firmam & immobilem fieri.

Transsubstantiatio. Oramus vt cibus hominum fiat cibus Angelorum: scilicet vt oblatio panis & vini transsubstãtietur in corpus & sanguinem Iesu Christi: q. est oblatio benedicta: hoc est omnium gratiarum benedictione plena, de cuius plenitudine

D nos oẽs accepimus. Pater enim ad mẽsuram non dat filio:

Ioan. 3. Oblatio benedicta. sed data est ei omnium gratiarum plenitudo. Ipse est per quem requiescit spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. De eius vnctione descẽdit vnguentũ in barbam summi pontificis: & in oram vestimenti eius emanauit, fons est viuus, puteus aquarum viuentium: à quo deriuantur omnes riuuli misericordiæ, pietatis, & iustitiæ. Ipsi est omnimoda benedictio & sanctificatio: scripto in æternitate patris, & æqualitate paternæ maiestatis. Filius Dei dicitur oblatio ascripta: scripturis Sanctorum Patrum designata, & nulla obliuione delẽda, & ideo rata id est firma & immobilis, scil. firmata statu immortalitatis & incorruptionis, in æternum permanens & ad dandam salutem & remissionem peccatorum sufficiẽs. Filius etiam patri quodammodo dicitur ascriptus: quia scriptura de filio loquens, patrem manifestat, & quasi ipsum repræsentat. Est enim splendor paternæ gloriæ: & figura substãtiæ eius. Vnde ipse ait ad patrem. Pater manifestaui nomen tuum hominib. Hic est liber vitæ: in quo & per quem pater dis-

Psal. 103. ponẽdo omnia scribit, & ad esse producit. Vnde scriptum est. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est

E

Oblatio rationalis. Solus Christus nos redimere potuit. nihil. Pater est scriba velociter scribens: filius est scriptum omnia continens. Pater in eo omnium rerum formas insculpsit: & per ipsum omnia creat, regit, & disponit. Vnde ait Propheta: Omnia in sapientia fecisti. Idem est oblatio rationalis, non pecualis: etsi enim sanguis taurorum & pecudum sufficiebat ad emundationem carnis, nõ tamen erat efficax ad emundationem spiritus, ad redimendũ nos à peccatis. Vnde necesse fuit vt pro redimẽdo homine offerretur hostia rationalis, sc. homo assumptus à Verbo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Hæc sola ad hominem redimendum sufficit: & nulla alia sufficere potuit, q̃a nec homo nec Angelus, nisi homo Deus. Hæc aũt sola Deo est accepta pro delictis omnium propiciatio. Possumus autem tria p̄cedentia referre ad oblationẽ: duo sequentia ad offerentem. Qui enim rationabiliter offert: recte diuidit. Ideoq; oblatio eius est acceptabilis. Vnde Abel

Abel. q̃a recte obtulit, & recte diuisit, Dominus ad eius munera

Cain. respexit. Ad Cain autem & ad munera eius non respexit: quia etsi recte obtulit, recte non diuisit: quia sibi cor im-

F pœnitens retinuit. Male ille diuidit: quid quod Deo magis placet, scil. cor contritum & humiliatum, ei nõ tribuit. Exteriora dat Deo & offert: & seipsum sibi retinet. Vnde si quis recte offerat & recte diuidat, rationabilis est hostia & accepta: sin autem infructuosa. Vnde Propheta: Iniqui-

Psal. 65. tatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Itaque alijs in resurrectionẽ, alijs in ruinam. Recte diuidentibus, salus & vita æterna: male, mors & perpetua miseria. Quod sacerdos orat oblationem panis & vini fieri corpus Domini & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: primo factum est cœnantibus discipulis, in his verbis à Christo prolatis. Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti. Sed priusquam sacerdos hæc verba proferat, quod sequitur, præcedentibus continuat dicens: Qui pridie quam pateretur, accepit panem in

Verba Sacramentalia. sanctas ac venerabiles manus suas: & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum patrem suum omnipotentem tibi gratias

G agens, &c. Dum hæc verba profert: sumit panem de altari, & eleuatum facto signaculo crucis benedicit, & postea prætaxatis verbis Domini & repræsentatis: super corporale deponit. Deinde calicem tollit, & signans repræsentat verba Domini, dicens: Benedixit, dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est calix san-

Cõmendatio Sacramenti. guinis mei, &c. O insigne miraculum. O mirabile & diuinissimum Sacramentum. Quæ mens non expaueat? Quis intellectus non deficiat: Omnis sensus hebescit, omnis ratio euanescit: prorsus dialecticorum inquisitio absit: hoc sola fides probat & agnoscit: quia cibus hominum fit cibus Angelorum. Quod sacerdos eleuat: non deponit. Eleuatum & depositum idem videtur esse in specie, colore & sapore: prorsus tamen aliud apparet, & aliud intrinsecus latet. Eleuatus est de altari panis communis:

H deponitur caro Christi immortalis. Quod erat cibus animalis, factum est cibus spiritualis. Quod erat momentanea refectio hominum; factum est æterna & indeficiens saturitas Angelorum.

Quæstio circa benedictionem panis à Christo in cœna factam.

Cap. XIV.

Cum in cœna Dominus panem benedixit: quæritur si benedictione sua de pane corpus suum fecerit. Quod videtur: in eo quod post benedictionem fregit & dedit discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum. Nisi in benedictione sua corpus suum fieret, nihil aliud quam panem cõmunem frangeret, & discipulis suis daret. Item si benedictione sua panẽ in corpus suum conuertit in verbis istis: Hoc est corpus meum, non reliquit nobis virtutẽ Sacramẽti: quia priusquam hæc verba diceret: benedixit, fregit, & dans discipulis, prædicta verba protulit: eis dans virtutem Sacramenti, quasi diceret, Panem quem accepi, in corpus meum transsubstantiaui: & illud do vobis. Propterea debemus & credimus, & quod cum benedixit, corpus suum fecit: & in his verbis: Hoc est corpus meum. Hic

est

A

Psal. 148. est calix Sanguinis mei, &c. data est virtus Sacramẽti. *Dixit enim & facta sunt.* Vnde intelligendum est, verba à Domino prolata prius dicta & iterum repetita. Sic enim legendum est. Benedixit dicens: Hoc est corpus meum. Deinde fregit & dedit discipulis suis iterum dicens: Hoc est corpus meũ. Vel potest esse: quod benedictione facta tradens corpus suum discipulis prædicta verba protulit, eis dans virtutem Sacramenti.

Quid credendum circa verba Sacramentalia.

CAP. XV.

ITaque fides nostra est, & vere credendum est, quod sacerdote proferente hæc verba: Hoc est corpus meum, iam non est panis terrenus, sed ille panis qui de cœlo descendit, mediator Dei & hominum Iesus Christus. Item virtute verborum istorum: Hic est calix sanguinis mei, &c. vinum conuertitur in sanguinem suum. Sub vtraque specie & sub vtriusq; speciei particula singula, totus est Christus Iesus: & sumitur residens in cœlo sedens ad dexteram patris: ipse vere est in hoc sacramento, dentibus teritur: & integer manet. Manducatur: & non corrumpitur. Immolatur, & non moritur, qualem se præbuit discipulis edendum: talem se præbet nobis communicando, & qui post resurrectionem incorruptibilis & impalpabilis præbuit se discipulis palpabilem: mortalis eisdem potuit se dare immortalem.

Conuertitur vinum in sanguinem Christi, virtute verborum.

B

Mortalis Christũ se dedit immortalem.

Quæstio circa hæc verba, accipite & manducate.

CAP. XVI.

ITem cum Dominus discipulis suis dixerit: accipite & manducate: quæritur si acceperint & sibi ministrauerint. Ad hoc dicamus, quod quia qui ministrare venit & non ministrari, & qui consecrauit, ipse ministrauit. Nec est intelligendum quod in manibus suis acciperent & sibi ministrarent: sed Dominus de manu sua ministrauit & manducare præcepit. Non videtur Dominus in cœna hunc calicem accepisse: cum fortasse ille à Domino acceptus fuerit luteus vel ligneus, iste argenteus vel aureus, vel alterius metallorum. Propterea sciendum est hoc dictum referendum esse ad similitudinem non ad identitatem. Sicut enim Dominus inter cœnandum, vinum in calice accepit, & benedicens sanguinẽ suum fecit: ita in isto calice à sacerdote vinum accipitur, & virtute verborum à Domino in cœna prolatorum sanguis eius efficitur. Vnde similitudo in vini acceptione: identitas in Sacramenti veritate. Nã quotidie fit consecratio illius eiusdem sanguinis: quem Dominus in cœna ministrauit. Dicit itaque calicem præclarum: non propter hoc quod vinum in eo cõtinetur, sed propter hoc quod de vino in eo consecratur. Non enim pro fulgore attribuitur claritas calici: sed pro dignitate Sacramenti. Verumtamen si attendamus vnitatem fidei: ante consecrationem & post vnus calix, sicut vna est fides, vna Ecclesia, sicut in canticis vna columba, vna amica. De hoc calice scriptum est: *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Quod dicit hic calix sanguinis mei: legendum est vt continens accipiatur pro contento sic. Hic est sanguis meus noui & æterni testamenti, subaudis, confirmator. In passione enim sua Dñs vmbram legis euacuauit: & hæredibus suis hæreditatem confirmauit. Ratum enim est testamentum ex morte testatoris. Mysterium, id est, secretum fidei dicitur: quia quod sensibus nostris est occultum, fidei est reuelatũ. Ratio humana quærit dicens. Manhu? quid est hoc? Quomodo est? Quomodo est, non comprehendit, ad hoc secretum non ascendit: sola enim fides credit & agnoscit. Sensibus apparet in sapore & colore panis & vinum: fides sub vtraque specie cõtemplatur Dominum & saluatorem suum Iesum Christum. Apparet sensibus quod non est: fidei quod est. Sensus quod vident iudicant inanimatum, & omnium viuentium sensibus videtur corporale alimentum: fidei panis viuus qui de cœlo descẽdit, panis quidem Angelorum, fons viuus aquæ salientis in vitam æternam. Fides credit & diligit ipsum: per quem sperat peccata dimitti & veniam dari, & in gloria sua refici & satiari. Vnde Apostolus, *Fides est substantia rerum inuisibilium, argumentum non apparentium.* Ea fide enim spes nostra firma est & subsistit, charitas roboratur, speranda probantur. Sanguis Domini effusus est pro multis, scilicet ad fidem vocatis: non pro Iudæis, paganis, hæreticis, & in infidelitate perseuerantibus. Eo tamen genere loquendi quo dicitur: Venit Dominus omnes saluos facere, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: poterit dici effusus pro omnibus. Omnibus obtulit poculum salutis: quod alij receperunt, alij recipere noluerunt: sicut medicus venit curare ægrotum, quem tamen non curat, propter neglig&etiam ægroti mandata non custodientis. Quotiens hæc Sacramenta conficimus, passionem Domini memoriter tenere debemus & mortem: corde & opere Christo gratias agentes, qui per gustum assumptæ humanitatis nos inuitat ad gustum scilicet ad amorem & cognitionem suæ diuinitatis. Propterea ad renouandam passionis memoriã: affectu lachrymabili, accessuris ad hoc Sacramentum ait Dominus: *Hæc quotienscunq; feceritis, in memoriam mei facietis.* Sciebat enim monumenta scripturarum ad hæc non sufficere: nec scriptoris, animos sequentium ad eum diligendum tanta moueri deuotione, quanta mouerentur ipso pñsente. Quis enim sine lugubri compunctione potest hanc immolationem repræsentare? Quis tenẽs in manib. Dominum suum pro se crucifixum & mortuum: quasi seruus nequam & immemor beneficiorum contemnat, quod morte sua conscripsit testamentum? Hic iustitia fidei concalescit in camino charitatis: vbi ignis est non comburens sed illuminans, nõ consumens sed ædificans. Vnde cum Dominus ad discipulos suos loquens diceret; quo ego vado vos non potestis venire: sui memoriam cõmendauit, vt in eius memoria intẽderent eum sequi hęc conficientes Sacramenta. Quod Petro interrogãti: Domine quo vadis? responsum est à Domino. Quo ego vado non potes me modo sequi, sequeris autem postea.

C

D

Psal. 22.

Manhu.

E

Ad Heb. 11.

De memoria passionis.

F

Luc. 22.

G

Triplex quæstio circa materiam Sacramenti altaris.

CAP. XVII.

HOc autem loco prætereundum non est quare panis & vinum offerantur ad faciendum hoc Sacramentum: & si sub vtraq; specie consecretur corpus & sanguis Domini, an sub altera tantum: & cur immolatio fiat de azymo, & non de fermentato. Tria in hoc Sacramento fidem interrogant: atq; animum recte sapientis, & fideliter intelligentis ad credẽdum solicitant: vnum est species panis & vini, aliud corpus & sanguis Domini: iterum vnio membrorum & capitis. Primum apparet sensui, secundum reuelatur fidei, tertium efficit virtus Sacramenti. Primum visus pcipit: Secundum fides intuetur & credit: tertium est gratia salutaris: p quam duo sunt in carne vna, Christus & Ecclesia. Secundum est res primi, tertium effectus secũdi. Nam species panis & vini tantum est Sacramentum, id est sacræ rei & inuisibilis visibile signum. Quod enim videtur, signum est eius quod non videtur. Videtur panis terrenus quo reficitur caro: & vinum quo lætificatur, & non est: sed panis cœlestis, panis viuus q de cœlo descẽdit quo anima saginatur, & potus quo plenissimum gaudium datur, & sitis indesinente lætitia mitigatur, de eo qui biberit, non sitiet in æternum: De hoc pane dicit Dominus. *Caro mea vere est cibus:* & de hoc vino: *Sanguis meus vere est potus.* & iterum ait: *Qui manducat meam carnẽ & bibit meũ sanguinẽ, in me manet & ego in eo.* Corpus & sanguis Domini Iesu Christi, dicitur res Sacramenti, scil. occulta sub prędictis speciebus; & est Sacramentum altaris rei scil. illius quę datur gratiæ & dilectionis. Itaq; primum est Sacramentum tantum. secundum res Sacramenti & Sacramentum: tertium res tantum & non Sacramentum. Sciendum est quod duplex est sumptio corporis & sanguinis Domini: Sacramentalis & spiritualis. Sacramentali communicant boni & mali: soli boni spirituali. De sacramẽtali dicit Apostolus: Qui manducat carnem & bibit sanguinẽ Domini indigne: reus erit corporis & sanguinis Domini. De spirituali Dominus ait:

H

Ioan. 6.

A

Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & beatus Augustinus. Crede, & manducasti, quod intelligendum est: si non fuerit cõtemptus religionis, sed euentus necessitatis. Ita duplex est caro Christi. Illa quæ nata est de virgine & sumitur in Sacramẽto: & ea quæ manducatur fideliter credendo sine qua non prodest sacramentalis: quia Deus declarauit dicens: *Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat*, quasi diceret: Carnem meam sumere & sanguinem meum bibere quicquam non prodest, nisi percipiatur fide & charitate. Cum enim Dominus dixerit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei*, multi tamẽ introierunt in regnum Dei in sanguine suo baptizati. Sic carnem Christi manducare, est eam sumere in Spiritu & veritate. Et hæc sumptio omnibus est ad salutem: nulli autem ad damnationem. Vnde Dominus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sacramentalis sumptio: alijs est ad vitam alijs ad ruinã.

Ioan. 6.
Ioan. 3.
Ioan. 6.
Ioan. 12.

B

In talibus enim remuneratur solius fidei & dilectionis effectus. De pane & vino fit hoc Sacramẽtum, ad significandum quod sicut panis cor hominis confirmat, vinum lætificat: ita hoc Sacramentum est fortitudo & salus, & pfecta lætitia corporum & animarum. De pane triticeo cõficitur: quia hoc est vere illud granum de quo Dominus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Solus Christus descendit & mortuus est: solus non ascendit, quia in passione germinauit, creuit, & in segetẽ innumerabilem fructificauit. De azymo pane non fermẽtato immolat sancta Romana Ecclesia, vt expurgato fermento veteri reficiamur azymis synceritatis & veritatis. Quod enim Græci immolant de fermento ad significandum tumidum virginis vterũ de Spiritu sancto impręgnatum, non consentit sanctorum patrum doctrina: quia in sacro eloquio, numquam inuenitur fermentum accipi in bonum. Quod in nostro vsu loquendi dicitur, corpus & sanguis sumitur, non intelligas separatim: cum ipse totus Christus & integer sumatur. Totus sub vtraq; specie panis & vini: & sub qualibet particola vtriusque speciei totus. Inde est ꝙ panis & vinum non transeunt in diuinam naturam: sed in humanã substantiam. Credimus enim in Christo duas fuisse naturas, diuinam, & humanam: & tres substantias, diuinam, carnem & animam, Athanasio attestante, q ait: Sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo ita Deus & homo vnus est Christus. Ipse est qui in Sacramẽto manducatur, & sumitur, non sicut alius cibus manducanti incorporatur: sed qui manducat debet ei per fidem & dilectionẽ incorporari. In propria forma nõ sumitur: ne abhorreat humanus animus, vt fides cõprobetur. In præparatione panis & vini, aqua vino miscetur: vt vtrunique de latere Domini fluxisse memoretur: in quo etiam significatur nos per aquam & sanguinem saluari: Aquam dico baptismi, sanguinem Iesu Christi: quorum neutrum prodest, si desit alterum. Quotiens hoc conficimus: mortẽ Domini annunciamus, vel repræsentamus. Vnde ne memoria dominicæ passionis labatur de cordibus nostris sed vt crucifigentes nosmetipsos cum vitijs & concupiscentijs mortui peccato, vinẽtes Deo interpellatione eiusdem filij ad vitã resurgamus: hæc sacrosancta offerimus, & hoc est ꝙ sequitur: Vnde & memores, &c. Omnes offerunt: q fide & opere in vnitate Ecclesiæ consistunt. Cum autem Dominus in ministerio nostræ redemptionis multa mira & inaudita egisset: trium eorum, scil. passionis, resurrectionis, & ascensionis, fit commemoratio, per quæ facta est nostræ salutis cõpletio. Corpus & sanguis Domini: dona sunt & data. Nã dona sunt vel dicuntur, quæ sunt in potestate donantis: data, in manu recipientis. Vnde ab æterno sunt hæc dona, & in tempore nobis data. Qui immolatur: ipse est hostia pura, sancta, & immaculata, Agnus sine macula, qui peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hostia fuit pura in passione, sancta & immortalis in resurrectione, p̃clara & præfulgens in ascensione. Panis est vitæ, non panis in quo videtur: sed ille quo homines & Angeli reficiuntur. Eo homines vtuntur in medicina: Angeli in deliciarum gloria. Hic panis in præsenti dat iustificationis gloriam: in futuro autem, cum Angelis ineffabilẽ lætitiam. Cum vna

C

Duplex natura & triplex substantia in Christo.

D

Vnde & memores.

E

sit & eadem res Sacramenti, nec corpus sit sine sanguine, nec sanguis sine corpore: diuisim tamẽ & pluraliter loquimur, nõ pro distinctione rerum, sed pro varia forma specierum. Et cum sanguis nominatur in calice, corpus extra calicem: vtrobiq; credatur esse & in calice & extra calicẽ Deus & homo. Potest aliquis dicere vel meditari: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Attendat operantem, cogitet omnipotentem, & desinet mirari: q a quæcunq; voluit fecit. Quinaria cruce signamus, vt nõ eum a quo omnis sanctificatio sanctificemus: sed vt vulnera pendentis in cruce duo manuũ, duo pedum, quintum lateris flebiliter & deuote recolamus. Ab hinc enim, vsq; dum corporale desuper calicem tollatur. Post consecrationem rogamus patrem, vt super dona prædicta respiciat & accepta habeat. Sed cũ patri filio nihil sit acceptius, quem propitio & sereno vultu semper sibi Deum æqualem intuetur: q d aliud oramus, nisi vt mediante & interpellante filio nobis Deus fiat placabilis & propitius, & per eum q sibi placet ei placeamus? Itaq; oramus eum per hæc sacrificia nobis miserendo placatum fieri: sicut misertus est patribus nobis propitiando eorum sacrificijs. Vnde attendenda est hæc comparatio in sola similitudine non in quantitate: nec est referẽda ad sacrificia, sed ad offerentium vota. Plus valet res q̃ figura. Omnibus sacrificijs præcellit Eucharistia. Est autem talis similitudo, vt recte offerẽdo similes simus patribus nostris q recte obtulerunt & recte diuiserunt. Tres eorum nominat: quia in eorum sacrificijs præsignata est hostia per quã fracta sunt tartara. Abel cor contritum & humiliatum Deo obtulit, & se Deo totum committens, sibi se non retinuit. Recte obtulit & recte diuisit: & ideo Dominus ad munera eius respexit. Cain vero peccauit: q a & si munera q̃ debebat Deo, reddendo recte obtulit, male diuisit, quia se sibi retinuit. Iniquitatẽ in corde suo aspexit, & ideo Deus eum non exaudiuit. Abraham se Deo totum obtulit: quẽ Deus præcipiendo filium immolare, examinauit. Melchisedech in sublimi cor suum posuit: & ideo meruit prænoscere, & in sacrificij figura panem & vinum offerre. Itaq; si volum⁹ sicut oramus, patribus nostris assimilari; per iniquitatem Deo cor nostrum non offeramus, sed in sublimi altari deponamus cor nostrum sc. in conspectu diuinæ maiestatis: & sobrie & pie & iuste viuendo, propitium & placatum inueniemus eum nobis. Hoc autem est ꝙ in sequenti oramus dicentes: Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, non vt Christus mutatione loci ascẽdat semper ad patrem qui assistit vultui patris interpellans pro nobis: sed vt deuotio nostra perferatur per manus sancti Angeli, id est, per filium tuum q est dextra tua, per q̃ omnia operaris, & Angelus magni consilij per quem omnia ministras & disponis, creas, sanctificas & benedicis. Ipse est cõspectus patris, id est, sapientia: per quam pater facit & disponit. Ideoque per ipsum, & in ipso, & ante ipsum precamur vota nostra perferri. Quis enim perferre potest nisi ille qui ait ad patrem? *Pater semper me audis*, & in quo pater cœlum & terram creauit: & quo omnia stabiliuit. Quod sumitur in altari: nõ prodest sine gratia spirituali. Vnde oramus vt corpus & sanguinem de altari visibiliter sumẽtes, inuisibiliter in altari, inuisibili carne Christi reficiamur: ex qua omnib. benedictio & gratia sumentibus datur, & ab eo q corporaliter est in altari visibili, datur omnis gratia benedictionis. In altari est, q ad dexteram patris sedet: potens in cœlo & in terra: vbique est, ascendens in cœlum, descendens in infernum: semper eum inuenies. Sæpe signacula crucis iteramus: quæ quotiens facimus, passionem & mortem Domini annunciamus. Dicẽtes: Nobis quoq; peccatoribus, vocem paululum eleuamus: vt ex gemitu cordis in silẽtio, procedat gemens oris cõfessio. Ante cõsecrationem & hic recensemus sanctorum nomina: postulantes eorum intercessiones & suffragia, attendentes nõ numerum, sed eorũ adiuuans suffragium. Ibi fit memoria beatæ virginis quæ omnib. sanctis p̃cellit, & Apostolorum & Martyrum qui in sanguine agni dealbati sunt: vt eorum interuentu suffragante ad salutẽ nostrã fiat ministerium. Hic sanctorũ memoriam facimus, vt cõpatiantur nobis peccatoribus. Pro veneratione enim sanctorũ suorum solet nobis propitiari Deus: donans veniam delictorum, ꝙ manifestis iudicijs,

Ioan. 6.

F

Cain.
Abraham.
Gen. 22.
Melchisedech.

G

Ioan. 11.

H

Nobis quoque peccatoribus.

signis,

A signis,& miraculis Dominus ostendit ad eorum (q̄ sua est)
laudem & gloriam: conferendo ægris sanitatem, desolatis
consolationem. Qui enim membra honorat, & Christum
Ioan. 5. q caput est honorificat. *Et qui filium honorat, & patrē qui misit*
illum, per quem pater hæc bona creat, sanctificat, viuificat,
& benedicit. Vnde vt diximus, vna sola res in Sacraméto,
scilicet Christus Deus & homo. Vnde in figuris & omnibus quibus res eadem recensetur, pluralitas apparet: &
vbi vnum tantum est in substantia, multiplicitas videtur
in figuris. De corpore autem Domini loquimur aliquando
sicut est, aliquando sicut apparet. Dicimus enim nostro v-
su loquendi, multas hostias cómunicando distribuimus,
tot reseruauimus, & sic plores hostias dicimus, & vnum
credimus esse.

Triplex crux. Nec mirum si deficiat proprietas verborum vbi dispensatur ineffabile Sacramentum. Pater per verbum suum
creauit naturam: per idem dedit gratiam: & cum ad totam
B Trinitatem pertineat vniuersitatis creatio, ad solum filium
nostræ ruinæ reparatio. Tres cruces signando depingimus
ad honorem salutiferæ crucis: per quā facta nostra redemptio, vita mortua in ligno, à qua fluentibus riuulis sanguinis & aquæ emanauit omnis sanctificatio, vita & benedictio. Inde datur homini tanta gratia, vt qui digne perficit,
sanctificetur, viuificetur, omni benedictione repleatur:
ipsum etiam sacramentum, virtute crucis ministrante sacerdote sanctificatur, benedicitur, cum corpus inanimatū
Ad Heb. 1. transit in viuificum. Quotidie nobis hæc dona præstantur:
quando corpus & sanguis in altari sumuntur. Itaq; q̄ pater cuncta operatur per filium: sanctificat & benedicit per
ipsum filium, quia patrem manifestauit hominibus, & cū
ipsu qui patri est coæqualis & coæternus: & in ipso *qui est*
splendor & figura substantiæ eius, & in quo est totus pater: &
ipse totus in patre, Deo patri omnipotenti omnis honor &
gloria. Hic ter signamus quasi per ipsum q crucifixus est, &
cum ipso qui in cruce mortuus est, & in ipso q vita est, Deo
patri omnis honor & gloria: per filium enim pater clarificatur, & in filio honorificatur. Vnde scriptum est: *Qui hono-*
C *Ioan. 5.* *rificat filium, honorificat eum qui misit illum.* Hic iterum duas
Duplex crux. cruces facere solemus recolentes aquam & sanguinem, q̄
de latere filii fluxerunt. Venit enim in aqua & sanguine: vt
fide suæ passionis, & aqua regenerationis nos mundaret &
sanctificaret. Quomodo in serie canonis repræsentatur agonia dominicę passionis, & quomodo veritas velata fuerit sub veteribus figuris, intuitu diligentioris doctrinę, quasi
Exod. 12. per totū. recapitulando dignum duximus aperire. Quę in summa &
eo ordine, quo facta sunt tractantur liquidius apparent, q̄
si in suis locis singula notarentur. Sciendum itaq; est quod
ab initio canonis, scil. Te igitur, vsq; ad finem, memorantur quæ gesta sunt in septimana subsequēte ramos palmarum. Sicut enim paschalis agnus luna decima de grege assumebatur in domibus Iudæorum, & 14. immolabatur ad
vesperam: ita hic noster agnus Christus Iesus nos saluans
& viuificās, venit in Hierusalem 14. die celebraturus agnū
paschalem, acclamante ei laudes populo Hebræorum: O-
D *sanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc au-
Luc. 12. tem significat responsio chori concinens sanctus, sanctus,
sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Silentium q̄ sequitur illum, concentum designat certam memoriā instantis passionis & q̄ scriptum est: Iesus autem iam non palam ambulabat propter metum Iudæorū. Quod autem à, Te igitur,
incipit mysterium passionis, ex eo innuitur q̄ statim apponuntur signacula crucis. Ea die q̄ dicitur rami palmarum:
se incipit exponere manibus Iudæorum. Quarta feria est à
Iuda traditus in cuius signum traditionis fit triplex signaculum crucis. Secunda autem & tertia feria non ausi sunt
Heb. 9. contingere metu Iudæorū: sed illis diebus docebat in templo nihil merdens furorem insidiantium. *Pontifex legalis cum*
sanguine semel in anno ingrediebatur sancta sanctorum, figurans
illum qui proprio sanguine introiuit in cælum. Hoc autē repræsentat sacerdos accedens cum sanguine ad hoc mysterium
scil. lachrymabili deuotione retinēs in mœrore memoriam
dominicę passionis. Quinta feria (de qua illud est, q pridie
quam pateretur) vetus Pascha celebrauit: & illud notans,
corpus & sanguinem suum discipulis tradidit. Sequēti nocte ligatur, & capitur & multis illusionibus irridetur. Sexta
crucifigitur. Sabbato fuit in sepulchro. Tertia die resur- E
rexit, discipulis pacem totius mundi nunciando. Cum dicitur: Nobis peccatoribus, solet rumpi silentiū, paululum
suppressa voce proferendo, vt veniat nobis in mentem la- *Luc. 23.*
tronis confessio, & pietas domini de cruce dicentis: *Hodie*
mecum eris in paradiso. Cum ventum est ad hæc verba, Per
quem hæc omnia: memoratur illud dominicum verbum,
consummatum est, & quod voce magna exclamans emisit
Spiritum, & velum templi scissum est: vnum corporale desuper calicē tollitur. Sublato corporali dicēdo: Per ipsum
confessionem exprimit centurionis: qui viso terræmotu,
confessionem exhibuit verbo Dei. Tunc Sacerdos & Diaconus calicem parum de altari eleuatum iterum deponūt:
quia Ioseph & centurio & Nicodemus accepta licentia a
Pilato, corpus de cruce deponentes sepelierunt. Vnde calix iterum corporali cooperitur. Et quia clamor magnus
factus est morte domini, tum ea lamentatione mulierum,
tum voce Centurionis & aliorum lugentium: sacerdos F
rumpit silentium alta voce canendo: Per omnia sæcula sæculorum. Post fit breue silentium, significās spacium Sabbati quo quieuit in sepulchro. Item eleuata voce sacerdote
proferente: Pax domini, respicit illud q̄ Dominus *stans in* *Luc. 24.*
medio discipulorum ait illis, Pax vobis. Postea Agnus Dei cantatur, & osculum pacis inuicem datur quia Deus pater filium
suscitauit ad dādam remissionem peccatorum: & eum resurgentem exaltauit, dans ei nomen q̄ est super omne no-
men, & in cœlo & in terra omnem potestatē, qua nos Deo *Phil. 2.*
Patri & Angelis reconciliauit. Post acceptum cibum salu- *Agnus Dei.*
tarem sequitur communio: quod est gratiarum actio. So- *Cōmunio.*
lemus enim Deo gratias agere in corporali refectione:
multo melius in ea de qua qui gustabunt non esurient neque sitient. Quia in fine orationes proferuntur: in signum
est quod Christus resurgens interpellat pro nobis. *Apoc. 21.*

Alia Canonis declaratio.

Cap. XV.

A Billo capitulo, In primis vsque Communicantes, G
Aaron orabat intra sancta sanctorum: & Christus
antequam pateretur, pro se suisq; discipulis orauit, oranti
dans exemplum: minister Euangelicus sequens vtrumque, *Hanc igitur.*
pro vniuersa orat Ecclesia. A, Communicantes, vsque,
Hanc igitur, minister noster commemorat nomina sanctorum quibus debet conformari, vita & moribus: vt in eo
accendatur thuribulum feruens igne charitatis & odore
virtutum: q̄ figuratum est in eo quod pontifex legis ferebat thuribulum intra sancta sanctorum, & in pectore scripta nomina patrum. Christus autem plenus aromate omnium virtutum, ascendit in cœlum: agnoscens cōscientias,
& nomina suorum. Dum legalis pontifex orabat, fumo
thymiamatis obumbratus erat: ne videretur dum oraret &
incensum cremaret: q̄ erat figura Christi interpellātis pro
nobis, q̄ excedit omnem intuitum, & intelligentiam. Ne- H
mini enim datur scire, quomodo Christus sedēs ad dexteram patris interpellat pro nobis: nec etiam cogitari potest.
Latet enim homines & Angelos, quātā virtus sit in verbis,
& mysticis crucis signaculis. A, supplices te rogamus, vsq;,
pcepta salutaribus, secundum legem exterius sacramentū
aspergebatur sanguine. Christus autem aspergit, dum nos
sanctificat sui sanguinis effusione. Sacerdos aspergit, dum
hoc sacrificio Deum placat, & datur gratia veniæ. Quod
nominat altare sublime, cōmemorat legis sancta sanctorum, & illud sanctum sanctorum in quo Christus semel introiuit, & p sanguinem proprium. Bis recensentur in cano- *Bina sanctorum in*
ne nomina sanctorū: vt ostendatur figuratiue ferre logion *canone memoratio.*
& superhumerale in quibus erant scripta nomina patrum.
Peracto sacrificio legalis Pontifex reuertitur ad populum
lauans vestes, & immundus erat vsq; ad vesperū. figurabat
Christum qui quotidie venit ad nos miserendo, & fideles
suos mundificando, nec eos deserens vsq; ad sæculi consummationem. Sacerdos noster orādo lauat populum, &
immundus est tamen vsq; ad vesperum: quia nullus adeo
mundus quin in eo sit vsq; ad mortē, q̄ lauetur. Vt dictum
est: Omnis honor & gloria, est patri p filiū, qui venit sibi &

A

patri acquireret regnum: & discipulos suos orare monuit, & docuit. Monuit dicens: Vigilate & orate. Docuit quando orationem composuit, & in eo formam orandi instituit. Quærentes enim discipulos, vt doceret eos orare: hac oratione ad orandum informauit. Propterea sacerdos oraturus: monet alios secum orare dicens. Oremus, præceptis salutaribus scil. Euangelicis monitis, & institutione huius orationis à Domino informati: fiducia instituentis qui præsens est & interpellans pro nobis ad impetrandam veniam: clamamus corde & voce: Pater noster. Cum hic dici solet oratio quam composuit: visum est B. Gregorio melius vt oratio diceretur, qua discipulos ad orandum informauit, dicens: Pater noster, &c. Quod cum à Græcis accepisset: voluit tamen à solo sacerdote cantari, quæ apud Græcos dicebatur ab omni populo. A responsione clerí succinentis, Sed libera nos: sacerdos sumit exordium iterum orandi. Rogat se & alios interuentu B. Virginis & Apostolorum & aliorum sanctorum à malis liberari: & pacem fieri in diebus nostris: & chorus orat, vt præsenti Rege pacifico, in pace & sine omni perturbatione sit Spiritus eius. Cum autem dicitur: Pax

B

Pax Domini sit semper vobiscum.

Triplex crux.

domini: intra calicem fit triplex signaculum crucis ad laudem & honorem S. Trinitatis, quæ misit agnum qui per crucem saluauit mundum, & fecit pacem hominum & Angelorum. Trina crux fit intra ambitum calicis: ad significandum illud gaudium irreprehensibile & secretum quod erit in fruendo visione Trinitatis, per quam data nobis pax veniæ, pax iustitiæ, pax gloriæ. Deinde sequitur vox Ecclesiæ: supplicans agno largitori pacis & misericordiæ. Ter cum eo-

Agnus Dei.

dem principio cantatur: & duplici fine terminatur, itaque orat, Miserere nobis: dando veniam. Miserere: conseruando iustitiam, dona nobis pacem: quæ superat omnem sensum & intelligentiam. Miserere captiuis, miserere peregrinis, da nobis finem laboris, miserere peccatoribus, miserere exulibus: da requiem laborantibus: tribue peccatorum remissionem, perduc ad patriæ certam mansionem: da post laborem, pacem & requiem. In fractione panis hostiæ repræsentatur minister legis, qui similaginem particulatim

C

Luc. 24.

offerebat: & Dominus qui panem fregit in cœna, & quem fractione panis cognouerunt discipuli euntes in Emaus. Frangitur hostia & in tres partes diuiditur: S. Trinitati dedicata: quarum vna in calicem demissa sanguini immergitur pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio huius sæculi agitata multis perturbationibus passionum concutitur: aliæ duæ extra calicem sunt, pro illis. quarum vna igne examinatur quæ est fidelium, altera est sanctorum, quæ cum Christo regnat in æternum. Tunc deuota memoria Christo præsenti, & ad dexteram patris sedenti, & interpellanti pro nobis: pro glorificatis grates referuntur: pro viuis, vt illis ascribi mereantur: pro fidelibus, vt à pœnis citius soluantur. Diaconus, Missæ finem imponit, decantans. Benedicamus domi-

Triplex finis Missæ.

no: vel, Ite missa est, in diebus festiuis, vel Requiescant in pace, vt in mortuorum exequijs. Hoc fit vt semper & sine intermissione pro acceptis beneficijs redemptori nostro gratias referamus: sanctos suos honoremus, quorum me-

D

ritis & intercessionibus adiuuamur: & pro cunctis fidelib. defunctis (vt ipsi ad optatam requiem perueniant) canemus. Hac salutatione monentur astantes recedere: quia Missa est hostia, cui omnis laus & honor, Benedictio & gloria: ad quam de hoc exilio transire festinandum est celeri cursu, sanctoque mentis recessu. Ea enim ad reconciliationem nostram sufficiens legatio mittitur. Propterea ministerium sacrosanctum Missa nuncupatur.

Expositio orationis Dominicæ.

Cap. XIX.

EXpositionem dominicæ orationis à patribus nostris plene & lucide digestam inuenimus. Eam tamen paucis verbis exponere pro modulo nostro curauimus, non Spiritu arrogantiæ: sed ne lectori videatur onerosum quotiens hanc legerit, eam quærendo reuoluere libros aliorum. Sermo iste dominicus breue est verbum & abbreuiatum: pauper verbis, diues sententijs. Nam Dominus sub paucitate verborum docuit orare: cõfutata superstitione ethnicorum in multitudine verborum gloriantium. Vnde Do-

E

Matt. 6.

minus: *Orantes nolite multum loqui.* Distinguitur septem petitionibus, pro septiformi gratia Spiritus sancti: qua liberati à septem vicijs, & totidem virtutibus decenter ornati, mereamur percipere septenarium fructuum æternæ beatitudinis. Septem itaq; sunt petitiones, septem dona, septem virtutes, septem vicia, septem beatitudines. Eorum quæ petuntur tria sunt, sc. sanctificatio nominis, aduentus regni Dei, perfectio diuinæ voluntatis, quæ pertinent ad futurum statum. Quatuor ad temporale subsidium: hæc sunt panis quotidianus & spiritualis: qui licet sit æternus, quia quotidie sumitur, huic tempori accommodatur dimissio peccatorum: non moueri tentatione malorum, nec infestatione tribulationum. Quæ prius ponuntur, priora sunt dignitate: quæ posterius, priora tempore. Nam ea bis quæ temporaliter aguntur, ad æterna peruenitur. Septem sunt gratiarũ diuisiones: Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini. Non quod multiplex sit Spiritus secun-

F

dum differentiam nominum: sed simplex vnus semper, & idem fons & origo omnium virtutum & bonorum. Idem enim Spiritus est à quo fiunt sapientia maturi, intellectu prouidi, consilio cauti, fortitudine liberi, scientia discreti, pietate mites, timore humiles. Septẽ sunt vicia: superbia,

Septem vicia.

inuidia, iracundia, accidia scil. tædium mentis cum tristitia, auaritia, gastrimargia, luxuria: à quibus deriuantur omnium delictorum inquinamenta. Septem sunt virtutes,

Septem virtutes.

humilitas, pietas, compunctio, iustitia, misericordia, munditia, pax siue tranquillitas: humilitas conculcat superbiã, pietas extinguit inuidiam, cõpunctio mitigat iracundiam, iustitia exhilarat mentem, pellens omnem tristitiam: misericordia damnat auaritiam: munditia reprimit gulam: pax eliminat luxuriam.

Septem sunt beatitudines, regnum cœlorũ, terra viuentium, cõsolatio sine perturbatione, satietas sine esurie, misericordia sine iudicio, Dei visio, Dei filiatio seu similitu-

Septem beatitudines.

do, etsi in nominibus & proprietatibus sit distinctio, vna tamen eademq; est beatitudo. In his promerẽdis & adipi-

G

scendis necessaria est gratia septiformis, quam Esaias describit: sine qua nullum meritum pertingit ad salutẽ. Nota quod Esaias incipit à summo: Dominus in sermone suo ab imo. Ibi enim ducetur Dominus ad ima descensurus: hic, homo ad similitudinem Dei ascensurus. Itaq; singulis meritis competentia assignat præmia, pauperibus regnũ cœlorum: *quia initium sapientiæ timor Domini.* Mitibus hæreditas patris: qui de se ait: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Lugentibus consolatio per scientiam, esurientibus

Matt. 5.
Prou. 1.
Matt. 11.

& sitientibus quasi in fortitudine laborantibus refectio: misericordia misericordibus ope cõsilij. Mundis corde visio Dei, oculo mentis purgato intelligentia, i. e. pacificis similitudo Dei tribuitur. vt ipsius filijs in quibus caro obtẽperat spiritui, sensus subseruit rationi, moderatione & maturitate sapiẽtiæ. Hęc prælibauimus vt facilius animus legentis præparetur ad intelligendum quod intendimus. Sciendum

H

quod omnia quæ sunt salus & vita petuntur in oratione dominica. qua ipse interpellans pro nobis formam orãdi docuit, scil. purgati fece viciorum, decorati splendore virtutum, illustrante gratia spirituali, & perducere ad præmium repromissionum. Primo ergo petimus nomen domini sanctificari in nobis: vt pede humilitatis, calcata superbia, humiliemur sub potenti manu Dei. Et ipsum sanctum à quo sanctificati timeamus & veneremur, timore casto permanenti in sæculum sęculi. Sanctificatio quæ nobis à Deo cõfertur, incipit ab humili eius aduentu, sicut Apost. ait: Neque fornicarij, neq; masculorum concubitores regnum possidebunt. Hęc quidem fuistis sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi in Spiritu Dei nostri. Vnde nõ sanctũ sanctorum à quo omne sanctum sanctificari oramus: sed vt in sanctificatione nobis ab eo data perseueremus. Et qui ab eo recesseramus per superbiæ vanitatẽ, ad ipsum reuertentes per humilitatem, sanctificati ei iungamur, & ad beatitudinẽ regni cœlestis pertingere mereamur, de qua Dñs ait: *Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Secunda petitio est. *Adueniat regnũ tuum.* In ordine donorũ ascendendo, Spiritus pietatis ponitur donum secundum.

A

Pietas.

Regnum Dei communis est salus omnium, quæ adueniet cum in fine sæculi manifestabitur eius regnum. Pietas siue benignitas compatiendo proximis, congratulando prosperis, & cõdolendo aduersis. Vnde pietatis est communiter salutem omnium velle & optare, & ita omnem inuidiam relegare. Qui enim fideliter alijs optat sibi quod petit: inuidiam omnino excludit. Sed cũ Deus ab æterno regnet, & regnum ipsius omnibus dominabitur: regnum eius petimus aduenire scil. salutẽ promissam, passione filij sui acquisitam: vt exuti à corpore huius mortis sine seruitutis, cũ Christo regnemus sicut pollicitus est: Percipite regnũ Dei, quod paratum est vobis ab origine mundi. Itaque inuidia reprobata, benignitate siue mansuetudine Spiritu pietatis adepta, terram viuentium possideamus, quod est initium & stabile fundamentum. Iuxta illud *Beati mites*, &c. Tertia

Mat. 5.

est petitio: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Voluntas Dei est custodia mandatorum eius: in quibus exequendis retributio multa. Oramus voluntatem Dei fieri in cœlo &

B

in terra, i.e. in corpore & in anima: vt ei casto corpore seruiamus & mundo corde placeamus. Cum enim corpus à terra, Spiritum ex cœlo habeamos: in nobis (q. sumus cœlum & terra) voluntatem Dei fieri in vtroque postulamus. Quod dato Spiritu scientiæ executioni damus: per quem scimus diuinæ voluntati obtemperare, & datur nobis irã, indignationem, & prauos illicitus mitigare. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem.* Nam caro

Gal. 5.

Scientia.

inclinat se ad terrena: spiritus erigit se ad cœlestia. Ideoq; implorandum est diuinũ auxilium: vt mittat spiritũ scientiæ cuius ope discernamus quid beneplacitum sit diuinæ voluntati: & corde cõteramur postpositis sęcularibus gaudijs, vt in multitudine dolorum & compunctionum, spiritu scientiæ lætificante spiritum nostrum, obtineamus inæstimabilis lætitiæ perenne solatium, secũdum illud: Beati qui lugent: quoniam ipsi cõsolabuntur. Tunc in nobis voluntas Dei perfecte complebitur: adeptione suæ consolationis. Quarta petitio est: *Panem nostrum quotidianũ da nobis*

C

hodie. Cum mens tædio accidiæ languescens, ab internorũ amore bonorum retrahitur: animus in torporis lecto iacet quasi languidus, q. pane spirituali id est corpore Christi est reficiendus. Vnde spiritu fortitudinis oportet animũ à tor-

Fortitudo.

pore excitari, & operibus iustitiæ inhiare: ne aliquo graui delicto intercedente, abstineamus ab illo pane de quo Apostolus ait: *Probet se vnusquisque, & sic de pane illo edat.* Vnde

1. Cor. 11.

precamur dari nobis panẽ nostrum quotidianum: vt ea iustitiæ operibus in Christo viuentes à corpore suo nõ recedamus, sed sit nobis cibus quotidianus, quo plene satiabitur iustus cum apparuerit gloria eius. Vnde Dominus: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniã ipsi saturabuntur.* Ac-

Mat. 5.

cepta fortitudine huius cibi spiritualis: statim recte petitur venia delicti. Vnde sequitur: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Peccata nostra dicuntur debita nostra: sc. quia ei qui commodat, scil. diabolo debitor existit homo. Quotiens delinquimt: debitum mutuatur. Qui enim fuerũt debitores Deo per iustitiam: peccantes, fiunt debitores diabolo per iniustitiam.

D

Misericordia.

Commodat diabolus ad vsuram delinquentibus peccatorum malitiam: vt inde consequantur mortem æternã. Hoc debitum diabolus primo homini commodauit: qui Domino accepti beneficij debitor esse noluit. Si misericordes, beati: sanum est consilium alijs misereri, & non æstuari facibus auaritiæ, sed bona largiri. Hoc consilium datur per spiritum Dei, vt remittamus odia, iniurias: quatenus Dominus dimittat peccata nostra, & misericordibus misericordiam impẽdat. Vnde ipse ait: *Cum steteritis ad orationem, remittite si quis aduersus aliquem habet querelam: vt & pater, qui in cœlis est, remittat vobis.* Secundum hoc in die iudicij

Mat. 5.

Coloss. 3.

iudicaberis: vt quod feceris patiaris. Si beati mũdo corde: mundemur mente & corpore: vitanda est ciborum crapula, gulæ irritamenta: interior refectio spiritu intelligentiæ est appetenda. Cum enim anima interius reficitur: minus moleste exteriorem famem patitur. Vnde Dominus tentatori respondit: *Non in solo pane viuit homo.* Orandũ est itaq;

Matt. 4.

vt tentatio non deijciat: sed oculo mentis lucido tentationibus resistat: vt Deum contemplatione in meri non cessans, Deum in futuru sicuti est videat. Vltima petitione cõprehendit quicquid est necesse: sc. à malo liberari. Nihil enim

E

est vltra q. debeat quæri cum sit perfectio totius religionis. Qui enim à malo est liberatus, in se requiescit, generans animum pacis & tranquillitatis: non est q. interius vel exterius repugnet, quia nec caro per luxuriam, nec mundus per auaritiam, nec diabolus p. malitiã possunt deijcere à tranquillitate. Hoc fit spiritu sapientiæ: q. omnes motus sensuũ componit, & rationi subijcit. De talibus dicit Dominus:

Sapientia.

Ego dixi, dij estis &c. Vnde beati pacifici: quoniã filij Dei vocabuntur. Congruenter videntur dominicæ orationi

Matt. 5.

assignari quæ dicta sunt ab Esaia de Spiritu Domini: & sermo quem locutus est in monte discipulis. Nam ille q. Prophetiam edidit, & qui sermonem discipulis in monte fecit: ipse hanc orationem composuit. Sermo autem & oratio quasi riuuli à fonte manant ab illo Esaiæ septenario, in quo est omnium bonorum plenitudo.

De additis ad officium Missæ per summos Pontifices.

F

CAP. XX.

NOta quod (sicut magister docuerat) Apostoli se & alios communicando, consecrationem corporis & sanguinis Domini facere cœperunt, & fieri per vniuersas Ecclesias prædicando instituerunt. Primo sine aliquo ordinatu fiebat canonis mysterium, postea cum canone legebantur epistola, & Euãgelium. Deinde à Romanis Pontificibus quibusdam additis ad ornatum & decoratum ecclesiæ, celebranda aliqua suscepetũt. Cœlestinus Papa 150. Psalmos cum antiphonis cantari instituit. Ex hac institutione mos inoleuit vt omissis Psalmis ex illis introitus, graduale, offertorium, communiones acciperẽtur. Gregorius à Græcis Kyrie eleyson assumpsit: & à solo clero sonora modulatio cantari præcepit, & orationem dominicam dici decreuit. Symmachus Gloria in excelsis Deo, in festiuis diebus addidit. Telesphorus Papa tantum in natali domini Missas in ipsa nocte cantari voluit: & quæ sequũtur verba Angelorum dictauit. Gelasius præfationes composuit. Innocentius pacis osculum adiecit. Damasus Credo in vnum Deum, ex decreto concilij Constantinopolitani post Euangelium cantari instituit. Alexander aquam vino misceri, vt nec vinum sine aqua, nec aqua sine vino offeratur: ad repræsentandum vtrumque de latere Domini fluxisse. Sixtus, sanctus, triplicatum modulauit. Sergius, Agnus Dei inter communicandum terno concentu cecinit.

Apostoli per vniuersas Ecclesias Missam celebrarunt.

Symmach.

G

FINIS.

PELEGRINI LAVREACENSIS ARCHIEPISCOPI, SYMBOLVM.

H



Onfiteor Sanctam & ineffabilem Trinitatem; & credo Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum naturaliter esse, vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius maiestatis, vnius virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non factum; sed ingenitum profiteor: fons ergo & origo est ipse totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit; nec tamen aliud quam quod ipse est, genuit: Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de substantia Patris sine initio ante sæcula natum, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est; quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed Deus, non de Filio: si enim Pater fuit, semper habuit filium cuius esset Pater Deus. Et ob hoc filium de Patre natum sine initio confiteor. Spiritum autem sanctum qui est tertia in Trinitate persona, vnum atque æqualem cum Deo Patre & Filio esse credo, Deum vnius substantiæ, vnius quoque naturæ: nec tamen genitum vel creatum; sed à Patre filioque procedentem ambotum

A

esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de filio tantum procedit ad sanctificandam naturam: sed ab vtrisque procedere monstratur: quia charitas siue sanctitas amborum esse cognoscitur. Et nec Patris tantum, nec Filij tantum; sed simul Patris & Filij & Spiritus dicitur. In relatiuis vero personarum nominibus; Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosq; refertur. Quæ quum relatiue, tres personæ dicantur; vna tamen natura vel substantia creditur: nec sicut tres personas ita tres substantias prædico; sed vnam substantiam, tres autem personas. Pater enim non ad se, sed ad Filium, Filius nō ad se, sed ad Patrem, & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiue refertur, in eo quod Patris & Filij spiritus prædicatur. In hac ergo Trinitate, tres personas, vnū Deum confiteor. Non ipsum qui Pater est, dico esse Filium, aut Spiritum sanctum; nec filium Patrem aut Spiritum sanctū fateor, aut Spiritum sanctum, Patrem aut filium: sed quod Pater est, hoc esse filium & Spiritum sanctum, sine vlla ambiguitate pronuncio. personas enim distinguo, non naturam deitatis separo. Et sicut tres personas vnius atq; inseparabilis naturæ, non confundo; ita nec separabiles prædico, quum nulla ante aliam nec vlla post aliam, nullaque sine alia extitisse vel quippiam operata fuisse credatur. Inseparabiles enim sunt, & in eo q̄ sunt & in eo quod faciunt. Habet enim Pater, æternitatem sine natiuitate, filius, æternitatem cum natiuitate, sanctus vero Spiritus æternitatem processionis à Patre & filio sine natiuitate. De his ergo tribus personis; sola filij persona, hominem verum, sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, nouo ordine; nouaq; natiuitate sumpsit. Nouo ordine, qa inuisibilis diuinitate, visibilis monstratur in carne: noua autem natiuitate est genitus; quia incorrupta virginitas, & virilem coitum nescivit, & fœcūda per Spiritum sanctum carnis materiam ministrauit. Dei enim filius non personā hominis suscepit, sed naturam nostram in vnitatem personæ assumpsit. Idcirco, & filius Dei & filius hominis vnus est Christus. In eo quod filius Dei est, æqualis est Patri; in eo vero quod filius est hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo est homo, pro delictis nostris passionem sustinuit; mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit; tertia quoq; die suscitatus de sepulchro propria virtute, & huius exemplo in hac qua sum & moueor carne resurrecturum me credo. Itemq; Saluator noster peracto resurrectionis triumpho, paternam sedem repetijt, à qua per diuinitatem nunquam recessit. Inde in fine sæculorum venturus, iudicabit viuos & mortuos; redderque singulis prout gessit quisque in corpore, siue bonum siue malum. Ecclesiam sane catholicā precio sui sanguinis redemptam, cum eo, credo in perpetuum regnaturam. Credo deniq; vnum baptisma, in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meæ inuiolatam me retinere, & ab ea nunquam deuiare me velle promitto.

B

C

D

FINIS.

MOSIS BAR-CEPHA SYRI, EPISCOPI IN BETHRAMAM, ET BETHCENO, ac Curatoris rerum sacrarum in Mozal (hoc est, Selucia Parthorum) scripti ante ann. 700. Comment. de Paradiso; ad Ignatium Fratrem, interprete Andræa Masio.

Ex Bellarmino de scriptorib. Ecclesiast. Moses Barcepha Episcopus Syrus, qui dicitur

M*osis huius historiam plane me nescire fateor, nec de illo quidquam expiscari potuisse in Ecclesiasticis, Conciliorum, vel Sanctorum narrationibus; quibus ex fontibus, multa Chronologis & Historiarum scriptoribus non vulgaria haurire sæpe mihi visa sunt. Ac ne ex his quidem illius Commentarijs potui deprehendere vestigium vllum ætatis qua vixerit, nisi quod vt magnum Athanasium & Cyrillum Alexandrinum, ita & D. Chrysostomum, sine splendido vlla honoris Præfatione citat, nominatque Ioannem Monachum, 1. Lib. cap. 1. & c. 10. Dominum Ioannem, eiusdem Libri, cap. 7. & Librisui Partis, 3. cap. 5. quibus locis meminit eius Orationum siue Sermonum de occasu Mundi, de nouo Mundo, cur Arbor vocata sit Scientia boni & mali, & ad Stagirium seu Stagirium: & contra eos qui putant Mundum gubernari à Dæmonibus, 1. Lib. cap. 22. Ac proinde hic non multo posterior mihi videtur, forte non prorsum inanis coniectura cum sæpius Diuum Mosen dicat, 1. Par. cap. 28. Hos præterea citat Scriptores Ecclesiasticos & probatos Authores vt appellat, 1. Part. cap. 22.*

floruisse hoc sæculo, scripsisse librum de Paradiso in duas partes diuisum qui extat est autem hic liber cum legendus, quia non pauca affirmat contra verā theologiam.

E

D. Seueri Orat. 22. de Epithronio, 1. Libri, cap. 7. & 11. & alteram eiusdem argumenti, 2. Libri, c. 33. Eiusdem Authoris Orat. contra Fœlicissimum, Parte. 3.

D. Ephraim, siue Ephrem Syri, Librum Geneseos siue de rerum ortu, siue Comment. in Genesim, 1. Libri, c. 1. & c. 9. quem opinor eum esse quo dominum Ephrem Paradisi conditionem exequatur. 1. Libri, c. 7. & quem etiam quendam illum Commentarium appellat, 1. Lib. c. 27.

F

D. Iacobum Orrohaitam, Partis, 1. cap. 14. & Partis 2. cap. 2.

D. Iacobi Sarugensis Orationem de Adamo eiecto è Paradiso, Part. 1. cap. 20. quam etiam Commentarium appellat, eiusdem Partis, cap. 27. Eiusdem Orationes de Christi Passione & Ascensu, non ita multum ante finem, 1. Libri.

D. Iacobi Botnacensis Oratio de Adamo eiecto extra Paradisum, 1. Libri, c. 22.

D. Iulij Commentarium in Euangelium Ioannis.

Philoxeni Mabuga Episcopi Sermonem de contemplatione Arboris vitæ, 1. Part. cap. 8. 19. 22. &c. Eiusdem capitula contra Diodorum, parte, 3.

PROOEMIVM.

G

Hexameron Mosis Bar-cepha

P*Osteaquam sancte frater Ignati, absoluimus, non sine ope diuina, Commentarium de sex diebus conditi Orbis minime perfectum quidem illum, neque omni ex parte absolutum, Orationibus quinque; accedimus ad tractandum de Paradiso, tuæ pietatis voluntate persuasioneque inducti. In quo quidem tractatione ita quoque versabimur, vt & accurata & clara sit oratio: & singula capita inter se distincte particulatimque diuisa habeantur, quo facilius Lectores omnia intelligant, neque per obliuionem aliquid de suo memoria amittant: quatenus certe Deus verus qui* illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, *conatus nostros adiuuaturus, nobisque præsturus est, & directurus dictionem nostram. Verba igitur quibus Moses Propheta de Paradiso dicere orsus est, hæc sunt:* Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio: ibique posuit Adamum quem finxerat. *Sed prius quam beati Mosis verba explicemus, pertractanda nobis sunt in hac prima Commentarij nostri parte, vigintiseptem argumentorum capita: in quorum primo agetur: Sitne Paradisus res corporata, an vero spiritalis. Secundo ostendetur quis sit corporatus Paradisus, & quis spiritalis. Tertio probabitur consentaneum esse, vt libri veteris Testamenti interpretentur non solum rebus ipsis, verum etiam mystice & figurate. Quarto declarabitur, num de re ipsa corporata, an vero mystico modo Paradisus primum sit explicandus. Quinto dicetur, quo die inter illos sex dies quibus condidit Deus hanc machinam corporatam atque aspectabilem, sit conditus Paradisus corporeus. Sexto aperietur caussa ob quam condidit Deus istum corporatum Paradisum. Septimo peruestigabitur, sitne Paradisus in cælo, an in terris. Octauo expendetur, vtrū Paradisus sit in hoc terrarū tractu*

Gen. 2.

H

quem

A

quem nos habemus, an in alio. Nono probabitur, eam terra regionem in qua Paradisus extat, altiorem eminentioremq; esse hac nostra. Decimo agetur de regno cælorum, in terrone sit an in cælo. Vndecimo differetur, quo differat regnum cælorum à Paradiso. Duodecimo tractabitur vtrum Paradisus existat intra Orbem terrarum habitabilem, an extra eum. Decimotertio, in qua tandem regione sit Paradisus Decimoquarto disceptabitur, quomodo homines transmiserint Mare Oceanum, venerintque ex ea regione in qua Paradisus est, ad hanc quam nos incolimus: Et vtrum Adam habitarit apud Hierosolyma, an vero minime. Decimoquinto disputabitur, quanta pateat Paradisi amplitudo. Decimosexto quid sit Eden, & cur Paradisus sit Paradisi vocabulo appellatus. Decimoseptimo inuestigabitur num arbores & fructus Paradisi similes fuerint ijs qui in hoc nostro solo proueniunt, an vero ab his diuersi. Decimooctauo ostendetur quis sit modo Paradisi vsus vel quis etiam post resurrectionem mortuorum futurus. Decimonono declarabitur quæ fuerit arbor scientiæ & boni & mali, quam Adamo Deus interdixerat: & quamobrem appellata sit scientiæ boni & mali arbor. Vicesimo disputabitur quæ fuerit Arbor vitæ, & cur sit vitæ dicta. Vicesimoprimo agetur de illo flumine qui Paradisum irrigabat, & de quatuor fluminibus in quæ ille scindebatur. Vicesimosecundo dicetur quid futurum fuisset Adamo, si obseruasset mandatum. Vicesimotertio explicabitur, quamdiu mansissent in Paradiso Adamus & Eua, priusquam illinc in regnũ cæleste emigraturi fuissent, si obediuissent mandato. Vicesimoquarto probabitur numero augendos fuisse in Paradiso homines, si Adam & Eua obtemperassent legi, neq; eos duos solos fuisse inibi mansuros. Vicesimoquinto disceptabitur, an per venerem commixtis corporibus prolem procreaturi fuissent tum Adam Euaque tum istorum posteri: an vero sine amplexibus Vicesimosexto declarabitur quomodo voluptatem cepissent in Paradiso Adam & Eua, ac reliqui ex ipsis nascituri. Vicesimoseptimo agetur de serpente qui Euam adortus decepit. Vicesimooctauo denique interpretabuntur ea verba, quæ beatus Moses scripta reliquit de Paradiso, & de ijs quæ in Paradiso acta sunt non quidem mystice, sed ita vt res ipsæ explicentur.

MOSIS BAR-CEPHA SYRI EPISCOPI in Beth raman, &c. Commentarij de Paradiso partis primæ,

Capvt I.

D

Vtrum sit Paradisus res corporata, an vero ad intelligentiam mẽtis pertinens.



E Paradiso, de quo Beatus Moses scripsit his verbis: *Plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio*: scire laborant homines rerum cognitionis cupidi sitne corporata res, an vero incorporea, atque spiritalis dumtaxat, & sola intelligentia, spectabilis. Et alij quidem ita ex corporibus constare aiunt, vt nihil habeat quod ad mentem spectet, alij vero ita ad solam mentem pertinere putant, vt omnino incorporea res sit. Sunt etiam qui duos esse dicãt Paradisos, alterum corporatum, incorporeum alterum. Sed nos aduersum illos qui plane corporatum faciunt Paradisum, tribus vtendum rationibus putamus, quarum prima est: Si omnino corporeus est Paradisus, corpus solum Adæ in ipso oblectabatur, anima vero non item. Nam corporata res non potest animum, qui spiritus est, afficere voluptate; quo fiet vt fraudis reus videri Deus possit quippe qui quasi oblectandi Adæ gratia Paradisum condiderit, & tamen non totum Adamum, sed alteram dumtaxat eius partem quæ corpore constabat, voluptate imbuerit, alteram vero, animum scilicet voluptatis expertem reliquerit. Secunda ratio hæc est, Si plane corporatus est Paradisus; consequens est vt sacra veteris Testamenti scripta vacua sint mysticis sensis, id quod falsum esse Capite tertio, volente Deo, commonstrabimus. Tertia ratio est, Si Paradisus nihil est nisi res corporea, conficitur eos sacrarum rerum Doctores mentitos esse, qui incorporeæ ipsum etiam naturæ esse prodiderunt. Conficitur igitur ex ijs quæ iam dicta sunt Paradisum haud ita corporatum esse, vt incorporei nihil habeat. Rursus eos qui ad mentis intelligentiam duntaxat pertinere aiunt Paradisum, atque omnino incorporeum esse, sex istis oppugnamus argumẽtis. Primo, prorsus nullo adfecisset voluptatis sensu Adæ corpus, sed solum animam, atque hac ratione nuper quoque vsi sumus. Deinde falsa essent quæ de Paradiso extant Mosis dicta, rem corporatam notantia: cuiusmodi sunt, quod plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio; quod posuit illic Adamum quem finxerat, quod procreauit è terra omnem arborem visu expetibilem, atque in cibum idoneam, & Arborem scientiæ boni & mali; quod sumpserint Adam & Eua, folia ficulnea, fecerintque sibi subligacula, quod sese occultarint inter Paradisi arbores; & quæ sunt alia huius generis à Mose prodita de Paradiso. Tertio, nisi habuisset Paradisus res etiam corporatas in se, qui potuissent ex ipso affluere aquæ ad irrigãdas terras, & ad vsus humanus accommodæ; Quarto, ex ijs quæ Moses Spiritu sancto adflatus scripta reliquit, certum est Adamum corpus habuisse ex luto compactum, idque collocatum fuisse à Deo in Paradiso; erat ergo & locus ille in quo id corpus insistebat, corporeus. Quinto, necessum est corporatum esse Paradisum, quod Enoch & Elias in eo maneut, vt affirmat Dominus Ephraim in eo Opere, quo librum Geneseos, hoc est, de rerum ortu interpretatur, & in ijs etiam Sermonibus quos de Paradiso conscripsit. Illi enim viri, cum corporati sint, vt qui vitę huius vinculis adhuc sunt colligati; consentaneum est vt in corporalibus quoque locis maneant. Sexto denique, extat Doctorum virorum autoritas, fide dignissimorum, qua corporatum esse Paradisum affirmatur. Recte igitur colligimus falsum esse illud, Paradisum sub solam mentis intelligentiam cadere, atque plane ex earum rerum esse numero quæ incorporeæ sunt. Denique ijs qui duos censent esse Paradisos, alterum corporatum, incorporeum alterum, obijcimus Mosen qui non in duobus Paradisis, sed in vno collocatũ Adamum; neq; rursus è duobus, sed ex vno eiectum à Deo scripsit. Ad hoc, Dominus noster Christus non duos Paradisos, sed vnicum promittebat Latroni inquiens; *Hodie mecum eris in Paradiso*. Neque sane consentaneum est, vt eiusmodi dictis, scriptisque oraculis fidem abrogemus: ijs vero quæ neque dicta neque scripta extant in sacris Libris, adhibeamus. Non igitur duo, sed vnicus est Paradisus. Atque hæc hactenus à nobis sunt contra tres illas hominum de Paradiso diuersas opiniones: nostra vero sententia est vnum esse Paradisum, non duos; eumq; vnum Paradisum duplicis esse conditionis: corporeæ, & incorporeæ, siue & eius quæ sensu & eius quæ ratione intelligentiaque mentis percipitur; quæ quidem nostra sententia his argumentis potest demonstrari. Adam ex anima & corpore compositus erat, ergo & Paradisum, qui pro illo oblectando conditus fuerat, duplicis item conditionis esse oportebat, vt qua esset corporeus, corpus: qua vero incorporeus, animũ Adæ recrearet. Deinde beatus Ephræm duplici interpretatione exposuit librum Mosis Prophetæ; quarum altera mystica est, atque arcana eruit sensa; altera, res ipsas pertractat à Mose descriptas. Sed & diuus Cyrillus, legales etiam cæremonias; etsi re ipsa celebrabantur, mysticum tamen quid atque arcanum continuisse testatus est. Præterea venerandi sacrarum rerum Doctores partim de corporeo, alij de incorporeo Paradiso sunt locuti; nec sane abs re alterutri, quum ille vtriusque fuerit conditionis. Mystice enim de Paradiso agit Gregorius Theologus in ea Oratione quam de Christi Natalibus composuit; vbi Adamum ait colonum fuisse in Paradiso, plantarum immortalium; nempe ipsarum diuinarum notionum & simpliciorum & perfectorum: item arborem, fuisse meditationem animi, quantum ipse certe meditetur. Mystice item Gregorius

E

B F

C G

Luc. 23. Non promisit dominus latroni Paradisum terrestrẽ: sed gloriã.

H

A

Nyssenus in commentario de homine, cap. 20. & 21. Similiter Philoxenus Mabogensis in Sermone de meditatione quæ circa Arborem vitæ versatur: ait enim, arcana sensa mentisque meditationes de Paradiso haberi. Denique Dominus Iacobus Orrohaita eo Sermone quē de Theologia edidit, ait Mosen figurate locutum esse de Paradiso. Rursus de corporeo Paradiso scripsit Dominus Ioannes in ea Oratione cui titulum fecit: Cur arbor illa appellata sit arbor scientiæ boni & mali, & quid sibi velit illud Christi, *Hodie mecum eris in Paradiso*: multis enim illud adstruit argumentis corporeum extitisse Paradisum: inter alia inquiens, Adami oculis aspectum, auribus auditum, animo denique obseruatum esse Paradisum; & huiusmodi alia. Similiter Dominus Seuerus Oratione 22. de Epithronio, conficit corporeum fuisse Paradisum, dum etiam ipse affirmat Adamum oculis illum intuitum esse, auribusq; audiuisse. Nam audiuit, inquit, illa Dei ad se verba, *De omni arbore quæ in Paradiso extat, vesceris, præter arborem cognitionis boni & mali*: & intueri igitur hanc poterat, vesci vero prohibebatur. Gregorius rursus Theologus in Oratione de patientia, ad hunc modum de Paradiso corporeo loquitur: Lignum aduersus lignum, Crucis, aduersus Lignum scientiæ boni & mali. Est igitur consentaneum vt vtrumq; aut corporatum lignum fuerit, aut vtrumq; corporis expers, atque sub intelligentiam solam cadens; quam pari modo ligni vocabulo, ambo ab illo subijciantur. Sed obijciat forsasse aliquis hunc ipsum Gregorium; qui in Oratione de Christi Natali eam arborem cognitionis boni & mali mystice interpretatur, meditationemq; esse dicit: Atqui ille duplicis conditionis Paradisum esse non ignorauit; & proinde arborem illam interdum pro reipsa, interdū mystico sensu interpretatus est, quod præsertim in eo sermone quo Natales Christi celebrabat, sibi potis bat faciēdum. Nam cum eum sibi illic scopum proposuisset, vt populum doceret, non corporum sed animorum rationem in sacris concionibus atq; pompis habendam esse, nec valuas sertis cingendas, plateasque exornandas, & quæ præterea illic commemorat, cæteraque mystice esset interpretatus, ipsa Orationis serie inductus est vt Arborem quoq; illam figurate contemplandam exponeret. Ita & Dominus Ephræm in suo Commentario quo librum Geneseos de rebus ipsis interpretatur, Paradisum etiam re ipsa extitisse adfirmat. Quin & diuus Cyrillus in eo Commentario q̄ in Isaiam Prophetam condidit, censet Adamum, postquam Paradiso esset egressus, in Iudæa primum habitasse. Sed dices, de mystico exitu Adæ Cyrillū illic loqui: atqui q̄ subijcit, hoc non permittit: ait enim, postquam varia peragrasset loca, tandem Hierosolymis obijsse mortem. Re igitur ipsa, huc illuc vagatus fuerat; ac proinde, re quoque ipsa Paradisum egressus. Insuper Ioannes Monachus in sermone suo de occasu Mundi huius, & de venturo Mundo nouo; multis ostendit, ea quæ de Paradiso scripta sunt, consentaneum esse vt de rebus ipsis intelligātur, vtrutq; inter alia his verbis. Quænam fuere Adami opes in Paradiso? annon arbores fructiferæ, feraces foliorū quib. se primi parētes cumerent, & flumen aquis profluentibus illorum sitim restinguens; quarum aliæ super hancce terrā, aliæ subter diffondebantur, teste Mose? Nam si quis est qui putet arbores in Paradiso non fuisse corporatas, eius animo intelligenti æque diuinum eloquium, lumē suppeditare debebat, quod per Mosen de Paradiso diserte adfirmat, Euam generis humani matrem sumpsisse fructus, eosq; edisse. Qui potuisset enim illa decerpere id quod sub tactum non cadebat? aut de illo capere q̄ incorporeum erat; cum id quod corporaturæ expers est, diuidi non possit, eo quod sit incorporeæ naturæ? Hæc Ioannes ille, & alia complura eo loci scripta reliquit, quib. edocet corporeum fuisse Paradisum; quod ipsum satis clare etiam Mosis verba testantur, dum in Genesi sic scribit: *Et sustulit Loth oculos suos, & vidit omnem terram Iordanis, quod vniuersa esset irrigua, priusquam subuertisset Deus Sodomam & Gomorram, quasi Paradisus Dei.* Non enim eum Paradisum qui in sola mente versetur, hoc est, incorporeū; cōtulisse cum regione Iordanis, sed eum qui re ipsa existeret corporatusq; esset, existimandus est. Tum alius quoq; Propheta de Paradiso vaticinatus est ad hunc modum:

Gen. 2.

B

Animorū nō corporum habenda est ratio in facris pompis.

C

Adam Hierosolymis mortuus.

Chrysostomus dicit.

D

Gen. 13.

E

Ante illum Paradisus Dei, post illum vero veluti campus deuastatus. Igitur ex ijs omnibus quæ adhuc diximus, constat vnicum quidem esse Paradisum, sed eum duplicis cōditionis; corporeæ, inquam & incorporeæ: hoc est, & ad sensus ipsos, & ad mentis intelligentiam pertinere: falsumque proinde esse quod aut sub solum sensum cadat, aut sub solam intelligentiam, aut denique quod omnino duo extent Paradisi.

Capvt II.

Iam vero posteaquam demonstrauimus vnicum esse Paradisum, non duos; sed eum duplicis esse conditionis, corporeæ & incorporeæ: consequens est vt doceamus, qs corporeus, & quis incorporeus sit Paradisus. Corporeum igitur Paradisum esse statuimus, arbores omnis generis plurimas, varietate pulchritudineque admirandas, atque foliorum & fructuum, quę sui cupiditatem excitent maximam, feraces, æquabilique atque amœnissimo positas loco: flumen præterea ingens & amplum quo illæ irrigantur, locum denique ipsum speciosum, gratum, atq; accommodum ad vsum habitationemque hominum. Rursus Paradisum qui ad mentis intelligentiam spectat, quemque incorporeum nominamus; vitam esse definimus, quæ plane secundum mentem, per temperantiam sanctitatemq; excellenter agitatur, plenam meditationis rerum tum diuinarum tum conditarum; à qua procul absint curæ mœrores, gemitus: contra contineter vero, gaudium, lætitia, exultatio. Nam qui in hoc Paradiso versantur, vitā plane beatā atq; Angelicam viuunt, radijsq; diuinæ notionis illustrantur, vt Angeli. Duplex igitur ille Paradisus quatenus quidem corporeus erat, Adami Euæque corpus oblectabat: quatenus vero incorporeus atque ad interni spectans, ipsorum recreabat animos. Quippe vt cibus corporatus alit corpus: ita cogitatio tum de Deo ipso tum de ijs rebus quas Deus condidit, pascit animum ratione præditum. Perinde enim scientia & cognitio animi: atque panis, corporis est alimentum.

Quis corporatus, & quis spiritalis Paradisus sit.

Paradisus corporeus.

F

Paradisus spiritualis.

G

Capvt III.

Sunt inter hæreticos qui contendunt minime conuenire, vt veteris Testamenti scripta, mystice, atq; aliter quā de ipsis rebus, interpretentur: grauiterque accusant eos q̄ contra faciunt. Atqui si ita statuas, multa vt consequantur absurda necessum est. Primo enim vetus Testamentum nihil nisi meras nudasque continebit historias: carebitque prorsus, mysticis S. Spiritus sensis: deinde obfirmabitur Manetis & Marcionis sententia, qui dicebant vetus Testamentum nequaquā ab auctore Dei Christi Patre esse. Præterea nisi in illo recondita forent arcana sensa; vnde potuere prisci patres, Prophetæ, alijque sancti viri intelligere Christum olim venturum; ex eaque re tanto affici gaudio? Denique si ita cum illis hæreticis sentimus; profecto in Iudaismum incidimus: quippe Iudæi, vt qui Spiritus sancti expertes sunt, alia quam corporalia crassaque sensa nulla amplectuntur. Verum enimuero arcanis etiam modis atq; mysticis, explicandos esse sacros Libros, ex ijs conficitur quæ modo subijcimus. Si enim quod capiendi Iudæi, inq; exilium ducendi; quodque rursus liberandi reducēdique in patriam essent; quæ reipsa contingentia figuræ fuerunt: iussi sunt diuini Vates figuris atque typis quibusdam prædicere, quo videlicet Dei prouidentia iam tum agnosceretur: sicut apud Ezechielem de sumēdo latere, de diuidendis barbæ & capitis pilis & cubando in lateribus, videre est, item apud Isaiam de amictu sacci, deq; nudando corpore, præterea apud Ieremiam de iugo & vinculis: deniq; apud Oseam de ducenda vxore adultera & meretrice: atque ita de alijs plurimis quæ nunc non est operæpretium percensere: quanto magis consentaneū putabimus, in Lege atq; prophetis mystice signateq; illa admiranda atque præcellentissima neque vnquam satis laudanda opera quę Verbū Dei Christus dum in carne versatur patrauit, quæque nobis in Mundo illo sempiterno cuius spe certissima fruimur euētura promisit, esse prænunciata? Ad hoc, Taberna-

Consentaneum est veteris Testamenti scripturā mystice interpretari.

H

Ezech. 4. & 5.
Isa. 20.
Ier. 2.
Ose. 1.

A

culum illud exiguo duraturum tempore, quo ornatu corporeo esset exstruendum à Mose, non ante in ipso monte mysticis modis ipsi ostenderat Deus? Sane eo spectant verba illa quæ postquam ille descendisset de monte, ad ipsum hic faciebat, inquiens: *Videto ac facito omnia ad id exemplar quod tibi in monte ostendi.* Quid Gedeonis vellus? Quid Elisæi hydria? an non præter ipsas res quæ agebantur, alia etiam secula in ipsis erant seusa? Quid triticum, palea, ventilabrum, quæ commemorat Ioannes Baptista? num pro ipsis rebus sunt accipienda, ac non potius arcanum quid, per ea significare ille volebat? quin ipse etiam Dominus noster ait Abrahamum optauisse vt videret diem ipsius, ac vidisse gauisumque esse; quem tamen aliter prospicere non potuit ille, quam per typum ac mysteria: quale illud fuit, quod filium suum immolare iubebatur, ea enim victima Christi diem figurate ostendebat. Præterea Mosis Serpentem æneum quem in deserto suspendit ob oculos populi, idem Christus interpretatur mystice de sua cruce, dum ait: *quemadmodum in altum sustulit Moses Serpentem in solitudine, ita exaltabitur Filius hominis.* Rursum aquæ illæ de quibus cum Samaritana muliere colloquens ait; *Aqua quas ego do eis, fient in ipso, fontes scaturientes in vitam æternam*; nequaquam profecto corporatæ aquæ, sed mysticæ fuerunt. Denique Paulus quoque Apostolus arcano sensu interpretatur duas Abrahæ vxores, Saram & Agarem, duorum inquiens Testamentorum illas esse figuras. Similiter Petram illam quæ comitabatur Israëlitas, profundebatque illis aquas in potum, figurate explicat quando ait, eam petram fuisse Christum. Ex his igitur omnibus colligere est, veteris Testamenti libros non modo de rebus ipsis, verum etiam mystice ac figurate atque reconditioribus modis interpretari debere.

Exod. 25.
Iudic. 6.
4. Reg. 2.
Matth. 3.
Ioan. 8.
Gen. 22.
B
Ioan. 3.
Ioan. 4.
Galat. 4.
1. Cor. 10.

CAPVT IV.

C

Vtra expositione mystica an historica sit primùm interpretandus Paradisus.

Igitur quum duplicis sit conditionis Paradisus, consentaneum etiam est vt duplici modo interpretetur, mystice & corporate: hoc est, vt tum ipsæ pertractentur, tum ea rebus notiones aliæ quasi per figuram intelligantur; cæterum illa interpretatio cum fundamento & parietibus recte conferatur. Quum igitur tunc demum muri immobiles consistant vbi fundamenta sunt firma, ac proinde hæc prius iacta esse quam illi extruantur, oporteat, tametsi parietes eaque quæ paratur ædium forma, prius in animo atque cogitatione à nobis versentur quam fundamenta; congruum quoque est, vt de rebus ipsis interpretatio prior constituatur; quo, hac deinde seu fundamento, mystica illa sustentetur nitaturque.

CAPVT V.

Quoto die inter illos sex dies, quib. condidit Deus hanc aspectabilem machinã, sit conditus atque consitus Paradisus.

Cæterum Moses scribit, sex diebus creauisse Deum hanc machinam aspectabilem. Primo enim condidisse cœlum, terram, lucem; secundo, æthera siue firmamentum; tertio, arbores, herbas, semina; quarto, solem, lunam, stellasque, cæteras, quinto, aues aëra peragrantes, & pisces per mare natantes, ac humi quoque repentes animantes; sexto, feras, mansuetasque bestias, nec non Adamum, & Euam. At Paradisum esse quidem à Deo consitum commemorat, sed non quoto die: nos tamen tertio & conditum, & consitum esse ex ijs verbis quæ de ipso apud Mosem habentur, intelligimus: ait enim dixisse Deum die tertio; Producat terra herbas germinantes, seminisque feraces in suo genere. Nec non arbores fructiferas sui quasque generis, &c. Paradisus itaque ante Adamum conditus est & veluti sponso thalamus à Deo præparatus atque instructus. Nam quod Moses Paradisi conditi mentionem post creatum Adamum facit, ideo fit, quod ad nondum satis explicatam de Paradiso consito narrationem sibi reuertendum, eamque absoluendam putauit, non autem quasi ille post conditum Adamum factus sit.

D

CAPVT VI.

E

Quam ob causam condiderit Deus Paradisum corporeũ.

Neque vero dubium est quin & cohonestandi & voluptate adficiendi Adami gratia Deus Paradisum condiderit, vt qui illum sibi maiore cura studioque prosequendum duxit, quam vllam rerum cæterarum quæ super terram essent. Igitur quemadmodum impensiore ipsum honore quam alias res à se creatas adfecerat, sic suis ipse manibus, atque ad suam imaginem illum condere, & Paradiso veluti domicilio præ cæteris honorare voluit. Itaque locum ei destinauit & consueuit ornatissimum, magnificentissimum, voluptuosissimum, & ob summam elegantiam pulchritudinemque maxime expetibilem, in quo ille versaretur habitaretque; neque permisit vt cæterorum more animantium, quæ ratione vacant, terram depasceret.

CAP. VII.

F

De Paradiso, sup[...] terr[...] m, [...] in cœ[...] constat.

Sunt qui in cœlo Paradisum esse putent, eo quod Diuus Paulus Apostolus de se ipso dicat, raptum se fuisse in tertium cœlum, & in Paradisum: neque enim hoc adiecturum fuisse, nisi in cœlo esset Paradisus. Verum nos ad ea respondemus, duo fuisse visa illa in quæ Paulus raptus erat; non vnicum, quum ipsus dicat: *Veniam ad visa atque ad patefactiones Domini*; non autem ad visum & ad patefactionem. Neque vero desunt etiam nobis Scripturæ loci quibus continneamus diuersas fuisse duas illas patefactiones; & priore quidem in cœlum, altera vero in Paradisum fuisse sublatum Paulum. Nos igitur super terram esse Paradisum statuimus, idque his argumentis. *Conseruat*, inquit, *Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio*; siue pridem: Eden vero locum vocasse videtur, non qui supra cœlum esset sed in terris. Præterea idem Moses affirmat quatuor flumina è Paradiso profluxisse, Tigridem, Euphratem, Gihonem, & Phisonem: quæ si è cœlo delapsa essent, excauassent vtique atque vasto hiatu ipsam terram aperuissent, quippe quæ sustinere nequiuisset molem tantam, quanta aquæ ex loco tam sublimi præcipites (& quidem die ac nocteque continuato cursu) absque vlla intermissione ipsam pressissent: quare è terra promanasse illa flumina necesse est, & proinde Paradisum quoque terrestrem fuisse. Ad hæc Dominus noster ait ad Latronem: Profecto dico tibi, *hodie eris mecum in Paradiso.* Non autem dixit in cœlo, quia neque ipsa Domini anima (simul atque a corpore dissociata est) cœlum conscendit, sed die tertio rursum corpus subijt: neque Latro quoque eo die in cœlum potuit euadere, cum dicat Christus neminem conscendisse in cœlum præter eum qui descendisset de cœlo, Filium hominis, qui esset in cœlo. Fuit igitur Paradisus non in cœlo sed in terris. Insuper corporatæ arbores, quales reuera in Paradiso exstabant e ligno concretæ, è terra satæ pullulant, non autem supra cœlum nascuntur. Denique Patrum auctoritate, cui fides negari non potest, satis comprobatur terrestrem fuisse Paradisum. Nam dominus Ioannes in ea oratione qua disserit cur arbor illa sit vocata, scientiæ boni & mali, scribit in hanc sententiam: Si regnum cœli promisit nobis Dominus noster, Latronem vero in Paradisum modo subuexit; sane conficitur non satis fecisse ipsum Latroni. Item dominus Seuerus Oratione 22. de Epitomio sic scribit: Ea quæ nobis promissa sunt, ipsum sunt cœli regnum; non autem quæ in Paradiso percipiatur voluptas. Aliud igitur Paradisum, aliud regnum cœleste esse, palam faciunt hi Patres. Postremo Ephrem in eo Libro, quo Paradisi conditionem exequitur, diserte asserit terrestrem esse. Igitur perspicuum est in terris esse Paradisum, non in cœlo.

2. Cor. 12.
G
Luc. 23.
Non [...] nisi [...] Latroni [...] Paradi[...]
Ioan. [...]
H

CAPVT VIII.

Verum Paradisus in hoc terrarum [...]

Iam vero posteaquam ostendimus in terris fuisse Paradisum, indagandum nobis superest, an in his terrarum regionibus quas nos mortales habemus, an in alijs qui-

A

quæm ageret incolumus exsisteret, an in alio quopiam.

busdam exiiterit. Cæterum statuimus terram vnam omnino esse, atque vnius vniuersam eiusdemque naturæ; eamque terram in qua Paradisus existebat, diuersam quidem esse ab hac nostra, verum non natura ipsaque sui materia, sed tantate & densitudine. Diuidamus igitur terram in duas maximas partes; quarum altera Paradisi terra, altera extra Paradisum vocetur: illa subtilis, sincera, pura, hæc quæ à nobis colitur, crassa, materiata, impura, confusa sit. Iam vero concipito animo tuo hasce quatuor res; Cœlum superius illud spiritibus angelisque frequentatum; deinde qood illo inferius est, Firmamentumque à nobis vocari solet; postea eam terram quæ Paradisi est; demum eam terram quæ est extra Paradisum: deinde ita existimato, quemadmodum id quod Firmamentum vocari diximus, præcellentia quadam subtilitatis cœlo illi sublimioo Spiritibusque dicato cedit; ac rursum eadem Paradisum superat & crassiorem & magis materiatum: ita & Paradisum dignitate puritateque inferiorem quidem esse firmamento; sed terra, quæ extra ipsum est, præstantiorem.

B

Fit itaque vt cœlum illud beatorum Spirituum domicilium præcellentius sit firmamento; Firmamentum, Paradiso; Paradisus ea terra quam nos habitamus. Est igitur alia Paradisi terra, alia hæc nostra; sed ita vt non natura, verum materiæ subtilitate excellentiaque differant. Sed potest id etiam hoc argumento à rerum natura petito demonstrari.

Adam vbi primum positus.

Conditus enim Adamus non in hoc crasso densaque pleno materiæ loco qui extra Paradisum est, collocatus à Deo est; nondum enim deliquerat atque peccarat: Neque rursus positus est in illis præcellentibus locis, cœlo vel firmamento; nihil enim adhuc boni patrârat: Sed quod consentaneum erat, collocauit ipsum Deus in eo loco qui inter vtrosque illos medio se habebat modo; hoc est, Paradiso: hic enim vt non tam purus purusque est quam firmamentum ita rursus non tam crassa coactaque materie constat, atque hæc nostra quæ extra Paradisum est, terra. Et vero, eo consilio videtur eiusmodi medio loco ab opifice Deo ille po-

C

situs esse, vt si morigerus obseruaret iussa, subueheretur in firmamentum, locum præcellentiorem purioremque Paradiso, sin autem mandatis non parêret, sed delinqueret, atque ab ea quam sibi suus effector imperauisset, Lege deflecteret, conijceretur in banc execrabilem, crassam, ac densatam terram quam nos extra Paradisum nunc habitamus.

Philoxenus Mabugensis Episcopus.

Quin Paradisum fuisse medio loco testatur etiam Philoxenus Mabugæ Episcopus in eo Sermone quem de contemplatione Arboris vitæ conscripsit his verbis: Sic consitus à Deo Paradisus est, vt medium occupet locum: quidquid enim superius est, aut cœlum est aut cœlo consentaneum: rursum qoidquid inferius, vel terra est vel ad terram pertinet: Quippe qualis erat conditio compositioque hominis, talem oportebat esse & locum in quo erat ille ponendus; illa vero eius erat modi, vt in hominis esset posita arbitrio & boni & mali electio: iam vero qui sic se habet, is inter vtrumque medius est, nec ex bono totus, nec rursum totus ex malo

D

conflatus, sed pro suopte arbitrio ad vtrumuis inata; se habens. Atque ea quidem erat Adæ conditio, eademque cognitio arboris boni & mali: quare & eiusmodi erat quoque Paradisi ratio, in medio scilicet collocao, vt supra ipsum essent corporaturæ materiæq; expertes Spiritus qui sola ratione intelliguntur, & quidquid extra omnem compositionem est: infra vero illum bestiæ & pecudes, cæteraque ratione carentia: ipse vero Paradisus inter hæc & illa medius maneret atque hac ratione cum hominis constitutione congrueret, qui & ipse ex anima simul & corpore constabat: Hactenus ille.

Paradisus vbi situs.

Animaduertis igitur Doctorem istum perspicua ratione ostendisse Paradisum in medio esse positum; neque tam subtili tenuitate dotatum quam ea quæ supra ipsum existunt, neque rursus ea crassitudine materiæ qua illa composita sunt quæ infra ipsum habentur. Non ergo in hac quam nos habitamus terra Paradisus extitit, sed in alia; non quidem ipsa sua natura differente, sed tenuitate genuinaque puritate. At enim obijciat nobis hîc aliquis fieri non posse (cum terra omnis, vnius eiusdemque naturæ

E

sit atque essentiæ) vt altera eius pars subtilis, pura, sincera; altera vero crassa, impura, mixta, confusaque esse queat. Sed nos respondemus, fieri omnino id posse: quippe in aquis quæ sunt eiusdem essentiæ omnes, alias tamen limpidas, alias turbidas; quasdam dulces potuque suaues, alias amaras, atque in potum ineptas: item in aëre, alium crassum densumque, alium liquidum naturalique temperatum puritate; rursus alium salubri atque amœna temperie, alium noxia intemperie ingratoque odore experimur: denique ipsa etiam corporis nostri membra omnia quidem, vnius atque eiusdem naturæ esse nemo negauerit; & tamen oculus lucidus est atque liquidus, manus vero crassa & materiata compage constat: Itaque & in terræ partibus idem vsu venit, vt scilicet altera esset pura puta & omnis excrementi vacua, ac tenuis subtilisque qualis erat illa Paradisi; altera vero crassa, mixta, excrementosa, cuiusmodi est hæc quæ extra Paradisum à nobis habetur. Nam & in oleo hoc ipsum deprehendis & in vino: etsi enim vnius etiam

F

hæc consteot essentiæ, tamen partium aliæ liquidiores defecatioresque ac veluti magis percolatæ, quales sunt à fundo remotiores, aliæ rursus turbidiores, feculentioresque, atque omnino impuriores esse cernuntur; ea nempe quæ à fundo propius absunt.

Capvt IX.

Eam terrã in qua est Paradisus hac nostra sublimiorem esse.

Illud insuper asserimus, eam terram in qua est Paradisus, altiorem multo sublimioremque existere hac quam nos colimus: Id enim ita se habere, indicio sunt quatuor illa grandia flumina quæ orta in Paradisi terra, per hanc nostram ab illa diuersam feruntur. Nisi enim illa terra altior exstaret, fieri non posset, vt ea flumina illinc præcipiti cursu sub mare magnum delata, tandem per hanc à nobis cultam regionem erumpentia spargerentur. Certum igitur est, ea flumina, quia è sublimi loco promanant, ipsa sua præcipiti fluxione coacta strictaque, &

G

proinde cum impetu delata sub terram & magnum Mare rapi, atque ob ipsum eum impetum quo sunt delapsa, rursus prosilîre in hac nostra terra, per eamque fluere. Nam quatuor illa flumina (Tigrim, inquam, Euphratem, Gihonem, & Phisonem) sub Mare ferri, atque in hac demum quam nos habitamus, terra prodire, testatur etiam dominus Ephræm Commentarijs in Genesim, & cum eo alij. Clarum igitur ex his est, eam terram in qua situs est Paradisus; multo eminentiorem sublimioremque esse hac qua tunc nos occupamus.

Capvt X.

De regno cœlesti in quo iusti voluptate adficientur, sitne in terris an supra cœlum.

Regnum porro cœleste illud quod iustorum delitijs destinatum est postea quam reuixerint mortales, vt ait Dominus noster, non esse in terris; sed supra cœlum (hoc est, supra firmamentum) quod proxime supra nos est, multis argumentis comprobatur. Primo enim ipsum vocabulum hoc arguit, quo cœleste regnum, non terrestre à Domino appellatum est: deinde idem ille Dominus dixit: *Vado parare vobis locum*: Et; *vbi ego sum, illic & minister meus erit*: Iam vero dubium nullum est,

H

quin Christvs vere in cœlum conscenderit. Præterea Diuus Paulus scribit in hæc verba: *Vos autem accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei viui, ad Hierusalem quæ est in cœlo, & ad cœtum myriadum Angelorum, atque ad Ecclesiam primogenitorum qui scripti sunt in cœlo*: Et alibi; *Scimus enim quod quamuis domus hæc nostra quæ in terris est*, corpus nempe: *dissoluatur, structuram tamen habeamus quæ à Deo est, domum non constructam manibus in cœlo sempiternam.*

Heb. 12.

2. Cor. 5.

Ioannes Monachus.

Ad hoc Ioannes Monachus, Sermone priore quem de Mundo nouo scripsit, sic ait: Enimuero regnum illud cœleste Christi, non erat sub firmamento, sed supra cœlum vbi potestatum ordines existunt. Liquet igitur cœleste regnum in quo beati voluptate fruentur postquam reuixerint, supra cœlum (hoc est firmamentum) id quod supra nos apparet, positum esse.

A

Capvt XI.

Aliud esse regnũ cœleste, aliud Paradisum

Est vero inter cœleste regnum & Paradisum magna admodum differentia atque diuersitas. Nam regnum cœleste supra cœli firmamentum est; at Paradisus sub firmamento in terris: ad hoc, regnum cœleste, spiritale est; Paradisus vero, & ad corpus & ad spiritum spectat, vt superius comprobauimus. Deinde cœlestis regni voluptas ea est quæ ex Deo cum beatis Angelis capitur; Paradisi vero delitiæ ex arboribus amœnis atque desiderabilibus, necnon ex ingeno illo flumine habentur. Præterea regnum cœleste *nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit*, vt Apostolorum Princeps Paulus ait; sed Paradisus, & Adæ & Euæ oculis aspectus est, auribusque auditus, & subijt in ipsorum animos. Insuper cum in Lege, tum in Euangelio distinguuntur: in Lege enim beatus Moses in eo libro quem Genesim (hoc est, de rerum ortu) vocamus de Paradiso locutus est, eumq; suis notis descripsit; de cœlesti autem regno non verbum quidem fecit. Rursus in Euangelio Dominus noster, eiusque discipuli & Ioannes Baptista concionantes, adhortati sunt mortales ad pœnitentiam, quia in propinquo esset regnum cœleste; sed Paradisum esse vicinum non dixêre. Denique hoc quoque inter illa discrimen est, quod post Resurrectionem conscensuri sint iusti ad cœleste regnum, atque illic in summa voluptate acturi, iuxta verax Domini promissum; in Paradisum vero post Resurrectionem nemo ingredietur, sed mansurus est ille cultoribus vacuus. Postremo diuersa inter se esse regnum cœli & Paradisum, affirmant etiam Doctores, quos honoris causa nomino: dominus Ioannes quidem in ea oratione, cui titulus est, Cur arbor illa scientiæ boni & mali appellata sit; & quid sibi velit illud Christi ad Latronem: *hodie mecum eris in Paradiso*. Seuerus vero oratione 22. Epithronij, vt superius ostendimus.

1. Cor. 2. Paulus Apostolorũ princeps.

B

Seuerus, sup. cap. 7. sub finem.

C

Capvt XII.

Verum in hoc terrarum Orbe quem mortales habitant an extra cum sit Paradisus.

Philosophorum prophanorum, imo nonnullorum etiam Ecclesiasticorum Doctorum sententia est, elementa ipsa alterum in altero esse, atque alterum ab altero circumdari: terram enim ab ipsa aqua, aquam ab aëre, aërem ab igne contineri (de qua re nos quoque dilucide egimus in eo libro quem de sex diebus conscripsimus) & proinde existimant Mare Oceanum totam ambire terram, non secus atque coronam caput, aut cingulum lumbos; ita vt ab extima Oceani parte nulla prorsus terra sit, sed aër et otæ ex omni regione circumfusus. At alij opinantur, amplecti quidem Mare Oceanum hunc habitabilem Orbem, quantus est, vt corona caput, vel zona corpus cingit; & tamen vltra extremam illam Oceani oram superesse eam terram, in qua consitus fuit Paradisus: itaque putant hi Paradisum extra hunc à mortalibus frequentatum Orbem extitisse; quod sane suis argumentis posse comprobari videtur. Nemo enim vnquam Regulurum co pturfectus, Paradisum conspexit; qui si intra eam Mundi partem quæ ab hominibus habitatur positus esset, proculdubio Reges quid facere potuissent, visum eum iuissent: à qua re tamen omnes adhuc, ob eam vt videtur, quam modo dixi causam, abstinuere. Ait enim qui in hac sunt sententia, aiunt Mare illud quod inter hanc nostram & illam terram interfluit, innauigabile esse; ideoque neminem Regum illuc traiecisse. Alij vero alli qui Elementa ambiri alterum ab altero, atque Oceani aquas vniuersam omnino circumdare terram putant, vt nullum supersit solum vltra Mare, Paradisum intra Mare quidem positum esse aiunt, verum ob montes difficillimos & penitus inuios qui inter illum & nos existunt, neminem mortalium illuc accessisse. Conficitur itaque ex his, Paradisum extra eum terræ Orbem quem homines colimus, situm esse.

D

Capvt XIII.

Sed quærat aliquis, in quánam mundi regione positus sit Paradisus: versus Orientem, an Occidentem, ad Meridiem, an Septentrionem? Huic respondemus, Basilium quidem & eius fratrem Gregorium Nyssenum, atque præter hos dominum Seuerum, compluresque alios opinari Paradisum ad Orientalem terræ regionem exstare. Basilius enim Sermone super illud Pauli: *In omni re gratias agite*: ad hunc modum scribit: Ideo ad Orientem versi inter orandum stamus, vt oculos nostros ad contemplandum Paradisum assuefaceremus, eoque locum nostrum pristinum requireremus. Gregorius vero Nyssenus Sermone quem in Orationem Dominicam composuit, sic ait: Conuertimus nos ad Orientem, non ideo modo quod illic Deus sit aspectabilis, qui vbique est neque vllo particulari loco omnino continetur cum omnem ex æquo occupet, sed quia locus noster pristinus in Oriente est: de ea vita loquor quam in Paradiso agitabamus, ex quo deinde excidimus, conseruat enim Devs Paradisum in Eden, in Oriente. Cum igitur ad Orientem dirigimus oculorum nostrorum aciem, atque * casum nostrum quo ex beatissimis illis locis excidimus, reuocamus in animos nostros, merito hanc nostram precationem tibi offerimus, &c. Denique dominus Seuerus Oratione qua differit cur versi ad Orientem adoremus, hæc prodidit: Quia Paradisus in Oriente est, & illinc sumus egressi, atque ad locum nostrum antiquum reuerti speramus, &c. Sunt etiam qui hinc constare existiment, Paradisum in Oriente esse, quia qui templa aut ædes construere volunt ad Orientem spectantia, ita describunt, vt ad Solem in mense Nisan Orientem obuersa sit fabrica, nimirum quia illo Mense Sol supra Paradisi locum oriatur. Et horum alij quidem diem decimum quintum mensis Nisan obseruant, quasi eo Solis radij recte ex Orientalibus fenestris prosiliant: alij vero quartum, eoque id fieri putant, quod Sol eo sit die creatus, & cursum suum occeperit. Verum Ephræm dicit, Paradisum vniuersam ambire terram, atque vltra Oceanum ita positum esse vt totum terrarum Orbem ab omni circumdet Regione, non aliter atque Lunæ Orbis Lunam cingit. Sunt autem hæc eius fere verba, quibus in ea sua disputatione vtitur: Quia procul extra conspectum dissitus est Paradisus, neque tam acuta inest oculis nostris acies, vt illum assequi possimus; si de ipso periculum facere velis, facile contulens cum circulo Lunam ambiente, atque ita intellectu comprehenderis: nam ita ille & Mare & terram intra se complectitur.

E

In qua mundi regione positus sit Paradisus.

Thess. 5.

F

* alias legitur Exitum.

Templa cur ad Orientẽ obuertantur. Respõdet Lunæ Apõlis nostri. Sol creatus mense Aprili.

G

Capvt XIV.

Quidam eorum Doctorum, qui censent Paradisum vltra Oceanum esse positum, dixêre primos homines ex illa Paradiso astiui terra in hanc nostram, per vadosum mare pedibus commeasse, cum essent staturæ procerissimæ: atque hoc tum ex Athanasio tum Cyrillo comprobare nituntur, qui inter alia scribunt; habitationem primam post Paradisum, fuisse Adamo in Iudæa: præterea ipsum, posteaquam per plurimas Regiones vagatus, in aliis atque aliis habitasset locis: tandem sub vitæ finem venisse in montem Iebus, ibique sepultum esse: Certum est autem Iebus esse Ierusalem. Et vero dominus Iacobus Orrohaita tradit etiam Noam illic habitasse, atque in regione Sodomorum plantasse illas Cedros ex quibus Arcam construxit: quam Arcam cum esset vna cum Liberis suis conscensurus impendente Diluuio, secum in eam intulisse ossa Adami, eaque deinde post diluuium Arca egressum, suis filiis distribuisse, prout Orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur. Verbi gratia: Caluariam Adami dedisse primogenito suo Sem, & terram assignasse ei Iudæam, atque ita posteritatem Sem, cum ei Iudæam ceu suam hæreditatem venisset illam Adæ Caluariam quæ sibi illius ossibus ex paterna distributione obuenerat, in Adæ sepulchro quod alioqui iam tum illic extabat, reposuisse. Sed alii existimant, inde ex quo deliquerat Adamus, èque Paradiso fuerat eliminatus: vsque ad diluuium, mortales omnes mansisse in ea terra quæ trans Oceanum circum

Quomodo traiecerint primi Parentes ex Paradisi terra in hanc terram.

Et habitatione Adamus in regione Ierosolymorũ, an non.

H

Noe intulit in Arcã ossa Adami.

Adami Caluaria illata in eius sepulchrũ.

Paradi-

A

Paradisum extabat: hanc vero quam nos iam habemus terram, ad id vsque tempus vacuam prorsus hominum fuisse desertamque; illosque omnes diluuio obrutos propter vitæ impuritatem perijsse, vno Noa viro iusto cum tribus Liberis atque Coniugibus superstite, vt reliqui tum fuerint soli octo mortales. Cæterum Noam, Cedrosin illa quæ vltra Oceanum est terra seuisse; atque ex illis Arcam illic struxisse; eaque vectos octo illos homines, cum à Diluuio seruati essent, ex illa Paradisi regione in hanc nostram peruenisse: non autem pedibus, Maris vadum transmisisse. Qui hanc sententiam tuentur, Ephræm auctorem laudant, qui in suis Commentarijs sic scriptum reliquit: Et eiecit eum ex eo (Paradisum intellige) assignauitque ipsi non procul ab eo. Benignitas atque gratia scopus est perpetuus Deo; eius etiam rei apud Inferos vestigia extant: habitationem dederat ipsi in Paradiso: sed præuaricatus est: rursus ergo extruxit Paradiso, sed in propinquo collocauit. Sed & hic perditissimi homines deliquerunt, & qui iuxta Paradisum habitarent, indigni euaserunt: Arcæ igitur imperauit, ea in Armeniam illos portauit. Hactenus Ephræm. Quæ si sic se habent, verumque est, Adæ Caluariam in Iebus (hoc est, Ierusalem) sepultam, & Christi Crucem in eam defixam fuisse: certum quoque erit, Noam asportasse ossa Adami ex altera illa terra, cumque vbi in hanc nostram traiecisset, filio suo primogenito Sem caput dedisse: huiusque posteritatem illud, in Iebus (vt puta suaipsorum possessione) sepelisse. Hæc igitur ab illis dicuntur qui opinantur Paradisum vltra mare Oceanum existere: at illorum qui putant Paradisum iuxta Oceanum esse positum, neque nos mari sed inuijs & haud penetrabilibus montibus ab illo prohiberi, partim dicunt Adæ nepotes pedibus ex illa regione in hanc nostram commeasse, partim vero ob errante Arca illinc esse huc delatos.

B Christi Crux defixa in Caluaria Adæ.

Capvt XV.

C Quam sit amplum Paradisi spatium.

Siue autem Paradisus in regione modo Orientali positus est, vt dixere Basilius, Gregorius, Seuerus & complures alij: necessum est, spaciosum admodum atque amplum fuisse: Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen quo rigabatur. Nam si hoc, vbi Paradisum satis abluit, in quatuor grandes fluuios dissecatur, qui magnam Orbis huius quem nos colimus, partem suo cursu alluunt: maximum profecto, amplissimum atque profundissimum vt sit consentaneum est, antequam in quatuor illos diductum atque dispertitum sit grandes fluuios. Iam vero ex fluminis magnitudine conficitur, Paradisum qui illo rigatur, amplissimum quoque esse. Sin vero (quæ Ephræmi sententia est) omnem vndique terram nostram cum Oceano ambit Paradisus, profecto nihil prorsus dubitationis reliquum est quin sit amplissimus patentissimusque.

Capvt XVI.

D Quid sit Eden, & cur Paradisus, vocetur Paradisus. Eden Hebræis voluptatis significationē habet, & credibile est Græcos suum ἡδονὴ, inde formasse. Gen. 13.

Cæterum Eden locus est amplus ac spatiosus, sic dictus, quod delicatus, ac multis varijsque arboribus exornatus sit. Paradisus vero, appellatur Paradisus quod locus sit cultus plurimis pulcherrimisque plantis, cum odoratu tum gustatu iucundis, planeque congruus, appositus, accommodatus, vt sit domicilium sedesque & amœnitas hominum: Nam huiuscemodi locum consueuerunt mortales appellare Paradisum. Quare beatus Moses quoque, Iordanis etiam regionem, quia amœna atque spectabilis esset id temporis, Paradisum nominauit. Porro vt regio Eden cunctas reliquas præcellit terras; ita & ea eius pars in qua situs est Paradisus, cætera omnia quæ Eden complectitur loca, superat: neque enim in Eden vllum est solum præstantius eo in quo Paradisus est consitus.

Capvt XVII.

An fuerint arbores

Illud porro affirmamus quoque, neque arbores, neque fructus Paradisi (etsi arbores fructusque appellentur) tales omnino fuisse, quales hic apud nos progignuntur; sed longe his præcellentiores, elegantiores, maiores: Nam vt ita statuamus, hisce inducimur rationibus. Primum illi fructus non fuere execrationi diuinæ obnoxij neque damnati, vt hi nostri: deinde si in hac nostra detestabili terra atque infelice, alia loca, alijs, præstantiores arbores & fructus meliores fuerunt; quanto magis existimandum fuerit, arbores fructusque Paradisi his nostris multo præcellentiores melioresque fuisse? Et vero hanc nostram sententiam approbat etiam Philoxenus ea Oratione quam de arbore vitæ scriptam reliquit; nam de Paradiso, eiusque plantis verba faciens ait: Nequaquam subiectæ sunt execrationi atque damnationi; hæ enim in eam modo terram pronunciatæ sunt, quæ extra Paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ita vt ab ipsis Paradisus maneret immunis, sicut in hanc vsque diem quoque immunis liberque est, eoque & delicatissimæ & speciosissimæ arbores in ipso etiam extant.

E fructusque Paradisi quales hæc nostra terra fert, an his dissimiles.

F

Capvt XVIII.

Cui vel nunc, vel post Resurrectionem vsui seruiat Paradisus. Caue auctorem istum errore Græcorū quorundam implicatū Sanctorū animas ante iudicij diem in terrestri Paradiso detinere. Vide librū fratris Thomæ Malvenda Theologi, ordinis Prædicatorum de Paradiso, c. 90.

Sed solent quidam disciplinarum studiosi quærere, quis sit vel iam nunc Paradisi vsus, vel quis olim futurus, postquam mortales cum corporibus reuixerint. His nos respondemus, ea fuisse creatum primo consitumque ab opifice Deo Paradisum, vt Adam cum suis in ipso habitaret: qui vbi contra Conditoris sui imperium peccassent, eliminari inde pulsique sunt. Ex illo porro tempore vsque ad Christi aduentum versati sunt in Paradiso Enoch atque Elias: at vero post Christi Regis aduentum, huic præterea rei seruit vt in ipso habitent animæ hominum iustorum piorumque, atque eorum qui per corporis sui cruciatus Christi fidem comprobarunt quique fideles Deum amarunt, exutæ corporibus vsque ad Resurrectionis diem; quod in eo Sermone ostendimus, quem de Anima fecimus. Nam Latronis animam eo subuexit Dominus, dicebat enim ad ipsum: *Profecto dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Porro post diem Resurrectionis, nullus prorsus eius futurus est vsus, sed superuacaneus manebit & vacuus. Iam vero ne quis per coniecturam hæc à nobis dicta putet, libet nonnullis id affirmare rationibus. Primo constat alia etiam Spiritus dicata loca: cuiusmodi sunt ea ex quibus Diabolus cum suis copijs excidit: vacua adhuc manere atque superuacanea: ad hoc pars cœli dimidia ea quam iusti post Resurrectionem incolent, adhuc vacua est: præterea ipse terrarum Orbis vniuersus tantisper dum linguæ diuiderentur, desolatus per hominum infrequentiam manebat, præter vnam Babyloniæ regionem in quam multi conuenerant mortales: Insuper hac etiam tempestate plurima sunt in Orbe loca quæ neque ab hominibus neque ab Angelis incoluntur, plurima item Maria innauigabilia. Denique post Resurrectionem nihil erit opus aut Sole, aut Luna, aut stellis cæteris, vel vllis omnino animantibus, Serpentibus, Auibus. Postremo post Resurrectionem nullus iustorum mansurus est in terris, quippe qui supra firmamentum conscendent, sed soli illic relinquentur & moraturi sunt impij. Vt ergo in his omnibus cum ita sese habeant, nihil absurdum aut dissentaneum, nihil mutilum aut hians esse dicimus: ita neque in eo, quod Paradisus post resurrectionem nullis vsibus seruiet, quidquam deforme aut hiulcum inesse statueris. Insuper Reges sæpe maximis sumptibus magna extruunt ædificia, quæ postquam ipsorum vsui fecere satis, vacua deinde relinquuntur, & tamen minime temere, aut inconsiderate illa structa existimantur: quis igitur Deum prudentissimum rerum dispensatorem inconsiderantiæ arguat, qui cum Paradisum condidisset Adami gratia, eumque in illo collocasset, vt eum voluptate eum haberet, peccantem inde eiecit, vacuumque illum reliquit?

G Luc. 23. Non promisit Dominus latroni Paradisum terrestrē, sed gloriā.

H

Capvt XIX.

Beatus Moses primo libro scripsit in hanc sententiam: *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dixitque ei: De omnibus arboribus*

Cuiusmodi fuerint arbor scientiæ

A

entiæ boni & mali, quam interdixerat Adamo Deus & quæ sit ratio eius nominis.

Paradisi edendo edes: at de arbore scientiæ boni & mali ne edas: nam quo die de hac edes, mortem oppetes. Et paulo post: *Et accepit mulier de fructibus arboris, editque, ac dedit etiam viro suo, qui & ipse edit:* Hic tria se offerunt disquirenda, quorum primum est, cur arbor illa appellata sit scientiæ boni & mali: alterum, quid sit bonum, & quid malum: tertium, cuius generis fuerit illa arbor. Igitur quod ad primum attinet, hoc est, vocabuli rationem; dicimus minime appellatam esse arborem scientiæ boni & mali, quod ipsa esset prædita cognitione qua inter bonum & malum posset diiudicare, neque etiam quod ipsa eius rei scientiam in Adamum contulerit. Nam illiusmodi cognitionis expertem penitus fuisse arborem vel hinc intelligas, quod ne bruta quidem (nedum rationali) anima fuerit prædita: nam si bruta, mactanda primum fuisset vt cætera animantia, antequam de ea potuissent edere primi Parentes: Rationali vero omnino caruisse certissimum est, cum nulla facultate rebus pro arbitrio vtendi dotata fuerit, neque aliquam a Conditore legem acceperit, qualem ijs ille imposuit quæ ratione donauit. Quare si per neutram dictarum animarum viuebat arbor illa, colligitur neque scientiam in se vllam habuisse, qua bonum posset à malo discernere. Quod porro nullam ipsa cognitionem Adamo dederit, certum est, quandoquidem ille alioqui iam ante fuerat scientia boni malique ornatus: compositus enim erat ea anima rationali quæ boni malique iudicio pollet. Ad hoc, lex imperabatur Adamo, qualis non nisi ijs qui inter bonum & malum norunt discrimen, recte imponitur: nam alioqui (quod absit) habuisset ille quod de Deo quereretur, qui Legem sibi omnis prorsus iudicij experti præscripsisset. Insuper nisi illiusmodi scientia iam tum fuisset imbutus Adam, qui potuisset nomina animantibus indere? qui agnoscere Euam vxorem suam, atque de ea dicere; *Hoc iam os ex ossibus meis, & caro de carne mea?* &c. Denique diuinitatis desiderio tangebatur Adam, atque eius adipiscendæ causa de arbore illa gustabat: quare necessum est boni malique cognitionem in ipso fuisse; qui diuinitatis præstantiam dignitatemque intelligebat, eamque affectabat. Insuper condiderat ipsum Deus ad imaginem similitudinemque suam; & omnium quæ viuerent, absolutissimum fecerat. Eum vero qui talis à Deo fuerat conditus, quis neget, iudicio (hoc est, boni malique cognitione) dotatum fuisse? Nam quod Cacodæmonis fuit fraude seductus, non boni malique ignoratione euenit; sed quia suæ ipse cupiditati, pellectus, indulsit. Nam etiam nunc qui peccant, nequaquam vt omnis cognitionis vacui peccant, cur enim tales condemnarentur? sed à suo ipsorum affectu seducuntur. Postremo fieri non potuit vt arbor eo Adamum imbueret, quo ipsa carebat. Perficitur ergo ex ijs quæ adhuc dicta sunt, non ideo Arborem scientiæ boni & mali vocatam esse, quod vel vllam ipsa boni à malo distinguendi peritiam habuerit; vel Adamo de se edenti scientiam eiusmodi accommodauerit. Sed cur demum id nominis sortita sit prius quam expediamus, dicendum est; quid boni, quidque mali vocabulis sit intelligendum. Bonum igitur, est ipsa obedientia; malum vero, contrarium obedientiæ vitium, rebellio. Nam obedientiam bonum esse ostendunt illa Legis verba; *Diliges Dominum Deum tuum*; ex amore enim atque charitate, obedientia nascitur: est igitur bonum obedientia. Rursus malum esse rebellionem probant illa Dei verba, *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & profecti foderunt sibi fossas effractas quæ non possunt continere in se aquas.* Iam vero dicimus, arborem scientiæ boni & mali illam esse appellatam, quia per eam, reipsa facto periculo, Adamus agnouit bonum & malum. At enim dices, hinc colligi Adamum fuisse cariturum boni & mali cognitione, nisi de illa arbore gustasset. Sed respondemus, sciuisse quidem Adamum obedientiam bonum esse, & rebellionem malum, vt qui esset ad Dei similitudinem conditus, & ratione pollens, facultateque rerum quas animo concepisset, diiudicandarum: veruntamen id ipsum, post, per experientiam quoque rei didicisse, vbi contigisset atque gustasset vetitos fructus; sicut & Cain non ignorabat quidem rem malam esse homicidium, priusquam id perpetrasset, verum deinde clarius hoc ipsum per experientiam rei didicit homicidio admisso, cum fugaci mobilitate esset mulctatus. Quin & nos quoque nouimus ea quæ mala sunt, antequam mala designemus: verum vbi iam ipsa patrauimus, tum reipsa intelligimus mala esse; & quidem multo certius tum, cum meritam ob illa pœnam pendimus. Denique quemadmodum malum esse morbum non nescimus longe antequam ægrotamus, & tamen facto periculo hoc ipsum propius penitusque agnoscimus cum morbo vexamur: Et, vt sanitatem omnes norunt bonam esse etiam quando ea carent, cæterum vbi fruuntur sanitate, iam cuiusmodi & quantum bonum sit, per experientiam certius intelligunt: Ita & Adamus sciebat quidem antequam de vetita arbore gustasset, bonam esse obedientiam, malamque rebellionem; verum cum rebellasset, hoc ipsum experientia magistra rectius agnouit. Qua enim sententia de Paradisi bonis deiectus, atque in hanc damnatam terram relegatus est, eandem per periculum didicit quantum bonum esset obedientia, & quantum contra malum, rebellio. Igitur vocata est arbor scientiæ boni & mali quia Adamus per ipsam expertus est quid esset bonum & quid malum, atque reipsa agnouit obedientiam esse bonum, malum vero rebellionem. Sed enim, dicet aliquis, demus Adamum per illam arborem esse expertum quid bonum & quid malum esset, non proinde iusta ratio ea videtur, ob quam arbor ipsa scientiæ boni & mali vocaretur, quæ scientiam in se nullam haberet. Respondemus eum esse morem sacrarum litterarum, vt & locis & temporibus earum rerum accommodent nomina, quæ rebus ipsis in locis & temporibus illis euenientibus debentur. Sic Puteum quendam *iurgij* appellarunt, cum puteus non iurgasset sed de puteo ipso inter se contendissent Pastores. Et rursus alium Puteum iuramenti, non quasi ipse iuratus esset, sed quia de ipso facta fuerant iuramenta. Similiter Cumulum quendam lapidum vocarunt Cumulum testimonij, qui nullum potuit dicere testimonium; sed quia apud ipsum peracta fuerat contestatio inter Iacob & Laban. Denique Iacob, Beth el nominauit exercitum Dei, cum locus ipse haud esset exercitus Dei; verum quia in eo loco exercitum Dei ille vidisset. Ad eundem igitur modum arbor illa cognominata est scientiæ boni & mali, non quod ipsa vel in se talem scientiam habuerit aut eam in Adamo effecerit, qua hic iam ante pollebat; sed quia per eam arborem est ille reipsa expertus, atque (vt ita dicam) efficienter edoctus quid esset bonum & quid malum; quippe in ea arbore positum erat periculum & obedientiæ & rebellionis Adami, atque per eam clare agnouit ille boni malique rationem ipso re et effectu, didicitque quantum esset boni in obseruando Dei mandato positum, & quantum contra mali in præuaricando. Parere enim præcepto bonum; non parere, malum appellauit Scriptura. Hæc igitur de nominis ratione dicta satis sunto; iam reliquum est vt expendamus, cuius illa generis arbor fuerit. Sunt quidam qui existiment non fuisse arborem id de quo gustauit Adam, sed venereum amplexum quo cum Vxore ille corpus miscuit; eamque ob rem aiunt partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium: neque aliud sibi voluisse illud præceptum; Ne edatis de illa arbore; quam, Non coëatis sed sancte & absque omni Venere viuatis: Et; quo die de illa ederis, mortem moriemini; id esse quo die corpora miscebitis. Verum hanc sententiam minime veram esse vel id satis arguit quod integra virginitate potiti sint illi Paradiso. Censent ergo alij frumentum fuisse hanc arborem; atque ideo Christum quoque, suum corpus in pane dedisse, vt qua re contractum esset debitum, eadem & exsolueretur. Rursus alij vitem fuisse contendunt, & idcirco sanguinem suum dedisse Christum in vino pro expianda primorum Parentum noxa. Sed nos hæc vera non esse putamus: frumentum enim seges, non arbor dicitur, vt neque vitis. Igitur Philoxenus Mabugensis, Oratione de Arbore vitæ, & multi alij existimant ficum fuisse eam arborem; qua, cum esset Adamo interdictum, non abstinuit. Hinc sententiæ nos quoque

vt vero

Left margin notes:

B

Cum etiã nunc eorũ quæ de terra oriuntur vires sint maximæ sed efficacissimæ fuerit in mundi exordio cum puræ tunc & incorruptæ essent: Arboris illius fructũ quendam fuisse qui debebat, Adamo cognitionẽ naturæ suæ adferret, affirmat Nemesius c. 1. lib. de Natura hominis.

C

Gen. 2.

D

Obedientia ex amore nascitur. Ierem. 2.

Gen. 4.

Right margin notes:

E

F

Gen. 26. Gen. 21. Gen. 31.

Gen. 32.

G

H

Ipsæ species in Eucharistiæ sacramento vocantur sæpe panis & vinum apud Scriptores Ecclesiasticos.

A

vt vero similiori subscribimus. Credibile enim est simul atque de ea Arbore edissent, pudore correptos, ea eo quod proxime ad manum erat, subligacula sibi comparauisse quibus sua obuelarent pudenda: Ea vero ex ficulneis folijs fuisse facta testatur ipsa Scriptura. Neque enim simile veri potest existimari, ipsos prætermissa ea arbore quæ proxima erat, ad aliam longiuscule dissitam festinasse; ea cuius folijs concinnatis subligaculis suam contegerent nuditatem. Erat ergo Ficus Arbor illa scientiæ boni & mali; qua non vesci cum essent iussi, non paruerunt Edicto. Sunt tamen qui velint haudquaquam ficum fuisse, sed potius arborem quampiam noui generis atque inusitati, longe reliquis præstantiorem; cuius fructibus interdictum fuerit Adamo: idque hac colligunt ratione, quia peccarit Adam edendo & mulctatus sit: Nam vulgari (inquiunt) fructu, vescendo, neque peccauisset ille neque pœnam commeruisset. Verum ad hæc respondemus: Cum res aliqua lege prohibita est, non rei vel præstantiam dignitatemque vel vilitatem atque indignitatem, dum aut editur aut omittitur quidquam, referre aut ad peccatum aut ad iustitiam vel ad pœnam præmiumue, sed ipsam solam hic spectari obedientiam & rebellionem. Verbi causa: Diui Machabæi cum à porcina carne sese abstinerent, eamque ob rem plurima tolerarent mala, non ipsam spectabant suillam carnem eaque ceu vili & contemptibili cibo abstinebant: sed diuinum versabant animo præceptum, quod modis omnibus sibi obseruandum neque vllo pacto transiliendum statuebant. Et Martyres tormenta plurima sunt perpessi quia de Hostijs Deorum gustare recusabant; non quod cibi illios rationem haberent qui ex victimis parabatur, sed ne sua ipsorum aduersus Deum Conscientia polluerentur. Sic Diuus Paulus permittit nobis vt cibis nullo cum discrimine vescamur, tantisper dum quales sint ignoramus; verum conscios iubet abstinere, nimirum quia non in ipsis cibis sed in eorum qui his vescuntur Conscientia, res sita est. Itaque Adam non ex Arboris de qua gustauit, pretio dignitateue agnouit delictum suum, sed ex ipsa sua rebellione; punitusque est plane non pro gustati cibi natura, sed propter violatam Legem. Quippe in obseruanda aut violanda Lege, omnis iustitia consistit atque iniustitia; non autem in ea re de qua lex ipsa lata est. Fuit igitur Ficus arbor illa scientiæ boni & mali, de qua vescebatur Adamus. Hic rursus obijciet aliquis: Si mortem attulit Adæ gustata arbor, merito pro homicida, habenda, Deique hoste est; cum hic Adamum condiderit vitaque donârit, illa perdiderit & vitam eripuerit. Sed ad hoc facile respondetur, non arborem sed rebellionem attulisse mortem Adamo. Nam & in Lege scribitur; *Qui maledictum vsus fuerit in patrem aut matrem moriatur*: Nemo tamen dixerit ipsa maledicta, ei qui ipsis parentem insectatur, mortem infligere animamque eius à corpore diuellere: sed impietatem, illi esse mortis causam. Ad hoc, in Horeb, mors præstituebatur populo, quisquis oram montis Sinai contingeret: haud quaquam tamen existimandum est, à monte Sinai quenquam occisum esse, sed potius à præcepto violato. Denique si Rex aliquis, ciuitate hac aut illa, alicui sub supplicio capitali interdixerit accidat porro vt is ea ciuitate non abstineat, ac proinde capite puniatur à Rege; quis illum duxerit à ciuitate interfectum esse, ac non potius sua ipsum rebellione perijsse? Neque vero Manna Israëlitarum, quod Sabbati nocte seruatum non putrescebat, reliquis vero noctibus corrumpebatur; vel ipsa Sabbati non seruabat, vel cæteræ perdebant: sed ea obseruato violatoque præcepto res tota pendebat. Non igitur Adamo vel Arbor, vel gustatus fructus mortem peperit, sed ipsa rebellio.

Gen. 3.

Vnde sit peccatum cum prohibita comedimus.

B

D. Machabæi. 2. Mach. 6. & 7. Leuit. 11. Deut. 14.

1. Cor. 10.

C

Iustitia & iniustitia humana in quo cōsistit.

Exod. 21.

Exod. 19

D

Exod. 16. Num. 11. Deut. 8.

Cæterum Philoxenus Mabugensis in ea est sententia, vt potet neque arborem illam fructumue gustatum attulisse mortem primis Parentibus: Si enim, inquit, esca sic illos enecasset vt herbæ letales solent interimere eos à quibus vorantur: soli illi, vel tum cum vescebantur, vel post oppetiuissent mortem. Neque rursus ob solam rebellionem illos mortem incurrisse: quandoquidem David tribus modis præuaricatus, per adulterium, per iram, per homicidium, non tamen punitus est, sed delictorum gratiam à Deo consecutus; verum diuinitatis affectationem fuisse illis causam mortis. Simulatque enim (inquit) ad Euam dixisset Serpens: *Eritis sicut dij, scientes boni & mali*: si de illa arbore gustaueritis: è vestigio illa, maxima cum auiditate, accepto fructu vescebatur: quare existimandum non est, cibi illius sapore illectam Euam violasse imperium Dei, sed quod speraret se Deam fore, Diuinitatemque affectaret, & ipsam edisse & viro porrexisse. Sed neque Adamum aut fructu ciboque illo inescatum transiluisse præceptum, cum essent in Paradiso plurimæ arbores aliæ quibus cibi libidinem (si ea, ipsum, tanta tenuisset) exsatiare potuisset, aut omnino vllius escæ gratia, spreto atque neglecto Deo conditore suo, obtemperauisse insidioso Dæmoni: sed perculsum etiam ipsum Diuinitatis ambitione præuaricatum esse, deque vetita arbore edisse. Nisi enim illa affectione perturbatum animum habuisset, inquit, facile hæc atque huiusmodi alia opposuisset vxori argumenta: Cur non Serpens qui nobis Diuinitatem ea arbore gustata promittit, ipse prior edit, Deusque euasit? iam vero neque te, vt edisti, Deam factam video: qui possim ergo ipse Diuinitatem sperare si edam? Et, qui valeat arbor quæ etiam spiritu caret, Deos efficere qui se vescantur? quasi vero suum ipsa superet effectorem! Verum nihil tale respondit ille Vxori, neque cum ipsa, est ea de re argumentatus: nimirum qui etiam ipse diuinitatis cupidine victus per vecordiam tenebatur. Efficitur itaque, neque Arborem arborisue fructum vel escam, neque rebellionem attulisse primis nostris Parentibus exitium: sed ipsum eorum animum quo præuaricabantur, hoc est, ipsam Diuinitatis ambitionem. Nam eadem ambitione Diabolus quoque cum suis copijs deliquit: dicebat enim, *Ponam sedem meam supra stellas Dei, & ero similis Altissimo*: atque ob hoc ipsum peccatum cœlo deturbati præcipitatique sunt illi:

Peccatum primorū Parentum quale fuerit.

E

Gen. 3.

Peccatum Euæ.

Peccatum Adæ.

F

Isa. 14.

Hactenus Philoxenus. Sed nos dicimus, Ipsam præuaricationem fuisse causam mortis Adamo; idque duabus rationibus comprobamus, quarum ex Dei verbo sumpta hæc est: Dicebat enim Deus Adamo: *quo die comederis tu de arbore, mortem oppetes*. Altera hæc est: Si Diuinitatis spe oblata, dæmon non quiuisset Adamum atque Euam seducere, proculdubio immortalitate promissa impulisset ad præuaricandum: atque ita quouis tandem modo, illi incidissent in mortem violato Dei imperio, quam ipse fuerat eis comminatus: Fregisse ergo præceptum Dei, fuit ipsis exitij causa. Sed cur, inquiunt, imposuit Deus Adamo Legem, quam præsciebat ipsum non esse obseruaturum? Profecto nisi lex illi fuisset data, in multo maius malum incidisset, quam incidit Satan: præsertim cum in tam regali versaretur palatio, ipso Paradiso omnibus delitiis affluente, imperata est ergo illi lex cui non erat obsecundaturus, ne in maius malum prolaberetur, quam data Lege ruit. Sunt vero aliæ complures rationes præscribendæ illius Legis: quas, volente Deo, post sumus explicaturi.

G

Cur Adamo peccaturo, lex à Deo posita fuerit.

H

Verum enim vero quærat aliquis, cur Adami peccatum quod quidem non videbatur grauissimum, durissima sit pœna consecuta, ipsa mors. Huic primo respondemus, maius illum admisisse flagitium, quam pependisse pœnam: multiplici enim noxarum genere rebellio illa constabat, inscientia, errore, superbia, incredulitate, calumnia, contemptu denique. Inscientia quidem, quia iumentis, bestijsque similis euasit, qui alioqui sapientia atque ratione pollebat. Errore vero, quippe insidiosi Impostoris sui verbis seductus est. Superbia quoque, nam Diuinitatem affectabat. Insuper incredulitate, non credebat enim euentura ea quæ sibi suus Conditor Deus erat interminatus. Calumnia denique, vt quibus ille suum est insectatus Parentem. Postremo etiam contemptu: nam imperatam sibi legem vilipendit, spreuit, neglexit. Neque enim sceleris illius existimatione spectandus est cibus quem sumpsit, sed quod spreto suo effectore Deo, huius iussa violarit: contra vero insidiosi Hostis sui verba ma-

Peccatum primi parentis grauius pœna illi inflicta.

Peccatum primi Parentis quā graue fuerit & multiplex.

gni fe-

A

gni fecerit; id vero in rationem vocandum est, inde flagitium. Illud magnum fuit & grauissima pœna piandum non in Adæ caput solum, sed omnem prorsus posteritatem propagata. Sicut & *Esau*, qui (vt ait Apostolus) *non inuenit locum pœnitentiæ*: non sane, quia rem quampiam inusitatam comedisset (lentes enim modo ederat) sed quod esset suæ obsecundatus cupiditati, auctoremque suum Deum contempsisset.

CAPVT XX.

Gen. 2. Quæ fuerit Arbor illa vitæ in medio Paradiso, & cur vitæ Arbor sit vocata.

Scriptum est in libro Geneseos; *Et procreauerat Dominus Deus è terra omnem arborem visu appetibilem, & in cibum pulchram; ipsam etiam arborem vitæ in medio Paradiso, & arborem scientiæ boni & mali, &c.* De arbore scientiæ boni & mali satis à nobis iam dictum est; superest igitur vt de Arbore vitæ nunc disseramus, de qua duo hæc veniunt disquirenda: cur vitæ Arbor vocetur, & cuiusmodi arbor ipsa sit. Sunt autem qui ideo Vitæ Arborem appellatam putent quod ea esset ipsius conditio atque natura vt vitam immortalem ijs conciliaret qui se vescerentur: enim vero hi Arborem Scientiæ boni & mali, pari quoque ratione dictam volunt, quia cognitionem boni malique ijs pareret qui ipsam ederent, cibumque ex ea caperent; nam Deum, per eum cibum qui ex illa arbore esset, in animas eorum qui illo alerentur, vim quandam efficaciamque indere Diuinam, à cæteris animæ viribus diuersam; sicut carnis ac vitalia est in humano corpore efficientia, alia leguminum: quæ vis diuina efficacitasque bonum à malo secernat. Eadem igitur etiam ratione Arborem vitæ vocatam, quia vitam immortalem suppeditaret ijs qui ex ipsa cibum nutrimentumque caperent, idque diuina quapiam efficientia. Hanc sententiam firmat Numysios Philosophus Christianus sic scribens: *En Adam euasit qualis vnus è nobis ad cognoscendum bonum & malum; Ne igitur extendat manum suam & sumat de Arbore Vitæ, vescaturque, & viuat perpetuo.* Non hæc dicebat Deus per odium atque inuidiam; sed quia indignus esset Adamus qui vitam sempiternam consequeretur, quippe contra quem iam ante lata fuerat sententia; *In puluerem reuerteris.* Semouit itaque illum ab Arbore vitæ, ne de illa cibum sumeret: qui cibus Diuino decreto illi esset aduersus. Hæc ille Philosophus, quibus satis innuit existimare se, eiusmodi fuisse eam Arborem vt vitam daret ijs qui ipsam gustarent. Dominus vero Iacobus Sarugensis Oratione sua de eiecto Adamo ex Paradiso, dicit fieri posse vt Arbor illa vitam allatura fuerit immortalem Adamo si de ea edisset, propterea quod mysterium Christi in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipsius fructus ramique pollerent, cum Christus ipse suapte natura vita sit, ac vbicumque ille adest in propinquo, illinc longe absit mors. Et vero hanc sententiam ait Philoxenus Mabugensis se nolle oppugnare, cum credat Deo omnia esse factu facilia. Cæterum alij Doctores quos nos libentius sequimur, aiunt, haud ideo quod vitam ipsa conciliaret vescentibus, vocatam esse vitæ Arborem (perinde enim rudis ac stulti ingenij esse, existimare arborem vllam boni malique cognitionem largiri posse ijs à quibus ederetur: & esse Arborem, qua si vescare euadas immortalis) sed ob id, hoc illi nomen à Deo datum esse, quo Adamus ad parendum præscriptæ sibi Legi animaretur. Nam cum soleat quæuis lex duabus fere muniri rebus: pœnæ scilicet denuntiatione, & præmij pollicitatione: quarum illa præuaricationem, hæc obseruationem comitetur (neque enim minus deberi videtur præmium ijs qui obtemperant, quam mulcta ijs qui rebellant) lataque à Deo lex esset, ne Adam de ea arbore quæ scientiæ boni & mali dicebatur, gustaret, & præuaricanti pœna prostituta ipsa mors: *qua enim die,* inquit, *de illa ederis, mortem obibis*: reliquum erat, vt præmium etiam promitteretur, obseruanti Legem. Itaque Deus commonstrata alia arbore quæ in meditullio Paradisi sata, magno extabat insignis decore: vitæ eam appellauit, quasi diceret: Si ab illa Arbore scientiæ boni & mali te continueris, Legique meæ obtemperaueris, en tibi Arborem vitæ de qua edes, viuesque in perpetuum. Pro cohortando igitur Adamo ad obsequendum Legi, vocata est Arbor illa, Vitæ Arbor; vt quantum mortis nomine à rebellando deterreretur, tantum vitæ vocabulo ad parendum impelleretur; eaque gratia, præmium quoque plane ex aduerso pœnæ responderet, & vita morti. Hanc sententiam probat etiam diuus Seuerus Oratione XXXIII. de Epithronio, vbi de Cruce Christi loquens ait: Altera vero illa (Vitæ Arborem dico) gloriam Adæ paritura erat, nisi ille intempestiui cupidine cibi victus, non paruisset edicto, &c. At enim quæret aliquis; cur non potius regnum, aut incorrupta immutabilisque conditio vitæ promissa sit Adæ, si foret morigerus. Sed respondemus, capacem illum perfectæ disciplinæ, simul atque conditus erat, esse non potuisse. Si enim post vulgatam illam Legis & Prophetarum doctrinam, Iudæorum quidam in Sadducæorum, vt vocant, sectam prolapsi sunt, mortuorumque Resurrectionem & alia sana dogmata negarunt: quanto magis existimandum fuerit, Adamum in ipso statim Creationis suæ rudimento incapacem fuisse absolutæ illius doctrinæ qua persuaderi quiuisset, manere aliquod sublime præmium eos qui Deum amarent, præceptorumque eius obseruantes essent; ipsum nempe cœleste regnum? Profecto vt filios nostros quos tenellos ad ludum litterarium mittimus erudiendos, quia ingenio adhuc rudi sunt, & nondum absoluto, non huiuscemodi verbis prosequimur: I, da operam litteris, vt in virum prudentem atque doctum, & popularium tuorum primatem euadas: sed meris blanditijs ad frequentandum ludum discendasque litteras cohortamur, & inducimus: ita Adamo quoque, Deus, recens à se condito Legem præscribebat, per quam se reuereri disceret; eamque Legem si transiliret, mortem denunciabat: sin obseruaret, concessurum se ipsi promittebat Arborem Vitæ; de qua vbi gustasset, adeptus immortalitatem victurus esset vitam sempiternam. Non ergo rudi adhuc & indocili homini dicebat: Daturus sum tibi iussibus meis parenti, cœleste regnum; sed Arborem velut digito ostendebat amœna specie appetibilem, fructuque comptam suo, quam vitæ Arborem vocabat, moriger oque illi promittebat fore vt ea vesceretur & euaderet immortalis. Neque est quod quis hæc miretur in Adamo, quando ipsis etiam Iudæis post omnifaria Legis præcepta atque instituta, non cœleste regnum à Deo promissum est si dictis eius obsecundarent; sed terra lacte melleque affluens, & arborum fructuumque ferax, quales sunt mali punicæ, oleæ, palmæ, &c. Quid igitur mirum si Adamo, cui nuper adeo legem imposuerat, edulem Arborem ostendit, quam Vitæ appellauit, ea promissione adiecta, vt si in obsequio duraret, hac gustata euaderet immortalis? Igitur ex ijs quæ iam dicta sunt, clarum est, ideo vitæ nomen à Deo Arbori illi esse inditum vt eo non minus Adamum ad obseruandam iam tum præscriptam à se Legem animaret atque propensum redderet, quam paulo ante mortis nomine à rebellando deterruerat. Sed hæc de nominis ratione satis sunto. Quod porro restat, cuius ea Arbor generis fuerit, neminem adhuc Doctorum omnium legimus qui qualis reipsa atque adeo corporis habitu fuerit, explicant; nam qui mystice interpretarentur, inuenimus complures: & nos quoque Deo freti, quando in Operis huius progressu Paradisum figurate explicabimus, ea quæ ad arcana huius Arboris sensa spectant, exponemus. Ingenue igitur fatemur nondum didicisse nos qualisnam arbor fuerit quæ Vitæ vocabatur, interim corporatam reuera extitisse certo persuasi sumus, ipsumque vocabulum ex Creationis libro didicimus, quod pro incitando Adamo ad obedientiam datum illi esse iam demonstrauimus: verum speciem ipsam, & fructus quales fuerint, quibusque compta fuerit frondibus, nondum discendo sumus assecuti.

B

Arbor vitæ & Scientiæ, vnde sic appellata sit.

Numysius Philosophus. *Gen. 3.*

C

D

Arbor vitæ.

Legis duo munimina.

E

Fallitur Barcepha. Nam vera Theologia docet Adamum conditum à Deo in

F

statu perfectarum scientiarũ & cognitionum tam naturaliũ, quam supernaturalium, quæ principem & caput humani generis decebat S. Th. 1. p. q. 94 art. 3.

Præmium obseruationis Præceptorum Dei.

G

Pueri quomodo ad studia impelliendi.

Exod. 3. 13. & 33. Num. 13. & 16. Leuit. 20.

H

Arbor vitæ qualis vel quæ fuerit, nondum constat.

A

Capvt XXI.

De fluuio qui Paradisum rigabat, & de quatuor fluuijs qui ex illo diriuabantur Diuus Moses. Gen. 2. Paradisus erat pars Eden.

Porro de flumine quod Paradisum irrigat, hæc scripta nobis reliquit diuus Moses. *Et flumen egrediebatur ex Edem ad irrigãdum Paradisum, atque inde diuisum euasit in quatuor capita.* Est autem à nobis iam dictum capite 16. Eden esse regionem spaciosam, amplam, amœnam, variam. Paradisum vero locum esse, pulchris, fructuosis, præstantibus, laudabilibusque arboribus, præ quibusuis aliis in tota Eden locis ornatum: Paradisum enim eius regionis quæ Eden dicitur, partem esse inter alias omnes præstantissimam, laudabilissimam, atque cultoribus suis commodissimam. Igitur illud flumen reuera ingens, amplum, copiosum, insigne, ex terra Eden scaturiens atque promanans, in medium penetrat Paradisum; eumque vniuersum irrigat: quo perluto, finditur in quatuor deinde fluuios, & ipsos grandes; qui ab illo diducti,

B

Flumina Paradisi fluere sub Oceano.

simul atque Paradisum reliquère, sub ipsa Maris Oceani vada delabuntur, atque inde rursus in hac à nobis habitata emergunt terra. Neque vero hæc nobis ipsi fingimus, sed tanquam Mosis Prophetæ verbis consentanea pronunciamus, quæ sancto Spiritu auctore scripta sunt. Nam flumen illud ex terra Eden originem ducere, atque profluere his verbis affirmat: *Flumen egrediebatur ex Eden.* Rursus quod Paradisum perluat atque irriget, his: *Ad irrigandum Paradisum.* Præterea deriuationem illam quam ingentes fluuios fieri diximus, irrigato iam tum Paradiso; hæc verba significant: *Et illinc finditur, & euadit in 4. capita*: denique cum addit Moses vnius fluuij nomen esse Phison, eumque circuire vniuersam terram Heuila, alterius vero Gehon, qui peruadat totam regionem Æthiopiæ, tertium porro Diclat appellari, eumque contra Attur ire; denique quartum vocari Euphratem: satis indicat quatuor eos fluuios postea quam Paradisum reliquerunt, sub terram delapsos, tandem in hoc à nobis

C

De fluxu 4. fluminum è Paradiso.

culto Orbe prorumpere, scaturireque. Ea igitur quæ tum de vno illo flumine, tum de quatuor aliis ab illo deriuatis diximus cum Mosis diuini hominis sententia congruunt. Sed vrgebit aliquis: Qui possit fieri vt quatuor illi fluuij Paradiso egressi præcipitentur sub Oceani vada, atque inde tandem in hac nostra terra erumpant? Huic primo respondemus, ea quæ à nobis fieri non posse

Deo facilia, sunt nobis difficilia.

existimantur, facilia esse Deo: illum vero quem diximus quatuor fluuiorum cursum, atque eius generis alia, diuinum esse opus non humanum. Deinde hoc quoque responsum volumus, Paradisum multo sublimiore positum esse regione, atque hæc nostra exstet terra; eoque fieri vt illinc per præcipitium delabantur fluuij tanto cum impetu, quantum verbis exprimere non possis; eoque impetu impulsi, pressique sub Oceani vada rapiantur, vnde rursus prosiliant ebulliantque in hoc à

Aquarum ducendarũ modus.

nobis culto Orbe. Nam qui aquas in sublime ducere, atque ex altis erectisque canalibus velut siphonibus profundere laborant, ij ex longo interuallo Cataractam

D

siue præcipitium ipsis quoddam alta decauitate abruptum atque difficile comparant, per quod deturbatæ magno cum impetu sub terram condantur: sub qua postquam coactæ, atque suo ipsarum impetu pressæ aliquousque fluxere, tandem per canales illos magna vi qua ex præcipiti illo casu vrgentur, sursum emicant. Hæc ita se habere Dominus etiam Ephræm, & cum eo Doctores alij affirmant: quare nos quoque libenter assentimur. Cæterum quod ad saporem spectat, idemne illis aquis maneat apud nos, qui fuerat in Paradiso, an minime: nos pronunciare non dubitamus, in Paradiso esse gustatu gratissimas, suauissimasque, inde autem progressas, plurimum suauitatis amittere, acredinis vero contrahere, cum illud Paradisi solum læta Dei precatione beatum & felix sit; at hoc nostrum contra execratione infelix & triste. Quantum igitur interest inter eum fontem cui benedicunt omnes, & eum quem nemo non detestatur; tantum differt suauitate atque amœnitate, illorum fluuiorum sapor quem in Paradiso, ab eo quem apud nos obtinent. Nam si nostrates aquæ, vnius eiusdemque

E

Aquarum gustus ex soli natura cõtrahitur.

naturæ cum sint, pro soli indole per quod fluunt, dulciores, amariores, insulsiores, salsiores euadunt; cur non existimabimus illos quoque fluuios tantisper dum per beatissimum ac fœlicissimum locum Paradisum fluunt, iucundissimo atque suauissimo sapore esse; in hoc vero execrabilis nostræ tractu terræ de illa suauitate plurimum remittere? Porro beatus Moses & nomina illorum quatuor fluuiorum, & loca per quæ feruntur, aliaque eodem spectantia diserte explicauit, vt quæ illa ætate non ignota essent: ait enim, *Nomen vnius Phison, qui perlabitur vniuersam terram Hauila; illic est aurum, & eius regionis aurum præstans est; illic Bedolach, gemmaque Beryllis*: quasi dicat; Vnus illorum quatuor fluuiorum Phison vocatur, qui vbi ab ingenti illo flumine medium perluente Paradisum deriuatus est, atque in terram sub Oceani vada se recepit, rursus prosilit, emicat, scaturitque in occidua Mundi regione, vnde Septentrionalem petens, totam Indorum ditionem alluit, (hæc enim Hauilæ nomine significatur) ac tandem in Mare desinit. Græce Phison * Dijobis vocatur. Ferunt autem pleramque ripæ huius fluuij arenam, atque etiam aluei, præstante auro abundare, & gemmis pretiosis; nam vox Hebræa, *Bedolah*. Margaritas significat. Secundi fluuij nomen est Gehon, is peragrat vniuersam terram Chus, id est, Æthiopiæ: Hic à nonnullis etiam * Sichor appellatus Græci, Nilum vocant: qui à magno flumine digressus, atque sub Maris fundum delapsus, prosilit tandem ebulitque in plaga meridionali, atq; vniuersam Æthiopum regionem peragrãs, demum in Adriam * exoneratur; quod Mare, Ægypti fines alluit. Tertius fluuius Diclat, hoc est, Tigris, contra * Attur fluit. Quartus est Perath, id est, Euphrates. Et hi quoque duo, ab illo grandiore diducti, & sub Mare mersi prodeunt tandem in medio hoc nostro Orbe vicinis inter se fontibus perluitque Diclat Orientalem Mesopotamiæ regionem; quem, vt Perath tractu vicino aliquamdiu comitatus est, labuntur ambo in magnum Mare australe * Buitæ.

* Vnde hoc nomen habeat nescire me fateor: infra sũt habet Dijabis. Cap. 28.

* Sichor vox est Hebraica significans nigrum ac turbidum: Quod aũt Nilus etiã

F

à veteribus μέλας dictus sit testatur Plutarchus libello de fluminib.

* Melius, in Mediterraneum Cap. 28.

* Aticur, infra.

Tria loca pro Adamo cognita a Deo.

Tygrin et hodie Syri Diclat vulgo vocant. Et Plinius

G

affine vocabulo, Diglitum appellatum memorat, qua lenior fluit, lib 6 Cap 27.

* Bosram aiunt Syo vrbem esse ad sinum Persicum, Aloqui. Amos 1 in Idumæa recenseretur, Et apud Ieremiam. c. 48 in Moabitide.

Capvt XXII.

Solent quidam percontari, quid Adamo Euæque futurum fuisset, si impositam sibi à Deo Legem in Paradiso non fregissent. His respondemus, subuehendos fuisse ex Paradiso supra hoc cœli firmamentum quod supra nos positum intuemur, atque in cœlesti regno voluptate incredibili, & immortalitate prorsus beandos; hoc enim præmij atque pretij pro obseruata lege dandum illis fuisse. Tria enim loca condiderat pro Adamo, Deus; Cœlum, Paradisum, & hanc quæ extra Paradisum est, terram: idque hac iustissima ratione scilicet vt illum à se effectum oblectaret in Paradiso, simul & periculum faceret, morigerusne foret in obseruanda Lege, an rebellis: & morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cœleste, in quo ex Paradiso sustolleretur, vt ibi omnis expers mortalitatis in summa voluptate vitam agitaret; rebellis vero atque præuaricator, è Paradiso in hanc maledictam terram detruderetur. Nam &

H

Angeli iussa peragunt, diuinæque voluntati obsequentes sunt, non absque spe præmij quod ipsis dabitur post generalem mortalium Resurrectionem: igitur si Angeli ea cum spe, Dei cultum exequuntur: Adam quoque atque Eua cum omni sua posteritate Legi diuinæ in Paradiso hac spe paruissent, virtutemque excoluissent, quod inde ad cœli regnum essent euehendi. Efficitur ergo vt quemadmodum abiecti sunt in hanc detestabilem terram propter suum peccatum legemque Dei violatam, ita si Legis obseruãtes mansissent, futurum fuisse, vt cœleste regnum conscenderent, atque ibi in deliciis perpetuum degerent æuum. Hæc ita esse testatur Gregorius Theologus ex Oratione quam scripsit in Dominicam nouam, his verbis: Si mansissemus id quod eramus, Legemque Dei obseruassemus, id facti essemus quod non fueramus, per accessum immortalitatem ad lignum vitæ post lignum scientiæ: Sed quid facti? facti immortales, atque ad Deum propius admissi. Philuaenus præterea Oratione de con-

Caute lege, nihil enim præmij esse in alus Angelis obueniet ante et etiam post generalem hominum resurrectionem, nisi stãtum ac cidentale. Vide Sixtum lib. 5. Biblio. annot. 146.

tem

A templatione ligni Vitæ sic scribit : Deus non solum per naturæ instinctum & Scripturæ auctoritatem docit nos in agnitionem mysteriorum Crucis, sed per ipsum etiam quem conseruit Paradisum, quæ prima fuit generis nostri habitatio. Nam vt Angelorum sedes est Cœlum; dæmonum vero post ipsorum casum, aer (nimirum medio positus loco) insuper animantium brutorum & hominum post violatam Legem, hæc terra in qua nunc versamur; denique piscium & natatilium omnium, aquæ; postremo Animæ, corpus in quod primum est inspirata: sic quoque destinatus fuerat Paradisus vt esset hominum, prius quam peccassent, domicilium. Cum porro in eo leue atque obseruatu facile mandatum accepisset Adamus; eui si paruisset, in cœlum illinc euehendus erat : illo spreto, Deique neglecto verbo, non modo caruit Cœlo, quod sibi alioqui cum incorporeis illis Copijs commune futurum fuisset; verum etiam Paradiso, qui B medius erat locus, per ignominiam deiectus est in hanc terram peccato obnoxiam, vt in ea cum brutis pecudibus versaretur. Præterea Dominus Ioannes Oratione contra eos qui Mundum gubernari à dæmonibus putant, scriptum reliquit in hanc sententiam : Si eijciendus erat Adam de Paradiso; cur ab initio donatus est à Deo, Paradiso? nostra certe caussa hæc ita euenire oportebat. Nam si primi illi Parentes nostri cauissent sibi atque Dominum suum agnouissent, eiusque paruissent iussis, & animi modestiam humilitatemque retinuissent; nequaquam amisissent id quo præditi fuerant, decus atque ornamentum. Denique Dominus Iacobus Botnanensis, Oratione de eiecto Adamo extra Paradisum, hæc scripta reliquit : Condiderat Deus Adamum, non quo Paradiso pelleret; sed vt Paradisum veluti iure hæreditario possideret, in eoque dominaretur, eo hominem finxerat; quippe cuius gratia etiam Mundum ipsum creauerat : quamobrem simul atque conditus est, incolere Paradisum cœpit, quando adhuc nulla Nuptiarum mentio erat. Tum mox subijcit : Et vt in Paradiso, ita in C Cœlo quoque victuri erant in suauissima cum Deo consuetudine, atque familiaritate; &c. Colligitur itaque ex his sanctorum Patrum atque probatorum Auctorum dictis, Adamum & Euam, si mandati diuini obseruantes mansissent neque deliquissent sustollendos fuisse in cœleste Regnum supra Firmamentum vbi prorsus immortalitate donati, in sempiterna vixissent voluptate. Quin hoc ipsum rationi, æquæ certè, consentaneum est : vt enim propter violatæ legis peccatum Paradiso eliminati sunt, atque in hanc maledictam detrusi terram; ita si diuinis iussis obtemperauissent, eoque iusti effecti fuissent, hoc erant præmio afficiendi; scilicet vt ex Paradiso in cœleste regnum emigrarent, quod inde ab Orbe condito ipsis fuerat paratum, vt ait Dominus, ad Adæ & Euæ posteritatem.

Capvt. XXIII.

D

Matt 25. Quamdiu in Paradiso mansissent priusquam ad cœleste regnū traducēdi fuissent, si nō deliquissēt primi Parentes.

Sed iam quæstio oritur de temporis spatio quantisper scilicet in Paradiso fuissent commoraturi primi nostri Parentes, antequam ad cœleste regnum emigrassent, si paruissent diuinæ Legi : Tantisper sane dum pro diuina benedictione, *Crescite & multiplicamini*, aucti prole atque multiplicati homines numerum æquassent Satanæ & exitium Copiarum quæ cum ipso exciderant Cœlo. Eo enim numero expleto, qui numerus in Dei cognitione fuit definitus, elapsoque iam tum iusto tempore, traducturus erat ipsos Deus in Regnum cœleste. Eius enim rei gratia tam spaciosum, amplum, capacem condiderat Paradisum, vt vniuersæ posteritati Adæ satis in ipso esset loci ad morandum. In hac etiam sententia est Gregorius Theologus, dum ait, Mundum superiorem expleri debere: Vocat enim Mundum superiorem, ipsas cœlestes Copias, quarum numerum, Diaboli & eius sociorum casu diminutum, censet instaurandum esse atque supplendum, ascitis totidem in illorum qui excidêre locum; hoc est, traductis in cœleste regnum hominibus. Gregorius quoque Nycænus commentario de compositione Hominis, capit. 18. ad hunc modum scribit: Sed modus ille multiplicandi qui in Angelorum natura est, in ijs etiam qui paulum diminuti sunt ab Angelis (hoc est, in hominibus) viam suam exercuisset ad multiplicandum genus humanum vsque ad definitum Opificis consilio numerum.

E

Adamum & Euā non solos in paradiso māsuros fuisse sed sobole multa augendos, si mādatū Dei non violassent. Caute lege hoc caput, nam dissonat à communi sensu theologorum docentium in

Capvt XXIV.

Solent porro hoc etiam quærere, qui rerum cognoscendarum desiderio tenentur; fuissentne primi Parentes soli in Paradiso moraturi, si Legem obseruassent; an vero sobole procreata nihilominus creuissent numero homines: Quibus responsum volumus generaturos, maximoq; numero multiplicandus fuisse: idq; vel ex ipsa benedictione qua ipsos prosecutus fuerat Deus, constare, cum diceret; *Crescite & multiplicamini, terrámque replete & eam subigite.* Ea enim verba cum simul cum fausta precatione mandatum contineant; quis ambigat, quin Dei & apprecatio & mandatum prorsus præstanda fuerint? Conficitur itaque, Adamum & Euam sobolem numerosam propagaturos fuisse; neque solos illos Paradisum habitaturos, si obedientes mansissent.

F

statu innocentiæ futuram fuisse hominum generationem per commixtionē maris & fœminæ. Vide S. Tho. 1. p q. 98. art. 2. eiusque interpretes Bānez, Cumel, Valētiam, Molinam, & Sixtum Senen. lib 5. Bibl. annot. 20.

Capvt XXV.

Cæterum, quod quæri solet, per Venereumne complexum, operam liberis gignendis daturi fuissent homines in Paradiso, an absque nuptijs: dicimus, vt ipsa nostra natura arcano conditoris sui Dei consilio scite fœcundatur, augetur, multiplicatur; ita vniuersum quoque humanum genus fœcondandum, augendum, multiplicandum fuisse, & quidem absque concubitu. Nam & Angeli multi euaserunt quidem, sed absque nuptijs: & Adam atque Eua sine Venere nati fuerant: ad hoc, etiam nunc videre est multa animalium genera absque coitu propagari; quale est Vermium genus, & Culicum, aliaque complura. Hanc sententiam adprobat quoque Gregorius Nysæus Commentarij de hominis compositione, capit. 18. inquiens : Aiunt quidam, si nullus fuisset in Paradiso complexus, humanas animas in magno numero futuras non fuisse. Nos vero dicimus, hominem ante peccatum admissum, quasi Angelum fuisse, sed per peccatum ruisse; ipsa enim Resurrectio, reditus est ad pristinam conditionem : ergo si post Resurrectionem erimus veluti Angeli : consequitur tales quoque fuisse ante peccatum. Atqui Angeli non iunguntur amplexu : ergo neque homines iuncti fuissent nisi peccassent : sed sicut Angeli absque nuptijs millies mille sunt, & myriades myriadum numero superant; ita nos quoque, nisi Angelicus ille status in nobis mutatus fuisset, connubio ad nostri multiplicationem minime opus habuissemus, sed idem ille modus quo Angelorum natura multiplicata est, In humano genere quod *Paululum ab Angelis minutum est*, efficax fuisset, vt ad eum augesceret numerum qui Dei consilio definitus erat. Quod si quis vero quærat procreandarum animarum absque Nuptijs rationem modumque; is vicissim nobis dicat, quo subsistant modo Angeli : sic enim homines sine complexu fuissent multiplicati vt Angeli. Idem Nysæus capit. 14. eius Operis sic habet : Si me interrogaueris, quî potuissent tot hominum millia procreari, si concubitus nullus fuisset, ego mutuom ex te petam, quî sit prognatus Adam; qui Eua, quando nullæ interuenerant nuptiæ! Quid ergo? ad eumne modum quo illi sunt effecti, nascituri erant deinceps omnes mortales? Sane genituræ modus talisne an alius fuerit futurus, id iam mihi non est explicandum : hoc enim modo quæritur, connubione opus fuisset Deo ad humanum genus multiplicandum in terris, an minime. Hactenus ea Nysæo. Sed & Dominus Iacobus de Botnam; Ex quibus (inquit) quæso Nuptijs editus est Adam? quos passus ipse dolores vt Euam pareret? Millies Angelorum millia stant coram Deo, nec tamen eorum vllus vtero gestatus, aut grauida aluo cum doloribus in lucem editus est: multo ergo magis existiman-

G

Propagationē sine Venere, Exempla. Nysēi Cōmēt. de hominis cōpositione.

Luc. 20.

Psal. 8. *Gen 15.*

H

A

stimandum est opificem Deum, homines absque nuptijs procreatorum fuisse sicut primos quoque illos Parentes, è quibus vniuersa hæc generis humani posteritas nata est, procreauit. Et paulo inferius: Quid ergo? dicito mihi; Abrahamo profuitne concubitus ad procreandam sobolem? minime sane: quippe qui tot annis operam frustra huic dedisset, hisce apud Deum verbis etiam tum vsus est: *Domine quid mihi daturus es qui liberis careo?* Igitur vt tunc ex mortuo effœti senis illius corpore edidit Deus tam multa hominum millia: Ita si inde ab initio Dei præceptis acquieuissent Adamus vxorque Eua, atque ab arbore appetenda se abstinuissent; non defuisset Deo fœcundandi generis humani ratio. Conficitur ergo ex iis quæ adhuc dicta sunt, homines in Paradiso absque vllo nuptiali complexu rei ipsa fœtificaturos fuisse, sed eo modo quem solus opifex Deus nouit.

Qua voluptate adfecti fuissent Adam & Eua in Paradiso cum omni sua posteritate si non deliquissent.

B

CAPVT XXVI.

Sicut autem absque concubitu fuissent prognati, auctique numero homines in Paradiso, ita in vera voluptate, atque infinitis partibus maiore quam est ea qua hodie mortales fruuntur maxima, illic ætatem agitassent, vtpote omnis laboris, perturbationis, molestiæ, doloris, morbi denique atque ægritudinis expertes. Edissent enim de Paradisi arboribus, & suauissimum ex maximo illo dulcissimoque Paradisi flumine potum bibissent absque omni inter se dissidio, rixaue; qualem Angeli ipsi, & qualem Adamus cum Eua ante factam Legem, vitam viuentes in perfecta pace, Charitate, concordia. Quippe his quibus iam mortales fruimur voluptatibus, sua cuique, molestia cohæret; veluti cibo largiori, cruditatis malum, potui copiosiori, nausea; bonæ valetudini, aduersa, robori, imbecillitas; bonæ formæ, deformitas, atque in alijs quoque. At in Paradiso nulla fuisset eiuscemodi rerum vicissitudo; mera enim illic voluptas fuisset molestiæ vero prorsus nullæ, vt quæ post violatum Dei mandatum tandem enatæ sint. Maioribus ergo delicijs ex cibo potuque illic adfecti fuissent, quam quibus hodie mortales demulcentur.

Voluptati vnicuique sua cohæret molestia.

C

CAPVT XXVII.

Porro de Serpente sic locutus est diuus Moses: *Et Serpens callidior erat omnibus animantibus agri, quæ condiderat Dominus Deus: dixitque Serpens mulieri: Vere dixit Deus, ne vesceremini de omnibus Paradisi.* Hic decem nobis expendendæ atque examinandæ quæstiones occurrunt; quarum prima est fueritne corporatus Serpens ita vt oculis esset aspectabilis qui cum Muliere colloquebatur, an vero Satan corporati Serpentis speciem præ se ferens, illam sit affatus; an denique Satan intra Serpentem latens, verba illa ad Mulierem fecerit. Sane Dominus Ephræm quodam suo Commentario ait corporatum Serpentem fuisse, qui Mulierem allocutus est: Satanam enim à Deo petiuisse, vt Serpenti, sermonis facultatem concederet ad tentandum Adamum; sicut opes Iobi quoque sibi permitti postulauit, quo de eius patientia faceret periculum. Ex quo consequitur, ita illi corporeo Serpenti sermonis vsum fuisse datum, vt Asinæ Balaam; imo vero non solam elocutionem, verum etiam intellectum illi Serpenti inditum fuisse affirmat Ephræm, cum Deus ipsum vt intelligentem sit affatus, his maledictis perstringens: *Puluerem edes, & super ventrem tuum ambulabis.* Cyrillus vero Oratione tertia aduersus Iulianum perfugam ait ipsum Satanam se in Serpentem transformasse, atque ita cum muliere collocutum esse; ac proinde ipsum quoque sub Serpentis persona diuinis maledictis esse perculsum. Existimat enim Cyrillus, dæmonem posse pro arbitrio, aut Serpentis aut alius animalis speciem quam voluerit, sumere. At Dominus Iacobus Sarugensis Commentario suo de pulso Adamo extra Paradisum, dicit, Satanam se in corporatum atque aspectabilem Anguem insinuasse, & inde cum muliere esse collocutum: quam opinionem nos etiam adprobamus atque amplectimur. Hanc enim

De serpente qui Euã adortus decepit. Gen. 3.

D

Iob. 1.

Num. 22.

Cyrilli Oratio 3. cõtra Iulianũ perfugam.

Iacobi Sarugensis Commentarius de Adamo pulso extra Paradisum

E

veram esse vel id arguit, quod Paradisus duplex erat: corporeus & spiritalis, vt magnis rationibus est à nobis demonstratum: Adam item Euaque duplicis & compositæ fuêre naturæ, quippe qui ex corpore constarent & anima; quare Serpentem quoque duplicem fuisse existimandum est: corporeum quidem, si ipsum aspectabilem Anguem; spiritalem vero, si sensum omnem effugientem Satanam qui intra illum latebat atque inde verba faciebat, consideres. Altera quæstio est. Ex generene Reptilium, an vero cæterorum animantium fuerit ille Serpens, in quem se Satanam insinuasse, atque ita cum muliere collocutum diximus: Existimamus vero ex bestiarum non reptilium numero fuisse, idque his ducti argumentis. Primo Moses ait Serpentem fuisse astutiorem omnibus bestijs; non autem dixit, omnibus reptilibus. Et paulo post ipse Deus ad Serpentem verba rursus faciens; *Maledictus* (inquit) *præ omni bestia agri, & præ omni animali:* &, *præ omnibus reptilibus*, dictum non est. Ad hoc; Adamus in ipso initio nomina bestijs auibusque indiderat, vt testatur Scriptura, non etiam Reptilibus: ac proinde Eua à viro edocta bestiarum nomine Serpentem, quod ex bestiarum genere esset, *Heuio*; hoc est, bestiæ nomine appellauit; quod nomen ab Adamo didicerat scilicet. Erat igitur Serpens ex bestiarum genere, non autem eorum animantium quæ reptilia dicuntur. Quæstio tertia est, An pedes habuerit Serpens: &, si habuit pedes; bipesne, an vero quadrupes fuerit. Ad hanc quæstionem respondemus, quadrupedem fuisse, cum ex bestiarum genere (Mose teste) fuerit; easque animantes quas bestias solemus vocare, quadrupedes esse videamus. Et vero Dominus Ephræm dum hæc in suis Commentarijs explicat, inter alia ait: Itane volebas, vt Adam amitteret gloriam suam; Serpens vero, ne pedibus quidem mulctaretur? Erat ergo quadrupes Anguis: sed quia fuit Satanæ organum, & inhæsit ipsi diuina execratio; ex bestia factus est reptile animal: & cum ante pedibus graderetur, deinceps prono ventre prorepsit: sicut & Satan, quia præuaricatus fuerat, ex Angelo euaserat dæmonium: & vt vxor Loth, quia respexit, ex muliere quæ ante erat, transformata est in statuam salis. Quarta quæstio est, si Satanas in anguem se insinuauit, atque ex eo ipse ad Euam verba fecit; cur id à Mose scriptum non sit, sed solius Anguis facta mentio. Hic respondemus. Mosem rei gestæ scriptorem, non interpretem egisse: ac proinde qualis quæque res visa est, talem ab ipso esse descriptam; non item explicatum qui se reuera haberet. Eua autem Serpentem videbat, serpentem secum loquentem audiebat: hoc igitur ipsum Moses suo scripto prodidit; quemadmodum alibi tres illos quos videbat Abrahamus, viros appellauit, cum viri non essent. Ad hoc, si diuus Paulus qui tanto temporis interuallo Mosem secutus est, cum res iam tum explicatæ essent, Serpenti non Satanæ imposturam attribuit, inquiens; *Vereor sicut Serpens decepit Euam, &c.* cur non merito Moses, qui tam multis ætatibus Paulum præcessit, fraudem Serpenti adscripsisse videatur? Scriptoris enim est, res gestas narrare; at Interpretis munus à scriptore prodita explicare: ac proinde Moses, qui scriptor, non interpres esse voluit, recte narrauit Serpentem cum Eua collocutum esse non autem dixit Satanam intra Serpentem fuisse occultatum. Quæstio quinta est, quamobrem Satanas Adamum cum Vxore seduxerit. Nos existimamus, causam Satanæ fuisse Inuidiam qua illos prosequebatur. Nam cum ille sublimi sua dignitate gloriaque excidisset, videretque porro Adamum ex luto conformatum, ad imaginem tamen similitudinemque Dei factum esse, atque omnium rerum quæ in terris essent, imperio potitum; præterea Paradisum delicijs omnibus plenum incolentem, atque Angelicarum copiarum fruentem societate; se vero contra deturbatum atque deiectum: maxima permotus aduersus Adamum & Euam inuidia, ipsos seduxit. Nimirum huiuscemodi cogitationibus exagitatus est: Ego qui spiritalis sum, exulo: at Adam qui corporeus est, intro est receptus: ego profligatus, omnique gloria exutus: ille gloria indutus vestitusque: ego in imo, ille in summo: ego apud

Primorum parentum natura duplex.

2. Quæstio de primo Serpente.

F

Serpentem fuisse quadrupedem. Commentarius Domini Ephræm

G

Gen. 19.

4. Quæstio cur Moses solius Serpentis, nõ autẽ dæmonis meminerit.

Gen. 18.

2. Cor. 11.

H

5. Quæstio cur dæmõ seduxerit primos Parentes.

Dæmonis & Adami in primo statu, Cõparatio.

bestias,

A

bestias, ille apud Angelos: ego in vasta Solitudine, ille inter amœnissimas Paradisi arbores versatur. Huiuscemodi (inquam cogitationes ad prosequendos illos inuidia, fallendosque, ipsum impulerunt: quippe intelligebat ex eo quod sibi acciderat, si peccaret Adam, futurum vt rueret sicut ipsius prior ceciderat: atque ex peccato, horum plane alterum Adamo euenturum esse, vt vel moreretur, pro lata iam ante sententia, *quo die comederis de illo, mortem oppetes*; vel Paradiso expelleretur, atque deinde sobole procreata multiplicaretur secundum faustam illam apprecationem qua Deus ad illos vsus dixerat, *Crescite & multiplicamini*: hoc vero si illi contingeret, tum fore vt ipse & illum ipsum, & in illius omnem posteritatem imperium exerceret. Igitur ad illum fallendum percitus est mera inuidia. Sexta quæstio est, cur non apparuerit Satan primis Parentibus humana specie, vel diuina (quali Dominus noster in monte) aut figura maiorum bestiarum, quales sunt cameli, elephantes, & eiusce generis aliæ: aut denique cur non suo ipsius proprio atque natiuo habitu, sed organo opus habuerit. Sane humana specie non apparuit, quod sciret Euam non ignorare alium, præter se suumque maritum hominem nullum esse; neque vero Deus ipsi permittebat vt hominem simularet, ne iustam haberet Eua erroris sui excusationem, conspicata hominem sibi similem à quo falleretur. Porro Diuina, vel maiorum bestiarum figura non apparuit, quod hæ species nimio metu concussissent perturbassentque Mulierem, nedum ad auscultandum verbis suis induxissent. Sua denique ipsius naturali specie non est illam adortus, quia magis etiam consternata ipsa fuisset si eius qui videndi sensum falleret, verba audisset; eoque minus obsecuta fuisset dictis. Igitur vt suæ fraudi locus esset verbisque fides, induit corporatum illud organum, Serpentem, eoque habitu visendum se exhibuit.

Quæstio 6. Cur dæmō potissimū serpentis forma, Euæ apparuerit, non autem hominis.

B

Quæst. 7.

Septima quæstio est, cur præ cæteris bestiis, Anguem sibi Satanas in organum delegerit. Huius rei caussas multas esse dicimus: Primo enim nullum erat, Angue, animal ad fallendum astutius; Id quod diuus Moses quoque his verbis significat; *Et Serpens erat callidior omnis bestia agri*. Nam & animantium alia, vafritie excellunt, vt Vulpes; alia, rudi simplicitate sunt, vt Oues. Deinde cum Anguis letali veneno plenum animal; consentaneum erat, vt vel propter naturæ congruentiam, mortiferum suum toxicum commisceret Satanas cum Serpentis veneno. Tertio vt idem vsuueniret Satanæ quod Filio illi prodigo: is enim postquam summo honore excidisset, in eas redactus est vitæ miserias vt porcos pascere cogeretur: sic scilicet Satan ex sua delapsus gloria, in Anguem se insinuauit. Quarto, vt cum esset aliquando Anguis super ventrem suum prorepturus; idipsum, humi serpere, Diaboli qui in Angue latuerat, nobis casum ob oculos poneret. Denique ita natura comparatum est Serpentum geous, vt occulta quædam veluti fraterna indolis coniunctio ipsi cum dæmonibus intercedat, etsi ea nos lateat.

C

Gen. 3.

Luc. 15.

Caute lege, nam similitudo quædam indolis nō D fraterna cōiunctio inest colubro cum diabolo.

Octaua quæstio est, cur permiserit Deus Satanæ & Serpenti in Paradisum introire: imo vero Satanæ, Adamum cum vxore fallere? Ad hanc quæstionem respondemus; varias ob res, permissa illa esse. Permisit enim, dum Satanæ libertatem non impediuit quominus suopte arbitrio vteretur, sicut neque Oziam prohibuit à sanctissimis Adytis, ne pro voluntate in ea penetraret. Præterea siuit Deus illa euenire, quo ostenderet, quemadmodum fieri potuit vt Adamum sui imaginem similitudinemque de terra aboleret, ita rursus se huic ipsi permisisse vt posset per superbiam atque fastum affectare diuinam maiestatem. Insuper vt ne nihil esset cum quo Adami libertas arbitrij posset decertare: denique vt periculum fieret de Adamo obseruansne mandati diuini esset; an minime. Erant igitur cum arbor ipsa, tum Satanas atque Serpens ad explorandam Adæ arbitrij libertatem accommodata instrumenta. Nona quæstio huiusmodi est; cur Angui maledixerit Deus, qui nullum scelus patrârat, Satanæ vero flagitij reo noxioque nihil mali imprecatus sit? neque enim libero vtebatur Anguis arbitrio, vt posset se Satanæ pro instrumento non præstare. Ad hæc dicimus

Quæst. 8. Cur Satanę permissum sit tentare Adamum.

2 Par. 26

Gen. 6.

Adami libertas arbitrij.

Quæst. 9.

E

detestatum esse Anguem vt hoc ipsum Satanæ molestum accideret, qui illo vtebatur instrumento; veluti si quis Musicum instrumentum confringat, quo cum qui illo canebat, excruciet: Equum nimirum grauiter prostrauit, vt sessorem simul consternaret; Nauemque subuertit, vt nautam mulctaret. Serpentem ergo maledictis ferijt Deus, vt Satanam dolore angeret qui in Serpente loquebatur; sicut & Legionem afflixit perdendo Porcos: simulatque enim Satanas conspexit Anguem amissis pedibus humi volutari, acerbo angore excruciatus est. Prætetea ideo quoque maledixit Serpenti, quod Adamo atque Euæ peccandi caussa extitisset; sicut iumentum lapidibus obruebatur cum quo corpus miscuerat homo; eo quod caussa mali fuisset: scriptum est enim; *En malum venit, sed va illi per quem venit.* Ad hæc ita maledixit Serpenti propter Satanam, vt terræ propter Adamum. Insuper hac etiam de causa maledixit Serpenti, quo Adam Euaque (vbi viderent quantam sustineret Serpens ex diuina maledictione mulctam, pedibus orbus atque super ventrem proreptans) animaduerterent atque intelligerent in quam grauem incidissent errorem, quantumque flagitium admisissent Serpenti obtemperantes: ac proinde in posterum magno metu continerentur. Sed iuuet apud eos qui hanc mouent quæstionem hac mutuum quæstione vti: Itane vos, Serpentis vindicandi gratia quæritis cur execratione perstrictus sit qui Arbitrio libero minime donatus mali nihil patrarat? dicite, quæso, vicissim mihi, cur feræ iumenta, volucres diluuio periere, quæ nō deliquerunt? aut quid meruere oues, bouesque & aues quæ quotidie insontes ad sacrificia dedebantur? quid commiserant pecora Iob quæ innoxia cum essent, igni sunt tradita deuoranda? Cur Christus, Legioni permisit porcos in mari suffocandos, qui non peccarant? Cur sacrificabantur, offerebanturque columbæ ac turtures pro expiandis peccatis quorum ipsæ expertes erant? Cur ouis pro populi redemptione immolabatur, aut hœdus mactabatur pro Ecclesiæ impietate, vel bos pro sacerdote improbo; cum neque ouis, neque hœdus, neque bos deliquissent? Cur contumelijs, immo etiam morte adfecti sunt pro populo Prophetæ innocentissimi? Quid Christus? nonne supplicium Crucis sustinuit pro nostris peccatis? Cur ergo Serpentis mulctam suggillatis? Nunquid æquius esse duceretis si Adamum Deus maledictione mulctasset; Serpentem vero interim ab omni noxa liberum atque impunem habuisset? Destituendusne tibi videbatur Adamus tanta gloria, tantoque honore; Anguis vero ne pedibus quidem mutilandus? Sed iam dicent: Cur saltem non etiam Satanam simul est execratus cum Serpente? verum respondemus, Deum idcirco non maledixisse Satanæ, ne Adamus Euaque animaduerterent Spiritum aliquem non aspectabilem intra Serpentem esse, eoque in multo maiores raperentur errores: Neq; enim adhuc sciebant aliquid esse præter Deum, quod oculis cerni posset: ad hæc propter Hebræorū quoque imbecillitatem noluit Moses Spiritū, intra Anguem, latentem prodere; ne scilicet illi aduersariam Deo Potestatem esse vllam opinarentur, quæ maioribus freta viribus posset aliquid inuitu agere Deo. Nam ideo etiam Angelorum nulla est à Mose facta mentio ad Agaris vsque ætatem, ne Iudæi suspicarentur plures esse Deos. Insuper quamuis non aperte maledixerit Satanæ Deus; tamen occulte atque abscondite id ab illo maxime actum esse affirmamus. Dum enim aperte Anguem execrabatur, tacite Satanam maledictis perstringebat; quod post probabimus, Deo iuuante. Hanc enim Satanæ maledictionem clare arguunt illa Christi verba in Euangelio, *Quia Princeps Mundi huius iam iudicatus est*: Et alibi; *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Decima quæstio est, cur Moses Serpentem scripserit astutiorem fuisse bestijs agri, non autem prudentiorem. Ad hanc respondemus, prudentiam virtuti affinem esse; astum vero, vitijs. Et sunt inter bestias aliæ hebetiores, aliæ callidiores: neque hic Moses Anguem, hominum comparatione, callidissimum pronunciauit, sed cum cæteris collatum bestijs; hominibus vero proprie

Marc. 5.

Leuit. 20.

Matt. 18.

F

Bruta ob hominis peccatum periere.

Gen 8.

Iob. 1.

Marc. 5.

G

Cur Deus non maledixerit Satanæ.

Temere ista addit Bar Cepha cum certum sit Adamū in Paradiso excellenti H quadā cognitione nouisse substātias spirituales, id est Angelos S. Thomas 1. p. q. 94. art. 2. ad finem corporis art.

Gen. 25.

Ioan 16.

Matt 25.

Quæst. 10. de Serpentis calliditate.

A

sapientia prudentiaque tribui solet, qui alioqui nō solum cæteras animantes, sed ipsos etiam Angues astu atque solertia longe anteeunt.

Capvt XXVIII.

Hoc capite verba Moses de Paradiso, rebusque eo spectantibus, non mysticosē su, sed ipsis accommodata rebus explicātur.

Gen. 2.

Scripsit autem beatus Moses de Paradiso ad hunc modum: *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab initio.* Etsi Paradisus ante Adamum conditus esset, tamen Moses creato iam Adamo agit de consito Paradiso, nimirum quia reuertitur ad superiorem historiam. Nam cum ab ijs de quibus in sex diebus loquebatur, nondum perfecta narratione digressus fuerit; redit nunc ad absoluendam illam narrationem, eaque ratione agit hic, post creatum Adamum, de Paradiso qui alioqui ante illum fuerat conditus. Iam vero quid sit Paradisus, & cur à Deo consitus, quo item die, & vbi locorum, in terrane an in cœlo, & in qua tandem Mundi regione positus, tum quæ huc spectant alia; supra sunt à nobis, suis disceptata rationibus. Cæterum Eden locus est amœnus atque omnis generis arboribus varius, in quo loco Deus Paradisum conseuit atque disposuit. Hæc enim verba; *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum*; aperte ostendunt, nequaquam ab homine illum esse consitum dispositumque; perinde ac Noë vineam plantauit, aut vt iam conserunt mortales, Paradisos hortosque sed Deum ipsum, suo ipsius studio & mandato illum plantasse sicut ait Psaltes Dauid de Deo verba faciens: *Et cedri Libani quas plantauit.* Et vero hinc etiam constat, Paradisum ab ipso Deo esse plātatum; quod Scriptura dicat, *ab initio.* Sequitur apud Mosen: *Et posuit illic Adamum quem finxerat*: Quod ait; *Et posuit illic Adamum*, argumentum est gloriæ quam Deus Adamo attribuit, dum ipsum collocaret in Paradiso varijs arboribus amœno, vt se inibi ipse oblectaret; neque sinit in terris, more cæterorum animantium quæ ratione carent, pabulum carpere. Quod porro additur; *quem finxerat*, * in hæc nos sensa ducit: primo ex sola terra Deum non condidisse Adami corpus, sed ex quatuor elementis finxisse atque composuisse (certe figlina absque aqua non fit) deinde non ita solo verbo progenuisse Adami corpus ex terra, sicut ex hac solo suo iussu herbas produxerat, animaliaque cætera, atque ex aquis varia piscium genera; sed suis illud manibus finxisse atque conformasse, quæ res amplissima sane, hominem præ reliquis rebus, gloria à Deo ornatum ostendit. Præterea Adamum non vtero conceptum partuque deinde editum esse, vt hodie homines procreari videmus; sed Dei manibus conditum extitisse. Insuper vt iumentorum & ferarum, eorumque quæ volatu & quæ natatu vtuntur animantium corpora simul & animas ex terra & aquis condiderat, quæ omnia ratione carent; non sic Adamum etiam effecisse, sed huius corpus quidem ex humo composuisse, cæterum Animam ex nihilo creauisse. Denique non eam fuisse ab initio hominum, populorum, nationum turbam in terra quam hodie videmus; sed Deum primo finxisse personam vnam (ipsum dico Adamum) deinde ex illa formasse Mulierem; atque ita deinceps per virum & fœminam procreatum esse genus humanum: atque hæc omnia intelligimus ex verbo illo, *Finxerat*, quo vsus est Moses.

B

Eden quid sit.

Gen. 9.

Psal. 130.

Gen. 2.

C

** Quod verti finxerat, est verbū Gabal, quod plane respondet Græco. πλάττω.*

D

Quo habitu Deus apparuerit Adamo & Euæ.

Sed enim operæpretium fuerit cognoscere quo habitu apparuerit Deus Adamo, siue dum ipsius corpus fingeret siue dum Legem ipsi imponeret, siue quando ex ipsius costa ablata conderet Euam, siue denique vbi in Paradiso obambulans suam illis vocem ingereret, inclinante die. Philoxeni Mabugensis sententia est, priusquam deliquisset Adam aduersus Dei mandatum, Deum neque per Angelum neque per rem aliquam corporatam illi apparuisse, sed ipsum sese illi repræsentasse; non quod corporis sui sensibus, Adam, apparentem Deum percipere posset, sed mentis intelligentia. Nam etsi habitabat quidem intra corpus, Adami Anima; tamen non secus atque incorporei Angeli, ea cernere illam quiuisse, quæ supra omne corpus materiemque corporatam feruntur: itaque cum integri etiam tum essent animæ Adami sensus, neq; ab peccato contaminati, Deum se mētis illius oculis ingessisse; suamque vocem ipsius intelligentiæ repræsentasse, quando, vt dictum est, fieri non potuit, vt in corporis sensum aliquem, apparens Deus incurreret. Sed aliorum opinio est, Deum se corporis Adami sensibus corporaliter (vt sic dicam) obtulisse; eo quod hac modo ratione, neque præterea alia vlla assequi ille mente posset diuinas apparitiones, easque intelligere: ipsum enim illius conditorem Deum, sese ad eius humilitatem demisisse, ipsique ita apparuisse, cæteroqui immensum; vnde consequens est, hi vt vlterius dicant, Deum humana, eaque regia & prorsus augustissima specie se Adamo exhibuisse aspectabilem & quamquam neque manus habeat, neque pedes, aut vultum, vel os; tamen demittentem se quasi his omnibus esset præditus, ab Adamō visum esse, atque ita manibus suis illum formasse; quod (vt diximus) ad eius qui formabatur, gloriam dignitatemque spectat. Sed expendat suo iudicio Lector has duas opiniones; ac vtram malit, altera omissa retineat. Porro fuere ex hæreticis qui dicerent, duos Adamos à Deo creatos fuisse; idque ex eo colligi, quod Moses duorum meminerit dicens alterum die sexto conditum esse, alterum hic post diem sextum: ad illum enim spectare ea verba; *Et finxit Dominus Deus Adamum puluerem è terra*: At hunc, neque ex puluere dicere Mosen; sed simpliciter, Adamum illic posuisse quem finxerat. Sed nos illis respondemus; ex eo quod ante dixerat Moses Adamum die sexto esse creatum, deinde omissa illa narratione etiam tum imperfecta transiuit ad mentionem diei septimæ, vnde rursus ad absoluendam illam ante cœptam historiam reuertitur haud quaquam consentaneum esse vt existimemus duos à Deo effectos fuisse Adamos, sed vnicum. Nam idem quoque de bestiis, de arboribus, de Paradiso, & flumine hunc rigante fecit. Cum enim historiam illarum rerum nondum perfectam reliquisset; hic iam redit ad eam absoluendam. Præterea hoc quoque illis respondemus, neque Mosen, neque quemquam prophetarum, aut Apostolorum, vel Euangelistarum vnquam memorasse, duos à Deo creatos effectosque fuisse Adamos sed vnum solum. Porro sciendum est, veteris Testamentum pluribus tralationibus ex Hebræa in Græcam linguam esse transpositum: Syrice vero redditum esse vna quidem interpretatione ex ipso Hebræo, altera vero ex Græco. Cæterum quæ fuerit tam multarum tralationum caussa, & quæ inter ipsas cæteris probior existimari debeat; cum aliis eius generis argumentis disseruimus in eo libro quem de Sex diebus præmisimus. Igitur in ea Græca Traductione quæ est septuaginta Interpretum, sic scripta extant illa Mosis verba: *Et plantauerat Dominus Deus Paradisum in Eden ab Oriente, & posuit illic hominem quem finxerat.* Orientem igitur appellant illi interpretes, eam terrarum regionem ex qua Sol oboritur; nam in illo tractu orientali plantauerat collocaueratque Paradisum, vt Basilius, & eius frater Gregorius attestantur, & Dominus Seuerus quoque. Quod vero ad ipsum nomen attinet, quo illi LXX. Interpretes hic Adam vocant, (vocant enim Bar-noso *) tria sunt vocabula quibus fere Scriptura & hoc loco & superius vtitur pro Adami appellatione; Noso, Bar-noso, Adam. Et Noso quidem vocat, dum ait *Faciamus Noso* (id est hominem) *ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram:* Adam vero dum dicit; *Et creauit Deus Adam ad imaginem suam*, *Et posuit illic Adam quem formauerat*: Denique Barnoso, hic (sequamur L X X. Interpretum Tralationem) *Posuit illic Bar-noso* (id est, filium hominis) *quem finxerat.* Atque hæc tria nomina inter se ita differunt, vt Nuso proprie vniuersum genus hominum ostendat; Bar-noso vero eum qui ex homine prognatus sit; hoc est, filium hominis significet: & Noso quidem pluraliter, Bar-noso vero singulariter (vt sic dicam) accipiantur, spectentque, Noso fere ad ipsam speciem Bar-noso vero ad indiuidua. Porro de voce Adam dicunt apud nos Syros plerique appellationem esse particularem hominis, personamque vnam repræsentare: verum alij existimant, apud Hebræos nomen esse specificum, & totum genus humanum sua notione amplecti, sicut antehac diximus in Commentario no-

Quomodo Adam viderit Deum.

E

F

Duos à Deo creatos esse Adamos, Hæresis.

Argumentum a non Scripto.

G

Testamēto veteris plures Translationes.

H

** Apud LXX. in Græco est, ἄνθρωπον quod Syrus interpres, quē auctor sequitur, reddidit illic Bar-noso.*

Trium nominum Adami, differentia & ratio.

Adam, an sit nomen specifici.

stro

A

stro de sex diebus. Rursus alij sunt, qui putant nomen Adam, sumptum esse ex ipso hominis corpore; & ei proprie impositum esse eo quod ex terra quæ Adamotho dicitur confirmatum sit: Nos vero ad animam peculiariter spectare. Cæterum quid sibi velit illud terræ vocabulum, Adamotho: illic quoque à nobis est explicatum. Verum enim vero operæ precium est vt expendas hic accurate apud animum tuum, quam multis modis cohonestauerit Deus Adamum: primo enim cum in rerum natura prorsus non esset, procreauit, effecitque ipsum ex nihilo vt aliquid esset: deinde ad suam ipsius imaginem & similitudinem condidit: tertio, cum ipsius longe præstantior esset natura quam cui manus vocisque vsus attribui deberet; tamen illum & manibus suis finxisse, & voce affatus esse dici voluit. Quarto, conditum ratione ornauit, qua cæteris animantibus illa carentibus præstaret. Quinto, sui cognitione ipsum dignatus est. Sexto admisit ipsum veluti in suam familiaritatem, vt ea sese pro Arbitrio oblectaret, meditationibus contemplationibusque diuinis vacans atque indulgens. Septimo, immortalitatem promisit. Octauo, maxima ipsum sapientia imbuit. Nono, Prophetiæ dona in ipsum contulit, Prophetam enim fuisse Adam vel hinc constat quod per vaticinium dixerit; *Hæc iam caro de carne mea & os de osse meo, hæc vocabitur mulier, &c.* Decimo, auxit ipsum sacerdotij munere; Nam fuisse sacerdotem, ex Dauidis Psalmistæ verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cum Deo inducens ait; *Finxisti me & posuisti super manum tuam:* Sacerdotium enim manuum impositione confertur, sicut & Baptismus. Vndecimo, regia atque principali ipsum donatione amplificauit; ait enim: *Et dominamini piscibus maris, & volucribus cæli.* Duodecimo, ita ipsum comparauit vt animo atque intelligentia sua Angelis esset familiaris. Decimotertio, condidit ipsum corpore leui atque expedito, non autem graui quale demum euasit post violatam legem. Decimoquarto denique posuit ipsum in Paradiso, vt inibi oblectaretur neque cum cæteris animalibus mentis expertibus in terra nascendum reliquit. *Et enasci fecerat Dominus Deus è terra omnem arborem ipso aspectu expetendam, & pulchram ad vescendum:* die scilicet tertio produxerat Dominus eas arbores ex terra, cum diceret; *Producat terra herbam virentem semen fructificans, & arborem fructiferam, &c.* Verum hic ad priorem illam narrationem regreditur, ipsam absoluturus; quin ipse etiam Paradisus de illo tertio consitus fuerat. Cæterum Deo attribuit Moses illa verba, *Et enasci fecerat arbores;* vt intelligeremus non ab homine satas fuisse, vt Noa vitem seuit, aut alias arbores, alij; sed ipsius Dei cura ac numine præceptoque extitisse, iuxta illud Psalmistæ; *Et Cedri Libani quas plantauit.* Sed videri possunt verba potius ad hunc modum esse legenda; *Omnem arborem pulchram ad spectandum, & expetendam ad vescendum,* pulchritudo enim ad videndi sensum pertinet, appetitus vero ad cibum spectat. Verum consueuit Scriptura appetentiam referre ad oculos, quale est illud Ioannis Euangelistæ in Epistola: *Omne quod est in Mundo, Concupiscentia corporis est, & concupiscentia oculorum. Et arborem vitæ in medio Paradiso, & arborem scientiæ boni & mali.* Duas ait Dominum enasci fecisse arbores in medio Paradiso, alteram Vitæ, alteram scientiæ: videndum igitur qui fieri potuerit, vt duæ arbores in ipso extarent Paradisi meditullio: vnam enim solam posse medium obtinere locum nemo negauerit, at duæ vt simul medio quopiam loco existant, non fas est. Sunt igitur qui dicant vnicam fuisse in ipso medio consitam, eam quæ vitæ vocatur, alteram vero quæ appellatur Scientiæ iuxta illam Vitæ extitisse satam. Sed his obijcimus ipsam Scripturam, quæ verba illa, *in medio Paradiso,* ad vtramque arborem accommodat, non autem ad eam quæ vitæ est, solam. Hoc enim inde cognoscitur, quod Eua ad Serpentem diceret, *De fructu arboris quæ est in medio Paradiso, noluit comedere, ait Deus.* Erat enim arbor scientiæ, ea qua illis fuerat interdictum, non arbor Vitæ. Conficitur ergo ad vtramque arborem pertinere quod dicitur, *in medio Paradiso.* Igitur Gregorius Nyssenus dicit, duas hasce arbores spiritales fuisse, solaque

Dei 14. beneficia in Adamum.

B

Adamum fuisse Prophetam.

Adam fuit sacerdos.

Psal. 139.

Manuum impositio in sacerdocio.

Adam fuit Rex.

Adami Corpus leue.

C

Gen 9.

D

forte. Nyssenus.

ratione potuisse intelligi, quales non duas modo, sed plurimas vno eodemque loco medio esse posse, nemo dubitauerit. Nam animi nostri vis facile ea coniungit quæ alioqui vel à pluribus simul comprehendi nequeant. At nos dicimus arbores illas corporatas extitisse; idque nuper ostendimus, atque vtrasque in Paradisi medio quidem fuisse positas sed non vt in vno eodemque particulari loco, qui locus fuerit Paradisi meditullium. Nam id haud fieri potuit, & si in eo altera extabat, alteram extra eum locum fuisse necessum est, cum profani etiam Philosophi affirment impossibile esse vt duo corpora contineantur vno particulari loco simul: sed ita ambas fuisse in medio Paradiso, vt quis vtramuis dicere recte posset, respectu extremarum Paradisi partium fuisse in medio Paradiso. Medium igitur in contextu ita accipiendum est, non vt particularem aliquem locum significet, sed quasi dicat, cum Paradisus frequentissimus esset varijs arboribus atque plantis, hasce duas arbores non in eius angulo quopiam satas fuisse, sed in medio Paradiso inter alias arbores extitisse. Sed & hoc scire operæ precium fuerit, num duæ istæ arbores, altera iuxta alteram positæ extiterint, an seorsim: De hac re nos pronunciamus, iuxta positas fuisse. Neque enim dixit Scriptura de Adamo; Ne forte adeat arborem Vitæ, capiatque de ea, ac vescatur, & viuat perpetuo: sed habet ad hunc modum; *Ne forte extendat manum suam, & capiat:* Is vero qui manum suam ad rem quampiam protendit, necessum est vt ei rei proximus adstet. Præterea hinc credibile est, ei loco, in quo Adamo certamen & lucta erat aduersus arborem scientiæ, proximam extitisse arborem vitæ, ceu victoriæ præmium; vt si vicisset per continentiam neque edisset de hac, mox permissa fuisset ipsi illa altera gustanda, quippe solet victori palma in promptu esse. Insuper illud quoque quæri potest, cur Deus produxerit duas illas arbores in medio Paradiso, ac non potius in quopiam eius angulo. Hic respondemus, ideo id factum esse quia in medio Paradisi habitaturus erat Adam, accepto Dei imperio de edendis fructibus arboris scientiæ boni & mali. Cæterum qualisnam fuerit arbor vitæ, & cur sic sit dicta; deinde qualis arbor scientiæ boni & mali, & quam ob rem eo nomine appellata, vna cum alijs eius generis rationibus supra à nobis satis explicatum. *Et fluuius egrediebatur ex Eden vt rigaret Paradisum.* Eden locus erat magnus atque amplus, cui id nominis dabatur propterea quod amœnus & multarum arborum varietate spectabilis esset: huius pars ea quæ cæteras omnes pulchritudine atque decore anteibat, Paradisus dicebatur; accommodatissimus ad habitationem oblectationemque hominum. Sed quanta fuerit huius amplitudo, satis arguit fluuius ille magnus, qui ex ipso affluebat, & postquam elapsus esset diuidebatur in quatuor flumina: si enim fluuius ipse magnus erat, manifestum est Paradisum quem rigabat, magnum spatiosumque fuisse. *Et illinc diuidebatur, & euasit in quatuor capita.* Postquam is fluuius rigasset Paradisum, diductus diuisusque est in quatuor fluuios quos Moses (quia ipsius sæculo noti erant) suis & nominibus, & locis describit, inquiens: *Nomen vnius Phison; is est qui circuit vniuersam terram Hauila.* Nomen igitur vnius horum quatuor fluuiorum est Phison; siue, vt Græcus vocat, Dijabis: qui fluuius postquam auulsus ab illo maiore & primario Paradisum perluente, in terramque demersus est; sub ipsis etiam Oceani vadis fluit, donec ebulliens prorumpat in Occidentem, vnde versus Septentrionem regyrans delabitur per vniuersam regionem Iudorum (quam vocat Moses terram Hauilæ) ac tandem desinit in mare Indicum. Sunt autem qui putent, Phison appellatum esse à verbo *Phas*, propterea quod cesset à fluxu aspectabili, quippe qui sub multis pelagis maiorem cursus sui partem peragat. *Et ibi est aurum; & aurum eius terræ præstans est; ibi Bedolach, & lapides Beryllı.* Ferunt enim plerumque huius fluminis arena atque in ipsa ripa, aurum probum admirandasque Margaritas haberi reperiri. Hebræum enim, Bedolath, gemmas vocat; Beryllos vero, lapides preciosos. Alij, Bedolath, candidos Vniones significare existimant; Beryllos vero,

E

Medium quomodo significet.

F

G

H

Phison, Superius, Cap. 21 dixi Græce vocari Diabis per quartã vocalem in secunda syllaba.

Phas, cessare significat Syris.

A Sardos, Topazios, & cæteta id genus gemmas. *Et nomen fluuij secundi Gihon; is est qui circuit omnem terram Chus.* Secundus fluuius nomen habet Gihon: Græcus Nilum appellat: alij, Sichot vocant. Et hic quoque fluuius vt separatus est ab illo maiore: sub Oceanum descendit, donec scaturigine euomitur in plaga Australi, atque gyrans perluit terram Chussiorum (Ethiopas vocamus) & Ægyptiorum, tandemque desinit in mare Adriaticum, quod est apud Ægyptum. Cæterum nomen Gihonis obtinuit à fluendo cum inundatione: hac enim, ripa sua supergrediens, irrigat terras sibi circumiacentes. *Et nomen fluuij tertij Diklat. qui it aduersus Assur. Quartus denique fluuius est Perath.* Diklat appellatus est tertius fluuius, quod impetuosus ac rapidus sursum deorsum feratur quasi homo violentus ac feruidus qui ad perrumpendas angustias aliquas nunc se subrigit nunc demittit. Quartus denique fluuius dicitur Perath, quia fœcundissimus est. Et hi quoque duo fluuij simul atque denuati sunt ab illo principaliore B flumine: absorpti sub Oceanum, tandem prosiliunt in medio terrarum Orbe, fontibus non procul inter se dissipatis ac prolapsi desinunt in Mare Australe ipsius Bosræ. Porro Assur vocat regionem Attur & Nineuitarũ ac Bethgarme, aliaque circunquaque his adiacentia loca. Sed enim quærunt hic homines, qui possit fieri vt hi quatuor fluuij veniant è Paradiso, & absorpti sub Oceanum iuxta terræ viscera meent, ac tandem emergant, effundãturque in hac nostra terra! Verum hanc quæstionem, & eius generis alias iam satis dissoluimus. Porro Moses, explicata narratione earum rerum quæ ad Paradisi laudem magnificentiamque: item earum quæ ad flumen ingens quo illeτigatur: denique ad sedulitatem Dei conditoris illius atque satoris spectant: transit ad dicendum de inducto Adamo in Paradisum his verbis: *Et accepit Dominus Deus Adamum, & posuit ipsum in Paradiso Eden.* Quo habitu apparuerit Deus Adamo, diximus nuper: Iam vero hoc videndum est, vnde, & quo sustulerit ipsum quando Scriptura ait, *Et accepit Dominus Deus Adamum.* Igitur quidam putant ex Ierusalem sublatum transtulisse in Paradisum: nam in Ierusalem formatum esse: vbi & mortem etiam obierit. Alij C vero existimant, ex loco humiliore atque viliore sustulisse in locum sublimem magnificumque: & veluti creatum à se regem induxisse in regalem sedem. Sed quonam illum modo sustulit? Respondent nonnulli, id quod Scriptura ait: *Et accepit*, nihil aliud sibi velle quam Deum dixisse ad illum: Abi, ipsumque continuo profectum esse. Sed his obijciunt alij, incertum fuisse Adamo, vnde, & quo abire deberet. Quibus illi respondent, ipsi in mentem venisse, vnde & quo abeundum sibi, atque vbi habitandum esset, sicuti Visa Prophetis solent euenire. Verum alij malunt existimare, Deum Adamo humana specie apparuisse, ipsumque apprehensum transportasse in Paradisum. Sed dices: siue per mentis visionem, siue per humanam figuram illi apparuerit, atque ita transtulerit, magno fuisse opus temporis spatio ad iter hoc conficiendum. Igitur nostra sententia est, Deum formasse Adamum extra Paradisum, atque illinc acceptum sustulisse in Paradisum, ibi- D que dimisisse, cæterum eo accepisse modo, quo & Enoch, & Philippum. Nam vt de Enoch scriptum extat, *Et tulit ipsum Deus*; itemque Philippo: *Et Spiritus Domini rapuit ipsum*: sic & dicimus Adamum esse à Deo raptum ex eo loco, quo fuerat formatus, atque in Paradisum transpositum. (Gen. 5. Act. 8.) *Dimisitque ipsum in Paradiso Eden, vt eum coleret & custodiret.* Eo quod dicit, *Et dimisit ipsum in Paradiso*, declarat Deũ sublato Adamo non ostendisse modo Paradisi pulchritudinem magnificentiamque; & mox inde abripuisse, sed inibi relictu, facultatem manendi seque oblectandi permisisse vt in loco illius ipsius gratia condito concinnatoque: nam quod illic haud diu mansit, sua, non Effectoris sui culpa euenit. Quod porro sequitur, *vt eum coleret & custodiret*, quanam sententiam erit accipiendum? numquid Paradisus cultore egebat, in quo siluosa seuiseosaque materies non succrescebat? hæc enim postea per execrationem cœpit in ea terra quæ extra Paradisum erat, enasci. Præterea qui potuit cultore opus habere Paradisus, omnis generis arboribus abundans? denique quomo-

B do coluisset, quando neque sarcula, neque scopæ, aut alterius generis instrumenta culturæ facta erant. Similiter quorum habebat custodia opus Paradisus, cum nulli vsquam existerent egeni homines? Quid ergo sibi volunt illa verba, *vt coleret & custodiret?* Respondemus non id significare, fodiendas illi fuisse scrobes in quibus plantas conscreret, vt Noe vineam, aut laboriosis ipsum instrumentis operando molestiam vllam subire debuisse, sed (Gen. 9.) in eo positum fuisse cultum illum vt inibi locum sibi pro habitatione aptaret, viasque ac semitas quibus commode posset obambulare, complanaret, ne scilicet ociosus esset, quando ex ocio plurima enascantur mala, iuxta illud Sapientis cuiusdam, Ocium malum est, & fraudem parit pigritia. Et diuus Paulus dicit, *Nisi aliud quam ocium agentes.* Et alibi ait, quasdam fœminas non solum ociosas esse (2. Thes. 3. 1. Tim. 5.) verum etiam quarundam malarum rerum occasionem dare. Cæterum quod de custodiendo Paradiso dictum est, id ad arcendas inde bestias spectat: Paradisi enim vi- F neæ, hortique alij quando ab hominibus deserti manent, conculcantur, opprimunturque à feris. Igitur & colere & custodire, ad curam habitationis Adami spectat: Neque enim ad exiguum duntaxat tempus datum fuerat ei illud domicilium in quo maneret, sed ad diuturnum longumque. Insuper hue quoque cultus ille & custodia pertinent, vt esset Adamus vigil & cautus; agnosceretque Parentem suum ex ipsis plantis fructibusque Paradisi, ceu colonus plantarum immortalium. hoc est diuinarum cogitationum, vt ait Gregorius Theologus. * Denique (* Nazianzenus.) illis colendi custodiendique verbis ostenditur etiam, longe aliter homines vitam suam instituere debere quam pecudes rationis expertes degant: hæ enim ad colendum custodiendumque Paradisum minime sunt destinatæ: sed homo est illius cultor & custos designatus, eaque re plurimum iste ab illis differt, quod ipsum quoque, dum hominem proprijs manibus formaret Deus, ostendere voluit. Porro postquam de introducto in Paradisum Adamo disseruit, & cur eum Deus illuc intulisset, explicauit, digreditur ad dicendum de Lege illi imposita his verbis: G *Et præcepit Dominus Deus Adamo, dixitque ipsi; De omnibus arboribus quæ sunt in Paradiso, edendo edes, at de arbore scientiæ boni & mali non edes de ipso.* Hoc igitur est præceptum, hæc lex quam Deus Adamo imposuit, ne ederet de arbore scientiæ. Sed iam in disquisitionem venit, quot modis dicatur Legis vocabulum, & cuiusnam generis Lex imperata fuerit Adamo; denique cur vllam illi Deus Legem statuerit. Dicimus igitur, Legem duobus dici modis; vniuersaliter, & particulariter. verbi gratia vniuersalis lex, est cognitio illa naturalis quæ nobis insita est, & vis ingenij qua diiudicamus bonum à malo: eam enim indidit Deus omnium hominum animis, laudans ipsos, si quod bonum est id operentur, & vicissim culpans damnansque si malum patrent, quantumuis occulta ea peragantur. Nam & in gentium, vt ait Paulus, *cordibus scripta Lex est, & est ipsis sua conscientia testis*, &c. (Rom. 2.) Eius generis est illud Domini dictum; *Sicut vultis vos vt faciant vobis homines, sic facite etiam vos ipsis.* (Matth. 7.) Particularis Lex autem est, qualis ea, quam Deus præscribebat ipsis Noachitis, ne vescerentur sanguine; (Gen. 9.) H item qualis imposita erat Iudæorum Nazaræis, de non bibendo vino, aut sicera, neque admouenda capitis nouacula, (Num. 6.) quales denique Iudæorum statutæ fuere sacerdotibus, de rebus, alijs omittendis, alijs agendis. Cum igitur Legis vocabulo duobus vtamur modis; & particulariter, & vniuersaliter: respondemus ad alteram quæstionem, non fuisse Legem vniuersalem sed particularem illam; ne gustaret de arbore scientiæ: soli enim Adamo eiusque coniugi eam imperauerat Deus non etiam vniuerso generi humano. Iam superest vt & hoc disquiramus, qua de caussa dederit Deus Adamo legem. Censemus autem ob bene multas caussas id factum à Deo esse. Primo enim, vt sciret se Dominum conditoremque habere qui sibi eam Legem imperauisset, nam dominorum est Leges sancire: deinde vt se creatum effectumque agnosceret; quippe lex creaturis atque effectis statui solet, vt ait Dauid: *Statue ipsis legislatorem, vt sciant gentes se homines esse.* (Psal. 9.11.) Ad hoc, vt intelligeret libertatem sibi faculta-

tem-

A

Arbitrij libertas.

temque arbitrij à Deo datam esse cum ab illo conderetur: neque enim Legem ipsi imposuisset particularem & quæ ex voluntate penderet, ne de Arbore ederet scientiæ, nisi ante libertate potestateque arbitrij proprij ipsum donasset, qua (si vellet) obseruaret Legem, sin nollet, non obseruaret. Præterea Legem ideo posuit Adamo Deus, vt libero ipsius arbitrio esset materies & veluti clibanus quo probaretur, sicut ait Gregorius Theologus: Dedit (inquiens) Legem, materiem libero arbitrio. Sicut enim per ligna periculum fit de arte fabri lignarij, an probe atq; exacte eam teneat, an minime, item per aurum argentumque de aurifabri arte: ita per Legem Adamo constitutam probatum est ipsius liberum arbitrium, compertumque libertatem ipsius remissam solotamque esse ac magis propendere ad præuaricandum peccandumque. Nam valuisset quidem obseruare Legem & tamen non obseruauit, qualis sane facultas brutis animantibus quæ ratione vacant, haudquaquam est concessa. Postremo ob hoc quoque lata est Adamo lex à Deo, vt ille sciret atque intelligeret, alterum Deo superesse sæculum in quo dignum precium solueret vtrisque & ijs qui obseruant & ijs qui violant Leges. Sed pergunt quærere nonnulli vlterius, cur legem tulerit Deus Adamo quam præsciret ipsum non esse obseruaturum. Ad hoc primo respondemus, non ideo Conditorem Deum Legem Adamo imperauisse, vt eam obseruaret, neque rursus, vt violaret (quo vestra hæc quæstio spectat cum dicitis, Cur, quam præsciret illum Legem non præstiturum, præceperit) sed eas ob causas quas nuper commemorauimus. Quippe aliud est obseruare, aliud non obseruare Legem, & aliud, scire se habere Creatorem seque esse creatum & præditum arbitrij libertate, huiusque generis cætera cognoscere. Præterea dicimus, sicut præsciuit illum non obseruaturum Legem, ita præsciuit quoque futurum vt postquam Legem ille transiluisset & per peccatum cecidisset, ipse veniret, redimeret, subleuaret illum à casu peccati. Insuper Legem ideo tulit (etsi violatam iri non ignoraret) quo intelligeretur, ipsum esse Dominum, qui condendarum Legum haberet potestatem, Adamum vero creaturam, & eum qui merito Legibus parere deberet: Præterea quo constaret Liberum arbitrium eis peculiariter concessum esse rebus creatis quæ ratione pollent, vt penes ipsas esset vel seruare vel frangere Leges. Ad hæc sanciuit Legem Deus, tam tum præsciens futurum vt violaretur, quo, ea, obsequiosi à rebellibus secernerentur, amicique ab hostibus, & Legum cultores à præuaricatoribus, atque cum illorum virtus, tum horum vitiositas manifestaria fieret, cognosceretur que: sublata enim Lege, nullum foret vtrosque discrimen fuerit. Et vero hanc etiam ob rem lata à Deo lex est, quam tamen non nesciebat transiliendam, vt ne nesciremus ipsum merito iure ijs qui Legi parerent, retribuere delicias Mundi, contraque rebellibus ærumnas Mundi. Præterea vt ij qui ratione vtuntur, intelligerent, quod alium ille habeat Mundum in quo merita in quemque conferet præmia. Denique non alia ratione præscripsit illam Adamo legem, quam sciebat ipsum transgressurum, atque post, alijs mortalibus, fidei leges, non nesciua, plurimos fore incredulos. Vlterius quærunt, cum esset Adamus naturali Lege informatus quæ in conscientiæ iudicio posita est bonum à malo distinguente, cur hanc alteram particularem etiam Deus ipsi imperauerit, ne ederet de arbore scientiæ? Hic respondemus, id factum esse quo illustrior esset bonitas Creatoris Adami, vt qui non sinit ipsum rebus maioribus animum suum occupare: deinde ne per errorem ille existimaret, se rerum conditarum esse Dominum, neque supra se, dominum alium esse. Nam verbi gratia, cum animaduertisset, omnia illa quæ sub aspectum cadunt sua caussa esse effecta à Deo, seque naturali præditum ab illo cognitione, atque omne genus delicias sibi absque vllo molesto labore in promptu esse, denique res aspectabiles sibi seruientes quasi ancillas, & vt semel dicam, cum vidisset omnia illa bona quibus absque molestia aut cura oblectabatur: facile ipsius animus ex his rebus per arrogantiam confidentiamque mutatus sibi persuasisset, res omnes quæ conditæ essent, ad se spectare, neque alius dominationi esse subiectas: nisi hanc alteram à Deo legem accepisset, de non gustanda arbore, quæ perpetuo ipsis obseruata oculis in memoriam mentemque ipsi reuocaret seruilem humilemque suam conditionem, seque habere Dominum à quo eiusmodi lex de arbore sibi esset imposita, atque eas ipsas creaturas quæ sibi seruiunt, ad illum suum spectare Dominum. Nam si cum Legem haberet naturalem, & insuper hanc de arbore, quæ veluti adiutrix illius esset, tamen deliquit suapte voluntate, atque seductus est: quanto magis peccasset, lapsusque esset, si hæc de arbore lex posita ipsi non fuisset? Rursus, si præter illam naturalem Legem non etiam hanc interdictæ arboris accepisset, mussitassent morosi homines, cur non dedisset illi Deus legem aliam, eaque subsidium attulisset priusquam laberetur per peccatum? Recte igitur Deus Adamo antequam peccaret, hanc Legem de Arbore scientiæ imposuit, licet præterea naturali Lege informatus esset. Quin hoc insuper scire conuenit, non iam iam inquinato Adamo positam esse à Deo Legem, sed adhuc puro proboque & veluti ab omni vitiositate percolato; sic enim ipsum condiderat. Ad hæc illud etiam quæritur, cur Deus Adamo Legem de arbore illa imperauerit, & non de alia re quauis? Respondemus autem: quo cognosceretur illius amor erga suum parentem Deum. Omnis enim Lex vel ad amorem in Deum, vel ad amorem aduersus proximum spectat: iam vero nulli adhuc homines vsquam erant, vt mandare Adamo posset ne occideret, aut ne committeret Adulterium, vel ne furtum faceret: & quæ sunt huius generis alia. Illiusmodi enim præceptis nullus tunc locus esse poterat, quando nulli erant alij homines, ideoque Legem de arbore ferebat, qua obseruanda pietas Adami aduersus suum Conditorem agnosceretur. Denique & illud solet quæri, cur Deus legem Adamo imperauerit, quæ ad cibi concupiscentiam spectaret, non ad aliam rem quampiam? Potuisset enim illi lata Lege mandare vt quosdam nominatim præscriptos dies ieiuniis aut precibus vacans transigeret, vel se vno eodemque loco per eos, immotus contineret, aut huiusmodi aliud quippiam agendum omittendumue. Ad eam quæstionem respondemus, eam concupiscentiam quæ circa cibum versatur primum esse animi nostri adfectum, eoque recte, primam primo homini Adamo Legem de illa esse impositam. Sed vt clarius euadat quod dicimus: multi & varij sunt adfectus quibus nostra libertas impellitur, quorum omnium præcipua, & veluti radix est Concupiscentia. Hæc porro trifariam diuiditur: nam aut ad ventris ingluuiem pertinet, aut ad opum pecuniarumque auaritiam, aut ad gloriæ ambitionem. His enim tribus adfectionum generibus comprehensæ continentur omnes prauæ cupiditates: & his adortus est quidem Satanas Dominum nostrum in deserto, & in Vrbe: verum, succubuit. Cæterum ventris cupiditas, reliquis duabus violentior difficiliorque mortalibus incumbit: quod vel hinc constat, quia absque pecunia & gloria viuere homines possunt: at sine cibo non possunt sicut apud Ieremiam Prophetam scriptum extat: *Dederunt res suas preciosas pro cibo, vt instaurarent animam suam.* Neque enim aduersum nos facit illud Domini nostri dictum: *Non in solo pane viuit homo.* Igitur quoniam Gula, prima est in nobis perturbatio animi: consentaneum erat, vt primæ Legis Adamo primo homini ferendæ esset occasio. Et vero quia per ventris ingluuiem, cibique appetentiam Satanas Adamum vicerat, idcirco & Christus inde victoriam suam aduersus illum in Deserto est auspicatus cum illi diceret, vt est apud diuum Matthæum: *Si filius Dei es, dicito, vt lapides isti panes fiant.* Porro sunt qui Deum culpent, quod Adamum condiderit cibi auidum ac voracem: & interim, Lege lata, à cibo cohibuerit. Sed nos ad hæc dicimus, nullam hic in Deum Creatorem posse culpam conferri, sed in ipsum Adamum iustissime: cuius rationem audi. Cupidine quæ est in nobis, est quatenus libere vti permittitur, est etiam vbi coercenda cohibendaque est. Ea igitur pars illius quæ nostro vsui permissa est, culpa vacat neque Lege inhibetur: qualis est, vt edamus, vt bibamus, vt dormiamus;

Orationе in Natali Christi.

B

Liberum Arbitrium

C

D

Lex Naturalis in Conscientiæ iudicio posita.

Cur lex particularis præter naturalem Adamo posita sit.

E

F

Cur de cibi Concupiscentia, Lex Adamo posita sit.

G

Concupiscentia triplex.

1. Ioh. 2.

Mat. 4.

H

Thren. 1.

Mat. 4.

Mat. 4.

Cupiditas iusta est vel illicita.

mus;

A
mus; atque huius generis alia faciamus. Refrenanda vero coercendaque illa eſt, quam lex vetat exerceri; veluti ſi quis guloſus ſit, aut ebrioſus, vel ſcortator, & huiuſmodi alijs vitijs deditus. Conficitur ergo, Deum Adamo Legem illam perſcripſiſſe, non vt prorſus nihil ederet, ſed vt de vna illa arbore non ederet. Nam ſi nulla illi per eam Legem re veſci licuiſſet, culpandus reuera fuiſſet Deus legiſlator, qui illam ita condiderat vt edendo vitam ſuſtinere deberet. At quando ab vnica ipſum dumtaxat arbore prohibuit, neque id vel per inuidiam vel per odium; ſed vt ex eius Legis obſeruatione cauſſam haberet permittendi deinde ipſi guſtare Vitæ Arborem, quo vita deinceps frui ſempiterna poſſet: haud inſons ſane videri ille debet qui non ſatiauerit ſuam cupiditatem ab reliquis arboribus; neque vnicam illam vitarit, qua fuerat ſibi interdictum. Nam vt cæteræ omnes vetitæ fuiſſent, ſolaque vna conceſſa; nulla tamen ipſum ſubegiſſet neceſſitas de reliquarum vna quapiam
B
guſtare, quo minus cum omnes præter ſolam vnam permiſſæ eſſent, vlla ipſum compulit vis eam vnam arborem vetitam attingere! Certum igitur ex his euadit, culpam in Adamo hærere, non in ipſius effectore Deo. Sed & illud diſquirendum eſt; ſoli-ne Adamo legem imperauerit Deus, an vero etiam cæteris rebus dum ipſas conderet, ſuas cuique Leges dederit? Dicimus autem, omnibus rebus eſſe poſitas Leges: ratione præditis, & rationis expertibus, mortalibus, & immortalibus; animatis, & inanimatis; quæ ſenſu percipiuntur, & quæ ſenſum omnem effugiunt. Nam (verbi gratia) Angelis primam Legem dabat cum ipſos crearet, aduerſus quam præuaricatus Satan, cum ſuis Copijs lapſus eſt; deinde alteram illis rurſum dabat Legem, vt res natura corporatas adminiſtrarent; atque hæc inferiora & cognoſcerent & gubernarent; ipſa ſcilicet naturæ elementa & quæ ex elementis compoſita ſunt corpora, vt ait Philoxenus Sermone de arbore vitæ: Similiter & cœlo & Terræ legem poſuit, vt in rerum natura perdurarent, vt ait Dauid; *Stabiliuit terram ſupra fulcra ſua.* Rurſus Soli & Lunæ cæteriſque Stel-
C
lis ſuas præſcripſit Leges, quibus motus ipſorum æqualitas regitur, dum nunc accedunt propius nunc recedunt; iuxta illud eiuſdem Dauidis: *Statuit ipſam in ſæculum ſæculi, Legem dedit, & non præteribit.* Denique & Mare ſuam à Deo legem accepit, ipſam arenam; ad quam dum inundans atque procurrens pertingit, ſiſtitur neq; ipſam prætérit. Quin & herbis, ſeminibus, arboribus lex data eſt, vt pullulent, augeſcantq;. Poſtremo animantia omnia quæ ratione carent, generali hac lege informauit, vt res ſenſu ſuo percipere & motu ſeſe agitare queant. Cæterum Leonibus particulariter audaciam pro Lege dedit; Leporibus, timiditatem; Pantheris, vnguenti amorem; Vulpibus, fraudulentiam atq; aſtutiam; Agnis, puram ſimplicitatem; Aquilis, ſeu à rapacitatē; Columbis, innocētiam; atque ita de cæteris Legibus particularib. quæ à Deo, beſtiarū, auiū, reptiliū deniq; naturis ſunt impoſitæ, ſicut prolixe antehac in eo libro quem de ſex dieb. fecimus, à nobis eſt oſtenſum. Denique interrogari ſolet, quibus in rebus differant eæ Le-
D
ges quas Deus impoſuit animantibus rationis expertibus, rebuſque alijs corporatis, quæ & anima & ſenſu carent; ab illis Legibus quas hominibus præſcripſit & alijs creaturis ratione præditis: Ad hæc reſpondemus, plurimis eas inter ſe modis differre. Nam legum quæ hominibus latæ ſunt, in ipſa voluntate poſita eſt obſeruatio; earum vero legum cuſtodia quæ nec anima nec ſenſu præditis rebus impoſitæ ſunt, in ipſa earum natura eſt ſita. Tum homines doctrina formantur ad præſtandas Leges quas debent; at ea quæ ratione & quæ anima carent, naturæ imperio atque efficientia ducuntur vt Legibus ſuis obſequantur. Ad hæc; homines, ſi volunt, ſeruant; ſi nolunt non ſeruant ſuas Leges: pendent enim ex Libero hominum arbitrio. At aliter ſe habent earum rerum Leges, quæ ratione & quæ ſenſu vacant: neque enim Leo, & audax & timidus eſſe poteſt; neque lepus, pauidus & impauidus: ſed vna audacia leonum eſt, pauor vero ſolus leporum: neque vt leo non ſit audax, vel lepus, non fugax fieri poteſt. Conſentaneum igitur eſt, hæc ſi ſuis legibus pareant, non ideo digna eſſe

Suas cuiq; rei Leges, vt Adamo, ab initio fuiſſe poſitas.

Philoxeni Sermo de arbore vitæ.
Pſal. 103.

Pſal. 148.

Hominis Liberum arbitrium.

Arbitrij libertas.

E
præmio, quando nulla arbitrij Libertate pollent, ſed naturæ vinculis conſtricta tenentur: nos vero vel obſeruare, vel violare Leges nobis imperatas quimus. Poſtremo hoc etiam addendum huc duximus, nobis inſuper eſſe inditas etiam Leges, illis Legibus rerum ratione & ſenſu carentium ſimiles. Verbi gratia; oculis noſtris inſita eſt à Deo lex videndi, auribus, audiendi; palato, guſtandi; naribus, odorandi; ventriculo, concoquendi; atque ita cæteris membris ſuas indidit rerum Opifex efficacitates pro Legibus. *Quia quo die comedes de ea, mortem morieris.* Hæc oratio minas terroremque continet, vt qua Deus Adamo, ſi præuaricaretur & de arbore illa ederet, obnunciauit periculum. Sed quæritur, qua de cauſſa illi ſit interminans? Facilis eſt reſponſio; vt à violanda Lege, illiuſmodi minis, & pœnę periculo cohiberetur, quam ſibi delinquenti prę- ſto adfuturam præſciret. Leges enim per tres cauſas fere obſeruantur: aut per amorem quo Legiſlatorem proſequimur, aut per præmij ſpem quod parentibus nobis propoſitum eſt, aut denique per metum pœnæ quæ peccanti-
F
bus eſt præſtituta. Huc igitur ſpectat illa comminatio qua vſus Deus ait: *Quo die comedes de ea, mortem morieris*; vt ſi ille prioribus duabus cauſis haud induceretur ad parendū, poſtrema ſaltem hæc (ſupplicij metum dico) in officio ipſum contineret. Nam & illud quoque intelligimus, vt pœnam minatus eſt peccanti Deus, ita & præmium eſſe pollicitum obſequenti, quamuis hoc neque dixerit neque ſcripſerit diuus Moſes, ſed contentus pœnæ meminiſſe, de præmio tacuerit. Promiſerat enim, ſi poſitæ Legi pareret, permiſſurum ſe illi vt de Arbore vitæ ederet, atque ita vitam viueret ſempiternam, immortaliſque euaderet. idque hinc conſtat, quod vbi edisset Adamus de arbore ſcientiæ, dixerit Deus: *Ne forte extendat manum ſuam, & ſumat de arbore vitæ, edatque ac viuat perpetuo:* præterea, quod morte vt pœnæ oppoſita ſi ex aduerſo vita æterna quaſi præmium, & mortali conditioni quam minabatur Deus, immortalis quam promittebat. Porro vbi de Lege quam Adamo imperauerat Deus, locutus eſt Moſes, progreditur ad dicen-
G
dum de concinnata formataque Eua, deque beſtiarum & pecudum procreatione, & de nominibus quibus has appellauit Adam, inquiens: *Et ait Dominus Deus, non eſt bonum Adamum eſſe ſolum.* Sunt ex Doctoribus interpretibus qui dicant, ea verba à Deo pronunciata eſſe voce quæ in audiendi ſenſum caderet, ad erudiendum Adamum docendumq; quod Deus creator ſit, ipſe vero cum vxore rebuſque alijs quæ vſquam eſſent, creaturæ. Cæterum cur cum finxiſſet Deus Adamum, non dixerit, videre ſe id quod condidiſſet eſſe bonum, ſicut de reliquis rebus à ſe effectis dixiſſe memoratur; duplicem exiſtimamus eſſe cauſſam: alteram, quia hic dicturus erat non eſſe bonum, parum enim illa duo inter ſe conſentanea fuiſſent: alteram, quia in libertate arbitrij Adæ poſitum erat, vt aut bonus aut non bonus eſſet. *Non eſt* (inquit) *bonum, Adamum eſſe ſolum* Quid igitur facto opus eſt vt faciat ei adiutorium? Nam ſi id quod non eſt bonum reijciēdum eſt; Illud ſane quod
H
bonum eſt, plane vt conſtituatur conuenit: negatio enim ſi falſa ſit, affirmationē eſſe veram neceſſum eſt: ſunt enim illa ſibi inter ſe ex diametro oppoſita; *Faciam ipſi adiutorium qualis ipſe eſt*: Nuper dicebat Deus, *Faciamus hominem*; hic vero dicit, *Faciam.* Nimirum illud nobis oraculum numero plurali prodit Tres ſacroſanctas Perſonas: hoc vero, ſingulari, vnam eſſentiam: vt ex his duobus Oraculis intelligamus, Deum eſſe vnam Eſſentiam, & Tres perſonas. Ad hoc, ſupra de formatione Adami agens dicebat: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, quo ſignificaret per verbum numeri pluralis, conſultationem quandam deliberationemque idque ad eius qui formandus erat, dignitatem ſpectabat, vt qui non conderetur abſque verbo & conſilio deliberationeque Dei, contra atque beſtiæ rationis expertes quæ ſolo iuſſu extiterunt: hic vero vbi de formanda Eua tractatur, ait; *Faciam*: Et hæc variantia, complures habet rationes. Primo enim oſtendit, vnam eſſe viri fœminæque naturam: Deinde Dei ſtudium aduerſus Adamum & Euam explicat clarius: Ad hoc, prodit Euæ conditionem minime ſuperuacaneam eſſe. Inſuper docet, Deo non tandem aliquando in mentem veniſſe de cōfor-

man

Quod Leges obſeruantur, vnde fiat.

Cur Adamo creato non dixerit Deus bonum eſſe quod feciſſet.

Trinitatis myſterium.

A mandaEua, sed in ipso statim initio simul atque Adamum conderet. Et hæc quidem sensa ex verbo, *Faciam*, commentando elicere possumus. Porro cum Adiutorij vocabulum varijs vsurpetur modis, illud quæritur, qua in re adiuuare debuerit Eua Adamum; hoc est fœmina virum. Statuimus autem in plurimis. Primo in procreandis liberis, hoc est, vtero gestandis. Præterea in educanda prole prognata. Insuper vt ad virum spectat ea quibus opus est colligere comportareque aliũde domum, ita fœminæ est, domi omnia ordinare, atque vt in promptu sint disponere administrareque. Ad hæc, fœmina vt in lætis ita & in aduersis ferendis sociam se viro præstare, vnaque onera omnia subire debet. Denique & in reuerendo, colendoque numine, & in aliarum virtutum exercitio virum ipsa adiuuat: nam vt Paulus ait; *Christi salus, & viris & fœminis ex æquo est communis.* Quod porro addit, *qualis ipse est*, perinde est ac si dicat, quæ, eadem naturæ conditione cum viro prædita sit, non autem quæ vi bestia vel iumentum, o-

B peram illi præstet, quæ humana carent indole. Præterea paritatem quoque naturę, illa verba, & consimilitudinem in vtroque sexu ostendunt, ita vt neutrius, vel præstantior vel deterior existimari debeat. Denique cum tribus fere modis, eos qui alios adiuuant distinguere soleamus (aut enim maior opem fert minori, aut minor maiorem iuuat, aut æqualis æquali operam commodat: Verbi gratia, interdum Rex opitulatur humilis conditionis viro, est etiam vbi pauper subsidio est diuiti, sæpe quoque vir princeps principi viro, aut plebeius plebeio suppetias venit) possunt addita videri verba illa, *qualis ipse est*, vt æqualem æquali auxilio esse intelligamus, dum Eua Adamum adiuuat. Quod si vero quis obijciat, Euam Adamo plus angustiarum quam opis attulisse: ei respondebimus, culpam eius rei non in Euæ conditorem Deum, sed in ipsam Euam esse conferendam. Sicut hodie videmus multas fœminas triste viris suis connubium reddere; sed id illarum ipsarum vitio fieri, non autem ipsarum opifici Deo hoc crimini posse verti. Nam & manus nostræ eo effectæ sunt,

C vt quæ proba sunt ea agant, iam si ipsis ad patranda mala vtamur, erit sane nostra ea culpa, non conditoris illarum Dei: & oculos nostros formauit Deus vt viderent quæ recta sunt teste Dauide, si tamen ad ea quæ impura sunt ipsos intendamus, quis id effectori Deo, ac non potius nostræ vitiositati adscribat? *Et formauerat Dominus Deus e terra omnem volucrem cæli.* Non iam formasse Deum alios animantes aliasque volucres post superiores affirmat, sed de illis ipsis prorsus hic agitur, atque ad eadem effecta, redit oratio, quod ideo fit, vt intelligamus Adamum solum & absque vllo adiutorio quod consimilis esset cum ipso naturæ, formatum primo fuisse, cum bestiæ, iumenta, aues gemino sexu simul condita essent. Cæterum formandi verbum, hic non ita accipiendum est quasi ex terra sint coagmentata animantia, feræ, aues; hæc enim ipsa produxit natura, sicut & reptilia progenuere aquæ, vt ante est à Mose dictum: sed ideo formandi siue fingendi verbo vtitur Scriptura, vt sciamus non solam terram illa

D procreauisse, quod Mosis verba, *Producat terra animam viuentem, iumenta, & reptilia, &c.* videbantur sonare: sed ex terræ simul & aquarum coagulo enata esse, aut ex quatuor potius elementis. Nam ex his, vt Adami, ita cæterorum quoque animantium, ferarum, auium, reptilium corpora sunt composita: sed illius corpus, Dei ipsius est manibus informatum, horum vero corpora non manibus sed solo iussu Dei coaluerunt. *Et duxit ea ad Adamum.* Vnde adduxit feras, iumenta, aues, ad Adamum? nimirum è montibus, solitudinibus, alijsque locis passim collecta, solo nutu suo ad Adamum egit, sicut ad Noam quoque diluuij tempore. Nam vt hic, ita volente Deo, nihil sibi ab illorum feritate metuebat, ita neque Adamus, eo quod adhuc non deliquisset aduersus Dei mandatum: immo vero ipsa Adamum reuerebantur, pauebantque ac tremebant ad ipsius conspectum. Sed & hoc animaduertendum est, hic prorsus atque omnino effectum dari quod ante dixerat Deus ad homines, *Dominamini piscibus Maris & volucribus cæli, omnique animanti terræ*: Et rursus; *Dominamini piscibus Maris*; &c. Quod autem illa ad Adamum, non Adamus ad illa ducitur, amplificandæ dignitatis caussa fit; quasi res possessæ transferantur ad possessorem, aut mancipia ducantur ad Dominum: ostenditur enim, illa obsequium debere Adamo, eiusque caussa esse condita. *Vt videret quibus illa appellaret nominibus.* Non hæc eo dicuntur, quasi Deus illorum nomina ex Adamo discere opus habuerit, sed vulgari hominum more loquitur Moses; quippe solemus quæ alioqui nobis etiam perspectissima sunt, ea tamen proponere alijs vt ipsorum sententiam quoque de illis audiamus: Deus enim ab omni æternitate cuncta nouit priusquam existant. *Et quodcumque appellauerit Adamus animam viuentem, id erit ipsi nomen.* Cum dicit; *appellauerit*, ostendit nomina illis esse ab Adamo indita. Cum porro addit; *animam viuentem*; arguit ea modo id temporis ad Adamum

E

producta esse, quæ animali anima (vt sic dicam) fuere prædita. Denique cum dicit: *id erit ipsi nomen*; demonstrat, ea singulorum esse nomina quæ ipsis sunt ab Adamo posita. Conficitur itaque, pisces, reptilia, arbores, semina, virgulta, herbas, cæteraque ex terra nascentia, & res præterea alias inanimas, non hoc loco neque hac vice nomina sua ab Adamo accepisse, sed alio post tempore neque enim illa omnia potuere vna cum feris, iumentis, volucribus ad Adamum adduci; atque hæc prima est de illis verbis Doctorum sententia. Cæterum alij sic existimant, dicta illa Mosis non eo spectare quasi Adamus nomina iumentis, feris, volucribus posuerit, sed ad imperium Adami, quod ei & simul vniuerso generi humano in illa datum est, pertinere. Nam penes quos est rerum quarundam Dominium, ij quibus volunt nominibus res eas censent, sicut possessor ea quæ possidet. Quid enim alioqui profuisset, inquiunt, hanc aut illam bestiam volucremve hoc vel illo nomine nuncupasse, quod nomen neque ipsę agnoscere quiuissent, neque eo sæculo vllus mortalium ab Adamo discere? Ad hoc videmus singulas gentes sua quamque lingua sermoneque ac vocabulis proprijs, animantes auesque nominare; non Adami autem lingua,

F

nominibusque ab ipso datis vti: vnde conficitur, illa Mosis verba ad imperium quod Adæ eiusque posteritati in feras, iumenta, volucres à Deo concessum fuerat, spectare; vt pro illo, quibus collibitum esset nominibus, ea appellare posset. Est & tertia sententia eorum, qui verba illa referunt ad ipsam rationem qua Deus humanum genus ornauit: ea enim dum homo viuit; appositus, & feras, & volucres cæterasque res creatas, nominibus appellare potest. *Et imposuit Adam nomina omni animali, & omni volucri cæli, & omni bestiæ agri.* Quidam putant, Adamum voce quæ sensu percipi audirique posset, pronunciata; singulis animantium speciebus volucrumque nomina indidisse, cum editiore colliculo terræ pro Paradiso insidentem augustaque amictum maiestate & splendore quem habitu præ se ferebat, & Solis radios superantem; illa summissis capitibus prona, neque præ nimio decore quo ille splendebat, intueri ipsum audentia singulatim præterirent, suisque ab illo appellarentur ex ordine nomi-

G

nibus (nam neque Israelitæ quiuerunt Mosis vultum inspicere ob fulgorem quo collucebat, neque nos valemus oculorum aciem intendere in Solem propter resplendens iubar quo circundatus est) veluti verbi gratia, cum Taurum ille nomine cieret, audito nomine suo Taurus transibat coram illo, capite demisso, neque obtueri ipsum potens: similiter nominatim citatus Equus agnoscebat nomen, prætéribatque deiecta ceruice, neque Adami conspectum sustinens: atque ita de nuncupato Asino, alijsque singulis animalium & bestiarum volucrumque speciebus. Sed dicet aliquis, Vnde didicerat Adamus, quo genus quodque nomine esset vocandum? Ad hoc respondent, quibus hæc interpretatio placet Spiritus sancti fretum gratia, instinctu, atque efficientia; illum proprijs appellasse quæque vocabulis: quippe sicut Apostoli impulsi sunt ad loquendũ alijs linguis, pro eo ac Spiritus sanctus suggerebat ipsis vt loquerentur; ita etiam Adamum ab eiusdem sancti Spiritus benignitate efficacitateque accepisse & scientiam & vocem & orationem, atque ita singulis animalium generibus sua attribuisse nomina.

H

Quibus in rebus fœmina sit Viro adiutorium.

Mulieris officia.

An Eua adiumento fuerit ipsi Adamo.

Gen. 9.

Bruta Adamum initio reuerebantur.

Nomina rebus singulis ab Adamo imposita.

Exod. 34.

Act. 2.

A

Porro iisdem illis ab Adamo positis nominibus vsam esse vniuersam hominum posteritatem vsque ad illud tempus quo sunt confusæ linguæ: & sicut ille fœminam vocabat mulierem, & Euam, ita omnes illius seculi fœminas ad confusas linguas vsque, appellatas esse mulieres, & Euas; quando etiam hodie multi mortalium iis vtuntur vocabulis, quæ sunt ab Adamo primum prodita. At alii Interpretum, vt nuper ostensum à nobis est, dicere malunt, Mosen significare illis verbis, imperium Adamo eiusque posteritati concessum, pro quo, nomina animantibus cunctis rebusque aliis imponere possint. Alii vero existimant, hæc ad ipsam rationem spectare, qua donati ab opifice Deo homines, suis res quasque vocabulis queunt appellare. *Et Adamo non inueniebatur adiutorium qualis ipsius erat.* Haudquaquam existimanda sunt hæc verba pro responso data esse cuipiam: quis enim interrogare potuisset num Adamus haberet subsidium sibi simile, quando præter illum etiam tum nemo erat

B

hominum? Verum spectant ad cognoscendum discrimen inter Adæ conditionem & cæterorum animantium ratione carentium in eo positum quod in his mas & fœmina pari ortu simul extiterint; in genere vero humano

Qualis fuerit Adami somnus.

Adam solus conditus sit, & deinde ex ipso fœmina. *Et immisit Dominus Deus in Adamum, quietem, & obdormiuit.* Notandum est, pro quiete in Græco ἔκστασιν: hoc est, mentis stuporem, esse scriptum; in Hebræo vero, somnum. Cæterú eo quod ait, Deum misisse in Adamum, quietem siue mentis stuporem; arguitur, non naturæ necessitudine somnum illum Adamo accessisse, sed Deo conciliante. Qualis vero fuerit illa quies, aut ἔκστασις, si quis quærat, respondemus haud similem consuetis illis fuisse quibus vt solemus, naturæ indulgentes. Primū enim eo sopore immisso, obduxit Deus Adami mentem à rebus omnibus quæ visu vel alio quouis sensu percipi possint, atque ita somno eo adfecit vt illarum rerum prorsus nullam sentiret: nimirum ipsius cogitationes penitus ab occupationibus rerum mundanarum omnibus ita collegit vt alio mentem suam ille, quam

C

in seipsum ac circa sese, non intenderet aut verteret: deinde reuelationem ipsi indidit, qua veluti diuina quapiam efficientia sic ille comparabatur vi per animæ suæ motus viresque, videret atque audiret cuncta quæ in seipso ac circa se agebantur. Permisit enim ipsi vt non aliter apud animum suum versaret reputaretq; ac certus redderetur quod costa sibi eximebatur atque in mulierem concinnabatur, quam si oculis auribusque corporeis visus rem ipsam vidisset & audiuisset. Nam eo captu animi, qui videndi audiendiq; sensibus respóderet, ideo ipsum infirmauit Deus, quo penitus cordi ipsius fixa hæreret mentique certa constaret res illa quæ agebatur; intelligeretque ille se nō fantasia quapiam atque vana imaginatione seductum à vero esse, sed rem ipsam percepisse: non aliter atque nobis accidit, qui dum oculis aliquid cernimus auribusque audi-

Quomodo Prophetæ adfecti in suis visionibus.

mus, vere nos quod res est didicisse scimus: sunt enim duo illi sensus (visum dico, auditumque) in omni re certissimi veritatis testes. Et vero vt hic cum Adamo, ita alias cum sanctis Prophetis agebat quoque Deus quando ipsorum pectora diuinis suis reuelationib. illustrabat: ante omnia

D

enim abducebat ipsorum mentes cogitationesque ab omnibus rebus spectabilibus aut in quemuis alium sensum cadentibus atque materiatis, & plane ab omni mundanarum rerum occupatione: quo, mentis agitationibus animique cogitationibus intente contemplarentur ea quæ apud se gerebantur: eaque non aliter intelligerent quam quæ oculis auribusque corporeis coram fieri viderent atque audirent, deinde radiis diuinarum reuelationum pectora ipsorum collustrabat: reuelationum (inquam) earū rerum quæ aut euenturæ erant, aut iam tū acciderant. Verum illiusmodi reuelationes diuinæ & Spiritus sancti efficaces actiones, Prophetis vigilantibus contingebant; at Adamo dormienti obuenit sacra illa reuelatio rei quæ circa illum agebatur in condenda ex ipso Eua. Fuit igitur ea

Gen. 15.

ipsius quies siue, ἔκστασις, qua Deus Adamum deuinciebat quando ipsius detractam corpori conformabat Euam, illi

Ezech. 1. Isa. 6.

similis sacræ visioni qua Abraham cernebat lampadem ignis incedentē inter frusta; qua Ezechiel inuectos Che-

E

rubinos: qua Isaias Deum sedentem in sede sublimi Seraphinosque stantes circum ipsum: denique qua Petrus descendens è cœlo velum contuebatur. Atq; hæc hactenus

Act. 10.

de quiete siue Ecstasi, quam Deus Adamo iniiciebat, dicta à nobis sunto. Illud porro quod scribitur, *dormiuisse Adamum*: ostendit ipsum adhoc ignarum quid rei esset Somnus, se nudum humi abiecisse, atque sternuisse: sed indutum interim gloria, splendentemque Solis in morem. Porro in disquisitionem autem hic venit, num per insomnium viderit costam quę sibi subtrahebatur, atque conformabatur in fœminam: an vero reipsa eam costam intuitus sit? Respondemus vero, eum minime costam ipsam reuera adspexisse, cū dormierit: neq; etiam per Insomnium

Vera sunt ea insomnia non nulla.

(quanquam non negandum sit esse quędam Insomnia vera, cuiusmodi fuere illa quę Iosepho euenerunt & Pharaoni, item Danieli & Nabuchodonozori, atque etiam Iosepho Mariæ sponso, denique vxori Pilati, compluraque a-

Gen. 37. & 41.

lia huius generis) sed per diuinam reuelationē, cū somno tamen interim esset ipse occupatus. Cęterum diuinę reue-

F

lationes non vno omnes modo hominib. offerri solēt: sed partim repræsentatis rebus ipsis, aliæ per insomnia: deniq; nonnullæ etiam neque per res ipsas neque per insomnia,

Dan. 4. & 7. Matt. 1. Matth. 27

sed per Animæ sensus: occlusis scilicet sensibus corporis: sicut nobis vsuuenit, dum clausis oculis, obturatisque auribus cogitationem nostram ita intēdimus in rem quampiam remotam, vt neq; audiamus illos qui nos ex propinquo alloquuntur, neque videamus. Sunt autem reuelationes, quæ p res fiunt, cuiusmodi fuit illud Mosis visum, quo

Reuelationum diuinarum plures modi.

ignem Rubumque ipsum, & cætera videbat: ex vero quæ per Insomnia: quales fuere, Iosephi & Pharaonis, atq; Danielis & Nabuchodonozoris. Quæ neque reipsa neq; per

Exod. 3.

Gen. 37. & 41.

Insomnium accidunt, illius sunt generis cuius erant quas videbat Abraham, Isaac, Petrus, & hoc loco Adam. Solet & illud quæri, cur non vigilanti Adamo, sed dormiēti costam Deus subtraxerit? Atqui si vigilanti exemisset, horum ipsi euenisset alterutrum, vt aut doloris sensu aliquo afficeretur in auferenda costa: aut nullo. Iam vero si doluisset, odium aduersus coniugem suam Euam concepisset: sin

Cur Adamo dormienti potius quam vigilanti erepta costa.

G

nullo tactus fuisset dolore, existimasset falsam duntaxat imaginationem fuisse eam quæ de Euæ conditione suo animo obuersabatur, neque reipsa & vere accidisse. Imbuit igitur illum somno Deus ne quid doloris sentiret dum costam amitteret: rursusque effecit vt intellectus sui motu, costam sibi ademi, inque Euam concinnari viderit: quo ea res ipsius animo impressa fixaque penitus mente hæreret, neque falsa rei imago existimaretur: hæc vero animi intelligentia atq; notio, ex diuina est orta reuelatione, & instinctu. Igitur non naturalem somnum & vsitatum illum immisit Adamo Deus, quo effectum est ne sentiret dolorem, ægreque haberet dum sibi costa demeretur: ex quo dolo-

Adami somnus primus non fuit naturalis.

re subinde in memoriam sibi recurrente, hostis aduersus eam mulierem fieri potuisset, quæ ab ipso Deo erat conformata, sed ea ipsum quiete, siue Ecstasi deuinxit, in qua scire posset atque intelligere, illud rem ipsam esse, quod in se, & circum se agebatur à Deo, nullo tamen interim doloris sensu tactus. Ad hæc sciendum est, quod Prophetis, cū

H

imbuerentur diuinis reuelationibus dabatur simul mentis contemplatiua vis quædam, qua sacras illas reuelationes penitus intuerentur atque expenderent: qua contemplationis vi alioqui non semper sed solo illiusmodi reuelationum tempore mens ipsorum illustrata manebat: auferebatur vero ea ab ipsis post reuelationes, sed remanente interim fixa in ipsorum mente, vera contemplatiuæ illius virtutis memoria, etiam posteaquam euanuissent ipsæ reuelationes simul cum vi illa contemplatiua. Ita enim accidit Abrahamo Ecstasi correpto, Elisæo visum videnti, item

Rom. 15. 4. Reg. 2. Isa. 6. Ezech. 1.

Isaiæ cum cerneret Deum sedentem super solium; præterea Ezechieli intuenti Cherubinos inuectos, denique Petro contemplanti velum. Igitur sic Adamus quoque affectus erat cum quietem siue ecstasim ipsi immisisset Deus:

Act. 10.

apparuit enim ei Deus, dataque est ipsi simul vis ea mentis contemplatiua qua cernebat eximi è suo corpore costam & fœminam formari: sed postquam abscessit ab ipso reuelatio, atque ablata simul est mentis illa vis contemplatiua: mansit tamen nihilominus firma in ipsius animo,

rei

A

Cur Eua non etiam vt Adamus ex puluere formata sit.

rei de se gestę vera recordatio. *Et accepit vnā è costis ipsius, clausitque carne eius locum.* Cur ex ipso Adamo formauerit Deus Euam, & non ex terræ puluere finxerit sicut ipsum Adamum, variæ sunt caussæ. Prima, vt vna eademque radix, & nascendi principium esset omnibus hominibus ipse Adā. Altera ne dicerent contentiosi homines, alium fuisse Adami, alium Euæ conditorem sed fateri cogerentur, ab vno eodemque Deo ambos esse formatos. Tertia, vt arctiore constringeret amore virum & fœminam, eo quod hæc ex illo esset orta. Quarta, vt effectum redderetur quod Moses de Adamo dicit; *Masculum & fœminam creauit ipsos.* Quinta denique, ne fœmina principatum affectaret, qui viri est.

Viri & fœminæ cōcordia.

Viri, non fœminæ, est principatus.

Quæri porro potest, cur Deus Euam non sumpserit ex parte corporis Adami anteriore, aut infima, aut posteriore, aut denique suprema, sed ex medio corpore. Dicimus vero ex anteriore parte acceptam non esse, ne vellet potior haberi virumque imperio premere; neque rursus ex posteriore, ne viro esset contemptui: ex capite vero ablatam non esse, ne primas quæ viro debentur fœmina sibi vendicaret; & vero neque ex vltima parte corporis formatam esse, ne vir fœminam multo se inferiorem humilioremque æstimaret; sed ex medio corpore, vt mediocri apud virum dignatione haberetur.

B

Cur ex sinistra parte potius, Eua formata sit.

Solet vlterius hoc etiam quęri, cur è sinistra potius corporis parte, quam dextra sit ablata; possumusque respondere, ideo è dextra parte sumptam non esse ne cum viro conferri æquarique se vellet: duas vero esse rationes, cur è sinistro latere sit formata; alteram, vt sit viro obsequiosa eiusque imperio obtemperans; alteram, vt sciatur infirmioris eam naturæ esse. Nam sinistrum latus dextro imbecillius est, neque enim sese potest absq; dextri auxilio subigere, vt neque fœmina se absque viro sustentare valet. Et vero sinistrum arguere imbecillitatem, vel ipsa animantium natura monstrat; quorum omnium sinistra pars imbecillior est quam dextra. Est itaque in fœminis temperamentum corporis frigidius, imbecillius, crudius, vt in parte animantium sinistra. Quin inter ipsos viros reperias cuius dextrum latus sit calidum, vegetumq; sinistrum vero, frigidum ac flaccidum. Ad hæc masculus in dextro latere concipitur, femella in sinistro. At enim ex ipsa imbecillitate quam in sexu fœminino palam cernimus, satis arguere liceat, Euam è sinistro Adami latere, vt minus valido, esse acceptam.

C

Cur Eua formata sit ex Costa.

Porro cur costam & non aliam corporis partem Adamo detraxerit Deus, quam concinnaret in fœminam, plurimas habemus rationes: nam cum in costa & carnem & ossa, & neruos, & sanguinē inuenire sit; ex ipsa, vt perfecto absolutoque membro, perfectam numerisq; omnibus absolutam esse formatam fœminam recte colligitur. Præterea eo etiam significatū est, ita fœminam protectore viro opus habere sub cuius vmbra tuta lateat, vt costæ brachijs contectæ proteguntur. Denique eodem spectat quoque mysterium perfossi lateris Domini nostri in cruce, ex quo profluxit sanguis & aqua, vt hac renascerentur Fideles per Baptismum, illo vero expiarentur. Ideo enim lancea Domini nostri latus perfussum est, vt lueret expiaretque fœminæ illius scelus, quę ex latere viri per costā fuerat enata.

Ioh. 19.

D

Cur Deus Costæ locum carne expleuerit.

Viri & vxoris concordia.

Porro ideo expleuit carne locum exemptæ costæ, ne dolore adficeretur experrectus Adam, eo quod parte ea corporis esset mutilus; simultatemque aduersus detractam sibi partem conciperet. Et vero duo sūt, q̄ expedite Deus peregit in Adami corpore; alterū quod costam absque dolore exemit, alterū quod pro costa carnem suffecit; & quidem neutrum horum sentiente Adamo, rem tamen ipsam intelligente atque cognoscente per diuinam reuelationem, quam mentis contemplatione intuebatur. *Et concinnauit Dominus Deus è costa quam sumpserat ex Adamo, fœminam.* Hęc non sunt à Deo tribus diuersis peracta vicibus; neque id dicit Moses, sumpsisse Deum primo costam, post expleuisse locum eius carne, ac tunc demum concinnasse fœminam: verum subito, & oculi breuissima nictatione exempta est costa, suffectaque caro, & conformata fœmina. Nam si intra oculi momentum resurget vniuersum genus humanum, vt diuus Paulus ait, multo facilius intelligere possumus, simul illa tria apud Adamum à Deo peracta esse: verum quando non potuit Moses simul omnia hæc verbo vno complecti atque enunciare & describere, coactus est ex ordine dicere Deum cœpisse costam, & costæ loco carnem supposuisse, ac fœminam concinnasse.

1. Cor. 15.

E

Rursus quæritur, cur Moses de Adamo vsurpet, *Gebal*; hoc est, fingendi siue subigendi verbū: at de Eua *Tacan*, hoc est, concinnandi. Respondemus, fingendi subigendiue vocabulum luto conuenire, ex quo Adam formatus est; subigi enim lutum debet, vt quippiam ex ipso fiat: at costa cum iam tum subacto ex luto formata existeret, sola concinnitudine opus habebat, vt in fœminam euaderet. Iam vero hoc quoque interrogari potest, cur non sit dictum de Eua, quod insufflauerit Deus in ipsam, Animam, sicut de Adamo scriptum est; *Et insufflauit in faciem ipsius animam viuentem*: Respondemus nequaquam eo istud factum esse quod Eua non fuerit prædita rationali anima perinde ac Adamus; aut non composita ex corpore & anima, vt ille: neque vero etiam quasi anima ex corpore nascatur, sicut os ex osse & caro ex carne: sed duabus de causis illud prætermissum in historia esse, quarum altera est, cum ante esset de Adamo explicatum, humanam naturam ex corpore & anima in ipsius faciem insufflata constare, minime erat necessarium idem de Eua hic repetere; altera, quia cum costam temperasset Deus rebus omnibus quibus opus erat conformasset que in fœminam, dubium esse non potuit quin simul Animam in ipsius faciem inspirasset, idque vel hinc intelligitur quod & si alio modo Adam alio Eua orti sunt (Adam enim ex luto factus est, Eua vero ex Adamo concinnata; atque Adam, non generatus extitit; Eua vero ex Adamo est producta) tamen consimilis prorsus ambo sunt naturæ, parique cōpositione naturali constant, quæ est corporis & animæ cōmixtio.

Cur non dicerit Moses, inspiratam in faciem Euæ, animam, vt de Adamo dixit.

F

Et adduxit ipsam ad Adamum. Vnde, & quo duxit illam? sane non ex vno loco ad alterum; sed cum ante in rerum natura non fuisset, produxit in rerum naturam. Cęterum ideo dicitur ad Adamum ducta esse, quia eius gratia ipsam condiderat, cōcinnaratque Deus: ait enim Scriptura; *Faciam ipsi adminiculum qualis ipse est.* Sed nō est, vt ab ipso ablata fuerat rudis atque informis costa, ita & restituta; verum iam concinnata, effectaque fœmina. *Et ait Adam; Hac vice os de ossibus meis, & caro de carne mea.*

G

Hic vaticinantis Adami verba nobis prodit diuus Moses: nam qui sopore atque quiete obrutus iacebat, animæ vero suæ interim agitationib. mentisque contemplatione rem ipsam quę in eximenda costa concinnandaque Eua agebatur, considerabat; subito experrectus, cum eam ipsam mulierem quā per somnium conformari animaduerterat, coram se stantem vigil inueniret; diuina sancti Spiritus gratia impulsus vaticinabatur, inquiens, *Hac vice os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Quod ait; *Hac vice*, ad illius temporis spectat discrimen, quo Deus bestias ac iumenta volucresque ad illum egerat, imponendorum nominum caussa: perinde ac si Deo dicat Adamus. Quam nunc ad me adduxisti mulierem, longe alia est atq; fuere animantia illa quibus ad me actis nomina indidi: neque enim illa ex me sumpta, aut meæ fuerant naturæ; at hæc os est ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hoc est, ex meipso accepta est, meæque est penitus naturæ particeps: vna quippe eademque natura constamus ego illaque.

H

Adam per Somnum didicerat quæ dein de Prophetauit. Erat plane Beres Cephas, nā plenissima rerum humanarum supernaturaliumque cognitione quasi imbutus fuit Adam, recte originem suā nouit S. Thomas 1. par. quęst. 99. art. 3.

Cæterum duabus id Orationibus sciebat Adamus quod hic pronunciabat, & mentis suæ cōtemplatione qua dormiens cernebat, & Spiritus sancti benigna efficientia qua intus illustrabatur. Sed animaduertendum est, Adamum quoque ex Euæ compositura suam ipsius intellexisse agnouisseque: cum enim per Animi sui contemplationem intueretur Creatorem eum qui Euam condebat efficiebatque, agnoscebat simul & suam ipse cōditionem & eum qui se creauisset: sicut etiam Angeli cum viderent animas Adami & Euæ à Deo creari præditas ratione & intelligentia, & immortales: hoc est, sibi similes; tunc demum intelligebant, qua ipsi essent conditione naturæ creati, & à quo Opifice. Possumus etiam aliter verba illa; *Hac vice os*; &c. in hanc sententiam interpretari: Hac duntaxat vice mulier ita formatur: vt sit os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; in posterum vero non sic formabuntur mulieres, sed per maris cum fœmina connubium procreabuntur. *Hac vocabitur mulier; quia è viro accepta est.* Videtur quidem hæc oratio hunc præ se ferre

A

sensum, quod ideo dicta sit mulier quia ex viro sumpta est, cum tamen propter legitimum cum viro coniugium mulier appellent. Nam si inde quod sumpta sit e a viro, hoc nominis sortiatur; plane aut cæteras mulieres omnes ex suis maritis acceptas fateri oportebit, aut earum nullam mulieris nomine dignam esse. Quod autem vocabulo fœminas nuncupemus ob legitimas eum maritibus nuptias, ipse nos vsus docet quo eas consueuimus solas sic appellare quibus legitimum intercessit cum viris matrimonium. Quin diuus Paulus quoque vbi virginem secernit à muliere, ostendit eam quæ non est secundum Legem nupta viro mulierem vocari non oportere; sed eam quę legitimis nuptiis cum viro sociata sit. Insuper, hanc esse illorum verborum sententiam, ipsius Adami quę subsequuntur verba arguunt. *Propterea relinquet vir patrem suum & matrem, & adhærebit mulieri suæ.* Nam nisi legitimo nuptiarum vinculo coniuncta fuisset sibi sua fœmina, plane non vocasset eam suam mulierem siue vxorem.

1. Cor. 7.

B

Denique sunt quidam Interpretum, qui, *Itto*; hoc est, mulierem siue vxorem vocatam tradant illam hoc etymo: quasi ipsa ad maritum suum dixerit, *Atta Ta Zatdo*; hoc est, tu accede ad me, nimirum si velis mihi rite sociari paterque liberorum fieri conseruandi generis humani gratia. Conficitur itaque his omnibus, ideo Euam dictam esse *Itto*; hoc est, mulierem siue vxorem, quia Lege viro coniuncta erat: omnesque ac solas fœminas rite nuptas, illo nomine dignas esse: atque in eam sententiam Adami verba illa esse explicanda, quantumuis aliam præ se ferant. Verum enimuero sunt qui dicant, duo ista nomina, viri & mulieris, magis inter se conuenire in lingua Hebræa, quam Syra, aut Græca, aut Armeniaca, aut denique alia quauis: in illa enim virum, *Is*: mulierem, *Issa* enunciari, quod perinde est ac si Syrus, vt virum, *Gabro*, ita mulierem *Gabirto* vocet: de qua re nos, volente Deo, dicturi sumus in eo Commentario, quem scribere constituimus in reliqua libri Geneseos capita, si vita superet, erit enim eius tractandæ congruus locus, vbi ad illa verba peruentum fuerit: *Et erat omnis terra lingua vnius, & sermonis eiusdem. Ideo relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori (siue mulieri) suæ.* Iam diximus, ex his verbis facile intelligi, mulieris nomen à legitima coniunctione, qua viro sociatur, dictum esse.

Eua vnde dicta Syris, Ito.

Vt si Latinus virū diceat hominem: Mulierem vero, hominam.

Gen 11.

Gen 2.

Matt 19.

Mar 10.

Ephe. 5.

C

Nam eo spectat quod hic dicit, viru tu ita mulieri mutuum cohærere debere, vt patrem matremque sibi præ illa deserendos statuat. *Et erunt ambo, caro vna.* Multis modis vir & vxor vna caro censentur: per coniugij necessitudinem, per sobolem ambobus communem: denique eo etiam quod parentis filijque ratio ex ipsa muliere pendeat atque ex ea constituatur, quantum ad ipsa corpora quæ progignuntur, pertinet: ex connubio enim viri mulierisque fit vt concipiat pariatque mulier: iam vero per conceptum partumque parentes & filij efficiuntur. Porro certum est, Adamum hæc verba per vaticinium ex diuinis reuelationibus pronunciasse. Nam illa ipsa Christus in Euangelio quasi ex Dei Patris persona dicta profert: quandoquidem Prophetarum verba, etsi ex ipsorum oribus emanârint, tamen vt ab ipso Deo pronuntiata accipimus; Dei enim ipsius organa, Prophetæ habendi sunt.

D

Matt 19.

Mar. 10.

Cæterum quæri potest, cur de viro dicat Scriptura, quod relinquere debeat patrem matremque, & adhærere vxori: quando ipsæ potius mulieres, patre, ac matre, familiaque, ac rebus suis omnibus relictis, ad viros accedunt ipsisque adhærent. Ad hoc respondendum est, multis id rationibus fieri: & quia vir mulieris caput est, & quia ille per coniugium liber primum euadit soluiturque patria potestate in qua tantisper erat dum vxorem duceret: ex enim dicta ipse fit pater familiâs. Et quia non parentem esse sed corpora miscêre, tempore prius est: neque enim quia parentes sunt, Venere vtuntur, sed quia hac vsi sunt, parentes fiunt. Nam Adam & Eua priusquam mutuis amplexibus consociati essent, haudquaquam parentes dicebantur, verum vbi connubio cohæsissent filiosque procreassent, tum demum parentes sunt merito cognominati. Porro posteaquam de condita Eua locutus est Moses, procedit ad explicandum quomodo vitam agitauerint suam primi Parentes his verbis; *Et erant ambo nudi, Adam & vxor ipsius, neque pudebat ipsos.* Sed cur non pudebat? Non profecto quia puerull essent, aut quia rustica simplicitate atque imprudentia: fuêre enim à Deo effecti ætate iuuenili, non puerili; & prudentes, non stolidi aut inurbani. Sed ideo pudore non afficiebantur de sua nuditate, quia adhuc non peccarant neque deliquerant, eoque nulla animum cogitatio subibat esse aliquam in nuditate culpam.

E

Præterea amicti erant gloria, atque idcirco non verecundabantur: sicut enim Mosis faciem gloria contectam intuêri non potuerunt Israelitæ; & vt in Solem stola gloriæ vestitum mortales oculorum acié intendere nequeunt; præterea vt Corpus Domini coopertum gloria, Solem ipsum fulgore candoreque superabat cum in montem se recepisset; denique vt ipsius diuinitatis vestimentum spectabile non est: ita Adam Euaque quia vestiti erant gloria, nihil verecundabantur.

Exod. 34.

Sol gloriæ stola vestitus.

Matth. 17.

F

Nuditas non pudenda.

Nam nuditas ea de qua hic Moses agit, ad vestem spectat non item ad gloriam qua etiam tum contecti erant. Insuper est vbi nuditas pudoris sensum generet; est etiam vbi nulla verecundiæ cogitatio animum ob nuditatem subeat. Illius exemplum habemus in Adamo atque Eua, qui posteaquam deliquissent, existimabant suam sibi nuditatem pudori esse debere; huius vero in puerulis, quos nihil pudet esse nudos; idem accidit, cum res ipsa pudorem in se nullum habet, veluti cum quis secreto, & absque testibus, se vestibus exuit: Fit hoc etiam longa consuetudine magistra, sicut iis euenit qui assidue in balneis nudi versantur. Denique vbi rei necessitas quædam incumbit; veluti si quis vlcere laboret in ea corporis parte quam alioqui absque pudore non tegat; ipsa tamen necessitate adactus, eam, exuto pudore, medico aperit. Duas igitur ob res non verecundabantur Adam & Eua cum essent nudi, & quia amicti erant gloria, & quia adhuc non deliquerant. Nam & in futuro Mundo sublatus erit omnis pudor ex hominibus, qui ex nuditate possit gigni; tum quia vestiti erunt gloria qua certat indutus Adamus atque ipsius vxor Eua inter arbores antequam violassent mandatum; tum quia ipsa pudoris caussa, peccatum dissolutum erit irritumque.

G

Caute lege, nam Adā nō habuit corp^9^ gloriosum vt beati in patria, sed forsan intelligit donum illud splendidum status innocentiæ, quo ex nuditate corporum nullus oriebatur rubor, quale quoque erit in patria.

Cæterum diuus Moses dum perseuerat, Adamum Euamq; nihil puduisse suæ nuditatis: confert id sæculum quo ea scribebat, cum eo quo illi fuêre procreati à Deo, quasi dicat: Non vt iam videtis homines ob nuditatem pudore adfici, ita Adamo Euæque accidit; neque enim illos puduit ob duas quæ dictæ iam sunt, rationes. Porro absoluto sermone de creato Adamo Euaque, & de vitæ ipsorum instituto; pergit diuus Moses commemorare fraudem qua seducti sunt à recto, nimirum vt nos doceat ex quanta libertate in quam grauem delapsi seruitutem per peccatū, inquiens. *Et Serpens astutior erat omni bestia agri, quam effecerat Dominus Deus.* Num de corporato Serpente hic agat diuus Moses, an vero de Satana qui Serpenti similis apparuerit: &, si Satanas in Serpêtis corpus se insinuerat, cuius generis fuerit is Serpens; præterea pedesne habuerit an minime, ille Serpens; & quæ huc spectant alia, pridem sunt à nobis diligenter pertractata. Commemorauimus etiam cur Serpentem astutiorem dixerit, non prudentiorem cūctis bestiis agri! de his enim omnibus egimus capit. xxvii. quæstionibus decem in medium propositis. *Et ait Serpens ad mulierem: Vere dixit Deus ne comederetis de omnibus arboribus Paradisi.*

H

An Satanas audiuerit Deū Adamo præcipiētem ne cōederet.

Dubitari potest, an audierit Diabolus mandatum Legemque, quæ Deus Adamo imperauerat: cumque minime ignoraret quod res erat, dixerit ad fœminam: *Vere ait Deus ne comederetis*, &c. an vero suspicans modo Legem illi à Deo positam fuisse, mulierisque animum tentaturus illa ad ipsam verba fecerit. Dominus Ephræm, alijque Interpretes complures censent Satanam audiuisse mandatum quod Adamo dabatur: eiusque conscium accessisse interrogasseque fœminam illis verbis: *verene ait Deus*, &c. quo per eam interrogationem sibi captaret colloquendi ansam. Philoxenus vero & Theodorus Nestorianus multique cum his alij dicere malunt, Satanam non adijsse Legem dum Adamo imponebatur, sed coniectura atque suspicione præscriptæ cuiuspiam Legis ductum, mulierem adortum esse vt ex ea interro-

Theodor^9^ Nestorianus.

gata

A gata disceret qualisnam lata lex esset; atque inde capta-
to fallendi argumento aduersus ipsam abuteretur. Nos porro putamus, cuiusque harum duarum sectarum sententiam versari in tribus hisce quæstionibus; vtrum condita sit Eua simul cum Adamo, an post: deinde, acceperitne vna cum Adamo mandatum illud ab ipso Deo, an vero post ab Adamo: denique sitne per vocem quæ in sensum caderet, data lex ea à Deo, an vero absque voce menti impressa, cognoscibilisque reddita: ac proinde censemus has quæstiones accurate expendendas esse priusquam de illis sententia recte possis existimare. Igitur Dominus Ephræm & qui cum ipso sentiunt Interpretes alij ipso sacri Scripturæ tenore serieque ducti, dicunt primo Adamum esse conditum extra Paradisum, & deinde in Paradisum introductum accepisse à Deo mandatum ne vesceretur arbore cognitionis, post indidisse nomina animantibus, ac tunc demum conformatam esse Euam ex ipsius corpore, atque de præcepto

Historiæ Adami ordo. Eua didicit ab Adamo Præceptum Dei.

B edoctam ab ipso Adamo voce eiusmodi quæ audiri posset, eamque vocem exaudisse Satanam cum ad vxorem loqueretur Adamus; itaque Satanam mandati minime ignarum, sed bene conscium aggressum esse Euam, eamque pacate interrogasse; *Verene dixit Deus, ne comederetis de arboribus Paradisi?* nimirum vt ea sibi interrogatione aditum ad colloquium pararet. Theodorus vero & eius Sectatores aiunt, simul Adamum esse conditum & Euam ipsi detractam eodem quo creatus erat loco, atque hanc vna inde in Paradisum cum illo esse subductam, vnaque Legem accepisse ab ipso Deo; non quidem voce quæ audiendi sensum moueret, latam, sed menti ipsorum impressam consignatamque quodam cognoscendi modo. Nam simul vtrique Legem hanc imperauisse Deum, vel inde se comprobare satis posse putant, quod scriptum sit; *Masculum & fœminam creauit eos:* item; *Dominamini piscibus Maris, & volucribus cœli*; quæ plurali numero dicta sunt: præterea, quia Eua ob fractam Legem magis etiam culpabatur quam Adam. Neque vero absurdum est, si

C hæc ant illa quæ ad Adamum modo locutus videri potest Deus, ea sub Adæ persona ad vtrumque ipsorum dicta putemus. Nam quod scriptum est in Psalmo, *Beatus vir, qui non ambulauit in via impiorum*; profecto ad vtrumque sexum sub solius viri nomine spectat. Et quæ in Ecclesiasticis consilijs cœtibusque, de viris disceptamus constituimusque, sane ad fœminas ex æquo pertinent. Cæterum quod non voce quæ exaudiri posset, latam esse Legem aiunt; sed quodam reuelationis modo immissam in ipsorum animos, simile esse dicunt illis visis quæ Prophetis apparedt. Nam simul inditam fuisse illorum mentibus vim quandam intelligendi ac veluti intuendi atque ita certo cognoscendi id quod iubebantur, nulla intercedente voce quæ audiendi sensum moueret; quum Serpens, quando de Lege lata interrogabat, perperam ipsa Legis verba retulerit; nimirum quia non Legem ipsam auditam cum ferretur, tenebat, sed suspiciens coniectabat modo; vt qui cum videret animantia passim carpere pabulum, Adamum vero Euamque etsi corpore

Dei Præceptũ, voce an inspiratione, Adamo sit datum.

Cur serpẽs verba diuini Præcepti male retulit.

D constarent, nondum tamen vesci, facile venerit in suspicionem, imperatam his esse Legem quampiam qua vescendi modus aliquis esset præscriptus. His ergo inducantur isti rationibus, vt putent Dæmonem ignarum mandati, mulierem illa interrogatione esse adortum, quo ex ipsa Legem disceret; eaque cognita, & ijs quibus imperata erat & ipsi Legislatori insultaret. Esto autem iudicium penes Lectorem, vtram harum duarum opinionem approbet: potest enim in vtrauis acquiescere. Cæterum Satanæ verba illa in ipso statim exordio, Dei verbis aduersantur: mandarat enim Deus Adæ atque vxori vt de omnibus arboribus Paradisi vescerentur, sed de sola arbore scientiæ boni & mali non vescerentur: at ille contra: *Vere* (inquit) *dixit Deus ne de Arboribus Paradisi vesceremini.* quæ oratio prorsus cum Dei oratione pugnat. Videtur vero in ipso sermonis initio dæmon ideo verba sua ad multas Arbores extendisse, vt occasionem sibi compararet in progressu vnam aliam vetitam arborem calumniandi. Nam cuius studia in vniuersum

Serpentis verba, cum Dei verbis pugnant. Sapientis auctor citat, Ne de omnib. arboribus Paradisi, &c. cum signo vniuersali vt est in Hebræo.

E omnia improba sunt atque peruersa, haud mirum est si ab improbitate auspicetur. *Et ait mulier ad Serpentem: De fructibus arborum Paradisi omnium comedimus, de fructibus arboru quæ est in meditullio Paradisi dixit Deus; Ne edatis de ea, neque tangatis eam ne moriamini.* Non, inquit, ô Serpens, iussi sumus ab omnibus abstinere arboribus, vt tu dixisti, sed ab vna sola quæ in Paradisi medio extat; interminatusque est nobis Deus futurum vt moriamur, si de hac ederimus. Cæterum existimandum est, mulierem non modo arborem in medio sitam Paradiso apud Serpentem nominasse, sed addidisse etiam, *scientiæ boni & mali*; tametsi hoc Moses præterierit: credibile enim est, ipsam mandati verba omnia recitasse, inter quæ etiam illa sunt. *Et ait Serpens ad mulierem, non mortem moriemini, sed nouit Deus quod quo die ederitis de ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes boni & mali.* Cum ait Serpens *non mortem moriemini*; audet Dei verbum contemnere, falsique arguere: dixerat enim ille morituros nisi ab illa arbore abstinerẽt, & simul sum-
moret metum mortis quo ab ea gustanda illi abstinebant. F
Cætera verba eo spectant vt persuadeat, Deum per inuidiam ea illis arbore interdixisse; nempe ne dij fierent, qualis ipse esset. Nimirum vt princeps solet non facile atque amice ferre æquales suos principes; ita neque Deum deos pati alios posse: præterea vt incitet ad vescendum vetito fructu; quasi dicat, non modo non moriemini verum etiam plurimum crescetis, quippe in deos euasuri qualis ille conditor vester est. nam in ipso fructu, interque ramos illius arboris latet Diuinitatis vis, ita vt quisquis vescatur, ille pro Deo fiat, bonique ac mali gnarus: Per oculos autem aperiendos, cognitionis acumen, perspicacitatem, atque boni malique experiẽtiam pollicetur. Denique quod Deos fore, numero multitudinis, promittit; huc facit, vt ipsorum animis inserat opinionem, non maximum numen esse eum Deum qui ne de Arbore illa ederent, interminatus fuerat; sed esse etiam deos alios illi pares. Præterea vt improbam illam existimationem, quam esset ali- G
quando gentibus persuasurus, complores Deos esse in Orbe; ab ipso statim initio, primorum Parentum auribus instillaret, atque ita ad omne malum, genus humanum aeuerteret, Quapropter recte admodum Satanas ille etiam Diabolus * est appellatus: Satanas quidem, & quia ipsus à Deo recessit, & quia mortales à Deo abducit vt sectentur eos qui iram patrant: Diabolus vero, hoc est, calumniator; quia Deum per calumniam culpabat apud Adamum & Euam, quasi per caussam inuidiæ interminatum ne de arbore illa gustarent; & quia vicissim homines traducit apud Deum, vt de Iob scriptum extat: de hoc enim sic apud Deum verba faciebat; *Extende manum tuam, & tange carnem ipsius, num in faciem tuam maledicat tibi*: denique quia persuadere mortalibus laborat Deo ipsos curæ non esse. Cum vero lex omnis aut ad prohibendum peccatum, aut ad promouendam iustitiam pertineat; atque vel formidine pœnæ quæ rebellantibus, vel spe præmij quod parentibus præstitutum est, obsecretur: Serpens iste; hoc est diabolus, eo quod ait; *non moriemini etiam si ederitis*; pœnæ metum submouere conatur, quo illi prohibebantur à transgrediendo legem Dei. H
Rursus dum addit, *eritis sicut dij*, maximæ etiam mercedis spe lactat, si vescantur fructibus à Deo vetitis. Est vero existimandum, Euam neque ita accepisse verba Serpentis siue diaboli, tanquam quæ disputari possent; alioqui enim multis illi modis, aut vno saltem quopiam respondisset; neque rursus ceu dubia & ambigua; nam ita quoque non defuisset ipsi quod contra diceret: potuisset enim respondere; vnde tu nosti hoc mysterium? sane qui arborem conseuit, maior te est: præterea, quid sibi vult quod meos oculos apertum iri ais gustato fructu: quando etiam nunc neque lippiunt, neque clausi sunt? nam nisi aperti essent; qui possem ego te aspicere, Serpentemque te agnoscere: tum illud, quod boni malique peritos fote nos asseueras, nisi ego iam nunc quid bonum & quid malum sit intelligam; qui possim scire, consilium tuum esse probum, aut diuinitatem bonam: mortem vero malam? Ad hæc, illud etiam obijcere quiuisset: Si vera narras, abi tu, & prior aufer de Arbore illa ac vescere, vt

* Verbum. Sot, Syris & Chaldæis significat, recedere, deflectere. vnde hic deducit Satanæ nomen quod verius ab Hebræo Satan venit. Sane Syri, O chalearzo, eodem etymo vocant quo G ræci, διάβολε.

Dæmon quomodo tentat hominem.

aperian-

A

aperiantur tibi oculi sisque Deus sciens boni & mali,
tum deinde ego quoque accedens vescar. At cum horum
nihil illi responderit, satis colligere est, neque vt dispu-
tabilia neque vt incerta Serpentis verba ab Eua esse ac-
cepta: neque enim præ imprudentia aut infantia, hæc
tacuit; quippe quæ ratione prudentiaque in ipso suo or-
tu prædita fuerat, & si parumper aduersus illum argu-
mentata fuisset, victrix euasisset: Sed ita illius verba ac-
cepisse, tanquam quæ procul dubio vera essent: nam per
Dæmonis nequitiam simul cum illis verbis, *& eritis sic-
ut dij*, iniectum est ipsi desiderium arboris gustandæ, in-
censaque est cupidine Diuinitatis: solet enim peccatum,
mentem eorum qui eius sunt studiosi, captiuam sibi man-
cipare. Tu vero Lector, hic mihi Mariam apud tuum

D. Mariæ & Euæ comparatio.

animum contendito paulisper cum Eua; atque illius qui-
dem fortitudinem, huius vero socordiam ac ignauiam
animaduertito. Maria enim quæ sæpissime audierat pro-
missum esse à Deo, Patribus, nasciturum Christum, neque
ignorabat quæ de eâ re essent vaticinati Prophetæ; cum e-

B

tus nuncij gratia ad ipsam venisset Angelus specie huma-
na, dixissetque; *Concipies & paries*; nequaquam subito fi-

Luc. 1.

dem illius verbis adhibuit, eo quod inauditum antea es-
set, Virginem peperisse; sed cum ipso, disceptando rem ex-
pendere occœpit, dicens: *quomodo fieri potest vt hoc eueniat,
quando vir mihi notus non est?* siue, *virum non cognosco?* vt alia
habent exemplaria. Ad hoc, abut visum etiam illud si-
gnum quod Angelus dederat, quo de ipsius verbis inde
certior fieret, grauidam scilicet Elisabetam, sterilem alio-
qui anum. At Eua quæ nunquam audierat, Deum inuidia
labore, aut se Dijs pares futuros si de vetita arbore gusta-
rent; simul atque loquebatur cum ipsa, non iam humana
aliquis specie apparens sed Serpens, nihil disputat de ar-
bore, sed diuinitatis ambitione incenditur, vilipendit-
que Dei mandatum, quare consentaneè de ea dictum est
à diuo Mose: *Et vidit Mulier quod pulchra esset arbor ad ve-
scendum & expetibilis oculis, atque desiderabilis spectatu.* Viderat

C

quidem fœmina arborem illam etiam prius quam illam
Serpens adijsset, neque enim poterat Lege inhiberi ipsi
arbor non visa. Quod vero Moses iam ait, *vidisse mulierem
quod pulchra esset arbor ad vescendum*, & quæ sequuntur alia;

Eua, alio atque alio modo vidit arborem.

ostendit alio modo ante Dæmonis accessum visam ab illa
fuisse arborem, alio post: ante enim simpliciter intuita
ipsam fuerat; at posteaquam à Serpente decepta est, at-
que ad fidem huius verbis habendam inducta, tum demū
vidit arborem esse pulchram ad vescendum, & spectatu
expetibilem; quippe immoderato dissolutoque appetitu
tunc arborem aspexerat: solet enim huiuscemodi cupidi-
tas immoderatio, si quando animum inuasit, ea in quæ in-
tenditur, omnium pulcherrima grauissimaque ducere;
sicuti euenire videmus ijs qui improbo fœminæ alicuius
amore detinentur: ea enim, etiam si sæpe sit fœdissima
deformissimaque, tamen bene pulchra ac venusta in il-
lorum oculis habetur, adeo vt illorum cæcitas ijs sit o-
stentui qui ab ea permotione animi aduersus illam fœ-
minam vacui sunt. Igitur quia Muliari, cupido illius Ar-

D

boris per Serpentis fraudem iam iniecta erat, ait Moses;
ipsam, vidisse arborem quod pulchra esset ad vescendum, &c. Sed

Eua, 3 vicibus aspexit arborem Scientiæ boni & mali.

vt res magis illustretur, dicimus, tribus, omnino vicibus
alio atque alio modo Euam vidisse illam arborem: pri-
mo quidem, quando Lege eam vetabat Deus; iterum à
Satana in fraudem illiciebatur ipsa; tertio postquam da
illa edisset: Et primo quidam simpliciter intuitam esse
vt cætararum arborum vnam quamlibet; secundo vero
non simpliciter aspexisse, sed cum cupidine qua iam tum
tenebatur, quaque censebat omnium pulcherrimam
esse; sicut Thamar formosissima videbatur in oculis
Ammonis amore eius impediti: tertio denique, simul-

2. Reg. 13.

atque gustasset: tum vero demum pro valde fœda dita-
que habuisse, sicuti etiam Ammon sororem suam Tha-
mar, vt violauerat, inuisam babebat; quamuis enim vna
eademque manebat ipsius Thamar forma ante & post
admissum stuprum, tamen quam prius frater ob venu-
statem adamârat, postquam per peccatum esset abusus,
odio prosequebatur. Itaque arbor illa quæ pari pulchri-
tudine fuit cum de ipsa ferretur lex & cum esset Dæmo-

E

ni fraudis materia, ac denique post decerptum gustatum-
que à muliere fructum; tamen primo neque pulchra
neque fœda visa primis nostris Parentibus est, mox ve-
ro pulcherrima, sed postremo plane detestabilis est ha-
bita postquam peccatum per ipsam admisere. Vidit igi-
tur quod pulchra commodaque esset ad vescendum
præ cæteris Paradisi quibuslibet arboribus, eoque
acriore in ipsam appetitu rapta est quam in cæterarum
aliquam: non quod arbor ipsa, sed quia fœminæ animus
esset mutatus per Serpentis fraudem, qui muliebri cre-
dulitata atque effreni libidine ipsam agebat præcipitem,
ad eam arborem. Cæterum aptior vi fieri possit verbo-
rum structura, si sic legatur: *Et vidit mulier quod pulchra es-
set arbor oculis, & expetibilis ad vescendum*; pulchritudo enim
ad spectandi sensum pertinet, vt appetitus ad cibum.
Sed hoc alibi iam à nobis est tractatum. Est vero & hoc
animaduertendum ex illis verbis, *Et vidit mulier*, &c. col-

F

legi ipsam non subito ac propere de arbore gustasse, sed
multa prius secum meditatam: atque cum illam, iuxta
insistens ob oculos baberet: aspectantem, alia atque alia
animo voluisse. *Et accepit de fructibus ipsius & edit.* Quæ-

Cur Eua ante vocatū Adamū gustauerit de arbore Scientiæ.

rat aliquis, cur non vocârit Adamum, vt is prior ederet?
nimirum transformari ipsa prior cupiebat in Deum, vi-
rumque suum Diuinitata anteuenire qui se humanitare
præcesserat, quo hac ratione administrationem rerum
præ illo atque imperium obtineret: existimabat enim si-
mul atque gustaret, e vestigio in Deam se transformatum
iri pro fallacis Serpentis consilio. Rursum quæri potest,
quamobrem non sunt aperti mulieris oculi, agnoueritque
suam ipsa nuditatem mox vbi edisset eum fructum,
sicut accidit vtrique postquam edissent ambo. Huius rei
bæc reddenda est ratio: si illa simul atque prior edisset,
verecundiæ sensu fuisset perculsa, metuisset Adamus at-
que abstinuisset, neque tamen ea sibi abstinentia iusti-
tiæ laudem vllam meruisset, vt qui non diuinæ legis re-
uerentia & respectu sed per vxoris pudorem fuisset co-

G

hibitus. Igitur quando certamen ex æquo ad vtrumque
spectabat, faciendumque erat periculum de vtriusque
simul indole ac voluntate, distulit Deus Euæ verecun-
diam, effecitque ne ipsam simul cum gustato fructu pu-
deret nuditatis. *Et dedit etiam viro suo secum, & comedit.* Exi-
stimandumne est hic mulierem simpliciter viro porre-
xisse, virum vero edisse: cum neque illa verbum vllum
ad ipsum faceret, neque ipsa rursus apud illam de eo ci-
bo disquireret? Sane nos censemus & virum de cibo
disquisiuisse, & mulierem ipsi tum ea verba retulisse quod
Serpens dæmon sibi dixerat tum alia præterea ex suo in-
genio adiecisse quæ ad persuadendum Adamum facere
putaret: idque his rationibus demonstrari posse existi-
mamus. Primo enim cum ante violatam Legem, magnæ

Euam multa addidisse vt suaderet Adamo gustare de Arbore.

curæ fuerit vtrique ne quid aduersus Dei iussa commit-
terent, non potuit profecto Eua porrigendo modo ci-
bum vetitum neque verbum vllum addendo inducere
Adamum ad vescendum, nihil prorsus de eo quod porri-
gebatur, disquirentem: deinde si simpliciter acceptum

H

cibum edisset, ignarus cæteroqui quamobrem ederet, à
quo ante iussus fuerat abstinere, nulla meruisset culpæ
notam ob id quod simpliciter atque inscienter inconsi-
derateque fecisset: cum vero culpatum constet pro-
pterea quod edisset facile intelligimus, rem ipsam ante
ab ipso atque vxore fuisse accurate expensam. Postremo
si Eua mulier vsa est verbis aduersus Serpentem, dixit-
que: *Lege Dei interdictum nobis est ea arbore*: quanto magis
existimandum est, Adamum curiose prius de cibo quem
vxor porrigebat, inquisiuisse, quam gustaret: vxorem ve-
ro & ea respondisse quæ à Serpente acceperat: futurum,
vt non solum non morerentur, verum etiam deorum si-
miles euaderent, & alia insuper affinxisse quibus mari-
tum ad vescendum pelliceret, atque ita vtrumque adis-
se, facinusque pessimum admisisse. Quin Dominus E-
phræm scribit, Euam multa pollicitatione solicitasse vi-
rum, atque ad vescendum induxisse, cæterum Mosen,
quibus vsa ipsa sit verbis, prætermisisse, cum esset con-
tentus docuisse nos fœminam viro caussam violandæ
Legis fuisse, eo quod vetitos fructus ipsi edendos sub-

A

ministrârit, & simul animos edendi addiderit: Serpẽtis vero verba literis prodidisse, vt eum intelligeremus ipsum esse generis nostri communem hostem, eoque insidias improbitatemque ipsius, euitandi, maior nobis cautio esset. Porro quæ fuerit arbor de qua ederunt Adam & Eua, & quemnam fructum gustarint; supra est à nobis pertractatum. Ad hæc illud etiam operæpretium fuerit animaduertisse: cum quisquis re aliqua vescitur, aut famis necessitate impelli, aut rei eius libidine effrenataque cupiditate; Adamum nulla fame cogente sed libidine suadente, de illa arbore edisse, ac proinde ei concupiscentiæ cohæsisse peccatum. Nam vt Apostolorum quidam ait, *concupiscentia cõcipit & parit peccatum*. Si enim non per libidinem sed vt qui nutrimento opus haberet, edisset, de cæteris edisset arboribus sibi in pastum permissis, non de ea autem quæ sola sibi fuerat vetita: itaque fames extra noxam futura erat, cũ concupiscentia cum peccato coniuncta sit; quippe hanc ciborum luxuries comitatur, qui vero ingluuiei indulgẽt, ad venerem proni fiunt, vtpote gulosi, ventri mancipati, proiecti denique ad ebriositatem, quæ vitia atque peccata maxima sunt. Veneris porro comites sunt scortari, adulterari, cum maribus corpus commiscere; quæ & ipsa flagitia sunt. *Et aperti sunt oculi amborum.* Sunt qui temere atque etiam impudenter dicant, iam nunc illud euenire quod Serpens (hoc est, Satanas) fore prædixerat; nempe, si Adam Euaque ederent de illa arbore, apertum iri ipsorum oculos: id enim hîc narrat Moses post gustatum cibum vetitum ipsis accidisse. Verum nos respondemus, aliter Mosen, aliter Serpentem de aperiendis oculis esse locutos: Serpens enim volebat oculorum apertura significare futurum vt acri atque perspicaci essent ingenio, bonumque ac malum perinde ac dij possent dignoscere; at Moses apertis oculis nihil aliud vult, quam suæ ipsos nuditatis sibi conscios esse factos; hoc est, pudore verecundiaque affectos. *Et cognouerunt quod nudi essent*: hoc est, puduit ipsos suæ nuditatis. Cum enim peccatum detraxisset ipsis vestem gloriæ qua adhuc fuerant amicti, denudati sunt puduitque illos violatę Legis, atque amissa omni fiducia qua ante pollebant peccatoque iam corpus ipsorum occupãte, cœperunt erubescere ob nuditatem, metuque concuti ac pauere. Nam ante admissum scelus, gustatamque arborem, nulla verecundia tenebantur ob nuditatem idque duabus de caussis; & quia amicti erant gloria, & quia nulla pudoris cogitatio animos ipsorum subibat priusquam peccassent? at postquam facinus commisere, Deus ipsos gloria illa exuit, & simul pudoris sensum indidit vt eo perstringeretur peccatum, eiusque impetus ac feruor restringeretur. Igitur quod ait; *Cognouerunt*, perinde est acsi dicat; *pudore affecti sunt*. Porro si quærat aliquis, ad quænam corporis membra potissimum spectauerit iste pudor, dicimus ad genitalia membra; idque hanc ob rem, quia cum acrior vehementiorque sit iste cæteris omnibus adfectibus (quippe qui in animantibus rationis expertibus quoque dominetur) voluit rerum opifex Deus primum pudore effrenem illum atque indomitum feruorem cohibere. Insuper id quoque obseruatu dignum est, primos Parentes antequam deliquissent; & animum ingenio; & corpus, gloria excultum comptumque habuisse: postea vero quam peccauerant, exutos quidem esse corporis gloria, cæterum animi intelligentiam retinuisse; nimirum vt per hanc agnoscerent suum peccatum, atque pœnitentia ducerentur: hinc enim euenit, vt simul atque facinus fecissent, agnouerint suam nuditatem, erubuerintque, ac horrore tremoreque correpti mortem expauerint, ante sibi per minas denuntiatam. Vnde & Iacobus Sarugensis ad hunc modum scribit: Peccatum initio supra modum placet; at in fine luctum parit patranti. Cum enim primi parentes cupiditate ferrentur in illam arborem, de ipsa edendi; & Deum ipsum & Legem, pro illa parui pendebant: vbi edissent, vndique erubuissent, odio ipsam sunt prosecuti; memoresque illius præcepti, *quo die ederitis morte moriemini*, pauore expalluerunt. *Et conglutinauerunt folia ficulnea, feceruntque sibi subligacula.* Nimirum folia folijs consocians, cincti formam quandam * concinnabant; vestis genus parum decens atque infirmum etiam, vtpote quod Solis vi arefactum facile emarceret dilaberetur que, & quo neque satis pro voluntate & [1] commode neque diu multumque vti possent. Credibile est autem Euam eiusmodi subligaculum priorem fecisse, suaque eo pudenda velasse vtpote quæ prior Legem violauerat, Adamoque nuditatis caussa fuerat; tum etiam illius consilio factum esse vt iste folia indueret, quia marito suo vestem olim ipsa contextura esset. Sed cur non aptârunt suis oculis velamen ex illis folijs, aut manicas manibus, vel caligas pedibus tegendis? aut denique cur non alio modo alia corporis membra affecerunt, sed solis genitalibus contegẽdis subligacula compararunt? Ad hoc facilis est responsio; quia verecundiam primum his partibus indidit Deus, ideo consentaneum erat vt prima cinctis obducta contegerentur. Sed cur verecundia his partib. à Deo est insita, ac non potius auri, quæ serpentis consilium auscultauit; aut oculo, qui arboris pulchritudine victus est; aut manibus, quæ fructus decerpsere; aut ori quod vorauit; aut denique ventri, qui excepit? Hic respondemus; cum is adfectus qui circa membra genitalia versatur, pertinacior difficiliorque sit cæteris omnibus animi perturbationibus quæ in nobis sunt, opus erat verecundia tanquam freno iniecto quo peccatum ea in parte cohiberetur: & simul vt nos ipsi ad habendum odio peccatum induceremur, vt ex quo illiusmodi verecundia in nobis nata sit. Et vero quum arbitrij nostri libertas non satis valeret sola hunc adfectum domare, atque ad se reuerendum adigere; adiunxit ei Deus verecundiam, quo saltem communi vtriusque opera cohiberetur, excinderetur que: arbitrij quidem liberi iudicio, in Anima; verecundiæ vero frenis, in corpore. Quippe multos mortales pudor atque verecundia magis deterret prohibetque à patrando eo quod improbum est, quam Legis aut iudicij subeundi metus: estque eius rei argumentum, quod bruta animantia quæ omni pudore vacant, prorsus non refrenant libidinis suæ impetum quo in fœminas rapiuntur victa ab ingenita suæ ipsorum naturæ, cupiditate. At homines etiam si non minore atque illa libidinis vi vrgeantur, tamen ab ea explenda, pudore quo apud alios homines verecundantur, reuocari videmus; adeo vt ne legitimo quidem connubio propalam vtantur sicut alijs rebus, sed latentes tectique. Conficitur itaque, verecundiæ adfectum ideo ab rerum opifice Deo inditum esse genitalibus hominum potius quam alijs membris, vt peccatum in illis partibus moderetur; simulque id nobis inuisum faciat, nosque ab ipso admittendo deterreat, vt ex quo ipsa verecundia in nostris animis orta. Sunt qui hîc interrogent, cur Deus, Adamum à peccando non absterruerit: Nos respondemus, id nequaquam eo factum esse quod eius faciundi facultas Deo defuerit, sed ne vim adferret Libertati Arbitrij Adæ, eamne opprimeret. Deinde frustra Legem illi præscripsisset si insuper à peccando coërcuisset, veluti manu iniecta. Præterea ideo etiam noluit illum à flagitio admittendo arcere, vt gratiam præmiumque demereri posset tanquam qui sua ipse voluntate à scelere patrando esset retentus, non autem per vim impeditus. Ad hæc, quo imbecillitatem suam agnoscerent primi nostri Parentes, neque per vanam gloriam elati præcipites ruerent, sicut Satanas. Nam quod scientes peccassent, conscios reddidit suæ ipsos infirmitatis, atque vt humiliter de se ipsi sentirent, effecit. Denique vt cum suapte sponte deliquissent, atque è Paradiso excidissent in hunc Mundum rebus aduersis molestisque refertissimum, facta vtriusque mundi inter se collatione, illum omnibus bonis & gaudio plenum apud mentem suam semper versarent: nam nisi experientia cognitum hunc alterum habuissent, nunquam ille quantum huic præstet, exacte intellexissent. Postremo, vt dum subinde à peccato interpellaretur Adami Euæque voluntas, erudirentur ipsi ad peccati odium atque fugam, tanquam eius à quo ingentes accepissent calamitates; atque ea doctrina ab illis ad nos vsque propagaretur, quasi manu tradita. Enimuero quoties peccandi occasio sese nobis offert, præsto adsunt nobis Leges quas Deus nobis

Iacob 1.

B

Libido ex ingluuie.

Mosis & Serpentis dicta de aperiendis primorum Parẽtũ oculis.

De primorum Parẽtũ pudore post Peccatum.

C

Libidinis affectus omnium vehementissimus.

D.

Peccatum ... placet quidẽ, sed in fine luctum parit.

vestis.

E

Eua prior Adamo vestẽm sibi fecit.

Cur primi Parentes, genitalia tantũ, primo operuerint.

F

Libidinis adfectus, cæteris omnib. Perturbationib. pertinacior est. Verecundia hominibus data pro auxilio. Liberi Arbitrij Verecundia frenum vehemens.

G

Cur Deus siuerit Adamum peccare. Arbitrij Libertas.

H

A imperauit vt ipsis coërceamur à patrando peccato: Quin legibus ipsis etiam subsidium addidit eam quæ doctorum verbis fit redargutionem, vt si quando flagitium admiserimus, tum latis legibus tum ea etiam increpatione qua peccata verbis perstringuntur, inducamur ad pœnitentiam dignique reddamur quibus fiat admissorum gratia. Sicut Paulus suum Timotheum scripto hortatur, vt simul cum Legibus iam tum positis redarguat etiam atque reprehendat peccatores, quo sua peccata agnoscant & pœnitudine ducantur. Ad hunc etiam modum cum primis parentibus actum est: cum enim ipsis obrepsisset peccatum, ipse Deus eos verbis reprehendit; cumque pœnitere se admissi flagitij ostenderent, quadamtenus ignouit; quando non quo die ederunt de vetita arbore, eodem & vita defuncti sunt, sicut per minas ipsis obnunciatum fuerat. Sed iam alia oboritur quæstio; cur non sit mortuus Adam quo die edit fructum vetitum,

B sicut interminatus ipsi fuerat Deus? Sed priusquam ad hanc respondeamus, operæpretium fuerit illorum hominum argutias dissoluere qui hoc loco aiunt serpentis (hoc est, Satanæ) verba rata fieri, quibus prædixerat non morituros etiamsi vescerentur prohibitis fructibus: Dei vero irrita falsaque qui eodem cum patrato facinore, die morituros minatus fuerat. Atqui haudquaquam mentitus est Deus, sed præstitutam pœnam misericordia mitigauit: solet enim ille maxima grauissimaque supplicia minari, vt sibi caueant mortales; verum deinde illa per suam misericordiam moderari, lenioraque sumere. Nam

Ion. 3.

& Niniuitis cum interminatus esset exitium, illi vero ab inceptis renocati pœniterent; nulla ipsos mulcta affecit. Ezechiæ quoque cum moriturum neque victurum pronunciasset, cumque peccati sui pœnituisset; impendenti pœnæ iam addicto gratiam fecit; & tamen nemo, ob hæc mendacij Deum accusauerit. Sic igitur etiam

4 Reg. 20.

cum Adamo & Eua egit; præmonuit enim ne de illa arbore ederent, simulque minas addidit fore vt nisi parerent, eodem die mortem oppeterent: cum porro iam

C præceptum violassent atque peccassent, miseratus ipsos est culpamque remisit, & supplicium ita est moderatus vt eo ipso die mortem non obierint quo impositam sibi Legem fregerant. Imo vero aduersus Niniuitas totum omnino supplicium reddidit irritum: at primos hosce nostros Parentes parte dumtaxat pœnæ absoluit, hoc est, ne eo ipso die morerentur; cæteroqui non sustulit prorsus mortem. Non est itaque falsi insimulandus Deus qui per suam misericordiam venia dignatus est nostros primos Parentes, meritamque pœnam partim remisit, neque eo ipso quo dixerat die peremit. Sunt quidem qui Dei verba sic tuentur vt obijsse mortem illos contendant quo die deliquerunt; non quidem corporis mortem sed animi, quæ ex peccato nascatur. Verum frustra est hæc excusatio, quando non mortem animæ sed corporis; hoc est, quæ ipsam animam à corpore dissociaret; interminatus illis fuerat Deus. Iam vero illud restat dicere, cur non obierit Adam quo die edit fructum Lege

D prohibitum, vt minæ futurum denunciarunt, sed extenderit postea vitam suam ad nouies centesimum & tricesimum annum. Huius rei variæ sunt caussæ: potuit

Gen. 5.

enim Deus illius misereri, commeritamque pœnam, si non omnem, at partim saltem remittere, qui magna quidem duraque minari, at minora molliora que infligere solet vt nobis Niniuitæ exemplo fuere. Deinde si illi mox cum admisso peccato vita defuncti fuissent, nulla relinquebatur propagandi generis humani origo. Præterea illa Dei benedictio; *Crescite & multiplicamini* præcesserat diras istas minas, *quo die ederitis, mortem moriemini*: Insuper dilata est mors peccantis Adæ, ne si iusto initio mors imperium suum auspicata esset in genus humanum, prorsus hoc indissolubile deinceps obtinuisset. Iustum autem fuisset mortis imperij principium, si Adam, qui violata lege deliquerat, primus morte concidisset: At enim posteaquam ille primus est morte extinctus qui præ cæteris mortalibus Deo placebat & omnino morte indignus erat, atque ita improbo principio mors suam occœpit tyrannidem; merito ea tyrannis olim dissoluenda fuit per

Christum qui suo illam aduentu viribus cassam reddidit. Hinc Dominus Ephræm in illud Dei dictum; *Sanguis Abel clamat ad me ex terra*, sic scriptum reliquit: Vlulat mors in suo initio, ostendens quem sit habitura finem. Præterea etiam si non illico peccantem Adamum morte mulctauerit Deus, tamen mortalem esse, & à se olim perimendum iam tum ostendit his verbis; *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Denique cum ille gustata arbore vetita, pœnæ obnoxius factus esset, habuit ipsum Deus pro mortuo, etiamsi viuus esse videretur. Si enim diuus Paulus Apostolus eos qui mortui sunt, recte vocat dormientes propter certissimam Resurrectionis spem: cur non Adamus posteaquam peccato mancipatus atque noxæ deditus esset, perinde atque ob noxam mortuus vocari debuit? Hinc est quod Dominus Iulius Commentario suo in Euangelium Ioannis, ait: Adam itaque eo die mortem obijt, quo die de arbore prohibita edit, eo, quod sic haberet sententia: *quo die comederis de arbore, morieris*: atqui viuebat etiam tum: qui ergo potuit mortuus esse? sane per sententiam ipsam atque per patratum facinus, iam tum mortuus erat. Nam simul atque se quis subiectum culpæ fecit, supplicia quodammodo patitur, tametsi adhuc non reipsa ductus, sed per solam pronunciatam sententiam iudicatus est. Et Dominus Ephræm vbi iterum tractat locum illum de Adamo vescente fructus vetitos, morienteque eo ipso die: scriptum reliquit in hanc sententiam: Sicut qui sanus est, priusquam incidat in morbum, bona fruitur valetudine quæ morbo potior est: verum vbi letalis eum inuasit ægritudo, iam in mortis potestate esse censetur etiamsi complures dies ægrotus transigat prius quam moriatur: ita & Adam, fœlicem atque incolumem vitam agitabat in Paradiso prius quam peccaret: at vbi admisisset peccatum, sententiæ obnoxius factus est, & proinde pro eo æstimatus qui mortis execrationi imperioque subiectus esset: itaque multis pressus miserijs, tanquam perpetuo letalem sustinens morbum, ad ipsam vsque mortem perrexit. Rursus sicuti si quis alium mortifero vulnere sauciet, quantumuis ille post acceptam plagam multos superstes maneat dies, tamen perinde ac si mox vbi percussus fuerat obijsset, sic vindicant Iudices eam cædem: ita quo die vulnus excepit Adam, ab eo die censetur iudicatus obijsse, vt qui inde vsque dum moreretur, letali morbo & ægritudine fuerit implicitus. Igitur etsi reipsa non oppetiuerit mortem Adamus simul vt fructum edit, tamen pro mortuo habitus est eo quod capitali culpa se obstrinxisset, atque iam tum per sententiam noxæ deditus esset. Sed dices: Cur non prorsus aboleuit Deus mortem quam pro maxima sua misericordia non intulerat eo die quo peccauerat Adamus? Atqui eius rei multæ possunt reddi caussæ: abolita enim prorsus morte, huius quoque Mundi compositio frustra fuisset, immo sæculum etiam quod futurum vocamus. Ad hoc, sublata mors simul sustulisset aduentum Filij Dei. Præterea peccatum Adami & Euæ atque omnis posteritatis, immortale futurum fuisset, vt est peccatum diaboli. Denique ideo reliqua mors fuit, vt primi Parentes animum aduerterent ad suum ipsorum facinus, & animi pœnitudine afficerentur: neque mortis securi & suis seducti erroribus peccata leuia ducerent, atque ita omnibus flagitijs adolescerent. Hanc enim ob rem Deus non simpliciter ad Adamum Euamque accedebat in Paradiso: sed maximo cum terrore, vt ait Moses: *Et audiuerunt vocem Domini Dei gradientis in Paradiso, inclinante die.* Sæpe quidem alias apparuerat Deus Adæ & Euæ: primo cum Adamum conderet, conformaret, componeret, erigeret: secundo, cum Lege imperata vetaret ne de arbore cognitionis ederet: tertio cum Euam illi detraheret, secundum eam sententiam quam Dominum Ephræm & qui hunc sequuntur, pro Scripturæ tenore amplexatos esse supra demonstrauimus. Porro siue per contemplationem quandam apparuerit tunc illis, vt Philoxenum existimare diximus, siue ita vt ipsos eorum sensus forma corporea moueret, vt illi volunt; sane cuiuscunque hæc modi res fuerit, pacate ac blande illis vicibus apparuerat ipsis: at iam ita plane se repræsentat, vt suis illi sensibus perci-

E

Gen. 4.

Adā quo modo mortuus eo die quo de Arbore Scientiæ gustauit.

F

G

H

Deus Adæ sæpe visus.

Deus humana specie formidabilis visus Adam

A

piant; nimirum humana specie formidabilis, turbidus, difficilis, & quasi peregre adueniens, Itaque tumens, furensque, & suo incessu concutiens terram, atque adeo ipsas Paradisi arbores pressis vestigijs tremefaciens: huiusmodi, inquam, habitu hic nunc videtur ab illis; nimirum vt pauidi confiteantur sua delicta, atque illius misericordiam veniamque implorent: eo enim spectat quod ambulantis vocem audijsse dicuntur. Quippe voluit audiri ab ipsis suum incessum, & ipse ceu corporatus spectari humana forma, vt præ motu festinarent ad eius gratiam, ignoscentiamque. Cæterum diei inclinationem vocat Scriptura tempus illud diei quod circiter hora nona est post meridiem, Sole ad occasum spectante. Sed enim Hebræos aiunt, pro inclinatione diei dicere spiritum siue ventum diei. Cæterum quod ad inclinatum vsque diem distulit se exhibere, id eo fecit vt spacium haberent interea, quantum patrassent facinus animo secum agitandi.

Quo die Deus primos Parentes, Paradiso eliminauerit.

B

Sed & hoc disceptandum est, de quo hic die agat Moses. Sunt autem qui dicant, de eo quo conditi fuere primi Parentes: illo die enim & peccasse ipsos Lege violata, qui dies erat sextus. Secundum hos, vno eodemque die creatus est Adam & conformata Eua, lataque lex & violata, atque primi Parentes ob hoc tantum facinus obiurgati & Paradiso eliminati. Sed aliorum sententia est, alio die creatos illos esse, alio peccasse, hic vero, de eo loqui Mosen, quo peccarunt. Præter hos alij putant, hunc diem neque eum fuisse in quo fuerant formati Adam & Eua, neque eum in quo peccarunt; sed post illos, alium: neque enim satis consentaneum esse, vt hæc tanta vno accidisse die existimentur. Sed nos hæc inferius, Deo volente, explicabimus dilucidius. *Et occultabatur Adam & vxor ipsius à conspectu Domini Dei inter Arbores Paradisi.* Fugiebant igitur tum à Deo qui vocem incessus sui ipsorum auribus ingesserat; tum ab arbore de qua improbe ederant, atque in locis densis frequentibusque multa variaque arbore abscondebant se, nimirum quia & peccati sibi conscij erant & nudi, hoc est, quia horrebant conspectum Dei, & quia verecundabantur.

C

Et vocabat Dominus Deus Adamum & dicebat ei, Vbi es Adam? Iam diximus corporata atque humana figura Deum hic apparuisse primis Parentibus; ipsosque voce quæ audiendi sensum mouebat compellasse. Solet autem dictum illud, *vbi es*; multis vsurpari modis, nam est quando qui nescit vbi is sit quem vocat dicit; *vbi es?* est etiam cum qui alterum interrogat, *vbi es?* non nescit vbi locorum sit; veluti cum aliquem procul à nobis agentem, cuius opera indigemus, sic interpellamus, *vbi es?* denique vtimur quoque ea interrogatione cum cuipiam suum errorem in memoriam adducere volumus: nam illud, *vbi es*, perinde tunc valet ac si dicamus, vide quo impietatis recideris! postremo animos addere cuipiam, atque manum ad audendum porrigere volentes, dicimus, *vbi es?* ad hæc de re amissa quam quærimus, vsurpamus quoque hoc dictum.

D

Gen. 4.
Exod. 3.
Ierem.
Iob 1.
Matt. 15.
Marc. 16.
& 17.
Ioan. 11.

Igitur dum Deus Adamum interrogaret, vbinam esset, non quidem id ignorabat; vt neque cum ex Cain quæreret, *vbi est frater tuus?* neque cum ex Mose, *Quid hoc est quod manu tenes?* aut ex Ieremia, *Quid vides?* aut denique ex Satana, *Vnde venis?* sed habent huiusmodi interrogationes, suas caussas; sicut & illæ, Filij in nouo Testamento, dum ait ad discipulos suos; *Quot panes habetis?* & rursus; *Quid dicunt de me homines? Esse me filium hominis?* Et, *Simon, Reges terræ à quo capiunt tributum & censum?* & ad Legionem; *Quod est nomen tuum?* denique ad Iudæos, *Vbi posuistis illum?* Lazarum scilicet: Hæc enim & huius generis alia quæ interrogauit Christus, non ignarus sed probe conscius interrogauit; vtpote Deus qui omnia videt nouitque: verum iustis de caussis, hisce & alijs interrogationibus vsus est:

An Christus in vtroque Testamento sit locutus.

Pater quidem, in veteri; Filius vero in nouo Testamento. Quamuis enim domnous Seuerus, & Philoxenus multis in locis affirment Filium fuisse qui & in Veteri & nouo Testamento mortalibus apparuit seque exhibuit conspiciendum (Seuerus enim in eo Sermone quem de Genitrice Dei composuit, ait: Verbum enim Dei Patris erat quod super sublimem montem Sinai descendebat, vt

Seueri Sermo de Dei Genitrice.

E

ferret legem Mundo, &c. alij tamen probatæ doctrinæ Magistri existimare malunt, Deum Patrem in Veteri ** Filium vero in Nouo apparuisse.

*Christũ Abrahæ visum, & colloquutũ, Gen. 15. disputat Iustinus Martyr in colloquio cum Tryphone. Euseb Eccle. hist. 11 lib. 2. de vita Constãtini lib 3. 50 & 51 & plerique alij.

Sed tua esto, Lector, existimatio, vtrum horum verius sit quodque magis probaueris, id amplectitor retinetoque quando vtrumuis probabile est credibile: vna est enim eademque Patris, & Filij & Spiritus sancti natura, ac voluntas vna, vnaque operatio; sed tres Personæ distinctæ. Igitur vt eo vnde digressi sumus, redeat oratio; non propter ignorationem sed alias ob caussas quærebat ex Adamo Deus, vbinam esset: nimirum vt ipsi suum errorem ob oculos poneret, perinde ac si diceret, quomodo agis Adama? apertosne oculos habes, vt te habiturum promisit serpens? an etiam num cæcus es contra atque ille est pollicitus? vbi es? Deinde; locum iam obtines pro serpentis promissis; an sub imperio es quod illa tibi minime prædixit? vbi es? magnane fiducia pollens, apertam frontem sustollis: an pudore confusum vultum deijcis? vbi es? cur me non, vt soles, aperte intueris: sed in latebras, te, à me subducis?

F

Deinde vt ipsa interrogatione animum illi redderet ad colloquendum, atque ad pœnitentiam inuitaret: Ad hoc, vt ostenderet se ita Adamum quærere vt pater amissum filium solicitem vestigat. Atque hæc posteriora duo inde comprobantur, quod non quasi supplicium de illis sumpturus se tam ipsis exhibuerit in primo hoc congressu, alioqui enim non tam blande suo illum nomine nuncupasset. Est enim hæc illi Paulinæ similis interpellatio, *Saule cur me persequeris?* cum non perdendi ipsius caussa se illi offerret Iesus, nomineque compellaret: sed vt ad sermonem excusationemq; prouocaret.

Act. 9.

Tum etiam si per caussam perdendi, illis apparuisset: vtique perdidisset: vel aquis, vt prisca Noe sæcula, vel igne, vt Sodomitas, vel terra dehiscente, vt Dathanan & Abironem: erant enim eiusmodi etiam primi Parentes quoque iam tum digni, quippe qui salutari doctrina reiecta, perniciosam fuerant amplexi & eam quæ cum Dei verbo prorsum pugnabat. Dixerat enim Deus; *Mortem moriemini qua die ederitis de arbore:* ille vero alter; *Non moriemini.*

Gen. 7.
Gen. 19.
Num. 16.

G

Neque vero multa Deo defuissent quæ aduersus illos potuisset dicere, si expostulare tanquam cum hostibus libuisset: quale est illud: Annon ego, improbe Adame, te condidi ex terra ad meam imaginem & similitudinem, meisque te manibus conformaui, & vxorem dedi vitæ tuæ subsidium? annon in Paradiso te collocaui omnibus delicijs referto? annon caput imperatoremque te rerum omnium quæ in terris sunt, effeci tuis? quid est ergo cur me criminateris, calumniatorique aures præbeteres? verum prorsus non infremuit, sed suauiter ac blande appellans: *Adame* (inquit) *vbi es?* nimirum vt colloquendi fiduciam ipsi faceret: ostenderetque, se illum non iam insolito adfectu vocare.

Dei expostulationes cum primis Parentibus.

Quapropter ipsa etiam voce animatus Adamus respondit dicens: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & vidi quod nudus essem, atque occultaui me.* * Duas reddit Adamus se occultandi rationes: alteram, quia timuerit: hoc enim sibi vult, *vocem tuam*: id est, strepitum incessus tui audiui in Paradiso: alteram, quia puduerit illum nuditatis. Sed hæc Adæ Apologia excusatione plane improba est, quum & metus ille & ipsa nuditas ob violatam à se Legem euenerint.

H

In Hebræo est, Et timui, legit ergo Syrus interpres perperam.

Et ait ad illum Dominus; Quis ostendit tibi quod nudus sis? Neque hoc interrogat vt ignarus, sed vt per culpæ confessionem illum inducat ad reprehensionem lubenter suauiterque admittendam: quasi dicat; fuisti quidem semper nudus neque tamen te eius puduit antehac, quid est ergo quod nunc adeo erubescas, atque timeas? *Num de arbore de qua iusseram ne ederes, edisti?* Etiam nunc pergit pacate cum illo colloqui, quasi coniectura quapiam modo fretus illud dicat: *Nam de arbore.* &c. Est autem hic animaduertendum ex adscriptis, aut duobus punctulis, aut vno solo, ad illud: *Ne ederes*: orationem hanc vel affirmatiue, vel per interrogationem efferri posse. Cæterum domnus Ephræm & qui cum ipso sentiunt, ex his & similibus verbis singulariter ad Adamum factis confici putant, soli Adamo imperatam à Deo legem esse, eamque ipsum deinde Euæ vxori retulisse: verum alij respondent, Dum sub Adæ persona cum Eua quoque colloqui, pro

Lex soli Adæ tradita à Deo.

A

Psal. 1.

Scripturæ more: *Beatus vir* (inquit David) *qui non ambulauit per viam improborum*. Quis vero non hic eam beatitudinam æque ad mulieres spectare dicat? nimirum ideo viri persona lubentius vtitur Scriptura, quod vir mulieris caput sit. *Et ait Adam: Mulier quam attribuisti mihi ipsa dedit mihi de arbore, & comedi.* Prorsus vana est & inanis etiam hæc Adami defensio; quippe quæ minime præ se fert demissum humilemque animum, sed in ipsum quodammodo Deū culpam auerrit, quasi dicat: Mulier quam tu apud me esse voluisti, ea mihi caussa fuit transiliendi Legem, illaque arbore vescendi. Sed aduersus hæc, multa à Deo ad illum arguendum dici potuissent. Verbi gratia: Non quia mulierem ego tibi adiunxi, iusta tibi ratio erat vt ei auscultās, mea iussa violares. Tum si me accusas quia vxorem tibi dedi, cur non etiam, quia te condidi? nisi enim te creassem non peccasses, quia tibi oculos indidi sine quibus non eras arborem visurus? quia manus tibi apposui, sine quib. non decerpsisses vetitos fructus? quia os tibi dedi, sine quo non edisses? frustra igitur illa excusas, cum eam mulierem quā tibi sociam dedi, ita comparauerim vt tibi ipsa esset in manu, atque subiecta; tu autem vt te tuasque actiones regeret, gubernaretque. His, inquam, atque huiuscemodi alijs verbis expostulare cum illo potuisset iure Deus: verum omnibus abstinuit, quia non accusationibus perterrere hominem sed patrati facinoris pœnitentia reuocare cupiebat, quare mox quæstionem ad mulierem conuertit; sic enim sequitur; *Et ait Dominus ad mulierem, quid hoc est quod fecisti?* Rursus cum muliere quoque non acerbe atque iracunde sed sedate & blande loquitur Deus, acquasi nescius interrogat ob easdem rationes quas nuper de Adamo interrogato protulimus. *Et ait mulier: Serpens decepit me, & comedi.* Mulier enim omnia Serpenti adscribit, non Satanæ; eo quod Serpentem quidem qui se interpellauerat, nosceret, at Satanam intra Serpentem occultatum, à quo omnis impostura processerat, ignoraret. *Et ait Dominus ad Serpentem: quia fecisti hoc maledictus es præ omni animante, & præ omni bestia agri.* Nulla igitur apud Serpentem hoc est, Satanam; interrogatione, qua ad se excusandum ille prouocetur, ac ita tandem iudicetur condemneturque, sicuti apud Adamum & Euam vsus fuerat. Cuius hanc putamus reddi posse rationem; quia Adamo vtrique locus erat pœnitentiæ: at in Serpentis Dæmonisque arbitrio nō erat vt pœniteret posset. Porro multa hic quæri solent, cuiusmodi sunt; præditusne fandi facultate à Deo, Serpens locutus sit; an Satanas intra Serpentem latens, cum ille hunc suopte arbitrio subterfugere nequiret, vt non ipsi pro instrumento esset. Ad hoc; cur non execratus sit Deus Satanam, vt Serpentem: Præterea, cur Moses, cum hunc librum multis post sæculis conscripserit, quando iam tum satis cognitus erat mortalibus Satanas; non clare dixerit, Satanam fuisse qui intra Serpentem loquebatur? Sed nos has & huius generis alias quæstiones altius inuestigatas dissoluimus C.XXVII. Verum quando sunt qui illam, cur non execratus sit Deus Satanam sicuti Serpentem, iterum atque iterum vrgeant, nos præter ea quæ ante respondimus hoc etiam addere hic volumus, Deum non minus maledixisse Satanæ non aspectabili quam Serpenti qui oculis cernebatur, atque perinde inhæsisse execrationem mysticæ arcanoque modo, illi, vt huic aperte & in ipso corpore; quod cuiusmodi sit velim te apud tuum animum pensitare. Habebat enim Deus Serpentem veluti medium inter Satanam primosque Parentes interuenientem: nam sicuti hi per Serpentem seducti sunt, ita ille per Serpentem execratione perstrictus est: & vt serpens fuit Satanæ instrumentum illiciendi primos Parentes ad peccandum, ita personam quoque gessit sub qua Deus Satanam est detestatus. Vterque igitur, & Satanas & Serpens diuinam execrationem sunt passi. Nam vt ad Serpentem dictum est; *Maledictus es præ omnibus bestiis & animante, ex quorum numero tu es* ita aduersus Satanam pronunciatum esse existimādum est; Maledictus es præ omnibus copijs spiritualibus atque Angelicis ex quarum genere tu es. Animalium enim nomine vocari in Scriptura sacra Copias Angelicas, aperte arguūt ea Animalia quæ vidit Ezechiel: & sæpe alibi Satanam, animal appellatum esse in Sacris literis notum est. Sed cur

Mulier viro subiecta.

B

Cur Deus serpentem non interrogauerit.

Quomodo serpens locutus sit.

C

D

Satanæ maledixit Deus.

Ezech. 1.

auspicatus est execrationem Deus à Satana? nimirum quia ille primus admisit peccatum prima est merito detestatione percussus. Cæterum serpentem ex animantium genere fuisse, non autem reptilium (quod quidem autumauere) cum dicat; *Maledictus præ omni animante*, memorauimus etiam C.XXII. *Et super ventrem tuum gradieris*; quasi dicat: amissurus es pedes tuos quibus ad prauitatē cucurristi, ambulabisque ac repes super ventrem tuum, quia ventrem primorum parentum inescasti. Pedibus igitur Serpens ante execrationem incedebat, vt cætera animantium genera, post vero, illis amissis, proserpere cœpit ac ventre promoueri. Et hæc quidem aperte ad ipsū spectant Serpētem, cæterum Satanæ sic accommodetur eadem ista execratio: Quoniam spiritale munus tuum, quo fungebaris in cœlo vna cum reliquis copijs Angelicis quæ in sublimi versantur, deseruisti atque amisisti; ad hoc, primos Parentes seduxisti: non erit tibi in cœlo, vt ante, habitatio; sed humi incedes, prorepesque, malis studiis addictus. *Et puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Nempe, tu puluerem redegisti primos parentes puluere igitur vesceris tota vita. Obijciunt quidam, qui possit illud consistere, quod ait; *Puluerem comedes*; quando videmus, Serpentes vermiculis in aqua degentibus pasci, atque passerculos quoque, columbasque, & huius generis alia vorare. Sed etiam si hæc quoque deuorant, interim absque puluere vitam sustentare nequeunt. Et vero licet Adamo dictum sit; *In sudore faciei tuæ comedes panem tuum*; tamen carne vescitur etiam, & terræ frugibus, fructibusque alijs. Sed hæc ad ipsum Serpentem pertineot, eademque vero possunt ad Satanam in hanc sententiam dicta videri: Priusquam delaberetis, diuinis oblectabare meditationibus, atque cœlestibus; sed postquam te præcipitem dedisti atque descendisti, terrenis humilibusque studijs deditus eris, atque ad perficiendam nequitiam tuam cogitationes tuas omnes exercebis. *Et inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen eius.* Quoniam, inquit, aduersus mulierem fuisti amicus fraudulentus, atque inimicitias seuisti ei cum Deo; ergo inter te & ipsam, interque tuum semen & ipsius semen, inimicitiæ quoque vt consistent efficiam. Certe factos à Deo nobis inimicos Serpentes, res ipsa docet: neque enim Anguem vllum aspicere sustinemus, vt nobis non caueamus ab ipso, ceu hoste nostro; nosque non comparemus ad pugnam vt illum perimamus, tanquam eum qui nos lædere cupiat. Hæc eadem ad Satanam sic transferantur: Te, Satana adhuc ea cura studiumque exercuit, vt primos Parentes vna cum ipsorum posteritate amicos facere tu tibi posses: ego vero iam efficio, vt perpetuo hostilia omnia sint inter te atque illos. *Et ipsum conteret caput tuum.* Quia per superbiam elatum fuit caput tuum, & improba locutum est: semen fœminæ (hoc est, qui ex ea nascetur) cōculcabit caput tuum, teque perdet. Præterea quia in Adamum atque Euam de grado dignitatis quem quasi principes obtinebant, deiecisti: semen posteritasque ipsorum, tuum caput vicissim conculcabit, & te interficiet. Sed cur caput illius præ reliquis membris attritum iri dicit? Nimirum quia contrito mortuoque capite in Anguium genere, totum corpus extinctum est. *Et tu illud feries in calce ipsius.* Quia calcibus suis properarunt primi Parentes ad arborem prohibitam, tu seminis ipsorum calces feries. Sed & ideo dicit, Angues percussuros calces hominum, quia quum pedibus careant & super ventrem serpant, neque se subrigere dum cæduntur aliasque superiores corporis partes inuadere possunt ipsa calcanea lancinant: Sed de satana interpretari possunt verba ad hunc modum. Homines dum per virtutes vitam agitant, facile discutiunt irritosque reddunt vafros tuos conatus, quos tu primarios atque insuperabiles esse putabas. Obseruabis tu quidem illorum calces, vt ipsos subuertere atque in peccata præcipitare possis: verum nihil efficies, nisi sua ipsi sponte atque suapte voluntate se tibi prodant. Sed & hoc sensu recte accipiantur ea verba: Tu, Dæmon, obseruas calcanea hominum: hoc est, ipsorum dicta factaque: vt in peccata deijcere, atque à Deo procul

E

Animātes vocat quadrupedes.

Satanæ mystica maledictio.

F

Serpentes vesci puluere.

Satanam vesci puluere, mystice quid.

Serpentū inimicitiæ cum hominibus, mystice quid.

G

H

Serpentē insidiari calcaneis hominum mystice quid sit.

ipsius

A

ipsos abducere queas: verum Christus vbi aduenit, nobis exemit hunc tui metum, secundum illa ipsius verba; *dedi vobis potestatem calcandi Serpentes, & Scorpiones, omnemque robur aduersarium.* Ceterum ex his verbis intelligere est, non ad solum corporatum serpentem, verum etiam ad satanam pertinuisse diuinam execrationem; quando non sola capita serpentum ferimus dum perimere ipsos volumus, sed reliquum etiam corpus: neque rursus Anguis, sola calces hominum percutit, sed alias etiam quas potest corporis partes. Si vero quis denique quærat, cur Deus Serpenti simul & Satanæ maledixerit, respondebimus; quia vterque execratione dignus erat, pro maximo, quod patrarant ambo, maleficio: deinde vt primi Parentes, audita ea tam dura detestatione diuina, ad pœnitudinem reuocarentur nam si pœnituissent veniamque implorassent, licet ea re neque mortem effugissent neque Paradisum retinuissent, tamen diras illas Dei euitassent quas memorat Moses; *Per dolores atque angores parietis, per dolores & sudores faciei panes comedetis.* Postquam vero iam Serpentem & Satanam maledictio perstrinxit, Deus conuertit sermonem ad mulierem his verbis: *Et ad mulierem ait: multiplicando multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos, & in angoribus paries filios.* Non iam dicit, eos fœtus quos aut concipiet aut edet mulier, fore maledictos. Nam pridem bene precatus illis fuerat, dixeratque; *Crescite & multiplicamini*: sed feres, inquit, vterum non sine dolore, producesque ipsos tuos fœtus per ærumnas. Videre est enim fœminas varijs doloribus affici quando vterum gerunt, & rursus duris torqueri angoribus dum pariunt; id quod etiam memorat Dominus noster, dicens: *Mulier cum parit, dolorem habet.* Neq; enim quisquam mortalium satis existimare potest, quam difficiles durosque sustineat mulier dolores atque ærumnas in partu, præter ipsas fœminas. Et quidem audiui mulierem quam diceret, earum quæ pariunt, pupillas oculorum præ nimio doloris sensu adeo obfuscari, vt nihil cernant. Et hæc quidem de ea anxietudine quam dum vterum gerunt, dumque pariunt, tolerant fœminæ, dicta sunt: quod si vero vniuersum illud tempus repures quod à concepto fœtu ad morientem vsque hominem extenditur; tum sane intelligas, mulierem multis difficultatibus, doloribus, ærumnis subiectam esse pro ipsa Dei execratione: nam editum infantem laboriosissima cura excipit, deinde per summam molestiam atque angorem educat, ad postremum anxio vlulatu morientem deflet. Igitur quia noluisti, inquit, ô mulier, in Paradiso liberos parere immortales absque omni dolore; iam ipsos paritura es per maximos cruciatus atque miserias, posteaquam peccatum admisisti. Et quia diuino quodam modo Deos edere cupiuisti absque vllo doloris sensu, Serpentis auscultans verbis; iam humano more homines procreabis per acerbissimum dolorem. *Et ad virum tuum respicies.* Quasi dicat; quia cupiuisti vt vir tuus te obseruaret, atque ex te penderet, perinde ac si in tua manu posita essent quibus ille ad vitæ vsum opus haberet, eoque illum in fructu gustando anteuenisti, ideo tu viri tui obseruans eris, vt tuis ipse necessitudinibus faciat satis. *Et ipse dominabitur tui*: Optauisti quidem caput esse viri tui, imperioque in illum potiri, atque ideo de arbore pro Serpentis consilio edisti; at ille contra, in te imperium exercebit tibique pro capite erit. *Et ad Adam dixit; quia auscultasti voci vxoris tuæ & edisti de arbore de qua iussi tibi dixique ne ederes; maledicta terra propter te.* Dominus Ephræm cum suis, vult idcirco Legem Adamo reuocari hic in memoriam, quia ei vni à Deo fuerat præscripta; ab ipso vero deinde, vxori exposita. Verum, vt iam aliquoties memorauimus, alij existimare malunt, sub Adæ persona ad Euam quoque Legis verba fieri. Igitur quia, inquit, non meæ voci sed fœminæ auscultasti; maledicta terra propter te. Nimirum non est execratus Deus Adamum ipsum, quo suæ ipse imagini honorem conseruaret: tum etiam quia ex Adamo nascituri erant multi mortales probi iustique, vt Prophetæ atque Apostoli, ne per illum hi quoque execrabiles atque detestabiles haberentur: sed maledixit terræ propter illum, quippe ex qua ipse esset procreatus. Itaque conser-

Deus, Satanæ simul & Serpenti maledixit.

B

Ioan. 16.

Mulierum dolores in partu.

Mulierum ærumnæ pro infantib.

C

Respectus mulieris ad virum.

D

Cur Deus terrã, non autẽ Adamum sit execratus.

E

uata est humano generi illibata ex ea benedictio quæ ante peccatum facta fuerat, quamuis dolores atque calamitates plurimæ accesserint. *Per dolores comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia existimasti te Deorum more in terra mansurum, perque quietem & otium vitam agitaturum: tu contra, per dolores, labores, ærumnas, perque culturam difficilem vesceris frugibus terræ. Nam ne Reges quidem absque molestia & cultura, terræ muneribus frui possunt: atque hoc ipsum est quod Ecclesiastes ait; *Rex agrum colit*: quippe si non suis, at aliorum certe manibus agros subigunt Reges. Obseruandum porro est, terræ vocabulum hic pro ijs quæ ex terra nascuntur, acceptum esse. *Spinas & carduos proferet tibi*: quos, nisi tu peccasses, illa producturа non fuerat: colligitur ergo, hæc post detestationem orta esse, vel fortasse spinas & carduos vocat laboriosum terræ cultum, quem ipsa flagitat: quasi dicat; magnis durisque laboribus constabunt tibi terræ fructus: vel hoc dicit, sæpe euenturum vt non ea quæ excepit semina, reddat; sed pro illis, sentes tribulosque. *Et comedes herbas agri.* Pro gratissimis arborum Paradisi fructibus quos tibi edendos concesseram, vesceris herbis pecudum more, eo quod aduersus Legem meam feceris: *Et cum sudore faciei tuæ comedes panem.* Tu qui Deus esse voluisti, Serpentis consilio auscultans, cum sudore faciei tuæ: hoc est, aspero & difficili labore duraque cultura quæres victum. Et si enim quis Rex sit aut alioqui opibus magnis pollens, dum alios in cultura exercet, ipse quoque non sine sudore faciei suæ vescitur pane: *Donec reuertare in terram ex qua acceptus es, quia puluis es, & in puluerem redibis*: Quasi dicat: postquam ærumnosam laboriosamque tuleraueris vitam, sicut prædixi, moriturus deinde es, atque in id dissolueris quod ante fueras. Animaduertendum hic est Adamum ante hoc oraculum: *Quia puluis es*: nesciuisse, ex puluere se esse conformatum, genusque suum vnde esset, ignorasse. Igitur hisce verbis multarum rerum commonefacit Adamum Deus: Primo enim docet, ipsius corpus ex puluere fictum esse: & simul redarguit etiam quasi dicat; Qui potuisti affectare diuinitatem, vt plueres, vt fontes dispensares, vt pelagis imperares, totus ex puluere compositus cum sis? Rursus sicut conditionem Adami mirifice extulerat dum ipsum crearet, vt quem se ad suam ipsius imaginem similitudinemque fingere diceret: ita, vt affectauit diuinitatem pro fallacis Serpentis consilio, illam eandem ad terram vsque deprimit, demonstrans ex puluere constare. Præterea ostendit, quæ, cum quibus, ille commutarit. Insuper docet, quantis ipsum malis implicauerit peccatum, atque ideo hoc prosequendum odio esse fugiendumque merito. Denique monet si imperatam ille obseruasset Legem, non abrumpendam fuisse ipsius vitam sed immortalitate donandum ex Dei liberalitate, sicut ait Gregorius Theologus: Si perdurassemus, id quod non fueramus, facti fuissemus. nunc vero posteaquam Legem transiluit, morti obnoxium esse factum dissoluendumque in terram vnde traxit originem. *Et vocauit Adam, nomen vxoris suæ Euam, eo quod ipsa esset mater omnium viuentium.* Obseruauit quidem diuus Moses adhuc in rerum gestarum narratione, ordinem seriemque temporum quibus quæque actæ sunt: at quod hic iam narrat, num ordine suo narret dubitari potest. Quippe est, vbi res suis quasque locis describat: est etiam vbi hoc illi modo curæ est vt id quod gestum est, commemoret neque per silentium transmittat: cætera qui in tempore quo actum est, obseruando nihil sollicitus. Enimuero, aut quando costa sibi subtrahebatur atque in mulierem concinnabatur, appellabat Adamus vxorem per vaticinium duobus nominibus: *Isso*, scilicet (hoc est, mulierem, siue vxorem) & Euam: illo, quia viro cohæreret per legitimum connubium, vt ante est à nobis explicatum: hoc, quia mater esset futura omnis viuentis: aut hoc loco nomen Euæ, ipsi eam ob caussam indidit postquam à Deo prolapsa damnataq; per sententiam esset dolorum in partu ferendorum, aut deniq; postquam eiecti sunt ambo e Paradiso, Euam appellare cœpit quia viuentium matrem videret. Iam vero si vel primo vel postremo tempore hoc nomen ab Adamo datum est vxori, ne-

Eccles. 5. vers. 8. est adverbum, Rex agro seruit siue, agro seruus est factus: Vulgata tamẽ Editio longe aliosensu legit, insuper vniuersam terrã Rex imperat seruienti quod nisi de diuina Prouidẽtia dictũ, eo iudicio, intelligi non potest.

F

G

Hoc Gregorij dictũ, supra explicatum habes.

H

Rerum gestarum tẽpora & ordinẽ non semper obseruat Moses.

A

ri, neglecta est à Mose temporis ratio; sin medio, accurate obseruata est. Cæterum, viuentium vocabulo hic soli homines non etiam bruta animalia significantur, sicuti illic quoque; *Effundam spiritum meum super omnem carnem*, de hominibus solis, non de pecudibus loquitur Scriptura. Sed enim sciendum est, vi quadam fatidica atque diuino instinctu Adamum appellasse vxorem suam Euam; sed ea verba quæ subijciuntur, *Eo quod ipsa esset mater omnis viuentis*, non Adami sed Mosis esse, Euæ vocabulum ea interpretatione explicantis. Sed dices, cur non perinde Adamum scripsit Moses esse patrem omnis viuentis, sicut Euam prodidit esse matrem? Respondemus, quia vir dum rem cum muliere habet, semen inijcit neque vita neque forma præditum: at fœmina, exceptum illud, postquam in suo vtero infantis formam induit atque in humanam figuram conformatum est, tum demum non quale vir iniecerat sed viuens, partu edit. Merito ergo mater omnis viuentis Eua appellatur à Mose. Ad hoc; Adam sumptus fuit, cum esset puluis vitæ expers ac deinde diuino flatu vitam, animamque accepit; Eua quoque iam tum inanimis costa, detracta fuit Adamo: post vero dum à Deo concinnaretur, vitam est adepta atque animam: at mortales reliqui alio modo nascituri erant, nempe ex fœmina, & absoluti viuentes. Recte igitur etiam ob hanc rem vocata est Eua mater omnis viuentis. Sed & hoc quæri potest; Adamus, quando morte damnatum se à Deo esse moriturumque intelligebat, cur augusto & felici illo nomine vxorem vocauit, quo mater omnis viuentis futura significabatur: quod plane diuinæ illi sententiæ aduersum esse videri poterat? Ad hæc dicimus; Adamum illam aduersum se prolatam mortis sententiam accepisse quidem per nuta accusatoria sibi iniusta, sed interea Deum pro sua misericordia in illius mentem eam indidisse opinionem vt iam tum existimaret genus humanum in vita permansurum esse super terram, procreataque ex concubitu viri ac mulieris sobole auctum iri, & per hanc caussam specioso illo nomine vxorem vocasse Euam; hoc est, omnis viuentis matrem.

B

C

Supra memorauimus, tria esse nomina, quibus Adam in hoc libro appelletur *Noso*, hoc est, vir, & *Bar-noso*, filius viri: ac denique *Adam*, quasi dicas, homo: vbi quantum ipsa inter se distent, etiam explicauimus. Iam vero Euam quoque duobus vocatam nominibus intelligimus: nempe *Itto* (hoc est, mulierem siue vxorem) & Euam: quorum illud, ad vniuersam fœminarum speciem accommodatur; hoc, vnius personæ propria est appellatio. *Et fecit Dominus Deus Adamo atque vxori ipsius tunicas pelliceas, & vestiuit ipsos.* Quinque sunt quæ se hic nobis explicanda offerunt: nempe cur induerit Deus Adamum & Euam, tunicas, deinde quales fuerint ex tunicæ; tertium, vnde comparatæ: quartum, cur sint appellatæ *Chutiaus*; quod idem est ac si dicas, gossipinas siue xilinas vestes; quintum, cur opus habuerint veste, mortales.

Eua, Hebræis, à viuendi verbo, Haia, dicta est.

Ioel. 2.

Cur Deus vestierit primos Parentes.

Cur igitur illos tunicis vestiret, dicimus summam Dei erga ipsos misericordiã in caussa fuisse. Quippe cum Deus colloquium cum primis parentibus longius haberet, atque ad Adamum interalia diceret; *Quis significauit tibi quod nudus esses?* similiter alia atque alia ad fœminam & Serpentem verba faceret, interea arefacta ea quibus se illi contexerant, folia ficulnea defluere cœperunt. Cum itaque nudati iam tum illi pudore afficerentur: non erat consentaneum diuinæ misericordiæ, nudos prorsus eliminare Paradiso. Miseratus ergo ipsorum conditionem, pro sua clemẽtia ipsis opem tulit, factisque tunicis nuditatem velauit. Præterea voluit ipsos vestibus indutos, à cæteris animantibus brutis segregare: Denique nuditatem seu libidinis illecebram putauit tegendam.

D

Quales fuerint primorum Parentum vestes.

Quod vero ad ipsas tunicas attinet, cuiusnam modi res fuerint; Gregorius Theologus quodam loco fuisse ait cortices arborum, quos ipsis Deus in mentem miserit ceu idoneos ex quibus sibi vestis quandam formam apparent, éque ea amicirent, sicut ante ex foliis ficulneis fecerant subligacula: At idem Oratione quam scripsit de Natalibus Christi: dicit eas tunicas fuisse carnem crassiorem, ignauioremque qua sumus contecti. Gregorius vero Nyssæus scribit, tunicas eas fuisse libidinem; coitum, conceptum, partum, educationem qua minutatim augescimus, alimentum, morbum, iracundiam, mortem denique; his enim omnibus malis illos indutos esse simul atque donis Spiritus sancti sunt exspoliati. Huic Philoxenus Mabugensis fere subscribit, dum ait eas tunicas fuisse curas, corruptionem, morbos, dolores, anxietates, metum; & in summa, quæcunque primis Parentibus post violatam Legem acciderunt cum ante ijs non fuissent obnoxij, & à quibus nos quoque post Resurrectionem erimus immunes: quippe per has tunicas significari maximam illam mutationem quæ illorum euenit corporibus post admissum peccatum. At Athanasius Oratione de Cruce, & dominus Ephræm vbi hunc locum interpretatur: aiunt, has tunicas ex animantium pellibus confectas fuisse. Denique Dom. Iacobus Sarugensis dicit, vestis quoddam genus fuisse; quod quia tactu crassum densumque erat, tunicæ pelliceæ fuerit appellatum.

E

Athanasij Oratio de Cruce.

F

Vnde sumpserit De' primorum Parentum vestes.

De tertio, vnde fuerint tunicæ illæ comparatæ; Gregorius Theologus, & cum eo alij qui arborum cortices fuisse volunt; arbores deglubijsse Adamum & Euam dicunt: cæterum Mosen ideo factas esse à Deo dicere, quia hic illis in mentem immisit vt arborum corticibus se vestirent. At Gregorius Nyssæus & Philoxenus, quorum sententiam nuper recitauimus, aiunt ea mala primos Parentes (quia peccati, à Deo damnati essent) innasisse; idque esse quod Moses scribit, Deum induisse illos, eas tunicas. Denique Athanasius & dominus Ephræm qui animalium pelles fuisse autumant: dicunt, mactatis eas pecudibus detraxisse primos Parentes atque concinnasse in vestem Dei nutu. Postremo dominus Iacobus Sarugensis dicit, Deum ea indumenta ex nihilo creauisse; scribit enim in hæc verba: Contexuit tunicas ex nihilo, & vestiuit ipsus. Et rursus: Quia, inquit, tactu rudes & crassæ erant, appellauit pelles; attexuit autem ipsas paulatim corporibus ipsorum, suo nutu atque ita dum non sentiunt induuntur tunicis, sed eas iam vestiti vident tandem. Porro nos cum Athanasio, atq; Domino Ephræm censemus animalium pelles fuisse.

G

Plura animalia cuiusque generis creata fuisse.

Deus humana f[...] ere se [...] dit primis Parentib.

An mactatæ coram primis Parentib. pecudes.

Vestes primorum Parentum Chutiatæ.

Si vero id redarguere quis conetur, quia nullum animal iugulari adhuc potuerit, quando è singulis generibus par vnicum conditum fuerat, eoque sine generis vnius interitu nullum animal mactatum fuisset; negamus vnicum duntaxat par in animalium generibus singulis fuisse effectum, neque enim hoc sacris litteris proditum est. Enimuero Deus qui permisit Adami arbitrio vt peccare posset opusque haberet indumento, creauerat complura animalia: cumque ille violata Lege peccasset humana se specie primis Parentibus ostendens, induit ipsos, pelles solo eius nutu pecudibus detractas; atque verbo, in tunicas conformatas. Et vero dominus Ephræm ait fortasse coram illis iugulatas esse pecudes, vt earum carnes ipsi vescerentur, eisque nuditatem suam cooperirent; deniq; ex ipsarum morte se quoque mortalia habere corpora intelligerent. Est porro & hoc notandum: esse ex Interpretum numero qui dicat, inde ab Adamo & Eua cunctos mortales pellibus animantium vestitos fuisse ad inuentam vsque ab hominibus texendi artem. De quarto dicimus, eas vestes appellatas esse à Mose, *Chutunias*; quia ipsius ætate, hoc vocabulo hominum amicula significabantur, vt videre est de veste Iob, Ioseph, Thamar, denique Domini nostri Iesu Christi: vsus est igitur sui sæculi vocabulo Moses. Quintum ac postremum erat, cur opus fuerit Mortalibus vestes? Hic dicimus, vt augustiore atque elegantiore cultu essent, eoque à brutis animantibus differrent: tum etiam vt armati essent aduersus frigora, & æstum: ad hæc, vt laterent libidinis irritamenta. *Et ait Dominus Deus; En Adam factus est vt vnus è nobis in cognoscendo bono & malo.* Contemptim & ironice hæc à Deo dicuntur de Adamo qui Dæmonis fallacibus verbis auscultans captus fuerat; sicut Dauid inducit Deum despicientem gentes quæ aduersum se insurrexerant: *Qui sedet* (inquiens) *in cælis, deridebit, & Dominus illudet ipsis.* Nam per illusionem, atque deridens, ait accidisse Adamo quicquid Satanas ipsi promiserat: vt qui iam similis Deorum cuipiam factus sit; scilicet qui quæ bona malaque sunt, cognita habeat. Cæterum vsurpat pluralem

H

Syri vocãt tunicam, Cathutho, ab Hebræo vocabulo, Cetoneth, siue Gutoneth, à quo & Græcum, χιτών. natum est vt ego certe coniicio.

Psal. 2.

nume-

A

Cur Deus dixerit, vt vnus è nobis.

Gen. 2.

merum, *vt vnus è nobis* (inquiens) siue propter Trinitatis sacrosanctum mysterium, siue quia Diabolus itidem plurali numero dixerat: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Possunt etiam hæc verba pro ea consuetudine dicta accipi, qua solent homines domini seruos suos acerbe alloqui, si quando contumaces conferre se per temeritatem cum ipsis audent: dicunt enim; En iam mihi par euasisti. Aduersum enim iussa Effectoris sui, Dei Adamus fecerat; cupiueratque illi æqualis euadere. Tale etiam illud Christi est ad Iudam proditorem: *Cuius rei causa venisti, socie mi?* Possunt præterea in hanc quoque interpretari sententiam; Adam postquam edit de arbore vetita, ipsa rei experientia didicit quid bonum esset & quid malum, sicut & Deus illa cognita habet; non quidem, hic, per experientiam sed vt is qui omnia nouit, præterita, præsentia, futura. Adamus enim priusquam fructum quo sibi interdictum erat, gustasset, per solam cognitionem intelligebat quid bonum esset quidque malum; post vero, per ipsam etiam experientiam: sed Deus exactissime atque intime omnia cognoscit cum sit conditor effectorque omnium. Denique ita possumus intelligere dicta ista, ac si Deus ipse accuset voluntatem arbitriumque Adami qui affectauerit Deus esse, quod fieri prorsus nequiret; nam mortalium nemo per tantas virtutes vitam agere potest, vt Dei naturam assequatur. Erit itaque hic verborum sensus; en Adam cupiuit quidem esse qualis vnus nostrum, verum neque factus est, ac neque etiam vt fiat fas est. Itaque illud; *En factus est*; perinde erit ac si negatiue dicas; Non est factus vt vnus nostrum. *Iam vero, fortassis extendat manum suam & sumat de arbore vitæ, & edat et viuat in æternum.* Hic caussa profertur, cur non sit relictus Adamus in Paradiso postquam aduersum Legem Dei fecisset, deliquissetque: estque hic collatio Arboris vitæ cum Arbore scientiæ, quasi dicat Deus; sicut protendit manum, sumsitque de arbore scientiæ & comedit, qua interdixeram ei, protensurus est manum sumpturusque etiam de arbore vitæ atque esurus, ac proinde victurus in perpetuum si in Paradiso relinquatur. Nam si vetitam arborem tangere, vescique ausus est; quanto magis non vetitam contingere, edereque audebit? Porro illud; *Ne fortassis*, non accipiendum est quasi dubie dictum à Deo quem nihil omnium latet, siue præteritum, siue præsens, siue futurum: quippe enim vt rem certissimam affirmat sumpturum illum de arbore vitæ, comesturumque, atque perpetuo victurum nisi Paradiso eijciatur. Cæterum quænam fuerit illa vitæ Arbor, & cur eo nomine appellata, ante commemorauimus; vbi illud quoque diximus qua de caussa interdixerit Deus Adamo, Arbore vitæ. *Et immisit ipsum Dominus Deus extra Paradisum Eden, vt coleret terram ex qua sumptus fuerat.* Supra memoratum est, Dominum accepisse Adamum, atque in Paradisum misisse, hic vero emisisse narratur extra Paradisum: quasi dicat, eum quodam cum impetu ab se propulisse atque eliminasse, neque comitatum esse abeuntem, quippe ex iucundissima quiete, qualis intra Paradisum fuerat amandabat ipsum ad colendam terram, asperam sane ac difficilem operam, vt quæ prorsus omni ocio ac requie careat. Addit porro, *Ex qua sumptus fuerat*, quia de ea terra ad quam exercendum remittitur, acceptus fuerat puluis fingendo conformandoque Adæ corpori, vt ante est memoratum his verbis: *Et finxit Dominus Deus Adamum puluerem de terra.* Ac rursus, *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Et eliminauit ipsum Dominus Deus*: Nimirum extra Paradisum, quem alioqui illius oblectandi gratia condiderat. Existimant nonnulli, Deum, quod Adamum prohibuit à gustanda vitæ arbore & Paradiso eiecit, denique quod morti addixit, iratum fecisse: verum nos contra per Dei misericordiam atque curam illa facta esse dicimus; quamuis enim contraria inter se videantur, inducere in Paradisum, & eijcere, tamen vtrumque iuxta diuinæ clementiæ opus & curam quam erga genus humanum gerebat fuisse, ex his cognoscas licet: idcirco enim prohibitus est ab arbore vitæ ne quid inde quod cum diuina sententia pugnaret, accideret, verbumque

Matth. 26.

B

C

Adam eiectus è Paradiso.

D

Gen. 3.

Dei misericordia fuit eiectus Adam è Paradiso.

E

Dei falsum haberetur: comminatus enim fuerat Deus, moriturum illum quo die gustaret de Arbore scientiæ, igitur si post hanc gustatam, etiam de Arbore vitæ edisset, aut falsos nomine ista vitæ arbor appellata à Deo fuisset, aut mendaces fuissent illæ eius minæ. Ad hoc, si ad arborem vitæ fuisset admissus, vt nec vitæ, ita neque dolorum ærumnarumque quibus hæc fuisset plena, vnquam finem assecutus fuisset, iam enim pronunciauerat Deus, cum doloribus anxietatibusque illum victurum: quare si æterna fuisset ea vita, fuissent & miseriæ immortales. Præterea ideo etiam ab arbore vitæ illum coercuit ne immortalitatem adeptus, per confidentiam agitaret omnem vitam, sed animum ad pœnitentiam induceret, hancque curam haberet donec tandem de vitæ arbore posset edere, ipso Christo qui vitæ arbor est mystico sensu. Denique ne ipsius prauitas perpetua esset, cuiusmodi est diaboli. De hisce igitur caussis prohibitus est Adam ab Arbore vitæ. Cæterum aliæ sunt, cur Paradiso sit eliminatus. Nempe æquum non erat vt locum obtineret sacrum, posteaquam illum Lege violata, per peccatum profanasset, & erat illud tantum delictum, hoc exilio dignum. Præterea erudiendus erat, perperam se, contemptis Dei iussis, obsecutum esse consilio fraudulenti hostis, atque edisse de vetita arbore. Insuper dum ille eijcitur, verbum Dei ratum fit, quo prædixerat ipsum ea die moriturum qua ederet de Arbore scientiæ; contra vero mendacij arguitur Dæmon qui spem illi atque fiduciam fecerat fore vt Deus euaderet si vesceretur quippe non modo non euasit in Deum, sed ipso etiam Paradiso extorris factus est. Ad hæc, si in Paradiso mansisset suspectum fortassis inuidiæ Deum habuisset, qui sibi vitæ arboris esca interdixisset. Denique dum solum vertit, intelligit tandem in quanta fœlicitate versatus sit priusquam peccaret; & rursus in quam multas miserias præcipitatus sit, eo quod aduersum Dei Legem fecerit. Postremo idcirco est Paradiso eiectus, vt peccatum suum agnosceret, sedulamque operam pœnitentiæ daret, & supplex à Deo contenderet, vt se in pristinum restitueret locum. Conficitur itaque ex his quæ iam commemorauimus, nequaquam per iram prohibitum illum à Deo esse ab arbore vitæ, neque Paradiso eiectum, vel morti etiam addictum; sed ea mera Dei misericordia, & solicita eius cura. Sed enim sint hæc, dicet aliquis, ita cum Adamo acta ab ipso Deo, vt illi prodessent; at labores, dolores, sudor faciei, in quæ mala illum coniecit Paradiso pulsum, quas tandem commoditates, vtilitatesue afferre illi potuere? Respondemus, Deum non frustra quietem illi nullam concessisse, vt est humanum ingenium: nam si tantis condemnati malis non desinimus peccare; quid non patrassemus in ocio delicijsque vitam agitare permissi? certe huius rei exempla nobis suppeditant homines, qui ociosi ac desides atque à labore & molestijs vacui molliter ac delicate agunt: ocium porro, desidiam, delicias mala esse; certissimis Scripturæ testimonijs comprobatur. Nam libro secundo* scriptum est; *Consedit populus ad edendum, & ad bibendum, surrexitque ad ludendum*: & libro quinto, *Pinguis factus est Israel, & calcitrauit*: & quidam ex Sapientibus scriptum reliquit; *Malum est ocium, atque pigritia fraudem parit.* Contra vero, labores, turbulentaque exercitia bona esse, attestatur Dauid, cum de Israelitis loquens ait: *Cum occideret ipsos, quærebant eum, & conuertebantur, atque maturabant ad ipsum*: & alibi, *Bene*, inquit, *mihi est, quod sim humiliatus, vt discam mandata tua*: Et Deus per Ieremiam ad ciuitatem Ierusalem; *Per plagas*, inquit, *erudiaris, ô Ierusalem*: Rursum Paulus, *Datus est*, ait, *mihi stimulus in carnem meam, Angelus Satanæ, ne efferar.* Conficitur itaque, homini ex vsu fuisse quod doloribus, laboribusque, & sudoribus obnoxius est redditus à Deo, postquam eliminatus esset Paradiso. *Et versari fecit ad Orientem Paradisi ipsius Eden, Cherub, & aciem gladij versatilis, ad custodiendum iter arboris vitæ.* In Hebræo est: *Et manere fecit ab Oriente Paradisi Cherubim.* Græcum vero habet: *Et collocauit Cherub, & gladium flammeum ad custodiendum iter arboris vitæ.* Significatur autem his verbis, custodiam Cherub & aciem gladij colloca-

Cur non concessa Adamo post peccatum immortalitas.

Cur è Paradiso eiectus Adā.

F

G

Cur Adamus perpetuis laboribus addictus fuerit.

H

* Syri libros Mosis ea ordine numeris notant sæpius quā nominib.

Exod 32.6.

Deut 32.15.

Prou 12. & 21.

Ezech.16.

Psal. 77.

Psal. 118.

2. Cor. 12.

Reg. 7.

Porta Paradisi sita ad Orientem.

tam

A

tam fuisse à Deo ad latus Orientale duntaxat Paradisi, quasi ex ea parte solum prohibere Adamum voluerit non item ab alijs lateribus. Quippe existimandum est, ab ortu Solis portam fuisse aditumque patuisse in Paradisum; atque illac introductam, illacque rursus exactum Adamum esse: inde etiam semitam fuisse ductam in medium Paradisum vbi sita erat vitæ Arbor, atque ideo ne rursus aliquando Adam, illac se intro reciperet, custodiam ibi esse collatam. Cæterum cur custodiendam vitæ Arborem, arcendumque ab ea Adamum voluerit Deus, ante est à nobis dictum; quo hoc etiam addendum putamus, eo quoque spectasse custodiam vt intelligeret Adamus prorsus præclusum sibi aditum esse per peccatum: eoque pertinaciore, hoc, odio prosequeretur; maioreque cura vitandum sibi in posterum putaret quasi fontem tantorum malorum, in quæ mala ex vitæ ante peccatum actæ, cum ea in qua nunc versetur, comparatione facile intelligeret. Præterea magnifica illa custodia (Cherub dico, & aciem Gladij versatilis) ob oculos nobis ponit præcellentem Arboris vitæ

B

dignitatem. Quod vero versatilem Gladium dicit; perpetua cum agitatione hoc illuc vibratum esse significat, corusco fulgore inde emicante quo obtuentium oculi non sine horrore perstringerentur. Superest vt de Cherub & Gladio videamus, cuiusmodi res fuerint. Dominus Iacob Sarugensis ea Oratione quam de Passione; & rursus ea quam de Ascensu scripsit: & cum eo alij dicunt custodem Paradisi Cherub fuisse vnum quempiam ex cœlestibus Angelis incorporeum: aciem vero Gladij versatilis fuisse figuram quandam igneæ lanceæ quam Cherub manu tenens atque coruscans, proterrebat primos parentes à Paradiso, arcebatque ab Arbore vitæ. Cæterum lanceæ formam inde arguunt, quod eo mystice spectasse videatur Lancea illa quam Christus suo latere excepit, quasi iam tum erepta esset de manu Cherub, illa lancea; patefactaque ad arborem vitæ, via. Alij dicunt aciem Gladij vocatam esse, non ferrum neque ignem, sed figuram quandam ensis, quæ ignea specie collucere atque fulgere videbatur: Cherub vero non cœlestem aliquem spiritum atque incorporeum Angelum fuisse, sed spectrum quoddam vehemens; idque Cherub nomine vocatum esse, quia soleat Scriptura quæ magnis viribus magnaque vehementia pollent, ea hoc nomine vocitare: quale est illud; *Qui equitauit super Cherubos, & volauit*: significat enim, Deum magna vi aduenisse, & veluti insidentem Cherubis, apparuisse; hoc est, potenter exercuisse imperium. Secundum hos habent ista Mosis verba hunc sensum, quod Deus constituerit spectrum quoddam vehemens ac terribile pro foribus inque ipso aditu Paradisi, specie animantis cuiuspiam, deterrendi coercendique Adami caussa. Adferunt autem hi, suæ sententiæ hanc rationem: nomen, inquiunt, Cherub ad iuuenile quoddam robur proprie spectat, ac proinde Cherubini spiritus Deo viciniores adsistunt, nec ad terras demittuntur: neque enim Scriptura ijs procurationem aliquam in terris assignat, sed

D

Angeli sunt qui ad terram ablegantur, resque in ea administrant & dispensant. Verum priores illi, inter quos dominum Iacobum Sarugensem esse diximus, negant hanc esse nominis Cherub notionem: immo Ordinem quendam cœlestium spirituum non aspectabilium significare id vocabulum aiunt; quales apparuerunt Ezechieli, & quorum simulachra quædam erant in Adytis Tabernaculi posita, itaque Geniorum cœlestium aliquem potius fuisse autumant ipsum Cherub: qui Genij cœlestes dolent si quando peccent mortales, ac rursus gaudio afficiuntur cum illos delictorum pœnitet, vt ait Dominus. Erat igitur Cherub custos Paradisi, cœlestium Spirituum vnus aliquis tenens lanceam igneam, eamque vibrans atque coruscans, & primos Parentes deterrens ab excessu; vt sensit dominus Iacobus Sarugensis, & plerique cum eo eiusdem sectæ viri. Sed iam & locus, & tempus postulant, vt disputando inuestigemus, vnone eodemque die an pluribus hæc omnia gesta sint: creatus Adam, immissus in Paradisum, lata lex, indita nomina bestijs & volucribus, condita Eua, decepti per Serpentem primi Parentes, violata lex, vindicatum in noxios, eiectique denique illi extra Paradisum. De hac re ita sentit Philoxenus, Oratione quam scripsit de Arbore vitæ: & dominus Ephræm Commentarijs in Genesin; atque etiam dominus Iacobus Sarugensis, Oratione de Passione: & cum his, alij, omnia hæc eodem vno die qui sextus erat à condito cœlo terraque, acta atque confecta esse: eiusque rei, duo faciunt argumenta: alterum, quod adhuc nihil edissent Adam vxorque; nam si vescentes ante vidisset Serpens, minime dixisset ad Euam: *Verene iussit Deus, ne ederetis de omni arbore Paradisi?* iam vero si multo ante conditi fuissent, nequiuissent adhuc absque fame & cibo vitam tolerare. Alterum petitum est ex ijs quæ passus est Dominus noster Christus: ea enim emendando Adami delicto, exacto tenore respondere aiunt. Verbi gratia Sexto (inquiunt) die creatus est Adam, eodem excruciatus est Dominus noster, in eius diei initio ille est ex luto compositus, hic item ad

F

tribunal raptus; hora illius diei tertia inductus est Adam in Paradisum, & Seruator noster tertia hora extractus est ex vrbe Ierusalem, humeris Crucem suam baiulans: & quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negatos, eodem Christus suas distendit super lignum. Rursus à Sexta ad Nonam horam exutus est Adam sua gloria, noxæque deditus; itaque & ob Crucem Christi. Sol à Sexta ad Nonam, amisso splendore obscuratus est, atque vniuersa creatura luctu cooperata, quasi refricata pristini Adæ casus memoria. Elapsa deinde nona hora, dissipatæ atque abactæ sunt tenebræ; qua re significabatur soluta iam tum esse ea mala quæ genus humanum circundederant, atque occuparant propter Legem Dei ab Adamo violatam. Insuper quo tempore confossus Dominus noster Lancea, eodem à Cherub custode Paradisi & Arboris vitæ ablata est lancea. Denique qua hora pulsus est Paradiso Adamus à Deo, eadem prorsus à Christo immissa est in Paradisum Anima Latronis: ac proinde quo tempore Dæmon videns eiectum Paradiso Adamum gauisus est, eo-

G

dem & doluit cum cerneret Latronis animam in Paradisum reductam. Quippe cum Christi Anima in Cruce esset à corpore separata, ipsa diuinitas simpliciter, neque corpus neque animam deseruit, sed & vna cum corpore sepulchrum subijt, & simul cum Anima Inferos correxit, atque ad eas animas quæ inibi tenebantur, concionem habuit sicut ait Petrus Apostolus in sua epistola. Itaque anima Christi eas animas quæ in se credebant, ab Inferis sustulit, subuectaque induxit cum latronis anima in Paradisum vnde expulsus fuerat Adamus. Verum sententia aliorum Doctorum est, nequaquam vno die omnia illa esse peracta: non quia non potuerit Deus tam breui ea spacio conficere, cuius potentia prorsus voluntati respondet, sed quia non satis consentaneum videtur ea sic acta esse. Et vero si Adam etiam tum nullum Paradisi fructum gustasset præter vetitum illum, neque satis adhuc, aut locum ipsum, aut eius delicias expertus, solum vetitisset: qui potuisset per compara-

H

tionem, ex eius terræ vnde exciderat fœlicitate, eam in quam detrudebatur, duram, horridam, atque infœlicem existimare? Sed dices: Audiuere vocem Dei gradientis per Paradisum die iam tum inclinato; pulsi ergo sunt eo die atqui Scriptura non dicit, eum fuisse diem quo conditus fuerat Adamus. Pari ergo confeceris ratione, eodem die & Ioannem Baptistam & Christum venisse, quandoquidem historiæ series, eis diebus quibus apparuit ille, huius diem subiungit. Sed neque illud satis firmum est argumentum, cur præpropera festinatione conturbemus rerum gestarum seriem, atque vnius eiusdemque diei spacio tam multa concludamus, quod de Christi cruciatibus allatum est. Nam vt lubentes fatemur, Christum die sexto emendasse atque expiasse quæ ab Adamo admissa fuerant; ita fieri potuisse contendimus vt Adamus, cum die conditi Orbis sexto esset creatus atque eodem etiam deliquisset, alio die sexto, pro ea dierum serie qua recurrentes recensentur, sui flagitij con-

demna-

Iacobi Sarugensis Orationes de Christi Passione & Ascensu.

Ioan. 19.

C

Cherub ad Ostium Paradisi, qualis fuerit.

Psal 17.

Interpretatio nominis Cherub.

Ezech 1.

Exod. 25.

Gaudere legi; nam Angeli proprie non dolent aut tristantur de peccatis hominum. S. Thom. 1. par. quæst. 113. art. 7. sed tantū

E

Metaphorice, cum vniuerse salutē nostram cupiant. Luc. 15.

Adami peccantis, & Christi patientis, analogia.

Non in terrestrem paradisum immissa est latronis anima, sed in gloriam. Luc 23.

Christi diuinitas, neq. corpus eius neq. animam deseruit Christus correxit Inferos. 1. Pet. 3.

Adamum, eodem die creatum & è Paradiso eiectum non fuisse.

Matt. 3.

A

Paradisi spatium amplissimum.

demnatus à Deo sit atque eliminatus Paradiso. Enimuero quis credat (cum amplissimum esset Paradisi spatium) vno die Adamum esse egressum ad imponenda animantibus nomina, eodemque reuertisse in medium Paradisum: hoc est, multorum dierum iter confecisse? eodem etiam exemptam ipsi costam esse, & in mulierẽ transformatam: eodem, de vetita arbore ambos edisse Paradisoq; esse extrusos! Sane, & exire, & reuerti, & præterea tantis alijs interesse rebus, haud est pro vnius diei spatio; & quidem non integri sed à diluculo ad nonam duntaxat horam vsque, vt illi aiunt. Deoque dicimus, haud verisimile videri, eodem die & conditum esse Adamum & animantibus sua eum indidisse nomina. Nam si quo tempore sunt procreata animalia, eodem simul & nomina Adamus dedisset; profecto non memoraret Scriptura, Deum illa ad Adamum adduxisse. Neque enim ante eum diem quo creatus est Adam illa fuêre orta; sed eo ipso quo Adamus, etiam illa sunt procreata: quare parum congruenter ipsa dicantur eodem vno cum Adamo die in dissitis regionibus orta, & simul ad Adamum acta esse; quamuis id in volucres quadrare possit, quippe quæ iam ante fuerant enatæ. Quod enim memorant animalia ad Adamum à Deo esse adducta, significat varijs alioqui locis illa procreata, dispersaque agitasse. Verum enimuero liberum esto Lectori, vtrã velit harum duarum inter se aduersariarum opinionum, amplecti atque retinere. Nam certa earum rerum cognitio in futuro demum sæculo ijs absolute continget qui antea virtutis exercitijs se ipsi hic à peccati tenebris perpurgauerint.

Animalia eo ipso die quo Adam creatus fuit, orta esse.

B

Iam vero hoc quoque expediamus; quanto tempore manserit Adam in Paradiso. Hic quidam existimant, triginta annos ibi fuisse, nempe quot Dominus noster in mundo egit pro expiando illius scelere: vt quamdiu primi homines magnificentia Paradisi sunt potiti; tamdiu iste Mundi huius humilitatem tolerauerit. Alij putant, quadraginta diebus Adamum illic hæsisse; eoque Christó dies totidem ieiunium durauisse, nimirum vt huius ieiunium remedio esset illorum ingluuies per quam admisere peccatum in Paradiso. Sed Dominus Ephræm, Philoxenus, & D. Iacobus Sarugensis aiunt, Adamum in Paradiso commoratum esse horas non amplius sex; à tertia scilicet, ad nonam vsque diei sexti: idque tribus rationibus demonstrare nituntur: quarum prima est, quia multo facilius decipi potuit Adamus in ipso statim initio quam si longiore tempore Paradisum incoluisset: altera, quoniam si diutius apud animum suum meditando expendisset imperatam sibi Legem, cautior factus fuisset: verum quando exiguum illic temporis spatium egit, simul vt mandatum à Deo acceperat, fraudem etiam sibi facile fieri passus est. Tertia, credibile est, Deum, quem Paradiso pulsurus erat, eum haud longo tempore tanta fœlicitate frui siuisse ne nimium excruciaretur, sed mollius minusque ægre ferret, se tantis delitijs spoliari: solet enim Deus clementer castigationem exercere. Atque hic finis esto primi Commentarij.

Quamo tempore Adam vixerit in Paradiso.

C

Deus clementer castigat.

D

MOSIS BAR-CEPHA SYRI, EPISCOPI COMMENTARIORVM DE PARADISO

partis secundæ prooemium, interprete Andrea Masio.

Argumentum Lib. 2.

*S*Vperioris Commentarij, pie Ignati, primo capite, differendo ostendimus, Paradisum duplicis esse conditionis, corporea, & spiritalis: atque ad id comprobandum adduximus argumenta firmissima: tum ab ipsa rerum natura petita, tum eorum virorum auctoritate nixa qui fidem in ijs rebus merentur. Prosecuti porro illic sumus corporatum Paradisum, quæque eo cum spectarent, memorata digna esse videbantur: explicantes, non modo res ipsas sed nomina etiam rerum, pro tenore eorum verborum quibus Diuus Moses in describendo Paradiso vsus est. Iam vero in hoc secundo Commentario constituimus, adiuuante operam nostram Spiritu sancto qui omnia perscrutatur etiam arcana atque intima Dei, de eodem Paradiso disserere mystice: &, vt sic dicam, spiritualiter: vt quemadmodum ipse Paradisus duplex est, ita à nobis duplici modo tractetur. Consentaneum porro est, vt in huius quoque secundi Sermonis principio, ipsa septem capita quibus totum Opus à nobis absoluetur, summatim proponamus. Primo igitur capite ostendetur, qua ratione inducti sint Doctores Ecclesiæ, vt de Paradiso mystice loquerentur; & quibus vocabulis appellauerint mysticum Paradisum. Secundo capite explicabitur, quid sit Paradisus mysticus. Tertio, quænam sit terra mystica. Quarto, quales fuerint arbores atque plantæ in hoc mystico Paradiso. Quinto, quæ fuerit arbor scientiæ boni & mali in hoc Paradiso mystico sata. Sexto, quæ fuerit arbor vitæ in hoc Paradiso mystico. Septimo, exponentur mystice verba Mosis quæ de Paradiso scripta ille reliquit.

E

CAPVT I.

Variæ sententiæ Doctorum Ecclesiasticorum de Paradiso mystico.

DOctores Ecclesiæ sacræ, qui præcipui, certissimæque fidei habentur; alias atque alias opiniones habuêre de Paradiso mystico. Quidam enim ipsorum sacrosanctam Ecclesiam existimauerunt mysticum Paradisum esse: atque huius figuram mysticam fuisse olim corporatum illum Paradisum in quo erat Adamus. Alij Paradisum mysticum fecerunt eam Christi doctrinam quam baptizatus diuulgabat, cuiusmodi sunt illa: *Ne irascaris tuo fratri gratuito: Ne intuearis fœminam per cupidinem: Si quis percusserit maxillam tuam dexteram, obuerte ei alteram, quoque, Vade, vende quidquid habes, & da pauperibus*, & huius generis alia. Rursum alij putant, mysticum Paradisum esse animæ typum, arboresque in illo satas, animæ facinora per virtutem facta significare: hi, quatuor Paradisi flumina ad quatuor animæ virtutes naturales accommodant: nempe ad eam quæ rationalis partis animæ propria est, & prudentia vocatur, & ad temperantiam: item ad eam quæ animosam siue irascibilem partem animæ spectat, atque nunc fortitudo, nunc lenitas, mansuetudoue appellatur, denique ad iustitiam: hæ enim quatuor, cæteras animæ virtutes omnes velut irrigant, fouent, augent. Sunt præterea qui arbitrentur, mysticum Paradisum esse Sensus quosdam figuratos siue parabolicos (vt vocamus) aut anagogicos: ea enim quæ à Mose de Paradiso dicta sunt, partim de rebus ipsis quæ vocabulis subiectæ sunt, accipienda esse: partim vero per similitudinem alto accommodanda. Verbi gratia, quod ait Dominum Deum formasse Adamum, & quæ sunt huius generis, de rebus ipsis esse intelligenda dicunt: Illud vero, quod Dominus Deus consereuit Paradisum in Eden ab initio, alto sensu esse accipiendum quam verba ipsa ostendunt; Nempe Deum comparauisse spiritualem quandam atque fœlicem viuendi rationem, &c. Præter hos sunt qui velint, mysticum Paradisum esse ipsum corporatum Paradisum, dum eum animo contemplamur spirituali ratione. Postremo sunt alij Doctores, quorum sententiæ nos quoque subscribimus, qui ipsum Paradisum duplicis conditionis esse aiunt: partim enim ex rebus corporatis, partim ex spiritualibus constare: sicut & ipse Adam cuius gratia ille conditus erat, ex corpore & Anima siue spiritu fuerat compositus: corporatasque Paradisi partes esse arbores, plantas, & eiusce modi res alias: partes vero spirituales, vitam beatam atque secundum virtutem actam, &c. sicut prioris Commentarij secundo Capite explicauimus.

F

Mysticus Paradisus multiplex.

Matt. 5. Luc. 6.

Quatuor, Animæ, Virtutes naturales.

G

Sensus Parabolici, siue Anagogici.

Paradisus partim spiritualis, partim corporeus

H

CAPVT II.

Quæ res sit Paradisus mysticus.

Paradisus spiritualis siue mysticus, vita est spiritualis quæ animo agitatur, plena summæ temperantiæ atque sanctitatis, & perpetuis meditationibus rerum diuinarum earumque quæ sunt à Deo conditæ, addicta: atque omnino vita beata & Angelica, procul ab omnibus animi perturbationibus, anxietatibus, suspirijs, luctu remota, atque cum gaudio, lætitia, exultatione coniuncta, itaque pollens potensque vt radios atque splendorem diuinarum Notionum concipere queat: quippe, qui in hoc Paradiso versantur, in summa viuunt beatitudine,

A

atque creatorem Deum eiuſque creaturas, mente contemplantes oblectantur. Nam & ſupernæ copiæ Angelicæ illic habitant, & Adam Euaque, antequam aduerſum Dei mandatum feciſſent, ibidem morabantur.

CAPVT III.

Quæ fuerit terra myſtici Paradiſi.

Terra myſtici Paradiſi fuit animus & mens Adami, hoc eſt, hominis inibi agentis. Nam inde pullulant atque oriuntur meditationes non modo rerum ſpectabilium, ſed & earum quoque quæ nullo ſenſu percipi queunt.

CAPVT IV.

Quales arbores & plantæ in Paradiſo.

Igitur huiuſmodi cogitationes meditationeſque ex animis & hominum & Angelorum, quaſi arbores è terra, procreatæ, arbores & plantæ Paradiſi myſtici haud abſurde dicuntur.

B

CAPVT V.

De arbore ſcientiæ, boni & mali in Paradiſo myſtico.

Quidam è numero Doctorum Eccleſiæ dicunt, Arborem ſcientiæ boni & mali myſticam & in myſtico Paradiſo conſitam, eſſe animi motum quendam quo homo pro peculiari mentis ſuæ indole inclinatur; ea enim ſentit, quæ inter malum bonumque eſt differentia: Quantiſper enim hæc Adæ animi vis ſibi conſtabat, tota in vnum ſuum Creatorem intenta, inque contemplatione eius alligata, tantiſper in ſolo bono ille verſabatur, idque vnum ſentiebat: verum poſtquam illa inde mota eſt, ſeſeque demiſit, ſenſit etiam alterum illud; id eſt, ipſum malum. Alij autumant, ſcientiæ boni & mali Arborem, fuiſſe typum legis Moſaicæ: vt & reliquas Paradiſi arbores, ſingulorum eius legis Præceptorum figuras, eo quod lex Moſaica inter bonum malumque diiudicet; eoſque qui bene agunt, bonis; & qui male, malis adficiat; atque ideo hanc Arborem iuxta vitæ Arborem ſitam fuiſſe: vt

Arboris ſcientiæ, iuxta vitæ Arborem ſitæ, Myſterium.

C

niſi quis ipſam prius Legem coluiſſet, hoc eſt, Legis mandata obſeruaſſet, ad vitæ Arborem pertingere nequiret, id eſt, ad eam libertatem quæ apud Chriſtum eſt: quando ipſe etiam Redemptor noſter tantiſper dum Legem obſeruabat, libertatem ſuo vitæ genere minime præ ſe ferebat. At nos definimus, Arborem ſcientiæ boni & mali myſticam, eſſe cognitionem & meditationem quæ circa Deum rerum omnium conditorem verſatur: ſcientiamque boni, eſſe eam cogitationem quæ vnum ſolum Deum agnoſcit atque profitetur, mali vero, quę multos eſſe Deos putat, atque hac Adamum Euamque per dæmonis conſilium fuiſſe diſtentos. Inſuper hoc quoque dicimus, eam Commentationem pro ijs qui pollent atq; exercitati ſunt Meditatione rerum diuinarum, ſcientiam boni & vocari & eſſe, pro ijs vero qui neque ſatis firmi ſunt neque exercitati, & tamen audent de Deo altius commentari, appellandam eſſe ſcientiam mali.

CAPVT VI.

D

De Arbore vitę myſtica.

Sunt inter Doctores Eccleſiæ, qui arborem vitæ, myſtice, dicant eſſe humanæ mentis proprietatem quæ cum eis cogitationibus quæ circa vnum ſuum Effectorem verſantur, alligata eſt, neq; huc illuc circumagitur aut in alias res requirit, prætetquam in ſolum Conditorem ſuum, ſicut etiam ſancti Angeli ſolius Creatoris ſui meditationibus diſtinentur. Horum ſententia eſt, Adamum, ſimul atque creatus eſſet flatumque Conditoris ſui excepiſſet, ad Deum rapi cœpiſſe à quo effectus fuerat, atque in hac vna contemplatione totum fuiſſe manſiſſeque horas non amplius tres, tantiſper ſcilicet dum Legem imperatam tranſiliret, ita vt interea nullam de rebus alijs cogitationem cum illa miſcuerit. Igitur hi meditationem eam mentis, quæ de vno ſuo Parente Deo agitatur, proprietatem mentis vocant: eſt itaque his Arbor vitæ myſtica, ſacer ille gradus in quo per Baptiſmum collocamur matrem myſticam qua iterum gignimur ad vitam. Alij dicunt, hanc Arborem vitæ ſpiritualem, eſſe nouum vitæ genus quod repræſentauit Dominus noſter inde ex quo Baptizatus fuit vſque dum Cruci eſſet affixus; de quo genere vitæ dictum eſt: *Conuertimini per pœnitentiam, propinquat regnum cœli.* Atque hanc vitam (inquiunt) agimus, poſtquam per Baptiſmum, veterem exuimus hominem: eſtque ea ceu quædam figura eius nouæ vitæ quæ in regno cœli nobis eſt promiſſa. Alij porro vitæ Arborem myſticam definiunt, immunitatem libertatemque quam dedit nobis Chriſtus à conſtitutionibus & pœnis Legis. Lex enim delinquentibus pœnam præſtituerat, à qua nos aſſeruit Chriſtus quide hac libertate his verbis eſt concionatus; *Redite per pœnitentiam, propinquat regnum cœli.* Rurſum alij aiunt, Arborem vitæ eſſe hominem nouum qui per Baptiſmum natus eſt. Alij, hominem nouum qui obſeruatis Dei iuſſis exuit vitia quæ vocantur vetus homo, induitque virtutes quæ nouus homo appellantur. Alij mortem eſſe volunt ſpiritualem qui naſcitur ex ſecuritate, ob ſeruandis Dei mandatis comparata. Alij meditationem quæ Chriſti perſonam contemplatur, quia per ea conditæ ſunt omnes naturæ participes vitæ atque rationis. Alij crucem Chriſti putant Arborem vitæ dici quia ex ea promanant omnia bona ſpiritualia, abolitio peccato atq; execratione. Alij ſacram aram in qua adminiſtrantur diuina Sacramenta. Alij denique, Corpus & Sanguinem Chriſti Dei noſtri Arborem vitæ vocari putant. Sed enim nos poſt has & inter has ſententias, noſtram quoque proferentes, ſtatuimus arborem vitæ myſticam eſſe meditationem atque cognitionem qua profitemur ſacroſanctam Trinitatem: hoc eſt, vnum eſſe Deum, & Tres Perſonas ſanctas, ſiue Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate. De hac porro Arbore non comederunt Adam & Eua, neque ad eam accedere ſine de ea cogitare quiuerunt, vt qui adhuc non ſatis pollebant, potenteſque ad id non erant: At nos Chriſtiani, non quidem ipſi ſatis pollentes ſed per Chriſtum, illuſtratum hoc arcanum & amplectimur & profitemur. Cæterum exiſtimandum eſt, multitudinem diſſimilitudinemque harum inter ſe interpretationum quas de Arbore vitæ adduximus, argumento eſſe quam ſit res ipſa explicatu difficilis: alioqui enim tam multis variiſque verbis ad eam enucleandam minime opus fuiſſet.

Angeli ſolius Dei meditatione diſtinentur.

Adami prima contemplatio.

Vitę arbor myſtica, multiplex. Baptiſmus eſt mater myſtica: ſic etiã infra. Cap. 7.

E

Matth. 3.

Matth. 4.

Epheſ. 4. Coloſſ. 3.

F

Crux Chriſti eſt Arbor vitæ.

Corpus & Sanguis Chriſti.

Trinitas in Vnitate.

G

CAPVT VII.

Scripſit diuus Moſes de Paradiſo in hæc verba: *Et plantauit Dominus Deus Paradiſum in Eden, ab initio.* In his verbis, Paradiſi vocabulo, vita ſignificatur ſpiritualis, hoc eſt, quæ ſecundum Animam agitur, & Beata. Plantare vero idem eſt quod facere, ſiue inſtituere. Hoc itaque dicit Moſes; Dominum Deum comparaſſe viuendi modum ſecundum ſpiritum, ita vt ea vita eſſet plena ſanctitatis & meditationis rerum diuinarum & earum quæ à Deo conditæ ſunt, fœlix & ab omnibus animi perturbationibus anxietatibuſque remota, quam comitentur gaudium & exultatio, quæque capax ſit radiorum diuinæ notionis. Illud vero quod ait; *Ab initio*, eſt, ac ſi dicat eam vitam ſpiritualem atque beatam ab ipſo Deo inſtitutam fuiſſe ante conditum hunc corporatum Mundum; hoc eſt, ante eam machinam quæ ex cœlo terraque & ijs quæ inter hæc media ſunt, conſtat: atque in ea vita verſatos oblectatoſque fuiſſe Angelos ante hanc Mundi aſpectabilem & corporatam molem creatos fuiſſe, & ſi Syri hoc negent. Cæterum in Translatione LXXII. Interpretum habentur illa verba ad hunc modum: *Et plantauerat Dominus Deus Paradiſum in Eden ab Oriente*; vbi, per Orientem, lucem eam accipias licet quæ ratione ſola intelligitur, proculque à rebus corporatis ſemota eſt: hę enim in Occidente; hoc eſt, caligine verſantur. Eſt igitur eorum verborum hæc ſententia; Deum vitam fœlicem atq; Angelicam parasse in luce agitandam, quæ lux ſola mente cernitur. *Et poſuit illic Adamum quem finxerat*: Poſtquam (inquit) finxiſſet Adamum, induxit ipſum in eam ſpiritualem ac fœlicem vitam, lætitia & mirifica adfectum voluptate, per meditationes cogitationeſque nulli perturbationi aut anxietati obnoxias, in morem Angelorum & ſpiritualium Copiarum, recipientemque radios diuinarum notionum non aliter atque Angeli capiunt. *Et fecit Dominus*

Complectitur interpretationẽ myſticam verborũ Moſis de Paradiſo.

H

Caute lege, & vide notam ſuperius ad 1. li. in Hexamer. S. Thoſtaſu Sinaitæ. Negant Syri Angelos ante Mundum fuiſſe conditos.

A

Deus e terra omnem arborem pulchram ad spectandum, & expetendam ad vescendum: Hoc est; ita comparauit Deus Adæ mentis sensum, vt procrearet atque expullulare faceret omnis generis probas cogitationes meditationesque tam de rebus quæ videndi sensu possunt percipi quam ijs quæ eum sensum effugiunt. *Et Arborem vitæ in medio Paradiso, & Arborem scientiæ boni & mali:* Hæ duæ arbores quando spirituali modo spectantur, ambæ in medio Paradiso consistere queant; hoc est in medio animi siue mentis, vt altera alteram non angat aut trudat, sicut ait Gregorius Nyssæus. Sed supra à nobis, dum mystice accipiuntur, vbi multorum sententias in medium adduximus. *Et flumen egrediebatur ex Eden vt rigaret Paradisum, & illinc diuidebatur & euadebat in quatuor capita.* Priusquam violasset Adamus Legem, promanabat fluuius; hoc est, delitiæ ex meditatione rerum spectabilium & non aspectabilium natæ: rigabatque; hoc est, oblectabat vniuersum corporis temperamentum quod ex quatuor constat humoribus, ex sanguine, pituita, atque vtraque bile. Nam & ex illius modi meditationibus, non minus quam de corporatis Paradisi arboribus recreabatur Adamus animo. Sunt qui hoc quoque modo interpretentur ea verba: *Promanabat fluuius;* hoc est, delitiæ ex rebus conditis, ijs quæ spectari queunt & ijs quæ videri nequeunt: *& rigabat,* id est, oblectabat quatuor animæ virtutes, eam quæ rationi propriè attribuitur, hoc est, prudentiam; tum temperantiam, fortitudinemque, & iustitiam; ac proinde virtutes animæ cæteras quoque fouebat, augebatque. Sunt præterea, qui sic, vt per fluuium intelligatur Christus qui sua doctrina Ecclesiam rigabat: Collegium dico Apostolicum quod erat veluti Paradisus, deinde euadebat sectus in quatuor capita; hoc est, ipsos quatuor Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, atq; hi deinde vniuersum Orbem habitabilem proluebant. *Nomen vnius Phison, ipse est qui circuit vniuersam terram Hauila: & ibi est aurum; & aurum eius terræ bonum est, ibi Bdellia & lapides Berylli.*

Fluuius Paradisi Mysticus.

B

Quatuor animæ virtutes.

Per Phisonem fluuium intelligi potest flaua Bilis qui humor in corporis humani constitutione laudabilis est. Nam qui eo largius præditi sunt, ingenio pollent acri atque arcanorum Dei mysticorum cognitione, & rerum conditarum scientia; hoc est, & diuinarum, & humanarum rerum capace; quod profectò multo auro & margaritis, lapidibusque pretiosis anteferendum est, sicut ait Psaltes Dauid; *Propterea amaui mandata tua multum supra aurum, & multum supra lapides pretiosos.* Potest etiam per Phisonem accipi ea virtus animi quæ rationis propria est; prudentiam dico. Potest quoque Marcus Euangelista Phisonis nomine signatus intelligi, vt in quo robur fortitudoque eruitur res superas explicandi. *Et nomen fluuij secundi, Gihon, ipse est qui circuit omnem terram Chus: & nomen fluuij tertij, Diklat, qui it aduersum Assur: & fluuius quartus est, Perath.* Gihonem vocat, humorem eum quem sanguinem dicimus; Diklat, eum quem pituitam vocamus; denique Perath, illum quem appellamus bilem atram, vt ait D. Iacobus Orrohaita. Possumus quoque per Gihonem intelligere eam animæ virtutem quæ temperantia dicitur, per Diklat, eam quæ ad partem animæ irascibilem siue animosam pertinet; hoc est, fortitudinem, & lenitatem per Perath denique, Iustitiam. Rursus Gihon potest Matthæum significare Euangelistam, Diklat, Lucam; Perath, Ioannem. *Et accepit Dominus Deus Adamum, & posuit ipsum in Paradiso Eden.* Postquam condidisset Deus Adamum, sustulit ipsum illinc vbi creatus fuerat, & traduxit in Paradisum spiritualem, hoc est, in vitam felicem, vt voluptatem caperet ex meditatione rerum conditarum, atque ex diuinæ notionis radijs quibus ipsius mens illustrabatur Angelorum more, quemadmodum in ipso quoque corporato Paradiso oblectabatur. Cum enim duplicis esset conditionis Paradisus; quatenus spiritualis erat, delectabat Adæ animum contemplationibus: quatenus vero corporatus, arboribus fructibusque illius corpus recreabat. *Vt eum coleret & custodiret.* Idcircò (inquit) traduxit illum in eum spiritualem & beatum viuendi modum, vt in ipso sese exerceret per probas cogitationes & rectas meditationes quæ circa res conditas versentur, ipsumque obseruaret omni proposito animi sui, se-

Flaua Bilis laudabilis est in corporis humani constitutione.

C

Phison mystice qu. d.

Psal. 119.

S. Marcus Euangelista.

D

que eo vno oblectaret. *Et mandauit Dominus Deus Adamo, dixitque ipsi: De omnibus arboribus, quæ sunt in Paradiso, edendo edes: at de ipsa Arbore scientiæ boni & mali, ne edas,* hoc est, exerce te cogitationibus de rebus omnibus tum aspectabilibus tum quæ sola mentis intelligentia percipiuntur: apudque tuum animum meditare quisnam sit illarum effector & parens, & quomodo sint conditæ; totusque esto in meditando ea quæ sibi illis mystice latent: cum que ex rerum illarum pulchritudine raptus fueris in admirationem, tùc ipsarum Conditori gratias agita, eumque laudibus efferto. Quod porro sequitur, ab arbore scientiæ boni & mali abstinendum esse, significat, illum curiosius inquirere non debuisse in Deum ipsum, quid esset & quomodo existeret, & vnicusne an plures essent dij: huc enim penitus procedendum illi non fuisse, propterea quod adhuc ad illiusmodi res capiendas non satis polleret illius mens. *Quia quo die comedes de ea, morte morieris:* Ac si dicat: quo die tecum ambigere cœperis vnusne Deus sit an plures, atque in opinionem plurium incideris: mortem oppetes, & peccando & te, à me, subducendo alienandoque, qui sum verus Deus. Quippe id illi euenit, vna cum vxore Eua Diaboli fraude seducto: qui non modo esus illecebris ipsos fefellit, sed persuasit etiam plures esse Deos, dum diceret: *Si comederitis de ea arbore, eritis sicut dij.* Hic illud etiam obseruandum est: Adæ atque vxori, Arbore tantum scientiæ interdictum esse ne ad eam accederent, nempe quia nondum eius capaces erant: at de Arbore vitæ nihil esse præceptum quidem Lege, sed pro custodia eius positum Cherub & aciem gladij, nimirum vt ea re significetur, eos mortales (siue primi illius siue horus temporis, qui non satis firmi sunt ad commentanda ea quæ ad sacrosanctam Trinitatem spectant; vnum scilicet esse Deum personas vero tres; atque ita Trinitatem esse in Vnitate & rursum Vnitatem in Trinitate: hanc enim esse arborem vitæ, supra memorauimus) si conentur per temeritatem illo penetrare, deque arcanis illis & cogitare & loqui: eos, inquã, coërceri repellique quasi à custode Cherub & lancea quadam ignea fulgoribus micante ipsosque deterrente atque accessu prohibente. *Et formauit Dominus Deus è terra omnem bestiam agri, & omnem volucrem cœli:* Hæc verba, atque hæc oratio de rebus ipsis duntaxat interpretari possunt, non etiam ad spiritum accommodari. Igitur quæ commentatio superiore de ipsis sunt à nobis dicta, sufficiant. *Et misit Dominus Deus quietem (aut, vt habet Hebræum, somnum) in Adamum, & dormiuit: & sustulit vnam è costis ipsius, clausitque carne eius locum, & concinnauit Dominus Deus ex costa quam sumpserat ex Adamo, fœminam:* Quod ex Adamo sopore obruto sumpta est costa, atque ex hac facta Eua, sacramentum est Sanguinis & aquæ ex Christi latere profluentium, postquam in Cruce obdormiuisset; quibus constituta est sacrosancta Ecclesia: Tum, quod ex latere Adami excipiebatur Eua: typus fuit fodiendi olim lateris Christi, ex quo essent effluxuræ aquæ vitæ & vitales salutaresque: aquæ (inquam) sacri Baptismi quiest mater mystica, ex qua vna procreantur filij noui ad vitam spiritualem atque sempiternam: sicut Eua quoque quæ ex Adami latere prodijt, mater omnis viuentis est appellata. *Et Serpens astutior erat omnibus animalibus agri, quæ fecerat Dominus Deus.* Serpentem vocat Diabolum: illum Deo rebellem, mendacij patrem, humanæ naturæ impostorem: Nam etiam alibi in sacris Literis, ille Serpens * appellatur: *Feci, inquit Dominus, vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones.* Et alibi scriptum est: *Occidit manus ipsius Serpentem transfugam, siue fugitiuum.* Angelicæ vero virtutes appellantur animalia, quo nomine illas Scriptura apud Ezechielem quoque vocat in Ostento illo. Dicitur autem Serpens astutior omnibus animalibus, quia Angelicæ virtutes prorsus ab omni malitia atque astu vacuæ sunt: at Diabolus vafer est & improbus prorsus. *Et ait Serpens ad mulierem, Verè dixit Deus, ne comederetis de omnibus arboribus Paradisi;* hoc est, plane dixit vobis Deus: nolite meditando expendere rerum conditionem, siue aspectabilium siue earum quæ in sensus non cadunt. *Et ait mulier ad Serpentem: de fructibus arborum Paradisi comedemus: de fructibus arboris, quæ est in medio Paradisi dixit Deus, ne edatis de ea neque tangatis eam, ne moriamini.* Iussit quidem

E

F

Adam & Eua persuasi, plures esse Deos.

Mysteria S. Trinitatis curiose non inquirenda.

G

Ioan. 19.

Baptismus est mater mystica nouorum filiorum ad vitam spiritualem.

H

* *Isa.* 27. 2. *Cor.* 11. *Apoc.* 12. 20 *Luc.* 10.

Ezech. 1.

Dæmon impudenter Deo contradicit.

A

dem Deus vt rerum omnium tam quæ cerni non possunt quam possunt, contemplatione nos exerceamus, atque ea nosmet oblectemus; at in se (est enim ipsius, arbor illa spiritualis) noluit nos altiùs curiosiusq; inquirere vnicusne sit Deus an plures, nedum ad eiuscemodi indagationé mens nostra parùm pollens potensq; est, per peccatum occidamus. *Et ait Serpens ad mulierem, Non mortem moriturι estis.* En vt nihil pudet Dæmonem plane Deo contradicere: ille morté obnunciat si quis altiùs in ipsum inquirat; hic, prorsus mortis securos facit eos qui arcana Dei audeant scrutari. *Et vidit mulier quod pulchra esset arbor ad vescendum, & expetibilis oculis, atq; desiderabilis arbor spectatu.* Quod mulierem dicit vidisse arborem, nó ita accipiendum est quasi Deum illa viderit quem mystice per eam arborem significatú esse diximus; sed ipsam auscultasse consilio Dæmonis, eiusque verbis persuasam curiosius in Deum inquirere conatá esse significat. *Et accepit de fructibus ipsius & edit, deditq; etiam simul viro suo & comedit.* Ipsa cum animo suo reputare atq; disquirere cœpit de Deo vnusne esset an plures, & quam ob caussam sibi marito q; suo interdixisset escam Arboris scientiæ, atque simul Adamum maritum suum vt idem faceret hortata est, is vero vxoris dictis est assensus, atque in easdé cogitationes incubuit: *aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi essent.* E uestigio violata Lege Dei, patefacti sunt ipsorum oculi: non q̀ in deos iam tum euasissent, in quam spem ipsos adduxerat dæmon; sed ita, vt animaduerterent suam nuditaté: hoc est, adempta est ipsis prior illa cernendi facultas spiritualis atque Angelica qua fuerant præditi, intellexeruntque, se iam felici illa Dei gratia esse spoliatos qua antequam aduersus Legem fecissent, sua ipsorum corpora veluti velata fuerant. *Et conglutinauerunt folia ficulnea feceruntq; sibi subligacula:* Folia ficulnea vocat ipsorú manus, referunt enim manus eorum foliorum figuram: quasi dicat, cum se nudos esse animaduerterent, manibus sua contexêre pudenda: atque ita etiam nunc se mores mortalium habent. Neque enim aut amictum aut tunicas, sibi, ipsos fecisse dicit, sed perizomata: hoc est, quæ sola genitalia

C

membra tegerent. *Et audierunt vocem Domini Dei gradientis in Paradiso, ad inclinationem diei:* Inclinatio diei moram temporis significat: quasi dicat non simul atq; mandatú transiluissent deliquissentq; apparuisse ipsis Deum; sed interiecto temporis spatio, nimirum quo ipso apud animum suú sibi conscios puderet interim pœniteretque admissi flagitij. Porro descensus & aduentus Dei in Paradisum, figura erat quæ descensurum atque venturum olim in Mundum Dei Verbum significabat. Diei inclinatione vero mystice ostendebatur fore vt hoc Dei Verbum in fine temporum carnem indueret, sicut ait Paulus: *Cum venisset finis temporis, misit Deus Filium suum, & factus est ex Muliere.* Deinde gradientis Dei audita per Paradisum vox portendebat Verbú Dei aliquando apud nos in carne versaturum ambulaturumque, quemadmodum de ipso prædixit Vates; *Et super terram visus est, & apud homines versatus est. Et abdebant se Adam & vxor ipsius a conspectu Domini Dei, inter arbores Paradisi.* Abdebant quidem inter arbores Paradisi sua corpora: verum

D

conscientiam admissi facinoris regere à conspectu Domini atque dissimulare, ipse prohibebat pudor. *Vocem tuam audiui in Paradiso, & vidi quod nudus essem, & abdidi me.* Et quia (inquit) vocem tuam gradientis per Paradisum audiui, & quia nudum me esse animaduerti; ab ea maxima atque saluberrima gratia qua ante fuerá indutus, ob has ego duas caussas metu perculsus me occultaui, hoc est, rem ipsam commissam, apud animum meum expendens timui. *Et ait ad illum Dominus: Quis significauit tibi quod nudus esses? nisi de arbore de qua iussi ne ederes, edisti?* Ac si dicat: En mei cogitationibus tete occupasti, qualibus abstinere te iusseram. *Et ait Adam: Mulier quam attribuisti mihi, ipsa dedit mihi, & comedi:* Mulier (inquit) quam mihi sociam fecisti, ea mihi meditationis de te instituendæ causa fuit. Nimirum facit Adam quod mortales omnes solent: si quando enim errant atque peccant homines, caussas quasuis arripiunt quibus à culpa se & pœna vindicent. *Et ait Dominus ad Serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es præ omni animali, & bestia agri:* Hoc dicit ad Satanam Dominus: quia Adamum & vxorem ipsius seduxisti, iumenta quidem bestiasque ceteras dignabor mea

Eua, de Deo, curiose voluit inquirere.

Dei aduétus in Paradisum.

Galat. 4.

Baruch. 3.

Homines solent excusare excusationes in peccatis.

Serpentis maledictio.

E

cura, id est, sufficiam ipsis cibum in tempore: at tu mea cura indignus habeberis. *Et super ventrem tuum gradieris.* Extorris, enim à cœlesti Republ. repes humi atque in terrenis rebus volutaberis. *Et puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ:* homines perire (quod est veluti in puluerem reuerti) tu tibi pro esca & cibo duces, propter summum tuum aduersus illos odium. *Et inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Id odium (inquit) quo tu gaudes, ponam ego inter te & illos, & inter semen humanum atq; rebelles dæmonas tuos socios. *Et ipsum conteret caput tuum:* hoc est, irritum faciet tuarum astutiarum initium. *Et tu illud feries in talo ipsius:* hoc est, tu peccati vulnus ipsi infliges, vt perdere possis in extremo eius vitæ actu. *Et ad mulierem ait: multiplicando multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos:* hęc mysticum sensum non admittunt; cæterum rem ipsam supra* pertractauimus. *Et fecit Dominus Deus Adamo, & vxori ipsius tunicas pelliceas, & vestiuit ipsos.* Cum (inquit) adempta illis esset vita illa spiritualis, beata, gaudijque plena, propter sua

F

ipsorum errata inducti sunt in vitam hác corpoream, ærumnosam atq; anxijs rebus refertam. Cæterum tunicis pelliceis, maxima vitæ commutatio quę ipsis violata Lege accidit, significatur. Propter sua ipsorum igitur peccata eas pœnas dederút, vt spiritualem cum corporea; hoc est, fœlicissimam cum infœlicissima vita mutarent. Et ait Dominus; *En Adam factus est qualis vnus nostrum in cognoscendo bono & malo.* Hæc supra abunde explicauimus. *Iam ne fortassis extendat manum suam, & sumat de arbore vitæ & edat, ac viuat in æternum.* Posteaquam admisso flagitio excidisset genus humanum illo secundum animum viuendi modo, illaque vita beata & Angelica, indignum iam euaserat atq; etiam inualidú vt cogitatione assequeretur agnosceretq; vnum Deum & tres Personas, atque vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate: & vt Verbum Dei, olim carnem esse assumpturum nostrę salutis & redemptionis gratia, prospiceret: non satis (inquam) pollebat deinde genus humanú ad huiusmodi sublimes meditationes exercédas, tantisper dum flagitium illud & prauitas per Satanam sub Serpentis

G

specie (quo vtebatur ceu instrumento) iniecta delerentur atque abolerentur penitus. *Et misit ipsum Dominus Deus extra Paradisum Eden, vt coleret terram ex qua sumptus fuerat. Et eliminauit ipsum Dominus Deus:* Propter violatam Legem mulctauit Adamum Deus fœlicissima illa vita in qua mentem suam ille omnem perpetua contemplatione rerum & quæ videndi sensui subijci & quæ non subijci possunt, ante pertractabat. Atque insuper à vitæ etiam Arbore prohibitus: ait enim Moses: *Et versari fecit ad Orientem Paradisi Eden, ipsum Cherub & aciem gladij versatilis, ad custodiendum iter Arboris vitæ.* Ad Orientalem partem Paradisi solam, non etiam ad reliquas collocata est custodia quia Orientis regio præstituta erat vt esset olim locus adorandi Dei. Porro Cherub & Gladius igneus terrificusque, custodiæ causa positi sunt inter Adæ ingenij captum & ipsam sacrosanctam Trinitatem; ne scilicet mens humana altius curiosiusque inquireret in tres Personas Diuinitatis quæ prorsus est incomprehensibilis. Sunt autem quæ hic à Mose scribuntur, pro nostris moribus dicta. Nos enim, si quam rem saluam cupimus: ei custodem solicitum, sedulum, prudentem præficimus terribili aliqua lancea munitum; qui procul arceat accedentes. Huc animum attendant quotquot aut non satis firmi cum sint, aut non satis exercitati atque eruditi, aut denique nullum virtutis cum habeant vsum: audent tamen per temeritatem subito prosilire in medium atque loqui, disceptareque de sacrosanctæ Trinitatis Personis: & his Mosis dictis tantam suam audaciam refrænare discant, atque ita se in hac vita expurgent obseruandis Dei iussis vt in altera illa futuri sæculi, donentur cognitione meditationeq; rerum à Deo conditarum atque ipsius etiam summæ Trinitatis, quatenus certe hanc res creatæ atque externæ per virtutem omnipotentis Dei comprehendere poterunt, & hic finis esto Sermonis secundi.

* Parte 1. Cap. 18.

Cur positus sit Cherub ad Orientem Paradisi.

H

De non curiose inquirendis S. Trinitatis mysteriis.

MOSIS BAR-CEPHA, SYRI, COMMENTARIORVM DE PARADISO, INTERPRETE ANdræa Masio, Pars tertia.

Superiore proxima Oratione; ô pie & venerande frater noster, domine Ignati, egimus de Paradiso & arboribus mysticis, pro serie atque tenore Scripturæ: at præsenti sermone dissoluemus, Deo manum nobis porrigente, hæreticorum calumnias quas aduersum nostra dicta proferunt; ac simul nonnullas quæstiones à quibusdam alijs viris quæsitas explicabimus.

Contra calumnias Simonis Magi, de primi parentis peccato.

CAPVT I.

Simon Magus.

OBijcit Simon Magus, inquiens: Deus ille qui Adamum condidit, impotens erat atque imbecillis; neque enim efficere potuit vt maneret Adamus, qualem esse volebat. Ad hæc respondemus, mansisse Adamum qualem ipsum & esse & manere volebat Deus conditor effectorque ipsius: volebat enim Deus ipsum pollere suopte arbitrio, atque liberum esse; non autem naturam habere vinctam & obnoxiam, qualem habent bruta animantia & eæ res quæ animæ expertes sunt. Atqui profecto si voluisset Deus Adamo liberum esse suum Arbitrium, hic vero non obtinuisset Arbitrium liberum, neque is fuisset quem esse volebat eius parens Deus, sed prorsus alius; ac tum demum isti calumniæ locus fuisset. Sed instat Simon: Deus volebat ne ederet Adamus de illa arbore: at is edit, non ergo mansit qualem manere volebat Deus: conficitur ergo parum potentem fuisse Adæ Creatorem. Imo vero id ipsum quod edit de Arbore, argumento est mansisse qualem volebat Deus manere: ea enim erat Dei voluntas, vt constaret, Adamum esse liberum atque cum libero arbitrio conditum; idque certo ita se habere inde potissimum sciri potuit quod appareret in ipsius esse positum facultate & edere & non edere de illa Arbore, Legemque vel obseruare vel violare. Posteaquam igitur iussus abstinere non abstinuit, libero prorsus Arbitrio se ostendit præditum esse, qualem ipsius effector Deus & esse & manere voluerat. Neque vero Adamus vescebatur ea Arbore, victa superataque Conditoris Dei voluntate; sed Creatore ipsi permittente, vt quod Arbitrij eius libertas dictaret id porro ageret, faceret, patraret. Præterea, nisi liberi Arbitrij Adæ facultatem rebellio illa prodidisset, qua re tandem perspici potuisset maxima præstantia obsequij quod postea ille amplexus erat, & per id rediturus ad pristinum suum ordinem, gradumque? quippe cum esset bonum quod pie patraret, non solum Creatoris sui munus verum etiam ipsius proprium opus. Porro amplius etiam vrget Simon, atque: Volebat Deus Adamum manere in Paradiso, at ipse per suum flagitium inde excidit; erat ergo impotens Adæ effector Deus vt qui pro sua voluntate illum in Paradiso retinere nequiuerit. Sed respondemus, Deum, vbi Adamum condidisset atque in Paradiso posuisset, prorsus liberum ipsi fecisse vt vel obseruata Lege inibi maneret, vel fracta inde exiret. Igitur cum ea illi voluntas fuisset vt imperatam Legem transiliret, merito extrusus est Paradiso & morte etiam damnatus, propter admissum peccatum scilicet; & simul ne ipsius prauitas foret immortalis, qualis est Diaboli. Accedit huc, vt metu mortis cuius per sententiam reus erat, causam mortis peccatum vitaret, & huic contrariæ Iustitiæ operam daret: denique cum olim ex ipsius posteritate futuri essent Martyres, lata est aduersus illum mortis sententia, vt hi per mortem pro sua in Deum pietate atque reuerentia obitam, coronas adipisci possent Iustitiæ. Sed vt reuertamur vnde paululum digressi sumus: Si propterea (Simon Mage) Deum inualidum vocas quia Adamum cum libero Arbitrio creauit, quo ille præditus, aduersus edicta Creatoris sui facere posset; vt etiam hodie imbecillum Deum esse dicas, necesse fuerit: iussit enim ne homicidia, adulteriáne committerent mortales; & tamen hæc atque alia aduersum Legem Dei patrant. Sed enim vtâre vt lubet eo tuo argumento, Simon; at interim nobis responde to: volentene Deo faciunt homines aduersus Legem ipsius, an nolente? Sanè si nolente; consequens est, imbecillis eum etiam nunc viribus esse; quippe quo nolente, quæ præscripsit violantur. Sin volente; erit ipse sibi aduersus vt qui ea verbis iusserit quæ reipsa fieri noluerit; & mortales voluntati illius paruisse dicentur qui contra mãdata fecerint: quod profecto absurdum est. Rursus, libenténe an inuito Deo patrant homines quæ improba sunt? Si libente, erit ipse quoque improbus qui vitiis delectetur: Sin inuito, cur non impedit? At si coërcere illos ab eo quod prauum est, designando non potest: conficitur certè, viribus ipsum etiam nunc non pollêre: vel si non vult, rursum prauus vt ipsus sit consequitur, qui praua dissimulet. Est porro etiam aliud Simonis Magi argumentum quo Deum Adami conditorem, improbitatis atque inuidiæ arcessere nititur: Nam interdixit, inquit, Adamo, Arbore scientiæ boni & mali: qua gustata potuisset ille inter bonum malumque dijudicare: atque, hoc fugere, illud persequi. Sed respondemus, Deum haud ideo vetuisse Adamum vesci fructu Arboris scientiæ ne bonum amplecteretur malumque vitaret, vt calumniatur Simon: ipsa enim res, Simonis verba redarguit mendacij, nam edit quidem de arbore scientiæ Adamus: & quid bonum, quid malum esset, facto periculo didicit: & tamen non modo nullo inde commodo vtilitateue auctus est, sed etiam magno damno mulctatus, quippe qui acerba pœna est cõdemnatus. Sed pergit impius ille Magus: At nisi, inquit, Creator ille, Adæ dixisset ne ille ederet de ea arbore, haudquaquam iudicium hoc pœnamque subiuisset; inde enim hoc malum, quod contra Dei edictum ille fecerat: Deus enim iusserat ne ederet, ipse vero edit. Sed respondemus, Deum neque voluisse vt ille ederet de ea arbore. Nam si voluisset vt ederet, duo hæc absurda conficerentur: alterum, Deum verbotenus mandasse quod reipsa fieri noluisset: alterum, eum qui aduersus Conditoris iussa propalam agebat, voluntati ipsius fecisse satis, quantumuis nescium atque imprudentem. Sin voluisset ne ederet, videri poteerat imbecillus: vt cuius voluntati Adamus repugnare potuerit: sed hue spectasse Deum dum Legem Adamo præscriberet, obseruaretne an violaret ille eam, non autem ederet an non ederet de illa arbore, atque ideo quoque de duabus illi habitationibus prouidisse, vt alteram si Legi paruisset, alteram si non paruisset haberet. Idque ita esse vel hinc ostendatur quod duo hæc inter se paria sunt: Deũ iussisse vt ederet, illum vero non edisse: & Deum vetuisse ne ederet, sed tamen illum edisse: par enim violatæ Legis culpa in vtrouis futura erat. Igitur non eo spectabat Deus dum legem conderet, ederet ne ille an non ederet quem Arbitrij libertate donârat; sed obseruaret, an non obseruaret Legem quam liberi eius arbitrij materiem esse voluerat: Simulque eo etiam pertinebat Legis constitutio, vt intelligeret Adamus se ab alio conditum eiq; suo Conditori, vt Domino, subiectum se esse. Sed supra à nobis, hæ atque aliæ, ferendæ Legis causæ satis tractatæ explicatæq; sunt. Ad hoc, qui potest vero simile videri, Deum Adamo esca illa interdixisse ne inde boni malique sciens fieret: alterumque amplecti, fugere alterum posset, quando nulla el arboris vis inerat quæ boni malique dijudicandi scientia edentes informaret: imo vero iam tum eius iudicij expers Adam minime esset (quippe Lex ijs non præscribitur qui malum à bono secernere non queunt, sed qui ante probi improbique, discernendi iudicio præditi sunt) sicut oculus, quamuis non vsu atque functione, re tamen ipsa, tum visione tum rebus aspectabilibus prior est: quæ supra quoque à nobis sunt tractata. At vero ideo illum iussit ab Arbore abstinere vt euaderet immortalis, ageretque vitam perpetuam: hoc enim donum à diuina gratia retulisset. At enim Deum non improbum pro Simonis calũnius,

Humani Arbitrij libertas.

Cur damnatus morte Adam post peccatum.

Volente an inuito Deo fiant mala.

Lex, Arbitrij liberi materia est.

A

Diuinæ bonitatis demõstratio contra Simonis Magi calumnias.

sed bonum benignumque natura esse, his colligitur argumentis: Condidit enim Adamum, cum ante neq; ille existeret neq; alius quispiam, qui ipsum ad illum condendũ, vel hortatu vel precibus moueret; ad hoc contulit illi imperium in pisces Maris & volucres cœli: Insuper bene precatus est ipsi, vt cresceret numeroq; augesceret. Præterea dedit illi omnem herbam proferentem semen, & omnem arborem fructiferã, pro cibo. Deniq; nos ipsos etiam nunc & si peccemus atq; aduersus ipsius mandata faciamus, tamen non modo sustinet neq; nostri obliuiscitur, sed etiam conseruat, pascit, gubernat, & omnino nostri curam gerit. Sunt porro alia plurima quæ testentur Deum natura bonum esse, atq; ex mera gratia Adamum cęterasque res effecisse. Pugnat porro Simon Magus aduersus Deum, etiam hac via: Per inuidiam, inquit, prohibuit Adamũ ab Arbore vitæ gustanda, nempe ne immortalis fieret. Atqui si ea inuidia laborasset Deus prorsus ab initio nõ creauisset Adamum. Neq; enim vlla eum vis ad creandum illũ impulit; sed sua voluntate, gratuito illum condidit: ad hoc, Paradisum illius causa; hoc est, vt in eo ille & habitaret & voluptate frueretur, non fecisset si inuidisset, aut saltem ipsam vitæ Arborem quam illi inuidisset non procreasset in Paradiso; neq; tanto etiam imperio in pisces, volucres, iumenta, feras illum amplificasset; deniq; non condidisset illum ad suam imaginem & similitudinem: Sed ea de causa ab arbore vitæ coërcuit, ne perpetuo viueret in peccato, essetq; ipsius malitia vna cum ipso immortalis, cuiusmodi est Diaboli prauitas. Atq; hoc ita se habere vel inde certum est quod olim concessurus est nobis vitam perpetuam in futuro sæculo, nullis peccatis aut delictis obnoxiã, sed sempiternis atq; immortalibus delitijs plenam. Rursus sic arguit Deũ idem Simon Magus. Qua tandem ratione, inquit, execratus est Deus Serpentem? Nam si vt eum qui damnum dederet, cur non coërcuit ne daret, hoc est, ne seduceret Adamum? Si vero ceu eum qui vtilitatem attulerat, quippe qui Adamo auctor fuerat vt de bona illa Arbore ederet; sane improbum atq; inuidum fuisse illum necesse est: denique cum neutram harum causarum haberet, illum est detestatus ac proinde sane imperitiæ atq; vecordiæ merito accusetur! Ad hęc respondemus, Deum execratum esse Serpentem vt rei malę auctorem, & tamen non coërcuisse machinantem qui se alioqui qui non latebat, eadem ratione qua neq; hodie eos cohibet qui improbis rebus intenti sunt, ne eas patrent: Tum etiam, ne ea re Diaboli libertatem impediret, qui per Serpentem verba faciebat: Denique vt periculum fieret de Adamo ipsiusq; libero Arbitrio, ea pugna atq; certamine in quo illic versabatur. Postremo si Serpentis conatum impediuisset Deus, data fuisset mortalibus quærendi ansa; dixissent enim, Deum per inuidiam abstinuisse Adamum à breui tentationis periculiq; momento, ne eo superato vitam adipisceretur sempiternam: neque enim ipsum Serpentis verbis, si fallendi causa illum adortus esset, concessurum fuisse. Porro de Simone Mago illud scire operæ precium est, esse qui dicant, ipsum in speciem quidem assensisse Mosis Legi, sed plures interim Deos posuisse quorum vnus sit imbecillus atque impotens, is qui Adamum finxit fecitque; alter vero hoc superior, maior, potentior. Alios autem putare Simonis Magi sententiam fuisse, Mundum à mala causa ortum esse; atque ideo illum huiusmodi absurda turpiaque dictu collegisse, quibus apud eos qui in vera fide durarent, Mundi auctorem Deũ suggillaret. Propterea corporum quoque Resurrectionem perfide illum negasse. Verum hæc omnia ex eo libro cognosci possunt, quem de multitudine differentiaque Sectarum conscripsimus.

Deum, nõ ex inuidia interdixisse Adamo esum ligni vitæ.

B

C

D

Obiectiones impij Manetis, & eius Sectæ hominum.

Capvt II.

Manetis calumniæ in legem Adamo primum à Deo positam.

Manes homo improbissimus, & qui eum sectantur, dicunt Legem Adamo imperatam plurimis rebus absurdis plenam esse, atque inde multa suppeditari argumenta quibus merito accusetur ipse Legislator: verbi gratia, iussit Adamum abstinere ab Arbore scientiæ boni & mali, minatus mortem quo die illius fructu vesceretur: quod edictum, harum rerum omnium arguit Deum: inscientiæ, iracundiæ, pœnitentiæ, mendacij denique. Inscientiæ quidem, quod Legem imperauerit quam putarit obseruandam, ea vero obseruata non sit. Iracundiæ, quod eum qui contra suam Legem fecisset, per iram condemnauerit. Pœnitentiæ, quia latam sententiam, per misericordiam (vt vos dicitis, inquit, Manes) irritam habuerit. Denique mendacij, quia mortem non oppetiuerit Adamus quo die edit de illa arbore. Aduersum hæc respondemus, Deum inscientiæ culpari non posse, qui ab æterno omnia nouit prius quam fiant: ac proinde, illud etiam clare præsciuit, Adamum, quæ ipse imperaturus esset, ea non facturum: nec tamen ideo non imperauit, quia illum pariturum non esse præsciuit: consentaneum enim erat, vt nihilominus illi præscriberet Legem, & quidem ob multas causas. Primum vt constaret esse qui dominatione potestateque rerum potiretur (est enim dominorum, Leges statuere) sciretque Adamus & cæteræ res conditæ, se creaturas esse & seruos, quibus solent Leges dari. Ad hoc, data Lege certiorem reddidit Deus Adamum & reliquos Mortales ratione præditos, se Arbitrij libertate ipsos donasse dum conderet, qua freti possent vel obseruare vel transilire Legem præscriptam. Nam si Legem tollas, nihil erit vnde eam libertatem, summum profecto Dei donum, cognoscas. Insuper Lex, & si ab Adamo violanda erat, tamen vtilis fuit ad probandos segregandosque morigeros à rebellibus, bonos à malis, amicos ab hostibus, aliorumque virtutem ab aliorum prauitate: quorum nihil sublata Lege, cognosci diiudicarique à nobis posset. Iam vero qui constaret iuste alijs præmium à Deo dari ipsum cœleste regnum qui obsequiosi seruanda Lege officium colunt: alijs calamitates merito infligi qui latæ legi non parent: nisi lex esset lata? Quod si vero ideo ferri non debuit quia eam fracturus erat Adamus cum vxore, haud sane recte præscripta iam fuerit Mortalibus fidei norma, quando maxima pars hominum eam non colit. Postremo, præscripta Lege monemur alterum esse sæculum in quo sua præmia & ijs qui obtemperant & ijs qui rebellant sint præstituta: alteris perpetuæ delitiæ, alteris cruciatus sempiterni: Lex enim omnis, & promissa & minas secum adfert: vt illa, si seruetur: hæ, si frangatur, præstò sint. Quod porro ad iracundiam spectat, respondemus, Deum non per iram pronunciasse aduersus Adamum illam talem sententiam, sed per meram misericordiam, quod hinc cognoscitur quia haudquaquam illo die obijt mortem quo facinus fecit, pro sententiæ verbis: nimirum verba eo fecerat Deus rigidiore, quo posteritatem venturosque nepotes, per metum, à frangendis legibus rebellandoque contineret. Rursus de pœnitentia, cuius accusat Deum Manes: dicimus illorum esse dolere atque pœnitere qui nescij rerum euentus, ea faciunt quorum exitus parum respondeat ipsorum commodis: at Deum, cum præsciat omnia quem sint quæque habitura finem, prorsus pœnitere vllius non posse: aut pigere. Non igitur latam à se sententiam aduersus Adamum, quasi eius pœnituerit, dissoluit, sed per suam misericordiam atque clementiam, quæ ipsius virtutes, ea re sunt luculenter patefactæ. Nam alioqui etiam quoties relicta impietate redit, eum excipit: atque quæ aduersus illum decreuerat, mutat: vt ait Propheta Ieremias.* Et Niniuitas exitio damnatos, post quam commutârunt vitam, supplicio exsoluit. Neque Ezechiam de admisso peccato dolentem, morte, vt comminatus fuerat, mulctauit. Imo vero quotidie videre est, illum non perditum ire eos qui suis mandatis non parent, sed expectare vt resipiscant. Postremo ad mendacij calumniam respondemus, plane Deum mentitum non esse, cum Adam, quo die de vetita arbore edit, eo mortem quoque (si animum spectes) obierit: quippe qui abalienatus sit à Deo, qui vnus via vera, certaque est: rata igitur fuit Dei, eo die, aduersus illum lata sententia. Et vero ipso etiam corpore, illo die mortuus est quadam affectione turbulenta quæ mortis esset efficiens: vt à quo simul prorsus auferebatur immortalitatis gratia, ac pro-

E

F

G

H

Ier. 1 & 18.

Ion. 3.

Isa. 38.

Adã mortuus eo die quo Dei præceptũ est transgressus.

inde

A inde morti iam tum fiebat obnoxius, & omnino mortalis. Et his ergo omnibus conficitur, Manetem & reliquos eius factionis homines improbe Deum sugillare eorum criminum, quæ iam vidimus.

Rursus aiunt iidem Manetis assessores; Quanam prohibitus est Adamus causa ab Arbore scientiæ gustanda? an quia mala ea esset, an quia bona? Si quia mala; an mala arbor sata erat in Paradiso? Sin quia bona; per inuidiam prohibitus est! Contra hæc dicimus, eam Arborem suapte natura neque bonam neque malam fuisse, sed perinde atque ipsa quis vteretur abutereturve. Vsum autem atque abusum, in libero primorum Parentum fuisse arbitrio positum; vt iam non ex ipsa arbore malum, sed ex Arboris abusu prouenisse existimandum sit. Idem de bono dicendum fuisset, si Adam Mandatis quæ de ea Arbore acceperat paruisset. Quemadmodum cibus qua cibus est, nihil vllus ab alio differt; sed pro ætate atq; virib. vescentium maxime. Nam qui vescentis viribus respondet atque congruo tempore sumitur, bonus; qui vero vires superat B aut non in tempore capitur, malus habetur: sic vsus Adæ atque Vxoris in permissa quidem Arbore, bonus; at in vetita, malus erat: neque enim in ipsa arbore boni malive efficientia inerat; sed ipsum violare Dei Legem; id vero erat quod Adamum occidebat, non arbor. Veluti contumeliosum in parentes, non ipsa contumelia mulctat morte, sed fracta Lex: neque mons Sinaï eos interficiebat qui se contingebant quo tempore certi fines præscripti fuere vltra quos nemo accederet, sed Lex violata. Non igitur illa arbor Adamo malum dedit, sed amissa per fractam Legem noxa. Eum vero per inuidiam non esse prohibitum Adamum ab vna ea Arbore satis arguit, quod cæteræ omnes ipsius vsui permissæ fuere. Sed eo spectabat mandatum, vt de Adæ obsequio periculum in vna arbore fieret, eoque si obtemperasset, summum precium referret, nempe vt posset vesci Arbore vitæ, atque immortalis fieri. Sed aliis præterea rationibus supra ostendimus, nihil horum per inuidiam à Deo gestum esse.

Cibus vel bonus aut malus.

Leui. 20.

Exod. 19.

C Iterum instat Manetis Secta, loquiens: Aut præsciebat Deus Adamum non obtemperaturum, aut non præsciebat cum legem ferret. Si hoc dederis; absurdum est: sin illud, vecordiæ est arguendus Deus. Nos vero respondemus quod nuper: præsciuisse quidem Deum, non obseruatum iri mandatum ab Adamo: id tamen cur minus mandaret, nihil obstitisse. Quis enim stultum vocet Deum, quia Legibus vetuit peccare, cum sciret plurimos fore qui essent peccaturi? Sane si nullas Leges condidisset aut nihil imperauisset; neque penes illum dominationem, neque penes nos Arbitrij libertatem esse resciturum esset. Verum enim vero ille cum præsciret cuncta quæ euentura essent, Leges nobis dedit ceu liberis & libero Arbitrio præditis, vt quod luberet id ageremus. Nos vero pro sua quisque voluntate & Arbitrij libertate, erga Leges, aut obseruando eas aut frangendo, nosmet gerimus. Neque aliter quoque cum Adamo actum est: penes illum enim erat & edere & non edere de Arbore vetita; atque si non edisset, ex D gratia immortalis euasisset; posteaquam vero edit, mortuus est. His itaque argumentis colligere est, neque male satam fuisse arborem scientiæ ab initio, neque Adamo inuidiose illa interdictum esse: ne illo mittant linguas suas Manetis asseclæ, Dei hostes, dum pro duabus rerum causis astruendis contendentes (quarum altera bona, mala altera sit) istiusmodi argumẽtis nos lacessunt, qui vnum Deum profitemur: Si inquientes, mala erat arbor; cur eam seuit Deus in Paradiso, quæ Adamo ruinam esset illatura? Sin bona, prorsus per inuidiam prohibuerit illum necesse est.

Cur peccaturis, Deus leges posuerit.

Contra Iuliani Apostata, de Arbore vitæ, Calumnias.

C a p v t III.

Satius fuisset (ait Iulianus) arborem illam vetitam, aut in angulo Paradisi aut loco aliquo obscuriore extare; ne dum perpetuo ob oculos esset, nimium sui desiderium in animis Parentum nostrorum excitaret. Huic respondet diuus Cyrillus Oratione tertia quam aduersus eum conscripsit, in hanc sententiam: Studio Creatoris factum est, ne arbor illa in occulto haberetur; Consentaneum enim fuit vt spectatores, ipsa Arboris aspectione, mandatum Dei atque Legem in memoriam reuocarent, & simul Domini sui qui legem tulerat, recordarentur: quarum rerum obliuio ipsis facile potuisset obrepere si in angulo quopiam Paradisi illa sata fuisset. B

Iuliani Apostatæ calumnia.

Sequuntur quæstiones, quæ à multis quæri solent: ac primum. Cur Deus creauerit Adamum quem peccaturum præsciebat.

C a p v t IV.

Quærunt nõnulli, cur creauerit Adamum Deus, quem præsciebat peccaturum? Respondemus, minime conditum à Deo esse Adamum vt peccaret vel vt non peccaret, siue vt iustus esset aut vt iniustus, sed neque vt Legem obseruaret vel vt non obseruaret, nam si horum alicuius gratia illum condidisset, magna sane causa hoc ab illis quæreretur; sed pro sua bonitate, gratiaque mera illum effecit, F hæcque prima Deo illius creandi causa fuit: cætera porro illa, secundaria existimanda sunt, vt quæ ex ipsius Adæ Arbitrio penderint, cum hoc penes solum Creatorem esset. Quapropter potius sic illi quærere debuerũt; cur creauerit Adamum Deus ita enim responsum tulissent; propter suam ipsius probitatem. Nam reliqua illa, peccare aut non peccare, & quæ addebantur cætera; ex Adæ libera pendebant Voluntate. Huc addimus etiam illud; Deum, vt præsciuit peccaturum Adamum lapsurumque, prius quam conderet; ita præsciuisse quoque se olim venturum, redempturumque illum à peccato in quod incidisset, ipsiusque vetustatem instauraturum, atque collapsum sublevaturum; vt eo minus mirum videri debeat, si creauit quem paulo post peccaturum præsciret. Ad hæc nisi creasset quos non nesciebat peccaturos, frustra creãdi operam sumpsisset; quippe qui nec blasphemum in ventre matris suæ finxisset, neque hypocritæ permisisset vt adspiceret lumen. G Denique eo luculentissime Dei probitas & gratia apparet, quod quos sibi non obtemperaturos nouit, eos progignere non dedignatur. Nam solos morigeros, sua causa, hoc est, vt suæ voluntati imperioque obsecundarent, & sibi gratum facerent; genuisse videri poterat: at quando iam pro sua bonitate, & bonos creat, & malos; non ignotus, alteros per virtutem, per improbitatem alteros ætatem acturos (quemadmodum etiam Solis sui lumen, iuxta bonis & malis impertit, & pluuiam iustis iniustisque) clarissima profecto euadit ipsius probitas atque benignitas quæ profuse defluens, vniuersa amplectitur. Verum hanc quæstionem dissoluimus quoque in nostra interpretatione quam in diui Matthæi Euangelium fecimus.

Cur à Deo creatus fuerit Adã peccaturus.

Mortalis an immortalis creatus sit Adam?

C a p v t V.

H Quærunt alij, mortalemne natura, an immortalem genuerit Deus Adamum? Sed principio expendendum hic est, quid sibi illud velit, Adamum natura mortalem esse ortum: spectetur ne ad vniuersam ipsius compositionem; quasi dicas, naturæ Adæ inditum fuisse vt anima dissocietur à corpore, quæ disiunctio mors sit: an vero mortalitas ad corpus solum referatur, vt huic naturale fuisse statuatur, interire atq; occidere. Respondemus igitur, nos corpus solũ spectare, cum dicimus, Adamum natura mortalẽ fuisse creatum: hoc enim ita cõpositum fuit, vt suapte natura, passioni, corruptioni, morti denique esset subiectum atq; opportunum. Interim à corpore ad totum hoc transfertur, dicimusque, hominem natura mortalem esse naturaminam in rebus compositis ita fieri assolet vt quod partis est vnius, toti attribuatur. Sunt tamen qui negent, Adamum natura mortalem esse procreatum; sunt etiam qui mortalem & immortalem natura effectũ esse velint, sunt

Adamum mortalis an immortalis sit conditus.

A

denique qui neque mortalem neque immortalem natura conditum affirment. Qui negant mortalem naturę creatum à Deo esse: dicunt, morti obnoxium esse factum per diuinam sententiam qua ob peccatum est morte damnatus: atque id peccatum illi mortis causam fuisse secundum illa Dei verba: *Quo die ederis de illa arbore, mortem morieris.* Alteri, quos diximus mortalem atque immortalem natura illum facere: hoc ad animum, istud ad corpus referũt. Tertij denique qui vtrumque, & mortalitatem & immortalitatem, natura, illi ingenitę fuisse negant: arbitrantur media conditione ortum fuisse, vt si corpori deditus vitam agitaret, mortalis: sin animæ suæ præclara studia sectaretur coleretque, immortalis euaderet. Nos vero statuimus, Adamum natura mortalem esse progenitum, idque his colligimus argumentis. Primo, quia compositus est ex puluere vt materia: id vero quod ex puluere conformatum fictumque est mortale esse suapte natura, certum est. Secundo, quia cum virilis ac muliebris sexus discrimine cõditus est: quod mortalibus congruit, immortalibus nequaquam.

Adam natura mortalis creatus.

B

Tertio, quia procreatus est cum oculis qui escam appeterent, & manibus quas illius sumendi gratia protenderet, denique cum vasis quæ alimentum exciperent continerentque: hæc enim ijs modo quibus mortalis natura obtigit, vsui esse possunt: immortalibus frustra dentur. Quarto, cæteræ res quas Adami gratia condidit Deus, satis arguunt illum natura mortalẽ esse factum. Quorsum enim terra opus erat? quorsum Firmamento? (vt vocant) quorsum lucentibus in hoc Stellis? quorsum piscibus volucribusque quæ mactantur? quorsum iumentis, alijsque animantibus quæ partim seruiunt, alia eduntur? Sane hisce omnibus non vtuntur qui vita fruuntur immortali: sed illi soli qui fluxam atque caducam sustinent. Quinto, ex Lege quæ Adamo est à genitore Deo præscripta, cõficitur illum mortali conditione ortum esse: vesci enim ac non vesci hac aut illa re, mortales iubentur, nõ immortales. Sexto idem colligitur ex verbis Dei quæ ante mandatum ad Adamum faciebat inquiens: *Crescite & multiplicamini & dominamini piscibus maris & volucribus cœli:* Et: *Dedi vobis omne semen quod seminatur, & omnis arbor erit vobis pro cibo.* Septimo, nisi mortali statu effectus fuisset etiam vt Legẽ fregisset nõ obiisset mortem: vt obijt: neque enim Diabolus, quamuis peccauit, immortalitatem amisit quam in suo ortu acceperat.

C

Octauo, compositus est Adam ex rebus diuersis: id vero compositis omnibus peculiare est, vt in ea dissolubilia sint ex quibus colligata existunt. Nono, à nobis stant Doctores classici, probatæque fidei. Nam Dominus Ioannes ea Oratione quam ad Stagirium monachum scripsit, sic habet: Nondum certam habebat Adamus immortalitatis spem. Et rursus Oratione quam de Arbore scientiæ boni & mali composuit: Anima (inquit) natura immortalis, est, at mortale naturę corpus. Ad hoc vbi tria verba explicat quæ in libro Iob scripta extant: *Qui seruum est non fidelis,* sic ait: Si homo cum immortalitatem suapte natura non haberet, ceruices iactauit: quid non fecisset, si illam habuisset? Athanasius quoque Oratione de ortu corporali, scribit fuisse hominem natura mortalẽ, vt qui ex rebus fluxis esset colligatus. Denique Cyrillus Oratione octaua aduersus impium Iulianum in hunc modum loquitur: Cum Adam contra Dei Legem fecisset, morte est damnatus, qua re quod natura mortalis esset, arguebatur. Cæterum Dominus Iacobus Sarugensis ea Oratione qua disserit, fueritne Adam mortalis conditus an immortalis scribit, Adamum mortalem & immortalem fuisse conditum, cum ipsius libero Arbitrio permitteretur à Deo vt vel obseruata Lege immortalis esset, vel fracta moreretur. At Philoxenus Capitulis quæ aduersus Diodorum composuit: Temeraria (inquit) audacia est, Adamum immortalem dicere suapte natura, siue tum cum gignebatur siue postquam resurrexerit. Qui potest enim ea natura immortalis haberi quæ ex nihilo creatur, perficiturque alterius iussu? Nam etiam si gratuito ipsi concessum fuisset, vt vitam sempiternam ageret, non ideo immortalis natura dicendus erat: quippe cuius vitæ in alterius esset potestate. Igitur & si in æternum non fuisset moriturus, mortalis tamen erat: nempe immortalitas ad solum Deum spectat: & si vlla sit natura quæ non dissoluitur nec vllo mortis fato perimitur, id ex gratia donatum sibi ab illo habet: quod autem alteri acceptum fertur, id rursus pro illius arbitrio adimi potest. Cæterum de Adamo clarum est, si mandato obtemperauisset, futurum fuisse vt non obiret mortem: non quod tali conditione esset genitus, sed pro Effectoris sui mera benignitate: cuius postquam resurrexit, deinceps quoque non moriturum: sed & id quoq; per gratiam opificis Dei. Neque enim absque periculo, aut tum cum gigneret aut cum suscitabit à mortuis, fecerit natura immortalem. Ex his omnibus conficitur, Adamum mortali conditione procreatum esse: interim fatemur, immortalitate donandum à suo Genitore fuisse, non quidem naturali, sed gratuita si Legi paruisset.

Extat locus hic apud Chrysostomu, 1. lib. de Prouidẽt. Dei, ad Stagirium.

Fatetur ibi seruus liber à Domino suo.

D

Iob. 3.

E

Obiectio Iuliani Halicarnassei, & eius asseclarum hominum.

F

Cap. VI.

Iulianus Halicarnasseus, & qui eius sectæ sunt: dicunt, Adamum natura conditum esse immortalem: sicut anima, cum naturali immortalitate creata est, non autem gratuita: & nisi peccasset, mansurum fuisse, passionis, corruptionis, mortis exsortem: & quidem hæc omnia ex suapte natura, quippe qui in ea rursus dissolubilis non fuerit ex quibus erat coagmentatus. Porro quia aduersus Legem Dei fecit atque deliquit, ideo mulctatum esse tum animę morte quæ est abalienatio à Deo per peccatum: tum corporis, quæ est dissociatio ab hac vita quæ ipsis corporeis sensibus percipitur. His nos respondemus: Si naturam Adamus cum procrearetur, accepisset immortalem vt vos dicitis: ea sane haud mutata esset in mortalem per peccatum, vt neque Satanæ immortalitas naturalis, cũm mortalitate est commutata postquam aduersus Deum deliquit. Rursus: si vt anima (quod vos adfirmatis) ita & corpus natura immortale procreatum fuit: atque ipsum violare Legem, nõ modo corpori: sed magis animæ cuius imperio illud regebatur imputandum fuit: cur patrato flagitio, corpus quidem mortalem naturam induit, anima vero suam sibi natura insitam immortalitatem retinuit? Sed dicetis: etiam animam per peccatum obiisse mortem! Sed quid corpus? an non ipsum quoque per peccatum obiit? Si negatis, falsi estis: sin fatemini, cur cum pariter ambo natura essent immortalia pariterque peccarint, corpus duplici morte adfectum est: animam vero ea sola quæ peccati mors dicitur, inuasit? Profecto nihil hic illis reliqui est quod respondeant: verum enimuero conficite, aut ab ipsa natura, aut à ratione petitis argumentis aut denique sanctorum Patrum testimoniis, nisi corpus sua natura factum esse immortale itidem ac animam, neque in ea dissolubile esse ex quibus colligatum est, & subscribemus lubentes vestræ sententiæ neque contendemus amplius gratuita immortalitate donandum fuisse à suo Genitore, si præcepto paruisset.

De Iuliano Halicarnasseo vide Suidã prolixe.

Mors animæ.

G

Altera eiusdem Iuliani obiectio.

H

Audent idem lanistę lacessere eos qui carnem corruptibilem natura dicunt, quasi hi & ipsam carnem malam & carnis simul Opificem malum faciant. Nos vero aduersus ista producimus Doctores Ecclesiæ priscos, gloria & laude dignos: qui & si carnem esse natura corruptibilẽ dixere, non tamen ideirco malam esse professi sunt. Gregorius enim Oratione quam de virtute scripsit, ad hunc loquitur modum. Corpus omni ex parte compositum est: quod autem compositum est, id nemo indissolubile esse dixerit: at quod dissolui potest, corrumpi potest: est igitur caro corruptioni subiecta. Rursus Cyrillus Tomo tertio Commentarii in Epistolam ad Corinthios. Est quidem (ait) caro, natura sua corruptioni obnoxia: sed tamen per virtutem Dei cui plane nihil est difficile, ipsam superasset naturam atque in vita sempiterna fuisset conseruatus Adamus, si legem impie non violasset. Dominus Seuerus item Oratione quam aduersus Felicissimum scripsit, hæc summatim habet: Suapta quidem natura mortale & corruptibile erat corpus, atque in ea dissolubile ex quibus fuerat coniunctum: verum nulla erat mortis in ipso efficientia:

Nazianzenus, Oratio de virtute: possit etiã reddi, de dignitate vel præstantia.

neque

A

neque enim vt mortis laqueis subigeretur, conditus fuerat homo ab initio, sed neque rursus vt naturæ sortem superaret essetque immortalis, sed per gratiam atq; benignitatem volũtatis diuinæ seruabatur ad vitam sempiternam & immortalem, voluntati autem diuinæ, natura rerum obsistere nequit. Igitur & si natura ipsa quod coagmentatum est, rursus dissoluere cupiat, tamen in homine, hoc malum minime quiuisset efficere, impedita per diuinam voluntatem atque gratiam; ipsa enim mortalitas absorpta fuisset à vita, & naturam refrenasset diuina gratia. At vero mortalitatis corruptricis corporis, quæ efficienter est consecuta, fons & origo fuit peccatum atque aduersus Legem admissum facinus. Tunc enim occepit mors ea quæ quod compositum est dissoluit, vim suam atque efficacitatem in homine reipsa exercere, quando anima per fractam Legem necessario est à Deo abalienata atque perturbationibus varijs adfecta implicataque; ex quibus naturæ perturbationibus, ipsum etiam corpus (nam & in illo enatæ atque effectæ sunt) corruptibile esse intelligimus, & pronunciamus. Concludimus ergo, mortis corruptionisque debitum ex violata Lege natum atque contractum esse; non autem inde, quod corpus Adæ esset compositum, atque in ea ex quibus constabat, dissolubile. Neque enim difficile erat omnium rerum parenti Deo, eius qui corruptioni subiectus fuit pro naturæ suæ conditione, vitam corruptionis fato eximere, atque in vita sempiterna tueri conseruareque. Ad hunc igitur modum Doctores carnem quidem suapte natura dissolubilem fuisse dicunt, nec tamen proinde aut ipsam aut corpus à malo Effectore procreatum esse.

Voluntatis Diuinæ potentia.

B

Mortis debitum ex peccato natum est.

Alia obiectio Iuliani impij.

Capvt VII.

C

Ridebat quidem impius Iulianus quod Mosem, Ecclesiæ Doctores dicerent hominem corruptibili natura prognatum fuisse, & tamen non fuisse mortuum, ita volente Deo. Sed ei respondet Cyrillus Platoni (inquit) tuo licet dicere quasi ex Dei persona, ad Solem, Lunam, cæterasque Stellas: Quoniam orti estis, immortales vos quidem esse & indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissoluemini nec vos vlla mortis fata periment, propter consilium nostrum quod maius est vinculum quam vis vlla quæ vobis accidat. Tu Platonem vis vera dicere, & nos Mosi non credemus, qui ait hominem non fuisse dissoluendum, ita volente Deo? Profecto haudquaquam difficile Deo fuisset, eum qui à corruptione occupabatur, quantum ad ipsam eius naturam spectabat, prorsus à corruptione vindicare, atque asserere in vitam sempiternam. Igitur nisi de Arbore edisset: mortem non obiuisset Adamus: & quia edit, obiit. Cæterum Plato haud recte ait, Solem, Lunam, Stellas cæteras immortales esse, quippe quæ Anima vitaque careant.

Obiectio Theodori & Nestorij, atq; eius factionis aliorum.

Capvt VIII.

D

Aiunt Theodorus & Nestorius aliique qui eos sequuntur, mortem non ob peccatum Legemve Dei violatam, inuasisse genus humanum; sed mortali nos conditione à Deo genitos esse; neque quemquam vlla ratione mortis terminum quem ille nostro generi naturæque præstituerat, viuendo transgressurum fuisse, etiam si Adamus non deliquisset: multa enim absurda consequi, nisi id ita esse statuamus Qui enim inquiunt, conuenier dicere, Deum, cuius cõsilium erat nos efficere immortales, propter peccatum fecisse mortales? deinde si propter Adæ peccatum nos occidit Deus, conficitur, & iustos eum occidisse propter peccatores, & patrum supplicia ad filios extendisse, quorum vtrumque improbum est: at enim neque patres morituros pro filijs, neque filios pro patribus. Tum vt demus Adamum obijsse, quia de arbore gustauit; quam dicemus, Noe, Melchisedeco, Abrahamo mortis fuisse causam? Profecto hodie nullum est scelus, aut grande aut leue, quod à patribus admissum in filijs vindicat, quis igitur existimet ob leue illud Adæ peccatum, quia de fructu vetito gustauisset, vniuersam posteritatem morte mulctari? Et vero is Deo mos est vt malis ignoscat bonorum gratia non autem vt probos improborum causa perdat, atque vt pro sua misericordia, grandium flagitiorum gratiam hominibus faciat, tantum abest, vt leue piaculum grauissima pœna vindicet. Ad hæc si propter peccatum amandati sumus in hunc Mundum dissolubilem, magnæ profecto gratiæ debeantur peccato, vt quod creandæ huius mortalis machinæ causa fuerit. Præterea si Adamus occidit, quia peccauit; cur non occiderunt dæmones longe maioris flagitij rei? Si dicat quis, hos animo occidisse: atqui cur Adamus etiam corpore? Ex his consecisse putant, Adamum, siue abstinuisset ab arbore qua sibi fuerat interdictum, siue non abstinuisset prorsus moriturum fuisse, cum esset natura mortali conditus. Cæterum in eius Scripturæ verbis tropum esse, quæ ita loquitur ac si Adam propter peccatum obiuisset mortem, nimirum vt cum ille audiret peccatum sibi mortis causam fuisse, odio haberet, vitaretque peccatum: quemadmodum multis alijs locis tropo vsa est Scriptura, vt cum habet; *& tentauit Dominus Abrahamum*: neque enim Deum facto periculo opus habere. Rursus vbi ait, Deum voluisse interficere Mosem, vxoris tamen opera placatum dimisisse illum impunem. Et cum narrat, Christum Iesum inde à mane ieiunum atq; famelicum accessisse ad ficum arborem, alieno à ficis nascendis tempore. Hæc enim, atque huius generis alia, diuersum quid ab eo significare quod verba audita præ se ferunt. Itaque per tropum similiter accipienda esse ea verba quæ nobis Adamum à Deo mortalem natura procreatum memorant, ac deinde Legem ipsi impositam fuisse, vt si ederet de arbore illa, moreretur: nempe vt cum audiret Adamus se ob violatam Legem atque rebellionem Paradiso pulsum mortique deditum esse, odio haberet fugeretque peccatum rebellionemque. Sed nos ad hæc respondemus: Non ita profecto, viri, sacra Scriptura loquitur vt vos existimatis, quippe quam omnibus locis diserte pronunciantem offendimus, peccatum Adami causam fuisse mortis, cum illi ipsi, tum vniuersæ posteritati, secundum illud. *Quo die comederis de arbore, mortem oppetes.* Et rursus: *Quia auscultasti voci vxoris tuæ atque edisti de arbore qua tibi interdixeram, maledicta esto terra propter te.* Et apud diuum Paulum legimus; *Sicut per vnum hominem peccatum introiuit in Mundum, & per peccatum mors; &c.* Et alibi: *Nam absque Lege peccatum erat mortuum; ego vero viuebam quondam absque Lege* (hoc est, cum nihil mortale cogitarem) *porro cum venisset Mandatum* (ipso scilicet violato) *reuixit peccatum, ego vero mortuus sum, & inuentum est Mandatum quod vt vitassem, datum fuerat* (ei qui ipsi parceret) *mihi* (qui fregi) *mortem adferre.* Alia præterea plurima sacræ Scripturæ loca facile inuenias, quæ cum his congruant, atque diserte mortem per peccatum nos inuasisse testentur. At si hæc non recipitis, proferte nobis vnum aliquem locum in quo Scriptura dicat, nos non mori propter peccatum: verum quando illiusmodi locus nusquam est, alterum illud verum sit necesse est. Neque enim consentaneum est, vt eo repudiato quod sacris Litteris proditum inuenimus, id amplectamur quod nusquam scriptum extat. Nam ad ea duo quæ vos ceu absurda e nostra illa sententia colligebatis, nempe Deum occidere iustos propter iniustos, & patrum scelera punire in filijs; dicimus ea haud inde consequi: neque enim Deum propter Adæ impietatem occidere ipsius posteros siue probos siue improbos, vt neque filios ob ea quæ patres patrauere flagitia. Sed fuerat Adamus natura quidem mortalis genitus, conseruabatur tamen in immortalitate per effectoris sui benignitatem & gratiam: Sed vbi Legem violasset atque deliquisset, remouit ab ipso Deus suam immortalitatis gratiam, atque tum ille talis mansit qualis alioqui natura fuerat; hoc est, mortalis. Sed enim si ante amissam immortalitatis gratiam ille filios procreasset, tum vero dici potuisset, eos illius filios qui nihil peccassent, immortalitatis gratia merito destituendos nõ fuisse. Verum quando post

Adamum nõ factum mortalem propter peccatum. Argumẽta Hæreticorum.

Ezech. 18.

E

F

Gen. 22.

Exod. 4.

Marc. 11.

G

Adam factus mortalis ob peccatum.

Rom. 5.

Rom. 7.

H

Adam natura mortalis creatus.

adeptam

A adeptam sibi demum immortalitatis gratiam prolem gignere cœpit; id quod ipsius natura habebat, transmittebat in filios: id vero quod ante amiserat neque iam tum habebat, conferre in hos non potuit. Mortalis itaque mortales procreauit; atque hinc omnium nepotum mors consecuta est, non autem ex illius delicto. Imo vero si accurate sacras Litteras perlustretis; erit, vbi & quando Deum peremisse filios per patrum causam inueniatis. Nam apud Samuelem scriptum est; *Quia recordor eius quod Amalec fecit Israeli exeunti Ægypto, vade tu Saul & pugnato aduersus Agag populumque ipsius. &c.* Et alibi scriptum extat, propter Dauidis peccatum vxores ipsius constuprandas esse. Et rursus in Gabaonitarum gratiam peremptos esse suspendio à Dauide filios Rephæ, filiæ Aiæ, porro quod ceu absurdum colligitis; peccatum, creandi huius Mundi causam fuisse; respondemus, id prorsus falsum esse atq; abominandum. Interim hoc libenter fatemur, Mundum esse hominis peccatoris causa conditum; idque hac ratione: nam Adam simul atque formatus erat, traductus est in Paradisum, ceu locum medium; vt si pareret Legi in cœleste regnum subueheretur; sin minus pareret detruderetur in hunc Mundum, id quod alibi est à nobis explicatum. Est igitur hominis peccatoris gratia, nō autem peccati, effectus iste Mundus, vallis nempe lachrymarum & locus dolorum vmbræque mortis non deliciarum vt vos existimatis. Deniq; quod à dæmonibus collegistis argumentum; qui etsi deliquerunt etiam grauius, non tamen sunt morte mulctati, sic dissoluimus: Dæmonas, quia sese extulissent atque per superbiam iactassent, ideo deturbatos esse, non autem ob peccatum mortuos, quia à rerum Parente Deo, natura immortali fuerant præditi tum cum gignebantur; prius nempe quam peccassent: Adamum vero mortuum esse, quia adempta ipsi erat immortalitatis gratia ob admissum peccatum. Neque vero iisdem omnibus rebus præditi sumus nos, Dæmonesque: nos enim sua Deus gratia dignatur: illos vero minime, tametsi plurima ratione polleant. Igitur ex his omnibus dilucide conficitur, nos ob peccatum mori. Verum enimuero si propterea regnauit in nostra natura peccatum, quia Adam præuaricatus est contra Legem Dei, quanto magis iustificabimur & seruabimur per vitā Christi, qui & mortem superauit & naturā nostram vicit, viamque nobis aperuit salutis cum de cœlo ad nos descenderet, qua pergentes perueniremus in beatas habitationes domus Patris illius: qui cum Patre & Spiritu sancto laudetur, gloriose prædicetur & adoretur pro tantis beneficiis quæ in humanum genus contulit, hinc vsque in generationes generationum. Amen.

Quod homines mortales sunt, non est ex Adami peccato.

1. Sam. 15

2. Sam. 12.

2. Sam. 21.

B

Nestorianis putātibus Mundum esse locum deliciarū.

Dæmones gratia sua non dignatur Deus.

C

FINIS.

D

HISTORIÆ

REMENSIS ECCLESIÆ,

LIBRI IV.

AVCTORE

FLODOARDO PRESBYTERO ET Canonico eiusdem Ecclesiæ, deinde monasterii S. Remigii monacho & abbate,

OPERA ET STVDIO GEORGII COLVENERII S. Theol. Doctoris, & Regij ac ordinarij Professoris, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositi, & Academiæ Duacensis Cancellarii in lucem editi.

ADDITA EST APPENDIX, ET CATAlogus omnium Archiepiscoporum Remensium.

E

IN ANTIQVIS MONVMENTIS Mss. Repertum.

S'il y veu de Rein sauoir les eueques,
Lyc ly temporair de Flodon le sage.
Tles mort du tam d'Odalry eueque:
Et fut d'Espernay né par parentage,
Vequet caste clercq, bon moine, millen abbé.
Et d'Agapit ly Romain fut aubé.
Par sen hystore maintes nouuelles saura,
Et en ille toute antiquité beura.

PRÆFATIO AD Lectorem.

F *BEneuole Lector quid à nobis præstitum sit in huius auctoris editione paucis accipe. Collatio facta est in vniuersum ad septem exemplaria. Tria enim inter se contulit piæ m. Dominus Nicolaus Chesneau, Decanus & Canonicus S. Symphoriani in vrbe Remensi, qui hanc historiam, seu verius historiæ huius bonam partem in Gallicam linguam transtulit, & eadem lingua edidit Remis excusam anno 1581. per Ioannem Fogny. Huius Decani exemplar Latinum manuscriptum, ex quo ille vertit in Gallicum, attulit ad me Thomas Wittus I. V. Licentiatus, tradente ei R. viro Domino Antonio Beaubesne Remensis ecclesiæ Canonico & Succentori, qui testamenti prædicti Domini Chesneau fuerat executor. Hoc notamus littera c. Porro collatum est ad exemplar monasterij S. Remigij, quod littera r. designamus, ad exemplar ecclesiæ metropolitanæ B. Mariæ, & ad tertium, quod particulari nomine non designat, sed credo fuisse Igniacense. Ex his secundum diuersum fuit ab eo, quod ad me postea transmissum est, de quo infra. Nam sæpe notat in margine* G *aliter legi in exemplari B. Mariæ, quam habeatur in eo quod nos habuimus, vt exempli gratia lib. 1. c. 20. in codice Metropolit. dicit legi: secus amnem Saram, cum in eo quod habuimus legatur Faram. Lib. 3. c. 4. notat legi Algardis abbatissa, vti & in codice S. Remigij, cum in nostro sic Adalgardis. Ibidem c. 7. dicit legi in codice S. Mariæ, & S. Remigij: cum palmis, in aliotantē exemplari cum psalmis, quomodo etiam habebat nostrum B. Mariæ. Hoc igitur exemplar Domini Chesneau curaui meis sumptibus describi, & postea exacte relegi. Verum deprehendens quibusdam locis nonnulla deesse, quærere cœpi alia exemplaria ex quibus impleri possent istæ lacunæ: Tum mihi opportune, opera dicti Domini Witti, duo alia exemplaria integra Remis transmissa sunt, vnum ex archiuis Ecclesiæ Metropolitanæ B. Mariæ in membrana antiqua manu exaratum, quod signamus littera m. Alterum recenti, anno videlicet 1596. descriptum in charta, ex eodem veteri exemplari per Dominum Georgium Montgerard Priorem cœnobij S. Marcini Sparnacensis, partim correctis, partim mutatis hic & ibi verbis quibusdam. Signamus littera s. & vtrumque fere semper iunctis notis m s. quandoquidem & pro vno exemplari habenda sint hæc duo, eo quod posterius ex priori sit desumptum. Duo tamen numeramus, quia multis locis correctio aut* H *mutatio facta est. His acceptis integris exemplaribus, deprehendi in exemplari dicti Domini Chesneau facile deesse quartam partem operis. Quapropter descriptis locis singulis quæ deerant, nouo labore totum exemplar meum ita suppletum contuli, & integre relegi cum prædictis duobus integris exemplaribus, & postmodum quam fieri potuit accuratissime dispunxi. Adhæc pro maiori luce etiam ad exemplar Gallicum omnia recensui, & ex eo plerumque patria lingua obscuriora nomina propria in margine adnotaui, lectori gratum id fore non dubitans. Ex omnibus autem correctius visum est exemplar monasterij S. Remigij, ex quo exemplar Metropolitanæ ecclesiæ, aliòquin satis correctum, multis locis suppleri debuit, non tantum in verbis, sed etiam integris sententijs, quæ omissa fuerant. Sciebam Parisijs & alibi plura exstare calamo descripta exemplaria. Commemorat enim Papirius Massonus lib. 2. suorum annalium, se aliquot eius exemplaria vidisse Lutetiæ. Sed quia puriores ex ipso fonte hauriri solent aquæ, idcirco ex archiuis Remensibus ea potius petenda esse iudicaui, pro quibus magnas ago gratias Thesaurarijs, & archiuorum dictæ Metropolitanæ ecclesiæ magistris, qui ea duorum annorum spacio mihi vtenda communicarunt. Prædictis exantlatis laboribus, prodijt hoc opus sine vllis tamen notis aut scholijs Parisijs*

anno

anno 1611. cura & studio R. P. Iacobi Sirmondi Soc. Iesu presbyteri. Quod exemplar nactus denuo, à capite ad calcem, omnia cum eo relegi: & sicut illius ope non paucas mendas sustuli, sic ibi complures esse derelictas deprehendi, & nonnunquam integras lineas deesse. Hoc exemplar notauimus littera 3.

Cæterum nihil est à nobis immutatum, vel in textu positum, quod non erat in exemplaribus, vel in originalibus inijs quæ aliunde citantur, nisi idipsum expressè in margine, vel in scholijs significauerimus, vel vbi exploratum erat mendum esse, & lapsum scriptoris, vnam litteram pro alia scribentis. Vbi diuersa erat lectio, nec certo constabat quæ vera esset, probabiliorem in textu retinuimus, alteram plerumq; ad oram relegauimus.

In orthographia nihil etiam mutauimus, nisi eas, quæ insolentes & deprauatæ censentur, vt dompnum, dampnatio, sompnus, contempnet, solempnitas, ebdomas, parrochus, parrochia, carta, summittere, Nicholaus, Nichasius, subiciens, adiciens, exenium, & similes. In alijs placuit scripturam illo tempore vsitatam relinqui in gratiam antiquitatis, vt Karolus, Karlomannus, Pippinus, Theodulfus, Rodulfus, cotidianus, inlicita, inreligiosus. Placuit & seruare scribendi varietatem, quæ vna eademq; dictio, nunc hoc, nunc illo modo scribitur, vt pro inlustrum, aliquando illicitum. Nunc inregularis vel irrationalis, alias irregularis, vel inrationalis. Nam ex hac varietate constat, quod vtroq; modo proferebant & scribebant, vti & hodie.

Omnia scripturæ loca, quæ citantur, plerumque etiam ea ad quæ respicitur, marginι adiecimus. Similiter & ea quæ ex alijs citantur auctoribus, quæ omnia ad originalia contulimus, & sæpius ex ijs emendauimus. Quædam tamen reperiri non potuerunt. Qua ratione nonnulla sunt emendata, quæ alioqui vix emendari potuissent, cum exemplaria auctoris multis locis fuerint deprauata, & præ vetustate, legentium oculos fugientia.

Quæ tertio libro habentur (qui totus est de gestis & scriptis Hincmari) contuli ad opuscula & epist. eiusdem Hincmari, tam à R. P. Ioanne Busæo, quam à Ioanne Cordesio Ecclesiæ Lemouicensis Canonico edita.

Adhæc collatio facta est ad tomos Conciliorum, & epistolas Romanorum pontificum, vbi de Concilijs agitur. Item cum annalibus Ecclesiasticis Cæsaris Baronij, & præcipuis Galliæ ac Belgij historiographis, Gregorio Turonensi, Aimoino, Sigeberto, Christiano Massæo, Iacobo Meyero, Papirio Massono, & alijs. Ex quibus auctoribus plerumque certa temporis cuiusque rei gestæ nota est adiecta in margine, vel in scholiis post calcem operis adpositis.

Hæc enim scholia omnino necessaria esse iudicauimus: tum quod auctoris dictio ob hoc frequenter obscura sit, quod longas texat periodos, quæ implicantur varietate & multitudine eorum quæ ingerit & interserit: tum etiam quod interdum vtatur vocabulis illo quidem æuo tritissimis, sed quæ iam abierunt in desuetudinem. Hæc indice separato recensuimus. Denique per hoc multam auctori lucem attulisse credimus, quod in his scholijs quæcumque possent in dubium verti explicuerimus: pleraque etiam auctoris dicta aliorum testimonio firmauerimus, & vnde plura in eam rem, de qua agitur, peti possint, indicauerimus.

Postremo Catalogum omnium Remensium Archiepiscoporum adiecimus, non sola nomina recensentes, sed & tempus sessionis eorum & decessum, quam potuimus certa fide, & principalia eorum gesta. Si tamen in tempore, in tanta vetustate, scriptorum raritate, & opinionum diuersitate, scopum vbique non attigimus, veniam dabit æquus lector, & candide emendabit. In hoc catalogo plurimum adiuti sumus ijs, quæ nobis communicare dignatus est Claudius Despretz Atrebas, dominus de Quesnoy, I. V. L. consultissimus, depromptis ex varijs antiquitatibus locorum Galliæ, partim mss. partim excusis. Qui etiam nobis suppeditauit Statuta Synodalia per dominum Sonnacium, epistolam Adelagi ad Flodoardum, & nonnulla alia de eodem testimonia. Inuenimus prætereà catalogum ad calcem exemplaris ecclesiæ Metropolitanæ B. Mariæ Remensis diuersa manu adscriptum. Qui etsi vsque ad 54. Archiepiscopum non habeat nisi nuda nomina, in sequentibus est copiosior.

VITA AVCTORIS EX HIS LIBRIS, ET ALIVNDE

conscripta per Georgium Colvenerium.

VT à nomine ordiamur, integrum auctoris nomen fuit, vt arbitramur, Flodohardus, seu Flodoardus, ex quo per syncopen factum est Flohardos, & Floardus. Quod posterius in nostris fere exemplaribus reperitur, quomodo item legit Ioannes Sauaro in notis suis ad Sidonium Apollioarem. Sigebertus Flavvaldum, Trithemius Flaualdum nomioat. Petrus Pithœus in xij. auctoribus simul editis, Papirius Massoous, eosque secutus illustrissimus Cardinalis Cæsar Baronius Frodoardum appellant. Sed pro littera l, nou r, in prima syllaba facit, quod libr. 2. huius historiæ cap. 3. meminerit Flaooardi, siue vt habet aliud exemplar Flauardi auunculi matris suæ, & in chronico suo anno 963. nepotis sui Flodoardi, vt ibi legit correctius exemplar Diuionense. Vnde & prædictus Pithœus in Glossario Capitularium Karoli Magni & Ludouici Pij, quod auctum posterius in lucem emisit, perpetuo Flodoardum nominat, vti & Iosias Simlerus in præfatione seu epistola dedicatoria Cosmographiæ Æthici, quod & nos sequemur. Patria ei fuit Sparnacum oppidum non procul Remis dissitum. Vixit sub Archiepiscopis Remensibus Heriuæo, Seulfo, Artoldo, & Odalrico. Sub Artoldo eum hoc opus conscripsisse patet ex libr. 3. cap. 6. Vixit sub regibus Francorum Carolo Simplice, Ludouico Transmarino, & Lothario eiusdem Ludouici filio, quem in regem Francorum consecrauit Artoldus anno 954. Fuisse presbyterum & Canonicum Ecclesiæ Remensis testantur codices Remensis & Igniacensis, qui illum his titulis ornant, immo omnia nostra exemplaria manu exarata, in quorum calce legitur: Explicit Floardus vel Flohardus presbyter & Remensis Canonicus. Similiter dictus Iosias presbyterum vocat, & Ioannes Filesacus Parisiensis Theologus in veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela Canonicum Remensem, vti & Iohannes Molanus in Nat. SS. Belgij die quinta Augusti. Fuisse etiam aliquando rectorem seu pastorem Colmisciacivici testatur ipse libr. 4. cap. 28. At postmodum vitæ genus mutasse, & relicto Canonicatu monasticæ regulæ sese subdidisse, & deinde abbatem factum esse, certa sunt documenta ex epistola Adelagi Bremensis Archiepiscopi, quam habes infra. Item ex eo quod de se scribit in chronico anno 963. his verbis: *Ego vero fractus ætate, & attritus infirmitate, & ministerio me abdicaui prælaturæ coram eodem præsule* (scilicet Odalrico, Artoldi successore) *qui que me hoc absoluens ingo, imposuit illud per electionem fratrum meorum, nepoti meo Flodoardo, septuagesimo ætatis meæ anno.* Sic ibi. Idem confirmant versus Gallici in codice perantiquo ms. reperti à nobis in frontispicio positi, quorum hæc est interpretatio: Si vis scire Remenses Episcopos, lege chronicon Flodoardi docti. Is mortuus est tempore Odalrici Episcopi, oriundus ex Sparnaco. Vixit castus clericus, bonus monachus, melior Abbas, ab Agapito Papa fuit factus sacerdos. Ex eius historia multa noua scies, & in illa totam antiquitatem hauries. Idem denique probatur ex testimonio Dominici Grimani Cardinalis, quod infra posuimus. Fuit autem monachus & abbas ordinis S. Benedicti Remis in monasterio S. Remigij. Quare non fallitur, nec iniuste illum suo ordini vendicat Trithemius, Sigebertum secutus, libr. 2. de viris illustribus ordinis S. Benedicti c. 68. & in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cum dicit eum fuisse monachum Remensem ordinis S. Benedicti. Quos item sequitur Conradus Gesnerus in sua bibliotheca, & Arnoldus Wion lib. 2. ligni vitæ c. 67. sed hic in ætate eius fallitur centum prope annis, scribens eum floruisse ano. 870. Fallitur quoq; Antonius Posseuinus in apparatu sacro, in eo quod Flaualdum à Flodoardo & Frodoardo distinguat, tanquam diuersos auctores: Frodoardo solummodo tribuens chronicon, de quo infra, Flodoardo autem hanc Remensium Episcoporum

histo-

A historiam. Sed quæ in appendice nonnihil corrigit. Similiter dictus Wion in adiunctis ad lignum vitæ pag. 909. Flodoardum à Flaualdo non recte distinguit. Præterea fallitur Papirius Massonus in catalogo auctorum, quibus vsus est in suis Annalibus, dum vocat eum Remensem Pontificem. Quod secutus est Baronius anno 933. nisi in Baronio mendum sit, & pro Rhemensi Archiepiscopo, legendum sit, Rhemensis Archiepiscopus, vt ad Artaldum referatur. Nam anno 948. vocat eum Rhemensis Ecclesiæ presbyterum, sicut & ipse Papirius libr. 2. in Carolo Simplice, vt per inaduertentiam pontificem vocasse videatur.

Illud interim verum est, mortuo Rodolfo, ab vtroque Capitulo Noviomensi & Tornacensi die 20. Iulij an. 950. electum fuisse in Episcopum Noviomensem & Tornacensem. Non fuit tamen confirmatus, quia Ludouicus Transmarinus rex Francorum subdole, clam, & via extraordinaria in sedem vtriusq; ecclesiæ intrusit & introduxit impurum monachum & Simoniacum clericum Fulcherum, B sive archimagiri Kentij filium nothum. Quod resciens Adelagus, vel vt vocat Albertus Krantzius in sua metropoli, Adaldagus Bremensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, in hæc verba prorupit: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Deinde consolatoriam epistolam eidem transmisit, cuius exemplar infra posuimus. Hæc ex mss. Quibus habent consona de Fulchero Iacobus Meyerus & Antonius Demochares in tabulis. Episcoporũ Tornacensium his verbis: 44. *Fulcharus siue Fulcherus monachus Suessionensis sancti Medardi, sepultus in templo S. Eligij extra muros ciuitatis Noviomensis, de quo scribit Meyerus ann. 955. Fulcherus homo spurius, filius existimatus principis coquorum Ludouici regis Noviomagensem malis artibus adeptus Episcopatum, omnia fecit deteriora, administrauitque menses omnino 18. morbo absumptus pediculari & phthiriasi, magnum exemplum punitis ambitus, & Simoniæ, si nos posteri timeremus Deum.*

Fuit porro Flodoardus vir litteris & moribus egregie C exornatus, vt declarant testimonia, quæ infra subiungemus, & quod in historico præcipuum est, variæ lectionis, magnæ diligentiæ, & indefessi laboris. Hinc ait in præfatione huius historiæ, opus hoc vndecumque collectum esse: videlicet ex scripturis sacris & prophanis, gestis martyrum & vitis aliorum Sanctorum, actis Cõciliorum, & epistolis pontificum, præsertim Remensium, quas ex archiuis ecclesiæ suæ deprompsit. Sane à prædictis eum cõmendant nostri seculi doctissimi Annalium scriptores Baronius & Papirius Massonus, qui suos Annales ex ipsius scriptis plurimum exornauerunt. Meminit ipsius frequentissime Baronius tom. 10. ab an. 845. vsque ad an. 962. Sed quod dolendum, ea allegans, quæ ex Gallico exemplari mutilo & imperfecto curauit in Latinum transferri, vt ipse fatetur dicto ann. 845. recensens ibidem diploma Caroli Calui, quo edicit vt Hincmaro restituantur omnia bona Episcopatus Remensis, quod habetur lib. 3. cap. 4. De quo non sine ratione ait Pithœus in dicto Glossario D verbo Beneficiario inter: Nollim virum multæ lectionis ex interpretatione Gallica, alienis à sensu verbis, hoc idem diploma retulisse. Verum ab anno 865. incipit ipsa verba Latina Flodoardi allegare, sed ex vnico exemplari, eoque sæpe incorrecto & deprauato, vt eodem anno, item 871. 877. 892. 893. & alibi videre est. Cæterum non sine laude ipsius meminit, vt anno 933. vocans accuratum illius temporis scriptorem, cui tantam fidem tribuit, vt anno 954. ex eo alios omnes mendacij redarguat. Quantæ vero auctoritatis fuerit, ex eo discimus, quod ad legationes & publica negocia interdum adhibitus sit. Vnde libro 1. cap. 20. se scribit ab Artaldo Episcopo missum propter res quasdam Remensis ecclesiæ ad Otthonem regem & Conradum ducem.

Vt vero ad scripta eius veniamus. Quatuor huius operis libros esse demonstrat auctoris prologus, in quo vocat quadrifidum laboris sui opus. Quapropter male Tritthemius, & qui eum sequuntur tres solummodo numerant. Præter hos quatuor libros historiæ Remensis ecclesiæ, siue vt alij vocant, de Gestis Remensium Pontificum, in quib. multa alia de sanctis & monasteriis eiusdem ciuitatis & E diœcesis interserit. Scripsit etiam chronicon ætatis suæ exactissimum ab anno Domini 919. vsque ad 966. quod in lucem protulit Petrus Pithœus inter 12. scriptores coætaneos Annalium & historiæ Francorum. Excusum est opus in octano Parisijs 1588. & Francofurti 1594. Tametsi in præfatione dubitet idem Pithœus, sitne eiusdem auctoris. Sic enim ait. *Iam de Frodoardi chronico (siue is Flaualdus vel Flodoardus sit Remensis ecclesiæ presbyter, qui Archiepiscoporum suorum vitas à B. Remigio ad Artaldum, diuerso plane stilo descripsit) & hoc monere visum est, ea quæ ad Virdunensis Episcopos pertinent, sed & alia quædam virgulis inclusa, ex tribus vnum esse quod Diuionense appellauimus, quamquam Viriduni potius descriptum videatur. Quisquis ille fuit scriptor, multas profecto nobis sui seculi historiæ tenebras discutiet &c.* De hac re Pithœum non absre dubitasse ait in præfatione Sirmondus, adhibito etiã hoc argumento, quod in vetere Kalendario S. Mariæ Remensis adnotatam sit obitus his verbis: *xvj. Kalendas Iunias Flodoardus presbyter & Canonicus.* cum auctorem chronici Flodo- F ardum V. Kalendas Apriles vita functum esse Chronici appendix doceat. Verum scire oportet nõ ijsdem diebus, quibus aliquis ex hac vita discedit, anniuersariam cõmemorationem obitus ipsius celebrari in ecclesiis, vt passim testatur vsus, idque ob varia impedimenta & potissimum circa tẽpus paschale, quo iste migrauit è vita. Quapropter eundem esse vtriusq; operis auctorem, non solum fatetur Papirius lib. 2. Annalium Francorum in Carolo Simplice, sed etiam apertissime conuincitur ex ijs, quæ habentur in eodem chronico anno 940. collatis cum iis quæ habẽtur lib. 4. historiæ Remensis cap. 28. Vtroque enim loco eamdem rem gestam narrat auctor de seipso, videlicet de sua detentione in custodia ab Heriberto Comite, & ablatione ecclesiæ, quam regebat in Colmisciaco. Neque sane id Pithœus vnquam scripsisset, si hanc pariter historiam legisset, quæ non à B Remigio, qui fuit decimusquintus Remensis sedis Archiepiscopus, sed à B. Sixto, primo eiusdem sedis Episcopo, primisque fidei patribus & fundatoribus G exorditur. Tantumque abest, vt stilus sit diuersus, quod etiam vbi res eadem refertur, iisdem pene verbis vtatur. Cõferantur cum hoc chronico ea quæ habentur lib. 4. cap. 15. vsque ad 35. Vtrum vero prius ab eo scriptum sit non certo constat. Chronicon ex eo videtur posterius, quia hæc historia desinit in actis Artoldi, pertingens ad annum vsque 948. Chronicon vlterius progreditur vsq; ad 966. Quod ait Tritthemius, præter gesta Remensium Pontificum, eum vitas quoq; multorũ Sanctorum libro vno scripsisse, cum eius operis nusquam meminerit, forte non aliud, sed hoc ipsum est, vt Sigebertus insinuat, in quo agit de vita & miraculis multorum Sanctorum. Porro nõ prosa tantum, sed & carmine valuit Flodoardus. Scripsit enim versibus miracula suo tempore facta in ecclesia B. Mariæ ab Hincmaro ædificata, vt ipse testis est li. 3. c. 6. Plura eum scripsisse de vitis Sanctorum metrice testis est Ioannes Bunderius Gandauensis ord. Prædicatorum, qui viuebat ann. 1550. in indice mss. codicum in Belgio exstantium his verbis: *Flo-* H *doardus presbyter scripsit de triumphis Italicis Martyrum & confessorum metrice lib. xv. mss. Treueris in summo templo. De triumphis Christi & Sanctorum Palestina metrice lib. 3. mss. ibidem. Tertio de triumphis Christi, & Antiochia gestis, metrice libros duos mss. ibidem.* Quæ scripta si adhuc exstent, vtinam Treuerenses publico ecclesiæ bono euulgẽt. De cæteris ipsius operibus compertum nihil habeo. Obijt autem plenus dierum, ætatis videlicet suæ anno 73. incarnationis Dominicæ 966. quinto Calendas Aprilis, hoc est 28. die Martij, non quinta die Aprilis, vt inaduertenter adnotauit Nicolaus Chesneau & Possevinus. Sic enim in supplemento chronici ipsius legimus:

Ipso anno (videlicet 966.) vir vitæ venerabilis, & Remensis ecclesiæ presbyter, nomine Frodoardus, honore sanctitatis venerandus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ * [cælicus.] cælitus cęterarumque virtutum insignibus habundanter oppletus, præcedentis libelli, aliorumque librorum dictator egregius, quinta Kalendas Apriles

terrenæ peregrinationis relinquens exilia, ciuica,

vt credimus, adeptus est

iura.

ALIORVM DE HOC AVCTORE testimonia & elogia.

EPISTOLA ADALDAGI SIVE ADELAGI Bremensis Archiepiscopi consolatoria ad Flodoardum.

ADELAGVS MISERATIONE DIVINA Bremensis ecclesiæ seruus Frodoardo patri Remeo. verbum pacis.

QVi dudum deposuisti beneficium, vt tecum mundana gloria contemptorem animum in solitudinem & monasterij latebram deferres, ex voto non ante vitæ finem discessurus, quid iam doles tibi inde non licere egredi ad Episcopium ascendendo, quod surripuit Fulcherus? Stas, & non stas? Deo promisisti de stabilitate, vt si aliquando aliter feceris, ab eo te damnandum scires, quem irriseris, & iam tamen vacillas? Esto firmus in via Dei & à matutina vsque ad noctem, quæ sunt honoris & dignitatis obliuiscere. (Psal. 118.) *Orasti: Suscipe me domine secundum eloquium tuum, & viuam. Eloquium Dei est:* (Luc. 14.) *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (Ezech. 7.) *Saluabuntur qui fugerint ab eis, & erunt in montibus sicut columba conuallium. Vidit Deus bonis operis in te affectum, exercendi præstitit facultatem, exaudiuit preces, ne dubita, consummandi afferet auxilium. Sed dicis: Negotiari volenti commodat Deus talentum, lucrantes beat.* (Matth. 25.) *An nescis quanto quis altius erectus est, tanto propius esse vt cadat? Ignoras honorum gradus superbiæ esse irritamentum, esse inanis gloriæ materiam?* (Matth. 6.) *Caue, ne tibi blandiaris, ne iustitiam tuam facere desideres coram hominibus, vt videaris ab eis. Fac te aptum regno Dei, negotiare, lucrare, super destinato brauio tuæ vocationis in Christo Iesu.* (Isa. 3.) *Qui te aptum dicunt dignitate maiori, ipsi te, frater, decipiunt, & viam gressuum tuorum, consultore diabolo, conantur dissipare. Fateor cum quis prodesse non præesse, quis contradictiones non honores, quis labores non delicias, quis opus, non opes episcopatus desiderat, bonum opus desiderare: sed in omnibus interiorem discute animum,* (1. ad Tim. 3.) *& disce Christum non semetipsum clarificasse vt pontifex fieret.* (Ad Heb. 5.) *Officium quidem episcopale suscepimus, sed opus officij non implemus: in affectata præeminentia latet periculum. Horreo notare quod dixit sanctus, audiuit sanctus, rescripsit sanctus: Nunc essem de numero damnatorum si fuissem de numero Episcoporum. Hæc accipe ab eo qui tuus est, & iacta in Domino cogitatum* (Psal. 54.) *patientia tua non peribit in finem.* (Psal. 9.) *Fient in desolationem, subito deficient, peribunt propter iniquitates suas qui tenderunt:* (Psal. 27.) *cognoscetur Dominus iudicia faciens, & in operib. manuum suarum comprehendetur peccator:* (Psal. 9.) *Ora pro me. Scriptum pridie Kalend. Octob. anno ix. clj.*

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN LIbro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. 132.

Flauualdus monachus Remensis scripsit gesta Pontificum Remensium, ordiens narrationem suam à conditione ipsius ciuitatis, quæ à qualitate ciuium, qui in bello erant duri cordis, primo ancupata est sibi nomen Cordurm. Postea milites Remi, à Romulo fratre suo, à facie Romuli fugientes ad eam profugerunt, eamq; à nomine principis sui Remi, Remum denominauerunt. Hic scriptor digne scriptoribus ideo connumeratur, quia digressus ab opere suo, memoriam faciens Sanctorum martyrum, vel Confessorum quiescentium in ecclesiis Remensi Ecclesiæ adiacentibus, vel subiacentibus, vitas vel passiones eorum legentibus notificauit.

IOHANNES TRITTHEMIVS DE Scriptoribus Ecclesiasticis.

Flaualdus monachus Remensis, ordinis S. Benedicti, in scripturis diuinis eruditus, & in secularibus literis egregie doctus, ingenio subtilis, & disertus eloquio, scripsit non contemnenda lectionis opuscula, quorum studio nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. E quibus fertur opus insigne, à conditione Remensis ciuitatis, quam milites Remi à fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam domini sui construxisse, & sic appellasse commemorant, vsque ad sua tempora: in quo multa de sanctis martyribus & aliis rebus ac gestis interserens, volumini huic titulum dare voluit, Gesta Remensium pontificum libr. 3. Vitas quoque multorum Sanctorum libr. 1. Alia insuper multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Eadem scribit de eo lib. 2. de viris illustribus ordinis S. Benedicti c. 68.

DOMINICVS GRIMANVS CARDINAlis S. Marci in Diario ad Des. Erasmum can. ordin. S. Augustini, quod excusum est Basileæ anno 1508. apud Michaelem Furterium, & Ioannem Scotum. fol. 32. nota 13.

Dum Remis agerem, obtulit mihi D. Robertus Briconetus Archiepiscop. clariss. Galliæ Cancellarius registrum ms continens quatuor libros historiæ Remensis ecclesiæ, authore & collectore Flodoardo, illius quondam Canonico, exinde monacho. Mutatio status, & ex canonico factum fuisse monachum, indicat pietatem viri. Docte scripsit & diligenter. Plurima enim illius registri iis contuli quæ hic in Vaticana asseruantur, eaque fideliter exscripta inueni: abest ab eo veteratorum rubigo, & nouorum auctorum asperitas. Et si nostri temporis ærumnosa miseria non præferret studio historiæ lucrum vitæ, nec magis consuleret auaritia, quam antiquitatis notitia, dignus esset prælo auctor.

GVILIELMVS EYSENGREIN IN CATAlogo testium veritatis orthodoxæ matris ecclesiæ.

Flaualdus, Remensis Benedictinæ professionis monachus, vir tam diuinis quam profanis scripturis eruditus, Historicus perfectus, Theologus vero profundus, gesta Remensium pontificum, ab vrbe Remis condita, quam milites Remi à fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam domini sui construxisse commemorant, vsque ad sua tempora tribus voluminibus, quibus complures S. Martyrum historias recitat, deduxit.

PAPIRIVS MASSONVS LIB. II. ANnalium Francorum in Carolo Magno.

Frodoardus Carolo Simplice & Ludouico floruit, vitasque pontificum Rhemensium diligentissime scriptas, ad posteros transmisit, cuius operis exemplaria aliquot Lutetiæ vidimus.

IDEM IN CAROLO SIMPLICE.

*Sequenti anno (hoc est 920.) magni motus in Gallia sunt exorti, de quibus & aliis publicis negotiis docemur ex chronicis eiusdem Frodoardi (quem alij Flodoardum vocant) Rhemensis ecclesiæ presbyteri. Is enim autor præter vitas Pontificum Rhemensium scripsit chronica ab anno nongentesimo decimonono vsque ad annum nongentesimum sexagesimum sextum, quo excessit è vita quinto Calendas Aprilis septuagesimo * sexto ætatis anno: nosq; illum scriptorem deinceps in Carolo, Roberto, Rodulpho, Ludouico, & Lotario sequemur, prætermissis Vsitchindo, & aliis minoris diligentiæ ac fidei scriptoribus.* (* Dicendum tertio.)

Aliorum testimonia, vt Conradi Gesneri, Arnoldi Wion, Antonij Possenini, & Israelis Spachij prætermittimus, eo quod nihil habeant à præcedentibus diuersum.

PROLOGVS AD R. EPISCOPVM.

Domino venerabili, & in Christi caritate admodum diligibili, præclaro præsuli R. Flodoardus, tantæ benignitatis famulus, omne sanctarum virtutum in Christo gaudium.

CRebertimis admonitionum vestrarum stimulis instigatus, discusso tandem desidiæ pigritantis torpore, abiectisque diuersarum curarum occupationibus, telego feruentis studij vestri sollertiæ quadrifidum nostri laboris opus vodecumque collectum, & capitulatim,

A proui iubere dignati estis, dispositum, nostræ scilicet ecclesiæ Remensis historiarum librum. Haud mirari vel cumque petens sanctitatem culminis vestri super hac remoratione obsequij nostri, vtpote diuersis occupationibus præpediti, hiemali quoque glacialis gelo rigoris obstricti, charaxatorum insuper indigentia coartati. Neque mirum, me minimum in correctione meorum terere moras opusculorum, cum veterum nonnulli scriptorum magis in retractatione suorum, quam meditatione demorati ferantur librorum. Sed nec adhuc omnes ad perfectum me puto eliminasse mendas: & si quæ reperientur scriptoris forte vitia, industriæ vestræ poterunt expurgari sagacia. Non enim me ita perfectum reor ad vnguem fore perscrutatorem, vt ferre nolim, si quem diligentiorem in elimandis vitijs inuenero correctorem. Igitur quia sanctitatis vestræ circa tantillitatem nostram profusa videtur exuberasse dilectio, hunc studij nostri fructum, vestri B dignum duxi tutaminis delegare patrocinio, vt quæ à nostra sunt dicta in tenebris humilitate, ab industriæ vestræ sublimitate dicatur in lumine.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI HISTORIÆ Remensis ecclesiæ.

Capitula libri secundi.

Capitula libri tertij.

Capitula libri quarti. H

13 De

INCIPIT

LIBER PRIMUS HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ

Auctore Flodoardo Presbytero & canonico eiusdem ecclesiæ.

De conditione vrbis Remensis.

CAPITULUM I.

Fidei nostræ fundamina proditurus, ac nostræ patres Ecclesiæ memoraturus, mœnium nostrorum locatores, vel instructores exquisisse, non ad rem adeo pertinere videbitur, cum ipsi salutis æternæ nil nobis contulisse, quinimmo erroris sui vestigia lapidibus insculpta reliquisse doceantur. De vrbis namque nostræ fundatore, seu nominis inditore, non omnimodis à nobis approbanda vulgata censetur opinio, quæ Remum Romuli fratrem, ciuitatis huius institutorem, ac nominis tradit auctorem; cum vrbe Roma, geminis auctoribus Romulo Remoque fundata, fratris militibus Remum, certis accipiamus scriptoribus, interfectum: nec illum prius à fratre recessisse, dum vno partu editi, & inter pastores educati, latrocinijsque dediti, vrbem construisse reperiantur: ortaque simultate, ac Remo fratre interfecto, ciuitati Romulus ex nomine suo nomen dedisse legatur. Nam vt Titi Liuij verbis vtamur: *Numitori Albana permissa, Romulum Remumque cupido cepit, in his locis, vbi expositi, vbique educati erant, vrbis condendæ; & supererat multitudo Albanorum, Latinorumque: ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent, paruam Albam, paruum Lauinium, præ ea vrbe quæ conderetur, fore. Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido: atque inde fœdum certamen coortum à satis miti principio. Quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, vt Dij quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent qui nomen nouæ vrbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures: iamque nunciato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, vtrumque regem sua multitudo consalutauerat tempore illi præcepto: at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, a certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior autem fama est, ludibrio fratris Remum nouos transiluisse muros. Inde ab irato Romulo (cum verbis quoque increpitans adiecisset: Sic deinde, quicumque alius transiliet mea mœnia) interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus, condita vrbs, conditoris nomine appellata.* Ita Liuius. [T. Liu. decad. 1. lib. 1.] Probabilius ergo videtur, quod à militibus Remi patria profugis vrbs nostra condita, vel Remorum gens instituta putatur: cum & mœnia Romanis auspicijs insignita, & editior porta Martis (Romanæ stirpis, veterum opinione, propagatoris) ex nomine vocitata, priscum ad hæc quoque nostra cognomen reseruauerit tempora. [Porta Martis.] Cuius etiam fornicem prodeuntibus dexterum, lupæ, Remo Romuloque paruis vbera præbentis, fabula cernimus innotatum. Medius autem, duodecim mensium, iuxta Romanorum dispositionem, panditur ordinatione desculptus. Tertius qui & sinister cygnorum vel anserum figuratus auspicio. Nautæ siquidem, cygnum bonam prognosim prodere ferunt: vt ait Æmilius.

Cygnus in auspicijs semper lætissimus ales, Hunc optant nautæ, quia se non mergit in vndas. Anseres quoque nocturnas excubias celebrant, quas cantus assiduitate testantur. Denique Romana etiam capitolia Gallo seruasse traduntur ab hoste.

Nec mirum tamen, vrbis nostræ conditionem vel originem non in propatulo dari, cum de ipsius gentium, vel orbis dominæ Romæ conditione, Isidoro teste, oriatur plerumque dissensio: vt eius diligenter cognosci non possit origo. [Isidor. li. 15. originum. cap. 1.] Nam Sallustius: *Vrbem,* (inquit) *Romam sicuti ego accepi, condidere atque habitauere initio Troiani qui Ænea duce sedibus incertis vagabantur.* [Sallust. in Catilin.] Alij dicunt ab Euandro secundum quod Virgilius: [Virg. 8. Æneid.]

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Eutropius quoque in libro historiarum sic loquitur, dicens: [Eutrop. l. 1. hist. Rom.] *Romulus cum inter pastores latrocinaretur, xviij. annis natus, vrbem exiguam in Palatino monte constituit, conditam ciuitatem ex nomine suo Romam vocauit. Post hunc Tullus Hostilius eam, adiecto Cælio monte, ampliauit. Indeque cæteri diuersis diuersi temporibus principes, eius editores vel amplificatores extitere.* Vrbis autem nostræ nomen Durocortorum quondam dictum, Cæsaris astruitur historia, in qua libro sexto sic legitur: *Vastatis regionibus, exercitum Cæsar Durocortorum Remorum reducit, concilioque in eum locum Galliæ indicto, de coniuratione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit.* [Iul. Cæs. lib. 6. de bello Gall. in fine.] Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat. *A Mediolano per alpes Cottias Viennam M. pas. cccc. ix. Inde Durocortorum, M. pas. ccc. xxxij. quæ sunt leugæ cc. xxj. Item à Durocortoro Diuodorum vsque, M. pas. lxij. Item alio itinere à Durocortoro Diuo-*

A

dorum vſque M. pm. lxxxviij. Item à Durocortoro Treueros vſque leuga xcviij. Item à Bagaco Neruiorum Durocortorum Remorum vſque, M. pm. liij.

De amicitia Romanorum atque Remorum.

Cap. II.

COnſtat itaque Remorum populum populo Romanorum tenaciſſima priſcis olim temporibus, amicitia iunctum, prælibatæ Iulii Cæſaris hiſtoriæ libris hoc ipſum adſtipulantibus, vbi legitur. *Eo, ſcilicet ad fines Belgarum, ipſo Cæſare de improuiſo, celeriuſque omnium opinione, perueniente, Remos (qui proximi Galliæ ex Belgis ſunt) ad eum legatos Iccium, & Andebrogium primos ciuitatis ſuæ, miſiſſe, & ſe ſuaque omnia offerentes in fidem atque amicitiam populi Romani omnino contuliſſe, paratoſque eſſe & obſides dare, & imperata facere, & oppidis recipere, & frumento, cæteriſque rebus iuuare. Reliquos omnes Belgas in armis eſſe, Germanoſque qui ripas Rheni incolunt ſeſe cum his coniunxiſſe, tantumque eſſe eorum omnium furorem, vt ne Sueſſones quidem, fratres, conſanguineoſque ſuos, qui eodem iure, eiſdem legibus vtantur, vnumque magiſtratum cum illis habeant, deterrere potuerint, quin cum his conſentirent.*

Iul. Cęſar de bello Gallico li. 2. initio.

B

Item. *Cæſar poſtquam omnes Belgarum copias in vnum locum coactas ad ſe venire vidit, neque iam longe abeſſe, ab his quos miſerat exploratoribus, & ab Remis cognouit, flumen Axonam, quod eſt in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturauit, atque ibi caſtra poſuit. Quæ res & latus vnum caſtrorum ripis fluminis muniebat, & poſt eum quæ erant, tuta ab hoſtibus reddebat, & commeatus ab Remis, reliquiſque ciuitatibus, vt ſine periculo ad eum portari poſſent, efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi præſidium ponit, & in altera parte fluminis Titurium Sabinum Legatum cum ſex cohortibus relinquit. Caſtra in altitudinem pedum xij. foſſamque pedum xviij. munire iubet. Ab ipſis caſtris oppidum Remorum, nomine Bibrax, quod aberat milia paſſuum * xviij. ex itinere, magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. Ægre eo die ſuſtentata eſt Gallorum atque Belgarum oppugnatio hæc. Vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, vndique in murum lapides iaci cœpti ſunt, muruſque defenſoribus nudatus eſt, teſtudine facta, portis ſuccedunt, murumque ſubruunt, quod * tum facile fiebat. Namque tanta multitudo lapides ac tela conijciebant, vt in muro conſiſtendi poteſtas eſſet nulli. Cum finem oppugnandi nox feciſſet, Iccius Remus, ſumma nobilitate & gratia inter ſuos qui tum oppido præfuerat, vnus ex his, qui Legati de pace ad Cæſarem venerant, nuntium ad eum mittit, niſi ſubſidium ſibi mittatur, ſeſe diutius ſuſtinere non poſſe. Eo de media nocte Cæſar, iiſdem ducibus vſus, qui nuntij ab Iccio venerant, Numidas & Cretas ſagittarios, & funditores Baleares ſubſidio oppidanis mittit. Quorum aduentu, & Remis cum ſpe defenſionis ſtudium propugnandi acceſſit, & hoſtibus eadem de cauſa ſpes potiundi oppidi diſceſſit. Itaque paulisper apud oppidum morati, agroſque Remorum depopulati, omnibus vicis, ædificiiſque quo adire poterant, incenſis, ad caſtra Cæſaris omnibus copiis contenderunt, & à millibus paſſuum minus duobus caſtra poſuerunt.* Et poſt pauca. *Hoſtes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod eſſe etiam poſt noſtra caſtra demonſtratum eſt. Ibi vadis repertis, partem copiarum ſuarum transducere conati ſunt, eo conſilio, vt, ſi poſſent, caſtellum, cui præerat Quintus Titurius legatus expugnarent, pontemque interciderent. Si minus potuiſſent agros Remorum popularentur, qui magno nobis vſui ad bellum gerendum erant, commeatuſque noſtros ſuſtinebant. Cæſar certior factus a Titurio, omnem æquitatem & leuis armaturæ Numidas, funditores, ſagittarioſque pontem traducit, atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum eſt. Hoſtes impeditos noſtri in flumine aggreſſi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audaciſſime tranſire conantes, multitudine telorum & audacia repulerunt: primos qui tranſierant, equitatu circumuentos interfecerunt.* Item in eadem Hiſtoria libro tertio. *Cæſar Labienum legatum in Treuiros, qui proximi Rheno ſunt, cum equitatu mittit. Huic mandat Remos reliquoſque Belgas adeat, atque in officio contineat.* Item in V. *Tantam omnium voluntatis commutationem,* Cæſar ſcilicet, *attulit, vt præter Heduos & Remos, (quos præcipuo ſemper honore Cæſar habuit: alteros pro vetere ac perpetua erga populum Romanum fide: alteros pro recentibus belli Gallici officiis) nulla fere ciuitas fuerit non ſuſpecta nobis.* Item in VI. *Carnutes legatos, obſideſque mittunt, vſi deprecatoribus Remis, in quorum erant clientela. Eadem ferunt reſponſa,* quæ videlicet Senones, *obſidibus imperatis.*

Ibidem.

Gal. Ayſne

C

Orig. octo

ms. aditu.

D

Orig. interſcinderent.

Cæſar li. 3.

Lib. 5. in fi.

E

Lib. 6. initio.

Principatum quoque Remos antiquitus inter ſibi finitimos tenuiſſe conſtat. Sed & apud Romanos id ipſum obtinuiſſe, auctumque ſibi legitur in præmiſſa, tam ius, quam decus, hiſtoria, vt in eodem libro VI. *Sequani principatum dimiſerant: in eorum locum Remi ſucceſſerant.* Semper enim, & in omnibus bellis Remi fidem Romanis ſeruauerant. Et in VII. etiam quando totius pene Galliæ populi aduerſus Romanos conſpiraſſe, concilium que Bibracte habuiſſe leguntur, illi nullatenus adeſſe voluere, quod amicitiam Romanorum ſequebantur. In neceſſitatibus autem copias eos Romanorum ſuſtentaſſe proditur, vt in quinto huius hiſtoriæ lib. *Quo anno frumentum propter ſiccitates anguſtius prouenerat, coactus eſt.* Cæſar ſcilicet, *aliter ac ſuperioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legioneſque in plures ciuitates diſtribuere. Ex his vnam in Morinos ducendam, C. Fabio Legato dedit: alteram in Neruios Q. Ciceroni: tertiam in Eſſuos * L. Roſcio: quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Treuirorum hiemare iuſſit.* Item in VII. *C. Fabium & L. Minutium cum legionibus duabus in Remis collocat.* Inſuper & vſque ad internecionem pene Remos pro ſalute Romanorum certaſſe, Oroſius etiam libro vj. aſtipulatur, eo prælio quod Bellouaci, poſt cæterorum Gallorum, qui arma contra Romanos tulerant, deuictum exercitum, inſtaurauerant, magnum Remorum numerum, qui auxilio Romanis erat, aſſerens trucidatam. Remos denique prælijs fortes, optimoſque fuiſſe iaculatores: ſed & ad bella ciuilia quibus Pompeio ſuperato, monarchiam totius, vt fertur, orbis obtinuit, Cæſare inuitante profectos, Lucanus libro primo teſtatur his verſibus.

Lib. 7. poſt med.

F

Lib. 5. ante med.

m. P.

Lib. 7. in fi.

Paulus Oroſi. 6. hiſt. c. 11.

Rura Nemetis
Qui tenet, & ripas Satyri, qua littore curuo
Molliter admiſſum claudit Tarbellicus æquor,
Signa mouet, gaudetq; amoto Santonus hoſte.
*Et * Biturix, longiſq; leues Axones in armis,*
Optimus excuſſo Leucus, Remuſq; lacerto.
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis,
Et docilis rector roſtrati Belga couini.

Lucan. li. 1. de bello ciu.

G

m. j. Bituraca.

De primis huius vrbis Epiſcopis.

Capvt III.

NEc ſolum apud Ethnicos tunc temporis tanti habitum Remorum populum, quin & apud primos Eccleſiæ Dei propagatores, atque per Euangelium in Chriſto patres, primæ huius prouinciæ noſtræ ſedis Pontifices cõſtat ſemper honore decoratos: adeo vt ipſe beatiſſimus Eccleſiæ Chriſti princeps, Petrus Apoſtolus, vrbi noſtræ Beatum Sixtum à ſe Archiepiſcopum ordinatum, cum ſuffraganeorum auxilio cenſuerit delegandum, idoneos ei, ac neceſſarios in eadem prouinciæ deſtinans ſocios S. Sinicium videlicet, Sueſſonicæ ſedis primo, noſtrum poſtea Præſulem, ac beatum Memmium Catalaunicæ vrbis rectorem. S. vero Sixtus Remorum primus Epiſcopus, etiam Sueſſonicam fundaſſe fertur Eccleſiam, & B. Sinicium collaboratorem & cooperatorem ſuum inibi cõſtituiſſe: quiq; poſt eiuſdem S. Sixti deceſſum, nepote ſuo, vt ferunt, Sancto Diuitiano Sueſſonià ſe Pontifice ordinato, quoniam noniter inſtituta Remẽſis Eccleſia, lactea adhuc, tenera forte fouebat pignera, needum ad nouus Pontificale perferendum robuſta, Remis Archiepiſcopalem (ea cogente neceſſitate) ſubiit cathedram. Vbi pro animarum ſalute fideliter elaborans, bonumque certamen decertans, cum deceſſore, vt in cælis, ita etiam meruit in terris habere conſortium, vnius eiuſdemque templi tumbæque ſortitus cum B. Sixto ſepulchrum. Quorum poſtmodum meritis Baſilicæ domus ipſorum claris illuſtrata miraculis,

H

S. Sixtus.
S. Sinicius.
S. Mẽmius

Baſilica SS. Sixti & Sinicii.

noo-

A nonnullis dotata ditatur muneribus: agris quoque domibusque ac vineis locupletata, clericorum pariter enituit ministerijs decurata. Quorum nonnunquam duodecim, nonnunquam decem, vt domni Sonnatij Præsulis tempore, ibidem reperitur cógregationem fuisse, donec moderno tempore, abundante iniquitate, & refrigescente caritate, deficere Deo inibi militantium chorus, & vnius ipsum cœpit esse templum * presbyteri titulus. Quocirca etiam ipsorum nuper abinde ossa translata, in ecclesia Beati Remigij post altare Sancti Petri, eorundem præceptoris, seruantur recondita. Nec eos Ecclesiam nostram tantummodo ab vrbe Roma constat habuisse patres vel fundatores, quæ Martyribus etiam redimita, eorumq; sacrata sanguine atq; triumphis, sub ipso Neronianæ persecutionis articulo, decorata probatur.

Al. presbyteri.

De primis eiusdem Martyribus vrbis.

CAP. IV.

B

S. Timotheus.

BEatus siquidem Timotheus, ab Orientis partibus ad hanc Remensem vrbem perueniens, Iesu Christi Domini publice non veritus est prædicare veritatem. Vnde & à præside Lampadio, qui tunc præerat huic populo, tentus, & quod nouæ legis propositum hominibus suaderet, conuictus: hinc minis principum, legumque seueritate vexatus, opum quoque pollicitatione tentatus, responsum quod olim ab Ecclesiæ principe didicerat, improbo incussum supernæ nundinatori gratiæ, rependere non timuit: Diuitiæ (inquiens) tuæ tecum sint in perditionem, & ibis cum ipsis in ignem æternum. Dominus enim meus Iesus Christus filius Dei, ipse te iudicaturus est. Tunc Præses ira repletus, iussit eum torqueri. Et dum Christum cóstanter inter ipsa cruciatuum confiteretur tormenta, inferens inter cætera, quod illi, quos Præses pro Christi nomine se putabat occidere, ipsi pœnaliter eum iudicaturi essent: & Præses diceret: Ergo tu iudex eris mei? Ego te occidam, & quis erit qui te eripiat de manibus meis? Sanctus Timotheus respondit: Dominus meus cui credo, potest liberare me, in te autem debita tormenta immittet. Iterum dum per supplicia multa cruciari iussus fuisset, ait ad iudicem: Quanto tu mihi ampliora tormenta intuleris, tanto amplius refrigerium præstabit Dominus cui credo. Et cum cæderetur à ministris, exclamauit voce magna, dicens: Aspice Domine, & vide quæ infert diabolus seruo tuo, ne me derelinquas, ne dicant homines, vbi est Deus eius? Præses deinde iussit calce viua & aceto aspergi plagas ipsius. Sanctus vero Timotheus dixit: Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, qui mihi das tolerantiá vt hæc possim sufferre. Ita istud factum est in corpore meo, tanquam oleo perunctus sim. Vnus autē de ipsis cædentibus, nomine Apollinaris, vidit duos Angelos stantes ad latus eius, & dicentes illi: Confortare Timothee: missi autem sumus ad te, vt ostendamus tibi Dominum Iesum Christum, pro cuius nomine sustines pœnas, vt videas quæ aguntur in cælis: Erige caput tuum, & vide. Aspiciens autem S. Timotheus vidit cœlos apertos, & Iesum ad dexteram Patris, coronam tenentem ea lapidibus pretiosis, ac dicentem sibi: Timothee, hæc quam vides, tibi parata est. Accipies illam tertia die imminente de manibus meis. Et Angeli dixerunt ei: Confortare Timothee, & abierunt in cœlos. Apollinaris vero cum hæc vidisset, procidens ad pedes eius, dixit ei. Domine Timothee ora pro me: Ego enim libentissime persequebor pro nomine Christi, quia vidi tecum loquentes viros splendidissimos, dum tecum loquerétur magnalia Dei illius qui regnat in cœlo. Tunc præses, vt vidit se esse confusum, dixit: Sistatur Apollinaris: afferte autem mihi plumbum bulliens, & effundite in os ipsius, vt non talia verba loquatur. Cumque allatum fuisset plumbum bulliens, & missum in ore eius, factum est frigidum tanquam glacies. Viso autē hoc miraculo, multitudo magna credidit in Dominum Iesum Christum. Tunc præses iracundia plenus & confusione, dixit: Ducite illos in carcerem, vsq; dū ego pertractem quo supplicio interficiantur. Cum autem ducerentur, plurima turba sequebatur eos

Act. 8.

C

D

Conuersio S. Apollinaris.

E

flens, & dicens: O iniustum iudicium quod incidit in ciuitatem istam! Perducti sunt vero in carcerem: & multi erant circa eos, desiderantes consolari à Sancto Timotheo. Ipsa autem nocte adueniens quidám Presbyter, nomine Maurus, multitudinem hominum baptizauit in nomine Domini nostri Iesu Christi. Apollinaris vero cum baptizaretur, vidit cœlos apertos, & audiuit Angelum dicentem sibi, Beatus es Apollinaris qui credidisti, beati omnes qui tincti sunt in aqua, in qua tu purificatus es. Quicunq; hac nocte hic baptizatus fuerit, crastina die in paradiso suscipietur. Hoc autem dictum omnes qui ibidem aderant audierunt, & genua flectentes, dixerunt: Parce nobis Domine Deus noster, & præsta misericordiam tuam his qui diligunt nomen tuum. Altera autem die iussit Præses adduci eos ante tribunal suum. Astantibus autem illis Præses dixit: Stulti homines, quæ res vos circumuenit, vt credatis in hominem crucifixum, qui sub Pontio Pilato multa perpessus est, nouissime autem crucifixus asseritur. Tunc illi responderunt, dicentes: Vidimus in hac nocte Angelum Dei loquétem cum Sanctis quos tu tenes in carcere: & ipsi Angeli dixerunt nobis, hodieituros esse in paradisum, & accepturos coronas quas [illegible] oculi videre non merebuntur. Præses vero iracundia plenus, iussit * cunctos decollari. Cumque ducerentur Sancti extra ciuitatem, signauerunt se signaculo Christi, & sic martyrizati sunt, confitentes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Fuerunt autem omnes qui decollati sunt quinquaginta viri sub die vndecimo Calendas Septembris.

F

MS. singulos.

Visio signi Crucis.

Quinquaginta martyr. 22. Augusti.

Altera autem die procedens Præses, sedit pro tribunali, Sanctum vero Timotheum & Apollinarem adduci præcepit. Astantibus autem illis, ait ad eos Præses: Infœlicissimi hominum consentite præceptis Imperatorum, & adorate eos quos illi adorát. Timotheus & Apollinaris dixerunt: Nos dæmones non adoramos, sed solum Dominum Iesum Christum, qui est Deus viuus & verus, ipsum oportet confiteri nos. Tu ergo ne putes nos artibus tuis separari á caritate, & à regno Dei. Hoc autē tibi notum sit, q a qua hora nos putas mortificari, tunc viuificamur, sicut illi qui à te hesterna die interfecti sunt, & viuunt in cœlis. Te ergo vere percutiet Iesus Christus vlcere pessimo. Iratusque Præses, dixit: Istos si non mortificauero, alij multi ad nouam sectam venturi sunt. Sic dedit aduersus eos sententiá, vt gladio interficerentur. Illi autem cum magna fiducia perducti sunt extra ciuitatem, in via quæ appellatur Cæsarea, in locum qui Buxitus dicitur, ibique martyrizauit eos, sub die decimo Calendas Septembris, & coronati sunt ab Angelis, & vox audita est, dicens: Venite Timothee & Apollinaris dilectissimi mei, & ostendam vobis quanta mirabilia meruistis pro animabus vestris, quas obtulistis pro nomine meo: & scitote quæ facturus sum Lampadio Præsidi. Statimque iaculum igneum descendit de cœlo multis videntibus, & ingressum est humerum eius dextrum, & à dæmonio arreptus vitam finiuit. Corpora vero sanctorum sepulta sunt à Christianis die nono Calédas Septembris. Eusebius quidam vir spectabilis, qui & ipse per verbum ipsorum credidit, fabricauit illis basilicá, in qua multa signa & remedia ostenderūt. Cæcis visum, claudis gressum reddiderunt, & qui à dæmonibus vexabantur curati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi. Eorum vero corpora domnus Tilpinus Archiepiscopus veteri promouens tumulo, sepulchrum ipsorum decenter argento decorauit & auro. Altare deniq; q ante tumbam eorumdem stat medium, Sancti Mauri fertur reliquijs & honore dicatum, qui eodem, quo præfati, tempore, pro Christo cæsus capite, ipsorum meruit consortio teneri. Cuius ossa in Ecclesia B. Celsini seruantur deposita. Caput autem infra ciuitatem intra beatæ Dei genitricis Mariæ basilicam in arca secus altare veneratur recōditum. Ipsa etiam p̄missorum ecclesia Martyrum pignoribus complurium traditur insignita Sanctorum. In cuius dextera parte Sanctorum Siluani & * Siluiani: in sinistra vero sancti Tonantij & Sancti Iouini feruntur reseruari corpora. Hic etiam in eadem Sanctorum basilica Beatus Remigius tumulum sibi parari præcepisse reperitur, vt post conditam testamenti sui continentiam subintulit, addens: *Post cōditum testamentum*

G

S. Timothei & Apollinaris martyr. 23. Augusti.

Horrenda mors præsidis.

H

Basilica SS. Timot. & Apoll.

al. Siluiniani.

A

ramo signatum, occurrit sensibus meis, vt basilica dominorum martyrum Timothei & Apollinaris missorum argenteum sex librarum ibi deputem, vt ex eo sedes futura eorum ossium componatur. Sed & in ipso testamento suo, duodecim solidos ad ipsius basilicæ cameram struendam inferat dari. Diuersi quoque diuersis idem locupletauere dotibus templum: vbi dominus Gondebertus, vir clarissimus, cum vxore sua Bertha, villam in pago Vonzinse sitam, Perthas nomine, dedit. Reperitur autem congregationem ibidem nonnunquam viginti, nonnunquam duodecim fuisse clericorum, vt in tempore Theoderici Regis, quando ad eandem basilicam prædiorum donaria plura leguntur tradita. Et vsque ad sacentia nuper tempora (quibus, religione deficiente, ad vnius est redacta Presbyteri titulum) Deo seruientium cœtu, dignoscitur insignita virorum. Nonnullis etiam alijs templa locis, eorum splendent honore decorata: quoniam signis pluribus eis olim coruscantibus, amatores Christi memorijs ipsorum suas excolere studuerunt atq; munire possessiones. Quorum quidam, ceu Gregorius Turonensis Episcopus, in libro miraculorum refert, eorum reliquias, ædificata horum honore basilica, deuotus expetijt. Quas pontifice loci per Presbyterum honorifice dirigente, dum iter idem Presbyter ageret, ab obuia quadam muliere salutatus, obnixe, importuneque ab ea rogatus est, vt horum sibi quiddam pignerum condonaret. Qui diu nutatim differens, mulieris improbitate tandem deuictus, sacrorum cinerum particulam tradit roganti. Ascensoque caballo, iniunctum sibi moliens iter expedire, nullatenus eum percussis admodum lateribus, valet tamen, promouere. Insuper ipse quoque sciotenus prægrauatus opprimitur, vt vix valeret adtollere caput. Ita demum animaduertens virtute se detineri Martyrum, motus pœnitentia, recepit oportune, quod largiri præsumpsit incongrue, redibuaque sacrorum quam dempserat portione, liber ad iussa relaxatur abire. Apud Duodeciacum quoq; vicum horum constructa decore sanctorum basilica Martyrum, magnorum prædicatur radiare nitore magnalium, optabilique refulgere gratia sanitatum.

Hodie 12. sunt canonici in ecclesS. Timoth.

B

Gregor. Turon. l. 1 Miracul. seu de gloria martyr. c. 55.

C

Beati denique Timothei ossa, Rex Otho, concedente Artaldo Archiepiscopo, transferri fecit in Saxoniam, & monasterium monachorum in eius instituit honore. In qua translatione multa mira feruntur ostensa. Nam vt Anno tunc Abbas, nunc Episcopus, mihi retulit, à quo eadem sacra pignera translata sunt, præter alia plura remedia, duodecim inter claudos & cæcos fuere curati. Beatus quoque Apollinaris ossibus suis in Orbacense monasterium translatis, nonnullis inibi florere spectatur gratiarum insignibus.

Otho. 1 qui & magnus.

Orbay ou Orbe.

De successoribus præmissorum Præsulum.

CAP. V.

D

FRequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus, Ecclesiæ puppis nostræ motata, diuersisque oppressa fluctibus, quoniam caput vix attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore rectore vacua digno residerit, haud facile panditur: adeo vt post præmissos nostræ fidei patres, beatum Sixtum atque Sinicium, vnum duntaxat præsulem inueniamus Amansium ad imperium vsq; Constantini, sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacone suo, primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi primæ interfuisse Synodo, relatæ per Marinum Episcopum beatissimo Papæ Siluestro, Volusiano & Aniano consulibus. Post quem Aper, inde Maternianus, cuius reliquias ossium dominus Hincmarus Archiepiscopus Ludouico Regi Transrenensi, se direxisse commemorat in epistola pro eiusdem, aliorumque Sanctorum pigneribus ad eundem regem transmissa. Hinc Donatianus extitit Episcopus, cuius etiam pignera maximas in partes Episcopij Nouiomagensis vel Tornacensis perlata, vario signorum memorantur splendore decorata. Quam beatus Viuentius tam celsius illustris vltra meritis, quam clara pontificalis sequitur ordine culminis. Cuius etiam sacra membra domno Ebone Antistite nostro deferente, super flu-

S. Amansius.

Betausius.

1. Synod. Arelat. an. 314.

Aper.

S. Maternianus.

S. Donatianus.

S. Viuentius.

uium Mosam translata, Braquis instructa Ecclesia, disposita que famulariorum cateruа Clericorum, debito deponuntur honore seruanda. Vbi etiam pluribus olim renituisse prædicatur insignibus, claudis gressum, cæcis quoq; reformans aspectum, cui successit Seuerus.

E

Branz.

Seuerus.

De Sancto Nicasio.

CAPVT VI.

POst præmissos Præsules beatus Nicasius cultu sequitur Pontificatus, magnæ vir caritatis, magnæque constantiæ, sub Wandalica in Gallijs persecutione, sanctæ sibi commissæ validissimus rector Ecclesiæ, in pace quidem nobilitator ac decorator: in periculis vero moderator & tutor, pijs populum doctrinis & exemplis instituens, decoremque cœlibis sponsæ Christi Ecclesiæ, fabricis & ornatibus attollens. Is namque sedis huius sanctæ basilicam in honore perpetuæ virginis Dei genitricis Mariæ, diuina traditur admonitus reuelatione fundasse, quam proprio quoque consecrauit sanguine. Cathedra siquidem Pontificalis antiquitus in Ecclesia, quæ ad Apostolos dicitur, extitisse fertur. Hic beatus Antistes angelica præmonitione instructus, futuram longe ante præscisse docetus internecionem, perniciosamque prosperitatis se arguendo securitatem, imminentem diuini prędixisse verberis vltionem. Portabat autem caritatis humeris anxius peccatorum crediti sibi gregis pondus, mori paratus pro omnibus, vt iram indignationis Dei à populo auerteret, aut in ipsa certe vindicta, cælestem clementiam humilitatis spiritu & animo contrito placaret, ne vsque ad animam, licet temporalis, at non æternalis perueniret gladius. Sed quia verbi Dei semen in spinis diuitiarum suffocatur, consitum, prosperantesque, & in vanitate seculi gloriantes monita salutis, aure cordis ad fructificandum non admittunt: immo perituris impliciti occupationibus, nec vera vitæ, quin letifera peccati, mortisque stipendia sequentes, quoniam perfecte mala non oderant, vera sectari bona digne non valebant. Piam insuper religionem negligere, diuinitatis præcepta postponere, vanitatibus inseruire, concupiscentiæ vitiis inhærere, schismatica scandala suscitare, Denique (pro dolor) his omnibus haud metuebant ... Et ecce subito eiusdem prosperitatis temporibus, animositas dirissimarum gentium commota, Dei offensionis iram in diuersas vindicatura prouincias, intentione truculenta, Wandalorum multitudo properantes accelerat, subuersis multarum munitionibus vrbium, gladioque interemptis vtriusque sexus progenitoribus cum filiis, non aliam dignitatis gloriam, non aliud aliquid in temporalibus lucris tam desideranter concupiscere cernebatur, quam humanum haurire ac fundere sanguinem, & Christianorum duntaxat inire internecionem. Sub huius vero tempestatis turbine, gloriosi renitebant in Gallijs inter Episcopos viri, sanctissimus Remorum præsul Nicasius, & beatissimus Aurelianensium pontifex Anianus; Sanctus quoque Lupus Trecassinus, & Beatus Seruatius Tungrensis Antistes, aliique nonnulli virtutibus insignes, qui hanc indignationis Dei, suis meritis ac precibus, iram diu differre certauerunt, vt omnibus hæresibus & prauitatibus populi restinctis, ad Catholicam religionem & verum Dei cultum per pœnitentiam reuocarent: ac tantæ persecutionis, & diuinæ animaduersionis gladium ab Ecclesiæ ceruicibus auocarent. Sed (pro nefas!) *Impius, vt scriptum est, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, salutarib. eorum præceptis nullatenus obtemperabant. At vir beatissimus Nicasius præsul, instantibus studiis, continuisque doctrinis ac precibus, populum Dei ad pœnitentiam seu patientiam, & triumphum martyrum prouocabat, vt quos incauta prosperitas ad offensionis impulerat foueam, adnecessitatis deuota tolerantia, non iudicium damnationis, sed gratiam purgationis, causamq; salutis efficeret. Interea castrametantes agmina Wandalorum circa vrbem Remorum, vniuersaq; regione depopulata, necis tantum inibi habitatorum feruentissime peractantes Christianorum. Hos veluti Deorum suorum inimicos, &

S. Nicasius.

F

Transfert sedem Episcopalẽ ad Eccles. B. Mariæ.

G

H

Prou. 18.

moribus

A

moribus paganorum contrarios, interimere, penitusque de terra delere ambiebant. Beatus itaq; Nicasius animam suam pro fratribus, Christi sequens exemplum, ponere paratus, elegit, obniseq; proposuit, sibi commissum nullatenus omittere gregem: prorsus instituit, aut cum eis pariter viuere, aut pariter, quod eos paterfamilias perpeti vellet, sufferre: ne fugiendo, Christi videretur (sine quo nō possunt homines vel viuere vel fieri Christiani) deserere ministerium. Vnde & iuxta B. Augustini sententiam, maiorem charitatis reperit fructum quā qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atq; comprehensus non negauit Christum, suscepitq; martyrium. Metuebat enim potius Antistes sanctissimus, ne se deserente, lapides viui extinguerentur, quam ne lapides & ligna terrenorū ædificiorum, se præsente, incenderentur: magis timens, ne destituta Christi corporis membra spiritali victu, necarentur, quam ne membra corporis sui hostili oppressa impetu torquerentur. Paratus ad vtrumque, vt si non posset hunc calicem transire, fieret voluntas eius, qui mali aliquid nō potest velle. Nec requirebat quæ sua sunt: sed imitās eum qui dixit: non quæro quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Et ne magis fugiendo obesset exemplo, quā viuendo prodesset officio, nulla ratione cōsensit esse fugiendum. Neq; temporalem mortem (quæ quandoq; ventura est, etiamsi caueatur) sed æternam (quæ potest si non caueatur venire, & potest si caueatur etiam non venire) formidans; non sibi placens, nec personam suam in tantis periculis fuga digniorem, vtpote gratia excellentē, iudicans: ne ministerium in his maxime periculis necessariū, ac debitum, subtraheretur Ecclesiæ. Non, vt mercenarius vidēs lupum venientem, dimissis ouibus fugit: sed vt pastor bonus, pro grege sibi credito animam patientissime obtulit. Et quod melius agendum inuenire potuit, sedulus ad Dominum pro se suisq; fundere preces elegit. Fatigatis igitur tandem præliatoribus impugnatione continua, excubijs & inedia, furentibusq; circumquaq; hostibus, ac fortiter bello concutientibus vrbem, nimio terroris tędio ciuitas vniuersa perculsa, ad sanctissimum Nicasium in orationibus prostratum decurrunt, futuram paganorum victoriā pertimescentes, & auxilium consolationis ab eo (velut à patre filij) requirentes, Interrogant, quid vtilius consilij faciendum decernat, aut seruituti gentium sese tradere, aut ad mortem vsq; pro salute vrbis dimicare. Beatus autem Nicasius cœlitus diuina præsciens reuelatione, Remorū subuertendam ciuitatem, consolans eos, infatigabiliter Domini supplicabat clemētiæ, quatenus hæc tribulatio mortis temporariæ, non ad iudicium, sed ad indulgētiam, persistentibus in vera fidei confessione proficeret: pro animæ pugnare salute, non armis visibilibus, sed probis docens moribus, non corporalium fiducia virium, sed spiritalium exercitatione virtutum. Hanc supernam iusto Dei iudicio, peccantium sceleribus excitatam demonstrans indignationem. Certum salutis id prædicans esse consilium, si ad diuina compuncti flagella conuerterent animū; insipientes hæc non inuiti aut desperantes, vt iniquitatis filij, sed patientes ac mansueti, ceu filij pietatis, promissa regni cœlestis præmia percepturi. Exhortans eos, spe salutis æternæ præsentem deuotissime sufferre tribulationem; vtroque seipsos ad hanc offerre momentaneam necem, quo debitā reatibus perpetuæ damnationis euadere mererentur vltionem, quatenus eis mors præsens, non supplicium, sed animarum fieret perenne remedium. Pro inimicis eos etiam admonens exorare, vt tandem aliquando resipiscerent ab iniquitatibus suis, & qui ministri tunc videbantur impietatis, possent cultores nonnunquam pietatis, sectatoresque fieri veritatis. Seipsum paratum esse depromens (vt bonū decet pastorem) pro ouibus animam ponere, præsentemq; vitam contemnere, quatenus ipsi peccatorum veniam & salutem secum mererentur æternam accipere. Aderat etiā germana sua B. Eutropia, virgo Christi sacratissima, quæ ob castitatis munitionem, sanctissimum semper imitando & adhærendo sequebatur Episcopum, vt & ab spiritalibus aliena nequitijs à Domino seruaretur puritas mentis, & à carnalium corruptione delectationū tegeretur immunis integritas corporis. Ambo itaq, plebem Dei pro viribus ad coronam martyrij pijs exhortationibus animabant; & agonem victoriæ suæ Domino precibus commendabant. Dei tandem decreto iudicio irruptionis die, dum paganorum furibundum beatus Præsul Nicasius irruere comperit impetum, Sancti Spiritus virtute roboratus, alma comitante sorore, cum hymnis & canticis spiritalibus ad ostium basilicæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ (quam ab eodem in huius vrbis arce fundatam memorauimus) traditur occurrisse, dumque diuinæ deditus psalmodiæ, versum Domino Dauidicum pia voce decantat inquiens: *Adhæsit pauimento anima mea*, mox insequente gladio ceruicem, cæsū verbum pietatis ab ore non defecit: capite in terram cadente, immortalitatis (vt traditur) sententiam prosecuto: *Viuifica me * secundum verbum tuum*, inferendo.

Sancta vero Eutropia videns impietatem circa se quasi mitigatam, & pulchritudinem suam ceu paganorum libidinibus reseruatam, super eundem sacerdotis interfectorem insiliens, magnoq; clamore increpitans, & ad martyrij sui bellum prouocans, sacrilegi alapa faciem percussit, oculos, diuini virtute numinis euulsos, in terram prodituri effudisse. Quæ mox insanientium ferro iugulata, sacro fuso sanguine, palmam victoriæ cū germano suo pontifice Christi, cæterisq; triumphatorib' sanctis, adipisci promeruit. Fuere siquidem nonnulli, tam ex clero, quam ex laïcali cœtu, constantiæ huius consectatores ac comites, qui per præsentis tolerantiæ participationem, æternæ beatitudinis cū hoc beatissimo patre suo consequi certauere communicationem. Inter quos Florentius diaconus, & B. Iocundus exstitisse clarissimi referuntur: quorum capita Remis post altare Sanctæ Dei genitricis Mariæ tumulata seruantur. Barbarus igitur de constantia virginis, & profani speculatoris subitanea mulctatione stupefactos, expleta cæde, sacro inundante cruore, terribilis omnes horror inuasit, quasi cœlestes acies detonantes, tanti sceleris vindices, aspicientes, ipsa quoque horrendo reboante basilica sonitu. Relictis ergo passim spolijs, territa Wandalorum agmina, dum diuinam metuunt vltionem, irreuocabiliter per diuersa fugientes, inuasam trepidi deserunt ciuitatem. Quæ diu sic manente solitaria, Christianis qui ad munitiones montiū fugerant, incursiones paganorum trepidantibus, paganis vero cœlestes quos ibi pertulerant horrores pertimescentibus, sub diuina duntaxat Angelicaq; custodia Sanctorū seruabantur ibi martyrum corpora; ita vt in noctibus à longe cœlestia cernerentur lumina, & suauissimi sidereis supernarum soni virtutum choreis dulciter reboantibus, audirentur à nonnullis carmina. Vnde & cœlestis victoriæ reuelatione confortati tandem conciues, qui ad sepelienda Sanctorum corpora, diuina remanserant prouidentia, cum precum votis ad vrbem regredientes, inæstimabilem suauitatis odorem, vbi sanctorum decorabantur funera, hauriunt, gaudioque permiscentes gemitum, lacrymosis Dominum laudibus magnificant, & ad tumulandum sacra se præparantes pignera, congruis ea circa ciuitatem locis veneranter recondunt. Beatissimi vero Nicasij Præsulis ac sororis eius, sacratissima solemniter in cœmiterio Sancti Agricolæ, templo quondam à Iouino, Christianissimo Romanæ militiæ magistro, longe scilic. ante fundato, magnificeque decorato, collocant membra: vt appareat, instinctu diuinæ procurationis, ad celebritatis istorum dignitatem magis, quam ad primæ præparatam fuisse conditionis auctoritatem. Hanc autem basilicam præfatus vir Iouinus, his versibus, aureo pretio laudauit decore.

Felix militiæ sumpsit deuota Iouinus
Cingula, virtutum culmen prouectus in altum:
Bisque datum meritis equitum, peditumque Magister.
Extulit æternum sæclorum in sæcula nomen.
Sed pietate grauis sancta hæc præcepta vitæ,
Insignesque triumphos religionis decorus,
Vt quem fama dabat rebus superaret honorem,
Et vitam factis posset sperare perennem.
Condidit hoc sancto manantes fonte salutis,
Sedem viuacem moribundus ponere membris,
Corpora hospitium latum metator adornat,
Reddendæ vita salutari prouidet arte.
Omnipotens Christus iudex venerabilis, atque

Margin notes (left): Augustin. epist. 80. — Matth. 26. — B — 1.Cor. 10. — Ioan. 10. — C — D — Ioan. 10.

Margin notes (right): E — Psal. 118. — MS.) addit Domine. — S. Eutropia. — F — S. Florentius. — S. Iocundus. — G — H — Hæc hodie est eccles. S. Nicasij. quomodo infra vocatur c. 12.

A

Terribilis, pie, longanimus, spes fida precantum,
Nobilis eximios famulos nec impatiat altus.
Plus iusto fide ac pietatis præmia vincant.

Vbi posteaquam sunt horum deposita Sanctorũ Martyrum corpora, innumerabilibus eadem Ecclesia constat miraculorum signis redimita: vt & eorum meritis ac precibus, multitudo languentium recuperationis inibi percipiat alacritatem, & exemplis ipsorum plebs ad cœlestem * discat properare sublimitatem. Meminit huius barbaricæ persecutionis beatus Hieronymus scribens ad quandam adolescentulam viduam Aggeruchiam nobilem, & exhortans eam de perseuerantia viduitatis; ita memorando inter cætera. *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum, quod Oceano & Reno includitur, Quadus, VVandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alamanni, & ô lugenda respublica! Hostes Pannonij vastauerunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacum, nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata. VVangiones longa obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoracus translata in Germaniam. Aquitania, Nouemque populorum Lugdunensis, & Narbonensis Prouincia, præter paucas vrbes, cuncta populata sunt, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames*, &c. In præfata denique basilica B. Remigius morandi traditur habuisse consuetudinem, quatenus sanctorum martyrum meritis, vt erat spiritu semper, ita proximus redderetur & corpore. Monstratur adhuc ædicula secus altare vbi secrete Domino vacare, & inspectori summo, beatissimæ speculationis hostias, turbis remotus popularibus, deuotissime consueuerat immolare. Istuc enim intentus his degebat officijs, quando comperto vrbis incendio, cum diuinitatis inuocatione deproperans, Sanctorum fultus suffragio, lapidibus Ecclesiæ graduum deinceps expressa reliquit vestigia.

C. deuota.
Hieron. epist. 11.
Psal. 82.
B
Virgil. 8. Æneid.

C

De miraculis ipsius Ecclesiæ.

CAPVT VII.

Diuersis etiam multimoda clarificatione fertur hæc illustrata temporibus ædes. Sed nos vnum tantum, quod nostris fere diebus actum, referentibus nostris qui interfuere patribus, agnouimus, propalandum putauimus. Solemnitas hiemali tempore præfatorum agebatur Martyrum, quæ sub XIX. Cal. Ianuarias celebrari consueuit. Ad cuius celebritatis vigilias fratres tempestius exurgentes, custodes ipsius Ecclesiæ dormientes, ostia quoque diligenter obserata reperiunt. Quæque diutius obterendo pulsantes, dum neminem responsa dantem deintus accipiunt, domum presbyteri petunt, portamque crebris incutientes ictibus, & tecta lapidibus verberantes, vbi nullum sibi qui pandat excitare præualent, templi ianuam repetunt, quam sponte patentem reperientes, accensa luminaria cuncta vident; sed auctorem facti neminem intus aspiciunt. Sicque post orationem Christo gratias agentes, nocturnas ineunt laudes. Quibus iam magna parte decursis, ad horum voces Presbyter excitatur, tem cum suis admiratus, hymnos dicturus cum cæteris stupefactus approperat. Nullumque demum accensionis huius, vel reserationis reperire queunt administrationem, nisi summum diuini duntaxat muneris largitorem, qui Sanctorum suorum iugi mirorum splendore, propagare non desistit honorem. Huius autem B. Pontificis & Martyris pignera quædam Nouiomagensium Episcopus quidam obtenta, suam pertulit ad ciuitatem. Quæ tam apud Nouiomum, quam & apud Tornacum castrum (vbi nunc quoque seruari perhibentur) claris, multisque referuntur illustrata miraculis. Postea vero cætera corporis eiusdem martyris Fulco Archiepiscopus, simul cum corpore beatæ sororis eius Eutropiæ intra Remensia transuexit mœnia, tertioque post altare S. Dei genitricis Mariæ, vbi ea modo veneramur, iuxta B. Papæ Calixti membra, debita recondidit reuerentia.

Festum S. Nicasij & sociorum 14. Decembris.

D

E

De Sancto Oriculo & sororibus eius.

CAPVT VIII.

Sub eadem Wandalorum, vel Hunorum persecutione, quidam Dei seruus, Oriculus nomine, Deo vacabat, cum sororibus suis * Oricola & Basilica in hoc eodem Episcopatu Remensi, in pago Dulcumensi, vico Sinduno in Ecclesia quam construxerat: vbi fertur quoque peremptus à Barbaris cum prædictis sororibus suis. Traditur etiam caput suum, postquam decollatus est, ipse in quodam fonte lauisse. De sanguine quoque suo signum crucis (quod adhuc manifeste parere dicitur, in quadam petra digito figurasse suo: & proprium manibus caput ferens, sepulcrũ, quod sibi * construxerat, expetisse: ad quod multa miracula referuntur ostensa. Erat olim quidam rusticus ibi manens, cui reuelatio in somnis facta est, vt fontem de quo caput sibi sanctus Dei (ceu diximus) lauerat, tecto cooperiret. Qui postquam bis admonitus facere id distulit, in infirmitatem decidit, in qua integro anno ægrotans decubauit. Posthæc votis, vt iussa compleret, promissis, conualuit, & fontem ligneis tabulis circumdans, operuit: ex quo fonte potantes, à diuersis multi curantur languoribus. Presbyter eiusdem loci, nomine Betto, balneum ex ipsius puteo, quem infra Ecclesiam hic S. Martyr edidisse traditur, sibi parari præcepit: quo postquam ablutus est balneo sic elanguit, vt vsque ad anni terminum ægrotus iacuisse, nec adhuc perfecte postea reualuisse constiterit. Quorum Sanctorum corpora vno dudum sarcophago recondita, tempore Seulfi Archiepiscopi leuantur è terra, humo prius sponte patefacta, & loculo, in quo iacebant, vltro sursum mirabiliter eleuato.

MS. j. Oricula.
Scauc.
MS. j. Condiderat.

F

De successoribus Beati Nicasij.

CAPVT IX.

Post præmemoratam Wandalorum discessionem, B. Nicasio Baruc Episcopali sede traditur successisse, quem Barucius, inde Barnabas subsecuti feruntur: tum Bennadius, cuius tamen Bennagius nomen in testamento suo, propria ipsius manu (velut inibi legitur) perscripto, reperitur caraxatum. Huius enim ipse testamenti auctoritate, rerum suarum hæredem Remensem fecit Ecclesiam cum fratris sui filio, quem in sacro fonte, sub gratiæ sempiternæ traditione, se commemorat suscepisse. Inter cętera vero vas argenteum ab antecessore suo sanctę recordationis Episcopo Barnaba, sibi (vt meminit) testamento collatum, Ecclesiæ suæ delegat hæredi: quod ad ipsius ornamentum (cum illud proprios distrahere potuisset in vsus) se asserit reseruasse. Deputat & solidos viginti ad eiusdem Ecclesiæ reparationem, cum agellis & siluis. Presbyteris ipsius Ecclesiæ solidos octo: Diaconibus solidos quatuor: ad captiuos solidos viginti: Subdiaconibus solidos duos: Lectoribus solidum vnum: Hostiariis & Exorcistis solidum vnum, Sanctimonialibus & viduis in matricula positis solidos tres. Hæredem suam subinferendo alloquens Ecclesiam, vt in se ducat esse collatum, quidquid presbyteris, diaconibus, ac diuersis clericorum scholis, captiuis quoque & pauperibus, pro se fugerio sui fuisset in commemoratione deuotum.

G
Baruc.
MS. Barucius.
Barnabas.
Bennadius.

H

De sancto Remigio.

CAPVT X.

Præfato Bennagio beatissimus succedens Remigius, imbuendis ad fidem præfulgidum surrexit lumen gentibus. Quem diuina pietas (vt Fortunatus quoque poëta noster asserit) non solum priusquam nasceretur, sed & antequam conciperetur, elegit: in tantum, vt Montanus quidam monachus, dum leuissimo sopore quiesceret, tertio * fuisset admonitione pulsatus, vt matri suæ benedictæ Ciliniæ, quod masculum conceptura esset, veridica

Fortunatus initio vitæ S. Remigij.
Or. fecit.

relatione

A relatione prædiceret, & nomen eius vel meritum designaret. Hic itaq; Montanus in reclusione solitariam vitã docens, ieiunijs, vigilijs, & orationibus assidue vacans, cæterarum quoq; virtutum insignibus diuinitati se commendabilem reddens, dum supernam Christi clementiam pro pace sanctæ ipsius Ecclesiæ, quæ varijs apud Galliarum prouincias vexabatur afflictionibus, indefessis precibus exoraret; vbi quadam nocte carnis compellente fragilitate, membra permittit sopori, quiete reparanda, Angelicis subito per diuinam gratiam choris, sanctarumq; sibi videtur animarum cœtibus interesse, celeberrimum quoque haurire colloquium, eosq; de Gallicanę deiectione vel restitutione Ecclesiæ conferentes, & quia iam tempus esset miserendi eius, percensentes, audire. Interea vocem à superioribus atq; secretioribus suauissime intonantem excipit: (Psalm. 101.) Quod Dominus de excelso sancto suo prospexit, de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum vt solueret filios interemptorum, vt annuntietur nomen B eius in gentibus, in conueniendo populos in vnum & Reges, vt seruiant ei. Et quod Cilinia in vtero concipiens, filium pareret, nomine Remigium, cui saluandus foret populus committendus. Vti igitur iste venerabilis tanto percepto solamine, post tertiam diuinæ super his præceptionis admonitionem, visionis æthereæ nunciat oraculũ Ciliniæ. (B. Cilinia mater S. Remigij.) Hæc autem beata genitrix in flore dudum iuuentutis, ex vnico viro suo Æmilio pepererat Principium, Suessorum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & patrem B. Lupi, eiusdem Principij successoris. Miratur beata Cilinia, vtpote iam prouecta, quonam pacto sit anus paritura, vel sobolem lactatura. Et quia iam vir eius, quam ipsa diebus iam multis processerant, effeti & carne infœcundi, nec spes eis vlterius procreandi, nec appetitus inerat pigneris. Beatus vero Montanus, vt meritis accresceret patientiæ, corporalium priuatus oculorum ad tempus exstiterat lumine. Qui dictis vt fidem faceret, oculos sibi lacte ipsius asserit perungendos, moxque lumen amissum, pueri sibi fotu recipiendum. Gauisis ergo de tanta consolatione parentibus, concipitur futurus Christi Pontifex: cuius admiC niculante gratia, fœliciter editus, nomen sacro sumit è fonte Remigius. In cuius lactatione promissum pridem vati gaudium, veraciter adimpletur, dum eius oculis beatę matris illius lacte tactis, lumen olim perditum reparatur. Ortus est autem puer iste, præconijs declaratus antequam natus, in pago Laudunensi, alto parentum sanguine, iam tamen senum, diuque sterilium, resplendens, insigne mirificatus in ortu, qui magnifice disponebatur mirificandus in actu. Nomen illi digne diuina imponitur iussione Remigius, vtpote qui Ecclesiam Dei, specialiter que Remorum, in huius fluctuantis vitæ salo remis erat doctrinæ tecturus, & ad portum salutis æternæ, meritis & orationibus perducturus. Remedium tamen eum fuisse vocatum in veteribus quibusdam reperitur scriptis. Quod & merita vel acta ipsius attendentes, rite crederemus, nisi gestis emendatioribus, oraculo illum diuino, Remigium nuncupari debere cognosceremus. In versibus etiam ab eo cõpositis, & eius præcepto in vase quodam per eundem Deo D dicato sculptis, ita lectum asseritur.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Quod vas vsq; ad moderna tempora perdurauit, donec fusum, Nordmannis dudum in redemptionem datum est Christianorum. Huius beatissimi Remigij nutrix B. Balsamia fuisse traditur, quæ mater extitisse S. Celsini memoratur: (Nutrix eius S. Balsamia, mater S. Celsini.) qui & ipse B. Remigij discipulus fuisse familiaris asseritur, miraculis quoq; postmodum claruisse dinoscitur, & æquorum maxime votis ad huc insignis habetur: In cuius & ipsa beata genitrix eiusdem requiescit Ecclesia. Traditus à parentibus scholæ B. Remigius literis imbuendus, breui coæuis, sed & natu maioribus doctrina eminentior est effectus. Cunctos superans condiscipulos, morum maturitate ac beneuolentiæ caritate, populorum studens turbas vitare, atque solitarius in reclusione Domino deseruire: quod & obtinuit, habitaque, sanctæ conuersationis studijs adolescens pius, inclusione, Lauduni Christo militauit. (Lauduni solitariè viuit.)

E

De ordinatione ipsius ad Episcopatum Remensem.

Caput XI.

At vbi vigesimum secundum ætatis subijt annum, defuncto præfato venerabili Bennadio Archiepiscopo, in hac vrbe Remensi, omnium generaliter votis ad apicem pontificatus non tam electus, quam raptus fuisse dinoscitur. Fit siquidem populi concursus, diuersi quidem sexus, conditionis, dignitatis, & ætatis, vna eademque sententia, hunc vere Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamantis. Sanctissimus igitur adolescens his depressus angustijs, quoniam nec fugæ locus ei vspiam patebat, nec populo, vt ab intentione cœpta desisteret, vllo modo satisfacere poterat, super ætatis infirmæ cœpit conqueri tempore, & quod Ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem, voce publica F prædicare. Sed cum irreuocabiliter populi adclamatet frequentia, & vir Dei magna reniteretur constantia, placuit omnipotenti Deo manifestissimis indicijs propalare, quod ipse de eo iudicium dignabatur habere. Traditur enim cœlestis radij lumen super ipsius sanctum subito descendisse verticem, & cum ipso lumine cœlitus eius infusum capiti vnguinis diuini liquorem, cuius sacri nectaris, eiusdem totum videretur caput infusione delibutum. Omni ergo posthabita dubitatione, Præsulum Remensis vnanimitate prouinciæ, Pontificali consecratur benedictione. Ad quod officium mirifice mox deuotus & aptissimus apparuit exequendum: largus in eleemosynis, sedulus in vigilijs, attentus in orationibus, in humanitate profusus, in caritate perfectus, in doctrina præcipuus, in conuersatione sanctissimus. (C... v... eo d... pno... epifc. p. & pastoris.) Mentis purissimæ sinceritatem, pij vultus præferebat alacritate: clementissimique cordis benignitatem sermonis indicabat tranquillitate. Salutis æternæ munia non minus impletis opere, quam edocens prædicatione. Reuerendus aspectu, venerandus incessu, metuendus seueritate, amplectendus benignitate censuram districtionis permixtione temperabat mansuetudinis. G Minari quidem frontis videbatur austeritas, sed cordis blandiebatur serenitas: vt erga deuotos Petrus appareret in vultu: contra delinquentes Paulus videretur in spiritu: sicque gratiarum diuersitate in vnum conuenienter, illius pietatis, huius erat imitator auctoritatis, neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Et vt ante nos de ipso prædicatum legitur: sic in se diuersas excoluit gratiarum virtutes, vt vix ita pauci tenerent singulas, quomodo ille impleuit vniuersas. (Hincmarus in libr. de vita ipsius.) Semper in sancti operis exercitio, semper in compunctionis affectu, nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi aut de Deo in lectione, atque sermone: aut cum Deo in oratione loqui, sicque attenuato continuatis ieiunijs corpore, de persecutore certabat inimico, iugi triumphare martyrio. Inter hæc tamen omnia intendebat vir beatissimus, vt etiam ab alijs de ipso iamdudum prædicatum legitur: lactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia celsa latere. (Hincmar. ibid. & Fortunatus.) H Præeminebat enim ad admirationem omnium, veluti ciuitas supra montis verticem sita: nec sub modio voluit Dominus hanc occuli lucernam, quam supra candelabri constituerat eminentiam, igne diuinæ tribuens eam caritatis ardere, claraque splendidarum Ecclesiæ suæ virtutum lumina ministrare. (Matth. 5.)

De diuersis ab eo patratis miraculis, & doctrina ipsius.

Caput XII.

Ad cuius sanctitatis innocentiam, non solum rationabilium, sed etiam irrationabilium* consueuerant agrestia corda mãsuescere, adeo vt dũ inter domesticos lectus eum cõtigisset habere conuiuium, & delectaretur in hilaritate carorum, passeres ad eum sine trepidatione (S. Consueuerant.)

descen-

A descenderent, & mensæ reliquias ab eius manu colligerent: discederet alij saturi, accederent alij saturandi. Quod ab eodem nequaquam iactantia propalabatur meritorum: sed id Dominus agi certa disposuerat vtilitate conuiuantium, vt hoc, alijsque frequentissimis per hunc Christi famulum visis miraculis, sese dominicis feruentius studerant mancipare seruitijs.

Hic vir beatissimus, cum ea more, quodam tempora pastorali solertia parochias circumiret, vt si negligenter aliquid in diuinis cultibus ageretur fidelis Christi seruus agnosceret, in vicum Calmiciacum nomine, ipsius accessit studij deuotione. Vbi dum quidam cęcus ab eo misericordiæ postulasset opem, cœpit qua dudum captus cæterat infestatione dæmonis, vexatione torqueri corporis. Tunc Sanctus Remigius in oratione, qua Deo semper sancta intentione vacabat, corporea se deiectione prostrauit, statimque pristinum cæco lumen redhibens, immundi quoque pestem spiritus effugauit; triplici remedio, nimirum

B victu solans egenum, munerans visu cæcatum, restituens libertati captiuum.

Alio quoque tempore, dum pontificali sollicitudine parochiam peragraret, rogatus à quadam sobrina sua, nomine Celsa, Deo sacrata, villam ipsius, vocabulo Celtum, adijt. Ibi dum beatus vir, spiritalibus colloquijs vitæ propinat hospiti de more pocula, minister præfatæ Celsæ, vini sufficientiam dominæ suæ nuntiat non adesse. Re huiuscemodi cognita, S. Remigius hanc hilari consolatur vultu & post blanda verbi solamina, eiusdam sibi domus ostendi præcepit habitacula. Sicq; de industria prius perlustrans cætera, tandem ad cellam peruenit vinariam: quam sibi faciens aperiri, rogitat si forte remanserat in aliquo vasorum quidpiam vini. Et designato sibi vase, in quo tantillum vini, pro saluando scilicet eodem, relictum fuerat, claudi præcepit ostium, in illoque consistere loco cellerarium: ipse vero ad alteram accedens vasis frontem, super idem, quod erat non modicæ quantitatis Christi annotat

C Crucem, flectensq; genua secus parietem, cœlo deuotam dirigit precem. Cœpit interea (mirum dictu) vinum per foramen superius exundare, ac supra pauimentum abundanter effluere. Exclamat hoc viso Cellararius, stupore perculsus. Sed mox à sancto viro repressus, ne id palam faciat, inhibetur. At quia tam clari lumen operis minime valuit abscondi: vbi consobrina sua factum comperit, eandem villam ipsi, & Ecclesiæ ipsius perpetim possidendam tradidit, ac legali iure confirmauit.

Gal. Cernay.

Huic simile ferme miraculum ab eodem domno Remigio in olei fertur liquore patratum. Cum ægrotus quidam familiæ non ignobilis, nec tamen baptizatus, à sancto Remigio se visitari postulasset, & iam velut in vltimo spiritu se credere fateretur, & baptizari deposceret, beatus Pontifex à presbytero loci oleum & chrisma requirens, iamque penitus in ampullis vtrumque defecisse comperiens, ipsas ampullas pene vacuas super altare posuit, ac sese in oratione prostrauit. Surgens autem ab oratione, vascula plena reperit: & sic infirmum oleo diuinitus dato perungens, Ecclesiastico de more baptizauit, & chrismate

D cælitus collato liniuit, redditaque sanitate, tam animæ salute, quam corporis incolumitate donauit.

Humani denique generis hostis, ostendere nequitiam non desistens suæ malignitatis, vrbem Remorum, surgentibus flammarum subito globis, immissione dira succendit: crudelique vastatione, iam partem fere tertiam concrematio peracta consumpserat: & quod residuum erat victrix flamma lambebat. Cuius rei nuncium beatus Antistes accipiens, ad sola sese confert orationis præsidia, & in Beati Nicasij martyris basilica, vbi tunc temporis morandi consuetudinem fecerat, Christi prostratus exposcit suffragia. Surgensque ab oratione, oculus ad cœlum attollit, & exclamans cum gemitu ait: Deus, Deus meus adesto voci meæ. Sicque cursu concito, per gradus, ante ipsam lapidibus stratos Ecclesiam descendens, ciuitatem petijt: in quibus gradnum lapidibus, ac si supra molle lutum depressa, hodieque, ad memoriam diuini miraculi, signata visuntur vestigia. Celerique festinatione depropetans se flammis obiecit, statimque, vt extensa contra

E ignem dextera, signum Crucis cum Inuocatione Christi nominis edidit, totum illud incendium, fracta, & in sese relisa virtute, cedere, atque ante viri Dei præsentiam quasi fugere cœpit. Quod beatus Remigius insequens, & se inter ignem & ea quæ adhuc videbantur intacta, cum signo sanctitatis opponens, hanc omnem flammarum immanitatem ante se fugientem, per patentem portam, fultus diuinæ potentiæ præsidiis, expulit, & eandem portam clausit, vtque nunquam aperiretur ab aliquo, cum interminatione vindictæ in eum qui vetita hæc præsumpsisset, inhibuit. Post aliquot vero annos ciuis quidam, nomine Ferecinctus, secus ipsam portam commanens, maceriem qua eadem porta fuerat obstructa, vt suæ domus hinc eijceret rudera, perforauit. Sed mox vltio tanta ferture ius audaciam consecuta, vt non pecus, nec homo, clade superueniente in eadem remanserit domo.

Quædam puella præclaris ab vrbe Tolosa natalibus orta, maligni spiritus ab infantia tenebatur obsidione captiua. Quam cum tenero genitores amore diligerent, ad

F sepulchrum sancti Petri Apostoli cum magna deuotione duxerunt. In eisdem namque partibus enitebat tunc virtuta venerabilis Benedictus, pluribus effulgens virtutibus. Cuius comperta fama, puellæ parentes hanc ad eundem perducere satagunt, qui multis ieiunijs & orationibus pro ipsius emundatione laborans, cum diri serpentis virus ab ea non valuisset eijcere, hoc tantum responsi, nominis diuini obtestatione, ab antiquo extorquere potuit hoste, quod nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi huius beatissimi Remigij Pontificis orationibus posset expelli. Tunc parentes eius, tam ipsius Beati Benedicti, quam etiam Gothorum Regis Alarici affatibus suffragati, eorumque literis ad Beatum Remigium datis (vt traditur) freti, ad eundem sanctum Antistitem cum deuincta sobole peruenerunt, virtutem deprecantes eius in purgatione prolis agnoscere, quam latronis iam præsciuerant confessione. At beatissimus Remigius, cum diutina reluctatione se non esse dignum assereret, & humilitate solita repugna-

G ret, precibus est populi supplicantis euictus, vt orationem pro ipsa funderet, ac parentum lacrymis condoleret. Meritis itaque sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, vt iniquus prædo per quod ingressus fuerat discedens, Christi famulam relaxaret. Sicque cum nimio vomitu & obscœno fœtore, per os quo fuerat intromissus, abscessit. Sed paulo post recedente Pontifice, dum nimio labore fessa nutaret, vitæ calore priuata, spiritum vitalem amisit. Iteratis ergo precibus, turba supplicantum recurrit ad medicum. Beatus autem Remigius se potius accusat facinus perpetrasse, quam sanitatis remedium indulsisse, homicidijque reum extitisse, non remedium contulisse. Igitur ad Sancti Ioannis Basilicam, vbi corpus iacebat exanime, populi obnixus deprecatione regreditur: ibique cum lachrymis ad pauimenta Sanctorum in oratione prosterni-

Curat dæmoniacã.

mi, & reliquos vt ita facerent adhortatur. Hinc effuso lachrymarum imbre consurgens, suscitauit mortuam, quam prius purgarat obsessam. Quæ protinus, apprehensa manu Pontificis, cum integra incolumitate surrexit, & ad propria feliciter remeauit.

Suscitat mortuam.

H Cuius vero doctrinæ, cuius sanctitatis, atque sapientiæ beatissimus hic pater autore radiauerit, opera testantur ipsius: quia vera proculdubio sapientia esse dinoscitur, quæ operum exhibitione (velut arbor fructibus) approbatur. Testatur gens Francica per eum ad fidem Christi conuersa, & baptismi sanctificatione consecrata. Testantur diuersa prudentissime ab ipso iam facta, quam prædicata. Testantur diuersæ ipsius, personæ, temporis: ex quibus Sidonij Aruernorum Episcopi, viri eruditissimi, & tam genere, quam religione ac sermone clarissimi, epistolam huic beatissimo Pontifici directam inserere placuit.

Sidon. li. 9. epist. 7.

SIDONIVS DOMINO PAPÆ REMIGIO SALVTEM. *Quidam ab Aruernis Belgicam petens (persona mihi cognita est, causa incognita, nec refert) postquam Remos aduenerat, scribam tuum siue bibliopolam, pretio forsfuat officione demeritum, copiosissimo, velis nolis, declamationum tuarum schedio emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus (quippe per-*

ceptu

A

*cepta tot voluminibus) quæcumque detulerat, quanquam mercari parata, quodcunque nec erat iniustum, pro munere ingessit. Cura mihi è vestigio fuit, hisque qui studerent, cum merito lecturiremus, plurima tenere, cuncta transcribere. Omnium assensu pronunciatum, paucos nunc posse similia dictare. Etenim rarus aut nullus est, cui meditaturo par assistat dispositio per causas, positio per literas, compositio per syllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis. Structura vero fortis & firma, coniunctionumque perfacetarum nexa cæsuris insolubilibus. Sed nec hinc minus lubrica & * leuis, ac modulis omnibus rotundata: quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa iuncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus & ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus vngue perlabitur: quippe si nihil cum rimosis obicibus exceptum tenax * factura remoretur. Quid plura? non extat ad præsens viuentium oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac superuadere. Vnde prope suspicar, Domine Papa, propter eloquium exundans atque ineffabile (venia sit dicta) te superbire. Sed licet bono fulgeas, vt conscientia, sic dictionum ordinatissima, nos tamen tibi minime summ refugiendi, qui bene scripta laudamus, etsi laudanda non scribimus. Quocirca desine imposterum nostra declinare iudicia, quæ nihil mordax, nihil quoque minantur increpatorium. Alioquin si distuleris nostram sterilitatem facundiæ fœcundare colloquiis, aucupabimur nundinas inuolantium, & vltro scrinia tua, conniuentibus nebulis ac subornantibus, effractorum manus argutæ populabitur: inchoabisque tunc frustra moueri spoliatum furta, si nunc rogatus non moueris officio.*

* j. leuis.

* orig. j. fractura.

B

De Conuersione Francorum.

Capvt XIII.

C

Cuius autem prudentiæ, quam sancti studij noster hic pater ac pastor almus extiterit, quam fidelis & prudens in eroganda Domini sui pecunia viguerit, Francorum, vt prætulimus, ab idolis ad Deum verum facta per ipsum probat conuersio, qui Gallicas eo tempore transito Rheno deprædabantur prouincias, & Agrippinam iam Coloniam, quasdam quoque alias occupauerant Galliæ ciuitates. At postquam rex ipsorum Clodoueus Siagrium, Romanum quendam principem, qui Galliis tunc præerat, euicit atque peremit, omni pene Galliæ dominari cœpit. Comperta beatissimi gestorum fama Remigij, quod scilicet emineret virtute sanctitatis ac sapientiæ, miraculorum præclarus exhibitione, reuerebatur eum: & licet paganus, diligebat tamen illum. Quo quondam secus vrbem Remorum transitum faciente, à quibusdam militibus eius agminis ablata quædam Remensis Ecclesiæ vasa referuntur. Ea inter vrceus etiam magnus argenteus, & decora pulchritudine comptus, pro quo beatus Remigius legatos ad eum direxisse traditur, vt illum saltem recipere mereretur. Ast vbi ad locum diuisionis prædæ ventum est, rogat Rex milites suos, vt ipsum sibi dare ne renuant vrceū: Pluribus igitur annuentibus, quidā Francus bipenni percutiens vrceum, nihil hinc à rege nisi sorte tollēdum proclamat. Obstupefactis hac temeritate cæteris, Rex iniuriam patienter ad tempus tolerans, apprehensum, plurimis fauentibus, vasculum Ecclesiastico reddidit misso, iram sub corde tectam reseruans. Peracto denique anno cunctum sui exercitus apparatum solito prodire iubet in campum, vt armorum speculetur de more nitorem: quem conuentum, à Marte, Martium vocare consueuerant. Rex ergo instructas circumiens rite phalanges, ad eum qui dudum percusserat vrceum peruenit, spretisque ipsius armis, eius tandem franciscam proiecit in terram, ad quam recipiendam inclinato militi rex in caput suam defigit bipennem, quam pridem in vase perpetrauerat, cum increpitationis acerbitate, rememorans præsumptionem. Quo sic interempto, timor ingens Regis hac super vltione, cæterorum perstringit corda Francorum. At postquam Clodoueus Thoringiam sibi Prouinciam subiugauit, & regnū vel ditionem suam dilatauit, etiam Rothildim, filiam Chilperici, fratris Gundebandi Burgundionum Regis, in

Locis diuisionis fuit ciuitas Suessionum.

D

Id factum an. 10. regni sui.

E

matrimonium sumpsit. Quæ cum esset Christiana & filios ex Rege susceptos baptismate consecrari (marito quoque nolente) fecisset, etiam virum ad Christi fidem perducere conabatur. Sed animum barbari mulier ad credendum flectere non valebat. Interea bellum Francis aduersus Alemannos accidit, & Francis cæde nimia corruentibus, Rex ab Aureliano consiliario suo suadetur, vt credens in Christum, ipsumque regem regum, & cœli ac terræ Deum confitens, inuocet, qui ei victoriam pro velle possit conferre. Quod cum fecisset, Christique suffragium iam deuotus expetisset, fiendumque se Christianum vouisset, si virtutem ipsius in capiendo victoriam experiri meruisset: post huius voti pollicitationem mox in fugam vertuntur Alemanni, Regemque suum competentes interfectum, Clodouei se subdunt ditioni. Quos ille sub iugo constituens tributario, reuertitur victor in sua, gaudium referens magnum reginæ, quod ad inuocationem, scilicet, Christi nominis, victoriam meruerit obtinere. Tunc regina beatum Remigium vocat, deprecans, vt Regi viam salutis ostendat. Quem sanctus sacerdos doctrina vitæ salutaris informans, ad baptismi commonet venire sacramenta. Ille se populum super his exhortaturum fore respondens, affari studet exercitum, vt Deos, qui eis subuenire non poterant, deserentes, ipsius cultum susciperent, qui tam præclaram largitus eis victoriam fuerat. Conclamat multitudo, diuina se præueniente gratia, mortales se Deos relinquere, atque in Christum qui sibi præsidio fuerat, credere. Nunciantur hæc sancto Remigio, qui magno repletus gaudio, Regem populumque, qualiter Diabolo & operibus ac pompis ipsius abrenunciantes, Deum verum credere debeant, instruere satagit: & quia Paschalis solemnitas imminebat, indicit eis ieiunium iuxta morem fidelium.

Ann. 15. regni sui.

F

Die vero passionis Dominicæ, pridie scilicet antequam baptismi gratiam percepturi erant, post hymnos, precesque nocturnas, Præsul regium cubile petijt, vt absoluto curis secularibus rege, liberius ei committere sacri valeret mysteria verbi. Quo reuerenter à cubiculariis admisso, Rex prosiliens obuius alacriter occurrit, & oratoriū beatissimi Apostolorum principis Petri, cubiculo Regis fore contiguum, pariter ingrediuntur. Cumque dispositis sedilibus, Pontifex, Rex, atque Regina consedissent, intromissis quibusdam clericis, sed & aliquibus Regi necessariis ac domesticis, & venerabilis pater Regem monitis imbueret salutaribus, ad corrohorandam saluiferam fidelis serui sui doctrinam, Dominus etiam visibiliter dignatus est ostendere, sese fidelibus suis in nomine suo congregatis, vt promiserat, semper adesse. Repente namque lux tam copiosa totam repleuit Ecclesiam, vt solis videretur euincere claritatem. Mox cum luce vox facta est, inquiens: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Manete in dilectione mea. Post quæ verba lux quæ aduenerat, abcessit, sed ineffabilis odor suauitatis in eadem domo remansit. Vt euidenter valeret agnosci lucis, pacis, atque prædulcedinis illuc auctorem aduenisse. Beatus etiam Præsul ex eodem lumine, non modicum visus est vultus fulgorem traxisse. Rex igitur atq; Regina pedibus almi sacerdotis adstrati, cum magno pauore ipsius requirunt consolationem audire, opere adimplere parati quæ propalarentur ore patroni. Delectabantur etenim verbis quæ audierant, interius illuminati, quam viderāt, luce, licet exteriore territi luminis claritate. Sanctus autem pater supernæ repletus splendore sapientiæ de cœlestis eos instruit visionis consuetudine, quæ aduentu quidem suo corda mortalium terret, sed timorē præcedentem subsequenti cōsolatione demulcet: vt quibus apparuit patribus, primū quidē pauorem incusserit: at postea per pietatis gratiam lætitiæ blandimenta refuderit. Irradiatus quoq; vir beatissimus Remigius, vt exterius, veteris exemplo legislatoris, vultus illustratione, ita, multoque magis, interius, diuini fulgoris illuminatione, spiritu prophetico, quæ ipsis, vel eorum forent euentura prosapiæ, traditur prædixisse. Quomodo videlicet eorum posteritas Regnum nobiliter esset propagatura, Ecclesiam quoque Christi sublimatura, Romanaque dignitate vel regno potitura, & victorias contra impetus aliarum gentium perceptura,

G

Est ecclesia vetus S. Petri.

Matth. 18.

Luc. 24. Ioan. 15.

H

Exod. 34.

A ceptura, si non à bono degenerantes, salutis viam forte relinquerent, & quibus Deus offenditur scelera consectarii, pestiferorum vitiorum laqueos incurrerent, quibus regna subuerti, atque de gente solent in gentem transferri. *Eccles.* A domo deniq; Regis eundi ad baptisterium via præparatur, vela, cortinæque appenduntur, hinc inde plateæ sternuntur, Ecclesia componitur, Baptisterium balsamo, cæterisque odoramentis aspergitur, tantamq; Dominus populo gratiam subministrabat, vt odoribus se Paradisi refoueri gauderet. Sicq; præcedentibus sacrosanctis Euangelijs, & crucibus cum litanijs, hymnis, & canticis spiritalibus. S. Pontifex manum tenens Regis, subsequente Regina cum populo, ab aula pergit ad baptisterium. Et inter eundem Rex rogitasse fertur Episcopum, an id erat Dei, quod sibi promiserat regnum. Non hoc (Præsul inquit) illud est regnum: sed initium viæ qua peruenitur ad ipsum. Vbi vero ad præparatum baptisterij peruentum est locum, clericus chrisma ferens à populo interceptus ad fontem pertingere penitus est impeditus Sanctificato denique fonte, nuto B diuino chrisma defuit. Sanctus autem Pontifex oculis ad cœlum porrectis, tacite traditur orasse cum lachrymis. Et ecce subito columba, ceu nix, aduolat candida, rostro deferens ampullam cœlestis doni chrismate repletam. Cuius odoris mirabili respersi nectare, Inæstimabili qui aderant super omn'a quibus antea delectati fuerant, replentur suauitate. Accepta itaque S. Præsul ampulla, postquam chrismate fontem conspersit, species mox colombe disparuit. Rex autem tantæ gratiæ conspecto miraculo lætus, actutum Diaboli pompis & operibus abnegatis, à reuerendo se petit Pontifice baptizari. Quo vitæ fontem perennis ingresso, beatus profatus Præsul ore facundo. *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Sicque post orthodoxæ confessionem fidei, trina tinctus mersione, diuinæ summæ indiuiduæque Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti sub nomine, suscipitur ab eodem sancto Pontifice; diuoque consecratur inlignitus C vnguine. Baptizantur sorores Regis Albofledis & Laodehildas, simulque de Francorum exercitu virorum tria millia, præter mulierum, paruulorumque nomina. Quo die magnum in cœlis celebratum sanctis gaudium credere possumus angelis, & hominibus lætitiam non modicam in terra deuotis. Exercitus autem pars magna Francorum needum ad fidem Christi conuersa, cum quodam Raganario principe, trans Somnam fluuium, post aliquandiu in infidelitate versata est, donec superna disponente gratia, præfato Rege Ludouico gloriosis potito victoriis, idem Raganarius flagitiorum sectatos ac turpitudinum, vinctus à Francis traditus est, & interemptus, omnisque Francorum populus ad Christi fidem, per B. Remigium conuertitur, ac baptizatur.

De possessionibus quas ei Rex Ludouicus & Franci contulerunt.

Capvt XIV.

D Rex igitur, Francorumque potentes, plurimas B. Remigio possessiones per diuersas contulere prouincias, ex quibus ille, tam Remensem, quam reliquas non- *MS.]. ditauit.* nullas Franciæ * dotauit Ecclesias. Non modicam necnon earumdem partem rerum, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Laudoniclauati, Remensis parochiæ castri, vbi nutritus fuerat, tradidit: ibique Genebaudum, carne nobilem virum, tamque sacris, quam sæcularibus literis eruditum, qui relicta coniuge, S. Remigij (ceu traditur) neptæ religiosam subierat vitam, ordinauit Episcopum, Comitatusque Laudonensis eodem castro subiecit parochiam. Qui Genebaudus de ante acta vita nimium, gradusque sublimitate confidens, ab vxore quam reliquerat, incaute, quasi pro instruenda ea, se crebrius visitari permisit. Sed vt diuina restantur eloquia: *Lapides excauant aqua, & alluuione terra consumitur, & * rupes transfertur de loco suo:* ita quoque huic contigit, vt frequentes mulieris visitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent Episcopi, & quasi rupem de loco sanctitatis ad cœnũ trans-

Iob 14.
** rupes.*
Lapsus Genebaudi Laudun. Episc.

E ferrent luxuriæ. Qui suasione diabolica in libidinis flammas exagitatus erupit, veterique se miscens sodali, filium ex eadem progenuit, quem velut in latrocinio procreatũ, Latronẽ nominari præcepit. Et quia culpa pluribus ignota (ne in suspicionem hinc forte procederet, si a solita se Præsulis visitatione fœmina submoueret) cœpit (vt antea) domum frequentare Pontificis. Sicque factum est, vt hominibus culpa celata, tacitusque tam viri quam mulieris ardor, in corde, libidinis, compunctum prius contra peccatum, ad culpam tandem retraxerit Episcopum. Qui velut oblitus quod planxerat, iterauit crimen quod defleuerat. At vbi exortam de flagitio comperit filiam, nomen eidem mandat imponi Vulpeculam, vtpote fraudibus argutæ matris generatam. Domino denuo, qui B. Petrum re- *Matth. 26.* spexerat, hunc quoque respiciente, compunctus mente *l. vt cat.* Genebaudus, S. Remigium petit non ita Laudunum. Quo cum debita veneratione susceptus, postquam cubilis iniere secretum, magnum prorumpens in eiulatum, stolam deponere nititur reus, sancti se patroni prosternens pedibus. F Quo doloris tanti causam diligenter indagante, lacrymis, singultuque præpediente, vix admissa transgressor narrat ex ordine. Quem vir Dei contritum videns, ac pene desperatum, blande consolari satagit, dolere se protestans, non tam de perpetrato facinore, quam quod ille de Domini videbatur benignitate diffidere, cui constat nihil quod voluerit impossibile: qui nullum ad se reuertentem peccatorem despicit, qui pro peccatoribus etiam sanguinem suum fudit. Diuersis itaque vir benignus & prudens erigere lapsum certat exemplis, quod apud Deum scilicet facile, reatus huius veniam valeret obtinere, si dignos pœnitentiæ fructus Deo studeret offerre. Sic demum dignis exhortationibus indicit animato pœnitentiam, structaq; mansiuncula, fenestellis paruis illuminata, cum oratorio (quæ adhuc secus Ecclesiam S. Iuliani manere feruntur) *Eiusdem pœnitentia* in ea pœnitentem concludit Episcopum. Eius quoque per annos septem gubernans parochiam, vnam Remis Domi- G nicam, Lauduni celebrare consueuerat alteram. Qua sub reclusione, quantæ contritionis ac continentiæ districtione se vir præfatus coarctauerit, quam dignos inibi pœnitentiæ fructus exegerit, diuina postmodum propalauit clementia. Anno siquidem septimo, cum in vigilia Cœnæ Dominicæ pœnitens pernoctaret in oratione, seipsum deflens in hoc, quoniam qui ad id vsque prouectus fuerat, vt Domino pœnitentes reconciliaret, hac die nec inter pœnitentes ipse (criminibus suis exigentibus) in Ecclesia merebatur consistere: Angelus Domini circa mediam noctem magna cum luce venit ad eum, vbi pronus iacebat in oratorio, talique decubantem compellasse fertur alloquio: *Genebaude exauditæ sunt pro te orationes patris tui Remigij. Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum. Surge, & hinc egrediens fac ministerium Episcopalis officij, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis.* Genebaudus autem nimio terrore perculsus, respondere non poterat. Tunc Angelus Domini confortans eum, ne timeat hortatur: immo gaudeat de Domini misericordia sibi collata. H Roboratus tandem respondisse fertur, non se posse hinc egredi, quia domnus & pater suus Remigius ostij clauem secum haberet, quod & sigillo suo signasset. Et Angelus ad eum, *Vt non dubites* (inquit) *à Domino me missum, sicut patet tibi cœlum, sic & ostium istud patebit.* Et statim saluo sigillo ac sera, ostium illud apertum est. Tunc Genebaudus in modum crucis se prosternens in limine, sic traditur asseruisse. Etiamsi Dominus ipse Iesus Christus dignatus fuerit ad me peccatorem venire, non hinc egrediar, nisi venerit ille, qui me in eius nomine sub hac reclusione constituit. Ad quæ responsa mox Angelus abscessit ab eo. Beatus autem Remigius in crypta, quæ subter Ecclesiæ sanctæ Mariæ sedem Remis habetur, in oratione pernoctabat. Quam postea cryptam Præsul Heriueus in honore consecrauit eiusdem beatissimi Remigij, vbi tunc ipse vir sanctus, vigilijs fatigatus, & quasi dormiens, in excessum raptus, videt Angelum sibi assistentem, qui hæc vt acta fuerant ita narrat eidem, iubens, vt quantocius Laudunum petat, atque Genebaudum sedi datæ restituens, ei coram se Pontificali fungi ministerio persuadeat. Illico vir beatus nihil hæsitãs

adit

A

S. Genebaudus sedi suæ restituitur.

adit magna cum celeritate Lauduoum. Quo peruenieus, in ostij limine, saluo sigillo seraque, reseratis, Genebaudum iacentem reperit: quem protensis brachijs cum gaudij lacrymis Domini clementiam collaudans, erexit, eumque sedi & officio sacerdotali reddens, Remos cum gaudio repedauit. Genebaudus autẽ in sanctitate postea cunctos vitæ suæ dies, Dei fretus gratia, peregens, palam quæ sibi Dominus fecerat, prædicabat. Obijt igitur Genebaudus in pace sanctis Dei connumeratus, tamdiu Episcopatu perfunctus, vt ei successerit Latro filius eius, Episcopus & ipse postea sanctus.

S. Latro eidem succedit.

Rex denique Lodovvicus in ciuitate Suessonica sedem suam constituens, delectabatur præsentia & colloquio S. Remigij. Sed quia vir hic sanctus in ciuitatis huius vicinia villas non habebat alias, nisi quandam paruam quę sancto Nicasio data fuerat, Rex (suggerente Regina, locorumq; petentibus incolis, qui multiplicibus erant aggrauati xenijs, vt quod Regi debebant, Ecclesiæ Remensi persoluerent) sancto proposuit Remigio, vt quantum circumiret dum ipse meridie quiesceret, illi totum donaret. Beatus

B

igitur Remigius per fines qui videntur adhuc manifesti, profectus, itineris sui signa dimisit. In qua determinatione quidam possidens molendinum repulit sanctum virum, ne intra ipsos illum concluderet fines. Quem vir Domini leniter affatus ait: Amice, non sit tibi durum, vt habeamus simul hunc molendinum. At ille vt eum reiecit, statim in contrarium rota molendini verti cœpit. Repulsor autem clamare cœpit post sanctum Remigium: Serue Dei, veni, & habeamus pariter molendinum. Cui vir sanctus: Nec mihi, nec tibi. Mox tanta profunditas in eodem loco, tellure se subducente, facta est, vt nunquam deinceps inibi molendinus haberi posset. A quibusdam quoque repulsus, ne syluulam quandam suos intra terminos comprehenderet, dixit, vt nec folium vnquam de ipsa sylua, (licet esset contigua) trans fines ipsos euolaret, neque fustis ex ea versus eosdem terminos caderet. Quod & obseruatum voluntate Dei traditur, donec ipsa sylua perdurasse dinoscitur. Abinde quoque procedens, venit ad villam, nomine Cauniacum, quam finibus suis nitens concludere, prohibetur ab hominibus eiusdem villæ. Tunc ille miti vultu modo reiectus, modo repropinquans, signa quæ parent adhuc per suum dimisit iter. Tandem repulsus dixisse fertur ad illos: *Semper laborate, & egestatem sustinete.* Quod hodieque complens, manentis sententiæ virtus ostendit: Surgens autem Rex à somno meridiano, quæcunque B. Remigius ambitu suæ circumitionis incluserat, eidem præcepto regiæ dedit auctoritatis. Quarum rerum sunt Iuliacus & Codiciacus capita, quæ Remensis adhuc iure quieto possidet Ecclesia.

Chauignon.

C

Luilly & Cocy.

Eulogius deniq; vir quidam præpotens conuictus apud Regem Lodovvicum super Regiæ maiestatis crimine, ad intercessionem B. confugit Remigij. Cui vir sanctus tam vitam, quam rerum obtinuit possessionem. Ipse vero, quasi recompensationis beneficio, benefico patrono Sparnacum villam suam obtulit in proprietatem. Beatus autem Præsul, temporalem pro suæ intercessionis munere vitans retributionem recipere, prædictum virum, quoniam verecundiæ confusione depressus (quia contra natalium decus suorum, vita donari per indulgentiam meruisset) in habitu sæculari manere nolebat, salubriter exhortatus est, dicens: vt si perfectus esse vellet, vendens omnia sua daret pauperibus, & sequeretur Christum. Sicque taxatum, de thesauris Ecclesiasticis, pretium, quinque millia scilicet argenti libras, Eulogio fertur dedisse, ipsamq; villam in Ecclesiæ possessionem comparasse. Bonũ cunctis relinquens exemplum Episcopis, cæterisq; Sacerdotibus, vt dum pro his qui ad Ecclesiæ sinum, vel seruorum Dei præsidia confugium faciunt, intercedũt, aut bona quælibet agunt, hæc pro temporali recompensatione non expleant, nec transitoria velint recipere: sed iuxta mandatum Domini, qui gratis acceperunt, studeant quoque gratis impendere.

Esparnay.

D

Matth. 19.

Mat 10.

E

De victorijs Ludovvici per auxilium S. Remigij, & fine ipsius Regis.

Capvt XV.

an. 501. Sigeb.

Rex itaque Ludovvicus contra Gondebandum & Godegisilum fratrem eius ducens exercitum, percepta benedictione à B. Remigio victoriam sibi prædicente, accepit in mandatis ab eo sibi datis, vt tamdiu contra hostes dimicaret, quamdiu benedictum sibi vinum, quod ei vir Domini dederat, in vsu quotidiano sufficeret. Contra quem Burgundiones cum prædictis ducibus pugnaturi, venerunt super Oscaram fluuium, secus Diuionem castrum. Vbi confligentes atrociter Burgundiones in fugam vertuntur, & in Auinione castro se Gondebaudus concludens, à Ludovvico pacem per Aredium consiliarium suũ, multis datis thesauris, obtinuit. Ludovvicus autem cum exercitu Francorum præda potitus maxima, reuertitur ad propria. Sic etiam constituta Parisius in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilica, & Synodo per sancti patroni sui Remigij consilium, in vrbe Aurelianensi habita, pergens contra Regem Alaricum Arianum, & accipiẽs à B. Remigio benedictionem, redditur de victoriæ perceptione securus. Cui vir quoque sanctus, vt & pridem fecerat, vas, quod vulgo flasconem vocant, vino à se benedicto plenum dedit: hoc idem quod antea mandans, vt eo vsque ad bellum procederet, donec sibi suisque, quibus exinde dare vellet, hoc vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit igitur Rex ex eo, pluresque suorum, vas tamẽ vini non passus detrimentum. Bellum vero cum Gotthis conserens, eos in fugam vertit, & ipse, Beato Remigio se suffragante, victor extitit. In qua pugna dum duo Gotthi contis eum in latera feriunt, huius patroni sui se protegentibus meritis, illum lædere nequiuerunt. Multis autem ciuitatibus suæ ditioni subactis, vsque Tolosam perrexit, & Alarici thesauros accipiens, per Engolismam ciuitatem, (cuius ante conspectum ipsius muri corruerunt) interfectis Gotthis qui erant intus, ad propria cum gloriosa redit victoria, vino flasconis non deficiente, donec reuersus est in sua.

F

Hodie est S. Genouefa.

an. 509. Sigeb.

G

Denique Rex Ludovvicus, exhortante Sancto Remigio, regnum, hoc est coronam cum gemmis pretiosis auream, donum Beato Petro Apostolo misit: & * Codicillos ab Anastasio Imperatore pro consulatu sibi missos, cum corona aurea, tunicaque blattea, sumpsit, & ab inde Consul appellatus esse memoratur. Hormisda quoque Romanæ sedis Pontifex, Sancto Remigio vices suas in regno Ludovvici, litteris suis ad ipsum directis, commisit. Post hæc mortuus Ludovvicus Rex in pace, ac sepultus in Basilica Sancti Petri Apostoli, quam Parisius ædificauerat, eodemque momento quo spiritum emisit, reuelante Spiritu sancto, Beatus Remigius Remis positus, eum obijsse cognouit, & assistentibus sibi manifestauit.

M.S.j Codicellos.

an. 514. Sigeb. Baro. Haræus.

De Synodo vbi conuertit hæreticum.

Capvt XVI.

H

Galliæ quondam Præsules ad Synodum fidei gratia conuenientes, beatum Remigium, vtpote virum diuinis eloquijs eruditissimum, & doctrinis Ecclesiasticis exercitatissimum, ad idem Concilium venire petierunt. Cui conuentui Arianus quidem Episcopus acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus; hincque nimis elatus, intererat. Ingrediente vero Cõcilium Sancto Remigio, & à multitudine fratrum, reuerenter ei cunctis assurgentibus, excepto, superbus hæreticus illi assurgere dedignatus. At mox vt beatus Remigius ante ipsum transijt, ille locutionis officium ore obstructo amisit. Expectãtibus vniuersis, vt post allocutionem Sancti Remigij loqueretur ille, ne vllum quidẽ verbum proferre potuit. Sicque beati viri vestigia pronus tandem petens, nutibus veniam postulauit. Cui Sanctus Remigius: *In nomine* (inquit) *Domini nostri Iesu Christi, veri filij Dei viui, si sic de eo recte sentis, loquere, & de illo sicut Catholica credit Eccle-*

sia,

A *sis, crede & confitere.* Ad cuius vocem hæreticus ante superbus, humilis iam factus atque Catholicus, orthodoxam fidē de diuina & inseparabili Trinitate, ac de incarnatione Christi Catholice confessus, in eadem confessionis suę fide se permansurum repromisit. Sicque animā per infidelitatem perdito, & corporali voce propter superbiam iuste condemnato, virtute diuina venerabilis Pontifex, & animæ reddidit & corporis sanitatem: cunctis qui aderant, vel hęc cogniturι forent, sacerdotibus pariter ostendens, in hoc male sentiente de Christo (qui proximus & frater nobis per humanitatem fieri dignatus est) qualiter contra peccantes in ipsum, vel in Ecclesiam, atque rebelles, & erga post recognoscentes ac pœnitentes debeant agere.

De mitigatione ignis, & obitu eiusdem, vel sepultura ipsius.

CAPVT XVII.

B SEnescente iam S. Remigio, Deiq. spiritu sibi reuelante, quod abundantiam tunc præsentem, fames secutura foret, de frugibus villarum Episcopii nōnullos iussit aceruos fieri fame laboraturæ postmodum profuturos plebi: quorum in villa (quę Celtus vocatur) facti sunt plores. At homines ipsius villæ seditiosi & rebelles erāt: qui die quadam inebriati cœperunt inter se dicere: Quid ille Iubilęus (ita virum sanctum propter ętatis prolixitatem vocitabant) facere vellet ex his quas aggregauerat metis? An ciuitatē de ipsis facere cogitaret: quia sicut torres per muros ciuitatis, ita per circuitū cortis dispositi cernebātur aceruі. Tandem suadēte diabolo se mutuo cohortati, miserunt in eos ignem. Quod cum B. Pręsuli nunciatum fuisset in propinqua villa, quam Basilicæ cortem vocant, tunc forte consistenti, ascenso protinus equo, celeriter ad tantam compescendam pręsumptionem deuenit Celtū. Quo cum peruenisset, ardentesque fruges reperisset, ad ipsum calefacere se cœpit ignem: Semper (inquiēs) est bonus focus, si non super potest. Veruntamen omnes qui hoc egerunt, & qui de ipsorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiāt, & fœminæ gutturis calamitate plectantur. Quod (Bazancourt.)

C ita quoque constat impletum. Vsque ad tempora siquidē Caroli magni, qui huiuscemodi homines de Celto, quoniam Vicedominum Ecclesiæ Remēsis in eadem villa necarunt, exterminauit, cædis auctoribus interfectis, & consentientibus per diuersas prouincias dispersis, atque perpetuo condemnatis exilio: ac de cæteris huius Episcopii villis eandem restaurari fecit. Ita viri fœminæque generationis huius multati permanserunt, vt sancti viri sententia promulgauit. Et apte quidem vir Dei (quoniam posteros eorum rebelles ac seditiosos fore præuidit) huiusmodi vindicta non solum præsumptores, sed etiam genus ipsorum plecti decreuit.

Post hæc igitur, aliaque multarū magnalia virtutum, quę Dominus operari per hunc fidelem suum famulum dignatus est, gemitus illius exaudiens atque suspiria, quibus dicere consueuerat: *Quando veniam & parebo ante faciem Dei? Satiabor dum manifestabitur gloria eius*: illi pia consolatione Dominus obitus sui diem reuelauit imminere. Qua (Psal. 41.) (Psal. 16.)

D reuelatione fretus, rerum suarum condidit testamentum, ad illam pertingere festinans hæreditatē, de qua dicit Propheta: *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini.* Sic ergo sanctus hic vir Dei, terrenam derelinquēs hæreditatem percepit æternam. Condito siquidem testamēto, & suis omnibus rite dispositis, quia verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferētem purgat, vt fructum plus afferat, oculorum corporalium lumine priuatus est aliquandiu, quo superna, mentis oculis, ad quæ toto anhelabat desiderio, cōtemplari valeret attentius. Ipse vero studebat in hac probationis tentatione semper gratias agere, laudibus, hymnisque Deo diebus ac noctibus vacare, fideli mente pertractans: Quoniam qui patienter humiliterque flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Cuius æternæ gloriæ pignus in eo Dominus volens ostendere, priusquam decederet, ei (Psal. 126.) (Ioan. 15.) (S. Remigius fit cæcus.)

E visum restituit. Vnde, sicut & de amissione, nomen Domini benedixit. Et non post longum spatium, sciens adesse sui transitus diem, per Missarum celebrationem, & sacræ communionis participationem, vale faciens, & dans pacē filiis suis, postquam septuaginta quatuor annos in Episcopatu religiosissime fidelis seruus & prudens Domino ministrauerat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, * Idibus Ianuarii, cursu sancti certaminis consumato, fide seruata, cū multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro, vt diu desiderauit, anima cœlos penetrās, terræ corpus reliquit: accipiens stolam cādidam, beatitudinem scilicet animæ sempiternā, percepturus in resurrectione alteram, beatam videlicet ad gloriam resuscitati corporis immortalitatem: possessurus partem societatemque cū pręcipuis Christi membris in regno cœlesti, sicut attestatur Apostolica sibi collata gratia. Gens siquidem Francica per ipsum ad fidem Christi conuersa, martyrii palma, longanimitas patientiæ in longæuitate ipsius vitæ, confessionis gloria, orthodoxæ fidei prædicatio, magnaliumque tam in vita corporis, quam post obitum præclara manifestatio. Cum (Reimpie visum.) (MS. j. ad 9.)

F vero funus ipsius sanctissimum deferretur ad sepulturam Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris in Ecclesia præparatam, ita feretrum in medio vico est aggrauatū, vt nullo modo posset, hominibus quantumlibet annitētibus, amoueri. Stupefactis omnibus, Deique misericordiam postulantibus, vt dignaretur ostendere, quo in loco Sancti sui vellet recondi corpus, designant ad basilicam præfatorum Martyrum, nec feretrum mouere possunt. Proponunt ad Ecclesiam Sancti Nicasii, nec capulum valet attolli. Decernunt ad ædem Sanctorum Sixti & Sinicii, nec sic potest moueri. Tādem coacti, quoniam parua supererat Ecclesia in honore beati Christophori martyris, & nullius propalati corpus seruabatur in ea Sancti, circūiacentibus tamen atriis, Ecclesiæ cœmiterium ferebatur ex antiquo Remensis, petierunt vt Dominus declararet, vtrumnam in eadem Ecclesiola pignus illud sacratissimū reponi decerneret. Ad quæ vota tanta facilitate loculum leuant, vt nullum portantes onus sentirent. Recondita

G sunt autem reuerendissimi Patris huius mēbra in hac Ecclesiola, diuina moderante dispositione, in loco vbi nunc habetur altare beatæ virginis Genouefæ. Vbi vero feretrū constat ipsius aggrauatum, multa feruntur ostensa miracula postmodum. Hic etiam crux extat abinde posita, columnæ monumentis his insignitæ præfixa.

Cum transisset ex hoc mundo ad cælestem patriam.
Præsul magnus Beatus Remigius.
Huc à plebe sancta digne delatus est, corpore
In ecclesia condendus Timothei Martyris.
Tunc hoc loco moram fecit, nec moueri potuit,
Donec quo locandus esset reuelauit Dominus:
Vbi nunc fauente Christo præpollet virtutibus,
Præstans hic Deo deuotis apta beneficia,
Cæcis visum, claudis gressum, & ægris remedium.
Igitur profusis votis exoremus Dominum,
Veniam vt delictorum piis tuis precibus
Mereamur adipisci, & cælorum gaudia.
Sancte Remigi confessor pretiose Domini,
Adaloldi quoque tui miserere famuli.

H *Testamentum ab ipso editum.*

CAPVT XVIII.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS Sancti, Gloria Deo, Amen.

EGo Remigius Episcopus ciuitatis Remorum, sacerdotij compos: testamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei iuris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius Episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto Sancta & venerabilis Ecclesia Catholica vrbis Remorum, &

tu

A

tu fili fratris mei, Lupe Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi: & tu nepos meus Agricola presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritia placuisti, in omni substantia mea, quæ mea sorte obuenit antequam moriar, præter id quod vnicuique donauero, legauero, dederoue iussero, vel vnumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta hæres mea Remensis ecclesia, colonos quos in Portensi habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ Principio Episcopo commutaui, vel donatos habeo, possidebis, Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tennaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Prouinciolum, Nauiatenam, Lautam, Suffroniam colonos, Amorinum quoque seruum, in omnibus quos intestatos reliquero, tuo dominio vindicabis. Necnon villas, agrosque quos possideo in solo Portensi, Fuidomacum scilicet, & * Balatonium, siue Plerinacum, & Vaculiacum, vel quæcunque in eodem solo Portensi qualibet auctoritate possedi, integre cum omnibus campis, pratis, pascuis, siluis, ad te testamenti huius auctoritate reuocabis. Simili modo, sanctissima hæres mea, quæcunque tibi à propinquis & amicis meis in quocunque solo & territorio collata sunt, sicuti disposuero in ptochijs, cœnobijs, martyrijs, Diaconijs, Xenodochijs, omnibusque matriculis sub tua ditione degentibus, ordinationem meam futuri successores mei, ordinis sui memores, sicut ego prædecessorum meorum, ita quoque inconuulse, & absque vlla refragatione seruabunt. Ex quibus Celtum, * quam per manum meam Celsa sobrina mea tibi tradidit, & Huldriciaca villa, quam Huldericus Comes, in loco vbi ossa mea sancti fratres & Coepiscopi diœceseos tuæ ponenda elegerint, in tegumentis deseruiant. Itaque locus ille successoribus meis Remorum Episcopis peculiariter proprium, & alimonijs ibidem Deo militantium, vicus ex proprio, in Portensi, & .... villarus quoque ex Episcopio in Remensi deseruiant. Blandibaccius villam in Portensi, quam à cohæredibus meis Benedicto & Hilario, datis pretijs emi de thesauro Ecclesiæ, & Albiniacum ex Episcopio, in alimonijs Clericorum Remensis Ecclesiæ communiter deputentur. Quibus etiam Berna ex Episcopio, quæ peculiaris prædecessorib. meis esse solebat, cum duab. villis, quas Ludouuicus à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Piscofesheim sua lingua * vocatis, mihi tradidit, siue cum Coslo & Gleni, vel omnibus siluis, pratis, pascuis, quæcunque per diuersos ministros in Vosago infra, circum, & extra; tam vltra quam citra Rhenum pretio dato comparaui, piè annuatim ministret, cunctisque locis regularibus, tam à me, quam ab antecessoribus meis ordinatis, siue in futuro ab Episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum ad vascula vinaria componenda annuatim distribuat. * Crusinacum vero & Faram, siue villas quas sanctissima virgo Christi Genouefa, à Rege Christianissimo Ludouuico pro compēdio itineris sui, cum Remensem Ecclesiam sæpissime visitare soleret, adipisci promeruit, alimonijsque ibidem Deo famulantium deputauit, sicut ab ea ordinatum est, ita cōfirmo, vt Crusciniacum futuri Episcopi successoris mei obsequijs, & sartatectis principalis Ecclesiæ deputetur. Faram vero eidem Episcopo, & sartatectis Ecclesiæ vbi iacuero, perpetualiter seruire iubeo. *Sparnacum villa, quam datis quinque millia libris argenti, ab Eulogio comparaui, tua (sanctissima hæres mea) non extraneorum hæredum meorum esse cernitur, eo quod cum criminis accusationis regiæ maiestatis idem teneretur obnoxius, & se minime purgare posset, non solum ne occideretur, dato iam dicto pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia eius publicaretur, vnà tecum obtinui: & ideo vt præfata Sparnacus perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum, stipendijsque tuis Pontificis deseruiat, liberali sanctione firmaui. Duodeciacum vero, sicut à Clodouualdo nobilissimæ indolis puero confirmatum est, tibi hæres mea perpetualiter famuletur. Villas quas mihi dominus illustrisque memoriæ Ludouuicus Rex, quem de sacro baptismatis fonte suscepi, cum adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidit, locis pauperioribus deputaui: ne forte, cum esset infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari posset, & non potius suæ salutem animæ, quā exteriora ab ipso bona requirere. Quod & admiratus, intercedere me pro quibuscunque necessitatem patientibus & fidelis, & ante fidem, benigne liberaliterque concessit. Et quia ex omnibus Episcopis Galliarum, pro fide & conuocatione Francorum potissimum me laborare cognouit, dedit mihi Deus tantam gratiam in cōspectu eius, virtusque diuina, quæ per Spiritum sanctum me peccatorem plurima signa ad salutem præfatæ gentis Francorum operari fecit, vt non solum ablata omnibus Ecclesijs Regni Francorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuita bonitate, plurimis ditaret Ecclesias. Neque prius de regno eius, quantum passus est pedis, Ecclesiæ Remorum tangere volui, donec, vt hoc omnibus Ecclesijs adimpleret, obtinui. Sed neque post eius baptismum, nisi Codiciacum

m. Balatonium. — *c & Briss. quem Supra cap. 12.* — *Deest dictio.* — *J. vocatis.* — *al. Cruciniacum.* — *m.s. Spernacus & Y. Supra c.14.* — *Supra c.14.*

B

C

D

E

& Iuliacum super quibus iam dictus puer sanctissimus & vnanimis mihi Clodouualdus, & incolæ loci illius multiplicibus xenijs grauati, obnixe deprecantes, quod Regi debebant Ecclesiæ meæ soluendum, me petere compulerunt. Quod idem piissimus Rex & gratanter accipiens, promptissima voluntate largitus est, vsibusque tuis, sanctissima hæres mea, iuxta eiusdem piissimi datoris præceptum, Episcopali auctoritate firmaui. Res etiam quas sæpe dictus Rex, piissimusque Princeps, tibi in Septimania & Aquitania contulit, & eas quas in Prouincia Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarica missam, gratia Sancti Spiritus per impositionem manus meæ peccatricis non solum à diabolica fraudis vinculo, sed ab inferis reuocauit) ad vsum luminis tui, & loci vbi corpus meum iacuerit, continuatim deseruire præcipio, villasque in Austria siue Toringia. Futuro Episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo, stragula columbina duo, vela tria, quæ sunt ad ostia diebus festis triclinij, cellæ, & culinæ. Vas argenteum triginta, & aliud decem & octo librarum, inter te, hæres mea, & diœcesin tuam Ecclesiam Laudunensem, factis patenis atque calicibus ad ministerium sacrū sanctum, prout volui, Deo annuente distribui. Illud quoque vas aureum decem librarum, quod mihi sæpe nominatus dominus, illustrisque memoriæ Ludouuicus rex, quem (vt prædixi) de sacro Baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, vt de eo facerem quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ iubeo thuribulum & imaginatum calicē fabricari, & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribi volo. Quod faciam per me, si habuero spatium vitæ * si autem clausero vltimum diem, tu fili fratris mei Lupe Episcope, speciei ante dictum, tui ordinis memor, efficies. Compresbyteris meis & diaconibus qui sunt Remis, xxv. solidos æqualiter diuidendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio vinitore, quem dono loco Ecclesiastici hominis Albouichi, vt Albouichus libertate plenissima perfruatur. Subdiaconibus solidos duodecim, Lectoribus, Hostiarijs, & iunioribus solidos octo iubeo dari. Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem, duo solidi vnde se refocillent, inferentur, quibus Corcellum villam dudum deseruire præcepi. Alijs pauperibus tribus, vbi fratres quotidie pedes lauare debēt, quibus etiam Balatoforum, quod dicitur Xenodochion, ad hoc ministerium statui, solidus vnus dabitur. Viduis quadraginta in porticu Ecclesiæ alimoniam præstolantibus, quibus de decimis villarum Calmisciaco, Tesiaco, Nouauilla stipendia ministrabantur, superaddo de villa Huldriciaca superius memorata, eis in perpetuum stipendia inferri, & tres solidos, & denarios quatuor dari iubeo. Ecclesiæ S. Victoris ad portam Suessonicam solidos duos. Ecclesiæ Sancti Martini ad portam Collaticiam, solidos duos. Ecclesiæ Sancti Hilarij ad portam Martis solidos duos. Ecclesiæ sanctorum Crispini & Crispiniani ad portam Treuericam, solidos duos. Ecclesiæ S. Petri infra vrbem, quæ Curtis Dominica dicitur, solidos duos. Ecclesiæ quā in honore omnium Martyrum supra Cryptam Remorum ædificaui, cum per auxilium virtutis Dei, ab igne dæmonis pene iam totam vrbem concrematam eripui, solidos duos. Ecclesiæ, quam pro eodem signo virtutis Dei, in honore Sancti Martini & omnium confessorum infra vrbem ædificaui, solidos duos. Diaconiæ infra vrbem, quæ dicitur ad Apostolos, solidos duos. Titulo Sanct. Mauritij in via Cæsaria, solidos duos. Ecclesiæ * Iouiniana tituli beati Agricolæ, vbi ipse vir Christianissimus Iouinus, & Sanctus Martyr Nicasius, cum plurimis societatis suæ Christi Martyribus, requiescunt, vbi etiam quinque Confessores proximi antecessores domini Nicasij, cum sanctissima virgine & Martyre Eutropia, conditi sunt, solidos tres. Eidem quoque Ecclesiæ proprium quod fuerat Iouini in solo Suessonico, cum Ecclesia beati Michaelis, rebus prioribus superaddidi. Ecclesiæ Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris, vbi etiam Domino dante, si fratribus, ac filiis meis Episcopis Diœceseos nostræ visum fuerit, ossa mea ponere disposui, solidos quatuor. Ecclesiæ Sancti Ioannis, vbi virtus Christi, me orante, filiam Benedicti suscitauit, solidos duos. Ecclesiæ Sanct. Sixti, vbi cum tribus successoribus suis requiescit, solidos tres, cui etiam de proprio meo Plebeias supra Matronam adiunxi. Ecclesiæ S. Martini in eodem solo sanctæ Remēsis Ecclesiæ posita, solidos duos. Ecclesiæ S. Christophori, solidos duos. Ecclesiæ Sanct. Germani, quam ipse in solo Remensi ædificaui, solidos duos: Ecclesiæ SS. Martyrum Cosmæ & Damiani in præfata matris solo posita, solidos duos. Matriculæ Sanct. Mariæ, quæ dicitur Xenodochion, vbi duodecim pauperes stipem expectant, solidus dabitur. Quam denique matriculam loco vbicunque fratribus meis & filijs ossa mea ponere placuerit, perseuerare præcipio, & vt * diu

F

G

Briss. Sinante. — *Balatoforum.* — *m. Iouiniana.* — *MS J. dic*

A

noctuque pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur de proprio hereditatis mea iure, rebus quas antecessores mei in eorum stipendijs Domino dederunt, superaddo etiam villam Soladronam, & villam Sancti Stephani, & quidquid in villa Herimundi mihi per successionem euenit. Quod vero pretio ibidem comparaui, Ecclesia Sancti Quintini Martyris iam diu delegaui. De iam dicto Vasculiaco, Frumiuum, Dagaleifum, Dagaredum, Ductionem, Baudouiacum, Vdulfum, Vinofeifam, liberos esse pracipio. Temnaredus qui de ingenua nascitur matre, statu libertatis vtatur. Tu vero fili fratris mei Lupe Episcope, tuo dominio vindicabis Nifastem, & matrem suam Nuciam. Vineam quoque quam Aeneas vinitor colit. Aeneam & Monulfum eius filium iuniorem iubeo libertate perfungi: Mellosicum porcarium & Paschasidem coniugem suam, Vernimianum cum filijs suis, excepto VVidnagasio, cui tribuis libertatem, tuo iuri deputabis. Seruum meum de Cesurnico tuum esse pracipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius Episcopus tenuit, cum filuis, pratis, pascuis, reuocabis. Seruum meum quem Mellouicus in remuit, Viteredum tibi derelinquo. Teneursolum, Capalinum, & vxorem suam Theodorosenam, tuo iuri dominioque transcribo. Theodonima quoque ex mea praceptione sit libera.

B

Edonesam qua hominis tuo sociata fuit, & eius cognationem retinebis. Vxorem Aregildi, & cognationem suam ingenuos esse iubeo. Partem meam de prato quod Laudunis iuxta vos habeo, ad imitatem montium posito, & qua Ienia sunt pratella qua tenuit, ad te reuocabis. Labrinacum tibi, vbi ossa genitricis mea posui, cum prafixis terminis deputaui. Tibi autem nepos meus Agricola Presbyter, qui intra domesticos parietes meos exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumvastem seruum, & vxorem suam Merategnam, & eorum filium, nomine Marcouicum. Eius fratrem Medouicum iubeo esse liberum. Amantinum vxorem suam tibimet derelinquo. Eorum filiam esse pracipio liberam Dasoundam. Alaricum seruum tua deputo portioni, cuius vxorem, quam redemi & manumisi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum & vxorem suam Moriam tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellaricum & vxorem suam Placidiam ad tuum dominium reuocabis, Medaridus eorum filius sit libertus. Vineam quam Mellaricus Lauduni fecit, tibi dono: Brutobaudem seruum meum, necnō etiam Gibericum Vineam quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, vt dieb. festis, & omnib. diebus Dominicis, sacris altarib. mea inde offeratur oblatio, atque annua

C

conuiuia Remensis Presbyteris & Diaconib. prabeantur. Delegoque nepoti meo Pratextato Moderatum, Totticionem, Marcouicum, Innocentium seruum, quem accepi a Profuturo originario meo, cochlearia quatuor de maioribus, acetabulū, lacernam, quam mihi tribunus Friaredus dedit, & argenteam cabutam figuratā. Filiolo illius Parouio, acetabulum, & tria cochlearia, & casulam cuius fimbrias cōmutaui. Remigij cochlearia tria, qua meo sunt nomine titulata, mantile ipsum que habeo feriale, transcribo. buchinatulum quoque, dono illi, de quo Godebodo dixi. Delegoque benedicta filia mea Hilaria Diacona ancillam nomine Nocam, & vitium pedaturam, qua sua iungitur vinea, quam Catusio facit, dono: & partem meā de Talpusciaco transcribo, pro obsequijs qua mihi indesinenter impēdit Aetio nepoti meo partem de Cesurnico, qua mihi sorte diuisionis obuenit, cum omni iure quod tenui atque possedi. Ambrosium quoque puerum ad ius illius, dominiumque trāsmitto. Vitalem colonum liberum esse iubeo, & familiam suam ad nepotem meum Agathimerum pertinere: cui vineam dono quam posui Vindonissa, & meo labore constitui, sub ea conditione, vt à partibus suis, omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione mea sacris altarib. offeratur oblatio: & Laudunensib. presbyteris atque Diaconibus annua conuiuia, concedē-

D

te Domino, prabeantur. Dono Ecclesia Laudunensi ex villis quas mihi sancta recordationis prafatus Rex Ludouicus dedit, duas, Aniziacum, solidosque decem & octo, quos Presbyteri & Diaconi inter se aquali diuisione distribuant. Partem meam de Secio ex integro ad se reuocet Ecclesia Laudunensis, & Lausiciam, quam mihi carissima filia & soror mea, virgoque (vt credo) Christi sanctissima Genouefa, in vsibus pauperum Christi tibi dandā ad integrum delegauit. Cōmendo sanctitati tua, fili fratris mei Lupe Episcope, ex prafatis villis, quos libertos esse pracipio, Catusionem, & Auliatenam coniugem suam, Nonnionem qui meam vineam facit, Sonnouesam, quā captiuam redemi, bonis parentibus natam, & eius filium Leutiberedum, Mellaridum, & Mellatenam, Vasātem, Cocum, Casariam, Dagarasenam, & Baudorosenam Leonis neptem, & Marcoleifum filium Totnonis: hos totos, fili fratris mei Lupe Episcope, sacerdotali auctoritate liberos defensabis. Tibi autem, heredi Ecclesia mea,

E

Flauianum & vxorem suam Sparagildem dono. Eorum filiolam paruulam Flauarasenam, liberam esse constitui. Fedamiam vxorem Melaui, & eorum paruulam Remenses Presbyteri & Diaconi possidebunt. Crispiciolum colonū liberum esse pracipio, & ad nepotem meum Aetium eius familiam pertinere: ad vtrumque, id est ad Aetium & Agatimerum peruenire colonicam Passiacum. Pronepti mea Pratextata dono Modorosenum. Profuturo Leudocharium puerum trado. Profutura dari iubeo Leudoneram. Laudunensibus Subdiaconibus, Lectoribus, Ostiarijs, & Iunioribus quatuor solidos derelinque. Pauperibus in matricula positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque ex dato prafati Principis Saluonarias supra Moram, & decem solidos Ecclesia Suessonica pro commemoratione nominis mei. Nam Sablonarias supra Matrenam heredib. meis deputaui. Catalaunensi Ecclesia ex dato sape dicti filij mei, Gellonos supra Matronam, & solidos decem. Ecclesia Sancti Memmij, Fascinarias ex donis prascripti Principis, & solidos octo. Mosomagensi, solidos quinque. Vongensi, agrum apud officinam molinarum, qua ibi est constituta. Catarigensi Ecclesia, solidos quatuor: totidemque Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Ecclesia Attrabatensi, cui, Domino annuente, Vedastum fratrem

F

meum charissimum Episcopum consecraui, ex dono iam dicti Principis villas duas in alimoniis Clericorū deputaui, Orcos videlicet & Sabucetum: quibus etiam pro memoria nominis mei solidos viginti dari iubeo. Vrsi Archidiaconi familiaribus vsis obsequiis, dono ei domitextilis casulam subtilem, & aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, & tunicam quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Haredes mei, Lupe Episcope, & Agricola Presbyter, porcos meos inter vos aqualiter diuidetis. Friaredus, quem ne occideretur quatuordecim solidis comparaui, duos concessos habeat, duodecim det ad basilica domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. Hac ita do, ita lego, ita testor. Cateri omnes exharedes estote, suntote.

Huic autem testamento meo dolus malus abest, aberitque in quo si qua litura, vel caraxatura fuerit inuenta, facta est me prasente, dum à me relegitur & emendatur. Neque ei duo priora testamenta, primum quidem quod ante xiiij. & alterum quod ante septem condidi annos, obsistere obuiare, aut vllatenus nocere poterunt: eo quod quidquid in ipsis cōtinebatur, in prasentia fratrum meorum hic inserta, & qua deerant adiuncta, insuper & qua Dominus mihi largiri in postmodum dignatus est, superaddita noscuntur. Sed inconuulsum & incontaminatum prasens hoc quod condidi testamētum, à fratrib. meis successoribus, videlicet Remorum Episcopis, * conser-

G

uandum: à regibus quoque Francorum, filijs scilicet meis carissimis, quos per baptismum, Iesu Christi dono & gratia Spiritus Sancti cooperante, Domino consecraui, vbique defensum, atque protectum contra omnia, & tuo munibus, inuiolabilem perpetuamque semper obtineat firmitatem. Et si quis, in ordine clericali, à Presbytero vsque ad tonsum contradicere, aut obuiare ei prasumpserit, & correptus à successore meo satisfacere neglexerit conuocatis ex vicinioribus locis Remorum Diœceseos tribus Episcopis, deponatur à gradu. Si vero (quod nō opto, nec cupio, sed neque spero) successor quilibet meus in hac sede Remorum Episcopus, execrabili cupiditate ductus, res prafatas, sicut à me, auctore Domino meo Iesu Christo, ad illius honorem, & eius pauperum consolationem ordinata sunt, aliorsum distrahere, immutare, commutare, seu quolibet obtentu in vsus laicorū, beneficij gratia dare, aut à quolibet datas, fauere, aut cōsentire prasumpserit, conuocatis totius Diœceseos Remorū Episcopis, Presbyterisque ac Diaconibus, nec non & ex filijs meis carissimis Francis religiosis quam plurimis, reatus sui pœnam, priuatione sui Episcopatus persoluat: & nequaquam vltra recuperationem gradus amissi, in hoc seculo promerebitur. Quicunque vero ex laico habitu à

H

nobis statuta paruipendens, sibique fauens, quo pauperibus Ecclesia attributa sunt, abuti, aut vsurpare quolibet obtentu prasumpserit, pari simul perpetuaque damnatione, alienator, petitor, dator, acceptor, peruasor, anathematis vinculo ab Ecclesia Catholica seiungatur, donec valeant, Deo miserante, cōdigna satisfactionis emēdatione; indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perseuerare cuiuscunque donationis occasione quilibet delegerit, spei ei prasentis ac futura restitutionis à successore meo, Remorū scilicet Episcopo, omnimodis auferatur. Generi tantummodo regio, quod ad honorem sancta Ecclesia, & defensionem pauperum vnacum fratribus meis & Coepiscopis omnibus Germania, Gallia, atque † Neustria, in regia maiestatis culmen perpetuo regnaturum statuens elegi, baptizaui, à fonte sacro suscepi, donoque septiformis spiritus consignaui, & per eiusdem sacri chrismatis vnctionem ordinaui in Regem,

parcens,

MS. 3. conseruatum.

Pœnæ violatoribus huius test. indictæ.

Hæc postea dicta est Nordmannia.

A parcens, statuo, vt si aliquando genus illud regium per benedictionem meam toties Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei peruasor, destructor, depopulator, grauis, aut contrarius existere voluerit, conuocatis Remorum diœcesis Episcopis, primum moneatur: & deinde Ecclesia * Remensi præfata, adiuncta sibi sorore, Ecclesia scilicet Treuirensi, iterum * conueniatur. Tertio vero, Archiepiscopis tantummodo Galliarum tribus aut quatuor conuocatis, Princeps ille, quicunque fuerit, moneatur: ita vt vsque ad septimam monitionem, si primis satisfacere renuerit, paterna pietatis longanimitate differatur. Tandemque, si postpositis omnibus præfatis * benedictionibus, incorrigibilis contumaciæ spiritum non deposuerit, & se per omnia, Deo subdi nolens, benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis a corpore Christi, ab omnibus ei porrigatur, quod per prophetam & regem Dauid longe ante, eodem qui in Episcopis est, dictante Spiritu sancto, noscitur decantatum: *Quia persecutus est (inquit) hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde, & non est recordatus facere misericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Totumque ei quod in persona Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi, & malignorum Episcoporum, Ecclesia decantare solet, per singulas ei decantetur Ecclesias: quia Dominus dixit: *Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis: & quamdiu his non fecistis, nec mihi fecistis.* Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Vnum tantummodo ibi verbum per interpositionem commutetur: *Fiant dies eius pauci, & principatum eius accipiat alter.* Quod vtique si successores mei Remorum scilicet Archiepiscopi, operari, sicut a me ordinatum est, neglexerint, in se quidquid in Principibus resecandum fuerat, maledictionibus depranati reperiant: vt fiant dies eorum pauci, Episcopatum eorum accipiat alter. Si vero Dominus meus Iesus Christus vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo in conspectu diuinæ maiestatis specialiter fundo, audire dignatus fuerit, vt sicut a me accepit, ita in dispositione regni, & ordinatione sanctæ Dei Ecclesiæ perseueret, benedictionibus quas Spiritus sanctus per manum meam peccatricem super caput eius infudit, plurima super caput illustrium per eundem Spiritum sanctum superaddantur: & ex ipso Reges & Imperatores procedant, qui in præsenti & in futuro, iuxta voluntatem Domini, ad augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, virtute eiusdem in iudicio & iustitia confirmati, & corroborati, regnum obtinere atque augere quotidie valeant: & in domo Dauid, hoc est in cœlesti Hierusalem, cum Domino in æternum regnaturi, sublimari mereantur. Amen. Peractum Remis, die & consule supradicto, intercedentibus & medijs signatoribus.

Margin: * J. Remensis. & conueniatur. — * f. monitionibus. — Psalm. 108. — B — Matth. 25. — Psalm. 108. — C

Ego Remigius Episcopus testamentum meum relegi, signaui, subscripsi, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti (Deo adiuuante) compleui. † Vedastus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Genebaudus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Medardus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Lupus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Benedictus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque atque subscripsi. † Eulogius Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Agricola Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Theodonius Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Celsinus Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † V.C. Pappolus interfui, & subscripsi. V.C. Eulodius interfui, & subscripsi. V.C. Eusebius interfui, & subscripsi. V.C. Rusticolus interfui, & signaui. V.C. Eutropius interfui, & signaui. V.C. Dauueus interfui, & signaui.

D

Post conditum testamentum, imo signatum, occurrit sensibus meis, vt basilicæ domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, vt ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

De remedio pestis inguinariæ, & cæteris per ipsum celatis.

E

CAPVT XIX.

POst huius beatissimi patris obitum, cum lues inguinaria, veluti Gregorius Turonensis enarrat, *populum primæ Germaniæ deuastaret, & omnes huius cladis terrerentur auditu, concurrit Remensis populus ad Sancti sepulchrum, congruum huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis, lychnisque accensis non paucis, hymnis, Psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto quid adhuc precatui desit in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, reuelante Deo, qualiter oratione præmissa, maiori adhuc propugnaculo vrbis propugnacula muniretur. Assumptam igitur pallam de beati sepulchro componunt in modum feretri, accensisque super cruces cereis, atque Ceroferarijs, dant voces in canticis: circumeunt vrbem cum vicis, nec prætereunt vllum hospitium, quod non hac circumitione concludant. Nec post multos dies fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata. Veruntamen vsque ad eum locum accedens, quo Beati pignus accesserat, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi non est ausa: sed etiam quæ in principio peruaserat, huius virtutis repulsu reliquit.* Multa denique postmodum ad ipsius sepulchrum sunt diuinitus ostensa miracula, quæ per negligentiam non habentur scripta.

Margin: Greg. Tur. de gloria confess. c. 79. — F

De translatione corporis ipsius, & quibusdam denuo patratis miraculis.

CAPVT XX.

SEpulto igitur in præmemoratis basilica, beatissimi Remigij corpore, cum multa stupendaque in eadem per Domini gratiam fierent miracula, dilatata & exaltata est ipsa Ecclesia, factaque crypta post altare in qua transferretur pignus venerabile. Detegunt humo loculum, quo præparatum deponant in antrum, sed ipsum penitus mouere non possunt. Superueniente vero nocte, multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus euigilantibus, inuenitur transuectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum (non nisi manibus Angelicis) habitaculum deportatus. Tantaque cuncti replentur odoris suauitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectationis amœnitas in eadem, per totam diem illam, sed & in crastina, perseuerauit ecclesia. Hac igitur die translationis eius, scilicet Calendis Octobris, cum diuinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ de capillis eius, & casula, tunicaque ipsius: & integrum, licet exsiccatum, corpus eiusdem rubeo constat brandeo inuolutum.

Margin: Cap. 17. — G

Hic itaque pater reuerendus, & in vita corporis, & post obitum, sicut infirmis sanitatum gratiam contulit, sic & in peruasores vel præsumptores sæpissime vindex apparuit. De quo præfatus Episcopus Gregorius referre studuit, quod ex ipsius hic verbis indere placuit. *Erat enim haud procul à basilica * fundus tellure fecundus (tales incolæ Olcas vocant) & hic datus basilicæ Sancti fuerat: quem vnus è ciuibus peruadit, despiciens hominem qui eum loco sancto contulerat. Qui cum ab Episcopo ac loci Abbate crebro conuentus fuisset, vt quæ iniuste peruaserat redderet: paruipendens verba quæ audierat, pertinaci direpta defensabat intentione. Denique causa exstitit, & non deuotio, vt vrbem adiens, properaret ad sancti basilicam. Arguitur iterum ab Abbate pro campi peruasione. Sed nihil dignum ratione respondet. Expletisque negotijs ascenso equo domum redire disponit. Sed obstitit ei sui cum sacerdotis iniuria. Nam * sauciatus a sanguine, decidit in terram: obligatur lingua quæ locuta fuerat contemptum vobis: claudebantur oculi, qui concupierant: manus contrahuntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens & vix sermonem explicare valens, ait: Deferte me ad basilicam Sancti: & quanquam * sumpto super se reus ad sepulchrum eius prouoluit: peccaui enim auferendo rem eius. Afficiens autem dator campi hunc cum muneribus deferre, ait: Ne accipias quæso, Sancte Dei, munera eius, qui nunquam cupide accipere consueuisti. Ne sis deprecer adiutor eius, qui inflammante concupiscentia rerum tuarum nequam possessor*

Margin: Greg. Tur. vbi supra. — H — * i. S. Remigij. — * m. sauciatus — * j. apud me.

A *sessor extitit. Nec distulit Sanctum audire vocem pauperis sui. Nam homo ille licet dedisset munera, ostendit Sanctus Domini se illa non acceptasse, dum rediens peruasor domum amisit spiritum, & recepit Ecclesia res suas.*

Renes. Temporibus Chilperici Francorum Regis extitisse fertur Moderamnus, Redonensis ecclesiæ Præsul, vir nobili prosapia oriundus: qui per licentiam prædicti Regis limina Sancti Petri adire disponens, diuertit in Monasterium beati Remigij situm in suburbio Remensis vrbis. Vbi liberaliter à fratribus eiusdem loci susceptus, impetrauit à Bernehardo sacrorum custode reliquias de stola, cilicio, atque sudario Sancti Remigij. Quibus gratanter acceptis, iter incœptum lętus agens, dum permeat Italiam, in monte Bardonum quadam nocte metatum habẽs, memoratas in ilicis ramo suspendit reliquias. Cumq; diluculo surgẽs, iter cœptum arriperet, immemor harum (nutu, ceu creditur, diuino) hæc ibidem remansere pignora. Procedente vero aliquanto longius Episcopo, vbi relictarum memor fit reliquiarum, suum statim ad has recipiendas dirigit clericum, nomine Vulfadum. Quo ad has perueniente, nullo

B valet eas ingenio contingere, dum mirabili signo, vt eas attingere vellet, eleuarentur in sublime. Hoc præfatus Episcopus audito miraculo, regrediens, in eodem loco fixit tentorium: Sed relicta pignora eadem nocte minime valuit recipere; donec facto mane, in Monasterio quod vocatur Bercetum, in honore S. Abundij Martyris inibi constructum, Missam celebrans, prædictorum partem munerum deuoueret ibidem se relicturum. Sicque rapta sibi re-

Luidbrandus. cipiens, impleto venerabiliter voto, cœptum repetit iter. Cui obuius factus *Luitbrandus Italorum rex strenuus, qui hanc auditu iam compererat sacrorũ virtutẽ, amore B. Remigij ductus, idem Monasterium, Bercetum scilicet, cum omnib. adiacentijs, omnique Abbatia, mansos *octingen-

c. octo. tos (vt tradunt) continenti, præfato Præsuli Moderamno delegauit, eique in præsentia fidelium suorum, legali de more, vestituram ex ea, & chartam fecit. Remeans autem ab vrbe Roma memoratus Præsul, accessit ad venerandum beati Remigij sepulchrum: atque sicut illi præmissus Rex

C hanc terram tradidit, ita nihilominus ille S. Remigio eandem contulit. Sicque prospere in suum reuersus Episcopium, successorem sibi ordinari fecit, & vale faciens filijs suis, Bercetum monasterium repetiit, & vsq; ad obitus sui diem in loco illo moderate & honeste, vt seruus Dei, conuersatus vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locus miraculis illustratus claruit.

Processu denique temporis Pippinus Rex, Karoli Magni pater, Episcopij Laudunensis villam, quæ dicitur Anisiacus, accipere nisus quasi sub censu, velut alias quasdam fecerat, venit in eam, vbi cum dormiret, apparuit ei S. Remigius, dicens: *Tu quid hic facis? Quare in hanc villam intrasti, quam mihi homo te deuotior dedit, & quam ego Ecclesia Dominæ meæ Dei genitricis donaui?* Et flagellauit eum satis acriter, ita vt liuores in eius postea corpore parerent. At vbi disparauit B. Remigius, surrexit Pippinus, & correptus valida febre, quantocius ab ipsa villa recessit. De qua febre non paruo tẽpore laborauit. Deinceps vero Regni Princeps inibi vsque ad moderna tempora non mansit, vt nec in Codiciaco vel Iuliaco, nisi Ludouicus Rex Germaniæ, qui quando fratris sui Karoli regnum peruasit, in Iuliaco

D mansit, & inde turpiter in crastinum fugiens ante ipsum fratrem suum, vix euasit.

Id pater ex test. ipsius. Partem quoque magnam siluæ in saltu Vosago beatus hic pater, dato cõparauit pretio: villulas etiam quasdam inibi construxisse fertur, quæ Cosla & Gleni vocantur: incolasque de vicina Episcopij villa, nomine Berna, dudum sibi à Francis data, in eas transferens, ibidem manere disposuit, & vt picem religiosis annuatim locis ecclesiæ Remensis administrarent, instituit. Quibus & pensam tribuit, quæ hodie ab ipsorum successoribus accipitur, cum qua suum quoque persoluunt debitum. Huius etiam suæ comparationis fines ita per gyrum determinauit, vt & omnibus videntibus pateat ipsa determinatio, & hactenus ipsi fines ab eo denotari nomine tenus vocitentur & assignentur. In quibus determinationibus ligni cuiusdam concauo, manu sua petram coniecisse traditur: quam quicunq;

E voluerint contrectare, manum in ipsam cauernam valent inferre, lapidem deuoluere, sed ab eadem cõcauitate nullo modo queunt educere. Post aliqua vero tempora quidam beati viri laudibus inuidens, ipsam manu petram de ligno nisus est euellere: quod explere non valens, ipsum securi foramen tẽtauit ampliare. Sed eleuato ferro, vt arborẽ percuteret, arefacta mox iam dextera, quã procaciter extulit, *ipsum quoq; lumen oculorum amisit: & qui famam Sancti Patris huius extinguere voluit, venerationem laudis adauxit inuitus. M.S. ipse

Istius partem siluæ huius almi patroni nostri studiis emptæ, dum quidam fratres custodes regij saltus inuadentes, asserebant quod potius ad fiscum, quam ad ius S. Remigij pertineret. Accidit autem dum quondã cũ incolis Ecclesiæ Remensis ditioni subditis, ob id altercarentur, vt vnus eorum veniẽs ad porcos suos, quos in eandem siluam pastum miserat, lupũ inter eos inueniret: quem ascenso equo celeriter insecutus, cumq; percutere molitus, equo pauefacto caput ad quandã collisit arborem, cerebroq; ipsius in terram defluente, mortuus est. Frater vero ipsius in alteram pergens partem, peruenit ad quandam petram, di- Contigit tempore Ludouici Imperat.

F cens. *Omnibus notum sit, quia vsque ad hanc petram est ista silua Imperatoris*: eoque sic lapidem cum dicto bipenni, quam manu gestabat, percutiente, saxi particulæ in eius oculos ab ipso prosiliunt, & cæcus efficitur. Sicque præsumptionis vterque mercedem recepit, & mendacij sui.

Quidam vir nobilis ex territorio Niuernensi, B. Remigij reliquijs obtentis, oratorium in sua proprietate sub ipsius ædificauit honore: Vbi Dominus nonnulla, propter huius dilecti sui merita propalanda, dignatus est ostẽdere signa. Cum deniq; Ludouico Imperatore defuncto, Aquitanii absq; Principis iugo facti, gentilitiaq; mobilitate permoti, pro vt quisq; poterat, efferre sese, mutuoq; impugnare, ac per cõtignos pagos debacchari cœpissent, pauperes quiq; res suas in ecclesiis reponere studuerunt. Vnde confisi, virtutum quæ inibi fiebant, opinione, sua multi seruanda in eodem certatim recondunt oratorio. Audientes autem prædones hoc opibus oratorium pluribus refertum plurimorum, eas vi diripere nituntur. Quorum quodam

G obserati seram conãte frangere ostij, mox vt ianuam calce percussit, eidem cohærente pede ipsius ostio, resupinus in terram præsumptor cecidit. Quod alij cernentes, aufugiunt. Ipse vero miser, cogẽte cruciatu, cum maximo suo eiulatu cœpit exprimere dolores, & amarissimis promittere cum lacrymis, quod si Deus per merita S. Remigij pedẽ ipsius ab hac compede solueret, vlterius nunquam, vel de illa, vel de qualibet aliquid ecclesia tolleret, aut tolli, quantũ ex ipso esset, vllo modo consentiret. Caballum quoq; suum cum sella, & alia quæ potuit ad eandem donauit ecclesiam. Sicque post confessionem, lacrymas, & votum, pes eius ab ostio, cui adhæserat, est solutus. Veruntamen eo postmodum pede claudus permansit, dum crure, femoreq; computrescente, morte decessit.

Quando tres fratres Lotharius, Ludouicus, & Karolus regnum sibi Francorum post patris obitum diuisere, villas Episcopij Remensis, quod tenebat Fulco Presbyter, Karolus suis distribuit militibus. Ex quib. villam Iuliacum cui-

H dam Ricuino dedit. Cuius vxor nomine *Berta, dum in ipsius villæ cubiculo iaceret, venit ad eam S. Remigius in somnis dicens: *Non est iste locus tuus ad iacendum. Alterius meriti & officij debet esse, qui hanc villam habere, & in hoc cubiculo debet iacere. Surge quantocius, & hinc abscede.* Quod illa paruipẽdit, putans inane se visum videre. Iterum quoque apparuit ei sanctus Domini, dicẽs: *Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vide ne te hic amplius inueniam.* Quod ipsa ceu prius, etiam nunc pro nihilo duxit. Tertio venit ad eandem beatissimus Præsul, & dixit: *Nonne iam semel & secundo tibi misi, vt hinc abscederes? Sed quia pergere contempsisti, aliorum deportatione discedes.* Et percussit illam virga quam tenebat in manu, quæ mox in maximũ toto corpore conuersa tumorẽ, viro suo quod viderat, aliisq; nõnullis dixit, & per aliquot dies seuerissime cruciata, vitã finiuit. Cuius corp⁹ vir eius in Eccles. S. Remigij deportari, & ibidẽ sepeliri fecit. Quod aũt fun⁹ ipsius in Ecclesia sua pater hic alm⁹ receperit, nõ adeo mirabitur, si quis digne perpenderit, qua Sancti vindictas in ei Berta.

de-

A delinquentes exercere soleant intentione: videlicet, vt si pœnituerint, hic recipiant quod merentur, ne post æternis supplicijs addicantur, vt in Regum libro de Propheta legitur, qui cum Domino inobediens extitit, & à leone percussus interijt: atque post vltionem perceptam corpus ipsius intactum à fera remansit. (2.Reg.13.) Quod vero præmissam mulierem ter admonere curauerit, nec eam primo vel secundo visitans, percutere voluit (quam tamen vltione plectendam vtpote Deo coniunctus, non ignorauit) quid aliud quam patientiæ nobis exempla proposuit? ne scilicet ad proferendam in quemq; scientiam faciles simus, qui Deo per diuersa disiungimur, cum & cum patienter expectare probemus, quem Deo cohærere, atque cum ipso iudicare confidimus.

Moderno tempore colonus quidam villæ Remensis Episcopi, quæ plumbea Fontana dicitur, manens iuxta regij villam fisci, quam Rosetum vocant, neque messem, neque pratum, cæterumve peculium, propter fiscalinorum infestationem, habere quiete valebat, Vnde sæpe iustitiam apud ministeriales regios sibi fieri petijt, nec obtinere potuit. B Inuenit autem tandem sibi salubre consilium. Nam coxit panes & carnes, & accepta cereuisia prout visum fuit, in vasculis, hæc omnia vehiculo, quod vulgo benna dicitur, imposuit, & iunctis bobus ad basilicam Sancti Remigij, candelam manu ferens properauit. Quo perueniens, cibarijs quæ detulit matricularios pauit, ad sepulchrum Sancti candelam posuit, & eius auxilium contra suos oppressuros expetijt. Puluerem quoque de pauimento Ecclesiæ colligens, panno colligauit, & in prædicta benna ponens, linteum desuper (vt supra corpus mortui solet fieri) composuit, & ad propria remeare cœpit. Si qui vero de obuiantibus eum interrogabant, quid in illo carro duceret, respondebat se S. Remigium ducere. Mirabantur autem omnes in dictis & factis illius, amentem hunc esse ferentes. In pratum vero suum perueniens, pastores ibi de Roseto diuersi generis animalia pascentes inuenit. Ast vbi S. Remigium ferre sibi suffragia postulans, inuocauit, cœpere boues, hirci, capræque inuicem se cornibus impetere, C porci cum porcis confligere, veruices cum veruecib. se collidere, pastores se fustibus & pugnis mutuo percutere. Maximoque surgente turbine pastores eiulantes, animalia quæque iuxta genus suum magno sonitu perstrependo, ita cœperunt Rosetum versus fugere, ac si multitudo persequentium flagris videretur insistere. Quod cernentes fiscalini, terrore perculsi, mortis imminere sibi pericula verin, tandemque correpti, cessarunt, ab afflictione pauperis S. Remigij. Sed quia secus amnem Saram loco lutoso (Serre.) manebat, & in suis habitaculis à serpentibus molestiam magnam sustinebat, accipiens puluerem quem secum ab Ecclesiæ pauimento collectum detulerat, per habitacula sua respersit: ac postea serpens in eisdem locis nõ apparuit. Compertum quoque traditur, quod in omnibus Ecclesiæ beati Remigij circumiacentibus atrijs, vel cœmiterijs coluber nunquam soleat inueniri: sed & si delatus huc aliquomodo fuerit, nullatenus hic viuere possit.

Tempore domni Hincmari Præsulis, quidam Bligarius Ecclesiæ mansum in villa Tenoilo, apud ipsius Ecclesiæ custodem impetrauit pretio, vnde famulos Sancti D Remigij eiecit cum flagellis, conclamantibus eis S. Remigiũ sibi ferre subsidium. Quibus idem Bligarius cum irrisione dixit: *Modo parebit qualiter vos Sanctus Remigius adiuuabit. Videte quis in adiutorium vestrum venit.* Moxq; inter hæc verba, maximo clamore ingemiscens, mirabili turgore distentus intumuit, & expirans crepuit medius. Qua vindicta commonemur vltionem diuinam pertimescere, crudeliter Ecclesiasticam non tractare familiam, & in Deum ac Sanctos eius summopere cauere blasphemiam.

Nostris olim diebus quidam Warnerius pagi Vormacensis Comes, res Sancti Remigii præmissas, in Vosago sitas, inuadens, hominibus suis distribuerat. Veniens autem B. Remigius ad Herigarium Moguntiæ Præsulem, in somnis ei visus est, præcipiens, vt iret ad Conradum Regem, commonens eum, iubere sibi subiectis, quatenus dimitterent terram suæ ditionis. Qui consurgens à somno, licet miratus de visione, Regi tñ omisit indicare. Rursus postaliquot dies apparens ei S. Remigius redarguit eum, quare E mandata non adimplesset illius, admonens iterum ne differat, quin Regi iussa denuntiet. Item, ceu prius, ille visum reputans inane, neglexit perficere iussionem. Tertio hunc iam cum flagello sanctus adiens, ipsius increpauit contumaciam, quemq; per brachium comprehendens, lecto visus est extraxisse. Sicq; flagello, quod tenebat, eum verberans, acriter cæsum dimisit, & humiliatum. Non amplius enim iam renuare iussa præsumens, Regẽ mox adit, secretum petit, vestem deponit, liuidum corpus ostendit, & dicta vel acta fideliter ex ordine pandit. Accidit autem, vt eadem die legatus domni Præsulis nostri Heriuei, nomine Tendomus, ab eodem seniore suo pro ipsis rebus repetendis ad Regem cum muneribus deueniret, atque horam qua Regi præsentari posset extra stans, expectaret. Cumque rem gestam rex admiratus, requiri præcepisset, si quis illic inter suos forte nostris è partibus inueniretur, ille pro hac eadem re foris sustinens reperitur adesse, Regi nunciatur, eo iubente coram deducitur, & ei res quæ propalata fuerat aperitur. F Ille gratias agens, pro rebus ipsis se missum retegit, res, rege reddente, recipit, & eodem fauente præfato Pontifici Herigario tutandas ad fidelitatem S. Remigij committit. Posteaq; domnus Præsul Heriueus dum aduixit, ex iisdem rebus annuatim debitum sine contradictione censum recepit.

Easdem res domnus Artaldus Episcopus dudum Conrado duci commiserat: quas ille Ragenbaldo cuidam suorum delegauerat. Qui Ragenbaldus earundem rerum colonos valde affligebat. Ipsi vero pro afflictione sua sæpe ad sanctum Remigium clamabãt, Remis venientes, & ipsius patroni sui patrocinia requirentes. Pro qua re nuper anno præterito, cum Rege Ottone & præfato Duce locuti sumus, quando Aquis ad eũdem Regem missi fuimus. Sed vt idem Rageubaldus ab ipsarum rerum direptione desisteret impetrare nequiuimus. Vnde contigit †horno, vt dum (†hoc an.) quodam sabbato eosdem colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque Presbytero, ne signa vespertinalia vsque prope noctem pulsaret, G operique implendo insisteret; percuteretur percussore inuiso. Qui dum requireret quis eum percussisset, omnesq; se vidisse negarent, furiis exagitatus, sensum amisit, grauiterque vexatus, spiritum exhalauit. Quo comperto dux Conradus nimium territus ad Sanctum Remigium venit, eique res ipsas reddidit, quas præmissus Præsul Artaldus Hincmaro Abbati, ac cæteris monachis ad supplementum victus attribuit.

In Vulfiniaco Riuo, pago Lauduonensi, habetur Oratorium in honore S. Remigii dedicatum. In quo dum Rodulfus Rex Heribertum Comitem persequeretur, qui Episcopatum Remensem à Rege sibi commendatum tenebat, homines ipsius villæ res suas propter hostiles incursus recondere studuerunt. At dum Rex præfatus ad obsidendam Remensem venisset vrbem, & in Culmissiaco metatus esset, exercitus eius vicinas occupauit villas. Quidam vero illorum, qui in prænotata villa, scilicet Vulfiniaco Riuo, metatum habebant, vinum quod in Ecclesia H timoris causa reconditum fuerat, inuadit: & quasi tabernam constituens in eadem Ecclesia, paribus suis illud vendere cœpit. Hæc dum ageret, percussus morbo, repente sensum amisit, ore sibi ad aurem vsque pene tetorto: diuque cruciatus tormento, vitam finiuit. Quod cernentes cæteri, eidem loco sacro debitam deinceps exhibentes reuerentiam, ab huiusmodi se se cohibuere præsumptione.

De altera vel iterata translatione, seu relatione corporis eius ad vrbem.

Cap. XXI.

HVius beatissimi patris nostri venerabile pignus, dõnus Hincmarus Archiepiscopus, adhuc ampliata (an. 852. Cal.Octobris.) ipsius Ecclesia, cryptaq; opera maiore atq; pulchriore p̃parata, præsentibus & annitentibus Episcopis diœceseos huius Remensis, transtulit: integrumque illud cũ brãdeo, quo prius repertum fuerat inuolutum, in argẽteo locello

A transposuit. Sudarium vero quod super caput ipsius erat, cum parte prædicti brandei, scriniolo reconditum eburneo, Remis abinde reseruatur, in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ. Denique cum corpus ipsius sacratissimum de lapideo sarcophago in præmisso transponitur loculo, Rado quidam Suessonicæ tunc Ecclesiæ Subdiaconus, qui cum Episcopo suo Rothado illuc aduenerat, adeo dolore dentium per integrum vexatus annum, vt, doloris nimietate perditurus metueretur sensum, maxillam peste grauatam loco vbi sanctum pignus iacuerat, apposuit: & mox ab hac liber redditus ægritudine, dolorem deinceps huiuscemodi meruit non sentire. Hac eadem die duo quidam homines morbo contracti apud pagum Ribuarium, in oratorio quodam memoriæ huius beati nostri patroni dedicato sanitatem nunciantur recepisse. In ipsius autem qua corpore quiescit, basilica, continua fieri non omittuntur insignia, dum aduenientes ægroti sanantur, periuri dæmone peruaduntur, energumeni liberantur, illuminantur cæci, eriguntur claudi: vt in cælis gloriose cum Christo viuere demonstretur, qui tot miraculorum signis, vbi corpus exanime seruatur, in terra viuere comprobatur. In loculo vero vbi tunc depositum corpus eius est, hi versus à domno Hincmaro editi, leguntur insculpti.

(In margin: Breuieres in Lannois.)

B

Hic famulus Hincmar Domini sacra membra locauit,
Dulcis Remigij, ductus amore pio.
Qui prius est sanctus, mundo quam matre creatus,
Et magnus dictus ... ore Dei.
Bis denos, binosq; gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus,
Sexaginta simul bis septem manserat annis
Istius vrbis honor, Præsul, & orbis amor.
Vitam defunctis, reddens quoq; lumina cæcis:
Egerat & viuens plurima mira satis.
Nam domuit fera corda ... pius, ore profusus,
Sicambra gentis regia sceptra sacrans.
Nonaginta quidem sex cum compleuerat annos,
Splendida lux nostras deseruit tenebras.

C

Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet,
Emeritus miles præmia digna capit.
Isdem Hincmarus primus hac sede Sacerdos
Post triginta, loco constitit & numero:
Qui sextus decimus sub hac radiante lucerna
Remigio, Remis munia cara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
Pastoris curam, hæc recolenda patrans.
Octingentesimo quinquagesimoq; secundo
Quo Deus est anno virgine natus homo:
Tertius & Karolus regni componeret actus,
Octimber primam cum daret atque diem,
Ac ter centenus octauus tangeret annus
Hic instus Dominus quo petit astra poli.
Ter centum fuerant, tres & decem quater anni,
Quo vita Francos gurgite lauit ouans.
Ipsius precibus cælesti in sede locetur,
Quem terris coluit verus amator. Amen.

D

Accidit autem postea, peccatorum meritis exigentibus, vt Dominicæ incarnationis anno D. CCC. LXXXII. sub Rege Karlomanno, prædicto domno Hincmaro Archiepiscopo satagente, transferretur venerabile pignus corporis huius sacratissimi patris & domni nostri Remigij (propter infestationem paganorum) ad villam ipsius iam supra taxatam, nomine Sparnacum: quia ciuitas Remorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. Cuius obtentu totius tunc pagi ad quem delatum munus hoc habetur amantissimum, prouisa probatur salus à peruasione Barbarorum, vel incursu prædonum. Post Hincmari denique Pontificis obitum, desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum, ad Orbacense perducitur monasterium. Hic quoque beatissimi huius patroni nostri suffragijs omnis commoditas aëris circumquaque degentibus attribuitur incolis; cum insolita fertilitate telluris.

(In margin: Obiit dicto an. 882 vt est in fine lib. 3.)

Post decessum vero sæpedicti Præsulis Hincmari, cum Pontificatus subisset honorem Fulco, sui primo præsulatus anno referre decreuit alma beatissimi huius nostri patris ossa. Quod vbi aggreditur, perueniente iam eo, cum

(In margin: anno 883.)

E

coepiscopis & cleri plurimis ad locum vbi pignus seruabatur pretiosum, cum esset magna cæli serenitas, sed feruens admodum siccitas, subito se tantus effudit imber, vt totius huius superficiem terræ videretur vbertim irrigasse. In crastinum vero dum sacra referre promouent munera, cuncta clara, cuncta iocunda, cuncta mundanæ speciei reddunt amœna: prosperoque progressu confluentibus vndique populis, ad vicum deueniunt Calmiciacum, in quo nonnulla pater hic almus adhuc carne septus, virtutum dinoscitur exhibuisse magnalia. Hic membra veneranda in ecclesia deponentes eius nomine dedicata, noctu quiete fessa leuant corpora. Post requiei subsidium, iam terras solis illustrante iubare, voces vndique Deum benedicentium concrepant, atque laudantium, quod eis pastorem, patronum, ac protectorem redderet corporaliter proprium, quem semper apud diuinam clementiam intercessorem, & assiduum se habere confidant aduocatum. Præfatus interea Præsul, cælestium sacramentis mysteriorum rite celebratis, imminentis iuga cum laudibus scandit montis,

F

comitantibus vndique secus populorum stipatus cateruis. Hic vbi pro populi delictis, & iræ mitigatione cælestis ad Dominum fudisset orationem, paululumq; processissent, adhuc clarificare Christus, mirificare, atque glorificare disponens hunc beatissimum Patrem nostrum in terris, quem magnificare cum Angelis elegerat in cælis, quanti sit apud se meriti concurrenti propalare decernit multitudini.

De remedijs subinde pluribus impensis.

Caput XXII.

Accedit itaque mulier cæca, nomine Doda, manu sibi gressus regentis innixa, quæ mox vt cominus appropiat, visum sibi restitui coram omnibus impetrat. Quod Præsul audiens, hymnum laudis Dei cum populo, magno repletus concelebrat gaudio. Necdum finierant odas exultatione cælum replentes, & ecce frustratus quidam multis gressu diebus cum integra procedit incolumitate lætabundus.

G

Transiere cum laudibus inde paulisper: & mulier quædam manuum potita sanitate succedit. Duplicant ergo, triplicantq; comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quique mirabilium magnitudine, tantisper à tantæ deliberant secedere sanctitatis sublimitate. Nec vox reciproca laudantium defecerat ab ore, dum quidam puer, Grimoldus nomine, diu lumine priuatus, os quoque miserabiliter à rectitudinis loco distortus, ignisaque deformitate turpatus à parentibus obuiam delatus, pristinum quem dudum amiserat, est visum consequutus, & in propriam sanctissimi patris huius opitulatione mirabiliter est effigiem restitutus. Interiecto velut vnius horæ spatio, puer alius à contractione corporis eiusdem patroni suffragijs feliciter est erectus. Cohors igitur deuota, melodiis Dauidica nequaquam sufficiens reboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudum voces, eliciente gaudio lacrymis ora rigare profusis, & suspiria, singultusque formare pro canticis. Concurrentium quoque omnia stipante plebium, sacri muneris gerulum deosculari cupientium loculum, importunitate valida vehementiam cœpit figere gressum. Mirorum siquidem quæ gerebantur, percrebrescebat opinio; certatimque tam sani, quam diuersis calamitatibus attriti, properare studebant, cupientes intueri magnalia quæ Dominus omnipotens, in Sancti sui clarificatione, multiplicare proposuerat. Pro magno namque sibi damno quisque reputabat, immo delictum deputabat, non modo, si non procederet, verum si postremus accederet. Appropinquantes autem ciues obuiam, dum grata deferri cernunt munera, terræ se prosternentes, soli deosculantur terga: suspicientesque, vbi contemplantur loculum, pretiosæ diuini diadematis gemmæ baiulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt: obsecrantes ne amplius eiusdem patris afflicti censeantur absentia, quin perpetua mereantur gratulari præsentia. Paret interea beatissimus filiorum deuotioni præclarus fauens nutibus

H

A bus, addit adhuc diuinis plebem suam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dum Clerus cũ sacerdotibus, psalmis, hymnis, & canticis intonant spiritalibus, populus etiam iubilationis immensæ reboat vocibus, vt mirabilem Deum in Sanctis suis, iucundioribus adhuc præconarentur animis, pristinam multitudo languentium sospitatem manifeste conspicitur recuperare, leuatis plurib. varia peste corporibus: adeoque per singula pœna momenta, cœlestia pandebantur miracula, vt ad hæc locorum vel temporum vix enumeranda censeri valerent interstitia.

Tunc igitur Osanna quędam mulier, cum admiratione gaudentium, celeri meruit prosperitate recipere visum. Et post pusillum claudus quidam felici munere consequitur gressum. Deodata quædam patefactis aurium ianuis, adipiscitur auditum. Quidam, nomine Teuto, desiderabilis potitur illuminationis dono. Item quędam mulier eodem gauisa lætatur beneficio. Similiter Ausoldus quoq; lumine, quod nimio flagrabat assequi desiderio, fido ceu credidit animo, patris huius piissimo perfruitur suffragio. (Ausol.)

B Quidam Gerbertus, paralysis est à dissolutione sanatus. Quidam quoque alius eiusdem muneris exultat hic largitate perfunctus.

Cumque certatim quique, studio piæ deuotionis obuiam studerent occurrere, ac non modo benigni cordis intentionem, quin etiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuique facultas suppetebat, afferrent: mulier quædam paupercula, de ciuitate properans in occursum, manu cereum ferebat, qui accensus nunquam fuerat. Mirabile dictu, subito cælitus nutu diuino cereus in manu gerentis est illuminatus: ipsumq; dum per totam defert illa viam, Dei confidendo miraculum, nequaquam superni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignora patris in stationis propriæ perferrentur domũ, hîcq; à Pontifice solẽnia celebrarentur missarũ. Tunc femina cereum lumine flagrantem mirabili, basilicę tradit custodi: qui ob supernæ gratiæ quod contigerat gaudium, luminaria quęcunque per ecclesiam videbantur ardere, mandat extingui, lumineque diuinitus hoc dato rursus accendi: huius vero partem cerei cœlo dati miraculi decernit in testimonium reseruari.

(Ms. Totgardis.) Rotgardis quędam femina de pago Castricio, gaudiendi carens officio, pristinę gaudet cum incolumitatis dono:

C vt quæ plaustro deuehente fuerat adducta, proprijs postmodum pedibus remeare valeret ad sua. Præterea mulier quædam secum paruulam sex annorum fere defert filiam, nomine Vulfhildem: quæ dum quadam die cum coæuis luderet, ab aliqua transeunte forte muliere percussa fuerat in capite. Quo ictu læsa, ita vt eius retro reflexum inhærente ceruici videretur occipitium, nec in aliam caput reclinare partem valeret: cibi vero nullam, nisi liquidam sumere posset sustentationẽ, q integrũ sub tali ferme labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligẽs tenero, deque salutis ipsius sollicita recuperatione, studuit obuiam deducere. Dumq; cominus ob densitatem multitudinis non valet accedere, procurrat aliquantulum vulgus antecedere. Mox in via per quam iter erat agendum, sese prosternens, simul cum sobole, fulta valida fide, preces ad Dominum deuota dirigit mente. Necdum ab oratione cessarat, & ecce ipsius cœpit vociferari filia. Quam genitrix, vt maternis consoletur blanditijs, surgens, intuita, caput eius ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeasse. Tunc nimia hilaritate repleta, sed & de prolis sanitate confisa, perlustrans vulneris locum, cernit sanguine madidum, neruosque diu contractos, ac si funes extendi, productos. Sic accepta misericordiæ q quæsierat benedictione, domũ læta cũ gratiarũ reuertitur actione.

D

Hac igitur dignitate clarificationis, & rerum gestarum admiratione cohors stipata, votoque gratulationis, arreptum toto feruoris iter annisu, cum canticis hymnisq; percurrere satagebat. Præcesserat equidem Præsul, sed reuersus cleri comitatibus choris, pretiosissimum proprijs thesaurum sumit humeris: & sic ad ipsius propriam beatissimi domum patris, cum magna perfert gloria iubilationis. Ast vbi peruenitur in Ecclesiam, q competere visa sunt rite dispositis, inchoata iam victimę spiritalis immolatione,

E mulier quædam de pago Trecasino membrorum omniũ agitatione mulctata, veniens coram altari ruit in pauimẽto: ibique miserabiliter diu vexata, huius piissimi consolatoris miseratione surgit incolumis effecta. Quæ super enẽrata tantæ consulta calamitatis, necem se propriæ confitetur perpetrasse matris. Missarum denique solemnibus ex more peractis, sua quique repetunt, reuersuri maturè in crastinum, ad hoc tutelæ suæ præsidium in ciuitatem perferendum. Mane iam facto, dum ad condictũ studiose cõtenditur, Erlindis quædam mulier, haud procul ab vrbe degens, ad tantæ processionis spectaculũ disponebat exire: quatenus optatæ sospitatis vti mereretur munere. Quæ quia iam per quinquennium languore pressa, partem corporis dextram præmortuam, peneque gestabat inutilem, nisu quo poterat accedere, & ad viscẽdum sacri huius muneris loculum, sese molitur promouere. Cumque tali conamine iam fere medium peragrasset itineris huius spatium, non valẽs vltra procedere, graui corruit cõfecta labore. Meditatur domum redire, sed nequit hoc vllatenus

F adimplere. Quæ postquam hac aliquamdiu nutans iacuit hæsitatione, demum resumpto moliminis ausu, tentat an valeat adhuc aliquantulum propinquare. Mox q; diuina miserante clemẽtia, vigor ægris additur nisibus: viribusq; cũ salubritate receptis, libera festinans celeritate, nimisq; tripudians hilaritate, quo decreuerat ægrota se trahere, agili cœpit incessu gaudens approperare. Infirmitatis etiam suæ solamen manu ferens baculum, iter peragit destinatũ, non vt eius amplius egeret auxilio, sed vt in huius datæ sibi sanitatis ostenderet testimonium. Perueniensq; quo desiderauerat, laudabunda deuotas interuentori suo rependit gratias: hîcq; perlatum dimittẽs bacillum, priscæ calamitatis suæ solatium, alacris iã, nec opis huius indigna, repetit iter emensum, referens læta quæsitum diuinæ consolationis suffragium.

Adueniẽs Pontifex, cleri, magnatumq; stipatus agmine, victima salutis oblata, vestibus albis indutus, cũ choris psallentium gratissimum deducit ad mœnia ciuitatis thesaurum. Illis aũt feliciter eo progredientibus, & gratanter ad destinatum locum tendentibus, omnipotens Deus in huius carissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abunde est dignatus effundere: vt vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa pene momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nã tantam Dñs hic operatus est hac die miraculorũ magnitudinẽ, vt viri quatuor, fœminæ vero nouem, visum; viri quoq;

G duo gressum recipere mererentur. Cum huius itaq; præclaræ gratulationis admiratione, in ciuitatẽ ad Ecclesiam Dei genitricis, prosperrima peruenitur exultatione. Sicq; lucerna hæc lucens & ardens æternaliter, in altaris sistitur crepidine. Dum Præsul igitur ad sacrandum viuifici munus accedit mysterij, quis tam ferreum pectus, tam lapideum cor gessit, qui non gemitus ederet, pectus tũderet, lacrymas funderet, dum tam stupenda diuinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam, cælitus hic ea die profusam? Nemo reuera, qui præualeat expedire sermone, quot ægrotantes sanati, quot titubãtes erecti, quot ipsa die diuersis hic sunt cladibus absoluti.

Post expletam mysticorum discedentes sacra, maturabãt quique repetere sua. Sed inter abscedendum minax oritur territatio, nubes teterrimæ, terribilesque consurgere truculenta polum caligine claudere, micare fulgura cõcrepare tonitrua, grandoque solum verberare cœpit non

H minima. Quo terrore perculsi rediere plurimi, clementiam deprecantes altissimi, quatenus huius intercessione patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem intulerat, immutari nubiũ * rarescere tenebrositas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, cunctaque sedari cœpit ac dissipari tempestas, & ea truci conuersa in exoptabilem pluuiã grandine, telluris vbertim superficies, quæ nimio solis exusta feruebat ardore, perfusa fecũdo salubriter refouetur humore. Sicq; manifeste dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio, salutis immutata subsidio. Deniq; benignissimi patris huius solatio, totius diræ pestis (* S. clarescere.)

nostris

A nostris videtur finibus eliminata corruptio. Salubris aer, pluuia data congruens; timor etiam qui regnum peruaserat hostilis, in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

Hac eadem præfata scilicet illationis sacri corporis in vrbem die, tingui feruida iam solis Oceano rota petente, quidam, Niuolus nomine, de villa quæ vocatur dominica, Remorum montis in latere sita, surdus & mutus, manibus quoque per annos nouem debilis ac pedibus, qualicumque valuit per totam diem conamine, ab ipsius surgentis auroræ lumine, per quinque ferme passuum repens millia, vix ad ipsius ædis sepulchri limina, quasi decima tandem peruenit hora. Quidum veniens, sacrum corpus ibidem non adesse comperisset, templique fores seris diligenter obfirmatis clausas perspiceret, cadens in faciem super terram, quadam præsumptionis importunitate, sanctitatis aures clan-
B destino cœpit clamore pulsare, tam magno se conquerens labore fatigatum, nec sibi fore permissum videre talem loculum sacri pignoris baiulum, qui tamen eius sibi posse subuenire celsum nequaquam diffideret præsidium. Talia denique dum tacita secum voluat mente, salutis vigor ipsius per membra quæque sensim cœpit irrepere, pulsasque simul stupet omnium se vires sensuum recuperare. Cumque rumor huiuscemodi operationis, quibusdam nunciantibus, aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrunt, ad miranda Dei magnalia lætantes aspiciunt: ouanter hominem ad locum venerandi sepulchri perducunt, campanas pulsant, lætabundis Deo laudes vocibus intonant. Huius miraculi permoti fama quam plurimi, domum petunt Ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei. Videntes vt audierant, diuinarum signa virtutum, manib. grataanter in cœlum porrectis, benedicunt Dominum. Quod diuinæ benignitatis miraculum valde tunc profuisse dinoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deserta-
C to querebantur patrono. Quib. tamen spiritaliter se non deesse tali patratæ pietatis declarauit indicio.

In Ecclesia quoque Beatæ Dei genitricis, vbi venerabile patris huius seruabatur pignus, nonnulli diuersis ægroti sunt interim curari languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdenaco, mulier etiam quædam dicta Teutberga, nec non mulier altera nomine Gonthildis, huius patrocinio patris visum recipere meruerunt. Alia quædam quoque mulier vnius oculi visum in eadem domo recuperauit amissum. Quædam præterea puella, cognomine Florgildis ex villa quæ vocatur Cancella secus Libram riuulum sita, quatuor circiter ætatis annos gerens, lubricando prolapsa, vtrumque sibi genu debilitauerat, ita clauda facta, vt omnino nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere. Quam parentes eius quamuis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diuersas deferre Sanctorum
D curauerunt Ecclesias. Ast vbi iam per duodenum fere annorum spatium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium posset doloris inuenire, compeřiens de relatione sacri corporis, operumque miraculis, quo valuit nisu, repere cœpit, nec se carpento permisit imponi, sed tractu (prout valet) illud agere gestiret. Ad templum vero perueniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fusis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione. Sed & proprüs fertur pauimenta lacrymis humectasse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuo precibus incumberet, diuina sibi gratia superueniente, vim medicinæ vix valens ferre magnis cœpit vocibus strepere, & eiulatus acerbos edere. Sicque nodis neruorum resolutis, omnique poplitum contractione relaxata, vnius horæ ferme spatio, viribus exhausta, iacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de graui euigilans somno, vbi supernum sibi sentit obuenisse beneficium, pignoris almi petit loculum, cuius gratia sibi contigisse non hæsitabat remedium. Dehinc gratias hic agens, ibidemque degere gratifica decernens, & precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutares quotidie libaminis offert oblationes.

Fuit ast Remis in præfata Dei genitricis Ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii, dum

E præmemoratus Antistes domnus Fulco præsulatus fungitur officio, scilicet vsque ad Episcopatum venerabilis Heriuei Archiepiscopi, qui cessante Nordmannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem supernum propria sepulturæ ipsius referre decreuit intra mœnia. an. 901. Quod dum conuocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare Dominus eius non distulit clarificationem, suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi confluentis stiparetur caterua, postquam sunt vrbem egressi, quidam claudus & ariditate neruorum poplitumque contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens, per terram se tantummodo trahebat, vt poterat, vbi secus vrbem veniens, iter ad S. basilicam inchoasset intendere, diuina tactus potentia compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem, erectum gradientem, collataque sibi prosperi-
F tate gaudentem. In eo vero loco vbi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna cruce præfixa, glorificationis huius continens monimenta. Sed & tam prius creberrime, quam postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis eius sepulchri decoratur Ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa: sunt namque multimoda.

De discipulis eiusdem beati Remigij.

Capvt XXIII.

Fuerunt huius denique beatissimi patris nostri temporibus, in hac vrbe viri clarissimi, Deoque virtutibus accepti, tam ex clero, quam ex ordine laicali, vt pote qui tali, tam venerando, tamque sanctissimo famulabantur patri. Quorum videtur eximius, Agricola nepos ipsius, Præsbyter venerandus, & eidem obsequiis, vt ipse testatur, a pueritia placitus, quam domesticos eius exegit intra parietes:
G quem etiam cum Ecclesia Remensi, beatoque Lupo Episcopo fratris sui filio, in omni substantia sua, præter id quod specialiter vnicuique donauerat, dariue iusserat, hæredem constituit. Ei quoque mancipia nonnulla cum vineis peculiariter deputans, tradidit, hoc illi fidenter iniungens, vt diebus festis & omnib. Dominicis, sacris altaribus eius offerretur oblatio, annoaque conuiuia Remensibus præsbyteris & diaconibus præberentur. Erat & alius nepos eius, Etius nomine, cui partem de Cesurnico, quæ sibi sorte diuisionis obuenerat, cum omni iure quod ibi tenuerat atque possederat. Ambrosiumque quoque puerum, cum familiis quibusdam designans, ad ius illius dominiumque transmittit. Aderat & Agathimerus, æque nepos ipsius, cui familias quasdam delegans, vineam quoque, quam pater idem beatissimus Vindonissæ posuerat, & suo labore con-
H stituerat, sub ea conditione donauit, vt omnib. diebus festis ac Dominicis pro commemoratione sua sacris altarib. offerretur oblatio, & Laudunensibus præsbyteris atque diaconibus annua conuiuia præparentur. Archidiaconi sui Vrsi se familiaribus asserens obsequiis vsum, donat ei casulam quandam subtilem, & aliam pleniorem, duo saga delicata, tabere quoque quod habebat in lectu, & tunicam quam tempore transitus sui relinqueret meliorem. Erant & alii probati viri tunc Remis ex clero tam præsbyteri quam diaconi, quos munere suo dignos ostendit, quibusque dona largitus, & vineam delegat communiter possidendam cum vinitore, addens eis alia quædam quoque mancipia. Aderat Hilaria diacona, quam benedicens idem pater sanctissimus, filiam vocat: cui ancillam quandam deputat, & vitium pedaturam, quæ suæ iungebatur vineæ, donat, partemque suam de Talpusciaco pro obsequiis quæ sibi indesinenter ab ea impensa testatur, ei transcribit. Erat & Remigia, cui dat cochlearia tria, quæ ipsius beatissimi patris fuerant nomine titulata: delegans illi alia quædam quoque munuscula. Sed & laici clarissimi nonnulli renitebant viri, quorum Pappolus, Eulodius, Eusebius, Rusticolus, Eutropius, & Dauueus priuatis beati viri rebus interfuerunt, & ipsius testamento subscribentes nomina propria subdiderunt.
* Enituit etiam vir præclarus Attolus, qui, sicut in eius

epista-

A epitaphio legitur, amore studioq; Sancti Remigij, Xenodochia xij. rebus è proprijs struxit: sepultusque cum filio & filia post altare in Ecclesia beati Iuliani martyris, huic sepulturæ declaratur habere titulum templi pinnaculo innotatum.

Hic igitur nullum lateat, quid terra retentat,
Ne quis si cupiat discere, cassus eat.
Subdus enim tria consistunt monumenta petrina,
In quibus almorum corpora condita sunt.
Hic pater est Atolus, nato, nataque sepultus,
Expectantque diem nunc Domini properam.
Illius certè natus memoratur Elanus.
Nata deinde sua dicitur Eufrasia.
Qui placuere Deo, dictis factisque supremo,
Nunc pariter, quorum membra tenent loculum.
Is struxit bis sena sua Xenodochia rebus,
Iure fouens plebes, diuitijs inopes.
Sic proprium censum caelum transuexit ad altum,
*In quo suscepit quod * miserando dedit.*
B *Hoc totum sub amore sacri studioq; Remigi,*
Ob quod prærutilum detinet ipse polum.

m. miserendo.

Lib. 2. miraculorum qui est de passione & miraculis S. Iuliani c. 32.

Hanc esse quoque reor Ecclesiam, de qua Gregorius Turonensis refert, quod quidam Belgicę secundę prouinciæ in suburbio Remensis vrbis in honore B. Martyris huius basilicam studiosè construxit. Cuius reliquias post perfectam fabricam, fideliter expetēs ac deuotè, percepit: acceptisque, viatim psallendo regrediēs, dum Remensem cum his campaniam ingreditur, à peruasione dæmonis homo quidam, sanctis sibi Martyris huius pignoribus applicatis, liberatur.

De sancto Theoderico.

CAPVT XXIV.

EXtitit his etiam beatissimi Remigij temporibus beatus vir Theodericus, almi magistri pius discipulus, quem non ex alto voluit adeo sanguine generari, qui sublimiter huneiu generatione iustorum decreuerat nobilitare. C Ortus autem pago Remensi, villa (vt traditur) Alamanorum corte, patre latrone, veluti rosa spinarum procreatur horrore. Ad declarandam vero castitatis eius munditiam, quo infantilium eiusdē * panniculi feruntur abluti, non sordium iactu, non alicuius immunditiæ puteus inquinamēto, licet os eius ex tunc de more pateat, astruitur infici. Beatus itaq; Theodericus ad annos vsq; pubertatis laudabiliter educatus, iuxta morem propagationis humanę, studio parentum coactus, sponsam cœpit habere nomine tenus vxorem, ceu non habiturus. Amore siquidem cœlestium latenter inflammatus, fieri studebat Dei cultor occultus. Huius igitur Angelici cultus habuit in proximo, quo sanaretur medicum, quo iuuaretur patronum, quo doceretur magistrum, beatissimū videlicet patrem religionis suæ Remigium. Cuius piissimi præceptoris irradiatus exemplis, ardens desiderio virtutum, certatim crescebat in virum perfectum. Copulę nuptialis amor amarescit, & castitatis dilectio indulcescit, desideriū desiderio restringuitur, & ardor carnis ardore spiritus superatur. D Abrenunciat amator pudicitiæ mundo, fœdus init cū Deo. Bellum continentiæ indicitur hosti, singulari locus quæritur certamini. Alloquitur Beatus Theodericus spōsam, & ad sponsi cœlestis hortatur amorem perpetuumq; pro virginitate pollicetur honorem. Sed sponsa tabescens amore carnalis desiderii, spernit salutaria monita sponsi: & amaro animo respondet, dū se despectam videt. Cumq; Dei seruus cerneret, quod eius in animo sponsæ cohortatio locum non haberet, differtieorem deserit, & vrbē Remensem proprtè petens, Abbatissam quandam cœlibis vitæ cultricem, nomine Susannam, requirit. Sobrius adit sobriam, pudicus pudicam, virgo virginem; quæ sub tutela beati Remigii puellari præerat congregationi, femina virilis animi, virago profundi consilii, consiliatrix altioris ingenii. Ad cuius piissimæ matris sinus mitissimos Sanctus se contulit Theodericus, solo sternitur ante pedes spiritalis matris, eique prodit arcana soli Deo cognita sui cordis, erumpentibus lachrymis gemitu conturbatur, singultu

MS panniculi.

E concutitur, atq; salubre consilium sibi cum subsidio precum subnixè ferri precatur. Ad hunc compunctionis mœrorem deuotissimi iuuenis cōmota sunt viscera benignissimæ matris, fienti compatitur, lugētem consolatur, mœrentem lætificat, & vt eum voti compotem faciat Dominum pietatis exorat. Communis itaq; pater vtriusq; piissimus, ab vtroque simul hac de causa Sanctus consulitur Remigius: cuius institutione sublimiter iam beatus profecerat Theodericus. Pro sponsa denique mittitur, æternæ præmium retributionis in virginitate perseuerantib. à patre seruari demonstratur: & quia virginitas Angelicæ gratæ mundiciæ sit amica, propalatur. Adquiescit sponsa demum prudentissimi patris, imo complectitur affamina, vitæ cœlestis dulcedine mellita: seseq; pollicetur, si Christo mereatur adhærere, incorruptam salua pudicitia permanere. Lętus tandē castitatis decore sponsus amplexatur sponsam quā videt à volūtate seductoris, & voluptate carnis ereptā, cōditoriq; iā sub integritatis honore mācipatā.

Dirigitur ad prouidendum sibi locum habitationis cū virgine virgo, Susanna cū Theoderico. F Est siluula in monte sita tribus à ciuitate milib. separata: in quo visum est venerabili semper in diuinis flagranti patri Remigio cōstrui cœnobium: quo sub pii regimine ductoris, quem proficere probabat exemplo virtutum, cateruam Christo militantiū colligeret fratrum. Conscenso deniq; siluosi mōtis vertice, dum circumferentes oculorum aciem, de monasterii corde volutant positione subito sublimi cœlorum mittitur aliger index à culmine, per quem cœlos scansuro locus in terris beato depromeretur Theoderico. Nāmysticus ales aquila spatiando gyrans, & gyrando circumuolans, quantum in ipso fuit, locum monasterii capacem secans aëra designauit. Et vt expressius ostenderet, quid Dn̄s vellet vnius ferè horæ spatio, supra vbi Ecclesia construi debuit, lentis volatibus stetit, & ne hoc ab incredulis casu cōtigisse putaretur, ipso natalis Domini die, quādo eunio continuo superuolando, monasterium circumire (mirantibus plurimis) eadē Aquila cernebatur. G Quæ vero virtutum opera quanta miraculorum miles Christi Theodericus inibi gessit insignia, non humanus sermo valet enarrare per singula.

Post successum deniq; temporis, vbi Presbiteralis subiit onus honoris, implere volens officium sacerdotis, prædicare cœpit omnibus præcepta salutis. Specialiter autem tangit animum piissimæ prolis carissimi cura genitoris. Filius sapiens lætificat patrem, cœloque regenerat, terræ se generantem. De lubrico monachum, de latrone datorem largissimum, de seruo diaboli Christi facit libertum. Iam iamque viritim de eo sancta per populos diuulgabatur opinio. Et ne veluti lucerna contecta lateret sub modio, sed omnibus in Dei luceret domo, quātum sublimis erat meritis, tantum coruscis cœpit insignis effulgere miraculis. Eius namque beatissima fama peruenerat vsq; ad Francorum Regis palatia, quorum Rex tunc erat Theodericus, Clodouei filius, cui⁹ oculus doloris subiti nimiis cruciatibus ita fuerat oppressus, vt nullis diuersi generis medicaminibus ad sanitatem pristinam posset vllus eum reducere medicus. H Vnius oculi lacrymabilis ægritudo, multorū lacrymas oculorum prouocauerat in populo. Mentem regis varii conturbant exitus cladis. Hinc metus stimulat amittendi luminis: illinc imminentis pudor deformitatis. Nam si Rex adforet luscus, maximū fuisset in populo dedecus. Aut enim turpiter, regnando, fœditatis gestaret opprobrium: aut cum luminis amissione forte perdidisset & regnum. Vnum ergo restabat Regi consilium, quatinus vbi remedium cessabat humanum, diuinum requireretur auxilium. Mittit igitur ad venerabilem Theodericum, cui venienti pandit miserabilis oculi morbum. Prodit pœnā quam patitur: præuenit precibus pericula quæ veretur. At vir Dei virtutem sciens operationis esse diuinæ, non fragilitatis humanæ, corpus solo sternit animū supra cœlos erigit, orationi se totū committit. Tandem finitis, surgens, precibus, ad sidera vultu sublato, sanctæ Trinitatis nomē inuocans, olei sanctificati paululum, summitati pollicis infundit, & oculo malè habenti signū salutiferę crucis imprimens, simul cum sospitate lumen in momēto restituit.

Prou. 10.

A Regem Regum magnificat Rex lætus, celebri repletur lætitia populus, exultat ingenti gaudio cunctus senatus: laudatur Theodericus Dei seruus, & glorificatus ab omnibus mirabilis in sanctis suis Deus. Conuocantur à Rege primates populi, de magnitudine congratulantur miraculi, quod tam cito Rex senserit virtutem spiritalis medicamenti, * & nullius cicatricis vestigia, nullius caliginis, vel glaucomę resideret in oculo saluti reddito macula. Quantis honoribus Rex sublimaret famulum Christi si vellet, ac quantis muneribus vel dignitatibus remuneraret, si contemptor ipse dignitatum permitteret. Quid enim oculo in corpore carius? Sed humanæ laudis, & mundanæ retributionis refuga, gratis dare maluit quod gratis acceperat: atque vir magnæ humilitatis, sollicitus ne Regi foret vnius, petit vt non Theodericus de cętero, sed vocetur Theodorio. Tunc Rex admiratus purissimæ simplicitatis humilitatem, venerabiles manus deosculans, sacerdotis benedictionem deuote postulat, & eum honorifice ad suum deduci monasterium mandat. Quantas tunc cerneres ad eum confluere debilium multitudines, quæ sine mora quæsitas reciperent sanitates!

(margin: al. vt)

B Reperitur etiam præfati Regis filiam vita defunctam magnificus hic Domini præco vitæ reformasse spiraculo, pro qua languente Rex ad sanctum direxerat Remigium, petens vt ad se veniret, atque cum precibus ægrotanti filiæ manum imponeret. At pius Præsul molestia quadam corporis (vt fertur) detentus, beato Theoderico (quem pie casteque nutrierat, & spiritalibus doctrinis instruxerat, quemq; gratia curationum repletum videbat) negotium quod petebatur, vt pater filio, commendat. Qui magistri iussa cupiens solerter explere, dum festinus iter ad palatiū Regis ageret, adfuturam sibi diuinam confidens clementiam, nuntijs accipit obijsse puellam: & ne fatigari debeat, suadetur propriam repetere cellam. Ille vero præceptoris parere non desistens imperio, peruenit ad palatium: mœrore parentes afflictos, luctu palatinos inuenit * compunctos. Quorum lacrymis & ipse sanctus Dei permotus, plures secedere præcipit, cum paucis ad funebria resedit. Cor & oculos ad cælum cum manibus extendit, deuotas in cubiculo mentis Deo preces compunctionis, perfusus faciem

(margin: ms J. opprimi.)

C lacrymis, effudit. At vbi exauditum se spiritu sentit, ad exanimę corpus accedit, oleo sancto sensuum vias cum tactu pollicis illinit: mirumque in modum membra mortuam sedimina reparantur officia. Oculi lumē hauriunt, vox admoto pectoris impulsu prorūpit, & puella se beati Theoderici votis redditam pandit saluti. Accurrunt genitores cum gaudio miraculum stupenter: omnis exultat aula, tripudians lætatur familia. Veneratur Sanctus, tam à Rege quam à proceribus, glorificatur à Palatinis omnibus. Laudibus effertur à turmis vulgaribus. Rex itaque non solum discipulum, sanctum scilicet Theodericum, sed & B. Remigium cupiens munificentiæ sublimare dono, villam quam dicunt Venderam, sitam super fluuium Maternam, reddendo patri Remigio: Gaugiacum vero in pago Remensi, præcepto suæ auctoritatis, sancto contulit Theoderico. Processu denique temporis, Karolo, Ludouvici Imperatoris filio, sceptra regni Francorum gubernante, Angilrannus aulicorum quidam, traditionis huius ignarus, à Rege Venderam sibi postulat dari. Quod vbi Rex

(margin: Vendier.)

D annuisset, audiens dominus Hincmarus præsul, qui sedem tenebat Ecclesiæ Remensis, hanc infiscari villam, Regalis præcepti chartam in Ecclesiæ huius archiuo repertam, dationis huiusce seriem continentem Karolo misit, & ne contra legem Canonicam res vsurpet Ecclesiæ, commonefacere satagit. In quo præcepto manifeste legitur, quomodo Rex Theodericus, pro resuscitatione filiæ S. Theoderici precibus obtenta, non solum præmetatam conferens ei villam, Dei seruum sui muneris honore prætulerit, quin & magistro, præstantissimo scilicet Remigio, cui Dominus tantam gratiam contulerat, vt talem discipulum haberet, qui spiritus sancti dono, sicut & magister, mortuos resuscitaret, beneficentiæ gratia, villam Venderam obtulerit. Hæc vt ita se habere, ex ipsis chartarum monimentis animaduertit, à peruasione villæ destitit, & ecclesię proprijs libere vti permisit.

E Traditur huius beati viri suggestione sanctus Remigius collectionem meretricum, quæ ad id vsque temporis prostibula fertur extra ciuitatem retinuisse, subuersis fornicibus, in viduarum quadraginta congregationem permutasse, sumptusque quotidiano victui necessarios instituisse, ipsumque numerum viduarum perpetim manere, vt adhuc quoque manet, decreuisse. Nam dum sanctus Remigius monasterium sancti Theoderici visitans, secus meretricium, psalmos cum eodem carissimo discipulo suo concinendo transiret, ac sancto Theoderico vox faucibus hæsisset, iterumque, in redeundo scilicet, idem in eodem (ceu memoratur) loco & versiculo contigisset: admiratus pater sanctissimus, & requirens cur discipulus solers in Dei laudibus contra morem turbauerat, accipit dolere beatū virum de animarum dispendio perditarum, & in tam sancti Patris vicinia, tam fœdæ turpitudinis tanta diabolo crescere lucra. Sicque persuasum patri pijssimo, discipulo suggerēte castissimo, subuertere lupanaria diaboli, & deceptas atque decipientes animas in castimoniam transducere Christi. Multas præterea constat virtutum per hunc

F fidelem Dei famulum patratas operationes. Cæcis nempe visum, surdis auditum, claudis gressum restaurans, aridas contractasque manus relaxans, obsessos à dæmonibus liberans, mille nocendi Sathanæ fraudes per diuinæ medicinæ destruebat oppositiones. Et reuera felicem gregis Christi ductorem, cui datum est, tam corporibus quam animabus conferre salutem. Perseuerauit autem in Dei famulatu vsque in finem, & quod ore docuit, exemplis euidentissimis demonstrauit. Qui post multarum virtutum opera, post miraculorum insignia, bono certamine ad victoriam perducto, felici cursu consummato, sanctis ei obuiantibus spiritibus, & gaudenter eum Angelis suscipientibus, die Kalendarum Iuliarum cum gloria migrauit ad Christum. Cuius audito transitu pretiosissimo, præfatus Rex Theodoricus ad monasterium propere cum magna venit multitudine, prærogatique sibi beneficij memor, sed & debitæ seruitutis non immemor, ad tumulum beatissimi corpus Abbatis proprijs euehere studuit humeris. Nec mirum, si Rex hominum illius membra condiderit

G tumulo, cuius animam cum gaudio Rex Angelorum suscepit in cœlo. Ad cuius venerabile sepulchrum diuina virtus vsque in hodiernum diem multimodam dignatur operari salutem.

Desidia vero vel raritate scriptorum, plurima silentio constat neglecta mirorum. Nos tamen vnum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inserendum. Quadam denique Sabbatorum die, iam vespera Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine * Gilsaidis, ea famula sancti Dionysij, villæ Cotris superioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, vt diuelli posset à nemine. Tandem molæ manubrium ex vtraque parte manus abscindere cogitur, indicium nolens secum deferre miserabilis operæ. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysij tunc Remis ob infestationem paganorum seruabantur membra, veloci ingressu ad eiusdem sancti Martyris Domini sui cōtēdit accedere pignera. Perueniens ergo, cum magno timore ac reuerentia solo prolapsa, liberationem deprecatur à tantæ confusionis miseria. Id cum die peregisset ac nocte, remedium inde nō desperans accipere, apparuit in somnis ei quidam clericali

(margin: J. Giftaldis.)

H habitu, veste indutus candida, facie iocunda, capillo admodum albo, vultu paulisper macilento, dicens illi: *Surge hinc, & vade ad Sanctum Theodericum: quia secunda feria, quæ est post cras, ipsius erit festiuitas celebranda, & vide ne in domo eius appareas vacua: sed accipe ceram prout tibi ad præsens suppetit facultas, & sic ad ecclesiam ipsius perge, & illius quod implorans obtinebis interuentione.* Illa mox euigilans, hac de visione stupefacta, orat ex voluntate Dei sibi confirmari visa, secum gaudiose festinat peragere iussa. Venit igitur ad ecclesiam Sancti, veneranda solennitatis die, beati scilicet Theoderici, tres hebdomadas habens, ex quo id discriminis acciderat illi. Tunc fe ante sepulchrum ipsius cum lacrymis sternēs, pro salute sua preces effundit: ibique tota nocte perseuerans in oratione, veniam de piaculis suis humiliter ac * fidenter exposcit. Dumq; adhuc ante tumbam iaceret beati

(margin: ms. fideliter.)

con-

confessoris Christi, diuina iubente gratia, per intercessionem sancti cœpit manus ipsius fœminæ pauletim à ligno disiungi, & absque læsione cuiuslibet doloris aperiri. Sicque deinde tota manus expanditur, & lignum dicto citius in pauimento prolabitur, ac si nunquam adhæsisse videretur. Multi verò qui aderant, hoc supernæ pietatis cernentes miraculum, glorificauerunt mirabilem in Sanctis suis Deum.

De sancto Theodulfo.

Capvt XXV.

Tertius post beatum Theodericum S. Theodulfus eiusdem monasterij rector extitit, qui conspicuus fuisse fertur aulicorum propinquitate, & venerabilium monachorum, atque sacerdotum dignitate, quique nobilitatis pompam pro nihilo ducens, elegit in sanctificatione Deo seruire relinquensque deuios anfractus, viam recti callis expetijt, illa secutus vestigia, per quæ turgidos mundi fluctus pertransiens, properaret ad cœlestia. Ingressus itaque monasterium B. Theoderici, gloriam huius seculi tradidit obliuioni, dignitatemq; natalium suorum humilitate despexit, & vltimæ seruitutis famulatui se subiugauit, humum rastro fodiens, & aratri vomere tellutis terga scindens: illud psalmographi sacris implere satagens: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* [Psalm. 127.] Hoc autē quotidiano per viginti duos annos insistens operi, cum duobus iuuencis ad hoc sibi commissis, duros & varios temporum pertulit inuictus labores. Quod vero memorabile traditur, ijdem iuuenci nec ætate, nec lassitudine deficientes, quod alij rusticolæ cum quatuor, vel sex, aut octo vix poterant perficere, hic cum duobus infatigabiliter explebat. Cumque paululum cessaret ab aratro, rursum studebat insistere rastro. Stupendum quoque valde, quod cum tam duro seruitio intentus esset, nec deficeret, ab agro rediens vnam sæpe noctem, frequenter duas peruigil hymnorum, psalmorumque laudibus traditur excubare solitus.

Quadam denique die, dum laboris intermittendi tempore domum rediturus ab agricultura cessasset, monasterium repetenti quodlibet opus emendandi aratri accidit, virgamque stimuli figens in terram, domum quo tendebat, immemor eiusdem forte, immo sic diuina disposuit fieri moderatio, peruenit. Mirabile dictu, spinea virga sub nocte radices in terram dedit, & mane, cum ad consuetum beatus vir opus rediret, atque resumere vellet, turgentem frōdibus inuenit. Quæ plurimo tempore, cumulando robur, in excelsum creuit, & factum multis enituit, donec iter agens quidam pœna plectendus, eandem abscindit, oculorumque sibi lumine cum abscisione pariter adempto, inges incurrit tenebras.

Eius post hæc aratrum à fidelibus in Ecclesia villæ Colubrosę suspensum, ibi, donec eandem inimico impellente vorax flamma cremauit basilicam, permansit. De quo quisquis dolorem dentium patiens bastulam præcidisset, ac de loco doloris parum sanguinis fluere fecisset, statim medelam salutis exoptatam, beati Theodulfi meritis percipere merebatur. Hæc beneficia non audita solum, sed à plurimis etiam visa noscuntur, & sanitate recuperata, sunt certissime propalata.

Defuncto denique Abbate, qui beato Theodulfo præerat tertius (vt præmissum est) idem vir venerabilis in loco sanctæ recordationis domni Theoderici est ordinatus Abbas, Præsule annuente, & monachorum caterua petente. Qui adepto regiminis honore, quasi rudis tiro nouiter addictus exercitio, nullam fere præstabat artubus requiem. Quin vt infatigatus in opera manuum præstiterat, sic exercendo se, non sibi parcens, ad diuina totum dupliciter aptabat ministeria. Fabricauit enim basilicam in honore S. Hilarij, quo cursum sui duplicaret laboris. Signo siquidem dato, cum fratribus conueniens, horarum laudes persoluebat hymnologiarum. Sed vt duplex esset corona meriti, quasi nihil ante gessisset, iterum prædicta vota reddebat in ecclesia: qui licet clam, taliter agendo, vellet habere quod meruit, opera tamen cultoris sui non est passa diuinitas occuli.

Accidit itaque quadam die, vt sus circa puteum, quo loci huius vicini adaquabantur, deambulans, rueret in ipsum. Circumfluentibus vndique monachis, cum nullus esset qui pereuntem posset eripere de profundo, præsertim cum ipse puteus centum pedum feratur altitudinis vir Dei superuenit: factoque comperto, de coinquinatione aquæ, si animal idē sibi moreretur, anxiari cœpit oculisque ad cælum porrectis, atq; animo cum precibus in Dño fixo dum Christi suffragia deuotus exposcit, ante pedes ipsius subito, lympha super os putei redundante, animal inlæsum peruenit. Videntes cuncti stupore vehementi repleti, gratias egerunt Deo, qui tantam benignitatis suæ gratiam fideli suo contulit seruo.

Quadam quoque die, cum ijsdem vir Dei iter ageret, à monasterio ad quendam locum properans, agricolam quemlibet arantem viam publicam, per quam transire solitus erat, inuenit. Cui & dixit: *Non est bonum (ô homo) viam aratro scindi, quæ debet à viatoribus inoffenso pede calcari.* Regrediens autem vir sanctus per eandem viam, rursus agricolam, viam vt cœperat arantem offendit. *Nonne,* inquit, *Dixi tibi, quia viā istam arare nō debes?* appropiansque manu sancta caput rustici tetigit dicens: *Per istud caput te, homo, obtestor ne viam istam amplius ares.* Retrahente autem eo manum, tota pars capitis* hominis, quam vir Dei tetigerat, candens apparuit, vt lana. [e.J. illius.] Nec dubium, quod nō homo Dei voluit, vt capilli caderent, sed vt signa per succedentem generationem promerētur huius facti: ne quis agere simile præsumeret, quod sanctus Dei Theodulfus imperauit ne fieret. Nam dum generatio ipsius agricolæ mansit, signum quod à sancto viro pater accepit, & ipsa simili modo pertulit.

Vir denique quidam venit ad virum Dei oculum habens virgulto percussum, & lumine priuatum, cui nulla dabatur requies de cruciatione, nec spes erat de visus recuperatione. Quē beatus Theodulfus ad sacrosancta ducēs altaria, docuit osculanda. Ille sacra velamina ore tangebat, & iemus Christi precibus incubabat. Surgit Sanctus à pauimento, & nulla doloris vestigia remanserunt in iuuenis oculo. Qui, vt erat dignum, viro Dei gratias referens pro medela, gaudens remeauit ad propria, collata sibi quam quæsierat medicina.

Quidam quoque Legatus Austrasiorum, nomine Offo (qui sunt superiores Franci) veniens à partibus Orientis, dum ad huius tunc regni Principem mitteretur, orationis gratia monasterium viri Dei videtur ingressus. S. vero Theodulfus, corpore laboribus vigilijsque confecto, fessus forte quiescebat in lecto. Legatarius animi felle commotus, quod Abbas loci non sibi dedisset occursum, rancore turbidus mentis, dabat ore proferens quæ non decebant. Cumque abiret indignans, vt ira iræ misceretur, potentissimus eius equus, à puero mortuus nunciatur. Ipse denique frendens in semetipso, cumulansque furorē furori, geminos dat cruciatus animo, de indignatione videlicet, & damno. Cumque vir sanctus id post soporem nuntio cognouisset, ad hominem consolandum non distulit exire: sueroque de more blando conatur alloquio efferos eius animos mitigare: inuitansque ad orationem, monet in Deo spem ponere, ac de hoc quod accidisset minime conturbari. Pergentibus autem illis ad basilicam Christi confessoris Hilarij, dum veniunt in locum vbi signum crucis adoratur, in via prece fusa data, blande vultum vertens in prædictum Legatarium: *Fili* (ait) *reuertere, quia equum tuum inuenies ante fores monasterij sanum, qui si ita feriendum, vt cœperas, recepisses, cadauer equi mortui nobis reliquisses.* Legatario vero animum non apponente, præsertim cum viderit eum mortuum, ac toto corpore tumidum, decurrit puer eius, affirmans ita se rem habere, vt ei sacerdos Christi Theodulfus studuerat indicare: sicque quod non credebat, miraculo virtutis probato mentis furore deposito gratias refert Domino, vera se testans oculorum experiri probatione, quæ de seruo Do-

A mini quorundam dudum perceperat relatione. *Non* (inquit Sanctus Dei) *hoc meis, cum sim homo peccator, ascribas meritis, sed Deo gratias age, Sanctorumque merita non cesses venerari, qui tibi possunt in omnibus auxilium largiri.* Talibus itaque virum instruens monitis, data benedictione permisit abire. Vnde liquido patet, eum cum virtute mirabilium spiritu quoque viguisse prophetiæ, qui animal, quod mortuum dimiserat, esse viuum prænunciabat.

Nec vllatenus omnia virtutum ipsius enumerare sufficimus insignia. Qui enim diuersis detenti langoribus per eius intercessionem, plenissimam receperunt sanitatem, solus ipse nouit, qui hæc fieri præstitit. Inter cætera quoque bona quæ Christus huic seruo suo concessit, illud memorabile spectabileque prædicatur, quod cum ad vsque nonaginta vixerit annos, canitie præclarus, aspectu iocundus, moribus temperatus, caritate plenus, eleemosynis largus, contemptor sæculi gloriosus, nullo febrium dolore, nulla corporis lassitudine, nullo rerum variarum casu confectus, nulla mentis
B molestia motus, ab oratione, vel operum Dei exercitio cessauit, quousque beata eius anima corpus vegetauit. Cum vero diuina clementia fidelem famulum senio detentum, pro laboribus suis, quietis refrigerio, meriti præmio vellet remunerare, febrium calore aliquatenus eum permisit æstuare. Ingressusque basilicam die quadam dum matutinorum solemnia celebrarentur, orationibus profuse incumbens, Deo commendare studebat animam, quam corporeo ergastulo cito prænouerat absoluendam. Depulsis itaque noctis tenebris, aurora rutilante, comitantibus secum quibusdam monachis, cellulam repetijt, hilaris de visitatione sibi facta Sanctorum, ac de reuelatione, qua sui transitus horam sibi gaudebat intimatam. Ad quam dum se peruenisse cognouit, cum fratribus pacem faciens, oculus ad cælum cum manibus eleuauit: & animam sanctam mundi naufragijs ereptam conditori lætus reddidit, quam Christus cum coronæ cælestis exultatione suscepit.

C Horum denique beatorum monasterium patrum, pro monachis modo clericos habet. Quorum quidam nuper, Otbertus nomine, priusquam Gallia gladijs Hungarorum laceranda traderetur, ad extrema deductus, dum certamina dæmonum pro se litigantium, & eum ad interitum rapere conantium pateretur, alaui patroni sui domni Theoderici tandem se videt eripi meritis: dæmones vero per inuocationem Christi nominis & sanctorum eius, à se cum magnu strepitu & indignatione recedere. Vidit etiam & quendam fratrem, dictum Bernicum, qui non longe ante decesserat, se crebro visitantem: consolando quoque mouentem; ne hic apud sæculum vltra manere cupiat: immo ad eum quantocius ire gaudeat, vt ea quæ nunquam potuit cogitare, valeat videre. Quoniam si demoraretur in seculo diutius, nequaquam tantum malum vidisset aliquando, quantum visurus esset in proximo. Cuius dicta, probatio constat veritatis insecuta. Iste siquidem leui dolore corporis
D tactus, ad Ecclesiam properans, exitum suum precibus Domino commendat, fratres aduocat, Missam quoque, quam debito propetantius celebrarant, illos repetere facit: quæ viderat, narrat, & eos coram se caritatis gratia potum sumere rogat. De seruitio Dei studiosius agendo, & psalmodiam cum deuotione canendam monet, atque iam quasi securus & hilaris migrat. Post cuius obitum gens Hungarorum Galliam ingressa, cædibus, incendijs, ac rapinis pene cuncta deuastat: ipsumque monasterium flammis exurit, & proxima quæque circumpositarum ruinis fere villarum proterit. Inuenitur que modo iam manifeste, quam vera fuerint quæ ille audierat ex reuelatione.

De fonte in horum Sanctorum monasterio nuper exorto.

E

Cap. XXVI.

IN filiola hic contingua monasterio, fons dudum nouiter exortus est. Ad quem febricitans quidam casu deueniens, vidit supra ipsum fontem inclinatum quendam senem in clericali habitu stantem, aureum baculum manu tenentem. Qui cum statim aduenientis motus se videretur erexisse à fonte, tanto iste pauore concussus est, vt attonitus in terram caderet, & nihil omnino videre valeret. At post modicum rediens ad se, surrexit, & splendorem qua senior abierat monasterium versus, magnum vidit: sicque saluatus ab infirmitate sua, lætus abscessit. Cæci tunc temporis hoc in loco illuminati nonnulli, claudi erecti, muti locuti sunt, & surdi receperunt auditum.

F Nuper quoque ordinato Hugone Remis Episcopo, quædam paralytica, quæ iacebat in ciuitate ad ianuas Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, Magenildis nomine, admonita per visum, illo se deferri petijt, atque vt aqua ipsius fontis perfusa est, incolumitatem recepit. Quædam nihilominus Adelvvidis nomine, nuda brachiis, vt eadem lota est aqua, suspirate posita recessit. Cæcus quidam de castro Mosomo tunc adueniens, mox vt ecclesiam Sancti Theoderici visus est introisse, lumen recipere meruit. (Mouson.) Quædam paupercula de ipso loco, vt oculos sibi hoc fonte diluit, lumen, quod iam ab annis vltra quam sedecim perdiderat, recepit. Folbertus quidam brachium gerens aridum, & inutile sibi membrum, vt se hac aqua perfudit, sanitatem, brachijque recepit vtilitatem. Tunc etiam quidam cæcus, nomine Amalricus, ibi visum recepit, mox vbi se hoc fonte lauit: aliaque plura nunc ibi refulsisse probantur miracula, & ex diuersis ægritudinibus diuersa sunt collata remedia.

G

LIBER SECVNDVS

FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ.

De successoribus beati Remigij.

Capitvlvm. I.

BEATO Remigio successisse traditur Romanus, Romano Flauius, post quos Mapinius, cui potestas regia quædam cessisse reperitur prædia, deinceps ab Ecclesia Remensi possidenda. (Romanus. Flauius. Mapinius.) Huius quoque temporibus Suauegotta regina Remensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Vitriaci, per testamenti paginam, delegasse reperitur. (Vetry.) Quam partem villæ ipse quoque Præsol Teodechildi præfatæ reginæ filiæ, vsu fructuario, per precariam, saluo Ecclesiæ iure, concessit: ita donatam, vt post eius obitum, absque vllo præiudicio, sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Remensis reuocaretur Ecclesiæ. Quę
H scilicet Teudechildis regina postmodum nonnulla, per testamenti sui auctoritatem, tempore domni Egidij, Remensi contulit Ecclesię prædia.

De Egidio Præsule.

Cap. II.

QVi Præsol Egidius in Episcopatu Mapinium legitur secutus, Episcopiumque inuenitur auxisse: arua scilicet & mancipia nonnulla emisse, quarum eius emptionum adhuc quædam quoque reperiuntur instrumenta, vt illud, quo campos duos ab Oboleno super fluuium * Rotumnam legitur dato pretio comparasse, quorum vnus modios mille tenere sementis, alter inscribitur (c.j. Rotomnam. Retourne.)

qua-

A quadringentos. Villarem etiam quemdam à Bertulfo quodam, cum adiacenti campo modios centum tenente. Partem quoque cuiusdam siluæ à Charibodo quodam reperitur emisse. Nec non apud regiam maiestatem immunitatis præceptum Ecclesiæ suæ obtinuit, vt ab omni fiscali functione, vel mutilatione, prorsus haberetur ac permaneret immunis: omnia quoque data Ecclesiæ, stabilem obtinerent firmitatem. Childebertus etiam rex villarem quendam situm in Vosago, prope fluuium Saroam, tam ipsi quam Ecclesiæ suæ possidendum, instrumentis adhuc manentibus, inuenitur tradidisse. Huius Præsulis tam vitam quam prædicationem Fortunatus Italicus (qui tunc apud Gallias in metrica insignis habebatur) his studuit commendare versibus.

Actibus egregiis venerabile culmen Egidi,
Ex cuius meritis creuit honore gradus.
Subtrahor ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in vestris prodere pauca fauens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam quicquid vbique sonat.
B *Sed quamuis nequeam digno sermone fateri,*
Da veniam votis me voluisse loqui.
*Exiit in * mundo gestorum fama tuorum,*
Et propriis meritis fidus in orbe micas.
Clarior effulges quam Lucifer ore sereno.
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cautus subducit ouili,
Te pastore sacro peruigilante gregem.
Facundo eloquio cœlestia dogmata fundis,
Ecclesiæ creuit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis & ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur.
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Vt gaudet corpus cui mitior esca paratur:
Sic anima gaudent, si tua lingua sonet.
*Hæresis * illa cadit fortis te milite Christi:*
*Adquiris regi, * qui dedit arma tibi.*
C *Qui purgas spinis agros sermone colente,*
Et mundata Deo surgit vbique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam te refouente suam.
Quæ doluit illis, gemitus in gaudia vertens:
Exilium remouens reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum.
Inuenit hic semper quæ bona quisque cupit.
Consilium tribuis generaliter omnibus vnum.
Qui populi pater es, tot pia rite regis.
Hac tibi vita diu, Domino tribuente superfit;
Atque futura micet lucidiore die.

Ab hoc Præsule Gregorius etiam Turonensis benignè quondam se narrat fuisse susceptum, quando Siggo quidam Sigeberti Regis referendarius, virtute beati Martini, cuius idem Gregorius tunc secum habebat pignora, in sacrario domus Ecclesiæ Remensis auditum surdæ recepit auris. Qui tamen Gregorius in historia gentis Francorum de hoc Præsule narrat, quòd Legatus ex parte Childeberti regis Sigeberti filij, ad Chilpericum regem pa-

D truum ipsius Childeberti, cum aliis legatis missus fuerit. In qua legatione constitutum fuisse refert, vt ablato Guntramni regis Chilperici fratris regno, in se coniungere pacem deberent. Qua pactione firmata, Legati cum magnis ad Childebertum sunt muneribus regressi. Item quod postquam Chilperico filius natus est, & ipse Parisius peruasit, Legatis Childeberti ad eum venientibus, primus inter eos hic Pontifex fuerit, qui data suggestione, pacem, quam Chilpericus cum præfato Childeberto fecerat, vt conseruaretur, Childebertum petere promunt; cum fratre verò ipsius Chilperici Gontramno pacem habere non posse Childebertum: quia partem Massiliæ post mortem abstulerit patris, fugacesque suos retinens, nolit ei remittere. Adiecit etiam Chilpericus, in multis eundem fratrem suum esse culpabilem, cuius col-

[Margin notes: Fortunat. lib. 3. Carmen. 18. — al. mundum. — al. ita. — al. quæ. — Lib. 1. miracul. Sancti Martini c. 17. — Lib. 6. c. 3. — Ibid. c. 31.]

E ludio pater huius Childeberti fuerit interfectus. Vnde Legati quoque permoti vltionem debitam super eum velocius inferri petunt; idque vt est iuramento firmatum, datis & acceptis obsidibus, discesserunt. Pro quibus legationibus rex Gontramnus huic Archiepiscopo semper erat infensus. Vnde & cum pacem postea fecisset cum Childeberto, hortatus est eum, vt nullo modo crederet, aut haberet hunc Præsulem, conuicians eum periurij crimine. Postea denique dum quidam reus torqueretur, qui ad percutiendum Childebertum regem à Fredegunde regina fuerat missus, confessus est hunc episcopum socium fuisse in quorundam consilio ad interficiendum eundem Childebertum regem. Nec mora, Episcopus rapitur, & ad Metensem vrbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur. Ibique dum sub custodia degeret, rex Episcopos accersiri ad eius examinationem præcepit, & apud Virdunensem vrbem initio mensis octaui † adesse iussit. Tunc à quibusdam * clam sacerdotibus increpatus, cur hominem ab vrbe rapi absque audientia, & in custodiam retrudi præcepisset, permisit

F eum ad vrbem suam redire, dirigens epistolas ad omnes regni sui Pontifices, vt medio mense nono ad eum discutiendum in vrbe supradicta deberent adesse. Denique conuenientes pertracti sunt vsque ad Metensem vrbem: ibique & Egidius Præsul adfuit. Tunc rex inimicum sibi eum, regionisque proditorem esse pronuncians, Ennodium Ducem ad negotium dirigit prosequendum. Cuius propositio prima hæc fuit. Dic mihi, ô Episcope, quid tibi visum fuit, vt relicto rege, in cuius vrbe Episcopatus honore fruebaris, Chilperici te regijs amicitiis subderes, qui semper inimicus domino nostro regi fuisse probatur, qui patrem eius interfecit, matrem exilio condemnauit, regnumque peruasit, & in his vrbibus, quas vt diximus, iniquo peruasionis ordine suo subiugauit, tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti? Ad hæc ille respondit. Quod fuerim amicus regis Chilperici, negare non potero, non tamen contra vtilitatẽ regis Childeberti hæc amicitia pullulauit. Villas vero quas memoras, per istius regis chartas emerui. Quo proferente easdem in publico, negat se rex hæc largitum fuisse. Requisitus

G Otto, qui tunc referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negans se subscripsisse. Hæc igitur causa primũ fallax Episcopus repertus esse dicitur. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunechildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant. Similiter & Chilperici ad Episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum, quia si radix cuiuslibet rei * incisa non fuerit, culmus qui terris est editus non arescit. Vnde prorsus manifestum est ideo hæc scripta, vt superata Brunechilde filius eius opprimeretur. Item alia nonnulla eidem Præsuli obijciuntur, tam de pactionibus regum, quam de perturbatione patriæ, quorum quædam negauit, quædam negare non potuit. Et dum altercatio diutius traheretur, adfuit etiam Abbas Epiphanius basilicæ sancti Remigij, dicens, quod duo millia aureorum, speciesque multas pro conseruanda Chilperici regis amicitia idem Præsul accepisset; & cum legatis, qui cum Episcopo missi fuerant ad memoratum regem, propalat idem Abbas, qualiter de excidio re-

H gionis ac regis Gontranni conuentum fuerat, & vt gestũ est ex ordine narrat. Hæc audientes Episcopi, & in tantis malis sacerdotem Domini cernentes, triduam temporis spatium deprecantur tractandi; scilicet vt vllum modum reperire posset Episcopus, per quem se ab obiectis excusare valeret. Sed illucescente die tertia, conuenientes in Ecclesiam interrogãt Episcopum, vt si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus ait: *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego noui me ob crimen maiestatis reum esse mortis, qui semper contra vtilitatem huius regis, matrisque eius egi: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina noui, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt.* Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, remouerunt. Qui statim ad Argentoratensem vrbem, quam nunc Strateburgum

[Margin notes: Gregor. lib. 10. c. 19. — † Augusti. — * Clam deest in ms. & Gregorio. — al. excisa. — al. confessus.]

vocant, deductus, exilio condemnatus est. In cuius loco Romulfus filius Lupi Ducis, iam presbyteri honore praeditus, Episcopus subrogatus est, Epiphanio ab abbatia officio, qui basilicae sancti Remigij praeerat, remoto. Multa enim auri, argentique in huius Episcopi regesto pondera sunt reperta. Quae autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt illata: quae vero de tributis, aut reliqua ratione Ecclesiae inuenta sunt, ibi relicta.

De sancto Basolo.

CAP. III.

HVius Egidij tempore sanctus Domini Basolus, ex territorio Lemouicino, regione Armoricana, nobili prosapia oriundus, a partibus Aquitaniae, patrocinia beatissimi Remigij desiderabiliter appetens, Remensem deuenit ad vrbem. Cui aduenienti comes itineris apparuisse traditur Angelus Domini, quem constat habuisse praeducem, dum destinatam ingreditur vrbem. Hunc dignissime praefatus Praesul Egidius suscipiens, cognito peregrinantis desiderio, petenti, sique secretioris conuersationis habitaculum concedere, libentissime cessit, sicubi sibi placitum Dei famulus infra Episcopium Remense valuisset reperire. Inuenit tandem, superna disponente gratia, locum sibi congruum in vico Viriziaco, ad radices montis Remorum, quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetium. Eo loci tunc temporis erat coenobium, numero duodecim monachorum. Hic igitur benigne susceptus a fratribus, traditur ab Abbate litteris imbuendus. Nec longum, sic doctus enituit, vt coaetaneos & contubernales sapientiae luce praeiret. Nulla illi propensior cura, quam aut in lectione vel sermone de Deo, aut in oratione loqui cum Deo. Transitoria despiciens, & aeterna concupiscens, victus pensam pauperibus erogabat, pauxillum sibi dontaxat reseruans, ad infirmitatem corporis sustentandam.

Ita virtutum crescens culmine, solitariam concupiscit vitam, fastigiumque, ad secretius habitandum, contigui deligit montis, in quo cellulam cum oratorio construit, vbi liberius caelesti deseruiret contemplationi. In qua inclusionis habitatione per XL. traditur annos Deo militasse, & contra serpentis antiqui tentamenta viriliter dimicasse, ieiunijs, eleemosynis, vigilijs, orationibus, atque lectionibus indesinenter vacans, & ad se venientes doctrinae sanctae luce perfundens.

Dum hic igitur almifica conuersatione decertat, placuit supernae pietati virtutem sui militis euidentibus ostendere signis. Nam orante illo Dominus aquam ei montis in vertice produxit e silice, quae sub Sancti sepulchro fertur exire, ac per Ecclesiae fundamenta quasi de vasculo sese profundere, haustu dulcis, & ad potandum salubris. De quo videlicet fonte multi sanitatum remedia, potantes, vel balneis vtentes, seu capita diluentes, consequuntur aegroti.

Quodam denique tempore, cum puer quidam priuatus oculorum ab aetate primaeua lumine, Annegiselus nomine, ante fores excubaret ipsius, duodecimo suae caecitatis anno, lapsa virtute caelitus, orante viro Dei, luminis est honore donatus. Quod diuinae claritatis miraculum comperientes monachi, magnis gratiarum actionibus Deum glorificant in clarificatione fidelis serui sui.

Accidit etiam quodam venatore, Attila nomine, in saltu eius cellulae contiguo aprum insequente, vt vsque ad ipsius praesentiam fera perueniret; & quasi liberandam se per ipsum credens, ad pedes eius, deposita feritate procumberet, canesque naturalis obliti sagacitatis, eam insequi parcerent. Exinde mos immunitatis Christo, ad honorem dilecti famuli sui, adhuc modo seruatur, vt *promota quaelibet venatio, si aggestum in circuitu illius ipsius prominentem fuerit ingressa, nec canum vlterius insequatur auiditate, nec venatorum appetatur audacitate.

al. permota.

Fertur & aliud non contemnendae rei miraculum, huius beati Confessoris sui meritis, a Domino praerogatum, quod suspensus laqueo quidam, nomine Ragenulfus, ab aduersarijs, cum in supremo mortis periculo oculos ad caelum intenderet, inuocato voce lacrymabili beato Basulo, mox a morte dita rupto meruit liberari laqueo. Post multa denique pietatis insignia in vita ipsius ab eodem patrata, praenoscens per spiritum suae vocationis immineresibi tempus, misit ad nepotem suum, nomine Balsemium, qui eum ad se a Lemouicina regione perduceret, significans illi, quod post obitum suum in praedicto suo conuersationis habitaculo deberet vitam ducere, iuxta quod reuelatum sibi fuerat a Domino. Cuius salutaribus praeceptis, vt bonus filius obtemperans, & ad supernam haereditatem peruenire desiderans, vsque ad extrema sui diem in eadem permansit habitatione. Decessit autem beatus pater Basolus VI. Kal. Decemb. supernis aggregatus ciuibus. Ad cuius sepulchrum multa postea monstrata sunt miraculorum insignia quae tamen per negligentiam, & ob sui frequentiam non sunt litteris comprehensa.

Processu denique temporis, post obitum sancti viri, aduenit huc homo quidam natione nobilis, sed ferox tumore mentis: qui post orationem baculum huius beati patris accipiens, & illum super pedem suum ponens, vt erat procerus corpore, quasi subsannando protulit dicens: En manifestat iste baculus, quam paruae staturae fuerit Basolus. Nec mora, pes idem cui superpositus sancti baculus fuerat, emarcuit quoque putrefacto, diuina vir idem percussus vltione, cum graui decedit labore. Cuius corpus ad tumulandum ferri disponitur ad huius Sancti Dei monasterium: sed aggrauatum nullo modo valet moueri feretrum. Proponitur ferri ad cimiterium sancti Remigij, sed nec sic potest moueri. Cogente tandem necessitate, in Catalaunicum defertur territorium, ibique demum permittitur habere sepulchrum.

Non longe quoque valde a nostra aetate, tempore scilicet domni Ebbonis Archiepiscopi, eius ordinatione quidam vir religiosus, Benedictus nomine, Abbas constituitur huius Abbatiae. Qui eum modestia familiam sancti Basoli tractans, & in simplicitate Domino seruiens, diuersis ecclesiam donarijs ornauit, & post non modica vitae suae spatia, diuina praeceptione vocatus, ad Dominum transijt. Cui carne frater, cognomine *Sperius, Abbas in eodem loco subrogatur. Qui moribus fratri dissimilis, & diris facibus ardens cupiditatis, dum temulentus aliquando sederet, coepit dicere, quod frater suus de Abbatia illa nihil boni sciuerit habere, praecipiens villarum procuratoribus, in crastinum sibi rusticolas exhibere, quos varijs faceret supplicijs torqueri, vt facultates ipsorum ab eis posset extorquere. Audientes ergo villarum incolae, quantae intentabantur sibi poenae, omnes sancti Basoli *flebiliter expetunt suffragium, ne tam crudeli lanio traderentur ad dilacerandum, lugubresque in gemitu pernoctantes, non cessabant sancti Basoli implorare solatium. Nec renuit audire Sanctus Domini querelas suae plebis. Nam facto mane Sperius idem reperitur mortuus: quem lecto iacentibus extrahere suis, crepuit medius, tantusque foetor eiusdem locum repleuit, vt nemo ibi remanere valuerit. Sicque familia S. Basoli trepidatis eripitur defensa supplicijs.

al. Spernus & infra.

al. supplicater.

Auunculus matris meae, *Flauardus nomine, duos filios in huius sancti viri coenobio Deo seruientes habuit: quorum iuniorem, nomine Tetbertum, caritate supra vires etiam exuberantem vidimus, qui presbyter dudum apud nos obijt. Is denique de patre suo quod dicturi sumus, narrare nobis solebat: cui rei testis ad huc supererat nuper *Ratoldus Presbyter, horum tertius frater. Consueuerat siquidem semel in anno vir praefatus ad hoc monasterium venire, fratribusque de suis facultatibus ministrare. Qui cum aliquando de more veniret, latrones eum properantem inuadunt, caballum cui sedebat, cum caeteris quae sibi visa sunt, sed & pecunias, quas seruis Dei distribuendas ferebat, ornamenta quoque vxoris suae pariter auferunt. Cumque de praeda laetantes aliquantulum processissent, vxor eius, quae simul aderat, ingemiscens pro iniuria, querulosis sanctum Basolum coepit inclamare vocibus, dicens: Non vltra te venturos in eius vel famulorum ipsius seruitium

al. Flauardus.

al. Ramnoldus.

A si sic eos abijceret non ferendo præsidiũ. Post quas lamentationis voces, equi latronũ, qui cum spolijs concite ferebantur, subito defigũtur, nec vllo modo promoueri possunt ad gradiendũ. Ipsos quoq; latrones caligo quædã perfudit, vt quonã sese verterẽt ignorarent. Resipiscentes tandem prædones, conferunt inter se, ob innocentũ factam iniuriã sibi talia contigisse: initoque consilio, ad eos, quos rebus iniuste priuatos dimiserant, reuertuntur: sua illis cuncta restituunt, & vt veniam facinoribus suis deprecentur, exposcunt. Ita consolatione, domini Basuli suffragante sibi patrocinio, recepta, rapacibus ire dimissis, deuotiores ad destinatum properant cœnobium: gratias Deo & sancto suo Confessori pro indultis sibi beneficijs referunt, & læti seruis Dei ministrare satagunt, pecunijs honorant, ac deinceps annis singulis idem promptiores quod cœperant, peragunt.

Quando nuper hæ Galliarum patriæ, peccatis nostris impellentibus, Hungarorum gladijs dilacerandæ sunt traditæ, quidam Barbarorum sancti Basoli monasterium ingressi, dum clerici iam cum patroni sui pignoribus ad ciuitatem confugissent, habitacula cœnobij hominibus B pene vacua repererunt, ibique metatum suum constituentes, huc vndecumque prædata tenere cœperunt. Quorum quidam in ecclesiæ signorum turricula, deaurata conspiciens relucere metalla, cupidus auri pecuniæ, tectum conscendit basilicæ, aususque dissipare turriculam, subito delapsus ad terram corruit, membrisque confractus interijt. Alius horum super aram ipsius ecclesiæ, in honore beati Martini consecratam, conatus ascendere, dum manum supra cornu altaris apposuisset, ipsa manus eius ita inhæsit marmori, vt nullo modo ab eo postea potuisset auelli. Et quia hic eum sui noluerunt relinquere, partem lapidis circa manum ipsius bipennibus abscindentes, eum secum particulam marmoris, quæ manui eius adhæserat, inuite ferentem deduxerunt. Qui etiam (vt captiui qui reuersi sunt referunt) vsque ad terram suam, arente iam brachio, hunc lapidem ferens, & Basuli virtute factum proclamans, reuersus est.

Flodoard. in Chron. an. 937.

De Romulfo Præsule.

C

Caput IV.

POst Egidium Romulfus Remense rexit Episcopium, vir carne nobilis, germanus Ioannis tunc temporis Ducis: quorum pater Lupus multas eis possessiones æqualiter inter se diuidendas reliquit. De qua diuisione pari iure gerenda præceptum obtinuerunt regale. Multis siquidem excellebat patrimonijs, maximeque trans Ligerim, & in pago Pictauensi: quorum ex parte maiore, per paginam testamenti ecclesiam Remensem fecit hæredem, quædam dimittens fratribus vel nepotibus suis, quædam matriculæ quoque sancti Martialis deputauit, quædam ad basilicam sancti Remigij. Villam vero Lauciniacum super fluuium Caltaionem, contulit Monasterio puellarum Remis in honore sancti Petri constructo: quam villam dato pretio se memorat comparasse. Quædam præterea donaria testamento diuersis attribuit ecclesijs, tam Remensis Episcopij, quam Suessonici: sed & Turonici, aliorumque quorundam. Familiæ suæ partem maximam ingenuitate donauit. D Cuius adhuc testamenti pagina in archiuo Remensis Ecclesiæ reseruatur, cum auctoritate Childeberti regis: quo petitus idem rex à præfato Præsule per Sonnatiũ Diaconẽ virũ venerabilẽ hoc testamentũ confirmare decreuit: Scilicet, vt terras, vineas, & mãcipia, quæ ad ecclesiã præcipue Remẽsem, vel ad cætera loca Sanctorũ prædictus Pontifex delegauerat, si quis ex hæredibus ipsius iniuste vsurpare pręsũpsisset, omnimodis ea recipiendi sacerdotes eorumdem locorum liberam valerent habere potestatem. Quasdam quoque villas in territorio Metensi constitutas, quarum caput est * Ottiuallis, quas domnus Egidius à Vincentio quodam traditur coëmisse, cum Childeberto rege commutauit, pro alijs villis in pago Remensi sitis, id est Marciliana & Arbidogilo. Res quoque, vel mancipia, in pontificatu positus ad augmentum ecclesiæ inuenitur emisse. Oratorium denique sub honore beati Germani construxit in atrio sancti Remigij. Quasdam quoque res à quibusdam peruasas, apud regiam maiestatem, agente præfato Sonnatio Archidiacono, euindicasse reperitur, regiæ auctoritatis super his euindicationibus, adhuc manentibus instrumentis.

l. Orciual-lis. E *f. Margilly & Ardeuil.*

De Sonnatio Episcopo.

Cap. V.

ROmulfum sequitur in Episcopatu Sonnatius, qui Synodum celebrasse reperitur cum alijs quadraginta, vel eo amplius Galliarum Episcopis. Vbi etiam sanctus Arnulfus Metensium Præsul inuenitur interfuisse, cum Theoderico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Bituricensi, Medegiselo Turonensi, Senoco Elosanensi, Leontio Xantonensi, Modoaldo Treuerensi, Chuncberto Coloniensi, Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi, Auspicio Augustidunensi. F Item Modoaldo Lingonensi, Ragneberto Baiocensi, Childoaldo Abrincatensi, Bertegiselo Carnotensi, Palladio Antisiodorensi, Gondoaldo Meldensi, Leodeberto Parisiacensi, Chainoalgo Lauduni Clauati, Godone Virdunensi, Ansarico Suessionensi, Claudio Retensi, Berthoaldo Camaracensi, Agomato Siluanectensi, Cæsario Aruernensi, Vero Rutenensi, Agricola Gabalensi, Lupoaldo Magontiacensi, Willegiselo Tholosano, Constantio Albiensi, Nammatio Egolelmensi, Rustico Caturcẽsi, Audeneu Auscensi, Emmone Areserensi, Felice Cathalauensi, * Hadoindo Cenumannensi, Magnebodo Andegauensi, Ioanne Pictauensi, * Leobardo Namnetico. In qua Synodo multa leguntur vtilia constituta.

mss. r. Chadoindo. *al. Leubardo.*

1. De rebus scilicet Ecclesiæ, qualiter tractandæ sint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vsurpentur, & ecclesiæ defraudentur.

G

2. De clericis, si qui rebellionis ausu sacramentis se, aut scripturæ coniuratione constrinxerint, atque insidias Episcopo suo callida allegatione confecerint, vt si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priuentur.

3. Vt capitula canonum Parisius acta in generali Synodo, in basilica sancti Petri, Lutharij regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.

4. Vt si qui hæretici adhuc esse suspicantur in Gallijs, à Pastoribus Ecclesiarum perquirantur: & si veraciter fuerint inuenti, ad fidem catholicam reuocentur.

5. Vt temere nullus excommunicetur: & si excommunicatus existimat se iniuste damnatum, in proxima Synodo habeat licentiam reclamandi: & si iniuste damnatus fuerit, absoluatur: sin autem iuste, impositum pœnitentiæ tempus exsoluat.

6. Vt si quis Iudex cuiuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis, absque conscientia & permissu Episcopi distringere, aut contumelijs: vel iniurijs afficere præsumpserit, communione priuetur. H Episcopus tamen de repertis conditionibus clericorum negligentias emendare non tardet.

7. Hi vero, quos publicus census spectat, sine permissu principis, vel iudicis, se ad religionem sociare non audeant.

8. Si quis fugitiuum ab Ecclesia absque sacramento, quo ei iurandum est, vt * de vita, tormento, & truncatione securus exeat, qualicumque occasione abstraxerit, communione priuetur.

c. edentato

9. Similiter si quis ius sacramenti præstitum violauerit, communione priuetur. Ille vero qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur à morte, non prius egrediendi accipiat liber-

A libertatem, quam pœnitentiam se pro scelere actuum esse promittat, & quod ipsi canonice imponetur impleturum.

10. De incestis coniunctionibus, si quis infra præscriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis, quibus à diuinis regulis prohibetur, se coniunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priuantur, & neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti incestuosi se coniunxerint, Episcopi seu Presbyteri, in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, Regi vel iudicibus scelus perpetratum adnuncient, vt cum ipsis denunciatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent, & res eorum ad proprios parentes perueniant, sub ea conditione, vt antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perueniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur.

11. B Si quis homicidium sponte commiserit, & non violentiæ resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum: sic tamen vt si pœnitentiam egerit, in extremis communionis viaticum non negetur.

12. Clerici etiam vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint: aut id, quod ipsi donauerint ecclesiis aut monasteriis, crediderint auferendum, sicut ante Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

Concil. Paris. 4. c. 1.

13. Vt Christiani Iudæis vel gentilibus non vendantur: & si quis Christianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venundanda, non aliis nisi tantum Christianis expendat. Nam si paganis aut Iudæis vendiderit, communione priuetur, & emptio careat firmitate. Iudæi vero si Christiana mancipia ad Iudaismum vocare præsumpserint, aut grauibus tormentis afflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus reuocentur. Qui tamen Iudæi ad nullas actiones publicas admittantur. Iudæorum vero conuicia in Christianos penitus refutanda sunt.

C

14. Item si clericus proficiscens de ciuitate ad alias ciuitates voluerit, aut prouincias pergere, Pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur.

15. Item vt Episcopus mancipia vel res ad ius ecclesiæ pertinentes neque vendere, neque per quoscunque contractus, vnde pauperes viuunt, post mortem alienare præsumat.

16. Item de his qui auguria, vel paganorum ritus inuestigatur imitari, vel cum paganis superstitiosos comedunt cibos, quos benigna placuit admonitione suaderi, vt ab erroribus pristinis reuocentur. Quod si neglexerint, & idololatris vel immolantibus se miscuerint, pœnitentiæ dignum tempus exsoluant.

17. Item vt serniles personæ ad accusationem non admittantur: & qui personam susceperint accusantis, cum vnum crimen non probauerint, ad alia accusandum non admittatur.

18. D Item si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus, aut potestate suffultus, decedente Episcopo res cuiuslibet conditionis in domos vel agros Ecclesiæ positas, ante resarcionem testamenti, vel audientiam cuius fuerit occupare, vel Ecclesiæ repagula effringere, & supellectilem infra domum Ecclesiæ positam contingere, vel scrutari præsumpserit, à communione Christianorum penitus abdicetur.

19. Item si quis ingenuum aut libertum ad seruitium inclinare voluerit, aut fortasse iam fecit, & commonitus ab Episcopo se de inquietudine eius reuocare neglexerit, aut emendare noluerit, tanquam calumniatorem placuit sequestrari.

20. Item vt clerici cuiuslibet ordinis, neque pro propriis, neque pro ecclesiasticis causis aliud adire debeant forum, nec causas dicere audeant, nisi quis cum permissu & consilio Episcopi agere eis fuerit omnino permissum. E

21. Item vt in parochiis nullus laicorum Archipresbyter præponatur, sed qui senior in ipsis esse debet, clericus ordinetur.

22. Item Pontifices, quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur (quia ille qui donat, pro remedio animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre) non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computabunt, quia iustum est, vt sicut sacerdos habet quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat quod *reliquerit sacerdos. Sane quicquid per fidei commissum aut Sacerdotis nomini aut Ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicunque aliis postmodum profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computatum retinere non poterit.

*reliquerit sacerdos.

23. Item si quis Episcopus res, quæ ab alia Ecclesia* præsentaliter possidentur, quocunque ingenio aut callida cupiditate peruaserit, aut sine audientia præsumpserit vsurpare, ac suis vel Ecclesiæ suæ ditionibus reuocare, dum communione priuari non potest, vt necator pauperum, ab officio deponatur. F

*præsentaliter.

24. Item si quis Episcopus (excepto si euenerit ardua necessitas, pro redemptione captiuorum) ministeria sancta frangere pro qualicunque conditione præsumpserit, ab officio cessabit ecclesiæ.

25. Item viduas, quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas, nullus, neque per auctoritatem regiam, neque qualicunque potestate suffultus, aut propria temeritate rapere aut trahere audeat. Quod si vtrique consenserint, communione priuentur.

26. Iudices, qui super auctoritate & edicto dominico canonum statuta contemnunt, vel edictum illud dominicum, quod Parisiis factum est, violauerint, aut contempserint, placuit eos communione priuari.

27. Item vt decedente Episcopo in locum eius non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem vniuersale & totius populi elegerit votum, ac comprouincialium voluntas assenserit. Alter qui præsumpserit, abiiciatur è sede, quam inuasit potius quam accepit. Ordinatores autem triennio ab officio administrationis suæ sedis cessare decernimus. G

Præterea res Ecclesiæ præfatus præsul domnus Sonnatius probabiliter ordinasse legitur, augens etiam Episcopium, terris ac mancipiis dato pretio coemptis, quarum adhuc emptionum nonnulla reperiuntur monimenta. Quasdam quoque res, quas praui quidam peruaserant, apud regiam maiestatem, tam per seipsum, quam etiam per suos actores, Marco Presbytero quoque legato suo causas agente, repetitas & obtentas Ecclesiæ rite restituit. Colonias etiam villarum quarundam Episcopii depositis ordinauit seruitiis. Præcepta nec non regalia super ecclesiasticarum immunitate rerum, sed & traditiuonum quarundam obtinuit firmitate. Sed & res inuenitur quasdam cum regina Brunechilde commutasse, pro vtriusque partis opportunitate.

Testamentum quoque rerum suarum condidit, in quo plura diuersis donaria contulit ecclesiis. Basilicam tamen beati Remigii præcipue sibi hæredem instituit, vbi & sepulturam se habiturum delegit: ibique missorium argenteum deauratum deputauit. H Cochlearia quoque duodecim, & salarium argenteum, ac portionem suam de villari quodam cum mancipiis, vineis, pratis, cæterisque adiacentibus, & alia nonnulla, quæ se dato pretio meminit comparasse. Ad basilicam sanctorum Timothei & Apollinaris delegauit casas quasdam tam iuxta ipsam Ecclesiam, quam infra ciuitatem. Ad basilicam sancti Martini quem peculiarem patronum suum dicit, villam Murstionis, quam comparauit, ad integrum sicut à se possessa est, tradidit. Insuper & aurum dedit, vnde calix inibi fieret. Ad basilicam sancti Iuliani recuperandam auri solidos v. Ad basilicam sancti Nicasii similiter solidos quinque.

A que. Ad basilicam sancti Iohannis solidos v. Ad basilicam sancti Sixti similiter in auro solidos tres. Ad basilicam sancti Mauricij solidos iij. Ad basilicam sancti Medardi solidos iij. Ad Monasterium puellarum, vineam in Germaniaco suam, cum quibusdam vasis ipsi basilicæ profuturis. (Geminy.) Ad basilicam, quæ dicitur ad Apostolos, auri solidos iij. cum aliis munusculis vnde calix fieret. Ad basilicam sancti Petri in ciuitate auri solidos iij. Ad basilicam Sancti Theuderici portionem suam de villa Germaniaco, cum mancipijs, vineis, & cæteris ad ipsam pertinentibus: argentum quoque ad sepulchrum domni Theodulfi fabricandum, vel exornandum. Ad basilicam sancti Viti vas quoddam argenteum ad calicem faciendum, & in auro solidos xv. Ad basilicam sanctorum martyrum Rufini & Valerij in auro solidos xv. ad basilicam sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani auri solidos xv. Ad matriculam præterea sanctæ Remensis Ecclesiæ nonnulla contulit donaria.

Cæteris quoque matriculis vel congregationibus diuersa delegauit munera. Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædia quædam eo tenore dereliquit, vt ad loca Sanctorum à se destinata post eorum reuerterentur decessum. B Mancipia nonnulla libertate donauit, additisque ditauit peculijs. Quod viri Dei testamentum regalis præceptis reperitur pagina roboratum.

De Leudegiselo Episcopo, Angleberto, & Landone.

CAP. VI.

POst hunc beatum virum Leudegiselus, Attilæ Episcopi frater, tempore Dagoberti Regis Episcopium rexit, quod etiam rebus emptis, scilicet siluis, pratis, turibus auxit. Quædam quoque cum Abbone Tricassino Episcopo, pro vtriusque partis opportunitate, commutauit: sed & alia quædam cum alijs quibusdam personis. Res etiam quasdam Ecclesiæ ordinatis disposuit colonijs.

Hunc sequitur Anglebertus. Ipse quoque rebus emptis auxisse reperitur Episcopium. Cui successit Lando C vir illustrissimus, & multorum possessor prædiorum: quorum nonnulla iunxit Ecclesiæ, quædam verò propinquis suis distribuit. Sed & ea quæ trans Ligerim Remensis habuerat Ecclesia, & Felix Abbas quidam Ecclesiæ sancti Iuliani martyris indebitè retinebat, apud maiestatem regiam legibus euindicata recepit: pro quibus iam antea prædecessor eius Anglebertus Episcopus cum Gallo Aruernensi Episcopo, coram rege controuersiam habuisse reperitur. Hinc Lando Præsul Ecclesiam Remensem rerum suarum per testamenti paginam ritè fecit heredem: & quæcunque alijs dedit personis vel ecclesijs, eidem Ecclesiæ vel successori suo constituit dispensanda. Diuersorum siquidem Sanctorum basilicis diuersa delegauit donaria. Basilicæ scilicet sancti Remigij, vbi sepulturam fieri sibi delegit, villas & munera. Basilicæ sancti Gaugerici & sancti Quintini argenti vasa dona. Item Basilicis atque matriculis Remis: sanctorum scilicet Timothei & Apollinaris. Item sancti Martini. Item sancti Nicasij. Item sanctæ Genouefæ. Monasterio quoque D sanctorum Theodorici & Theodulfi. Item ad basilicam sancti Germani, & matriculam ipsius. Item sancti Iuliani. Item sanctorum Cosmæ & Damiani. Item sancti Petri ad cortem. Item sancti Petri ad monasterium puellarum. Item ad basilicam S. Symphoriani, quæ vocatur ad Apostolos. Item sancti Medardi, & sanctorum Crispini & Crispiniani. Item sancti Victoris. Item sancti Mauricij. Item sancti Basoli diuersa contulit donaria. Ecclesiæ quoque Laudunensi cuiusdam villæ portionem suam delegauit, & basilicæ sanctæ Genouefæ ibidem constitutæ villam Appiam, cum omni re ad se pertinente tribuit. (Le village d'Eppe.) Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Remensis ecclesiæ, & patenas tres, ac brachiale aureum. Fuit autem Sigiberti regis tempore. E

De sancto Niuardo.

CAPVT VII.

POst præmissos, ad Episcopale culmen eligitur beatus Niuo, qui & Niuardus. Vtroque namque reperitur vocitatus nomine. Hic prius in aula regia, vir potens vir illustrissimus, traditur conuersatus. In Episcopatu vero positus, emptis per diuersa loca tam fundis, quam domibus, necnon mancipijs dilatasse res inuenitur Ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis colonijs villas Episcopij: quasdam quoque res commutasse reperitur cum Attila Laudunensi Præsule, pro vtriusque partis opportunitate. Commutauit etiam à Baunne & Theoderammo fratribus locum quendam super fluuium Maternam de rebus Remensis Ecclesiæ, vbi construxit Monasterium, quod dicitur Altum villare, petente Berecario Abbate; qui ab eo petierat locum sibi dari, vbi cum fratribus suis monachis, sub regula patrum sancti Benedicti & sancti Columbani viuere posset: quod & idem Præsul facere studuit, vt infra continetur. (Hautvillers.) F Sed & cum alijs quibusdam personis, prout congruum visum fuit, res quasdam commutauit. Dedit quoque, sub iure priuilegij, ad monasterium sancti Basoli Ecclesiam in Virziaco in honore sanctæ Mariæ constructam, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, simulque locellum qui VVasciatus dicitur. Immunitatem quoque ipsis monachis, sub Petrone Abbate ibidem Deo seruientibus instituit, vt nullus Ecclesiasticorum iudicum eos indebite in aliquo inquietare præsumeret; sed eis quieto ordine sub sancta regula viuere, ac Deo seruire liceret. Præceptum etiam immunitatis à Childeberto rege super teloneis & quibusdam tributis ecclesiæ Remensis obtinuit. (Childebertus iij.) Cui Ludouicus quoque rex, sub ecclesiæ suæ nomine, res quasdam in Malliaco super fluuium Vidulam, quas quibusdam infidelibus suis ereptas receperat, auctoritatis suæ præcepto concessit. (Mally. Veeste.) Huius etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum & Victuriacum, pro animæ suæ remedio. G

Hic beatus Niuardus, dum ex communi consensu totius Concilij Præsulum Galliæ, Neustriæ, Romani missione Pontificis, exhibiti, rege fauente, restruxisset Ecclesiam monasterij super ripam Matronæ fluminis, in loco nuncupato Villari, dudum sitæ, sed à Barbaris dirutæ, & ab eo constructa hæc funditus cecidisset Ecclesia, in alio loco rursus ab ipso restructa, rursum traditur corruisse. Quadam vero die veniens de villa Sparnaco, simul comitante secum præfato Abbate Berecario, visum sibi est, transito flumine, debere paululum requiescere: sicque caput in sinum sedentis reclinans Berecarij, obdormiuit, & visum vidit; scilicet columbam locum siluæ circumire, & in fago quadam post hanc circumitionem resedisse: idque tertio columbam videt eandem egisse, itemque cælos petisse. (Idem latius refertur in vita S. Berchary.) Quam visionem, sicut ipse in somnis, ita prædictus quoque Berecarius vigilans fertur aspexisse. Quo viso compunctus idem cœpit Abbas fundere lacrymas. Experrectus autem Beatus Præsul à somno, ex lacrymis eius sibi faciem respersam videns, & interrogans quæ illa causa fletus existeret, accipit eum propter sui curam fleuisse operis. H Inde cum quæ sibi visa referentibus, traditus Pontifex hæc etiam cuidam Dei seruo, nomine Bauoni, cuius erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore sanctæ crucis illic habens, ibi conuersabatur. Qui etiam postquam visionem Præsulis, & eius agnouit voluntatem, obtulit illi eandem possessionem suam, partem quoque possessionis cuiusdam fratris sui, nomine Raldoni. Alterius verò fratris, Theoderammi nomine, causam retulit, quod esset scilicet in factione contra Reolum Comitem, qui Remensis post exitum Episcopus, pro filijs eius, quos occiderat in vltione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio,

A quod exercebant, suspendio necauerat. Vnde dominus Niuardus eum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat vxorem, pacificauit, & sic ipse Theoderamnus simul cum cæteris fratribus suis eandem possessionem sancto Niuardo, commutatione ab eo sumpta, tradidit. Mox idem Præsul succidi siluam iubens, in honore sancti Petri, & omnium Apostolorum ibi construxit Ecclesiam, & vbi resedisse columbam viderat, altare instituit, collectisque seruis Dei Monasterium ordinauit. Vbi etiam præfatus Thoderamnus monachus efficitur. Sed & Reolus filium suum nomine Gedeonem, de nepte sancti Niuardi susceptum, ibi monachum fieri petijt, & rerum suarum partem ad idem monasterium condonauit. Beatus autem Niuardus, constituto monasterio, quicquid possessionum ante Episcopatum fuerat visus habere ad ipsum locum tradidit, & exhortatus beatum Reolum, religionis ei suasit assumere habitum. Priuilegium quoque, poscente præfato Abbate Berecario, eidem contulit monasterio vt scilicet ipse Præsul idem monasterium in sui iuris dominatione dum ad viueret, conseruaret, & vt post suum B decessum Remensis Episcopus ipsum cœnobium gubernet, & eosdem monachos contra omnes aduersitates defendat: ipsi vero monachi potestatem habeant Prælatum sibi regulariter eligendi, prout in descriptione ipsius priuilegij continetur. Post hæc in ecclesiola sanctæ Mariæ, quam in eodem monasterio construxerat, obisse fertur & ad ecclesiam sancti Remigij Remis deportatus, ibidem sepultus est.

De translatione sanctæ Helenæ ad ipsum Sancti Monasterium.

CAP. VIII.

AD prænotatum huius sancti viri cœnobium beatæ Helenæ reginæ constat corpus ab vrbe Roma deuectum. Quod quidam Præsbyter Remensis parochiæ, Tergisus nomine, Romam profectus, noctis inopinus in ecclesia remanens tempore, furatus cautissime secum studuit deferre. Qui dum iam secundam mansionem habe- C ret in silua quæ ciuitati adiacet Sutriæ, in crastinum vnus è comitibus eius pignera sancta leuare super asellum gestiens, ea minime valuit mouere. At stupidus hæc magistro notificat: qui concitus pergens, thesaurum pauidus apprehensum iumento sine grauitate ponderis imposuit, cum esset inferior repulso viribus corporis, Confessus est autem idem minister nocturno se pollutum fuisse somnio. Venientes ad rapidissimum fluuium Tarum, cum illum non auderent ingredi, propter validissimum ipsius impetum, animal, sacro tutum munere, sponte descendit in flumine. Quem sequutus alter asellus ferens Presbyterum, licet vndis pene videretur immersus, transijt tamen fluuium, cum latera fluctibus non tinxisse probaretur almi pigneris baiulus. Item dum superant Alpium iuga quædam comes huius itineris puella in præceps labitur acta. Quæ dum miserabiliter voluitur per deuexa, socij beatæ reginæ proclamantes expetunt patrocinia: Cum subito in prærupto montis hæsit latere delapsa: sicque demissis fasciculis retrahitur incolumis ad superiora, nullam, ceu visum sibi est, læsionem per- D pessa. Quibus compertis nonnulli miraculis, deuotius huius oneris famulabantur obsequiis. Inter quos equo quidam desiliens, beata superimponit pignera, descensusque montis artam ingressus semitam, propriis onus extollit humeris. At subito lubrica pede secuto ruit in præceps, sacra tamen brachiis astricta nullatenus omittens munera: cum protinus, turba sequente nomen reginæ precibus ingeminante, equus, qui sacra gesserat, suam ruituri pendens ruinam, mentem ... hominem eruribus amplexus tamdiu eum, Deo se sustinente, tenuit, donec ab incolis subter degentibus glacies ferro crispata, & tam homo quam equus in vallem tunc funibus reuocati. Peruenientes autem ad pagum Lingonicum in vicum, qui vocatur Ottmer, ecclesiæ beati Winebaldi almas intulerunt reliquias. Vbi quædam contracta E genibus repens muliercula, mox vt horum gestamen pignerum attigit, ad sua reuocatis officia neruis, sanitati perfectissime redditur. Inde itinere vnius diei peracto, quidam omnibus iam per sexennium dissolutus artubus, linteum beatæ Reginæ cum gladio mittit in munere. Sed antequam coniux eius ad eum, quæ hæc detulerat munuscula, rediret, infirmus idem membrorum omnium recuperat munia. His auditis quędam matris ab vtero cæca puellula deducitur huc ad sancta præsidia, moxque dum feretrum beatæ contigit dominæ, depulsa lumen recepit cæcitate. Ingressis villam Auergam quædam muta, sed & officio manuum destituta, progreditur obuiam, quæ statim, recuperatis membrorum muniis, optatam meruit inuenire medelam.

Deinde venerando hoc in ecclesia villæ Falesiæ posito munere, quidam lunaticus eandem basilicam est ingressus. Tum nouissime vexatus, merita beatissimæ petentibus cunctis plenissime regreditur absolutus, integra scilicet sospitate donatus. In eadem villa quidam morbo attritus tria grabato exegerat lustra, carne iam ita putrefacta F ve viginti tria è corpore ipsius cecidisse ferantur ossa: qui ad diuam perlatus medicatricem virtute diuina erectus stupente populo redditur sanus. Quædam quoq; puella nomine Bana, geribus attracta repens, vtpote vtroque poplite contracto matris ex vtero, basibus hic solidatis, recto recessit vestigio, quæque postmodum Remis in sancto permansit proposito. Accedit quoque fœmina, quæ paralysi resoluta linguæ penitus amiserat officia, laxisq; neruis, dextræ manus inutilia dependebant vincula. Cuius allatus in munere linteolus, vt thecam sacri contigit corporis, mulier pristinæ munia perfectæ recepit salutis. Quidam surdus à natiuitate veruecem adduxit, ecclesiam ingressus ad missarum solennia stetit. Vt ad Euangelium ventum est recitandum, verba vitæ insolita cœpit aure percipere: quo perlecto euratus, confessus est, Euangelium se nunquam prius audisse. Pater quidam lactentis aduenit pueri, quem ad exitium iam iamque vis impellebat ægritudinis. Genitor ergo, votum pro vita vouens nati, redijt, & puerum, qui per quinque iam dies somenta spreuerat mammæ, reperit incolumem, lacque sugentem. Paralyticus quidam Teutonum è finibus est aduectus, qui G septem dudum vicibus omnium membrorum soliditatẽ adeptus, toties, carnis se prementibus desideriis, miserabiliter est recontractus. Qui postquam propria confessus est facinora, quod non egerat iam vicesimus voluebatur annus, permansura deinceps est sanitate potitus. Adlata est item mulier quædam dextro latere pestis immanitate resoluta, quæ perfectam consecuta medelam, reuersa est sana. Item adducitur mane mulier cęca, quæ hora rutilante tertia, gemina regreditur illuminata lucerna.

Denique vt perlata est ad præfatum Altumuillarense monasteriũ sacratissima gleba, quibusdam dubitantibus, an ipsa foret Helena Cõstantini Augusti genitrix, vitalisq; ligni repertrix, id probabili Christus asseuerare dignatus aquæ indicio, triduano supplicatus ieiunio. Mittuntur ẽt tres fratres ex eodẽ monasterio Romã, ad indagandã trãslationis huius beatæ reginæ certitudinẽ: qui redeuntes & veritatis huius indaginem, & geminatũ gaudium, corpus videlicet beati Polycarpi Presbyteri, collegæ sancti Sebastiani, huic attulere cœnobio.

H Huius beatæ reginæ quondam natali die imminente, piscatores monachorum noctu capturæ instabant piscium in Materna flumine, calloque frustrati per totam fere noctem labore, tandem conquesti, Sanctam Helenam pro sua cœperunt inclamare fatigatione. Tum in Dei, & in ipsius nomine laxantes rete, gemino ditati gaudent electo. Sed mox vnus horum repetens matrem, quodam gaudia interpolauit mœrore. Dumque rursus queruntur, iterumque dominam inclamando turbantur; piscis elapsus mirabiliter dans saltum ab imo, superiorem retis funem tenacissimo corripit morsu, & sic inhærens funi pependit, donec stupefactus eum tandem piscator gratanter excepit.

A

De translatione sancti Sindulfi ad idem Monasterium.

CAP. IX.

AD hoc Monasterium beati Sindulfi translata sunt ossa, quæ in villa, quæ dicitur Alsontia, fuerant posita, vbi Deo idem sanctus vir sacerdotali seruierat officio, & vbi pluribus post obitum claruerat miraculis. Cuius pignora vt perlata sunt ad villam, quæ dicitur Spida, mulier quædam cæca pristinum gaudia est lumen adepta. Cumque appropinquarent iam portæ ciuitatis Remensis, obuiam properante populi multitudine, accessit quædam muta & debilis manu puella: quæ vt se terræ prostrauit, ab vtraque sanari peste promeruit. Allata est illuc quædam muliercula manibus, genibusque contracta, quæ continuo vt est ad terram deposita, sanitati lætatur restituta. Sed vbi victa luxu gloriari cœpit, quod eam vellet, nollet, vir suus reciperet, qui eam infirmitatis huius causa dimiserat, ad depulsam rursus est miseriam reuoluta.

B

Item vt posita sunt beati viri membra in Ecclesia, coram altari sanctæ Mariæ, aduenit quædam puella reptans genibus contracta, quæ virtute erecta, huius sancti meritis assistit sana. Adducitur etiam quædam iam per annos septem cæca, quæ mox vt valuas templi attigit, lumen recipere meruit. Celebratis Missæ Sacramentis, defertur inde corpus beati viri ad basilicam sancti Remigij. In crastinum perfertur ad monasterium Auennacum, & occurrentibus sanctimonialibus, aduenit quidam iam duobus annis claudus: qui vbi se prostrauit in humum, surgens priscum cœpit figere gressum. Affertur etiam quædam contracta, membrisque resoluta, quæ sine mora sospitati gaudet restituta. Tum perlatum est munus hoc venerabile ad monasterium Altumuillarense, vbi quædam puellula aduecta, à primo natiuitatis anno cæca, vt ad ianuam monasterij peruenit, lucem videre cœpit. Duo Germani prouectæ fratres ætatis sub vno anno luce priuati oratorium ingressi, vt se dederunt in orationem, cruor eis pro lachrymis fluere cœpit ex oculis, moxque lumine recepto, lætantur sepulchrum videre sanatoria.

C

Quædam Deo sacrata votum habuit cum sociis, vt iret ad locum pignoris: quæ de itinere medio cæteris iter peragentibus cœptum, reuersa, vt ad suæ locum cellulæ peruenit, poplitibus, brachiisque contracta diriguit. Postea plaustro ad præfatum deuecta cœnobium, postquam aliquamdiu ibidem in hac est ægritudine remorata, exultat tandem pristina sibi sospitate redhibita.

Gallice S. Rieul.

De Sancto Reolo Episcopo.

CAP. X.

POst S. Niuardum præfatus domnus Reolus Episcopium hoc est adeptus, quod tam hæreditatis quam emptionis inuenitur auxisse rebus. Qui ex præcepto domni Niuardi causas apud regiam maiestatem pro rebus Ecclesiasticis, vel colonorum legibus egisse ac euicisse reperitur.

D

Ipse vero beatus Reolus in Episcopatu iam positus magnam habuit intentionem, pro rebus præmissi sancti Niuardi Episcopi, cum Gundeberto regis optimate, ipsius domni Niuardi fratre germano, dicente Gundeberto quod villæ germani sui Niuonis Episcopi, tam de paterna, quam de materna hæreditate, quas Niuo moriens dereliquerat, ipsi iure legitimo deberentur. At contra domnus Reolus vel agentes sui dicebant, quod domnus Niuardus omnem rem suam, pro animæ suæ remedio, ad loca sanctorum per sua instrumenta contulisset, scilicet ad ecclesiam sanctæ Mariæ, & sancti Remigij, atque ad monasterium Altumuillare, nec non & Vitiziacum, vbi domnus Basolus in corpore requiescit: quæ monasteria ipse domnus Niuo suo construxerat, vel restruxerat opere. Item Remis ad monasterium puellarum, vbi Boba præesse videbatur Abbatissa. Item sanctis Rufino & Valerio, vel per reliqua loca sanctorum.

E

Sed dum inter vtramque partem hæc intentio verteretur, meditantibus pacificis tandem personis, eo tenore ad pacem concordiæ redierunt, vt Gundebertus ea quæ vltra Ligerim fuerant Emmæ genitricis ipsorum, absque repetitione Reoli Episcopi, vel agentium suorum, in sua reciperet potestate. Reliqua vero, quæcunque bonæ memoriæ domnus Niuo ad loca sanctorum per sua instrumenta delegauit, ad integrum eadem Sanctorum loca perpetualiter absque repetitione Gundeberti, vel heredum suorum cum Dei adiutorio possiderent. Vnde conuentiale quoque scriptum digestum apud nos adhuc reseruatur, vtriusque partis assignatione roboratum.

Hic partem villæ Diciaci positus in Episcopatu emit. Item mansum & campos in villari* Bersiniaco. Item mansos aliquos plusquam quatuor infra ciuitatem Remensem à diuersis personis, & alia quædam. Item portionem de villa, quæ dicitur Mons Allonis. Item partes villarum Rosiciaci & Popiciaci. & alia nonnulla, tam prædia quam mancipia, eius temporibus tradidit vir illustris Warnerus ad ecclesias sanctæ Mariæ, & sancti Remigij Remis Cruciniacum montem, Curbam villam, cum Acciniaco, in pago Tardonensi. Quædam denique hic beatus præsul Reolus ex rebus Ecclesiæ inuenitur cum quibusdam personis commutasse, partium scilicet liberata opportunitate.

*ms H [illegible]niaco.

F

Crany, Couraille & Arcinn en Tardenois.

Habuit filiam Deo sacratam in monasterio, quod Ebroinus Suessionis construxit, sub sancta regula conuersantem, nomine Odilam, quam ex legitimo susceperat ante clericatum matrimonio: cui villas quasdam tam in pago Remensi, vel Bellouagensi, quam etiam in partibus Translationis, eo tradidit iure, vt ad idem monasterium res ipsæ post eius decessum proficerent omni tempore.

Construxit hic venerabilis Præsul monasterium Orbacense, in loco quem promeruit dono regis Theoderici, per ipsius licentiam, suffragante quoque Ebroino Maiore domus. Impetrauitque dominus idem Reolus à monasterio Resbacensi sex monachos, qui regiminis sanctæ regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent. Ex quibus vnum, *Landemarum nomine, in eodem loco Abbatem constituit, qui rexit idem monasterium donec vixit. Nam licet ab Odone quodam fuerit expulsus, à Childeberto tamen rege postea restitutus est. Post cuius obitum domnus Rigobertus Archiepiscopus ipsum recepit & rexit. Huius monasterij monachum nomine Hucboldum, nuper Hungari comprehensum trucidare nisi sunt: sed nequaquam ferro incidere potuerunt. Nam vt idem refert, & nonnulli captiui qui viderant, reuersi nunc quoque testantur, dum sagittis eum nudum vndique Barbari peterent, vt ab adamante tellisæ, sic ab eius corpore resiliebant sagittæ, nec signum ictus vllum apparebat in cute: sed & omni conatu gladio percussus, nihilominus mansit intemeratus. Vnde & Deum dicentes eum esse, duxerunt reuerenter secum, donec redemptus à quodam Episcopo, atque dimissus reuertitur.

Orbac en [illegible] le funda[illegible] monast.

G

*Leudemarum, &c. [illegible] abbas Orbas. Hucboldus lædi non potuit. Idem [illegible] Frodoardus in Chron. an. 937.

De sancto Rigoberto.

CAP. XI.

H

PRæfato domno Reolo beatus Rigobertus successit in Episcopatu, eius, vt traditur, etiam carne propinquus in regione Ribuariorum nobili prosapia genitus: patre siquidem ex eodem pago, nomine Constantino, matre vero ex Portensi oriunda territorio: vir pius moribus instructus, & virtutum insignibus adornatus. Qui nonnulla in Episcopio collapsa reperiens, reparauit. Sed & Canonicam clericis religionem restituit ac sufficientia victualia constituit, & prædia quædam illis contulit, nec non ærarium commune vsibus eorum instituit. Ad quod has villas delegauit: Gerniacam cortem, Muscetú Rocetum, Wulfiniacum Riuum, Curcellas: Ecclesiá quoque S. Hilarij, cum suburbio ad eam pertinente: scilicet vt in annona transitos sui die sufficiens eis inde refectio pa-

Pais de Ribemont.

Gernicourt.

A

ratetur: quæ superessent, ipsis communiter diuidenda cederent. Famulos quoque, & eorum colonias ad necessaria Canonicorum seruitia deputauit, & eosdem Christi pauperes rerum suarum heredes fieri destinauit. Harum verò summa rerum in XL. vel amplius mansos colligitur. Nonnullas etiam Episcopij villas, descriptis earum colonis, seruitiisque, ritè disposuit.

Res etiam quibus Episcopium auxit quasdam dato pretio comparauit, vt villam nomine Cartobram, in pago Tardonensi, à Gomnoaldo, pro qua dedisse traditur auri solidos quingentos: & in villa, cui nomen Turba, mansos duos, à diuersis personis. Item portionem de villa, quæ dicitur Campaniaca, super fluuium Vidulam, ab *Hosomo, pro qua dedisse reperitur in auro solidos CXL. Item à quadam consobrina sua, nomine Gilsinda, portionem de villa Bracaneio super fluuium Rotumnam, cum mancipiis, ædificiis, & omnibus ad ipsam possessionem pertinentibus. Item ab eadem Gilsinda partem quandam de villa Bobiliniaca supra fluuium Suippiam, cum domibus, mancipiis, pratis, campis, & cæteris ad eandem possessionem pertinentibus: pro quibus rebus in auro solidos centum inuenitur dedisse. Quasdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emisse. Quædam quoque cum aliquibus personis inuenitur commutasse, pro partium scilicet opportunitate. A Dagoberto denique rege præceptum immunitatis suæ obtinuit ecclesiæ, suggerens eidem regi, qualiter ipsa ecclesia sub præcedentibus Francorum regibus, à tempore domni Remigij & Clodouei regis, quem ipse baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo liberrima semper extiterit. Qui Præfatus rex hoc beneficium confirmare vel innouare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad prædecessorum formam regum, præcipiens vt omnes ipsius sanctæ Dei ecclesiæ res, tam in Campania, & infra vrbem, vel suburbanis, quam in Austrasia, seu Neustria, vel Burgundia, seu partibus Massiliæ, in Rodonico etiam, Gaualitano, Aruernico, Turonico, Pictauico, Lemouicino, vel vbicumque infra regna eius ipsa Remensis Ecclesia, vel basilica beatissimi Remigij villas aut homines habere videbatur, sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque vt nullus iudex publicus in ipsas terras auderet ingredi, vt mansiones intrando faceret, aut qualibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præsumeret: sed quodcunque à prædecessoribus suis regibus ecclesiæ Remensi vel basilicæ sancti Remigij fuerat concessum, cunctis diebus eadem ecclesia valeret habere conseruatum. Sed & à filio ipsius super huiusce auctoritatis corroboratione, & à cæteris sui temporis regibus, immunitatis, ac teloneorum remissionis præcepta ecclesiæ suæ studuit obtinere. Item Theoderici regis specialiter pro villa Calmiciaco, quam Grimoaldus vir illustris Ecclesiæ Remensi contulerat. Quarum adhuc regalium monimenta præceptionum in archiuo sanctæ huius Remensis conseruantur ecclesiæ.

ms. Hosenio.

Briquenay.

Boul sur Suippe.

B

D gobertj.

C

Hic venerabilis Præsul Pippinum Maiorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse: cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere. Ad quem collocuturus, dum venisset aliquando, cœpit idem Princeps requirere, quid huic sancto patri gratum potuisset offerre. Morabatur autem tunc apud Gerniacam cortem, quam villam eidem oblatam, vbi gratam haberi beato Pontifici comperit, offert ei, vt quantum vellet in gyro accipere, vel quantum circumiret, dum ille meridie quiesceret. Beatus itaque Rigobertus, exemplum beatissimi Remigij secutus, per fines qui manifestissimè parent, pergens, passim innexus sui limitem noui præcepit, vt litem discerneret aruis. Cui regresso surgens Pippinus à somno, largitus est omnem quem circuitu suo concluserat locum. Ad indicium verò memorabile super hoc itineris sui vernantior omni tempore, quam in cæteris circa locis, visitur herba virere. Est & aliud non contemnendæ rei miraculum, quod procul dubio meritis ipsius constat eisdem rebus à Domino prærogatum. Siquidem postquam eius cessere dominio, fertur eas nunquam læsisse

Pippinus Italiæ, qui & Grossus.

D

tempestas, nec cecidisse super illas grando: & cum in locis contiguis videbatur cadere, fines eorum non præsumit attingere.

E

Denique res istas, vel cætera quæ visus est obtinuisse, nullo mundanæ cupiditatis impetrauit obtentu: sed Ecclesiæ suæ in cunctis consulens vtilitatibus, illam constituit hæredem. Plures etiam rerum suarum participes fecit Ecclesias, vt variis chartarum docemur instrumentis. Sub ipsius Episcopatu dedit Ado quidam Abbas ad ecclesiam sanctæ Mariæ Remensis res suas sitas in pago Lauduoensi, in vico, qui dicitur *Rausidus, cum adiacentiis earum, domibus scilicet, colonis, campis, vineis, pratis, siluis, piscinis, aquis, aquarumve decursibus, & omnibus appendiciis. Item ad matriculam sancti Remigij res quasdam in pago Tardonensi in villa Corneciaco constitutas. Diuersæ quoque personæ in locis diuersis res suas pro animarum remedio Ecclesiæ Remensi sub hoc patre beatissimo tradiderunt, vt *Beroaldus & Sairebertus in monte Betelini, & Taxonariis domos, arua, mancipia, vineas, ac siluas: Gairefredus & Austreberta in pago Laudunensi, in villa VVarocio, mansos cum terris adiacentibus, vineis, ac mancipiis. Abbo res suas sitas in pago Portensi, villa Augusta. Landemarus in Camarciaco, in pago Remensi, mansos cum ædificiis, mancipiis, turibus, vineis, siluis, pratis, & cæteris adiacentiis. Rodemarus res suas sitas in vico Castricensi. Item Austrebertus suas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos condita reseruantur.

c.J. Raosidus.

ms. Heroaldus.

F

De expulsione ipsius ab vrbe Remensi.

Capvt XII.

Orta denique simultate inter regem Chilpericum & Karolum præfati Pippini filium, Maioremque domus Ragemfridum, Karolus iste prope vrbem transiens Remorum, clamasse fertur ad beatum Rigobertum supra portam ciuitatis situm, vt ei iuberet eandem portam aperiri, quatenus ad ecclesiam sanctæ Dei genitricis oratum posset abire. Cui crebris in idipsum vocibus instanti respondisse vir Domini perhibetur, quod non illi eam prius aperiret, donec sciret quem finem lis cœpta perciperet: ne fortè vrbem sibi commissam ipsi diripiendam proderet, qui aliarum res nonnullas vrbium iam diripuisset. Ad hæc Karolus cominatus asseritur furibunde, quod si reuerteretur victor in pace, non vltra idem vir Dei tutus maneret in eadem ciuitate. Supra portam siquidem, quæ dicitur Basilicaris, vel quod basilicis in gyro sui dispositis abundauerit, vel quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigij sitas peruia fuerit, hic benedictus Domini consueuisse traditur commorari: quod apertis cœnaculi sui fenestris, loca sanctorum beati Remigij cæterorumque orandi gratia solitus fuerat contemplari.

an. 7. 7. Sigeb. 7. 8. Chilperic ij Carolus Martellus

G

Porta basilicaris.

Oratorium quoque super eandem portam construxerat in honore S. Michaelis Archangeli, de quo in contiguam sancti Petri Ecclesiam descendere morem fecerat orationis amore. Quod oratorium non pauco tempore perseuerauit ibidem, donec Ludovvicus Imperator idem sancti Petri monasterium Alpaidi filiæ suæ dedit. Cuius mulieris vir, nomine Bego, præfatum dirui iussit oratorium: quia scilicet quadam die caput in superliminari eiusdem ostioli grauiter eliserit, eo quod statura procerus fuerit, & erecto collo ambulauerit, nec ad introeundum seipsum humiliauerit: prætendens quod fenestram obnoberet ecclesiæ præ sui celsitudine. Quod tamen oratorium vt cœpit euerti, mox ille corripitur à dæmone, vt erat in pago Laudunensi, procul ab vrbe Remensi. Porro per huius portæ viam puluis & venti mixtim ferebantur, vnde & tenebræ vrbi videbantur illatæ: nec per eandem viam facile valebat quisquam incedere. Hoc autem oratorium modo reparatum & in præmemorato beati Michaëlis veneratur honore restitutum.

H

Præfa-

A Prælatus itaque Karolus vt principatum bello adeptus est, hunc virum Domini Rigobertum patronum suum, qui (vt traditur) eum de lauacro sancto susceperat, Episcopatu deturbauit, & cuidam Miloni sola tonsura clerico, * quod secum processerat ad bellum, dedit hoc Episcopium. Hic Karolus ex ancillæ stupro natus, vt in annalibus regum de eo legitur, cæteris qui ante se fuerant audacior regibus, non solum istum sed etiam alios Episcopatus regni Francorum laicis hominibus & comitibus dedit: ita vt Episcopis nihil potestatis in rebus Ecclesiarum permitteret. Verum quod contra hunc virum sanctum, & alias Ecclesias Christi perpetrauit malum, iusto iudicio Dominus refudit in caput eius. De quo Patrum scripta relatione traditur, quod sanctus Eucherius, cuius in monasterio sancti Trudonis humatum est corpus, Aurelianensium quondam Episcopus, dum in oratione positus, mente cælestibus intenderet, ad alteram vitam raptus, inter cætera quæ Domino sibi velante conspexit, hunc Karolum in inferno inferiori torqueri vidit. Cui de hoc sciscitanti responsum est ab Angelo doctore suo,

B quod sanctorum iudicio, qui in futuro examine cum Domino iudicabunt, quorum res abstulit, sempiternis sit pœnis deputatus. Qui beatus Eucherius ad seculum reuersus, sancto Bonifacio, qui tunc Gallijs, ad restituenda iura canonica, fuerat ab Apostolica sede prælatus, & Fulrado Abbati monasterij S. Dionysij, & summo Capellano regis Pippini, hæc iudicare studuit, dans in assertione, vt ad sepulchrum eius accedentes, si corpus ipsius ibi non reperierint, quæ de illo referebat, vera esse scirent. Quibus ad locum, vbi corpus eiusdem Karoli sepultum fuerat, venientibus, & sepulchrum ipsius aperientibus, subito visus est serpens egressus: & totum illud sepulchrum vacuum reperitur interius, sicque denigratum, ac si fuisset flammis exustum. De præfato denique Milone Zacharias Papa Romanus, prænouato sancto Bonifacio inter cætera, quæ ad eum mandata dixerit, ita scribit: *De Milone autem, & eiusmodi similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, vt à tali nefario opere recedant, iuxta Apostoli vocem opportune, inopportune prædica. Si acquieuerint admonitionibus tuis, saluabunt animas suas: sin vero, ipsi peribunt obuoluti in*

C *peccatis suis, tu autem, qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam.*

Pippinus rex filius Car. Martelli.

Zacharias ep. 12. 1. Tom. 4.

Cæterum sanctus Domini Rigobertus, dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur sub persecutione de ciuitate in ciuitatem fugere, secessit in Vasconiam. Ibi exulando, dum multorum sancto feruore memorias Sanctorum lustraret, quandam ingressus basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more, ibidemque duo pulsata signa solitum nullum reperiuntur dedisse. Tunc sacerdos & alij circunstantes sollicite perscrutantur, quis sit, & vnde aduenerit. Ille se profitetur clericum, & de Francia profectum. Adijcientes illi, super nouæ rei sciscitantur euentum: cur scilicet impulsa eorum consuete non resonent signa. At ille duo pandit sibi de quadam Ecclesia sua furtim ablata, arbitrarique se, ne forte sint ea. Quibus sibi ostensis, vt asserit sua fuisse, experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cuius impulsum his altisone reboantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super huiuscemodi facto stupentibus, suæ sibi nolæ redduntur: & ipse tam admiratione quam

Matth. 10.

D veneratione dignus habetur, quæ postmodum in Franciam relatæ, & Ecclesiæ Gerniacæ cortis sunt restitutæ.

Fertur hunc virum Dei præfatus Milo (cui Episcopum Remense datum fuerat à Karolo) functus legatione apud Vascones in hac regione reperisse, eique vt in Franciam reuerteretur suasisse, suumque sibi reddendum Episcopium spopondisse. Qui regressus petiuit à Milone, vt res quas Ecclesiæ iam delegauerat, in ius proprium sibi traderet. Quod eo nullatenus assentiente, & Milone se de pollicitatione mutante altare tantum vir Dei sibi rogat concedi sanctæ Dei genitricis Mariæ, vt scilicet in eo missas sibi liceat celebrare. Quo demum obtento, habitauit in Gerniaca corte tempore non pauco, vitam in humilitate, parcitate, vigilijs, orationibus, & eleemosynis, cæterorumque bonorum operum exhibitionibus agens. Morisque fuit ei, ciuitatem Remorum frequenter inuisere, & in ara beatæ Mariæ missas, vt optauerat, celebrare. Tum per Ecclesiam sancti Mauritij ad sanctum Remigium orandi gratia pergere. Inde sancti Theoderici monasterium visitare, ac per Ecclesiam sancti Cyrici de Culmisciaco ad sanctum Petrum in Gerniacam cortem redire. E

De miraculis in vita ipsius ostensis.

Cap. XIII.

Contigit itaque quondam, dum ad sanctum Cyricum oratum venisset in Culmisciacum, locutum eum cum Oeconomo Remensis Ecclesiæ qui aderat: rogatusque ad prandium, recusauit, vtpote missas acturus ad sanctum Petrum. Interea mulier quædam anserem attulit Vicedomino, quem illi offerens Episcopo, petit vt iubeat recipi, secumque deferri. Quem puer viri Dei suscipiens ferebat, cum subito de manibus eius euadens auolauit, spémque resumendi puero abstulit. F At pater sanctus puerum vehementer anxiarum conspiciens, blande, ceu vir mitissimus, consolatur, docens de temporalium amissione rerum nequaquam flendum vel contristandum; quin immo semper in Domino, qui dat omnibus affluenter, sperandum. *Iac. 1.* Et ecce post aliquod spatium, auis vltro reuolans, ad terram coram sancto Præsule descendit, cumque quasi prædux præiens, nusquam à tramite deuiat, donec ad Gerniacam cortem quo ibant, peruenit. Quam vir Domini non passus occidi, præuiam habebat itineris. Fertur enim ante se cursitare solita, dum ciuitatem adibat, aut redibat. Huius beati Præsulis Adrianus, sedis Apostolicæ Pontifex, meminit in epistola sua Tilpino, post Episcopo Remensi directa, in qua & querimoniam facit super eo, scribens in hunc modum: *Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, Archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, a sede contra canones deiectus & expulsus fuit, sine vllo crimine, & sine vllo Episcoporum iudicio, & sine vllo Apostolicæ sedis consensu, vel interrogatione: sed solummodo quod antea non consensit in * parte illius qui postea partem illam de illo regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis ciuitas est † & donatus, atque magis vsurpatus contra Deum & eius auctoritatem fuit ille Episcopatus, simul cum alio Episcopatu, & aliis Ecclesiis, a secularibus potestatibus Miloni cuidam, sola tonsura clerico nihil sapienti de ordine Ecclesiastico, & alij Episcopatus de ipsa Remensi diœcesi diuerso modo essent diuisi, & aliqui ex magna parte sine Episcopis consistentes, & ad alios metropolitanos Episcopi & clerici ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & à suis Episcopis iudicari & distringi non sustinebant: & clerici, & sacerdotes, & monachi, & sanctimoniales sine lege Ecclesiastica pro voluntate & licentia viuebant. &c.*

Adrian. 1. ep.

G

* *or. partem*

† Id est in regno Austrasię.

De obitu & sepultura ipsius.

Capvt XIV.

Hic denique beatus Præsul Rigobertus actibus egregijs, magnisque virtutibus pollens, annos plures in hac exegit conuersatione, consommataque viriliter præsentis vitæ militia, decessit pridie Nonas Ianuarij. Humatus est autem venerabiliter à sacerdotibus in præfata villa, in qua morari solebat, in Ecclesia sancti Petri, ad Australem plagam altaris. H Qui multis hic post sanctam depositionem suam refulgens miraculis, quanti sit apud Deum meriti, patenter innotuit: quæ tamen mira ob curam, vel scriptorum raritatem, non fuere descripta.

Tres siquidem claudi ab incolis eiusdem loci memorantur inibi fuisse curati. Cuius redhibitæ sanitatis indicia bacilli videlicet ac scabella, in eadem Ecclesia diu sunt reseruata donec exinde beata eius sunt pignora translata. Quædam quoque mulier cæca, nomine * Ausildis, ipsius loci habitatrix, ibi pristinum meritus huius

* *l. Ausildis.*

patro-

A patrocinantibus lumen recepit oculorum. Puer quidem, scholaribus apud loci presbyterum studijs deditus, lasciue quondam ludendo supra tumulum eius subsilire cœpit, non dans honorem Deo, neque sancto ipsius ibidem sepulto. Sed vt sepulti meritum panderetur, & huiusmodi præsumptio cohiberetur, continuo pes illius indoluit: moxque claudus effectus, officium pedis vnius amisit. Quo comperto, presbyter cancellos ibi circa tumbam, ne quis ignarus simile quid pateretur, fieri procurauit. In eadem basilica voces tantæ dulcedinis post eius sepulturam sæpius auditæ narrantur, vt non nisi Angelicæ comprobentur. Lux quoque tantæ claritatis medijs ibi noctibus emicuit, vt solis fulgorem vicisse videretur, quæ magno etiam quodam iubare, sacerdotis contiguam penetrauit ædiculam. Quo viso tantus timor inuasit presbyterum, vt abinde maiorem huic loco reuerentiam exhibuit, quam antea solitus fuerit. Ad hoc viri Dei sepulchrum diuersis ab ægritudinibus multi curantur infirmi. Frigoritici quidam cum fide venientes, candelam in votis offerunt, & abrasum sepulchri puluerem sumunt, quem aquæ mixtum bibunt, & sanitatem huius B sancti meritis adipiscuntur. Dentium vero doloribus cruciati huic debita cum veneratione tumulum deosculantur, & ita curari merentur.

De translatione corporis eiusdem.

CAP. XV.

Itaque dum in hoc loco hic inclytus Domini Confessor pluribus clarificatus signis renitescret, domnus Præsul Remensis Hincmarus hinc eum transtulit, & ad cœnobium sancti Theoderici detulit, ac secus ipsius beati viri tumbam posuit. Vbi dum aliquod annis veneratur, plura per eum Dominus mira patrare dignatus est. Multi siquidem febribus vexati, vel dolore dentium fatigati, eius hic quoque cum fide petentes auxilium, diuinum gauisi sunt adepti remedium. Ex quibus mulier quædam, nomine Aodinga, de quadam proxima monasterio villa, no-C mine Colmelecta, febribus attrita, hæc apud se super recuperanda sibi sanitate fecisse traditur experimenta. Tres enim candelas vnius fecit quantitatis, quarum vnam nomine sancti Theoderici, alteram sancti Theodulfi, tertiam sancti Rigoberti constituit: quas simul accendens, quæ superaret ardendo, probare disposuit. Quo facto, dum superdurat flagrando quæ beati fuerat nomine Rigoberti, mulier id reputans Deo placitum, eidem Sancto fieri votum suum instituit. Continuo aliam instaurans candelam, huius almi viri duntaxat venerationi dicatam, veniensque ad locum designatum, munusculum obtulit: & ante quæsita sancti Dei pignora post orationem dormiuit, euigilansque desideratam se sospitatem recepisse probauit.

2. translatio. Post annos nouem huius beati Præsulis ossa Remorum perferuntur in vrbem, & in basilica sancti Dionysij honore dicata locantur, vbi Canonicorum sepultura Remensium tunc habebatur. Erat tunc quædam mulier cæ-Aumenacourt. ca, in villa, quam vocant Alamanorum cortem, quæ dormiens audiuit in somnis vocem dicentem sibi: Quid D hic facis? cur iaces? Crastinæ die Pontifex Hincmarus & Canonici Remenses sanctum transferent Rigobertum: Vade ad illum, & ille te adiuuabit. At illa diluculo consurgens accelerauit, candelam secum deferens, aduenire. Quæ mox ad loculum beati pignoris accessit, lumen olim amissum recipere meruit. Surdus etiam quidam translationis huius æque die veniens, vt locellum sacri corporis baiulum tetigit, auditum statim recepit, qui tali quoque modo se retulit accepisse. Noctu siquidem in diuersorio quiescentem persona quædam incognita* leuiter hunc in latere percussit & excitauit, extra-3. leuiter. tamque vocauit. Sensit ille tangentem, sed non audiuit, vtpote surdus, vocantem. Audierunt tamen qui secum aderant in domo vocem ad sanctum Rigobertum ire quantocius eum admonentem, licet viderint neminem. Qui ad eum abijt, & salutem diu desideratam inuenit.

E Huius beati Patris membra veneranda, quoniam Ecclesia prænotata necessitate muniendæ, ob infestationem paganorum construendi, euertebatur, Folco Præsul vrbi postmodum intulit, & in medio Ecclesiæ beatæ Dei genitricis Mariæ post altare sanctæ crucis collocauit: vbi plures etiam cum fide accedentes optatam recepere medelam. His fere diebus monachus quidam cœnobij beatissimi Remigij, nomine Sigloardus, validissima febre correptus, impos quoque mentis effici videbatur. Qui dum quadam nocte cubitum perrexisset, inquietatus tamen, & quiescere nullatenus sineretur, arctatus vndique, beatum Rigobertum auxilium sibi ferre clamans, inuocat, & optatam protinus sanitatem recuperat.

Post aliquantum temporis deferuntur huius sancti viri pignora in pagum Veromandensem ad villam Nemincum, quam Odalricus comes Ecclesiæ Remensi suo temporis contulerat, & Fulco Præsul Canonicorum victum deputarat, vbi quidam commanebat in proximo presbiter, nomine Signinus, qui magno cruciabatur dentium dolore. Hic audiens hæc pretiosa illuc delata membra, F quoniam victus ægritudine impediebatur adire, candelam illo studuit transmittere. Ac licet absens corpore, precibus tamen & lacrymis sanctum Domini Rigobertum non distulit exorare, quatinus per ipsius interuentum medelam mereretur accipere. Qui mox vt munusculum eius ad sancta loculum peruenit, medicum cælestem sibi adesse, recepta sanitate, sentire promeruit. Et confestim ad locum sacri medicatoris profectus est, totumque se in lacrymis ante ipsius effundens memoriam, gratias retulit, & quanta sibi per huius inuocationem patrasset-4. translatio. rit Dominus, indicauit. Nec longum post hæc vrbi Remorum sacra membra reuocantur, & Ecclesia sancti Dionysij extra murum ciuitatis Canonicorum Remensium studio sumptibusque restructa, ibidem cum beati Theodulfi pignoribus honorifice venerantur illata.

De Abel eius successore.

G

CAP. XVI.

Beatum Rigobertum secutus Abel in Episcopatus ordine reperitur, quamuis eum quidam Corepiscopum tantum fuisse tradant. Pontificem tamen illum extitisse diuersis inuenimus assertionibus, & maxime in epistolis Zachariæ Papæ ad sanctum Bonifacium directis: Zachar. epist. 8. in Concil. in quarum vna commemorat, indicasse prædictum beatum Bonifacium suis literis inter cetera, quod tres Episcopos per singulas Metropolitanas vrbes ordinasset, id est Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rodomus: secundum vero Abel, in ciuitate quæ dicitur Remorum: tertium denique Hartbertum in ciuitate quæ dicitur Senonis: *Qui & apud nos* (inquiens) *fuit, & tua nobis pariter, & Karlomanni atque Pippini detulit scripta, per quæ suggessisti, vt tria pallia ijsdem tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus, quod & largiti sumus pro adunatione & reformatione Ecclesiarum Dei.* Item in alia ipsius ad eumdem epistola: *De* Zachar. epist. 4. *Episcopis vero Metropolitanis, id est Grimone, quem nos iam compertum habemus, Abel, siue Harberto, quos per vnamquamque Metropolim per prouincias constituisti, hos per tuum testimonium* H *confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmam stabilitatem, & Ecclesiæ Dei augmentum, vt ita meliori proficiat statu. Qualiter* enim mos pallij sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant his qui pallij vel licentia conceduntur, eis direximus, informantes eos, vt sciant* quod sit pallij vsus,* 3. quod *& subiectis viam prolixiori salutis, vt Ecclesiastica disciplina in Ecclesijs eorum immaculate seruetur, & maneat inconcussa: & sacerdotium, quod in eis fuerit non pollutum, vt antea fuit, sed mundum, & acceptum Deo esse possit, quantum humana* conditione valet: ita vt nullus reperiri possit sacris deuiare canonibus, & sacrificium mundum eorum ab eis immolitur: ita vt Deus in eorum placetur muneribus, & populis Dei purificatis mentibus ex omni squalore sincerum exhibere valeant Christianæ religionis officium.* Sed & quædam chartæ ipsius Episcopi reperiuntur nomine titulatæ.

De quo etiam præfatus Adrianus Papa in prænomi-Adrian. 1. vbi supra c. 13. rata epistola ad Tilpinum Archiepiscopum, post illa quæ

superius,

A superius præmissa sunt, ita subinfert. *Sanctæ memoriæ Bonifacius Archiepiscopus & Legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præfatus amabilissimus Fulradus Franciæ Archipresbyter, tempore antecessorum nostrorum Zachariæ & Stephani successoris illius, in nimium laborauerunt, vt bonæ memoriæ prædecessor noster domnus Zacharias pallium Archiepiscopo Remensi, Abel nomine, per deprecationem suprascripti Bonifacij transmitteret.* * *quod ab illo constitutum fuit, sed ibi permanere permissum non fuit, sed magis contra Deum euectum est & Remensis Ecclesia per multa tempora, & per multos annos sine Episcopo fuit, & res Ecclesiæ de illo Episcopatu ablatæ sunt, & per laicos diuisæ sunt, sicut & de alijs Episcopatibus, maxime autem de Remensi Metropolitana ciuitate.*

Stephan. ij i j qui

De Tilpino Episcopo.

Cap. XVII.

PRæmissos in Episcopatu sequitur Tilpinus, ex Monasterio sancti Dionysij assumptus, cui magnus Karolus ab Adriano Papa impetrasse pallium reperitur, sicut eiusdem Papæ ad ipsum directa pandit epistola, quæ ita incipit.

B

Nõ extat inter eius epist.

ADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERuorum Dei reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Tilpino Ecclesiæ Remensis Archiepiscopo.

QVia ad petitionem spiritalis filij nostri & gloriosi Regis Francorum Karoli, præbente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina Fulrado amabilissimo Abbate, Franciæ Archipresbytero, pallium secundum consuetudinem tibi transmisisse nos, cum priuilegio vt Metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, * *& bene memoramus.* & post aliquanta, quæ de sancto Rigoberto, & Abel superius iam præmissa sunt, cum de rebus Ecclesiæ Remensis ablatis loqueretur: *Et tua, inquit, fraternitas iam ex magna parte ipsas res apud gloriosum filium nostrũ Karolũ, & ante ad Carlomannum fratrem eius impetratas habes, & ordinem ex aliqua parte, & in Episcopis, & in alijs secundum Canonicam & sanctæ sedis Romanæ auctoritatem directum habes: propterea petisti a nobis, tibi & Ecclesiæ tuæ fieri priuilegium ex auctoritate B. Petri principis Apostolorum & S. sedis Romanæ, ac nostra, vt quod perfectum habes in antea valeat permanere, & quod adhuc perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo, & B. Petro Apostolo ad perfectionem perducere. Pro quo & nos ardenti animo, & diuino instamine Apostolica fulti auctoritate, non solum vetera, secundum sacros Canones, & Apostolicæ huius sanctæ sedis decreta statuimus, sed & noua tibi pro tuo bono studio concedimus, atque auctoritate B. Petri Principis Apostolorum, cui data est a Deo & Saluatore nostro Iesu Christo ligandi, soluendique potestas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus atque solidamus, Remensem Ecclesiam sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansuram, & primam suæ Diœcesios sedem esse, & eum qui in eadẽ sede, cooperante Deo, ordinatus est, primatum ipsius Diœcesis esse, cum omnibus ciuitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi Metropoli Ecclesiæ subiectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis sit confirmatum. Et hoc interdicentes, vt nullus audeat iuxta sanctorum Canonum traditionem, ex alio Episcopatu ibidem translatare, aut constituere Episcopum post tuam de hoc sæculo euocationem. Neque aliquis tuas parochias, aut Ecclesias, vel ciuitates subtrahere, neque Diœcesim Remensem vllo vnquam tempore diuidere, sed integra maneat, sicut antiquitus fuit, & sacri Canones & prædecessorum nostrorum firmauit, & nostra firmat auctoritas. Tu vero, aut futuris temporibus Remensem Episcopum, & primatẽ illius Diœcesis, non præsumat, neque valeat vnquam aliquis de Episcopatu deijcere sine canonico iudicio, & nequaquam* * *illo iudicio sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc sanctam sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur orbis terræ, appellauerit, in ipso iudicio. Sed in sola subiectione Romani Pontificis permaneat. Diœcesim & parochiam Remensem, adiuuante Domino & nostra atque B. Petri fultus ex ista sancta sede auctoritate, secundum sanctos Canones, & huius sanctæ sedis præceptiones, tibi subiectas ita certes & studeas gubernare, vt illam desiderabilem vocem Domini nostri Iesu Christi valeas cum electis eius audire: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ab aliis Episcopis de ipsa Diœcesi Remensi quidã accipiebant ordinationes, & habebant indebita refugia, & hoc per omnia prohibemus. sed sicut sacra docet auctoritas, & in Synodis comprouincialibus conuocandis & faciendis, & in ordinationibus, ac diiudicationibus, Remensis Ecclesia, & Archiepiscopus, qui in ea constitutus fuerit, talẽ habeat auctoritatem, sicut sacri Canones, & huius sanctæ Ecclesiæ constitutiones docent. Et nullus per vllum vnquam tempus tibi, vel Remensi Ecclesiæ, de rebus ad illam debite pertinentibus diuisionem vel violentiã, sicut antea factũ fuit, facere præsumat. Nam si (quod non credimus) quis ille fuerit, qui contra hanc nostram præceptionẽ temerario ausu venire tentauerit, nisi se cito, & maxime post commonitionem correxerit, sciat se æterno D. iudicio anathematis vinculo esse innodatum. si quis vero Apostolica seruauerit præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. Hæc à nobis diffinita per huius nostræ confirmationis paginam, in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conseruanda esse mandamus. Iniungimus etiam fraternitati tuæ, vt quia de ordinatione Episcopi nomine Lul sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ ad nos quædam peruenerunt, assumptis tecum Viomago & Possessore Episcopis, & missis gloriosi ac spiritalis filij nostri Karoli Francorũ Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius atque conuersationẽ & mores ac vitã inuestiges. vt si aptus fuerit & dignus ad Episcopalem cathedram gubernandã, expositam & conscriptã, & manu sua propria subscriptã catholicã & orthodoxam fidẽ per missos suos cũ litteris ac testimonio tuo, seu aliorũ Episcoporum, quos tecũ esse mandauimus, ad nos dirigat, vt palliũ illi secundũ consuetudinem transmittamus, & ordinatione illius firmam iudicemus, & in eadẽ sancta Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus. Bene vale.*

ms. i. omis. &c.

C

Mat 16. Io 21.

D

ms. j. illo.

Mat. 25.

E

F

Qui Præsul res Ecclesiæ diuersis per loca direptas, tam per se apud regiam maiestatem, quam per auctores Ecclesiæ, diuersos apud iudices legibus obtinuit, & Ecclesiastico iuri restituit: maximeque per quendam Achabburti, qui iam in Francia, quam etiam trans Ligerim pro rebus Ecclesiæ reuocandis operose laborauit, & tam prædia, quam mancipia multa legibus euindicata Ecclesiæ reformauit. Possessionibus quoque vel mancipijs à quibusdam dato pretio exemptis, res auxisse Præsul iste reperitur Ecclesiæ: nonnullis etiam quoque iura villarum dispositis ordinasse colonijs. Sed & sacrarum codicibus scripturarum, quibus adhuc aliquibus quoque vtimur, hanc instruxit Ecclesiam. In cœnobio denique sancti Remigij monachos ordinasse, ac monastica vita eos tradito instituisse, cum canonicos prius idem cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui eandem congregationem, ob amorem Dei & sancti Remigij reperitur aggregasse, ad hoc vsque tempus habuisse feratur. Immunitatis denique præceptum à Karlomanno rege filio Pippini, primo mox regni eiusdẽ anno, Ecclesiæ Remensi obtinuit, ad exemplar immunitatum, quas ipsius prædecessores reges huic contulerant Ecclesiæ: quarum ostendere quoque curauit et monumenta: vt nullus scilicet iudex publicus in huius Ecclesiæ terras auderet ingredi ad mansiones parandum, vel qualibet iudicia facere, aut penitus ex omnibus inibi requirere. Sed quæcunque antecessores eius eidem concesserant Ecclesiæ, perpetualiter habere valeret indulta. Postea quoque aliam eiusdem regis de omnium teloneorum remissione impetrauit præceptionem. Item aliam de ponte Busonçoli. Item de chartis concrematis, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exustio, vt res & facultates Ecclesiæ, quas eo tempore possidebat, ita permanerent absque diminutione confirmatæ ipsi Ecclesiæ per regiam eius auctoritatem. Item de militibos, qui in villa Iuniniaco residentes erant super terram sanctæ Mariæ, & sancti Remigij, concessa, remissaque ipsis omni quam debebant exactione militiæ. Item aliud de his qui in Crucinia.o, Cuiba villa, vel in omni pago Tardonensi infra terram Remensis Ecclesiæ residebant. Dedit etiam idem Karlomannus rex sub hoc Pontifice per chartarum instrumenta, pro loco sepulturæ vel remedio animæ suæ, villam Nouiliacum in pago Vrtinse sitam, cum omnibus terminis vel aspicientijs suis, omnique integritate, ad basilicam vel monasterium sancti Remigij vbi sepulturam quoque habere dignoscitur. Cuius germanus Karolus Imperator magnus huic Præsuli Tilpino pallium per Le-

G

Mon. st. S. Remigij.

H

A gatos & litteras suas obtinuit ab Adriano Papa, sicut in eiusdem Papæ litteris ad ipsum regem super hac ipsius petitione directis, continetur. Immunitatis quoque præceptum ab hoc etiam rege, iuxta præcedentium exemplaria regum, Remensi Ecclesiæ idem Præsul impetrauit. Item aliud præceptum de militibus pagi Tardonensis, iuxta cessionem germani sui Karlomanni regis. Item de chartis concrematis. Item de confirmatione traditionis præfati germani sui regis, qua Nouilliacum & Bebriacum villas idem rex ad basilicam sancti Remigij condonauit. Præterea multi sub huius Præsulis Episcopatu res suas ad Ecclesiam Remensem, tam sanctæ Mariæ quam sancto Remigio, contulerunt. Qui Præsul defunctus est anno sui Episcopatus XL VII. cuius corpus ad pedes sancti Remigij tumulatum, huiusmodi creditur habere titulum.

Hac requiescit humo Tilpinus Præsul honoris,
Viuere cui Christus vita & obire fuit.
Hunc Remi populo martyr Dionysius almus
Pastorem vigilem misit, & esse patrem.
B *Quem pascens quadragenis est amplius annis.*
Veste senectutis despoliatus abit.
Quarta cum Nonas mensis September haberet,
Mortua quando fuit mors sibi vita manet.
Et quoniam locus atque gradus hos iunxerat, Hincmar
Huic fecit tumulum, composuit titulum.

De Vulfario Episcopo

CAP. XVIII.

TIlpinum sequitur Vulfarius, qui ab Imperatore præfato magno Karolo Missus dominicus ad recta iudicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totam Campaniam: in his quoque pagis, Dolomense scilicet, Vongense, Castricense, Stadoense, Catalaunense, * Ormense, Laudunense, Vadense, Portiano Tardunense, Suessionense, sicut & alij quidam sapientes & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam & Germaniam à præfato Imperatore delegati, quo C diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissæ per singulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam adinuicem tenerent, & vt bonos & idoneos Vicedomnos & Aduocatos haberent, & vndecunque necesse fuisset, tam regias, quam Ecclesiarum Dei iustitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & cæterorum hominum inquirerent, & perficerent, & quodcunque emendandum esset emendare studerent, in quantum melius potuissent, & quod emendare per se nequiuissent, in præsentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem principi fideliter renunciare studerent. Residens igitur præfatus vir illustris Vulfarius ad inuncta sibi definienda iudicia, cum quibusdam Comitibus in mallis publicis, iam quoque vocatus Episcopus, adhuc etiam antequam ordinaretur, res quasdam Remensi Ecclesiæ, sed & mancipia nonnulla, vel colonos reimpetrasse, ac legibus per Ecclesiæ aduocatos euindicasse reperitur. D Necnon etiam postquam Præsul ordinatus est, plura inuenitur Ecclesiæ conquisisse, & res & colonos, tam apud regiam maiestatem, quam apud Colonos & iudices publicos, nec solum per auctores Ecclesiæ, sed etiam quando per sui præsentiam. Cuius valde credidisse Karolus Imperator magnus ex eo probatur, quod illustres Saxonum obsides XV. quos adduxit de Saxonia, ipsius fidei custodiendos commisit.

Hic Synodum inuenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCC. XIIII. in Ecclesia Nouiomensi, regnante Ludovvico filio Karoli, congregatis secum coepiscopis suis Hildoardo, Ermenono, Iesse, Ragomberto, Grimboldo, Rothardo, Wendilmaro, Ostroaldo, & Chorepiscopis Waltario, Sperano, necnon & Abbatibus Adalhardo, Nantario, Falsado, Ericho, Hilderico, Remigio, Ebbone, Sigbaldo, cũ cætero clero, Presbyteris & Diaconibus; conuocatis etiam Comitibus Gunthardo, Rotfrido, Gisleberto, Orneto. His omnibus residentibus, sententia ventilata est inter Wendilmarum & Rothardum Episcopos de terminis parochiarum suarum; & requisitum ac definitum est, quod hæc loca trans fluuium Isaram in pago Nouiomensi pertinere deberent ad parochiam Ecclesiæ Nouiomensis id est, verinæ, Vrbs campus, Trapiacus, Ierusalem, Harbaudiani sua siue Ecclesia sancti Leodegarij, cum reliquis villis ad has Ecclesias conuenientibus. Cætera vero loca trans supradictum fluuium, in prædicto pago, omnia pertinere deberent ad parochiam Ecclesiæ Suessionicæ. Hæc diligentissime inuestigata consenserunt supra scripti Episcopi, & Chorepiscopi, Abbates, Presbyteri, & Diaconi, & pars Ecclesiæ Nouiomensis, clerici & laici: & pars Ecclesiæ Suessonicæ, similiter clerici & laici & vno animo vnoque consensu confirmare decreuerunt. Nec suæ tantum Diœceseos, quin etiam Treuericæ vrbis Archiepiscopum Amalarium, cum Adalmaro ipsius Coepiscopo, & Herilando, iussione Imperatoris magni Karoli, ab eodẽ scilicet Vulfario Metropolitano conuocatum ad ordinationem Episcopalem cuiusdam Frothatij præfatæ Treuerensis Ecclesię Presbyteri, eidem paruisse reperimus. F Hoc etiam Volfario Præsule ordinante, congregatum reperitur Remis ab Imperatore Karolo magno Concilium plurimorum patrum, in quo constituta alij legiuntur capitula, in quibus de fidei ratione, atque Dei Ecclesiæ honore, rectorum que ipsius ac ministrorum dispositione, Regisq; fidelitate, atque totius regni vtilitate tractatum est.

Quasdam præterea villas Ecclesiæ Remensis, rite distributis atq; descriptis ordinauit colonis. Sed & res Ecclesiæ aliquas, mancipiaque, cum personis quibusdam pro partium commutauit opportunitate. De thesauris etiam sanctæ Mariæ, ac Sancti Remigij nonnulla cum testimonio virorum illustrium, tam clericorum quam laicorum * mutauit, & ornamenta vel vasa ecclesiastica eadem, prout dignum sibi visum fuit, fabricari fecit. Eundi denique Romam causa orationis ad Sanctum Petrum licentiam ab Imperatore se accepisse in quadam sua designat epistola: sed vtrum ierit, certum non habemus. Reditus autem villarum quarumdam Ecclesiæ in eleëmosyna probabiliter, pro sui corporis & animæ salute, distributi, quibusdam adhuc G descriptionibus tunc factis leguntur: in quibus inueniuntur inter Termidum, Grandem pratum, Viodscum, * Furuillam, * Gramadum, Pidum, Cadeuellum, & Cortẽ Magnaldi, in distributione eleemosynę de annona modij M. DCCCC. LXXV. De animalibus inter maiora & minora capita * CLXVIIJ. Item inter villas Fagum, siue Boleticum, & alias quasdam annonæ modij M. L I I. vini mod. L XIV. salis modij v. cum diuersis animalibus, & alijs variis rebus expensa. Ad opus quoque fratrum Orbacensis cœnobij quantum sufficeret eis. Vnde datur intelligi, in maioribus quoque locis multa tunc plura fuisse dissipata. Immunitatis quoque præceptum ab Imperatore Ludovvico, secundum præceptionem Karoli Augusti patris ipsius, Ecclesiæ Remensis, monasterioque sancti Remigij obtinuit.

De Ebone Præsule.

CAPVT XIX.

H HVic successit Ebo, vir industrius & liberalibus disciplinis eruditus, patria Transrhenensis ac Germanicus, Imperatoris, vt fertur, Ludovvici collactaneus, & cõscholasticus, qui multis Ecclesiam curauit instruere commodis, & pręcipue artificibus: quibus vndecunq; collectis sedes dedit, & beneficiis munerauit. Mancipia vel colonos quosdam Ecclesiæ desertores tam per seipsum, quam per Radulphum Vicedominum & Ecclesiæ Aduocatũ, apud iudices publicos legibus euindicatos & obtentos, Ecclesiastico iuri restituit. Quasdam quoque res Ecclesiæ, atque mancipia, cum aliquibus personis pro partium commoditate commutauit. Sed temporalia super eiusdem commutationibus præcepta obtinuit. Ab Imperatore quoque Ludovvico litteras ad Robertum Comitem pro Ecclesiasticarum rerum defensione, (quas quidam peruadere moliebantur) impetrauit. Colonias vero nonnullas Ecclesiæ,

Marginal notes: l. Ormẽsis. — Orsa — al. mutauit. — al. Furuill. Gramagum, — l. clxiij. — Ludouic. Pius.

A sis, descriptis per strenuos viros colonis, eorumque seruitiis, ordinauit.

Archiuum Ecclesiae tutissimis aedificiis, cum crypta, in honore sancti Petri, omniumque Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum dedicata, vbi Deo propitio deseruire videmur, opere decenti construxit, vbi multorum iam Apostolicorum, quam caeterorum Sanctorum condita pignora reseruantur. In qua nonnullae illustrationes ostensae noscuntur. Vidi siquidem nutritorem mei Gundacri, in prospectu ipsius Ecclesiae commanentis, seruum, dum temere prope fenestram huius cryptae accessisset mingere, terribili quadam quasi armati cuiusdam viri visione ita deterritum, vt putaretur amittere sensum. Sed & Rohingum quemdam, huius loci Diaconum, a simili praesumptione pari ferunt visione cohibitum. Vnde cautum deinceps ac prohibitum, ne quis talem praesumere gestiat ausum.

Huius Ecclesiae pinnaculorum talem videtur praemonstrare titulum, personis etiam vel imaginibus Stephani Papae, ac Ludouuici Imperatoris insignitum.

B *Ludouicus Caesar factus coronante Stephano,*
Hac in sede, Papa magno, sanctus & Ebo Pontifex
Fundamenta renouauit cuncta loci istius,
Vrbis intra sibi subditos, Praesul auxit omnia.

Matris eiusdem Ebonis huiusmodi habetur epitaphium.

Mea forte si requiris temporis initia,
Sexto Karoli fuisse regni sub primordio.
Ludouico rex triumphante dies flexit vltima.
Rhenus primos fouit mores, aluerat Germaniam,
Huic nutriuit & secundus Liger amnis Galliam,
Sequana fouit iuuentam, sordes sordens Vidula.
Praesul erat vrbis huius mihi natus vnicus,
Idem me conduxit sibi sociam laboribus,
Proximum huius locum renouandi cupidus,
Decem ferme super annos simul hoc peregimus.
Ebo rector, ego mater Himiltrudis humilis,
Fundamenta sedis sanctae pariter ereximus,
Deo dabitum laborem dum gerebat Pontifex,
Fessa quietem quaerebam: ecce sub hoc tumulo
C *Quinto me September mensis Kalendarum rapuit.*
O viator, esto cautus semper ab excessibus.
Pastor non profuisse debet, dum potuit:
Veniam dic pro vindicta da Deus peccantibus.

Huius Praesulis hortatu Aligarius Camaracensis Episcopus sex libellos de remediis peccatorum, & ordine vel iudiciis poenitentiae conscripsit. Ad quem talis eius exstat epistola.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO FRAtri ac Filio Halitgario Episcopo Ebo indignus Episcopus salutem.

NOn dubito tuae id notum esse caritati, quanta nobis Ecclesiasticae disciplinae, quantisque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus quotidie fatigamur, cura constringat. Idcirco, vt tecum consulo, ex patrum dictis, canonumque sententiis ad opus consacerdotum nostrorum excerpere Poenitentialem minime valeo: quia animus cum diuiditur per multa, fit minor ad singula. Et hoc est quod in hac re me valde sollicitat, quoniam adeo confusa sunt iudicia poenitentium in Presbyterorum nostrorum opusculis, atque diuersa, & inter se discrepantia, & nullius auctoritate suffulta, vt vix propter dissonantiam possint discerni. Vnde fit vt concurrentibus ad remedium poenitentiae, tam pro librorum confusione, quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus valeant subuenire. Quapropter, carissime frater, noli te ipsum nobis negare; qui semper in studiis ardenti animo diligenter ac sollerti cura scripturarum meditationibus perfectissime otio floruisti. Arripe, quaeso, sine excusationis verbo, huius sarcinae Matth. 11. *pondus a me quidem tibi impositum, sed a Domino, cuius onus leue est, leuigandum. Noli timere, neque formides huius operis magni-* Psalm. 80. *tudinem: sed fidenter accede, quia aderit tibi qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Scis enim optime paruulos piscium sufficere, ne ad mensam magnatorum pauperum turbam posse accedere. Noli tuam denique nobis subtrahere sententiam [illegible] in re sub*

modio ponere lucernam, sed praecelso eam superpone candelabro, vt Matth. 5. *luceat omnibus, quia donum Dei sunt fratribus tuis, & praesertim nobis valuisti, simul & doceas quod accepisti a Domino. Aderit tibi beatus laboris vestri recolens gratia, qui duobus discipulis euntibus tertium* Matth. 13. Luc. 24. *se socium addidit in via, & aperuit illis sensum, vt sanctas intelligerent scripturas; spiritusque paracletus omni veritatis doctrina & perfectae caritatis fomento tua respiciat pectora, carissime frater. Vale.*

Ad quem idem talia rescribit Aligarius.

DOMNO ET VENERABILI PATRI IN Christo Eboni Archiepiscopo Halitgarius minimus Christi famulus salutem.

POstquam, veneranda pater, directas beatitudinis vestrae accepi litteras, quibus me hortari dignati estis, ne mentis acumen inertis, torpentique otio submitterem, sed cognitioni ac meditationi quotidie sacrae scripturae me vigilanter traderem: & insuper ex sanctorum patrum, canonumque sententiis Poenitentialem in vno volumine aggregarem, durum quidem mihi, & valde difficile, tremendumque hoc fuit imperium, vt hanc susciperem sarcinam, quam a prudentibus cognosco relictam. Multumque renisus sum voluntati vestrae, non velut procaciter durus, sed propriae infirmitatis admonitus. Hac etenim cura sollicitus, necessarium duxi, vt aliquamdiu me a scribendi temeritate suspenderem: quia sicut perpendi imminentis operis difficultatem: ita & imminentis auctoritati nec volui, nec debui vsquequaque resistere, certus quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adiuuaret praecipientis dignitas, quam grauaret meae ignorantiae difficultas. Valete.

Hic Ebo Praesul supra memoratum Papam Stephanum cum Ludouico rege Remis suscepit, postquam rex idem Sclauos in Oriente positos directo deuicit, & oppressit exercitu: quando praelatus Papa Stephanus, qui Leoni successerat, legatos suos ad eundem Principem destinans, intimauit ei, quod libenter eum videre vellet in loco vbicunque ipsi placuisset. Quod audiens rex, magno repletus gaudio, iussit obuiam missos suos ire summo Pontifici, & seruitia praeparare. Post quos & rex ipse pertexit: obuiaueruntque sibi in campo magno Remensium, & descendit vterque ab equo suo. Et Princeps prostrauit se in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, salutaueruntque se inuicem magnifice, & amplexantes se deosculati sunt pacifice, perrexeruntque ad Ecclesiam, vbi cum diu orassent, erexit se Pontifex, & excelsa voce cum choro suo fecit regi laudes regales. Postea Pontifex honorauit eum magnis & multis honoribus, ac reginam pariter Hirmingardim, dein & optimates atque ministros eorum. Proximaque die Dominica, in celebratione missarum solemnia, coram clero & omni populo, consecrauit & vnxit eum in Imperatorem, coronamque mirae pulchritudinis auream, pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum detulerat, imponens super caput eius. Reginam appellauit Augustam, & coronam auream posuit super caput eius. Et quamdiu mansit ibi Apostolicus Papa, quotidie colloquium habuere de vtilitate sanctae Dei Ecclesiae. At postquam imperator eum maximis munerauit donis, amplioribus multo quam suscepisset ab eo, dimisit eum cum legatis suis Romam reuerti, quibus praecepit vbique in itinere honestum ei seruitium exhibere.

Stephanus V. Ludouic. Pius Rex & imp. Leo. iij.

Cupiens ergo praefatus Pontifex Ebo domum Ecclesiae sanctae Dei genitricis Mariae diutina paene labis iam vetustate reparare, in qua etiam secundus Stephanus Papa Pippino regi dudum, & Leo tertius Karolo magno Imperatori Apostolicae reperiuntur munia contulisse, vt in epistolis commemoratur Imperatoris Lotharii, Leoni quarto pro causa commendationis Hincmari Archiepiscopi directa, petiit a piissimo Imperatore Ludouico ad renouandam & amplificandam eamdem basilicam murum ciuitatis sibi concedi. Quod idem Princeps quietissima pace fruens, & imperii praeclarissima potestate sublimis, nullas barbarorum metuens incursiones, nequaquam refutauit, sed benignissime ob amorem Dei, & ipsius eius genitricis honorem concessit, neque iussionis suae moni-

Infra lib. 3. c. 10.

A mento fieri delegauit, huiusmodi super hoc suæ dans præceptionis decreta.

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, Ludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Si locis venerabilibus ea quæ exinde à prædecessoribus nostris regibus, vel imperatoribus, ad reipublicæ vsus exigebantur, religiosa liberalitate in vtilitatibus & necessitatibus eorundē sanctorum locorum expendenda remittimus, & fidelium nostrorū saluberrimis pro hac eadē re suggestionibus ac petitionibus benignū commodamus assensum, maximū & animæ nostræ, & regi ac regno prouidemus cōsultum: quia nihil cernitur reipublicæ imminutū, quicquid ex eadem republica piis actibus, & locis religiosis, ac Ecclesiarū Dei vtilitatibus, seu seruorum Dei fuerit commoditati indultū. Quapropter notū esse volumus omnibus Dei fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, præcipue quoq; successoribus nostris in potestatis culmine, in quo sumus, auctore Domino, cōstituti, ab eodē dominorum Domino deinceps constituendis: quia Ebo venerabilis Archiepiscopus Remensis Ecclesiæ, & reuerendissimæ sedis sancti Remigij, gloriosissimi Pōtificis, & specialis patroni nostri Præsul, clemētiæ nostræ innotuit, quia vetustatis senio contrita iam dicta Metropolis vrbis sancta mater nostra Ecclesia, in honore sanctæ, semperque virginis ac genetricis Ma-

B (al. cooperante.) riæ consecrata, existeret. In qua auctore Deo, & * cooperatore S. Remigio gens nostra Francorum, cum æquiuoco nostro rege eiusdem gentis, sacri fōtis baptismate ablui, ac septiformis Spiritus S. gratia illustrari promeruit. Sed & ipse rex nobilissimus ad regiam potestatem perungi Dei clementia dignus inuentus fuit. Vbi etiam & nos diuina dignatione per manus domni Stephani Romani summi Pōtificis, ad nomen & potestatem imperialē coronari meruimus. Quā pro tanti beneficii nobis ibidem à Deo collatis remunerare cupientes, & ad id exequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus, & ad cætera quæque pro seruorum Dei ibidem degentium necessitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipsius ciuitatis, & omnem operam, cum cunctis impendiis, quæ ex rebus & facultatibus ipsius Ecclesiæ & Episcopatus Remensis Aquis palatio nostro regio peragi & exolui solitum fuerat, in eleemosyna videlicet nostra, & pro remedio animæ domni ac genitoris nostri, atq; cæterorum prædecessorū nostrorū, qui eundem Episcopatum contra salutē suam aliquamdiu tenuerant, & in suos vsus contra Ecclesiasticas regulas & res ac facultates Ecclesiæ ipsius expenderant: & ob hoc minus quam debuerat vtilitatis sacris locis in eodem Episcopatu cō-

C stitutis exinde prouenerat. Volumus etiam, vt vassalli, & quicunq; fideles nostri ex rebus eiusdem Episcopatus aliquid habent, eidem operi inseruiant, sicut constitutum est à bonæ memoriæ domno & genitore nostro, & sicut decretum est à piæ recordationis domno & auo nostro Pippino, decimas & nonas eidem Ecclesiæ sanctæ ex rebus, quas exinde habent, persoluant. Vias etiā publicas omnes, quæ circa eandem Ecclesiā vadunt, & impedimento esse possunt ad claustra & seruorum Dei habitacula construenda, vt transferri atq; immutari possint, concedimus. Et si aliquid ibi de fisco nostro habetur, per hoc nostræ auctoritatis præceptū perpetuo atque cōcedimus, vt nullus Iudex, Comes, aut Missus, siue aliquis ex iudiciaria potestate, vllā inde eidem sanctæ Dei prædictæ Remensi Ecclesiæ inquietudinē, siue vllū calumniæ impedimentum inferre vnquam præsumat, obsecrantes successores nostros, vt memores salutis suæ, præsentis scilicet & æternæ, memores etiam beneficiorum, quæ nobis & genti nostræ ac prædecessoribus nostris in eodem sancto loco, per B. Remigium, meritis

D sanctæ Mariæ collata sunt, sicut sua bene gesta à suis successoribus cōseruari voluerint, ita quæ pro amore Dei, & sanctæ eius genitricis ac beati protectoris nostri Remigij sæpe fato sancto loco contulimus, perpetuo inuiolabiliter conseruare procurēt. Et vt hæc nostra concessionis auctoritas per futura tēpora pleniorē in Dei nomine obtineat firmitatis vigorē, annuli nostri impressione subtersignari decreuimus.

Sed & quendam fabrum seruum suum, nomine Rumaldum, ad petitionem eiusdem, Præsulis Ecclesiæ Remensi concessit, vt hic de talento à Domino sibi collato, iuxta vires diebus vitæ suæ proficeret. Quam etiam cessionem apicum adnotatione & annuli sui sigillatione roborauit. Aliud quoque præceptum de viis publicis transmutandis ob quasdam clausuras in locis vicinis ipsius vrbis faciendas, & multimodis Ecclesiæ compendiis, eidem Pontifici dedit, quod & annulo suo insigniuit. Præterea de restituendis eidem sanctæ sedi prædiis, quæ illi quondam fuerant ablata, vna cum filio Lothario Cæsare talem præcepti dedit auctoritatem.

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi Lu-

E donicus & Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperatores Augusti. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam cōferimus beneficij, & necessitates Ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendā, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quod sanctam Remensem Ecclesiam, in qua prædecessores nostri, reges videlicet Francorū fidem & sacri baptismatis gratiā perceperunt, in qua & nos per impositionē manum domni Stephani Papæ imperialia sumpsimus insignia, ob reuerentiam fidei Christianæ, & ob animæ nostræ salutem, à nouo construi fecimus, tamq; in honorem Domini nostri Iesu Christi saluatoris mundi, simul & in honorem eiusdem sanctæ & intemeratæ genitricis Mariæ consecrari decreuimus. Itaque diuina inspiratione cōpuncti, & cælestis patriæ amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant, deuota mente restituimus, id est, in suburbano ipsius sanctæ Ecclesiæ titulum S. Sixti, nec non & titulū S. Martini, cum appendiciis eorum. Exterius etiam in eadem parochia, in castro Vonzensi titulum baptismalem & titulum in eadē parochia S. Ioannis similiter baptismalem, simul cum appendiciis, & Bretiniacum: villā quoq; Sparnacū cum appendiciis suis, & in vil-

F (Lude & Prouilly. l. Cauca.) la, quæ vocatur Lusada, nec non & in Prouiliaco in eodem pago Remensi. In pago vero Dulcomensi villam, quæ vocatur * Cautra, nec non & in villa quæ dicitur Verna in pago Vertudense. Vel si forte deinceps de rebus prædictæ sanctæ Ecclesiæ temporibus nostris aliquid superaddendum decreuimus: statuimus per hoc nostræ auctoritatis præceptum, vt non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis, quicquid de ipsis vel in ipsis rectores & ministri præmemoratæ Ecclesiæ elegerint, ita debeat perpetualiter possidere, atq; ordinare, vel etiam facere, prout cumq; sibi propensius voluerint: vt absq; vllius iniusta contradictione ordinent atq; disponant, & faciant quicquid vtilitati prædictæ Ecclesiæ congruere & conuenire prospexerint. Et vt hæc nostræ auctoritatis confirmatio præsentibus futurisq; temporibus pleniorē in omnibus semper obtineat vigore, manibus propriis subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.

Obtinuit etiam idem Præsul ab eodem Imperatore Ludouico Remensi Ecclesiæ, secundum antiqua exemplaria priscorum regum immunitatis præceptum. Aliud quoque præceptum de ponte Bansionensi, & teloneis, vel exactionibus publicis. Item aliud de chartis con-

G crematis secundum auctoritatem Imperatoris Karoli. Item à Pippino Aquitanorum rege præceptum immunitatis de rebus Remensis Ecclesiæ in pago Aruernico sitis. De villa vero Sparnaco semotim quoque præceptum Ludouici, atque separatim postea præceptum Lotharij filij eius reperitur accepisse. Hic Præsul Ebo cum consilio Ludouici Imperatoris, & auctoritate Paschalis Romani Pōtificis, prædicandi gratia ad terminos vsque Danorum accessit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizauit.

Orta denique simultate inter patrem & filium Ludouicum scilicet Imperatorem, & Lotharium, partibus filij fauit, & cum cæteris Episcopis corripuit Imperatorem Ludouicum pro quibusdam erratis, quæ ei obijciebantur, quando filij sui comprehenderunt eum, & Lotharius adduxit secum patrem ad Compendium palatium, vbi eum

(Compiégne.) (ms.) primatibus.) afflixit cum Episcopis & cæteris nonnullis * optimatibus, qui iusserunt vt in monasterium iret, & esset ibi cunctis

H diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Tunc omnes Episcopi, qui aderant, molesti ei fuisse narrantur, & improperantes illi peccata sua, abstulerunt ei gladium à femore suo, induentes eū cilicio.

Dum frequenter igitur Ebo Præsul in palatio tunc moraretur, huiusmodi de eo in monasterio sancti Remigij visio reuelata est. Erat ibi monachus quidam, nomine Raduinus, genere Longobardus, qui Abbas quondam extiterat monasterij, quod in monte Bardonis in Italia beatissimi Remigij celebri pollet memoria, Modestami Redonensis Episcopi studio dedicata. In quo monasterio dum præfatus Raduinus monachicæ professionis gereret officia, ductus amore meritorum beati Remigij, sepulchri eiusdem limina petiit. Qui cum fratribus eiusdem loci vitam ducens religiosam, digne sese ad cælestem satagebat præparare militiam. Quadam vero die, sacræ scilicet assumptionis sanctæ Dei genitricis, post expletum matutinæ solemnitatis officium, reliquis fratribus

A quietem petentibus, ille precis gratia ſolus remanſit in choro, cuſtodibus Eccleſiæ quieſcentibus. At vbi pſalmorum continuatione fatigatus, irruente cœpit ſopotari ſomno, vidit à loco ſepulchri ſancti Pontificis † (ſc Remigij) procedere beatiſſimam Dei genitricem nimio lumine coruſcantem, cuius hærebant lateribus Euangeliſta Iohannes, & ipſe ſacer Remigius: ſicque ſe viſi ſunt compoſitis adire gradibus. Superpoſita vero manu virgo glorioſa leniter eius capiti: Quid hic, inquit, agis frater Raduine? quo mox pedes illius oſculari procumbente, adiecit: Vbi modo degit Ebo Remenſis Archiepiſcopus? Quo reſpondente: palatina iuſſu regis exequitur negotia. Et cur (inquit) tam ſedulo palatij terit limina? prorſus hinc nequaquam maiore ditabitur ſanctitatis efficacia. Veniet enim, veniet celerrime tempus quando non proſperabitur in talibus. Quem nihil adhæc audentem reſpondere, tali proſequens affatur allocutione: Quæ veſtrorum verſatur apud homines regum diſceptatio? Tuncque reſpondente: B Domina genitrix Saluatoris mundi, tuæ melius nouit hoc ſanctitatis incorruptio, ait, quid tantæ malo cupiditatis illecti vana nunc graſſantur audacia? Illud enim inuocaderat tempus, quando filiorum ſuorum contumelijs agebatur Imperator Lodouicus. En, inquit, huic (aſtringens manum ſancti Remigij) auctoritas eſt à Chriſto tradita Francorum perſeueranter imperij. Equidem ſicut hanc gentem ſua doctrina percepit ab infidelitate gratiam conuertendi: ſic etiam donum ſemper inuiolabile poſſidet eis regem vel imperatorem conſtituendi. Quæ beatiſſima Dei genitrice dicente, frater præmemoratus euigilauit repente.

De Ebonis depoſitione.

Capvt XX.

ITaque poſtquam Ludouicus ab æquiuoco filio ſuo C reſtitutus eſt in regnum & honorem ſuum, Ebo propter huiuſcemodi factum depoſitus eſt ab Epiſcopatu, pro infidelitate Imperatoris. Pro qua re ipſe iam Ieſſe Ambianenſium Præſulem dudum depoſuiſſe traditur, ſed nunc eum reuocaſſe fertur in gradum priorem.

De Ebonis autem depoſitione, requirente poſtmodũ Papa Nicolao ab Epiſcopis Galliæ, maximeque Belgicæ prouinciæ, hæc inter alia in reſponſis accepit. Quod Ebo Remorum Epiſcopus accepta à Lothario pro patris proditione Abbatia ſancti Vedaſti, falſarum obiectionum inuentor extiterit, & taliter criminatum eundem Imperatorem idem Ebo à ſuis complicibus à liminibus Eccleſiæ proiectum, ac publicæ pœnitentiæ mancipatum, cuſtodiri fecerit, vſque dum in anno incarnationis Dominicæ o- an. 834. ctingenteſimo triceſimo quarto, Lotharius territus conuentu fratrum ſuorum, ac plurimorũ fidelium patris Imperatoris, fuga lapſus patrem ſuum adhuc ab ingreſſu Eccleſiæ ſequeſtratum dimiſit. Cum quo inter alios etiam D quidam Epiſcopi, fautores ipſius in aduerſitate patris ſui, relictis contra ſacras regulas ſedibus ſuis perrexerunt, Ieſſe videlicet Ambianenſis, & Hereboldus Antiſiodorenſis, Agobardus Lugdunenſis, & Bartholomæus Narbonenſis Epiſcopus: & abſcedẽte illo, qui affuerant Epiſcopi Imperatorem in Eccleſia ſancti Dionyſij reconciliauerũt, & Eccleſiaſticæ communioni reſtituerunt. Quod Ebo audiens, quibuſdam familiaribus ſuis plenitudinem ſuorũ delegauit hominum, & certum eis placitum dedit, vbi ſe quando iterum ad eum venirent. Adijcitur etiam, quod Ebo plurima, quæ de facultatibus Eccleſiaſticis ferre tunc in argento & auro potuit, ſecum aſſumens, cum quibuſdam Normannis, qui iter & portus maris ac fluminum mare influentium notos habebant, cum paucis quoque Paſchal. j. Eugen. ij. alijs domeſticis ſuis, nullo impetente vel perſequente, noctu Remis aufugit, & non ſolum parochiam ſuam, verum & Belgicam regionem deſeruit, & iter ad Normannos, quibus à Paſchali Papa, necnon ab Eugenio ſucceſſore ipſius, ſicut epiſtolis eorundem Præſulum ad ipſum pro hac re dans edocemur, fuerat prædicator deſtinatus, E arripuit. Quod manifeſtantibus eis, cum quibus hoc conſilium inijt, Imperatorem latere non potuit. Quapropter Imperator eum per Epiſcopos, Rothadum ſcilicet Sueſſonicum, & *Erchenradum Pariſiorum Epiſcopum, reuocari fecit, & in Monaſterio ſancti Bonifacij, ei, & clericis (al. Arkene) ac laïcis qui cum eo erant, neceſſaria miniſtrari, & Synodum expectare præcepit. Sed & Hildemannus Beluacenſis Epiſcopus inſimulatus, quod ſicut præfati Epiſcopi, fugã ad Lotharium moliretur, in monaſterio ſancti Vedaſti detentus, Synodum expectauit. Ad quam anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo triceſimo quinto ve- an. 835. nientes, omnes Epiſcopi qui conuenerant ſingillatim libellos de reſtitutione Imperatoris communi conſilio atque cõſenſu ediderunt, & proprijs manibus ſubſcripſerũt. Cum quibus & Ebo (vt ſe vera in ſtatu ſuo adhuc manens) libellum manu ſua cum additamento Archiepiſcopi ſcriptum edidit. In quo libello profeſſus eſt, quicquid in ipſius Imperatoris dehonoratione geſtum fuerat, iniuſte fa- F ctum fuiſſe. Itẽ poſt pauca. Et poſt datos libellos, venientes Epiſcopi cum Imperatore, & quam plurimis eius fide- Synod Metenſis. Drogo Met. Epiſc. libus ac regni primoribus, in vrbem Metenſium, in baſilica B. Stephani, publice à Drogone Epiſcopo relecta ſunt, quæ de reſtitutione Imperatoris omnium vnanimitate inuenta fuere. Poſt hanc adnunciationem, Ebo Remorum Epiſcopus, qui eiuſdem factionis velut ſignifer fuerat, conſcendens eundem locum, vbi Drogo ſteterat, coram omnibus profeſſus eſt, eundem Auguſtum iniuſte depoſitum, & omnia, quæ aduerſus eum patrata fuerant, inique & contra totius auctoritatis tramitem fuiſſe machinata, merito iuſteque proprio imperij ſolio reformatum. Et ſic omnibus laudes Deo canentibus, & quæ tunc ibidem fuerant agenda peractis, ad Theodonis villæ Syn. apud Theodonis Villam. Gal. Thionville. Ger. Dietenhoffen. palatium regreſſi ſunt, ibique Hildemannus in Synodo præſens, ſe à calumnia ſibi impacta regulariter exuens, ſatisfecit Synodo, & per eam Imperatori. Ebo vero in eadem Synodo præſens ab imperatore præſente accuſatus eſt, quod eum falſo fuerat criminatus, & eiſdem falſis G criminibus appetitum à regno deiecerat armiſque ab eo ablatis, nec confeſſum, nec conuictum, contra regulas Eccleſiaſticas ab Eccleſiæ aditu ac Chriſtianorum ſocietate eliminauerat: ſicut & idem ſcripto ſubſcriptione ſua roborato, & verbis coram omnibus profeſſus fuerat. Et cum eſſent alia etiam crimina, de quibus poſt hanc accuſationem accuſandus erat, & de quibus apud Imperatorem iam antea fuerat accuſatus, & non canonice purgatus, ſicut & epiſtola Epiſcoporum ad Sergium Papam demonſtrat, & pro quibuſdam eorum extiterat à conſilio Imperatoris eiectus: quæ patefacta veritate negare non valebat, petijt ſeceſſum, vt ſine præſentia Imperatoris liceret ei in Synodo Epiſcoporum ſuam agere cauſam. Quod obtinens, conuocauit ad ſe quoſdam Epiſcopos, & nullo cogente, ſed propria ſponte, ſecundum eorum conſilium ſequentium Africanum Concilium, vt parceretur ipſius verecundiæ, ac propter Eccleſiæ opprobrium & inſolentem inſultationem ſæcularium, ne dignitas ſacerdotalis pollueretur, ſi publice de his H de quibus impetitus & adhuc impetendus erat, confeſſus aut conuictus foret, libellum ſuæ depoſitionis dictauit, & ſcribi coram ſe fecit, & propria manu ſubſcripſit, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam, eundemque libellum propriæ ac viuæ vocis confeſſione atteſtatum in abdicationem ſui, nullo ab eo quærente vel exigente, Synodo vltro porrexit. Et ſicut videri tunc ab his, qui interfuerunt, potuit, ſacerdotio ſe ſponte ſubmouit, quærens remediũ pœnitendi, ſicut in eodem profeſſionis ac ſubſcriptionis ſuæ libello continetur hoc modo.

Ego Ebo indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, teſtes confeſſores meos, Aiulfum videlicet Archiepiſcopum, & Badaradum Epiſcopum, nec non & Modoinum Epiſcopum, conſtitui mihi iudices delictorum meorum, & puram ipſis confeſſionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & ſalutẽ animæ meæ, vt recederem ab officio & miniſterio Pontificali, quo me recognoſco eſſe indignũ, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe ſecreto ipſis confeſſus ſum. Eo ſcilicet modo, vt ipſi ſint teſtes ms. alio. *alij ſuccedendi & conſecrandi in loco meo, qui*

A

dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmaui. Ebo quondam Episcopus subscripsi.†

Et vt omnia secundum leges quibus moderatur Ecclesia, in Synodo legaliter adimpleret, simul cum eis, quos secundum Africæ prouinciæ canones legerat sibi iudices, dicente Apostolo: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*, vt in ore duorum vel trium testium constaret etiam suæ accusationis, & vt alius se sacerdotio defuncto ei succederet, testificationis verbum, asciuit & alios tres Episcopos, veritatis de sua accusatione & testificatione conscios in testimonium suæ professionis, Theodericum scilicet Episcopum, & Achardum Episcopum diœceseos suæ, & Nothonem Archiepiscopum. Et sic ipse professus, & sex Episcopis suæ professioni attestantibus, vt prædiximus, libellum Synodo porrexit, cunctique Episcopi, qui Synodo interfuerunt, †singilatim ac viritim dixerunt illi: Secundum tuam professionem & subscriptionem cessa à ministerio. Et coram omnibus hanc notitiam cum præscripto libello temporibus futuris conseruandam, Ionas Episcopus Heliæ notario (qui libellum Ebonis scripserat, cui idem Ebo subscripsit, secundum lix. capitulum, & item secundum capitulum lxxiiij. Concilij Africani) pro omnibus dictauit: & idem Helias hæc quæ sequuntur conscripsit. *Acta est hæc Ebonis professio, eiusque propria manus subscriptione roborata in conuentu Synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam imperij gloriosi Cæsaris Ludouici xxii.* Item post aliquanta: Libellum sibi ab Ebone porrectum post damnationem eius Synodus Fulconi Presbytero, qui eidem Eboni in Episcopij Remensis susceptione successerat, cum Synodali notitia dedit, qui quasi in Remensis Ecclesiæ scrinio conseruatur, cuius exemplar sanctæ memoriæ Papæ Leoni directum didicimus, &c.

Igitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conuersatus vsque ad obitum Ludouici imperatoris, qui contigit anno Dominicæ incarnationis DCCCXL. Quo imperatore defuncto Lotharius ab Italia in Franciam venit, cui Ebo ad Wormaciam ciuitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies sedem & diœcesim Remensem per edictum Imperiale restituit. Cuius edicti hoc habetur exemplar.

IN NOMINE *Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minus in aduersis necessaria est, quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse Angelorum in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente nō dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere Angelos in cœlo diuino testimonio nō ignoramus. Accusantes & reprehendentes in exceptibus semetipsos diuina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit, qui meretricem non solum à legali damnatione eripuit: verum etiam publicanum humiliatū & accusantem se non condemnauit, sed magis iustificādo exaltauit: Qui nō dixit, omnis qui se humiliat condēnabitur, sed exaltabitur. Potestatē ergo, quā pro causa nostra rapuit perdidisti, repetentibus Ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoq; astantibus ac decernentibus Præsulibus, sedem ac diœcesim Remensis vrbis tibi, Ebo, restituimus, vt pristino sanctæ largitatis Apostolicæ pallio indutus concordiam atque gratiam diuini officij nobiscum, humili satisfactione expleta, solemni nostra ā largitate recepiādo, exerceas. Drogo Episcopus assensi, Otgarius Archiepiscopus, Hetti Archiepiscopus, Amalvvinus Archiepiscopus, Audax Archiepiscopus, Ioseph Episcopus, Adalulfus Episcopus, Dauid Episcopus Rodingus Episcopus, Gisolbertus Episcopus, Flotharius Episcopus, Badaradus Episcopus, Hageno Episcopus, Hartgarius Episcopus, Aldo Episcopus, Samuel Episcopus, Rabertus Episcopus, Haimirus Episcopus, Ratoldus Presbyter, vocat* Episcopus, Amalramus vocatus Episcopus, cæteris pluribus Presbyteris ac Diaconibus publicè assistentibus. Actum in Engilenheim palatio publico, in mense Iunio viij Kal. Iulij, regnante & imperante domino Lothario Cæsare, anno reuersionis eius i. successor factus patris in Francia, Indictione iii.* Cui restitutioni prælata, quæ Suessionis habita est, contradixit Synodus, asserens quod damnatus esse atque à xliij. Episcopis, à minori numero restitui non præualuit. Quod edictum Remis Ebo secum detulit, & apud Episcopos & plures illud diuersæ professionis & ordinis* dimulgauit, & in Ecclesia Remensi publicè recitari fecit. Et ita eo tempore, quo Lotharius Karolum à regno expulit, & vltra Sequanam fugauit, Ebo sedem Remensem, post sex annos suæ depositionis recepit, & Episcopale ministerium agere cœpit: sicque* ordinationes celebrans quosdam clericos ordinauit, & per totum circiter annum hoc Episcopium tenuit, donec Karolus resumptis viribus in Belgicam reuersus est. Quod audiens Ebo, relicta sede Remensi, ad Lotharium profectus est, & in eius familiaribus mansit obsequijs: donec vna cum Drogone Metensium Præsule Romam petijt, vbi à Sergio Papa reconciliari, ac pallium sibi tribui postulauit. Cui idem Papa, communione tantum concessa, dare pallium renuit.

Can. 63. — 1. Timoth. 5. — vel, nume ro 44. — an. 840. — Psalm 50. Luc. 15. — Ioan 8. Luc. 18. — Ibidem.

B C D E

j. diuulgauit. — ms. ordinationem — Sergius ij.

At Ebo Roma reuersus, Abbatiam sancti Columbani in Italia dono Imperatoris Lotharij possedit, donec legationem in Græciam ab eodē Imperatore sibi commissam, exequi detrectauit. Quocirca rebus sibi ab Imperatore quæ datæ fuerant ablatis, ad Ludouicum regem Germaniæ demigrauit. A quo in regione Saxoniæ quoddam Episcopium promeruit: vbi & Episcopi deinceps perfunctus est ministerio.

F

LIBER TERTIVS.

FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ.

De electione vel ordinatione Hincmari.

CAPITVLVM. I.

ANno denique Dominicæ Incarnationis DCCCXLV. Karolus Synodum Episcoporum regni sui apud Bellouagum ciuitatē Remensis prouinciæ conuocauit. Vbi inter cætera Ecclesiæ, regnique negotia, de Remensis Ecclesiæ desolatione, quæ Fulcone Presbytero illam diu tenente, & Nothone in ea sibi succedente, tanto vacare pastore videbatur tempore, cum eisdem Episcopis cœpit tractare. Qui sicuti viderant, vel audierant, depositionem narrantes Ebonis, & auctoritatem sanctorum patrum super huiusmodi negotijs ad memoriam reuocantes, cogente necessitate, atque suadente auctoritate, communi decreuere consensu, quo tandem post decennium depositionis Ebonis in Ecclesia eadem ordinaretur Episcopus. Igitur à clero & à plebe ipsius Metropolis, nec non ab Episcopis eiusdem prouinciæ, Archiepiscopo Senonensis Ecclesiæ Wenilone, atque Ercanrado Parisiorum Episcopo annuente, cum consensu Abbatis sui & fratrum monasterij sancti Dionysij, in quo degebat, fauente quoque Karolo rege, Hincmarus electus est. Sicque decreto peracto, eligentiumque manibus roborato, Ecclesiæ Remensis ordinatur Episcopus. Is siquidem Hincmarus, à pueritia in monasterio sancti Dionysij sub Hilduino Abbate monasteriali religione nutritus, & studijs litterarum imbutus, indeque pro sui tam generis, quā sensus nobilitate, in palatium Ludouici Imperatoris deductus, & familiarem ipsius notitiam adeptus fuerat: ibique prout potuit, cum Imperatore & præfato Abbate, sub Episcoporum auctoritate laborauit, vt ordo monasticus in prædicto monasterio, quorundam voluptuosa fractione diu delapsus, restauraretur. Et vt opere quoque adimpleret quod sermone suadebat, etiam ipse religiosæ conuersationi cum alijs se subdidit, castigans corpus suū, & spiritali subijciens seruituti. Processu vero temporis, cum præmemoratus Hilduinus Abbas Imperatoris Ludouici Archicapellanus, offensam ipsius Augusti adeo cum alijs regni primoribus incurrisset, vt ablatis sibi Abbatijs, in Saxoniā fuerit exilio relegatus, iste per licētiā proprij Episcopi cū benedictione fratrū illū secutus est in exilium.

Carolus Caluus. Syn. Bellouacens.

G H

A

al. priore.

Cui pro familiaritatis * propiore notitia, tantam Dominus apud Imperatorem, proceresque contulit gratiam, vt studeret pro suo nutritore quiuerit, donec ab exilio reuocatus dudum fuerit Abbatiarum Prælationi restitutus. Deinde

Greg. iiij.

quando Gregorius Papa in Galliæ venit regiones, & regnum Francorum à præfato defecit Imperatore, voluit eum præmemoratus abbas suus in obsequium suum contra fidelitatem Imperatoris ducere: quod nequaquam potuit ab eo exigere. Restituto postea Imperatore, prout potuit Abbati suo prodesse studuit. Sicque deinceps in monasterio sine querela custos sacrorum pignerum, Ecclesiæque sanctorum martyrum conuersatus extiterat, donec regia ascitus obsequiis regimen monasterij sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Germani regali & Episcopali, atque Abbatis sui Ludouici Diaconi iussione suscepit: rerum quoque ac mancipiorum possessionem quandam regia liberalitate percepit, quam consecratus iam Præsul monasterio sancti Dionysij, vbi Christo militauerat, per testamenti paginam tradidit.

B

De reparatione iudicij pro Ebonis depositione.

CAP. II.

Emenso denique anno post ipsius Hincmari ordinationem, Lotharius Imperator pro contentione regni quam erga fratrem suum Karolum habebat, cuius obsequiis idem Præsul fideliter adhærebat, contra eum commotus, epistolas à Sergio Papa exegit pro reparando iudicio de Ebonis depositione. Vnde idem Papa litteras

Serg. ij.

Karolo regi mittens, præcepit vt Guntboldum Rothomagensem Episcopum cum cæteris Episcopis regni sui, quos ipse Guntboldus ad hoc sibi eligeret, Legatis eius obuiam Treueris ad hanc discutiendam querelam dirigeret, & Hincmarum Episcopum ad ipsam Synodum venire faceret. Ipse quoque Guntboldo litteris mandauit, vt cum post diem sanctæ Domini resurrectionis missos suos in seruitium Imperatoris mitteret ipse cum Episcopis prædictum locum, hanc causam diffiniturus, adiret. Sed & ipsi Hincmaro litteras misit vt ad idem veniret Concilium.

C

Legatis itaque Sergij Papæ iuxta condictum non venientibus, Guntboldus, * annuente rege Karolo,

al. annitēte.

cum Episcopis Synodum conduxit, ad quam Ebonem per litteras & legatos ex auctoritate prædicti Papæ conuocauit. Quo tamen Ebo neque venisse, neque vicariam pro se personam, vel litteras canonicas misisse traditur.

Syn. Paris. an. 847.

Guntboldus tamen & cæteri Episcopi, qui apud Parisios tunc conuenerant, Wenilo scilicet Ecclesiæ Senonicæ Metropolitanus cum Diœcesanis suis, * Laotrannus

al. Lanfrānus.

Turonensis cum suffraganeis suis, & specialiter Hincmarus cum omnibus Remensis diœceseos coëpiscopis, litteras suas ad eum miserunt, ei diœcesim Remensem interdicentes, vt non haberet deinceps licentiam ex ea quempiam sollicitare, nec scripto, nec verbo, nec misso aliquo, donec secundum iussionem Sergij Papæ ipsis occurreret, & iuxta canonica & Apostolica statuta definitionis sententiam ab ipsis coram generali conuentu perciperet.

D

Sed ille ad nullam Synodum, vel ad sedem Apostolicam, vocem postea reclamationis, vel repetitionis de sede Remensi, aut de ordine suo emisit. Qui etiam (postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari,

Leo iiij.

quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit rata est cum largitione pallij comprobata) per quinque circiter annorum curricula superuixit ille ferturque in corpore, vsque ad annum videlicet incarnationis Dominicæ octingentesimum quinquagesimum primum.

De visione eiusdem Bernoldi.

CAP. III.

De quo postmodum talis ostensa est reuelatio cuidam homini Remensis parochiæ, nomine Bernoldo, qui depressus infirmitate, pene vsque ad mortem peruenit, ita vt per quatuor dies nec cibum nec potum capere, nec loqui valeret. Quarto vero die hora nona, velut exanimis iacuit: adeo vt non posset in eo sentiri halitum

E

remansisse, nisi per vices, dum quis manum misisset ad os eius vel super pectus illius vix sentiebat, in eo adhuc spiritum esse. Rubor illi tamen in facie magnus videbatur, & sic iacuit vsque ad mediam noctem. Tunc viriliter oculos aperiens, & affatus vxorem suam, atque circumstantes, iussit vt quantocius currerent, & presbyterum suum velociter ad se venire rogarent. Accito autem presbytero, antequam intraret ille domum, dixit infirmus vt apponerent sellam, quia presbyter iam domum intraturus esset. Illo vero ingressu postquam orationem pro eo fudit, dixit ei vt sederet iuxta eum, & attenderet quæ dicturus erat, vt si ipse superstes illi non potuisset annunciare, saltem presbyter ea nunciaret. Tunc ergo cœpit vehementer flere, & cum singultibus dixit: Ductus de isto seculo ad aliud veni ad quendam locum, inueni Episcopos quadraginta & vnum, inter quos cognoui Ebonem, Pardulum, & Æneam pannosos, & denigratos, squalentesque sicut & alios, ac si vstulati fuissent, & per vices nimio frigore horribiliter cum fletu ac stridore dentium tremulantes: per

F

vices autem calore nimio æstuantes. Et Ebo Episcopus me vocauit ex nomine, dicens: Quia tibi dabitur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego & isti confratres nostri, vt adiuues nos. Et ego respondi: Quomodo vos possum adiuuare? qui ait: Vade ad homines nostros clericos & laïcos, quibus benefecimus, & dic illis vt pro nobis faciant eleemosynas, & orationes, & impetrent pro nobis offerri sacras oblationes: & ego dixi, quia nescirem vbi homines illorum essent. Ille vero ait: Nos dabimus tibi ductorem, qui te ad illos ducat. Et dederunt mihi ductorem quendam, qui me præcessit & duxit ad quoddam palatium magnum, vbi multitudo erat hominum eorundem

Viuorum suffragia prosunt defunctis.

Episcoporum, qui de ipsis Episcopis inter se loquebantur. Quibus suggessi, quod mihi fuerat iussum ex parte Episcoporum. Inde cum ductore meo reuersus, ad locum redij vbi eran ipsi Episcopi, & quasi iam facta fuissent pro ipsis ea quæ postulauerant, inueni eos facie iocundos, ac si à nouo rasos, & balneatos, albis vestitos, & stolis amictos, atque sandaliis calceatos. Et dixit mihi præfatus

G

Ebo Præsul: vides quantum nos adiuuit tua legatio? Vsque modo nimis durum custodem, & custodiam grauem habuimus sicut vidisti, modo vero habemus dominum Ambrosium custodem, * & leuem custodiam: & cætera quæ

al. lenem.

visa atque relata ab eodem Hincmarus Episcopus descripsit.

De restitutione rerum Ecclesiasticarum à Karolo rege peracta.

CAP. IV.

Ordinatio denique, ceu præmissum est, Hincmaro Ecclesiæ Remensis Archiepiscopo, rex Karolus res quas ex eodem Episcopio suis palatinis vsurpare concesserat, ipsi sanctæ reddidit Ecclesiæ. Pro qua restitutione talem præcepti sui dedit auctoritatem.

H

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Karolus Dei gratia rex. Si ea quæ à prædecessoribus nostris vel fidelium deuotione bene tradita, statuta, ac confirmata sunt, nostris oraculis roboramus, si etiam illa, quæ quacunque necessitate corrupta sunt regia nostra auctoritate corrigimus, & in melius commutamus, saluti nostræ consulimus, & regnum ministerium susceptum à Domino exercemus. Proinde nouerit omnium fidelium Dei, ac nostrorum solertia, quia rebus Episcopatus Remensis, quas magna necessitate, & per omnia inuiti dum à Pastore sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, vnde quoddam temporale solatium à nostro haberent seruitio, commendauimus, electo & ordinato munere sancti Spiritus, per Dei & nostram dispositionem, in eadem sancta sede Hincmaro Archiepiscopo, hoc nostræ auctoritatis præcepto cum integritate quicquid ex eisdem nostris fidelibus nostris beneficiauimus, præsentialiter restituimus, id est Sparnacum & Vulsiacum, vel quicquid ex eodem Episcopatu Rubuinus habuit, vel quicquid exinde Odo Comes habuit. quam & villam Culmisciacum, cum Capella quam Rabanus presbyter habuit. seu & villa, quam Pardulus, nec

A

e.j. Algardis. mo Ratboldus.

non & * Adalgardis Abbatissa, siue Rotbertus, atque Amalbertum clericum, vel Almarum, seu Ioannes medicum, siue item Rabanum, atque pusillum pumilio, * Ratbo dum quoque, Goderamnum, & Herenboldus, vel Donatus, seu Gilbuinus habuerunt: siue etiam illa omnia, quæ tam clerici quam laici, qui in nostra dominatione aliquamdiu fuerant, quosque iam dicto Episcopo commendauimus, habebant. Et vt in calce omnia concludamus, quicquid ex eodem Episcopatu, quando de manu Fulconis illum recepimus, alicui præstito beneficio contulimus, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem, inspecto coram cœtu fidelium nostrorum, tam Ecclesiasticus quam Laicalis ordinis testamento sancti Remigij, præfatæ aliter casæ sanctæ Mariæ & sancti Remigij, atque Hincmaro Archiepiscopo cum omni integritate reddimus vel restituimus, vt absque vlla refragatione, cassatis quibuscunque aliis conscriptionibus, easdem res per hanc nostram auctoritatem recipiat. Et sicut res Ecclesiæ disponendæ sunt ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ Dei, tam ipse, quam successores ipsius disponant. Quam auctoritatem, (in qua nos vlterius tale quiddam erga ipsam casam Dei non acturos spondemus, & vt nemo successorum nostrorum agere moliatur, per omnipotentem Dominum eiusdem Virginis filium obsecramus) vt per ventura tempora certius habeatur, & contra æmulos ipsius sanctæ Ecclesiæ sui notitia valeat, manu nostra subterfirmauimus, & annuli nostri impressione roborari decreuimus. Data Kalendis Octobris anno vj. regnante Karolo gloriosissimo Rege indictione viij. Actum in pago Andegauensi, in villa Antgio.

B

De cæteris quoque rebus, quæ tunc redditæ non fuerunt, huiusmodi postmodum inuenitur * dedisse præceptum.

ms edidisse.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. omnibus Comitibus, Abbatibus, Abbatissis, Missis, Vassallis, & cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus, quia Hincmarus sanctæ Ecclesiæ Remorum religiosus, nobisque valde dilectus ac venerabilis Pontifex accedens ad celsitudinis nostræ magnitudinem, innotuit mansuetudini nostræ, quod ex rebus sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti ac pretiosi confessoris Christi Remigij, quæ per parentum antecessorum videlicet nostrorum regum dationem, siue per rectorum eiusdem Ecclesiæ imprudentiam, vel concessionem, vel etiam quorumcumque maliuolorum machinationem ab eadem sancta Ecclesia abstractæ esse cernuntur, nona & decima ad eandem prædictam ecclesiam minime (sicut rectum est) persoluantur. Vnde magnificentiæ nostræ petijt dignitatem, vt nostræ auctoritatis præceptum ob Dei & sanctæ ipsius genitricis, siue pretiosi patroni nostri Remigij amorem ei fieri iuberemus. Cuius nobis amabilibus & necessariis petitionibus acquiescentes, & libere placideque obsequentes, hoc nostræ magnæ auctoritatis præceptum ei fieri iussimus. Per quod præcipientes expresse iubemus, vt quisquis fidelium Dei omnipotentis, nostrorumque, ex eisdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, vel sancti Confessoris Christi Remigij, Remorum Ecclesiæ rebus, siue Episcopatus religiosissimi & dilectissimi nobis Hincmari venerabilis Archiepiscopi, aliquid habere dignoscitur, siue per largitionis nostræ concessionem, siue per quorumcumque supramemoratorum affectationem, vel machinationem, seu etiam & deprecationem, aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere vel possidere cernitur, nonam & decimam in Missorum nostrorum præsentia, Missis Ecclesiæ sanctæ Mariæ, vel sancti Remigij Remorum, siue Hincmari venerabilis Archiepiscopi reuadiet: & annis singulis ad eandem præfatam & memoratam Ecclesiam persoluere, absque vllius occasionis contradictione cum omni vigilantia studeat. Quicunque vero contra hanc nostræ auctoritatis præceptionem de hoc fieri præsumpserit, sciat secundum dignæ memoriæ aui, & patris recordationis genitoris nostri capitula se emendaturum, & ipsas easdem res absque alicuius intercessionis impetratione amissurum. Et vt hæc nostræ præceptionis auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatis vigorem, & ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, verius certiusque credatur, eam annulo nostro subter sigillari iussimus. Data xiij. Nonas Septembris anno viij. indictione x. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Quintini.

C

D

Lib. 1. cap. 103. lib. 2. c. 11. lib. 4. c. 40.

Immunitatis etiam secundum antecessorum suorum regum exemplaria eidem sanctæ sedi suam contulit auctoritatem. Cessionem quoque genitoris sui Ludouici de exactione regia, vel operariis ac muro ciuitatis ob restaurationem ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ delegata, huiusmodi confirmauit auctoritate.

Et lat supra lib. 2. c. 19.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si petitionibus fidelium nostrorum, maxime Domini sacerdotum, præcipue in his, quæ Ecclesiasticis vtilitatibus possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum, nobis id ad æternæ remunerationis credimus prouenire augmentum. Proinde nouerit omnium fidelium Dei ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir venerabilis Hincmarus Remensis vrbis Archiepiscopus obtulit serenitatis nostræ obtutibus præceptum piæ memoriæ domni ac genitoris nostri Ludouici imperatoris, quod in eleemosynæ suæ augmentum Ecclesiæ S. Mariæ atque sancti Remigij fieri decreuit, de opere & operariis, atque omni exactione, quæ tempore aui nostri domni Karoli Imperatoris ex eadem casa Dei exigebantur ad palatium, quod vocatur Aquisgrani, vt in ædificatione & restauratione ipsius Ecclesiæ Dei, per futura tempora vsque ad finem sæculi, ad vtilitatem sæpe dictæ sanctæ Ecclesiæ in eleemosyna illius proficerent, & nec ad eundem locum, vel ad alium quemlibet ipsæ redhibitiones, vel impensæ vllo vnquam tempore exigerentur, sed remissa indulgentia illius in eodem loco proficerent. Cuius bene gesta rata iudicantes, per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus, vt quicquid de exactione, vel operariis prædictæ consuetudinis supra scriptus domnus & genitor noster, seu & de muro ciuitatis ipsius, vel viis ad vtilitatem claustri Canonicorum proficientibus in suo præcepto concessit, hoc totum perpetua nostra indulgentia vel concessione, seu auctoritate concessum, vel confirmatum maneat in perpetuum. Et vt hæc nostræ confirmationis vel concessionis auctoritas per futura tempora certior cognoscatur, & permaneat inconuulsa, eam manu nostra subterfirmauimus, & de annulo nostro iam sigillari præcepimus. Data vi. Kalendas Iunias, anno x. regnante Karolo glorioso rege, Indictione xiij. Actum Vermeria palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

E

F

De reparatione Remensis Ecclesiæ ab ipso Hincmaro patrata.

Cap. V.

Huiusmodi regiæ benignitatis functus auctoritatibus, & in Episcopali sede confirmatus præfatus Hincmarus Archiepiscopus, templum beatæ Dei genitricis Mariæ, quod à fundamentis Ebo renouare cœperat, iste pace gratiaque fruens regis, præclari consummauit decoris eminentia. Insuper & aram sanctæ Dei genitricis auro vestiuit, ac lapidibus pretiosis ornauit. Hanc quoque versibus titulauit.

G

Hanc aram Domini genitricis honore dicatam
*Cultor vbique * suus decorauit Episcopus Hincmar* — suus.
Muneribus patriis, functus hac sede sacerdos.
Iam bene completis centenis octies annis,
Quadraginta simul quinto voluente sub ipsis. — an. 845.
Cum iuuenis Karolus regeret diademata regni,
Hunc sibi Pastorem poscentibus vrbis alumnis.

Et ad imaginem Dei genitricis in ipso altari.

Virgo Maria tenet hominem, regemque, Deumque
Visceribus propriis natum de flumine sancto.

H

Tecta templi plumbeis cooperuit tabulis, ipsumque templum pictis decorauit cameris, fenestris etiam illustrauit vitreis, pauimentis quoque strauit marmoreis. Crucem eminentiorem gemmis, auroque cooperuit. Alias etiam cruces tam auro quam argento parauit. Calicem maiorem cum patena, sumptorioque fecit ex auro, lapidumque pretiosorum illustrauit nitore. Qui calix postea pro redemptione ac salute patriæ Normannis datus est: patena adhuc reseruatur ibidem. Libellum quoque de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius dominæ Assumptione scribi fecit, & tabulis eburneis, auroque vestitis muniuit. Locellum etiam quendam, hoc est capsam maiorem, quæ à duobus clericis ferri solet, fieri iussit, argentoque imaginato ac deaurato vestiuit: vbi ad vrbis huius totius tutamen, multorum Sanctorum pignera recondidit. Insuper & alia altaris vasa, tam aurea, quam & argentea præparauit. Euangelium aureis argenteisq; describi fecit litteris, aureisque muniuit tabulis, & gemmis distinxit pretiosis. His quoque versibus insigniuit.

Sancta Dei genitrix, & semper virgo Maria,
Hincmarus Præsul defero dona tibi.
Hæc pia quæ gessit, docuit nos Christus Iesus,
Editus ex vtero, casta puella, tuo.

Librum quoque sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit, ebore argentoque decorauit. Candelabra texit argento, & templum varijs ornauit lampadibus, & coronis, diuersisque tam palliorum, quam cortinarum, atque tapetium operuit ornamentis. Sacras etiam vestes altaris procurauit ministris. Pluribus denique conuocatis Episcopis, sed & Karolo rege in hanc ciuitatem adueniente, in honore incomparabilis & perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ, vt & antiqua fuerat sacrata, basilicam solemniter dedicauit, & cum coëpiscoporum cooperatione sub omnipotentis inuocatione Trinitatis almificæ consecrauit.

De miraculis in eadem Ecclesia postea declaratis.

Cap. VI.

IN hac igitur Ecclesia multa diuersis temporibus Dei virtute sub ineffabilis Christi genitricis Mariæ sunt honore patrata miracula. Quorum plurima, quæ ante nostram ætatem sunt gesta, nobis habentur incognita. Nos tamen ea, quæ cursim positi vidimus, vel personis quæ viderant referentibus agnouimus, silentio hic quoque præterire incongruum rati sumus, licet ea versibus olim exarauimus. Mulier quædã ciuis huius vrbis, nomine Altrudis, vnicam paruulam nutriebat filiam, quæ adhuc sub vbere matris posita, efficitur cæca. Pro qua cum varijs frustra æstuaret mater remedijs, nec vlla posset iuuari medela, ad luminum cogitat se vertere medicum: eiusque probat non aptius per quempiam sanctorum poscere posse misericordiam, quam per ipsius vnicam, cuius etiam erat ipsa famula, genitricem. Præparansque candelarum munuscula, tam pro se quam filia, templum hoc petit, cælitum reginæ clementiam rogatura, præfigensque candelabris luminaria, tum pauimentis adstrata, cor supplex effundit in vota. Nec se posse præsumens sufficere, ministros suppliciter deposcit altaris, ipsius petitionem suis precibus adiuuare. Et quia deuote ac fideliter postulauit, votũ obtinere promeruit, lumenque subolis impetrauit. Vnde gratias agentem Deo, ipsiusque genitrici pijssimæ, cum adiutoribus sibi factis ministris eam vidimus postea, dum sanam, clareque conuertentem suam nobis exhiberet filiam.

Quidam clericus nostræ congregationis, carne nobilis, Hugo nomine, ita nimio dentium fatigabatur dolore, vt nec somnum, nec cibum præ nimietate valeret ægritudinis capere. Qui requisitus à quodam seniore, ea posita suæ vexationis afflictione, hoc ab eo consilij accepit, vt coram altari Dei genitricis sese prosternens, eius corde tenus super hac anxietate sua deprecaretur clementiam. Et surgens ab oratione, osculato altari, supra nudum ipsius marmor, in qua vexabatur deponeret maxillam, sicque sanandum se confidens, domum regressus cooperiri se vestibus faceret, atque sopori permitteret. Quibus ille per ordinem patratis, somnum inijt. Tempus autem erat solemnitatis natalis Domini, & fratres post celebratum vespertinum officium in cœnaculo, vbi calefaciendi causa consueuerant colligi, residebant. Præfatus vero frater videt in somnis illic se præ gradibus cœnaculi adstitisse, atq; beatam Dei genitricem in superioribus, ante ipsius ostiũ domus consistere. A sinistris in gradu infimo sub specie cuiusdam chirurgi, malignum conspexit adstare spiritum. Non dubitans autem, quæ esset illa quam aspiciebat Domina, pauore tetri hostis abiecto, ad eam vsque conscendit, & ante ipsius procidens pedes, eiusdem susceptus est manu: ita vt mentum illius tenens, vexatam pijssima Domina contingeret maxillam. Et erigens eum blande consolata est, asserens ideo se non inuentam ab eo in Ecclesia, quoniam ibidem ad custodiam fratrum staret. Ille, inquiens, malignus, quem vides hic prope astantem, cogitat huc ascendere, & vult nostros fratres conturbare. Præcepitque eum redire, & de concessa sibi salute confidere. Qui rursus ad eius se prosternens pedes erectus est ab ea, vestem tantum purpuream, qua ipsa erat induta, deosculans. Sicque mox excitatus, dari sibi præcepit manducare. Quod vt eiusdem domestici audiere, insanire illum putantes, quia tam alacriter sibi cibum dari peteret, anxiari cœperunt. Ille vero confirmabat, se à beata Dei genitrice sanatum, nihilque vel ægritudinis se, vel insaniæ pati. Sicque celerrime redditus sospitati, sæpe postea fidenter adstipulabatur, non se vlterius esse passurum talia, quem tanta saluti restituisset Domina. Quod & reuera illi accidit, vt deinceps huiusmodi ægritudinem, nequaquam senserit, dum pluribus postmodum vixerit annis.

Huius Hugonis clericus & diaconus, Ebrardus nomine, febris anhelæ vexabatur æstibus: qui huius ægritudinis agitatus angoribus, in crypta, quæ sub ipsius Ecclesiæ sede in honore beati Remigij consecrata est, fessus residebat, dum illic missæ celebrarentur mysteria. Cui vi febriũ fatigato (vt assolet febricitantibus) sopor irruit. Et ecce videt beatam Dei genitricem sibi adstantem, impositaq; manu eius capiti pertransisse, & post altare sese visa est intulisse. Mox ille patefactis oculis surgit, finitisque mysterijs iam sanus, Amen respondet, & alacer officiorum inseruit expletioni. Cuius caput ad tactum mirabilis Dominæ ita est delibutum, ac si oleo eadem fuisset hora perunctum. Quod nos quoque mirati summa, qui eum ipsa die lætum, & comedentem nobiscum vidimus.

Tres denique claudos, & poplitibus contractis, nullo modo gressum figere valentes, in hac Ecclesia diuersis* conspeximus erectos temporibus. Vnum quidem sub Episcopatu domni Heriuei Præsulis, qui aliorum manibus illuc delatus, proprijs regressus est pedibus. Alium sub præsulatu Seulfi, nomine Maganerum, qui gente Britannus, vtroque genu claudus, & scabellis inhærens, inter nos piorum eleemosynis sustentatus, iã sacto sere iam demorabatur anno. Huic dum nocturnas in omnium Sanctorũ solemnitate celebraremus laudes, ita subito in medio populi iacenti genuum extensi sunt nerui, vt lora quoque, quibus crura cum coxis erant annexa, rumperentur, rupta etiam pelle ex poplitibus et sanguis deflueret: surgensque, stupente populo, gressibus deinceps vsus est proprijs. Tertium vero sub huius domni Præsulis Artoldi Pontificatu, eoque missarum sacra celebrante, die solemni eiusdem sacratissimæ virginis, qua Gabriel Archangelus ad eam missus ab astris, partum illi mirabilem sæculis nunciauit. Qui claudus, pauper, & miserabilis, dum per pauimenti sese marmora traheret, repente solutus extenditur, & tellurẽ corpore mensus, in pedes tandem erigitur, incessuque nouo auxit lætanti gaudia populo, quique adhuc inter nos degens stipe sustentatur Præsulis.

Quartus quoque quidam ruricola, * Gerlaius nomine, ex familia huius Ecclesiæ, hanc vrbem adiens oraturus, beatæ Dei genitricis Mariæ ingressus est basilicam. Vbi dũ vota profundit, subito marcore diriguit, contractisque neruis, pene cunctis adstringitur membris, sicque coarctatus, ibidem se permansurum, & dum viueret seruiturum, si relaxaretur, promisit. Tandem post mensem his absolutus vinculis, Ecclesiasticis addicitur seruitijs. Sicque partim in eadem Ecclesia, partim in basilica sancti Dionysij extra murum ciuitatis per quinquennium incolumis deseruiuit. Post quod temporis spatium, in eadem solemnitate, Hypapanti scilicet Saluatoris, hanc ingressus Ecclesiam, dum precibus incumbit, ita rigentibus membris visus est adhæsisse pauimentis, vt nec os, nec aliquod mẽbrum ab his releuare valeret. Erectus autem à circumstantibus, tam cruribus, quam ambabus contrahitur manibus. Quintadecima deinde die iterum absolutus, nec multo post humanis exemptus est rebus. Sed quis enarrare præualeat, quot hic languentes pene quotidie pia dona salutis sumunt! quot febricitãtes, quot saluantur energumeni! quis vel edicere pestes hic liberatis hominũbus effugatas? Sed de innumerabilibus saltem pauca commemorasse sufficiat.

* ms. cognouimus.

Idẽ refert in Chron. an. 914.

* Gerlanius

De visione cuiusdam Gerhardi presbyteri.

CAP. VII.

PResbyter quidam de pago Porcensi, Gerhardus nomine, in quandam dudum deciderat valitudinem, ita vt veneno potatus esse crederetur. In qua valitudine Sanctorum nonnullis consolatus est visitationibus, beati scilicet Petri Apostoli, qui suam ei, quam regebat, præcepit etiam bis, vt restaurare studeret Ecclesiam, atque redarguit per visa, cur totiens medicos salutis suæ requisierit causa. Sanctum quoque Remigium postea sibi videt adsistere, suam illi pandendo personam, & ægritudinis huius remedia pollicentem. Qui mox vrbem Remensem adiens, dum perlustrasset orationis gratia beatæ Dei genitricis, ac sancti Remigij basilicis, in vico noctu requiesceret, ipsius beati Remigij videt se deductum in templum quoddam splendidissimum, ad quod beatissimam conturetur virginem Mariam properantem, sancto Remigio, sanctoque Martino ab vtroque latere stipantibus eam. In ipso verò templo multitudo Leuitici ordinis atque sacerdotalis dignitatis eam expectabat, & diacones induti dalmaticis, quidam cum palmis, quidam sine ipsis adstabant. Cæterorum quoque sanctorum plurimus hic ordo videbatur. Idem verò Presbyter nullius specialiter cognoscebat vultum, præter beati Petri, qui sibi iam pridem fuerat reuelatus. At postquam beata Dei genitrix ad prædictum templum peruenit, vbi eius aduentum hic frater se præstolari videbat, requirere cœpit, quis ille esset, aut quid quæreret. Cui beatus Remigius: Famulus, inquit, meus est, Domina, quærens à tua pietate salutis remedia. Quid autem ipsa responderit, iste, vt retulit, audire non potuit. Velum verò quoddam oppansum ibidem videbatur: post quod, vbi ipsa intrauit, splendidius hanc sole lumen ab oculis eius suscepit, ita vt in id, præ splendoris magnitudine, intendere minime potuerit. Post aliquot denique dies apparuit illi beatus Martinus, missumque se à sancto Remigio ad eumdem testatus est, asserens etiam illi donatam vitam, concessamque medicinam. Restitit tamen postea huic dubietas aliqua de beatæ Dei genitricis persona, quoniam nomen ipsius in visione reuelatum non audierat. Sed precabatur assidue, vt Dominus sibi monstrare dignaretur, vtrum ipsa fuisset, quam viderat, Dei genitrix virgo Maria. Contigit autem illi post sex fere menses, vt subito, dum noctu quiesceret, graui premeretur ægritudine, adeo vt desperaret vlterius se posse viuere. Et dum valde anxiaretur, appensis supra se beatæ Mariæ pignoribus, huiusmodi cœpit effundere preces: O beata Dei genitrix cuius hic dependent pignera, si reuera (vt credimus) de te nobis hæ superappensæ habentur reliquiæ: & si verè de te visum est, quam nuper vidi: si tu es illa domina, quam ad illud mirabile templum sanctus Martinus, & almus Remigius comitabantur euntem, vbi te clarissimus Sanctorum cœtus expectans, aspiciente me, lætanter excepit, fer opem mihi indigno famulo tuo, & tamdiu impetra mihi vitam atque virtutem, vt Missæ mysteria Domino celebrem, & munera vitæ corporis Christi sumere merear: vosque, beati Pontifices Christi, quos cum eadem comitari conspexi, adiuuate me apud ipsam, qui me vestro pijssimo consolari dignati fuistis alloquio. Interea inter angores precesque vix leuis obrepsit somnus, cum subito sub eodem vultu habituque, quo prius eandem aspexerat, beatissima se videndam præbuit regina, eisdem columnis innixa, quibus & antea innixa fuerat visa, luce coruscans clarissima. At ille tanto tremefactus splendore, nihilque fari ausus, luminibus in terram demissis videbatur stupefactus hærere. Quem beatus compellans Remigius. Quid, inquit, nos huc aduocasti? Nonne vides Dominam nostram Dei genitricem te confortare paratam? quid dubitans tardas accedere ad illam? His dictis tremor abscedit, alleuiatur animus, eleuansque oculos vires recepit, & ante pedes beatissimæ Dominæ strate se corruisse se vidit. Quem manu ipsa leuare dignata, fronti signum crucis imponit, & talia prosequitur: Ne timeas, neque desperes, confide in Domino, quia percipies donum ab ipso salutis: signumque pulsare iube vt sacra mysteria celebres, & gratias Deo referas, eum collaudans qui te post verbera sanat. His dictis, ab eius recessit visibus, suis stipata comitibus. Sicque mox frater idem collata sibi salute lætus exurgit, & ad explenda iussa festinans, ita sanus & alacer effectus est, vt nunquam alacrior esse potuerit. Hæc vt eodem presbytero narrante didicimus, ita describere quoque dignum æstimauimus.

De alijs quibusdam miraculis.

CAP. VIII.

HÆc inclyta cæli regina, vt subuenire solet humili se corde petentibus: sic in præsumptores vel contemptores vltionis nonnunquam pœnas exerit. Quod pie quoque fieri credimus, vt hic in præsenti delinquentibus digna ingerantur verbera, ne in futuro grauiora coercitiue tormenta. Quod autem modo dicturus sum non ipse vidi, sed multorum relatu patrum narrari frequenter audiui. Quidam ex clericis nostræ congregationis, Bernardus nomine custos huius erat Ecclesiæ, quibusdam leuibus personis (vt ipse post scripto monstrauit) quatenus ipsis quædam sanctorum dedisset pignera: dum quadam die cum quodam puero hic solus esset in templo correpta quadam pixide, in qua sanctorum continebantur reliquiæ, ausu temerario præsumpsit aperire. Quo facto nimio pauore concutitur, & nebula locus totus magna repletur: talique vallatur horrore, vt non putaret se amplius viuere. Sicque perdita voce, tam ipse, quam puer, qui secum erat, vltra loqui, nec ea quæ viderant fari potuerant.

Quidam quoque custos huius Ecclesiæ, vt ipse nobis narrauit, dum die aliqua post matutinales laudes in Ecclesia requiescere vellet, arripiens templi tapetia, lectum sibi ex his strauit, ibique sese somno dedit. Et ecce matrona quædam sub habitu senili eidem apparuit, quæ herbas quasdam secum videbatur deferre. Hæc primo quidem blandis eum cœpit affari sermonibus. Vbi verò sacra sub eo contemplatur tapetia, taliter infit, cum mutato quoque vultu terrens, aggressa. Et tu Dominæ sanctæ Dei genitricis ausus es violare, ac pedibus sacra superbe conculcare ornamenta, nec tantam timuisti Dominam? Modo quidam parcam: nunquam tamē vltra præsumas talia. Exemplumque dedit illi de quodam, qui sic sibi lectum solebat sternere, quem nouimus olim ærumnis affectum in pauperrimo quoque stratu obisse. Ita deterritus surgit propriamque culpam confessus, sacrnis tapetia reddit, & Dominum super hac correptione sua eiusque collaudat genitricem. Hanc autem Dominam quæ se visitauerat non agnouit: à beata Maria tamen fuisse credimus missam. Nouimus etiam quosdam deuotos atque promissos à parentibus in hac Ecclesia fore Christo, eiusque genitrici seruituros. Quod votum dum vellent postea mutare parentes, prohibiti sunt coacti langnore suam promissionem adimplere.

Dudum cum agricolæ vbi vicini post Pascha, solito de more, hanc petissent vrbem huius admirabilis Dominæ requirendo suffragia, suaque vota ferendo, quædam villæ consueta quærere neglexere præsidia. Quarum messes cum iam tempus instaret metendi, tanta tempestatis sunt attritæ grandine, vt pene omnia eorum penetrans sata, vineæ quoque, adustis fractisque pampinis, vnum amiserint fructum. Eorum verò fines qui se huius pijssimæ dominatricis munere subsidijs, neque tangere, nedum intrare grando præsumpsit. Sicque deinceps tam hi, quam cæteri quique contigui, promptius libentiusque annuatim eiusdem Dominæ nostræ, sancti quoque Remigij, cæterorumque Sanctorum hanc Remensem adeuntes vrbem, consueuerunt expetere patrocinia.

Peregrinationes sanctæ.

A

De secunda Beati Remigij corporis translatione.

C A P. IX.

PRæfatus denique Præsul Hincmarus cryptam præclari operis ad pedes S. Remigij construxit, & corpus eiusdem beatissimi patroni de loco cryptæ prioris, vna cum sepulchro ipsius in eadem, collectis Remensis Diœceseos Episcopis, vt iam superius dictum est, transtulit: & ante ipsius sepulchrum opus egregium auro edidit, gemmisque distinxit, fenestram inibi, vnde Sancti sepulchrum videretur, fecit, & circa ipsam fenestellam hos versiculos indidit,

Lib. 1. c. 21.

Hoc tibi Remigi fabricauit magne sepulchrum
Hincmarus Præsul, ductus amore tuo.
Vt requiem Dominus tribuat mihi, Sancte, precatu
Et dignis, meritis, mi venerande, tuis.

Euangelium aureis litteris insigniuit, ac parietibus aureis, gemmarumque nitore distinctis muniuit, versibus etiam auro inclytis prætitulauit. Sed & crucem maiorem cooperuit auro, gemmisque decorauit. Librum quoque sacramentorum sub eburneis tabulis, argento præsignitis: sed & Lectionarium ad missas librum, pari decore venustatum, ibidem contulit, aliosque libros & ornamenta nonnulla eidem venerabili loco delegauit.

B

De corpore autem ipsius beatissimi Remigij non est ausus aliquid sumere, sicut ipse quoque testatur in epistola ad Ludowicum regem Transrhenensem, qui id sibi ab eo petebat moneris. Sed * hic Pontifex pro maxima præsumptione asserit seduxisse, corpus eius, quod Dominus per tanta tempora integrum conseruauerat, disrumpere.

Ibid.

De pallij cotidiani vsus à Romana sedis Præsule perceptione, & rebus Ecclesiæ sub eo concessis.

C A P V T X.

HIc denique venerabilis Præsul Hincmarus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reuerentia, per interuentionem Lotharij Imperatoris pallium ad cotidianum * suscepit vsum à quarto Leone Papa, à quo iam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debite fruendum. Quē cotidianum pallij vsum nulli vnquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in epistola tunc ad eum directa testatur. Scripsit autem præfatus Pontifex ad eundem Papam Leonem sexies, vt ipse in quadam ad eundem asserit epistola, vel septies, sua dirigens ad eum scripta. In hac vero epistola de his, quos temeritas chorepiscopalis ordinare: vel quod Spiritum sanctum consignando tradere præsumebat, requisiuit. Et quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, vt videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium peragetetur, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium vsibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia iam secundo actum fuisset. Item de his, quos domnus Ebo post depositionem suam ordinauerat. In alia quoque epistola scribit de quodam Fulcrico, Imperatoris Lotharij vassallo, de quo etiam pridem ei significauerat, pro quo Ecclesiæ nonnullæ per hoc regnum maximum patiebantur impedimentum, qui vxore sua dimissa, postquam excommunicatus ab eo proinde fuerat, aliam insuper ducere præsumpsit vxorem. Item in eadem de priuilegijs huius Remensis Ecclesiæ, quæ habuit ab initio, quo priuilegia sedes habere cœperunt: & quia Remorum Episcopus primas inter primates semper, & vnus de primis Galliæ Primatibus extitit, nec alium se potiorem, præter Apostolicum Præsulem, habuit: vt scilicet ea, quæ tanto tempore ab antecessoribus ipsius huic sedi sunt concessa & conseruata, conseruare & augmentare dignetur. Ab imperatore quoque Lothario præceptionis imperialis auctoritatem super quibusdam rebus conjacentibus in his locis, Meorauallis, Termedo, Roserolis obtinuit, quæ tempore Karoli Imperatoris, occasione quadam interuenienti, à Remensi sunt abstractæ Ecclesia, & publicis vsibus subactæ, quas hic Lotharius imperator ad partem sanctæ Mariæ, ac sancti Remigij sua restituit auctoritate. Qui Lotarius imperator nonnullis hunc Præsulem Hincmarum apud Leonem Papam honorifice commendasse reperitur Episcopis atque Legatis. Sed & quando Romam petere idem Pontifex disposuerat, epistolam itam idem Imperator pro eo præmittens, suggessit præfato Papæ, vt ipsum decenter amabiliterque susciperet, & quicquid ab eo postulasset, libenter ei liberaliterque tribueret. Item aliam pro synodalibus diffinitionibus, de ordinatis ab Ebone post suam depositionem, à sede Apostolica confirmandis, & quibusdam priuilegijs eidem Hincmaro, sedique Remensi concedendis: & quia illam volentem Romam proficisci, tam ipse, quam frater suus Karolus rex Franciæ, * quando valde necessarius eis erat ad sopiendas quæ tunc exortæ fuerāt perturbationes, retinerent. In qua epistola commemorat, quod in hac sede Remensi beati Sixti primi eiusdem Episcopi, & Apostolorum discipuli, prædecessores ipsius Papæ, Stephanus Pippino, & Leo Karolo magno, Apostolica contulerint munia. Alius quoque Stephanus Ludowicum Augustum in eadem sede imperiali diademate coronauerit. Ad hoc denique obtinendum, quod pro prædicto Præsule petebat, idem Lotharius Petrum Spoletinum Episcopum, mandatis super hac re per semet instructum, executorem direxerat, & aliū Petrum Aretinum Episcopum litteris exinde commonuerat, aliosque quosdam tam suos, quam præmissi Papæ fideles ad id peragendum destinauerat. Eidem Lothario imperatori scribit præfatus Præsul Hincmarus de Fulcrico eius vassallo, quem excomunicauerat, qualiter ad pœnitentiam venire debeat. * Item aliam Epistolam in qua continentur culpæ ipsius Fulcrici, & quomodo eum rationabiliter excommunicauerit, quia noluerit ad pœnitentiam venire. Item aliam, in qua valde collaudat eum, congaudens eius humilitati, quod ipsius obaudierit monitis super præfato excommunicato, absoluitque eum id humiliter deprecantē, pro participatione quam habuerat cum ipso. Item postquam conualuerat idem Imperator de infirmitate sua. In qua epistola eum satis episcopaliter, licet succincte, de salute admonet animæ. Et alia nonnulla eidem scripsit. A Karolo denique rege suo hic Præsul Hincmarus cellam in honore sancti Martini, in municipio Vongo constructam, cum omnibus ad eandem cellam iuste pertinentibus, ad partem Remensis Ecclesiæ reimpetrauit, ac per auctoritatis ipsius præceptum recepit. Ad ipsius suggestionem dedit idem Karolus rex Ecclesiæ sancti Remigij, vel monachis ibidem Deo seruientibus, res quasdam: hoc est in pago * Pertinse, in villa Baildronis curte mansa duo, & in Dodelini monte massa duo, atque in waldonis curte massa duo cum mancipijs, & omnibus ad easdem res legaliter aspicientibus. Præceptum quoque ipsius Karoli de via, quæ impediebat ad claustrum Canonicorum sanctæ Remensis Ecclesiæ amplificandum (quoniam & numerum eorundem Canonicorum augmentauerat) idem domnus Hincmarus obtinuit. Res præterea quasdam quæ ab hoc rege dudum fuerant Episcopio subtractæ, Ecclesiæ redintegrari laborauit: id est villam Nouiliacum, quam Karlomannus ad Ecclesiam sancti Remigij pro animæ suæ dedit remedio, tam ipsam villam quam res & mancipia, quæ diuersi homines dono regis retinebant, ad eandem pertinentia. Item res aliquas in Culmissiaco & Bairaco sitas. Item res super fluuium Rotomnam, & in alijs nonnullis locis conjacentes. Itemque à Rege Ludowico Transrhenensi præceptum restitutionis accepit super quibusdam rebus sancto Remigio quondam legatis: hoc est in pago Wormacensi * Sciauenheim cum omnibus ad se pertinentibus, Cossa & Gleni in saltu Vosago. In Thuringia quoque & Austria, in loco qui dicitur Schonerausstat, & in Helisleba, cum omnibus ibidem aspicientibus. Res quoque nonnullas, iuraque Ecclesiæ ac mancipia legibus per aduocatos euindicata recepisse reperitur. Res etiam nonnullas Episcopij, terras scilicet atque mancipia, cum diuersis personis, ad incrementum Ecclesiæ, pro partium opportunitate commutauit. Sed &

E

c. ī. recepit

C

D

1. quū.
j. quoniā

Stepha.
I.
Leo iij.
I.
Stepha. v.

G

j. Pertinse

Hincmarus aucr. numerum Canonicorum Remens.

H

j. Scaden. heim.

præce-

A rum proprium Episcopum, operante Domino nostro Iesu Christo, purificari atque sanari posse. Quod & actum est per venerabilem Hincmarum Archiepiscopum. His ita peractis, benignus princeps Karolus petiit Hincmarum Archiepiscopum, reliquosque Pontifices, vt quia præfati fratres gradus Ecclesiasticos obtinere non valebant, communionem saltem recipere possent per synodi indulgentiam. Quod & pietas sacerdotalis licenter assensit, & misericorditer eisdem fratribus veniam concessit. Et ita hæc omnia gestis inserta, & in * conspectum synodi recitata, & rata iudicata, prædictorum manibus Episcoporum, & aliorum, qui interfuere, subscriptione firmata sunt

ms. conspectu.

Quæ actio synodi sedi Apostolicæ ab Hincmaro directa, & à Benedicto Papa Leonis successore corroborata est. Qui etiam Benedictus Papa priuilegium auctoritate beati Petri, & Apostolicæ ipsius sedis huic Præsuli nostro Hincmaro contulit, sanciens ne quilibet huius diœceseos regulis subiectus, eo contempto impune anderet, seu valeret aliena expetere, aut expectare iudicia. Sed dominus Nicolaus eiusdem Benedicti successor, petentibus sedem Apostolicam prænotatis deiectis, præmemoratæ gesta synodi retractasse atque reprehendisse reperitur: præcipuè quod sola obedientia subditorum reputata fuisset in culpam; & qui prælati iudicio temere non restiterunt, sed humiliter colla subdiderunt, seuerissime punirentur, & qui misericordiam peruenerant, nec iustum, vt asserit, iudicium metuerint. Intimat etiam quomodo dominus Hincmarus pro his actis Concilij Leoni Papæ non semel supplices litteras miserit, quatenus idem Concilium approbans, auctoritate Apostolica roboraret. Quod ille agere sollicite renuerit, eo quod per aliquos ex his Episcopis, qui synodo resederant, vt dubitatio foret radicitus euulsa, eiusdem synodi statuta destinari debuissent, præcipue cum ibidem Legati sedis Apostolicæ præsentes non fuerint. Et quia hi quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras ad sedem Apostolicam appellauerint, & vellent iterum se Apostolicæ sedis audiri præsentia, præcepisse quoque eumdem Papam, vt Hincmarus Præsul ad Concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse Legatum, Petrum videlicet Episcopum Spoletanum, è latere suo direxerat, ad renouandum scilicet iudicium vice sua. Cui audientiæ, quoniam domnus Hincmarus suam non exhibuit præsentiam, voti effectu frustrato, Leo Pontifex ab hac luce subtractus est. Benedicto autem viro Apostolico succedente, eidem subreptum fuisse, & in ipso consecrationis eius principio suasum, vt illud firmaret Concilium, non tamen ei suaderi potuisse, vt à iustæ definitionis tramite declinaret. Verum ita per ei concessum priuilegium illius Concilij roborasse institutum, vt auctoritatis summam sedi Apostolicæ reseruarit: Ita decernens manere inconuulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo ab Hincmaro referebantur, & vt inde quæstio nullis aliquando temporibus oriretur. Sed quoniam non ita per omnia, ceu suggestum est, fuisse comprobaretur, merito asserit in irritum deductum, quod contra deiectos non simpliciter fuerat impetratum. Quocirca primum quidem domno Hincmaro mandauit, vt is commemoratos viros, Vulfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se reuocare, & de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet. Alioquin ad Concilium cum his Episcopis, quibus & ipse quoque Papa pro hoc ipso scripserat, simul occurreret, quatenus omnes in vnum conuenientes, causam eorumdem clericorum examinarent, & non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito, diffinirent. Si vero quælibet inter partes disceptatio proueniret, ad sedem Apostolicam suæ susceptura speciale iudicium personæ, vices tenentes vtriusque lateris conuenirent. At Dei gratiæ iuuamine hoc peracto iudicio, intimat se litteras suscepisse amplectendæ dilectionis omnium, qui interfuerunt, Episcoporum, manifestissimè significantes, crebro memoratos clericos tertius consona voce Concilij dignos graduum suorum receptione pronunciatos. Vbi nulla (sicut in litteris eorumdem Episcoporum reperiebatur) disceptatio prouenit, nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit, nullus accusator, nullus condemnator repertus est, sed cunctorum vna eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruerit, eisdem innoxiis à cunctorum vnanimitate modis omnibus approbatis. Reprehendit autem & hoc quoque Concilium præfatus Papa Nicolaus, quod non solemniter omnia, iuxta quod ipse diffiniuerat, egerint, sedi Apostolicæ plena relatione actionis seriem referantes. Debuisse, aiens, quicquid de Ebonis deiectione, * reclamatione, horum clericorum promotione, & ipsius Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, vel vndecumque ibi quod ventilatum est, ei scripto vnanimiter, pleniter, ac fideliter intimare. Sed & monimentis insertum ad pleniorem penes se notitiam & certitudinem reseruare. Præcepit ergo, vt quæcumque super hac re scripta, tam à sede Apostolica, quam à nostratibus edita reperiantur, & quod hinc Præsul Hincmarus, & illi deiecti clerici sedi Apostolicæ suggessetint atque retulerint, in volumen vnum, ordine quo missa sunt, redigerentur, & Apostolicæ sedi, exemplaribus sibi reseruatis, summo studio dirigerentur. Et si de cætero quid tale forte contigerit euenire, propter quod conuentum in regionibus his fieri sacerdotum præcipiat, hoc inter cætera nulli penitus obliuioni tradat, sed post omnia id agere maiorum more studiosissime satagant, &c.

Leo iiij. Benedi. iij. epist. j. Nicol. j. B epist. 46. C D Nicol. ep. 47. Nicol. epist. 46. 47. & in append. 13. Alia synod. Suess. sub Nicolao j. an. 866. E Nicol. ep. 46. *Nicol. relegatione.* F

Præmissi denique Concilij Præsoles, Apostolicæ sedis obedientes præceptis, ordinem rerum gestarum de Ebonis deiectione, vel restitutione, iterataque repulsione colligentes, eidem venerabili Papæ miserunt, huiusmodi præferentes epistolam.

Epist. Trecensis Synodi, de qua infra c. 17. G

REVERENDISSIMO ET SANCTISSIMO domno Patri ac Papæ Nicolao, Episcopi qui præterito anno per gratiam Dei & decretum vestrum apud Suessonicam vrbem cum aliis qui tunc nequiuerunt adesse conuenimus.

SERIEM RERVM gestarum de Ebonis quondam Remorum Archiepiscopi depositione, sed & de ipsius restitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & iam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, vnde à nobis inuestigari, & vobis remandari iussistis, quia his nemo nostrum in ordine Episcopali intererat, nisi frater Rothaldus (sicut ex regum & Episcoporum monimentis qui interfuerunt, & scriptis suis posteris reliquerunt, breuiter collegimus) vestræ sanctissimæ paternitati & præcellentissimæ auctoritati transmittimus. Quæ autem colligere & auctoritati vestræ dirigere necessarium non putauimus, quoniam sicut vobis per Egilonem venerabilem Archiepiscopum scripto suggessimus, in quo nullam memoriam de quacumque Ebonis depositione habuimus, nec habere tunc necessarium vidimus, nobis in eorum fratrum restitutione non quidem disceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, sed vnum idemque secundum traditionem maiorum, quam discretioni vestræ intimare curauimus, sentientibus, quos non procacia obnoxios fecit, sed obedientia inculpabiles in adeptione sacrorum graduum, iuxta sincerissimum sententiæ vestræ intellectum induxit, sine contradictione in suis ordinibus restituere maturassemus, nisi priuilegiis sanctæ Romanæ sedis, per reuerendum confratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum nostræ vnanimitati prolatis, quia de ipsis vestis quadam statuerunt, debita reuerentia exhiberetur. Quorum summa, perfecta, & integra firmitas, vt claruit & iustum est, in Apostolicæ sedis reseruata erat arbitrio potestatis: quorumque priuilegiorum auctoritatem chartas, cum saluis sigillis, & incorruptis scripturis vidimus confrater & consacerdos noster, non ad prædictorum fratrum nocumentum, neque ad vllam contradictionem, sed ad debitam reuerentiam sedis Apostolicæ, vt dignum est, exhibendam, ostendit: tibi gesta Episcoporum; quorum vos alia relegisse, & qualiter profugati clerici degradati fuerint reperisse, nobis aperire dignati estis. Quibus non subscripsit, quia & eosdem fratres suis iudicio non deiecit, sicut vobis & ipse, & nos scripsimus, & gesta ipsa demonstrant; & sicut iam sanctissimæ paternitati vestræ suggessimus, in eorumdem reditione detrectantibus & quadam deliberantibus, non

A *tamen terminantibus nobis, eo vsque causam perduximus, vt solummodo magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio adscriberetur redintegratio. Vnde postea vnanimitas nostra in quamcumque partem non declinauit, etsi quidam quacumque necessitate exinde, nobis ignorantibus, diuerterũt. Egimus itaque prout potuimus, in succincta collectione de gestis rerum & Episcoporum ex causa Ebonis, & vt præcepistis vestra auctoritati transmittimus.* Post hatum vero rerum gestarum ordinem descriptum ita subiungerane. *Hæc sicut vestra iussit auctoritas, quæ de Ebonis quondam Remorum Archiepiscopi, qua ante triginta & tres circiter annos extitit depositione, & post de ipsius restitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & iam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, in eorum qui iam nos ad Dominum præcesserũt scriptis, verum & quæ illorum, qui interfuerunt, veridicis relationibus cõperimus. Quæ etiam ex magna parte in gestis Episcoporum Belgicæ, Galliæ, Neustriæ, & Aquitaniæ prouinciarum Papæ Sergio dirigẽdis, & Leonis Papæ directis cum eorum epistola, sed & in epistolis Lotharij Imperatoris, & Karoli regis exinde directis continentur, quas*

B *in scrinio Romano credimus conseruari, vestræ auctoritati transmittimus. Scripta quoque, quæ hinc à vestra auctoritate directa, & vestræ sanctitati remissa relegimus, ordine quo missa vel remissa fuerunt, secundum vestram iussionem in volumine isto congessimus. Et si forte alia ex hoc negotio, aut à nobis, aut ad nos missa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater & consacerdos noster Hincmarus nobis vestræ auctoritati mittenda dedit, secundum quod præcepistis, dicentes inter alia : Quæcunque super hac rescripta tam à nobis prius, quam nunc à vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiscopus Hincmarus, & illi deiecti clerici sedi Apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen vnum, ordine quo missa sunt, redigantur, & Apostolicæ sedi, vt competens est, vobis eorum exemplaribus seruatis, summo studio dirigantur, his subiuncta dirigimus, &c.*

Nicol. epist. 46.

De vacatione Camaracensis sedis, & coniunctione Balduini cum Iudith filia Regis.

Cap. XII.

C DE vacatione præterea sedis Camaracensis, sed & de coniunctione Balduini Comitis & Iudith indebita, quæ scilicet Iudith Karoli regis filia, Edilnolfo regi Anglorum, qui & Edelboldus, dudum fuerat in matrimoniũ copulata, & reginæ decore ac benedictione insignita. Post cuius obitum, venditis quas in Anglorum obtinuerat regno possessionibus, ad patrem reuertitur, quæ sub regali tutela sic manere decernitur: sed illa Balduinum Comitẽ, ipso lenocinante, & fratre suo Ludovvico consentiente, secuta est. Vnde rex Karolus Episcopos ac cæteros regni sui primores consulens, post mundanæ legis iudicium, canonicam in iam dictum Balduinum & Iudith, secundum edicta beati Gregorij, ab Episcopis depromi sententiam fecit. De Rothadi quoque Suessonicæ ciuitatis Episcopi deiectione, quem ab Episcopali ministerio iudicio remouerat Episcoporum. De commemoratione etiam nominis Ebonis, atque de Gothescalci cuiusdam hæretici damna-

D tione præfatus Præsul huiusmodi scripta direxisse ad sedẽ reperitur Apostolicam.

Iudith filia Caroli Calui.

DOMNO VNICE SINGVLARITER QVE suscipiendo patrum patri, & summa veneratione honorando reuerendissimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.

IN EPISTOLA vestræ sanctitatis per Odonem Episcopum Episcopis in regno Lotharii pro prædicto Camaracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturam, cuius neglectu eadem Ecclesia vltra decimum mensem pastore vacaret, vnde, ne vt negligens à vestro Apostolatu succensear, indico auctoritati vestræ, post directas Lothario & Episcopis regni eius atque Hilduino, qui eandẽ Ecclesiam irregulariter occupauit, ita vt antequam ipsas mitteretis epistolas, hactenus præiudicium permanere: meq; Lotharium regem & legatis & litteris, prout potui, sæpe & eo vsque inde commonuisse, donec regis sui litteris mihi respondit, Hilduinum ad vestram auctoritatem suum Legatum misisse, & nihil aliter de præfata Ecclesia,

Hæ sunt Nicol. epist. 63. 64 & 65.

E *nisi vt egerat, disponere debuisse, donec à vobis inde responsum acciperet. Balduinus quoque in proximo nunc decurso mense Octobrio, quinto Kalendas Nouembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur, vt easdem litteras coepiscopis prouinciæ nostræ legerem, & Iudith paternis ac maternis obtutibus præsentandam susciperemus, si tamen intelligeremus, quod confestim præfatus excellentissimus rex noster, quæ de illa vobis scriptis & verbis per Legatos vestros Apostolatui vestro renunciãda spopondit, adimplere vellet. Quod si eorum animos ad id protelandũ esse intẽtos inuestigare possemus, nequaquam eã reciperemus. Alioquin, id est si aliter egissemus, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam, vt oportuit, reuerenter suscepi, & coepiscopis nostris eam relegi, & pro præfata Iudith apud patrem & matrem illius, quãtũ potuimus, vt mãdastis, communiter interuenimus, & paternis ac maternis obtutibus eam præsentare studuimus. Post quæ voluimus, quia sic nobis secũdũ sacras regulas, sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus absolui posse putamus, quod anathematis*

F *vinculo à sacris regulis innodatum videmus) vt iuxta Ecclesiasticam traditionem prius Ecclesiæ, quam læserant, satisfacerent, & sic demum quod præcipiunt iura legum mundalium, exequi procurarẽt. Sed quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, immo etiã nullam protelationem eiusdem coniunctionis fiẽdam significauerũt, sibi sufficere voluerũt, & sine vestra auctoritate, ad quam clamauerant, cogi, nisi alio se modo submitterent, non debuerunt. Ex altera epistola vestræ sanctitatis eis retuli, quod nõ leges Ecclesiasticas dissoluistis, sed preces pro eo misistis, qui puniri secundum leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitẽdi haberet, quod cõtra leges diuinas admiserat. Sic & Saluator noster, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire, in cruce apud patrem in re sacerdotii pro suis persecutoribus intercessit: quod in eis qui post passionem eius crediderunt, & compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum patre omnia donat, efficaciter impetrauit. Ad cuius instar, Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholicæ atq; Apostolicæ Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem regem & in leges mundi peccatum est, perdonari petiistis, vt quod in regem cæli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per*

Non extat.

1.Tim.2. Luc. 23.

G *pœnitentiam abolendi. E contra carnales, & etiam quidam eorum, qui antea coniunctioni huiusmodi contradicebant, hac defensione, vt eis visum fuerat, se protegentes, (sed sicut se habet veritas) fallente mundanes, ab istius nouissimæ vestræ epistolæ verbis recedere noluerũt, quam sine procelatione eorum coniunctionem debere fieri demõstrare dicebãt. Dicentes vero mihi, quia pro nulla potestate terrena quod de Ecclesiasticis regulis intelligerem dimittere deberem: maxime cũ etiam mecum, immo cum Deo, dominus rex noster, filius vester, Karolus faceret, quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, in quo non meis, sed verbis eorum vtar, quia mãsuetudo vestra, velut exemplum & doctrix disciplinæ Dei, mitis & humilis corde ac patiens æquanimiter sustinebit, dicentium: vt quia non secularis, sed Ecclesiastica potestas de hoc mihi negotio imperauit, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti Apostolatus vestri, & sedis Apostolicæ hoc egissem, & vestræ mansuetudinis erga me animum commoueret, & quamcumque excommunicationem, sicut pro Rothado actum fue-*

H *rat (quod tamen ad me non peruenit, nisi quantum Odo Episcopus, & postea * Liudo detulit, antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus: vel quomodo res gesta fuerit per Legatos vestros rescitetis) obtineret: præsertim cum in hac epistola vestræ auctoritatis legatur: quod si aliter egissemus, quam inca scriptum est, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quo cõtra mihi dicentibus hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne forma illa à nobis deciperetur, & non ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret: Responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quam vobis placuit eam componere, cum de in præterito mihi transmissis eius sensum possem manifestè cognoscere. Quapropter memor prætaxatarum epistolarum mihi & Episcopis regni filij vestri domini Karoli à vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Liudonem mihi benignitas vestra mandauerat (hæc enim in Antisiodoro post aduentum Liudonis ventilabantur) inter metum prætaxatarum, & spem posterioris epistolæ mihi missæ monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitare, & condescensionem quasi in tempus aliud differendo, dissimulaui, expectans vt in causa huius quæ instat dispositione vestra, ex Rothado discere valeam, qualiter de reliquo in huiusmodi agere debeam. Sicq; nihil nobis de Ecclesia-*

*ms. Lando

A stico ministerio eis interdicentibus, sed tamen quod valuimus, nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, Balduinum & Iudithmir a legum secularium, quæ elegerunt, exequi studuerunt. Dominum etiam noster rex, filius vester, huic desponsationi & coniunctioni interesse non voluit, sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges seculi eos vxoria coniunctione adinuicem copulari permisit, & honores Balduino pro vestra solummodo petitione donauit.

De causa Rothadi Suessonici Episcopi depositi.

Cap. XIII.

Nicol. epist. 32.

DEnique ad epistolam vestræ auctoritatis, ad quam me misistis obedienter audiendam, generaliter omnibus Episcopis regni domini nostri Karoli regis gloriosi, pro Rothadi causa, per Odonem Episcopum transmissam, sicut litteris exiguitati meæ directis sanctitas vestra præcepit, conuenit, & simul eisdem venerabilibus Episcopis, quantum ex me fuit, mox antequam synodus solueretur, vestram iussionem de eodem Rothado, ne aliqua mora vestræ præceptionis implendæ, aut de superuentione paganorum, aut de alia qualibet causa interueniret, adimplere curaui; sicut & Legati domini regis ac nostri, & litteræ plenius vestræ notum faciunt sanctitati. Sed quoniam causa interueniente, quam vobis ipsi Legati referent, statim vt præcepimus datis litteris, & designatis nostris vicariis, ad vestram præsentiam cum eodem Rothado ire non potuerunt, & ob id diutius quam voluerimus immorati fuerunt. Interea Ludo Legatus domini nostri regis à vestra rediens sanctitate, pridie Kalendas Decembris vestras Apostolicas litteras domino nostro regi, filio vestro in ciuitate Antisiodoro detulit, & quia filius eius atque æquiuocus Karolus, qui patris animum in quibusdam offenderat, & ob id ad eius præsentiam, quorumdam suggestione, aliquamdiu venire distulerat, patrem Legatis suis petiit, vt meam paruitatem cum aliis quibusdam suis fidelibus pro eo ad ipsius vestigia deducendo transmitteret, quatenus nostro interuentu patrem placabiliorem inuenire valeret, exiguitatem humilitatis meæ dominus rex illuc in suum venire seruitium miserat. Quo mox vt veni, mihi litteras vestras legendas donauit: in quibus licet pro sua dignatione sublimitas vestra humilitatem meam sine vlla meriti prærogatiua benigne tractauerit, & à mea insipientia sapientia vestra scripsa supra id quod scio atque intelligo, non tamen absque subinducto cauterio, laudare dignata fuerit: tamen in eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increscere. Vnde dignetur sanctitas vestra dignanter suscipere, quod beatus Augustinus de suo multiloquio Domino Dominorum * audacter non dubitauit dicere, cum se inde apud eum voluit excusabilem reddere, inter alia scribens: Loqui multum ne est nimium, si tamen est necessarium.

ms. iudaſtr. Augustin.

C

Quæ dere, sanctissime domine & pater reuerendissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis tam sufficienter notissima, quasi repetens scribo, cum quo, quia vobis placet (cui cuncta bona placent) mittimus vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothado, atque à vicinis nostris, qui causam plenius ac veraciter aut nesciunt, aut scire non volunt, accusati, quod non in contemptum sedis Apostolicæ appellantem Rothadum secundum Sardicenses canones sedem Apostolicam: sed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos canones, ac decreta beati Gregorii regulariter iudicauimus vestræ summæ auctoritatis huiuscemodi iter intimandum. Absit enim à nobis, vt priuilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificum pro sic paruipendamus, vt controuersias & iurgia tam superiorum, quam etiam inferiorum ordinis, quæ Nicæni & cæteri sacrorum Conciliorum canones, & Innocentii, atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum decreta in synodis prouincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si forte de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habeamus iudicia, & ob id in prouinciali, vel in comprouinciali nequeat examine diffiniri, ad diuinum oraculum, id est ad Apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Et etiam de maioribus causis à prouinciali Episcopo ad electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est à gradu suo in comprouinciali synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit quod deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post iudicium Episcopale, eidem summo Pontifici, & ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis concilii capitulum renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius Pontificis etiam ante iudicium est sententia præstolanda. Is enim est, qui secundum Ezechielem Prophetam moratur in gazophylacio quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis templi. Et nos Metropolitani ad comparationem illius sumus, qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, seruimus, & controuersias carnalium in synodis prouincialibus laborantes diremimus, & de maioribus ac maiorum causis ad examen summæ sedis Pontificis, post iudicium referre curamus. Homines enim sub illius potestate, sub nobis commilitones habemus & dicimus huic vade, & vadit, & alii veni, & venit. Quoniam (vt Leo dicit) & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnes sibi omnia vendicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & per quos ad vnam beati Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferre debet aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. } Quam Rothadus à suis exigere magis, quam sacris regulis satagit dependere (cum etiam sancti Angeli in cælo legantur suis potioribus obedire) & ideo ad hoc peruenit vt deiici promeruerit. Quem per plures annos & beneficiis impensis, & monitis atque obsecrationibus, per me & per coepiscopos, ac per quoscumque familiares potui, ad obediendum sacris regulis commonere curaui. Multoties etiam & per litteras Metropolitanas, & ex Apostolicæ sedis auctoritate minas ei inculcare curaui, & ex lectione Catholicorum, quam grauiter offendebat, ei ostendere studui. Ad quæ respondebat, quia nihil aliud facere sciebam, nisi ei meos libellos coram die ostendere. Vnde à multis & frequentissime redargutus fui, cur incorrigibilem, & ministerio sacro inutilem tamdiu scienter contra Dei voluntatem, & sacram auctoritatem portarem. Ego vero quamuis sæpissime & regem, & coepiscopos ac vicinos suos, atque etiam me multo sæpius, quasi ex studio ad iracundiam prouocare satageret, licet non possit, sciens periculosissimum esse in sacerdote perturbatam & præcipitem iram præcipitemque proferre sententiam, & persecutionum supplere sæuitiam, dissimilitudines morum, contumacias inobedientium, & malignarum tela linguarum, diu illum non sine timore de periculo animarum sibi commissarum, portaui, & cum amplius portare non debui, ad plurimorum Episcoporum consilium, vt vel eos audiret, illum deduxi. Quorum non audire consilium, sed aduersum me postulare iudicium maluit. Ad cuius petitionem, vt ei satisfacerem, vt vel sic erubesceret, & à cœpta se stultitia reuocaret, iudicio me dedimus, velut iam vestræ sanctitati plenius aliis litteris intimaui, & replicare me pro vestra auctoritatis satisfactione cogit necessitas: vt cognoscatis quoniam nihil iniurum egi animo inimico, sed zelo diuino, quantum in conscientia mea perspicere valeo. Sed & domino regi, ac Episcopis regni eius, & quamplurimis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus viris, hæc sunt nota quæ dico. Post depositionem autem illius, obtinuit vt vnam Abbatiam valde bonam ei dominus rex & Episcopi consentirent: & omnes nos illi sicut patri, de nostris impendiis seruiremus: quatenus qui in deliciis vitam semper duxerat, non frangeretur, tantum vt seditiosus & molestus Ecclesiæ, cui præfuerat, esse non decertaret. Quod primum quidem acquieuit, sed vt dicunt qui hoc se scire testantur, quidam Episcoporum regni Lotharii zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de VValdrada non adquieuimus, & etiam aliqui de Germania (vt quidam diuinæ) ad Ludouici sui regis suasionem, quoniam cum eo non feci sicut Rothadus, in fratris sui de regno expulsione, persuaserunt eidem Rothado, vt non se a seditione mouenda concrederet: & ipsi apud vos obtinerent, vt restitueretur. Nunc autem, sicut iussistis, ad vestram præsentiam & dispositionem illum perduci, apud dominum nostrum regem filium vestrum obtinuimus, credentes quia quod Domino indeplacabilium erit, cordi vestro inspirare dignabitur.

Deque, quia benignissima dignatio vestra mihi seruo vestro per Ludonem dignata est scribere, vt iuncto mihi integro collegio fratrum, secundum modum ibidem descriptum, vestra Apostolica censura fretum, studerem illum pristino redintegrare decenter officio. Sciat

Marginal notes, left column: 1. Cor. 11. — Concil. Sardic. ca. 4. & 7. — Concil. Afric. ca. 63. 88. 89. & 94. — Concil. Nicæn. ca. 5. — Innocen. I. epist. 2. c. 3. — Concil. Sard. ca. 7. — Section letters: B, D.

Marginal notes, right column: E — Leo epist. 84. c. 1. Concil. Nic. c. 7. — Ezech. 40. — Matth. 8. Leo ibid. cap. 11. — F — Dan. 10 — G — H

A reuerendissima & amantissime colenda dulcissima vestra paternitas, hoc me agere nequiuisse, pro his quæ continentur in subditis: videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis eidem Rothado missam commissum erat eis, qui ad vestram præsentiam illum deducerent, & mihi non erat possibile integrum fratrum collegium conuocare: quoniam, vt supra scripsi, à diœcesi nostra longius eram remotus, in filij vestri regis nostri seruitio. Et quoniam sine illorum iudicio, qui in eius depositione fuerant, & quibus iudex scripsistis, restitui regulariter non valebat, & Episcopi aliarum prouinciarum, per meam conuocationem, in multis occupati, congregari non poterant. Sed & coepiscopi Remorum prouinciæ, ab ipsa synodo, in qua epistolam sanctitatis vestræ audiuimus, causa resistendi Normannis ad suas sedes festinare maturauerunt. Pauci etiam numero Episcopi, qui mecum in filij vestri regis nostri erant obsequio, cum eis benignitatis vestræ commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, taleque studium sacri ministerij in eo fuisse, vt in hoc se miscere auderent: præsertim cum is, qui antea aliquam reuerentiam de districtione sua habebat,

B & semper inobediens & sacris regulis, & regiæ dignitati, & metropolitano priuilegio fuerat, nunc effrenatus ad multorum malum exemplum, & plurimorum beneuolentium scandalum desæuire, & negligentius atque perniciosius viuere, voluntatibus suis seruiens, cum libertate deberet.

De eo autem quod benignitas animi vestri, pensans non belluinum, sed humanum hominis animum, scripsit dicens: Fortasse cognoscet delictum suum, & sua sponte in iudicio, quo iudicatus est, persinceritate deleget. Quod si fecerit, apud regem Karolum, dilectissimum videlicet filium vestrum agendum est, vt liberalitate sua eidem congrua beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentare, ac honorifice degere possit, benigno mentis largiatur affectu: sciat dignatio vestra, non illum esse huiusmodi temperantia. Nam ab eo quod cœpit nunquam potuit reuocari. Quæ etiam ego famulus vestræ dominationis, meditatus sum cum corde meo, & conferens cum fidelissimo filio vestro domino meo rege glorioso, in hac causa prouidi, vestra sapientissima auctoritati scribere dignum duxi: id est, quia licet fretus vestræ auctoritatis litteris per Liudonem meæ exi-

C guitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola, quam filio vestro domno nostro regi misistis, quasque ille relegi, apud eum obtinere possem, vt iussus sum, qui Rothadum ad vestram deducendum præsentiam susceperunt, mandaret, quatenus ab arripiendo Romam itinere expectarent, donec opportunum tempus Episcopos regionum nostrarum conuocandi adueniret: quia non erat ratio, vt alius notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur, antequam Episcopis vestræ auctoritatis epistola legeretur: poterat fieri, vt qui me diuina clementia & sua benignitate & amoris deuotione colunt, & aliquid [illegible] æstimant esse, cum nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum [illegible]aterentur, quasi contemnens aut negligi facerem vestram commendationem, quæ intra [illegible]stitutos à vobis dies in epistola per Odonem Episcopum missa, ad obediendum vestram accelerare fecerim, quantum petiit, [illegible]. Et si quando in vnum conuenirent Episcopi, qui sciunt, & me vna cum eis scire norunt Rothadi negligentiam, & diuinam in sacro ministerio inutilitatem, de eius restitutione alloquerer, omnes me exsufflarent, & amentem penitus iudicarent: sic etiamsi Rothado, vt so [illegible] (quod non sua salutis intuitu faciet) beneficia nos impetraturos promitteremus: quoniam pene omnes in istis prouinciis sciunt, quia

D Conc. Afric. ca. 63. 88. 89. & 94. secundum Carthaginenses & Africanos canones, & decreta beati Gregorij, electorum se commisit iudicio: & amplius quam quingenti interfuerunt diuersi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis à caupone & tabernaria per missum regis de illis pignore sumptus, ac delatus fuit in synodum, & scientes coronas argenteas à Iudæo, cui illas dederat, resumptas, & facultates Ecclesiasticas ab eo suppressas, & latenter commendatas, indeque receptas & Ecclesiæ redditas, & vascula argentea, quæ non pauci ponderis à longo tempore in Ecclesia pependerunt. Sed & alia quæ sui decessores, ac prædecessores, cæterique fideles pro remedio animæ suæ eidem Ecclesiæ obtulerunt, ab eo sine consensu Metropolitani ac coepiscoporum, & sine œconomi, ac Presbyterorum & Diaconorum suæ Ecclesiæ assensu pro libitu suo donata. Cum etiam beatus Gregorius multotiens in epistolis suis ex sacris canonibus scribat: quæcumque Episcopus post ordinationem Episcopatus adquisierit, omnia esse Ecclesiæ in qua extitit ordinatus. Vnde constat, quia nec ipse sine œconomo & conscientia clericorum illa debeat dispensare. Sed & omnes vrbis incolæ ac populi, qui cum rege ac Episcopis ad synodum conuenerunt, & vt rem tera ad spectaculum currentes, eum viderunt vsque ad ostium synodi venientem, & inde vt maniaticum recedentem, quique sciunt quantam benignitatem regis & fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, vnde sacri canones expressa decreuerunt iudicia, iudicatus, lacrymantibus rege & Episcopis, durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundum sacros canones, sicut eos intelleximus, iudicauimus, & postea vt ipsi præcipiunt canones, per coepiscopum nostrum, qui eidem iudicio interfuit, primus iudicium nostrum de eo referre, & nunc illum ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut iussistis, ad Apostolicam sedem, quæ paternos canones seruandos confirmat, & confirmatos ac obseruandos sua obseruatione demonstrat, dirigere procurauimus, de vestræ auctoritatis iustitia & æquitatis libramine dubitare. & ideo vt se concrederet locarium ei promittere, sicque nos vt insanos merito denotarent, cum etiam si fieri posset (quod ab illa prima & sancta sede ac summo Apostolatu vestro pendum non creditur) vt talis ad nobis cognitus, esse tum in ordine nominetur, nulla de cætero nobis conscientia de sibi à vobis commissis animabus esset periculum. Et cum omnes in istis regionibus sciant, quam negligens & contemptor sacrorum canonum, & quamdiu, quamque patienter atque benigne

F fuerit toleratus, & à quam iniustis, (quia se corrigere noluit, secundum sacras regulas, sicut eas intelleximus) fuerat iudicatus nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si foret facta à vestri summi Pontificatus potestate. Quia omnes scimus cum iunioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in primatu beati Petri subiectos esse Romano Pontifici, & ob id salua fide, quæ in illa Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestra Apostolica auctoritati obediendum. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est: quia Iesus erat subditus parentibus suis. Nobisque item scriptum est. Obedite præpositis vestris & subiacete eis. Et nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Et si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domino meo rege glorioso, ille replicauit, quod sæpe inculcauit, quodque libentissime accepit, & adimplere cupit, quia sicut Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo: & ipsius est regnum, & cui voluerit dabit illud. ita ipse supra fundamentum Apostolicæ petræ suam fundauit Ecclesiam, quam & ante passionem, & post resurrectionem suam

G speciali cura & singulari priuilegio beato Petro, & in illo suis commisit vicariis: cuius sedem, suæque sedis Pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit: Qui accipit si quem misero, me accipit. Et ab ipso honorabitur dicente: Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles. Idcirco quia multi sciunt, qualiter se Rothadi reclamatio habeat, & quidam inde aliter dicunt, & omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritas illum cum nostris vicariis ad suum præcepit destinari iudicium, dignum & iustum est, vt quemcunque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandauerit, si infirmitas, vel grauior quæcumque necessitas, vel impossibilitas (sicut sacri præfigunt canones) eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro tali querela ad se quocunque modo clamantem præsentiæ suæ iudicat exhibendum. Et quicunque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicæ sedis summum Pontificem promptè obaudiunt, & honorant, promptius & humilius eis subiecti sui obedient. Nam vt beatus Gregorius dicit: Sicut languente capi-

H te subiecta membra in cassum vigent: ita gloria & honore coronato, id est, honorificato ac decorato capite, subiecta membra eius honore atque decore fulgebunt. Et Rothado in nullo poterat melius satisfieri, quam si ad vestram pergeret præsentiam, & ex tantorum subscriptionibus Episcoporum, qui Deo & vobis mentiri nolunt & allegationibus tot vicariorum eorundem Episcoporum fuerit, illum bonam causam nequaquam habere, ostensum. Quamobrem sibi ipsi, & non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se & multos alios fatigauit. Vnde illum vestra discretissima pietas, quæ compassionem proximo, & rectitudinem debere vitiis nouit, suis Apostolicis litteris sufficienter præmonuit. Cuius inter alias [a] socordias cante duritia esse dinoscitur, vt cum multotiens sine vllo respectu timoris vel amoris dimus, & absque vlla humana verecundia, per tot annos & in tantis causis, toties sacris canonibus, & decretis sanctæ sedis Romanæ Pontificum, & suæ Metropolis priuilegio, ac synodalibus iudiciis resultauerit, & per tantos annos, atque à tantis pertoleratus à sua stultitia se reuocare contempserit, à rege & Episcopis multipliciter obsecratus, in hoc adduci non potuit, vt sacris canonibus & decretis sanctæ sedis Romanæ Pontificum, & secundum ea suæ Metropolis priuilegio de cætero obediturum subscriberet (quoniam sine bo-

Margin: Luc. 2. / Ioh. 13. / Philip. 2. / 1. Cor. 11. / Psal. 23. / Psal. 2. / Matth. 16. / Ioan. 21. / Ioan. 13. / 1. Reg. 2. / [a] j. secordias

rum

A

rum obseruatione nemo nostrûm potest esse Episcopus) & sic pace fraterna in omnibus poteretur. Postea autem sua sponte in libello suæ professionis, per quem ad electorum iudicium prouocauit, hæc se obseruasse impudenter, quia scientibus cunctis mendaciter, synodo misit, & sic ad iudicium prouocauit, quæ se seruaturum ne iudicaretur, subscribere detrectauit. Quod ideo, sicut postea nobis dixerunt, qui ab ipso audierunt, subscribere noluit (quod & nos percepimus) ne vinceretur: sed si in nostra Regis & Episcopi permaneremus sententia, Romam iret antequam vinceretur, & quando illuc veniret, hic per vestram iussionem, cum à vobis foret nobis nolentibus absolutus, subscriberet. Non intelligens, immo intelligere non valens (excæcauit enim eum malitia sua) vestram auctoritatem sapientissime intelligere, quare Dominus de cælo alloquens Paulum & dicentem: Quid me

Act. 9.

iubes Domine facere? non omnia quæ agenda illi erant exposuit: sed ad Ananiam, à quo agenda auditurus & accepturus erat, illum direxit. Sic & Angelus Cornelium, postquam illum exauditum esse

Ibid. 10.

denunciauit, ad Petri doctrinam atque obedientiam misit. Quem licet ante baptismum sancto, vt ita dicamus spiritu baptizatum, beatus Petrus illius baptismate, qui baptizat in Spiritu sancto, & in

B

Ibid. 11.

quo credentium corda fide purificantur, baptizari præcepit. Vnde facta quæstione contra eum etiam à minoribus suis, tamen fidelibus, cur ad gentes intrauerit; idem Apostolorum princeps summorum gratia donorum repletus & innumerabilium miraculorum potestate suffultus, querelam non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem ea mansuetudine exposuit, qua humilitate præfato

Act. 10.

Cornelio se adorare volenti dixit: Vide ne feceris. Nam & ego ipse homo sum, sicut & tu. Si cum in querela fidelium, vt Gregorius dicit, aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis nõ fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atq; in causa reprehensionis suæ humiliter rationem reddidit, & etiam testes adhibuit, di-

Ibid. 11.

cẽs: Venerunt autem mecum & sex fratres isti. Cum humilem auctoritatem, & mansuetissimam potestatem, & rectissimam prædicationem

1 Pet. 5.

Gelas. epist. 9.

… superior.

dicentis: Non dominantes in clero, sed forma facti gregi, secutus B. Gelasius in decreto suo ad omnes Episcopos, de institutis Ecclesiasticis dicit: Cumq; nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nihil licere: & cum sedes Apostolica * super

C

his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio, deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem, & sequi videat & docere: satisq; conue-

al. addit totum.

Gal. 2.

niens sit vt corpus * Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione cõcordet, quã illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.] De Barnaba quoque & Saulo dicente veraciter, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Dominum patrem. Qui postquam diutius fruiti sunt Apostolorum consortio, non ipsi Apostoli, sed iuxta fidem sacræ historiæ, ministrantibus Domino Prophetis & Doctoribus, qui erant

Act. 13.

Antiochiæ, dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Barnabam & Saulum in opus ministerij, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidẽ missi à Spiritu sancto abierunt vocati Apostoli, & in sequenti anno, id est

Gal. 2.

anno post passionem Domini, licet qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus sit & Paulo inter gentes, tamen iuxta condictum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, gentium magisterium vna cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios

D

1. Cor. 5.

negligentibus rectoribus de incestuoso scripsit: Congregatis vobis, & meo spiritu, tradidi eum huiusmodi in interitum carnis, Sathanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Ipsi eum Corinthiorum rectores illum tradiderunt in interitum carnis Sathanæ, & Paulus cognito eius opere, sua auctoritate cum illis: & comperta eius pœnitentia, ipsi

2. Cor. 2.

eum restituerunt, & Paulus sua auctoritate cum illis: Cui, inquiens, aliquid donastis, & ego. Nam & ego si quid donaui propter vos in

Gregor. li. 33 Moral. c. 8. al. 11.

persona Christi. Hinc beatus Gregorius: A bono, inquit, vestro non dissentio. Meum sit quod ipsi fecistis. Cui velut si dicere præsumamus, quare ita caute discipulis te copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente conformas? Vt non circumueniamur, inquit, à Sathana: nõ enim ignoramus cogitationes eius: id est, ne hoc quod bene mens iubebat ipse in malitia finem verrat. Et Inno-

Innocen. ep. 27. ad episc. Maced.

Leo epist. 84 & 11.

2 Cor. 10.

Rom. 15.

1. Cor. 12.

cẽtius: Hæc ad Corinthios Apostolica est declarata benignitas, vt in vno spiritu ductã ac reductã sentẽtiam boni semper indifferenter sequantur. Et Leo ex Apostolo: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, & vnusquisque proximo suo placeat in bono ad ædificationem. Non enim poterit o nexu nostra firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculũ caritatis adstrinxerit. Quoniam sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem

E

membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit: sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi ordo est generalis, non tamen communis est dignitas omnibus.] Hæc autem, seruata altiori intelligentia, circa supra dictos sunt acta, & à prædictis docta, vt cognoscatur, qualiter minores potioribus debeant obedire, & potiores minoribus prouidere, & ordo à Deo dispositus ab omnibus, & in omnibus valeat conseruari. Vnde summus Ecclesiæ pastor docet: Si quis

1. Pet. 4.

ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus, qui seruis suis cõmisit negotia sua, & vni-

Matth. 25.

cuique secundum propriam virtutem: sicut & de Spiritu sancto scriptum est, quod dona diuidit singulis prout vult. Et hinc iuxta

1. Cor 12.

Conc. Sard. ca. 7.

Sardicense concilium summus prima & sancta sedis Romanæ Pontifex, pro examinis renouatione ad se reclamantis & confugientis cum sua clamatione deiecti prouincialis Episcopi, non statim singularitate priuilegij, & auctoritatis suæ restituit: sed remittens eum ad prouinciam, vbi causa patrata fuerat, & in qua iuxta

F

Conc. Carthag. seu Afric. vbi supra.

Carthaginenses canones, & iura legis Romanæ, causa potest diligenter inquiri, & quod non sit difficile testes producere, veritas inueniri: aut finitimis Episcopis dignatur scribere: aut e latere suo mittit, qui habentes eius auctoritatem præsentes cum Episcopis iudicent, & diligenter causam inquisitam diffiniant: aut dignatur credere Episcopos sufficere, vt negotio terminum possint imponere. Et Innocentius: Si qua causa vel contentiones inter clericos tam su-

Innocen. j. epist. 2. ca. 3.

Syn. Nic. c. 5.

Bonif. ep. 2.

perioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, congregatis secundum synodum Nicænam eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium præcipit terminari. Et Bonifacius de Maximo scribit, vt ad prouinciam venire cogatur, & illuc se cõstituto præsentare iudicio, & quicquid de illo duxerint prouinciæ Episcopi decernendum, cum ad eum relatum foret, sua firmaretur auctoritate: quatenus, vt idem ad

Idem ep. 3. can. 6.

Hilarium scribit, Metropolitani sue vnaquaque prouincia in omnibus eius ordinationem semper expectet, sicut scriptum est in Nicæno Concilio, vt sicut apud Alexandriam, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, cæterasque

Ibid. can. 5.

prouincias, sua priuilegia seruentur Ecclesiis.] Vnde bene placuit

G

annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones.] Et hæc dico, non (quod absit) prææudicans summæ sedis Apostolicæ, & sancti Apostolatus vestri in aliquo potestatem, cui in omnibus sum, sicut rectum est, obedire paratus. Sed quia summæ auctoritati vestræ obsequium præstare me puto, cum ea quæ scitis, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter sapientiæ vestri magisterij pando, & Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos noui, vos lateant, quatenus certius quod vobis placuerit de illo vestra auctoritas decernere valeat. Quem si nunc in depositione iudicium vestrum manere decreueritis, sciemus de benignitate & modestia ac pietate filij vestri domni nostri Karoli, quoniam quicquid de illo præfato filio vestro præceptis, & rationabiliter poterit adimplere, sine vlla retractatione obediet. Sed & coëpiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendijs abundantissime illi impendent. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus & contumelias ab illo mihi illatas peruenire volui: ita quicquid benignitatis

H

potero, libentissime abundantius etiam, quam vnquam fecerim, impendere procurabo. Si vero sine vlla satisfactione tam diutinis cõtemptus sacrorum canonum, & sedis Apostolicæ decretorum, ac suæ Metropolis priuilegij, atque synodalium iudiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de cetero profiteri vel subscribere voluit: & absque professione, vel subscriptione suæ correctionis & obedientiæ, coram fratribus suis, quorum multoties regularia spreuerat monita, cum inde pluraliter in Leonis & Gregorij epistolis relegatur. Se etiam, vt illa prætereamus, quæ ob sacerdotij verecundiam & opprobrium secularium, sequentes Africanum concilium, nec ad nominationem in synodum deduci permisimus, paruipensis, & sine aliqua correctione dimissis eis capitulis, auctoritatis vestræ sub fidei adstipulatione directis, pro quibus fuerat iudicatus ab Episcopis, ad quorum iudicium prouocauerat, secundum expressa sacrorum

Celest. ep. 3.

canonum & Apostolicæ sedis decreta, Cælestino dicente: Quæ cum à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa, frangatur?] Mox vestra potestas si placuerit illum restituere, vt primæ sedis & matris ac magistræ omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctorumque Episcoporum patris atque magistri regulare iudicium ferre conuenit, a-

A

que animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram prouisuram contemptum ac contumaciam subiectorum erga prælatos suos, & libertatem impune delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt (vt quibusdam videtur) noxias vires accipere. præsertim cum sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense concilium in septimo suo capitulo: qualiter deiecti & ad se clamantis Episcopi restitutionis, vel in depositione permansionis executio, cum vnanimitate simpliciter iudicantium ab Apostolica sede debeat celebrari.

Innocent. Bonif. & Leo vbi supra.

Quod & Innocentius, ac Bonifacius, verum Leo in decretis, & Gregorius euidentius in epistolis suis demonstrant, Carthaginensis Concilij, immo Apostolicæ sedis, quæ in suis eidem præsedit vicariis, decreta sequentes: videlicet vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.

Conc. Carth. 3. can. 10.

B

Vnde nobis & conscientia testimonium perhibet, & omnibus qui interfuerunt notum factum fuisse dinoscitur, quoniam illum seruare quam iudicare maluimus, si pro sacrorum canonum neglectu eorum iudicio, per quos Spiritu sancto inspirante promulgati sunt, cum eo quem corrigere nequibamus, damnari pariter non timeremus. Et idcirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratia deprauati, flentes illius incorrigibilem socordiam, & inreuocabilem pertinaciam, regularia in eum iudicia executi sumus, quæ ab eo suspendere diutius non præsumpsimus. Vestra etiam sapiens & summa auctoritas in decernendo attendet Apostolum docentem, quia quorumdam peccata præcedentia sunt ad iudicium, quorumdam etiam & subsequuntur. Quæ (sicut beatus exponit Ambrosius) ac si posita in bilance, in iudicio sunt examinanda, verum bona opera amplius pensando remuneranda præcedant, & male facta minima misericorditer dimittenda demonstrens: aut male facta amplius pensando præcedant, vt mereantur damnationis iudicium, & bona paucula suffocent.

1 Tim. 5.
Ambr. lib. de apol. Dauid c. 6.

Quia & nos pro modulo nostro non solum inutilitatem, verum & noxietatem in Rothado cum factis suis pensauimus: & velut ficulneam infructuosam, terram rationalem diutius inutiliter occupantem, & etiam post plura tempora, pluresque admonitiones, quasi cophinos pinguedinis sibi appositos non recipientem, sed sterilem permanentem, non sine dolore cordis succidendum prouidimus.

C

Et cum hæc ita se habeant, absque dubitatione confido, quia illud, quod in præfato Carthaginensis concilij capitulo sine vlla interpolatione subsequitur, decretum vestri moderaminis nequaquam præteriit: Sane, inquit, si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero, quam constitutum est, non liceat prouocari. Qui numerus constitutus in xij. superiori capitulo demonstratus, & consensus partium expetitus, in diiudicatione Rothadi constat fuisse completus.

Conc. 3. Carth. can. 10. & Afric. can. 89.

Quorum & si iudicium pro quacumque causa fores rationabiliore, & adhuc nobis incognita, vestræ summæ auctoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit refragari, quia meum est inter vobis obediendo committere, & non iudicia vestra discutere, sustinebo, & contra vestram regularem restitutionem, si forte in eo agenda visa fuerit (in qua vestra disponet auctoritas, qualiter idem victor, vt solet, & vos compos quo sunt Episcopi de reliquo fatiat) non recalcitrabo, ducens pro magno, si à diutinis & multis molestiis, quas ab illo & pro illo passus sum, iam tandem aliquando valeam respirare: & nunquam mihi contingat vlterius contra illius inquietudines inutiliter laborare.

D

Et quod non solum ab Ecclesiasticis personis, verum & multo magis etiam à sæcularibus nostra iudicia contemnuntur, & pro nihilo ducuntur: dicentibus eis, & ad medium deuocantibus illa, quæ mihi vestræ auctoritatis non sunt adscribenda, vt non animum dulcedinis vestræ in aliquo moueam, quod summopere cauere desidero. Si qui in prouincia nostra, quorum querela (illo restituto) ad vos valeat peruenire, de maioribus causis de cætero quodam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentius in istis, quam retroactis temporibus committuntur, ne à Deo damner silentio, eos commonere studebo, & si corrigere se voluerint congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos iudicium prouocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit, decernere procurabit. Si autem ire noluerint, faciant quod sibi vtile iudicauerint.

Ambros.

Me vtinam hinc à diuina damnatione sententia sancti Ambrosii liberet, qua dicit: Si, inquiens, qui potestatem non habet, quam scit reum abijcere, aut probare non valet, immunis est. Sicque, vt puto, quia in multis occupatus, & itineris longitudine atque insoliditate obstrictus de omnibus, antequam insolentium querela ad vos perueniat, ad Apostolicam sedem referre non valeo, infirmitate grauatus, & (gratias Deo) termino

E

iam vicinus, potero præcauere, ne à quocumque sanctitatis vestræ animus erga me moueatur, vt aliqua mihi excommunicatio irrogetur. Et licet nouerim secundum Apostoli euangelium, redditurum Dominum vnicuique secundum opera sua, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die qua iudicabit occulta hominum: & vt Leo dicit: Si quid per seruitutem nostram, videlicet sacerdotalem, bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum: & quod secus fuerit, catum esse non poterit: modis omnibus, quantum ipse donauerit, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, prouidere studebo, ne à communione sedis Apostolicæ (quod absit) quolibet modo extorrem me vltimus dies, qui mihi incertus est, & subito venire potest, inueniat.

2. Cor. 5.
Rom. 2.
Iac. 1.

Erit enim, quamuis tardius quam necesse sit, quoniam ego grauis peccator, graui carcere corporis diu inclusus teneor, merito in multis afflictus, prouidentissimo Domino prouidente, & tempus, & persona in Remorum Ecclesia, quando, & in qua ab Apostolica auctoritate priuilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum & conseruatum habebitur: quæ nunquam, excepto Romano Pontifice, primatum habuit, nisi quamdiu eiecto sine vllo crimine ab ea suo Pontifice, violentia tyranni Milonis, tempore Karoli principis pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ sedis legato, aliquamdiu, sicut & Ecclesia Treuerensis commissa fuit.

F

Inter quas, Remensem scilicet & Treuerensem Ecclesiam (has enim duas tantum prouincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in Ecclesiasticis monumentis inuenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, vt ipsorum Episcopus non loci sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui fores in qualibet istarum Ecclesiarum Metropoli antea ordinatus. Mihi vero necesse erit, me taliter gerere, vt toties auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes & obiurgationes, quas raro & magna necessitate fiendas in Apostolorum virorum litteris legimus, ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus frequenter accepi. Quod si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec Apostolica vestra iussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, inuenerit.

G

Qui enim quare Dominus in Euangelio Centurionis fidem, dicentis: Dic verbo & sanabitur puer meus, † intelligit, quam operatorium sit Episcopi, immo sicut in Paulo in se loquentis Christi, quanto magis Pontificis Apostolicæ sedis verbum, & quam obediendum sit ipsius præcepto. etiam sine vlla adiurationis adiectione, cognoscit.

Matth. 8.
Sub laudauerit, vel quod similis.
1. Cor. 13.

Quod & scientibus inculcare, & nescientibus intimare, sapientibus, & insipientibus debitores debemus Episcopi. Quibus si de reliquo verba iniquorum prænaluerint aduersum nos, sicut iacticans proferentes, non erit necesse de prouincialibus synodis, in quibus hactenus laborauimus, magnopere laborare: quippe quoniam erit & lex, & spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati nostra scripsit sublimitas, primo vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam, cura, quæ pro vniuersis fratribus vestris constringimini, cum debita reuerentia gratanter accepi: intelligens quia in numero fratrum nos qualescumque Metropolitani computari debemus. Ea propter sicut vestra discretione prouidendum est, ne subiecti Episcopi à Metropolitanis irregulariter condemnentur: ita nihilominus prouidendum est, vt Metropolitani à subiectis Episcopis non irregulariter contemnantur.

H

Deinde quod perspectissime scripsistis secundo, quoniam sedem Apostolicam Rothadus noscitur appellasse, & ne videamini Ecclesiæ vestræ priuilegiorum detrimenta diebus vestris æquanimiter tolerare. & hoc nihilominus à nobis, & ab omnibus est rectissime suscipiendum, & solertissime conseruandum. Quod & ego pro modulo meo seruandum esse volui, & volo, & fauente Domino in hac deuotione manebo, sciens priuilegium Metropolitanæ sedis Remorum, (cui me diuina dignatio seruire disposuit) in summo priuilegio sanctæ sedis Romanæ manere, & priuilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate priuilegium sibi subiectæ sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare. De eo vero quod tertio loco ad medium deuocastis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi à causis illorum, de quibus scripsistis, est pene in cunctis dissimilis. De eo quod tandem Apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, vt hæc vobiscum cogitem, & quod de Rothado decreuistis approbem, & non ad meas iniuriam id vos egisse aliquantulum autumem, quantum valeo rectis medullis cordis, cum omni supplicatione & debita ac submissa humilitate immensas gratiarum actiones sancto Apostolatui vestro rependo, cum omni sinceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. Et quia priuilegium

A uilegium vestri summi Pontificatus, vt condecet, & omnes desideramus, inuindicatum habetis, quod nemo nostrum contradixerat in deductione Rothadi, sicuti præcepistis ad vestram præsentiam: vt perdonare dignati estis, videre desidero, & visurum me esse confido: quia non aliud, nisi vt supra monstraui, quod regula sacra præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est, postulo: videlicet, vt sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, vt vigor Ecclesiasticus non dissoluatur: & sic vigor Ecclesiasticus conseruetur, vt debita misericordia & necessaria sufficientia ei non denegetur: quatenus nec ipsius exemplo ad excedendum alij prouocentur: ne quibus in istis regionibus longius ab Apostolica sede remotis censura Ecclesiastica moderatio est remissa, hinc (quod Prou. 22. absit) conspiciant, vnde aut negligentia, aut dissolutione tepescant, vel terminos, quos statuerunt patres, transgrediendi materiam se sumere posse dicant: quos, sicut intelleximus, nos hactenus seruasse putamus. Vos videbitis quid inde facto melius erit, & nobis in iudicio vestro videndum est, quid Deus velit: quoniam iniusta esse non poterunt diuina iudicia, quia à soliditate confessionis Apostolicæ petra, aduersus quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes Matth. 16. B praua non præualebunt, dictante iustitia proferentur. Epistolam quam mihi authoritas vestra, cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, dominus noster rex, filius vester, mox vt ad eum venit, per abbatem suum Rothado direxit.

Rodulfus quoque, eiusdem filij vestri domini nostri regis auunculus, iij. Idus nunc elapsi mensis Decembris ab Ludouico Germaniæ rege reuertens, cum valde vesperi a sorte ergo nostri ad mansiones nostras super fluuium Ligerim, secus confinium regni Aquitaniæ festinaremus, misit ad me hominem suum, nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludouicus quemdam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manus & fidei suæ commisit: quatenus ita ad præsentiam domini nostri regis Karoli cum eisdem Episcopus eum perduceret, vt nullum malum ei inferret. Est enim apud dominum nostrum regem idem homo accusatus, quod furatus sit res, & thesaurum Ecclesiæ, & post periurium inde commissum, fuga lapsus, ad Ludouicum regem perrexerit. Vnde idem Rodulfus petijt, vt ego illum inde apud dominum nostrum regem adiuuarem: vt quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum malum haberet. Cui respondi, vt teneret ipsum hominem secum, ne C interim vllum malum pateretur, donec ad cortem redirem, & quantum possem inde illum adiuuare curarem. Ipsum autem hominem nec tunc, nec postea vidi, nec quo abscesserit cum epistolis, audiui. Quapropter sanctitati vestræ scribere studui, vt si aliquis malivolorum nostrorum (more suo) vobis quicquam sinistre ex hoc suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, & erga me vestrum animum non moueatis.

Rationem denique quam reddidi coram electis iudicibus, de quibus per libellum prouocationis ad electorum iudicium fueram à Rothado impetitus, ipsi venerabiles Episcopi vestræ auctoritati transmiserunt. De gestis vero à Rothado post excommunicationem suam in prouinciali synodo compilatis, quæ per vicinos nostros ad vos in derogationem nostram peruenisse audiuimus, Episcopi Remorū prouinciæ per communes Legatos nostros vestræ sanctitati, quæ sciunt, intimare curarunt. Item post aliquātu de promotione ipsius domini Hincmari ad Episcopatum, quæ iam superius partim prænotata non curauimus hîc iteranda. Denique præfato Ebone defuncto, Ecclesia, sed & parochia nostra, secundum consuetudinem quam ex antiquo habuit (etiam de his, qui in Episcopatu vs- D que ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in Episcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, & hactenus facit. Quod ego, ne scandalizarem deuotos, quasi inuidens saluti fraternæ, maxime autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione a Catholica fidei sanitate anathematizatus, sed sua conscientia stimulante, primum à seipso, & postea à synodo, sed & Apostolica sede damnatus extitit, hoc prohibere sine Apostolicæ sedis auctoritate nequaquam præsumpsi, dicente beato Cælestino Papa. Calest. ep. 2. cap 12. Quia nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque conuenit macerari.] Nunc autem in epistolis sanctitatis vestræ, quas Engelvvinus diaconus nobis attulit, inuenimus, vt Theutgaudum & Guntarium in catalogo Episcoporum non recipiamus. Et Antiochenum Concilium, † vt præmisimus, & melius ipsi sitis, de eo qui post dam- Concil. Antioch. cap. 4. [...]andi [...]erit, aut [...]acipit nationem, iuxta præcedentem consuetudinem, Episcopale præsumit ministerium (quod Ebonem fecisse nō dubiū est) rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, verū eumdem Ebonem inter Episcopos in sacris dyptichis in Ecclesia nostra nominare permittam, an, ne E de cætero in Episcoporum catalogo nominetur prohibere debeam quatenus vestra auctoritate fultus, quid in nostra Ecclesia inde sit obseruandum, sine ambiguitate, decernentibus vobis, demonstrem.

De quodam Gothescalco schismatico.

Cap. XIV.

Cæterum Laido mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione & reclusione Gothescalci habuissetis. Vnde quoniam per alios iam audieram, ad sanctitatem vestram verba venisse, mihi auctoritas vestra quadam ex verbis & Catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem Episcopum, & nihil inde responsionis accipere merui. De quo nihilominus vt redderem rationem, quidam Episcopi, quorum nihil de illo intererat (quoniam nec eos, vt ipse manifestis indicijs prodiderunt, ad hoc caritas commouebat, nec auctoritas deducebat) me ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari synodum voluistis, sicut intellego, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam lxxx. & idem Gothescalcus plusquam centum millibus ab ipsa ciuitate disparati essemus, nihil me inde ante præmonitum per quemdam laicum hominem litteris vocauerūt. an. Dom. 863. F Et nunc ideo breuiter de eo sanctitati vestræ suggero, quoniam antequam ad Episcopatus ordinem peruenirem, sicut Abbas suus & Monachi, inter quos fuerat conuersatus, ei testimonium perhibent, in Metropolis Ecclesiæ Remorum monasterio, in Suessonica parochia, quod * Orbacus dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quieti impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus quæ in his regionibus peruerse tunc temporis sensa cognouerat, quædam sibi elegit capitula, vt nouitate vocum innotesci valeret, vt que simplicium & deuotorum sensus peruertere, & magistri sibi nomen vsurpando, post se discipulos trahere, aliisque qui ad sua vota auribus prurientes, magistros sibi coaceruare decreuerant, quærere indebite, (quoniam legitime non poterat) simulatione vitæ religiosæ & doctrinæ præesse. Quisque, à Remorum Chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, a monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Mogontina ciuitate habita synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis, cum litteris synodalibus ad Metropolim Remorum (cui iam auctore Domino præeram) est remissus. Postea autem a Belgica Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus, & inuentus hæreticus, quia resipiscere à sua prauitate non voluit, ne alijs noceret, qui sibi prodesse nolebat, iudicio præfatarum prouinciarum Episcoporum, in nostra parochia (quoniam Rothadus, de cuius parochia erat, illi nesciebat resistere) & nouitates amans timebatur a nobis ne disceret praua sentire, qui noluit discere recta docere: ne in idem Gothescalcus cum alijs communem vitam ducens errores suos faceret esse cōmunes, monasteriali custodia mancipatus est, docente Apostolo: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens subuersum esse huiusmodi, & proprio iudicio condemnatum. Qui, vt Leo Papa de Eutyche dicit, cum videret insipientia sua sensum Catholicis aurib. displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commouere, vt damnationis sententiā mereretur excipere. Quam vtique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua dānatione si voluisset ad sensum Catholicum resipiscere, paratus semper fui & sum (quoniam sic venerabiles iudicauerunt Episcopi) eum in Catholicæ Ecclesiæ communionem recipere, sicut ei omnia quæ sunt corporis necessaria ministrare. Si autem vestra Catholica sapientia vult scire, quæ contra Catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana (quæ primum in Africa, postea in Gallijs per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis, est exorta, & tempore Cælestini Papæ ipsius auctoritate, & instantia sancti Prosperi est reuicta) dicere videatur, de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus. i.j. Orbacus. 2. Tim. 4. G Syn. Mogū. an. 848. Tit. 3. Leo ep. 13. H

Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam. Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines saluos fieri, sed tantum eos qui saluantur: omnes autem saluari quosque ipse saluare voluerit, ac per hoc quicumque non saluantur, penitus non esse voluntatis illius, vt saluentur: quoniam si non omnes saluantur, quos vult Deus saluos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit; & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est au-

A tem omnipotens, qui fecit quæcunque voluit, dicente scriptura. *Psalm. 134* Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Et item. *Esther. 13.* In voluntate tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati: si decreueris saluare nos, continuò liberabimur. Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Saluator noster Iesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro his qui saluantur. Dicit quoque modo dispari traditione, sed pari errore, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam Apostoli Petri: *1. Pet. 2.* Eum qui emit eos, Dominum negantes. Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subijt, neque mortem pertulit, neq; sanguinem fudit. Quod autem baptismi perceptio redemptio nuncupatur, Doctor gentium manifeste fatetur: *Ephes. 4.* Nolite contristare, inquit, spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. At illa quæ propria & specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertiuit pius redemptor ipsorum, sicut à præteritis, ita nimirum & à præsentibus B natos, & nascituros, viuos & mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus, *Ioan. 6.* pro quo passus est Dominus, vt ipse dixit: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et item alibi idem Gothescalcus scribit: Absit procul à me, vt vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, vt vllum eorum perpetualiter secum periturum antiquum rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo patri Domini Dei nostri, filij sui, fusus est sanguis. Amen. Et item loquens ad Deum: Claret itaque satis aperto, quod nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.

Quod prædestinatiani veteres non dixerunt, iste vt audacius, ita & perniciosius dicit, deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse. Sunt & alia, quæ ipse & alij plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei aduersari videntur: quæ dum per alium quam per vilitatem meæ personæ auctoritas vestra cognouerit, forte attendet solertius, & quæ inde tenenda sunt docere studebit quantocius. Erit enim in proximo inde necessitas: quia etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore, praua, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. C Ita vt aperte videamus impleri, quod scriptum *Psalm. 32. in vtrem.* est: Congregans sicut in* vtre aquas maris. Aqua enim maris sicut in vtre congregata est: quia amara hæreticorum scientia quicquid hodie in isto regno filij vestri domini Karoli prauum sentit, in pectore comprimit, & aperte dicere nõ præsumit. Meam quoq; exiguitatem & occulte canino dente corrodunt. Facile autem, adiuuante Domino, portare valebo: quia & mihi paucum superest temporis spatium, & si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, diuina gratia adiuuãte, exercebunt patientiam. Sed etsi tantummodo male sentiendo aduersabuntur, exercebunt quantulamcumque scientiam: & vt etiam inimici secun-*Matth. 5.* dum præceptum Domini diligantur, exercebũt beneuolentiam. Præfatum autem Gothescalcum, si vestra authoritas mihi scripserit, vt eum à custodia soluam, & aut vt ad vos mittam, vt per vos eius doctrinam experiamini: aut ad quemcumq; ex nomine designatum pergendi licentiam donem (quia vt melius ipsi scitis, sicut absolute quisque regulariter ordinari non valet: ita nisi ex ipsius consensu, cuius esse dinoscitur, certa persona commendandus, & ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, à loco suo absolui iuxta regulas sacras non valet) D vestris iussionibus nullo modo resultabo. Tantum vt auctoritatem vestram habeam ne tantorum Episcoporum iudicium mea præsumptione parui pendere videar. Non enim illius delector, quam iste sustinet pertinaciter cõtumax, quantulacumque reclusionis molestia: sed doleo à qua reuocari non potest perfidiam. Quem si cuicunq; commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam prouidebit, vt cui commendabitur Catholicus sit, & grauitatem Ecclesiasticam, & vigorem, ac scripturarum scientiam habeat: quia non solum scripturas ad suũ sensum violenter inflexas, sed & Catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliquis præualet memoriter decantare. Vnde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum & *Rom. 10.* scholos & zelantos atque zelum Dei, sed non secundum scientiam, habentes, in sententiam suam solebat attrahere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, sed & hoc solerter satis intendit, vt secum loquentes vel in sermone capere valeat. Et si de veritate nõ poterit, in incredibilium sacramentis affirmare curabit, ea secũ loquentes dixisse, quæ forte non dixerant: vt ipse verax & illi qui ei contradicunt probentur esse mendaces, & aduersus suam doctrinam docentes.

De libris, quos idem Præsul Hincmarus composuit.

Cap. XV.

E Scripsit etiam præfato Papæ Nicolao fidei suæ depromendo tenorem, & suam contra prænotati Gothescalci errorem, quam fidei Catholicæ dependere satagebat, defensionem. Scripsit præterea multa. Librum quoque collectum ex orthodoxorum dictis patrum ad filios Ecclesiæ suæ, quod diuinæ Trinitatis deitas trina non sit dicenda, cum sit ipsius summæ Trinitatis vnitas, ad refellendas præmemorati Gothescalci blasphemias. Item ad Karolum regem super hac eadem re librum vnum. Scripsit & ad eumdem Karolum regem opus quoddam egregium metricè, de gratia & prædestinatione Dei: de sacramentis quoque corporis & sanguinis Christi, & de videndo Deo, atque origine animæ, simul ac de fide sanctæ Trinitatis, quod opus appellauit Ferculum Salomonis. F Item collegit atque composuit volumen ingens plures continens libros, de prædestinatione Dei & libero arbitrio contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximeque contra Gothescalcum, atque Ratramnum monachum Corbeiensem, ad eumdem Karolum regem: cui talem præfert epistolam.

DOMNO GLORIOSO REGI KAROLO Hincmarus, nomine, non merito, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus vna cum collegis dominis & fratribus meis venerandis Episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ deuotis. *Karolus Caluus.*

DEO GRATIAS agimus, qui cor vestrum ad amorem suum accendit, & ad cognitionem veritatis & orthodoxæ fidei scientiam & diligentiam ignivit, prudentiam quoque & intelligentiam G vobis in litteris diuinis inspiratis donauit, & in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro republica negotijs licet, studium vestræ deuotionis cotidiano augmento ad vtilitatem sanctæ suæ Ecclesiæ prouehit. Ceterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur, & inferius scriptum inuenietur, vobis delata, quæ nostræ humilitati iuxta scripturam præcipientem: Interroga sa- *Aggæi 2.* cerdotes legem meam, quia & legem fidei esse legimus, præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda & ventilanda dedistis, reuoluimus. In quibus nos, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus velut non Catholicos reprehensos, & sine fraternitatis respectu dispectos reperimus. Capitula quoq;, quæ ob notam vobis, & infra innotescendam necessitatem, ex Catholicorum patrum sensibus & verbis excerpsimus, velut inutilia, imo noxia, repulsa & abominata inuenimus. Quæ capitula, sicut à nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula deuenirent, sed quædam de his, quæ in capitulis à nobis excerptis habentur, alio sensu, & alijs verbis H tetigerunt, vt abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum patrum sensa in Africana, & Arausica synodo, senserimus. De quodam aũt capitulo, id est, quod oẽs homines vult Deus saluos *1. Tim. 2.* fieri, licet non omnes saluentur, funditus tacuerunt, sicut postmodũ signantius demonstrabimus, cum Dominus dicat: Ecce constitui te *Ierem. 1.* super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Primum enim, si de conscientia recta intelligentiæ fuere confisi, ponentes ea, quæ destruere nitebantur, sicut illa cum integritate sua acceperant, in quibus euellenda & dissipanda erant, legentibus demonstrare, & tum illa auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter & ordinabiliter plantare debuerant, ac in sublime ædificantes extollere. De quodam etiam capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysterijs esse possit, ita scripserunt, vt legentes hoc à nobis dictũ fuisse intelligere possint, de quo nihil à nobis est memoratũ: & quare nihil à nobis inde sit dictũ, & in eum scriptis à nobis, postea quã capitula scripsimus, sit iunctũ, suo loco dicemus. Inseruerũt ẽt in eisdẽ suis scriptis de quibusdã sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quib. nihil audiuimus, vel vidimus antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus Episcopus vobis ea, quasi à

bona

A

bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum capitulorum auctorem nec annotatum inuenimus, nec enim multum quæsierimus inuenire valuimus. Vnde putauimus quia aliquorum studia ad cuiusquam opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus. Vt de multis pauca commemoremus, veluti epistola capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit, & sicut quidam æmuli de verbis B. Augustini adhuc in sua vita fecerunt, quæ ille argute & Catholice repulit, quantum ad illius notitiam exinde peruenit. Post eius etiam obitum, quidam inimici capitularum de eius & suis scriptis, ex his etiam vnde nunc agitur, colligere curauerunt, vt illius doctrinam orthodoxam atque vtilissimam, ob personæ illius inuidiam vilificare præualerent, & lectores deuotos ab illius lectione ac dilectione, & necessaria credulitate auerterent. Quæ videlicet æmulorum mendacia ex delegatione sanctæ sedis Romanæ per Cælestinum Papam sanctus Prosper Catholico & prudenti stilo falsa esse, & imprudenter obiecta ostendit, & memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissime demonstrauit. Vnde & fieri potest,

B

vt ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis dolata vel transmissa sunt, taliter in suggillatione nostra conscripta non fuerint, sed instigante diabolo inter cætera mala, quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta, qui charitatem vehementer in nobis & timet & inuidet, cum videt illam a nobis seruari hominibus terrenis in terra, quam ille seruare nolens Angelicum spiritum amisit in cælo. Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri in suis

Matth. 18.

censoriis eum adsibilationis despectu iudicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continue præ oculis & in vsu cotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscant. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaueris,

Eccli. 11.

corripe iuste. Sanctus enim Augustinus hæreticorum & reprehensorum suorum scripta, sicubi quiddam bene dictum inuenit, benignissime acceptauit, & plura ad rectos sensus interpretari elaborauit, nulla autem de recto sensu ad prauum inclinare tentauit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum Euangelicam regulam, vel viua voce, vel scriptis suis inde interrogarent, vt vel volentes discere docerent: vel prauum sentientes, & ad tramitem veri-

C

tatis & fidei redire contemnentes fraterne & sæpius commonerent, & * auctoritates diuinas & sanctorum patrum scripta nobis proponerent, & vt in vnum conueniremus nos cum mansuetudine &

al. auctoritatis diuinæ.

lenitate inuitarent? scientes quia Episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, vt aut discat, aut doceat. Litteris namque quorumdam eorum quidam nostrum benignitas & fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus, & nihil tale de eorum parte perspeximus, audiuimus, intelleximus, sensimus, vel percipere præualuimus. Si autem talia scripserunt, si forte illi scripserunt, vt suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, & plus de iactantiæ laudis appetitum quærerent, quam bona nostra & bene a nobis dicta, si forent, per charitatem sua facerent: si etiam secus a nobis dicta inuenerunt, plus illa publicare quam nos fraterne corrigere maluerunt. Miramur de tantis & talibus viris, Archiepiscopis & Episcoporum primoribus, maxime autem de Ebone, qui religiosus est vt au-

Ebo Ebonis Rem. arch. nepos.

diuimus. quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione & habitu regulari nutritum in Remensis Ecclesiæ monasterio, vbi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religiose suam exegit ætatem, quousque à domno Ebone auunculo suo, eius Remorum Archiepiscopo ibidem

D

diaconus consecratus, & Abbas monachorum ad regularem ordinem instruendum & gubernandum, constitutione Episcopali est ordinatus: quemque ita humilitatis tenore instructum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle dicimus, vt illi & omnibus scri-

Eccl. 10.

ptum est: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Spiritus enim potestatem habentis spiritus est superbiæ. locus autem noster humilitas est, quam a se vere locus

Matth. 11.

mitium & veris fortitudinis nos discere iubet: Discite a me, inquiens, quia mitis sum & humilis corde. Quamque pro loco tuto contra elationis ac iactantiæ spiritum præfatum religiosum virum obnixe tenere velle audiuimus & pro certo credimus, & idcirco discredimus ista capitula ab eo confecta: quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen cum Archiepiscopis est ibidem tantummodo, vt quibusdam videtur, expressum. Et quod quam maxime in hoc ipse collaborauerit: quasi è regione sit sensum, vt etiam eum Archiepiscopus maior cæteris, & doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino, qui in Conciliis Africanis scientia & labore ac vigilantia maior extitit, nequaquam inuenimus. Nam & ipse sanctus Augustinus non solum fratrum coepiscopis, priuatam gloriam quærens, non prætulit, nec præferri permisit: verum & aliis supposuit, cum ipse plus aliis la-

E

Aug. ep. 90. 92. & 95.

borauerit sicut in epistolis ad sanctum Innocentium Papam scriptis, & ad alios Apostolicæ sedis Præsules, qui legere voluerit, inuenire valebit. Nec de vllo Episcoporum in vllis conciliis taliter legimus nisi forte Apostolica littera propter euidentem causam aliquem coepiscoporum ad hoc negotium cum Archiepiscopo suo ex nomine designari decreuerint, sicut de Augustidunensi Episcopo in epistolis beati Gregorii legimus. Quanto magis iste religiosus, & vir tantus in huiusmodi se efferre noluisset, aut præferri despectu ac prætermissis cæteris coepiscopis, permisisset? Huc accedit, quia fratres nostri & consacerdotes surda aure non debuissent transire, Salomonis dictum commonitorium, si ex nobis, aut auditu, aut scripto quiddam sinistri secreto incepissent, vt præpropere illud in publicum quacumque mobilitate nostra more (vnde non sumus conscii) ad contentiones & iurgia propalarent. Ait enim: Quæ viderunt

Prou. 25.

oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum. Scimus tamen quia sunt

Rom. 12.

F

nonnulli, qui dum plus sapere quam oportet sapere student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Vnde per se veritas admonet, dicens: Habete in vobis sal, & pacem

Mar. 9.

habete inter vos, vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Vnde terribiliter Paulus admonet, dicens: Pacem sequimini cum omnibus, & sancti-

Heb. 12.

moniam sine qua nemo videbit Deum. Præcipue autem nos eam seruare & persequi, id est, perfecte sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, & veritate conte[...] specialiter quasi præcipimur, vt si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fue-

Matth. 5.

rimus quia frater noster habet aliquid aduersum nos, relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & eamus prius reconciliari fratri nostro, & tunc venientes offeramus munus nostrum. Ecce ductor & doctor noster a discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hic ergo perpendendum est, quantum sit malum discordiæ, propter quod & illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos aduersus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt: sed credendum est, si illa scripsissent, ad eos contra quos illa scripserant, transmisissent. Nunc autem

G

illis quomodo rescribere possumus, cum vtrum illa scripserint ignoremus? Verumtamen ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis de cuius manu illa accepimus, corde, ore, & stilo non formidan-

al. non formidantes derogationem.

tes carpentium nos * derogationem, respondere curauimus. Primo significat mittentes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc antea, alias fuisse conscripta reperiatur. Sed quia hæc in suggillationem nostram, & contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum iudicauimus ponere, quæ maiorum nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter synodalem tamen prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa quæ à pluribus, & per aliorum manum de pluribus ex his causis accepimus, propter quam necessitatem ex Catholicorum patrum, vt diximus, sensibus & verbis capitula illa quatuor reexcerpere procurauimus, ea conditione, vt de singulorum scriptis ex singulis sententiis, quæ in à nobis excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula à nobis excerpta de patrum sensibus & verbis, vt illa excerpsimus, ponere procurabimus & si diuinis & authenticis scripturis, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ sanctæque Romanæ sedis fides, & orthodoxorum patrum sensibus, quos eidem sancta mater Ecclesia

H

Dist. 15. c. Sancta Romana.

præsederunt, & qui ab eadem Apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, ac deuote studebimus: quia aliorum ad stipulandum nostræ Catholicæ intelligentiæ sensum sententias recipere, nec proferre volumus, cum constet illum esse verum atque Catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & vniuersalis Ecclesia duxerit approbandum. Et si qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei sinceritatem illorum sententias non recipimus, neque proferimus, nisi quorum sententias ipsa Catholica mater Ecclesia decreuit esse probabiles. Si autem & aliqui extiterunt, qui doctrinalem cathedram tenuerunt, postquam ab eadem sancta sede canon sacrarum scripturarum, atque doctorum Catholicorum, fidelibus cunctis est datus, qui aliter senserunt, quam ipsi intellexerunt atque docuerunt, quos ipsa mater Catholica suo orthodoxo sinu recepit, amplectitur, atque fouet: quis nec debemus, nec necesse habemus, ad auctoritatem sententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in istis & per istos satis ad salutem habemus. Et si qui aliter

quam

A præcepta regalia super pluribus earum rerum commutationibus obtinere curauit. Canonicis quoque huius Remensis Ecclesiæ hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum, vel pauperum congruis ad id rebus deputatis, cum consensu coëpiscoporum Remensis diœceseos, atque subscriptionibus eorundem: ea conditione, vt nullo vnquam tempore quilibet Episcopus, vel quælibet persona easdem res cuiquã in beneficium dare, vel in alios vsus quocunque modo abstrahere præsumat: neque aliquem cẽsum vel redhibitionem exinde accipiat: sed totum quicquid ex ipsis rebus iuste adquiri potuerit, in vsus pauperum atque Canonicorum, secundum modum descriptum in priuilegio, à se & ceteris Episcopis confirmato, expendatur. Super hoc quoque constituto regię auctoritatis pręceptum à Karolo rege fieri atque firmari obtinuit. Res prætetea & villas Episcopij pæne omnes ordinatus rationabiliter colonus describi fecit.

Fundauit hospitale eccl. Remensis.

B

De Synodo comprouinciali apud Suessonicam vrbem habita.

Cap. XI.

an. 853.

HIc honorabilis Præsul Hincmarus, anno sui Episcopatus septimo, synodum habuit comprouincialem apud Suessonicam vrbem, in monasterio sancti Medardi, in Ecclesia sanctæ Trinitatis honore sacrata, cũ Wenilone Senonensi Archiepiscopo, Amalrico Turonẽsi, Theoderico Cameracensi Episcopo, Rotbado Suessonico, Lupo Cathalaunensi, Immone Nouiomagensi, Erpuino Siluanectensi, Ermenfrido Beluacensi, Pardulo Laudunensi, Hilmerado Ambianensi, Huberto Meldensi, Agio Aurelianensi, Prudentio Trecassino, Hermanno Niuernensi, Iona Augustudunensi, Godelsado Cauilonensi, Dodone Andegauensi, Gunberto Ebroicensi, Hildebranno Sagiensi, Rigboldo Remorum Chorepiscopo. Residentibus etiam Præsbyteris & Abbatibus Dodone Abbate monasterij sancti Sabini, Lupo Abbate monasterij quod dicitur Ferrarium, Bernardo Abbate monasterij, sancti Benedicti, quod dicitur Floriacum,

C Odone monasterij, quod dicitur Corbeiæ, Heriaco monasterij Corbionis, Bauone monasterij Orbacensis, & quamplurimus aliis sacerdotibus, & Abbatibus, adstantibus Diaconibus, ac reliquorum graduum clero. Residẽte quoque in medio glorioso Rege Karolo. Vbi quædam necessaria Ecclesiæ Dei sunt pertractata negotia. Ad quam Synodum accedentes quidam Remensis Ecclesiæ Canonici ac monachi, videlicet Radoldus, Gisloldus, * Vulfadus, Fredebertus ex Canonicis ipsius matris Ecclesiæ: Sigismundus ex cœnobio sancti Theoderici: ex monachis autem monasterij sancti Remigij. Nortvinus, Hemradus, Mauringus, Anthæus, Terlandus, Harohaldus, Radulfus, Wilepertus, clamauerunt suspensos se à præfato Archiepiscopo suo ab administratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam prouecti fuerant. Super qua reclamatione elegit prænotatus Pontifex Hincmarus iudices sibi Weniloнem & Almaricum supra taxatos Archiepiscopos, Pardulum quoque Laudunensem Episcopum, qui in hoc iudicio locum Metropolitanæ suæ seruaret auctoritatis. Ipsi clamatores eosdem iudices suscipientes, addiderunt etiam prudentium Trecassinæ ciuitatis Episcopum. Hi iudices constituti hoc iudicarunt: quod si Ebo Archiepiscopus in suo statu manens canonice hos fratres ordinauerit, deberent ministrare. Si etiam iniuste deiectus, & canonice restitutus, post suam canonicam restitutionem eosdem ordinauerit, sine vlla quæstione deberent etiam ministrare. Vnde interrogati sunt ordinatores Hincmari, vt edicerent quæ de Ebonis depositione, & de Hincmari cõperissent ordinatione. Tunc surgens Theodoricus Cameracensis Episcopus porrexit in conspectu principis & Synodi scriptum, continens ordinem depositionis præfati Ebonis. Tum ventilatum est quali et exauctoratus Episcopus restitui debeat, & quia idem Ebo restitutus canonice non fuerit, insuper & ab Apostolica sede Sergio

ms. Volfadus.

D

E Papa confirmante deiectionem illius, damnatus extiterit, vt in * laica tantummodo communione maneret. Tum recitata auctoritate, qualiter Metropolitanus debeat ordinari: litteris quoque canonicis Erchamradi, Episcopi Parisiorum Ecclesiæ, confirmatis sua suique Archiepiscopi & coepiscoporum suorum manibus, quas ad petitionem Remensis Ecclesiæ cleri ac plebis Hincmaro tribuerat: decreto etiam canonico Remorum cleri nobiliumque manibus roborato, qualiter eumdem Hincmarum sibi postularunt ordinari Episcopum ostensum est canonice cum præsentia vel consensu omnium coepiscoporum Remensis diœceseos eum ordinatum Archiepiscopum. Post hæc surgens idem Hincmarus, in * conspectum Principis & Synodi porrexit litteras Canonicas quas ordinatum sacri Canones ab ordinatoribus accipere iubent, dicm præferentes & Consulem. Porrexit etiam epistolam Remensis prouinciæ, ac pene totius Galliæ manibus Episcoporum subscriptam, ad Apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis datam. Ostendit etiam diploma sacrum, ipsius venerandi Principis manibus insignitum, & sigillo subtersignatum, ex approbatione suę ordinationis ad eandem sanctam & Apostolicam Romanam Ecclesiam. Sicque iudicatum atque confirmatum est Hincmarum Episcopum canonice ordinatum. Deinde ventilatum est, quid decernendum foret de his, quos Ebo post suam depositionem, absque legitima restitutione, præsumpserat ordinare. Tunc surgens Immo Nouiomagensis Episcopus, porrexit * rotulum auctoritatem Canonicam & Apostolicam continentem: quoniam qui ab ipso visi fuerant ordinari in gradus Ecclesiasticos, ab eodem, quod ipse non habuit, nemo eorum accipere potuit: & cætera. Sicque decretum est, vt quicquid in ordinationibus Ecclesiasticis Ebo post depositionem suam egerat, secundum traditionem Apostolicæ sedis, præter sacrum baptisma (quod in nomine sanctæ trinitatis perfectum est) irritum haberetur, & ordinati ab eo gradibus Ecclesiasticis priuari existerent. Tunc vnus ex prædictis fratribus nomine Fredebertus libellum proclamationis legit, in quo continebatur, quod ideo se ab Ebone permisissent ordinari, quia vidèrant suffraganeos Remensis Ecclesiæ, Rothadum videlicet Episcopum Lupum, Simeonem, Erpuinum in Metropolim Remensem Ecclesiam conuenisse cum litteris Lotharij Imperatoris, & eundem Ebonem restituisse. Et insuper ostenderunt ijdem præfati clerici litteras quasi ex nomine Theodorici Episcopi, Rothadi, Lupi, Immonis, ac cæterorum huius diœceseos Episcoporum manibus roboratas: quæ tamen ab eisdem Episcopis † recitatæ falsæque sunt comprobatæ: & quia talis Episcopis impingere præsumpserint, iussi sunt communione priuari. His ita terminatis, decreto iudicum, atque consensu Principis Hincmarus Archiepiscopus primatus sui locum recepit. Tum de Presbytero quodam & Abbate Altiuillaris cœnobij, nomine Halduino, ab Ebone Diaconus visus fuerat ordinatus, & à Lupo postea Catalaunensi Episcopo presbyter fuerat consecratus, mota est quæstio. Surgens itaque Lupus Episcopus, porrexit volumen, in quo continebatur, quomodo iussus est regiis litteris Karoli regis vt quia Metropolis Remorum Ecclesia pastore carebat, in confectione chrismatis, aliisque negotiis Ecclesiasticis pro sui possibilitate consulere procuraret. Quocirca cum epistola regia vt ipsum Halduinum presbyterum ordinaret, atque in Altiuillari monasterio abbatem sacraret, Archidiaconus Remensis Ecclesiæ, cum aliis comministris tam Canonicis quam monachis, illi obtulerit; quemque ad votum præfati principis & offerentium ordinauerit. Vnde iudicatum est à synodo, eundem Episcopum nihil damnationis de illius ordinatione attigisse. Sed qui falso sine gradu Diaconij ad sacerdotium prosilierit, in degradationem debitam resilire deberet. Deinde requisitum est de his, qui Eboni post depositionem suam communicauerant, & recitata auctoritate qualiter sanari deberent, repertum est ex Canonicis institutis, eos post satisfactionem, data illis indulgentia & communione sacra cum benedictione tributa, pereo-

ms. laicali.

ms. conspectu.

F

ms. rotulo.

G

† al. lectæ, Erasmus.

H

rum

A

rum proprium Episcopum, operante Domino nostro Iesu Christo, purificari atque sanari posse. Quod & actum est per venerabilem Hincmarum Archiepiscopum. His ita peractis, benignus princeps Karolus petiit Hincmarum Archiepiscopum, reliquosque Pontifices, vt quia præfati fratres gradus Ecclesiasticos obtinere non valebant, communionem saltem recipere possent per synodi indulgentiam. Quod & pietas sacerdotalis licenter assensit, & misericorditer eisdem fratribus veniam concessit. Et ita hæc omnia gestis inserta, & in* conspectum synodi recitata, & rata indicata, prædictorum manibus Episcoporum, & aliorum, qui interfuere, subscriptione firmata sunt.

ms. conspectu.

Quæ actio synodi sedi Apostolicæ ab Hincmaro directa, & à Benedicto Papa Leonis successore corroborata est. Qui etiam Benedictus Papa priuilegium auctoritate beati Petri, & Apostolicæ ipsius sedis huic Præsuli nostro Hincmaro contulit, sanciens ne quilibet huius diœceseos regulis subiectus, eo contempto impune auderet, seu valeret aliena expetere, aut expectare iudicia. Sed domnus Nicolaus eiusdem Benedicti successor, petentibus sedem Apostolicam prænotatis deiectis, præmemoratæ gesta synodi retractasse atque reprehendisse reperitur: præcipuè quod sola obedientia subditorum reputata fuisset in culpam; & qui prælati iudicio temere non restiterunt, sed humiliter colla subdiderunt, seuerissime punirentur, & qui misericordiam petiuerant, nec iustum, vt asserit, iudicium meruerint. Intimat etiam quomodo dominus Hincmarus pro his actis Concilij Leoni Papæ non semel supplices litteras miserit, quatenus idem Concilium approbans, auctoritate Apostolica roboraret. Quod ille agere folliciter renuerit, eo quod per aliquos ex his Episcopis, qui synodo resederant, vt dubitatio foret radicitus euulsa, eiusdem synodi statuta destinari debuissent, præcipue cum ibidem Legati sedis Apostolicæ præsentes non fuerint. Et quia hi quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras ad sedem Apostolicam appellauerint, & vellent iterum se Apostolicæ sedis audiri præsentia, præcepisse quoque eumdem Papam, vt Hincmarus Præsul ad Concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse Legatum, Petrum videlicet Episcopum Spoletanum, è latere suo direxerat, ad renouandum scilicet iudicium vice sua. Cui audientiæ, quoniam domnus Hincmarus suam non exhibuit præsentiam, voti effectu frustrato, Leo Pontifex ab hac luce subtractus est. Benedicto autem viro Apostolico succedente, eidem subreptum fuisse, & in ipso consecrationis eius principio suasum, vt illud firmaret Concilium, non tamen ei suaderi potuisse, vt à iustæ definitionis tramite declinaret. Verum ita per ei concessum priuilegium illius Concilij roborasse institutum, vt auctoritatis summam sedi Apostolicæ reseruarit: ita decernens manere inconuulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo ab Hincmaro referebantur, & vt inde quæstio nullis aliquando temporibus oriretur. Sed quoniam non ita per omnia, ceu suggestum est, fuisse comprobaretur, merito asserit in irritum deductum, quod contra deiectos non simpliciter fuerat impetratum. Quocirca primum quidem domno Hincmaro mandauit, vti commemoratos viros, Vulfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se reuocare, & de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet. Alioquin ad Concilium cum his Episcopis, quibus & ipse quoque Papa pro hoc ipso scripserat, simul occurreret, quatenus omnes in vnum conuenientes, causam eorumdem clericorum examinarent, & non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito, diffinirent. Si vero quælibet inter partes disceptatio proueniret, ad sedem Apostolicam suæ susceptura speciale iudicium personæ, vices tenentes vtriusque lateris conuenirent. At Dei gratia vnanimiter hoc peracto iudicio, intimat se litteras suscepisse amplectendæ dilectionis omnium, qui interfuerunt, Episcoporum, manifestissimè significantes, crebro memoratos clericos à totius consona voce Concilij dignos graduum suorum receptione pronunciatos. Vbi nulla (sicut in litteris eorumdem Episcoporum reperiebatur) disceptatio prouenit, nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit, nullus accusator, nullus condemnator repertus est, sed cunctorum vna eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruerit, eisdem innoxiis à cunctorum vnanimitate modis omnibus approbatis. Reprehendit autem & hoc quoque Concilium præfatus Papa Nicolaus, quod non solemniter omnia, iuxta quod ipse diffiniuerat, egerint, sedi Apostolicæ plena relatione actionis seriem referantes. Debuisse, aiens, quicquid de Ebonis deiectione, * reclamatione, horum clericorum promotione, & ipsius Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, vel vndecumque ibi quod ventilatum est, ei scripto vnanimiter, pleniter, ac fideliter intimare. Sed & monimentis insertum ad pleniorem penes se notitiam & certitudinem reseruare. Præcepit ergo, vt quæcumque super hac re scripta, tam à sede Apostolica, quam à nostratibus edita reperiantur, & quod hinc Præsul Hincmarus, & illi deiecti clerici sedi Apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen vnum, ordine quo missa sunt, redigerentur, & Apostolicæ sedi, exemplaribus sibi reseruatis, summo studio dirigerentur. Et si de cætero quid tale forte contigerit euenire, propter quod conuentum in regionibus his fieri sacerdotum præcipiat, hoc inter cætera nulli penitus obliuioni tradant, sed post omnia id agere maiorum more studiosissime satagant, &c.

Leo iiij.

Bened. iij. epist. j.

Nicol. j. epist. 46.

B

C

D

Nicol. ep. 47.

Nicol. epist. 46. 47. & in append. 13.

Alia synod. Suess. sub Nicolai j. an. 866.

E

Nicol. ep. 46.

Nicol. relegatione.

F

Præmissi denique Concilij Præsules, Apostolicæ sedis obedientes præceptis, ordinem rerum gestarum de Ebonis deiectione, vel restitutione, iterataque repulsione colligentes, eidem venerabili Papæ miserunt, huiusmodi præferentes epistolam.

REVERENDISSIMO ET SANCTISSIMO domno Patri ac Papæ Nicolao, Episcopi qui præterito anno per gratiam Dei & decretum vestrum apud Suessonicam vrbem cum aliis qui tunc nequiuerunt adesse conuenimus.

Epist. Trecensis Synodi, de qua infra c. 17.

G

SERIEM RERVM *gestarum de Ebonis quondam Remorum Archiepiscopi depositione, sed & de ipsius restitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & tam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, vnde à nobis inuestigari, & vobis remandari iussistis, quia his nemo nostrum in ordine Episcopali interfuit, nisi frater Rothaldus (sicut ex regum & Episcoporum monimentis qui interfuerunt, & scriptis suis posteris reliquerunt, breuiter collegimus) vestræ sanctissimæ paternitati & præcellentissimæ auctoritati transmittimus. Quæ ante colligere & auctoritati vestræ dirigere necessarium nõ putauimus, quoniam sicut vobis per Egilonem venerabilem Archiepiscopum scripto suggessimus, in quo nullam memoriam de quacumque Ebonis depositione habuimus, nec habere tũc necessarium vidimus, nobis in eorum fratrum restitutione non quidem disceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, sed vnum idemque secundum traditionem maiorum, quam discretioni vestræ intimare curauimus, sentientibus, quos non procacia obnoxios fecit, sed obedientia inculpabiles in adeptione sacrorum graduum, iuxta sincerissimum sententiæ vestræ intellectum induxit, sine contradictione in suis ordinibus restituere maturauimus, nisi priuilegiis sanctæ Romanæ sedis, per reuerendum confratrẽ nostrum Hincmarum Archiepiscopum nostræ vnanimitati prolatis, quia de ipsis viris quædam statuerunt, debita reuerentia exhiberetur. Quorum summa, perfecta, & integra firmitas, vt claruit & iustum est, in Apostolicæ sedis reseruata erat arbitrio potestatis: quorumque priuilegiorum authenticas chartas, cum salutis sigillis, & incorruptis scripturis idem confrater & consacerdos noster, non ad prædictorum fratrum nocumentum, neque ad vllam contradictionem, sed ad debitam reuerentiam sedis Apostolicæ, vt dignum est, exhibendam, ostendit, tum gesta Episcoporum; quorum vos alia relegisse, & quibus præsignati clerici degradati fuerant reperisse, nobis aperire dignati estis. Quibus non subscriptio, quia & consentientes fratres suo iudicio non deesse, sicut vobis & ipse, & nos scripsimus, & gesta ipsa demonstrant: & sicut iam sanctissimæ paternitati vestræ suggessimus, in eius item redintegratione decernentibus & quædam desiderantibus, non*

H

A tamen terminantibus vobis, eo vsque causam perduximus, vt solummodo magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio adscriberetur redintegratio. Vnde postea vnanimitas nostra in quamcumque partem non declinauit, etsi quidam quacumque necessitate exinde, nobis ignorantibus, diuerterūt. Egimus itaque prout potuimus, in succincta collectione de gestis rerum & Episcoporum ex causa Ebonis, & vt præcepistis vestræ auctoritati transmittimus. Post hanc rerum vero gestarum ordinem descriptum ita subiunxerant. Hæc sicut vestra iussit auctoritas, quæ de Ebonis quondam Remorum Archiepiscopi, quæ ante triginta & tres circiter annos extitit depositione, & post de ipsius restitutione, necnon & de fratris Vulfadi ac collegarum eius promotione, & iam dicti Ebonis iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, in eorum qui iam nos ad Dominum præcesserūt scriptis, verum & quæ illorum, qui interfuerunt, veridicis relationibus cōperimus. Quæ etiam ex magna parte in gestis Episcoporum Belgicæ, Galliæ, Neustriæ, & Aquitaniæ prouinciarum Papæ Sergio dirigēdis, & Leoni Papæ directis cum eorum epistola, sed & in epistolis Lotharij Imperatoris, & Karoli regis exinde directis continentur, quas B in scrinio Romano credimus conseruari, vestræ auctoritati transmittimus. Scripta quoque, quæ hinc à vestra auctoritate directa, & vestræ sanctitati remissa relegimus, ordine quo missa vel remissa fuerunt, secundum vestram iussionem in volumine isto congessimus. Et si forte alia ex hoc negotio, aut à nobis, aut ad nos missa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater & consacerdos noster Hincmarus nobis vestræ auctoritati mittenda dedit, secundum quod præcepistis, dicentes inter alia: Quæcunque super hac re scripta tam à nobis prius, quam nunc à vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiscopus Hincmarus, & illi deiecti clerici sedi Apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen vnum, ordine quo missa sunt, redigantur, & Apostolicæ sedi, vt competens est, vobis eorum exemplaribus seruatis, summo studio dirigantur, his subiuncta dirigimus, &c.

Nicol. epist. 46.

De vacatione Camaracensis sedis, & coniunctione Balduini cum Iudith filia Regis.

CAP. XII.

C DE vacatione præterea sedis Camaracensis, sed & de coniunctione Balduini Comitis & Iudith iodebita, quæ scilicet Iudith Karoli regis filia, Edilnulfo regi Anglorum, qui & Edelboldus, dudum fuerat in matrimoniū copulata, & reginæ decore ac benedictione insignita. Post cuius obitum, venditis quas in Anglorum obtinuerat regno possessionibus, ad patrem reuertitur, quæ sub regali tutela sic manere decernitur: sed illa Balduinum Comitē, ipso lenocinante, & fratre suo Ludovvico consentiente, secuta est. Vnde rex Karolus Episcopos ac cæteros regni sui primores consulens, post mundanæ legis iudicium, canonicum in iam dictum Balduinum & Iudith, secundum edicta beati Gregorij, ab Episcopis depromi sententiam fecit. De Rothadi quoque Suessonicæ ciuitatis Episcopi deiectione, quem ab Episcopali ministerio iudicio remouerat Episcoporum. De commemoratione etiam nominis Ebonis, atque de Gothescalci cuiusdam hæretici damnatione D præfatus Præsul huiusmodi scripta direxisse ad sedē reperitur Apostolicam.

Iudith filia Caroli Calui.

DOMNO VNICE SINGVLARITER QVE suscipiendo patrum patri, & summa veneratione honorando reuerendissimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.

IN EPISTOLA vestræ sanctitatis per Odonem Episcopum Episcopis in regno Lotharii pro præiudicio Camaracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturam, cuius neglectu eadem Ecclesia vltra decimum mēsem pastore vacaret, vnde, ne vt negligens à vestro Apostolatu succensear, indico auctoritati vestræ, post directas Lothario & Episcopis regni eius atque Hildnino, qui eandē Ecclesiam irregulariter occupauit, ita vt antequam ipsas mitteretis epistolas, hactenus præiudicium permanere: meq; Lotharium regem & legatis & litteris, prout potui, sæpe & eo vsque inde commonuisse, donec regem suis litteris mihi respondit, Hildninum ad vestram auctoritatem suum Legatum misisse, & nihil aliter de præfata Ecclesia, E nisi vt egerat, disponere debuisse, donec à vobis inde responsum acciperet. Balduinus quoque in proximo nunc decurso mense Octobrio, quinto Kalendas Nouembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur, vt easdem litteras coepiscopis prouinciæ nostræ legerem, & Iudith paternis ac maternis obtutibus præsentandam susciperemus, si tamen intelligeremus, quod confestim præfatus excellentissimus rex noster, quæ de illa vobis scriptis & verbis per Legatos vestros Apostolatui vestro renuntianda spopondit, adimplere vellet. Quod si eorum animos ad id protelandū esse intētos inuestigare possemus, nequaquam eā reciperemus. Alioquin, id est si aliter egissemus, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam, vt oportuit, reuerenter suscepi, & coepiscopis nostris eam relegi, & pro præfata Iudith apud patrem & matrem illius, quātū potuimus, vt mādastis, communiter interuenimus, & paternis ac maternis obtutibus eam præsentare studuimus. Post quæ voluimus, quia sic nobis secūdum sacras regulas, sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus absolui posse putamus, quod anathematis F vinculo à sacris regulis innodatum videmus) vt iuxta Ecclesiasticam traditionem prius Ecclesiæ, quam læserant, satisfacerent, & sic demum quod præcipiunt iura legum mundialium, exequi procurarent. Sed quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, immo etiā nullam protelationem in eorum coniunctione fieri debere significauerūt, sibi sufficere voluerūt, & sine vestra auctoritate, ad quam clamauerant, cogi, nisi alio se modo submitterent, non debuerunt. Ex altera epistola vestræ sanctitatis eis retulit, quod nō leges Ecclesiasticas dissoluistis, sed preces pro commissis, qui puniri secundum leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet, quod cōtra leges diuinas admiserat. Sic & Saluator noster, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire, in cruce apud patrem iure sacerdotii pro suis persecutoribus intercessit: quod inde qui post passionem eius crediderunt, & compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum patre omnia donat, efficaciter impetrauit. Ad cuius instar, Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholicæ atq; Apostolicæ Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem regem & in leges mundi peccatum est, perdonari petistis, vt quod in regem cæli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per G pœnitentiam abolendi. E contra carnales, & etiam quidam eorum, qui antea coniunctioni huiusmodi contradicebant, hac defensione, vt eis visum fuerat, se protegentes, (sed sicut se habet veritas) salute nudātes, ab ipsius nouissimæ vestræ epistolæ verbis recedere noluerūt, quam sine protelatione eorum coniunctionem debere fieri demōstrare dicebāt. Dicenti vero mihi, quia pro nulla potestate terrena quod de Ecclesiasticis regulis intelligerem dimittere deberem, maxime cū etiam mecum, immo cum Deo, dominus rex noster, filius vester, Karolus faceret, quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, in quo non meis, sed verbis eorum vtar, quæ mansuetudo vestra, velut exemplum & doctrix disciplinæ Dei, mitis & humilis corde ac patiens æquanimiter sustinebit, dicentium: vt quia non sæcularis, sed Ecclesiastica potestas de hoc mihi negotio imperaret, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti Apostolatus vestri, & sedis Apostolicæ hoc egissem, & vestræ mansuetudinis erga me animum commoueret, & quamcumque excommunicationem, sicut pro Rothado allatum fuerat (quod tamen ad me non peruenit, nisi quantum Odo Episcopus, H & postea * Liudo detulit, antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus: vel quomodo res gesta fuerit per Legatos vestros rescietis) obtineret: præsertim cum in hac epistola vestræ auctoritatis legatur: quod si aliter egissemus, quam in ea scriptum est, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quæ cōtra mihi dicenti hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne femina illa à nobis desperetur, & non ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret: Responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quam vobis placuit eam componere, cum de ipso præterito mihi transmissæ eius sensum possem manifestè cognoscere. Quapropter memor præteritarum epistolarum mihi & Episcopis regni filij vestri domini Karoli à vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Liudonem mihi benignitas vestra mandauerat (hæc enim in Antissiodoro post aduentum Liudonis ventilabantur) inter metum præteritarum, & spem posterioris epistolæ mihi mitiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitaui, & condescensionem quasi in tempus aliud differendo, dissimulaui, expectans vt in causa huius quæ instat dispositione vestra, ex Rothado discere valeam, qualiter de reliquo in huiusmodi agere debeam. Sicq; nihil nobis de Ecclesia-

Hæ sunt Nicol. epist. 63. 64. & 65.

Non extat

1. Tim. 2.
Luc. 23.

* ms. Lando

stico

A

ſtico miniſterio eis interdicentibus, ſed tantum quod valuimus, noſtram præſentiam ab hoc negotio ſubducentibus, Balduinus & Iudith iuxta legum ſæcularium, quæ elegerunt, exequi ſtuduerunt. Dominum etiam noſter rex, filius veſter, huic deſponſationi & coniunctioni intereſſe non voluit, ſed miſſis publicis rei miniſtris, ſicut vobis promiſit, ſecundum leges ſæculi eos vxoria coniunctione adinuicem copulari permiſit, & honores Balduino pro veſtra ſolummodo petitione donauit.

De cauſa Rothadi Sueſſonici Epiſcopi depoſiti.

Cap. XIII.

Nicol. epiſt. 32.

DEnique ad epiſtolam veſtræ auctoritatis, ad quam me miſiſtis obedienter audiendam, generaliter omnibus Epiſcopis regni domini noſtri Karoli regis glorioſi, pro Rothadi cauſa, per Odonem Epiſcopum tranſmiſſam, ſicut litteris exiguitatis meæ directis ſanctitas veſtra præcepit, conuenis, & ſimul eiſdem venerabilibus Epiſcopis, quantum ex me fuit, mox antequam ſynodus ſolueretur, veſtrā iuſſionem de eodem Rothado, ne aliqua mora veſtræ præceptionis

B

implenda, aut de superuentione paganorum, aut de alia qualibet cauſa interueniret, adimplere curaui; ſicut & Legati domini regis ac noſtri, & litteræ pleniter veſtræ notum facient ſanctitati. Sed quoniam cauſa interueniente, quam vobis ipſi Legati referent, ſtatim vt præcepimus datis litteris, & deſignatis noſtris vicariis, ad veſtram præſentiam cum eodem Rothade ire non potuerunt, & ob id diutius quam voluerimus immorati fuerunt. Interea Liudo Legatus domini noſtri regis à veſtra rediens ſanctitate, pridie Kalendas Decembris veſtras Apoſtolicas litteras domino noſtro regi, filio veſtro in ciuitate Antiſiodoro detulit, & quia filius eius atque æquiuocus Karolus, qui patris animum in quibuſdam offenderat, & ob id ad eius præſentiam, quorumdam ſuggeſtione, aliquantulum venire diſtulerat, patrem Legatis ſuis petiit, vt meam paruitatem cum aliis quibuſdam ſuis fidelibus pro eo ad ipſius veſtigia deducendo tranſmitteret, quatinus noſtro interuentu patrem placabiliorem inuenire valeret, exiguitatem humilitatis meæ dominus rex illuc in ſuum venire

C

ſeruitium iuſſerat. Quo mox vt veni, mihi litteras veſtras legendas donauit: in quibus licet pro ſua dignatione ſublimitas veſtra humilitatem meam ſine vlla meriti prærogatiua benigne tractauerit, & à mea inſipientia ſapientia veſtra ſcripta ſupra id quod ſcio atq; intelligo, non tamen abſque ſubinducto cauterio, laudare dignata fuerit: tamen in eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increſcere. Vnde dignetur ſanctitas veſtra dignanter ſuſcipere, quod

ms. audacter. Auguſtin.

*beatus Auguſtinus de ſuo multiloquio Domino Dominorum * audacter non dubitauit dicere, cum ſe inde apud eum voluit excuſabilem reddere, inter alia ſcribens: Loqui multum non eſt nimium, ſi tamen eſt neceſſarium.*

2. Cor 11.

Quæ de re, ſanctiſſime domine & pater reuerendiſſime, æquanimiter ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me, ſi adhuc quiddam de Rothadi cauſa vobis tam ſufficienter notiſſima, quaſi repetens ſcribo, cum quo, quia vobis placet (cui cuncta bona placent) mittimus vicarios noſtros, non vt accuſatores ad confligendum, ſed vt à Rothado, atque à vicinis noſtris, qui cauſam pleniter ac veraciter aut neſciunt, aut ſcire non volunt, accuſati, quod

Concil. Sardic. ca. 4. & 7.

D

non in contemptum ſedis Apoſtolicæ appellantem Rothadum ſecundum Sardicenſes canones ſedem Apoſtolicam: ſed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenſes & Africanos canones, ac decreta beati Gregorii regulariter iudicauimus veſtræ ſummæ auctoritati huius iter intimandum. Abſit enim a nobis, vt priuilegium primæ & ſummæ ſedis ſanctæ Romanæ

Concil. Afri ca. 63. 88. 89. & 94.

Concil. Niceni ca. 5. Innocen. j. epiſt. 2. c. 3.

Eccleſiæ Pontificibus proſic paruipendamus, vt controuerſias & iurgia tam ſuperiorum, quam etiam inferiorum ordinum, quæ Nicænis & cæteris ſacrorum Conciliorum canones, & Innocentii, atque aliorum ſanctæ Romanæ ſedis Pontificum decreta in ſynodis prouincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad veſtram ſummam auctoritatem fatigandam ducamus. At ſi forte de Epiſcopis cauſa nata fuerit, vnde certa & expreſſa in ſacris regulis non habeamus iudicia, & ob id in prouinciali, vel in comprouinciali nequeat examine diffiniri, ad diuinum oraculum, id eſt ad Apoſtolicam ſedem nobis inde eſt recurrendum. Si etiam de maioribus cauſis à prouinciali Epiſcopo ad electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua cau-

Concil. Sard. ca. 7.

ſa idem Epiſcopus fuerit iudicatus, id eſt à gradu ſuo in comprouinciali ſynodo deiectus, & putat ſe bonam cauſam habere, & appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit vt renouetur examen, ſcribendum eſt ab his, qui cauſam examinarunt poſt iudicium Epiſcopale, eidem ſummo Pontifici, & ad illius diſpoſitionem ſecundum ſeptimum Sardicenſis concilii capitulum renouabitur examen. Nam

E

Leo epiſt. 84. c. 1. Concil. Nic. c. 7.

de Metropolitano per ſacras regulas conſtituto, qui ex antiqua conſuetudine ab Apoſtolica ſede pallium accipit, ſicut Leo ad Anaſtaſium, quod & Nicænum Concilium innuit, & cæteri Romanæ ſedis Pontifices in decretis ſuis ex ſacris canonibus monſtrant, ſedis ipſius Pontificis etiam ante iudicium eſt ſententia præſtolanda. Is enim eſt,

Ezech. 40.

qui ſecundum Ezechielem Prophetam moratur in gazophylacio quod reſpicit viam meridianam, & excubat in cuſtodiis templi. Et nos Metropolitani ad comparationem illius ſumus, qui in miniſterio altaris, quod eſt ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, ſeruimus, & controuerſias carnalium in ſynodis prouincialibus laborantes dirimimus, & de maioribus ac maiorum cauſis ad examen ſummæ ſedis Pontificis, poſt iudicium referre curamus. Homines enim ſub illius poteſtate, ſub nobis commiſſionis habemus & dicimus

Matth. 8. Leo ibid. cap. 11.

huic vade, & vadit, & alii veni, & venit. Quoniam (vt Leo dicit) & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt vt cæteris præeminerei. De qua forma Epiſcoporum quoque

F

eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vendicarent: ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & per quos ad vnam beati Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret. Qui ergo ſcit ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſte ferre debet aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obedientiam quā exigit, etiam ipſe dependat.] Quam Rothadus à ſuis exigere magis,

Dan. 18

quam ſacris regulis ſategit dependere (cum etiam ſancti Angeli in cœlo legantur ſuis potioribus obedire) & ideo ad hoc peruenit vt depoſici promeruerit. Quem per plures annos & beneficiis impenſis, & monitis atque obſecrationibus, per me & per coepiſcopos, ac per quoſcumque familiares potui, ad obediendum ſacris regulis commonere curaui. Multotiens etiam & per litteras Metropolitanas, & ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate minas ei inculcare curaui, & ex lectione Catholicorum, quam grauiter offendebat, ei oſtendere ſtudui. Ad quæ reſpondebat, quia nihil aliud facere ſciebam, niſi ei meos libellos contra eū oſtendere. Vnde à multis & frequentiſſime redargutus fui, cur

G

incorrigibilem, & miniſterio ſacro inutilem tamdiu ſcienter contra Dei voluntatem, & ſacram auctoritatem portarem. Ego vero quā-uis ſæpiſſime & regem, & coepiſcopos ac vicinos ſuos, atque etiam me multo ſæpius, quaſi ex ſtudio ad iracundiam prouocare ſatageret, licet non poſſet, ſciens periculoſiſſimum eſſe in ſacerdote perturbatam & præcipitem iram præcipitemque proferre ſententiam, & perſecutionum ſupplere ſæuitiam, diſſimilitudines morum, contumacias inobedientium, & malignarum tela linguarum, diu illum, non ſine timore de periculo animarum ſibi commiſſarum, portaui, & cum amplius portare non debui, ad plurimorum Epiſcoporum conſilium, vt vel eos audiret, illum deduxi. Quorum non audire conſilium, ſed aduerſum me poſtulare iudicium maluit. Ad cuius petitionem, vt ei ſatisfacerem, vt vel ſic erubeſceret, & à cœpta ſe ſtultitia reuocaret, iudicio me dedi, velut iam veſtræ ſanctitati pleniūs aliis litteris intimaui, & replicare me pro veſtra auctoritatis ſatisfactione cogit neceſſitas: vt cognoſcatis quoniam nihil in eum ego animo inimico, ſed zelo diuino, quantum in conſcientia mea perſpicere valeo. Sed & domino regi, ac Epiſcopis regni eius, & quamplurimis, tam Eccleſia-

H

ſticis quam ſæcularibus viris, hæc ſunt nota quæ dico. Poſt depoſitionē autem illius, obtinuit vt vnam Abbatiam valde bonam ei dominus rex & Epiſcopi conſentirent: & omnes nos illi ſicut patri, de noſtris impēdiis ſeruiremus. quatenus qui in deliciis vitam ſemper duxerat, non frangeretur, tantum vt ſeditioſus & moleſtus Eccleſiæ, cui præfuerat, eſſe non decertaret. Quod primum quidem acquieuit, ſed vt dicunt qui hoc ſe ſcire teſtantur, quidam Epiſcoporum regni Lotharii zelo amaro contra nos ducti, quia illorum conſiliis de VValdrada non adquieuimus, & etiam aliqui de Germania (vt quidam dicunt) ad Ludouici ſui regis ſuaſionem, quoniam cum eo non fecit ſicut Rothadus, in fratris ſui de regno expulſione, perſuaſerunt eidem Rothade, vt non ſe a ſeditione mouenda contineret: & ipſi apud vos obtinerent, vt reſtitueretur. Nūc autem, ſicut iuſſiſtis, ad veſtram præſentiam & diſpoſitionem illum perduci, apud dominum noſtrum regem filium veſtrum obtinuimus, credentes quia quod Domino in deplacabilius erit, cordi veſtro inſpicare dignabitur.

De quo, quia benigniſſima dignatio veſtra mihi ſeruo veſtro per Liudonem dignata eſt ſcribere, vt iuncto mihi integro collegio fratrum, ſecundum modum ibidem deſcriptum, veſtra Apoſtolica cenſura ſcitus, ſtudeāt illum priſtino redintegrare decenter officio. Sciat

A reuerendissima & amantissime colenda dulcissima vestra paternitas, hoc me agere nequiuisse, pro his quae continentur in subditis: videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis idem Rothadus iam commissus erat eis, qui ad vestram praesentiam illum deducerent, & mihi non erat possibile integrum fratrum collegium conuocare: quoniam, vt supra scripsi, à dioecesi nostra longius eram remotus, in filij vestri regis nostri seruitio. Et quoniam sine illorum iudicio, qui in eius depositione fuerant, & quibus inde scripsistis, restitui regulariter non valebat, & Episcopi aliarum prouinciarum per meam conuocationem, in multis occupati, congregari non poterant. Sed & coepiscopi Remorum prouinciae, ab ipsa synodo, in qua epistolam sanctitatis vestrae audiuimus, causa resistendi Normannis ad suas sedes festinare maturauerunt. Pauci etiam numero Episcopi, qui mecum in filij vestri regis nostri erant obsequio, cum eis benignitatis vestrae commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, talemque studium sacri ministerij in eo fuisse, vt in hoc se miscere auderent: praesertim cum is, qui antea aliquam reuerentiam de dilectione sua habebat,
B & semper inobediens & sacris regulis, & regiae dignitati, & metropolitano priuilegio fuerat, nunc effrenatius ad multorum malum exemplum, & plurimorum beneuolentium scandalum desaeuire, & negligentius atque perniciosius viuere, voluntatibus suis seruiens, cum liberiate deberet.

De eo autem quod benignitas animi vestri, pensans non belluinum, sed humanum hominis animum, scripsit dicens: Fortasse cognoscet delictum suum, & sua sponte in iudicio, quo iudicatus est, perseuerare deliget. Quod si fecerit, apud regem Karolum, dilectissimum videlicet filium vestrum agendum est, vt liberalitate sua eidem congrua beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentari, ac honorifice degere possit, benigno mentis largiatur affectu: sciat dignatio vestra, non illum esse huiusmodi temperantiae. Nam ab eo quod coepit nunquam potuit reuocari. Quae etiam ego famulus vestrae dominationis, meditatus sum cum corde meo, & conferens cum fidelissimo filio vestro domno meo rege glorioso, in hac causa prouide, vestrae sapientissimae auctoritati scribere dignum duxi: id est, quia licet fretus vestrae auctoritatis litteris per Liudonem meae exiguitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola, quam filio vestro domno nostro regi misistis, quasque illi relegi, apud eum obti-
C nere possem, vt missis suis, qui Rothadum ad vestram deducendum praesentiam susceperunt, mandaret, quatenus ab arripiendo Romam itinere expectarent, donec opportunum tempus Episcopos regionum nostrorum conuocandi adueniret: quia non erat ratio, vt aliis notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur, antequam Episcopis vestrae auctoritatis epistola legeretur: poterat fieri, vt qui me diuina clementia & sua benignitate & amore deuotione colunt, & aliquid existimant esse, cum nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum pateretur, quasi contemni aut negligi facerem vestram commendationem, qui intra constitutum à vobis dies in epistola per Odonem Episcopum missa, ad obediendum vestram accelerari fecerim, quantum potui, iussionem. Et si quando in vnum conuenirent Episcopi, qui sciunt, & me vnacum eis scire nouerunt Rothadi negligentiam, & diuturnam in sacro ministerio inutilitatem, de eius restitutione alloquerer, omnes me exsufflarent, & amentem penitus iudicarent. Sic etiam si Rothado, vt se concrederet (quod non sua salutis intuitu faceret) beneficia nos impetraturos
D promitteremus: quoniam pene omnes in istis prouinciis sciunt, quia secundum Carthaginenses & Africanos canones, & decreta beati Gregorij, electorum se commisit iudicio: & amplius quam quingenti interfuerunt diuersi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis à caupone & tabernaria per missum regis de illius pignore sumptus, ac delatus fuit in synodum, & sicentes coronas argenteas à Iudaeo, cui illas dederat, resumptas, & facultates Ecclesiasticas ab eo suppressas, & latenter commendatas, indeque receptas & Ecclesiae redditas, & vascula argentea, quae non pauci ponderis à longo tempore in Ecclesia pependerunt. Sed & alia quae sui decessores, ac praedecessores, caeterique fideles pro remedio animae suae eidem Ecclesiae obtulerunt, ab eo sine consensu Metropolitani ac coepiscoporum, & sine oeconomi, ac Presbyterorum & Diaconorum suae Ecclesiae assensu pro libitu suo donata. Cum etiam beatus Gregorius multoties in epistolis suis ex sacris canonibus scribat: quaecumque Episcopus post ordinationem Episcopatus adquisierit, omnia esse Ecclesiae in qua extitit ordinatus. Vnde constat, quia nec ipse sine oeconomo & conscientia clericorum illa debeat dispensare. Sed & omnes vrbis incolae ac populi, qui cum rege ac Episcopis ad synodum conuenerunt, & veteuera ad spectaculum currentes, eum viderunt vsque ad ostium synodi venientem, & inde vt mauaticum redeuntem, quique sciunt quantam benignitatem regis & fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, vnde sacri canones expressa decreuerunt iudicia, iudicatus, lacrymantibus rege & Episcopis, durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundum sacros canones, sicut eos intelleximus, iudicauimus, & postea vt ipsi praecipiunt canones, per coepiscopum nostrum, qui eidem iudicio interfuit, prius iudicium nostrum de eo referre, & nunc illum ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut iussistis, ad Apostolicam sedem, quae paternos canones seruandos confirmat, & confirmatos ac obseruandos sua obseruatione demonstrat, dirigere procurauimus, de vestrae auctoritatis iustitia & aequitatis libramine dubitare. Et ideo vt se concrederet locarium ei promittere, sicque nos vt insanos merito denotarent, cum etiam si fieri posset (quod ab illa prima & sancta sede ac summo Apostolatu vestro pendum non creditur) vt talis a vobis cognitus, estitutus in ordine nominetur, nulla de caetero nobis conscientia de sibi à vobis commissis animabus esset periculum. Et cum omnes in istis regionibus sciant, quam negligens & contemptor sacrorum canonum, & quamdiu, quamque patienter atque benigne fuerit toleratus, & à quam inuitis, (quia se corrigere noluit secun-
F dum sacras regulas, sicut eas intelleximus) fuerat iudicatus nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si fieret facta à vestri summi Pontificatus potestate. Quia omnes simul cum maioribus nostris scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanae Ecclesiae, & nos Episcopos in primatu beati Petri subiectos esse Romano Pontifici, & ob id salua fide, quae in illa Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestra Apostolica auctoritas obediendum. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est: quia Iesus erat subditus parentibus suis. Nobisque item scriptum est. Obedite praepositis vestris, & subiacete eis. Et nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Et si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domno meo rege glorioso, illi replicans, quod saepe inculcans, quodque libentissime accepit, & adimplere incipit, quia sicut Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo, & ipsius est regnum, & cui voluerit dabit illud. ita ipse supra fundamentum Apostolicae petrae suam fundauit Ecclesiam quam & ante passionem, & post resurrectionem suam speciali cura & singulari priuilegio beato Petro, & in illo suis commisit vicariis: cuius sedem, suaeque sedis Pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit: Qui accipit si quem misero, me accipit. Et ab ipso honorabitur dicente: Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles. Idcirco quia multi sciunt, qualiter se Rothadi reclamatio habeat, & quidam inde aliter dicunt, & omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritas illum cum nostris vicariis ad suum praecepit destinari iudicium, dignum & iustum est, vt quemcunque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandauerit, si infirmitas, vel grauior quaecumque necessitas, vel impossibilitas (sicut sacri praefigunt canones) eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro tali querela ad se quocunque modo clamantem praesentiae suae iudicat exhibendum. Et quicunque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicae sedis summum Pontificem prompte obaudiunt, & honorant, promptius & humilius eis subiecti sint obedient. Nam vt beatus Gregorius dicit: Sicut languente capi-
H te subiecta membra in cassum vigent: ita gloria & honore coronato, id est, honorificato ac decorato capite, subiecta membra eius honore atque decore fulgebunt. Et Rothado in nullo poterat melius satisfieri, quam si ad vestram pergeret praesentiam, & ex tantorum subscriptionibus Episcoporum, qui Deo & vobis mentiri nolunt & allegationibus tot vicariorum eorumdem Episcoporum fuerit, illum bonam causam nequaquam habere, ostensum. Quamobrem sibi ipsi, & non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se & multos alios fatigauit. Vnde illum vestra discretissima pietas, qua compassionem proximo, & rectitudinem debere vtiis nouit, suis Apostolicis litteris sufficienter praemonuit. Cuius inter alias * socordias tanta duritia esse dinoscitur, vt cum multoties sine vllo respectu timoris vel amoris diuini, & absque vlla humana verecundia, per tot annos & in tantis causis, toties sacris canonibus, & decretis sanctae sedis Romanae Pontificum, & suae Metropolis priuilegio, ac synodalibus iudiciis resultauerit, & per tantos annos, atque à tantis pertoleratus à sua stultitia se reuocare contempserit, à rege & Episcopis multipliciter obsecratus, in hoc adduci non potuit, vt sacris canonibus & decretis sanctae sedis Romanae Pontificum, & secundum ea suae Metropolis priuilegio de caetero obediturum subscriberet (quoniam sine bo-

Marginal notes: Conc. Afric. ca. 63. 88. 89. & 94. — Luc. 2. — Ioh. 13. — Philip. 2. — 1. Cor. 11. — Psal. 23. — Psal. 21. — Matth. 16. — Ioan. 20. — Ioan. 13. — 1. Reg. 2. — * al. socordias

cum

A

rum obseruatione nemo nostrûm potest esse Episcopus) & sic pace fraterna in omnibus potiretur. Postea autem sua sponte in libello suæ professionis, per quem ad electorum iudicium prouocauit, hæc se obseruasse impudenter, quia scientibus cunctis mendaciter, synodo misit, & sic ad iudicium prouocauit, quæ se seruaturum ne iudicaretur, subscribere detrectauit. Quod ideo, sicut postea nobis dixerunt, qui ab ipso audierunt, subscribere noluit (quod & nos percepimus) ne vinceretur: sed si in nostra Rex & Episcopi permanerent in sententia, Romam iret antequam vinceretur, & quando illuc veniret, his per vestram iussionem, cum à vobis foret nobis nolentibus absolutus, subscriberet. Non intelligens, immo intelligere non valens (excæcauit enim eum malitia sua) vestram auctoritatem sapientissime intelligere, quare Dominus de cælo alloquens Paulum & dicenti: Quid me

Act. 9.

iubes Domine facere? non omnia quæ agenda illi erant exposuit: sed ad Ananiam, à quo agenda auditurus & accepturus erat, illum direxit. Sic & Angelus Cornelium, postquam illum exauditum esse

Ibid. 10.

denunciauit, ad Petri doctrinam atque obedientiam misit. Quem licet ante baptismum sancto, vt ita dicamus spiritu baptizatũ, beatus Petrus illum baptismate, qui baptizat in Spiritu sancto, & in

B

Ibid. 11.

quo credentium corda fide purificantur, baptizari præcepit. Vnde facta quæstione contra eum etiam à minoribus suis, tamen fidelibus, cur ad gentes intrauerit, isdem Apostolorum princeps summorum gratia donorum repletus & innumerabilium miraculorũ potestate suffultus, querela non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem ea mansuetudine exposuit, qua humilitate præfato

Act. 10.

Cornelio se adorare volenti dixit: Vide ne feceris. Nam & ego ipse homo sum, sicut & tu. Si enim in querela fidelium, vt Gregorius dicit, aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis nõ fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ humiliter rationem reddidit, & etiam testes adhibuit, di-

Ibid. 11.

cẽs: Venerunt autem mecum & sex fratres isti. Cum humilem auctoritatem, & mansuetissimam potestatem, & doctissimam prædica-

1 Pet. 5.

tionem dicentis: Non dominantes in clero, sed forma facti gregi, sicut in B. Gelasius in decretis suis ad omnes Episcopos, de institutis Ec-

Gelas. epist. 9.

clesiasticis dicit: Cumque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus tenere nihil licere: & cum sedes Apostolica * super

*or. superior.

his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa,

C

pio, deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem, & sequi videat & docere: satisque conuo-

*or. addit totum.

niens sit vt corpus * Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione cõcordet, quã illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principa-

Gal. 1.

tum.] De Barnaba quoque & Saulo dicente vtraque, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Dominum patrem. Qui postquam diutius fruiti sunt Apostolorum consortio, non ipsis Apostolis, sed iuxta fidem sacræ histo-

Act. 13.

riæ, ministrantibus Domino Prophetis & Doctoribus, qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus sanctus: separate mihi Barnabam & Saulum in opus ministerij, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidẽ missi à Spiritu sancto abierunt vocati Apostoli, & in sequenti anno, id est

Gal. 2.

xiiij post passionem Domini, licet qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus sit & Paulo inter gentes, tamen iuxta condictum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, gentium magisterium vna cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios

D

1. Cor. 5.

negligentibus rectoribus de incestuoso scripsit: Congregatis vobis, & meo spiritu, tradatum huiusmodi in interitum carnis, Sathanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Ipsi enim Corinthiorum rectores illum tradiderunt in interitum carnis Sathanæ, & Paulus cognito

2. Cor. 2.

eius opere, sua auctoritate cum illis: & comperta eius pœnitentia, ipsi eum restituerunt, & Paulus sua auctoritate cum illis: Cui, inquiẽs, aliquid donastis, & ego. Nam & ego si quid donaui propter vos in

Gregor. li. 33 Moral. c. 8. al. 12.

persona Christi. Hinc beatus Gregorius: A bono, inquit, vestro non dissensio. Meum fit quod ipsi feceritis. Cui velut si dicere præsumamus, quare ita tanto discipulis te copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam solicitamente conformas? vt non circumueniamur, inquit, à Sathana: nõ enim ignoramus cogitationes eius: id est, ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitia finem vertat. Et Inno-

Innocen. ep. 27. ad episc. Maced.

cẽtius: Hæc ad Corinthios Apostolica est declarata benignitas, vt in vno spiritu ductã ac reductã sententiam boni semper indifferenter se-

Leo epist. 84 c. 12.

quantur. Et Leo ex Apostolo: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. & vnusquisque proximo suo placeat in bono ad ædificatio-

1 Cor. 10. Rom. 15. 1. Cor. 12.

nem. Non enim poterit vnitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculũ caritatis adstrinxerit. Quoniam sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus

E

in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit: sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi ordo est generalis, non tamen communis est dignitas omnibus.] Hac autem seruata altiori intelligentia, circa supra dictos sunt acta, & a prædictis docta, vt cognoscatur, qualiter minores potioribus debeant obedire, & potiores minoribus prouidere, & ordo à Deo dispositus ab omnibus, & in omnibus valeat conseruari. Vnde summus Ecclesiæ pastor docet: Si quis

1 Pet. 4.

ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus, qui seruis suis cõmisit negotia sua, & vni-

Matth. 25.

cuique secundum propriam virtutem: sicut & de Spiritu sancto

1. Cor. 12. Conc. Sard. ca. 7.

scriptum est, quod dona diuidit singulis prout vult. Et hinc iuxta Sardicense concilium summus primæ & sanctæ sedis Romanæ Pontifex, pro examinis renouatione ad se reclamantis & confugientis cum sua clamatione deiecti prouincialis Episcopi, non statim singularitate priuilegij, & auctoritatis suæ restituit: sed remittens

F

Conc. Carthag. seu Afric. vbi supra.

eum ad prouinciam, vbi causa patrata fuerat, & in qua iuxta Carthaginenses canones, & iura legis Romanæ, causa potest diligenter inquiri, & quod non sit difficile testes producere, veritas inueniri: aut finitimis Episcopis dignatur scribere: aut o latere suo mittit, qui habentes eius auctoritatem præsentes cum Episcopis iudicent, & diligenter causam inquisitam diffiniant: aut dignatur credere Episcopos sufficere, vt negocio terminum possint imponere.

Innocen. j. epist. 2. ca. 3.

Et Innocentius: Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, congregatis

Syn. Nic. c. 5.

secundum synodum Nicænam eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium præcipit terminare. Et Bonifacius de Maximo scribit, vt ad prouin-

Bonif. ep. 2.

ciam venire cogatur, & illic se cõstituto præsentare iudicio, & quicquid de illo duxerint prouinciæ Episcopi decernendum, cum ad eum relatum foret, sua firmaretur auctoritate: quatenus, vt idem ad

Idem ep. 5. can. 6.

Hilarium scribit, Metropolitanis sui vnaquaque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet, sicut scriptum est in Nicæno Concilio, vt sicut apud Alexandriam, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, cæterasque

Ibid. can. 5.

prouincias, sua priuilegia seruentur Ecclesiis.] Vnde bene placuit

G

annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones] Et hæc dico, non (quod absit) præiudicans summæ sedis Apostolicæ, & sancti Apostolatus vestri in aliquo potestatem, cui in omnibus sum, sicut rectum est, obedire paratus. Sed quia summæ auctoritatis vestræ obsequium præstare me puto, cum ea quæ scitio, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter sapientiæ vestri magisterij pando, & Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos noui, vos lateant, quatenus certius quod vobis placuerit de ille vestra auctoritas decernere valeat. Quem si nunc in depositione iudicium vestrum manere decreueritis, scimus de benignitate & modestia ac pietate filij vestri domini nostri Karoli, quoniam quicquid de ille præfato filio vestro præceptis, & rationabiliter poterit adimplere, sine vlla retractatione obediet. Sed & coëpiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendijs abundantissime illi impendent. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus & contumelias ab illo mihi illatas peruenire voluit: ita quicquid benignitatis

H

potero, libentissime abundantius etiam, quam vnquam feceram, impendere procurabo. Si vero sine vlla satisfactione tam diuinis cõtemptus sacrorum canonum, & sedis Apostolicæ decretorum, ac suæ Metropolis priuilegij, atque synodalium iudiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de cætero profiteri vel subscribere voluit: & absque professione, vel subscriptione suæ correctionis & obedientiæ, coram fratribus suis, quorum multoties regularia spreuerat monita, cum inde pluraliter in Leonis & Gregorij epistolis relegatur. Si etiam, vt illa prætereamus, quæ ob sacerdotij verecundiam & opprobrium secularium, sequentes Africanum concilium, nec ad nominationem in synodum deduci permisimus, parui pensis, & sine aliqua correctione dimissis eis capitulis, auctoritatis vestræ sub fidei adstipulatione directis, pro quibus fuerat iudicatus ab Episcopis, ad quorum iudicium prouocauerat, secundum expressa sacrorum

Celest. ep. 3.

canonum & Apostolicæ sedis decreta, Cælestino dicente: Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?] Mox vestræ potestati placuerit illum restituere, vt primæ sedis & matris ac magistræ omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctorumque Episcoporum patris atque magistri regulare iudicium ferre conuenit, a-

A

que animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram prouisuram contemptum ac contumaciam subiectorum erga prælatos suos, & libertatem impune delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt (vt quibusdam videtur) noxias vires accipere. præsertim cum sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense concilium in septimo suo capitulo: qualiter deiecti & ad se clamantis Episcopi restitutionis, vel in depositione permansionis executio, cum eadem initate simpliciter iudicantium ab Apostolica sede debeat celebrari. Quod & Innocentius, ac Bonifacius, verum Leo in decretis, & Gregorius euidentius in epistolis suis demonstrant, Carthaginensis Concilij, immo Apostolicæ sedis, quæ in suis eidem præsedit vicariis, decreta sequentes: videlicet vt a quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.] Vnde nobis & conscientia testimonium perhibet, & omnibus qui interfuerunt notum factum fuisse dinoscitur, quoniam illum seruare quam iudicare maluimus, si pro sacrorum canonum neglectu eorum iudicio, per quos Spiritu sancto inspirante promulgati sunt, cum eo quem corrigere nequibamus, damnari pariter non timeremus. Et idcirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratia deprauati flentes illius incorrigibilem secordiam, & inreuocabilem pertinaciam, regularia in eum iudicia executi sumus, quæ ab eo suspendere diutius non præsumpsimus. Vestra etiam sapiens & summa auctoritas in decernendo attendet Apostolum docentem, quia quorumdam peccata præcedentia sunt ad iudicium, quorumdam etiam & subsequuntur. Quæ (sicut beatus exponit Ambrosius) ac si posita in bilance, in iudicio sunt examinanda, vtrum bona opera amplius pensando remuneranda præcedant, & male facta minima misericorditer dimittenda demonstrent: an male facta amplius pensando præcedant, vt mereantur damnationis iudicium, & bona paruula suffocent. Quia & nos pro modulo nostro non solum inutilitatem, verum & noxietatem in Rothado cum factis suis pensauimus: & velut ficulneam infructuosam, terram rationalem diutius inutiliter occupantem, & etiam post plura tempora pluresque admonitiones, quasi cophinos pinguedinis sibi appositos non recipientem, sed sterilem permanentem, non sine dolore cordis succidendum prouidimus. Et cum hæc ita se habeant, absque dubitatione confido, quia illud, quod in præfati Carthaginensis concilij capitulo sine vlla interpolatione subsequitur, decretum vestri moderaminis nequaquam præterit: Sane, inquit, si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam a pauciore numero, quam constitutum est, non liceat prouocari. Qui numerus constitutus in xij. superiori capitulo demonstratus, & consensus partium expetitus, in diiudicatione Rothadi constat fuisse completus. Quorum & si iudicium pro quacumque causa forte rationabiliore, & adhuc nobis incognita, vestræ summæ auctoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit refragari, quia meum est mea vobis obediendo committere, & non iudicia vestra discutere, sustinebo, & tacita vestram regularem restitutionem, si forte in eo agenda visa fuerit (in qua vestra disponet auctoritas, qualiter idem victor, vt solet, & vos compos quæ sunt Episcopi de reliquo faciat) non recalcitrabo, ducens pro magno, si a diutinis & multis molestiis, quas ab illo & pro illo passus sum, iam tandem aliquando valeam respirare: & nunquam mihi contingat vlterius contra illum inquietudines inutiliter laborare. Et quod non solum ab Ecclesiasticis personis, verum & multo magis etiam a sæcularibus nostra iudicia contemnuntur, & pro nihilo ducuntur: dicentibus eis, & ad medium deuocantibus illa, quæ mihi vestræ auctoritatis non sunt adscribenda, vt non animum dulcedinis vestræ in aliquo moueam, quod summopere cauere desidero. Si qui in prouincia nostra, quorum querela (illo restituto) ad vos valeat peruenire, de maioribus causis de iacere quædam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentius iustis, quam retroactis temporibus committuntur, ne a Deo damner silentio, eos commonere studebo, & si corrigere se voluerint congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos iudicium prouocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit, decernere procurabit. Si autem ire noluerint, faciant quod sibi vtile iudicauerint. Me vtinam hinc a diuina damnatione sententia sancti Ambrosii liberet, qua dicit: Si, inquiens, qui potestatem non habet, quam scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est. Sicque, vt puto, quia in multis occupatus, & itinerum longitudine atque insoliditate obstrictus de omnibus, antequam insolentium querela ad vos perueniat, ad Apostolicam sedem referre non valeo, infirmitate grauatus, & (gratias Deo) termino

B

C

D

Innocent. Bonif. & Leo vbi supra.
Conc. Cart. 3 can. 10.
1. Tim. 5.
Ambr. lib. de apol. Dauid c. 6.
Conc. 3. Carth. can. 12. & Afric. can. 89.
Ambros.

E

iam vicinus, potero præcauere, ne a quocumque sanctitatis vestræ animus erga me moueatur, vt aliqua mihi excommunicatio intentetur. Et licet nouerim secundum Apostoli euangelium, redditurum Dominum vnicuique secundum opera eius, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die qua iudicabit occulta hominum: & vt Leo dicit: Si quid per seruitutem nostram, videlicet sacerdotalem, bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. & quod secus fuerit, ratum esse non poterit: modis omnibus, quantum ipse donauerit, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, prouidere studebo, ne a communione sedis Apostolicæ (quod absit) qualibet modo extorrem me vltimus dies, qui mihi incertus est, & subito venire potest, inueniat. Erit enim, quamuis tardius quam necesse sit, quoniam ego grauis peccator, graui carcere corporis diu inclusus teneor, meritis in multis afflictus, prouidentissimo Domino prouidente, & tempus, & persona in Remorum Ecclesia, quando, & in qua ab Apostolica auctoritate priuilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum & conseruatum habebitur: quæ nunquam, excepto Romano Pontifice, primatum habuit, nisi quamdiu eiecto sine vllo crimine ab ea suo Pontifice, violentia tyranni Milonis, tempore Karoli principis pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ sedis legato, aliquamdiu, sicut & Ecclesia Treuirensis, commissa fuit. Inter quas, Remensem scilicet & Treuirensem Ecclesiam (has enim duas tantum prouincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in Ecclesiasticis monumentis inuenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, vt is idem Episcopus non loci sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui fuerit in qualibet istarum Ecclesiarum Metropoli antea ordinatus. Mihi vero necesse erit, me taliter gerere, ne totiens auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes & obiurgationes, quas raro & magna necessitate fiendas in Apostolorum virorum litteris legimus, scientes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus frequenter accepi. Quod si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec Apostolica vestra iussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, inuenerit. Qui enim quare Dominus in Euangelio Centurionis fidem, dicentis: Dic verbo & sanabitur puer meus, † intelligit, quam operatorium sit Episcopi, immo sicut in Paulo in se loquentis Christi, quanto magis Pontificis Apostolicæ sedis verbum, & quam obediendum sit ipsius præcepto, etiam sine vlla adiurationis adiectione, cognoscit. Quod & scientibus inculcare, & nescientibus intimare, sapientibus, & insipientibus debitores debemus Episcopi. Quibus si de re aliquo verba iniquorum præualuerint aduersum nos, sicut tacitis aut proferentes, non erit necesse de prouincialibus synodis, in quibus hactenus laborauimus, magnopere laborare: quippe quoniam erit & lex, & spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati nostræ scripsit sublimitas, primo vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam, cura, qua pro vniuersis fratribus vestris constringimini, cum debita reuerentia gratanter accepi: intelligens quia in numero fratrum nos qualescumque Metropolitani computari debemus. Ea propter sicut vestra discretionis prouidendum est, ne subiecti Episcopi a Metropolitanis irregulariter condemnentur: ita nihilominus prouidendum est, vt Metropolitani a subiectis Episcopis non irregulariter contemnantur. Deinde quod perspectissime scripsistis secundo, quoniam sedem Apostolicam Rothadus noscitur appellasse, & ne videamini Ecclesiæ vestræ priuilegiorum detrimenta diebus vestris æquanimiter tolerare, & hoc nihilominus a nobis, & ab omnibus est rectissime suscipiendum, & solertissime conseruandum. Quod & ego pro modulo meo seruandum esse volui, & volo, & fauente Domino in hac deuotione manebo, sitis priuilegium Metropolitanæ sedis Remorum, (cui me diuina dignatio seruire disposuit) in summo priuilegio sanctæ sedis Romanæ manere, & priuilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate priuilegium sibi subiectæ sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare. De eo vero quod tertio loco ad medium deuocastis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi a causis illorum, de quibus scripsistis, est pene in cunctis dissimilis. De eo quod tandem Apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, vt hæc vobiscum cogitem, & quod de Rothado decreuistis approbem, & non ad meam iniuriam id vos egisse aliquantulum autumem, quantum valeo totis medullis cordis, cum omni supplicatione & debita ac submissa humilitate immensas gratiarum actiones sancto Apostolatui vestro rependo, cum omni sinceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. Et quia pri-

uilegium

F

G

H

2. Cor. 5.
Rom. 2.
Iac. 1.
Matth. 8.
† al. laudauerit, vel quid simile.
2. Cor. 13.

A nilegium vestri summi Pontificatus, vt conderet. & omnes desideramus, emindicatum habetis, quod nemo nostrum contradixerat in deductione Rothadi, sicuti præcepistis ad vestram præsentiam: vt perdonare dignati estis, videre desidero, & visurum me esse confido: quia non aliud, nisi vt supra monstraui, quod regulæ sacræ præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est, postulo: videlicet, vt sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, vt vigor Ecclesiasticus non dissoluatur: & sic vigor Ecclesiasticus conseruetur, vt debita misericordia & necessaria sufficientia ei non denegetur: quatenus nec ipsius exemplo ad excedendum alij prouocentur: ne quibus in istis regionibus longius ab Apostolica sede remotis censura Ecclesiastica moderatio est commissa, hinc (quod Prou. 22. absit) conspiciant, vnde aut negligentia, aut dissolutione tepescant. vel terminos, quos statuerunt patres, transgrediendi materiam se sumere posse dicant: quos, sicut intelleximus, nos hactenus seruasse putamus. Vos videbitis quid inde facto melius erit, & nobis in iudicio vestro videndum est, quid Deus velit: quoniam iniusta esse non poterunt diuina iudicia, quia à soliditate confessionis Apostolicæ pe-

Matth. 16. B tra, aduersus quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes prauæ non præualebunt, dictante iustitia proferentur. Epistolam quam mihi auctoritas vestra, cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, dominus noster rex, filius vester, mox vt ad eum veni, per abbatem suum Rothado direxit.

Rodulfus quoque, eiusdem filij vestri domini nostri regis auunculus, ij. Idus nunc elapsi mensis Decembris ab Ludouico Germaniæ rege reuersus, cum valde vesperi à corte regis nostri ad mansiones nostras super fluuium Ligerim, secus confinium regni Aquitaniæ festinaremus, misit ad me hominem suum, nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludouicus quemdam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manui & fidei suæ commisit: quatenus ita ad præsentiam domini nostri regis Karoli eum eisdem Episcopis eum perduceret, vt nullum malum ei inferret. Est enim apud dominum nostrum regem idem homo accusatus, quod furatus fuerit res, & thesaurum Ecclesiæ, & post periurium inde commissum, fuga lapsus, ad Ludouicum regem perrexerit. Vnde idem Rodulfus petijt, vt ego illum inde apud dominum nostrum regem adiuuarem: vt quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum ma-

C lum haberet. Cui respondi, vt teneret ipsum hominem secum, ne interim vllum malum pateretur, donec ad cortem redirem, & quantum possem inde illum adiuuare curarem. Ipsum autem hominem nos tunc, nec postea vidi, nec quo abscesserit cum epistolis, audiui. Quæ idcirco sanctitati vestræ scribere studui, vt si aliquis maliuorum nostrorum (more suo) vobis quicquam sinistri ex hoc suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, & erga me vestrum animum non moueatis.

Rationem denique quam reddidi coram electis iudicibus, de quibus per libellum prouocationis ad electorum iudicium fueram à Rothado impetitus, ipsi venerabiles Episcopi vestræ auctoritati transmittunt. De gestis vero à Rothado post excommunicationem suam in prouinciali synodo compilatis, quæ per vicinos nostros ad vos in derogationem nostram peruenisse audiuimus, Episcopi Remorum prouinciæ per communes Legatos nostros vestræ sanctitati, quæ sciunt, intimare curarunt. Item post aliquanta de promotione ipsius domini Hincmari ad Episcopatum, quæ iam superius partim prænotata non curauimus hîc iteranda. Denique præfato Ebone defuncto, Ecclesia, sed & parochia nostra, secundum consuetu-

D dinem quam ex antiquo habuit (etiam de his, qui in Episcopatu vsque ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in Episcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, & hactenus facit. Quod ego, ne scandalizarem deuotos, quasi inuidens saluti fraternæ, maxime autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione a Catholicæ fidei sanitate anathematizatus, sed sua conscientia stimulante, primum à seipso, & postea à synodo, sed & Apostolica sede damnatus extitit, hoc prohibere sine Apostolicæ sedis auctoritate nequaquam præsumpsi, dicen-

Calest. ep. 3. cap 12. te beato Cælestino Papa. Quia nefas est has pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque conuenit macerari.] Nunc autem in epistolis sanctitatis vestræ, quas Engelwinus diaconus nobis attulit, iniunximus, vt Teotgaudum & Guntarium in catalogo Episcoporum non recipiamus. Et Antiochenum

Concil. Antioch. can. 4. statuit, aut præcipit Concilium, † vt præmisimus, & melius ipsi scitis, de eo qui post damnationem, iuxta præcedentem consuetudinem, Episcopale præsumit ministerium (quod Ebonem fecisse nō dubium est) rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, verū eumdem Ebonem inter Episcopos in sacris dypticis in Ecclesia nostra nominare permittam, an, ne

E de cætero in Episcoporum catalogo nominetur prohibere debeam quatenus vestra auctoritate fultus, quid in nostra Ecclesia inde sit obseruandum, sine ambiguitate, decernentibus vobis, demonstrem.

De quodam Gothescalco schismatico.

Cap. XIV.

Cæterum Luido mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione & reclusione Gothescalci habuissetis. Vnde quoniam per alios iam audieram, ad sanctitatem vestram verba venisse, mihi auctoritatis vestræ quædam ex verbis & Catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem Episcopum, & nihil inde responsionis accipere merui. De quo nihilominus vt redderem rationem, quidam Episcopi, quorum nihil de illo intererat (quoniam nec eos, vt ipse manifestis indicijs prodiderunt, ad hoc caritas commonebat, nec auctoritas deducebat) me ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari synodum voluistis sicut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam lxxx. & idem Gothescalcus plusquam centum millibus ab ipsa ciuitate disparati essemus, nihil me inde ante præmonitum per quemdam laicum hominem litteris vocauerūt. an. Dom. 863. F Et nunc ideo breuiter de eo sanctitati vestræ suggero, quoniam antequam ad Episcopatus ordinem peruenirem, sicut Abbas suus & Monachi, inter quos fuerat conuersatus, ei testimonium perhibent, in Metropolis Ecclesiæ Remorum monasterio, in Suessonica parochia, quod * Orbacus dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus quæ in his regionibus peruerse tunc temporis sensa cognouerat, quædam sibi elegit capitula, vt nouitate vocum innotesci valeret, vtque simplicium & deuotorum sensus peruerteret, & magistri sibi nomen vsurpando, post se discipulos traheret, illisque qui ad sua vota, auribus prurientes, magistros sibi coaceruare decertant, quatere indebite, (quoniam legitime non poterat) simulatione vitæ religiosæ & doctrinæ præesse. Quisque à Remorum Chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, à monasterio irregulariter exiliens, peragratis regionibus plurimis, & exitiosa seminasator pessimus seminans, tandem in Mogontina ciuitate habita synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis, cum litteris synodalibus ad Metropolim Remorum (cui iam auctore Domino præeram) est remissus. Postea autem à Belgicæ Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus, & inuentus hæreticus, quia resipiscere à sua prauitate non voluit, ne alijs noceret, qui sibi prodesse nolebat, iudicio præfatarum prouinciarum Episcoporum, in nostra parochia (quoniam Rothadus, de cuius parochia erat, illi nesciebat resistere, & nouitates amans timebatur à nobis ne disceret praua sentire, qui noluit discere recta docere: ne vt idem Gothescalcus cum alijs communem vitam docens errores suos faceret esse cōmunes, monasteriali custodia mancipatus est, docente Apostolo: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens subuersum esse huiusmodi, & proprio iudicio condemnatum. Qui, vt Leo Papa de Eutyche dicit, cum videret insipiētiæ suæ sensum Catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules cōmouere, vt damnationis sententiā mereretur excipere. Quam vtique, si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua dānatione si voluisset ad sensum Catholicum resipiscere, paratus semper fui & sum (quoniam sic venerabiles iudicauerunt Episcopi) eum in Catholica Ecclesiæ communionem recipere, sicut ei modo quæ sunt corporis necessaria ministrare. Si autem vestra Catholica sapientia vult scire, quæ contra Catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana (quæ primum in Africa, postea in Gallijs per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis, est exorta, & tempore Cælestini Papæ ipsius auctoritate, & instantia sancti Prosperi est reuicta) dicere videatur, de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus.

al. Orbacus. 2. Tim. 4. G Syn. Mogunt. an. 848. Tit. 3. Leo ep. 13. H

Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam. Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines saluos fieri, sed eos tantum qui saluantur: omnes autem saluari quosque ipse saluare voluerit, ac per hoc quicumque non saluantur, penitus non esse voluntatis illius, vt saluentur: quoniam si non omnes saluantur, quos vult Deus saluos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit; & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est an-

A

bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum capitulorum auctorem nec annotatum inuenimus, nec cum multum quæsierimus inuenire valuimus. Vnde putauimus quia alicuius studio ad cuiusquam opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus. Vt de multis pauca commemoremus, veluti epistolis capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit, & sicut quidam æmuli de verbis B. Augustini adhuc in suauitate fecerunt, quæ ille argute & Catholice repulit, quantum ad illius notitiam exinde peruenit. Post eius etiam obitum, quidam inuidi capitulatim de eius opusculis scriptis, ex his etiam vnde nunc agitur, colligere curauerunt, vt illius doctrinam orthodoxam atque vtilissimam, ob personæ illius inuidiam vilifacere præualerent, & lectores deuotos ab illius lectione ac dilectione, & necessaria credulitate auerterent. Quæ videlicet æmulorum mendacia ex delegatione sanctæ sedis Romanæ per Cælestinum Papam sanctus Prosper Catholico & prudenti stilo falsa esse, & impudenter obiecta ostendit, & memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissime demonstrauit. Vnde & fieri potest,

B

vt ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis delata vel transmissa sunt, taliter in suggillatione nostra conscripta non fuerint, sed instigante diabolo inter cetera mala, quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta. qui charitatem vehementer in nobis & timet & inuidet, cum videt illam a nobis seruari hominibus terrenis in terra, quam ille seruare nolens Angelicum spiritum amisit in cælo. Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri in suc-

Matth. 18.

censorie eum adnihilationis despectu indicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continue præ-

Eccle. 11.

oculis & in vsu cotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaueris, corripe iuste. Sanctus enim Augustinus hæreticorum & reprehensorum suorum scripta, si in eis quiddam bene dictum inuenit, benignissime acceptauit, & plura ad rectos sensus interpretari elaborauit nulla autem de recto sensu ad prauum inclinare tentauit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum Euangelicam regulam, vel viua voce, vel scriptis suis inde interrogarent, vt vel volentes discere docerent: vel prauum sentientes, & ad tramitem veri-

C

tatis & fidei redire contemnentes fraterne & sæpius commonerent, & * auctoritates diuinas & sanctorum patrum scripta nobis pro-

al. auctoritatis diuinæ.

ponerent, & vt in vnum conueniremus nos cum mansuetudine & lenitate cunctarent? scientes quia Episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, vt aut discat, aut doceat. Litteras namque quorumdam eorum quidam nostrum benignitas & fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus, & nihil tale de eorum parte perspeximus, audiuimus, intelleximus, sensimus, vel perperam præualuimus. Si autem talia scripserunt, si forte illi scripserunt, vt suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, & plus de iactantia laudis appetitum quærerent, quam bona nostra & bene a nobis dicta, si forent, per charitatem sua facerent: si etiam secus à nobis dicta inuenerunt, plus illa publicare quam nos fraterne corrigere maluerunt. Miramur de tantis & talibus viris, Archiepiscopis & Episco-

Ebo Ebonis Rem. arch. nepos.

porum primoribus, maxime autem de Ebone, qui religiosus est vt audiuimus. quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione & habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ monasterio, vbi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religiose suam exegit ætatem, quousque a domino Ebone auunculo suo, tunc Remorum Archiepiscopo ibidem

D

diaconus consecratus, & Abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum & gubernandum, constitutione Episcopali est ordinatus: quem quia ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle discimus, vt illi & omnibus scri-

Ecclesiæ 10.

ptum est: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Spiritus enim potestatem habentis spiritus est superbiæ. locus autem noster humilitas est, quam a se vere locum

Matth. 11.

munitum & turris fortitudinis nos discere iubet: Discite a me, inquiens, quia mitis sum & humilis corde. Quamque pro loco tuto contra elationis ac iactantiæ spiritum præfatum religiosum virum obnixe tenere velle audiuimus & pro certo credimus, & idcirco discredimus ista capitula ab eo confecta: quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen tum Archiepiscopis est ibidem taliter, vt quibusdam videtur, expressum. Et quod quam maxime in hoc ipse collaborauerit: quasi è regione sit sensum, vt etiam eum Archiepiscopis maior cæteris, & doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino, qui in Conciliis Africanis scientia & labore ac vigilantia maior extitit, nequaquam inuenimus. Nam & ipse sanctus Augustinus non

E

solum se cæteris coepiscopis, priuatam gloriam quærens, non prætulit, nec præferri permisit: verum se aliis supposuit, cum ipse plus aliis laborauerit sicut in epistolis ad sanctum Innocentium Papam scriptis, & ad alios Apostolicæ sedis Præsules, qui legere voluerit, inuenire valebit. Nec de vllo Episcoporum in vllis conciliis taliter legimus nisi forte Apostolica litteræ propter euidentem causam aliquem coepiscoporum ad hoc negotium cum Archiepiscopo suo ex nomine designari decreuerint, sicut de Augustidunensi Episcopo in epistolis beati Gregorii legimus. Quanto magis iste religiosus, & vir cautus in huiusmodi se efficere noluisset, aut præferri despectis ac prætermissis cæteris coepiscopis, permisisset? Huc accedit, quia fratres nostri & consacerdotes surda aure non debuissent transire Salomonis dictum commonitorii, si ex nobis, aut auditu, aut scripto quiddam sinistri forte accepissent, vt propropere illud in publicum quacumque mobilitate nostra moti (vnde non sumus conscii) ad

Aug. ep. 90. 92. & 95.

contentiones & iurgia propalarent. Ait enim: Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum. Scimus tamen quia sunt nonnulli, qui dum plus sapere quam oportet sapere student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Vnde per se veritas admonet, dicens: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos, vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Vnde terribiliter Paulus admonet, dicens: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum. Præcipue autem nos eam seruare & persequi, id est, perfecte sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, & veritate contestante specialiter quasi præcipimur, vt si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quia frater noster habet aliquid aduersum nos, relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & tunc primum reconciliari fratri nostro, & tunc venientes offeramus munus nostrum. Ecce ductor & doctor noster à discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hic ergo perpendendum est, quantum sit malum discordia propter quod & illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos aduersus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt: sed credendum est, si illa scripsissent, ad nos contra quos illa scripserant, transmisissent. Nunc autem

Prou. 25.

Rom. 12.

Mar. 9.

Heb. 12.

Matth. 5.

G

illis quomodo rescribere possumus, cum verum illa scripserint ignoramus: Verumtamen ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis de cuius manu illa accepimus, corde, ore, & stilo non formidantes carpentium nos * derogationem, respondere curamus. Primo scimus inuenientes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc antea, alia fuisse conscripta reperiantur. Sed quia hæc in suggillationem nostram, & contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum iudicauimus ponere, quæ maiorum nominum, licet non auctoritatem, quia partem non veritatis, propter synodalem tamen præsentationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa quæ à pluribus, & per aliorum manum de pluribus ex his causis accepimus, propter quam necessitatem ex Catholicorum patrum, vt diximus, sensibus & verbis capitula illa quatuor reexcerpere procurauimus, ea conditione, vt de singulorum scriptis ex singulis sententiis, quæ in à nobis excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula à nobis excerpta de patrum sensibus & verbis, vt illa excerpsimus, ponere procurabimus & si diuinis & authenticis scripturis, & Catholica atque Apostolica Ecclesiæ sanctæque Romanæ sedis fidei, &

nis derogationi.

H

orthodoxorum patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, & qui ab eadem Apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, ac deuote studebimus: quia aliorum ad stipulandum nostra Catholica intelligentia sensum sententias recipere, nec proferre volumus, tum censtes illum esse verum atque Catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & vniuersalis Ecclesia duxerit approbandum. Et si qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei sinceritatem illorum sententias non recipimus, neque proferimus, nisi quorum sententias ipsa Catholica mater Ecclesia decreuit esse probabiles. Sin autem & aliqui emerserunt, qui doctrinalem cathedram tenuerunt, postquam ab eadem sancta sede canon sacrarum scripturarum, atque doctorum Catholicorum, fidelibus tenendus est datus, qui aliter senserunt, quam ipsi intellexerunt atque docuerunt, quos ipsa mater Catholica suo orthodoxo sinu recepit, amplectitur, atque fouet: quos nec debemus, nec necesse habemus, ad auctoritatem sententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in istis & per istos satis ad salutem habemus. Et si qui aliter

Dist. 15. c. Sancta Romana.

A *fidei vnitatem cooperante Domino reuocaremus. Sed quia par-*
tim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis sua-
sionibus minus quam necesse fuerat, obauditi, eos quos munere dispo-
suimus a sua intentione reuocare nequiuimus. Vnde quia sicut dicit
2. Timot 5. *Apostolus: Quorundam hominum peccata manifesta sunt, & quæ*
aliter se habent abscondi non possunt: adeo quorundam excreuit
dissensio, vt hæc dissonantia ad vestram perueniret notitiam, & sy-
nodali decreto pro zelo fidei, & vnanimitatis ambire, antequam
hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula Episcopali
diffinitione vobis de Catholicorum patrum dictis collegi, & singulo-
rum exigeretis manibus roborari. Postea vero & quorundam ex his
qui eisdem capitulis subscripserant, & aliorum etiam in tantum est
accumulata vecordia, vt necesse foret, & iussionis vestræ instantia,
& executionis nostræ obedientia, hinc eorum quos præmisimus scri-
ptis & propositionibus litterali officio respondere. Inter quæ & his
capitulis quæ nobis nuper dedistis, pro nostri ingenioli capacitate, sub
dubietate tamen, respondemus: quia non credidimus, vt fratres &
coëpiscopi nostri contra regulas Ecclesiasticas aduersum nos talia
B *debuissent conscribere præsertim cum non ignorent Dominicis insti-*
tutionibus & legibus sancto spiritu promulgatis præfinitum esse, qua-
Matth. 18. *liter si in sæpefatis capitulis fidei obloqueremur, nos compellere, &*
tunc synodali iudicio nos, nostrasque sententias à sua debuissent cō-
munione explodere. Nunc vero quia certi sumus, cui compositioni
debemus de sæpenominatis quæstionibus respondere, seruatis rela-
tionum absolutionibus contra eos, quibus à vestra dominatione, pro
imposito nobis ministerio, iussi sumus reddere rationem, contra hæc
Rom. 12. *tantum capitula, quantum ex nobis est cum omnibus pacem haben-*
tes, ex sanctarum scripturarum auctoritate, & Catholicorum pa-
trum sententiis simpliciter respondere curabimus, vt cui forte omnia
illa legere non licuerit, vel non libuerit, hic compendiosas pro tem-
pore capitulorum responsiones inueniat, quas feriatis horulis à di-
uersis occupationum distensionibus, qui cognitionum ferias non ha-
bemus, sicut de sententiis sanctorum patrum accepimus, ne torpere
vel inobedientia à vestra denotaremur Christiana deuotione, com-
mittere schedulis tumultuario sermone studuimus: quoniam in
præfatis relationibus, prouocati multiplicibus multiplicium illatio-
nibus, multipliciter multiplicibusque collationibus, non sine (sicut
C *scimus & confitemur) lectoris tædio, sensu, sed tamen Catholico, in*
tribus libris laciniosio sermone respondere satagimus. Sed in hoc ma-
xime benigno lectori nos satisfacere autumamus, quia singulorum
singulas semper ponentes sententias, singulariter ad obiecta & resi-
stentia fidei respondere studuimus, & vel in hoc solo deuotum quem-
que lectorem nobis conciliari confidimus, quia cum ex sua mente
nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit. Quis
vero sit istorum capitulorum compositor, cui quasi à nouo cogimur
respondere, ipse se prodet cum necessario vrgebitur ad lucem verita-
Gal. 6. Ioann. 3. *tis venire: quia operator tenebrosorum operum (inter quæ ab Apo-*
stolo & hæreses describuntur) odit lucem, & non venit ad lucem, vt
non arguantur opera eius. Omnis vero qui bona agit (inter quæ bo-
na ab Apostolo & fides connumeratur) venit ad lucem, vt manife-
stentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Sed & ille quicunque est,
si ad lucem venerit, & veritati ex corde consenserit, esse filius lucis
poterit. Si autem & pertinaciter contradixerit veritati, ipse in infi-
delitate sua & contentionis suæ vecordia hæretici sibi nomen impo-
net: quia non statim hæreticum, quod ignoranter à fide sentitur di-
uersum, si non fiat pertinaci contentione hæreticum.

D

De Synodo sex prouinciarum Galliæ apud Tre-
cas habita.

Cap. XVII.

ANno deniq; Dominicę incarnationis octingentesi-
mo sexagesimo septimo synodus prouinciarum
Remensium, Rothomagensium, Turonensium, Seno-
num, Burdegalensium, atque Bituricensium, apud Tre-
cas. Viij Kalendas Nouembris conuenit. Vbi quidam E-
piscopi, vt assolet, gratia regis Karoli Vulfado fauentes, q̄-
dam contra veritatem, & Canonum sacram auctoritatem
aduersus Hincmarum moliri cœperunt. Sed iisdem Hinc-
marus, eorum molitionibus canone & auctoritate ob-
uians, plurimorum sententia præualente, rerum gesta-
rum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu
epistola, scriptam per Actardum venerabilem Nanneté-
sē Episcopū Papæ Nicolo Episcopi, qui cōuenerāt trans-
miserunt. Cuius epistolæ tenor idem extitit, qui fuit in e- E
pistolis Hincmari Remorum Episcopi, quam per clericos
suos sub peregrinorum habitu, propter contrariorum vi-
tandas insidias, præcedente Iulio mense Romam miserat.
Epistolam autem in præscripta synodo factam, & Archie-
piscoporum qui conuenerant sigillis signatam, Actardus
perferendam suscipiens, cum quibusdam Episcopis ad Ka-
rolum, sicut ipse præceperat, rediit. Karolus autem, imme-
mor fidelitatis atq; laborum, quos pro eius honore & re-
gni obtentu sæpefatus Hincmarus per plures annos subie-
rat, eamdem epistolam ab Actardo sibi dari exegit, & Ar-
chiepiscoporum sigilla cōfringens, gesta synodi relegit, &
quia, sicut voluerat, in eadem synodo Hincmarus non ex-
titit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum Pa-
pam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam &
bulla sui nominis sigillauit, & cum epistola synodali
per ipsum Actardum Romam direxit. Præfati autem
Hincmari clerici in mense Augusto Romam venientes,
Nicolaum Papam iam valde infirmatum, & in conten- F
tione, quam contra Imperatores Græcorum Michaelem
& Basilium: sed & contra Orientales Episcopus habe-
bat, magnopere laborantem inuenerunt. Quapropter
vsque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati.
Nicolaus vero Papa grataoter suscipiens quæ Hincmarus
ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Nō extat hæc Nic. ep. ad Hincmar. Hæc est Nicol. ep 70.
Sed & alteram epistolam eidem & ceteris Archiepisco-
pis & Episcopis in regno Karoli constitutis transmisit, in-
notescens præfatus Græcorum imperatores, sed & Orien-
tales Episcopos calumniari sanctam Romanam Eccle- Nomen calumniæ & obiect. Græcorū
siam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina vtitur
lingua, quia ieiunamus in sabbatis, quod Spiritum san-
ctum ex patre filioque procedere dicimus, quia presby-
teros sortiri coniuges prohibemus, quoniam eosdem
presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhi-
bemus. dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua flu-
minis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos,
quod octo hebdomadibus ante Pascha à carnium, & G
septem hebdomadibus à casei & ouorum esu, more suo,
non cessamus. Dicentes etiam, quod in Pascha more
Iudæorum super altare pariter cum Dominico corpore
agnum benedicamus & offeramus: succensentes etiam
nos, quia clerici apud nos barbas suas radunt: & di-
centes quia Diaconus non suscepto presbyteratus officio
apud nos Episcopus ordinatur. De quibus omnibus
per singulas prouincias à Metropolitanis cum earum
cōepiscopis sibi rescribi præcepit, alloquens eumdem
Hincmarum in epistolæ fine hoc modo: *Tua*, inquit,
Hincmare caritas cum hanc epistolam legerit, mox vt etiam ad a-
lios Archiepiscopos, qui in regno filii nostri Karoli gloriosi regis con-
sistūt, deferatur, summopere agere studeat: & vt de his singuli in diœ-
cesibus propriis vnà cum suffraganeis suis in quibuscunque regno sint
constituti, conuenienter tractare, & nobis quæ repererint, suggere-
re curent, eos monere non negligas: ita vt eorum omnium quæ præ-
sentis epistola nostra circumstantia continet, tu & strenuus execu-
tor illic existas, & apud nos verax & prudens scriptorum tuorum
feriei relator inueniaris. Quam epistolā Hincmarus suscipiēs,
in Corbaniaco palatio consistenti regi Karolo cum pluri- Corbeny.
bus Episcopis relegit, & per alios Archiepiscopos, sicut in H
mandato acceperat, dirigere studuit. Nicolaus Papa Idib.
proxime præcedentis mensis Decembris obiit, cui Adria- Ad an ij Ludou. ij.
nus Papa electione clericorum, & consensu Ludowici
imperatoris in pontificatu successit: quem Actardus Ro-
mam veniens cum supra scriptis epistolis, in Apostolica
sede iam ordinatum inuenit.

Item de præfato Rege Karolo.

Cap. XVIII.

SCripsit prænominatus domnus Hincmarus ad eun-
dem regem Karolum libellum, ex sacris scripturis &
Catholicorum dictis collectum, in triformi digestio-
ne distinctum, scilicet de persona regis & regio ministerio
in causa reipublicæ, & quæ debeat esse discretio in mise-
ricordia; & de vltione specialium personarum, quem

conclu-

A conclusit in capitulis xxxiij. Scribit etiam ad præfatum regem instructionem vtilissimã, de cauendis vitijs & de exercendis virtutibus, mittens ei pariter epistolam beati Gregorij ad Recaredum Wisigothorum regem. Item scribit ad eumdem regem collectionem quandam multarum auctoritatum de Ecclesijs & Capellis, contra dispositionem Prudentij Trecassini Episcopi. Scribit etiam ad instructionem ipsius regis, de duodecim abusiuis, sanctorum in his colligens dicta patrum. & præteritorum constitutiones regum. Sed & de promissione sua eum admonẽs, quam verbo ac scripto, antequam rex consecraretur, primatibus & Episcopis fecerat. Scripsit quoque multas ad ipsum regem epistulas, vt qui eiusdem Archiepiscopi de multis requirebat consilium, & per eius prudentiæ suggestionem multa industrie disponebat. Quando etiam filius suus Karlomannus clericus aduersus eum consurrexit, & ipse rex ad Viennam contra Gerardum comitem, (quia se defecerat) profectus erat, huic Præsuli nostro litteras

B suas misit, mandans vt conuocaret Episcopos regni, ac laicos ipsi fideles: vt Episcopi secundum ministerium suum prohiberent Karlomanno, ne aliquod damnum in hoc regno faceret, & laïci resisterent illi, ne hoc facere posset. Qua de re Engilranno, Gossino, & Adelelmo Comitibus scripsit, quærens ab eis, immo consilium dans, quid super hac re foret illis agendum. Litteras quoque deprecatorias regi iam pro eodem Karlomanno direxerat, & pro pace inter ipsum & patrem eius laborabat: multa tamen mala, & deprædationes ab ipso, eiusque complicibus patiebatur. Accedens autem cum alijs fidelibus regis ad ipsius Karlomanni colloquium, obsides ei dedit, & accepit ab ipso, vt pax fieret in regno, & homines ipsius Karlomanni pacifice in regno consisterent. Et idem Karlomannus in villa sancti Medardi cum paucis pacifice maneret, donec missi regis venirent, & Karlomannus cum fidelibus regis ad patrem suum pergeret, & placitum cum eo faceret, vel sanus ad suos rediret. Susceptis autem missis regis, misit litteras ad Karlomannum, vt veniret eius ad collo-

C quium, auditurus ibi quid rex mandaret: vbi etiam fideles regis conuocauit, vt ibi quod rex mandaret de pace stabilire possent, agereque certarent. Quod & tunc quidem factum est. Sed rex eumdem filium suum cum suis postea excommunicari fecit ab Episcopis totius regni, pro malis quæ relinquere nolebat, insuper & comprehensum oculis priuari iussit. Domno vero Hincmaro rex idem nõ solum de rebus Ecclesiasticis, sed & de populo in hostem conuocando, vt ipse hoc ageret, mandare solabat: & ipse accepto regis mandato tam Episcopos quam Comites conuocare solitus erat.

Sup. cap. 5. Visio Ber. de Carolo Caluo qui abijt 877.

De hoc rege Karolo in visione Bernoldi rediuiui (de qua superius aliqua iam narrauimus) talia referuntur visa. Venit in quemdam locum tenebrosum, ad quem ex alia parte lux resplendebat de vicino loco satis lucidissimo, & pulcherrime florido ac odorifero: ibique iacere vidit hũc regem Karolum in luto ex sanie ipsius putredinis, & à vermibus edi, qui carnem ipsius omnem iam pene absumpserant, & non apparebat in corpore ipsius aliud, nisi nerui

D & ossa. Qui vocans hunc ex nomine, dixit: Quare me nõ adiuuas? Cui Respondit: Domine, quomodo vos possum adiuuare? & ille, Prende, ait, illam petram, quæ iuxta te est, & pone illam sub capite meo. Quo facto, dixit ad eumdem: Vade ad Hincmarum Episcopum, & dic ei, quia illius, & aliorum fidem meorum bona consilia non obaudiui, ideo ista quæ vides pro culpis meis sustineo: & dic illi quia semper in illo fiduciam habui, vt me adiuuet, quatenus de ista pœna sim liberatus: & per omnes qui mihi fuerunt fideles, ex mea parte postulet vt me adiuuent, quia si inde certamen habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Cumque interrogasset eum, quis locus esset vnde illa lux resplendebat, audiuit sanctorum esse requiẽ: conatusque propius accedere, vidit tantam claritatem, sensitque suauitatem, tantumque * decorem, quantum humana non potest edicere lingua. Viditque inibi multitudinem hominum diuersi ordinis in albis vestibus collætantium, & quædam sedalia lucida, in quibus nemo adhuc sedebat eorum quibus præparata erant. Et in illo itinere

*. dulcorẽ.

E ingressus est Ecclesiam quandam, in qua repperisse visum sibi est Hincmarum Episcopum, præparatum cum clericis reuestitis vt missam celebraret: dixitque illi hoc quod Karolus ei mandauerat. Statim regressus ad locum, vbi eumdem regem iacentem viderat, inuenit eum in loco lucido sanum corpore, & indutum regijs vestibus, dixitque illi: Vides quomodo me adiuuit tuus missaticus? & cetera. Quam visionem domnus Hincmarus sibi relatam describens, & per loca vbi necesse visum est exponens, ad multorum notitiam peruenire fecit, & tam per se quam per alios regis fideles sibi quoque subiectos, pro ipsius absolutione animæ, & adipiscenda requie, pie fideliterque laborauit.

Alia Hinc. man scri. pta ad Carol. calui.

Idem vero Præsul de multis regi necessarijs sæpissime Suggerebat. Inter quæ scribit ad eum pro electione Beluacensis Episcopi, post obitum Hildemanni Præsulis ipsius vrbis. In qua epistola regem studet à Simoniaca hæresi cõ-

F pescere: asserens sibi multo amabilius esse istum Episcopatum secundum sæculum dimittere, quam Episcopum contra canonicam institutionem non tam benedicere, quam æterna secum maledictione maledicere. Item pro cella vel monasterio Flauiacu, quod idem rex sibi, dum in ipsius ante Episcopatum moraretur seruitio, donauerat, & vt in vita sua illud teneret, præcepto confirmauerat: quodque à quodam inuasore destructum restruxerat, & religionem, prout valuit, in eo restaurauerat: quod postea rex idem conabatur iniuste à iure ipsius auferre. Item pro quodam refuga, qui quandam sanctimonialem sibi copulauerat, suggerens regi, vt eum comprehendi faceret, atque sua regia potestate separaret ab hoc crimine, quia ipse stuprator Episcopali iudicio renuerat obedire. Item pro causa * Rothadi Epi, quem rex ad causas suas vocauerat, & aduocatum dirigere præceperat, qui respon-

*al. Rothardi.

deret contra hominem quemdam ipsius Rothardi de beneficio ipsius, vnde inter eos causa versabatur: pro qua re subtiliter ac diligenter eumdem regem reprehendit, ab hac intentione, sacris auctoritatibus interpositis, reuocare gestiens. Item de missatico suo, quod executus est apud

G Lotharium imperatorem & Ludouicũ Transrhenensem, fratres ipsius Karoli, pro pacto pacis inter eosdem tres fratres componendo. Item aliam epistolam de eadem re: in qua eumdem Regem Karolum instruxit, qualiter agere erga fratres suos deberet, simulque de receptione vel reiectione eorum, de quibus ratio ventilabatur. Item de causa Lotharij imperatoris fratris ipsius, qualiter Romæ habebatur, & quando venturus esset in istas partes. Instruens etiam hunc regem, qualem se tam coram Deo, quam etiam coram hominibus exhibere deberet. Vnde reginam quoque admonet, vt regem ad honestam & regi congruam studeat exhortari conuersationem. Item de militaris rei dispositione, pro soluenda Beluacensis vrbis obsidione; in qua designare curauit, qualiter Ecclesiam sibi commissam tractaret: Ecclesiasticas scilicet actiones per monasteriorum præpositos, & Archipresbyteros: curam villarum ac dispositionis domus, regaliumque seruitiorum & hospitum, querelasque clamantium vel in-

H terpellantium, per fidelissimos laïcos. Item de itinere ad superiorem Franciam, qualiter disponatur, & quomodo regnum istud ordinatum dimittatur. Item de synodo quã præcipiebat rex conuocari infra parochiam Remensem. ostendens quibus ex causis conuocari debeat synodus: & de alijs quibusdam vtilibus rebus. Item de causa Hildauini abbatis defuncti. Item de causa Gerardi Comitis. Item de causa Ludouici regis Germaniæ fratris eiusdem Karoli. Item de causa Lotharij regis Italiæ, nepotis ipsius Karoli. Item de opera pontis, quem rex cum ipso ac cæteris nonnullis fidelibus suis faciebat ad Pistas in Sequana. Item de causa Hincmari nepotis sui, moutis Lauduni Episcopi, plures scribit epistolas: pro quo multum apud eumdem regem laborauit. Item de infirmitate sua, & de peregrinis quibusdam monachis suscipiendis. Item de rebus sancti Remigij sitis in prouincia Viennensi, vel Aquensi. Item de ordinationibus quorumdam Episcoporum, & nonnullarum Ecclesiarum. Item de itinere ipsius regis ad Italiam post mortem nepotis eius Imperatoris Ludouici: quomo-

A

do iter illud disponat, & quomodo regnum istud ordinatum dimittat. Item de quæstionibus cuiusdam Mancionis. Item de villa Nouiliaco, & rebus ad ipsam pertinentibus. Item pro literis Ludouici Regis fratris ipsius Karoli, quas illi pro visione, qua pater suus sibi apparuit, ei miserat: quarum exemplar transmisit eidem regi Karolo, cum exemplari epistolæ, quam pro hac re ipsi Ludouico direxerat. Item pro caussa Walratij defuncti, viri clarissimi & de imagine Saluatoris. Item pro causa Laudunensium, & ordinando eis Pontifice post deiectionem Hincmari. Item de eadem re. Item de passione S. Dionysij à Methodio Constantinopolitano Græce dictata, & ab Anastasio Romanæ sedis Bibliothecario latine conscripta, & de vita vel actibus beati Sanctini, & quid in his inuenerit de commemoratione sancti Dionysij. Item de villis sancti Remigij in Vosago, qualiter vsque ad id temporis sint habitæ. Pro diuersis quoq; rebus alijs diuersas ad eumdem dedit epistolas.

B

Quæ Ludouico eiusdem Karoli filio scripsit.

Cap. XIX.

Lud. Balb. 8. Decemb. 877. consecratus. Hæc ipsi 1. extat ons quas edidit R. P. Ioan. Busæus.

ITem ad Ludouicum regem filium huius Karoli, quem vnxerat & consecrauerat, de coniectu Normannis dando. Item de disponendis regni vtilitatibus, & ordinatione atq; consilio patris Imperatoris sequendo. Item post obitum eiusdem Imperatoris, de ordinandis regni sui principijs, proponens ei exempla prædecessorum suorum, & instruens eum per capitula de iusto regni regimine, & honore sanctæ Dei Ecclesiæ cæterisque sibi ac regno necessarijs rebus. Item de quibusdam præsumptoribus corrigẽdis, & temperanda censura correctionis, & alijs cõmoditatibus. Item ne quippiam contra Canonicas moliretur regulas, nec alicui hoc Episcoporum præciperet, ne sententiam diuinam incurreret. Item qualiter cõmonuerit ex præcepto regis ipsius Hugonem Lotharij regis filium, super malefactis quæ agebat, & de hominibus suis ad regem cum hostili apparatu dirigendis. Ad filios quoque ipsius defuncti Regis, Ludouicum & Karlomannum, pro electione canonica Ecclesiæ Toronacensi vel Nouiomensi obtinenda post obitum Ragenelini Episcopi. Item pro ipsa electione iam facta, quam indigne tulerant ab ipso Archiepiscopo fuisse dispositam. Item pro eadem re, ostendens qualiter in electione ipsorum consenserit, quando electi sunt ad regni principatum & quę ab eis pro hac electione mandata perceperit: & quale sit ministerium regale, & quale Pontificale, & qualis eligẽdus vel ordinandus sit Episcopus, & qualis vel qualiter non debeat ordinari, & vt diuinas auctoritates addiscere curent. Item pro eadem re, sacris demonstrans auctoritatibus, quam grauiter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tamdiu differre facerẽt, & de obiectis sibi à Gosleno super Ludouici regis patris eorum assensu. Quare Ansgardim vxorem abiectam eum recipere non coëgerit, & Adelaidim ab eo retineri non prohibuerit: & de litteris Ludouici regis ad eum pro filiorum suorum prouectione datis, & de mandatis istorum regum ad se indebite missis. Item ad hunc Ludouicum solum de cõsilio, à se petito, quale sit vtile Regi consilium, & qualiter debeat agere iudicium & iustitiam, & quid hæc boni conferant obseruata, quidve mali neglecta irrogare soleant, &c. Item ad regem Karlomannum adolescentem, & ad Episcopos, admonitionem de disponendo regali ministerio per capitula. Item aliam admonitionem ad eundem regem, similiter per capitula.

Hugo filius nothus Lothar.

C

Obijt Lud. Bald. 870. die 10. Apr.

D

De ijs quæ Ludouico fratri eiusdem Karoli scripsit.

Cap. XX.

Lud. rex Ger. frater Caroli Calui, patruus Lud. Balbi.

LVdouico regi Germaniæ, præfati Karoli regis nostri fratri, nonnulla quoque scripsisse reperitur. Ad petitionem ipsius regis, de quibusdam quæstionib. super quibus fuerat interrogatus ab ipso pro quodam Fulcrico, reddens ei rationem dignam, cur excommunicauerit ipsum, quem sub obtentu absoluit agendę pœnitentiæ. Item pro tuitione ac defensione rerum Remensis Ecclesiæ in Thoringis coniacentium. Item de peruasione regni fraterni, dignis & vtilissimis ei hoc dissuadens admonitionibus, ne id ad suam aggrediatur damnationem. Item aliam de hac eadem re cum cæteris regni huius Episcopis ad eumdem regem scribit epistolam, Episcopali moderatione refertam. Item semel ac secundo ad ipsum per se, de his quæ mandauerat ab eo fieri in aduentu suo Remis, vt non sicut disponebat, nec tali veniret tempore: quia incongruum esset, & animæ suæ inopportunum. Item ad eumdem qualiter de pace inter ipsum & fratrem eius Karolum stabilienda laborabat: referens ei gratiarum actiones pro filijs Ecclesiæ Remensis, qui in ipsius bene tractabantur regno: petens vt secure liceret illis suas, quas ibi habebant, tenere proprietates. Item de metallo quod ei transmisit ad faciendum signum: subiungensque de pace atque caritate seruanda, & voluntate Dei sequenda, vt illi mandat, admonitionem. Item pro rebus Ecclesiæ Remensis apud Thoringiam sitis. Item de reliquijs sanctorum Remensis Ecclesiæ, quas illi sicut petierat transmittebat, & de libro vitæ, virtutumque S. Remigij. Item de rebus S. Remigij sitis in Thoringia. Item de passionibus sanctorum, & de rebus suorum hominum, quas in illius regno habebant, vt de his nullum præiudicium sustinerent. Item scribit cum Remigio Lugdunensi, Arduico Vesontionensi, Erardo Turonensi, Adone Viennensi, Egilone Senonensi Archiepiscopis eidem Ludouico Regi, pro Bertulfo Treuerensi Archiepiscopo, reprehensibile ac periculosum demonstrans esse, quod actum ab eo compererat de hac Metropoli scilicet, & Treuerensi Ecclesia, vt eam inuadi, discindi ac depopulari à persuasore permitteret quodam monacho eiusdem Ecclesiæ: ostendens, quia licet regalis potestas præsideat humano generi dignitate, rerum Præsulibus tamen diuinarum deuote colla submittit, atque ab eis causas suæ salutis expetit, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi se debere cognoscit religionis ordine, potius quam præesse. Itaque inter hæc illorum se pendere iudicio, non illorum ad suam velle redigi voluntatem. *Proinde*, inquit, *sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit: ita regia potestati (quod absit) non mediocre periculum est, si tum debeat parere refugit, quod ei ex diuina voce à sacerdotibus nuntiatur: Domino dicente in Euangelio: Qui est ex Deo, verba Dei audit. Si autem vobis aliquis minus deuotus suggessit, quod in eadem Metropoli, in contemptu vestro, vel contra fidelitatem vestram, Metropolitanum Pontificem ordinari fecimus: quem potius consensu vnanimitatis nostræ ipsi secundum sacros canones ordinauimus, quia, vt scriptum est: Sicut Deus locis angustia non continetur, ita verbum eius non est alligatum: collaudante Redemptore ac Saluatore nostro, quod Centurio in hoc sensu dixerat: Dic verbo, & sanabitur puer meus: videlicet quod hic dixeris, illic fiet. Qui in discipulis suis hodieque nobis, licet indignis, loquitur: Spiritus patris vestri loquitur in vobis, qui replet orbem terrarum. Nolite credere, quæsumus, praua suadentes: quia pro certo sciatis, non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem Metropoli sede Pontificem ordinauimus: sed perpendentes (quod & vos melius scitis) quanta & per quanta tempora ipsa Ecclesia desolata & destituta sit, & quanta contra Dei voluntatem non solum in eadem parochia, sed & in tota prouincia ad eam pertinente, increuerint, cum nihil canonice sine Primate suffraganei Episcopi agere valeant, nihil quod ad propriam parochiam pertinet, ibid. commoditatem regularem inuenientes, canonice pontificem ordinauimus. Quod & secundum diuinas leges agere possent atq; deberent ipsius Metropolis suffraganei, si tanti numeri forent, vt per se regulariter possent ordinare Pontificem, qui non minus quam à tribus praualet regulariter ordinari.* Prosequitur etiam depromens auctoritates sanctorum patrũ, quibus fulti hoc egerant. Et subinde. *Et quia tot in eadẽ prouincia suffraganei non erant Episcopi, vt Metropolitanum regulariter ordinare valerent: quoniam Ecclesia Remensis & Treuerensis comprouinciales atque sorores & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione vt qui prior earum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, & si mutuo consilio & auxilio foueantur, atque fulciantur. Treuerensis prouinciæ Epi-*

E

F

De hac ep. supra lib. 1. c. 5.

G

Ioan. 8.

2. Tim. 2.

Matth. 8.

Ibid. 10.

Sap. 1.

H

A *scopis Primato prouinciæ remorum suffragium sua ordinationis, secundum sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardacenses canones*
Conc. Sard. c. 6. *dicunt: scilicet vt si contigerit in vna prouincia, in qua plurimi fuerunt Episcopi, vnum forte remanere Episcopum, & populi conuenerint, Episcopos vicinæ prouinciæ debere illum prius conuenire Episcopum, qui in eadem prouincia moratur, & ostendere quod populi petant sibi rectorem, & hoc iustum esse, vt & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conuentus litteris tacuerit, & dissimulauerit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, vt veniant ex vicina prouincia Episcopi, & ordinent Episcopum.] Ex quibus rite colligitur, quia si prouincia Treuerensis non nisi vnum vel nullum haberet Episcopum, Episcopi Remensis prouinciæ, petente clero & populo Treuerensis Ecclesiæ, deberent ordinare Episcopum. Cui Ecclesiæ omnes, quorum nomina præscripta in capite huius epistolæ legit gloria vestra, vnanimi voto atque consensu fratrem & consacerdotem nostrum Bertulfum, vt præmisimus, regulariter pontificem ordinauimus, sicut ex sacris regulis, & ordinationis eius gestis ostendere possumus, & si necesse fuerit, ostendemus. Quapropter ipsius ordinationem, & dispositionem*
B *rerum ac facultatum Ecclesiasticarum, sicut sacra præfigunt canones, ita defendimus, & perpetuo defendemus: sicut & ordinem nostrum: quia si ipse non est Episcopus, nec nos debemus nominari Episcopi. Et si quis voluerit contra ordinationem eius sinistri quippiam dicere, exeat & dicat: verumtamen memor communionis suæ, quia aut ipse non communicabit Ecclesiastico & Episcopali ordini, aut nos non communicabimus ministerio Episcopali. Vnde*
Leo ep. 24. *verbis beati Leonis Theodosium Augustum quondam alloquentis, vos Christianissimos & venerabiles nobisque carissime rex, cum consacerdotibus nostris alloquimur: implentes reuerentiam clementiæ vestræ synceri amoris officio, cupientesque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis à nobis, & ab Ecclesiis nobis commissis supplicatur, ne ante tribunal Domini reus de silentio iudicemur, obsecramus coram vnius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ talis facto læditur, cum ipsa vester sit custos & auctor regni, & coram sanctis Angelis Christi, vt in eo statu atque immunitate seu priuilegia cum suo pontifice Treuerensem Ecclesiam esse iubeatis atque conseruetis, quo vestri progenitores atque prædecessores: sed & in quo frater ac nepos*
C *vester Lotharius, pater scilicet ac filius, canonice conseruarunt, quatenus & vos meritum inde apud Deum, & Beatum Apostolorum principem Petrum, in cuius honore Ecclesia ipsa est consecrata, habeatis; & nos amplius debitores in orationibus & cætera debita obsequijs acquiratis. Quia nisi pro vestra reuerentia hoc differamus,*
Iuxta can. 7 & 18. *iam in peruasorem ipsius Ecclesiæ iudicium in terris exertum haberemus, quod DCXXX. Episcopi in magna Chalcedonensi synodo de huiusmodi decreuerunt, & de cælo super eum mitterent, & in iudicio diuino ad æternam damnationem exerent, nisi dignam pœnitentiam egerit.* & cætera de auctoritatibus sacrorum canonum. Post quæ subiungunt: *Vnde vestra religiosa & nobis carissima dominatio certissime sciat, quia quamdiu iste frater noster Bertulfus à nobis in Treuerensi Ecclesia ordinatus Episcopus in hoc mortali corpore vixerit, alter in eadem Ecclesia ordinatus Episcopus non erit: nisi forte ipse, quod absit, sacris regulis obuians, per easdem sacras regulas deponatur. Et isdem præsumptor & Apostata monachus VValto de monasterio Treuerensis parochiæ nunquam, iam iudicio Spiritus sancti super eum prolato, in Treuerensi Ecclesia, quam extitabiliter vsurpauit & læsit, poterit esse Episcopus. Et si,*
D *vt diximus, pro vestra reuerentia hoc non differemus, non solum per sacros canones decerneremus, vt nunquam & vsquam ad gradus Ecclesiasticos præsumeret accedere: verum sub anathemate eum ponentes, retrudi in ergastulo, secundum sacras regulas, decerneremus: & si in contumacia sua persisteret, sine vlla retractatione modis omnibus decerneremus. A præfatis autem intentationibus sacro-*
Pro. 8. *rum canonum vos immunem atque exortem à Domino, per quem reges regnant, & ex quo & per quem exordium sacer cæpit Episcopatus, fieri totis nisibus exoramus, illius clementiam deprecantes, vt*
Philip. 2. *det vobis velle & perficere pro bona voluntate quæ præcipit: quatenus mereamini percipere æterna gaudia, quæ se diligentibus repromittit.* Item respondens ad litteras, quas idem rex ei transmiserat, rogans vt tam per se quam quoscunque poterat, orationes ageret pro genitore ipsius regis, qui apparuerat ei in visione, obsecrans, vt pœnis eriperet eum quibus detinebatur. Vnde & satis vtilem ad eum rescribit epistolam de modo & qualitate orationis, auctoritatibus plenam. Item pro rebus sancti Remigij sitis in Vosago, & alia plura. Ad filium quoque ipsius, æquiuocum eius, scribit pro villa Deduciaco, significans qualiter sanctus Clodoaldus eam sancto Remigio dederit, & quomodo Karolus Pippini regis filius eamdem villam apud Tilpinum Archiepiscopum obtinuerit in præstariam, ea conditione, vt capellas ad ipsam pertinentes cum nonis & decimis Episcopus Remorum retineret, & rex duodecim libras argenti in luminaribus Ecclesiæ daret, & quod hunc censum tam ipse rex, quam successores eius persoluerint, & quod ipse quoque à patre illius eumdem censum de præfata villa receperit. Sed & de villa Nouihaca, quomodo à Karlomanno data fuerat sancto Remigio, & quid postea de ipsa fuerit actum. Item ad eumdem de consilio diuinarum scripturarum quærendo & obseruando, & de consiliarijs inconsideratis, cæterisque rebus qualiter istud regnum habebatur, & ne illud inuadere præsumeret. Item pro saluanda ciuitate Remensi, & parcendo sacris locis, si
E
vellet. Item qualiter egerint Episcopi erga Ludouicum filium Karoli, quando eum regem consecrauerunt, quia iste aliter audierat. Item de duabus vxoribus ipsius Ludouici filij Karoli, qualiter actum fuerit, & cætera.
F

Scribit & Pipino regi Aquitanico, pro rebus Ecclesiæ suæ in pagis Aruernico, Lemouico & pictauico sitis, pro quibus etiam litteras Karoli regis ad eumdem Pippinum mitti obtinuit, quas res Frigidolomi viro illustri tuitandas commisit. Karolo quoque Ludouici Transrhenensis filio, collaudans fidei benignitatem, quam conseruabat erga filios sobrini sui Ludouici Karlomannum & Ludouicum, obsecrans eum pro Ecclesiæ Dei honore ac regni huius statu & defensione, atque vt præfatis pueris regijs constitueret prudentes, iustosque pædagogos, qui eos docerent Dei famulos honorare, & mandata Dei seruare, temetipsos regere, regnique gubernacula rite tractare. Item pro causa Sigeberti fidelis sui. Item Lothario regi, filio Imperatoris Lotharij, pro villa Deduciaco, quam pater eius reddiderat Ecclesiæ Remensi, ne res ad ipsam pertinentes aliquibus personis, sicut eum facere audiebat, in proprietatem periculo suo traderet, vel colonos ipsius villæ absolueret; si quid autem tale à se factum fuisset, emendare curaret. Item pro eiusdem villæ male tractata dispositione, & censu, quem cum periculo animæ eum retinere fatetur, intimans quod sanctus Clodoaldus eamdem sancto Remigio dederit, admonens ne hoc inde ageret, vnde condamnationem animæ adquireret. Item pro electione Episcopi Ecclesiæ concedenda Cameracensi. Item de vtilitate animæ, regnique ipsius honore: in qua commemorat, qualiter pater ipsius Lotharius Augustus ei se ipsum, suamque commendauerat animam.
Carol. Crass. Hæc 3 inter se aliqua. G

De his quæ quibusdam Archiepiscopis vel Episcopis scripsit.

Cap. XXI.

Diversis etiam tam Episcopis, quam Archiepiscopis multimoda & vtillima dedit scripta. Hetti Treuirorum Archiepiscopo scribit ordinationis suæ primordia, offerens se socium & obsecutorem in Ecclesiasticis negotijs ipsius paternitati. Item de eadem re, petens se ab eo instrui, & pro filio haberi: significans etiam de itinere suo, quo se Romam petere disponebat. Item de Gondrico, quem excommunicauerat ille, & de Fulcrico à se excommunicato, qui refugium in Treuerensi habere videbatur Episcopatu. Gvntbaldo Archiepiscopo scribit pro quodam presbytero, de iure Ecclesiastico conseruando. Item pro his quæ in synodo gesta fuerant. Amolo Lugdunensi, de placito quod habuerat cum rege regnique primoribus, & de Iudæorum in hoc regno statu. Item de synodo à tribus regibus condicta, & de Ebone prædecessore ipsius, & alijs nonnullis, in qua eum carissimum & vnanimem sibi patrem se habere significat. Item de Lothario rege, & alijs quibusdam rebus, in qua se filium dilectionis ipsius appellat. Item de Gothescalci vita vel conuersatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione, rei veritatem exponens. Rabano Moguntiæ præsuli, super eiusdem Gothescalci (quem idem Pontifex à
H
Gunth. Rothoma.

paro-

quam in synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit : & quid ipse contra doctrinam eius sentiat damnationemque ipsius, quæve contra eumdem scripsetit, huic discutienda direxit, quærens etiam qualiter de Trinitatis fide ac prædestinatione diuersorum patrū sint intelligendæ sententiæ : in qua epistola asserit hunc beatum HRabanum solum tunc temporis de discipulatu beati Alcuini relictum. LANDRAMNO Archiepiscopo, de consilio, quod ab eo petierat pro monasterio puellarum, quod rex dari præcipiebat inconuenienti personæ, quid inde sibi foret agendum; vtiliter admonens, vt ministerij sibi commissi sollicitudinem feruentius gerat.

B

TEVTGAVDIO Treuerensi, de primatu quem deferri ab eo debere scripserat ille sedi Treuirorum, insinuans id eidem sedi à sede Remorum nunquam fuisse delatum, &c. Item secundo ac tertio de causa Fulcrici excommunicati. Item pro rebus Ecclesiæ Treuerensis in Aquitania sitis, pro quibus idem domnus Hincmarus satis egerat apud Arnoldum quemdam Aquitanum; qui eas tenebat, vt ipsas Ecclesiæ Treuerensi restitueret, quod & se obtinuisse significat.

Amal. Turon.

AMALRICO religioso Archiepiscopo, compatiens tribulationibus ipsius, & consolans patientiam, atque congaudens sanctitati eius : quem cariorem inter caros se delegisse significat, mittens ei quædam pretiosa ornamenta, casulam scilicet diaprasinam, quam habebat vnicam; & alia manuscula cum solidis centum. Item scribit eidem pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitania sitis, quas ei rex restitui iubet, quasque tractandas eidem Amalrico fiducialiter committit. ROTHLANDO Archiepiscopo, pro rebus sancti Remigij consiacentibus in Prouincia, & pro quodam presbytero in synodo excommunicato, & altero in loco ipsius ordinato.

C

RODVLFO Biturigensi, pro rebus Remensis Ecclesiæ in pago Lemouico consiacentibus. Item pro quibusdam excommunicatis. GVNTARIO Coloniensi, vt intercedat apud Lotharium regem, & satagat pro electione canonica Camaracensis Episcopi post decessum Theoderici venerandi Præsulis. Item secundo, vel tertio pro hac eadem re, affirmans non nisi regulariter in diebus suis illic Episcopum ordinandum

t j. Luidb.

* LVITBARTO Maguntino, pro rebus sancti Remigij sitis in Vosago, significans qualiter quidam Gibero pro earum rerum peruasione sensum perdiderit, & per integrum mensem sine intermissione vexatus, cum dolore & periculo maximo vitam finierit. Item pro tuitione rerum præscriptarum, & earum familiæ defensione, vel gubernatione sæpe scribit. Item de collocutione sua quam, habuit apud Trecas cum Iohanne Papa, & quid boni cum eo locutus fuerit de ipso, exhortans vt litteras & missum Papæ benigne suscipiat, & ad eum venire studeat. Item de quodā transgressore presbytero.

Vosgc.

D

SCRIBIT idem venerabilis Hincmarus & ad Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta vxore propria, cuidam fœminæ copulauerat: dans ei consilium, & admonēs, vt eam à præsentia sua omnimodis remoueret, significans se domni Adriani Papæ Litteras & mandata super hac re suscepisse : & vt idem rex in hac causa ipsius Papæ præcepta conseruet, suggerere curat. Item aliam epistolam de hominibus pacem recipere nolentibus, quid inde fieri debeat : collaudans quod de quibusdam talibus regale iam ministerium exercuerit.

Est ep. 13. Adriani. 9

SCRIPSIT & Apologeticum contra obtrectatores suos, qui calumniabātur eum diuersis detractionum appetitionibus, scilicet apud Papam Iohannem, quod nollet auctoritatem recipere decretorum pontificum sedis Romanæ, † ad quæ & tunc in synodo Trecassina, & postea in hoc Apologetico respondit, refellens hos conuiciatores suos, & se decretalia Pontificum Romanorum à sanctis concilijs recepta & approbata recipere & sequi discrete, prout sunt sequenda, depromens.

Ioan. viij.

rest pro atque.
Syn. Trecas. an. 878.

tione Papæ ipsius ordinationis. Item de Karlomanno, & alijs quibusdam rebus, de quibus eum veritas excusabilem reddidit. Quibusdam quoque calumniantibus, licet respondere posset, asserit se noluisse, ne conuitijs * conuitia viderentur reddidisse, gloriosius esse ducens, eosdem tacendo fugere, quam respondendo superare, ne suam gloriam quæsisse putaretur. SCRIPSIT etiam quædam ad Adrianum Papam, qui Romanus Pontifex nonnulla ei dirigere se scripta commemorat. Cui etiam mittens epistolam suam per Actardum Nannetensem Episcopum laudibus plenam; delegauit, vt eius vice in istis partibus super Lotharij causa fungeretur, quatenus quod inde Nicolaus Papa decreuerat seruaretur. RESPONDIT etiam ad capitula quædam, regni Francorum Episcopis à Iohanne Papa transmissa, de priuilegijs sedium per capitula VII. quoniam idem Papa nisus fuerat Ansegisum Senensem Episcopum primatem constituere, vt Apostolica vice per Gallias & Germanias † frueretur. Cui conatui venerabilis hic Præsul Hincmarus efficaciter obstitit. SCRIPSIT denique ad diuersos Episcopos idem domnus Hincmarus plurima. REMIGIO Archipræsuli, pro rebus sancti Remigij in prouincia Cisalpina consiacentibus, quas idem committens, petit vt easdem in sua tuitione suscipiat. Item pro ordinatione Isaac Lingonensis Episcopi. Item de * constitutione synodica propter Ecclesiasticarum rerum peruasores, & alia. Item de causa præfati Lotharij regis, & de prædictis rebus eidem nonnulla scripta direxit. Item ad eumdem Remigium, & cæteros Episcopos, domni Papæ Nicolai auctoritate, in synodum apud Suessionem venire iussos, pro causa Vulfadi & collegarum eius. ADONI Viennensi Archiepiscopo scribit inter cætera, pro epistola beati Auiti ad sanctum Remigium scripta, quam quidam Rotfridus monachus ei dixerat se apud eumdem Adonem legisse. Sed & si qua præterea de sancto Remigio reperire valeret, ei super aurum & topazion pretiosa & amabilia mitteret. HERARDO Turonensium Antistiti, de quibusdam apostatis ad Ecclesiam redeuntibus, & alijs pœnitentibus suscipiendis. Item de alijs quibusdam rebus, vt amico carissimo, qui eadem Præsuli nostro ad ipsum veniens fraterna se dilectione commiserat, petens vt vbicumque posset regiæ dominationi pro Ecclesia illius suggereret. Obitu quoque suo propinquante litteras ad eum ipse dictauit, & ei qui domno Hincmaro de obitu illius nuntiaturus erat; easdem litteras ipsi deferendas dedit. Sed & missi Turonensis Ecclesiæ hac fiducia fulti, post obitum huius sui Archiepiscopi, ad eumdem dominum Hincmarum venerunt. Cleri quoque ac plebis petitionem ad ipsum deferentes, vt regiam celsitudinem pro eis deprecaretur, quatenus electionem canonicam rex ipsius concederet. Quod & idem Pontifex promptissime peregit. Intimans etiam regi de quodam clerico, qui se ingerebat, non recipiendo, significat quod Episcopi eiusdem prouinciæ, clerus quoque & plebs ipsius Ecclesiæ, inuitati auctoritate Apostolicæ sedis, Actardum sibi velint donari Episcopum, qui in eadem Ecclesia baptizatus, nutritus & ordinatus fuerat, licet aliæ ciuitati datus Episcopus, sed paganorum infestatione depulsus, & pallio fuerat à sede Apostolica honoratus, vteriam si locus de Metropoli aduenirer, ibi incardinaretur. Datque insuper regi consilium, quid clero, quid laïcis agere sit interim præcipiendum : quid de rebus quas ex beneficio regis habebat fecerit, intimās: quid ex his, quas reliquerat regi placeat, requirens. De quibusdam quoque libris sancti Augustini, quos sibi ab eodem remitti petierat, & de obiectionibus Græcorum, super quibus Nicolaus Papa eidem mandauerat, & alia quædam. BERTVLFO Treuirensi Archiepiscopo, instruens eum de ordinanda & gubernanda diœcesi vel

A rit. PARDVLO Laudunensi Episcopo scribit pro transitu domni Ebonis antecessoris sui, vt illi sacerdotalis benignitas plenis caritate votis debeat exhiberi. Item de reconciliatione Ludonis inconuenienti, quod non potuerit ad eam peragendam adulationibus, vel exprobrationibus hominum insipientium deflecti: corroborans eum ad rectitudinem Episcopalem diuinarum testimonijs scripturarum, vt per auctoritatis gradiatur viam, & quid ei de præfato sit agendum Ludone significans. Item pro eadem re. Item de recognitione, humiliatione, & absolutione Fulcrici. Item de absolutione cuiusdam, requirens ipsius consilium. Item de ieiunio à regina mandato. Item de infirmitate & humiliatione Rothadi Suessonici, & de consilio quod ei dederat, vt illud in eo corroboret, & ad obsequendum prudenter exhortetur. Item pro auro, quod ei mittebat, per eum reginæ offerendo ad componendum quoddam Dei genitricis ornamentum. Item de opusculo Ferculi Salomonis à se composito, quod ei legerat, rogitãs quid sibi videatur de illo. Item pro Ecclesia Morini vacãte pastore, vt inde cum rege loquatur, qualiter ipsa electio rite peragatur, & pro libris S. Ambrosij de fide sibi mittendis. IRMANFRIDO Beluacensi, pro electione pastoris Ecclesiæ Ambianensis, canonice consecrandi, post obitum Ragenarij præsulis. Item pro gubernanda prudenter Ecclesiæ naui, quæ in hoc naufragoso sæculi mari inter intestina concutiebatur bella. EBONI Episcopo Ecclesiæ Remensis alumno, pro quodam fratre ab hac Ecclesia fuga lapso, & apud ipsum commorante, vt quantocius illum diligenti cura remittere studeat. Item pro ordinatione Isaac in Episcopatu Lingonensi, vt exhortetur Remigium Archiepiscopum ad eamdem ordinationem peragendam. THEODORICO Cameracẽsi, pro quodam Hectone Lotharij regis vassallo, cui communi consensu pœnitentiam iniunxerant: qui se absolutum à præfato Theoderico fuisse fatebatur: & pro quodam presbytero, quem idem Theodericus excommunicauerat, pro quo Papa Romanus domno Hincmaro litteras miserat, quas ipse eidem Theoderico mittebat. Item pro præfati * Hectonis absolutione. Item pro rebus Remensis Ecclesiæ, quas sibi per præstariam Theodericus Episcopus delegari petebat. Item pro ordinatione Hunfridi in Episcopatu Morini. Item pro ordinatione Ercamrai post decessum Lupi Catalaunensis Episcopi. Item de aduentu Lodouici Transrhenensis, quia Remis venerit, & quid egerit, quidve sibi præceperit. Item pro Balduino, qui viduam Iudith filiam regis Karoli furatus fuerat, vt sciat eum à se sub anathemate positum, & id per suam denunciet parochiam. Item pro quodam, qui quandam, quidam fœminam in concubinatu accipere persuasus fuerat à patre ipsius puellæ. FOLCVINO Morinensi, pro quodam presbytero ipsius ordinato, qui clamabat iniuriam se pati ab Immone Præsule, petitque simul reliquias sanctorum in Morinensi parochia quiescentium sibi mitti, quia in cõsecratione Ecclesiæ Dei genitricis altare ab ipso Folcuino consecrandum, & ex ipsius parochiæ reliquijs honorandum præparabat. RAINNERO Episcopo pro quodam presbytero, quem Notho Archiepiscopus Arelatensis, ei litteris indicauerat abiectum canonice, & excommunicatum à synodo, altero presbytero in eius loco constituto. AGIO Episcopo pro rebus Ecclesiæ Remensis in Aquitania coniacentibus. AARONI Antisiodorensi, pro Heriboldo præsule defuncto, qui cuidam fratri apparens, admonuit de eleemosyna & orationibus atque oblationibus pro se offerendis. ÆNEAE Parisiorũ, pro Rothado Suessonico, de quo quædam inconuenientia apud Regem ventilata fuerant, & rex eumdem Æneam cum Immone Nouiomagensi ad hæc discutienda dirigebat. * ALMARICO Cumensis Ecclesiæ præsuli, pro Egilberto diacono monasterij sancti Remigij monacho, quem eidem Episcopo id petenti ad ordinandum & regendum committit.

De hoc supra c. 15. B

C * al. Hectonis.

D

* Agio Aurel.

* al. Almarico.

Quæ instrumenta vitæ vel redargutione: Hincmaro nepoti suo scripserit.

CAP. XXII.

E HINCMARO nepoti suo Laudunensi Episcopo, in ordinationis ipsius initio, instruens & edocens eum, qualiter iuxta canonicam auctoritatem commissam sibi tractare deberet Ecclesiam. Item admonens, vt prouideat ne conspirationes inter sibi subiectos adoleret: sed & si exortæ fuisset, mox rationis moderatione succiderentur, aut sibi si necesse foret hæc intimare curaret, & quando synodum debeat celebrare. Pro quo valde laborauit, multaq; illi scribit, reprehendẽs eum, & castigans de leuitate morum & actuum suorum, admonensque vt ad cor suum redeat, & Deum tota intentione precari studeat, vt eum respiciat, & intelligere sibi atque corrigere peruersitatem suam donet, quia videlicet nimis sibi sapiens esse videbatur, & pertinax in contentionibus, & contra leges Ecclesiasticas ad suæ voluntatis intentionem flectere nitebatur, & melius eas se putabat intelligere, quam seniores natu. F Pro quo in tantum laborauit, vt etiam senioris sui regis offensionem incurrisse se dicat: illum vero impudenti fronte, erectaque ceruice, trementibus labiis, & inflammatis verbis petitionem & humilitatem suam respuentem coram multis sustinuerit. Corripitque eum, quia nunquam se recognoscere de aliqua culpa, sed semper se defendere parabat: de habitu quoque, incessu, risu, iuramentis, impatienti locutione, ira præcipiti, & alijs multis. Item quia contra sanctarum scripturarum tramitem causa suæ iniuriæ in parochiæ suæ gubernatione excesserat, vt hæc corrigere studeat, admonens eum qualem se debeat exhibere verbis Apostoli ad Timotheum. Item de quodam sacrilegio, & à se pro sceleribus excommunicato, quod illi res Ecclesiasticas ad turpis lucri premium dederit. Item pro Hadulfo quodam ipsius clerico petens, quem idem Hincmarus excommunicauerat. Item de epistola Papæ Adriani ad quosdam Episcopos petens dirigenda. Item pro dispositione quorundam parochiæ suo Ecclesiasticarum rerum, vt inde vel ad prouincialem expectaret synodum. Item pro excommunicatione Karlomanni, vnde obedire ipsi nolebat, eum sæpe commonens, vt contumaciam suæ mentis deponeret, & ad obaudiendum sibi, sicut iam coram multis testibus professus fuerat in synodo atque subscripserat, se inclinaret. Item pro * Berthario diacono, quem * Metropolitanæ atque comprouincialis synodi iudicium appellantem indebite sub custodia detinebat. Vnde promens ei quod ita in eum agere non debuisset, præcepit illi auctoritate sacrorum canonum & sua, vt eumdem diaconum, vel si qui fuissent alij clericorum iudicium regulare proclamantes ab ipso detenti, ad suum ac cæterorum Episcoporum iudicium libere venire permitteret, & ipse eidem se iudicio præsentaret. Item conuocans eum ad synodum, vbi Adriani Papæ mandata tractanda erant. Scribit ad eum præterea multa. Nouissime voluminis seriem, rememorans in eo, ad mentis eius oculos reuocans qualiter illũ orphanum dulci dilectione sub religione nutrierit, litteris erudierit, per singulos gradus Ecclesiasticos vsque ad Episcopatus apicem prouexerit: *Nunc*, inquit, *retribuendam mihi mala pro bonis, & odio me habentem gratis, quoniam non sancte tuis infructuosis operibus. quandiu te patiar, multis à te afflictus iniurijs? Etenim ab ipsa die ordinationis tuæ tam verbis quam scriptis, & inordinatis actibus ac motib. tuis frequentibus adeo sum grauatus, lacerationibus atque contusionibus, vt tædeat me vitæ meæ: quia sic pro loco mei officio tua insolentia sum connexus, vt non solum post primam & secundam correctionem, iuxta Apostolum, verum nec post plurimas priuatim, & coram communibus familiaribus nostris, sed & coram rege, & Episcopis, ac plurimis alijs, verbis & scriptis commonitionem, te valeam deuitare. Et licet exoptem, vt darentur mihi pennæ sicut columbæ, & auolarem ac requiescerem à te elongatus in aliquam solitudinem, non possum quoquam effugere, vt aut tua pertinacia contumacis præsentia, aut missorum tuorum durilogijs, aut scripturarum tuarum derogationi-*

G

* Berthario.

* al. Metropolitani.

H

Psalm. 34. Ioan. 15.

Tit. 3.

Psalm. 45.

A

bus & inutilibus namque, quin potius tragœdijs, aut talibus quæ non conueniunt Episcopo, de te auditionibus non affligar: & iam tandem putam repigere talia exequi, cum ecce nunc Idibus Nouembris quarta Indictionis prolixissimam rotulam, mendacijs & irrationabilitatibus ac improperijs contra veritatem & auctoritatem repletam mihi misisti.

Ier. 6. & 8.

Et miror cur sic exfrons factus, vt de Iudæa Dominus queritur, nescis erubescere, & tibi non est nausea talia & tanta scribere, nisi quia tuam vtilitatibus non es intentus, neque in necessarijs occupatus: & vt de alijs taceam, quasi ex ordine voluero replicare, antea deficiet lux diurna, quam legenda exinde deficiat pagina, replicabo tibi aliqua, quæ non valeo nec debeo silentio præterire. Videlicet quia statim vt à paterna nido educationis factus Episcopus euolasti, & me & eos qui te nutrierunt deseruisti, & sæculares amicitias atque familiaritates quæsisti, & acquisisti, & sic subinde alios & alios deserens & acquirens, non solum de comparibus, sed etiam & de tibi commissis, ad hoc emersisti, vt contra sacras Antiochenas regulas, præcipientes, vt præter me agere nihil debeas, secundum antiquam patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionesque subiectas sine mea vel coepiscoporum nostrorum conscientia administrationem in palatio domini regis obtinueris, quam administrationem tibi coram eodem domino rege, & alijs qui affuerunt ex sacris regulis interdixi, & aliquamdiu ab eadem administratione cessasti. Postea autem per exteras, id est sæculares potestates contra Sardicenses canones eamdem administrationem cum Abbatia in tertia prouincia vltra Remensem prouinciam sine mea conscientia obtinuisti. Ad quam Abbatiam sine mea licentia quotiens tibi placuit, perrexisti, & quamdiu tibi placuit ibidem fuisti immoratus, contra Hilarij Papæ decreta dicentis: Illud non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum litteras aliqui Episcopi ad quamlibet prouinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officij clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri.] Et sic antea Zosimus, & postea sanctus Gregorius decreuerunt. Propterea quoque semel ac secundo litteris canonicis euocatus ad ordinationem Episcopi in Ecclesia Cameracensi prouinciæ nostræ pastore destituta, vnde Apostolica sedes me suggerente non modice laborauit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personam, vel litteras tui consensus, vt regulæ sacræ præcipiunt, ad me direxisti. Vnde Symmachus Papa ad Eonium ex sacris regulis promulgauit: vt si quilibet Episcopus Metropolitano pontifici iuxta canonicam diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, nouerit succidendum se (quod non optamus) Ecclesiastica disciplina. Sed & hinc à me conuentus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum mihi ac coepiscopis nostris exhibuisti. Post hæc more tuæ instabilitatis ac inconstantiæ contra dominum regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti: vt & administrationem palatinam, & ipsam Abbatiam tibi auferret, & à te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret. Vnde & scriptis & verbis pro te satagens illum tibi reconciliaui. Indeque sicut sciunt plurimi, contra illum te iterum erexisti, & mandata sua, vt ad eum venires, contemnens adeo illum ad iracundiam prouocasti, sicut omnes in istis regionibus sciunt, vt coactus te per fideles suos sicut infidelem appeteret. Tu autem ante inauditam excommunicationem meam, & multorum Archiepiscoporum & Episcoporum parochianos, sed & in ipsum regem sine mea conscientia contra sacras regulas iaculasti. Vnde multos scandalizasti, & maximum scandalum non solum Ecclesiæ, sed & regi ac regno intulisti, cum lex prohibeat, vt per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & manduces. Falcem, inquit B. Gregorius, iudicij mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa. sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suarum paleis exspolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo, conuerte.] Post quam præsumptionem, adhibitis mecum confratribus nostris, te & cum eo pacificaui, & Episcopis, quorum parochianos excommunicasti, vt in te synodali sententia non inuehérent, persuasisti: sed & eosdem à te excommunicatos, licet non sine labore, adminiculante tamen domino rege, aduersum te conquiescere feci. Sed tu addens peiora prioribus, sic dominum regem, sicut mihi longum est enarrare, & multi sciunt, iterum exaggerasti, vt causa tuæ castigationis, te, sine mea voluntate, sineque meo consensu, aliquantulum detineri iuberet. Tu vero causa tuæ iniuriæ, me inconsulto, & sine consensu coepiscoporum Remensis prouinciæ, sicut petitio à clericis Laudunensis Ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, presbyteros & comministros Ecclesiæ ac parochiæ tibi commissæ excommunicasti, vt nemo in eadem parochia Missarum officia celebraret: neminem paruulorum, etiam in mortis vrgentis periculo constitutum,

Conc. Antioc. I. ca. 9.

B

Conc. Sard. can. 15.

Hilar. epist. 8.

Zosim. ep. 5 & 9.
Greg. li. 4 ep. 52.

C

Sym. epist. 11 ad Cæsarium.

Deut. 25

D

Greg. ad interrogat. August. resp. 9.

baptizares: nullum ad pœnitentiam quisquam: nec etiam obeuntis communioni viatica muneris subuenires: nulli defuncto in sepeliendo humanitatis obsequium exhiberes: donec aut tu ipse ad eos venires, aut à sede Apostolica inde relationem reciperent. Quod audiens, fateor, vehementer exhorrui, & proinde ad te, Metropolitana sollicitudine, litteras misi, monens & hortans te, vt tam exitiabilem excommunicationem & impietatis colligationem in tuum & multorum periculum intentatam, quantocius solueres. Sed & ad ministros Laudunensis Ecclesiæ, timens immane multorum exitium, certissimas & irrefragabiles diffinitiones Euangelicæ veritatis, & Apostolicæ auctoritatis, atque sacrorum canonum & Apostolicæ sedis direxi, quatenus secundum easdem diffinitiones, quæ in nullo conuelli possunt, ex eadem periculosa & irregulari excommunicatione egerent & ipsi satis. Sed quia meæ admonitioni obedire non voluisti, misi ad te iterum exinde litteras, sed & ad clericos Laudunensis parochiæ, & nec sic te ad obediendum inuitare præualui. Post hæc, quærens adinuentiones, vt te à Metropolitana subiectione posses exuere, libellum de antiquorum patrum scriptis ante sacros Nicænæ synodi, & aliorum sanctorum canones editis collegisti: in quibus sententias inter se dissonas, & contra Euangelicam & Apostolicam atque canonicam, & Apostolicæ sedis auctoritatem intermiscuisti, & eidem libello sine Metropolitani & coepiscoporum Remensis prouinciæ conscientia ac consensu subscripsisti, & à clericis Ecclesiæ tuæ, nec non & à parochianis presbyteris subscribi fecisti, volens te à subiectione tuæ Metropolis exutum ostentare, & priuilegium Metropolitanæ sedis adnullare. quasi non possem impietatis tuæ colligationis canonica auctoritate, sine tuo consensu, ac sine synodali conuentu in parochia tua dissoluere, cum de certis & manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, & de quibus firmissimas sententias, quæ nulla possunt ratione conuelli, à sanctis patribus promulgatas habemus, synodale consultum vel coepiscoporum nostræ prouinciæ consilium, vel consensum non debeam expectare, & à regulis præstitutis, vt sanctus Leo dicit, nulla aut negligentia aut præsumptione discedere: nec etiam sedem Apostolicam inde inquietare, sicut ipsius sanctæ sedis beati Pontifices Innocentius, Zosimus, Cælestinus, Leo, Hilarius, Gelasius, Gregorius, & alij plures eiusdem sanctæ sedis rectores in decretis suis ostendunt. & reliqua. Item datis auctoritatibus Gelasij Papæ: Post præfati denique, inquit, monstruosi libelli à te monstruose collecti tuam tuorumque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo, denuo te commonui, vt ea quæ in parochia tua contra rationem & auctoritatem egeras, studeres corrigere: sed admonitioni meæ non paruisti. Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis Pontificum ante Nicænam synodum scriptis libellum à te collectum, & versiculis in nomine domini regis Karoli titulatum, per venerabilem quondam Archiepiscopum Wanilonem in Gundulfi villa coram Episcopis qui affuerunt, mihi direxisti: de quo tibi scripto respondi, cuius exemplar habeo, monens te, vt sacris canonib. & Apostolicæ sedis decretis ex eisdem sacris canonib. & Apostolicæ sedis promulgatis, fidem accommodares, & debitam obedientiam illis dependeres. Inde in Attiniaca Remensis parochia tibi coram Episcopis dedit libellum in LV. capitulis auctoritates Ecclesiasticas continentem, contra illa quæ præfatis tuis duobus libellis collegeras, monens, vt à talibus & huiusmodi reprehensionibus te cohiberes, & te sacris regulis subdens pacem & sanctimoniam secundum Apostolum sequi studeres. Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti, quin potius rotulam prolixissimam contra veritatem & auctoritatem, ac rationem contextam in eadem synodo obtulisti & præfatum tuum monstruosum libellum, à te & à tuis subscriptum in eadem synodo protulisti, quem ibidem accipiens hactenus seruo. Et cum me vidi post tot admonitiones nihil apud te posse proficere, schedulam porrexi in synodo Episcoporum decem prouinciarum, ab eisdem venerandis Episcopis quærens consilium, quid contra tuam pertinacem contumaciam agere possem, & illa, quæ tibi ac parochiæ tuæ contra colligationis tuæ impietatis direxeram, coram illis relegi feci. Vnde & ab eisdem Episcopis prædictis sacri conuentus auctoritatibus, quoniam iniuste ac irregulariter tantas & tales excommunicationes agere præsumpsisti, & à domino rege impetitus, quoniam iuramenta illi à te super sacra præstita non obseruasti: sed & quia res suæ proprietatis contra leges diuinas & humanas inuasisti, & à Normanno in synodo accusatus, quoniam eum de reb. tua concessione atq. consensione à domino Karolo sibi beneficiatis, sine auctoritate regia, armata militari manu, & turba vulgi collecta, cum gladijs & fustibus primum quidem vxorem suam, quæ ibi sine vllo erat, & postea illum ipsum contra leges & regulas expulisti, & omnia sua, quæ ibi habuit, abstulisti: sed & à tuis hominib. accusatus, quia contra leges diui-

E

F

Leo ep. 84. cap. 1.

G

Syn. in Attiniaco an. 870.
Heb. 12.

H

Syn. Duziacensis an. 871.

A

ges diuinas & mundanas eis sua beneficia abstulisti, vt synodalem censuram euadens, dedisti regi & mihi in eadem synodo professionis tuæ libellum de regulari obedientia tua, quem habeo, & tu negare non potes, quoniam ipsum exemplar de manu mea in eadem synodo accepisti, sicut in processu monstrabo. Sed vt vir duplex animo, & inconstans in omnibus viis tuis, statim in crastina misisti mihi per Hardnicum venerabilem Vesontionensem Episcopum, ad profitendum & subscribendum tibi breuiculum ita se habentem: [Et ego Hincmarus Remorum Archiepiscopus tibi Hincmaro Laudunensis Ecclesiæ coepiscopo tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, priuilegium conseruabo, & in quibuscunque Ecclesiasticis negotiis indigueris, secundum sacras regulas debitum tibi iure adiutorium Archiepiscopalis auctoritate adhibebo.] Quæ causa non solum non de humili, verum nec de sano sensu processit. Iniustum quippe ac irrationabile videtur, vt Archiepiscopus à sacris canonibus non exorbitans, excedenti Episcopo suffraganeo à se ordinato, professionis ac subscriptionis libello, sicut postulaueras, satisfaceret. Sicut enim secundum scripturam minor à maiore benedicitur, ita prorsus minor à maiore, & non maior à minore iudicatur, ligatur, vel soluitur, sicut & in decretis Gelasii demonstratur. Iuste igitur & rationabiliter tibi hinc respondetur ex Iacobo: Petistis & non accepistis, eo quod male petistis. Sed & in eo quod tibi à me subscribi proposuisti, vt tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, priuilegium conseruarem, petisti quod voluisti, sed nescisti quod dixisti: quoniam vt sanctus Hieronymus dicit, priuilegia singulorum communem legem facere non possunt. Et sacri canones prouincialibus Episcopis, & eorum Ecclesiis vel sedibus, priuilegia, scilicet priuatas leges, vel iura priuata generaliter non dederunt, quia quod omnes generaliter habent, in speciale & deguttatis lex priuata esse non valet. Sed Metropolitanis Episcopis ac Metropolitanis sedibus priuilegia tribuerunt, & cætera de sacris canonibus & decretis Papæ Leonis subnexa. Post quæ subinfert. Quapropter quando talia mihi ad profitendum & subscribendum misisti, scire debueras, quod in istis regionibus nemo pene ignorat, quia municipium Laudunis, in quo es ordinatus Episcopus, ab exordio sui, postquam à Macrobrio prætore, vt produnt historiæ, conditum fuit, nunquam inter sedes prouinciales Remorum prouinciæ, in paganismo, vel in Christianismo, nomen vel locum habuit, donec sanctus Remigius XV. Remorum Archiepiscopus, certis quibusdam accedentibus causis, primus ibidem ordinauit Episcopum, & eidem municipio, de rebus Remensis Metropolis satis superque ditato, ipsum Comitatum, in quo consistit, partem scilicet ex Remensi parochia delegauit: sed semper fuit Remensis prouinciæ municipium, sicut hodieque & alia municipia in Remensi parochia, quæ in subiectionis loco ac nomine permanent. Nō igitur priuilegium, sed municipatum tibi debere seruari conuenerat petere, quia sicut patres nostri ac magistri Ecclesiæ tradunt, Paulus Apostolus non se ciuem, sed municipem appellat, dicens: Ego homo sum quidem Iudæus à Tharso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. Natus quidem Apostolus in oppido Galilææ Giscalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit. A quibus ob studium legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, sicut in subsequentibus ipse memorat, eruditus est. Et ideo non se ciuem, sed municipem, à municipio, id est territorio eiusdem ciuitatis, in quo nutritus est, appellat. Dictum autem municipium, quod tātum munia, id est tributa debita vel munera reddat. Nam liberales & famosissima causa, & quæ ex Principe proficiscuntur, ad dignitatem ciuitatum pertinent. Nec mirum si se Tharsensem, & non Giscalitem dicat, cum Dominum ipsum Bethleem natum, non Bethleemites, sed Nazarenus, à loco in quo nutritus erat, cognominatus est. Et tu ergo in diœcesi Remensi natus, & in Metropoli Remorum nutritus, & in municipio Lauduni ordinatus, noste ciuilem vel ciuicum sed municipem, videlicet tributarium seu munerarium, vtinam spiritalium denotum, Episcopum, & excepto quod à pluribus Episcopis es ordinatus, pene vicarium Episcopum, quem Græci Chorepiscopum vocant, debueras recognoscere, ac per hoc non priuilegium tibi adscribi, sed municipatum. nec contra priuilegium tuæ Metropolis te oportuerat rebellare, quod non ageres, si animo Paulus, scilicet pusillus & humilis esses. Vnde timendum est, ne & in hoc perditionis filium imiteris, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Cæterum quantum ex te fuit, tradidisti eos, quos irregulariter, vt præmisi, excommunicasti, non vt secundum Apostolum spiritus eorum saluus: sed quantum furor & indignatio tua præualere potuit, perditi essent in die Domini. Quæ colligationes impietatis, vt sæpe dictum est, & semper dicendum est, quoniam regulariter contra votum tuum dissolui, te aduersum me erexisti. Item, post auctoritates super illicita excommunicatione. De sacramētis autē à te regi præstitis non est mihi necesse aliquid scribere, quoniam pene omnes sciūt, quid de periurio (si forte illud admisisti) Dominus in lege & Prophetis, & in Euāgelio, & per Apostolos, ac Ecclesiæ doctores atq; magistros dicat. Et quia, vt in decretis Apostolicæ sedis dicitur, noluimus exaggerare quod gestum est, ne cogamur iudicare quod iustum est. quoniam quod inde tibi in synodo reputatum est, iudicario ordine comprobatum nō est, sed regia benignitate intermissum est, omisi hinc regulare iudicium ponere, vt te ad conscientiam tuam remitterem. Peruasio autem rerum proprietatis regiæ à te perpetrata manifestissimè claruit, quia nunquam res ipsas iure Ecclesiæ Laudunēsis fuisse legaliter probata sunt, nec sua, vel cuiusquam alterius donatione, vel cōcessione ab eadem Ecclesia possessas fuisse monstratū est. Vnde super hominem tuum Teduinum, cui easdem peruasas beneficiasti, legaliter cōquisitū est. Sed & proclamatio aduersum te Nortmāni vera fuisse claruit, nec testibus indiguit, quoniam tam manifestissime hoc, quod inde cōtra leges & regulas egisti, adeo omnibus in istis regionibus patuit, vt nulla tergiuersatione factum tegi, aut excusari valeres. Nam constat multis esse notissimum, & in inscriptis tuis domino regi & mihi directis hoc confiteris, quoniam ad deprecationem Rodulfi & Conradi, easdem res, postquam dominus rex illas à lōgo tempore de Ecclesia Laudunensi abstractas, eidem Ecclesiæ suā potestate restituit, ipsi domino regi illas sine mea ac coepiscoporū nostrorum & commenstrorum tuorum cōscientia, atq; cōsensu beneficiasti, quatenus eidem Normāno illas beneficiaret. Item post aliquas datas auctoritates: Et hoc à te ita irrationabiliter factum irrationabilius dissoluisti, qui armata militari manu, & permixta vulgi multitudine cum armis & fustibus, & tumultu maximo, sicut dicūt qui factum illud viderūt & audierunt, eumdem Nortmannum, qui ipsas res à te regi concessas, per regis beneficium retinebat, violenter & sine regis auctoritate, ac verbo, vel litteris expulisti, & expulso illo, illas inuasisti, & in eas intrasti, ac possedisti, cum sint leges & regulæ, sit etiam rex portans gladium ad vindictam malefactorum, sint Episcopi & canones ad iudicanda crimina sacrilegorū: vt si ipse Normānus peruasor rerum Ecclesiasticarum foret, gladio, id est vindicta regia puniretur, si sacrilegus comprobatus esset, Episcopali & canonico iudicio iudicaretur. Sunt etiam iudices, & sunt leges, quorum & quarum iudicio, si quid forte tibi, & Ecclesiæ tibi cōmissæ iniuste factum erat, legaliter & regulariter emendaretur. Itē post quædam, præcipuè beati Gregorij præceptionum decreta. Denique ex eo quod tui homines se ad regem reclamauerunt, quoniam ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos promeruerunt, iniuste & irrationabiliter abstulisses post datum regi & mihi libellum in synodo de regulari obedientia tua, secundum sacros canones, & decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos iudices Episcopos apud me expetisti, & tres secundum Africanum Concilium, scilicet Actardum, Rageneliunum, atque Iohannem à me tibi designatos suscepisti: & eorum, atque Apostolorum Deum timentium iudicio, in domini regis sicut postulasti, præsentia de quibusdam decretum fuit, vt beneficia sua, quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent. Quorundam autem eorum causa vsque ad alium tractatum, certis causis interuenientibus nō diffinita, sed dies alia diffiniēda remāsit, & tu ante diffinitionem cōtra sacros canones, & sine vlla necessitate vel ratione, fuga lapsus, regularem diffinitionē expectare cōtempsisti. Itē, post aliqua de canonibus. Et ab electorum iudicio, vt prædixi, inante ac inhoneste fuga lapsus abscedēs, pitaciolum irrationabiliter cōfectum, & manu tua subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ vsquequaq; contrariū, per Ermenoldum Diaconum tuum vi. Nonas Iulij, ij. Indictione mihi misisti, quod ita se habet: Reuerēdissimo Remorū Archiepiscopo Hincmaro sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus, Deo miserāte, Episcopus, debitā in Christo deuotionē. Vos scitis quia ab vniuersali sancta Romana Ecclesia Papa, patre quoq; nostro & magistro Adriano huc vocatus existo. & vos ipsi in quaternionib. mihi a vobis in Attiniaco palatio, corā Archiepiscopis & Episcopis, q. affuerūt, datis, q. ad eādē sedē venire totiēs vocatus detrectē, me reprehēdistis, si vitio scriptoris pro detrecte, q. est dissimulē, vel differā, detractē q. valde tractem nō ab re accipi pōt, intercharaxatū non fuit. Vnde vos nunc p amore Dei omnipotentis, & reuerētia S. Petri exposco, sicut & in eadem synodo in eodem Attiniaco à vobis cōuocata, q. impetrare nō valui, expostulaui, ac iā etiā per integrū efflagitaui annū, & præcipue in synodo apud Vermeriā palatiū olim ab hornó habita, obsecrādo declamaui, nūc quoq; & obsecro, & itē declamo, vt & hactenus egi, quo vestra Archiepiscopali auctoritate apud domni nostri gloriosissimi regis Karoli clementiam obtineatis, quatenus

Extat apud Aimoinum lib. 5. c. 24.
Iac. 1.
Heb. 7.
B
Gelas. ep. 4. & 15.
Iac. 4.
Hieron. in cap. 1. Iona.
C
Act. 21.
Act. 22.
D
2. Thess. 2.
1. Cor. 5.

E
Deut. 5. Zach. 5. Mal. 3. Matth. 5. Iac. 5.
F
Rom. 13.
G
Conc. Afric. can. 63. 82. 89. & 94.
H
Extat ad finem opusc. VI. Capitul.
Adrian. 13.
Syn. apud Vermer. an. 870. Carol. Caluus

A meas iniurias, scilicet meæ personæ, facile (Deo gratias) possum dimittere, sicut & quotidie pro te omnipotentiam Domini deuote exoro satisfacio: iniurias ordinationis diuinæ, quæ à tua insolentia exquiruntur, vt Metropolitano priuilegio canonice non subdaris, tecum redundantes, qui Spiritu sancto suo, à quo promulgati leguntur & creduntur canones, instituit, patienter ferre nec possum, nec debeo, quin tantum inde non satagam quantum potero. Nam sicut sollicitudo & primatus totius Ecclesiæ Catholicæ sanctæ sedis Romanæ Pontifici diuinitus est collata: ita & vnicuique Metropolitano ac Primati prouinciæ sollicitudo sibi delegata prouinciæ, per sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos noscitur esse commissa. & cætera. Sequuntur denique plura de professionibus & subscriptionibus eiusdem Hincmari, & correptionibus eius, vsque ad finem operis. Item aliud opus incipiens ita:

B

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS Hincmaro Laudunensi Episcopo.

Iob. 30. VIR DIVERSIS flagellis à diuersis attritus dicit: Qui me comedunt non dormiunt, ac si diceret non quiescunt. Et tu, frater, me tua lingua flagellis atterere, & venenosis scriptis tuis ad iracundiam prouocando inficere non quiescis. Sed qui illum seruum suum custodiuit à murmurationibus, me peccatorem, & fragilem in se confidentem potest custodire à rancore & malitia contra tuas falsas criminationes. Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addes, dicis, sicut in scriptis tuis peruersis inuenio, quia Apostolicæ sedis potestati derogo: vnde nemo sanum sapiens tibi vnquam credidit, vel credet. quoniam & ipsa scripta quæ ad Apostolicam sedem sepissime misi, & illa quæ tibi resultanti sæpe transmisi, te conuincent, & in isto sæculo, & in futuro iudicio. Non enim de me verum esse valebis vnquam, vel vsquam probare quod dicis: Ab his, inquiens, à quibus pro Apostolicæ sedis priuilegiis, quæ Christi sunt vsque ad mortem fas erat decertari, prædicatur & docetur, in his quæ eadem sedes statuit, velut respuendum probari. Sed in probaris cum priuilegio resultare, qui secundum sacrosanctorum Conciliorum canones supra positos, ab ipsa prima sede atque ab omni Ecclesia Catholica comprobatos, vt re vera spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, & iuxta decreta ipsius sanctæ sedis, ex eisdem sacris canonibus promulgata, Metropolitano priuilegio, semel & secundo ac tertia commonitus, obedire detrectasti, vt colligationes impietatis, quas

C

Isa. 58. contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque propheticam auctoritatem, contraque sanctorum canonum, & decreta ipsius venerandæ sedis exstabilieer, in tuum, & multorum periculum colligasti, dissolueres. Insuper contra sacras regulas aduersus Metropolitanum priuilegium libello perniciose subscripsisti, & subscribi fecisti.

Syn. Duziacensis. Vnde in Synodo conuentus ab Episcopis decem prouinciarum libellum professionis de futura tua obedientia, subscriptum manu propria, quem habeo, porrexisti. Contra quem iterum resubscripsisti. Nam ego decretales epistolas sedis Apostolicæ diuersis temporibus, pro diuersorum patrum consolatione, vel consultatione, ab eiusdem sedis pontificibus dat, & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiendas dico & scribo, & sacros sanctorum conciliorum canones cum decretis Apostolicæ sedis, ex eisdem sacris canonibus promulgatis, & recipiendos & custodiendos, & seruandos, sicut supra ostendi, profiteor.

D

Et quod dicis, te audere obloqui de iudicio domni Papæ Nicolai: si de me dicis, mendacium dicis. Nam quod ille de Rothado siue de Vulfado iudicauit, non contradixi: sed sicut ipse præcepit obedire curaui. De eo quod dicis de Rothade quia in eius depositione non consensisti: subscriptiones tuæ manum propria te conuincunt. Nihil enim inde egi, quod mecum non egeris: nihil iudicaui, quod non iudicaueris. nihil subscripsi, quod non subscripseris. Habeo enim illas ipsas manus tuæ subscriptionis. Et circa huius operis finem. De aliis vero, quæ in scripto apud Attiniacum dato mihi improperando mendaciter dicis, tibi respondere non curo. Sed scias quia non sum oblitus quod scriptum

Isa. 37. est in Isaia propheta quoniam sanctus Ezechias arctatus angustia, blasphemas epistolas sibi directas in templo coram Domino expandit, & ad eum clamauit, & exauditus est. Expandam autem manus meas ad Dominum cum blasphemiis & superbissimis scriptis tuis mihi à te directis, orans, vt quando scit, & quando vult, & sicut scit, & sicut vult, te conuertat ad veram pacis & dilectionis atque debitam obedientiæ † dilectionem, & me liberet à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

Fort. directionem. Psalm. 119. Psalm. 9. Et domina mea beata & gloriosa Dei genitrix Maria meritis, ac precibus sancti Remigij, cuius priuilegio derogas, exaudiet me adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et quia beatus Hieronymus

E

Hieron. pro fat. in Iob. de his, quorum aduersum me gratis suscepisti officium, dicit: Audiant canes mei, Tu qui de filio in fratrem, indeque, creuisti in coepiscopum, & post adeo profecisti, vt in canem meum excreueris, accipe hanc peruersi contumaciæ tuæ, pitaciolis exigente causa, prolixam responsionem. Cum autem mihi vacauerit, succinctius de aliis peruersis, & incompositis scriptis tuis, in quibus quædam mendaciter, quædam reprehensibiliter me reprehendendo, quædam satis humiliter, & vere superbe scripsisti, rescribam, & in illo scripto, quia lego dixisse Dominum: Iam non irascar tibi amplius, quantum mihi adhuc pares de huiusmodi altercationibus tibi scribendi finem imponam. De hoc

Ezech. 16. quod dicis, quia dicunt de me homines: Qualis est ille auunculus, qui talia suo nepoti scribit? dicant & de te ipsi homines: Qualis est ille nepos, qui ab auunculo suo talis vt tunc erat assumptus & talis, sicut nunc est in spiritali ac temporali honore effectus, qui talia sibi exigit ab iniusto auunculo, ne talis ab aliis, sicut à nepote suo depingitur, æstimatus, per eum blasphemetur nomen Domini, & vituperetur ministerium eius, secutus Apostolum scribentem ad Corinthios contra se

Rom. 2. 2. Cor. 6. blasphemantes, & vilipendi ab aliis laborantes. Egit quippe doctor egregius, vt dum ipse qualis esset agnoscitur, & vita & lingua male prædicantium eius prædicatione vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet. Cumque se non ostenderet, erroris locum dedisset.

F

Dicunt etiam & ipsi homines de te: Qualis est ille nepos, qui talia contra suum auunculum, & nutritorem, atque ordinatorem machinatur; & quantum potest mala agit, & plusquam potest agere cupit, sicut tu in die magni iudicij manifeste videbis, si te antea inde non recognoueris, & dignis pœnitentiæ fructibus non emendaueris. Multum me fatigas, & merito, non tibi imputetur: sed fatigationem meam consolatur, quod sicut tibi scripsi, beatus dicit Gregorius: Etsi Æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit: tamen balneator denarium balnei sui non perdit. Timeo de te meo Alexandro, quod de suo dicebat Paulus: Alexander ærarius multa mala mihi ostendit,

2. Tim. 4. reddet illi Dominus.

Quæ Altfrido Transrhenensi Episcopo, & cæteris quibusdam Episcopis scripserit.

CAP. XXIII.

G

ALTFRIDO Transrhenensi Episcopo scripsit quædam pro rebus S. Remigij sitis in Thoringia, quas eidem commiserat, vt reditus ipsarum ipsi tempore opportuno dirigeret: interdicens iuxta dispositionem B. Remigij, vt nemo colonos ipsarum in suo præsumeret opprimere seruitio. Item quod easdem res cuidam suo in beneficium dederit homini, rogans vt eidem homini solatium in quibuscumque indiguerit, ferre studeat. ADVENTIO Mettensium præsuli, super quadam fidei quæstione, de qua fuerat interrogatus ab ipso. Item de itinere quod idem Aduentius Romam petiturus debebat incipere. Item de aduentu suo ad denunciatam à rege synodum, pro memorata quæstione tractanda. Item pro filio neptis suæ, quem eidem committebat. Item pro his quæ idem Aduentius ei mandauerat de Hincmaro Laudunensi Episcopo, breuiter intimans quæ bona erga ipsum gesserit, & quæ praua ille contra gerebat. Item petenti consilium quid agere deberet,

H

Karolo in regnum Lodouici fratris sui senioris ipsius veniente, significans quid egerit ipse, quando Ludouicus regnum Karoli peruaserat, & quid eidem tunc agendum foret. Item pro acceleranda ordinatione Berardi Ecclesiæ Virdonensis electi, & vocati Episcopi. Item pro excommunicatione Karlomanni, quam mittebat ei, significans qualiter eamdem tractare deberet. Item pro missis ipsius Adventij, quos Romam direxerat pro causa Bertulphi Treuerensis Archiepiscopi, mirans cur sibi non significasset, quid ei renuntiauissent. Item pro litteris Lodouici regis, quas idem Aduentius ei direxerat, & vt litteras, quas ipse domnus Hincmarus Ludouico mittebat, ipse præfatus Præsul ei aut mitteret, aut donaret. Item pro litteris ipsius Aduentij, quas ei miserat, intimans de aduentu Legatorum suorum pallium à sede Apostolica Bertulpho Archiepiscopo deferentium, exhortans etiam, vt de regum concordia laboraret: vnde quia semper laborauerit, & laborare decertet, innotescit: & de mulo, quem sibi mitti petierat, quia hoc animal ipse domnus Hincmarus non haberet, nec sedere soleret, & alia quædam. Item pro excommunicatio-

A

Corbeiensis monasterij non esse recipiendam contendebat. Ad quæ respondet idem domnus Hincmarus, præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendam auctoritatem: homiliam vero eandem à sancto Hieronymo asserit Catholice dictatam, sicut & stilus, & cautela sensus, & intellectus, & alia certa indicia monstrant, & certæ personæ, per quas de partibus Orientalibus tempore certo delata ad regiones nostras peruenit, fidem faciunt. Subiungit quoque de libello ipsius Odonis contra obiectiones Græcorum, quædam se in eo commemorans adnotasse, quæ retractanda & corrigenda forent. Item pro ordinatione Hedenulfi secundum iussionem Iohannis Papæ ad Episcopatum Laudunensem diu pastore vacantem. Item pro ratione Lunæ paschalis, & lectione quam Adalardus abbas inde composuit. Item pro eadem re, gratias agens Deo pro sollicitudine ipsius Odonis, qua studuit inuestigare mysticam paschalis solemnitatis obseruationem, & cætera. Item pro itinere suo ad Concilium Papæ Iohannis, vt ad id ipse quoque venire festinet. Item de inquisitione ab ipso Odone & præfato Hedenulfo tractati iudicij Antoniaci monasterij, pro regimine Ricoaræ abbatissæ, quæ contra leges idem vsurpauerat monasterium: monetque vt suggerat regi, ne ageret inde qualiter alienis peccatis implicaretur. Idem de itinere suo non ad regem terrenorum præsentiam, sed ad regis æterni iudicium, ad quod iam se festinare per continuas indicat ægrotationes. Item pro ordinatione Heidonis, quem plebs Nouiomagensis Episcopum sibi elegerat ordinandum: aliaque nonnulla eidem sæpe directa se reperitur scripta. HILDEGARIO Meldensi Episcopo, pro parochianis ipsius quibusdam, qui homicidis in Remensi perpetrauere parochia scribit; exhortans vtcos saluare quocunque valeat consilio & auxilio procuret, adiuturum se spondens, vt ad pacem venire queant. Scribit quoque ad eumdem quemdam de iudicio aquæ frigidæ libellum. IOHANNI Camaracensi petenti commendatitias dari sibi Romam proficiscenti litteras, ex nomine domni Hincmari Adriano Papæ offerendas, rescribit, quod si redditurus obsequium Cæsari, Romam vellet ita pergere, vt obsequio Deo debito Cæsaris contrarium non esset obsequium, canonicas libenter ei litteras tribueret: sin autem pro causa Lotharij regis, quæ inter eum & ipsius vxorem diu ventilata fuerat, quoniam commendatitias in hac re dare litteras non valebat, reprehensibiles dare non audeat, quanto debet, præsertim cum nuper domnus Adrianus litteras ei suæ auctoritatis per Actardum Namnetensem Episcopum miserit, in quibus significauerit se certamina, quæ sedes Apostolica per antecessores suos Benedictum & Nicolaum in hac causa certauerat, sequi: monens eum, vt quod super hoc negotio gestum est, nullatenus eneruari consentiat, intimansque qualiter excommunicata fuerit VValdrada. Addit etiam, quod sine consilio coepiscoporum litteras ei dimissorias, maxime pro re incerta, dare nequiret. Item de obitu Lotharij regis, exhortans vt sine dilatione ad Karolum regem veniat. Item pro quodam presbytero Camaracensis parochiæ, qui seipsum castrauerat, frequenti monitus id agere visitatione, nesciens quid inde facti decernerent canones, consilium quærit, monens, vt diligenter inuestiget, quibus sit modis admissum, & interim per indulgentiam presbyter idem maneat in ordine suo, donec in prouinciali synodo quid exinde tenendum sit inueniatur, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum reperiatur aduersum. Item gratiarum referens actiones pro beneficiis sæpe sibi ab eo impensis: petens vt requirat sermonem sancti Augustini de lapsu monachi & viduæ, ac sibi ad transcribendum mittat, vel transcribi faciat; & ad proximam synodum sibi afferat. Expositionem quoque Bedæ in Prouerbiis Salomonis ad eamdem synodum sibi deferri petens. Intimat etiam, quod Papa Romanus Karolo regi, & Episcopis ipsius regni quædam mandata direxit, de quibus in synodo sit necesse tractari: vnde & rex Metropolitanis regni sui litteras miserit, præcipiens, vt coepiscopos suos ad eamdem conuocarent synodum. Item pro parte decimæ, quam sibi significatum fuerat, ab antiqua regia capella tulisse, & alteri, quam nouiter sacrauerat, addidisse: quod quia contra regulas esset, emendare, si sic actum, suadet. Item pro quodam presbytero, qui ad sedem Remensem proclamauerat, præiudicium se pati questus ab eodem Præsule suo, interdictu sibi cum rebus suis officio quoque sacerdotali, nec sponte confesso, nec regulariter conuicto, pro tumultu & homicidio perpetrato, vbi interfuerat, & inuitus arma defendendo se sumpserat, hominemque vulnerauerat, non tamen eum qui occisus fuerat. In quibus litteris ostendit ex auctoritate sacra, quid discretionis sit in huiusmodi causa tenendum, & quæ sacrorum canonum sint adhibenda capitula. Scribit ad eumdem & alia quædam. RAGENOLINO Nouiomagensi, pro quodam presbytero qui ei litteras ab Adriano Papa detulerat, præcipientes vt si Episcopus idem quod iniuste fuerat actum circa eumdem presbyterum, corrigere differret, post primam & secundam admonitionem domnus Hincmarus hunc Ragelinum canonica vsque ad satisfactionem percelleret auctoritate. Vnde & litteris eum monet, vt iussis obtemperet Papæ, & quare vel ipsi, vel aliis quibusdam Episcopis talia venire solerent ab Apostolica sede mandata, declarat: quia scilicet in iudicandis subditis regularem non sequantur tramitem discretionis, & quoniam ad auctoritatem Metropolitanam interrogando atque obediendo recurrere negligunt. Item pro visitatione Mortuensis Ecclesiæ post obitum Hunfridi Episcopi, iuxta dispositionem regis. Item pro Rothadu quodam suo Episcopi amico, qui suas, quas illius commiserat fidei, se fraude perdidisse querebatur: consilium dans quid inde faceret, pe ad synodalem sententiam peruenirct. WILLEBERTO Cathalaunensi rescribit ad ipsius consulta, pro Gangulfo Comite, vt de his quæ contra eum se fecisse vel negabat quædam, vel confitebatur aliqua, iuxta præceptum Apostolicum leniter ageret, quatenus in hoc legem Christi, caritatem scilicet, adimpleret, & ad satisfactionem dilectionemque sui vtcumque posset, & indulgentia eumdem Comitem prouocans, illi suam clarescere benignitatem permitteret. Decens enim esse, vt primordia sui sacerdotij deuotione atque dilectione commendaret. Item pro quodam presbytero transgressore, vt secundum beati Gregorij monita, de ipsius absolutione faciat, iuxta propheticam de confessione pœnitentis, & Apostolicam de iudicio & misericordia sententiam: præmissum vero Comitem, quem significauerat iam de culpa sua ex integro se recognoscere, patris illius, qui filium prodigum lætus recepit, benignitatem sequens, benigne suscipiat, & Vicecomitem pacis inter eos procuratorem tanto benignius admitteret, quanto Dei esse filium pro Euangelij veritate recognosceret. Item pro duobus vasis argenteis quæ rex sancto Stephano mittebat, & aurea cruce cum sanctorum reliquiis, quam regina delegabat altari eiusdem sancti. Item pro inquirenda causa, iuxta regiam mandatum, quæ versabatur inter Episcopos Odonem & Rothadum. Item pro ordinatione Arnoldi Tullensis Episcopi, vt eat obuiam pro hoc Aduentio & Berardo idem petentibus, ad eandem scilicet ordinationem celebrandam in pago Metensi, secundum regis iussionem. Item cum Odone, vt loquantur simul apud regem, pro synodo prouinciali conuocanda. Item consulenti si de monacho, necessitate cogente, valeat archidiaconum constituere. Item pro quodam homine suo ab ipso excommunicato, quem quia irrationabiliter audierat ligatum, monet diligenter absolui. Item pro synodo Iohannis Papæ domno Hincmaro ab imperatore Karolo missa, quam idem Willebertus transcripserat. Iubetque vt ad vicinos sibi Episcopos Berardum & Arnoldum eamdem transmittat. &c. Sed & alia quædam scribit eidem. HILDEBALDO Suessonensi, pro quadam Ecclesia, de qua contentio agitabatur inter ipsum & Odonem Beluacensem Episcopum, quam rex destrui præcipiebat. Item pro ministris Orbacensis monasterij ordinandis, & de quibusdam fratribus, qui ab eodem monasterio irrationabiliter exierant, reuersique postea recepti fuerant. Item pro quibusdam presbyteris ex monasterio sancti Crispini, de

Margin notes: Adalardus abbas. — B — Hincmari lib. de iud. aquæ frigidæ. — C — Adrian. ij. epist. 13. — D — Carolus Caluus. — E — Hæc 4. Adriani ep. non exstat. — F — ms. Gailoberto — Gal. 6. — G — Luc. 15. — H — Ioan. viij.

A de quibus domnus Iohannes Papa eidem domno Hincmaro scripserat, & de quibus dissinitum fuerat, vt extra claustra monasterij non pergerent, vt eadem censura eis paterne temperetur. Item pro ordinatione Hadeberti ad Episcopatum Siluanectensi Ecclesiæ. Item pro litteris Iohannis Papæ à quodam criminato presbytero delatis, quas à sacris canonibus & sanctorum decretis patrum manifeste discordare commemorat, vnde & qualiter agendum sit, vtile dat consilium. Item vt secum simul ad præsentiam Iohannis Papæ pergeret, qui Trecas pro quibusdam causis diffiniendis aduenerat. Item pro constitutione regum, filiorum Ludovvici, vnde mandauerant ei Episcopi, Abbates, & Comites, qui cum ipsis erant, vt ad eos litteras & missum suum dirigeret: quod & fecit, mandans huic Episcopo, vt ad eos proficiscens, quæ Deo inspirante inuenerint, votis & orationibus prosequatur. Item cum Waltero, Gisleberto & Angelino Episcopis, vt conuenirent secum ad peragendam iussionem præfati Papæ Iohannis inter

B Hedenulfum & Hincmarum Laudunenses Episcopos, cum sacrorum obseruatione canonum. Item exhortatoriam ad eumdem Hildebaldum corporea infirmitate detentum, in qua iuxta petitionem litterarum confessionis illius, absoluit eum reconciliando, licet per absantiam

j Oct. ibi & infra.

corporalem: & alia nonnulla scribit ad ipsum. *Atulfo Trecassino, de reliquijs sanctorum, quas ille significauerat, ostensis mirabilibus, se reperisse, qualiter easdem disponat, & de Ecclesia sancti Petri, quam restruere tractabat, qualiter ageret: ac de infirmitate, vel ouatione sua, & cætera. Itē de villis Boletico & Fagn, quæ debitas presbyteris decimas recusabant dare, quid esset agendum. Item pro mandatis Papæ Iohannis de Hincmaro Laudunensi ad eumdem Atulfum ab ipso Papa directo, quid illi sit obseruandum. Waloni Mettensium præsuli, ad litteras, quas illi direxerat pro documentis vitæ pastoralis, & confœderatione fraternæ vnanimitatis, atque de repentina ipsius prouectione, vt confortabilia sibi verba remandaret expetenti. Item pro quodam presbytero, cui domnus

C Hincmarus quasdam res Remensis Ecclesiæ coniacentes in Vosago commiserat, qui eas male tractauerat, & nonnulla contracta fuerant ex eisdem rebus in potestatem Metensis Ecclesiæ. Item pro consilio, quod ab eo petierat, de contentione quarumdam rerum, quæ versabatur inter Metensem & Treuirensem Ecclesiam, & de pallio à sede Romana sibi obtento, vnde Archiepiscopus ipsius litteras Papæ suscipere noluit. Item pro ordinatione Virdunensis Episcopi, quem post obitum Berardi contra regulas prouehi compererat, hanc epistolam suam sacris instirutionibus instruens, & qualiter ordinandus, vel non ordinandus sit Episcopus, diuinis auctoritatibus ostendens, & alia præterea quædam. Hademvlfo, quem post Hincmarum Lauduni ordinauerat Episcopum, pro quibusdam diaconis, quos ei dirigebat ad sacerdotium prouehendos. Item pro quodam orphano, cui suam afferebat idem Episcopus hæreditatem, & alia quædam. Arnolfo Episcopo, pro quibusdam qui homicidium perpetrauerant in

D Remensi parochia, & pacem obtinere non valebant, sed pœnitentiam facere quærebant, quam in hac parochia nō poterant agere, quid de ipsis obseruandum foret. Item pro consilio quod petierat sibi dari super aduentu Ludouici Transrhenensis, & quid ipse domnus Hincmarus eidem regi eum ad se venire iubenti remandasset. Franconi Episcopo, pro litteris commonitoriis, quas iussione regis mittebat Hugoni imperatoris Lotharij nepoti, rogans vt & idem Franco missum suum talem cum misso ipsius mitteret, qui eum saluum ducere & reducere posset. Item pro Eurardo, quem commatrem suum & ipsius filium vocat, & vt pro eo apud Ludouicum regem Transrhenensem & reginam intercedat, obsecrat, & cætera. Bernoni Cathalaunensi, pro Nouiomagensis Ecclesię missis, qui ad se post obitum Ratnelini Episcopi sui venerant, vt eos idem Berno ad præsentiam regum perducat, & eisdem regibus litteras huius domni Hincmari relegat, & intelligere faciat, & pro hac causa tam apud reges, quam apud palatinos, secundum ministerium suum intercedere satagat. Item pro electione pastoris præmissæ Nouiomagensis vel Tornacensis Ecclesiæ: & quia formam visitationis, vel electionis Adalberno Episcopo, & eidem Ecclesiæ transmiserit: monens vt petat reges, & Hugonem abbatem, vt quantocius sibi litteræ à regibus super hac

E causa mittantur: quia ipsa Ecclesia sine detrimento diu vacare pastore non poterat. Item pro eadem re, & aliis quibusdam. Adalberno, pro visitatione præfatæ Tornacensis Ecclesiæ, vt eidem suam visitationem sollerter impendat, & frequenter electionis formam clero plebiq; relegat, & inculcet, ne per ignorantiam ab eadem forma in aliquo deuiet. Item pro electione pastoris ipsius Ecclesiæ, & quia multi laborarent, vt non per ostium intrarent, non timentes neque verecundantes fures fieri & latrones,

Ioan. 10.

& quia mandandus sit ad præsentiam regum, quo cum perrexerit loquatur secum, vt qualiter hinc de cætero sibi sit agendum simul considerent, & cætera. Item pro querimonia & proclamatione cuiusdam presbyteri eius parochiæ, ostendens qualiter Episcopi rusticanarum parochiarum Ecclesias disponere debeant & gubernare: monens,

F vt legat sæpius homiliam beati Gregorij ex Euangelio: Designauit Iesus & alios lxxij. *Regula quoque pastoralis eiusdem beati Gregorij, cum sacris canonibus frequentius *relegatur, & quæ ibi sequenda leguntur viriliter exequantur: & quæ cauenda inueniuntur, sollicite caueantur.

Greg. hom. 17 in Euang.

j. Regula &c. relegat, vt quae al. Hodi.

Hetilomi Nouiomagenti, vt in adiutorium & fidelitatem regum & orationibus & auxilio quo potuerit insistat, significans in magna se tribulatione vallatum à barbaris esse, & quod cæteris omnibus deprædatis tanta quærebatur pro ciuitate redemptio, quantam explere non valeret. Item quia Ludouicus rex Germaniæ mandauerat illi, vt iret ei obuiam, quod tamen non esset acturus in cippo infirmitatis detentus: mandans huic Episcopo, vt & per se & per sibi commissos precibus insistat, pro pace & defensione Ecclesiæ, & si aliquid vtilitatis contra paganos facere potuerit, agat cum primoribus regni quantum valuerit. De incensis quoque monasteriis, quod ille mandauerat, se dolere, & de his quæ needum erant incensa satis formi-

G dare. Sigemvndo Episcopo, de reconciliatione pœnitentium, & aliis ad sacrum ministerium pertinentibus, de quibus Hildegarium Episcopum se significat instruxisse. Item pro benigne tuendis ac tractandis subditis, commemorans eum de corporali medico spiritalem à Deo factum. Item ad interrogationem eius, quid ipse scientiæ requireret à presbyteris suæ parochiæ. Episcopis ad synodum Suessionis ex iussione regis Ludouici Transrhenensis conuenientibus, legatum suum sacerdotem quem-

Hæc synod. deest in to. Conc.

dam dirigens, & pro infirmitatis impossibilitate semet excusans, quidquid fauente Domino secundum canonicam institutionem, & Episcopale ministerium iuste & rationabiliter, æquitate dictante, decreuerint, eorum decretis se annuere profitēs: quidquid vero sacris canonibus poterit obuiare, & à recta fide ac æquitate & iustitiæ tramite valuerit deuiare, se in nullo assensum præbere, nec vt idem vicarius eius assensum præbeat vel coactus, annuere. Episcopis Diœceseos Ecclesiæ Senonicæ scribit pro

H electione Ansegisi Remensis diœceseos monachi ad Episcopatum Senonicum, consensum suum in ipsius adhibēs ordinatione. Episcopis quoque totius regni primoribus, commonens & exhortans eos intemeratam fidem regi suo Karolo conseruare, quando idem Rex Romam perrexit. Item Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & cæteris Dei fidelibus ad quoddam collegium conuenientibus, quo ipse corporis infirmitate præpeditus abire non valuerat, gratias agens Deo pro quibusdam primoribus regni, qui ab Episcopis aliquantulum dissenserant, ac nunc, gratia Dei largiente, beneplacitæ hoc vnanimitati coniuncti. Significans per has litteras, & missum Ecclesiæ suæ communitrum, se de bonis eorum studiis ac dispositionibus congaudere, suadensque vt secundum sapientiā eis à Deo datam, diuinis obedientes præceptis, remotis priuatis studiis, & indebitis cupiditatibus, ac noxiis contentionibus, primum quæ ad generalitatis salutem, pacē & vtilitatem pertineant, inquirant & exequi procurent: adnectens sacras aucrontates de veste Christi, quæ est Ecclesia Dei, hortansque vt seipsos tota virtute armantes iu-

A Isa. 9. & 52. stitiæ zelo erigant, & iugum oneris matris eorum Ecclesiæ, ac virgam exactoris eius confringant, & vincula colli filiorum eius dissoluant. si qui sint oppressi manum allevationis porrigant; si qui forte depravati cupiditate vel gratia, ad vnanimitatem gregis Dominici reducere studeant, Amplectantur consilium beati Gregorij, cæterorumque sanctorum patrum: & ipse quoque quod illi ad pacem populi Dei & iustitiam procurandam decreuerint, votis & obsequijs, quantum Dominus donauerit, prosequetur. Subiungit quoque sacras auctoritates de canonice promouendo vel eligendo Episcopo.

§. Quæ Abbatibus quibusdam scripta direxerit.

Cap. XXIII.

B Alijs quoque diuersis personis, tam clericis quam laicis, honestis etiam fœminis, diuersa pro voluntate cuiusque reperitur scripta direxisse, nemini adulando parcens, sed commoda cuique pro rei opportunitate suggerere satagens. Lvdovico abbati suo litteras misit pro repetendo corpore sancti Deodati, quod quidam Giso, cupiditate rerum ipsius sancti ductus, ex diœcesi Remensi furtim transferri fecerat in Parisiacensem parochiam, inconsulto Episcopo in cuius iacebat Episcopio. Asserit autem in his litteris se nemini, neque sibi vel proprio suo sanguini, contra diuina parcere iura. Sed & indignantem pro his Abbatem iterum litteris monere non destitit, hortans & admonens, vt Ecclesiasticis regulis satisfacere procuraret. Item pro quodam nepote suo, quem commiserat ei, & pro rebus a rege per dispositionem ipsius domni Hincmari monachis sancti Dionysij redditis. Hilduino abbati pro epistolis regis Karoli, & missis suo cum litteris ad imperatorem Lotharium perducendis. In quibus se quædam de salute ipsius imperatoris suggerere manifestat, vt emendet quæ ipsi notifica... emendanda, & de censu

Habita est an. 856. sub Bened. III. soluendo ex villa Dudeciaco. Item simvl cum synodo Episcoporum apud Carisiacum habita, scribit Hilduino Karoli regis Archicapellano, & pro Ecclesia Lingonica, quam Vulfadus Ecclesiæ Remensis alumnus contra canonica occupauerat decreta. Vnde suggesserat eadem

C synodus regi, vt alterum ad regendam præfatam constitueret Ecclesiam, & rex iusserat vt Episcopi quærerent talem, qui posset in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere, eorumque vota in Isaac ipsius Hilduini discipulum conuenerant, obsecrantes huius in hoc Hilduini consensum, & deprecationem ipsius pro eo apud regem. Bvrvardo abbati, pro rebus sancti Remigij vel colonis Remensis Ecclesiæ in Thoringia constitutis. Adalardo abbati, de amicitia inter ipsos, & qualiter debet esse verus amicus. Grvnoldo abbati, pro Sigeberto fideli suo, vt res eius quæ coniacebant in regno Ludouvici, in sua dominatione & tutela commendatas susciperet: & vt regi Ludovvico suadeat, ne peruersorum credens consilijs, in talia se vlterius immittat, qualia contra fratrem suum Karolum tunc egerat: vnde tale dedecus ipsi acciderat,

D quale non accidisset, si exhortationibus huius domni Hincmari adquiescere voluisset.

i. Transfuga. * Trasvlfo Corbeiensi cum fratribus sibi subiectis, pro quodam fratre, qui præsumptiue abscesserat a monasterio, quem a rege receptum in gratia præceperat idem pontifex ad monasterium festinare reuerti, pro quo rex rogauerat, vt mandaret, quatenus in monasterio pacifice susciperetur, donec conuersationis eius modus a rege, & eodem Archiepiscopo tempore opportuno disponeretur. Item ad eosdem, gratiarum referens actiones pro impensa sibi ab eis benignitate, memorans se plurimum in eorum orationibus confidere, & eis deuotum existere, commonitoriaque salutis eis dirigens hortamenta, vt qui quique in ipsis nauem dominicæ gubernationis susceperant regendam, contra insurgentium tempestatum impetus inpigra sollicitudine dirigere studeant, & vt persecutione imminente paganorum, quacumque recedendum sit, a bono proposito non recedant: &c. Item Hilduino, vt certare procuret apud regem pro electione canonica Ecclesiæ

E Motinensi concedenda, quia & ipse hoc agere satageret quantum posset.

Adalgario abbati, gratias referens de orationibus ab ipso & fratribus sibi commissis Deo pro se oblatis, & de benedictione donorum ipsius Abbatis, commemorans etiam de rebus Ecclesiæ Remensis in Thoringia sitis, quas cuidam Amalrico commiserat, sed ipse male abusus eis, diuinum proinde iudicium susceperit, quasque idem Abbas sub censu sibi dari petebat. Sed idem domnus Hincmarus id agere sine clericorum suorum consilio renuens, mandat vt easdem ad custodiendum interim suscipiat, & descriptionem earumdem sibi mittere studeat; & postea quod cum Ecclesiasticorum consilio ministrorum rationabilius considerare agent, ei remandaturus sit. Item pro eadem re post missam sibi descriptionem, significans insuper Ludouico regi se pro hisdem rebus litteras misisse, ad petitionem ipsius abbatis, notificando ipsas res eidem abbati se commisisse, petendo quoque, vt ei solatium ferret, quatenus ipsas ordinare quiete valeret. Sed & Popponi cuidam,

F compescendo eum ab harum inquietatione rerum. Familiæ quoque in eisdem rebus consistenti litteris mandans, quo eidem Abbati obedientes in cunctis existerent. Anastasio venerabili abbati ac bibliothecario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gratiarum referens actiones pro benedictionibus sanctissimis ab eo sibi per Actardum Episcopum directis: suas eidem quoque Abbati mittens munerum benedictiones. Quædam etiam opuscula suo labore confecta ipsi delegans. Item pro beneficiis sibi ab eo collatis, & vt suggestionem suam domno Papæ acceptabilem faciat, & de memoria benedictionis, quam dirigebat ei. Gregorio eiusdem Romanæ Ecclesiæ nomenclatori, & apocrisiario, asserens quod præfatus Anasta- De hoc supra c. 21.
sius multa bonitatis insignia sibi de ipso suis litteris intimauerit, & quod magnam fiduciam in ipsius habere posse amicitia sinceriter mandauerit: vnde & petit, vt idem Gregorius se inter fideles amicos suos tenere dignetur.

G Gvntario abbati, pro quodam irreligioso monacho, quem de monasterio irreuerenter proprio libitu recedere siuerat: vnde valde reprehendit eum, ostendens ex auctoritate regulæ, quod ita non debuisset eum dimittere: monetque vt cum missis regis perquiratur, & comprehendatur, atque in monasterium reducatur, & in artissima custodia retrudatur, eiusque culpæ describantur, sibique descriptio ipsa cum proprij Episcopi litteris dirigatur, vt secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum de ipso decernat. Gozlino, pro Bernardo nepote ipsius, qui seditionem contra regem moliri ferebatur, hortans vt ab hac intentione studeat eum reuocare, & vt ipse Gozlinus pro nullo carnali affectu a recta via declinet fratrem quoque suum Gozfridum commoneat, vt ambo memores parentum suorum a fidei sinceritate non degenerent. Item, quærendo cur ad se missum vel litteras non dirigeret, vt facere solitus fuerat, exhortans vt id frequenter pro mutua dilectione atque consolatione facere studeat. Item significans quomodo de dilecto filio ei Gozli-

H nus idem factus sit inimicus, & adhuc carum filium eumdem nominat, & iniurias sibi ab eo illatas non solum patienter, sed & libenter se ferre depromit, ac petit, vt remittatur, quia Remensis Ecclesia eum regenerauerit in Christo, tonsumque in clericum sub religione nutrierit & docuerit, de captione paganorum redemerit, ad gradus Ecclesiasticos vsque ad diaconatum prouexerit, plurimorum monasteriorum per concessionem regum Abbatem constituerit. Contra quæ ille potentia eleuatus, seditionem quæ in hac Ecclesia, vel in illo regno male grassabatur excitauerit, quibusque similia gesserit, & quantis malis obnoxius sit, prosequendo manifestat: obsecrans vt horum reminiscatur, & vocem Domini se reuocantis audiat, ani- ...30.
mæque suæ misereatur, vt salutem consequi mereatur. Item pro correctione ipsius Deo gratias agens, & orans, vt Psalm. 67.
confirmet Deus quod operatus est in eo, & det illi & velle Philip. 2.
& perficere quæ sibi sunt placita pro bona voluntate; &
cætera quædam. * Grvnhario abbati pro rebus sanctæ Mariæ, & sancti Remigij in Auernico pago sitis, quas ms. Grimbano.
interdixerat Bernardo Comiti, mandans huic abbati, vt

A ti, vt eas describeret, & earum descriptionem sibi deferret. ADALGARIO vocato Episcopo, pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitanis partibus conIacentibus, quas Bernardus Tolosanus Comes occupauerat, & quis pretio eas obtinere non potuit, deprædatione pessumdedit, donec Deus inde suum iudicium exercuit: quasque idem domnus Hincmarus Agilmaro Episcopo commiserat: quando etiam de incestis, & vsurpatoribus rerum Ecclesiasticarum libellum, iubente rege, ipsi Episcopo dederat. Mandata quoque pro eisdem rebus ad eumdem Episcopum data huic dirigit: & vt cum eodem iste quoque, participato consilio, pro ipsis rebus satagat, hortatur, quosdam designans pagos, in quibus eædem res coniacerent: Aruernicum videlicet, Nigrummontensem, Lemouicum, & Pictauum. In aliis quoque pagis, quorum non meminit, sed ab hoc requiri atque describi, sibique ipsam descriptionem mitti petit. LAMBERTO quoque, quem vnice dilectum & viscera lem filium suum memorat, admonens & exhortans qualiter agere debeat erga illos, inter quos conuersabatur, & qui eum electum esse

B videbantur ad Episcopatum Mettensem: præcipuè monens pestem Simoniacæ hæreseos in omnibus præcauere: Quia proficere, inquit, in Ecclesiastico gradu non poterit, qui ad hoc vt hæreticus fiat, promouetur. Suadet etiam, vt regulam pastoralem sancti Gregorij festinanter legat, ac mente recondat: & secundum eamdem regulam se interius & exterius in viam, qua ad Episcopatum peruenitur, dirigat, & per quam in Episcopatu ad vitam æternam tenditur, corrigat: significans se amicis suis, tam Episcopis quam Comitibus regni Lotharij pro eo litteras dirigere, fidem facere, quia de consiliis & salubribus ipsius exhortationibus non deuiabit, petitque ne mendacem super his apud amicos eum faciat. HVGONI Abbati, pro electione Nouiomensis Episcopi post decessum Ragenelini, petens vt hortetur reges Ludouicum & Karlomannum, quatenus voluntatem Dei, & antecessorum suorum consuetudinem in hac causa conseruent. Notificat etiam illi obitum Hincmari nepotis sui Laudunensis

Hi erant filij Ludouici B[alb]i, nepotes Caroli Calui.

C Episcopi, rogans vt pro eius animæ remedio per subiectos ac familiares suos Domini misericordiam deprecari * satagat. Item vt præfatis regibus necessarios constituat nutricios, quia nimis iuuenem habebant consiliarium, & de his quæ sibi iidem reges * pro custodia Tornacensis parochiæ mandauerant, & quid ipse super his egerat, quidve illi postea remandauerint, vel quid ipse rescripserit eis nolentibus assensum præbere super electione canonica præfatæ Nouiomensis Ecclesiæ: & quia ipse nihil inde aliud egerat, nisi quod per triginta & quinque annos in huiusmodi negotio solitus erat. Et quid sibi mandatum postea ex parte regum, vel ipsius Hugonis in hac causa per Warinum clericum fuerit, quasque litteras deinde præfati reges eidem miserint. Adiungens sacrorum canonum promulgatas super electione canonica auctoritates, & ostendens, quod non Episcopi de palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia: & quod de ordinando Episcopo, non regis vel palatinorum debet esse commenda-

* satagã
* pro custodienda Tornacẽsi parochia

D tio, sed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione diiudicatio, deinde terreni principis consensio, & sic fieri Episcoporum manus impositio: asserens pro certo quod ipse in neminem specialiter intenderet, nisi vt quisque iit, secundum sacram auctoritatem ad hoc accederet officium, & quod spirituale ministerium postulat, scire ac faceret, &c. Item mittens ei exemplar epistolæ, quam rege Karolo, Ludouici Transrhenensis filio direxerat, pro regibus adhuc pueris Ludouico & Karlomanno: hortansque vt si potuerit obtineat, quatenus idem Karolus (quia filium non habebat) vnum ex his regulis sibi adoptet in filium, & sub manu boni ac strenui baiuli ad hoc eum nutriri faciat, vt sibi hæredem aut in totum, aut in partem statuat: & vt secrete Hugo apud Karolum obtineat, quo & bonum puerorum, & regni huius causam super se totam suscipiat, & quæque disponenda regio sunt ministerio, ipse disponat. Præmittens etiam, vt scripta sua, quæ Karolo mittebat, ipse Hugo, si haberentur vtilia & rationabilia, suo sapienti consilio & prudenti prosequatur studio: sin secus

E quam in his deberet inueniretur, sapienter illud commutaret, vel si foret necesse quid addere vel obmittere satageret. Item pro mandatis Ludouici Germaniæ regis, ac suasionibus: primo scilicet vt Episcopos Remensis diœceseos eidem regi apud Attiniacum obuios ire præcipiat. Secundo vt ei consilium remandet, qualiter istud regnum disponat, quid videlicet ad hæc missis eiusdem regis respondeat, & si Ludouicus ipse aduenerit, & rogauerit vt eum in regem consecret, quid & qualiter inde sit illi agendum, &c. Præterea & alia quædam Abbati scribit eidem.

Quæ sacerdotibus vel monasteriis quibusdam scripsit.

CAP. XXV.

GAVTSVINO sacerdoti & cæteris fratribus Deo & sancto Dionysio seruientibus scribit pro quadam domo sibi quondam ab ipsis concessa, & ex parte ab eo-

F dem coempta, quam quidam eorum sibi subripiens, vsurpauerat. Vnde miratur, si hoc fratres ita fieri consenserint de eo, qui in nullo, quantum meminit, inutilis eis fuit, sed sicut illis tunc visum fuerat, in multis vtilis & necessarius apud eos mansit, & non modica eis obtinuit, & retinuit. Non hæc ideo dicens, vt sibi pretiosa sit illa domus ad tenendum, vel corticula, sine caritate, inquit, vestra. & cætera. ITEM WILLEGISO cum cæteris eiusdem monasterij monachis, de eo quod audierat eos a quodam presbytero pretium quærere pro decima: vnde maximam se verecundiam dicit habere propter alios homines, qui hoc audituri erant. Quod quantum periculum sit, eis ex diuina ostendit auctoritate, & canonum promulgatione, ac deinde: *Absit*, inquit, *fratres vt alij Ecclesiastici & religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio sancti Dionysij decimam vendere quærant, vt de ipso pretio infernū comparent. Multo magis autem absit, vt hoc laici audiāt, quod nemo etiā peccatis publicis implicatus in mea parochia facere audet. Si enim aliqis de alio monasterio quā de nostro hoc vitare, quāto magis facere præsumeret, ab omni communione illū de parochia mea excōmunicarē. &c.* Itē eisdem monachis, pro visitatione diuinæ miserationis, qua admonitus dies suos sicut vmbram declinasse dicit, & se sicut fœnum aruisse: mittens eorum vbicumque tantulam benedictionem, ducentos scilicet solidos de meis denarijs: petensque vt apud communem patronum beatissimū Dionysium in sacris orationibus sui memoriam iugiter haberent: poscens etiam pro Haimone fideli suo pene in extremis posito, quem dilectum filium suum nominat. * FVLCRAMNO præposito, & fratribus monasterij Corbeiensis, scribens pro electione Abbatiæ eis à rege concessa, proque litteris regis super eadem re, & aduentu ipsius domni Hincmari ad eos. Vnde illum consuluerant, instruit ipsos, qualiter in hac electione eis sit agendum secundum doctrinam beati Patris Benedicti, vt in omnibus magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinent à quoquam, vtpote rationem reddituri pro omnibus ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. MAGINARDO præposi-

G

Psalm. 101.

* Fulcranno.

H to, & fratribus in monasterio S. Richarij degentibus, pro litteris, quas Apostolicus Papa regni Karolo, sibique miserat, pro quodam, qui monachum atque presbyterum interfecerat: in quibus litteris tenorem iniunctæ pœnitentiæ exposuerat, admonens vt diuinis monitis in his quæ ipsæ litteræ præcipiunt obedire procurent. MONACHIS cœnobij sancti Medardi pro Hainoardo monacho, qui veniam pro excessibus suis apud regem postulauerat, de quo ex verbo regis mādat, vt eum vel ad habitandum regulariter inter ipsos recipiant, vel iuxta petitionem illius litteras dimissorias illi ad certum locum faciant, & absolutum abire cum pace permittant. SIGRAONO sacerdoti & præposito monasterij sanctimonialium Lugdunensis Ecclesiæ, super interrogatione qua requisierat ab eo, qualiter oporteret eum agere de inquisitione sibi cōmissa in Orniaco monacharum monasterio super Abbatissa & præposito ipsius monasterij, vnde interroganti respondeat, quia non verbis de talibus, sed scriptis respondere deberet. Quocirca rescribens quoque ostendit quod in legibus,

De hoc supra ca. 23.

quas

A quas Catholica probat Ecclesia, & in regulis Ecclesiasticis de his scripta sint: præcipiens etiam, vt priuilegium ipsius monasterij sibi afferatur, & notificentur ei per certas personas de certis rebus accusationes ipsius Abbatissæ atque præpositi, vt secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum & visitatoris Laudunensis Episcopij, quia tunc Episcopus ibi non habebatur, inde Domino inspirante * decernat. QVIBVSDAM decanis parochiæ Suessonicæ, pro quodam presbytero, qui præiudicium passus iustitiam & iudicium apud Episcopum suum Rothadum non valebat obtinere, vnde & ipse domnus Hincmarus eundem Præsulem monuerat, vt si propter infirmitatem non valeret ipse ad synodum venire, vel missos suos, ministros videlicet Ecclesiæ sibi commissæ, mitteret, vt res canonice diffiniri valeret: admonetque per has litteras eosdem decanos, & Metropolitana præcipit auctoritate, vt presbyteros decaniæ suæ ad denonciatum placitum venire commoneant, & cum eis ipsi veniant. Quod si non

j. decernatur.

B fecerint, synodalem sententiam apud proxime futuram synodum se nouerint accepturos. SIGEBERTO cuidam sacerdoti, pro Heidilone Episcopo ipsius, de quo talia se audisse dolebat, qualia de bono laico dici non conueniret, & quia culpabatur, quod talem Episcopum ordinauerit: asserens se de illo, quem ante non cognouerat, fidei & testimonio ipsius Sigeberti credidisse, præcepitque ipsi Sigeberto ad se venire, vt ore proprio ei dicere possit, quæ de episcopo audiuit, & si vera forent, simul considerarent, qualiter illa corrigerent: si vera non essent, qualiter mendacia esse docerentur.

Quæ viris quibusdam illustribus.

CAP. XXVI.

C VIRO illustrissimo EBERARDO, * ex principibus Imperatoris Lotharij, litteras dirigēs pro adipiscenda familiaritatis apud eum gratia quondam sibi ab ipso gratis oblata, congaudet bonis quæ de ipso per certas audiebat personas, * maximeque per Amolum præsulem, quem sincerissimum & carissimum vocat patrem suum, mittens ad ipsum cum litteris etiam fidelissimum quendā missum suum. Item laudans sinceritatis ipsius deuotionē erga Deum, & sacræ auctoritatis cultum, principumque vnanimitatem, & Ecclesiasticæ pacis studium, debitumq; religionis: monens quoque pro caritatis officio, vt sicut cœpit melius ac melius proficiat: quia natura humana, teste Iob, nunquam in eodem statu permanet, & quia in isto sæculo quacumque prædituus quis potestate cōtra fluminis tractum nauigat: quadere aut viriliter nauigans superiora petet, aut remissis manibus habet ad ima relabi. Studeat autem præcipue, vt Deo super omnia placeat: deinde vt Ecclesiæ pacem prouideat: tum vt principibus bona non solum suggerat, sed etiam ingerat. Viris Ecclesiasticis & locis sanctis debita priuilegia adquirere insistat, populo Christiano pacem & vnanimitatem procuret, bene

j. maximè quæ.

Iob 14.

D agentibus congaudeat, male agentibus resistat, seipsum, sobrie, iuste, & pie viuēdo, solerter custodiat, & cætera exhortationum valde necessaria. Post quæ suggerit etiam de quibusdam necessitatibus, tam ex monasteriis, quam & aliis, pro quibus & Imperatoris litteras direxerat, quæ in parochia sua ab illius erant auctoritate corrigēda, & reliqua de vtilitate animæ, & consilio spirituali conseruando. FVLCRICO cuidam, præmissi Imperatoris magnati, qui vxorem legitimam inlegitimè dimiserat, alteramque insuper duxerat, vocans ad synodum, excommunicationis iam in eum datæ, atque in comprouinciali synodo confirmandæ pandit modum. Item postquam pœnitentiam pro hoc admisso visus est suscepisse, iteranti vias suas, & reuerso ad vomitum suum manifestam dat excommunicationis sententiam, cunctisque id notificare satagit fidelium Christi personis, quibuscumque audire contigisset, maximeque Episcopis, in quorum videbatur parochus conuersari vel frequentare.

Tit 2.

De eodem supra c. 20.

VVLFINGO cuidam ministeriali eiusdem Imperatoris Lotharij, commemorans familiaritatem, quam quōdam ab eo poposcerat, & dilectionem quam ei spoponderat, rogans vt innotescat Imperatori super epistola, quam frater ipsius Karolus rex eidem dirigebat, quatenus eam suscipiens, familiariter distinguat, & secreto legat. Censum quoque de villa Dudeciaco anni præteriti cum censu præsentis anni sibi transmitti iubeat: vnde in illius memoria aliquid ornamenti in sepulchro sancti Remigij facere posset, quod ornare, & corpus ipsius sancti in crypta disponebat à nouo præparata transferre. Item pro repetitione præmissi census de villa Dudeciaco sex librarum: ne forte suggeratur Imperatori, quod cupiditate inlectus hunc censum repetat, quem in suos vsus nunquam redegerat: sed cupiens euadere periculum, ne silentio suo in diebus suis census ipse depereat, & ipsa villa in alodem vertatur, & Ecclesiastica mancipia in seruos & ancillas dispertiantur, sicut & de multis, tam rebus, quam mancipiis huius Ecclesiæ, sed & de ipsa iam villa fiebat. Enitens etiam, vt senior suus inde periculum non incurreret, vel ipse cum ipsius periculo partem non haberet. Asserens quod si cupiditas in hoc eum vexaret, duodecim libras repeteret, quas auus & pater huius regis inde soluerunt, &c. Subinfert etiam quædam de præfato Fulcrico, qui Roma veniēs iactabat epistolas Papæ pro absolutione sua tam regibus se, quam huic Archiepiscopo deferre. De quo monet hūc Vulfingum, vt suggerat regi, ne seducatur in hac causa: sed omne cum ratione cauens periculum, faciat vt veniant ipsæ epistolæ coram illo & Episcopis, & quidquid melius inuentum fuerit inde sequantur, & quia interim quod rationabiliter & canonice factum fuit, non debeat contemni. NANTARIO amico suo fideli, pro rebus sancti Remigij disponendis in Wormacensi pago, inferens quod quidam homines eum petierint, vt præstaret illis colonos earum rerum ad diuersas operas, & quidam vt venatores illorum in ipsis rebus per aliquod tempus manere concederet: quod neutrum se concessisse, vel concessurum esse fatetur, quoniam sui antecessores hoc facere non sunt ausi: quia sanctus Remigius cum grandi maledictione vel interminatione hoc fieri vetuerit, &c. IMMONI Comiti, pro rebus huius Ecclesiæ in regno Aquitanico coniacentibus, vt auxilium ferret earum prouisori, cui committebātur. GARARDO Comiti nobilissimo, pro Isaac Lingonicæ sedis electo, vt per eius hortamen ordinaretur Episcopus, quia Vulfadus, qui ipsam occupauerat Ecclesiam, canonicè non potuit ordinari. Item pro his quę sibi litteris idem Gerardus significauerat: scilicet quod Karolus Franciæ rex senioris ipsius Karoli Cisalpinæ Galliæ regis regnum sibi vellet subripere, quod ipse domnus Hincmarus nequaquam fieri asserit. De rebus quoque sancti Remigij in Prouincia sitis, pro quibus audierat domnum Hincmarum ad regem proclamasse, quod se penitus negat egisse, nec quoties cunque necesse fuit, pro * ipsius rebus ad alium, quam ad ipsum Gerardum, & ad suos fideles inde suggestionem, direxisse. De hoc etiam quod scripserat hic Comes se audisse, quod rex iste Karolus monasteria vellet vsurpare, quæ beato Petro Apostolo idem Gerardus tradiderat: & quia si res ipsius, quæ in hoc regno coniacerent, ab eo forent ablatæ, ipse licet inuitus res huius regni, quæ in illo habebantur regno præsumeret: respondet domnus Præsul, qui sua voluntate nemo res Ecclesiæ in suum periculum vsurparet: timere se asserens, ne coram Deo dignus habeatur, vt hoc in tempore sacerdotij sui commissa sibi patiatur Ecclesia. Veruntamen si quis præsumpserit, plus illi dolere quam sibi, periculum præsumptoris ex diuinis pandens auctoritatibus. Adiciens quoque de eo quod se monuerat, vt sacri causa ministerij regem à talibus reuocaret excessibus, quia prius in illius dispositione talia non perceperat, & de vanis suspicionibus suum non erat seniorem corripere, ideo nec inde monuerat. Nunc autem certam & causam habens, & personam, debita deuotione ac fidelitate studebit dominationem ipsius monere. Item pro præfatis rebus sancti Remigij, de quibus idem Gerardus huic Archiepiscopo litteris significauerat se condolere, quia deuastabantur à multis, & plures earumdem vastatores dicerent, quod per concessionem regis Karoli, & huius domni Hincmari easdem res

E *Carolus Caluus.*

F

G *S. Remig. in suo testamento.*

j. ipsius.

H

A occuparent. Vnde notificat eidem Gerardo, quia ex quo easdem res eidem commiserit, nullius alterius eas prouisioni delegauerit, nisi tantum Hildoardo cuidam nutrito suo iniunxerat, vt maiori villæ in his quæ necessaria fuissent, auxilium ferret, sub defensione tamen & tutela præfati Gerardi Comitis, addens de cæteris earumdem rerum vsurpatoribus quid agendum sibi videretur. Ipsas autem res nulli homini suo vel alterius in beneficium dare auderet, quia sanctus Remigius hoc in suo testamento terribiliter contradixit. Ipse vero Comes, qui pro amore sanctæ Dei genitricis & sancti Remigij, res ipsas in sua tuitione susceperat, sicut bene cœpit, ita viriliter de cætero agere procuret, quoniam in Remensi Ecclesia per decem monasteria tam canonicorum, quam monachorum, atque sanctimonialium, amplius quam quingenti pro ipsius præsenti & perpetua salute, in psalmis & canticis spiritalibus, atque sacris oblationibus continui oratores existunt. &c.

B Item pro eisdem rebus pene similia. Item mittens ad easdem res ordinandas per ipsius Comitis * auxilium, atque disponendas, monachum atque presbyterum de monasterio sancti Remigij nomine Rutfridum.

j. Consiliũ

RODVLFO illustri Comiti, pro infirmitate coniugis ipsius, & pro eo quod ferebatur idem Comes inter regem & quosdam subiectos ipsius quædam contraria seminare: asserens sibi quoque domnus Hincmarus, qui ab huiusmodi re valde se immunem putabat, hoc ipsum reputari: & quia de his qui erant cum rege talia mandata venirent, quæ non cognouissent. Vnde nihil eidem Comiti scribere posset, neque per alium mandare, donec simul loquerentur, & de talibus, quæ vidissent melius ad vtilitatem & honestatem senioris sui pertinere, mutuo conferrent: quantocius autem potuisset ad regem pergeret, & cum illo degens, quantumcumque valeret, certaret, vt se coram Deo corde & opere custodiret, orique suo, ab ipsis etiam qui putabantur amici, custodiam imponeret, & de conuocatione fidelium regis, & directione ipsius animi, atque discussione huius regni: sed & interfectione Britonum Herispogij, Salomonis, & Almarchi, atque de itinere reginæ ad regem, prout ipse mandauerat, & quia multum de rege timebat.

Psalm. 140.

C Item de eo quod in litteris ipsius Comitis inter ipsum Comitem & regem commotionem cognouerat esse indebitam, vnde satis tristis effectus erat. Et quia de his quæ sibi litteris significauerat, apud regem, prout potuisset, satageret, & quidquid inueniret, si ad eum remitteret, ipsi remandare curaret. Adiiciens quid sibi de hominibus suis acciderit, quos secum super Ligerim habuit: monens & confortans in Domino, ne commoueatur leuiter pro talibus, quibus illi qui Deum timere nesciunt, commouentur: sed suum bonum nomen, sicut bene cœpit, vsque ad finem perducere studeat. Et quia regis animum iam bene cognosceret, qui licet aliqua sit perturbatione commotus, statim vt cum eo locutus fuerit & ei suam deuotionem manifestauerit, sicut decet, & sicut rectum est, eum habebit.

D Admonens, vt iuxta Apostolum omnis indignatio auferatur ab eo cum omni malitia.

Ephes. 4.

Quod si fieret, pro eo quod rex nepos ipsius esset, plus pium animum erga eum haberet, pro hoc quod senior ipsius esset, plus humilem haberet animum circa ipsum. &c. WELFO cuidam nobili viro, multas gratiarum referens actiones, quod talem erga se conseruasset amicitiam, vt hominem ipsius sine consensu eiusdem recipere noluisset, & quod idem homo se sine causa dimiserit, & sine licentia sua irreuerenter abscesserit, quod nemo suorum adhuc alius fecerat: intimans qualiter eum susceperit, & quam benigne nutrierit, multaque illi bona fecerit, qualiterque iste inter seniorem suum & regem missus ad ipsum, inconuenienter egerit. Petit autem, vt nullatenus eum recipiat, antequam secum loquatur, & sciat si rectam contra se idem homo rationem habeat: adiiciens non id se de illo ideo replicare, vt aliquod odium illius teneat: sed ne ille contra iustitiam recipiens hunc, in Deum peccet, & in se amicum ipsius offendat: præsertim cum salua amicitia, per eius licentiam illum habere poterit. FOLCONI Comiti palatij regis, pro quodam presbytero parochiæ Suessonicæ, qui relicto Ecclesiastico ad ciuile iudicium proclamauerat super accusatore suo, qui probaturum se promiserat esse quod aduersus eumdem presbyterum proferebat. Mandat autem huic Comiti, ne in hac se causa commisceat, antequam ab eo tractetur; an id rationabiliter fieri debeat, quia de presbyteri & Ecclesiæ causa ad Episcopos & ad synodum diffinitio pertineat, non ad malli vel ciuilium iudicum dispositionem. &c. E

MAIONI illustri Comiti, gratiarum referens actiones pro benignitate & sollicitudine, quam domno Theoderico Camaracensi præsuli, viro sancto, & Ecclesiæ ipsius exhibere curabat, petitque vt si in eorum diebus idem Dei seruus ad communem Dominum transiret, pro electione concedenda clero & plebi Ecclesiæ ipsius apud Lotharium imperatorem satageret. De pace quoque procuranda inter reges, vnde sibi scripserat, rescribit, quia semper eam desiderauerit, & vt inuiolata inter eos maneret, prout potuit, commonere curauerit, & quantum Deo cooperante valuerit, inde laborare curabit. F

RORICO Normanno ad fidem Christi conuerso, vt in Dei voluntate, & mandatorum illius obseruatione proficiat, sicut & eum velle ac facere per multos audiebat, & vt nemo ei persuadere valeat, quo contra Christianos paganis aut consilium, aut adiutorium præstet: quia nihil ei prodesset baptismum Christianitatis accepisse, si contra Christianos vel per se, aut per alios quoscumque peruersa, vel aduersa fuerit machinatus. & cætera, quæ prosequitur, Episcopaliter intimans, quantum in talibus sit machinationis periculum. Monens etiam, vt Balduinum à Dei Spiritu, quo canones sancti sunt conditi, per Episcopalem auctoritatem propter filiam regis, quam in vxorem furatus fuerat, anathematizatum, nullo modo reciperet, neque solatium vel refugium aliquod apud se habere permitteret: ne illius peccatis & excommunicatione inuoluantur tam ipse, quam sui, atque damnentur: sed talem se exhibere procuret, quatenus ei orationes sanctorum proficere valeant. G

LVITARDO illustri viro, pro his quæ de ipso audiebat ad animæ illius periculum pertinentia: præcipue de quodam presbytero, quem contra leges de Ecclesia eiecerat, & alterum ibi constituerat, efficaciter & Episcopaliter monens, vt à talibus se præsumptionibus compescat: quia si non fecerit, ipse quod sacræ leges præcipiunt facturus sit in eum, & per omnia regna Episcopis vsque ad Papam Romanum, eum esse mandabit excommunicatum. Presbyterum vero aduenam, quem miserat in eadem Ecclesia, ab omni Remensi parochia excommunicatum esse designat. Item vocans eum dilectum filium, & ideo sic eum vocare se dicens, vt talem se faciat, quatenus in eius dilectione recte manere possit, velut item Præsul exoptat. Sed audiens eum non talem se exhibere, qualem * deberet erga Remensem Ecclesiam, de qua multa bona habebat, vt famulos ipsius Ecclesiæ inquietans cum pace non sineret degere, mandat illi ex auctoritate Dei & sanctæ Mariæ, & sancti Remigij, & sua Episcopali, necnon ex banno regis, cuius missus ipse pontifex erat, vt nullum impedimentum, vel ipse, vel homines sui hominibus Remensis Ecclesiæ faciant, nec per aliquod ingenium vel per consensum suum: sed si quid rationabile quærere vult contra potestatem Remensis Ecclesiæ, per legem quærat. Quia si aliter fecerit, tam per Episcopalem auctoritatem, quam per missaticum regis, quod inde rectum fuerit sustinebit.

decerct.

H

Excommunicat etiam quemdam Diaconum ipsius, qui aduersabatur famulis sancti Remigij. & cætera. * THAODVLFO Comiti, pro præsumptione Ecclesiastici ministerij, qua defuncto quodam presbytero abstulerat quæ idem presbyter in eleemosyna pro se dari præceperat, & insuper vsurpauerat quæ ad ipsam Ecclesiam tunc relicta fuerant. Ostendit ergo manifeste, quam maximum crimen sacrilegij commissum sit ab eo: sed & quomodo contra humanas egerit leges, & quid inde fieri debeat, & qualiter Ecclesiæ in potestate & ordinatione sint Episcopi secundum sacros canones, & imperialia capitula. Vnde mandat

) Theudulfo.

dat

dat ei, vt iuxta sacras auctoritates, & regum præcepta, quidquid de facultatibus ipsius Ecclesiæ acceperat præsentialiter Ecclesiæ reddat, & presbyteris, quibus res commendatæ fuerant, restituat, deinde ad se veniat, vt inde medicinam accipiat, quatenus sanus fiat, dans illi spatium septem dierum postquam litteras ipsas acceperit, vt octaua die ad se veniat, quo vel si non est ita, debitam ratioñe reddat, vel si est ita, congruam satisfactionem agat: quod si non fecerit, exemplar istarum litterarum ipse regi transmittet, vt ille suum inde ministerium faciat, & postea idem Præsul suum exinde perficiet. Et quoniam audierat quod ipsam Ecclesiam idem Comes denominato pretio vendere pararet, adiecit: *Propterea scias inquiens, quia si vel vnum denarium tibi aliquis clericus pro ipsa Ecclesia, vel pro alia aliqua in mea parochia, per se, aut per interpositam personam dederit, per me ordinatus in ea non erit. Si autem vis ibi habere presbyterum, adduc mihi talem clericum, qui aptus sit sacro ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo, & tunc illum ordinabo. si mihi talis clericus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donauerit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, vsque dum ibi ordinem presbyterum. Cui si aliquod impedimentum contra diuinas & humanas leges feceris, & manifestum fuerit, presbyter ibi permanebit, & tu & omnes qui tibi consenserint, ab omni Christianitate vsque ad satisfactionem eritis separati. Hæc, care fili, ideo mando tibi & taliter commoneo, quia saluum & honoratum te cupio, & inter filios Ecclesiæ te in loco filij habere volo. Et si me coegeris, vt sicut Dominus dicit in Euangelio,*

Matth. 18.

*sis velut Ethnicus & publicanus, non mihi, sed tibi reputare debebis. Postquam istas litteras dictaui, dictum est mihi quod matricularios à ministro meo constitutos de illa matricula eiecisti, & ibi * Bonarium misisti, & pro illa matricula in pretio vnum asinum accepisti.*

J. Bonarium.

Quod si ita est, non solum criminaliter fecisti, quia contra omnes leges Ecclesiasticum ministerium homo laicus vsurpasti, & eleemosynam, id est misericordiam pauperum ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est sicut Iudas proditor, vendidisti. Sed etiam turpiter hoc nimis fecisti, vt de mendicitate, de qua mendici viuere debent, Comes & honoratus regis consiliarius in pretio asinum accepisti, & omnes qui hæc audiunt, pensare possunt qualiter de aliis causis pro amore & timore Dei, & reuerentia tui ministerij iuste & recte facies, qui de tali miseria sine vlla verecundia turpe lucrum requiris.

Anselmo illustri viro, pro quodam presbytero, quem apud se accusauerat, sed ad denominatum placitum non venerat: significans purificasse hunc presbyterum canonice seipsum à crimine coram missis ipsius Anselmi, in conspectu plurimorum tam clericorum quam laicorum, non tamen misisse, quia nec debuerit, in sacramentum plures sacerdotes ipsius testes. Hortatur autem & monet, vt omnem rancorem, quem contra præfatum presbyterum habebat, à corde suo expelleret, ostendens quantum malum sit odium retinere in corde. Interdicit etiam auctoritate Dei & sanctorum eius, vt eidem presbytero nullum præiudicium vel machinationem inferat, quia si fecerit, ipse inde suum ministerium faciet. Precatur etiam vt iustitiam Dei, sibique faciat de hominibus suis, qui presbyteris quibusdam testibus præmissi presbyteri ausi sunt iniurias intulisse: quia si non fecerit, & de ipsis quoque suum facturus sit ministerium. Bernardo Comiti Tolosano propinquo suo, pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitania coniacentibus, quas ille in præstariam sibi concedi petebat: quod idem Præsul se facturum negat, quia non audeat, propter testamentum sancti Remigij, quod id omnino fieri prohibuerit. Vnde alteri quoque Bernardo Comiti * Rodomensi scribit, vt loquatur cum hoc Bernardo, ne res easdem suis hominibus in beneficium donet, vt eum fecisse audierat, & de inquisitione harum rerum, si rex iuberet, per ipsum agenda. Item præfato Bernardo Tolosano pro eisdem rebus, adiurans illum per Deum omnipotentem Dominum Iesum Christum, & per eius genitricẽ, sanctumque Remigium, vt nihil inde præsumat, nec vllũ impedimentum mancipiis in iisdem cõsistentibus faciat: neque Bernardo Comiti Aruernico, cui easdem commiserat ad defendendum, inde molestiam ingerat: quia si fecerit, eum à liminibus sanctæ Ecclesiæ, & à communione fidelium cum plenitudine Episcoporum, tam Aquitaniæ,

J. Rodonensi.

quam aliorum regnorum segregabit. Item admonens eũ pro eadem re, vt conciliet sibi amicitiam sanctæ Mariæ & sancti Remigij de præfatis rebus, ostendens ea sacris auctoritatibus, quantum periculum sit res sacras iniuste retinere, caueatque ne Ecclesiasticum iudicium proinde mereatur in hoc sæculo, & æternam perditionem in futuro. Item quia præiudicium & non modicum damnum Remẽsi faciebat Ecclesiæ, ostendit eum prædamnatum à sacris canonibus sanctorum iudicio, & à se cæterisque Præsulibus, quorum res Ecclesiasticas vsurpabat. legationem pro hoc præiudicio directam, & tunc iterum cum imperatore ad Papam Romanum dirigendam, quatenus eius auctoritate congregata synodus, eum, cæterosque rerum Ecclesiasticarum peruasores damnationis sententia percellat. Ideo secundum Euangelicam auctoritatem prius cum Episcopali auctoritate commonet, atque per crucem Christi & sanguinem ipsius interdicit, ne de rebus Ecclesiæ Remensis sibi præsumat, neque à quocunque, nisi ad ipsarũ rerum contra peruasores defensionem, præsumi consentiat.

Matth. 18.

Engelramno, Goslino, & Adalelmo Comitibus scribit, mittens eis cum literis suis litterarum regis exemplar, in quibus continebatur, vt Episcopos conuocaret & laicos fideles regis, ad prohibendum vel resistendum Karlomanno Diacono regis filio, qui insurrexerat contra patrem suum: in quibus litteris, quærens quid eis super hoc regis sit agendum præcepto, designat non esse Karlomannum suæ prouinciæ, vtpote qui sit ordinatus ab Hildegario Meldensi Episcopo, & secundum canones non possit aliquid disponere de illo, Episcopus quoque de alia prouincia conuocandi potestatem non habeat, sed neque suffraganeos suæ sedis tunc tempus habeatur conuocãdi, cum dies instet Natalis Domini: & licet Episcopi conueniant, & Karlomanno suas parochias interdicant, non sibi videtur vt pro eo quod cœpit dimittat, si alia potestas illi non contradicat. Considerandum vero monet rationabiliter, quid iuxta mandatum regis super hac re sit agẽdum, ne malum maius accrescat. Significans qualiter conueniendum, & alios eis sit conuocandum, dansque consilium vt idem Karlomannus aduersum se non prouocet Deum & patrem suum, Episcopos quoque regni huius, & populum ad iracundiam contra se, ne & in animo, & in corpore, tam ipse, quam illi qui eum secuti fuerint, pereãt. Ipse vero Præsul & hi Comites mittant ad regem, vt eum faciant, prout melius potuerint, illi placabilem: sin autem aliter eis videtur, sibi remandent, & cætera. Item eisdem pro hac ipsa re, designans bonum sibi videri fuisse consilium, quia non commouerint populum antequam simul loquerentur, considerantes si quid boni possent inuenire cum Karlomanno, credens quia suum & ipsorum debeat obaudire consilium, & cæt. Item Karlomanno, Goslino, & Conrado, pro iussione regis quã mandauerat, vt ipse Præsul cum cæteris fidelibus regis conueniret ad mandatum regis audiendum, & Karlomanno denuntiandum: designans vbi & qua die vel hora simul conuenire debeant, & vt Karlomannus Goslinum & Conradum ad ipsos mittat, vel ipse Karlomannus, si placuerit ei, ad eosdem veniat, vt missaticum regis simul cum ipsis audiat, & ibi pariter considerarent, qualiter ei ad salutationem & honorem suum de cætero sit agendum. Hardvino Comiti, pro causis supradictis de Karlomanno, quomodo tunc res se haberet, & quia obsides inter se dederant, & cum Karlomanno locuti fuerant, eique suaserant, vt pacifice in hoc regno degeret, ac veniente patre cum ipsis ei obuiam pergeret. Sed quia regem citius quam sperabatur audierat aduenire, quid idem Karlomannus tunc facturus esset se nescire fatetur. Monet tamen vt præparatus sit hic Comes ad mandata regis, si qua iusserit, exequenda. Item pro quibusdam malefactoribus hominibus cuiusdã Wiperti, qui rapinas, incendia, & homicidia, & alia mala faciebant, commonens eumdem Harduinum, vt eum fratre suo Hadeboldo decertet, quatenus hæc mala legibus emendentur, & cessent, ne ipsi, qui missi regis erant in hoc regno, pro talibus offensam illius incurrant: quod ipse quoque certaret agere, nisi corporali detineretur infirmitate. Insuper & cum * Gaulfo regis fideli lo-

Supra c. 12.

J. Grimulfo.

A quatur, qui hos malefactores recipere ferebatur, & oſtenderet illi quantum periculum ſuum in eos recipiendo faceret, admonens vt à talibus deinceps ſe cuſtodiret. Item de his quibus ſignificauerat ſe accuſatum apud regem, & quia * non expreſſe litteris eandem intimauerat accuſationem, mandat vt ad ſe miſſum fidelem & rationalem dirigat, per quem rei veritatem diligentius agnoſcere poſſit, & ei verum conſilium dare, & ipſum inde in rebus pro viribus adiuuare. * MAINDANDO cuidam amico ſuo, pro rebus ſancti Remigij in Voſago coniacentibus, de quibus quidam homines quoddam manſionile conabantur auferre. Vnde iam miſſi regis Ludovvici requiſierant, & inuenerant quod Remenſis Eccleſia iuſte illud teneret, & manifeſtum eſſe, quia infra fines illarum rerum, quas ibi ſanctus Remigius comparauit, nulla poteſtas aliquid haberet, niſi Remenſis Eccleſia. Vnde precatur iſtum, vt ſi res ipſas euindicare quiete potuerit ad partem huius Eccleſiæ, faB ciat: ſin autem, vel detineat ne reddantur aut addicantur aliæ poteſtati, donec ipſe & Luitbertus Archiepiſcopus ſimul veniant, & ſecundum legem per Eccleſiæ aduocatum res rite diffiniatur. & cætera. Item pro eadem re, exhortans & petens, vt de ipſis rebus maiorem curam adhibeat. &c. ERLVINO amico etiam ſuo, pro præfatis rebus, & manſionili quo ſupra. Item gratiarum referens actiones pro auxilio quod impendebat præmiſſis rebus & mancipiis, precans vt quod bene cœpit perficiat, & vt monaſteria ſeruorum Dei pacem de præfatis rebus habere poſſint, adiutorium præbeat, & vt quædam manſa, quæ ab ipſa poteſtate iniuſte auferebantur, iuſte reuocarentur, ſolatium adhibeat: mittens ei dona in auro & argento, & obſequium dignum tam ſpeciale quam temporale promittens. Item ſignificans quod audierat, pro eiſdem rebus petens vt regi Ludouico ſuggerat, quatenus pro redemptione animæ ſuæ res quæ abſtractæ ſunt, Eccleſiæ Remenſi reſtitui faC ciat, & eas ipſi Erluino commendet, ipſumque miſſum faciat ad inquirendam & peragendam de rebus ipſis iuſtitiam, mittens eidem Erluino quoque vaſorum argenteorum munera. Item ſignificans quod audierat quendam Lantfridum ſe iactantem, quia impetrauerat res præfatas apud imperatorem Karolum, vt haberet ipſas, eodem domno Hincmaro conſentiente, in beneficium, quod per omnia dicit eſſe mendacium, nec obtinere poſſe apud ſe omnes reges qui ſub cœlo ſunt, vt illas res vnquam ab aliquo teneri conſentiat, propter alligationes, quas ſanctus Remigius in teſtamento ſuo diſpoſuit. ODALRICO illuſtri Comiti & amico ſuo, pro cauſa ſuorum hominum, quorum res Ludouicus rex Tranſrhenenſis domnus huius Odalrici male tractabat, iniuſte agens contra ipſos: monetque vt inde iudicium Dei regum regis timeat, & quod iniuſte egit emendare procuret. Et quod audierat idem rex ſuaſiſſe domnum Hincmarum regi ſuo, vt proprietates auferret, quas fideles Ludouici in reD gno ipſius poſſidebant, & ideo abſtuliſſe ab huius fidelibus proprietates ipſorum, dicit non decuiſſe regem de Catholico & fideli ſuo Epiſcopo talia credere, antequam veritatem inde cognoſceret, & quia contradixerit etiam conſiliariis regis, qui ſeniorem ſuum id hortati ſunt agere. Oſtenditque qualiter Karlomannus rex frater Karoli magni, villam Nouiliacum ſancto Remigio tradiderat, & qualiter deinceps vſque ad id temporis eadem villa tractata fuerit: & quia de honoris & animæ periculo ei res agebatur, ſi fraudem rerum Eccleſiæ ſibi commiſſæ conſentiret, & periculum ſenioris ſui regis illi celaret, qui nec etiam pro toto mundo ſuum gradum & ſuam animam perdere vellet. & cætera. Item gratias agens de his quæ pro petitione ipſius erga fideles eiuſdem decenter executus fuerat, & quia in eius dilectione manebat, petens vt deinceps idem agere non deſinat. BERTRANNO illuſtri comiti Tardanenſis pagi propinquo ſuo, pro ſacramento regi agendo, qualiter regi fidelitatem iurare deberent, qui in ipſius comitatu conſiſtebant. Item pro loco vacante ſine presbytero, vbi ſancta Patricia requieſcit, monens vt quantocius E miniſtris Eccleſiaſticis clericum ſacro miniſterio aptum oſtendat, qui valeat ibi ordinari, ſciens pro certo, quia poſt ordinationem, quæ fieri debebat in proximo, ipſum locum ſine presbytero non dimitteret: quia nec cum mercenario, nec ſine paſtore proprio ipſos homines audebat dimittere: & ſi ipſe non præſentaret eum, qui dignus poſſit inueniri, ille ordinaturus eſſet qualem meliorem potuiſſet inuenire. Item pro Haimone fideli ſuo, quem idem Comes ad placitum ſuum per bannum vocari iuſſerat, qui rege iubente in ipſius ſeruitium prouectus erat. BOSONI illuſtri Comiti, de agenda electione Siluanectenſis Epiſcopi, oſtendens quod non ſit ſui miniſterij quamcunque ſpecialem deſignare perſonam, & cæt. Item BOSONI viro inclyto, gratiarum referens actiones pro rebus Eccleſiæ Remenſis in Prouincia ſua, quas vt ſibi promiſerat, tutabatur, monens vt ſe talem præparet, qualiter orationes ipſius & Eccleſiæ ſibi commiſſæ illi proficiant idque quod de ipſo periculoſum audierat, non F tacens, videlicet quod res diuerſarum Eccleſiarum ſuis hominibus dediſſet: vnde ſatis timendum eſſe denuntiat, ne orationes fidelium Dei pro ipſo impediantur à clamoribus ſanctorum in cœlis cum Deo regnantium, & cæt. * COIRANNO Comiti, propter quemdam hominem ipſius, qui grauia quædam commiſiſſe ferebatur crimina, & quia non audebat ea domnus præſul indiſcuſſa dimittere, precatur hunc propter dilectionem, vt eum ad ſe venire iubeat diſcutiendum ab ipſo: quia ſi non faceret diſtringetur grauius ab illo tam de miniſterio Epiſcopali, quam de miſſatico regis. IARMBERTO illuſtri viro amico ſuo, precans pro Hincmaro nepote ſuo, quem miſerum appellat, vtpote qui pro exceſſibus ſuis tam grauia ſuſtinebat, petenſque vt illum in ſuis neceſſitatibus adiuuet. RATNOLDO Comiti, pro rebus Remenſis Eccleſiæ, quas receptas ſe habere ſignificauerat, & de manibus diripientium ereptas. THEVDERICO illuſtri Comiti, mittens ei nomina ſuorum in expeditionem, regiſq; ſeruitium properantium. Item pro muneribus argenti, G quod regi moranti ad Dei ſeruitium in terra per paganos deſerta mittebat. Item pro ſollicitudine quam tempore Ludouici regis nuper defuncti ſuſceperat idem Theudericus de filijs ipſius regis, ne moleſte acciperet, ſi eum commoneret cauſa dilectionis, vigilem eſſe debere apud filios eiuſdem regis. Oſtendens quia non ſolum grandis præſumptio, ſed etiam magnum periculum eſt, vni ſoli generalem regni diſpoſitionem tractare, ſine conſultu & conſenſu plurimorum. Notificans quoque de his quæ ſibi mandauerat, qualiter quondam inter reges Ludouicum, Lotharium, & Karlomannum fuerit actum, & qualiter tunc ſit agendum: ſubiungens capitula quædam, quæ à tribus regibus, Ludouico, Karolo, & Lothario ſimul conuenientibus conſtituta & confirmata fuerunt. Item pro quodam Epiſcopo religioſo, petens vt det ei locum loquendi ſecum, vt per ipſius interuentionem peruenire valeat ad regis præſentiam, & ea quæ rationabiliter poſtulauerit obtinere, & alia quædam ſcribit etiam eidem. H HVGONI etiam filio Lotharij regis, ſignificans ſe amicos & familiares habuiſſe patrem & auum ipſius Lotharium imperatorem: & quia ſalutem ipſius optabat, idcirco quod audierat de periculo eius, cauſa dilectionis ei notum faciebat: multos ſcilicet prædones conſpiraſſe & conſpirare ſecum, ipſoque principe atq; auctore innumeras & horrendas fieri deprædationes, aliaque multa ſcelera perpetrari, quæ omnia in caput ipſius redundarent: oſtendens quam horrendum ſit pro tantis ſceleribus perpetuas pœnas mereri: demonſtrans hæc eadem perueniſſe ad ſynodū Epiſcoporum in Neuſtria geſtā. Inſuper etiam quod regni moliretur peruaſionem: ibiq; mādatum de præfato conuentu, vt ad eum mitteret atq; moneret (iuxta quod leges Syn. in Neuſtria an. 877. præcipiunt) à tantis malis reſipiſcere, ipſoſq; malefactores à ſe diſiungere, & à ſeditione ac regni peruaſione ſe cohibere. Si vero ipſius commonitionem & mandata ſynodi obaudire non vellet, tam ſuæ diœceſeos, quam de vicinis prouinciis Epiſcoporum ſynodum conuocaret, & ſynodali Epiſcoporum ſententia eum, ſuoſque complices atq; * fautores excommunicaret. Poſtea vero omnes hi E-

Margin notes: .omit. nō. — ſ. Maingaudo. — .Gerino — ms. factores.

piſcopi

A piscopi eamdem excommunicationem Romano Pontifici, & omnibus Episcopis ac principibus per circumiacentia regna notam facerent. Vnde monet eum tanquam filium, vt recogitet in quanto periculo sit, proponens ei diuinarum sententias auctoritatum, vt periculum suum recognoscere possit, hortansq; ac monens, vt nulli adulatori credat ad peruasionem regni aggrediendam inferens vt attendat, quid profuerit patruis eius, vt contra legem Dei regni peruasionem inceperint, & quod pater eius pro labore, quo contra Dei voluntatem laborauerat, & vitam perdiderit & regnum. Adijciens quod leges de peruasoribus regni præcipiant. Subiungens etiam, quod rex eidem promiserit, & ea parte ostenderit, eum se velle honoribus ampliare, & honoratum habere si culpa ipsius non fuerit. Admonens etiam, vt non auscultet hominum prauorum hortamenta neque imitetur malignantes, qui florent ad tempus, & cito sicut fenum arescent, sed obaudiat scripturam sanctam veridice dicentem: Expecta Dominum, & custodi viam eius, &c. *Psalm. 36.* B Subnectens quoque, vt sibi de his certam & veram responsionem remandet. ENGILGARSO cuidam illustri literas direxit huiusmodi:

HINCMARVS EPISCOPVS ENGILGARIO salutem.

PERVENIT ad nos, quia hominem tuum Rathrannum irrationabiliter & inconuenienter periculosum sacramentum iurare fecisses, qui licet tibi seruitium debeat, tamen sub nostra cura & tu & ille de salute vestra esse debetis. Propterea mando tibi, quia valde miror te non intellexisse, grauius esse periculum, cum hominem aut suadendo, aut terrendo in periurium mittas, quam si te solum periurares: quoniam in te vnum periurium, immo pro periurio homicidium perpetrares: cum autem alium periurare facis, & te & illum perdis. Et ideo mandamus, vt si ita causa habetur, sicut ad nos peruenit, ab Ecclesia & altario te abstineas, donec ad nos venias, & de tali incautela aut dignam excusationem facias, aut dignam pœnitentiam accipias.

LEVDOWINO amico suo, pro rebus & mancipijs Remensis Ecclesiæ in Prouincia consistentibus, sæpe litteras direxit. C Item LATVARDO & HILDVARDO alijsq; in eodem pago degentibus, tam pro ipsis rebus, quam pro animarum salute scripta direxit. ACHADEO Comiti, pro rapinis quas audiebat ab eius hominib. fieri in ipsius comitatu, & pro villa Spantia, quam ille annonam Ecclesiæ Remensis auferre disponebat: notificans ei, quod si aliquid inde raperet, tam ipsum quam suos excommunicaret, & alienos ab omni Christianitate faceret, atq; per suum missaticum, quod de illo Comite fieri debet, qui in suo comitatu iniustitiam faciat, exequi procuraret. AMALBERTO illustri Comiti, pro iniustitia quam audierat eum in suo perpetrasse iudicio, eligendo rex cuiusdam interfecti ab eo, qui secundum commendationem ipsius eas in illius eleemosynam distribuerat: perhorrescens quod Christianus & moriturus admittere talia non expauerat, timens Dei futurum iudiciũ. Et ostendit per diuinam auctoritatem, quam graue perpetrauerit flagitium, reducens ad mentis oculos, ne fori e mercenarius, nõ pastor, haberetur: iniustitiam videndo & tacendo, & quia missus Imperatoris erat, & capitula ipsi ita pro defensandis D aduenis & necessituosis habebat. Vnde tam eidẽ Comiti, quam omnib. exactorib. atq; iudicibus, qui in hoc resederãt iudicio, verbo Dei omnipotentis & banno Imperatoris, Episcopali auctoritate pręcipit, vt eũdẽ hõem nullus pro hac re condemnet, aut inquietet, vel contradictionem faciat, donec ipse Præsul per seipsum, vel per missos suos hãc causam diligenter inquirat, & secundum leges Ecclesiasticas & humanas hoc iuste & rationabiliter diffiniat. Denuntians quod quisq; hoc contra Dei pręceptum pręsumpserit agere, primo secundum capitula legalia hoc eum emendare faciat, deinde secundum leges Ecclesiasticas illũ à coĩe Christianorũ vsq; ad satisfactionẽ repellet. Denuntiat ẽt, quia quoscumque ad placitum suũ venire mandauerit, vt hanc causã diligenter inquirat, & legaliter atque regulariter diffiniat, si venire neglexerint, post tertiam cõmonitionem ab omni Christianorũ cõsortio vsq; ad satisfactionem repellet, nisi rationabilem ostenderint excusationem. Adijciens de flagellis quæ * patiebantur multi, & ostendens quod ideo hæc tam dariter ex Dei verbo annũtiet, vt intelligant quanta sit offensa, in hac causa contra Dei præceptũ, & sacras pręsumere scripturas, admonẽs ne de peccatis alienis peccata sua accumulent. E SIGEBERTO, pro præsumptione & præiudicio quod egerat pro quadam Ecclesia cuidam presbytero: mandatq;, & vt hoc præsentialiter emendet, & à talibus leuitatibus vel præsumptionibus se caueat: quia si non fecerit, suum de eo ministerium facturus sit, & cæteris Episcopis, vt idem faciant, notificabit.

*patiebãtur multi.

Quæ aliquibus reginis scripta miserit.

CAP. XXVII.

IRMINGARDI Augustæ scribens, congratulatur audito religionis ipsius feruore, asserens se in precibus assiduus pro ea dependere munia. Item respondẽs ad litteras quas ipsa sibi direxerat, significãtes intimasse illi quosdam homines, quia per eiusdem Episcopi iussionem multa mala fierent erga res Auennaci monasterij, Berthæ ipsius imperatricis filiæ: *Auennap* F asseuerans quod diabolus per eorum sit ora locutus mendaciũ, velut est pater mendacij. *Ioann. 8.* Si quid vero hõies ipsius iniuste fecerint in rebus ipsius monasterij, non denegat: tamen quia & ignorauerit, & non consenserit, nec voluerit, indicat. De quodam præterea manso, quod illa significauerat iniuste abstractum à præfato monasterio, asserit quod nulli homini, quantum sibi conscientia testimonium perhibebat, iniuste vnquam mãsum abstulerit, sed apud regẽ pro eo petierit, & obtinuerit, vt missus suos dirigeret, qui diligentissime hoc inter Ecclesiæ Remensis & Auennaci monasterij possessiones æqua lance indagantes, decernerent. Nã ipse qui sua pro Christo dimiserat, nec vellet, nec indigeret: ea tamen quæ sibi commissa erant, sine ratione & lege negligenter dimittere non audebat. Adijciens esse multa de ipso monasterio, vnde ipsius, filiæq; suę indigebat auxilio: petitq; vt mittat missum suum strenuum & fidelem cũ misso filiæ suæ, qui vna secum quę corrigenda sunt ibidem corrigat, & videat quam intentionem & voluntatem ipse G in talibus habeat, ne ipsis & sibi periculum, quod absit, exinde maneat: petitq; vt animus ipsius sit semper sollicitus, ne alienæ linguæ facile credat, maxime de sacerdotibus Christi: quoniam diabolus, si non põt in alio, in hoc velit intentionem ipsius fuscare, vt eam faciat in opinione indebita sacerdotum errare. Denique quod adiecerat ipsa, se pro eo suggessisse animo Imperatoris Lotharij, cõtra ipsum fecisse illa testatur, non vt magnam & Deo deuotam decet facere coniugem. *Ego, inquit, scio quia ei multa de me dicta fuerũt contraria: sed si vult poterit cognoscere non esse vera: tamẽ eum non audeo reprehendere, quia Dominus est, nec in eius persona dico. sicut, legitur in scripturis: Qui libenter audit verba mendacij, ministros quoq; habebit impios.* *Pro. 19.* *Videlicet qui de pijs erga eũ voluntarie loquũtur impia. Qui illi ea dixit ex mea parte, quæ mihi mandastis, aliter quã verum sit dixit male aũt interpretatus est bene dicta. Si voluisset cognoscere verum, & aliquis missus mihi de supra veniret, vt vera ex me cognosceret, sicut venit, & me qualemcumq; Christi Domini sacerdotem suggillauit, libentissime suo animo satisfacerẽ. De meo aũt misso, sicut dominatio benignissima vestra mãdauit, vt ad eum* H *dirigam qui ei hoc affirmet, quod de eius infidelitate nihil velim tractare, scitis quãta mẽdacia nũc per istud vadũt seculũ, & quãta sinceritas debeat esse in sacerdote, & quãtã merito dñno meo velim seruare fidelitatẽ. Et idcirco ne mali interpretes male bonũ interpretẽtur, hoc adhuc facere nõ possum. Tamen si vult credere dominum meum Lotharium põt veraciter cognoscere, quia non tantum illi, sed nulli homini in mundo sum infidelis, & si vult credere, credat: sin aũt, cum ille inter principes, & ego inter Episcopos ante regem regum & Episcopũ Episcoporum venerimus, tunc quid inde verum sit, plenissime sine alicuius indicatione cognoscet:* &c. BARTHAS abbatissæ Auãnaci monasterij, pro impedimẽtis, quæ fratres ac seruiẽtes monasterij Altuillaris, aliarũq; villarũ Remẽsis Ecclesię patiebant ab hominib. ipsi', postquam in hoc regnũ illa deuenerat. Vñ petit vt diligẽtiã, studiũq; adhiberi iubeat, ne tãta & sic insolita prædicta hęc patiat Ecclesia de ipsi' vicinitate, de qua solamẽ, & gaudiũ pro ipsi' bona vita & sobria conuersatione habere debebat. Quod si egisset, Deum proinde placabilem sibi faceret, & sanctam Mariam, sanctumque Remigium sibi conciliaret, ab ipso quoque obsequium Epi-

scopale haberet. Si vero suos corrigere paruipenderet, ipse licet inuitus aures regis inde pulsaret: vt si necesse foret, vt in tantum causa excresceret, ministerium Ecclesiasticũ, secundum regulas canonicas, in eam, suosque exerceret. IRMINTRVDI reginæ, pro Beloacensis Ecclesiæ disposi- tione in pastoris electione: petens vt suggerat regi, ne à quocumque in quamcumque partem animus illius indebite posset inflecti de huius Ecclesiæ dispositione, donec ipse in eius seruitium veniens, quæ ipsi necessaria fuerint notificans, ipsius iuribus pandat: & sic quæ Deo sint placita, & illis vtilia, Domino annuente, disponere procuret. ROTRVDI Deo sacratæ, & cæteris sororibus monasterij sanctæ crucis, & sanctæ Radegundis, pro electione Abbatissæ ipsius monasterij, pro qua rex præceperat Frotario Archiepiscopo, & Erardo, atque Angenoldo, ad præfatum monasterium pergere, & electionem regularem ibi facere: & si cuncta concors cõgregatio, vel pars quamuis minor, tamen melior, Rotrudem elegisset, constitueretur in ordine Abbatissæ. Si autem omnis congregatio concors

B

illam abiecisset, & aliam eligeret, illa quam concorditer elegisset, in ordine Abbatissæ maneret, donec regi renunciaretur, & quæcumque ibi fuisset electa, onus Abbatissæ susciperet, & Odila ad suum monasterium reuerteretur. Primores autem clerici & vasalli ad reginam venirent, sub cuius defensione, post Dei & sanctorum eius, consistere deberent. *Propterea*, inquit, *diligite sorores ante omnia: & tu priuatis collocutionibus, & in publico vestro conuentu, remittite & abijcite funditus à cordibus vestris omnes iniurias, & scandalorum fomites, quæ hactenus inter vos orta fuerũt: vt nulla de sorore sua vindictã, aut pro sermone, aut pro facto, vel pro aliquo despectu quærat, aut à Deo, aut in sæculo. Quia sicut Dominus protestatur, sine concordia quidquid ei obtuleritis nõ illi placebit: siue .n. oraueritis, siue sacrificiũ obtuleritis, siue vos afflixeritis, sine hac caritatis cõcordia nihil Deo placabile erit. Quia sicut dicit Apostolus: Etiamsi tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et scitis, quia regula quam professæ estis, propter scandalorum spinas, quæ oriri in monasterio solent, orationem Dominicam in matutinis & vespertinis officijs, ita vt omnes illam audiant, à priore orari præcipit, vt timentes conuenientiam quam dicimus: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitorib. nostris omnem rancorem de corde nostro pellamus. Quæ dum prius egeritis ac per vestram discordiam, quod absit, regularis electio de vestro monasterio pereat, aduniate vos ad Dei voluntatem, & regalis deuotionis vnanimitatem, vestramque ipsam salutem, præsentem, scilicet atque æternam, cum caritatis concordia, quæ est omnium virtutum mater, & cum humilitate, quæ est custos ipsarum virtutum, atq; cum vera obedientia, quæ scala est qua ad cælum pertingitur, & in vobis salubri electione concordate, & vosmetipsas ad regularem normam reducite, & constringite ac conseruate: quia aliter, sicut melius ipsæ scitis, saluæ esse nequaquam valetis. Et sicut animos ab inquietis motibus, ita & linguas à prouocatiuis iracundiæ, vobisque nociuis sermonibus custodite, contestante Apostolo: Omnis clamor & indignatio auferatur à vobis cum omni malitia, & omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Ne sicut solent homines prius dolore commoti, & postea aliquo gaudio, quasi victoriosi, obtinentes quæ desiderant, exhilarati, de quocumque homine, quæ non conueniunt aliqua vestrum dicat: ac & patientiæ meritum inutilibus sermonibus coram Deo perdatis, & si aliquis fuerit, qui aliqua prouocatione quamcumq; vestrum ad hoc instigare voluerit, vt quæcumq; indebita de quocumque proferat, qualiter illam comprehendere possit, vt rationabiliter damnare præualeat, locum nec diabolus, nec astutus homo ex inde aliquo modo habeat: sed tales vos exhibete, vt interius, exteriusque decenter ornatæ dignas atque exaudibiles orationes, & pro vobis, & pro seniore ac domina * vestra, proque non solum amicis vestris, verum etiam & pro inimicis, ad aures Dei mittere valeatis.*

Matth. 5.

1. Cor 13.

Regula S. Bened. c. 13.

C

Ephes. 4.

D

m. nostra.

TAVTARGÆ abbatissæ pro ordinatione Auennaci monasterij, quam ipse quondam cum Irmintrude regina disposuerat, de numero clericorum & nonnarum, atque de rebus villarum ipsius monasterij, videlicet mille centũ quinquaginta mansis: significans se disposuisse xx. clericos, & xl. nonnas ibidem consistere posse, victumque eis prouidisse, & res necessarias ac ministeriales instituisse, præter luminaria, & cætera monasterij necessaria, ostendẽs quod Niuardus Remorum Archiepiscopus de rebus Remensis Ecclesiæ monasterium Altuillarense construxerit, & frater eius de suis proprietatibus, & quæ alij boni homines ad eundem locum dederunt, Auennacum extruxerit monasterium, quodq; ad Ecclesiam Remensem tradiderit, vnde & chartæ habebantur id aperte pandentes: sed per regium donum, sicut & aliæ res huius Ecclesiæ, ab externis à longo retro tenebatur tempore, &c. RICHILDI reginæ, significans quod * quando Laudunensis parochia Episcopo vacans in sua specialiter erat prouidentia, malefactumque sit de eleemosyna Irmintrudis reginæ per quẽdam præpositum Orniaci monasterij, postea vero huic Richildi per Winifridum presbyterum contra sacras leges male sit obeditum, vt regularis abbatissa de ipso eijceretur monasterio. Ostendit autem ex auctoritate sacra, quantum inde regina periculum habeat, & quia miserit ad eam qui moneret illam hoc euadere malum: illa vero non solum non emendauerat, sed malo peius supra addiderat, contra diuinam auctoritatem, neophytam scilicet in religione nouellam prouehendo ad regimen propter res terrenas acceptas ab illa. Adnectens, qualiter Hedenulfo Episcopo in Laudunẽsi Ecclesia ordinato, monuerit illum, vt suggereret regi Karolo tam perniciosum factum dissoluere, & se atque reginam à tanto discrimine liberare. Sed quia quod mouerat perduci ad effectum non viderat, ipse præfatum regem inde commouerit: sed ille, ne reginã contristaret, quod male factum sciebat, non correxerit. Reducit etiam ad memoriam, qualiter præfatus rex, petẽte Irmintrude regina, de rebus tunc suis per consilium Pardulli Laudunensis Episcopi, priuilegium ad idem Orniacum monasterium à se dictari, & à cæteris Episcopis firmari rogauerit, & ipse rex confirmauerit. Hic autem Præsul iussioni regis obediens, non suis verbis illud priuilegium composuerit: sed sicut beatus Gregorius papa de quodam monasterio à quadam regina ędificato, ipsa petente, dictauerat, & ipse quoque dictauerit, vel transtulerit, repetens maledictionem, quam domnus idem Gregorius contra præsumptorem illius monasterij iaculatus sit: adijciensq;, quod illa, quãdiu in hac pręsumptione & malefacto permanserit, quotienscumque corpus & sanguinem Domini accipere præsumeret, iudicium, id est damnationem sibi accipiet: obsecratque monens illam, vt non sensus ipsius, aut alicuius suggestio eam decipiat, sed de remedio regis animæ, ac de redemptione sua cogitet, & quod male actũ est corrigere festinet. Illud etiam quod audierat illam perpetrasse, scilicet quia præfatum priuilegium, & pręceptum regale de ipso monasterio obtulerat, quantum malum fecerit pandit, & hoc ideo, vt se corrigat, ne damnationem incurrat. Et quia si res, vt audierat, & mancipia de præmissa muliere neophyta acceperat, pro committendo regimine monasterij, Simoniacam hæresim incurrerit: & quod quamdiu eidem hæresi quisque fauerit, in corpore vnitatis Ecclesiæ Catholicæ coram oculis Domini esse nequibit: monens vt legat capitula regulæ sancti Benedicti de ordinatione abbatis vel abbatissæ, & inueniet, quam grauiter pro hac ordinatione in Spiritum sanctum, quo ipsa regula est promulgata, peccauerit: ex diuinis institutionib. propalans, quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam emptrix illa subierint: petens, vt quæ ille ex debito ministerij sui cum gemitu scribit, pro salute ipsius & remedio animæ regis, benigne suscipiat, & quia magna ex fidelitate hæc scribere curauerit, agnoscat. LAVTGARDI Ludouici Transrhenensis coniugi, pro suis missis, quos ad eumdem Ludouicum regem mittebat, vt per eius interuentionem ad illius præsentiam peruenirent, & eius intercessione ac dispositione rex idem strenuos missos ad Remensem dirigeret vrbem, qui eam & monasteria sibi subiecta saluare possent ab impetu superuenientis exercitus Transrhenensis. IRMINGARDI coniugi Bosonis inclyti viri, pro rebus Ecclesiarum Dei, quam audierat sufficienter literis sacris imbutam ab Anastasio quodam didascalo. Vnde petit vt qui eam dedit scire, det bonum velle, & posse, atque perficere. Monens vt hortetur virum suum, timere Deum, & eius custodire mandata. De rebus etiam Ecclesiasticis, quas sicut audierat ab Ecclesijs abstractas suis hominibus diuiserat, vt ostendat illi ex scripturis san-

E

Richild. vidua Car. Calui.

ms. quodã

1. Tim. 3.

F

Greg. lib. 11 ep. 10.

G

1. Cor. 11.

Reg. S. Bened. c. 64. & 65.

H

ctis

A ctis quam graue iudicium proinde sit à Deo prolatum, & cætera. Item BERTHÆ vxori Gerardi Comitis pro rebus Ecclesiæ sibi commissis in Prouincia sitis quas eidem Gerardo tuendas atque ordinandas commiserat: petens vt ipsa strenua sit interuentrix apud coniugem suum pro rebus eisdem. IRMINSINDÆ cuidam matronæ, pro quodam Diacono, quem illa comprehendi iusserat, & in seruitium suum redigi, reddens rationem qualiter idem Diaconus liber legitime factus fuerat, & quomodo eius recipiens libertatem Diaconum licenter ordinauerat: ostendẽs quod si seruus ipsius fuisset, & eq; libertatem habuisset, & tanto tempore post ordinationem suam sine illius repetitione mansisset, secundum sacras leges iam in seruitium repeti non posset: quanto minus ille qui colonus Ecclesiasticus, & non alicuius seruus fuerat, & legaliter liber factus, canonice ordinatus, & Ecclesiæ atque ordinatori suo proprius erat effectus, monetq; vt talem præsumptionem vlterius de ipsa non audiat; quia si hoc illa præsumeret; ipse hoc legaliter atq; regulariter vindicare studeret. adijB ciens eam se taliter commonere, quia caram familiariter ipsam habebat.

Quæ sibi subiectis monita salutis ediderit.

CAP. XXVIII.

SIbi quoque subiectis nonnulla scribens, vt pater filios, de multis sollerter instruit necessarijs, tam spiritualibus quam temporalibus. RICHALDO Chorepiscopo, & Rodoaldo Archipresbytero, pro Synodo comprouinciali apud Carisiacum palatium regium habenda: mandans vt notum faciant omnibus per omnem parochiam Remensem, vt qui se læsos existimant, ad ipsam synodum conuenire procurent, quosdam vero cum auctoritate inuitent, & venire commoneant. Sed & Milonem cum filia sua, qua Fulcricus abusus fuerat, & omnes qui consentanei fuerunt in illa indebita coniunctione presbyteri, & in quorum parochijs consistebant, ex verbo Dei, & suo, atque ex banno regis ad eamdem synodum C conuenire iubeant. ANSOLDO Gerolo, & Hadrico, pro inquisitione cuiusdam fratris Ragamfredi ministerialis sui & vt, si necesse esset, libera saluaque custodia detineretur, ne aufugeret, sibique adduceretur. Mandans etiam eidem Ragamfredo, ex auctoritate Dei ac sua præcipiendo, vt cum ipsis in eadem permaneat inquisitione. Cui etiam postquam recesserat, in alienis parochijs immoranti litteras mittit, reuocans eum auctoritate canonica, vt ad Metropolim suam redeat, & eius se humilitati repræsentet: vel si de ipsius iudicio queritur, synodo regulari adesse festinet. GISLOLDO Canonicorum Præposito, pro facultatibus sibi commissis, & indebite vsurpatis, qui pro hac re irregulariter ab ipso discesserat, monetque auctoritate canonica vt redeat, & de his, quæ illi opponebantur, satisfacere studeat. THEODACRO quoque Præposito, pro eodem Gisoldo, pro quo Irmintrudis regina precabatur, vt partem collaborationis suæ, quæ rationabiliter ei competebat, dari iuberet: si qua vero illi debeD bantur in hoc Episcopio, eidem reddere iubet: quod & idem Episcopus fieri iubet, & quia dixerat se missaticum habere ex parte reginæ ad Canonicos, mandat vt si venerit ad eos, sicut missus reginæ venerabiliter suscipiatur. GERARDO Decano, pro quodam Radulfo excommunicato, qui ad se venerat petens pœnitentiam. Cui præcipit vt Remis eamdem accepturus, veniret cum femina sanctimoniali, quam sibi coniunxerat. Iubet autem huic presbytero, vt cõmendet alijs presbyteris, quatenus magnam sollicitudinem de illis accipiant, quatenus scilicet, si quilibet eorum infirmitate præuentus fuerit, de qua se poter euadere non posse, si promiserit quia de peccato suo ex corde pœniteat, & per dignos pœnitentiæ fructus illud se coram testibus emendare, ac Episcopi iussioni obedire profiteatur, absolutus existat. SIGLOARDO Archipresbytero, Ansoldo quoque & cæteris quibusdam, quos inquisitionem facere de quodam presbytero iusserat: quibus hunc ordinem in eadem inquisitione tenere præcipit, vt quoniam, audierat eumdem presbyterum suis quibusdam facultatibus contra leges exspoliatum, suis omnibus reuestiretur; antequam suis accusatoribus respondere cogeretur: ne contra legem fieret, & ipse Præsul à presbytero legem tollendo, eamdem quoque sibi auferret: præcipiens etiam, vt si Comes ipse presbyterorum reb. exspoliari iusserat, hoc illi emendare per vadium faciat, disponens qualiter inde fiat. Si vero ipse Comes hoc fieri *negauit, ipsi qui ab eo res suas abstulerunt, eidem presbytero legibus emendent, de pœnitentia illorum ipse Præsul dispositurus secundum illorum recognitionem. Quod si Comes ita facere noluerit, renuntient illi, vt ipse hoc indicet regi. Postquam hæc acta fuerint, ita rationem huius aggrediantur iudicij, vt prouideant ne per ignorantiam accusatores ipsius presbyteri rem talem alicuius impulsu præsumant, vnde damnari possint, sicut prouidere debet, ne presbyter iniuste damnetur. Post hæc adiurent accusatores vel testes eorum per illorum baptisma, & alijs diuersis adiurationibus, ne odio, vel inuidia, aut timore alicuius, vel hortamento de ipso presbytero mendacium proferant, nec pro gratia, vel amore, aut præmio inde veritatem reticeant. Notificetur etiam eisdem accusatoribus & testibus, quales personas ad accusationem presbyteri, vel ad testimonium super eum sacri canones recipi non permittunt, & qualiter discuti debeant & accusatores & testes. Omnia vero quæ accusatores vel testes de singulis causis testificati fuerint, describantur, & coram omnibus legantur, vt ita fuisse dicta comprobentur. Describantur quoque omnes qui in ipso placito fuerint, tam de presbyteris quam de laicis, prout necessitas esse visa fuerit. Et vt accusatores suam præsentiam, testes vero iuramentum iure polliceantur se daturos in proximo placito, quod canones presbytero donent ad licentiam se defendendi vel respondendi. Quod placitum eidem presbytero denuntietur ad triginta dies, vt ita præparatus veniat, qui se vel canonice purificet, vel concedat. Quod si non fecerit, canonicam se suscepturum sententiam sciat. Mittant quoque bannum, Dei & sacrorum canonum auctoritate, regisque ac præsulis interdictione, vt nemo ipsi presbytero vllas insidias præparet, aut aliquam violentiam faciat: sed nec eius accusatoribus vel testibus, donec ista causa legalem diffinitionem accipiat, præcipiens etiam quod fieri deberet de illis, hominibus qui altera vice, quando ipse presbyter fuerit accusatus, iurauerunt, & suum sacramentum iudicio approbauerunt, tunc autem se periurasse dicebant. De terra quoque Ecclesiæ pertinenti, vnde contentio ventilabatur inter Canonicum & presbyterum, quod fieri deberet, & vt his quæ mandabat Comes, obediret: aut si nollet, proinde ad placitum coram rege & fidelibus ipsius, tam Episcopis, quam laicis veniret. Quod si presbyter alijs obedientibus obedire nollet, ad synodum comprouincialem canonice prouocaretur. Item SIGLOARDO & Ansoldo, pro eadem inquisitione, succenset eos, quod negligenter illam sint executi. & cætera. Item pro quodam presbytero, qui ea quæ de suo ministerio quondam didicerat, post ordinationem suam per incuriam fuerat oblitus, vnde iusserat eum aliquamdiu sub custodia reclusum seruari, vt saltem per hoc amaritudo aliqua mentem illius tangeret, & à peccato purgaret, & cætera. Item pro ieiunio triduano, quod rex cum Episcopis & cæteris fidelibus suis disposuerat fieri pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ, qualiter fieri deberet. Item pro quodam presbytero Auennaci monasterij, qui denotabatur super thesauro ipsius Ecclesiæ dudum perdito. Item SIGLOARDO & Rodoldo, pro quodam presbytero, cui consenserat, suadente Sigloardo, vt libello suæ professionis à regimine plebis sibi commissæ redderet se alienum, & alium in suo loco expeteret ordinandum: sed colludium quod habebat factum sibi celauerat, videlicet vt alumnus eius, sine consensu senioris sui, in loco ipsius ordinaretur, & quia xenium reuadiare dolosè fecerit, vt eumdem suũ alumnum, contra Episcopale interdictum, & cætera quid inde fieri deberet exequerentur. Item SIGLOARDO, pro

pres-

De hac syn. supra c. 24.

*non rogauit.

E F G H

A presbytero Ecclesiæ sancti Iuliani, qui furatus fuerat lampadem sancti Remigij, vnde valde redarguit istum, quia id factum compererat, & sibi tacuerat: cum idem Præsul vices suas eidem Sygloardo, teste Dño, commendauerit qui eumdem presbyterum in arctissima custodia debuerat retrudere, non per fideiussores dimittere: quod quia prius non fecerat, vel nunc faciat. Carcer quoque firmiter à Vicedomino restauretur, & custodes, si necesse fuerit, adhibeantur. Item Rudoldo, succensens eum pro eo quod incaute soluerit quod ipse Præsul canonice alligarat, & alijs presbyteris missam celebrare permiserit in quadam capella Basilicæ cordis Ecclesia subiecta, præcipitque quid inde fieri debeat. (j. Anselmo.) *Ansalmo cuidam Monacho, præcapiens vt describat omnia, quæ in monasterio, vt videtur, Altuillarensi, ante ipsius Præsulis ordinationem facta vel collata fuerunt, & quæque postea: numerum quoque fratrum ac famulorum eis seruientium, & si qua exinde suo tempore dispensata fuerant, & in quos vsus, vel per quas personas, & ita veraciter omnia describantur, vt missi dominici nihil ibi falsum possint inuenire.

B Ratramno præposito monasterij Orbacensis similiter. Item Ratramno pro quadam præstaria, quam Amalrans canonicus habuit, & ipsius obitum collaborationem eiusidem Præpositus diripi iusserat. Quapropter excommunicat eum, in pane & aqua constituens tam ipsum, quam complices eius in hoc facto, donec restituantur hæc quæ iniuste abstulerant. (ms. Alchario.) *Althario cuidam sacerdoti vel decano, pro presbytero de Ecclesia Vindonissæ, quem Leutardus senior ipsius villæ legem & omnem auctoritatem de ipsa expulerat Ecclesia, & alteri presbytero ex alio Episcopatu eamdem Ecclesiam commiserat. Quem presbyterum super inductum excommunicat, ne in omni Remensi parochia missam celebrare præsumat, neque communionem Ecclesiasticam accipiat, nisi forte munus viaticum, grauis ægritudinis causa, & hoc ita, vt mox si conualuerit, de parochia ista recedat. Parochianis autem ecclesiæ prædictæ auctoritate Dei præcipi iubet, vt nullius presbyteri missam in eadem Ecclesia audiant, nisi illius iniuste expulsi presbyteri, donec ipsius causa diffiniatur, nisi

C forte idem presbyter pro infirmitate eis missam celebrare non potuerit, & cætera. Altmanno monacho atque presbytero, quem procul obedientiæ causa direxerat, pro his quæ inuenerat in quibusdam litteris sibi per hominem quemdam Harduici Archiepiscopi datis: scilicet reputari eidem Altmanno, aspirare velle ad beneficia, & negotia sæcularia, quæ non conuenirent eius professioni & saluti. Vnde præcipit, vt quantocius ad monasterium suum redeat, vbi lectioni & orationi, deflendo delicta suæ iuuentutis, vacare procuret. & cæt. Lantardo cuidam sacerdoti, qui de parochia Remensi Ebonis Episcopi causa discesserat, quem petit vt si qua, prout audierat, de vita & actionibus B. Remigij apud eumdem habebantur conscripta, præter illa quæ ex antiquo de Ecclesia Remensi legebantur, ea quantocius aut ipse sibi afferat, aut sub sigillo transmittat, offerens se postea eidem in quibuscumque indiguerit promptum, &

D prodesse paratum. Si vero ad locum suum redire voluerit, eum libenter atque benigne recipere, & mox vt venerit, canonicam præbendam & ordinem pristinum inter fratres concedere, & secundum quod sibi commodum, & illi opportunum fuerit, solatium, vt eum apud se manere delectet, impendere: pandens rationem, vnde ille metuere ferebatur, quare scilicet ipse ordinatos ab Ebone post suam depositionem, à gradibus acceptis remouerit, & qualiter postmodum sententiam suam temperauerit. Rodoardo Præposito, & cæteris fratribus Canonicis Ecclesiæ Remensis, pro receptione Odalhardi & Waltarij nepotum Isaac Episcopi Lingonensis, qui ab ipsa congregatione irregulariter discesserant, præcipitque quo modo recipi, & qualiter haberi vel conuersari debeant: quibus etiam pro reuersione ipsorum commonitorias direxerat litteras. (Odelardi, & infra.) Pro receptione quoque *Adalgaudi diaconi tam Canonicis, quam monachis scribit, (ms. addagaudi.) ostendens eum qui se recognouerat per suam negligentiam ipsius offendisse animum, se in gremio suæ dilectionis & paternitatis recepisse, quemque benigne ac familiariter fratrem & filium suscipi, & benignitatis ei beneficia iubet impendi. Pro quo rex etiam Ludouicus precatorias ei per eumdem direxerat.

E Rotfrido Præposito, pro *correctione Odelcalci monachi, (j. correptione.) quem audierat inobedientem existere, & duris moribus, suæque voluntatis esse pertinacem, dans exempla sacræ auctoritatis, quæ illi legerentur vt se corrigeret. Gontario & Odelhardo Archipresbyteris, commonitorium ministerio ipsorum aptum describit in capitulis tredecim. *Gontramno Præposito, (j. Guntramno.) pro famulis monasterij sibi commissi, qui suas terrulas & debita sibi stipendia querebantur auferri ab eo, quod emendari secundum quod iustum fuerit, iubet. Gothescalco monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententijs auctorum, quas ille non bene intelligebat vel exponebat, maxime Prosperi, quarum sensum per sententias præcipue beati Augustini exponit, & cæteros idoneos proponit testes Apostolicæ fidei doctores: quorum sequendá in omnibus

F admonet esse doctrinam, ostenditque testimonijs manifestis, Deum & bona præscire & mala, sed mala tantum præscire, bona vero & præscire, & prædestinare. Vnde præscientia esse potest sine prædestinatione: prædestinatio autem non potest esse sine præscientia: & quia bonos præsciuit & prædestinauit ad regnum: malos autem præsciuit tantum, non prædestinauit, nec vt perirent sua præscientia compulit. Cui diffinitioni subscribere idem Gothescalcus pertinacissime recusauit. Scripsit quoque idem domnus Hincmarus ad monachos Altuillarensis cœnobij, pro eodem Gothescalco, vt si se recognosceret, antequam anima illius egrederetur de corpore, & spiritalem & corporalem humanitatem exhiberent illi, ostendens auctoritatem Ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum super huiusmodi excommunicatis. Amalgiso & Ragberto fidelibus suis, pro rebus Ecclesiæ suæ in Aquitania sitis, pro quibus Regimundo litteras miserat, deprecans vt eisdem missis suis adiutorium pro rebus ipsis euindicandis impenderet, præcipitque istis, vt easdem res ex

G integro recipiant, & habeant in sua prouidentia. Petro fideli suo, pro rebus in Prouincia consistentibus, mittens ad eum quosdam fratres, qui cum ipsius consilio de fidelitate sua & vtilitate rerum tractarent, & res ipsas ac reditus atque facultates ipsarum disponerent. Et quia audierat, quod quædam sine consilio ipsius Petri exinde facta fuissent, quasi ex eius auctoritate, excusat se non id misisse, nec voluisse: mandans ei per capitula, qualiter easdem res disponi volebat, & quæ personæ ab ipsis rebus, & de quibus villis ad se venire deberent. Evrardo sororis suæ Hildegundis filio vel genero, instruit scripto qualiter erga Ludouicum regem Transrhenensem se gerere deberet, ne suum alodem, quem in Alemannia habebat, ab eo auferret, pro eo quod ipsius dominium idem Eurardus dimiserat. Pro quo etiam præfatæ sorori suæ scribit, petens vt illius domnum prudenter ordinet atque disponat. Pluribus quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens, prudenter atque rationabiliter di-

H sponebat qualiter res sibi commissas tractare deberent. Generaliter etiam omnes sibi commissos tam verbis, quã litteris instruens, edocebat qualiter iuste, pie, & caste viuerent, quam reuerenter atque deuote ieiunia constituta tractarent: pro his qui obissent, tam Episcopis, quam alijs quibuscumque personis, qualiter Domini clementiam exorarent, & vt personæ Deo placitæ in vacantibus eligerentur Episcopijs, tam ieiunijs quam orationibus Dominum postularent. In diuersis quoque synodis capitula nonnulla, & valde vtilia edidit, suisque seruanda dedit. Diuersis necnon Ecclesijs suæ diœceseos, maxime si contigisset pastoribus viduari, consolatoria dirigens scripta, qualiter à Deo primum huiusmodi solamen requirerent, instruebat: qualiter etiam à terrenis principibus liberam sibi concedi quærerent electionem, & vt impetrarent tam per seipsum, quam per litteras & legatos suos elaborare studebat. Impetrata vero qualiter exercerent, & quomodo immunes ab omni peruersitatis

frau-

A fraude seipsos in exequendo custodirent, data forma electionis edocere curabat, ad nullam specialiter intendēs personam: sed quæ concorditer ab omnibus, vel vtiliter à pluribus ac melioribus eligeretur, attendens.

De libro edito à se qualiter Domini vel Sanctorum sint imagines venerandæ. &c.

CAP. XXIX.

SCripsit etiam librum flagitantibus coëpiscopis fratribus suis, qualiter imagines Saluatoris nostri vel sanctorum ipsius venerandæ sint, cum epilogo quodam metrice digesto. Respondet quoque ad interrogationes cuiusdam: cur Apostatæ baptizati, & impositione manus Episcopalis consignari, extra ordinem diaconij vel presbyterij, ad agendam pœnitentiam manus impositionem accipiunt. Scribit & cuidam Archiepiscopo de præcipuis tractans sacramentis humanæ salutis. B Item cuidam Episcopo, ad interrogata ipsius respondens de ordinationibus Episcoporum, vel translationibus de ciuitate ad ciuitatem: & de Actardo Namnetensi Episcopo, qui expulsus à quodam Britonum duce, in vacante Morinensi Ecclesia aliquamdiu demoratus, petente clero ac plebe prouinciæ Turonensis, & conuenientibus Episcopis, in eadem Metropoli fuit incardinatus. Item cuidam fratri, de homine, qui cum quadam fœmina concubuit, & postea sororem ipsius in coniugium duxit. Scribit etiam Apologiam pro se, cunctis eam legere volentibus contra eos qui calumniati sunt illum apud Iohannem Papam, qui synodum habuit * Trecas, à quo & benigne idem Præsul suscipiebatur, quibus & in synodo tunc respondit pro tempore, postmodum vero excusare se litteris non neglexit, asserens se decretales epistolas Pontificum Romanorum venerabiliter suscipere atque tenere, cum calumniarentur inimici, has eum nolle ad auctoritatem recipere. Item de Nicæna synodo, & C de abiectione vel restitutione Hincmari Laudonensis Episcopi. De hoc quoque quod calumniabantur eum dixisse, non maioris dignitatis esse Papam Romanum, quam existeret ipse. Sed & de Karlomanno, & aliis conuiciis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit. Scripsit præterea plura, ad quæ nos enumeranda sufficere non putamus.

De Dehis supra c. 11. — *al. Trecis.*

De translatione corporis sancti Remigij à monasterio ipsius, & obitu Hincmari Episcopi.

CAP. XXX.

Aimoinus lib. 5 c. 41.

EXcrescentibus tandem flagitiis, contra quæ veluti murus inexpugnabilis semper obstiterat, gens Normannorum per omne Francorum diffunditur regnum. Et quoniam ciuitas hæc tunc absque muro habitabatur, accipiens ille quod sibi carius in thesauris habebat, corpus videlicet beati Remigij, syluestria loca trans fluuium Matronam expetijt, & apud villam Sparnacum idem sacrum D corpus aliquamdiu custodiuit. Denique dum ibidem moraretur, apud eandem villam diem clausit vltimum: cuius corpus ad monasterium S. Remigij relatum, & post ipsius sancti tumulum in sepulchro, quod ipse sibi præparauerat, est sepultum. Cuius Epitaphium ab eo dictatum habemus huiusmodi.

Nomine, non merito, præsul Hincmarus, ab antro
Te, lector, tituli quæso memento mei.
Quem grege pastorem proprio Dionysius olim
Remorum populis, vt petiere, dedit.
Quisq; humilis magnæ Remensis regmina plebis
Rexi pro modulo, hic modo verme voror.
Ergo anima requiem nunc, & cum carne resumpta,
Gaudia plena mihi hæc quoque posce simul.
Christe tui clemens famuli miserere fidelis:
Sis pia cultori sancta Maria tuo.
Dulcis Remigij sibimet deuotio prosit,
Qua te dilexit pectore, & ore, manu.
Quare hic subpetijt supplex sua membra locari,
Vt bene complacuit, denique sic obijt.
Anno Dominicæ incarnationis Dccc. lxxxij.
Episcopatus autem sui xxxvij. mense vij. & die quarta.

E

LIBER QVARTVS.

FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ.

De Episcopatu Fulconis, & quæ scripta quibusdam Romanis Pontificibus direxit.

CAPITVLVM. I.



F PRAEMISSO viro Dei ad patres suos opposito, successit in Episcopatu Remensis Fulco vir valde nobilis, & palatinis assuetus officijs: qui fidei suæ tenorem MARINO Papæ delegans, pallium ab eo, antecessorum suorum de more, suscepit. Cui etiam litteras misit pro concedendo debito Remensis Ecclesiæ priuilegio, atque pro commendatione regis Karlomanni, in quibusdam se significat ab eodem Papa dudum fuisse cognitum tempore Iohannis Papæ; quando cum Karolo imperatore idem Fulco fuerat Romæ. Item pro quodem monasterio, quod frater ipsius, nomine Rampo, ab eo construi testamento delegauerat ex rebus suæ proprietatis, quas postea Erminfridus quidam peruaserat, qui vxorem ipsius Ramponis viduam sibi copulauerat. Pro quodem Papa Eurardo Senonensi Archiepiscopo, in cuius parochia idem cōstructum fuerat monasterium, litteras direxit. Sed & Iohanni Archiepiscopo Rotomagensi, in cuius idem Erminfridus diœcesi degebat, præcipiens vt eum admoneret ab hac sacrarum rerum peruasione cessare, quod si G facere nollet, canonicam subiret vltionem. ADRIANVM quoque Papam ipsius Marini successorem litteris initio Pontificatus eiusdem visitare studuit, congaudens ipsius honori, & se Romam velle petere significat, si Deo pacem tribuente, valuerit. Exemplaria quoque priuilegiorum à Leone, Benedicto, & Nicolao Pontificibus Romanis Remensi sedi concessorum hoc petit recitanda, & ab eo sibi confirmanda, & roboranda, atque augmentanda. De præfato quoque monasterio, cuius res prædictus Erminfridus inualerat, suggerit, vt præmissis etiam Archiepiscopis Anrardo & Iohanni suæ auctoritatis præceptionem dirigat, iubens quid in eum fieri debeat, &c. Item pro commendatione præmemorati regis Karlomanni, atque pro defensione Frotharij Bituricensis Archiepiscopi, qui ferebatur accusatus apud eundem Papam per quemdam suæ diœceseos monachum: quod scilicet post suæ ciuitatis desolationem à paganis factam, in alterius sedis inuasionem temere insiluerit. Ostenditque quod ab Episcopis ipsius diœceseos, omnique clero & populo eiusdem ciuitatis sit petitus & electus, & quod prædecessor ipsius Marinus, ad eorum petitionem, prius in hoc præbuerit assensum, insuper H & pallio eum donauerit, & ipsius in Bituricensi Ecclesia promotionem scriptis roborauerit, &c. STEPHANO quoque huius Adriani successori litteras mittens, gratiarum actiones referre curauit, quod eum & Ecclesiā ipsius litteris Apostolatus sui visitare, & inter varias mundi pressuras consolari dignatus fuerit, & quia fratris eum & amici vocabulo voluerit honorare, quod ipse tamen nolit appetere, sed magis seruus & subiectus existere. Significatque se ad ipsum Papam videndum properasse, nisi paganorum vallaretur obsidione: hosque deno tantum miliario à sua ciuitate abesse, ciuitatem quoque Parisiorū ab ipsis tunc obsideri. Hanc infestationem huic regno ab octo annis iam præteritis inferri, vt nemini extra castella procul liber aditus patere videretur. Addit denique, audisse se de insidiis quorumdā pestilentium, quas ipsi Papæ mo-

Marinus Papa. — *Ioan. viij.* — *Ioann. iij an. 884.* — *Leo iiij. Bened. iij. Nicol. I.* — *Steph. vi.*

A

Wido ex Duce Spoletino factus Imp. an. 891.

lebantur, & satis ægre tulisse, opemque ferre, si licuisset, optare. vnum quod quibat agere, precibus videlicet pro eo insistere. Pro Widone quoque affine suo, quem idem Papa in filium adoptauerat, memorat tam se quam cæteros consanguineos suos, quibus id notificauerat, debitam exhibituros eidem Papæ reuerentiam. De eo etiam quod illi scripserat, roborare se promptum fore quæcumque necessaria Dei Ecclesiæ significarentur, eius suggestionem se multum per omnem modum effecisse ipsius fidelitati obnoxium, seque cum suffraganeis coëpiscopis in cultu debito sanctæ sedis Romanæ perseueraturum, & si quid contrarium sanç fidei contra ipsam emerserit, omnimodis cõfutare, Deo auxiliante, paratum existere. Sedem vero Remensem notum habeat ab antecessoribus suis † pronus Gallicanis omnibus Ecclesijs semper fuisse honoratam: vtpote cum primus Apostolorum beatus Petrus primum destinauerit huic vrbi sanctum Sixtum Episcopum, & totius Gallicanæ regionis dederit ei primatum. Hormisda quoq; Papa sancto Remigio vices suas in Galliarum partibus commiserit. Hoc ideo se commemorare, ne sedes Remensis suis in diebus sineretur dehonestari: annectens etiam de priuilegijs sibi in cunctis quæ petijt ab huius prædecessoribus Marino & Adriano concessis. Itemq. de iam dictis rebus Ramponis, & earum peruasore, quem præmissi Pontifices iusserant ab Archiepiscopis Senonicæ ac Rotomagensis vrbis excommunicari: quibus eamdem excommunicationem differentibus, idem peruasor adhuc rapta possidebat. Vnde petit, vt Apostolica ab ipso feriatur sententia, præcipiatque hic Papa præfatis Archiepiscopis, ne vllam, in eumdem excommunicando afferant amplius dilationem. De quibusdam præterea rebus Remensis Ecclesiæ, quas quidam abstulerant inuasores, poscit, vt ipse Papa suggerat imperatori Karolo, qui iam magnam ex his partem restituerat, vt bonum quod cœpit eius precatu perficiat, & de his quæ egit ipse gratias ei agere dignetur, & cætera. Ad quæ ille respondens asserit oppido se fuisse lætatum, quod eum circa sedis Apostolicæ reuerentiam cognouerit anhelare, hortans vt in hac dilectione semper ardentius accẽdatur. Memoriam quoque Widonis ducis gratissime se suscepisse, quem vnico loco filij se tenere fatetur. De Nordmannorum infestatione, quam regnum nostrum patiebatur, dolere vt propria: Deumque deprecari pro huius populi defensione per Apostolorum principum interuentionem, & vt incolumis hic Præsul perducatur ad Apostolorum limina: quatenus etiam corporeis eum valeat vlnis amplecti, & conferre de priuilegijs, de quibus sibi scripserat. Ad Archiepiscopos etiam quas petierat litteras se direxisse: nec non ad Imperatorem pro Remensis Ecclesiæ iustitia deprecatorias, & pro collata benignitate grates illi referens. Item literas idem Præsul ad eumdem Papam dirigens, ac de prosperitate ipsius lætificari se inter multas tribulationum quas à paganis patiebantur angustias, perens, præfati quoque Widonis satagit commendare fauorem. De prænominato nec non Erminfrido querimoniam referens, qui admonitionà prænominatis Archiepiscopis inobediens extiterat, flagitat, vt iterum commoneatur ab auctoritate Papæ Archiepiscopi hunc asperius increpare, & si peruasa nõ reddiderit, Ecclesiastico feriatur iudicio. Interrogat præterea, sibique remandari poscit, si rite valeat Episcoporũ fieri ordinatio in qualibet sanctorum festiuitate, nisi tantũ Dominica die, &c. Ad hæc etiam rescribens idem Papa, gratias agit pro ipsius erga sedem Apostolicam caritate & sollicitudine, condolens de ipsius afflictione, ac pro ipsius preces se Domino fundere pollicetur alleuatione, & confortans, monet in Domini confidere consolatione. Item scribit eidem Præsul, pro quodam Dominico à filiis & cognatis proprijs oppresso vel expulso, hortans vt id diligenter inquirat, & eius inde adiutor existat. Item pro quodam susceptione Anglorum. Item eidem cum Aureliano Lugdunensi, Adelgario, * Gerlone, Emmenone, & reliquis per Galliam constitutis, pro querimonia Bituricensis Ecclesiæ super inuasore Frotharij Burdegalensis Episcopi, qui etiam Pictauensem aliquamdiu tenuerat sedem, cui postea Bituricensis fuerat ad tempus à Iohanne

deest, præ

B

Carol. iij. cognomento Crassus. Non extat hæc Stephani epist.

C

D.

* Gerlone.

Papa propter infestationem barbaricam tali tenore concessa, vt hac remota necessitate, idem iam remoneretur, quod necessitas imperarat. Vnde præcipit hic Papa Stephanus præfatis Archiepiscopis, vt ad propriam sedem illum remeare compellant. Quod si Apostolicis monitis obedire contempserit, nouerint eum sancti Spiritus iudicio perpetuis anathematis vinculis innodatum. Item pro Theutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se huius Lingonensis Ecclesię querimoniam peruenisse, quod obeunte Isaac Episcopo, inconsulto clero & populo. Egilonem quemdam monachum nuper de sæculo venientem in Episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinauerit, eisque illata vi, præposuerit nolentibus. Quo diuina vocatione hominem excedente, ne in idipsum incurrerent, cõcordi voto clerus & populus Teutboldum ipsius Ecclesiæ Diaconem eligentes, ab ipso Papa sibimet in Episcopum consecrari petierint. Sed ille vniuscuiusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruare volens, id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, vt si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri canones illi non obuiarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi rescriberet: interim tamen alterũ inibi ordinare nullo modo, se inconsulto, præsumeret: simulque & Oirannum Senogalliensem Episcopum à suo latere direxit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserit vrbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu expectaretur, nec ipse aduenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel Papæ remandare † præuiderit. Quocirca iterato clerus & populus cum decreto omnium roborato, præfatum electum Romam remiserunt, obnixe sibimet illum consecrari petentes. Sed nec tunc id agere adquieuerit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum priuilegium immutilatum consistere: ideoque iam dicto Aureliano iterato rescribens mandauerit, vt quia concordi voto clerus & populus iam dictum Diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile iudicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contũmaciam adijciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile iudicaret sibi rescribere cõtempserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum canonum statuta quemdam extraneum, & eidem Ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere nisi præsumpserit. At hi potius laborem subire, quam subijci ignoto eligentes, ad se redierint, implorantes ne pateretur Ecclesiastica iura violari. *Nos autem*, inquit, *qui omnium Ecclesiarum in B. Petro Apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter Episcopos non haberi eum, qui neque a clero electus neque à populo est expetitus, sæpe dictum Teutbboldum venerabilem diaconũ, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensi Ecclesiæ Episcopum consecrauimus, condigna sententia præuaricatoribus illata, licet & alijs præuaricationibus fuerint impediti. Quapropter tua unanimis sanctimonia, vt his nostris Apostolicis litteris perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas Ecclesiam, & eumdem Teutbboldum à nobis solemniter consecratum Episcopum, exinde reuestias, omnibusque Archiepiscopis & Episcopis innotescas, pro tãta contumacia vltione nos eiusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione, & oppressionis illata relaxatione. Quidquid autem idem venerabilis Episcopus Teutbboldus vobis ex nostra parte retulerit credite, & effectui mancipare nullo modo ambigite: vtpote tuam reuerentiam circa nos deuotam consistere credimus.* Ad hæc idem Pręsul Fulco rescribens, gratias agit pro consolatione litterarum ipsius, asserens se paratũ fuisse, & esse quæcumque sibi ab ipsius Papæ celsitudine iniuncta fuerint adimplere: præfatam vero præceptionem de Theotboldo Episcopo explere sine mora voluisse: sed Odonis regis sui consultu interim intermissum, dum rex idem suos legatos ad eumdem Papam dirigeret, ac per eos iussionem ipsius certissime cognosceret. Super his autem quæ literæ ipsius Papæ prosecutæ sunt, velle scilicet se omnibus Ecclesijs sua instituta & priuilegia inconfuso ordine intemerata seruare, valde gauisos vniuersos Episcopos, in quorum præsentia hæc recitari fecerat. Consulit autem eius auctoritatem, deposcens, vt sibi rescriptis remandet, si liceat coëpiscopis suffraganeis suis, qui in eius diœ-

E

F

pro prouiderit.

G

H

cesi

A ms. c. cohibentia.

cesi consistunt, ordinationem vel regis, vel alicuiusalterius personæ sine sua licentia &* coniuentia seu permissione agere, vel aliud aliquid, inconsulto suo Metropolitano, aut contra interdicta sui primatis præsumere. Priuilegium denique à sede Romana quæsitum idem Papa huic concessit, scriptumque transmisit Præsuli super rebus Ecclesiasticis huic Remensi Ecclesiæ collatis, vel conferendis: vt nemo eas inuadere, vel detinere præsumeret, & vt post eius decessum nullo modo aliquis hunc Episcopatum, vel Episcopij res occupare illicite auderet, cum interminatione hæc inhibens Apostolicæ sedis censuræ. Item scribit eidem, pro altercatione quæ versabatur inter Herimannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adelgarium Amburgensem & * Bremensem Episcopum, pro qua Herimannus eidem Papæ suam direxerat querimoniam: Adelgarius autem & suam direxerat, & postmodum per semetipsum accesserat, proclamans ab Herimanno Ecclesiæ suæ priuilegia violari: ideoque in suam præsentiam commouerat vtrumque venire. Sed quoniam Adelgario veniente Herimannus defuit, tantæ liti finem imponere Papa distulit, ne quippiam præpropere iudicare videretur, vnde rediuiua contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca iniungit huic Præsuli nostro, sua ipsius Papæ vice synodum conuocare apud Wangionem ciuitatem, cum vicinis suffraganeis limitaneisque Episcopis, ad quam Herimannum Agrippinæ Coloniæ, & Sonderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, nec non & eumdem Adelgarium occurrere iusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. Monet etiam fraternitatem ipsius domni Fulconis, ne sibi suam specialem præsentiam, si omnimodis fieri possit, exhibere cum eis quoquomodo differat: quoniam & hæc, & alia quæ imminebant Ecclesiastica negotia cum ipso tractanda, eiusque terminanda consultu prouiderat: de quo scilicet ipsius aduentu satis gratularetur, volens ad Ecclesiastica deliberanda negotia eius habere præsentiam. Alioquin monet, vt assertione veridica per strenuũ Episcopalis ordinis virum vna cum ipsis abeuntem notificet, qualiter se super hoc veritas habeat. Quibus si veniendi facultas defuerit, suos cum eo dirigant legatos, qui eorum vicaricatione perfuncti, disceptandi & deliberandi libertatem possideant: vt nullo vlterius tempore, percepta finitiua sententia, de hac re necessarium sit vertere quæstionem. Super his quoque successori huius Formoso domnus Fulco litteras mittens, qualiter hæc à præfato Stephano Papa sibi sint iniuncta, significauit, & vt sibi auctoritatis suæ in his exequendis scripta dirigeret, expedijt. Vnde & iterum scribens, vehementer admirari se dicit, si litteræ suæ ad eius præsentiam peruenerint, quid causæ fuerit, cur hinc responsum huius Papæ non meruerit recipere. Grates inter hæc referens, quod sui memoriam dignatus sit habere, & per abbatissam Bertham verba sanctæ consolationis sibi mandare: cumque se videre velle, & collato sermone mutuo verba conferre. Quam rem fatetur immensum sibi peperisse gaudium, vt magis desideret eius videre præsentiam: adijciens sibi ab eo tempus, quo ad eum veniat, remandari, locumque, & eius satagat præceptis obtemperare. Præterea postulat, vt priuilegium Ecclesiæ Remensi sui nominis auctoritate fieri iubeat, sicut etiam prædecessores suos fecisse constat: & res huic Ecclesiæ per suam humilitatem adquisitas perpetua firmitate contra omnes aduersarios muniat. Adnorat etiam, qualiter Eurardus Marchio sancti Calixti Papæ & Martyris venerabile corpus à Romana sede impetrauerit, atque in eius honore monasterium in prædio suo constituerit. Quod prædium post eius obitum ad filium ipsius Rodulfum abbatem hæreditario iure deuenerit: qui res ipsas simul cum memorati Martyris gleba vitæ suæ diebus absque vlla contradictione tenuerit, & de sæculo migraturus easdem rerum monasterio & corpore sacro Remensi sanctæ Dei genitricis Ecclesiæ delegauerit, eamdemque rerum suarum hæredem instituerit. Tunc vero Hucboldus quidam sororis huius Rodulfi maritus munus eiusdem abbatis calumniabatur, & ab Ecclesia Dei genitricis iure conabatur auferre. Proinde precatur, vt quid sibi sit in talibus agendum, suis eum sacris instruat litteris, & harum collationem rerum æterna stabilitate corroboret, atque contradicentes digna excommunicationis vltione percellat. Scrupulum digna excodicit ac singultum mouere, quod audierat à quibusdam, sanctam Romanam Ecclesiam turbari, paratumque se totis viribus pro ipsius honore omnimodis decertare, & eidem Papæ veluti domno & magistro in cunctis obsecundare. Subnectit etiam de quibusdam Episcopis Galliarum, qui sibi pallium indebite à Romana poscebant sede, Metropolitanos suos tali spernẽtes tenore: asserens quod res eadem, nisi prudenti præcauta foret sollicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumq; caritati dispendium valeret inferre. Vnde tam se, quam omnem precari dicit Ecclesiam, ne cuiuslibet alicuius irrationabili petitioni, sine generali assensu & litteris, consentiat: ne per hoc Ecclesiasticæ dignitatis honor vilescere incipiat, si res indebita, quæ temere affectatur, inconsulte tradatur.

§ j. Bremensem.

B

C

Formosus Papa.

D

Cisonium monast. in Belgio inter Tornacum & Insulas.

E

F

Quæ Formosus Papa Fulconi, vel Karolo Regi, atque Odoni scripsit.

Cap. II.

Cui rescribens idem Papa Formosus, monet eum compati debere Romanæ Ecclesiæ, atque imminenti eius subuenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adiungens hæreses vndique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitque longo retroacto tempore perniciosas hæreses Orientem confundere, & Constantinopolitanam Ecclesiam nocitua schismata perturbare: simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter Episcopos ipsarum prouinciarum schismate. Diuersarum quoq; partium legationes diuersa responsa petentes instare. Cuius rei gratia generalem synodum die Kalendarum Martiarum, indictionis vndecimæ se inchoare disposuisse, ad quam eumdem, remota omni dilatione, admonet festinare, vt colloquendo, largius de his valeant pertractare, & affluentius ad consulta singula respondere. Normannicæ gentis procellas, quibus asserebat se perturbari; plurimum dolere, & vt eos excelsi dextera reprimat, Apostolorum principum suffragiis interuenientibus, implorare. Litteras vero quas significauerat ad eũ per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime peruenisse. Miserat alias etiam, pro hac eadem synodo celebranda, pridem huic quoque Præsuli nostro litteras, quam decreuisse se asserit incipere mediante Maio mense, Indictionis decimæ. In quibus litteris fatetur Italiam tunc semel & secundo horrida bella perpessam, & pene consumptam. Orientalium vero partium se deflere vesanam hæresim in Christum Iesum blasphemiam * continentem. Mittit ei præterea petitum super quibusdam præstariis priuilegium, commemorans beatum Remigium genti Frãcorum, Romanæ sedis auctoritate, cum gratia Dei Apostolum constitutum. Bernam quoque villam, quæ inique dudum subtracta fuerat, Remensi Ecclesiæ restitutam. Duodeciacum quoq;, sed & ea quæ domnus idem Fulco per precarias obtinuerat, Rodemiam videlicet & Margolium, Lastemnã, & Guiglerum, atq; Virtudem, necnon Abbatiam quæ dicitur Campellis, Atteias etiam & Maniacum, aliasq; res quæ dudum ablatæ, nunc redditæ fuerant Ecclesiæ Remensi, restitutas auctoritate confirmat Apostolica: vt eas, vel cæteras eiusdem Ecclesiæ, possessiones nemo præsumat auferre vel inuadere. Sanciens insuper auctoritate beati Petri, vt nemo regum, nullus Antistitũ, nemo quilibet Christianus, decedente Remorum Episcopo, ipsum Episcopatum, vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius ciuitatis Episcopum. Sed & eamdem Metropolim non vltra constitutionem canonicam, sine regulis Ecclesiasticis conueniẽte pastore manere cogat: neq; aliter ibidem Episcopum, nisi vt sacri canones iubent, constitui faciat. Promulgans etiam ac statuens, vt ea quæ idem venerabilis præsul Fulco de vil-

Concil. Rom. an. 893.

G

c. j. continentem.

H

A

lia huius Ecclesiæ ac facultatibus earum, vsibus Ecclesiasticorum ornamentorum, vel luminarium, seu sub stipendijs Canonicorum, ac monachorum, atque sanctimonialium, seu matriculariorum, & hospitum, vel pauperum constituerat, perpetuo inconuulsa permaneant, hanc auctoritatem sui decreti sub anathematis vinculo violatoribus innodatis corroborans. Imperatorem quoque Widonem coronatum eodem anno significans, indictione decima. Item ad ipsius domini Fulconis petitionem misit aliud eidem priuilegium, pro monasterio Auennaco, atque pro eo monasterio, quod Rodulfus abbas in honore sancti Calixti martyris & Papæ ex hæreditario proprietatis suæ iure constructum huic Remensi concesserat Ecclesiæ, tam eadem cœnobia, quam omnes possessiones liberalitate regali, vel aliorum Christicolarum munificentia Remensi collatas Ecclesiæ, siue quas idem Præsul adquisierat, aut deinceps adquisiturus erat, eidem Ecclesiæ Apostolica corroborans & stabiliens potestate.

B

Lambert. Imp.

Hic quoque Lanthertum filium Widonis anno secundo imperij patris ipsius nouum imperatorem factum fuisse designat. Item pro diœcesaneis prouinciæ Remensis Episcopis, quod audierat, eorum quosdam huius Archiepiscopi sui audientiam contemnere, scribens eidem, vt suos conuocaret coepiscopos, ceterorum quoque quos ipsum visum fuerit Episcoporum collegium conuenire denunciet, vt de tanto neglectu synodali simul actione perquirant, & quidquid oportuerit canonica atque Apostolica muniti auctoritate decernant: subijciens, vt nemo à tam Deo digno se subtrahat opere, qui Apostolicæ ipsius particeps voluerit communionis existere.

Carolus Simplex consecratus an. 892. ætat. 12. vel 14. iuxta alios.

Item pro euectione Karoli ad regimen regni, quem dominus idem Fulco ad regium culmen adhuc puerum prouexerat, & de criminibus Odonis regis, vel correptione ipsius, qualiter esset agenda: pro quibus rebus idem Archiepiscopus huic Papæ scripta sua, consilium & auxilium ab eo petendo, direxerat.

C

Vnde & ad eumdem regem Odonem litteras suas idem Papa delegauerit, vt ab illicitis recederet, nec eumdem regem Karolum, vel quæque ipsius essent infestaret, induciasque belli differendo daret, donec idem Præsul Fulco scilicet, Apostolicam sedem adire studeret.

Quæ Franciæ quibusdam Præsulibus scripta legauerit.

Cap. III.

Item ad Archiepiscopos & ceteros Episcopos Galliarum, monens vt conueniant atque commoneant eumdem regem Odonem, ne illicita perpetrentur, & ne aliena vsurpentur: sed bellum sedetur, & omnis hostilis commotio sopiatur, vel induciæ belli, donec Fulco Romam, ceu dictum est, adeat, edicantur: ipsique studeant interim cuncta differre, & pacem ac vnanimitatis concordiam recreare.

D

Item huic quoque regi Karolo, congruam dirigens admonitionem, eiusque congratulans eminentiæ atque deuotioni, quam rex idem se significauerat erga sedem Apostolicam gerere, qualiter ei sit in regno agendum succincte, lucideque demonstrat: quem petierat, ei panem benedictum pro pignere mittens, & de itinere præfati Præsulis nostri ad sedem Apostolicam monens. Eidem quoque domno Fulconi litteras suas dirigens, hæc supradicta ad præmissas personas se destinasse scripta commemorat, ipsius videlicet suggestione, de pace vel induciis belli inter Odonem & Karolum differendi. Item scribit ipsi pro discordia sedanda, quam audierat insurrexisse pro Manigaldi ab Alberico perpetrata interemptione. Item petens eumdem pro cuiusdam Grimlaici dilecti sibi sacerdotis ad Episcopatum, vbi se locus obtulisset, promotione.

E

Idem quoque præsul Fulco nonnulla præfato Papæ præter præmissa reperitur direxisse scripta, tam pro sua vocatione, qua vocabatur ab ipso ad sedem Apostolicam, quam pro contentione quæ versabatur inter reges Odonem, & Karolum, nec non pro oppressione, quam Remensis patiebatur: petens vt Papa, regibus scribendo, pacem imperaret. Arnulfo quoque Transrhenensi auctoritate Apostolica præciperet, ne Karoli regnum inquietaret, quin potius ei auxilio esset, vt propinquum propinquo deceret. Odoni vero mandaret, ne regnum istud inuadere aut deprædari præsumeret: quod si auderet, Apostolicæ sedis sententiam reformidaret. Item quia post admonitionem ipsius Papæ nec Arnulfus citius Karoli subuenire voluit, nec Odo à peruasione regni, rapinis, ac depopulatione cessauit. Sed & Arnulfus res Ecclesiæ Remensis tam eas, quas aliquamdiu iniuste sublatas ipsi restituerat, quam eas etiam, quæ nunquam prius subtractæ fuerant, abstulit, ob id tantummodo, quia temerariam eius * inuasionem hic præsul recipere noluerit.

* apit. inf. sionem.

F

Et quod Odo ciuitatem Remensem obsederit, innumeras etiam cædes & deprædationes exercuerit, & res Ecclesiæ Remensis suis satellitibus dederit, huius Ecclesiæ insistens rapinis, donec Karolus cum valido exercitus apparatu adueniens eum ab obsessa ciuitate depelleret. Significans etiam quod Robertus homo Arnulfi ex parochia Herimanni Coloniensis Episcopi, res huius Ecclesiæ inuaserit ac diripuerit, donec eum vi ac si canem rabidum ab earum deuastatione repulerit. De quo petit, vt nisi admonitus resipuerit, auctoritatis Apostolicæ sententia feriatur. His se perturbationibus regni obsessum, impossibile fore significans ad eius Apostolicam se properare præsentiam, dum semper expectetur bellum, nec aliter posse res regni componi * credantur: sed ipse semper bellum distulerit, non quod inferiores vel impares fuerint, aut de iniusta causa dubitauerint, sed ne vires regni bellis attritæ, paganorum proderentur inuasionibus.

c.j. credatur.

G

Vnde dato placito inter se dextras securitatis inuicem vsque ad tempus præfinitum dederint. & cætera. Item pro eodem rege Karolo & Imperatore Lantberto, gratiarum referens actiones, quod notificauerit sibi de ipso Lantberto, patris se curam habere, filijque carissimi loco eum diligere, atque inuiolabilem cum eo concordiam se velle seruare: asserens, quod non illum tantum diligeret pro consanguinitatis necessitudine, qua illi deuinctus habebatur: verum multo magis, quia huius Papæ venerator & amator existeret.

Fulco consanguineus Lamberti Imp.

Precatur autem, vt idem Karolus rex cum prædicto Lantberto in amicitia iungeretur, & Odoni vel proceribus regni, pro causa pacis Papa rescribat, quo Karolus ad regnum hæreditario libitu * debitum proficiat. Et quamuis * omne totum non posset suscipere regnum, saltem partem aliquam honorifice condignam, concorditer & iuste regnum diuidendo, illi conseruent.

* c.j. ritu.

H

Subiungens acturum se quod sibi Apostolicus idem Pontifex præceperat super transgressoribus & sacrorum violatoribus Richardo, Manasse, atque Rampone, mox vt coepiscopos suos in vnum poruerit congregare. Id tantum Papa remandet, quoniam æterno illos anathematis vinculo innodauerat, si liceat eis ad pœnitentiam conuersis aliquid impendi misericordiæ, vel eos ad pœnitentiam suscipi, seu quis modus ipsius esse debeat pœnitentiæ. De Rampone vero asseuerat, quia in solum Teuthboldum Episcopum reus existeret, nihil culpæ in Walterum Senonensem admiserat, ad quem comprehendendum nec præsens fuerat adiutorium vel consensum ad id agendum præbuerat. Item pro Herilando Taruuanensi Episcopo, cuius Episcopio à Normannis depopulato, eum necessitate cogente ad se venientem, sicut oportebat, susceperat, quemque visitatorem cuidam viduatæ Ecclesiæ constituerat, vt visitando sustentationem interim, dum Episcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet. At quia homines præfatæ

Tar-

A Tarwanensis parochiæ barbaricæ videbantur esse ferita- tis & linguæ, supplicat vt responso Papæ mereatur certificari, si hunc viduatæ debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemorata ipsius Ecclesia subrogare, qui acceptior propter parentelam & linguam, in eodem loco posset existere. Idem vero Papa rescribens ei, laudibus attollit eumdem congratulans eius dilectioni atque sollicitudini, quam gerebat erga Lambertum Imperatorem, de cuius fidelitate & stabilitate monet eum semper fieri sollicitum, veluti consanguinitatis propinquum: asserens se cum ipso tantam pacis & dilectionis habere concordiam, vt nequeant aliqua iam ab inuicem prauitate seiungi. Notificat quoque Richardum, Manassem, atque Ramponem excommunicatos à se, atque perpetuo ligatos anathemate, pro eo quod tam nefandissima perpetrauerint, vt * Teuthboldo Lingonensi Episcopo oculos eruerint, Waltarium Senonensem, propria depulsum sede custodiæ mancipauerint: mandans vt secum de his sentiat, & conuocatis omnibus suffraganeis suis Episcopis, canonicum super eis quod exercuerat iudicium pari modo determinet.

ms. Theobaldo.

B Item scribit eidem Archiepiscopo pro Berthario quodam presbytero, quem clerus & plebs Ecclesiæ Catalaunensis cōsensu regis Odonis ad Episcopatum dicebatur elegisse, succensens, quod hunc vocatum canonice noluerit consecrare, sed in transitu defuncti Episcopi Ecclesiam ipsam Herilando Tarwanensi Episcopo beneficiali more ferebatur contulisse. Postea quemdam Mancionem nonnullis criminibus irretitum in eadem Ecclesia, quasi Episcopum ordinauerit, cumque prænominatus Bertharius Apostolicam præsentiam vellet adire, comprehensus sit à quodam Conrado huius domni Fulconis vassallo, de Ecclesia tractus, & in exilium per vnum mensem delegatus. Vnde & euocans hunc nostrum Præsulem, mandat expresse, sed fraterne, vt suam denominato tempore non differat ei exhibere præsentiam, habens secum præfatum Mancionem, & iam dictum Conradum, cum quibusdam denominatis coepiscopis suis. & cætera.

C

Quæ Stephanus Papa Fulconi, & quæ Fulco eidem Papæ rescripserit.

CAP. IV.

Steph. vij.

STephano quoque huius Formosi successori scribens idem domnus Fulco, deuotionem quam erga Romanam sedem gerebat conabatur ostendere, & quod limina crebertime cupiuerit Apostolorum adire, sed diuersis obstantibus discriminum causis, hæc vota nequiuerit adimplere: vbi significat Odonem & Karolum regem in pacis tandem concordia, se studente, connexos. Contremiscens hic Papa litteras, suas à se suscepisse fatetur, ipsius non admittens, immo reprehendens excusationem, eo quod alij homines eamdem sedem adirent, & ipse fateretur fas sibi adeundi non fuisse concessum. Denuntiat ergo synodum se per mensem Septembrem imminentis indictionis quintædecimæ certissime celebrare statuisse: ad quam censendo vocans hunc Archiepiscopum, monet expresse, quatenus omni mora repulsa, omnique excusatione amota, eodem tempore suam specialem præsentiam eidem, synodoque omnino exhibere maturet, quod si prætermiserit, canonicam in eum ferre sententiam minime retractabit.

D Rescribens autem hic venerabilis Præsul eidem, quam semper habuerit deuotionem circa gloriosam principis Apostolorum sedem, eiusque sanctos Præsules, pandere nititur: asserens se tunc varijs oppressionibus aggrauatum, ac diuersis adstrictum perturbationibus, præsentia corporali eamdem adire sedem non valuisse: dilectus autem filius huius Ecclesiæ illuc destinasse, ad itineris sui enarrandas incommoditates viua voce. Quemdam quoque consacerdotem suum ad id exequendum se direxisse. Plura se scribere non præsumpsisse, quia senserit in epistola nbi ab ipso directa dura se satis inuectione molestatum: & hoc sibi non modicum incussisse miraculum, quod ita tunc primæ ipsius litteræ grauiter eum perculerint, cum eatenus ab ipsa sede nihil aliud nisi mellitum ac dulce, prædecessoribus suis sibi scribentibus, venire consueuerit.

E Quod peccatis tamen suis imputans, vt de malo suo se merito contristari, sic de correptione ipsius se fatetur lætificari: reuoluens fieri potuisse, ceu quodam designat ad se perlatum rumore, vt à quibusdam minus caritate repletis aliter de se audisset, quam veritas se haberet. Vnde petit, ne facile huiuscemodi personis aurem accommodet, donec (vt scriptum est) rem quam nescit diligentissime inuestiget. *Iob. 29.* Adnectens simpliciter, vti ab ipsis pene cunabulis educatus canonicis fuerit disciplinis, donec à glorioso rege Karolo Imperatoris Ludouici filio, in palatinis ac domesticis eius sit assumptus obsequiis. Sicque in aula palatij perseuerās vsque ad tempora Karlomanni Regis, Ludouici iunioris filij, nepotis eiusdem Karoli, quando à sanctis prouinciæ Remensis Episcopis, necnon à clero & plebe huius vrbis electus sit, & Episcopus ordinatus.

F Vbi qualiter hanc Ecclesiam paganorum infestatione laborantem repererit, & vt pro pace ipsius ad posse desudauerit, legati sui, vel aliorum hæc scientium petit explorari narratione. Asseuerans præmissa se nō arrogantia explicare, sed vt nouerit, coniiciens quia qui sic enutritus, & taliter fuerit ante Episcopatum conuersatus, hoc sibi potius onus quam honorem, nō elationis instrumentum, sed humilitatis esse seruitium. Subnectit autem, quod si aliqua regno quies concessa fuerit, & ab Odone rege licentiam impetrare valuerit, ad ipsius beatitudinis vestigia tandem aliquando properare studebit, dum sibi viæ patuerint, quæ tunc ab Zendeboldo Arnulfi regis filio erant obstructæ: qui Ecclesiam quoque Remensem multis affligebat iniuriis, res eiusdem suis impertiens subditis. Cuius tyrannidem Apostolica petit auctoritate reprimi, dicens, quia in tam periculoso & necessitudinibus pleno tempore se suam Ecclesiam noxium esset deserere.

G

Quæ regibus quibusdam Fulco scripta direxerit.

CAP. V.

TOTIVS itaque regni curam agens idem domnus Archiepiscopus Fulco, litteras dirigit Imperatori KAROLO, regis Ludouici Transrhenensis filio, pro tutela & defensione regni Francorum, quod in his partibus à Normannis multipliciter opprimebatur: asserens illud, auxiliante Deo, hactenus fuisse protectum, quamdiu patrui & æquiuoci eius, ac filiorum ipsius regebatur dominatione. Tunc vero illis feliciter humana excedentibus, postquam se proceres regni eius Imperiali commiserant tuitioni, eos vndique seuus multi superaggrauent casus. Memorat que ciuitatem Parisiorum, quam caput asserit, & introitum regnorum Neustriæ atque Burgundiæ, Barbarica cingi obsidione, citoque capiendam, nisi Dei subuentum fuerit clementia.

Carolus Crassus, de quo supra.

H Quæ si capta fuerit, totius dispendium regni se perpessuros: tamque periculose hæc iam mala grassari, vt à prædicta vrbe Remos vsque nihil tutum remanserit: nulla nisi peruersorum Christianorum barbarisque consentientium secura sit habitatio, quorum multi, Christianam deserentes religionem, paganorum se societati coniunxerant, ac tuitioni subdiderant. Scripsit & ad eumdem Imperatorem pro percipiendo à sede Romana pallio, roborandisque datis olim à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Remensi priuilegijs.

ARNVLFO regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli, quem paruulum adhuc vnxerat in regem, reddit causas eius prouectionis, eo quod audierat motum fuisse animum ipsius Arnolfi cōtra se pro hac perpetratione: commemorans quod decedente Karolo imperatore, huius Arnulfi auunculo, in ipsius Arnulfi seruitium fuerit profectus, cupiens eius suscipere dominium & gubernationem: sed ipse rex eum sine vllo consilio vel con-

consolatione dimiserit. Vnde cum nec in eo sibi spes vlla remansisset, coactus sit eius hominis, videlicet Odonis, dominatum suscipere, qui ab stirpe regia existens alienus, regali tyrannice abusus fuerit potestate, cuius & inuitus hactenus dominium sustinuerit. Et quoniam huius Arnulfi dominatum desiderauerit, ideirco in ipsius seruitium profectus fuerit. At postquam nullum consilium in ipso reperire valuit, hoc solum quod restabat egerit, eligens eum regem habere, quem solum post ipsum de regia ipsius habebant progenie, & cuius prædecessores ac fratres extiterant reges. De hoc etiam, quod idem rex in culpam trahebat, quare non id ante fecissent, reddit rationem, quod quando Karolus imperator decessit, & idem Arnulfus regimen huius regni suscipere noluit, hic Karolus adhuc admodum corpore simul & scientia paruulus existebat, nec regni gubernaculis idoneus erat, & instante immanissima Normannorum persecutione, periculosum erat tunc eum eligere. Vt vero ad eam viderunt perductum ætatem, in qua salubre sibi consilium dantibus assensum præbere nouerit, susceperunt eum secundum Dei honorem, vt regnum consuleret, volentes eum ita instituere, quatenus huic regno, & ipsi Arnulfo proficuus valeret existere. De eo quoque quod sine ipsius Arnulfi consilio præsumpserint hoc agere, morem Francorum gentis asserit secutos se fuisse: quoniam mos semper fuerit, vt rege decedente alium de regia stirpe, vel successione, sine respectu vel interrogatione cuiusquam maioris aut potentioris regis eligerent. Hoc more hunc regem factum ipsius fidelitati & consilio committere voluerint, vt ipsius adiutorio & consilio vteretur in omnibus, & eius subderetur tam rex, quam vniuersum regnum præceptis & ordinationibus. Præterea quod audierat huic regi suggestum, quia contra fidelitatem ipsius, & propter priuatum hoc egerit commodum, infert quod Aschericus ipse, qui hæc tractasse videbatur, antequam de re huiuscemodi aliquid idem Archiepiscopus agere conaretur, venerit ad se, præsentibus Heriberto & * Ecfridu Comitibus, & consilium simulque auxilium quæsierit, quid agere deberet de iussionibus Odonis, qui res importabiles ei præcipiebat. Ex parte quoque filiorum Godfridi consilium petierit de malo, quod eis Odo facere conabatur: rogaueruntque vt tale caput communi consilio statueret, per quod securi possent esse subditi, intendentes vel in Widonem, vel in hunc regiæ prosapiæ Karolum, & simul considerantes qui assuerant, ad quem melius attendere deberent, visum illis est, propter acquirendam regni vtilitatem, & ipsius Arnulfi cauendam contrarietatem, propterque rectum, congruumque regij generis principatum, vt ad hunc Karolum se conuerterent, credentes quod Arnulfus hoc de propinquo suo gratum haberet, ipsique & regno præsidium ferret. Quod autem iactitatum audierat, causa Widonis hoc eum fecisse vt hac arte illum subintroduceret in regnum, & dimisso puero Karolo, se verteret ad Widonem: asserit liuore inuidiæ, contra se scienter hæc falso fuisse iactata: aut etiam quod qualis erat ipse qui talia diffamabat, talem eumdem posse fieri sentiebat: ipse vero nec se talem fore, nec talibus ortum natalibus recognoscebat. Prædecessores quoque ipsius reges nequaquam talia ingenia in progenitoribus suis experti fuerant, quos in omni fidelitate ac regni vtilitate probatos habuerint: ideoque illos honorifice sublimauerint. Quapropter erubescendum eidem regi fuisset, vt hoc de se crederet, vel infamia se tali notaret. Denique quod audierat ipsi Arnulfo dictum fuisse, quod hic Karulus filius Ludouici non fuerit, asseuerat neminem se posse credere fore, qui eum si viderit, & parentum ipsius effigiem cognouerit, non recognoscat illum de regia processisse progenie: quædam quoque patris sui Ludowici signa gestare, quibus agnoscatur filius ipsius fuisse. Poscit erga Arnulfi regiam maiestatem, vt hæc * vera dignanter accipiat, nullusque animum ipsius contra hunc regem innocentem, propinquum suum commouere valeat. Sed vtrum hæc quæ asserit ita se habeant, in sua præsentia, fideliumque suorum examinari faciat, & ad debitum finem perducat: cogitans qualiter antecessores sui regni statum gubernauerint, & quomodo regalis culminis successio semper hucusque viguerit. Tunc vero ille tantum princeps, & hic paruus propinquus eius Karolus, de tota regali stirpe remanserint: perpendatque quid contingere possit, si eum debitus cunctis casus reposcerit, cum tot iam de aliena stirpe reges existant, & adhuc sint plures, qui sibi regium nomen affectent, quis post ipsius decessum adiuuabit eius filium, vt ad debitam sibi regni conscendat hæreditatem, si contigerit huic sibi propinquum cadere Karolum. Adnectit etiam, quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex successione habere consueuisse, proferens super hoc testimonium beati Gregorij Papæ. Subijcit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam, Hermenrico nomine, qui omnem progeniem suam morti destinauerit impijs consilijs cuiusdam consiliarij sui, suppliçatque ne sceleratis hic rex adquiescat consilijs, sed misereatur gentis huius, & regio generi subueniat decidenti: satagens vt in diebus suis dignitas successionis suæ roboretur, & hi qui ex alieno genere reges extabant, vel existere cupiebant, non præualerent contra eos, quibus ex genere honor regius debebatur. Asseritque se misisse * Aledrannum ad eumdem Arnolfum, suggerendo vt quoscumque sibi placeret, ex his qui Karolum regem constituerant, in suum pergere seruitium præciperet, qui coram sublimitate ipsius hæc ita esse rationabiliter ostenderent. Flagitans etiam orat, vt hæc præmissa benigno rex tractet animo, & hanc sciat ipsius esse deuotionem vel intentionem erga ipsius fidelitatem, vt hic Karolus ad ipsius consilium in omnibus, quæ acturus est, respiciat, & ipsius pietate tutus consistat, & [illegible] huius regis animum ab auxilio istius regni, vel eius [illegible] Karoli deflectere valeat. Item ad eumdem regem, significans [illegible] de fidelitate & deuotione, quam erga ipsum habeat, & quia in eius seruitium ad ipsius iussionem properare de[illegible] Promissionem quoque, quam rex suus Karolus eidem Arnulfo, qui regnum sibi contradiderat, promiserat, manere inconuulsam, tam in ipso rege, quam in subditis sibi. Et quia proponeret idem Karolus Odonem inimicum sibi regem, & insidias sibi magnopere parantem armis aggredi. WIDONEM Imperatorem legatione suarum visitans litterarum, admodum sede ipsius gaudere fatetur gloria & exaltatione: mirari vero atque turbari, quia nullis nuncijs iam longo tempore transacto sibi aliquid de statu & prosperitate sua notificauerit. Exorat autem, vt regi suo Karolo suffragium impendat, & talis erga ipsum existat, qualem eum erga propinquum existere decet, & vt celerius illum scire faciat, qualem voluntatem circa ipsum habeat. De Arnulfo quoque rege significat, quod non velit eidem Widoni pacem seruare. Karolum denique sedi Apostolicæ suam epistolam dirigere, orationibus se commendando Papæ, atque ipsius petens roborari benedictione, & vt idem Papa huius Widonis eum coniungat amicitiæ. Poscit etiam, vt eidem regi de amicitia sua per suum missum, aut per sua scripta Wido remandet. Sed & suis, vel Ecclesiæ sibi commissæ compatiatur iniurijs quas fidelitatis ipsius causa tolerabat. Notificat etiam abbatiam sancti Martini à rege sibi * concessam, rogans vt res eius, quæ in regno ipsius erant, in sua tutela Wido recipiat.

ODONI regi litteras dirigens, rogat pro concedenda Ecclesiæ Laudunensi post decessum Didonis Episcopi, electione libera: ostendens non oportere violenter eos ad eum, quem nollent, suscipiendum compelli. Precatur etiam, vt eamdem Ecclesiam absque inquietudine degere iubeat, neque res ipsius à peruasoribus deprædari sinat, ne particeps dirpiendorum fiat, si talia fieri permittat. KAROLO regi suo scribens, indignatur valde sibi perlatum, quod prauis quorumdam consilijs vellet idem rex se sociare Normannis, vt illorum auxilio ad regni decus obtinendum iuuari posset. *Quis enim*, inquit, *qui vobis sicut oportet fidelis est, non expauescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Christiani pagana arma & fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat, vtrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret. Nam si (vt ait Apostolus) mores bonos colloquia praua corrumpunt, quanto magis corrumpitur castitas* ani-

(Marginal notes: *Rati* / *Ecfrido*; *verba*; *Greg. hom. 10. in Euang.*; *ms. Papæ Aleranum*; *ms. commissam*; *1. Cor. 15.*)

A

*anima Christianæ Ethnicorum consilijs & societate? Neque enim poterit non imitari quod assidue viderit: quin potius assuescet paulatim, & quasi vinculo mala consuetudinis trahetur ad facinus. Certe progenitores vestri reges, deposito gentilitio errore, diuino cultui se sublimiter subdiderunt, & à Deo semper auxilium expetiuerunt, propter quod & feliciter regnauerunt, & regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos è contra nunc Deum relinquitis. Dicam certe, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos eius hostibus sociatis. Vnde & merito prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad regem † Israel similia facientem directa est: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris. Et certe cum deberetis multis præteritis terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renunciare, ac pro his omnibus pænitentiam agere, nunc ad maiorem iram Dei prouocandam, his qui Deum ignorant, & in sua feritate confidunt, vos coniungitis. Credite mihi, quia nunquam sic agendo ad regnum peruenietis, immo velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora sperabam: nunc video vos cum omnibus * consanguineis vestris periturum, si tamen hoc vere vultis agere, & talibus consilijs adquiescere. Re vera qui tale vobis dant consilium, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul & cæleste regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Deum, vt tale deseratis consilium, neque velitis vos in æternum præcipitare interitum, & mihi cæterisque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quam diaboli patrocinio velle regnare, & illis iuuare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, & talibus consilijs adquieueritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quoscumque potuero à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus coepiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate quam vobis seruo, hæc gemebundus scribo, quoniam cupio vos secundum Deum & sæculum semper esse honoratum, & non Sathanæ, sed Christi adiutorio, ad debitum vobis conscendere regni fastigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum habet fundamentum: quod vero per iniustitiam & rapinas acquiritur, caducum est, & cito deciduum, nec poterit diu permanere.*

Sunt verba Iehu ad Iosaphat regem Iuda 2. par. 19.

ms. j Papis. cōsentaneis.

B

C

LAMBERTO Imperatori congratulationis apices dirigens, notificat quid sibi de ipso dominus Papa Formosus suis litteris intimauerit: quod scilicet eumdem Imperatorem multum diligeret, & in omnibus ei consulere, loco carissimi filij, atque indissociabilem vellet ad eum seruare concordiam. Hortatur ergo hunc principem, & admonendo flagitat, vt tantæ benignitati eiusdem Papæ gratus existat, illum vt patrem pijssimum diligat, omnemque illi fidelitatem & obedientiam seruet, eiusque monitis, vt verus filius, obtemperet, & sedem Romanam digna veneratione honoret. *Ita enim vestrum*, inquit, *perenni soliditate stabilietur imperium, & contra omnes inimicos & hostes vestros diuinum vobis auxilium suffragabitur, fietque vt omnibus aduersarijs, diuino adiutorio, semper superior & fortior sitis. Recordamini quæso auunculi vestri & æquiuoci Lamberti illustrissime, qualis erga sanctam Romanam sedem fuerit, qualemque exitum consecutus sit, & cauete ne in idem exemplum deueniatis, si aliquid simile agere volueritis. Domnum etiam Apostolicum deprecamini, vt eum dignetur absoluere, & pro illo apud Deum interuenire. Pro me quoque attentius postulo, vt eius mihi beneuolentiam concilietis, quatenus tam de me, quam etiam de sede Remensi mercedem dignetur habere, & sua illi priuilegia inuiolabiliter custodire, sicut omnes sancti prædecessores ipsius semper fecisse noscuntur: & si aliquis * vnquam aures clementiæ ipsius inquietare, & de nobis sinistri aliquid dicere præsumpserit, non prius obloquentibus credere, donec per me, aut certe per suum, vel meum missum, quod verum sit, possit agnoscere. De cætero cognoscat imperialis dignitas vestra, Ramponem propinquum vestrum & meum, ab eodem domno Apostolico excommunicatum, sicut ex eius litteris agnouimus. Pro quo obsecro * mansuetudinem vestram, vt eum deprecemini, quatenus illi locum pænitendi, & quod admisit emendandi non deneget, nec eum perpetuo anathemate tunc datum irrecuperabiliter perire sinat: sed quam illi placet, pænitentiam & satisfactionis mensuram illi iniungat. Nobis etiam & vniuersis Italiæ vel Galliæ Episcopis, quibus de eius damnatione scripsit, vicissim de sua misericordia quid illum agere, & qualiter esse conueniat, rescribi iubeat.*

D

j. nequam.

ms. magnitudinem.

E

ALARADO regi Transmarino amicabiles litteras mittens, grates refert, quia tam bonum virum & deuotum Ecclesiasticisque regulis congrueotem destinauerit Episcopum in ciuitate Cantaburg nomine. Audierat enim, quod * peruersissimam sectam paganicis erroribus exortam, & in illa gente tunc vsque relictam, verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta suggerere videbatur: Episcopis & presbyteris subintroductas habere mulieres: ad propinquas quoque generis sui, quisque vellet, accedere insuper & sacratas Deo feminas incestare, & vxorem habens coocobinam simul habere. Quæ omnia, quam sanæ fidei sint aduersa documentis manifestat euidentissimis, ex sanctorum patrum * probatis auctoritatibus. RICHILDIM reginam vel imperatricem litteris commonens atque redarguens, dolore multo se fatetur esse correptum, pro fama non bona, quæ ad ipsum de vita vel actibus eiusdem reginæ peruenerat: quod scilicet esset diabolus, vbi fuisset illa, magis quam Deus, cum forent circa illam quæ contra salutem militant animæ, id est, iræ, rixæ, dissensiones, incendia, homicidia, luxuriæ, rapinæ quoque pauperum, peruasiones Ecclesiarum. De quibus omnibus debita sollicitudine & pastorali diligentia commoneat eam, vt transferat se de tantis malis ad fructum æternæ salutis: proponens ei quadriuium vel quadrigam virtutum, quam assumens & ascendere nitens, apprehendat ea quæ sunt sapientiæ atque sanctimoniæ, ac felicitatis æternæ. Velamen quoque Christi, quod assumpserat viduitatis, incorruptum seruare studeret, vt illud inuiolatum Deo repræsentare posset: nec properare velit ad inferos, vt inueniat inæstimabile malum multarum, quas ei propalare nititur, miseriarū. Perpendat, si est amica Dei vel soror. Quod si nō est, sine intermissione det operam, vt esse possit, etsi non candore virginitatis, studio tamen continentiæ salutaris, recte credendo, Deum ac proximum diligendo, pietatis opera faciendo, sobrie & iuste & pie viuendo: attendat vt vitam corrigat donec hodie cognominatur, ne incidat in laqueum confusionis æternæ, dum non recogitat quam velociter præsens hodie transeat. Parcat animæ suæ, & attendat vt Deo proxima fiat, & * habeatur columba per simplicitatem & innocentiam, vt audire mereatur à Christo cum exierit è corpore: Hyems transiit, & recessit, columba mea veni, mecumque requiesce, sedens in dextera patris mei. Multumque, se ideo loqui asserit, quod de ipsius salute plurimum sollicitus sit, optans vt vere fiat regina, ornando virtutibus viduitatem suam, præ oculis habens diem mortis, vel resurrectionis suæ, audiatque Apostolum dicentem: Euigilate iusti, & nolite peccare. Det tandem Deo suo gloriam, & operetur salutem propriam, declinet à malo, & faciat bonum. Oratque exoptans vt correptio sua & emendatio necessaria salubrisque compunctione tangat cor eius, vt tandem aliquando resipiscat diaboli laqueis: gratia quoque Dei resuscitet eam de sepulchris vitiorum. & cætera. Febricitantem quoque in malis, faciat eam firmam & stabilem Deus, fixamque in bonis, vt hîc & in æterna vita possit gaudere cum sanctis. *Quod si consilium nostrum*, inquit, *audieritis, tales vobis erimus, quales esse debemus, in omni fidelitate & reuerentia atque debito seruitio. & quod his omnibus maius est, erit vobis Deus propitius, sicut optamus, & oramus. Alioquin volumus vt sciatis reuera quod pro vobis nolumus incurrere offensionem Dei, sed secundum ministerium nostrum, faciemus de vobis, quod canonica nobis iubet auctoritas. Quod quam inuitus faciemus, Deus testis est, non enim possumus discedere ab Apostolo, qui dicit: Quamdiu Apostolus sum gentium, ministerium meum honorificabo, &, Dei adiutores sumus, &, Deus est, qui operatur in nobis. &, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Vnde precor Deum in cōscientia mea, vt adhæreant cordi vestro verba mea, & ipse qui per me loquitur, hæc in auribus vestris per seipsum loquatur in corde vestro. Deus omnipotens ad vota nostra manum suam de alto, & liberet vos de cænulento huius sæculi profundo.*

Albradus rex Angliæ.

ms. peruersissimam.

ms. j. probatis.

Richildis vidua Caroli Calui de qua lib. 3. c. 27.

F

Tit. 2.

Heb. 3.

G

ms. habeat columbæ simplicitatem.

Cant. 2.

1. Cor. 15.

Psalm. 36.

2. Tim. 2.

H

Rom. 11.

1. Cor. 3.

Philip. 2.

2. Cor. 13.

Quæ diuersis scripserit Episcopis.

Cap. VI.

[A] Diversis etiam Præsulibus diuersa reperitur direxisse scripta, pio sale respersa, & diuinis auctoritatibus referta. *Fulconi Archiepiscopo pro rebus Remensis Ecclesiæ in sua coniacentibus diœcesi, quæ ab inuasoribus non modicum patiebantur dispendium: monens & rogans, vt memor ministerij sibi à Deo collati, & Apostolicorum præceptorum, quorum plura subiungit exempla, his peruasoribus auctoritate canonica interdicat, ne de rebus huius Ecclesiæ amplius præsumere audeant,* sicut offensam Domini sanctorumque ipsius incurrere nolint. *[Rectius si.]* Rostagno Arelatensium pręsuli, grates referens quod eum de rebus Ecclesiæ Remensis sollicitum esse comperierat, quas sub ipsius prouidentia & tutela constituerat: sed audiebat eas à quibusdam prauis inuasoribus infestari vel vsurpari. [B] Vnde hortatur, vt eosdem peruasores, nisi resipiscant, districta percellat excommunicatione, si non iudicet rem huiusmodi ad Apostolicam sedem deferri. Harimanno Agrippinensium Archiepiscopo, significans se desiderare cum ipso, cæterisque diœcesios ipsius Episcopis loqui, & de necessarijs Ecclesiarum causis, vt ab eodem sibi suggestum fuerat, pertractare: id tamen insurgentibus Nordmannicæ persecutionis turbinibus impediri. Vt autem opportunitas se temporis aperuerit, maturata facilitate adimplere conari. Intimat præterea res quasdam Remensis Ecclesiæ in ipsius parochia peruerso iure à quibusdam peruasoribus possideri. Qua de causa expetierat Arnulfum regem apud Warmaciam, vt ipse Willeberto præsuli huius prædecessori præciperet, quatenus ipse super hoc negotio secundum edicta canonum ageret. A quo scilicet rege idem etiam Herimannus super hoc ipso legatus ad præmissum Episcopum fuerat destinatus. Sed quia idem Willebertus præceptum regis in hoc adimplere non potuit, [C] hunc monens rogat, vt eosdem peruasores, vel qui res ipsas inquietare conantur, animaduersione canonica feriat, nisi à cœpta præsumptione resipiscant. Decretum quoque Symmachi Papæ eidem Herimanno dirigit, vbi quid de talibus sit agendum manifestissima possit assertione cognoscere. Item eidem, pro quibusdam rebus huius Ecclesiæ super Rhenum sitis, in loco qui dicitur *Bothert, quas *Maingaudio commendauerat: quo defuncto petit, vt idem præsul Herimannus eas tuendas suscipiat. *[Bobert. Maingaudo.]* Quendam etiam Wibertum, qui res alias Remensis Ecclesiæ tenere videbatur, admoneat, vt eas cum amicitia sibi restituat. De rebus quoque cuiusdam abbatiæ sibi à rege concessæ, quæ in partibus ipsius Herimanni coniacebant, rogat vt eas ab extraneorum peruasione defendat. & cæt. Waltero Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopo, pro causa Hildegardis Abbatissæ de qua placita quædam constituerat, sed ad nullum idem Walterus, partim occupatione, partim infirmitate pressus, attenderat. Vnde præscribit eidem, qua res ipsa finem legitimum sit habitura: precansque monet vt nulla tenus omittat, quin ad id placitum veniat. [D] Si vero non venerit, ipse tamen, solius caritate, quod agendum est, auctore Deo, inde perficere conabitur: & quod hactenus id distulerat, non quasi auctoritatem aut priuilegium hoc agendi non haberet, egerat: sed potius causa dilectionis ipsius, quam per omnia inuiolatam seruare cupiebat. Petit etiam vt præfatam abbatissam idem Walterus, vtpote diœcesaneam suam, præmoneri faciat, quo ne velut ignaram se à conuentu ipsius subtrahere, sed potius die prænominata præsentem studeat exhibere. Item consolatorias eidem dirigens super ipsius ægrotatione litteras, & de absolutione, quam sibi petierat idem Walterus, tam ab eo, quam à fratribus ipsius fieri: simulque de ipsorum prouidendo ab eodem domno Fulcone, quando fieri posset, colloquio. Plegmundo Archiepiscopo Transmarino, congratulans bonis eius studijs, quibus eum laborare compererat, pro abscindendis & extirpandis incestuosis luxuriæ fomentis, supra in his litteris, quæ Albrado regi scripserat, commemoratis, quæ in ea gente videbantur inoleuisse: sacris eum instruens & armans auctoritatibus † censuræ canonicæ, particeps nimirum piis ipsius laboribus cupiens existere. [E] *[Cap. 5.]* *[† for. scripturæ.]* Ioanni cuidam Romano præsuli, commemorans affectionem dilectionis, quam habebat erga eum, ita vt diceret, nullum se inuenisse recordari, cum quo sic concorditer mutuo coniungeretur caritatis affectu: rememorans magna se quondam beniuolentia susceptum ab eo fuisse, liberalissimaque humanitate tractatum, magnisque beneficiorum impendiis accumulatum. Asseritque se quantocius, pace reddita, dignis seruitijs ostensurum, tam erga eum, quam erga domnum Papam Stephanum gratam animi deuotionem: precaturque vt eum suo fauore tueatur apud ipsius excellentiam Papæ, & in quibuscumque necessarium viderit, ai sicut optime in ipso confidit, assistat. Dodiloni Cameracensium præsuli, pro placitis sibi ab eo datis, ad quæ minime attenderat: monens & rogans, vt satagat venire ad proximum placitum vbicumque rex Odo fuerit cum Episcopis, quando rem de quatuor agebatur de Hildegarde & Hermingarde terminare deberent. [F] Accusatores quoque ipsius Hirminmardis, eosque qui presbyterum luminibus priuari, ac suspendi iusserunt, cum omnibus qui eidem nefandæ iussioni paruerunt, vel fautores huius sceleris extiterunt, commoneri faciat, & canonice conuocari, vt huic conuentui se studeant præsentare. Item pro eadem causa, gratias referens quia deuote ipsius commonitionem susceperit, & ad constitutam diem paratissimus occurrerit. Illud vero succensere videtur, cur cum de negotijs Ecclesiasticis ageretur causa, non per clericum, sed per laïcalis ordinis hominem sibi mandare voluisset. Ipse vero domnus Fulco, partim senioris seruitio detentus, partim corporeæ incommoditatis molestia præpeditus, iuxta condictum venire nequiuerat. Admonet etiam, eum meminisse debere, qualis ipse erga eum quondam extiterit, qualiter sine rege, sine vllo ipsius parti consulente modis omnibus institerit, vt ad hunc Episcopalem perueniret honorem, cum adhuc sibi perfecte notus non esset. [G] Ita tamen pro eo egerit, veluti pro fratre carissimo, quia crediderat & credebat in eo simplicem prudentiam, fidem non fictam, & firmam & inde mutabilem stabilitatem: sperauerat etiam in omnibus sibi cooperatorem & adiutorem fore. Per illam ergo sinceram dilectionem, quam in ipso credebat, eum se dicit monere: mandans vt posthabita omni dilatione vel occupatione, ad condictum conuentum Episcoporum præsens adesse studeat, nulla causa excepta, nisi tantum infirmitate corporea. Personas etiam præmissas, quas per alteram significauerat epistolam, commoneri canonice faciat, vt præparatæ ad solennem cœtum Episcoporum die præfixa se satagant præsentare. Item cum cæteris coëpiscopis, Didone scilicet Laudunensi, Heriloне Nouiomensi, Riculfo Suessorum, *Herimando Morinensi scribens, huic Præsuli Dodiloni significat, hos præmissos in vrbem Remensem conuenisse Præsules, ad tractandum de peruasione Balduini, de quo scripserat eidem *Dodilo, admonere illum, vt resipisceret à prauo temeritatis suæ fastu. *[supra c. 5.]* *[Herilãdo.]* [H] Sed quoniam idem Præsul rescripserat, occurrere eisdem Præsulibus se nequiuisse, quia suum iter Nordmannorum præripuit gladius, seu de communi comparitur exitio. *[Bald. Caluus. fland. Comes.]* *[Dodiloni.]* Cæterum quod petierat de Balduino, in hoc adquiescit ei, vt admonendo, exhortando, & increpando, sedulo eum corripiat, vt à sua corrigatur prauitate, diuinas ei proponens sanctorum sententias patrum: litteras etiam eidem Balduino ab ipsorum Episcoporum parte dirigi significat. De quibus hortatur, vt si fuerit præsens, eis recitentur: si absens fuerit, per suum archidiaconum ipsi transmittat, qui etiam illas eum intelligere faciat. Quod si & eum ille nequiuerit adire, litteras ipsas publicè coram se legi faciat in loco, vbi Balduinus religionem peruasit, & deinceps, nisi resipuerit non ei vel monachus, vel canonicus, vel quilibet rite Christianus adiungatur, si non anathematis vinculo implicari voluerit. Si Heilo quoque ad ciuitatem Atrabatensem venerit, Dodilo

illi

A

illi occurrat, vt de hac re quod agendum est, canonice peragere possint, & quidquid inde fecerint, litteris sibi significet. HETILONI præsuli litteris mandat, vt proficiscatur cum fidelibus regis ad Attrabatem, agens pro posse quod in alio scripto agendum sibi reperit significatum. Item pro his quæ à Dodilone Camaracensi patiebatur Episcopo, asserens quomodo pro benefactis, ab eo sibi contumeliosa retribuantur: adsciscensque hunc sibi testem, qualiter eumdem Dodilonem paterno simpliciqne benignitatis affectu ad potiora prouexerit. Sed & quomodo Rodulfus vir deuotus abbatiam quandam in huius Hetilonis parochia sitam, Remensi delegauerit Ecclesiæ, committens simul eidem corpus beati Calixti Papæ & martyris, quod impetratum à Romana detulerat vrbe. Intimat ergo qualiter precatus sit amicabiliter præfatum Dodilonem, ad Attrabatense castellum venire, & inde pignora præfati martyris honorifice leuare, atque vsque ad cœnobium sancti Quintini deducere. Hunc etiam Hetilonem

B

expetierat, vt ad ipsum cœnobium occurreret, & tamdiu cum sacro comitaretur corpore, donec ipse domnus Fulco veniret, & illud decenter excipere, & vsque ad hanc Remensem valeret vrbem deducere: vbi tamdiu seruaretur, quousque, pace reddita, loco proprio ipsius Hetilonis parochia situ restitui posset. At dodilo cum debuisset agere quod petebatur, è contra, filiationis ac fraternitatis postbabita reuerentia, in medio occurrens viæ, & de manibus gestantium sanctum pignus abripiens, apud se reposuit, dicens: non illud cuiquam se redditurum, nisi eidem Hetiloni, in cuius dinoscebatur fuisse parochia depositum: & hoc ipsum nouæ fraudis argumento gessisse, quo valeret præfatum corpus sacrum cuidam *Hucboldo Comiti tradere.

ms. Bucheldo.

Quocirca petit hunc Hetilonem, vt missum suum ad eum dirigat, & paterno ac fraterno amore ipsum redarguens, corrigat, & in memoriam ei reuocet, quomodo religionis solius & fidei, quam in eo forte credebat, intuitu, illum absque regis aut principis alicuius expectatione in

C

sede Pontificali locauerit, moneatque vt à cœpta temeritate pedem reuocet, ne aliquid hunc eumdem Archiepiscopum contra se, quod idem nolit, agere compellat. Hunc quoque precatur Hetilonem obnixe, ne illi assensum in hac tali præbeat, sed iustæ parti in omnibus faueat, & thesaurum cœlestem, Remensi Ecclesiæ à præmemorato viro traditum, vt ibi ac basilicæ ipsius restitui non solum consentiat, sed etiam totis viribus adiuuet. DIDONI Laudunensi Episcopo, pro reconciliatione animæ cuiusdam Walcheri, qui reus maiestatis inuentus, supplicium mortis incurrit. De quo audierat, quod in articulo mortis pœnitentiam per confessionem & sacræ communionis viaticum ab ipso expetierat, nec impetrare valuerat. Insuper & sepulturæ beneficium fuerat ei denegatum, & orari pro eo prohibitum. Succenset ergo eumdem Præsulem, horrens cur sic voluerit agere, cum sciret optimè, quod auctoritas sacra de non neganda in vltimis statuerit pœnitentia: adhibetque nonnulla sanctorum patrum su-

D

per hac re testimonia, monens vt considerato communi periculo, imitetur communis Domini pietatem, & huic peccatori remedium pœnitentiæ in vltimis deprecato, impendat misericordiam, vt & orari pro eo faciat, & per seipsum reconciliationem, animæque commendationem more Christiano persoluat: eumque de loco peruio, in quo non sepultus, sed proiectus erat, ad cœmiterium fidelium transferat. Item pro hac eadem causa, postulans & adhibens exemplum beati Gregorij de quodam monacho, quem iusserat nec sepulturæ communi tradi, nec orationibus iuuari: at post *legitimum spatium reconciliationem eidem præcepit impendi: adsciscens etiam illud Euangelicum: quia filius hominis venit quærere, & saluum facere quod perierat. Sed & Nicæni Concilij testimonium, quo generaliter cuilibet in exitu posito, & poscenti gratiam communionis, tribui præcipitur. PETRO cuidam Romano scribit Episcopo, pro his de quibus Formosum Papam consuluerat super Heriuaudo Morinensi Episcopo, quem Catalaunicæ præficere decernebat viduatæ Ecclesiæ, petitque vt suggerat Papæ pro hoc suo consultu, quatenus optatum super eo citius adipisci me-

Greg. lib. 4. dial. c. 55.

ms. c. longua.

Luc. 19.

Conc. Nicæ. 13. al. 12.

E

reatur responsum: commemorans quod gestum reminiscatur super Actardo Namneticæ vrbis Episcopo, quod eum Nicolaus Papa Morinensi Ecclesiæ postea censuerit præficiendum, ac demum in Archiepiscopatu sedis Turonicæ decreuerit incardinandum. Precatur etiam vt idoneam super hoc exquirat auctoritatem, repertamque sibi destinet exequendam. HONORATO Beluacensium Præsuli scribit, asserit se mirari vehementissime, quomodo id potuerit contingere, vt animus ipsius tam contrarius & aduersus sibi existeret, cum sciret qualis erga eum fuerit, & qualiter eum loco fratris ac filij semper habuerit, qualique affectu, vt ad eumdem honorem perueniret, decertauerit. Nec tamen ideo desperare debeat, sed quantocius ad pacem & concordiam secum tenendam redeat. Monet igitur eum tanquam filium carissimum, redire ad semetipsum, & cogitare cuius sit ordinis, cuiusque professionis, perpendatque quod in nullo ab ipso læsus existat, & si possibile sit, ad se veniat, quatenus de his collato sermone melius confe-

F

rant. Si verò id fieri nequit, quemdam familiarem sibi dirigat, per quem quæ fert animus eidem remandare valeat. Notificat etiam se audisse quædam de ipso, quæ non facile credere potuerit, scilicet quod rapinis insisteret, alienas possessiones inuaderet, & pecunias diriperet: nominatimque designat Rotbertum quemdam apud se fuisse conquestum, quod vniuersa mobilia sua ei abstulerit. *Ego autem, inquit, non hoc de vobis credere possum, sed puto esse aliquem, qui vestra gratia & auctoritate fretus, hoc agere præsumpserit, & idcirco vobis adscribitur quod ab alio gestum est. Si ergo à quocumque vestro id factum est, obsecro vt auctorem huius mali digne corripiatis, & damnum omne emendare iubeatis. Si autem verum est, quod vos ipsi hoc egeritis, precor vt à tali intentione desinatis, & ei qui damnum passus est, sua ex integro restitui faciatis.* Item redarguens eum de nonnullis, quæ ad se non simplici professione scripsisse videbatur, quasi domnus Fulco pacem & concordiam perturbasset. Significauerat etiam à prauis quibusdam suam vexari Eccle-

G

siam, & super hac re nullum ab hoc Archiepiscopo petentem se suscepisse responsum. Vnde reuocat ad memoriam, quia precatu, quam præceptio apud ipsum maluerit obtinere, illis hominibus inducias interim dari, quousque simul voluissent ipsi Præsules loqui. De quodam quoque Aledramno, quem tunc excommunicare minabatur, & Archiepiscopo suam exequi censuram præcipere videbatur: asseritque se nunquam destinasse communibus & collatis coepiscoporum præceptionibus ac suggestionibus non parere: Beluacensi tamen Ecclesiæ singulariter Ecclesia Remensis parere nesciret. Et quia in hac excommunicatione non Ecclesiastica vigere censura, sed præceps præualere cernebatur animositas. Cuius rei erat initium desertio regis Odonis, & institutio Caroli. Annectitque post aliquanta, de viduatione Ecclesiarum, Siluanectensis videlicet atque Catalaunensis, quarum Siluanectensis tunc elegerat Otfredum, quemque ad Remensem Præsulem perduxerant, sibi-

H

que petierant ordinandum Pontificem. Ad quam petit hunc ordinationem venire, remota, vt canonica iubet auctoritas, omni excusatione. Subiungit quoque monens, ne intendat eius animus hæc ita dicta, tanquam eumdem non liceat Episcopum vltra in ipsius sperare amicitiam, quam sibi mutuo coniunxerant, quamque inconuulsam omni tempore Archiepiscopus tenere cupiebat, & ad honorem suæ sedis, sedem ipsius honorare ac sublimare desiderabat. Sed quia se mordaci reprehensione videratur eius latenter corrodi litteris, à tanta subceptione se voluerit excusabilem reddere, ne videretur in hoc ei silendo assentire. Item pro ordinatione Mancionis Catalaunensis Episcopi, ad quam eumdem Honoratum venire mandauerat: sed ille non veniens, etiam ipsam ordinationem reprehensionis elogio notarat: quam tamen reprehensionem Archiepiscopus caritatis studio patienter ferebat, mandans & poscens, vt ad ordinationem præmissi Otfridi occurrere studeat, &c. Item pro litteris ab eo sibi directis, in quibus hortatus fuerat, vt statui, & religioni sanctæ Ecclesiæ labenti succurrere deberet. Vn-

A de gratiarum vota Deo se persoluere Archipræsul asserit, qui ad hoc suadendo me eius excitauerit animum, cum priores ipsius Episcopi epistolæ tumidum viderentur præferre rancorem: hæc vero tota fraternum testaretur amorem. Si vero quod verba resonabant, Honoratus corde teneret, paratum se dicit eius caritati respondere, eamque inuiolabiliter conseruare. Sed quia tunc opportunum tempus, quo simul conuenire valerent, non videbatur, cum, Domino iuuante, tempus attigisset, id competenter tam ipsi, quam cæteris suffraganeis prænunciare curaret. Item pro iussione Stephani Papæ, qua mandauerat domno Fulconi, data eidem licentia interim, vt petierat, remorandi, quatenus hunc Honoratum Episcopum, atque Rodulfum Laudunensem Rauennam mitteret ad synodum ibidem celebrandam. Vnde monet, vt sicut Papa iubet, eius præceptioni obtemperet. TAVTHBALDO Lingonensi Episcopo amicabiles & caritatis vtrimque * coniunctrices (ms. coniunctrices.) dirigit litteras, significans de priuatis inter se rebus, quas ei

B Teuthbaldus per suum significauerat missum, & de communi colloquio secum, de regia quoque & ipsius Teuthbaldi consanguinitate, atque amicitia ipsius Episcopi Regi Karolo grata. Rogat etiam sibi remandari de Richardo Burgundionum principe, & de Aquitanis, quod eum contigerit scire. & cætera. RODVLFO iam dicti Didonis Episcopi successori, gratulando de honore ipsius, & profectu in Domino. Item pro quodam ipsius Rodulfi subiecto, sed ab eodem abiecto, monens cauendum ne lędatur in hoc Episcopalis opinio, dum quod agitur zelo rectitudinis, feratur fieri zelo exercendæ vltionis: inferens Ecclesiam Remēsem hoc ex antiquo priuilegium habuisse, vt quicumque diœcesaneorum proprios Episcopos quolibet offendisse se modo sensissent, ad hanc cæterarum matrem confugerent Ecclesiarum, auxilium sibi veniæ flagitantes ab ipsa. *Ast ego, inquit, nulla in hoc negotio vti volui auctoritate: sed sicut amicus ab amico, immo sicut à specialiter dilecto filio postulare: eo quod me apud vos, non dicam aliquid, sed bene posse confidebam.* Subiungens quoque post aliqua,

C quia miseratio non est præuaricatio: cum Deus quotidie, post minas districtæ vltionis, ad se conuersis paternæ consueuerit impendere viscera pietatis: & quia nemo sic vnquam cadit, vt ei resurgendi copia debeat denegari. & cæt.

Quæ abbatibus, vel illustribus viris quibusdam.

CAP. VII.

STEPHANO cuidam abbati ac nobilissimo viro, qui ad Episcopatum electus videbatur, tunc autem forte reiectus vel reprobatus, consolatorias dirigit litteras, amicitiam, quam ei promiserat, asserens se perpetuo seruaturum. Dolens vero & ingemiscens, quod eum, quem præelectum regimini gaudebat Ecclesię, hoc videbat tunc effectu frustratum: hortatur tamen, vt licet elisus sit fortiter, validius resurgat: cupiens eidem omnes propinquos

D & amicos suos, vel quoscumque alios posset ad pacem & concordiam reuocare. & cætera. BALDVINO Comiti Flandrensi, pro admissis ipsius, de quibus cum coepiscopis diœceseos suæ, quæ forent agenda tractauerat. Qui Balduinus inter alia quælibet praua, etiam presbyterum flagellauerat. Quod factum quanti sit sceleris, ex diuinis ostendit auctoritatibus. Basilicas etiam quasdam abstulerat à presbyteris inibi ordinatis, & aliis dederat, inconsulto ipsorum Episcopo. Possessionem quoque quamdam, quam rex Ecclesiæ Nouiomensi tradiderat, idem Balduinus inuadens, per violentiam retinebat. Adnectit ergo canonica & legalia super huiusmodi facinoribus capitula. Redarguit etiam eumdem pro eo quod monasteriū monachorum sibi vsurpauerat, & insurrexerat contra regem (S. Vedasti Atrebat.) eum infidelitate & periurio. Super quibus rebus iamdudum data sibi dilatione, & adhibita Episcopali admonitione; hanc, de loco ad locum sese conuertendo, videbatur subterfugere. Vnde & his eum litteris paterna vocans admonitione, hortatur emendationem profiteri. Quod si non faceret, extorrem se sciret esse * à Christiana (ms. deest à.) communione. & cætera. Item ad eumdem cum coepiscopis suis scribens ex synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno DCCC. XCII. arguit eum quod Ecclesiastica simul & legalia iura contemneret, res Ecclesiasticas, & honores sibi non concessos inuaderet, Dei timorem à se

E proiiciens, & fidem quam in baptismate Deo promiserat, operibus abdicans, locum sacri monastici ordinis peruadens, & abbatis sibi nomen vsurpans. Vnde communi decreto Episcoporum iudicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam & Ecclesiæ, & publicis regni vtilitatibus videbatur accommodus, censura suspenditur adhuc animaduersionis Ecclesiasticæ, recogitandique sibi & emendandi spatium reseruatur, & obsecratur per misericordiam Dei, vt ab hac præsumptione animum reuocet, nec amplius iram Dei contra se prouocet, * nec illi quodāmodo gladium præbeat, & cætera. (ms. j. ne.) Diuinarumque sequuntur auctoritatum testimonia

F ad correptionem ipsius quoque prolata. Quibus si adquiescere nollet, ab omni se nosset Ecclesiæ consortio sequestrandum, perpetuoque anathemate feriendum. Ipsius quoque propalat excommunicationis sententiam in eumdem, si sua corrigere noluit, quātocius iaculandam. CLARO & plebi Siluanectensis Ecclesiæ, pro pastoris sibi præferendi scribit electione, succensens cur ad se venire distulerint, vel apicibus alloqui se, quam viua voce maluerint: mandans vt electas è collegio suo personas, tam ętate, quam sapientia maturas & idoneas, ad se mittere maturent, qui nec gratia, nec odio, aut vllius auaritiæ obtentu, à tramite recto exorbitare vllatenus * appareant. (j. appetant.) MINISTRIS quoque Laudunensis Ecclesiæ, pro eo quod audierat inter eos contentiones esse, & conuenticula scorsum facere. Quapropter monet eos vt filios, quod si hæc ita fuerint, omnimodis amputentur: conuentus autem ipsorum fiat moderatus atque iocundus, in quo secundum ætatem, vel datam sibi à Deo probitatem, omni deposito supercilio, quisque loquatur, &c. De concordia & caritate

G vera constituenda atque seruanda, mittens eis exemplar epistolæ ad Odonem regem pro obtinenda ipsis canonica electione à se missæ, & exhortans, vt vnanimes eum sancti Spiritus adiutorio congregati, magnopere satagant, & Dei clementiam attentissime implorent, vt eorum pastorali dignetur adesse electioni. FRATRES Corbeiacensis cœnobij litteris suæ visitans admonitionis, redarguit & vehementer increpat super abiectione sui abbatis, quem graui correptum infirmitate, crudeli abdicauerant temeritate, nec eum ad ipsos venientem, saltem vt peregrinum susceperant, aut ei vllam humanitatem impenderant: sed eum de communi habitatione perturbantes, in vilissimo extra claustra monasterij loco retruserant, & cōmuni statuto firmauerant, vt ad eumdem visitandum vel consolandum venire nullus auderet: sed neque moriens communi sepultura dignus haberetur. Vnde admirans talem sensibus eorum obrepere potuisse improbitatem, & Apostolicas atque regulares, super obedientia præpositis exhibenda, proponens præceptiones, ostendit non eis li-

H cuisse abbatem regulariter electum, & Archiepiscopi ordinatione rationabiliter institutum, ita contra fas omne dehonorare, & diuina humanaque in eo iura vel instituta conuellere atque confundere: cum non sit in eorum arbitrio vel potestate, cum voluerint, abbatem deponere, & alium ad libitudinem suæ voluntatis instituere. Proponit etiam maledictionem Cham, qui pudenda patris irrisit, & (Gen. 9.) eiusdem complices eos ostendit esse maledictionis: ac proinde interposito ordinis ipsorum periculo, monet, auctoritate & ministerio sibi à Deo iniuncto præcipiens, vt ab hac pertinacia resipiscant, eumdemque sui loci patrem, sicut abbatem honorent ac diligant, donec si conualuerit, & ipse tale onus ferre non potuerit, ipse ad regem excusaturus accedat, vt eius præceptione, & Archiepiscopali auctoritate ipsius in loco alius substituatur abbas.

* * *

De

De rebus quibus Episcopium auxit, & cæteris bonis, quæ in episcopatu egit.

C A P. VIII.

A MVLTA denique bona in hac sede Remensi Præsul hic operatus est. Nam & Episcopium, rebus impetratis pluribus, tam monasterio Auennaco, quam nonnullis aliis, à regibus, ac diuersis personis obtentis possessionibus, amplificauit, atque diuersis muneribus & ornamentis hanc Remensem Ecclesiam decorauit. Vrbem quoque (cuius murum, ob ædificationem basilicæ Dei genitricis Ebo destruxerat) iste nouo circumdedit muro. Quædam etiam castella à nouo instituit, Altimontem scilicet, & aliud apud oppidum Sparnacum, quod Odo rex, quia desciuerat ab eo propter euectionem Karoli, subuertit. Venerabile quoque beatissimi Remigij corpus ab Orbacensi monasterio Remensem reuocauit ad vrbem. In qua relatione multa & magna sunt ostensa miracula superius à nobis partim declarata. Eo tempore Nordmannis Francorum terras infestantibus, & diuersa loca depopulantibus, hic Pontifex plures, tam sacerdotes, quam cæteros clericos & monachos, ad se vndecumque confluentes benigne suscepit, & paterne fouit. Inter quos etiam monachos S. Dionysij cum ipsius martyris pretioso corpore, aliorumque sanctorum pignoribus recepit, & aluit. Corpus etiam beati Calixti, concessa sibi vel Ecclesiæ Remensi abbatia eiusdem sancti, Remos deduci fecit, & post altare sanctæ Mariæ venerabiliter collocauit, iuxtaque illud pignera beati Nicasij, & sanctæ sororis eius Eutropiæ, ab Ecclesia tituli sancti Agricolæ honorifice delata, constituit.

Omont. B Lib. 2. c. 21.

De sancto Gibriano & fratribus eius.

C A P. IX.

C DELATA sunt etiam tunc temporis ad Ecclesiam beati Remigij membra S. Gibriani à pago Catalaunensi, vbi peregrinatus fuisse noscitur & humatus. Aduenerant siquidem in hanc prouinciam septem fratres ab Hibernia, peregrinationi ob amorem Christi gratia: hi scilicet, Gibrianus, Helanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus, cum tribus sororibus suis Francla, Promptia, Possenna eligentes sibi super fluuium, nomine Maternam, opportuna degendi loca. Quorum hic Gibrianus sanctus sacerdos quemdam vicum elegit ad habitandum Cosla vocatum, vbi plurimis annorum curriculis sobrie, iuste, & pie viuens, vsque ad exitum vitæ bonum studuit certamen certare. Cuius corpus primo iuxta publicum fertur aggerem sepultum fuisse, vbi postea supra tumbam ipsius est oratorij ædicula constructa, ob insignia scilicet quædam miraculorum ibidem manifestata. Ad D quam confluere populi solita fuerat frequentia, maxime cum depositionis eiusdem celebrarentur festa. Multa namque inibi sanitatum tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur descripta, sed plurima celantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus adscriptis ibidem notantur illuminatæ. Cuidam præterea * Grimoaræ manus cum integra est sanitate restituta. Tempore denique Regis Odonis, grassante Nordmannorum crudelitate, terrasque Francorum vastante, huius sancti Ecclesiola igne cremata est cum aliis multis eiusdem pagi. Post cuius combustionem sæpius auditæ feruntur voces inibi psallentium personarum non apparentium: luminaria tamen quædam noctibus inibi videbantur ardentia. Cumque fama huiuscemodi virtutum circumquaque percrebuisset, superno ductus amore, sanctique veneratione * Hadericus religiosus Comes, accessit ad Rodoardum Episcopum Ecclesiæ Catalaunicæ obnixe flagitans, vt quia locus ille, vbi hoc sacrum corpus sub dio iacebat, funditus erat destructus, daret ei licentiam illud transferendi, vbi deuotius & venerabilius seruari valuisset. Qui dum diu persistens in precibus tandem suæ petitionis obtinuisset effectum, vocato nauta fertur ei naulum dedisse, eo tenore, vt noctu ante gallicantum ad oram fluminis eius præstolaretur aduentum. Cumque statuto noctis tempore viri tres cum quodam sacerdote adessent fluuij ripæ, missi ab hoc Comite, nauta defuit, naue vlterioris defixa fluminis oræ. His quoque viris aduentum nauigeri diu præstolantibus, & vicissim clamantibus cum nemo eis responderet, dolore perculsi corruunt in terram proni, deuote precantes, vt si Deo placitum foret, corpus illius sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur ostendere signis. Moxque nauis soluta diuina virtute, de ea in quo tenebatur affixa, ripæ qua expectabatur mirabiliter accedit appulsa. Quod admirando perspicientes, & maximas Deo gratias referentes, ascendunt nauem, de voluntate Dei securiores effecti. Accedentesque ad locum sepulchri, & aperto saxeo in quo sacra membra iacebant sarcophago, reuerenter eleuant, transponentes hæc in præparato ad id opus nouiter scriniolo: sicque cum ingenti gaudio remeantes ad nauem, transeunt celeriter flumen, hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum, vbi per triennium constat venerabiliter conseruatum. Post hæc ad Ecclesiam beati Remigij honorifice est delatum, & custodi Ecclesiæ deuote commissum, iuxtaque sepulchrum huius sanctissimi patris honorifice collocatum. Post biennium præfatus Comes cum vxore sua Hersinde dominum Fulconem præsulem humiliter expetiit, postulans vt ei locum sepulturæ concederet in dextera huius Ecclesiæ parte, iuxta ostium cryptæ. Quo impetrato, & altari statuto, atque argenteo decore cooperto, illic decenter hæc venerabilia deponuntur membra. Denique postquam à præfato sepulturæ sua sublata sunt loco, quædam mulier cæca, Ercentrudis nomine, illo candelam deferens accessit, impetrandæ causa medelæ. At comperto sacrum corpus inde sublatum penitus esse, nimio angore affecto cœpit flendo conqueri, cur sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri, eur deseruisset vicinos, quibus beneficia solitus erat præbere diuina? Subueniri ergo sibi gemitibus exposcens, visum ei est proficisci debere ad vicum Maruigum, vbi frater eius sanctus quiescebat Veranus. Ad cuius sepulchrum candelam ponens, seseque in oratione prosternens, cœpit flendo vtrumque inuocare fratrem. Denique sancti nomen crebro repetit Gibriani, cœpit caligo albuginis ab oculis eius abrumpi: sicque diuina propitiante pietate, pristino donatur lumine. Præfatus denique Præsul honorabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ feruens, duas scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, iam pene delapsas restituit, & euocato Remigio Autissiodorense magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersiuit, & Ecclesiam Remensem præclaris illustrauit doctrinis.

* Al. nomine Grimoara. * Al. Haidericus.

E F Balby. G Maurg. Remig. Autiss. Hucbaldus.

De interemptione Fulconis Archiepiscopi.

H C A P. X.

ACCIDIT autem vt abbatiam sancti Vedasti, quam Balduinus Comes tenebat cum Attrabatensi castro, rex Karolus pro infidelitate Balduini ab eo auferret, atque huic Præsuli eam concederet, Altmaro quodam Comite abbatiam sancti Medardi tenente: quam sibi visum est, opportunitatis gratia, cum eodem Comite commutare debere, quod & egit. Accepit itaque ab eodem Altmaro abbatiam sancti Medardi, & dedit illi abbatiam sancti Vedasti, recepto per vim obsidionis à Balduino Attrabatensi castro. Cuius anxietatis dolore succensus tam Balduinus, quàm omnis eius comitatus, dum quærunt qualiter vlcisci se possint, amicitiam cum eodem Præsule se fingunt resarcire: quærentes vltionis locum, explorantesq; quomodo à meatu suo ad regis colloquium stipatoribus vallatus proficisci soleret: quadam die, dum paucis admodum comitatus, regis peteret alloquium, eum in via, duce quodam Winemaro aggre-

dientes

A

De Synodalibus Conciliis habitis, & Nordmannorum conuersione, vel expeditione contra Hangaros.

C A P. XIV.

CONVENTVS denique synodales sæpe cum coëpiscopis suæ diœceseos habuit: in quibus de pace & religione sanctæ Dei Ecclesiæ, statuque regni Francorum salubriter competenterque tractauit. De Nordmanorum quoque mitigatione, atque conuersione valde laborauit, donec tandem, post bellum, quod Robertus Comes contra eos Carnotenus gessit, fidem Christi suscipere receperunt, concessis sibi maritimis quibusdam pagis, cum Rotomagensi, quam pene deleuerant vrbe, & aliis eidem subiectis. Ad petitionem quoque Wittonis tunc Rotomagensis Episcopi, collecta ex diuersis auctoritatibus sanctorum patrum xxiii. capitula, qualiter ipsi Nordmanni tractari deberent, eidem Archiepiscopo delegauit. Insuper etiam Romanum Pontificem super huiuscemodi negotio consulere studuit. Ad cuius consulta quæ circa gentis huius conuersionem exequenda forent, insinuata non distulit. Hungaris quoque regnum Lothariense deprædantibus, dum Karolus proceres Francorum in auxilium sibi contra gentem ipsam conuocaret, solus hic Præsul ex omnibus regni huius primatibus, cum suis tantum in defensionem Ecclesiæ Dei, regi occurrit, habens armatos secum (ceu fertur) mille quingentos.

Extant inter epistol. Hincmari à Ioan. Cordesio editas.

B

De Karoli Regis à suis derelicti sustentatione.

C A P. XV.

an. 920. SEQVENTI vero anno, cum pene cuncti Francorum optimates apud vrbem Suessonicam à rege suo Karolo deficiscentes, propter Haganonem consiliarium suum, quem de mediocribus electum super omnes principes audiebat & honorabat, eum penitus reliquissent, hic Pontifex fidelis & pius atque robustus in periculis semper existens, regem intrepidus ab eodem loco suscipiens, ad metatum suum deduxit: indeque secum ad vrbem Remensem perduxit, & per septem fere menses eum prosecutus atque comitatus est, donec illi comites suos, eumdemque regno restituit.

C

De Erlebaldi Comitis excommunicatione, vel absolutione.

C A P. XVI.

EXCOMMVNICAVIT hic præsul Erlebaldum Comitem Castricensis pagi, propter Remensis Episcopii terram, quam peruaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia Ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper & castrum Altimontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret à malis quæ cœperat, pergit Archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem, quam ille construxerat, Macerias que nominabat. Quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, deserente tandem illam Erlebaldo, cepit, & dispositis inibi custodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Warmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi superuenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo, quam apud Trosleium idem domnus Archiepiscopus cum diœcesaneis suis habuit, intercedente rege & obnixe flagitante, à vinculo excommunicationis absoluit.

D

Masieres sur la Meuse.

De obitu Heriuei præsulis.

C A P. XVII.

EXCRESCENTE denique discordia inter regem Karolum & Rotbertum, cum pene cuncti regni proceres ad constituendum regem Robertum apud S. Remigium congregati essent, idem Archiepiscopus, languore depressus, vita decessit, tertia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat, quarto vero die antequam vicesimum secundum sui Episcopatus compleret annum. Contigit autem vt ipsa die sui decessus plures qui aduenerant Episcopi, Remensem ingrederentur vrbem, qui que funus ipsius dignis exequiis celebrantes, cum maximo suorum, sed & cæterorum luctu, decenti tradidere sepulturæ.

Robert. rex Francor.

E

an. 922. 2. Iulij.

De successione Seulfi Episcopi.

C A P. XVIII.

SVCCESSIT huic præsuli Seulfus, qui tunc vrbis huius ministerio fungebatur Archidiaconatus: vir tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus: quique apud Remigium Antisiodorensem magistrum in liberalibus studium dederat artibus. Quo per consensum & iussionem Roberti regis ab Abbone Suessonico, cæterisque Remensis prouinciæ Præsulibus ordinato Episcopo, delati sunt Odo frater quondam Heriuei Archiepiscopi, & Heriueus nepos ipsius apud eumdem Præsulem, quod fidelitatem, quam ei promiserant, minime seruarent. Qua de re, quia noluerunt ad reddendam venire rationem coram eodem Pontifice, vel singulari certamine cum accusatoribus decernere, sublatis sibi Ecclesiæ possessionibus, quas plures ea hoc retinebant Episcopio, per Heribertum Comitem deducti sunt ad Robertum regem, & sub custodia vsq; ad mortem regis Roberti, Odo quidem penes eumdem Heribertum, Heriueus vero Parisius detenti sunt. Fertur autem tunc ab hoc Archiepiscopo, & à consiliariis suis, Heriberto Comiti ocpactum, de electione filij sui in hac sede pro prædictorum virorum expulsione. Hic denique Præsul Legatos huius Ecclesiæ Romam dirigens, pro consensu Papæ Iohannis in ordinatione sua, pallium ab eodem sibi missum cum litteris priuilegij huius sedis suscepit.

F

Heribert. Comes Aquitaniæ.

an. 923. Ioan. X.

G

De Synodo quam habuit, & cæteris actibus, vel fine ipsius.

C A P. XIX.

24. mense Octob. HIC etiam Synodum habuit, in villa Trosleio cum Episcopis Remensis diœceseos, vbi affuere nonnulli quoque Comites; in qua & Isaac Comes ad satisfactionem venit pro his, quæ praue perpetrauerat aduersus Ecclesiam Camaracensem, quoddam castellum Stephani præsulis eiusdem vrbis, dolosa comprehensum peruasione, succendens. Pro quo facinore vadatus in hac synodo, centum libris argenti pacatur cum præfato Stephano Episcopo, satagente Heriberto, & aliis qui aderant Franciæ Comitibus. Hic præsul monasterium sancti Remigij, cum adiacentibus Ecclesiis, vel domibus muro cingens, castellum ibidem instituit, domum Episcopalem cameris reparans, picturis excoluit. Fecit & calicem aureum maiorem cum gemmis, in honore Dei genitricis, pondo decem librarum: sed & alia quædam Ecclesiæ præparauit ornamenta. Ciborium quoque super altare sanctæ Mariæ argento aggressus est operire, quod opus morte præuentus explere nequiuit. Fertur autem veneno potatus à domesticis vel familiaribus Heriberti Comitis vitam finisse.

H

De electione Hugonis filij Heriberti.

C A P. XX.

an. 925. NEC mora, post obitum ipsius Heribertus Comes Remis venit, aduocans Abbonem Episcopum Suessonicum, & Bononem Catalaunicum. Quibus sibi iunctis, tractans super electione rectoris huius Remensis Ecclesiæ, tam clericos, quam laicos ad voluntatem suam intendere fecit. Sequentes igitur eius consilium

ne for-

A ne forte per extraneas personas Episcopatus divideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem, admodum paruulum, qui nec adhuc quinquennij tempus explesset. Qua re patrata ad regem properant, eius auctoritatis
Rodulf. rex Burgũdiæ. impetrandæ gratia. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, præfatorum Episcoporum consilio Remensem Episcopatum committit Heriberto, æquitatis censura disponendum atque regendum ab ipso. Qui etiam legatos Ecclesiæ cum Abbone præsule Romam mittere satagit, huius electionis decretum secum ferentes, & assensum Papæ super ea petentes. Iohannes itaque Papa, interueniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, Episcopium Remense Abboni Episcopo delegat, quæ sunt Episcopalis ministerij ab ipso in eodem Episcopio tractanda ac finienda decernens. Heribertus itaque Comes potestate potitus Remensis Episcopij, iniuste priuauit tam me, qui non interfueram præmissæ electioni suæ, quam nonnullos alios, & clericos, & laicos beneficiis pos-
B sessionum Ecclesiasticarum, quibus à præcedentibus Episcopis munerari videbamur obsecundationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus sibi placuit, impertiuit. Nec longum postea, tumultu infra claustrum canonicorum inter clericos exorto, superuenientibus quibusdam militibus cum armis, duo interempti sunt ibidem clerici, quorum alter diaconus, alter habebatur subdiaconus.

De infestatione Hungarorum, & discordia inter Rodulfum Regem, & Heribertum Comitem.

Cap. XXI.

926. HVNGARIS Rhenum transgressis, & vsque in pagum Vouzinsem depopulationibus incendiisque bacchantibus, corpus sancti Remigij, aliorumque quo-
927. rumdam sanctorum pignera Remis hoc metu à suis sunt locis delata. Sequenti denique anno simultas inter Rodulfum regem, & Heribertum Comitem exoritur pro
C Laudonensi Comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo
Rotgar. Comes Laudu. dari petebat, concedente illum rege Rotgario Rotgarij Comitis filio. Acies igneæ Remis in cœlo visæ quadam Dominica die in Martio mense. Cui signo pestis è vestigio successit, quasi febris & tussis: quæ prosequente quoque mortalitate, per cunctas Germaniæ Galliæque gentes deseuiit. Heribertus Comes legatos suos trans Rhenum dirigit ad Henricum, per quos ad ipsius euocatus colloquium, properat cum Hugone Rotberti filio, pactoque
Syn. Trosleiensis. an. 927. inter se fœdere, muneribus Henricum honorant, & honorantur ab ipso. Synodus sex Episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium, Heriberti Comitis iussione conuocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata
Carol. Simplex. est. Post quam synodum Heribertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, eiicit, & ad sanctum Quintinum deduxit, indeque cum eodem Karolo Nordmannorum colloquium expetiit: vbi se Willelmus, filius Rollonis principis Nordmannorum, Karolo commendauit, &
928. D amicitiam cum Heriberto confirmauit. Deinde Remis veniens cum Karolo Heribertus Comes, litteras Romam Iohanni Papæ dirigit, significans ei de restitutione & honore Karoli, vt ille sibi, etiam sub excommunicationis interminatione, mandauerat se pro viribus decertare. Reuersus autem missus, qui easdem pertulerat litteras, nunciat Iohannem Papam retrusum in custodia detineri à Widone regis Hugonis fratre. Heribertus Comes Lauduno potitus, exinde ad placitum Nordmannis obuiam proficiscitur, amicitiamque cum eis componit, filius tamen ipsius Odo, quem Rollo habebat obsidem, non illi redditur, donec se committit Karolo patri, cum aliis quibusdam Franciæ Comitibus & Episcopis.

):(

De introductione Odalrici Aquensis Episcopi Remis, & redactione sub custodia Karoli Regis. E

Cap. XXII.

PER idem ferè tempus Odalricus Aquensis Episcopus, qui ob persecutionem Sarracenorum à sede sua recesserat, in Ecclesia Remensi recipitur ab Heriberto Comite, ad celebrandum Episcopale dumtaxat ministerium, vice Hugonis, ipsius Comitis filij, tunc adhuc paruuli, concessa eidem Præsuli abbatia sancti Timothei, cum vnius tantum præbenda clerici. Hugo & Heribertus Comites ad colloquium proficiscuntur Henrici. Vnde reuersi pergunt obuiam Rodulfo regi, rursusque Heribertus committit se illi, redacto iterum sub custodia Karolo. At Rodulfus Rex Remis veniens, vbi Karolus custodiebatur, pacem fecit cum illo, humilians se ante ipsius præsentiam, & reddens illi Attiniacum fiscum, muneribus quo- F
que quibusdam regiis eumdem honorat. Heribertus Co- Vitry.
mes Victoriacum castellum Bosonis fratris Rodulfi regis 929.
cepit. Deinde cum Hugone Monasteriolum munitionem Mõstreul
Erluini Comitis iuxta mare sitam obsidet, obsidibusque tandem acceptis, ab obsidione discedit.

De simultate inter Hugonem & Heribertum Comites, ac Rodulfum regem exorta.

Cap. XXIII.

NEc longum, simultas inter eosdem Comites, Hugonem scilicet ac Heribertum, exoritur, recepto Erluino ab Hugone cum terra sua, & Hilduino, nec non & Arnaldo, qui erant Hugonis, ab Heriberto: indeque diuersi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. Cuius rei gratia Rodulfus rex de 930.
Burgundia veniens, pacem inter eos atque Bosonem, multo labore per diuersa placita componit, & Heribertus Bo- G
soni Victoriacum reddit. Paucis autem diebus pace seruata, Heribertus Ansellum Bosonis subditum, qui prædictum custodiebat castrum, cum ipso castello recipit, & Codiciacum sancti Remigij municipium illi cum alia terra concedit. Nec longum, Bosonis fideles oppidanorum proditione Victoriacum recipiunt, & Mosomum fraude peruadunt. At Heribertus à quibusdam Mosomensibus euocatus, superuenit insperatus, transmissaque Mosa vadis inopinatis, & intrans oppidum, porta latenter à ciuibus aperta, milites Bosonis, qui ad custodiam loci residebant, ibidem omnes capit. Eodem tempore ante Natalem Domini, Remis infra & circa Ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum ab Aquilonari & Orientali parte paulo ante initium diei apparens, ad Australem partem pertransisse vi-
sum est. Anno post hunc Heribertus Comes à rege Rodul- 931.
fo desciscit, & milites ipsius ab vrbe Remensi profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidolam situm, nomi-
ne Brainam, quod idem Hugo tulerat ab Episcopo Roto- Braine sur Vesle.
magensi, capiunt ac diruunt. H

De ordinatione domni Artoldi Episcopi.

Cap. XXIV.

RODVLFVS rex litteras Remis mittit ad clerum & populum, pro electione Præsulis celebranda: ad quas illi respondent, id agere se non posse, saluo suo electo, &
electione, quam fecerant, permanente. Interea Heriber- 932.
tus Comes ad Henricum profectus, ei sese committit, & exercitus regis atque Hugonis Remensem & Laudunensem deprædantur pagum: obsessaque ciuitate Remorum, tertia tandem rex potitur obsidionis hebdomada, aperientibus sibi militibus Ecclesiæ. Coniunctis igitur sibi nonnullis Episcopis ex Francia vel Burgundia, facit ordinari hac in sede præsulem Artoldum quemdam ex cœnobio sancti Remigij monachum. Exinde rex pergens Laudunum, obsidet inibi Heribertum, qui aliquamdiu resi-

stens,

D

stens, petit demum egrediendi locum. Quo accepto, recedit à Lauduno, dimissa vxore sua in arce, quam construxerat ipse infra idem castrum, & ad quam postea capiendam maioris laboris & moræ opus regi fuit.

933. Artoldus Episcopus post annum ordinationis suæ pallium suscipit missum sibi per legatos Ecclesiæ Remensis à Iohanne Papa filio

Ioan. xj.

Mariæ, quæ & Marocia dicebatur, vel ab Alberico patricio fratre ipsius Papæ, qui eundem Iohannem fratrem suum in sua detinebat potestate, & prædictam matrem ipsorum in custodia clausam tenebat: Hugonem quoque regem Roma depulerat. Rodulfo rege præsidium Heriberti, quod dicitur castellum Theodorici, obsidente, cōgregatis ad hanc obsidionem nonnullis Franciæ vel Bur-

Syn. apud Cast. Theoderici.

gundiæ Præsulibus, ibidem celebrata visa est synodus, præsidente eidem Teutilone Turonensi Antistite, Artoldo Remensi: quique tunc Hildegarium Beluacensi vrbi ordinauit Episcopum. Eodem quoque anno Fulbertum Camaracensis vrbis præsulem consecrauit.

Cap. XXV.

B

De signis Remis visis, & morbis inde secutis.

Sequenti anno igneæ Remis in cœlo discurrere visæ

934. sunt acies, & iacula quædam. Sed & serpens igneus per cœlum celeri deferri meatu, moxque subsecuta pestis diuersis affecit humana corpora morbis. Anno post istum

Syn. apud S. Macram an. 935.

secuto synodus septem Episcoporum apud sanctam Macram, Artoldo Episcopo vocante conuenit: in qua prædones & Ecclesiasticarum rerum peruasores ad satisfactionem venire vocantur.

Cap. XXVI.

De receptione Ludovvici post mortem Rodulfi regis.

Anno denique subsequente, defuncto rege Rodulfo, Hugo Comes trans mare mittit pro accersien-

936. C

Lud. Caroli Simpl. filius.

do Ludovvico Karoli filio quem rex Alstannus auunculus ipsius nutriebat, quique accepto iureiurando à Francorum Legatis, cum in Franciam dirigit. Cui Hugo, cæterique Francorum proceres ad eum suscipiendum profecti mox nauem egresso in ipsis littoreis arenis apud Bononiam sese committunt; vt erat vtrimque depactum. Inde Laudunum deductus, ab ipsis regali benedictione ditatur, vngitur, atque coronatur ab Artoldo Archiepiscopo præsentibus regni principibus, & Episcopis amplius viginti. Episcopatus etiam Laudunensis datur Rodulfo eiusdem loci presbytero concorditer à ciuibus suis electo, quem præfatus quoque ordinauit Archiepiscopus. Sed & per alias Remensis diœceseos sedes, excepta Catalaunensi & Ambianensi, diuersos ordinauit Episcopos. Heriberto denuo cum Hugone pacato, homines eiusdem Heriberti Comitis quoddam castrum Remensis Ecclesiæ

936. D

quod vocabatur Causostis, super Maternā fluuium ab Artoldo Præsule constructum, prodente quodam Wicperto capiunt, & Ragenbertum Artoldi præsulis consobrinum, qui eidem præerat munitioni, comprehendunt, circumpositasque villas Ecclesiæ crebris deprædantur infestationibus. Interea rex Ludovvicus, accersitus ab Artoldo Episcopo, Laudunum venit, & arcem nouam inibi nuper ab Heriberto editam vallat obsidione, multisque tentato machinis muro, tandemque suffossione diruto, magno capit irruptum labore. Corbanacum quoque ca-

Corbeny

strum, quod pater eius sancto Remigio tradiderat, quodque sibi monachi ipsius monasterij commiserant, ab Heriberti, subiectis bellando recepit: & homines Heriberti, qui erant in eo, comprehensos rogante Artoldo præsule, saluos ad suos abire permisit.

Cap. XXVII.

De excommunicatione Heriberti Comitis.

Artoldus denique Episcopus cum quibusdam aliis

939. Episcopis collocutus, Heribertum, qui oppida quędam villasque Remensis Ecclesiæ peruaserat ac detinebat, in præsentia quoque regis excommunicat. Post hæc rex

E

940. Comitatus Rem. & ius monetæ dantur Rem. Ecclesię.

Ludovvicus dedit Artoldo Episcopo, ac per eum Ecclesię Remensi, per præceptionis regiæ paginam, Remensis vrbis monetam, iure perpetuo possidendam. Sed & omnem Comitatum Remensem eidem contulit Ecclesiæ. Artoldus Episcopus Causostem munitionem obsidet: quam quinto tandem die Ludovvico rege illuc veniente, hij qui erant intus reddentes, deserunt. Nec longum, subuersa funditus ab his qui recepere dissipatur. Missi Hugonis ad regē veniunt, & de pace cum eis rex inter Artoldum præsulem & Heribertum laborare studet. Deinde ad castrum quoddam, quod Herineus nepos Heriuei quondam Archiepiscopi super fluuium Maternam tenebat, vnde & villas Episcopij Remensis circumquaque positas deprædabatur, proficiscitur cum Artoldo Episcopo. Nec mora, obsidibus acceptis ab ipso Heriueo reuertitur Remis, pergensq; in crastinum ad sanctum Remigium, sese ipsius sancti cōmittit intercessionibus, promittens vadibus libram argenti sedaturum annis singulis. Monachis quoque eiusdem loci præceptum de eodē castello dedit immunitatis.

F

Cap. XXVIII.

De expulsione domni Artoldi ab vrbe Remensi.

Hugo dictus magnus.

Hugo princeps filius Rotberti, iunctis sibi quibusdā Episcopis, tam Francię, quā Burgundię cū Heriberto Comite, & Willelmo Nordmannorum principe Remensem obsidet vrbem, sextaque obsidionis die, deserente omni pene militari manu Artoldum Episcopum, & ad Heribertum transeunte, idem Comes Heribertus vrbem ingreditur. Artoldus pręsul ad sanctū Remigiū, euocatione procerū Episcoporū profect*, persuasus est, vel conterrit* à principibus Episcopij se procuratione vel potestate abdicare, concessaque sibi abbatia sancti Basoli, & Auennaco monasterio, ad sanctum Basolum commoraturus abcessit, post annos octo & menses * septem in Episcopatu exactos. Hugo & Heribertus locuti cum quibusdam Lotha-

G

al. sex.

riensibus, ad obsidionem Lauduni cum Willelmo proficiscuntur, relicto Remis Hugone diacono Heriberti filio, iampridem ad Episcopatum ipsius vrbis euocato, quique tertio postquam regressus est mense, presbyter à Widone Suessionico præsule ordinatus est, capl tis postquam fuerat elect* annis quindecim, quos Antissiodori commorans egerat, litterarum studiis occupatus, apud Widonem ipsius vrbis Antistitem, à quo & diaconus ordinatus fuerat. Nam cæteros inferiores gradus ab Abbone Suessonico præsule Remis acceperat. Ludovvico rege post hæc à Burgundia regresso, Artoldus Episcopus deserens cœnobiū sancti Basoli, ad eundem regem proficiscitur cum quibusdam propinquis suis, à quibusdam Ecclesiæ beneficis, quę tenebant, Heribertus Comes abstulerat. Mihi quoque Ec-

Cormicy.

clesiam Colmisiaci vici abstulit cum terra beneficij, quam tunc temporis tenebam. Ego denique disponens, orationis gratia, sepulchrum visere sancti Martini, retentus sum

H

ab ipso, clam me quibusdam personis insimulantibus apud eum, quod sui causa nocumenti, vel filij sui vellem proficisci: & quia tenutabam me huic electo nostro committere, nesciens vtrum Deo placeret eum præsulem nostrum fore. Sicque plenis quinque mensibus apud fratres nostros, ipso Comite iubente, sub custodis partim libera sum detentus. Contigit autem mihi, Domina mea beata

25. Martii.

Dei genitrice intercedente, vt ipsa die conceptionis & pas-

27. Martii.

sionis Domini nostri Iesu Christi absoluerer à custodia, & die tertia scilicet vi. Kal. Aprilis, qua Dominus à mortuis resurrexit, egressus ipse cum præfato electo nostro ad vrbem Suessonicam profectus sum. Vbi conuenientes Epis-

Syn. Suess. an. 941.

copi huius diœceseos cum principibus Hugone ac Heriberto, tractarunt quid eis esset agendum super Episcopali huius Hugonis ordinatione: sicque decreuerunt, pœnitentibus quibusdam filiis Ecclesiæ Remensis, tam clericis, quam laicis, eum ordinandum, asserentibus fautoribus ipsius, quod Artoldus nequaquam electus, sed per violentiam fuerit intromissus, seseq; Episcopali ab-

A dicauerit ditione. Ibi ergo Hugo princeps tunc me per* manum accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad benefaciendum commisit; quippe mihi Ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Coltido sitam, terram quoque quam pater suus mihi abstulerat, reddidit, & aliam in prædicta villa supra adiecit.

c. i. manus

Cap. XXIX.

De malis quæ deinceps consecuta sunt.

NEc mora ciuitatem Remensem à præfato conuentu adeuntes Episcopi, prætaxatum electum nostrum in Ecclesia sancti Remigij dignitate sublimant Archiepiscopali. Sub hisdem fere diebus monasterium sancti Theoderici nonnullis illustratur miraculis, de quibus iam quædam supra retulimus, vbi commemorationem eiusdem beati viri fecimus. Ab Ecclesia vero S. Mariæ Remis crux maior, quam domnus Herioeus Archiepiscopus auro cooperuerat, & gemmis ornauerat, à furibus noctu tenebrarum scilicet amatoribus aufertur. Quæ diu quæsita, tandem post annum, pars auri gemmarumque ipsius, mulctans repertitur latronibus. Ex quo postmodum auro hic Præsul, adiecta quadam sui quoque muneris quantitate, calicem sub honore Dei genitricis fabricari fecit. Hugone ac Heriberto Laudunum pariter obsidentibus, rex Ludouicus, sumptis secum quos vndecumque colligere potuit in pagum Porteolem venit. Quo audito Hugo, & Heribertus, scilicet quod rex eis appropinquaret, obsidione relicta, properant contra, & insperatum regis inuadentes exercitum, nonnullos sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus à suis, & eximere se bello coactus, vix euasit, Artoldo Episcopo & Roigario Comite comitantibus secum. Artoldus Episcopus perditis rebus, quas ibi habuerat, ad Hugonem & Heribertum accessit adductus ab amicis, redditisque sibi abbatiis sancti Basoli & Auennaco cum villa Vindenissa, & pacta pace cum Hugone præsule, ad sanctum Basolum, illic habitaturus deuenit. Sequenti anno proditores quidam Remis reperti, & interfecti sunt: quidam rebus Ecclesiæ priuati ab vrbe depelluntur. Legati Remensis Ecclesiæ Roma regressi pallium deferunt Hugoni Archiepiscopo, ab Stephano Papa transmissum. Cum quibus pariter & legatio venit principibus regni, vt Ludouuicum regem recipiant, & sic Legatos suos Romam dirigant.

Lib. 1. c. vlt.

B

C

Vendeure.

942.

Steph. 8.

Cap. XXX.

De occupatione Altimontis castri, vel Mosomi, & morte Heriberti.

943. ANno quoque post istum Artoldus Episcopus, relicto cœnobio sancti Basoli, ad regem profectus est. At illi promittit ei se redditurum Remensem Episcopatum. Qui assumptis secum fratribus suis, & aliis quibusdam, qui abiecti fuerant ab Episcopatu Remensi, Altimóntem castrum occupat. Cum quibus rex Lodouicus etiam Mosomum aggressus, repellitur à fidelibus Hugonis Episcopi, quibusdam suorum interemptis: suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit. Interea defuncto Heriberto Comite, de recipiendis filiis ipsius à rege, crebra inter ipsum regem & Hugonem principem versabatur intentio. Quorum rex primum tunc Hugonem Archiepiscopum, mediatoribus Othone duce Lotharienfium, & Adalberone Præsule, Hugone quoque Duce præcipue insistente, recipit eo tenore, vt abbatiæ, quas dimiserat Artoldus ad regem profectus, Artoldo Episcopo restituerentur: aliud etiam Episcopium ipsi prouideretur: fratribus quoque & propinquis eius honores, quos ex Episcopatu remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à rege. Hugo denique Præsul amblicum castrum cepit atque combussit, quod Robertus & Rodolfus fratres, qui fuerant Remis expulsi, detinebant: vnde deprædationes per Episcopium Remense faciebant. Item præfatus Archiepiscopus Altimontem munitionem obsidet, quam tenebat Dodo frater

D

Ambly.

Artoldi Episcopi: tandemque accepto paruulo ipsius filio obside, descendit, rege quoque mandante. Anno sequente regij milites Episcopatum Remensem deprædantur, & filij Heriberti abbatiam sancti Crispini: Rageuoldus quoque abbatiam sancti Medardi: sicque alterutris debacchantur rapinis atque deprædationibus.

E

944.

Cap. XXXI.

De obsidione vrbis Remensis ab exercitu Ludouici regis.

ANno post hunc, qui est huius Præsulis quintus in Episcopatu, Rex Ludouicus, collecto secum Nordmannorum exercitu, Veromandensem pagum deprædatur. Assumptoque cum ipsis Erluino cum parte militum Arnulfi, sed & Artoldo Episcopo cum his qui dudum Remis eiecti fuerant, comite quoque Bernardo, ac Theoderico nepote ipsius Remorum vallat vrbem, vastantur circumquaque segetes, villæque diripiuntur, & partim exuruntur, nec non Ecclesiæ plures effringuntur. Quotiens pugnatum ad portas, vel circa murum, vulnerati ex vtraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique Dux præliatus cum Nordmánis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica cæde fudit, & à terminis suis eiecit. Post hæc Remos ad regem mittit, dans obsides, vt Ragenoldus ex parte regis ad colloquium sibi occurrat. Quo abeunte, tractat cum eo, vti rex obsides ab Hugone Archiepiscopo accipiat, & ab obsidione Remensi discedat: quatenus idem Præsul, denominato placito ad reddendam rationem de omnibus, quæ rex ab eo quæsierit, accedat. Quibus hoc sibi tenore datis, rex ab obsidione recedit post quintam decimam, qua ciuitas obsessa fuerat, diem. Nec multo post idem rex à Nordmannis comprehensus est, & Rodomi detentus. Hugo Præsul Altimontem castrum obsidens, post septem ferme obsidionis hebdomadas recipit, reddente illud sibi Dodone domni Artoldi fratre, tali sub conditione, vt filium ipsius, & filium fratris sui suscipiens idem Præsul, concederet eis terram patrum suorum.

945.

Arnulfus Comes Fland. filius Bald.

Bernard.

F

Comes Siluan. &c.

G

Cap. XXXII.

De restitutione regulæ in monasterio sancti Remigii, & constitutione Abbatis Hincmari.

ADuocans denique hic Pontifex Ercamboldum monasterii sancti Benedicti abbatem, regulam monasticam in monasterio sancti Remigij restituere decernat, constituens ibi abbatem Hincmarum eiusdem loci monachum. Regina Gerberga nuper ad Othonem regẽ fratrem suum legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo contra Hugonem principem, cui Laudunum reddiderat, vt reciperet Ludouicum regem, quem Hugo, sub custodia receptum à Nordmannis, retinuerat. Qui Otho maximum colligens ex omnibus regnis suis exercitum, venit in Franciam, Cunradum quoque secum habens Cisalpinæ Galliæ regem. Quibus rex Lodouuicus obuiam profectus, satis amicabiliter & honorifice suscipitur ab eis. Sicque pariter Laudunum venientes, considerataque castri firmitate, deuertere ab eo, Remensem aggredientes vrbem quam cingentes obsidione, ingenti vallarunt exercitu.

946.

H

Cap. XXXIII.

De repulsione Hugonis Episcopi.

VIdens autem Hugo Præsul obsidionem se tolerare non posse, neque tantæ resistere multitudini, locutus est cum quibusdam principibus, qui videbantur esse sibi amici videlicet cum Arnulfo, qui eius sororem, &* Widone qui amitã ipsius habebat vxorẽ, sed & cũ* Hetmanno Widonis fratre quæsiuit ab eis, quid sibi foret agendum, Qui tale consiliũ dederunt ei, vt egrederetur cum suis, & relinqueret vrbẽ, quia id dispositum à regib. erat vt omni-

*Arnulf. Comes Fland. *Vidone. & infra idem. *Hermãno.*

modis

A modis expelleretur, neque interuenire possent apud reges pro ipso, quin ei eruerentur oculi, si vrbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto, ac suis insimato, post tertiam obsidionis diem cum pene cunctis qui secum tunc aderant militibus, egressus est. Sicque reges cum Episcopis & principibus ingredientes vrbem, domnum Arioldum præsulem, qui dudum fuerat eiectus, iterum inthronizari fecerunt. Quem Rutbertus Treuerensis Archiepiscopus, & Fredericus Magontiacensis accipientes vtraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Gerbergam reginam Remis, ipsi reges cum exercitibus suis terram Hugonis ingrediuntur, & grauibus atterũt deprædationibus. Terram quoque Nordmannurum peragrantes, loca quæque deuastant, & inde remeantes ad sua quique regrediũtur. 947. Anno sequenti rex Ludouicus Mosomum castrum, quod Hugo Remis eiectus retinebat, obsedit: sed nihil ptu votis efficiens, recedentibus tandem post mẽsem Lotharienſibus qui secum erant, ipse Remos reuertitur. Qui B ad Othonem regem ad celebrandum Pascha profecto, Hugo princeps à quibusdam præsumptuose peruasus, Remensem cum Hugone Præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem: frustratoque negotio, resistentibus regis & Artaldi Episcopi militibus, octauo postquã aduenerant die, illusi recedunt. Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam Ecclesiæ Suessonicæ Archidiaconus ordinatur ab Hugone Ambianensis Episcopus. Clere. Conuentu placiti regum Ludovvici & Othonis super Charam fluuium congregato, res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis Ecclesiæ præsules, ab Episcopis auditur: & quia synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa mediũ mensis Nouembris habenda denunciatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugo Mosomi remorari permittitur. Herimeus nepos Heriuei Archiepiscopi habens munitionem quam ædificauerat citra Matronã fluuium, villas Remensis Episcopij circumquaque sitas C deprædabatur, excommunicatus ab Artaldo præsule, pro rebus quas inuaserat Ecclesiæ. Contra cuius prædones egressi quadam die Rageuoldus Comes, & fratres Artaldi præsulis cum quibusdam militibus Ecclesiæ, ipsos grassatores in fugam vertunt. Quo audito, Herimeus, armatis quos secum habebat militibus, egressus à sua munitione, contra nostros ad pugnam venit, & congressus cum eis interemptus est cum suorum quibusdam, reliqui omnes in fugam sunt acti, vulneratis vtrimque nonnullis. Corpus eiusdem Remos à victoribus perlatum est. Hugo Præsul Theobald de monte acuto. assumens secum Theobaldum de Monte acuto, sororis suæ maritum, cum aliis quibusdam grassatoribus, in villas Remis contiguas vindemiæ tempore venit. Qui omne pene vinum abinde colligentes, in diuersos pagos abducunt.

De Synodo Virduni habita.

Cap. XXXIV.

D an. 947. SYNODVS postea Virduni habetur, præsidente Rotberto Treuirensi præsule, cum Arioldo Remensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Gozlino Tullensi, * Hildebuldo Trausbenensi, Israhele Britone, præsente ms. Hildebaldo. quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre, Ageooldo etiam, & Odilone abbatibus, cum aliis nonnullis. Ad quã Hugo euocatus, missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis, venire noluit. Vniuersa vero synodus Artoldo Remense regendum decreuit Episcopium. Indicitur itaque synodus, quæ & conuenit in Ecclesiam sancti Alia Syn. iuxta Mosomum Idib. Ianua. rij. 948. Agapit. ij. Petri in prospectu Mosomi, ex diœcesi Treuirensi atque Remensi. Veniens autem illuc Hugo Præsul, & locutus cum Rotberto Archiepiscopo, synodum noluit ingredi. Litteras vero quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopiũ. Quibus lectis responderunt Episcopi, non esse dignum vel congruum, vt Apostolicę legationis mandatum, quod dum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Magontiacensi Præsule, coram regibus & Episcopis susceperat, intermitterent propter has litteras, quas insidiator & E æmulus Artaldi Præsulis exhibebat: immo quod regulariter cœperant canonice pertractaretur. Sicque præcipitur recitari capitulum XIX. Carthaginensis Concilij de accusato & accusatore. Quo recitato, diiudicatum est iuxta diffinitionem huius capituli, vt Artoldu communionem & parochiam Remensem retinente, Hugo qui ad duas iam synodos euocatus venire contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopij abstineret, donec ad vniuersalem synodum sese purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam diffinitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto Pontifici remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Interea litteræ proclamationis Artoldi præsulis ad Ro- F manam diriguntur sedem. Domnus igitur Agapitus Papa vicarium suum Marinum Episcopum misit ad Othonem regem, propter euocandam & aggregandam generalem synodum: Litteræ quoque ipsius Papæ mittuntur ab vrbe quibusdam speciatim Episcopis, vocantes eos ad eamdem synodum. Congregata denique synodo in palatio Engu- 948 7. Iunij. lenheim, recitata sunt hæc quæ sequuntur coram regibus & Episcopis,

De synodo apud Engulenheim congregata, & excommunicatione Hugonis Episcopi. Series litis inter Artaldum & Hugonem Episcopos agitata.

Cap. XXXV.

SANCTÆ Romana & Apostolica sedis vicario domno Marino, vniuersæque sancta Synodo apud Engulenheim congregata, Artoldus, diuina propitiante clementia, Remorum Episcopus. Dominus Agapitus Papa litteras nobis & cæteris coepiscopis nostra diœcesis direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc vestra sanctitatis Conciliũ G *conuenire studeremus, ita instructi de omnibus, vt rei veritas miseriarum nostra sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentia vestra commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis huius, qua adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Herineo Archiepiscopo, Seulfum, qui Archidiaconatum vrbis nostra tunc officio fungebatur, ad præsulatum eiusdem sedis elegimus. Qui Pontifex* Vide supra cap. 18. *ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet à loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsiuit Heriberti Comitis, quam dato iureiurando per eosdem consiliarios obtinuit eo tenore, vt post obitum ipsius ad electionem Pontificis milites Ecclesia nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero Comes fratrem Herinei præsulis, & nepotes ipsius à participatione rerum Remensis Episcopij separaret. Quibus patratis, insimulati sunt ijdem propinqui Herinei præsulis à consiliariis Seulfi Episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto Comite cum pluribus* H *suis iubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos à quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus, quas ex Episcopio possidebant, comprehensi sunt atque deducti per Heribertum Comitem ad Rotbertum regem, à quo etiam sub custodia sunt detenti vsque ad mortem ipsius Rotberti. Tertio demum sui Episcopatus anno Seulfus Episcopus (vt plures asserunt) ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus vrbem Remensem adijt, & Ecclesia milites, clericorum quoq; quosdam de rectoris electione ad suum consilium (eis iuratum fuerat) intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, vt sibi committeretur idem Episcopium, eo tenore, vt tam clericis, quam laicis debitum honorem concederet & conseruaret, nec iniustitiam alicui faceret: sed ipsum Episcopium æquo iure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad Episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui Comes ad eamdem vrbem regressus, res Episcopij (prout sibi placuit) fautoribus suis diuisit, cæteris abstulit, & absque vllo iudicio vel lege, quos voluit rebus expolians, vel ab vrbe propulit. Odalricum denique Aquensem Episcopum in eadem vrbe suscipiens, Episcopale ibi ministerium celebrare præ-*

A

cepit. Sicque per annos sex, & eo amplius idem Episcopium suo dominio vendicans, pro libitu proprio illud tractans, & in sede Præsulis residens tam ipse, quam coniux sua, donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem Comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam Episcopis, quam Comitibus Remorum obsidet urbem, succensentibus sibi Episcopis, & conquerentibus aduersus eum, quod iam diuturno tempore, contra diuinæ legis auctoritatem, hanc urbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex, admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis, quam laicis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur in idipsum fauentibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere, quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus, quam ciuibus portas urbis regi Rodulfo, & Episcopalem benedictionem mihi tradentibus Episcopis qui aderant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero vniuerso,

B

quam reliquis ciuibus, mihi intronizatus ab Episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme nouem tractans, ordinans per diœcesim Episcopos octo, & in Episcopio multos, prout competens videbatur, clericos, quousque nono postmodum anno, postquam Ludouicum regem, fauente Hugone cæterisque regni primatibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo Comes iracundia, quod ei consentire vel coniungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto Comite, & VVillelmo Nordmannorum principe, Remensem obsidet vrbem. Nec longum, sexta siquidem obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire, a quibus coarctatus & conterritus, cogor memet Episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes, in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autisiodori diaconus ordinatus fuerat, in vrbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum, simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus

supra c. 27.

C

Comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingrediuntur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam vrbem licite perpetrantur. Interea conuocantur Episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium Episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes vt ad eos venirem, ad consentiendum scilicet huius ordinationis peruersitati. Quibus remandaui, quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, vbi aduersarii & inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum deuenirent, vbi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus aduenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, aduenientesque prosternor coram ipsis, obsecrans vt propter amorem & honorem Dei, tam mihi, quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis suadere, vt eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes etiam nonnullas Episcopii mihi se

D

impetraturos. At ego postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseuerantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, vt nullus eorum ad eandem ordinationem accederet, nec aliquis in Episcopali honore, me viuente, manus imponeret: sed nec ullus eandem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem Apostolicam eos prouocabam. Illis inde furentibus, vt possem exire de medio eorum, & Laudunum venirem, temperans responsum dicens vt mitterent mecum, qui eis renuntiaret, quid consilii reperire valerem super hac re cum domina mea regina, & fidelibus eius, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum Episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelibus eius inde me interpellante, iterum exurgens præfata modum excommunicationis in eosdem Episcopos iaculatus sum: vocationem quoque ad sedem Apostolicam iterare curans, excommunicans ipsum hunc Deroldum, vt eis vnumquodque non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, parumpendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicant, quidam vero

E

se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille sciuit angustias pertulisse, secum pertuli: & quando eum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix mortis euasi periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca inuia quæque, siluasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus massatis quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent vt me requirentes, ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petissent ditaturos. Requirentes ergo me amicis, reperiunt per deuia vagantem, & ita perducor a fratribus meis & amicis ad præfatos Comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, vt eis pallium a sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abiurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore huius vitæ præsentis attestor. Districtus igitur & coangustiatus ab eis, Episcopii tandem rebus abrenuntiare compellor, sicque rursus ad S. Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quousque comperiens per certos ex familiaribus Heriberti Comitis nuntios, quod ab eo mala de

F

mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis huiusmodi patefactis & impulsus, locum deserui, & abdita lustra siluarum vagabundus repetii, horisque silentibus, & itinere deuio Laudunum reuertor, ibique susceptus a Rege, secum manere constituor. Mansi vero ibidem cum ipso vel fidelibus eius, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est in cor domini Regis Othonis mittere, vt ad subuentionem senioris mei Regis, & nostram, properaret in Franciam. Denique, postquam domina nostra Regina Laudunum, propter absolutionem Domini Regis, reliquerat, egressus inde ad dominum Regem Othonem cum seniore meo deueni Rege, simulque Remum accessimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & Episcopi qui aderant, me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni a domino Rege Othone, vt egrediatur, & peruasam deserat vrbem. At ille nitens aliquamdiu & pro posse, vbi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subuenire, decreuit exeundum, quærens vt liber cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaque sanus exire,

Vide supra c. 32.
Supra c. 33.

G

cum omnibus qui secum voluere comitari, & quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente, asportauit. Sicque cum Regibus introgressus vrbem, præcipior loco nostro & honori restitutus. Susceptus igitur a dominis Archiepiscopis Rotberto Treuirensi, & Frederico Magontiacensi comitantibus cæteris & congratulantibus, tam clericis Ecclesiæ nostræ, quam reliquis ciuibus, ab ipsis restituor cathedræ Episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & inuasiones contra fideles regis senioris nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, seniorem meum videlicet ac dominum Othonem, super * Charam fluuium, conuenimus ad illud tam ego, quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis huius ac Episcopii auditur: protulitque litteras ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas, excusationis meæ, ac si vacationem peterem administrationis Episcopii nostri: quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum, atque protestor. Et quia tunc synodus conuocata non fuerat (id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis) altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda Virduni vtriusque partis Episcopis annuentibus denuntiatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur, idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante siquidem eodem tempore, hic noster

* in. Karam.

H

æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum, & regni nostri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Remensis Episcopii contiguas vrbi deuenit, & omne pene vinum ex his colligens in diuersos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Ecclesiæ nostræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem circa medium mensis denuntiata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto Præsule Treuirensi, præcepto domini Papæ Romani, præsente quoque domno Brunone, cum Episcopis & Abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo euocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum Episcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempsit. Vniuersa vero synodus mihi Remense regendum decreuit Episcopium. Indicitur que iterum synodus habenda die Iduum mensis Ianuarii, quæ & aggregatur, vt denuntiatum fuerat, in Ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto conuenientibus cæteris quoque Treuirensis diœceseos Episcopis, & aliquibus Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, & locutus cum domno Rotberto synodum noluit ingredi: litteras vero quasi ex nomine domini Papæ direxit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopium.

Supra c. 34.

Qui-

*Quibus recitatis ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus & cæteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Præsule Magontiacensi, coram regibus & Episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & partem iam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator noster exhibebat: immo quod regulariter coeptum fuerat, vt canonice pertractaretur, vnanimiter censent: præcipiturque recitari capitulum Carthaginensis Concilij nonum decimum De accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est iuxta diffinitionem ipsius capituli, vt communionem & parochiam Remensem me retinente, Hugo * qui ad duas iam synodos euocatus* *ms. quia* *interesse contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopij abstineret, donec ad vniuersalem synodum, quæ indicebatur, sese purgaturus, vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta Episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem chartam tamdem Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans: quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Sicque absoluto Concilio, ipse Mosomum contra mandata regum & Episcoporum retinet, & ego Remos regressus reclamationis meæ querelas ad sedem Romanam per legatos domini regis Othonis destinans, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, eius decretis & vniuersalis huius sancti concilij vestri iudicijs parere paratus.* Post quarum litterarum recitationem, & earum propter reges iuxta Thudesticam linguam interpretationem, ingressus *ms. Teutonicam. Theotiscam.* quidam Sigebaldus, præmissi Hugonis clericus, attulit litteras quas Roma detulerat, quasque iam in alia synodo Mosomi propalauerat. Asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas. Qui domnus Marinus proferens litteras quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram synodo recitari, in quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Wido Episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Beluacensis, Rodulfus Laudunensis, cæterique cuncti Remensis diœceseos Episcopi, easdem litteras ad sedem delegauerint Apostolicam, pro restauratione Hugonis in sede Remensi, & expulsione Artoldi. Post quarum lectionem, exurgentes Artoldus præsul, & prætatus Rodulfus, qui in eisdem litteris nominabantur, Fulbertus quoque Camaracensis Antistes, eas litteras refutarunt, adstruentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstreperet, præcepit domnus Marinus, suggerens vniuersæ synodo, vt sibi consilium & rectum iudicium proferrent super huiusmodi calumniatore, & calumniarum in Episcopos delatore. At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de huiuscemodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter censent eum quo fruebatur honore priuari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio mulctatus, à conspectu synodi reprobatus abscessit. Artoldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat, non refugiens synodale iudicium, Episcopium Remense iuxta canonum instituta & sanctorum patrum decreta, omnimo retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda confessionis die, post recitatas diuinæ auctoritatis lectiones, & Marini vicarij allocutionem, suggessit domnus Rotbertus Treuirensis Archiepiscopus, vt quoniam iuxta sacræ legis instituta, restitutum atque restauratum fuerat Remense Artoldo præsuli Episcopium, in eiusdem sedis inuasorem synodale peragretur iudicium. Præcepit itaq; Marinus Vicarius, vt canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum instituta canonum, & sanctorum decreta patrum, Sixti, Alexandri, Innocentij, Zozimi, Bonefacij, Cælestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicauerunt, & ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ peruasorem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Cæteris quoq; diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis, & Ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo vendebantur indebite, & auferebantur illicite: prohibitumque ac statutum, ne id omnino præsumeretur ab aliquo: sed & de aliis Ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla. Interea rex Ludovvicus deprecatur regem Othonem, vt subsidium sibi ferat contra Hugonem, & cæteros inimicos suos. Qui petita concedens, iubet vt Conradus Dux cum exercitu Lothariensium in eius pergat auxilium. Interim vero dum congregaretur exercitus, rex Ludouicus cum ipso duce maneat, & Episcopi, scilicet Artoldus & Rodulfus, qui erant cum rege, ne quid in via paterentur aduersi, degerent cum Lothariensibus Episcopis. Mansimus itaque cum Rutberto Treuerensi, Rudulfus Laudunensis cum Adalberone Mettensi, hebdomadas fere quatuor. Exercitu denique collecto, Lotharienses Episcopi Mosomum petunt, ipsumque obsidentes castrum atque oppugnantes, milites qui erant ibi cum Hugone ad deditionem compellūt, & acceptis ab eis obsidibus pergunt obuiam Ludouico regi & Conrado duci in partes Laudunensis pagi. Obsident igitur ibi Dux & exercitus quamdam munitionem, quam ædificauerat & tenebat Theobaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes, tandem non sine mora capiunt, indeque Laudunum adeunt: & in Ecclesia S. Vincentij congregati Episcopi prædictum Thetbaldum excommunicant: Hugonem vero principem vocant litteris ex parte Marini legati sedis Apostolicæ & sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & Episcopos egerat. Wido denique Suessonicæ vrbis Episcopus ad regem Ludovvicum veniens, eidem sese committit, pacaturque cum Artaldo Archiepiscopo, satisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quoque Dux filiam Ludovvici regis sacro de fonte suscepit. Sicque recepto Musumo castro, & euerso, Lotharienses reuertuntur in sua.

De obsessione vel incensione vrbis Suessonicæ ab Hugone Comite.

Cap. XXXVI.

IGITVR Hugo nullam moram faciens, collecta suorum multa, Nordmannorumque manu, Suessonicam aggreditur vrbem, & obsidens oppugnat, ceditque nonnullos. Iniectis etiam ignibus domum matris Ecclesiæ succendit, simulque claustra canonicorum, & partem ciuitatis: nec tamen ipsam capere valens vrbem reliquit, & ad quandam munitionem, quam Rageuoldus Comes Ludunici super Axonam fluuium, in loco qui dicitur Rauciacus, ædificabat, deuenit, ipsamque adhuc imperfectam castris vallauit. *Roucy.* Sed nec ipsam cepit: villas tamen Remensis Ecclesiæ castris suis contiguas deuastauit. Plures quoq; colonorum prædones ipsius interemerunt, violantes Ecclesias, & in tantum debacchantes, vt in Culmisciaco vico, tam infra quam circa Ecclesiam fere quadringentos homines interfecerint, ipsumque templum rebus penitus exspoliarint. Multis ergo flagitiis tunc perpetratis, Hugo tandem cum suis regreditur grassatoribus. Itaque milites qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicato, ad Artaldum præsulem reuertuntur. Qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recipit, quosdam vero reiicit. Post hæc Treueros proficiscitur ad synodum cum Episcopis Widone Suessonico, Rodulfo Laudunensi, & Winefredo Morinensi. *Syn. Treuerensis.* Quo peruenientes Marinum sese præstolantem reperiunt cum Rotberto Archiepiscopo: cæterorum vero Lothariensium vel Germanorum præsulum illic inuenere neminem. Considentibus igitur illis, sciscitari cœpit Marinus vicarius, quid fecisset post præmissam synodum Hugo princeps erga ipsos, vel regem Ludouicum. At illi referunt supra memorata quæ ipsis, & * Ecclesiis eorum intulerat mala. *ms. j Ecclesiis Suessonicum.* Requirit ergo de vocatione ipsius Principis Marinus, vtrum perlatæ ei fuissent litteræ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui respondetur ab Artoldo Archiepiscopo, quod quædam

A

earum perlatæ sint, quædam vero perferri nequiuerint, earum gerulo ab ipsius grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris, quam quibusdam internunciis. Requiritur itaque si adsit aliquis ex parte ipsius legatus. Vbi cum nullus fuisset inuentus, decernitur expectandum, si forte aduenturus esset in crastinum. Quod cum minimè contigisset, & omnes qui aderant, tam clerici, quam illustres laici, eum excommunicandum esse acclamarent, definitur ab Episcopis hanc excommunicationem adhuc differendam vsque ad diem synodi tertiam. Tractatur autem de Episcopis, qui vocati fuerant & venire distulerant, vel his qui ordinationi Hugonis participes extiterant. Et Wido quidem Episcopus Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino Vicario, & Artoldo Archiepiscopo, confitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artoldo Archiepiscopis, absolui ab hac noxa meretur. Wicfredus Morinensis immunis ab eadem ordinatione reperitur. Adest Transmari Nouiomensis Episcopi legatus quidam presbyter, astruens eumdem Præsulem ita graui languore detentum, vt ad eamdem synodum venire non valuerit. Id quoque nostratea, qui aderant, attestantur Episcopi.

B — Transmarus 42. Nouiom. episc. in tab. Desroch.

De excommunicatione Hugonis Comitis.

C A P. XXXVII.

TERTIA tandem die, insistente præcipue Luitdulfo legato & Capellano regis Othonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludowici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamē modo donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis, quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod si facere contempserit, Romam pro sui absolutione proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudoëpiscopi ab Hugone damnato ordinati, * Tetbaldus & Iuo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi vrbe, aliter post damnationem eiusdem Hugonis, in Siluanectensi ab ipso constituti. Excommunicatur etiam quidam clericus Laudunensis, nomine Adelonus, quem accusauit Rodulfus Episcopus suus, eo quod Terbaldum excommunicatum in Ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Beluacensis Episcopus litteris præfati Marini, vt veniat coram ipso, vel eat Romam rationem redditurus coram domno Papa, pro illicita ordinatione prædictorū pseudoëpiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus Heriberti Comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra Episcopos agebat. His ita gestis, Episcopi reuertuntur in sua. Luitdulfus autem capellanus Othonis Marinum Vicarium deducit ad regem suum in Saxoniam, vbi consecraturus erat Ecclesiam Vuldensis monasterij. Post cuius consecrationem idem Marinus, exacta hyeme Romam reuertitur. Nascitur regi Ludowico filius, quem Præsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens.

* al. Theobaldus.

C

D

De quibusdam Ecclesiis vel Monasteriis vrbis Remensis.

C A P. XXXVIII.

PLVRES deniq; apud nos quondam sanctorum fuere basilicæ, sed & monasteria infra vel circa Remensem hanc vrbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra vrbem puellarum monasteria: quorum vnum (quod superius à situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Boua, eiusdem cœnobij postmodum abbatissa, in honore sanctæ Mariæ, vel sancti Petri construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellā, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati eiusdem regis Sigeberti: quamq; præfata ipsius amita Boua instituens ad seruiendū Deo, seruandamq; perpetuo virginitatem, ab amore terreni auertit sponsi. Qui cum sibi aduersaretur, sponsam inniteus eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis ceruicibus, traditur interijsse. Beata deniq; Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in eiusdē monasterij successit regimine. Quæ præceptum quoq; immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, à principe Pippone eidem postmodū obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in Ecclesia extra muros vrbis, vbi primū puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieuerunt, donec postmodum, reuelationib. quibusdam eleuata, & ad hanc nouam sunt Ecclesiam perlata, ibidemq; venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reuerentia puellarum.

E

De sancto Balderico Abbate.

C A P. XXXIX.

SAnctus autem Baldericus post huius monasterij constructionem, locum quærens, vbi suam quoq; cōstitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conuersari, Deoq; deuote ac quiete seruire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montē falconis locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur siluis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem auem, quam nuncupamus falconem, præuiam & quasi præducem itineris, dū locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidē insederit, ac per triduum illo rediens in loco, vbi nunc habetur altare in honore sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Vnde & cœnobium ab hoc euentu sic vocitatū plurimi asserunt. Vbi cum Deo deuotus seruire cœpisset, nōnulli Deum timentes res suas eidem contulere: sicq; collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione: atque eidem sub honore beati Germani ædificauit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam reuersus Remis, vltimum sui cursus ibidem clausit diem, vbi & sepultus tempore non modico requieuit.

S. Baudry. — F — Mōt. faucon.

G

De miraculis post obitum ipsius ostensis.

C A P. XL.

PRocessu deniq; temporis diligētia clericorum prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, eius est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis ablatum. Quos dum insequerentur quidam ciues Remenses, eo vsq. sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumq; turbarentur horum aduentu sacri latores pigneris, inter vtrosque densa dirimens nebula diuinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, & errore in deuia rapti, vestigia præcedentium seruare nequiuerunt. Euectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiauit, donec ad proximam cœnobio possessionē, quæ dicitur villa * Spannsi, infatigabiles peruenerunt. Vbi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est Ecclesia. Quibus abinde cum sacro promouentib. pignere, vbi monasterio propinquare cœperūt, Ecclesiæ signa cœnobij sponte, absq; humano [illegible] impulsu, sonuisse feruntur. Quod audiētes fratres obuiam sunt egressi: sicq; diu desiderata suscipientes munera, dum in Ecclesiam sancti Germani ea conatur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, vt hæc nequaquam potuerint vlterius emouere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum tecto super defixa cōditio mēbra confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur. Quo temporis peracto spacio, ad Ecclesiam sancti Laurentij, vbi viuens ipse sibi sepulchrum parauerat, celebrato per triduum ieiunio, venerabile corpus eius perlatum, & in suo reuerenter est depositum sarcophago. Ibique constat venerabili cultu seruatum, vsque ad tempora Karoli regis, & Hincmari Archiepiscopi, quando Nordmanni hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi canonici eiusdem loci, corpus huius patroni sui de sepulchro leuatum super altare sancti Laurentij posuerunt. Quod dū fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita

* al. Spanalsi.

H

recentes

A

tecentes & calidæ, ac si de viuente profluerent corpore. Sicque delatum est Virdunum. Vnde relatum in Ecclesia est sancti Germani locatum. Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id peruenerunt: sed Domino illud protegente, nec Ecclesias incenderunt, nec homines, nisi vnam duntaxat mulierem, occiderunt. Vt autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eumdem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Oitradus, corpus sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quamdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani, vsque ad ipsam peruenerunt arborem & respicientes sursum, neminem potuerunt eamdem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per nouem dies inibi permanens, nihilque victus, præter vnam solummodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumque tunc locus idem meritis huius beati viri à cædibus & incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, vt quidam prædones, regiæ maiestatis infideles, ad eumdem deuenirent locum, & non inuenientes ibi manum repugnantem sibi,

B

desolatum prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa Ecclesiæ sancti Laurentij, nemine pulsante, sonare cœperunt, & duo cerei superno sunt igne diuinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis, & aufugientibus, vnus eorum prolapsus ad ipsam monasterij portam corruit, tamque ipso, quam superbo eius equo ruina contrito, vtres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis Ecclesiam munerauerunt, metuq; affecti recesserunt.

De villa VVasliciа.

Cap. XLI.

HVIVS venerabilis loci canonici famis quondam necessitate compulsi, sumptis à corpore venerandi patroni sui reliquijs, ad suam quamdam villam, supra ripam Rheni sitam, cognomento Wasliciam, quam quidam

C

eorum Abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Vbi dum pagenses, alma venerantes pignera, sua dona deferre cœpissent, Abbas quidam monasterij, quod vocatur Bunna, pergens ad Willebertum Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare deuotionem, nec re vera sancti alicuius pignera illuc adstruens esse delata. Timentes autem Canonici qui aduenerant, ne forte constringerentur & discuterentur ab Episcopo, quoniam totum ipsius sancti corpus secum haberi ferebant, mox vt hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum redière monasterium: assumentesq; cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, Ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi qui remanserant in eodem loco clerici hoc audientes, & patronum suum aduenire intelligentes, obuiam eum crucibus pergunt, & honore digno tutorem suum suscipiunt.

D

Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria inibi repente mira contigerunt. Contractus vnus erectus, cæcus quidam illuminatus, & loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus Abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat à visitatione sancti auertens. Quæ dum gereret, febre correptus ita grauiter est vexatus, vt nec mãducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris huiusce * coactus, tandem peccatum suum recognouit, & sella se gestatoria vsque ad Rhenum, indeque nauigio vsque ad prædictam villam, sicque ante corporis almi præsentiam perferri fecit: ibique culpam suam confessus, absolui se petiit, & quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit: factisque votis annuatim soluẽdis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, & sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hic præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla vt ferunt dies præterijt, quo non ibidem Dei miracula patrarentur. In ipsis autem vigilijs sancti Iohan-

al. cæco-ctus.

E

nis Baptistæ, confluentibus de Saxonia pluribus, & a longinquis etiam regionibus, decem & octo insignia probantur ostensa: via qua aliquis æger accessit, qui non sospes, alacerque recesserit. Vbi tanta rerum delata est copia, vt & ipsi clerici exinde viuerent, & cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, Ecclesiamque ipsius villæ amplificarent, vel decorarent. Postea cõtigit vt propter aquæ indigentiam, foras extra monasterium suum, idem sacrum corpus efferretur, & obuiam sancti Iouini pigneribus portaretur. Cuius dum fuisset in occursum perlatum, mox vt simul venerũt, obnubilato cœlo cum magna siccitas existeret, copiosa pluuiarum vis effusa est: & dum humectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt à pluuia. Ibi quidam luscus lumen amissi recipit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, vt erat incultus, ingratus recessit: at vbi domum peruenit, lumen quod receperat, iterum perdidit. Dum vero peruentum est ad monasterium cum vtriusque sancti

F

corpore, ita sancti Balderici pignus est aggrauatum, vt nullatenus moueri posset, donec sancti Iouini vsque ad cœnobium præcedere membra fecissent. Cum autem domnus Dado Virdunensis Episcopus hanc à rege † impetrasset abbatiam; & hæc mira cœpisset audire, constituit vt omnibus annis trium monasteriorum sacra pignera simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum. De sede scilicet vrbis Virdunensis S. Vitonus, & S. Agericus, sanctus vero Baldericus de monasterio suo, & sanctus Roduicus de Wasloio. In quo conuentu innumera postmodum sunt patrata miracula, vt vix præterierit huiusmodi cortio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus: maxime tamen illi, qui patrocinia beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conuentu quidam locutus est mutus, quem Virdunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod sanctorum virtus quos detulerãt, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tãto sancti Balderici pondere aggrauata sunt ossa, vt penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stu-

† Arnulfo Transchonensi.

G

porem recurrentibus multis, dum quærerentur sui, cur inibi vellet immorari, & quid ibidem disponeret operari, accidit vt requireretur ille qui locutus fuerat mutus. Tandemq; reuocatus, vbi ad locum defixi perductus est pigneris, mox absque difficultate sublatum, & ad suum, sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum. Præfatus præsul Dado, postquam hanc sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo Abbate ad idem dudum monasterium datas, pro villa Gerlani monte, super Mosellam conіacente, mutauit. Ad quam villam, dum faciendi sibi causa, proficisci fratres huius congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui, domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi iussa. Qui dum ad villam, quæ * Deus dicitur, peruenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, vt progredi nequaquam valerent vlterius ea ferentes: initoque consilio vt ad Ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore S. Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, vt post orationem ab Ecclesia est delatum, iterum sancti aggrauatur corpusculum: mirantibusq; cunctis, & quod aliqua inibi Deus pro sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam ferentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Aduenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, & fœmina quædam brachijs ab octo retro annis contracta resoluitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, & infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, vbi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, & candelæ diuinitus accensæ, multique diuersis sunt ab infirmitatibus liberati.

* Dena.

H

A

j. Gerlans.

*De Ecclesia sancti Romani, & miraculis in * Gellani monte.*

C A P. XLII.

ECCLASIAM sancti Romani in præfata villa Gellani
monte constructam dudum Milo præpositus Cano-
nicorum huius loci ab eis auferebat: quam dum Bosone
Comite sibi eam reddente, recepissent, & sancti Balderici
membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœpe-
runt confluere patrocinia. Inter quos duæ cæcæ nobiles
fœminę deductæ sunt, & quędam perlata paupercula om-
Vigilæ in ecclesijs. nibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum san-
cti Romani, dum de more priuigiles in Ecclesia celebrarē-
tur excubiæ, subito tantum cælitus est lumen effusum, vt
omnia quæ fuerant accensa videretur luminaria superare.
Altare tantum, supra quod sancti erant ossa deposita, den-
sa tegi videbatur nebula, ipsumq; sacri pigneris quasi mo-
B ueri cernebatur gestamen Cum repente vna cęcarum pri-
mum, moxq; altera sese videre proclamant. Tum media
iacens contracta, vbi cœpit clamare, auxiliumque Dei &
sancti Balderici deprecari, paulatim resoluitur, primum
brachijs, & inde poplitibus, donec erecta stetit in pedibus.
Quæ postmodum sana effecta, clericorum stipe hucusque
sustentatur. Igitur dum præfato morarentur in loco cleri-
ci cum pignere sacro, contigit quadam vespera cum simul
residerent, vt cuiusdam Milonis amici homo, ebrietate at-
que furore succensus, cœpisset ad eos dicere, quid ibi fa-
cerēt, & quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus
respondentibus, quod sancti Balderici non Milonis ædē
res essent, illoque contradicente: quod non Balderici, sed
Milonis haberentur, comminantibus eum clericis reces-
sit, & in eminentem villæ contiguam rupem conscendens
sese in præceps dedit, sicque attritus iacuit vt mortuus, vel
morti videretur proximus: indeque sublatus ante sancti
corporis pręsentiā est deportatus, ibique tandem se culpa-
bilem reddens, insperate sanatus, & integræ in breui resti-
C tutus est sospitati. Item dum nuper ad præmemoratam
villā Wasliciam huius sancti membra relata fuissēt, quo-
niam Godefridus principis Henrici Comes palatij eamdē
peruasetat villam, quidam clericorum sancti Balderici ad
eumdem Godefridum pro hac causa perrexerunt: & cum
nullam dignam potuissent apud eum percipere respōsio-
nem, nec magis se pro eis inde quam pro suo cane facturū
respondisset, clericus quidam ex his intentando subiecit,
quod calidum proinde sudorem sudaturus esset, nec canis
suus adiuturus eum foret. Ille furibundus ad hæc eos à suo
præcipite ejici conspectu. Quibus recedentibus ipse mox
diuina plectitur vltione, validaque correptus febre cœpit
grauissime vexari, nimijsque succendi ardoribus, atq; fer-
uentissimis effluere sudoribus. Mittens igitur ad Episcopū
Coloniensem Wicfridum, hunc ad se venire petijt, eisq;
rem retulit, atq; id ab eo consilij percepit, vt ad præfatos
clericos mitteret, eosq; ad se venire faciens, & errata corri-
gens, ab eis de sua infirmitate consilium & pariter auxiliū
D quæreret. Quod ille obaudiens, & ad eos mittens, ad se
venire mandauit. At missus eius typho, ceu videbatur, in-
flatus superbiæ, cœpit vt ad suum dominum mox clerici
pergerent, imperitando pręcipere. Quib. renuentibus, sed
eum caritatem secum facere rogantibus, ille contempsit,
eoq; recedente, in ipso egressu equus eius incitatus ab ipso
prosiliens ruit, & collo fracto interijt. Sic ille humiliatus ad
fratres redijt, caritatem quam spreuerat egit, & ita corre-
ctus recessit. Hinc iterum, tertioque vocati, atque petiti,
huius tandem viri compertis incommodis, ad eum tū de-
mum veniunt, patientis compatiuntur cruciatibus, & cō-
fitentem peccatum suum, emendationemq; promittētem
precibus suis absoluere student. At ille statim se melius ha-
bere professus, vbi recessere fratres, conualuit, res quas in-
uaserat reddidit, ac deinceps ab earū se læsione continuit.
Verum tanta domus eius affecta clade fuisse perhibetur,
vt via aliqui remanserint, qui eisdem rebus vsi fuerant: ipsi
etiam equi & canes interierint, & ipse peruasor, perditis
cum cute capillis & vngulis, vix euaserit.

E

De miraculo in Rheno flumine patrato.

C A P. XLIII.

TVNC ob infestationem Hungarorum, quę primitus
eo tempore in hoc emerserat regnum, consilio ini-
to Canonici sancti Balderici Rhenum cum domino suo
transmeant. Inde quadam vespera remeantes, in flumi-
nis medio nauem iactis defigunt ancoris. Relictis-
que paucis in naui cum sacro pignere custodibus, ipsi
ad prædictam schaphâ properant suæ possessionis villam.
† Tres vero quidam latrones, comperto quod pauci rese- fez. Wasliciam.
dissent in naui custodes, ibique thesauros vel ornamenta
sancti remansisse rati, conscensa tendunt illò cymba. Sed
antequam pertingerent ad ipsam quam petebant nauem,
cæcati diuinitus, perditoque sensu remigare non valentes,
impetu fluminis ferri cœperunt. Sicq; nauicula eorum na-
ui, qua sancti corpus seruabatur, impacta, cōtritaq;, medijs
F eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus fluuio mox
absorptis, tertius, qui etiam famulus erat sancti Balderici,
iacta mano nauem sancti arripuit, & taliter euadens mor-
tem, clericorumq; perductus in præsentiam, nihil eorum
quæ passus fuerat edicere valuit, donec in crastinum refo-
cillatus, sensuq; recepto tandem quę gesta fuerant enarra-
uit. Postquam vero à præfato loco huius beati viri ad suum
monasterium suntt ossa relata, multa inibi feruntur ostē-
sa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta.
Illuc nuper quidam pauper candelam deferens in circulo
deuolutam, pauloante horam vespertinam supra loculū
sacrorum hanc posuit ossium. Quidum data oratione re-
cederet, subito candela, supero accensa igne, cœpit ardere.
Quæ donec custos Ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda ve-
nit signa, pallio, cui superiecta iacebat, illæso, deflagauit,
nec vllám pallio læsionem, cui adhęrebat, aggessit. Multa
præterea sanitatum, clarificationumq; ibidem creberri-
me ad declaranda sancti sui merita Dominus ostēdere di-
G gnatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis
sui, quod est benedictum in sæcula.

De miraculis in monasterio sanctarum Bouæ ac Dodæ factis.

C A P. XLIV.

IN præmemorato deniq; puellarum monasterio, in quo Supra c. 28.
præfatarum sanctarum Bouæ ac Dotæ translata præfati
sumus corpora, nonnulla postmodum patrata probantur
miracula. Vbi frigoritici, atque diuersis ægritudinibus oc-
cupati venientes optata merentur sospitate donari: maxi-
me in die solennitatis earumdem. † In qua quædam nuper Id est 24. Aprilis.
puella, auditu frustrata, vi inualitudinis sensus huius ob-
turatis meatibus, interuentu earumdem sanctarum Chri-
sti sponsarum, perdita dudum munia recipere meruit au-
rium.

De visione cuiusdam puellæ.

C A P. XLV. H

HABETVR in hoc monasterio quædam sanctimonia-
lis virgo, neptis quondam Gontmari religiosi pres-
byteri, nomine Ricuidis, cui apparuerant olim per visum
beatus Petrus Apostolus, & beatus Remigius, significan-
tes ei, quod iter Romæ eidem, dum reuerterentur ad ipsam,
præcepturi essent: asseruerunt q; se medio mense Septem-
bri, (Exaltationis sanctæ crucis die, reuersuros. Qua expe-
ctatione suspensa nihil inde alicui, prohibita scilicet ab
eis, ausa est intimare. Die vero qua prædixerant redituros,
iterū apparuerūt ei, iubētes vt accersiret fratrē suū Frederi-
cū presbyterū, & exhortaretur eū sequi, prout magis po-
tuisset, vestigia præmissi sacerdotis Guntmari, & ex ipso-
rum iussione prædictum iter iniungeret illi secum exequi,
tali videlicet tenore, vt ab ea die nec ille, nec ipsa carnem
comederent, aut vinum biberent, donec iter ipsum arri-
perent, nisi tantum vini, quantum emi potuisset ex pre-

tio,

tio, quod super altare quoddam ab ipsis ei designatum reperturа esset, ipsa duntaxat perciperet. Vt ergo inde magis crederetur, quasdam sorores, tres videlicet sanctimoniales huius monasterij, ad id inquirendum sibi testes asciscere, denominatis scilicet personis, quas aduocare debuisset. Sanctus autem Remigius hoc insuper addidit: vt diceret illa fratri suo, quatenus esset memor, quod illi quondam apparuerat, & ei locutus fuerat. Addens etiam pro signo recognitionis, quod eum in palma de cultello visus fuerat percussisse. At illa mox ad præfatum fratrem suum mittens, mandauit ei vt ad se festinanter veniret. Qui veniens sororem suam hora iam vespertina ieiunam adhuc, & de visione valde stupefactam inuenit. Quæ aduocans denominatas sibi sanctimoniales, pariter ante denotatum altare septem psalmos pœnitentiales decantauerunt, additis insuper litaniarum precibus, accesserunt ad altare, & exuentes operimentis, repererunt in cornu eiusdem altaris obolum paruum, quem assumentes cum gratiarum actione dederunt pro vino, quod tantummodo hæc sanctimonialis bibit, non deinceps amplius vinum sumptura, donec interiniunctum tam ipsa, quam prædictus frater suus, inirent. Quod fideliter & fiducialiter arripientes, prospere, Deo iuuante, & S. Petro & sancto Remigio suffragantibus, vt ipsis promiserant, peregerunt. Ac deinceps à carnibus illa (præter Dominicam) abstinet, ac tribus diebus in hebdomada, vsque dum signum sonet ad secundam, nihil operis agit, orationibus & psalmodiæ vacans: quod sibi vsque ad septem annos commemorat adimplere præceptum. Fratri vero suo præmemorato hoc à supra dictis Sanctis per ipsam mandatam est, vt quatuor diebus in hebdomada à carnibus, omni vero sexta feria à vino semper dum aduixerit, debeat abstinere. Quæ & obseruare visi sunt.

De altero Remis puellarum monasterio.

Cap. XLVI.

ALTERVM denique puellare monasterium Remis habetur situm ad portam, quæ olim Collaticia, scilicet à conferendis mercibus, nunc Basilicaris vocatur, eo quod circa se basilicia dudum, præ cæteris portis, abundasse feratur: seu quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigij consistentes, peruia fuerit. Supra quam domno Rigoberto habitaculum fuisse commemorauimus. Quod monasterium domnus Guntbertus vir illustris in honore sancti Petri construxisse traditur, quod regale vel fiscale vocatur, eo quod in regali potestate vsque ad moderna tempora fuerit habitum. Quod monasterium Ludowicus imperator * Alpheidi filiæ suæ, vxori Begonis Comitis, dono dedit, eidemque sacro loco immunitatis præceptum delegauit, vt & pater ipsius Karolus imperator egerat olim. Quod cœnobium postea per precariam ipsius Alpheidis, vel filiorum eius Letardi & Ebrardi, ad partem & possessionem Remensis deuenit Ecclesiæ. Hic haberi asseritur dens sancti Andreæ Apostoli: cuius beneficia multi, qui eum osculari promerentur, frequenter experiuntur infirmi. Vidimus hic, in Ecclesia s. huius cœnobij, cereum igne cœlesti ter quoque accensum, quem cereum collata cera fecerant quidam ciues Remenses, qui ad visitanda nuper Apostolorum limina profecti fuerant. Vidimus in hoc quoq; monasterio puellam quamdam sudasse sanguinem, quæ tunc hebdomada plena iacuit immota, quasi mortua, & visiones ei sunt ostensæ nonnullæ.

Forte Basilica. — L. 2. c. 12. — al. Alpaidi & infra.

De domno Guntberto, & ipsius vxore Berta.

Cap. XLVII.

PRÆMISSA itaq; domnus Guntbertus huius instructor cœnobij, relicta coniuge, maritima petens loca, illic etiam monasterium quoddam condidisse fertur. Vbi & à barbaris decollatus fuisse traditur. Relicta vero ipsius domna Berta cœnobium puellare apud Auenuacum, Domino sibi locum per Angelum demonstrante, construxit. Et dum inibi aquam non haberet, impetrauit à possessoribus proximæ siluæ, argenti libra data, fontem quemdam, duobus fere millibus à suo monasterio distantem. Ex quo fonte mox riuus egressus, secutus est eam ad cœnobium remeantem. Qui adhuc largiter affluens, pro eo quod tantumdem fuerit emptus, Libra vocitatur. Priuigni denique ipsius domnæ Bertæ insurgentes contra eam, interemerunt illam. Qui statim traditi Sathanæ in interitum carnis, ab humano sensu in beluinam feritatem mutari, * decessisse feruntur. Nepti vero domni Guntberti, nomine Montiæ, quæ sceleris huius consentanea fuerat, noctu vigilanti domna Berta fertur apparuisse, eiq; præcepisse, vt corpus domni Guntberti ad hunc locum referre satageret, ac iuxta suum funus collocaret: sicque illi peccatum consciæ necis suæ Dominus indulgeret. Quæ signum petens, quo sibi dimissum id esse sciret, audiuit quod mox vt iussa complesset, ex eius ore vel naribus erumperet sanguis. Quod & impletum est, dum corpus domni Guntberti iuxta pignus beatæ Bertæ reconditur. Huius domnæ Bertæ corpus post centum circiter annos inuentum est integrum, & plagæ ipsius ita tunc recenti afflauere sanguine, ac si eadem hora viuenti fuissent ingestæ. Ad horum denique sanctorum honorem & meritum demonstrandum, multa postmodum Dominus dignatus est operari miracula, quæ causa negligentiæ non habentur asscripta. De quibuslibet autem tribulationibus ipsorum congregatio Domini misericordiam, per eorum intercessionem expetijt, misericorditer impensam sibi consolationem percipere meruit. Quædam præterea mulier ab altera huius monasterij linteum nuper furata secum ferre voluit, sed egredi Ecclesiam nullo modo potuit, donec suum confessa reatum, sublatum restituit altari velum. Hoc monasterium vel Abbatiam domnus Fulco Præsul ab Odone rege concedi Ecclesiæ Remensi per paginam præceptionis ipsius regis obtinuit, & pro confirmando eo huic Ecclesiæ, à Formoso Papa priuilegium Apostolicæ sedis impetrauit.

al. r. deffecisse.

De duabus Ecclesiis sancti Hilarij Remis.

Cap. XLVIII.

SVNT hic Remis Ecclesiæ duæ in honore sancti Hilarij: vna infra ciuitatem, in qua nuper quædam puella contracta & paralytica diuina est erecta virtute: altera, quæ est antiquior Ecclesia, ante portam Martis sita, quam sanctus Rigobertus Pontifex antecessoribus nostris clericis ad sepulturam ipsorum dedit. Quæ dudum, scilicet ante discessionem vel expulsionem domni Artaldi Episcopi, crebris illustrabatur miraculis. Vnde & nunc ab eo, ciuibus quoque suffragia ferentibus, tectis ac nouis est reparata laquearibus. Nam quidam cæcus, nomine Paulus, admonitus in somnis, vt ad eamdem pergeret Ecclesiam, lumen ibi recepturus, aduenit, & recuperato lumine, nec mora, videns abcessit. Quidam ex Episcopi famulis cum ad ipsam pergeret Ecclesiam, piscatorem cum piscibus ante fores Ecclesiæ obuium habuit: quos apprehendens velut empturus abstulit. At pauper ille piscator, vt inde sibi cum sancto Helario conueniret, deuotionum clamores lugubri mente in eum ingessit. At ille despiciens huiuscemodi voces, Ecclesiam, quasi missam auditurus, intrauit. Vbi dum staret, subito corruit, grauiterq; vexatus eijcitur. De qua vexatione non paruo tempore laborauit. In huius Ecclesiæ cœmiterio quidam Scotigena Dei seruus olim sepultus. Sed cum iam à nostris & nomen, & memoria ipsius sepulturæ videretur abolita, apertis sese cœpit manifestare visibus. Nam dum quidam ciuium non de inferioribus, sed pauperibus, olim nostris diebus obisset, amici eius ad Hildegarium huius Ecclesiæ presbyterum accedentes, petunt ab eo, vt locum sibi sepulturæ impertiret, vbi sarcophagum reperirent, in quo corpus ipsius recondere possent, quia de reb. ipsius vnde emerent non habebant. Qui dum eis petita concessisset, sepulturam serui Dei aperuerunt: sed ipsum eius sarcophagum aperire nequiuerunt. Quo audito, presbyter accessit, &

coopet-

A ne forte per extraneas personas Episcopatus diuideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem, admodum paruulum, qui nec adhuc quinquennij tempus explesset. Qua re patrata ad regem properant, eius auctoritatis impetrandæ gratia.
Rodulf. rex Burgundiæ. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, præfatorum Episcoporum consilio Remensem Episcopatum committit Heriberto, æquitatis censura disponendum atque regendum ab ipso. Quietism legatos Ecclesiæ cum Abbone præsule Romam mittere satagit, huius electionis decretum secum ferentes, & assensum Papæ super ea petentes. Iohannes itaque Papa, interueniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, Episcopium Remense Abboni Episcopo delegat, quæ sunt Episcopalis ministerij ab ipso in eodem Episcopio tractanda ac finienda decernens. Heribertus itaque Comes potestate potitus Remensis Episcopij, iniuste priuauit tam me, qui non interfueram præmissæ electioni suæ, quam nonnullos alios, & clericos, & laicos beneficiis possessionum Ecclesiasticarum, quibus à præcedentibus Episcopis
B munerati videbamur obsecundationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus sibi placuit, impertiuit. Nec longum postea, tumultu infra claustrum canonicorum inter clericos exorto, superuenientibus quibusdam militibus cum armis, duo interempti sunt ibidem clerici, quorum alter diaconus, alter habebatur subdiaconus.

De infestatione Hungarorum, & discordia inter Rodulfum Regem, & Heribertum Comitem.

Cap. XXI.

926. HVNGARIS Rhenum transgressis, & vsque in pagum Vonzinsem depopulationibus incendusque bacchantibus, corpus sancti Remigij, aliorumque quorumdam sanctorum pignera Remis hoc metu à suis sunt
927. locis delata. Sequenti denique anno simultas inter Rodulfum regem, & Heribertum Comitem exoritur pro
C Laudunensi Comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo dari petebat, concedente illum rege Rotgario Rotgarij
Rotgar. Comes Laudu. Comitis filio. Acies igneæ Remis in cœlo visæ quadam Dominica die in Martio mense. Cui signo pestis è vestigio successit, quasi febris & tussis: quæ prosequente quoque mortalitate, per cunctas Germaniæ Galliæque gentes deseuiit. Heribertus Comes legatos suos trans Rhenum dirigit ad Henricum, per quos ad ipsius euocatus colloquium, properat cum Hugone Rotberti filio, pactoque
Syn. Trosleiensis. an. 927. inter se fœdere, muneribus Henricum honorant, & honorantur ab ipso. Synodus sex Episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium, Heriberti Comitis iussione conuocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata
Carol. Simplex. est. Post quam synodum Heribertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, eiecit, & ad sanctum Quintinum deduxit, indeque cum eodem Karolo Nordmannorum colloquium expetiit: vbi se Willelmus, filius Rollonis principis Nordmannorum, Karolo commendauit, &
928. D amicitiam cum Heriberto confirmauit. Deinde Remis veniens cum Karolo Heribertus Comes, litteras Romam Iohanni Papæ dirigit, significans ei de restitutione & honore Karoli, vt ille sibi, etiam sub excommunicationis interminatione, mandauerat se pro viribus decertare. Reuersus autem missus, qui easdem pertulerat litteras, nunciat Iohannem Papam retrusum in custodia detineri à Widone regis Hugonis fratre. Heribertus Comes Lauduno potitus, exinde ad placitum Nordmannis obuiam proficiscitur, amicitiamque cum eis componit, filius tamen ipsius Odo, quem Rollo habebat obsidem, non illi redditur, donec se committit Karolo pater, cum aliis quibusdam Franciæ Comitibus & Episcopis.

):(

E *De introductione Odalrici Aquensis Episcopi Remis, & redactione sub custodia Karoli Regis.*

Cap. XXII.

PER idem ferè tempus Odalricus Aquensis Episcopus, qui ob persecutionem Sarracenorum à sede sua recesserat, in Ecclesia Remensi recipitur ab Heriberto Comite, ad celebrandum Episcopale dumtaxat ministerium, vice Hugonis, ipsius Comitis filij, tunc adhuc paruuli, concessa eidem Præsuli abbatia sancti Timothei, cum vnius tantum præbenda clerici. Hugo & Heribertus Comites ad colloquium proficiscuntur Henrici. Vnde reuersi pergunt obuiam Rodulfo regi, rursusque Heribertus committit se illi, redacto iterum sub custodia Karolo. At Rodulfus Rex Remis veniens, vbi Karolus custodiebatur, pacem fecit cum illo, humilians se ante ipsius præsentiam, & reddens illi Attiniacum fiscum, muneribus quoque quibusdam regiis eumdem honorat. Heribertus Co- F
mes Victoriacum castellum Bosonis fratris Rodulfi regis Vitry. 929.
cepit. Deinde cum Hugone Monasteriolum munitionem Mõstreuil
Erluini Comitis iuxta mare sitam obsidet, obsidibusque tandem acceptis, ab obsidione discedit.

De simultate inter Hugonem & Heribertum Comites, ac Rodulfum regem exorta.

Cap. XXIII.

NEc longum, simultas inter eosdem Comites, Hugonem scilicet ac Heribertum, exoritur, recepto Erluino ab Hugone cum terra sua, & Hilduino, nec non & Arnaldo, qui erant Hugonis, ab Heriberto: indeque diuersi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. Cuius rei gratia Rodulfus rex de 930.
Burgundia veniens, pacem inter eos atque Bosonem, multo labore per diuersa placita componit, & Heribertus Bo- G
soni Victoriacum reddit. Paucis autem diebus pace seruata, Heribertus Ansellum Bosonis subditum, qui prædictum custodiebat castrum, cum ipso castello recipit, & Codiciacum sancti Remigij municipium illi cum alia terra concedit. Nec longum, Bosonis fideles oppidanorum proditione Victoriacum recipiunt, & Mosomum fraude peruadunt. At Heribertus à quibusdam Mosomensibus euocatus, superuenit insperatus, transmissaque Mosa vadis inopinatis, & intrans opidum, porta latenter à ciuibus aperta, milites Bosonis, qui ad custodiam loci residebant, ibidem omnes capit. Eodem tempore ante Natalem Domini, Remis infra & circa Ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum ab Aquilonari & Orientali parte paulo ante initium diei apparens, ad Australem partem pertransisse visum est. Anno post hunc Heribertus Comes à rege Rodul- 931.
fo desciscit, & milites ipsius ab vrbe Remensi profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam situm, nomine Brainam, quod idem Hugo tulerat ab Episcopo Roto- Braine sur Vesle.
magensi, capiunt ac diruunt. H

De ordinatione domni Artoldi Episcopi.

Cap. XXIV.

RODVLFVS rex litteras Remis mittit ad clerum & populum, pro electione Præsulis celebranda: ad quas illi respondent, id agere se non posse, saluo suo electo, & electione, quam fecerant, permanente. Interea Heribertus Comes ad Henricum profectus, ei sese committit, & 932.
exercitus regis atque Hugonis Remensem & Laudunensem deprædantur pagum: obsessaque ciuitate Remorum, tertia tandem rex potitur obsidionis hebdomada, aperientibus sibi militibus Ecclesiæ. Coniunctis igitur sibi nonnullis Episcopis ex Francia vel Burgundia, facit ordinari hac in sede præsulem Artoldum quemdam ex cœnobio sancti Remigij monachum. Exinde rex pergens Laudunum, obsidet ibi Heribertum, qui aliquamdiu resi-

D ſtens. peni demum egrediendi locum. Quo accepto, recedit à Lauduno, dimiſſa vxore ſua in arce, quam construxerat ipſe infra idem castrum, & ad quam poſtea capiendam maioris laboris & moræ opus regi fuit. Artoldus Epi-
933. ſcopus poſt annum ordinationis ſuæ pallium ſuſcipit miſ-
Joan. xj. ſum ſibi per legatos Eccleſiæ Remenſis à Iohanne Papa filio Mariæ, quæ & Marocia dicebatur, vel ab Alberico patricio fratre ipſius Papæ, qui eundem Iohannem fratrem ſuum in ſua detinebat poteſtate, & prædictam matrem ipſorum in cuſtodia clauſam tenebat: Hugonem quoque regem Roma depulerat. Rodulfo rege præſidium Heriberti, quod dicitur caſtellum Theodorici, obſidente, cō-
Syn. apud Caſt. Theoderici. gregatis ad hanc obſidionem nonnullis Franciæ vel Burgundiæ Præſulibus, ibidem celebrari viſa eſt ſynodus, præſidente eidem Teutilone Turonenſi Antiſtite, Artoldo Remenſi: quique tunc Hildegarium Beluacenſi vrbi ordinauit Epiſcopum. Eodem quoque anno Folbertum Camaracenſis vrbis præſulem conſecrauit.

Cap. XXV.

B

De ſignis Remis viſis, & morbis inde ſecutis.

934. SEquenti anno igneæ Remis in cœlo diſcurrere viſæ ſunt acies, & iacula quædam. Sed & ſerpens igneus per cœlum celeri deferri meatu, moxque ſubſecuta peſtis diuerſis affecit humana corpora morbis. Anno poſt iſtum
Syn. apud S. Macram an 935. ſecuto ſynodus ſeptem Epiſcoporum apud ſanctam Macram, Artoldo Epiſcopo vocante conuenit: in qua prædones & Eccleſiaſticarum rerum peruaſores ad ſatisfactionem venire vocantur.

Cap. XXVI.

De receptione Ludouuici poſt mortem Rodulfi regis.

ANno denique ſubſequente, defuncto rege Rodul-
936. fo, Hugo Comes trans mare mittit pro accerſien-
C *Lud. Caroli Simpl. filius.* do Ludovvico Karoli filio quem rex Alſtannos auunculus ipſius nutriebat, quique accepto iureiurando à Francorum Legatis, eum in Franciam dirigit. Cui Hugo, cæterique Francorum proceres ad eum ſuſcipiendum profecti mox nauem egreſſo in ipſis littoreis arenis apud Boloniam ſeſe committunt; vt erat vtrimque depactum. Inde Laudunum deductus, ab ipſis regali benedictione ditatur, vngitur, atque coronatur ab Artoldo Archiepiſcopo præſentibus regni principibus, & Epiſcopis amplius viginti. Epiſcopatus etiam Laudunenſis datur Rodulfo eiuſdem loci presbytero concorditer à ciuibus ſuis electo, quem præfatus quoque ordinauit Archiepiſcopus. Sed & per alias Remenſis diœceſeos ſedes, excepta Catalaunenſi & Ambianenſi, diuerſos ordinauit Epiſcopos. Heriberto denuo cum Hugone pacato, homines eiuſdem
936. Heriberti Comitis quoddam caſtrum Remenſis Eccleſiæ
D quod vocabatur Cauſoſtis, ſuper Maternā fluuium ab Artoldo Præſule conſtructum, prodente quodam Wiperto capiunt, & Ragenbertum Artoldi præſulis conſobrinum, qui eidem præerat munitioni, comprehendunt, circumpoſitaſque villas Eccleſiæ crebris deprædantur infeſtationibus. Interea rex Ludovvicus, accerſitus ab Artoldo Epiſcopo, Laudunum venit, & arcem nouam inibi nuper ab Heriberto editam vallat obſidione, multiſque tentato machinis muro, tandemque ſuffoſſione diruto, magno capit irruptum labore. Corbanacum quoque ca-
Corbeny ſtrum, quod pater eius ſancto Remigio tradiderat, quodque ſibi monachi ipſius monaſterij commiſerant, ab Heriberti ſubiectis bellando recepit: & homines Heriberti, qui erant in eo, comprehenſos rogante Artoldo præſule, ſalnos ad ſua abire permiſit.

Cap. XXVII.

De excommunicatione Heriberti Comitis.

939. ARtoldus denique Epiſcopus cum quibuſdam aliis Epiſcopis collocutus, Heribertum, qui oppida quædam villaſque Remenſis Eccleſiæ peruaſerat ac detinebat, in præſentia quoque regis excommunicat. Poſt hæc itea
E 940. *Comitatus Rem. & ius monetæ dantur Rem. Eccleſiæ.* Ludovvicus dedit Artoldo Epiſcopo, ac per eum Eccleſiæ Remenſi, per præceptionis regiæ paginam, Remenſis vrbis monetam, iure perpetuo poſſidendam. Sed & omnem Comitatum Remenſem eidem contulit Eccleſiæ. Artoldus Epiſcopus Cauſoſtem munitionem obſidet: quam quinto tandem die Ludovvico rege illuc veniente, hij qui erant intus reddentes, deſerunt. Nec longum, ſubuerſa fúditus ab his qui recepere diſſipatur. Miſſi Hugonis ad regē veniunt, & de pace cum eis rex inter Artoldum præſulem & Heribertum laborare ſtudet. Deinde ad caſtrum quoddam, quod Heriueus nepos Heriuei quondam Archiepiſcopi ſuper fluuium Maternam tenebat, vnde & villas Epiſcopij Remenſis circumquaque poſitas deprædabatur, proficiſcitur cum Artoldo Epiſcopo. Nec mora, obſidibus acceptis ab ipſo Heriueo reuertitur Remis, pergensq; in craſtinum ad ſanctum Remigium, ſeſe ipſius ſancti cōmittit intercesſionibus, promittens vadibus libram argenti ſe daturum annis ſingulis. Monachis quoque eiuſ-
F dem loci præceptum de eodē caſtello dedit immunitatis.

Cap. XXVIII.

De expulſione domni Artoldi ab vrbe Remenſi.

HVgo princeps filius Roberti, iunctis ſibi quibuſdā Epiſcopis, tam Franciæ, quā Burgundiæ cū Heriberto
Hugo dictus magnus. Comite, & Willelmo Nordmannorum principe Remenſem obſidet vrbem, ſextaque obſidionis die, deſerente omni pene militari manu Artoldum Epiſcopum, & ad Heribertum tranſeunte, idem Comes Heribertus vrbem ingreditur. Artoldus præſul ad ſanctū Remigiū, euocatione procerū Epiſcoporū profect*, perſuaſus eſt, vel coacterit* à principibus Epiſcopij ſe procuratione vel poteſtate abdicare, conceſſaque ſibi abbatia ſancti Baſoli, & Auennaco monaſterio, ad ſanctum Baſolum commoraturus abceſ-
G *mſ. ſex.* ſit, poſt annos octo & menſes * ſeptem in Epiſcopatu exactos. Hugo & Heribertus locuti cum quibuſdam Lotharienſibus, ad obſidionem Lauduni cum Willelmo proficiſcuntur, relicto Remis Hugone diacono Heriberti filio, iampridem ad Epiſcopatum ipſius vrbis euocato, quique tertio poſtquam regreſſus eſt menſe, presbyter à Widone Sueſſonico præſule ordinatus eſt, eapl. ita poſtquam fuerat elect* annis quindecim, quos Antiſſiodori commorans egerat, litterarum ſtudiis occupatus, apud Widonem ipſius vrbis Antiſtitem, à quo & diaconus ordinatus fuerat. Nam cæteros inferiores gradus ab Abbone Sueſſonico præſule Remis acceperat. Ludovvico rege poſt hæc à Burgundia regreſſo, Artoldus Epiſcopus deſerens cœnobiū ſancti Baſoli, ad eundem regem proficiſcitur cum quibuſdam propinquis ſuis, à quibuſdam Eccleſiæ beneficia, quæ tenebant, Heribertus Comes abſtulerat. Mihi quoque Ec-
Cormicy. cleſiam Colmiſiaci vici abſtulit cum terra beneficij, quam tunc temporis tenebam. Ego denique diſponens, orationis gratia, ſepulchrum viſere ſancti Martini, retentus ſum
H ab ipſo, clam me quibuſdam perſonis inſimulantibus apud eum, quod ſui cauſa nocumenti, vel filij ſui vellem proficiſci: & quia renotabam me huic electo noſtro committere, neſciens vtrum Deo placeret eum præſulem noſtrum fore. Sicque plenis quinque menſibus apud fratres noſtros, ipſo Comite iubente, ſub cuſtodia partim libera ſum detentus. Contigit autem mihi, Domina mea beata
25. Martii. Dei genitrice intercedente, vt ipſa die conceptionis & paſ-
27. Martii. ſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti abſoluerer à cuſtodia, & die tertia ſcilicet vi. Kal. Aprilis, qua Dominus à mortuis reſurrexit, egreſſus ipſe cum præfato electo noſtro ad vr-
Syn. Sueſſ. an. 941. bem Sueſſonicam profectus ſum. Vbi conuenientes Epiſcopi huius diœceſeos cum principibus Hugone ac Heriberto, tractarunt quid eis eſſet agendum ſuper Epiſcopali huius Hugonis ordinatione: ſicque decreuerunt, pœnitentibus quibuſdam filiis Eccleſiæ Remenſis, tam clericis, quam laicis, eum ordinandum, aſſerentibus fautoribus ipſius, quod Artoldus nequaquam electus, ſed per violentiam fuerit intromiſſus, ſeſeq; Epiſcopali ab-

A e.i. manum dicaverit ditione. Ibi ergo Hugo princeps tunc me per* manum accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad benefaciendum committit: quippe mihi Ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Colrido sitam, terram quoque quam pater suus mihi abstulerat, reddidit, & aliam in prædicta villa supra adiecit.

C A P. XXIX.

De malis quæ deinceps consecuta sunt.

NEc mora civitatem Remensem à præfatu conventu adeuntes Episcopi, præfatum electum nostrum in Ecclesia sancti Remigij dignitate sublimant Archiepiscopali. Sub hisdem fere diebus monasterium sancti

Lib. 2. c. vlt. Theoderici nonnullis illustratur miraculis, de quibus iam quædam supra retulimus, vbi commemorationem eiusdem beati viri fecimus. Ab Ecclesia vero S. Mariæ Remis crux maior, quam domnus Heriveus Archiepiscopus

B auro cooperuerat, & gemmis ornauerat, à furibus noctu tenebrarum scilicet amatoribus, aufertur. Quæ diu quæsita, tandem post annum, pars auri gemmatumque ipsius, multatis reperitur latronibus. Ex quo postmodum auro hic Præsul, adiecta quadam sui quoque muneris quantitate, calicem sub honore Dei genitricis fabricari fecit. Hugone ac Heriberto Laudunum pariter obsidentibus, rex Ludouicus, sumptis secum quos vndecumque colligere potuit in pagum Porcensem venit. Quo audito Hugo, & Heribertus, scilicet quod rex eis appropinquaret, obsidione relicta, properant contra, & insperatum regis invadentes exercitum, nonnullos sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus à suis, & eximere se bello coactus, vix euasit, Artoldo Episcopo & Rotgario Comite comitantibus secum. Artoldus Episcopus perditis rebus, quas ibi habuerat, ad Hugonem & Heribertum accessit adductus ab amicis, redditisque sibi abbatiis sancti Basoli & Auennaco cum villa Vindenissa, & pacta

C Vendeure. pace cum Hugone præsule, ad sanctum Basolum, illic habitaturus devenit. Sequenti anno proditores quidam Re-

942. mis reperti, & interfecti sunt: quidam rebus Ecclesiæ priuati ab vrbe depelluntur. Legati Remensis Ecclesiæ Roma regressi pallium deferunt Hugoni Archiepiscopo, ab

Steph. 8. Stephano Papa transmissu. Cum quibus pariter & legatio venit principibus regni, vt Ludovvicum regem recipiant, & sic Legatos suos Romam dirigant.

C A P. XXX.

De occupatione Altimontis castri, vel Mosomi, & morte Heriberti.

943. ANno quoque post istum Artoldus Episcopus, relicto cœnobio sancti Basoli, ad regem profectus est. At illi promittit ei se redditurum Remensem Episcopatum. Qui assumptis secum fratribus suis, & aliis quibusdam, qui abiecti fuerant ab Episcopatu Remensi, Altimontem castrum occupat. Cum quibus rex Ludovicus etiam

D Mosomum aggressus, repellitur à fidelibus Hugonis Episcopi, quibusdam suorum interemptis: suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit. Interea defuncto Heriberto Comite, de recipiendis filiis ipsius à rege, crebra inter ipsum regem & Hugonem principem versabatur intentio. Quorum rex primum tunc Hugonem Archiepiscopum, mediatoribus Othone duce Lothariensium, & Adalberone Præsule, Hugone quoque Duce præcipue insistente, recipit eo tenore, vt abbatiæ, quas dimiserat Artoldus ad regem profectus, Artoldo Episcopo restituerentur: aliud etiam Episcopium ipsi provideretur: fratribus quoque & propinquis eius honores, quos ex Episcopatu remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à rege. Hugo

Ambly. deniq; Præsul ambliteum castrum cepit atque combussit, quod Robertus & Rodolfus fratres, qui fuerant Remis expulsi, detinebant: vnde deprædationes per Episcopium Remense faciebant. Item præfatus Archiepiscopus Altimontem munitionem obsidet, quá tenebat Dodo frater Artoldi Episcopi: tandemq; accepto paruulo ipsius filio E obside, descendit, rege quoque mandante. Anno sequen- 944. te regij milites Episcopatum Remensem deprædantur, & filij Heriberti abbatiam sancti Crispini: Ragenoldus quoque abbatiam sancti Medardi: sicque alterutris debacchantur rapinis atque deprædationibus.

C A P. XXXI.

De obsidione vrbis Remensis ab exercitu Ludouici regis.

ANno post hunc, qui est huius Præsulis quintus in Episcopatu, Rex Ludouicus, collecto secum Nord- 945. mannorum exercitu, Veromandensem pagum deprædatur. Assumptoque cum ipsis Erluino cum parte militum Arnulfi, sed & Artoldo Episcopo cum his qui dudum Remis eiecti fuerant, comite quoque Bernardo, ac Theoderico nepote ipsius Remorum vallat vrbem, vastantur circumquaque segetes, villæque diripiuntur, & partim cauruntur, nec non Ecclesiæ plures effringuntur. Quotiens pugnatum ad portas, vel circa murum, vulnerati ex vtraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique Dux præliatus cum Nordmánis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica cæde fudit, & à terminis suis eiecit. Post hæc Remos ad regem mittit, dans obsides, vt Ragenoldus e parte regis ad colloquium sibi occurrat. Quo abeunte, tractat cum eo, vt rex obsides ab Hugone Archiepiscopo accipiat, & ab obsidione Remensi discedat: quatenus idem Præsul, denominato placito ad reddendam rationem de omnibus, quæ rex ab eo quæsierit, accedat. Quibus hoc sibi ter no edatis, rex ab obsidione recedit post quintam decimam, qua ciuitas obsessa fuerat, diem. Nec multo post idem rex à Nordmannis comprehensus est, & Rodomi detentus. Hugo Præsul Altimontem castrum obsidens, post septem ferme obsidionis hebdomadas recipit, reddente illud sibi Dodone domni Artoldi fratre, tali sub conditione, vt filium ipsius, & filium fratris sui suscipiens idem Præsul, concederet eis terram patrum suorum.

Arnulfus Comes Fland. filius Bald. Bernard. F Comes Silvanect.

G

C A P. XXXII.

De restitutione regulæ in monasterio sancti Remigii, & constitutione Abbatis Hincmari.

ADuocans denique hic Pontifex Ercamboldum monasterij sancti Benedicti abbatem, regulam monasticam in monasterio sancti Remigij restituere decernit, constituens ibi abbatem Hincmarum eiusdem loci monachum. Regina Gerberga nuper ad Othonem regê fratrem suum legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo contra Hugonem principem, cui Laudunum reddide- 946. rat, vt reciperet Ludouicum regem, quem Hugo, sub custodia receptum à Nordmannis, retinuerat. Qui Otho maximum colligens ex omnibus regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens Cisalpinæ Galliæ regem. Quibus rex Ludovvicus obuiam profectus, satis amicabiliter & honorifice suscipitur ab eis. Sic- H que pariter Laudunum venientes, consideratoque castri firmitate, deuertuntur ab eo, Remensem aggredientes vrbem quam cingentes obsidione, ingenti vallarunt exercitu.

C A P. XXXIII.

De repulsione Hugonis Episcopi.

VIdens autem Hugo Præsul obsidionem se tolerare non posse, neque tantæ resistere multitudini, locutus est cum quibusdam principibus, qui videbantur esse sibi amici videlicet cum Arnulfo, qui eius sororem, & *Widone q amitã ipsius habebat vxorẽ, sed & cũ *Hermanno Widonis fratre quæsiuit ab eis, quid sib foret agendum, Qui tale consiliũ dederunt ei, vt egrederetur cum suis, & relinqueret vrbẽ, quia id dispositum à regib. erat vt omni-

Arnu'f. Comes Fland. *. Vdone, & infra vidonis. *. Hermãno.

modis

A modis expellererut, neque interuenire possent apud reges pro ipso, quin ei eruerentur oculi, si vrbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto, ac suis intimato, post tertiam obsidionis diem cum pene cunctis qui secum tunc aderant militibus, egressus est. Sicque reges cum Episcopis & principibus ingredientes vrbem, domnum Artoldum præsulem, qui dudum fuerat eiectus, iterum inthronizari fecerunt. Quem Rotbertus Treuerensis Archiepiscopus, & Fredericus Magontiacensis accipientes vtraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Gerbergam reginam Remis, ipsi reges cum exercitibus suis terram Hugonis ingrediuntur, & grauibus atterũt deprædationibus. Terram quoque Nordmannorum peragrantes, loca quæque deuastant, & inde remeantes ad sua quique regrediuntur.

947. Anno sequenti rex Ludouicus Mosomum castrum, quod Hugo Remis eiectus retinebat, obsedit: sed nihil pro votis efficiens, recedentibus tandem post mẽsem Lothariensibus qui secum erant, ipse Remos reuertitur. Quo ad Othonem regem ad celebrandum Pascha profecto,

B Hugo princeps à quibusdam præsumptuose persuasus, Remensem cum Hugone Præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem: frustratoque negotio, resistentibus regis & Artaldi Episcopi militibus, octauo postquã aduenerant die, illusi recedunt. Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam Ecclesiæ Suessonicæ Archidiaconus ordinatur ab Hugone Ambianensis Episcopus. Conuentu placiti regum Ludovvici & Othonis super

Chere. Charam fluuium congregato, res litis inter Artaldum & Hugonem Remensis Ecclesiæ præsules, ab Episcopis auditur: & quia synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa mediũ mensis Nouembris habenda denunciatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugo Mosomi remorari permittitur. Heriueus nepos Heriuei Archiepiscopi habens munitionem quam ædificauerat citra Matronã fluuium, villas Remensis Episcopij circumquaque sitas deprædabatur, excommunicatus ab Artaldo præsule, pro

C rebus quas inuaserat Ecclesiæ. Contra cuius prædones egressi quadam die Ragenuldus Comes, & fratres Artaldi præsulis cum quibusdam militibus Ecclesiæ, ipsos grassatores in fugam vertunt. Quo audito, Heriueus, armatis quos secum habebat militibus, egressus à sua munitione, contra nostros ad pugnam venit, & congressus cum eis interemptus est cum suorum quibusdam, reliqui omnes in fugam sunt acti, vulneratis vtrimque nonnullis. Corpus eiusdem Remos à victoribus perlatum est. Hugo Præsul

Theobald de monte acuto. assumens secum Theobaldum de Monte acuto, sororis suæ maritum, cum aliis quibusdam grassatoribus, in villas Remis contiguas vindemiæ tempore venit. Qui omne pene vinum abinde colligentes, in diuersos pagus abducunt.

De Synodo Virduni habita.

Cap. XXXIV.

D

an. 947. Synodus postea Virduni habetur, præsidente Rotberto Treuirensi præsule, cum Artoldo Remensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Gozlino Tullensi,

ms. Hildebaldo. * Hildeboldo Traosibeneosi, Israhele Britone, præsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre, Agenoldo etiam, & Odilone abbatibus, cum aliis nonnullis. Ad quã Hugo euocatus, missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis, venire noluit. Vniuersa vero synodus Artoldo Remense regendum decernit Episcopium. Indicitur itaque synodus, quæ & conuenit in Ecclesiam sancti Petri in prospectu Mosomi, ex diœcesi Treuirensi atque Remensi. Veniens autem illuc Hugo Præsul, & locutus cum Rotberto Archiepiscopo, synodum noluit ingredi. Litteras vero quasdam ex nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopiũ. Quibus lectis responderunt Episcopi, non esse dignum vel congruum, vt Apostolicæ legationis mandatum, quod du-

Alia Syn. iuxta Mosomum Idib. Ianuarij. 948. Agapit. ij.

dum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Magontiacensi Præsule, coram regibus & Episcopis susceperat, intermitterent propter has litteras, quas insidiator & æmulus Artaldi Præsulis exhibebat: immo quod regulariter cœperant canonice pertractaretur. Sicque præcipitur recitari capitulum XIX. Carthaginensis Concilij de accusato & accusatore. Quo recitato, diiudicatum est iuxta diffinitionem huius capituli, vt Artoldo communionem & parochiam Remensem retinente, Hugo qui ad duas iam synodos euocatus venire contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopij abstineret, donec ad vniuersalem synodum sese purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam diffinitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto Pontifici remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Interea litteræ proclamationis Artoldi præsulis ad Romanam diriguntur sedem. Domnus igitur Agapitus Papa vicarium suum Marinum Episcopum misit ad Othonem regem, propter euocandam & aggregandam generalem synodum: Litteræ quoque ipsius Papæ mittuntur ab vrbe quibusdam speciatim Episcopis, vocantes eos ad eamdem synodum. Congregata denique synodo in palatio Engulenheim, recitata sunt hæc quæ sequuntur coram regibus & Episcopis,

E F 948 7. Iunij.

De synodo apud Engulenheim congregata, & excommunicatione Hugonis Episcopi. Series litis inter Artaldum & Hugonem Episcopos agitata.

Cap. XXXV.

Sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis vicario domno Marino, vniuersæque sanctæ Synodo apud Engulenheim congregatæ, Artoldus, diuina propitiante clementia, Remorum Episcopus. Domnus Agapitus Papa litteras nobis & cæteris coepiscopis nostræ diœceseos direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc vestræ sanctitatis Conciliũ conuenire studeremus, ita instructi de omnibus, vt res veritas miseriarum nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium cœperit litis huius, quæ ad huc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriueo Archiepiscopo, Seulfum, qui Archidiaconatus vrbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum eiusdem sedis elegimus. Qui Pontifex ordinatus, assumens zelum contra proximos prædecessoris sui, cum eos per semet à loco depellere non valeret, consilio inito cum quibusdam laicis scilicet consiliariis suis, amicitiam quæsiuit Heriberti Comitis, quam dato iureiurando per eosdem consiliarios obtinuit eo tenore, vt post obitum ipsius ad electionem Pontificis milites Ecclesiæ nullatenus aspirarent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero Comes fratrem Heriuei præsulis, & nepotes ipsius à participatione rerum Remensis Episcopij separaret. Quibus patratis, insimulati sunt ijdem propinqui Heriuei præsulis à consiliariis Seulfi Episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto Comite cum pluribus suis iubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos à quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus, quas ex Episcopio possidebant, comprehensi sunt atque deducti per Heribertum Comitem ad Rotbertum regem, à quo etiam sub custodia sunt detenti vsque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui Episcopatus anno Seulfus Episcopus (vt plures asserunt) ab Heriberti familiaribus veneno potatus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus vrbem Remensem adijt, & Ecclesiæ milites, clericorum quoq; quosdam de rectoris electione ad suum consilium (cui iuratum fuerat) intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, vt sibi committeretur idem Episcopium, eo tenore, vt tam clericis, quam laicis debitum honorem concederet & conseruaret, nec iniustitiam alicui faceret: sed ipsum Episcopium æquo iure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad Episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui Comes ad eamdem vrbem regressus, res Episcopij (prout sibi placuit) fautoribus suis diuisit, cæteris abstulit, & absque vllo iudicio vel lege, quos voluit rebus expolians, vel ab vrbe propulit. Odalricum denique Aquensem Episcopum in eadem vrbe suscipiens, Episcopale inibi ministerium celebrare præ-

G Vide supra cap. 18. H

A cepit. Sicque per annos sex, & eo amplius idem Episcopium suo dominio vendicans, pro libitu proprio illud tractans, & in sede Præsulis residens tam ipse, quam coniux sua, donec septimo tandem anno ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem Comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam Episcopis, quam Comitibus Remorum obsidet vrbem, succensentibus sibi Episcopis, & conquerentibus aduersus eum, quod tam diuturno tempore, contra diuinæ legis auctoritates, hanc vrbem permisisset vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex, admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis, quam laicis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur in idipsum fauentibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere, quam honore subeundo. Aperientibus tandem tam militibus, quam ciuibus portas vrbis regi Rodulfo, & Episcopalem benedictionem mihi tradentibus Episcopis qui aderant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero vniuerso, B quam reliquis ciuibus, inibi intronizatus ab Episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme nouem tractans, ordinans per diœcesim Episcopos octo, & in Episcopio multos, prout competens videbatur, clericos, quousque nono postmodum anno, postquam Ludouicum regem, fauente Hugone cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigante Hugo Comes iracundia, quod ei consentire vel coniungi noluerim ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Herberto Comite, & VVillelmo Nordmannorum principe, Remensem obsidet vrbem. Nec longum, sexta scilicet obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab supra c. 27. his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire, a quibus coarctatum & conterritum, cogor memet Episcopali procuratione abdicare, & ita me propellentes, in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Antissiodori diaconus ordinatus fuerat, in vrbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex a Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum, simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus C Comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingrediuntur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam vrbem licite perpetrantur. Interea conuocantur Episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium Episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes vt ad eos venirem, ad consentiendum scilicet huius ordinationis peruersitati. Quibus remandaui, quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, vbi aduersarii & inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum deuenirent, vbi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus aduenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, adueniensque prosternor coram ipsis, obsecrans vt propter amorem & honorem Dei, tam mihi, quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis suadere, vt eis in hac ordinatione consensum præberem, promittentes vero nonnullas Episcopii mihi se D impetraturos. At ego postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseuerantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, vt nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet, nec alicui in Episcopali honore, me viuente, manus imponeret: sed nec ullus eamdem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem Apostolicam eos prouocabam. Illis inde furentibus, vt possem exire de medio eorum, & Laudunum reuerti, temperans responsum dicens vt mitterent mecum, qui eis renunciaret, quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina, & fidelibus eius, quia rex non aderat. Ad hoc illi mittunt Deroldum Episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelib. eius inde me interpellante, iterum exurgens præfata modum excommunicationis in eosdem Episcopos iaculatus sum; vocationemque ad sedem Apostolicam iterare curans, excommunicans ipsum hunc Deroldum, id vt eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, paruipendentes illi nostram excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicarunt, quidam vero

E se subduxisse sciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille scitur angustias pertulisse, secum pertuli: & quando cum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipse eram, & vix mortis euasi periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca inuia quæque, siluasque perlustro, non ausus in certo consistere loco. Comites autem Hugo & Heribertus affatis quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent vt me requirentes, ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petissent daturos. Requirentes ergo me amici, reperiunt per diuersa vagantem, & ita perducor à fratrib. meis & amicis ad præfatos Comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, vt eis pallium à sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abiurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore huius vitæ præsentis attestor. Districtus igitur & coangustiatus ab eis, Episcopii tandem rebus abrenunciare compellor sicque rursum ad S. Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis dieb. in ipso cœnobio, quo adusque comperiens per certos ex familiarib. Heriberti Comitis nuncios, quod ab eo malede F mea tractabatur perditione, iterum iterumque nunciis huiusmodi patefactus & compulsus, locum deserui, & abdita lustra siluarum vagabundus repetiique, horisque silentibus, & itinere deuio Laudunum reuertor, ibique susceptus à Rege, secum manere constituor. Mansi vero ibid. cum ipso vel fidelib. eius, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est in cor domini Regis Othonis mittere, vt ad subuentionem senioris mei Regis, & nostram, properaret in Franciam. Denique, postquam domina nostra Regina Laudunum, propter absolutionem Vide supra c. 32. Domini Regis, reliquerat, egressus inde ad dominum Regem Othonem Supra c. 35. cum seniore meo deueni Rege, simulque Remim accessimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & Episcopi qui aderant, me sedi nostræ restitui consent. Mandatur ergo Hugoni a domino Rege Othone, vt egrediatur, & peruasam deserat vrbem. At ille nutans aliquamdiu & pro posse, vbi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subuenire, decreuit exeundum, quærens vt liberi cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaque sanus exire, G cum omnibus qui secum voluere comitari, & quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente, asportante. Sicque cum Regibus introgressus vrbem, præcipior loco nostro & honori restitui. Susceptus igitur à dominis Archiepiscopis Rotberto Treuirensi, & Frederico Magontiacensi comitantib. cæteris & congratulantibus, tam clericis Ecclesiæ nostræ, quam reliquis ciuibus, ab ipsis restituor cathedra Episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & muniens contra fideles regni seniorisque nostri detinet. Habito denique colloquii placito inter reges, seniorem meum videlicet ac dominum Othonem, super * Charam fluuium, conuenimus ad illud tam ego, m. Karam. quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique res litis huius ab Episcopis auditur: protulitque litteras ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas, excusationis meæ, acsi vocationem petentes administrationis Episcopii nostri: quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum, atque protester. Et quia tunc synodus conuocata non fuerat (id opponentib. fautorib. ipsius Hugonis) altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda Virduni vtriusque partis Episcopis annuentib. denunciatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur. idem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante s. vindemiæ tempore, hic noster H æmulus Hugo, assumens secum Theobaldum regis inimicum, & regni nostri, cum aliis plurib. malefactoribus, in villas Remensis Episcopii contiguas vrbi deuenit, & omne pene vinum ex his colligens in diuersos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Ecclesiæ nostræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis sunt adacti tormentis. Synodus autem circa medium mensis denuntiata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto Præsule Treuirensi, præ- Supra c. 30. cepto domini Papæ Romani, præsente quoque domno Brunone, cum Episcopis & Abbatib. nonnullis. Ad quam præfatus Hugo euocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum Episcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempsit. Vniuersa vero synodus mihi remensem regendum decreuit Episcopium. Indicitur que iterum synodus habenda die Iduum mensis Ianuarii, qua & aggregatur, vt denunciatum fuerat, in Ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi, a domno Rotberto cum nonnullis cæteris quoque Treuerensis diœceseos Episcopis, & aliquib. Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, & locutus cum domno Rotberto synodum noluit ingredi: litteras vero quasi ex nomine domni Papæ direxit ad Episcopos per clericum suum, quas eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopium.

Qui-

A *Quibus recitatis ineuntes Episcopi consilium cum Abbatibus & cæteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Præsule Magontiacensi, coram regibus & Episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & partem iam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator noster exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, vt canonice pertractaretur, vnanimiter censent. præcipiturque recitari capitulum Carthaginensis Concilij nonum decimum De accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est iuxta diffinitionem ipsius capituli, vt communionem & parochiam Remensem me retinente, Hugo* qui ad duas iam synodos euocatus interesse contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopij abstineret, donec ad vniuersalem synodum, quæ indicebatur, sese purgaturus, vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumque capitulum mox in charta Episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem chartam eamdem Rotberto præsuli remisit, hoc* verbis remandans: quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Sicque absoluto Concilio, ipse Mosomum contra mandata regum & Episcoporum retinet, & ego Remos regressus reclamationis meæ querelas ad sedem Romanam per legatos domini regis Othonis destinans, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, eius decretis & vniuersalis huius sancti concilij vestri iudicij parere paratus.* Post quarum litterarum recitationem, & earum propter reges iuxta Thudesticam linguam interpretationem, ingressus quidam Sigebaldus, præmissi Hugonis clericus, attulit litteras quas Roma detulerat, quasque iam in alia synodo Mosomi propalauerat. Asserens eas dem litteras sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas. Qui domnus Marinus proferens litteras quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram synodo recitari, in quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Wido Episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Beluacensis, Rodulfus Laudunensis, cæterique cuncti Remensis diœceseos Episcopi, easdem litteras ad sedem delegauerint Apostolicam, pro restauratione Hugonis in sede Remensi, & expulsione Artoldi. Post quarum lectio-

C nem, exurgentes Artoldus præsul, & prætatus Rodulfus, qui in eisdem litteris nominabatur, Fulbertus quoque Camaracensis Antistes, eas litteras refutarunt, adstruentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstrepens, præcepit domnus Marinus, suggerens vniuersæ synodo, vt sibi consilium & rectum iudicium proferrent super huiusmodi calumniatore, & calumniarum in Episcopos delatore. At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de huiuscemodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter censent eum quo fruebatur honore priuari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio mulctatus, à conspectu synodi reprobatus abscessit. Artoldo vero præsuli, qui omnibus se

D synodis præsentem exhibuerat, non refugiens synodale iudicium, Episcopium Remense iuxta canonum instituta & sanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda consessionis die, post recitatas diuinæ auctoritatis lectiones, & Marini vicarij allocutionem, suggessit domnus Rotbertus Treuirensis Archiepiscopus, vt quoniam iuxta sacræ legis instituta, restitutum atque restauratum fuerat Remense Artoldo præsuli Episcopium, in eiusdem sedis inuasorem synodale perageretur iudicium. Præcepit itaq; Marinus Vicarius, vt canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum instituta canonum, & sanctorum decreta patrum, Sixti, Alexandri, Innocentij, Zozimi, Bonefacij, Cælestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicauerunt, & ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ peruasorem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Cæteris quoq; diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis

ms. quia

ms. Teutonicam. j. Theotiscam.

E coniugiis, & Ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo vendebantur indebite, & auferebantur illicite: prohibitumque est statutum, ne id omnino præsumeretur ab aliquo: sed & de aliis Ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla. Interea rex Ludovvicus deprecatur regem Othonem, vt subsidium sibi ferat contra Hugonem, & cæteros inimicos suos. Qui petita concedens, iubet vt Conradus Dux cum exercitu Lothariensium in eius pergat auxilium. Interim vero dum congregaretur exercitus, rex Ludouicus cum ipso duce manens, & Episcopi, scilicet Artoldus & Rodolfus, qui erant cum rege, ne quid in via pateretur aduersi, degerent cum Lothariensibus Episcopis. Mansimus itaque cum Rotberto Treuerensi, Rodulfus Laudunensis cum Adalberone Metrensi, hebdomadas fere quatuor. Exercitu denique collecto, Lotharienses Episcopi Mosomum petunt, ipsumque obsidentes castrum atque oppugnantes, milites qui erant ibi cum Hugone ad deditionem compellūt, & acceptis ab eis obsidibus pergunt obuiam Ludouico

F regi & Conrado duci in partes Laudunensis pagi. Obsident igitur ibi Dux & exercitus quamdam munitionem, quam ædificauerat & tenebat Theobaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes, tandem non sine mora capiunt, indeque Laudunum adeunt, & in Ecclesia S. Vincentij congregati Episcopi prædictum Thetbaldum excommunicant: Hugonem vero principem vocant litteris ex parte Marini legati sedis Apostolicæ & sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & Episcopos egerat. Wido denique Suessonicæ vrbis Episcopus ad regem Ludovvicum veniens, eidem sese committit, pacaturque cum Artaldo Archiepiscopo, satisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quoque Dux filiam Ludovvici regis sacro de fonte suscepit. Sicque recepto Mosomo castro, & euerso, Lotharienses reuertuntur in sua.

G

De obsessione vel incensione vrbis Suessonicæ ab Hugone Comite.

CAP. XXXVI.

IGITVR Hugo nullam moram faciens, collecta suorum multa, Nordmannorumque manu, Suessonicam aggreditur vrbem, & obsidens oppugnat, ceditque nonnullos. Iniectis etiam ignibus domum matris Ecclesiæ succendit, simulque claustra canonicorum, & partem ciuitatis: nec tamen ipsam capere valens vrbem reliquit, & ad quandam munitionem, quam Ragenoldus Comes Lodouici super Axonam fluuium, in loco qui dicitur Raociacus, ædificabat, deuenit, ipsamque adhuc imperfectam castris vallauit. Sed nec ipsam cepit: villas tamen Remensis Ecclesiæ castris suis contiguas deuastauit. Plures quoq; colonorum prædones ipsius interemerunt, violantes Ecclesias, & in tantum debacchantes, vt in Culmisciaco vico, tam infra quam circa Ecclesiam fere quadringentos

H homines interfecerint, ipsumque templum rebus penitus exspoliarint. Multis ergo flagitiis tunc perpetratis, Hugo tandem cum suis regreditur grassatoribus. Itaque milites qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicato, ad Artaldum præsulem reuertuntur. Qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recipit, quosdam vero reiicit. Post hæc Treueros proficiscitur ad synodum cum Episcopis Widone Suessonico, Rodulfo Laudunensi, & Wiriefredo Morinensi. Quo peruenientes Marinum sese præstolantem reperiunt cum Rotberto Archiepiscopo: cæterorum vero Lothariensium vel Germanorum præsulum illic inuenere neminem. Considentibus igitur illis, sciscitari cœpit Marinus vicarius, quid egisset post præmissam synodum Hugo princeps erga ipsos, vel regem Ludouicum. At illi referunt supra memorata quæ ipsis, & * Ecclesiis eorum intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipsius Principis Marinus, vtrum perlatæ ei fuissent litteræ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui responderunt ab Artoldo Archiepiscopo, quod quædam

Rоucy.

Syn. Treuirensis.

ms. j. Ecclesiæ Suessorum.

A earum perlatæ sint, quædam vero perferri nequiuerint, earum gerulo ab ipsius grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris, quam quibusdam internunciis. Requiritur itaque si adsit aliquis ex parte ipsius legatus. Vbi cum nullus fuisset inuentus, decernitur expectandum, si forte aduenturus esset in crastinum. Quod cum minimè contigisset, & omnes qui aderant, tam clerici, quam illustres laici, eum excommunicandum esse acclamarent, definitur ab Episcopis hanc excommunicationem adhuc differendam vsque ad diem synodi tertiam. Tractatur autem de Episcopis, qui vocati fuerant & venire distulerant, vel his qui ordinationi Hugonis participes extiterant. Et Wido quidem Episcopus Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino Vicario, & Artoldo Archiepiscopo, confitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Roiberto & Artoldo Archiepiscopis, absolui ab hac noxa meretur. Wicfredus Morinensis immunis ab eadem ordinatione reperitur. Adest Transmari Nouiomensis Episcopi legatus quidam presbyter, astruens eumdem Præsulem ita graui languore detentum, vt ad eamdem synodum venire non valuerit. Id quoque rusticates, qui aderant, attestantur Episcopi.

B Transmarus 42. Nouiom. episc. in tab. Derroch.

De excommunicatione Hugonis Comitis.

Cap. XXXVII.

TERTIA tandem die, insistente præcipue Luitdulfo legato & Capellano regis Othonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludowici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamẽ modo donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis, quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod si facere contempserit, Romam pro sui absolutione proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, * Terbaldus & Iuo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi vrbe, alter post damnationem eiusdem Hugonis, in Siluanectensi ab ipso constituti. Excommunicatur etiam quidam clericus Laudunensis, nomine Adelonus, quem accusauit Rodulfus Episcopus suus, eo quod Terbaldum excommunicatum in Ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Beluacensis Episcopus litteris præfati Marini, vt veniat coram ipso, vel eat Romam rationem redditurus coram domno Papa, pro illicita ordinatione prædictorũ pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus Heriberti Comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra Episcopos agebat. His ita gestis, Episcopi reuertuntur in sua. Luitdulfus autem capellanus Othonis Marinum Vicarium deducit ad regem suum in Saxoniam, vbi consecraturus erat Ecclesiam Vuldensis monasterij. Post cuius consecrationem idem Marinus, exacta hyeme Romam reuertitur. Nascitur regi Ludowico filius, quem Pręsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens.

al. Theobaldus.

C

D

De quibusdam Ecclesiis vel Monasteriis vrbis Remensis.

Cap. XXXVIII.

PLVRES deniq; apud nos quondam sanctorum fuere basilicæ, sed & monasteria infra vel circa Remensem hanc vrbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra vrbem puellarum monasteria: quorum vnum (quod superius à situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Boua, eiusdem cœnobij postmodum abbatissa, in honore sanctæ Mariæ, vel sancti Petri construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellã, quæ despõsata fuisse fertur cuidam magnati eiusdem regis Sigeberti: quamq; præfata ipsius amita Boua instituens ad seruiendũ Deo, seruandamq; perpetuo virginitatem, ab amore terreni auertit sponsi. Qui cum sibi aduersaretur, sponsam innitens eamdem corripere, ascenso equo, dum id conatur

E quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis ceruicibus, traditur interijsse. Beata deniq; Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in eiusdẽ monasterij successit regimine. Quæ præceptum quoq; immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, à principe Pippone eidem postmodũ obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in Ecclesia extra muros vrbis, vbi primũ puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieuerunt, donec postmodum, reuelationib. quibusdam eleuata, & ad hanc nouam sunt Ecclesiam perlata, ibidemq; venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reuerentia puellarum.

De sancto Balderico Abbate.

Cap. XXXIX.

SAnctus autem Baldericus post huius monasterij constructionem, locum quærens, vbi suam quoq; cõstitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conuersari, Deoq; deuote ac quiete seruire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montẽ falconis locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiabatur siluis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem auem, quam nuncupamus falconem, prauiam & quasi præducem itineris, dũ locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidẽ insederit, ac per triduum illo rediens in loco, vbi nunc habetur altare in honore sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Vnde & cœnobium ab hoc euentu sic vocitatũ plurimi asserunt. Vbi cum Deo deuotus seruire cœpisset, nõnulli Deum timentes res suas eidem contulere: sicq; collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione: atque idem sub honore beati Germani ædificauit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam reuersus Remis, vltimum sui cursus ibidem clausit diem, vbi & sepultus tempore non modico requieuit.

S. Bauldry.

F

Mõs. faucon.

G

De miraculis post obitum ipsius ostensis.

Cap. XL.

PRocessu deniq; temporis diligẽtis clericorum prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, eius est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis ablatum. Quos dum insequerentur quidam ciues Remenses, eo vsq; sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumq; turbarentur horum aduentu sacri latores pigneris, inter vtrosque densa dirimens nebula diuinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, & errore in deuia rapti, vestigia præcedentium seruare nequiuerunt. Euectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiauit, donec ad proximam cœnobio possessionẽ, quæ dicitur villa * Spanulfi, infatigabiles peruenerunt. Vbi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est Ecclesia. Quibus abinde cum sacro promouentib. pignere, vbi monasterio propinquare cœperũt, Ecclesiæ signa cœnobij sponte, absq; humano impulsu, sonuisse feruntur. Quod audiẽtes fratres obuiam sunt egressi: sicq; diu desiderata suscipientes munera, dum in Ecclesiam sancti Germani ea conatur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, vt hæc nequaquam potuerint vlterius emouere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum, tecto super defixa cõditio mẽbra confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur. Quo temporis peracto spatio, ad Ecclesiam sancti Laurentij, vbi viuens ipse sibi sepulchrum parauerat, celebrato per triduum ieiunio, venerabile corpus eius perlatum, & in suo reuerenter est depositum sarcophago. Ibique constat venerabili cultu seruatum, vsque ad tempora Karoli regis, & Hincmari Archiepiscopi, quando Nordmanni hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi canonici eiusdem loci, corpus huius patroni sui de sepulchro leuatum super altare sancti Laurentij posuerunt. Quod dũ fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita

al. Spanulfi.

H

recentes

A recentes & calidæ, ac si de viuente profluerent corpore. Sicque delatum est Virdunum. Vnde relatum in Ecclesia est sancti Germani locatum. Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id peruenerunt: sed Domino illud protegente, nec Ecclesias incenderunt, nec homines, nisi vnam duntaxat mulierem, occiderunt. Vt autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eumdem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Ottradus, corpus sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quamdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani, vsque ad ipsam peruenerunt arborem & respicientes sursum, neminem potuerunt eamdem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per nouem dies inibi permanens, nihilque victus, præter vnam solommodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumque tunc locus idem meritis bonis beati viri à cædibus & incendio paganorum liberatus est.
B Postea contigit, vt quidam prædones, regiæ maiestatis infideles, ad eumdem deuenirent locum, & non inuenientes ibi manum repugnantem sibi, desolatum prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa Ecclesiæ sancti Laurentij, nemine pulsante, sonare cœperunt, & duo cerei superno sunt igne diuinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis, & aufugientibus, vnus eorum prolapsus ad ipsam monasterij portam corruit, tamque ipso, quam superbo eius equo ruina contrito, vtres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis Ecclesiam munerauerunt, metuq; affecti recesserunt.

De villa VVaslicia.

Cap. XLI.

HVIVS venerabilis loci canonici famis quoodam necessitate compulsi, sumptis à corpore venerandi patroni sui reliquiis, ad suam quamdam villam, supra ripam
C Rhenisitam, cognomento Wasliciam, quam quidam eorum Abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Vbi dum pagenses, alma venerantes pignera, sua dona deferre cœpissent, Abbas quidam monasterij, quod vocatur Bunna, pergens ad Willebertum Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare deuotionem, nec re vera sancti alicuius pignera illuc adstruens esse delata. Timentes autem Canonici qui aduenerant, ne forte constringerentur & discuterentur ab Episcopo, quoniam totum ipsius sancti corpus secum haberi ferebant, mox vt hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum redire monasterium: assumentesq; cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, Ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi qui remanserant in eodem loco clerici hoc audientes, & patronum suum aduenire intelligentes, obuiam eum crucibus pergunt, & honore digno tutorem suum suscipiunt.
D Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria inibi repente mira contigerunt. Contractus vnus erectus, cæcus quidam illuminatus, & loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus Abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat à visitatione sancti auertens. Quæ dum gereret, febre correptus ita grauiter est vexatus, vt nec mãducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris huiusce * coactus, tandem peccatum suum recognouit, & sella se gestatoria vsque ad Rhenum, indeque nauigio vsque ad prædictam villam, sicque ante corporis almi præsentiam perferri fecit: ibique culpam suam confessus, absolui se petiit, & quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit: factisque votis annuatim soluẽdis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, & sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hîc præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla vt ferunt dies præteriit, quo non ibidem Dei miracula patrarantur. In ipsis autem vigilijs sancti Iohannis Baptistæ, confluentibus de Saxonia pluribus, & à longinquis etiam regionibus, decem & octo insignia probantur ostensa: vixque aliquis æger accessit, qui non sospes, alacerque recesserit.

al. excoctus.

E Vbi tanta rerum delata est copia, vt & ipsi clerici exinde viuerent, & cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, Ecclesiamque ipsius villæ amplificarent, vel decorarent. Postea cõtigit vt propter aquæ indigentiam, foras extra monasterium suum, idem sacrum corpus efferretur, & obuiam sancti Iouini pigneribus portaretur. Cuius dum fuisset in occursum perlatum, mox vt simul venerũt, obnubilato cœlo cum magna siccitas existeret, copiosa pluuiarum vis effusa est: & dum homectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt à pluuia. Ibi quidam luscus lumen amissi recipit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, vt erat oculatus, ingratus recessit: at vbi domum peruenit, lumen quod receperat, iterum perdidit.
F Dum vero peruentum est ad monasterium cum vtriusque sancti corpore, ita sancti Balderici pignus est aggrauatum, vt nullatenus moueri posset, donec sancti Iouini vsque ad cœnobium præcedere membra fecissent. Cum autem domnus Dado Virdunensis Episcopus hanc à rege † impetrasset abbatiam, & hæc mira cœpisset audire, constituit vt omnibus annis trium monasteriorum sacra pigneta simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum. De sede scilicet vrbis Virdonensis S. Vitonus, & S. Agericus, sanctus vero Baldericus de monasterio suo, & sanctus Roduicus de Wasloio. In quo conuentu innumera postmodum sunt patrata miracula, vt vix præterierit huiusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus: maxime tamen illi, qui patrocinia beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conuentu quidam locutus est mutus, quem Virdunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod sanctorum virtus quos detulerãt, hoc miraculum perpetrasset.

† Arnulfo Transhe-acuti.

G Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tãto sancti Balderici pondere aggrauata sunt ossa, vt penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quæruntur sui, cur inibi vellet immorari, & quid ibidem disponeret operari, accidit vt requireretur ille qui locutus fuerat mutus. Tandẽq; reuocatus, vbi ad locum desinai perductus est pigneris, mox absque difficultate sublatum, & ad suum, sacrum corpus grataanter est cœnubium reportatum. Præfatus præsul Dado, postquam hanc sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo Abbate ad idem dudum monasterium datas, pro villa Gerlani monte, super Musellam coniacente, mutauit. Ad quam villam, dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres huius congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui, domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi iussa.
H Qui dum ad villam, quæ * Deus dicitur, peruenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, vt progredi nequaquam valerent vlterius ea ferentes: initoque consilio vt ad Ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore S. Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, vt post orationem ab Ecclesia est delatum, iterum sancti aggrauatur corpusculum: mirantibusq; cunctis, & quod aliqua inibi Deus pro sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam serentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Aduenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, & fœmina quædam brachijs ab octo retro annis contracta resoluitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, & infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, vbi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, & candelæ diuinitus accensæ, multique diuersis sunt ab infirmitatibus liberati.

.Deus.

A tio, quod super altare quoddam ab ipsis rei designatum repertum esset, ipsa duntaxat perciperet. Vt ergo inde magis crederetur, quasdam sorores, tres videlicet sanctimoniales huius monasterij, ad idinquirendum sibi testes asciceret, denominatis scilicet personis, quas aduocare debuisset. Sanctus autem Remigius hoc insuper addidit: vt diceret illa fratri suo, quatenus esset memor, quod illi quondam apparuerat, & ei locutus fuerat. Addens etiam pro signo recognitionis, quod eum in palma de cultello visus fuerat percussisse. At illa mox ad præfatum fratrem suum mittens, mandauit ei vt ad se festinanter veniret. Qui veniens sororem suam hora iam vespertina iciunam adhuc, & de visione valde stupefactam inuenit. Quæ aduocans denominatas sibi sanctimoniales, pariter ante denotatum altare septem psalmos pœnitentiales decantauerunt, additis insuper litaniarum precibus, accesserunt ad altare, & exutis operimentis, repererunt in cornu eiusdem altaris obolum paruum, quem assumentes cum gratiarum actione dederunt pro vino, quod tantummodo hæc sanctimo- B nialis bibit, non deinceps amplius vinum sumptura, donec iter iniunctum tam ipsa, quam prædictus frater suus, inirent. Quod fideliter & fiducialiter arripientes, prospere, Deo iuuante, & S. Petro & sancto Remigio suffragantibus, vt ipsis promiserant, peregerunt. Ac deinceps à carnibus illa (præter Dominicam) abstinet, ac tribus diebus in hebdomada, vsque dum signum sonet ad secundam, nihil operis agit, orationibus & psalmodiæ vacans: quod sibi vsque ad septem annos commemorat adimplere præceptum. Fratri vero suo præmemorato hoc à supra dictis Sanctis per ipsam mandatum est, vt quatuor diebus in hebdomada à carnibus, omni vero sexta feria à vino semper dum aduixerit, debeat abstinere. Quæ & obseruare visi sunt.

De altero Remis puellarum monasterio.

Cap. XLVI.

C ALTERUM denique puellare monasterium Remis habetur situm ad portam, quæ olim Collaticia, scilicet à conferendis mercibus, nunc Basilicaris vocatur, eo quod circa se basilicis dudum, præ cæteris portis, abundasse feratur: seu quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigij consistentes, peruia fuerit. Supra quam domno Rigoberto habitaculum fuisse commemorauimus. Quod monasterium domnus Guntbertus vir illustris in honore sancti Petri construxisse traditur, quod regale vel fiscale vocatur, eo quod in regali potestate vsque ad moderna tempora fuerit habitum. Quod monasterium Lodowicus imperator * Alpheidi filiæ suæ, vxori Begonis Comitis, dono dedit, eidemque sacro loco immunitatis præceptum delegauit, vt & pater ipsius Karolus imperator egerat olim. Quod cœnobium postea per precariam ipsius Alpheidis, vel filiorum eius Letardi & Ebrardi, ad partem & possessionem Remensis deuenit Ecclesiæ. Hîc haberi asseritur dens sancti Andreæ Apostoli: cuius beneficia D multi, qui eum osculari promerentur, frequenter experiuntur infirmi. Vidimus hîc, in Ecclesia s. huius cœnobij, cereum igne cœlesti ter quoque accensum, quem cereum collata cera fecerant quidam ciues Remenses, qui ad visitanda nuper Apostolorum limina profecti fuerant. Vidimus in hoc quoq; monasterio puellam quamdam sudasse sanguinem, quæ tunc hebdomada plena iacuit immota, quasi mortua, & visiones ei sunt ostensæ nonnullæ.

Forte Basilicis.

Lu. c. 12.

al. Alpaidi & infra.

De domno Guntberto, & ipsius vxore Berta.

Cap. XLVII.

PRÆMISSUS itaq; domnus Guntbertus huius instructor cœnobij, relicta coniuge, maritima petens loca, illic etiam monasterium quoddam condidisse fertur. Vbi & à barbaris decollatus fuisse traditur. Relicta vero ipsius domna Berta cœnobium puellare apud Auenacum, Domino sibi locum per Angelum demonstrante, construxit. Et dum inibi aquam non haberet, impetrauit à possessoribus proximæ siluæ, argenti libra data, fontem quemdam, duobus fere millibus à suo monasterio distantem. Ex quo fonte mox riuus egressus, secutus est eam ad cœnobium remeantem. Qui adhuc largiter affluens, pro eo quod tantumdem fuerit emptus, Libra vocitatur. Priuigni denique ipsius domnæ Bertæ insurgentes contra eam, interemerunt illam. Qui statim traditi Sathanæ in interitum carnis, ab humano sensu in belluinam feritatem mutati, * decessisse feruntur. Nepti vero domni Guntberti, nomine Montræ, quæ sceleris huius consentanea fuerat, noctu vigilanti domna Berta fertur apparuisse, eiq; præcepisse, vt corpus domni Guntberti ad hunc locum referre satageret, ac iuxta suum funus collocaret: sicque illi peccatum consciæ necis suæ Dominus indulgeret. Quæ signum petens, quo sibi dimissum id esse sciret, audiuit quod mox vt iussa complesset, ex eius ore vel naribus erumperet sanguis. Quod & impletum est, dum corpus domni Guntberti iuxta pignus beatæ Bertæ reconditur. Huius domnæ Bertæ corpus post centum circiter annos inuentum est integrum, & plagæ ipsius ita tunc recenti afflare F sanguine, ac si eadem hora vulnera fuissent ingestæ. Ad horum denique sanctorum honorem & meritum demonstrandum, multa postmodum Dominus dignatus est operari miracula, quæ causa negligentiæ non habentur ascripta. De quibuslibet autem tribulationibus ipsorum congregatio Domini misericordiam, per eorum intercessionem expetijt, misericorditer impensam sibi consolationem percipere meruit. Quædam præterea mulier ab altera huius monasterij linteum nuper furata secum ferre voluit, sed egredi Ecclesiam nullo modo potuit, donec suum confessa reatum, sublatum restituit altari velum. Hoc monasterium vel Abbatiam domnus Fulco Præsul ab Odone rege concedi Ecclesiæ Remensi per paginam præceptionis ipsius regis obtinuit, & pro confirmando eo hoc Ecclesiæ, à Formoso Papa priuilegium Apostolicæ sedis impetrauit.

mer. defecisse.

De duabus Ecclesiis sancti Hilarij Remis.

Cap. XLVIII.

G SVNT hic Remis Ecclesiæ duæ in honore sancti Hilarij: vna infra ciuitatem, in qua nuper quædam puella contracta & paralytica diuina est erecta virtute: altera, quæ est antiquior Ecclesia, ante portam Martis sita, quam sanctus Rigobertus Pontifex antecessoribus nostris clericis ad sepulturam ipsorum dedit. Quæ dudum, scilicet ante discessionem vel expulsionem domni Artaldi Episcopi, crebris illustrabatur miraculis. Vnde & tunc ab eo, ciuibus quoque suffragia ferentibus, tectis ac nouis est reparata laquearibus. Nam quidam cæcus, nomine Paulus, admonitus in somnis, vt ad eamdem pergeret Ecclesiam, lumen ibi recepturus, aduenit, & recuperato lumine, nec mora, videns abcessit. Quidam ex Episcopi famulis cum ad ipsam pergeret Ecclesiam, piscatorem cum piscibus ante fores Ecclesiæ obuium habuit: quos apprehendens velut empturus abstulit. At pauper ille piscator, vt inde sibi cum sancto Hilario conueniret, deuotionum clamores lugubri mente in eum ingessit. At ille H despiciens huiuscemodi voces, Ecclesiam, quasi missam auditurus, intrauit. Vbi dum staret, subito corruit, grauiterq; vexatus eijcitur. De qua vexatione non paruo tempore laborauit. In huius Ecclesiæ cœmiterio quidam Scutigena Dei seruus olim sepultus. Sed cum iam à nostris & nomen, & memoria ipsius sepulturæ videretur abolita, apertis sese cœpit manifestare visibus. Nam dum quidam ciuium non de inferioribus, sed pauper rebus, olim nostris diebus obisset, amici eius ad Hildegarium huius Ecclesiæ presbyterum accedentes, petunt ab eo, vt locum sibi sepulturæ impertiret, vbi sarcophagum reperirent, in quo corpus ipsius recondere possent, quia de rebus ipsis vnde emerent non haberent. Qui dum eis petita concessisset, sepulturam serui Dei aperuerunt: sed ipsum eius sarcophagum aperire nequiuerunt. Quo audito, presbyter accessit, &

A cooperturium sarcophagi leuare tentans, aliquantulum aperuit sepulchrum. De quo mox fragrantia tantę suauitatis emanauit, vt nunquam se delectabiliorem testatus sit hausisse odorem. Introspiciensque videt corpus integrum sacerdotalibus infulis redimitum: recomponensque sepulchri pallam, non ausus est hanc amplius violare sepulturam: permisit tamen vt idem corpus, depositis quibusdam, superponeretur tabulis. Ipsa nocte visus est ei auunculus suus presbyter in somnis, qui iamdudum decesserat, asserens quod valde offendisset Deum præterita die, maxime si sepulchrum sancti violare præsumpsisset. Idem quoque beatus vir cuidam sub ipsis diebus apparuit, & quia valde grauaretur pręponderę & indignitate superiecti sibi cadaueris intimauit, & vt indicaret presbytero iussit: quia nisi cito corpus * id fœtidum à sepultura sua repelleret, diuina quantocius vltione plectendus esset. His presbyter admonitionibus pauefactus, cadauer quod sepulturæ sancti superpositum fuerat, eijci fecit cum festinatione, & aperta alibi sepultura recondidit. Visus est idem

maiam

B sanctus Domini postea cuidam rustico, præcipiens ei vt iret ad Episcopum Artoldum, & indicaret ei ex verbis eius, vt corpus ipsius, quod extra iacebat, intra Ecclesiam trāsferret. Quod idem rusticus intimare timens, neglexit mandatum. Nec longe post iterum apparens euigilanti, duriter increpauit illum, quare præceptum neglexit, & corripiens alapa eius percussit maxillam. Qui mox auditum amisit ipsius auris, in qua percussus est parte, capitisque dolore per dimidium fere vexatus est annum. Deinde cuidam presbytero in eadem Ecclesia, sub præmisso sacerdote seruienti, apparens in visione quadam dominica nocte, admonuit eum, vt Episcopo indicaret, quatenus corpus ipsius in prædictam Ecclesiam trāsferret: locum quoque vbi ponendum foret ostendere non omisit, intimans ei obitum, & causam obitus vel aduentus sui: significans se Scotigenam fuisse, Romamque orationis gratia cum socijs petendi itinere occupatum, à latronibus super Axonam fluuium fuisse peremptum, indeque corpus suum à socijs huc delatum, ibique sepultum: propalans etiam no-

C men suum, quod vocaretur Merolilanus, iubens vt id nomen, ne forte memoria dolaberetur, asscribere curaret, inclinansque se, partemque ceræ, quæ fortuitu iacebat, apprehendens dedit ei, præcipiens vt illud continuo adnotaret in arca quæ lecto ipsius adhærebat. Quam ille ceram visus est accepisse, nomenque descripsisse. In quo dum pro L littera, R scriberet, corrigere hoc eum monuit, & ita in crastinum hoc nomen adscriptum inuentum est, vt testaretur idem presbyter, quod vigilando per diem tā bene scribere nequiuisset. Quibus reuelationibus monitus Episcopus, Ecclesiam quidem restaurari fecit, sed corpus sanctum non transtulit. Nec diu postea sicut contigit, vt in eadem Ecclesia coram Hugone principe se abdicaret Episcopij gubernatione.

S. Merolilanus.

De Ecclesiis in honore sancti Martini circumquaque per totum circiter Episcopium constructis.

C A P. XLIX.

D IN honore quoque beati Martini multæ circumquaq; per totum circiter Episcopium habentur Ecclesiæ, diuinis miraculis illustratæ, ad quæ neminem credimus enarranda sufficere. In vico denique sancti Remigij constat Ecclesia huius beati confessoris, quæ clericorum olim fertur habuisse congregationem, de qua tale apud nos refertur miraculum. Quidam vir illustris, cum duxisset vxorem, non longe post in expeditionem præcepto regis profectus, diuque moratus, postquam domum redisset, significatum est illi, quod vxor eius adulterio fuisset corrupta. Quam vir vxorem diligens, tali examinatione probare voluit audita, vt supra sacra Ecclesiarum, quæ in hac vico habentur, vxor sibi iuraret altaria, q̄ ab hoc crimine esset innoxia, sicque immunis sibi postmodum foret à noxa. Quod illa non abnuens, prompta suscepit, factaque fide dem dictis, cum marito ad vicum peruenit, & dans super quarumdam Ecclesiarum altaria iusiurandum, tandem

E peruenit ad huius Ecclesiæ domum, accedens ad altare, dum falsa mente deierat improba, repente vtero disrupto eius labuntur humo intranea, procidensque mortua ostēdit quam vera essent quæ de se marito fuerant intimata. Ille nutu Dei compunctus ad miraculum, vouisse traditur, se vlterius mulierem non habiturum: familiamque vxori delegatam eidem addicens Ecclesiæ, hāc eis dedit legem, vt capitis censum ibidem dependerent, nullique præter id obnoxij seruitio forent. Quæ familia hac sibi lege seruata, ad duo millia vel amplius excreuisse reperitur capita, vt olim, scilicet antequam vastaretur à barbaris, duodecim libras argenti partibus præstaret Ecclesiæ.

De miraculis sancti Martini Remis ostensis.

C A P. L.

F ALIIS etiam nonnullis beati patris huius vrbs nostra fertur insignita miraculis. Ex quibus ea quæ sanctus Gregorius Turonensis in suis miraculorum libris enarrat hic indere placuit: vt si qui hæc legentes, ea forte non legerint, hic reperire possint. Refert enim, quod transeunte se quondam per pagum Remensem, retulerit ei quidam Remensis, carcerem in quo famulus ipsius hominis inter reliquos vinctus tenebatur, beati Martini virtute patefactum, vinctosque ab ergastulo absolutos, liberos abscessisse. Erat enim huiusmodi carcer, vt super struē tignorum axes validi superpositi pulpitarentur: ac desuper qui * eumdem opprimerent, insignes fuerant lapides collocati. Nihilominus & ostium carceris sera ferro munita, obducto, claue pessulo, obserabatur. Sed virtus antistitis, vt ipse relator asseruit, lapides pulpitaque disiecit, catenas confregit, trabem, quæ vinctorum coarctabat pedes, aperuit ac nec reserato ostio, homines per aëra subleuatos foras, tecto patente, produxit, dicens: *Ego sum Martinus, miles Christi, absolutor vester abscedite cum pace, & abite securi. Sed cum nos*, inquit Gregorius, *ad regem accedentes huius virtutis miraculum diffamaremus, affirmauit rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, & se fuisse reis indultam.* Refert

Greg. lib. 4. mirac. S. Martini c. 26.

orig. eosdem.

G etiam idem Gregorius se quondam hanc vrbem petisse, & in sacrario huius Remensis Ecclesiæ Sigonis aurem surdā referendarij Sigeberti regis, virtute beati Martini, cuius habebantur apud se pignera, dum colloqueretur secum, subito patefactam atque sanatam fuisse.

Greg. vbi supra. lib. 2. cap. 17.

De sancta Macra virgine.

C A P. LI.

PASSA est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sob Rictiouaro Præfecto, quæ post insuperabilem Christi confessionem grauissima tormenta perpessa, post mammillarum abscissionem, & repentinam curationem per Angelicam in carcere visitationem, dum super prunas & testulas accensas nuda volutaretur, cum precibus & gra-

H tiarum actionibus, immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans aduersariom, inibi læta petijt cælum. Corpus eius haud procul à loco vbi passa est, tunc extitit tumulatum. Multa vero post annorum curricula cuidā bubulco per visionem locus, quo beatissima virgo condita fuerat, iuxta quamdam in honore beati Martini constructam Ecclesiam, reuelatus est. In quo visu admonetur, vt corpus sacratissimæ virginis intra præfatam Ecclesiam reconderetur honorificentius, quatenus incolis eiusdem loci, prout decebat, innotesceret manifestius. Quod & mox à viris Deo amabilibus magno constat peractum decore. In qua donec venerabile corpus eius requieuit, insignia per ipsius intercessionem sunt patrata miracula. Ibi cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, Domino eius obtentu largiente, promeruerunt. Procedenti vero tempore vir quidam strenuus sanctarum fundator & cultor ædium, nomine * Daugulfus, eius, vbi nunc veneratur, fundauit templum, in quo illius sacratissima transtulit membra, regnante magno Imperatore Carolo: vbi non mini-

Daugulfus ... nomen est Falmc.

A minima quoque Domino præstante, sæpe* miracula peraguntur. Quam nuper Ecclesiam, tempore scilicet persecutionis Hungaricæ, iidem barbari succendere cupientes, aceruos quosdam frugum magnos qui parieti eiusdẽ adhæserant incendunt, exustisq; segetibus, flamma licet Ecclesiæ tecta lambente, eandem tamen accendere nequiuerunt.

ms magnalia.

Cap. LII.

De sanctis Rufino & Valerio martyribus.

EOdem tempore quo hæc sacra Virgo passa est, Rictiouarus per vrbem Remorum transiens, & quosdam Christianos ad culturam deorum compellens, vt eos superare nequiuit, trucidari præcepit. Et egressus inde reperit duos quosdam viros Rufinum & Valerium, fide Christi robustos, regalium tamen horreorum custodes. Quos comprehensos, vbi competit Christi dilectione & confessione firmissimos, plagis afflictos diuturna carceris macerauit retrusione: vbi Angelica visitatione ac consolatione releuati, & confortati sunt. Sic inuicti tandem reperti, capitalem subire sententiam. Cumq; non post longa temporis interualla ad vrbem Remorum sacratissima deducerẽtur eorum membra feretris imposita, in loco illo, vbi nunc tumulata ipsorum requiescunt ossa, ita nunc* feretra sunt aggrauata, vt nequaquam loco moueri valerent. Et ita Deo iubente factum esse probatur, vt vbi pauperibus eleemosynæ distribuerant largitatem, ibidem suorum corporum gratam perciperent requietionem. Sed dum nuper gens barbara Nordmannorum sæuitura se Gallus infudisset, ob vitandam huius persecutionis procellam, eorum pignora ad vrbem sunt Remensem delata, positaque in beati Petri Ecclesia, & per dies plurimos ibidem sub honore seruata. At cum iam demum, barbaris recedentibus, in nos bacchata diu tempestas* desedisset, redissetque tandem, Deo iubente tranquillitas, presbyter, qui sanctis deseruiebat, & ad propriam dudum redire cupiebat, accelerauit sanctorum martyrum glebas tollere, & ad dicatum sibi locum referre. Postque celebrata missarum solemnia leuantur à sacerdotibus sacrata Christo corpora, atque cum magna populorum referunt comitante caterua. Contigit autem diem illam, quæ Dominica scilicet habebatur, ventorum flatu fuisse nimbosam, ita vt omnes candelæ, quæ ad obsequium sanctorum ferebantur, vi turbinis extinguerentur. Cumque carpentes iter partem fluminis fuissent ingressi, cereus qui ante sanctorum pignora ferebatur extinctus, repente cælitus accensus, omnibus mirum exhibuit spectaculum. Sicq; inter commixtos grandine nimbos, & ventorum flatus ad quatuor fere millia durauit ex miraculo flamma. Disposuit denique postea presbyter cereum ipsum in meliorem formam de eadem reficere cera. Cumque id à sacerdotibus sibi subiectis efficeretur, mirum dicto inter manus eorum mollis cœpit crescere cera, & in magnam grandescere quantitatem.

B

c.i. ferunt ut

c.i. desæuisset C

D

Cap. LIII.

De miraculis eorundem sanctorum.

CVmque illi stupentes, admirantesque persisteperent, ingressus presbyter, & videns auctam sic fuisse ceram credidit eos aliam ceram illi, quod non præceperat, adiecisse. Sed cognito tandem à sacerdotibus, quod acciderat, miraculo, Deo gratias egit, & ceram in Ecclesia ad memoriam tantæ rei reposuit. De qua cera Riculfus Suessionum venerabilis Episcopus reliquias sibi deferri iussit. Sed & vicinarum Ecclesiarum religiosi presbyteri ea inde ob deuotionem experitas particulas in Ecclesiis venerabiliter condiderunt. Alia autem vice, cum de Suessonica ciuitate, in qua ob similem persecutionem delati fuerant, ad locum proprium referrentur, claudus quidam cum ceteris qui sanctorum corpora deuoto comitabantur obsequio, reptabundus, adnisu quo poterat, incedebat. Non quidem hunc natura claudum produxerat, sed ex tempore illi accesserat gressuum dolenda debilitas. Cumque ad villã, quę Vasneia dicitur, venissent, mox natiuę rectitudini restitutus, proiectis adminiculis suis cœpit vadere plantis, & Deum in sanctis suis mirabilem ore collaudare gratanti. Pręterea in eos qui sacrum locum violare, & res sanctis martyribus delegatas peruadere nituntur, quam sæua diuina vltio exeratur, vno exemplo sufficiat demonstrare. Tempore quo inter reges Odonem & Karolum graues agebantur Francorum in regno discordiæ, per hanc occasionem licito rapinæ & deprędationes fiebant, confusum erat fasque nefasque: nusquam Dei aut humanarum timor legum, sed vi & potentia vniuersa constabant: aliquãdo ad villam, quæ Basilica dicitur prædones affuerunt, cœperuntque omnes pauperum substantiolas auferre. Tunc quædam muliercula cum supellectili sua fugiens ad Ecclesiam sanctorum martyrum, cursu rapidissimo tendebat. Quam quidam ex his qui ad prædandum venerant, ita vt sedebat equo velocissime insequi cœpit, volens eam capere, & seria sua illi auferre. Sed cum quidam de adstantibus diceret: Noli miser, noli illam in atrium sanctorum insequi martyrum, ne tibi mali aliquid cõtingat. Ille nihil veritus, admisso equo rapidissime fugientem insequebatur mulierculam. At vbi primis atrio pedibus equus institit, subito cernuatus cecidit. Sessor autem eius tam graui allisione vexatus est, vt à summo genu vsque pedem disrupta tibia, cum velut ferro incisa, dehisceret, osque ipsum, carnis* tegmine nudatum, pateret. & qui superbus eques venerat, iam humiliatus, nec suis pedibus incedere valens, manibus alienis de atrio Ecclesiæ proiectus est. Tunc equo & quæ habere potuit sanctis martyribus pro eo datis, morti quidem subtractus est sed quod superuixit temporis inutilis & nulli operi aptus fuit, testimonium diuinæ virtutis in sua debilitate circumferens, & aliis quibusque salubrem timorem, exemplo patratę in se vltionis, incutiens, ne talia agentes similia patiantur. Illud quoque notissimum, & omnibus habetur peruulgatum, ad sanctorum martyrum sepulchra oleum aliquando creuisse. Siquidem presbyter vas quoddam fictile iuxta altare posuerat, ad seruandum oleum, quod ibidẽ ad fomem luminis, ardere debebat. In quo vase parum quidem olei remanserat, maiore eius parte in lychnorum lumine consumpta, cum repente cœpit crescere, & nullo inspiciente in maius augeri, donec os vasis crescens oleum exæquaret. Quod, cum per dies aliquot fieret, nec iam se intra vasis angustias liquor diuinitus auctus caperet, ac guttatim in terram flueret, clericus Ecclesiæ ipsius custos hoc solus animaduertit, & subiecto vase altero, intra paucos dies ad vnum sextarium collegit, furtimque abscondit; putans infelix diuinum miraculum cupiditatis suæ fore compendium, & vnde prouidebatur omnibus patrocinium, inde clandestinum se posse credidit perficere furtum. Sed Christus, qui sanctos suos mirificare apud omnes decreuerat non diu permisit latere vel illius pudendum facinus, vel quod ad suorum martyrum gloriam contulerat munus. Nam quadam die domum, quæ Basilicæ adhæret, in qua etiam Suessionicus Episcopus, cum illuc accedit manere consueuit, presbyter nescio quid causæ fuerit, ingressus, vidit vas illud oleo superfluere, & miratur vnde illa esset olei copia, cum illic perraro huiusmodi inueniri possit liquor, cœpit percunctari clericum tanti criminis conscium, cuius esset oleum, aut quis illud ibi deposuisset. Sed cum ille diceret, nescire se vnde esset, pueri qui ad discendos psalmos ibidem residebant, & rem omnem nouerant indicauerunt presbytero & factum miraculum, & custodis furtum. Ille hoc audito; cito ad vas quod iuxta altare stabat recurrit, & pauimentum adhuc olei exundatione madens inuenit. Cumque immensum in sanctis suis glorificaret Deum, alius quidam de custodibus aduenit, & confessus est se magnam partem olei ipsius, nullo teste, tulisse, & vbi voluit, & sicut voluit, expendisse.

E

F

ms. i. tegmine.

G

H

Flodoardi Historia Remensis Ecclesiæ Finis.

A

IN QVATVOR LIBROS FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ

SCHOLIA SEV NOTÆ,

QVIBVS OBSCVRA QVAEQVE ILLVstrantur, dubia & innoluta explicantur, mutila ac deprauata supplentur & emendantur.

AVCTORE GEORGIO COLVENERIO SS. THEOL. DOCTORE, ET REGIO AC

B

ordinario in Academia Duacensi Professore, collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præposito, & Academiæ Cancellario.

IN PROLOGO.

PRaclaro Præsule R. Flodoardus.) Sic cum R. P. Iacobo Sirmondo excudimus, cum in ms. sit R. F. L. Vbi, et idem Sirmondus ait, per literam R. nonnulli putant Rodulphum Episcopum Laudunẽsem intelligi, quẽ scribit in chronico suo hic auctor noster ob. j. sse anno 948. neque hæc historia vlterius progreditur.

SCHOLIA IN LIBRVM I.

CAP. I.

FRatris militibus &c. interfectum.) Sic omnia exemplaria, atque ita frequenter loquitur, subaudita præpositione, pro a fratris militibus, quam adiecit j. Sic infra c. 6. turbis remotus popularibus.

C

Ciuis etiam fornicem prodeuntibus dextorum.) Hoc est cum qui a dextris est ijs qui ciuitatem egrediuntur.

Nauta siquidem cygnum bonam prognosin prodere ferunt, vt ait Æmilius.) Hæc verba cum disticho sequente sumpta sunt ex Isidoro lib. 12. Originum siue etymologiarum cap. 7. ex quo adiecit voculam (ait) Isidorus ea desumpsit ex Seruio in 1. Æneid. ad versum:

Aspice lætantes bis senos agmine cygnos.

Habet autem distichon hoc Æmilius Macer in Ornithogonia, quẽ librum citat Seruius: Item Nonius Marcellus verbo, prosecta. Vbi tamen pro Æmilius, male legitur Licinius, vt docti adnotarunt. Seruius vbi supra ad versum: Ignauum fucos. nominat Marcum Æmilium. Quod vero de anseribus hic subiungitur, sumptum est ex eodem Isidori loco, vbi de Capitolio per anseres seruato citat Liuium, Plutarchum, & Florum. Quibus addi potest Plinius lib 10. Hist. Nat. c. 22. & lib. 29 c. 3 & ipse Virgilius lib 8. Æneidos sub finem.

Vrbs autem nostra nomen Durocortorum quondam dictum.) Ita hoc loco & infra semper legunt exemplaria e m & j. pro quo a. vbique substituit Durocortum: quod legitur quidem vulgariter in textu Iulij Cæsaris loco hic allegato Verum Fuluius Vrsinus in suis emendationibus testatur in libro suo a sexcentis pene annis conscripto, & alio codice Vaticano legi Durocortorum, quomodo & Ptolomæus legit Δουροκόρτορον Eadem lectio probatur ex Æthico, & commentario Hieronymi Suritæ ad itinerarium Antonini, & ex Hincmaro epist. 6. inter eas quæ a R. P. Ioanne Busæo editæ sunt c. 18 Petrus Diuæus, & Abrahamus Ortelius in suo thesauro Geographico Durocortorum scribunt mutata littera r in t.

D

Vastatis regionibus, exercitum Cæsar) Sic Orig. & c. pro quo ms. j. male legunt factis legionibus, vt declarant ea quæ in Cæsare præcedunt.

Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat. Verba quæ citat leguntur in Itinerario prouinciarum, quod Antonio Augusto, aliàs Antonino Imp. adscribitur, & in editione Basileensi 1575. Æthici Cosmographia subiungitur, estque verisimile Æthicum vtriusque auctorẽ esse. Videatur præfatio dictæ editionis. Cosmographiæ Æthici philosophi meminit S. Bucardus Cisoniensis in suo testamento.

M. P M.) Ita vbique exemplar nostrum m. Quod lege, millia plus minus, vel potius, millia passuum, vt vult Hieronymus Surita initio sui commentarii in iam dictum Itinerarium, refutans aliam interpretationem: Quod liquido, inquit, confirmare possimus vias eas certis & constantibus lapidum dimensionibus fuisse dimetatas. Pro quo & illud facit, quod in ipso itinerario non legantur nisi duæ litteræ M. P. j. distinctis punctis posuit M. P. M omissa virgula superiacente.

Item à Durocortoro Diuodorum & paulo post. Diuodorum.) Frequentius in dicto Itinerario scribitur Diuodorum, quomodo verisimile est secundo quoque loco legendum esse, vti legit j. Hæc hodie ciuitas Metensis, aut Theonis villa esse creditur.

E

Item à Bagaco Neruiorum.) Restitui pro ab Agracco ex dicto itinerario, in quo tamen quædam exemplaria legunt Bauacum. Videtur autem intelligi opidum Hannoniæ, quod tunc Bauacum dicitur.

CAP. II.

CAstra in altitudinem pedum XII. fossamq; pedum XVIII. muniri iubet) Clarius orig. Castra in altitudinem pedum x ij. vallo fossaque duodeuiginti pedum munire iubet.

Cum finem oppugnandi nox fecisset) Sic restitui ex orig. pro, non fecissent. Et paulo post. *Eò die media nocte*, pro, Eo die media nocte.

Et docilis rector rostrati Belga couini.) Ita in s. correctum ex orig. quo modo & j. legit, cum m. legat monstrati Belgaco vinci. In corpore Poëtarum edito Lugduni 1603. legitur quoque monstrati & in primo versu *Aturi* pro *Satyri*, cum vera lectio, vt in thesauro suo docet Ortelius, sit Atyri Est autem Atyrus Tarbellorum in Gallia Aquitanica fluuius erumpens in Oceanum Porro couinus est rhedæ seu vehiculi falcati genus, quo Britanni & Galli in præliis vtebantur.

CAP. III.

SSinicium vadalicet Suessonica sedis primo, nostrum postea Præsulem. Et infra Suessonicam, & Suessons.) Hæc est quasi perpetua lectio antiquorum exemplarium m. quam s. vbique mutauit addita littera j. scribitque Suessonicæ & Suessioni &c. Sed antiquam retinere placuit, co quod probationem suam habeat ex Ptolomæo, Æthico, & aliis, atq. etiam ex Gallica voce *Soissons*, tametsi posterioribus seculis alia sit vsitatior, quæ in Iulio Cæsare interdum reperitur Nec refert verum hoc an illo modo efferatur. Cæterum veritas historiæ hic narratæ ex eo confirmatur, quod S. Sixtus, & S. Sinicius (de quibus Martyrologia calendis Septembris) ponantur primi in catalogo Episcoporum Suessionensium, sicut & Remensium, vt videre est in tabulis Antonij Democharis, vbi referuntur martyrium passi sub Nerone, sicut & Amansius horum successor. Atque ob eam causam, teste eodem Demochare. Episcopus Suessionensis primum locum obtinet inter suffraganeos Episcopos prouinciæ Remensis. & inter eos Decanus appellatur primamque vocem obtinet in deliberationibus &c. Quia videlicet iidem fuerunt primi Episcopi Suessonenses & Remenses Nomina vero Episcoporum, qui olim subesse solent Archiepiscopo Remẽsi hæc sunt: Suessionensis, Cathalaunensis, Laudunensis, Bellouacensis, Ambianensis, Nouiodunensis, Siluanectensis, Cameracensis, Atrebatensis, Tornacensis, & Morinensis. Deletis autem Morinis a Carolo v. Imp. anno 1553. sedes Episcopalis ex parte translata est Bononiam, mansitque Bononiẽsis Episcopus eidem Remensi metropolitano subiectus. Sed anno 1559. in erectione nouorum in Belgio Episcopatuum per bullam Pauli iiij subtractæ sunt a metropoli Remensi Cameracensis, Atrebatensis, & Tornacensis, & sedes Cameracensis erecta est in metropolitanam, cui subiectæ sunt Atrebatensis, & Tornacensis, & aliæ duę recenter erectæ, videlicet Audomarensis, & Namurcensis.

F

G

Ac Beatum Memmium Catalaunica vrbis rectorem.) Hic primus ponitur in catalogo Catalaunensium pontificum. De eo Romanum martyrologium, Vsuardus, & alii 5. Augusti.

Nepote suo, vt ferunt, Sancto Diuitiano Suessionis à se pontifice ordinato.) In e. deest Sancto, neque titulus sanctitatis apponitur in tabulis Demochartis, in quibus tertium locum obtinet. Et cum omnia exemplaria nostra legant Suessioni in datiuo, habet Suessionis.

Fouebat pignora.) Sic fere vbique omnia exemplaria, etsi ms. j. hoc loco pignora, &c. fere vbique. Illud tamen antiquitati consonat. Hinc Aldus Manutius in epitome orthographiæ suæ: Pignus pignera dicebant veteres, pignoris posteriores.

Clericorum pariter omnium monasterius decorata.) Qui nunc Canonici, olim simpliciter Clerici nominabantur, vt constat ex antiquorum scriptis, & ex Ioanne Molano lib. 1. de Canonicis c. 2.

CAP. IV.

H

QVæ narrantur hoc c. de primis martyribus vrbis Remensis. Timotheo, Apollinari, & aliis desumpta sunt ex actis, quæ manuscripta se habere testatur Baron. in notis ad Rom. Martyrolog. die 23. Augusti, quorum hoc est exordium Sub Nerone Imperatore, Lampadio præside &c. Eo enim die conformiter Flodoardo, dies natalitius eorum assignatur, & die precedenti S. Mauri & sociorum martyrum. Tempus etiam addit Petrus de Natalibus lib. 7 c. 95. videlicet circa annum Domini 57. de iisdem, & præcipue Beato Mauro, late agit Ioannes Molanus in natalibus SS Belgij die 22. August Nam corpus eiusdem Beati Mauri quod hoc c. scribit Flodoardus reseruari in ecclesia B. Celsini, post ætatem ipsius Flodoardi, sub Arnulpho Remensi Archiepiscopo, reseruato capite, circa annum Domini 1012. translatum est in Belgium, ad locum dictum Florinas, diœcesis Leodiensis, vt patet ex litteris ipsius Arnulphi ad Baldricum Leodiensem Episcopum, quas videre est in Molano.

Vbi domnus Gondebertus, vir clarissimus, cum vxore sua Bertha.) De his late infra lib. 4. c. 46. & 47.

CAP. V.

SVb quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito Diacono suo, primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi primæ interfuisse Synodo, celebratæ per Marinum Episcopum beatissimo Papa Syluestro. Voloseano & Anniano

Confessoribus) Betausios legitur & 3. in elencho Archiepisc. Remensium, quo modo etiam legitur ad marginem tom. 1. Conciliorum in subscriptione. In epistola verò a Synodo scripta ad Siluestrum Ambitausius, & in marg n. Bethausius. vt Baronius anno 314. corrigit. c. 1. & 3 hoc loco Betausius, ex tabulis, vt apparet, Demochares scripserunt, qui testatur eum in concilio Arelatensi secundo Bethausium dici, quod notat habitum esse anno 316. Verùm ex Baronio & dictis consulibus ostenditur celebratum fuisse anno 314. qui est Siluestri Pontificis primus, & Constantini Imp. nonus. Porrò ex præsenti Flodoardi loco confirmatur sententia Cæsaris Baronij, qua ait Episcopos illos, qui in tomis Conciliorum subscripti sunt secundæ Synodo Arelatensi, subscribendos esse primæ, quod secutus est in nouissima Conciliorum editione Coloniensi anno 1606. vir doctissimus Seuerinus Binius. Poterit & hinc textus subscriptionis emendari. Cùm enim ibi legatur: Ex prouincia Galliarum, ciuitate Remorum. Imbetausius Episcopus, Prigenius Diacon, & in margine Betausius, Prigenius, rectè reponatur in textu, Betausius, & Primogenitus. Sequitur.

Post quem Aper, inde Maternianus) De hoc additio Molani ad Martyrologium Vsuardi 30 Aprilis. Eodem die Natalis sancti Materniani Remensis Archiepiscopi, qui sextus rexit eandem Ecclesiam]

Inter aprum & Maternianum Demochares adjecit Discolium, quem sextum facit huius sedis Episcopum, qui subscriptus legitur in Concilio Agrippinensi sub Iulio Papa primo contra Euphratem celebrato, circa annum Domini 346. Sed fortè fuerit tantùm Chorepiscopus, vel titulo tenus Remorum Episcopus, vt de Abel quidam respondent. Nam Discolium illum non esse addendum probatur in primis ex testamento B Remigij infra cap. 18. Ecclesiæ inquit S Sixti, vbi cum tribus successoribus suis requiescit. Et supra. Ecclesiæ Iouinianæ, &c. vbi etiam quinque confessores, proximi antecessores domini Nicasij, &c. conditi sunt. Non sunt igitur plures quam nouem, qui præcedunt S. Nicasium. Secundo ex epistola Ebonis ad Balduinum Ferreum Flandriæ Marchionem, quæ exstat apud Molanum in Natal. SS. Belgij 14 Octobris, in qua disertè scribit B Donatianum septimum fuisse sedis Remensis Episcopum. Tertiò ex Hincmari epistola quæ infra exstat lib. 3. cap. 21 vbi S. Remigium vocat decimum quintum Remorum Archiepiscopum. Cur autem de his Episcopis, & alijs huius prouinciæ Sanctis pauca scribantur, causam adfert Ebo in citata epistola: Huius, inquit, (Donatiani) sanctique Remigij, ac innumerabilium Sanctorum vitæ scripta, Wandalorum vastatione scias esse deleta.]

Hunc Donatianum extitisse Episcopum, cuius etiam pignora ... in partes Episcopi Nouiomagensis vel Tornacensis prælata) Sic & infra loquitur auctor, nominatim lib. 3. cap. 23. quia Ecclesia Nouiomagensis & Tornacensis sexcentis annis vnitæ fuerunt, videlicet a tempore S. Medardi, qui obijt anno Domini 556. vsque ad ætatem S. Bernardi Claræuallensis abbatis. Nouiomagensis alio nomine Nouiomensis, & Nouiodunensis, *Gal. Noyon.* dicitur. Translatus est autem hic beatus Pontifex ad insignem Flandriæ maritimæ ciuitatem, Brugas dictam, quæ antè subiecta fuit ecclesiæ Tornacensi, sed nuper, videlicet anno 1559. ipsa S. Donatiani Ecclesia erecta est in Cathedralem. Fuit eo translatus tempore dicti Ebonis Archiepiscopi Remensis, & Caroli Calui, anno, vt Iacobus Meyerus scribit in suis Annalibus Flandriæ, 863. Illud tamen non potest cum veritate subsistere, quod non asserit quidem, sed se inuenisse scribit idem Meyerus, videlicet eum ab Dionysio vrbis Romæ Episcopo sacris ablutum fontibus, creatumque ab eodem Remorum Pontificem circiter salutis annum 270. Nam vt ex prædictis constat Betausius fuit Remensis Episcopus anno 314. Successerunt ei Aper, & Maternianus, deinde Donatianus. Vt vero nihil nesciamus, in tabulis Democharis vocatus L. Donatianus Romanus, Cornelij & Lucinæ filius. Quæ de vita ipsius castant, adnotat Molanus ad Vsuardum 14. Octobris, & de ipsius translatione ad eundem diem Laurentius Surius.

Quem beatus Viuentius) Huius meminit Molanus in additione ad Vsuardum die 7. Septembris.

C A P. VI.

ANtiquitus in Ecclesia, quæ ad Apostolos dicitur, meruisse fertur) Ita m. & c. Sed in m. recentiori manu superscriptum est S. Symphoriani. Quod ... retuli in textum, sicut & alia quædam ad explicationem pertinentia, hoc modo: Quæ ad Apostolos olim, nunc S. Symphoriani dicitur, quomodo etiam legit 3. Eamdem adnotationem habet in Gallico suo exemplari Nicolaus Chesocau, Decanus & Canonicus eiusdem ecclesiæ S Symphoriani. Sed non probo, quod ad notationes marginales in textum referantur. Idem tamen in textu habent omnia exemplaria lib. 1 c. 6.

Quæ autem hoc c. de Martyrio S Nicasij, Eutropiæ, & sociorum narrat auctor, ea desumpsit pro maiore parte ex gestis ipsorum Martyrum, quæ ex manuscripto codice accepta, habentur apud Surium to. 7. apud Vincentium in speculo hist. l. 21. c. 37 & 38 rerum de natalibus l. 2. c. 69 & S. Antoninum part. 2. hist. tit. 11. c. 8 Sed plenius & perfectius inter vitas Sanctorum Coloniæ excusas in folio, in ipsa adhuc quasi typographiæ infantia an. 1483. Item in Breuiarijs proprijs cathedralium ecclesiarum, Remensis, Ambianensis, Atrebatensis, & Brugensis. Vbi ante omnia constituendum est de tempore quo hæc acciderunt. Qua in re magnam nobis præferunt lucem ea quæ in fine huius cap. citantur ex epist. B. Hieronymi ad Ageruchiam siue ad Gerontiam, quam scriptam docet Baronius in Annal. an. 407 Quare eodem anno verisimile est ea contigisse. Nam Wandali & Alani pridie Kal. Ianuarij anno 406 transito Rheno, Gallias sunt ingressi, vt habet B Prosper in Chronico, videlicet Arcadio sextum, & Anicio Probo Coss. quos ad annum hunc refert Christianus Massæus & Baronius, etsi Prosper ad an. 408. Alia n. Chronica chronologiam Baronij duobus annis superant. Hoc idem referunt ijsdem Coss. Cassiodorus in chronico, & Zosimus l. 6. Eodem pertinent quæ de hac calamitosa irruptione scribit Hieron. epistola iam dicta, et ea eundem annum affert Arnaldus Pontacus in suis notis ad Chron. Prosperi. Atq; imprimis hæc sententia probatur Baronio, dum an. 407. post citata eadem Hieronymi verba, ita subiungit: Quod autem inter alias Galliarum vrbium clades Rhemos a Wandalis referat deuastatos; in eam sententiam me magis trahit, vt existimem S. Nicasium eius ciuitatis Episcopum, vna cum sorore Eutropia & socijs esse martyrio coronatos, licet aliqui ad Hunnorum id referant tempora, quorum acta passionis æquè sub Wandalis ipsos esse passos habent, sed planè corrigendi in eo dum Wandalos Paganos fuisse tradunt, quos liquet fuisse Christianos. Sic ille. Verum quod ad posterius attinet, verisimile est, nō omnes Wandalos fuisse Christianos, sed multos Paganos Wandalis Arianis fuisse permixtos. Quod vero prædicto tempore contigerit hoc martyrium (non autem, vt Sigebertus notat in Chronico, ex vulgaribus, vt verisimile est Francorum Annalibus, sub Hunnis an. 453. aut, vt Demochares. 454.) ex Flodoardo nostro probatur, quia inter S. Nicasium, & S Remigium intercedunt quatuor alij Episcopi, qui infra recensentur c. 9. Porrò S. Remigius obijt an. Dom. 544 Episcopatus sui 74. ætatis 96. vt patet ex ipsius epitaphio infra hoc eodem lib c. 21 Ex quo sequitur, eum factum esse Episcopum an 470. Atq; ita pro quatuor istis Episcopis, intermedijs non relinquerentur nisi anni 16. aut 17. Adde quod S Hieronymus iuxta aliorum 421. aut 422. Quare omnino ante hoc saltem tempus contigisse oportet. Denique pro hac sententia facit, quod inter contemporaneos B. Nicasij nominetur B. Seruatius, qui nequaquam vixisse potest vsq; ad an. 453. Fuisset enim plusquam centum annis Episcopus. Interfuit enim Concilijs Sardicensi & Agrippinensi celebratis respectiue an. 345. & 346 Quod autem legitur trecentis annis vixisse nequaquam probabile est. Quod tamen ad dictam B. Hieronymi epistolam attinet, salua auctoritate Baronij, magis credo eam scriptam esse anno 408. Nam cum excidium vrbis Remorum contigerit in fine an. 407. videlicet 14 Decemb. non potuit eodem anno eius rei notitia ad B Hieronymum in Bethlehem commorantem peruenisse. Altera difficultas hic est: An a VVandalis, an vero ab Hunnis passi sint: sed quæ iam manifesta relinquitur ex solutione prioris. Nam Hunnorū persecutio, & Galliarū per eos vastatio sub rege Attila posterior est, videlicet circa annum 450. Quo sanè tempore vixit B. Anianus Aurelianensis Episcopus, & B. Lupus Trecensis, qui præpropere ab auctore hic nominantur, quiq; suas ciuitates precibus suis & meritis liberauerunt a vastatione Attilæ Hunnorum regis. Sed de S. Lupo facilis videri posset conciliatio, quia annis 52. fuit Episcopus. At non constat, quod demum anno 427. ad episcopale solium euectus sit, iuxta calculum Baronij, qui eum defunctum recenset an. 479 Sed excusandus Flodoardus, qui in hac re sequitur Hincmarū epist. 5. c. 17. inter eas quas R. P. Ioan. Busæus edidit. Quot annis sederit S. Anianus non inuenio in historijs, sed obiisse scribunt anno 453. Verum & hūc diutiu Episcopatu vixisse, & vtramq; persecutionem videre potuisse ex eo potest colligi, quia Vincentius Bellouacensis de ipso agit, vbi de morte B. Hieronymi & VVandalorum persecutione, tanquam ab eo tempore fuisset Episcopus, nempe lib. 19. c. 11. 12. & 13. secutus, vt ipse ait, Hugonem Floriacensem. Certè omnium eorum gesta, tam in Breuiarijs, quam seorsim edita, meminerunt VVandalicæ persecutionis, non autem Hunnorum, quos de suo, motus forte auctoritate Sigeberti, Franciscus Haræus VVandalis coniungit in compendio de vitis Sanctorum, cum integra acta non habeant. Postremo VVandalorum, non Hunnorum, meminerunt Hieronymus & Ebo locis ante citatis. Item Martyrol. Vsuardi a Ioanne Molano auctum, & Martyrologium proprium ecclesiæ Cameracensis. Sigebertum tamen secutus est Otho Frisingensis in Chron. l. 4. c. 28. Ioannes Tilius in Chronicon Francorum, & Vitæ SS. Galliæ a Parisiensibus Doctoribus editæ. Post hæc omnia a me digesta, inuenio Massæum non indiligentē historicum lib. 11. Chronicorum mundi anno 406. mecum idem sensisse, ijsdem fere nixum rationibus, dum ait: Eodem consulatu, (videlicet Arcadij sextum & Anicij Probi) teste Prospero, prid. Kal. Ianuarij, traiecto Reno, VVandali, Alani, & aliæ barbaræ nationes in Gallias irruerunt, & infinitas cædes perpetrarunt: inter quas S. Nicasius Remis occubuit. Testatur id ipsum propria ipsius historia, nullam Hunnorum, sed VVandalorum tantum faciens mentionem. Hoc & S Hieronymus ad Gerontiam apertissime contestatur, qui diu ante aduentum Hunnorum in Galliam defunctus est. Quare meritò detestamur eorum negligentiam qui plusquam 40 annis posterius S. Nicasium passum scribunt, vt nullum ferme inter ipsum & Remigium tempus fuerit. Hactenus ille. Idem aduertit Nicolaus Camuzat in suo promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, docens non rectè Attilæ tribui cædem S Nicasij a Sigeberto, Floardum, inquit, auctorem paulo antiquiorem forte sequuto, qui sanctissimos Præsules Seruatium Tungrensem, Nicasium, & Lupum æquæuos & contemporaneos facit, cum tamen perspicue palam sit, D Lupum non nisi 20 annis post obitum ipsorum Antistitum, ad episcopalem apicem electum. Sic ille. Quod vero quidam ratiocinantur, quia legitur hic Eutropia timuisse castitati suæ, propter pulchritudinem, idcirco potius ab Hunnis id factum, quam à VVandalis, quod gens Hunnorum præ ceteris in Venerem fuerit prona, & impudica, vt testis est Saluianus lib. 4. de recto iudicio & prouidentia, id nimis leue argu-

A argumentum est. Nam in quantis hostili irruptione talia metuenda meti debent.

Alijq, nonnulli virtutibus insignes.) Vt Nicasio coæuus S. Exuperius Tolosanus Episcopus, cuius meminit, vt supra, Hieronymus, & S. Germanus Antisiodorensis æqualis Lupo Trecensi, sed S. Nicasio posterior.

Vnde & illa B. Augustini sententiam, maiorem caritatis reperit fructum. &c. Locus est epistola 180. ex cuius ferè verbis apposite hanc narrationis filum contexuit auctor ab eo loco: *B. itaq, Nicasium aiermam suam pro fratribus.* vsque ad illud. *Non vt mercenarius videns lupum venientem.* Hæc vero sententia Augustini integre sic habet. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel viuere Christiani: maiorem charitatis inuenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus non negat Christum, suscepitque martyrium.

Viduam Aggeruchiam.) Ita m. acc. dit j. Ageruchiam, c. Geruntiam, similiter s. Gerontiam, quam lectionem in operibus Hieronymi prætulit Erasmus, Marianus eam quæ legit Ageruchia. Vide notas nostras ad Chron. Camer. lib. 1. c. 5.

Nemetes. Argentoracus translata in Germaniam.) In Hieronymo nunc legitur, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam, quo modo mutauit s. Verum recte legitur translatæ, vt ad vrbes referatur.

B *Istuc enim intentus his degebat officiis.*) m. Isto. Vera lectio istuc, vel istic, quomodo legitur in vita B. Remigij per Hincmarum, vbi paulo latius declaratur, quod hic dicitur de incendio vrbis Remorũ, & vestigijs pedum eius lapidibus impressis, sicut & infra ab auctore cap 12.

C A P. VII.

QVæcunq, hoc capit. referuntur (excepta translatione per Fulconem facta) ijsdem pene verbis habentur in actis horum martyrum Coloniæ excusis 1483. de quibus supra.

Quam & apud Tornacum castrum (vbi nunc quoq, seruari perhibentur) Extitunt nunc in Tornacensi Ecclesia B. Mariæ notabiles reliquiæ S. Nicasij, sed centum annis post tempora Flodoardi Remos sunt relatæ, tempore Geruasij Archiepiscopi, qui antea Cenomanẽsis fuerat Episcopus. Vnde & Remensis ecclesia festum translationis S. Nicasij celebrat die 23 Iulij. Qua die in Breuiario eiusdem ecclesiæ sic legitur. Quidam è clericis Tornacensibus audiens Geruasiũ, præfatum sacrarium (S. Nicasij Remis) instaurare cœpisse: vt partem corporis B. Nicasij, quæ in Tornacensi Ecclesia seruabatur, suæ restituat ecclesiæ omnibus modis elaborat, tempusq, & locum perficiendo desiderio quærit. Cumq, id per se præstare non posset, quadam nocte Tornacensis ardet Ecclesia: quod incendium vniuersæ
C ciuitati minatur ruinam. Prædictus vero Clericus opportunam nactus occasionem, intrepide ardentem ecclesiam ingreditur, gloriosumque thesaurum deferens, Rhemos peruenit, Geruasioque vt res se habebat, ordine exponit. Qui acceptam hanc beati corporis partem, alteri (quæ in arca recondita erat) apponens, æqualia omnia inuenit. Postmodum vero integrum corpus in ædem diuæ virginis factam, vbi nunc religiose colitur, translatum est. Hæc ibi.

C A P. VIII.

DE S. Oriculo & socijs agit Molanus in additione ad martyrologium Vsuardi 18. Nouembris, his verbis: Ipso die, beati Oriculi martyris, sociorumque eius, qui sub Wandalica persecutione passi sunt. Et Romanum Martyrol. Eodem die sanctorum Oriculi & sociorum, qui in persecutione Wandalica pro fide catholica passi sunt. In notis ibidem Baronius hoc tantum adnotauit. De eo, videlicet Oriculo, cetera manuscripta, ex quibus Molanus apud Vsuardum. Eiusdem legere in additione Coloniensi, quæ facta est ad Vsuardum Anno 1521.

D *Quod adhuc manifeste parere dicitur.*) Ita m. c. recenti manu syllaba ap. adiecta est. Vnde s. & j. legunt apparere. Cum parere pro apparere vsitatissimum sit, vt Matth 24. Tunc parebit signum filij hominis.

Presbyter eiusdem loci, nomine Betto) m. Becco, c. Beto. Per presbyterum autem huius, aut illius loci passim in hac historia, & antiquorum scriptis intelligitur is, qui nunc pastor, parochus, aut Gallica voce Curatus dicitur. Sic in vita S. Bauonis Domlinus presbyter ex Thurolto venisse dicitur, qui eiusdem loci pastor erat.

C A P. IX.

T*Vm Bernadius, tamen tamen Bernagius nomen in testamento suo.*) Io tabulis Democharis, & in Annalibus Baronii male legitur Gennadius: vbi & obiisse scribitur anno 471. cum potius vno anno ante obierit. Nam vt constat ex adnotatis ad cap. 6. & infra ad cap. 13. Remigius Episcopatum suscepit anno 470.

C A P. X.

QVæ de natiuitate & vita S. Remigij hoc cap. & sequentibus disferit, ea ferè delibata sunt ex vita ipsius per Fortunatum & Hincmarum descripta. Illa extat apud Surium die 1. Octobris, hæc 13 Ianuarii, quas accurate cum his quæ hic Flodoardus habet contuli. E **E**
in Hincmaro quidem omnia vberius, interdum etiam clarius, enarrantur. Nonnulla tamen addidit Flodoardus aliunde accepta. Natus est autem S. Remigius teste Sigeberto, Christiano Massæo, & alijs anno 449. Vide infra notas ad cap 13.

Principium, Suessorum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & patrem beati Lupi eiusdem Principij successoris.) Hic S. Principius in catalogo Suessionensium Episcoporum apud Democharem est 12 beatus vero Lupus 13. De Principio Romanum martyrol. 25 Septembris, & eodem die additio Molani ad Vsuardum. De vtriusque vero, id est Principij & Lupi eleuatione Calendis Iunij. Ceterum etsi hæc verba accipi possent, vt significent B. Ciliniam matrem S. Remigij non duos habuisse filios in iuuentute, sed ipsum Principium fuisse patrem B. Lupi, vt expresse in Gallica translatione dicitur: in vita tamen S. Remigij per Hincmarum diserte significatur duos habuisse. Sic enim ibi legitur. Quæ in flore iuuentutis pepererat de vnico viro suo Æmilio Principium, Suessionum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & fratrem eius, patrem beati Lupi Episcopi, eiusdem Principij successoris.] Idem dicere voluisse Flodoardum, qui Hincmarum abbreuiat, non est dubium. Quare non recte Baronius in Annalibus anno 463 & 507. dicit S. Lupum Suessionensem, fuisse filium S. Principij Episcopi Suessionensis. Sed illud verum est, fuisse successorem Principij & nepotem S. Remigij, vt patet ex actis, & ex testamento eiusdem. Sane Ioannes Sauaro in notis ad epistolam Sidonii 14. lib. 8. & 8. libri 9. dicit Principium fuisse patruum Lupi Suessionis Episcopi, suique successoris, non patrem. De hac difficultate **F**
consultus a me Dominus Guillelmus le Begue, S. Theol. doctor, & Archimagister collegij Remensis, respondit conformiter his quæ habent Hincmarus & Sauaro, addens testimonium anonymi cuiusdam scriptoris monasterij S. Remigij, quem vixisse scribit circa annum Domini 1400. quod sic habet. Cilinia in flore iuuentutis, peperit de vnico viro suo Æmilio duos filios, videlicet Principium, & alium cuius nomen nobis est incognitum, qui duxerat vxorem, ex qua filiũ procreauit, nomine Lupum, qui quidem post S. Principium auunculum suum (vult dicere patruum) Episcopatum Suessionensem suscepit.]

In eius lactatione) Sic omnia exemplaria, sed ex Hincmaro videtur legendum ablactatione.

Iam tamen senum.) Ita c. j. In m. legitur dum tamen, quod a. in vnam dictionem coniungens, exponit, vt sit quod veruntamen.

Et æquorum maxime viris adhuc insigne habetur.) Æquorum, id est bonorum & piorum virorum, vt opponatur iniquis.

In cuius & ipsa beata genitrix eiusdem requiescit ecclesia.) Loquitur de B. Balsamia, vel vt c. Balsemia, nutrice S. Remigij, quæ requiescit in Ecclesia S. Celsini filij sui, quæ hodie vocatur Ecclesia sanctæ nutricis. Celsini autem meminit Molanus in additione ad **G**
Vsuardum die 25. Octobris, his verbis: Remis sancti Celsini confessoris & presbyteri, discipuli B. Remigij.]

C A P. XI.

Q*Vod ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem.*) Iuxta antiquos canones, vt patet ex decretis Fabiani Papæ, & Concilio Neocæsariensi can. 11. prohibetur, ne quis presbyter ordinetur ante annum ætatis trigesimum, etiamsi valde dignus sit, qui canones habentur quoque apud Grat. dist. 78. Quare multo minus poterat Episcopus ordinari.

Paulus videretur in spiritu) Sic omnia exemplaria præter c. qui legit inspectu. Sed legendum in spiritu patet, tum ex Hincmaro, tum ex initio vitæ S. Rigoberti apud Surium 4. Ianuarii, vbi eadem sententia reperitur.

C A P. XII.

I*N vicum Calmiciacum nomine, ipsius accessit studij deuotione*) Ita ms. **H**
j. & infra c. 21. & lib 2. c. 7. & 11. omnia exemplaria. Similiter in Fortunato, ex quo hoc miraculum est desumptum: In vicum, cui vocabulum est Calmaciacus, ipsius deuotionis studio accessit. Hoc loco c. legit Culmiciacum. Infra interdum Calmisciacum, vt capite decimo octauo in testamento sancti Remigij, aliquando Colmisciacum, aliquando Colmisiacum, Culmisiacum, & Culmissiacum, vt cap. 20 in fine. Eius loci pastor fuit ipse Flodoardus, vt patet ex libro quarto cap. 28. In Gallico vertitur *Cormicy*, & in margine ponit alias *Chaumussy*, quomodo vertit capite vigesimo huius libri, & libro secundo capite septimo *Chaumuce*. Capite autem tertio iterum *Cormicy*, & ita consequenter.

Pro saluando scilicet eodem) subaud. vase: hoc est, ne vas corrumperetur, si plane esset vacuum.

Per portam Pasensem.) Hincmarus rationem nominis adferre, adiecta hac parenthesi: Sed enim tunc temporis vocabatur, quia potius illis clausis ob ciuitatis custodiam, pro exeuntium & introeuntium commoditate, mediæ patebat. Locus, ait, Remis est, vbi nunc est Ecclesia templi: quæ, vt reor, à Templariis nomen habet.

Eorumque litteras ad beatum Remigium datas (vt traditur, fretus) Litteræ sancti Benedicti ad beatum Remigium adhuc hodie extant in fine chronici Casinensis, & in Breuiario Benedictinorum Calendis Octobris, & alibi aliquoties, teste Arnoldo Wion libro 1

A ligni vitæ c. 1. Restant eadem to. 6. annalium Baronii anno 507. vbi eas vocat in suspicionem imposturas cũ ea inscriptione, quæ videtur ei insolentior, tum ea eo quod in testamento S. Remigii ille cuius filiam curauit a Dæmone, & à morte suscitauit Benedictus vocetur, & errore factum existimat, ab Hincmaro (ex quo accepit Flodoardus) vt pro Benedicto isto patre puellæ homine prædiuite in Prouincia, positus sit S. Benedictus hoc tempore monasticam vitam in Italia excolens. Verum hæc epistola & narratio Hincmari de S. Benedicto nequaquam repugnat cum testamento S. Remigii. Nam vt habet historia vitæ S. Remigii, iste Benedictus filiam suam primo ad limina Apostolorum, & ad S. Benedictum deduxit, deinde S. Benedictus cum hac epistola ipsos patrones in Gallias remisit. Quam epistolam non esse illius Benedicti, cuius vult esse Baronius, ex eo deducitur, quod ipse in persona, non per litteras ad S. Remigium venerit. Adde nec titulum, nec verba epistolæ vllo modo quadrare posse in Benedictum huius puellæ patrem. Neq; vero quempiam moueat, quod Flodoardus ait (vt traditur) quomodo loqui solemus, dum res non est plane comperta, quia id non est in Hincmaro, sed a Flodoardo adiectum, cum hoc loco, tum aliàs sæpe, vbi nulla subest dubitatio, ac nominatim infra capit. 17. Hincmarus autem plane assertiue id refert, de litteris tam ipsius viri Dei Benedicti (sic enim eum vocat) quam Alarici regis Gothorum. Vtrarumque pariter meminit longe ante Hincmarum Fortunatus presbyter in vita S. Remigii, & ab an-

B tiquitate non est leuiter recedendum. Sed nec inusitatum prorsus videri debet. Considerata præsertim priscorum monachorum verè candida & Christiana simplicitate, quod inferior ætate & dignitate scribens ad maiorem, se fratrem & conseruum in Christo Iesu nominet, & æternæ benedictionis munus, non dico auctoritatiue impertiri, sed humiliter exoptet: quomodo passim etiam scribentes, salutem, vitam æternam, vel aliud bonum exoptamus. Vt autem de hac re quisque suum ferat iudicium, litteras illas, quæ breues sunt ex dicto chronico hoc loco inserendas censui, & quidem aliquanto correctius, quam Gallicæ suæ versioni inserit Nicolaus Chesneau ex manuscriptis chartis VV. Religiosorum Monasterii S. Remigii Remensis. Sic igitur se habent: Dominico sacerdoti Remigio, frater & conseruus in Christo Iesu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis munus.

Sanctissimo tuo congratulans profectui, sacerdos regis summi, quia summi capitis membra sumus, quod mihi sentio deesse in me, totum, laus Deo, possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ authoritatis sacerdotalis habeat merita: & desinant ammodo circa me rumores hominum, cum apud te constet omnium esse perfectionem virtutum. Hanc captiuam, & ab antiquo hoste obsessam tuæ delego celsitudini: quatenus pro eius libe-

C ratione sacram hostiam offerre Deo debeas, & meam paruitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale sacerdotum Christi limpidissime calculé.

Cum deuincta sobole peruenerunt.) Deuincta id est ligata, vinculis constricta. Nam in Hincmaro est, illam secum vinctam adducentes.

Sidonius domno Papæ Remigio salutem.) Nomen Papæ tribui solere omnibus Episcopis patet innumeris exemplis in Cypriano, Hieronymo, Augustino, Sidonio, Fortunato, Eulogio Cordubensi, & aliorum Patrum scriptis. Floruit autem hic Eulogius anno 850. ad quod vsque tempus hoc nomen commune fuit omnibus Episcopis, licet paulatim frequentius ac peculiarius tribui cœpisset Romano Pontifici, vt facile obseruari potest ex scriptis Cassiodori. Cum igitur futuris temporibus obtinuisset communis vsus, vt Papæ nomen tantummodo Romano tribueretur Pontifici, & schismatici quidam Episcopi illud sibi in odium eiusdem Romani Præsulis fastu superbo vindicarent, aliaque non concessa præsumerent, tandem sub Gregorio septimo anno Domini 1073. habita Romæ Synodo, inter alia statutum est aduersus prædictos schismaticos, vt Papæ nomen vnicum esset in vniuerso orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellare. Exstat ea Synodus in registro epistolarum Gregorii vij in bibliotheca Vaticana. Hæc ex notis Baronii ad Romanum martyrol. 10. Ianuarii. Vtinam vero in lucem aliquando proferantur, si ab æui dentibus absumpta non sint,

D ea B. Remigii scripta, quorum meminit Sidonius in hac epistola. Nam B. Remigium multa scripsisse testatur quoque Romanum Breuiarium Calendis Octobris, dicens eum multos interpretatum esse diuinæ scripturæ libros. Hincmarus eum vocat vndecumque doctissimum, & in scripturis sanctis eruditissimum. Gregorius Turonensis lib. 2. historiarum Francorum cap. 31. recitat principium epistolæ consolatoriæ B. Remigii ad Clodoueum regem super morte sororis suæ Albofledis. Aimoinus lib. 1. de gestis Francorum capite vltimo recitat Epitaphium eiusdem regis Clodouei, ab eodem, vt creditur, S. Remigio compositum. Guilelmus Eysengrein in catalogo testium veritatis dicit eum, editis libris, adulterinas de Christi fide Arianorum opiniones prodidisse, & alia plurima litterarum monimenta reliquisse. Prodierunt nuper Moguntiæ excusæ in folio Anno 1614. eius in epistolas Pauli explanationes opera R. P. Ioannis Baptistæ Villalpandi Societatis Iesu Theologi, qui in præfatione ad lectorem probabiliter ostendit esse huius Remigii, non autem Remigii Antissiodorensis, dissoluens quæ contra obiiciuntur. Certe nō solum Bellarminus, sed ante eū Cuthebertus Tunstallus Dunelmensis Episcopus lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Domini in eucharistia, & post eum Ioannes Garetius de eodem argumento centenario sexto, citant ex Remigio Remensi Archiepiscopo præclarum locum, qui exstat in his explanationibus. Addit Cuthebertus: Huius Remigii librum vnum atq; alterum vetusta scriptos manu, atq; illius inscriptos nomine nos aliquando vidimus. Villalpandus autem in dicta præfatione testatur in variis libris Monasterii Cassinensis varias asseruari homilias, quæ Remigii episcopi nomen atque inscriptionem retinent. Res tamen hæc mihi nondum certa est. Est opus in

E folio Hanouiæ excusum anno 1613. cui titulus: Corpus Franciæ Historiæ veteris & sinceræ. In eo est tractatus multas continens regum & Episcoporum epistolas, & inter ceteras quatuor sunt Remigii, duæ videlicet ad Clodoueum, quarum prima est consolatoria, de qua supra, tertia Heraclio, Leoni, & Theodosio Episcopis, quarta Falconi Episcopo dirigitur.

Quæcumq; detulerat, quanquam mercari paratus, quod tamen, nec erat iniustum, pro munere ingessit.) Ex operibus Sidonii castigatis studio Ioannis Sauaronis restitui vocalam paratis, pro, paratus, & eius pro cuius, & infra tria alia verba: vicissim ex nostro auctore, in eadem Sidonii epistola possunt nouem aut decem loca restitui. Sic autem ibidem legitur hæc sententia. Quicquid detulerat, quanquam mercari paratis, quod tamen vt eius, nec erat iniustum, pro munere ingessit. Eodem modo legit editio cum notis Ioannis de VVouvveren & Petri Coluii, nisi quod in medio tria legat & distinguat, facta parenthesi (quod tamen eius nec erat, iniustum) hanc & alias in eadem epistola mendas habet, vt editio Sauaronis meritò sit præferenda, si ex vtrague locutionem iudicare fas est.

F

C A P. XIII.

Siagrium, Romanorum quemdam principem.) Is erat Ægidii filius, dux Romanorum, qui Suessione residebat. Gregor. Turonensis lib. 2. hist. Francorum c. 27. Sigeb. in chronico anno 489. quo eum occubuisse scribit.

Quo quondam secus vrbem Remorum transitum faciente.) Scilicet per viam quæ vsq; hodie, inquit Hincmarus, propter Barbarorũ per eam iter, Barbarica nuncupatur. Gallice *Rue de Barbatre*, & in ea vicus *Barbastre*, vt in manuscripto suo exemplari adnotauit Nicolaus Chesneau. De his autem quæ describuntur hoc cap. agit vbi suprà Gregor. Turo. c. 27. 28. 29. 30. & 31.

Quo vna fontem perennis ingresso.) Nuda olim baptizandos ingredi solere, saltem pube tenus, fontem baptismalem, non autem, vt nunc fit, caput tantum aqua perfundi. Probant id antiquæ picturæ & historiæ. Vnde de Radbodo Frisonum duce legitur in vita S. Vulfranni Episcopi, scripta per Ionam Fontanellensem monachũ, apud Surium tom. 2. die 20 Martii, quod postquam ad fontem processerat, a fonte pedem retraxerit, dicens: Non se carere posse consortio prædecessorum suorum Frisonum principum, & cum paruo pauperum numero residere in regno cœlesti. interrogauerat enim Episcopum, vt esset maior pars principum seu nobilium gentis Frisonicæ, in illa videlicet cœlesti, an in ea quam dicebat Episcopus Tartarea regione. Idem refert Sigebertus in Chron. anno 718. his verbis: Radbodus dux Frisonum prædicatione Vulfranni Episcopi ad hoc inductus, vt baptizari deberet cum vnum pedem in lauacro in-

G tinxisset, alterum pedem retrahens, interrogauit vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in paradiso? &c.

Mitis depone colla Sicamber.) Ex hoc videri potest Clodoueus ortu aut origine Geldrus fuisse. Nam Geldros Belgiæ nostræ populos olim dictos Sicambros, multi constanter asserunt, & inter eos Hermannus a Nuenare in narratione de origine & sedibus priscorũ Francorum, & in commentariolo de Gallia Belgica. De hac re videatur Molanus in Natal. SS. Belgii die 13. Ianuarii.

Porro in quem Domini annum inciderit baptismus Clodouei non omnes conueniunt. Post hunc exemplaris in eadem manu, qua scriptum est illud exemplar, hæc sunt adiecta, & quidem integris dictionibus, non notis numerorum, in quibus facilis est lapsus. Ab incarnatione Domini ad transitum S. Martini anni quadringenti quadraginta tres. Ab incarnatione Domini ad baptismum Francorum anni quingenti quadraginta duo. Ab incarnatione Domini vsque ad transitum Clodouei anni quingenti quinquaginta sex. Ab incarnatione Domini vsque ad transitum S. Remigii anni quingenti septuaginta quinque computantur. Sic ibi. Sed hæc multis modis a vero discedunt. Nicolaus Chesneau in translatione sua Gallica hoc loco margini adscribit, Clodoueum esse baptizatum in vigilia paschæ anno 497. regni sui 15. quamuis idem in præfatione ad Clerum & populum Remensem, baptizatum dicat anno 542. vt est in fine dicti exemplaris. Margarinus de la Bigne in indice chronologico bibliothecæ Patrum secundæ & tertiæ editionis, seculo quinto, in Clau-

H diano Mamerto dicit Clodoueum baptizatum anno 451. hoc est centum fere annis citius. At iuxta Sigeberti, Sebastiani Munsteri, Ioannis Tielii, & Baronii Chronologiam baptizatus est anno 499. Ab his non longe recedit Aimonius in fine libri primi de gestis Francorum, scribens Clodoueum regnasse annis 30. & obiisse anno Dominicæ incarnationis 514. Coniectant enim plerique eum esse baptizatum anno regni sui 15. vt Ioannes Trithemius, Franciscus Belleforestius in Annalibus Francorum, & alii. Ab iisdem quoque parum, aut nihil dissentiunt, qui docent eum fonte baptismatis lotum fuisse anno 500. vt Mallæus, Belforestius, Genebrardus, & alii recentiores. Cum enim constet eum baptizatum fuisse in vigilia paschæ, & stilo Gallicano, ad nostra vsque tempora etiam in Belgio vsitato, annus Domini inchoari soleat à festo paschæ, secundum illos baptizatus fuit vltimo die anni 499 secundum hos primo die anni 500. Quibus ex antiquitate accedit Hincmarus in epitaphio B. Remigii, quod refertur infra c. 21. in quo exactissime tempus ætatis, ordinationis, sedis ipsius, & baptismi Francorum exprimitur. Nam constat ex illo

A epitaphio B. Remigium creatum fuisse Remorum Episcopum anno ætatis suæ 22. præfuisse annis 74. obiisse anno Domini 544. ætatis suæ 96. & gentem Francorum baptizatam anno 500. Quare oportuit eum creatum fuisse Episcopum anno 470. Nec ab his quo ad obitum dissentit Sigebertus, qui eum ponit natum fuisse anno 449. creatum Episcopum 471. & obiisse 545. sicut & Iacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ. Nam cum obierit 13 Ianuarii, vnus ille demque annus incipiendo à Ianuario est 545. a paschate (vt Galli hactenus vsque ad tempora Caroli IX. computauerunt) est 544. His tamen non conuenit, quod Flauius, qui post Romanum B. Remigio successit, legatur subscripsisse Concilio Aruernensi celebrato anno 541 iuxta Baronium, (vti mecum sentit præfatus Guillelmus le Begue) quod ponat illud Concilium Aruernense dicto anno celebratum, cum potius 15. aut 16. annis postea habitum sit.

Cum quodam Raganario principe trans Sommam fluuium.] &c. id est Cameraci, vt exponit hæc verba Baldericus auctor Chronici Cameracensis lib. 1. c. 4. vbi plura de isto Raganario, siue vt ipse scribit, Ragnachario. ms. Somnam & codex monasterii S. Remigii, vt notat Nicolaus Chesneau, qui tamen in textu habet Somenam, & Gallice vertit *Somme* Similiter Somenã habet j. & Sigebertus Anno 445.

Præfato rege Ludouico.] Ita m. c. cum m. infra fere semper scribere soleat Ludouico: quomodo, vt notauit idem Nicolaus Chesneau, hic etiam legit dictus codex sancti Remigii. Quod nomen multis etiam aliis modis scriptum reperitur vt notaui ad Chron. Cameracense libro primo capite trigesimo septimo. Obseruant autē B quidam Clodoueum post Baptismum vocari Ludouicum, quod eo nomine in baptismo dictus sit, vt notauit Laurentius Surius die decimo tertia Ianuarii. Quare, obnitentibus præsertim omnibus exemplaribus, non est hic mutandum nomen Ludouici in Clodouei, vt in 1. factum est & j. vbi idem nomen esse non sit negandum.

C A P. XIV.

NOn modicam nec non earumdem partem rerum, *Ecclesiæ sanctæ Mariæ Landuni Clauati, Remensis parochiæ castri, vbi nutritus fuerat, tradidit.*) Scilicet sanctus Remigius. Cum enim castrum Laudunum cumuati, & Comitatus Landunensis pertinerent ad parochiam, seu diœcesim Remensem, ipse B. Remigius nouum Episcopatum Landuni erexit, vt tum ex hoc cap te, tum ex Sigeberto patet in chronico. Sic enim ait ad annum Domini 500. Collatis à Clodoueo Rege multis prædiis Ecclesiæ Remensi, Remigius, multa eorum parte data Ecclesiæ Landunensi, sedem Episcopatus ibi esse constituit, & eumdem in fornicationem cū sua quondam vxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatū, & de reclusione diuino iussu eductū, sedi suæ restituit. Hæc Sigebertus. Sequitur in Flodoardo.

Ibique Genebaudum, carne nobilem virum.) Nicolaus Chesneau in margine Gallicæ suæ translationis vocat eum Comitem. Porro nostra exemplaria perpetuo legunt Genebaudū. In Hincmaro apud C Surium vocatur Genebaldus, vt & in tabulis Democharis, qui addit a quibusdam Geraldum, ab aliis Genebaudum dici, quomodo etiam legit Hincmarus manuscriptus in Monte S. Bligii. Diuersitas ex eo nata videtur, quia ex voce Gallica Genebauld, alii n abstulerunt, alii l.

Tacitusque tam viri, quam mulieris ardor, in corde libidinis) tac. pro tacitusq, male legit totusq,. In Hincmaro integra sententia ita habet. Sicq; factum est, vt tecta hominibus culpa, & in cordibus, tam Episcopi, quam feminæ, tectus luxuriæ ardor, quoniam, vt notum est, quo magis tegitur, tectus magis æstuat ignis: contra culpam cōpunctus Episcopus &c. tacitum ergo dixit tectum & secretum. Patet autem ex hac S. Genebaudi historia, quam sit a veritate aliena Sectariorum nostri temporis doctrina, qui illud Apostoli: Vnius vxoris virum intelligi volunt de vxore quam habeat, cum tanta pœnitudine elui oportuerit congressum cum vxore quam à se thoro separauerat & verissimum esse, quod ait Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum: Certe confiteris non posse esse Episcopum qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.]

S. Remigiū petiit vt Landunū) Hoc est vt iret, seu veniret. Clari⁹ Hincmarus: Ad sanctū, inquit, Remigiū misit, petens vt Landunū veniret.

Obiit igitur Genebaudus in pace, sanctis Dei commemoratus.) Agunt de eo additio Codicis cuius ad Vsuardum, & Molanus quinto Septembris, de quo, inquit additio Coloniensis) in gestis S. Remigii legitur D Quæcumq, cum hic de eo sunt cōmemorata fusius explicat. Hincmarus in vita S. Remigii. Petrus vero Equilinus de eodem, & filio eius S Latrone agit lib 1. c. 41.

Quarum rerum sunt Iuliacus & Codicianus capita.) Ita constanter omnia nostra legunt exemplaria, tum hoc loco, tum multis infra, & Hincmarus manu scriptus. Quapropter quod apud Surium in Hincmaro typis excuso legitur, Iudaicus & Ocilracus ex hoc auctore nostro corrigendum est.

C A P. XV.

GOndebaudum & Godegesilum.) Ita codex Remig. conformiter Gregorio Turonensi lib. 2. hist. Francorum c. 32. & sequētibus, & Aimoino lib 1. de gestis Francorum c. 19 quibus locis eadem historia describitur, & legitur Godeg sil⁹, quomodo hic legit j. Cui accedit quod in Hincmaro apud Suriū legitur Godegi silum Alia nostra exemplaria Godigeselū legebant. Erat autem Gondebaudus iste, vel vt in Hincmaro & Aimoino Gondebaldus, in Gregorio Gundobaldus, rex Burgundionū, qui teste eodem Gregorio hęresi Ariana infecti erant. Massæus initio libri 12 Chron. scribit Gondebaldum & Gundegisilum.

Venerunt super Oscara fluuium, secus Diuionē castrū, &c. & in Auuinione castro se Gondebaudus concludens.) In Hincm: Oscharā quo scribit s. Omnia autē exemplaria præter j. Auionē, habebāt, sed Auinionē scripsimus ex Hincmaro, & Gregorio, qui eum Aueniōnē vrbem ingressum esse dicit. Similiter & Massæus Auinionem nominat. Nicolaus E Chesneau vertit *Auignon.*

Et synodo per sancti patroni sui Remigij consilium, in vrbe Aurelianensi habita) Hæc est prima synodus Aurelianensis: extat to. 2. Concil. Eam vult Baron. habitam an. 507. Sigebertus, Massæus, Onuphrius & alii an. 512 Inter ceteros subscripti leguntur S. Gildaldus Rothomagensis Episcopus, & S. Lupus Suessionensis.

Tunicaq; Blattea.) Sic m. j. & Hincmarus manusc. excusus apud Surium, qui in margine quoq, adnotauit: Blattam pro purpura ponit S doctus. Sic & Sigebertus ex mss. codicibus a viro doctiss. Auberto Miræo editus etsi Gallica exemplaria legant blacteam, Germanica Bracteā, c. balteā, s. blatteā. Verū a prima lectione non est recedendum. Nam & blatteum pro purpureo vsurpant Eutropius, Cassiodorus, & alii. Addeq; tunicam blateā legit Greg. Turonensis li. 2. hist. Franc. c. 38. Quod a. hic dicitur iisdē pene verbis habet Sigebertus ad annū 510. ita scribens. Clodoueus rex ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam blatteam accepit, & ex ea die Consul & Augustus est appellatus. Ipse vero ream misit Romam S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnū appellari solet) Pertinet ad eiusdem rei clariorem intelligentiam q aut Papirius Masson⁹ l 1. Annal. Franc. his verbis: Anastasius Cæsar Clodouei nomē resq; gestas miratus, legatus ad eū in Celticam misit ex Græcia, honorariosos Regem Francorum Patritii dignitate à Consulatu lōge diuersa, illa enim perpetua, hęc annalis Sic ille.

Litteris suis ad illum directis.) Litteræ Hormisdæ Papæ, quibus vices F suas B. Remigio in regno Ludouici cōmisit, exstāt in. 2. Concil. & apud Surium tom. 2. in vita ipsius B. Remigii per Hincmarum conscripta.

C A P. XVI.

NOmen synodi in qua S. Remigius conuertit hæreticū, nusquam inuenio, Bar. to. 6. an. 514. ait fuisse synodū Remis coactam ab ipso S. Remigio post acceptas literas ab Hormisda papa, quib. et suas vices cōmisit, quem, vt in ceteris omnib. sequitur Seuerinus Binnius to. 2 Concil. ponens illud celebratū anno tam dicto, sub Hormisda, in causa ecclesiasticæ disciplinæ in Gallia reformandæ. Verum his aduersatur q initio huius capitis dicitur: Præsules Gallia petiisse, vt B. Remigius ad illud Conciliū veniret. Quod idem habet Hincmarus, & vterq, dicit in causa fidei celebratū esse, non tantum ab Episcopis Galliæ, sed & Belgicæ prouinciarum, vt diserte asserit Hincmarus. Neq, hanc synodum, vt ad me scripsit supra citatus Guilelmus le Begue, Remenses agnoscunt Quare existimat id factū in prædicta synodo Aurelianensi. Verum id manifeste aduersatur Hincmaro & Flodoardo, qui duas synodos, & hanc a priore diuersam recensent.

C A P. XVII.

SEmper (inquiunt) est bonus fons, si vs super potest) Ita omnia exēplaria, & Hincmarus. Sēsus esse videtur si nihil amplius haberi potest. Quo G facit q in Hincmaro precedit, B. Remigiū hęc tranquillo corde & ore dixisse. In Gallico vertitur. Si non excedit, & non nimis potens est.

Vere ponderosi fiant, & feminæ gutturis calamitate plectantur.) Hic ponderositas vitium est genitalium, quod quale sit explicat S Greg. 3. par. curæ pastoralis cap. vlt.

Quemnam Vicedominum ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt.] Quodnam fuerit olim hoc officium, videantur canones apud Grat. dist. 89. cap. Volumus, & sequentibus. Ex quo loco, & infra ex Flodoardo lib. 2 c. 13. constat eadem fuisse, Vicedominū & Oeconomū Ecclesiæ. Eodem modo exponit Onuphrius in interpretatione vocum Ecclesiasticarum. Gallice vertitur *Vidame de Reims.* Nam Gallice *Dame* olim vsurpabatur genere masculino pro Domino, vt probat Sebastianus Roullard in sua Parthenia Carnotensi cap 17. vbi late agit de vicedominis Ecclesiæ Carnotensis, declarans quodnam, & quale fuerit eorum officium.

Cum dederit dilectis suis somnum, hoc est hereditas Domini.] Ita Psalterium Romanum legit. Nostram vulgatæ editionis, quod consentit cum Gallicano, paulo aliter.

Et nullum propalati corpus seruabatur in eo sancti, circumiacentibus tamen atrijs, Ecclesia cœmiterium seruabatur ex antiquo Remensis.) s. j. Remense, & tota sententia clarior est in Hincmaro, ad hunc modū: Sed nullum corpus nominati Sancti in ea iacebat, & in qua eiq, circumiacentibus atriis, ex antiquo erat cœmiterium Remensis ecclesiæ. Verum ad margine adnotauit in Gallica versione Nicolaus H Chesneau, antiquum cœmiterium Remense extra vrbem fuit.

Adaloldi quoq, tres inferere famuli.) Hic videtur vel auctor monimenti ibi posuit, vel potius horum rythmorum, quos per modum versuū excudi curauimus, quia facti sunt instar prosarum siue sequentiarum, quæ olim frequenter recitabantur ad sacrum Missæ officium.

C A P. XVIII.

BEati Remigii testamentum Barnabas Brissonius lib 7 de Formulis & solemnibus populi Romani verbis integre transcripsit ex hoc nostro auctore, & aliunde. de quo sic præfatur Exstat D Remigii Remensis Archiepiscopi, qui laudum suarum præconem egregium Sidonium Apollinarem æqualem suum epistola 7. lib. 9. habet elegans testamentum. a me petitū ex Hincmari & Flodoardi scriniis, & ipsius Remensis Ecclesiæ archiuo descriptum, versione & auspicio Nicolai Querculo in Gallica Flodoardi editione &c. Habet eodem loco Brissonius testamentum Hadoindi Cenomanensis Episcopi Huius meminit Flodoard. lib. 2. c. 4. eiusdem fere seculi & stili, quod sic incipit. In nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus S. viii id Februarii in anno v regnante gloriosissimo Clodoueo rege. Ego Hadoindus ac si indignus tamen peccator, Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Cenomannicis ciuitatis sanus, Deo propitio, mente & corpore, sanoque consilio, metuens casum humanæ fragilitatis, testamentum condidi, idque Calidulfo Diacono scribendum dictaui. Quod testamentum meum si quo casu iure ciuili aut prætorio, vel alterius nouæ legis interuentu valere nequiuerit, ac si ab intestato ad vicem codicillorum valere id volo, & valeat. Itaque si quando ego Hadoindus suprascriptus Episc. e rebus humanis excessero, & debitum vniuersi tēporis compleuero. tunc tu SS Ecclesia venerabilis heres

mea

A mea esto, heredemque meam te esse constituo, vt vbicumque aliquid per hoc testamentum meum dedero, legauero, dareue iussero, id vt detur, fiat, præstetur, fidei tuæ heres mea committo, &c. Quæ ideirco huc attuli, quia faciunt ad maiorem testamenti B. Remigii intelligentiam, quod quidem, etsi fidelissime à Brissonio sit editum, est tamen vbi maiorem admittere potest diligentiam & emendationem.

Si ei tunc aliquid videbitur defuisse.) Restitui, si ei, pro, fieri, ms. male affuisse pro defuisse, nisi forte scriptum fuerit abfuisse.

Donauero, legauero darive iussero.) Ita ms. j. & Brisson. c. donando legauero. Paulo post male Brisson. Pontensi pro Portensi, quod forte typographi mendum est, sicut & multo post, colonos pro colonas, & post tres dictiones omittit illa verba: *Cum omnibus quos intestatos reliquero*, quæ desunt etiam in c. & alia nonnulla, quæ ex aliis exemplaribus suppleui.

Tuo Dominio vindicabis.) Sic tam hoc loco, quam bis in medio testamenti habent omnia exemplaria, & Brisson. cum legendum videretur vendicabis. Sed etiam hodie docti sic scribendum iudicant, & ita olim scriptum fuisse docet Aldus Manutius in sua orthographia. Vnde viodex, non vendex, & vindiciæ. Certe vindicare inter cetera significat asserere. Videatur Ludouicus Rhodiginus lib. 17. antiquarum lectionum c. 29.

B *In prochio, cœnobiis, martyriis, diaconiis.)* Prochium, Græcè πτωχεῖον domum mendicorum significat, Martyria dicebantur ecclesiæ, vel oratoria, in quibus martyres colebantur. Diaconiæ, à Diaconis dictæ sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ oratoria & sacella adiuncta habebant, in quibus à patre Diaconiæ siue Diacono egenis necessaria subministrabantur. Vide Onuphrium vbi supra. Meminit horum Zacharias papa epist. 7.

Vicum ex proprio in Portensi. & [illegible] Villanos quoque.) &c. ms. hoc loco, & mox infra Potensi, item villanis legunt, & in m. vacat spacium, vt significetur deesse aliqua dictio, vti & infra, quod à Brissonio & aliis non est animaduersum, ideoque omnia continenter scribunt. Similis est varietas lib. 2. c. 11. vbi initio capitis ms. j. iterum Potensi legunt, sed c. vertit *Poslet.*, & in s. littera t superponitur. In fine vero m. & c. Potensi. lib. 3. c. 7. omnia legunt Potensi, & ibidem vertit, *Porez*, sed in margine ponit *ou de Portiam*. Item lib. 4. c. 29. pagum Potensem, c. j. Potensem, & Gallice vertit *la terre de Portiam*.

Duodecimum vero sicut à Clodovvaldo.) &c. m. Ludovvaldo, & similiter infra Ludovvaldus Brisson. Hlodouualdo, & similiter infra lib. 3. cap. 20. in omnibus exemplaribus bis legitur Sanctus Clodoaldus. Beatus Remigius paulo infra vocat eum puerum sanctissimum, sibique vnanimem. Agunt de eo Vsuardus, Romanum martyrolog. martyrol. monasticum Arnoldi VVion. & alia die 7. Septembris.

C Quiescit iuxta Parisios Gal. *S. Clou.* Agit de eo Gregor. Turon. lib 3. hist. Francorum cap. 6 & 8. vbi scribitur Chlodoualdus, & Sigebertus anno 538. Filius fuit Clodomeris regis, nepos Clodouei primi.

In Austria siue Toringa.) Sic omnia exemplaria, sed s. Thoringa, Brisson. & j. Toringia.

Porro Episcopo successori meo Amphibalum album paschalem relinquo.] Sic cetera omnia præter tertium exemplar, quo vsus est Nicolaus Chesneau, quod legit pastoralem, pro paschalem. Amphibalus autem indumentum aliquod designat, a Græco ἀμφιβάλλω. circumpono, operio, induo.

Inter te, heres mee, & diœcesim tuam ecclesiam Laudunensem, & infra, *Laudunis*] Ita hic & infra recte correxit s. Similiter Brisson. & j. perpetuo legit, cum m. & c. vbique Lugdunensem & Lugdunum haberent, sed perperam. Quid enim ecclesiæ Remensi, cum Lugdunensi? Laudunensis vero cum pars esset diœcesis Remensis, ab ipso Remigio erecta est in cathedralem Remensi subiectam, vt adnotauimus supra ad cap. 14. ideoque ecclesiam Laudunensem hic vocat diœcesim Remensem. Præterea sic legendum patet ex cap. 20. infra, vbi diserte Anisiacus Laudunensi ecclesiæ attribuitur, & ex capite 14 supra, vbi dicitur S. Remigius non modicam partem possessionum sibi à Clodoueo & aliis datarum tradidisse ecclesiæ S. Mariæ Lauduni clauati, quomodo legendum est in Greg. Turon. lib. 6. cap. 4. vbi Logduni clauati legitur.

D *Illud quoque vas aureum decem librarum.)* Sic ms. j. & c. in margine. In textu vero sic habetur: Aliud argenteum vas decem librarum. Quod secutus est Brisson. Sed legendum aureum patet ex antithesi, cum postea dicat: *quæ Laudunis in argenteo ipse dictaui.*

Iubeo Turriculum & imaginatum calicem fabricari.) Sic m. & j. ex quo alius fecit thuribulum, quomodo c. legit in textu, & Brissonius, sed in marg notat c. alias legi turriculum: pro quo, inquit, turriculam censeo reponendum. Est autem torricula quod vulgo ciborium vocant. Sic ille, & propterea s. turriculam fecit. Non esse legendum thuribulum, primum ex eo probatur, quod omnino sit verisimilius ex vase aureo (quomodo legendum docuimus) eum potius iussisse fieri vas ad vsum venerabilis sacramenti Eucharistiæ, quam thuribulum. Secundo quia addit. *Et epigrammata quæ Laudunis in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribi volo.* Quæ prorsus ea videntur esse quæ supra habentur cap. 10. Imaginatum calicem dicit imaginibus & figuris sculptum. Infra quoque libro secundo capite sexto mentio est turris aureæ super altare beatæ MARIÆ positæ, quam & ibidem ciborium interpretatur idem Nicolaus Chesneau, hoc est repositorium venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, à figura sic nominatum. Et infra libro 4. capite decimo nono meminit Flodoardus ciborii super altare sanctæ Mariæ. Item turris aureæ ad eundem vsum mentionem facit Venantius Fortunatus libro tertio capite vigesimo tertio in epigrammate ad Felicem Biturecensem, qui subscripsit Synodo secundo Turonensi habitæ anno 570.

E Absolute turrem nominat Gregorius Turonensis, libro primo de Gloria Martyrum capite 86. dicens: Acceptaque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium: ingressusque templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera, &c. Vt tamen a veteribus exemplaribus non recedamus, qui turriculum constanter legunt. (& plerumque ea lectio verior est, quæ est minus verisimilis) potest illud accipi vt sit adiectiuum, pro turritum, vel turriculatum. Nam turricus, a, um legitur ea significatione in summa Ioannis Ianuensis, quæ Catholicon dicitur. Porro ex eo quod huic calici velit inscribi versus illos, quos habes supra capite decimo intelligimus hunc fuisse calicem ministerialem, vt docet Onuphrius vbi supra. Ideirco autem calices ministeriales dicebantur, quod ad ministrandum sanguinem Christi populo deseruirent.

Balatoforum.] Sic omnia exemplaria, nisi quod in manuscripto c. fit Badatoforum, & videtur nomen proprium.

Alimoniam prastolantibus.] Sic ms. j. & Brisson. c. t. postulantibus.

Calmisiaco, Tessiaco.] Sic s. j. & Brisson. alias vt in m. Colmisiaco. Item alias Tassiaco & Trisiaco legitur.

F *Ad portam Suessonicam solidos duos.]* Ita c. s. j. & Brisson. cum sequentibus quindecim articulis, videlicet vsque ad Ecclesiam sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani. M. vero vbique in nominatiuo casu solidi duo, sicut & codex Remigianus. Quæ diuersitas ex eo prouenisse videtur, quod non plena dictione, & per notas numerorum scriptum sit sol. ij. quomodo plerisque locis adhuc habetur in m. quod alius litteris extendit.

Supra cryptam Romanorum ædificatam.] Sic omnia exemplaria. Quare male Brisson. supra scriptam, nisi mendum sit Typographi.

Rebus prioribus superaddidi.] Sic ms. j. Brisson. vero & c. rebus superioribus addidi, nec Brisson. id bene iungit sequentibus contra omnia exemplaria.

Plebem supra Matronam adunaui.] Ita Brissonius & omnia exemplaria, quomodo & infra bis legitur in hoc testamento, nisi quod c. in impresso hoc loco habeat Maternam, quod eiusdem fluuii recentius nomen est: Gallicè *Marne*. Itaque promiscue nunc vnum, nunc alterum in Flodoardo legitur. Nam libro tertio capite vltimo omnia exemplaria, & Aimonius loco ibidem in margine a me notato Matronam legunt. Infra autem primo libro capite vigesimo quarto Maternam legunt ms. & omnia exemplaria libro secundo capite septimo & octauo. Rursum libro quarto capite nono, decimo tertio, vigesimo sexto & vigesimo septimo, omnia nostra exemplaria præter j. Maternam legunt, & m. c. 33 Similiter

G Materna legitur in litteris fundationis monasterii, seu prioratus S. Martini a campis, Parisiis anno 1060 per Henricum primum Francorum Regem fundati. Matronam habet Gregorius Turonensis libro sexto historiarum capite vigesimo quinto, & libro octauo cap. decimo.

Et Paschasiam coniugem suam.) Ita c. s. & Brissonius. sed m. Pascasidam, j. Pascasidem. c. vero notat alias legi Pascasiolam.

Theodonima.] Brissonius & c. in impresso, Teudonima. j. Theodonima.

Edoneisam, que homini tuo] Sic & Brissonius Edoneisam autem legunt ms. In codice c. legi potest Edoueisan [quomodo habet.] & Edouerisam.

Ad vnitatem montanum posito.] Sic j. & Brisson. Sed ms. c. ad vnitatem.

Et quæ iuxta sunt pratella.) Sic omnia exemplaria, Legendum forte adnotat Nicolaus Chesneau, quæ iuxta sunt.

Et vxorem suam Moram] Sic ms. j. & c. in marg. sed in textu vxorem eius Moram, quomodo & Brisson.

Modoridum eorum filium.] Ita c. j. & Brissonius ms. Medarium.

H *Dologo, nepoti meo Prætextato Moderatum.)* Hæc est vera lectio ex diuersis restituta, quam habet c. & j. vt Prætextatus sit nomen proprium. Sic infra meminit proneptis suæ Prætextatæ. Sed c. in textu excuso, s. & Brissonius legunt Moderato, vt coniungeretur cum Prætextato, vt eius cognomen, m. prætextato Moderatum, vt sit appellatiuum pro prædicto, quam lectionem codex notat in marg.

Totticionem.] Ita ms. Cetera Tutticonem.

Lacernam.] Sic c. s. & Brissonius alias laternam, ms. j. lucernam. Est autem lacerna, idem quod penula, nimirum vestis genus tunicæ superductum ad arcendam pluuiam. De qua in actis S. Cypriani, & in Sulpitio libro primo dialogi capite decimo quarto. Vtitur Martialis aliique prophani scriptores. Videantur loca in Baron. tom. 2. annalium anno 261.

Et argenteam cabutam figuratam.] Sic omnia exemplaria, Brissonius cambutam, qui non recte sequentia verba: *Filiolo illius Parouio.* iungit præcedentibus, cum inde noua incipiat sententia, vt quatuor nostra declarant exemplaria. Et cui aliquid legat, eum in principio nominare solet. M. j. patuulo legit, c. Parouio. s. vtrumque coniungit, patuulo Parouio. Vera lectio videtur Parouio. Quid sit Cabuta explicent alii. Hoc mihi tantum occurrit. Cum Brissonius cambutam legat, si cambuca legeretur, pedum Episcopale, vel potius Baculum pedi Episcopalis significaretur. Qua voce vtitur Petrus Comestor in historia Exodi capite 52. Sicut, inquit, in baculo cambucæ Pontificalis eburneo fieri solet. Hinc in Pontificali Gulielmi Duranti, quod habeo manuscriptum, parte secunda,

A vbi agitur de consecratione ecclesiæ, cum accedit pontifex ad ostium Ecclesiæ, ita legitur: Faciat crucem cum gambuca in limine superiori, & inferiori. Pro quo Pontificale Romanum excusum anno 1503. & Venetiis 1561. & alia dicunt cũ baculo pastorali. Et antea dixerat de eisdem pontificale Durantii, cum inferiori parte gambucæ, seu baculi pastoralis.) Quibus verbis aperte significat illa eadem esse.

Bichmaculum quoq; domo illi] Ita c. 1. & Brisson. ms. j. biclimaculum.

Vitium pedaturam.] Infra c. ms. peditura, sed male. Videtur autem accipi pro eo quod Columella vocat pedamentum vitis, & statumen, hoc est pro perticis & palis qui vitem sustentant.

Aetio nepoti meo.) Sic c. in margine & infra in textu cum Brissonio & j. ms. hic Acbo, sed paulo infra, & c. 23. m. quoque Etio, & s. j. Actio. Nomen Actius legitur epistola 50. Leonis Papæ primi.

Ita ut à partibus suis.] Sic j. Cetera patribus.

Quos libertos esse præcipio, Catusionem & Auletenam.] Ita ms. c. j. At Brissonius legit pro exemplo, Cattusionem, & Auletenam, quomodo & c. in impresso.

Leutiberedum.] Sic ms. At c. j. & Briss. Leuberedum,

Va, autem, Cocum.) Sic ms. c. & Brissonius sed c. notat in margine, alias legi Adcum. j. Valantem cocum, vt sit appellatiuum, non autem duo propria nomina.

B *Dagaresenam, & Bauderosenam* Et infra. *Flanarasenam*] Sic c. j. & Brissonius. Item s. nisi quod legat cum m. Degarascam. Reliqua duo m. legit per u. in vltima syllaba Bauderoseuam, Flanaraseuam.

Moderosenam] Sic c. & Brissonius m. Odoreseuam. s. j. Odorosenam.

Leudonetam.] Ita c. s. & Brissonius. Sed m. j. Leudouetam per u.

Saluanarias supra Mosam.) Ita omnia exemplaria, & Brisson. Nisi quod m. legat Saluanarias c. hanc adnotationem margini adiecit: Forte reponendum Salinarias supra Mosam, vel Sablonarias, vt infra.

Domus textilis casulam subtilem.] In omnibus nostris exemplaribus sunt duæ dictiones, sed cum Brissonio coniunxi.

Ceteri omnes exheredes essent, fuerint.) Sic omnia exemplaria, nisi quod m. omittit posterius. Sed non recte. Ita ad maiorem firmitatem & exaggerationem in formulis testamenti dici solet.

In quo si qua littera, vel caraxatura fuerit inuenta, facta est me præsente, dum a me relegitur & emendatur] Similis est clausula in fine testamenti sancti Berthichramni apud Brissonium his verbis: Si quæ litteræ, si quæ caraxaturæ, si quæ literæ adiectæ sunt, vel detractæ, ego feci, fierique iussi, dum meam mihi sæpius prælego voluntatem, & omnia per singula recognosco, vel emendo, vt lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus & sigillis credidi muniendum, & C pro totius rei firmitate, atque stipulatione adoctã percep. Actum Cenomannis in ciuitate, d e & anno superius comprehenso.] Vbi caraxatura seu potius charaxatura significat obductionẽ siue deletionem. Verbo caraxare & caraxari, pro insculpere & insculpi vtitur Gregorius Turonensis libro septimo capite trigesimo sexto, & libro octauo capite vigesimo nono. Auctor noster in prologo, charaxatorum indigentia, id est scriptorum, seu scribentium, libro primo capite nono caraxatum, id est, scriptum. Infra libro tertio capite decimo sexto idem significare videtur quod notare vel redarguere. Vide nostrum indicem vocum obscurarum in Chron. Cameracensi, vbi & locum ex Prudentio citauimus.

Peractum Remis, die & consule supradicto) Hinc constat quantacunque facta sit a nobis diligentia, vt sincere & integre hoc testamentum ederemus, tamen aliquid adhuc initio deesse, quia ibi nec dies, nec consulis vlla fit mentio. Quod dolendum est, quia ob hoc ignoratur tempus huius testamenti conditi.

Intercedentibus & modijs signatoribus.] Ita c. j. Brissonius quo tendit m. quod legit mendicis. Ex quo s. fecit vendicis. Quæ lectio vera videri posset, nisi obstaret illud (&)

Episcopi qui testamento subsignarunt, hoc ordine recensi, hi sunt. S. Vedastus Attrebatensis, S. Genebaudus Laudunensis, S. Medardus Nouiomensis & Tornacensis vnitarum, S. Lupus Suessionen-D sis, Benedictus. & Eulogius.

In exemplari m. post Medardum duo addendi videntur. Nam bis deinde ponuntur illa verba: *Cui pater meus Remigius*, &c. addita cruce, sed omissis nominibus, & ideo ab aliis prætermissi. Quare operæ pretium fuerit inquirere, an in archiuis Ecclesiæ Remensis, vel in scriptis Hincmari non possit reperiri correctius aliquod exemplar testamenti huius. Nam sane verosimile est omnes illius prouinciæ Episcopos, qui tunc nouem erant, subscripsisse.

In manuscr. proc. post Agricolam presbyterum sequitur iterũ Eulogius Episcopus: Cui pater meus & c. deinde iterum Agricola presbyter. Verum hoc scriptoris mendum est. Nam etsi fieri possit, vt duo subsignarent Episcopi eiusdem nominis, tamen nunquam Episcopus post presbyterum subsignaret. Itaque hæc cum reliquis omnibus exemplaribus & Brissonio prætermisi.

Theodonius presbyter.] Sic Briss. & c. notans alias legi Theodonius. ms. j. Theodic em. Forte legendum Theodorus.

V. C. Pappolus interfui, & subscripsi.) Sex aut septem sequentibus fere in exemplari m. præponuntur duæ istæ literæ, quas & ego addere, easdemque expressit j. Quæ ab aliis forte non intellectæ, vel non animaduersæ, prætermissæ sunt, vt ab c. s. & Brissonio. Legendum parro hoc est, vir clarus siue clarissimus, aut vir consularis. Inter subsignationẽ Eusebii & Rustici in m. hæc interponuntur: V. C.

interfui, ideoque videtur hic vnus prætermissus, & forte Attolus, de quo infra capite vigesimo tertio, vel illa verba abundant. Certe infra c. 23. sex tantum ibi nominantur subscripsisse, quorum sunt expressa nomina. E

CAP. XIX.

HOc capitulum in exemplari ms. præcedit caput de testamento, in aliis sequitur, idque magis exigit ordo rerum gestarum.

Populum primæ Germaniæ deuastaret.] Id est superioris Germaniæ. Intellige Treuiros & circumiacentes. Germania prima [inquit Papirius Massonius lib. 1 Annalium Francorum in Merouco] Saloiam, Sidonio, & veteribus cis Rhenum est, ad quam Ammianus narrat præter alia pertinere Moguntiacum, Vangiones, Nemetes, & Argentoratum. Idem Massonius in Clodoueo ait Agrippinam Coloniam inter ciuitates Germaniæ secundæ primas tenere. In eadem est Tungrorum ciuitas. Vide infra ad cap. 23. Contigit autem hæc pestis anno 565. teste Baronio.

CAP. XX.

IN *monte Bardonum.*] Is est qui alio nomine Apenninus dicitur, qui Italiam secundum longitudinem diuidit. Vide Ortelii thesaurum Geographicum. F

Quod vocatur Berceturn.] Alias Bercetum, Bercerum, & Berletũ. Sed Berecrum esse veram lectionem, quam habent meliora exemplaria, probatur quoque ex Paulo Diacono, qui meminit huius monasterii in Bardonis alpibus a Luitprando constructi.

Quando tres fratres, Lotharius, Ludouicus & Karolus, regnum sibi Francorum post patris obitum diuisere.] ms. omittit dict. onem Francorum, nec habet Hincmarus, & forte rectius. Sunt autem hi tres filii Ludouici Pii Imperatoris. Lothario cessit imperium, Ludouico Germania, Karolo Caluo, Francia.

Villas Episcopi Remensis, quod tenebat Fulco presbyter) Sic omnia exemplaria vetera, & Hincmarus, vt ad Episcopum referatur, quod tenuit, Ebone deposito, vt patet ex vltimo cap. lib. 2. & cap. 1. lib. 3. quando sedes per decem annos vacauit. Quare non recte j. [quod] mutauit in (quas) vt ad villas referatur, sicut & c. in Gallico retulit.

Villam Iuliacum quidam Ricuino dedit.) Quomodo hanc donationem postea idem Carolus Caluus reuocauerit, & villam istam cũ omnibus aliis bonis, quæ alienata fuerant Ecclesiæ Remensi restituerit per publicum edictum videre est lib. 3. c. 4.

Moderno tempore colonus quidam.) Id contigit ætate Hincmari, nam epis pro eo dicit: nostra ætate.

Pro qua ve nuper anno præterito, cum rege Ottone, & præfato Duce locuti fuimus, quando Aquis ad eundem regem missi fuimus.] Sermo est de Ottone primo, de quo infra lib. 4. c. 33 & sequentibus. Vera lectio est Aquis, Gallicè *Aix*, quomodo legunt omnia exemplaria: pro quo s. substituit Aquisgranum eiusdem ciuitatis nomen. Sed prius sæpissime apud auctores inuenitur. G

CAP. XXI.

IN *regrumq; illud cum brandeo, quo prius repertum fuerat inuolutum.*] Hincmarus in vita S. Remigii, brandeo rubeo inuolutum. Quod Nicolaus Chesneau Gallice vertit: *Drap de soye vermeil*, vt capite præcedenti legitur. Significat autem brandeum pannum sericum siue linteum, quo Sanctorum corpora seu reliquiæ inuoluebantur. Mos enim fuit, vt alicubi in Conciliis decretum, vt huiusmodi pretiosis velis Sanctorum corpora inuoluerentur. Vtitur eadem voce S. Gregorius Papa libro tertio epistola 30. pro serico aut velo, quod ad eum finem missum, Sanctorum Corpora contigisset. Sic enim scribit ad Constantinam Augustam: Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atq; ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod leuatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtu-H tes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut et à maioribus traditum, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum, allatis forficibus, incideret, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. Hæc ille. Eiusdem moris aut quasi simi ponendi vela, vel alia eiusdem supra Apostoli Petri sepulchrum, vt benedictione locupletata reciperentur, meminit Gregorius Turonensis libro primo Miraculorum capite vigesimo octauo.

Tertius & Karolus regni componeret altus.) Is est Carolus Caluus. Primus enim est Carolus Martellus, secundus Carolus magnus.

Octember primam.] &c. Sic exemplaris, sed j. Octember, & mutauit Octobris, cum primum illud antiquitatem redoleat, & exprimat vocis origine, eodemq; modo legitur in metrico martyrologio Wandelberti Prumiensis.

Ter centum fuerant, tres & deus quater anni.] &c. Id est trecenti, & quater tredecim, qui sunt quinquaginta duo anni elapsi erant à baptismate Clodouei & Francorũ, quando hæc translatio corporis S. Remigii facta est, q. fuit an. 952. Ex quo sequitur baptismũ Clo-

doue

A donec coorgisse anno 500. Non autem sensit est, vt videri posset, trecenti quadraginta tres anni. Tunc enim oporteret eum fuisse baptizatum anno 509. quod est contra communem sententiam, vt supra ad c. 13. annotauimus.

Conturbantibus vndique socius populorum stipatus cateruis.] Secus, id est prope, & sic omnia exemplaria, nec quis legendum putet secum.

CAP. XXII.

M*Vlier quadam de pago Tricassino membrorum omnium agitatione mulctata.*] Similē punitionem ex maledicto matris prouenientem, eiusque curationem ad memoriam S. Stephani protomartyris narrat Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.

Ex villa qua vocatur Cancella] Sic s. ms. j. sed c. Cantella.

De relatione S. Remigii ad locum sepulturæ suæ, seu ad monasterium suum, per Herueum Archiepisc. facta anno 901. de qua in fine huius capituli paulo latius agit auctor lib. 4. c. 12.

In eo vero loco vbi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna, cruce prafixa, glorificationis huius continens monumenta] In circuitu pedis columnæ crucis hæc in burgo S. Dionysii Remis, cuius est testis est hæc inscriptio. Nongentesimo primo anno incarnati Domini, sub quarto Cal. Ianuarii, secundaque sabbati, glorioso ab hac vrbe delato corpore Domini nostri ac patroni beati Remigii, cum honore

B dignitatis vtriusque ordinis concurrebat plebs deuote Herioco præsuli, Carolo rege subsequente, cum Richardo principe, Christo laudes vna mente iubilando consone. Cum fuisset hæc perlatum pignus sanctissimum, ex litus virtute lapsa illico prosiliit (miro dictu) quidam claudus directis poplitibus, nouo gressu ab hunc suum prosequens Remedium, cuius ope adiuuemur hic & in perpetuum.

Sancte tui Sigloardi miserere monachi,
Qui ductus amore istius patrati miraculi,
Omnibus monimentum hunc erexit titulum.

CAP. XXIII.

Q*Vidam Belgica secunda prouincia.*] Belgica secunda continet Remos, Catalaunos, Ambianos, &c. Vt enim docte scribit Iacobus Meyerus in suis Flandriæ annalibus ad annum 433. Romani diuidebant Belgicam Galliam in Germaniam primam seu superiorem, quæ Argentoratum, Magonciacum, Nemetas, Vangiones, aliasque Rheno propinquas continebat gentes. Et in Germaniam secundam seu inferiorem, cuius caput erat Colonia Agrippina cum Tungris ac Neruiorum Morinorumq; maritimis populis, qui nunc Brabantini & Flandri vocantur. Rursus secabant eamdem Gal-

C liam in Belgicam primam, cuius caput Treueris, cum Mediomatricibus, Leucis & Virodunensibus. Et in Belgicam secundam, vbi principatum tenebant Remi habentes sub se Suessiones, Catalaunos, Laodunos, Camaracos, Neruios, Morinos, Atrebates, Ambianos, Bellouacos, Nouiomagenses. In qua secunda Belgica Flandria includitur.

CAP. XXIV.

E*St silucula in monte sita tribus à ciuitate millibus separata.*] Nomen montis est Hos, vt est in vita huius de quo agitur Theodorici apud Surium.

Quem vocatur Theoderico.] Sic c. & r. sed s. j. Theoderio, alias Theodorico. Quomodocumque legatur, exprimere volunt nomen diminutiuum, quæ apud Gallos desinunt in o, vt à Petrus *Pierro*.

Die Kalendarum Iuliarum.] Natalem diem S. Theodorici siue Theodorici hoc die habet martyrologium Vsuardi Romanum cum notis Baronii, item Petri Galesinii, Francisci Maurolyci, qui Theodorum vocat, & Arnoldi Wion. lib. 5 ligni vitæ. Eiusdem vita extat hoc die apud Surium, consona iis quæ hoc cap. habentur, sed hic aliquanto vberius.

D *Quadam denique sabbatorum die, iam vespera Dominici diei accedente, quadam paupercula.*) &c. Grauiter punita fuit hæc mulier, quod vespere diei Dominicæ operaretur, quia tum celebratio Dominicæ incipiebat a tempore vespertarum, quod durauit fere ad nostra vsque tempora. Videantur quæ scripsi in notis ad Thomam Cantipratanum lib. 2. cap. 53 parte 9. Idem vero patet ex hoc auctore supra c. 20. vbi Ragenbaldus quidam ob eamdem causam punitus est.

CAP. XXV.

D*E S. Theodulfo, de quo hoc cap. agit Molanus in additione ad Vsuardum Calendis Maii. Eodem die Petrus Galesinius, & Arnoldus VVion. Vtriusque, videlicet S. Theodorici, & Theodulphi meminit Sigebertus in chronico ad annum 534. his verbis: Theodoricus abbas discipulus sancti Remigii, & Theodulphus abbas discipulus ipsius Theodorici in Francia clarent. Inuentionem corporis S. Theodulphi apud Treuiros notat ex Trithemio dictus Arnoldus VVion. die vlt. Februarii, quam late describit Thomas Cantipratanus vbi supra part. 2. Sed an idem sit idem Theodulphus ille cum isto multum ambigo. Eumdem facit Trithem. lib. 3. de viris illust. ord. S. Benedicti cap. 260 vbi sic habet: Theodulphus abbas in monte Hor, vir sanctæ conuersationis & innocentis vitæ, multis

virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annus repertum integrum & incorruptum, cum magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hoc memoria celebratur pridie Calendas Martii. Sic ille. Verius tamen existimo diuersos esse. E

SCHOLIA IN LIBRVM II.

CAP. I.

B*Eato Remigio successisse traditur Romanus*) Sub annum videlicet 545. Hic B. Romanus Cœnobium in vico cui nomen Mentuniacum, duabus ab vrbe Trecensi leucis remoto, condidit, & primus in eo Abbas fuit, quod a sexcentis annis penitus est dirutum: nec quicquam eius superest præter eius cœmiterii memoriam ibi collocatam. De eo in vita S. Leonis abbatis ex breuiario Trecensi sic legitur. Beato Romano Mentuniaci cœnobii abbate in Episcopum Remensem electo, beatus Leo eius monasterii factus est abbas. Eiusdem S. Leonis vita alia, sed inutila, testatur eumdem S. Romanum a rege Clodoueo fautore confirmationem donationis quorumdam prædiorum impetrasse, quæ Merobaudus pater eius eidem cœnobio liberalissime impertiuerat. Sequitur.

Romano Flauium.) Hic Flauius subscriptus legitur Concilio Aruernensi. Vide scholia in c. 13. libri præcedentis. F

CAP. II.

E*X iis quæ hoc c. ex Fortunato citantur nonnulla possent in ipso testimonium. vt in primis Egidi, pro Igidi. v. 4. fauens pro fouens. 24. fonet pro fonat, & alia quædam.

Quod legatus ex parte Childeberti regis, Sigeberti filii, ad Chilpericum regem patruum ipsius Childeberti) & c. Sigebertus iste rex Austrasiæ est, qui vxorem habuit pulcherrimam Brunechildem, fratres autem Guntramnum, qui fuit rex Burgundiæ, Charibertum, & Chilpericum, qui omnes fuerunt filii Clotarii primi. Mortuus est autem Sigebertus anno 578. cui successit filius Childebertus.

Vt ablato Guntramni regis, Chilperici fratris regno) Nomen Guntramni vel Gontramni varie scribitur. Sic enim constanter legit m. cum litteram. in secunda syllaba, j. semper Guntrannus, quomodo interdum etiam c. Pro priore lectione facit, quod Gregorius Turonensis, locis in margine citatis, integre nomen illud scribat Gunthchramnus, pro quo in tomis Conciliorum & alibi, Gunthcramnus.

A Fredegunde regina fuerat missus) Hæc erat vxor Chilperici, cuius perfidia ipse Chilpericus tandem interfectus est. De ea Aimoinus lib. 3. de gestis Francorum c. 56 Erat, inquit, Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunechilde) parem non agno- G scens &c. Quæ vero deinceps hoc c. sequuntur ad verbum pene sumpta sunt ex Gregorio Turonensi lib. 10 historiarum cap. 19. Synodus autem hæc Metensis, & Ægidii depositio facta est anno 594. vt tom. 2. Concil. adnotauit Seuerinus Binius.

Multa enim auri argentique in huius Episcopi regesto pondera sunt reperta.) Eadem prorsus habet verba Gregorius ms. pro regesto vitiose legit regesta. Quæ vox regestum eodem cap. supra legitur in Gregorio, cum dicit. Scripta enim ista in regesto Chilperici regis in vno scriniorum pariter sunt reperta. Nicolaus Chesneau Gallice vertit *Espargne*. Regestum Latine dici potest, quod vulgo registrum vocamus, inquit Budæus. Hoc loco videtur thesaurum significare, vel locum vbi thesaurus reponitur. Qua significatione accipit Gregorius iam dictus lib 9. hist. c. 10. & 34.

CAP. III.

D*E S. Basolo, Gallice S. Basle, agit Molanus in additione ad Vsuardum 26. Nouembris, quo die hoc cap. obiisse legitur. Item martyrol. Romanum ex veteribus manuscriptis, vt notat ibidem Baronius, Petrus in Catalogo lib. 9. c. 69. Arnoldus VVion in martyrologio suo monastico, siue lib. 5. ligni vitæ ad eumdem diem, citans Galesinium & alios, ac nominatim Vincentium in speculo lib. 22. cap. 116. De eodem Trithem. de viris illust. ord. S. Benedicti lib. 3. c. 45. & Sigebertus in chronico anno Domini 567. De eiusdem translatione per Hincmarum facta agit Molanus die 13. Octobris. H

Quem nemus vnde incipiens obumbrat Regetum.) Sic c. & j. sed ms. Regetium. In breuiario Remensis ecclesiæ Rietum, Gallice vertitur, *Forest de la Route*.

Misit ad nepotem suum nomine Balsemum, qui eum ad se, à Lotharingia regione perduceret.) Vitiose j. Ballenoum. Gallice S. *Bassange*. Vitæ huius Balsemii martyris extat fragmentum in Promptuario lectionum ac quarumdam Tricassinæ diœcesis, cumque adiecit Vsuardo Molanus 16. Augusti, quo die festum eius celebratur in Tricassina diœcesi.

Ibique metatum suum constituentes, huc vndecumque prædatu reuerti caperunt) Sic omnia exemplaria, id est a prædatu huc prædat one. Quare non recte s. mutauit in prædati. Prioribus verbis significatur eos ibi fixam sedem seu tentorium habuisse, Gallice *Remanoir*, vnde Latine dicimus castrametari. Vide infra ad cap 10. lib. 4.

CAP. IV.

P*Ost Egidium Romulfus*) ms. Remulfus legit hoc loco, & c. seq. Sed in summario huius cap. & supra c. 2. & in textu Romulfus,

A quomodo legunt cetera exemplaria, & Gregorius Turon. lib 9 hist. Francorum c. 30. vbi nominatur Comes palatii Childeberti regis, & lib. 10. c. 19.

CAP. V.

De Sonnatio Episcopo.) Hæc est communis scriptura exemplarium, tam hoc cap. quam præcedenti. m. fere scribit Sompnacius, & interdum Sompnacius. c. Sonnacius. Remensis vero Synodus sub eo habita, de qua hoc cap. admodum celebris fuit, & plusquam Prouincialis, vtpote cui multi etiam aliarum prouinciarum Archiepiscopi interfuerint, quæ vtinam exstaret in tomis Conciliorum.

Palladio Autissiodorensi.) ms. Altissiodorensi, j. perpetuo scribit Autissiodorensi, cui fauet vox Gallica *Auxerre*.

Ansericto Suessionensi.) c. j. Anserico.

Claudio Remensi.) Sic omnia exemplaria. Videtur esse *Rieux* in Archiepiscopatu Tolosano, à quo alias Riuensis & Rinenensis Episcopus nominatur. Nisi quis legendum putet Regiensi siue Regensi. Nam Claudius Regiensis Episcopus subscriptus legitur Concilio 2. Cabilonensi celebrato circa hæc tempora, videlicet anno 658. vel vt alii 664. In quo etiam subscripti leguntur duo alii, qui huic Remensi interfuerunt, Donatus Visontiensis, & Palladius Autisiodorensis. Verum in to. Concil. forte legendum Reiensis, quod est ignotius, pro Regiensi.

B *Vero Rutenensi.*) Sic j. cui accedit ms. Rotemensi. c. Terucensi. Est autem Ruthenensis Episcopatus, Gallice *Rhodes* (Nam Ruthenum alias Rhodium dicitur) in Archiepiscopatu Bituricensi.

Agricola Gabalensi.) Hoc est, vt posterioribus seculis vocarunt, Mimatensi in eodem Archiepiscopatu Bituricensi, in quo est Aruernensis & Ruthenensis, qui proxime præcedunt. Nam Gauali, qui & Gabali Ptol. & Fortunato, & Gabales Cæsari, Plinio, & Straboni dicuntur, Gallice *Mande* hoc est Mimatum in Aquitania regionis Gaualitanæ, quæ *Geuodan* dicitur, ciuitas primaria & caput est, vt docet Philippus Ferrarius in noua topographia Martyrologii Romani. Quod adnotamus, ne forte quis putet esse oppidum Cabilonense, quod est sub Archiepiscopatu Lugdunensi, præsertim cum Robertus Cænalis sentiat Gabales esse Cabilonenses. Et quidem Agricola Cabilonensis Episcopus subscriptus legitur Concilio 4 & 5. Aurelianensi, quorum posterius habitum est anno 552. Item Parisiensi 2. & Lugdunensi primo, quod habitum est anno 570. Præfuit autem ecclesiæ suæ annis 48. & vixit anno 83. vt habet Gregor. Turon. lib. 5. hist. cap. 45. & ex eo Baron. in notis ad Rom. martyrol. die 17. Martii. Sed vt sit idem cum eo qui huic Remensi Synodo interfuit, obstare etiam videtur distantia temporis.

Audorico Auscensi.) Auscii, alio nomine Auscitani, vnde Auxitanus Archiepiscopatus. Gall. *Auche* in Vasconia.

C *Vt capitula Canonum Parisius acta in generali synodo, in Basilica S. Petri, Lotharij regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.*) Videtur intelligi Concilium iij Parisiense cuius exstant 9. Capitula to. 2. Conciliorum per Binium editorum. Nec obstat quod ibi dicatur celebratum sub Childeberto, quia intelligitur Childebertus primus filius Clodouei magni, qui obiit anno 559. Quo eodem tempore regnauit frater ipsius Clotarius primus, qui hic Lotharius nominatur, & obiit anno 565. Et quidem dictus Childebertus solum regni tenuit sedem Parisiis, Clotarius autem Suessione, sed tandem etiam toti Galliæ præfuit. Vnde verisimile est post annum 559 celebratam esse hanc synodum Parisiensem, quod diserte docet Binius.

Ad matriculam præterea sanctæ Remensis ecclesiæ.) Ante hæc verba ms & j. adiecerunt: Ad Basilicam S. Medardi solidos quindecim. Quæ omisimus alia exemplaria secuti, quia supra de ecclesia S. Medardi dictum fuit.

CAP. VI.

Post hunc beatum virum Landegiselus, Attila Episcopi frater.) Hic Attila, vt ex cap. sequenti patet, fuit Episcopus Laudunensis. In tabulis Demochana sextum locum obtinet, quem vocat Attolam, vt & Hincmarus in opusc. lv. Capit. c. j. Consecrauit S. Autbertum Cameracensem episcopum anno 642. vt adnotauit ad Chron. Came-

D racense lib. 1. c. 19. Sequitur:

Tempore Dagoberti regis Episcopatum tenuit.) Hic est Dagobertus primus, qui post patrem suum Clotarium secundum, regnauit adhuc annos 14 & obiit 645. Successit ei filius natu maximus Sigebertus, de quo in fine capitis, qui obiit 656.

Hunc sequitur Anglebertus.) Sic omnia exemplaria præter j. quod toto hoc cap. legit Angelbertus.

CAP. VII.

Pestente Berecario Abbate.) Sic omnia exemplaria, quod s. mutauit vbique in Berchariam, sicut & j. Quomodo per contractionem legitur apud Sigebertum in chronico, & in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis Nicolai Camuzæi, in quo continetur integra vita eius & passio conscripta per Adsonem Abbatem Dervensem, & apud Surium tom. 5 vbi breuem eiusdem vitam recenset et Vincentio speculo historiali lib. 24. die 16. Octobris.

Ecclesiam in Virziaco.) Ita legendum patet ex cap. 1. & 3 huius libri, vbi constanter sic legitur, Gal. *Verzy*. Alioquin tum hoc loco, tum infra cap. 10. variant exemplaria, m. Virriaco, c. Viriciaco, quomodo m. legit cap. 10. Vbi c. legit Virigiacum.

Cui Lodouicus quoque non) Intelligitur Clodoueus ij. qui obiit 662. E

Huius etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris S. Remigio.) &c. Hic videtur fuisse Maior domus seu Magister palatii Francorum, filius beati Pipini de Landen, & frater Sanctarum Gertrudis & Begghæ, qui obiit anno 658.

Concilium præsulum Galliæ Namnetis habitum iussione Romani pontificis, cuius hic meminit, videtur deesse in tomis Conciliorum. Nisi forte sit illud, quod 20. continens capitula, ponitur to. 3. post Concilium Triburiense habitum anno 895. De quo sic notat ibidem Binius: Incertum habemus quo tempore hoc Concilium actum sit, itaque hoc loco collocauimus.

Post hæc in ecclesiola S. Mariæ, quam in eodem monasterio construxerat, obisse fertur.) Quam sollemnes Niuardo exhibitæ fuerint exequiæ referuntur vbi supra, in vita & passione S. Bercharii abbatis. Obiit Calendis Septembris, ad quem diem ad Vsuardum adiecit Molanus: In Alto Villari depositio sancti Niuardi Episcopi Remensis. Quo die ponit eundem in suo Martyrologio Petrus Galesinius. Meminit eiusdem Sigebertus in chronico anno 661. his verbis: Sanctus Niuardus Remensis Archiepiscopus, & Reolus successor eius, Berchatius quoque martyr, qui fuit abbas primus Altiuillarensium: Sancta etiam Bertha martyr. & abbatissa sanctitate clarent in Gallia.) Hunc vitiose quidam Viuardum vocant.

CAP. VIII. F

Ad prænotatum huius sancti viri (Niuardi) cœnobium (hoc est ad Altum villare) Beata Helena regina constat corpus ab vrbe Roma deductum.) Dies translationis, & aduentus ad hoc monasterium adnotatur septima Februarii in addit. Molani ad Vsuardum. Scripsit translationis huius historiam Almannus monachus Altuillarensis, teste Sigeberto de viris illustribus cap. 99. & vt ibidem refert, vitam quoque S. Niuardi, & S. Sindulphi, de quo seq. cap. Hæc autem translatio ab vrbe Roma in Galliam, teste eodem Sigeberto in chronico, facta est anno 849. vt refert post eum quoque Baronius tom. 10. in fine eiusdem anni, addens: Sed de eius corpore inter Latinos & Græcos antiqua est controuersia, vbi sepultum fuerit. Veneti insuper illud ab Oriente delatum, possidere se gloriantur, quod & digno cultu prosequuntur. Hæc Baronius.

Gemmo dotata gaudent esoce.) Sic m. j. s. reliquit locum vacuum. Significatur piscatus piscis, qui alio nomine salmo dicitur. Sulpicius Seuerus lib. 3. dialogi de virtutibus B. Martini cap. 13. Ad primum iactum reti permodico immanem esocem diaconus extraxit. Ad quem locum Sur. to. 6 notauit ad marg. Esocem id est salmonem. Scribit enim ipse per z. Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore, recensens nomina piscium, ita scribit: Esox, quod ossibus careat, vel

G vt alii legunt esox Plinio. Angliæ à *Lax*, & distinguit à salmone. Plinius ait hist. lib. 9 c 15 Sunt & in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, Esox in Rheno, attilus in Pado.) Qui ibidem cap. 18. agit de salmone.

CAP. IX.

De S. Sindulfo agit Molanus ad Vsuardum die 20. Octobris, Romanum martyrol. cum Baronio, & Petro Galesinio ad eundem diem, sicut & VVion. Item Trithem. de viris illust. ord. S. Benedicti lib. 3. cap. 46. qui scribit eum claruisse anno Domini 600. & socium fuisse beati Basoli abbatis, de quo supra cap. 3. Vnde de iisdem coniunctim ait in Chronico Sigebertus ad annum 567. Basolus abbas, & Sindulphus presbyter & reclusus in Francia clarent.

CAP. X.

De Sancto Reolo Episcopo.) De hoc nihil inuenio in martyrologiis. Hic ante Episcopatum neptem S. Niuardi, filiam Childerici regis, vxorem habuit, vt constat ex auctore supra cap. 7. Post eius mortem præfuit in hoc Archiepiscopatu annis 26. vt dicitur in vita S. Gumberti, fratris S. Niuardi, quæ est in vitis Sanctorum Gallice edi-

H tis per Parisienses die 29. Aprilis. Hunc alii, vt Papirius Massonus in suis annalibus, & Iacobus Sirmundus in catalogo Archiepiscoporum Remensium vocant Regulum.

Crucmiacum montem, Curbam villam, cum Atiniaco in pago Tardonensi.) Hæc ita vertit Gallice Nicolaus Chesneau: *le mont de Cruny, Courville, & Attin en Tardenois.* Atque ita legunt omnia fere exemplaria, tum hoc loco, tum cap. 17. huius libri, nisi quod ms. hoc loco & c. 11. legunt Turbam, & Tardonisse.

CAP. XI.

Germiacam cortem) Ita hic & sæpius infra omnia exemplaria, Gal. *Germancourt* pro quo aliquoties s. substituit Germanicam, quod supra cap. 5. vertitur *Germeny*. Ex hoc loco corrigendus Surius, Hareus, & Lippello, qui in vita S. Rigoberti die 4. Ianuarii legunt: Germaca. Locus est non procul Remis, vt constat ex c. sequenti. Corrigendum & illud in iisdem auctoribus, quod pugnam Caroli cum Chilperico & Ragenfrido ponant accidisse 12. Calendas Augusti, cum legendum sit Aprilis. Nam accidit in quadragesima, Dominica die ante pascha, vt habent Annales Francorum a Pithoeo editi, & appendix Gregorii Turonensis, cuius auctor Fredegarius Scholasticus, qui res sui temporis describit.

A *Villam nomine Cortobram.*) Sic c. r. & j. Alia Caoobcam, Gal. *Chartreuve.*

Et in villa, cui nomen Turba.) Ita hic omnia exemplaria, Gal. *Tombe.*

De villa Bracaneto super fluvium Rotumnam) r. m. Bracaneco, j. Bracancto.

A Dagoberto denique rege.) Intelligitur secundus huius nominis, filius Childeberti, qui obiit anno 715. cui successit filius Theodoricus ij.

In Rodonico etiam.) Sic j. sed ms. Rodinico, c. Rodolito, aliud Rodocino.

Hic venerabilis præsul Pippinum Maiorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse: cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere.) Hic est Pippinus Herstallus, filius S. Begghæ, pater Caroli Martelli ex pellice. Eulogiæ erant panes benedicti, communionis mutuæ & amicitiæ symbola, de quibus late Baron. tom. j. Annalium anno 313. Concilium Namnetense cap. 6. de quo supra, formam benedictionis captimit.

In monte Betelini.) Sic r. & j. cui accedit ms. Berelini, c Belini.

In pago Castricensi.) Sic & infra c. 18. alias in vico Castricensi. ms. coniungit hic vtrumque: In vico in pago Castricensi.

B

CAP. XII.

ORta denique simultate inter regem Chilpericum & Karolum præfati Pippini filium, Maioremque domus Ragemfridum.) Hic est Chilpericus ij. frater Dagoberti ij. obiitque anno 719. vel vt alii. 726. Hæc autem gesta sunt anno 717. vt referunt Annales Francorum à Pithoeo editi. Sigebertus & Meyerus tribuunt anno 718. Quæstio erat de obtinendo principatu, siue magisterio equitum, vt est in vita S. Rigoberti. Nam Chilpericus magistrum equitum, siue Maiorem domus constituerat hunc Ragemfridum.

Quod non illi eam prius aperiret.) Sic c. r. & j. Quo accedit quod in m. [illegible]batur non nulli, sed (non) transfixum est, & relictum est nulli, quomodo legitur.

Rigobertum patronum suum, qui (vt traditur,) eum de lauacro sancto susceperat, Episcopatu deturbauit.] r. corrigi vult patrinum, Verum obstant omnia exemplaria. In vita ipsius dicitur S. Rigobertus hunc Carolum baptizasse, & de sacro fonte suscepisse. Sed & recte susceptores patroni dicuntur. Eius depositionem ab Episcopatu, sicut & Eucherii Aurelianensis, notant Sigebertus & Massæus anno 723.

C *De quo patrum scripta relatione traditur.*] &c. Historia de visione S. Eucherii Aurelianensis Episcopi de æterna damnatione Caroli Martelli ob inuasas res ecclesiasticas, iisdem fere verbis exstat in Capitulis manuscriptis, quæ ab Episcopis prouinciarum Remensis & Rothomagensis Ludouico regi missa fuerunt: estque adiecta in notis ad nouum corpus Canonicum cura Gregorii xiij. recognitum 16 q. 1. Cap. Quia. Exstat item in vita eiusdem S. Eucherii apud Surium 20. Februarii, scripta à contemporaneo, & in vita ipsius S. Rigoberti 4. Ianuarii: in quibus omnibus asseritur dictum Martellum cum in corpore & anima pœnis sempiternis esse deputatum. Meminit eiusdem Hincmarus in præfatione vitæ S. Remigii, & inter recentiores Paulus Æmilius lib. 2. de rebus gestis Francorum, & Petrus Despinac Archiepiscopus Lugdunensis in oratione habita Blesis coram rege Franciæ Henrico iij. anno 1575. vt testis est Arnoldus VVion. lib. 5. ligni vitæ die 20. Februarii. Verum his contradicit Petrus Pithœus in glossario Capitulorum littera R. & Baronius tom. 9. Annalium anno 741. idque ex eo quod Eucherius vt minimum decem annis obierit ante Martellum. Quo etiam addit Baron. de salute ipsius bene sperandum esse, eo quod pœnitentiam egerit. Quid de ea re sit examinent alii. Flodoardus fideliter narrat quæ ex scriptis patrum accepit, quæ temere conuellenda non sunt, & præcipue Conciliorum acta.

Cuius in monasterio S. Trudonis humatum est corpus.] Locus est in Hasbania, quæ Brabantiæ pars est, intra oppidum sancti Trudonis, in quo sepultus est S. Eucherius. Hæc contrario modo Gallice vertit Nicolaus Chesneau dicens, in monasterio S. Eucherii sepultum esse corpus S. Trudonis.

D *Qui regressum petitur à Milone.*] &c. id est rogatur, requiritur. Est enim passiuum, eodem modo, quo supra hoc libro c. 3. Petitusque secretioris conuersationis habitaculum concedere. Vbi contra omnia exemplaria male correxit r. petentisque. Sensus igitur est, quod S. Rigobertus fuerit requisitus a Milone.

Habitauit in Guasconia certo tempore non pauco.] annis 15. aut 17. vt in marg. adnotauit qui supra lib. 1. Guillelmus le Begue, idemque adnotat, eum quinque aut septem annis exulasse in Vasconia.

CAP. XIII.

HVius beati præsulis Adrianus sedis Apostolicæ Pontifex meminit in epistola sua Tilpino, post Episcopo Remensi directa.] Exstat hoc fragmentum tom. 3. Concil. inter scripta Gregorii ij. idque factum est ex iudicio Baronii tom. 9. anno 717. Qui omnino aliter censuisset, si reliquam partem eiusdem epistolæ, quæ habetur infra cap. 16. perlegisset. Nam inde plane conuincitur vere esse Adriani, non Gregorii: quia in ea meminit Zachariæ & Stephani antecessorum suorum, qui sunt posteriores Gregorio secundo. Poterit autem compleri hæc epistola additis duabus partibus quæ infra cap. 16 & 17. recitantur, & corrigi adnotatio Seuerini Binii qui notat mendose irrepsisse apud Surium die 4. Ianuarii, nomen Adriani, pro Gregorio ij. sicut & Nicolaus Serrarius, qui in notis ad epist. 142. S. Bonifacii similiter citat nomine Gregorii ij. E

Simul cum alio Episcopatu.] Videlicet Treuirensi, vt probatur ex epist. 6. Hincmari cap. 19. inter eas quæ prælo excusæ sunt. & ex præfatione eiusdem Hincmari in vitam S. Remigii, in qua ait, quod Milo, de quo sermo est, Episcopia Remorum ac Treuirorum vsurpans in simul, per quadraginta circiter annos pessumdederit.

CAP. XIV.

DEcessit [S. Rigobertus] pridie Nonas Ianuarij] Additum est in vno exemplari in margine: Anno incarnationis Dominicæ circiter septingentesimo septuagesimo tertio. Quæ verba ms. c. j. non habent, etsi habeantur in vita apud Surium, ex qua sumpta sunt pleraque, quæ in hac historia de eo hactenus relata sunt. Additur quoque in vita, ad maiorem temporis certitudinem, indictione octaua eum obiisse. Exstat apud Surium die 4. Ianuarii. Quo die eius legitur memoria in Romano Martyrologio, tam Petri Galesinii, quam Baronii. Eodem quoque die a Molano additus est Vsuardo. Scribit ibidem Baronius in notis, eum peruenisse vsque ad tempora Hadriani papæ, qui, inquit, ipso defuncto, reiecto Milone, in locum eius subrogauit Turpinum, vt eius acta testantur. Quod conforme est illis quæ de anno obitus ipsius dicta sunt. Nam Hadrianus sedere cœpit anno 772. Meminit eiusdem Sigebertus in chronico anno 723. quo eum dicit ab Episcopatu depulsum seu eiectum. Quæ si vera sunt, oportet eum annis 50. exulasse. Verum Franciscus Haræus in vitis Sanctorum à se editis ponit eum obiisse circa annum 733. hac apposita adnotatione post vitam ipsius: Perhibetur obiisse anno Christi 773. Sed omnino error videtur esse in numeris. Nempe Martellus Princeps, quem ille Episcopus puerum baptismate abluit obiit quinquagenarius anno salutis 741. sicque debuisset S. Rigobertus Episcopatum gessisse integris octoginta annis. Sigebertus quoque Historicus refert eum anno 23. illius seculi à Martello Episcopatu pulsum. Adde quod solum memoretur vixisse sub his tribus Regibus, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico, quorum postremus certe in viuis esse desiit anno 727. Itaque suspicor pridem pro xxxiij. substitutum lxxiij. vt anno 33. illius seculi, non 73. S. Rigobertus mortem obierit. Hæc Haræus satis probabiliter. F

CAP. XV.

IN pagum Veromandensem, ad villam Nouiomum.] j. Memnicum. In hoc tractu Veromandensi insignis est ciuitas S. Quintini, non procul a Cameraco. G

Hæc pretiosa illius delata membra.] ms. j. munera, quomodo & c. vertit in Gallico, sed alia lectio melior est, quam paulo post habent omnia exemplaria.

Nec longum post hæc.] &c. Hæc est quarta translatio S. Rigoberti, facta ab Heriueo Archiepiscopo, de qua infra lib. 4 c. 13.

CAP. XVI.

QVamuis eum quidam Corepiscopum tantum fuisse tradant] Alias Coepiscopum. sed vera lectio est Corepiscopum, seu vt vt melius scribitur, Chorepiscopum. Dicti sunt enim Chorepiscopi à χώρα, quæ vox Græcis regionem vel agrum significat, quasi certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores. Quod officium in eos qui Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani rurales, & Decani Christianitatis hodie vocantur maxime competere videtur. Hincmarus infra lib. 3. cap. 22. vicarium Episcopum a vico idem nomen interpretatur. Vnde & Gallice Nicolaus Chesneau interpretatur hoc loco, & infra, *Doyen rural.* In m. scriptum fuit Corepiscopum, sed littera r. recenti manu ab aliquo imperito deleta est, ad faciendum coepiscopum. Quod autem Abel vere fuerit Remensis Archiepiscopus sufficienter probat hoc cap. Flodoardus. Eodem facit & illud apud Surium in vita S. Rigoberti, vbi dicitur, quod Hincmarus fuerit quintus a S. Rigoberto Remorum Archiepiscopus. Si enim non connumeretur hic Abel, non nisi quartus erit. Cur autem a quibusdam prætermittatur in catalogo Remensium Archiepiscoporum, rationem habemus ex iis quæ citatur ex epistola Adriani hoc cap. quia etsi ibi constitutus sit Episcopus, tamen ibi permanere permissus non fuit, ideoque rediit Lobium celebre in Belgio monasterium, vbi ad infidelium conuersionem laborasse creditur, adeo vt sancte viuendo & prædicando peruenerit ad æternæ vitæ brauium. Nomen eius sacris martyrologii tabulis Vsuardi adiecit Molanus die 5 Augusti. Quo die agit de eo idem Molanus in Natalibus SS. Belgii, asscribens ei titulum Remensis Archiepiscopi, & in suo martyrologio Petrus Galesinius, & Arnoldus Wion. Item Trithemius lib. 3. de viris illust. ord. S. Benedicti cap. 258. & lib. 4. c. 118. Quo loco scribit festum eius agi nono calendas Octobris. Fuit natione Scotus. H

Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rodomus] m. & aliud exemplar Rodomus, pro quo r. & j. substituerunt Rothomagus, eiusdem ciuitatis nomen, quæ etiam Rodoma dicitur. Vide annotat. Nicolai Serrarii ad epistolam 143. S. Bonifacii. Sed non probo vt pro

vetustiss

A vetetibus nova nomina, quamvis notiora, reponantur, quia hac ratione perit notitia antiquitatis. Sic & infra lib. 4. c. 31. omnia exemplaria legunt, Rodomi, nisi quod thi c. vitiose legit Rodonii, & utrobique Gallice vertitur *Rouen*. Utitur ea appellatione Sigebertus anno 731. Remigius, inquit, Pipini regis frater Rodomensis Archiepiscopus in Gallia claret. Est autem hic Grimo 17. Rothomagensis Archiepiscopus in tabulis Demochares, Roberto subrogatus anno 715.

Tertium denique Hartbertum in comitatu qua dicitur Senonis) Sic c & j. At ms. Hartbertum. In tomis conciliorum Artbertus, in tabulis Democh. Otbertus sive Ochtbertus Cardinalis anno 762. eisque numero 36. Porro ex his quæ hic citantur ex duabus Zachariæ epistolis non pauca poterunt restitui in tomis epist. decretalium, & tom. 3. Concil.

CAP. XVII.

DE *Tilpino Episc.*) Ita constanter omnia exemplaria. Alii auctores vocant absolute Turpinum, aut Ioannem Turpinum. Extat eius nomine historia de vita Caroli Magni & Rolandi, tametsi Papirius Massonus lib. 2. Annalium Francorum existimet non esse ipsius, sed hominis otiosi, qui fabulas illas post Caroli Calvi imperium descripsit in gratiam iuventutis. Idem recte docet Antonius Possevinus in Apparatu sacro, in Tilpino.

B *De ordinatione Episcopi nomine Lul, sancta Moguntina ecclesia.*) Sic omnia vetera exemplaria, pro quo s. & j. Lulli substituerunt. Sed in tomis Conciliorum sæpe Lul appellatur, ac nominatim epistola 12. Zachariæ papæ, sicuti & in epistolis S. Bonifacii. Fuit hic B. Lullus S. Bonifacii martyris successor, & ij. Archiepiscopus Moguntinus.

Novilacum in pago Vrtensi.) c. Vesince, j. Vacinse.

CAP. XVIII.

MIssos dominicos ad recta iudicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutum) Missus id est legatus. Frequens est missorum mentio in capitulis Caroli Magni & Ludovici Pii quorum officium hoc ea. describitur. Missi autem dominici fere addebant comites, ut patet ex lib. 2. Capitulorum c. 25. Quod nomen officii erat, non dignitatis aut sublimitatis ut hodie. De Missis dominicis lib. 1. capitulo 122. lib. 2. cap. 11. 26. 17. 19. 25. 26. 27. 28. lib. 3. cap 17. 18. 33. &c. de Comitibus lib. 3. cap. 6. 9 10. 12. 18. 23. 24. 25. 26. 28. 32. &c. De his & Petrus Pithœus in glossario Capitulorum verbo Missi dominici, Florentinus Vander Haer in Castellanis Insulensibus, & Petrus Louvet in histor. Bellovacensi lib. 3. c. 9.

C *In his quoque pagis Dolomensi scilicet, Vongensi.*) &c. Sic omnia hæc nomina per e legunt ms. quomodo olim frequenter loquebatur, quod servari placuit. c. j. Dolmensi, Voogensi, &c. per i.

Ut bonos & idoneos Vicedomnos & advocatos haberent.) Sic m. cetera Vicedominos. De his Vicedomnis & advocatis est Capitulum 21. lib. 3. Capitulorum, ubi similiter legitur vicedomnus. Nam si tunc pro dominus, domnus dicebatur, conformiter vicedomnum dicebant, & scribebant.

Hic Synodum invenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCXIIII in ecclesia Noviomensi) Hæc synodus deest in tomis Conciliorum. Sed tom. 3. habetur Concilium Remense primum sub eodem Vulfario & Carolo Magno celebratum anno præcedenti 813. mense Maio, quod habet Capitula seu Canones 44. Cuius auctor noster mox infra meminit, dicens in eo constituta fuisse capitula xliij. sed facile fieri potuit, ut unum in duo divideretur.

Congregatis secum coëpiscopis suis Hildoardo, Ermenone, Iesse, Ragamberto, Grimboldo, Rothardo, VVendilmaro, Ostroaldo.)) scribit Hildoaldo. Erat hic Episcopus Cameracensis. Ermeno Silvanectensis, qui in tabulis Demochares vocatur Herminius. Iesse Ambianensis. Ragambertus, vel ut c. j. Ragimbertus, Bellovacensis, cui successit S. Hildemannus, de quo infra cap. 20. qui obiit anno 848 die 8. D Decembris. Grimboldus Morinensis, qui alias Grimbaldus & Erembaldus. Rothardus Suessionensis, qui infra cap. 20. & libro 3. semper Rothadus nominatur in omnibus fere exemplaribus, quæ hic variant. In tomis Concil. & to. 3. bibliothecæ Patrum 2. editionis fere Rothaldus legitur. VVendilmarus erat Episcopus Noviomensis, Ostroaldus Laudunensis.

Adalbardo) c. j. Adalardo.

Fulrado, Erubo) Sic c. & j. Alii Folrado, Eriono. Paulo post, pro Otnero. c. j. legit Othero.

Id est, Varina, Urbs campus, Trapiacus, Ierusalem. Harbandiauilla, sive ecclesia S Leodegarii) Sic exemplaria, nisi quod in ms. sit Varinne, & postremam in duo dividat, legens: Haer, Handiauilla. Quæ Nicolaus Chesn. Gallice vertit: *Varesnes, Urcamp Trapi, Hierusalem, Harbaudia villa.*

De annona modii M.D.CCCC.LXXV.) Sic j. sed ms. prætermittit vocem modii, ut dubium sit an illud M. D. non sit modii, ut paulo post in ms. scribitur md. j. lijo. vini. hoc est modii mille quinquaginta duo vini.

CAP. XIX.

HVius Præsulis hortatu Alitgarius Cameracensis Episcopus sex libellos de Remediis peccatorum, & ordine vel iudicio pænitentiæ conscri-

E psit) Extant hi lib. tom. 3. antiquæ lectionis, editi per Henricum Canisium, præfixis quoque his duabus, quæ hic referuntur, epistolis. Ex hoc autem loco auctoris probatur, sextum quoque librum, quem seorsim ponit Canisius, ipsius esse Halitgarii, seu ut legit Chronicon Cameracense lib. 1. cap. 38 Halitcharii. Hi libri merito recenseri debent inter primos Casuistas. Fuisse tamen & alios, qui ante ætatem Halitgarii de eodem argumento scripserunt, ex ipsa hac Ebonis constat epistola: ut est Pœnitentiale Romanum, & Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, de quo Beda in chronicis sub Dagoberto. Item liber ipsius Bedæ de Remediis peccatorum. Præterea Otliberti & Hattonis Episcopi Basileensis, deinde Theodulphi Aurelianensis, Rabani &c. quorum meminit Rhenanus in argumento libri Tertulliani de pœnitentia, & Iacobus Pamelius adnotatione 3. ad eundem librum. Patet autem ex hoc Halitgarii opere, adhuc tum temporis pœnitentias imponi solere secundum exigentiam Canonum.

Ubi cum deo orassent) ms. Deum orassent. Sed alia lectio, quæ ceterorum est exemplarium, merito præferenda est, quæ congruit cum Thegano in opere de gestis Ludovici Pii cap. 16. ex quo verisimile est Flodoardum accepisse, cum iisdem etiam verbis utatur. Contigit autem tam bellum contra Sclavos, quam ipsius Ludovici in imperatorem coronatio anno 816. ut patet ex eodem Thegano, & Baronio.

Apostolica reperiuntur munera contulisse.) Sic omnia exemplaria.

F Legendum forte quis arbitraretur Imperialia, pro Apostolica, ut in 2. diplomate huius capitis: Imperialia sumpsimus insignia. Sed vera lectio est Apostolica munia, hoc est quæ a sede Apostolica conferri solent. Eius enim est Imperatorem coronare. Quæ lectio probatur ex cap. 10. lib. 3. ubi refertur, quod hic citatur ex Lotharii Imp. epistola.

Et Lotharius addiens secum patrem ad Compendium palatium, ubi cum affixit cum Episcopis. Extat tom. 3. Concilium apud Compendium, in quo Lodovicus Imp deponitur anno 833.

Moderamnus Rodonensis Episcopi.) Sic recte a. & j & omnia exemplaria cap 20 lib. 2. Gallice vertitur *de Rennes*. Est autem sub Archiepiscopatu Turonensi. Cetera exemplaria, Rothomagensis Archiepiscopi, hic legebant. Quod ex eo verisimiliter accidit, quod pro Rodonensis aliquis scripsisset, Rodomensis, pro quo alius scripsit Rothomagensis. Nam Rothomagus alio nomine Rodoma & Rodomus dicitur, ut supra ad cap. 16 probavimus. Adde quod in catalogo Rothomagensium Archiepiscoporum apud Democharem nullus invenitur Moderamnus.

CAP. XX.

G REquirente postmodum Papa Nicolao ab Episcopis Galliæ, maximeque Belgica provincia, hæc inter alia in responsis accepit.) Non extat saltem plene, Episcoporum Galliæ epistola ad Nicolaum primum, ex qua hæc omnia auctor delibavit. Nam hæc eum ex aliis recitare patet dum post multa narrata addit: Item post pauca. Rursus: Item post aliquantula.

Arulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum.) Arulfum legunt s. m. & j. ex quo a. fecit Aroulfum c. Arnulfum. Badaradum legunt c. & j quomodo & infra legitur hoc eodem capite satis conformiter ab omnibus, nisi quod ms. habeat Baradus. Similiter & Synodus Suessionensis, de qua sub finem huius capitis, legit Badaradum & Arulfum. ms. & c. hoc loco Hadaradum legebant.

Quos secundum Africa provincia Canones elegerat sibi iudices.) Concilium Africanum, quod aliquoties hoc cap. citatur, illud esse videtur quod extat tom. 1. Concil. habitum sub Pontificibus Bonifacio & Celestino. Sunt autem Canones diversorum conciliorum Africanæ provinciæ numero 105. Quod hic citatur habetur cap. 63. quod nominatim citat Hincmarus in Concil. Suessionensi de quo lib. 3. cap 11. Sed quæ infra citantur ex cap. 59 & 74 in illo Concilio, prout nunc extat, non leguntur.

Theodericum scilicet Episcopum.) Hic erat Episcopus Cameracensis, ut constat ex Chronico Cameracensi libro primo capite 41.

H *Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo quarto, anno etiam Imperii gloriosi Cæsaris Ludovici xxj.*) Sic c. bed s. ms. & j. xxiij. non recte. Nam cum regnare cœperit initio anni 815. annus 833. est Imperii eius 21. ut consentit Sigebertus in Chronico.

Hartgarius Episcopus.) Sic s. c. & j. at ms. & aliud exemplar Harogarius.

Rambertus Episcopus.) M. Hranbertus, s. Hrambertus.

Hasmonus Episcopus) Sic s. j. & c. in Gallico. ms. Hamus, c. Lat. Hamius.

Cui restitutioni præfata, quæ Suessionis habita est contradixit Synodus.) s. ms. contradicit. Huius Synodi tacite facta est mentio initio huius capitis.

A quo in regione Saxonia quoddam Episcopium promeruit.) &c. Factus enim est Episcopus Hildesemensis, ordine quartus, in quo 18. annis permansit, ut scribit Albertus Krantzius lib. 1 Metrop. c. 30. Quo cum satis consentit, quod a Flodoardo lib. 3. c. 2 superuixisse scribatur usque ad annum 851.

SCHOLIA IN LIBRVM III.

CAP. I.

A*Nno denique Dominicæ incarnationis DCCC. XLV. Karolus Synodum Episcoporum regni sui apud Bellouagum.*) Sic omnia vetera exemplaria, quomodo etiam est quatenus legitur in Atrebatensi Breuiario die 15. Iulii. Id 2. & 3. mutauerunt in nomen hoc seculo vsitatius Bellouacum. Baronius tom. 10. ad dictum hunc annum ex nostro hoc Flodoardo Gallice edito, totum hoc caput primum inseruit suis annalibus in Latinum conuersum, & ex eo Binius to. 3. Conciliorum.

Archiepiscopo Senonensis ecclesiæ VVenilone.) Sic omnia antiqua exemplaria, quod rursus 2. & 3. mutauerunt vbique in Senonensis, quomodo etiam hic correxit aliquis in m. cum prius legeretur Sennensis, quomodo & constanter legitur infra c. 20. & 21. Idemque factum est infra cap. 11. Nam & ibi in m legebatur cum VVenilone Sennensi. Eodem modo legit Chronicon Cameracense lib. 1. cap. 43. cum Venelone Senonensi. Infra cap 20. omnia exemplaria Egilonem vocant, c. 21. VVanilonem. In hist. Tilpino inscripta Ganelo vocatur. Sic & manuscript. exemplar historiæ Scholasticæ Petri Trecensis, quod est in bibliotheca cathedralis ecclesiæ S. Audomari legit VVilhelmo Sennensi, vbi in excusis est Senonensi. Accedit & vox Gallica *Sens*. Et in manuscripto catalogo Episcoporum totius orbis, quem penes me habeo, lego Archiepiscopatum Sennensem. Denique Zacharias Papa in epist ad S Bonifacium, quæ est inter epist. Bonifacii 143. de hac loquens ait. Tertium denique Hardthbertum in ciuitate quæ dicitur Sennis. Quo loco intelligi vrbem Senonensem recte suspicatur Serrarius, & patet ex nostro Flodoardo supra lib. 2. cap 16. Denique Senonensis perpetuo legitur in epist. Nicolai primi ad Karolum regem & ad Egilonem, quas edidit vna cum Hincmari epist. Ioan. Cordesius.

CAP. II.

Q*Væ toto hoc cap* habentur de Synodo Parisiensi in causa Ebonis habita, ea similiter ex Gallico conuersa in Latinum habet Baronius anno 847. & ex eo Binius to. 3. Concil.

CAP. III.

E*T impetrent pro nobis offerri sacras oblationes.*) Sic c. & 3. alias impetrent. m. intrent pro nobis offerre, pro quo 2. instent pro nobis offerre. Sed prima lectio videtur melior. Hinc autem docemur viuorum suffragia prodesse defunctis.

CAP. IV.

A*Tque pusillus pumilio.*) Incertum est an propria sint nomina, an appellatiua, quod verius videtur. Vnde Gallice vertitur: *le petit nain*, id est paruus nanus.

Scias secundum digna memoriæ aui, & piæ recordationis genitoris nostri Capitula si emendaturum.) Loca Capitulorum Caroli magni & Ludouici Pij in margine notauimus. De eodem argumento Pithœus in glossario verbo Nonæ & decimæ citat Canonem 42. Syn. Mogunt. 46. Turonensis, & 62. Meldensis.

Possint præbere consultum) Sic c. & 3. Quomodo omnia legunt supra lib. 2. cap. 19. in litteris Ludouici Imperatoris. Alias consilium, vt ms hoc loco. Vtitur eadem voce Nicolaus Papa. 1. epist. 32. Audiuimus, inquit, Lotharium a sede Apostolica petitum non expectasse consultum. Sic & in Rothaldi appellatione ad sedem Apostolicam: Absque meo consensu, seu consultu. Et Chronicon Cameracense lib 3. c. 62. Vt cum à consultu pontificis longe faciret. Quibus locis consultus significat consultationem, vel consilium. Vtitur eadem voce Fulbertus episc. Carnotensis epist. 39.

CAP. V.

H*Vius modi regia benignitatis functus auctoritatibus.*) Sic omnia exemplaria, pro quo c. substituit fretus. Sensus est cum haberet huiusmodi auctoritates, hoc est, edicta seu diplomata.

Librum quoque Sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit, ebore, argentoque decorauit) Liber Sacramentorum veteribus, ac nominatim B Gregorio, est quem nos librum Missalem, vel in neutro genere, Missale dicimus. Lectionarius qui lectiones cuiusque diei continebat. Similia leguntur infra cap. 9. data ab eodem Hincmaro ecclesiæ S. Remigij.

CAP. VI.

P*Aparasidesque candelarum munuscula.*) Hæc vera est lectio. Sed in. candelabrum munuscula, ex quo fecit. & 3. Candelabrum & munuscula. Ex hoc autem discimus fuisse etiam illo tempore vsitatam fidelium deuotionem, quam etiamnum cernimus, vt hauctis luminaria accenderent.

CAP. VII.

V*Elum vero quoddam oppansum ibidem videbatur*) Sic m. & 1. Sed c. 3. appensum, 2. oppensum.

CAP. VIII.

S*Camnis tapetia reddit.*) Hoc est reponit. Sic omnia exemplaria, præter ms. quod habet: sancta tapetia reddidit. Ex ijs autem quæ hic referuntur discimus ornamenta ecclesiæ non esse applicanda ad vsus prophanos.

CAP. IX

V*Ersibus etiam auro inclytis prætitulauit.*) Sic ms. At 3. inlitis. c. inditis.

CAP. X.

Q*Vem cotidianum pallij vsum nulli vnquam Archiepiscopo se concessisse.*) De auctoritate & vsu pallii est titulus 8 lib. 1. decretalium. Baronius tom. 10 duobus locis, videlicet 840 & 852 scribit Nicolaum Papam negare, fuisse concessum Hincmaro pallium ad vsum quotidianum à Leone Papa, vt, inquit, suo loco dicetur. Verum in g. ilia Nicolai Papæ id nusquam ostendit falsum fuisse, ex si de alijs Hincmarum redarguat.

Commendassi reperitur Episcopus atq; Legatus Sic ms. At c. 3. epistolis. Prior lectio magis placet, quia de epistolis mox infra sequitur.

CAP. XI.

D*E Synodo comprouinciali apud Suessonicam vrbem habita.*) Extat tom. 3. Conciliorum parte prima celebrata anno 853. tempore Leonis iiij. Sed vt ibi notatur (& infra fatetur auctor noster hoc eodem cap) reprobata à Nicolao Papa). Ex istius Synodi actis ea quæ hic scribit auctor desumpsit, pleramque etiam verba ipsa mutatus. Quod à Nicolao Papa retractata sit & reprehensa, quoad depositionem illorum clericorum, qui ab Ebone ordinati fuerant (quamuis subreptitie eiusdem Synodi approbationem à Benedicto Papa, & ab ipso Nicolao iam ante Hincmarus obtinuerit, vt ostendit epistola Nicolai 52. & 5. inter eas quæ sunt in appendice epistolarum eius, quod fatetur etiam ipse Baronius tom. 10. anno 863. vbi eamdem intexit epistolam.) quod inquam à Nicolao Papa reprobata sit, patet ex epistola 46. & 47. eiusdem, & in appendice epistola 13. & 15. qui aliam iussit congregari Synodum in eadem ciuitate Suessionensi super eadem difficultate, quæ dictos clericos restituendos esse decreuit. Hæc habita est anno 866.

Amalrico Turonensi.) Ita c. 3. tomi. Conciliorum. & chron. Cameracense. ms. Almarico & infra Almaricum, & similiter bis cap. 22. Plena dictio est Amalaricus, regis VVisegothorum nomen. Item m. Turonense, Cathalaunense, Nouiomagense, & ita de ceteris omnibus per e, nisi quod legat Sennensi, pro quo mutatum est: Senonensi, & Cameracensi. Verum hoc loco retinuimus vsitatiorem declinationem secuti alia exemplaria, & prout legitur in tomis Conciliorum, vt pronuncietur ablatiuus per i.

Huberto Meldensi) Ita c. 3. sicut & tabulæ Demochatis. At reliqua Hucberto vt in tom. Concil. quomodo etiam nomen Leodicensis Episcopi in manuscriptis codicibus Sigeberti perpetuo legitur.

Iona Augustudunensi.) m. Augustudunense, pro quo 2. 3. Augustodunensi, quod nunc vsitatius.

Godelsado Cautilonensi.) Sic omnia antiqua exemplaria. 2. & 3. substituerunt tamen tertatius Cabillonensi.

Hildebranno Sagiensi.) m. Sagense, 3. Sagensi, quomodo & in tomis Concil. hic legitur. At in subscriptione Concilii Tullensis & 2. Suessionensis Hildebrandus Sagiensis. Similiter in tabulis Demochatis inter Episcopos Sagienses nono loco ponitur S Hildebrandus. Oppidum Sagium appellatur & Saium, Gal. *Seez* in Nordmandia.

Rigboldo Remorum Chorepiscopo.) Sic c. & tomi Concil. vbi vocatur Rigbaldus, pro quo non recte: Coëpiscopo legunt ms. & 3.

Lupo abbate monasterii, quod dicitur Ferrarium) Sic omnia exemplaria. In to. Concil. Lupo abbate monasterii Bethleem, quod Ferrariæ dicitur. Vtroque enim vocabatur nomine. Huius Lupi abbatis extat liber epistolarum.

Heriaco.) m. & aliud exemplar Heirico. 2. 3. Herico. to. Concil. Erico.

Harrolduo) Sic ms. al Harroldus, vt c. 3. In tom Concil. Harouualdus.

Nomine Halduino) Ita c. c & to. Concil. Sed ms. Balduino, tametsi m. infra Hilduinum legit, pro quo male correctum Balduinum, 3 Hardouino vtrobique.

Præmissi denique Concilij Præsules, Apostolica sedis obedientes præceptis, &c. huiusmodi præferentes epistolam.) Hæc epistola, cuius summaria capita tantummodo hic inseruntur, est Synodica epistola Concilii Trecensis, de quo infra cap 17. quod celebratum est ab iisdem Episcopis anno sequenti, videlicet 867. à quibus celebratum erat Suessionense anno 866 vt ipse titulus indicat, destinata quidem ad Nicolaum, sed reddita eius successori Hadriano. 2. Extat

3. Concilia, sine primæ partis, vbi præcedit & alia epist. eorundem Episcoporum ex Concilio Suessionensi scripta anno superiori, cuius paulo superius auctor noster meminit. Hac autem 2. epistola plene satisfaciunt in quæ Nicolaus Papa epist. 46 ipsis insinuauerat. Inscriptio paulo plenior est in tomis Conciliorũ, & in opusculis Hincmari nuper editis per Ioannem Lemouicensis ecclesiæ Canonicum. Reuerendissimo & sanctissimo domino Patri, ac vniuersali Papæ Nicolao, Episcopi qui præterito anno per gratiam Dei, & decretum vestrum apud Suessionicam vrbem cum aliis qui tunc nequiuerant adesse, viij. Kal. Nouembris, prima indictione apud Trecas conuenimus. Præter litteras Synodales ea Concil. 3 Suessionensi dedit & priuatam epist. Hincmarus ad Nicolaum Papam, qua se excusat, quod non statim Clericos illos restituerit. Extat apud Baronium dicto anno 866 post epistolam Synodalem. Vtraque missa est per Egilonem Archiepiscopum Senonensem. Vt autem epist. Synodica Trecensis tota huic cap. non inseritur, sic ea ijs quæ habet Flodoardus potuerunt aliquot locis suppleri ea quæ desunt in tom. Conciliorum, & apud Cordesium.

In suis ordinibus restituere maturassemus.) Sic quidem e. & 1 sed perperam hic positum, cum vera lectio sit, quam habent m & e maturauerimus. Ita enim est in to. Concil. & in eadem epistola edita per Cordesium, & in epistola Hincmari ad Nicolaum Papam, quæ est 2. inter eas quas Cordesius edidit, & in epistola secunda Concil. Suess. ad eundem Nicolaum.

Scripta quoque, quæ hinc à vestra auctoritate directa.) Sic e. 3. Consentit lectio quæ est in to. Concil. nisi quod pro hinc legit huc. At hinc accipi potest, non vt aduerbium loci, sed quæ hinc, id est, de hac re. m. quæ hinc a vestra auctoritate. Sed priorem lectionem sequitur ea quæ præcedunt & sequuntur.

CAP. XII.

Canonicam in eum dictum Balduinum & Iudith, secundum edicta B. Gregorij, ab Episcopis depromi sententiam fecit) id est curauit eos excommunicari. Respicitur autem, vt apparet, ad decretum 10. & 11. Gregorij 13. in synodo Romana cap. Si quis virginem. 36. q. 2. quo cap. raptores virginum & viduarum excommunicari iubentur.

Et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donamus, Hic Balduinus cognomento Ferreus, primus dicitur creatus Comes Flandriæ seu Comes regni à Carolo Caluo, patre ipsius Iudith. Videatur Iacobus Meyerus in Annalibus Fland. anno 863. Inter epist. Nicolai hæ sunt de causa Balduini 20. 21. 30. 32. & 33. quæ omnes fere sunt ad ipsum Carolum regem vt Balduino parcat. 21. est ad Hermentrudem reginam. Ex quæ sunt ad Hincmarum, quarum meminit hoc cap. non extant.

CAP. XIII.

De causa Rothadi Suessonici Episcopi depositi) Depositus fuit hic Rothadus, siue (vt est plerumque in to. Conciliorum, & bibliotheca Patrum) Rothaldus, auctore Hincmaro congregans aliquot Episcopis in Synodo Siluanectensi anno 863. mense Iunio. Qui, illo in monasterium detruso, alium substituerant, non obstante appellatione ad sedem Apostolicam, a qua postea sedi suæ est restitutus, cum nulli contra eum accusatores Romæ comparuerint. Nec ipse Odo Belloacensis Episcopus, qui ab hac Synodo Romam missus fuerat, eum accusauit. De quibus omnibus late videre est epistolam 28 Nicolai Papæ primi. & sequentes vsque ad 44. Quæ sedecim epistolæ extant quoque to. 3 bibliothecæ Patrum 2. editionis. Et refert Hincmarus in sua epistola apologetica, quæ toto hoc capite continetur, scribit se mittere vicarios suos, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothado, atque a vicinis accusatus, ad intimandum, quod non in contemptum sedis Apostolicæ, appellantem Rothadum secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam: sed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos Canones, ac decreta Beati Gregorij, regulariter iudicauimus. Sic ille. Verum id negat Rothadus in sua appellatione, quæ extat post epist. 97. Nicolai Papæ, atque in ea videtur præcipua controuersia huiusmodi consistere. Extat totum hoc caput apud Baron. in to. anno 863 sed ex vnico exemplari, eoque vt fatetur Baronius, non sine mendis.

Quidam Episcoporum regni Lotharij, zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consilius de VValdrada non adquieuimus.) Lotharius rex, filius Lotharij Imp. repudiata legitima vxore Theutberga, hanc VValdradam concubinam sibi in matrimonium asciuerat, qua de re multæ quoque extant Nicolai papæ epistolæ, & Hincmari prolixum opusculum de diuortio Hlotharij regis & Tetbergæ reginæ.

Et illos vt se conuenirent, locarium ei promitteret) Sic e. & 3. Dicitur autem locarium a loco, vbi locare, id est collocare te possis. Significat, teste Varrone, pretium quod datur in stabulo & tabernis. Vnde Gallice vertitur *Moyens de viure*. m. 5. & aliud exemplar legunt vocarium, quod idem significare potest quod iocale, Gall. *ioiaux*, sed hunc locum non congruit: prior autem lectio & significatio probatur ex iis quæ non multo ante præcedunt.

Et itineris longitudine atque insoliditate obstrictus) Iter insolidum vocat, non tutum, Gallice *mal seur*. Quædam exemplaria duo verba faciunt in sol ditate, sed non recte.

Nisi quamdiu contra fine vllo crimine ab eo suo Pontifice) Scilicet Rigoberto, de quo supra lib. 2 cap. 12. Quæ dictio alia manu supra lineam in m. posita est eamque e. & 3 in textum retulerunt.

Quod sanctus sit vas & thesaurum ecclesia) Sic e. quæ vera videtur lectio. Reliqua. fraudatus.

CAP. XIV.

Ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari Synodum vetuistis) Extat to. 3 Concil. in fine primæ partis, habitum anno 863 mense Iunio, in causa repudij Theutbergæ reginæ à Lothario rege facti. Damnauit illud Nicolaus 1. in Concilio 3. Romano sub ipso habito eodem anno.

Tandem in Moguntina ciuitate habita Synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis.) &c. Hæc est 2. Synodus Moguntina sub Rabano anno Domini 848. tempore Leonis Papæ 4. de quo eodem anno Baronius, sed ex his Flodoardi scriptis et Gallica lingua solum translatis.

Postea autem à Belgicæ Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus) Videlicet in Synodo Valentina anno 855 ab Episcopis trium prouinciarum, quæ extat to. 3. Concil. parte 1. & in Synodo Tullensi in suburbio illius vrbis, villa Saponarias dicta, ab Episcopis 12. prouinciarum anno Domini 859. quæ ibidem non integre extat. Videatur Baronius hoc anno in Annalibus. Vtriusque infra meminit auctor cap. 16.

Quæ contra catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana &c. dicere videantur) Recte dicit videantur, quia quædam ea bia bene intellecta fidei non aduersantur: vt quod secundo loco adfertur, distinguendo de voluntate Dei beneplaciti & signi. Item tertio loco, quod Christus pro omnibus sit mortuus & crucifixus sufficienter, quia pretium fuit sufficiens quod dedit: sed non pro omnibus efficienter, quia non omnibus applicatur. In quem sensum respondit olim S. Prosper ad Capitula Gallorum, & obiectiones Vincentianas. Quod primo loco adfert Hincmarus his verbis *Dicit* (nimirum Gothescalcus) *quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam.* Hoc impie ab iis, & à Gothescalco dictum, quia dicebant fatali necessitate ex prædestinatione Dei eos ad peccata, deinde in mortem compelli, vt constat ex obiectione prima in Capitulis Gallorum, & can. vlt. 2. Concil. Arausicani, & cap. 3. Concil. Valentini, in quo, citato eodem Concil. Arausicano, ita dicitur. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate, videlicet vt quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus. Legant autem, & apud se perpendant caput sextum eiusdem Concilij Valentini, qui huiusmodi quæstiones hoc seculo suscitarunt. Ceterum de hæresi Prædestinatiana apud veteres rara est mentio sub illo nomine, & recentiores scribentes de hæresibus solum illud adferunt, quod Sigebertus in Chronico anno 415. his verbis: Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & diuina gratia disputantes, asserebant, quod nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit quod improbe viuant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc ille.

Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, ipse vt audacius, ita & peruersius dicat, Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse.) Id quidem minus recte, & improprie dicitur, cum trium personarum in sancta Trinitate non sit nisi vna numero deitas. Sed eo sensu dici potest trina deitas, quæ est in tribus personis. Vnde in ecclesia Romana à trecentis & quinquaginta circiter annis decantatus est ille S. Thomæ hymnus de V. sacramento in quo dicitur. Te trina Deitas, vnaque poscimus. Cumque de commutando ageretur in postrema correctione Romani Breuiarij sub Clemente VIII. vt à viris doctis accepi, propter auctoritatem tamen tanti Doctoris, nihil est mutatum. Sic apud Chrysost. to. 3 homil. de S. Ioanne baptista (quæ quidem ipsius non est, sed incerti auctoris) legitur, quod in Patre, filio, & spiritu sancto est triplex & vna diuinitas. Vbi triplex pro trina ponitur, sicut & in hymno Prudentij de cereo paschali, cum ait de Deo: Regnum continuat numine triplici. Nam Deus non recte triplex dicitur, sed trinus, vt docent Scholastici doctores in 1. librum sententiarum dist. 19.

Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit.) &c. Sic omnia exemplaria, estque hæc vera lectio, ideoque in m male correctum, dictorum, quod secutus est 3. Est autem sensus: Doctorum suorum, id est eorum qui eum docent & instruunt, doctor videri appetit, quos conuincere nititur de eo quod contra seipsos, & propriam doctrinam doceant.

CAP. XV.

Ceterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur) &c. Loquitur de Concilio Valentino, vt patet ex sequentibus, cui interfuerunt in vniuersum 13, aut 14 Episcopi, & inter eos tres Metropolitani, Remigius Lugdunensis, Egilmarus Viennensis, & Rodlandus Arelatensis, quorum tantum nomina in eo exprimuntur, cum nomine Ebbonis Gratianopolitani Episcopi. In quo Concilio capite 4. illa habentur quæ contra se dicta esse hac epistola Hincmarus agnoscit, tam de quatuor, quam de 19. capitulis à se collectis.

In Africana & Arausica synodo.) Hæc est 2. synodus Arausicana, quæ etiam hodie extat. In Africa vna de hac re Concilia celebrata sunt, duo Carthagini, vnum Mileui in Numidia, vt patet ex epist. 47 S. Augustini, vbi vnum vocat plenarium totius Africæ Concilium, quod dolendum est non extare, sed eius quædam fragmenta citat Prosper in respons. ad Capitula Gallorum cap. 8. & lib. contra Collatorem. cap. 10.

A *Veluti epistola Capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit.*] Hic est Ibas Edessenæ ecclesiæ Episcopus, de quo in Conciliis, seu potius iudiciis ecclesiasticis Tyrio & Berythensi, & in Concil. Chalcedonensi act. 9. & 10. Item Baronius anno 448. qui epistolam quidem ipsius esse ait, sed negauit Ibas se dixisse hæc aut similia verba: Non inuideo Christo facto Deo, si voluero & ipse fieri possum. Et de eo crimine, audita testificatione clericorum Edessenæ ecclesiæ, fuit absolutus.

Tempore diuæ memoriæ Karoli Imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita.] ms. infelicitate. Loquitur de Carolo Magno, & Felice Vrgelitano Episcopo. Agunt de eodem Felice eiusque errore Annales Francorum à Pithœo editi anno 792. Sigebertus in Chron. 793. Aimoinus lib. 4. c. 83. & 85. Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum, & Paulus Aquileiensis, qui contra errorem eius librum scripsit, qui extat tom. 4. bibliothecæ Patrum secundæ editionis. Damnata est eius hæresis in synodo Francofordiensi, quæ extat tom. 3. Concil. ad annum 794.

Et sic tandem subiecimus illa decem & nouem capitula.] Sic omnia exemplaria nostra, & Concil. Valentinum. Quare 3. vitiose legit decem & sex.

CAP. XVI.

B *AN quia vobis à cana patrum fide*] Sic c. id est antiqua, vt Gallice scriuit Chesneau, & ex aetedit ms. quod pro a cana, legit, archana. 3. substituit sana. Ita Sidonius Apollinaris carmine 2. Ætas cana patrum, id est prisca ætas, & Isidorus in glossis manuscriptis: Cana fides, antiqua senectus. Et ante hos Virg. 1. Ænead. Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre, Quirinus iura dabunt.

In conuentu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias.] De hoc Concilio adnotatum supra ad cap. 14.

Et in suburbio Lingonicæ vrbis.] Hæc synodus non extat.

Quia non ex ipsis, vt non dicamus per ipsos, Synodi Capitula ipsa fuere prolata.] Sensus est non fuisse prolata, quasi ab ipsis profecta.

Timor ne committere sit, hoc tacere. Sic restitui ex orig. ipsius Cælestini epist. 1. pro cohibere, 3. substituit committere.

In villa Rothomagensis Episcopij quæ Melpsa dicitur Alias Melpha, vel Ancipha, siue Auciphe, vt in ms. 3. Nelpha.

CAP. XVII.

DE synodo sex prouinciarum Galliæ apud Trecas habita. Hæc synodus extat tom. 3. Concil. parte 1. parte autem 2. extat epistola Adriani 13. responsoria ad hanc synodum, quæ inter ipsius epistolas est 9. Supra vero cap. 11. huius libri posita est bona pars Synodalis epistolæ eiusdem Concilii Trecensis.

C *Per Alkardum venerabilem Nannetensem Episcopum*] Sic & in tomis Concil. ms. hoc loco, & infra aliquoties Acardum, interdum Accardum, Actardum, & Artardum. Sed prima lectio communior est.

Nicolaus vero Papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit] Hæc epistola apologetica Hincmari bene prolixa extat apud Baronium anno 867. Sed responsio Nicolai non extat.

Dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus.] Hoc sic intelligo, quod nos Latini Chrisma ex aqua fluminis conficiamus. Vnde in editione Romana epist. Decretalium legitur. Quod tamen Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Miror Nicolaum Chesneau sic transtulisse, quasi Latini esset genitiuus cohærens cum dictione fluminis, addita in margine hac adnotatione: Flumen Latinum est Tybris. Nam & in refutatione decem calumniarum à Græcis obiectarum, quam post eam, quæ hic citatur, Nicolai epistolam apponit Baronius, illud solum dicitur: Quod veratur ecclesia Occidentalis aqua pro Chrismate, omnium testificatione est manifesta calumnia.} Certe non videntur voluisse Græci dicere totam ecclesiam Occidentalem vti aqua Tybris pro Chrismate, sed fluminis cuiuscumque.

CAP. XVIII.

D *IN visione Bernoldi vidimini.*] Huic visioni Bernoldi de loco tenebroso & altero lucido similia sunt quæ scribit V. Beda lib. 5. historiæ gentis Anglorum cap. 13. & Lupoldus Babenbergius de zelo veterum principum Germaniæ cap. 14. vbi ex Vincentii speculo, & ex historia Francorum agit de Ludouico Pio Imp. in pœnis detento, petente auxilium a Ludouico Germanico filio suo. De quo & Sigebertus in Chron. an. 875.

Quia si inde certamen habuerunt, cito de ista pœna ero liberatus.] Id est si certatim hoc egerint, sicut in præcedentibus dicitur; Vt ibi quod rex mandaret de pace stabilire possent, agereque certarent.

Item de passione S. Dionysii à Methodio.] &c. Hæc epistola extat apud Surium de vitis Sanctorum die 9. Octobris.

CAP. XIX.

DE conicello Normannis dando.] Coniectum genus erat tributi à coniiciendo dictum, vt patet ex lib. 4. Capitularium cap. 69. & ex edicto Karoli in Carisiaco anno 861. Vide Glossarium Pithœi, verbo coniectum. Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Ludouico Balbo hæc verba Flodoardi recitans, notat in margine: Coniectus significat annonam.

Ad filios quoque ipsius defuncti regis, Ludouicum & Karolomannum] Hi sunt filii Ludouici Balbi ex Ansgarde priori coniuge: Ex posteriori, cui nomen Adeleidis, genuit Carolum posthumum, cognominato Simplicem. De illis & infra meminit cap. 24. recensens literas ad Hugonem Abbatem de eodem negocio. Sigebertus in chron. anno 880 filios ex concubina nominat. Verum eos natos esse ex legitimo matrimonio docet Papir. loco iam citato. E

Post obitum Ragenelmi Episcopi] Sic & infra constanter cap 23. & 24. legunt ms. 1. hoc loco Ragelini. 3. vbique fere Rageneimi, quomodo & Papirius Mass. lib. 2. Annal. Francor. bis legit. sed cap 23. in Bernone omnia nostra Rainelmi, 3. Rainelmi. Is est qui in catalogo Tornacensium & Nouiomensium Episcoporum 37 vocatur Ranelinus, aut Raymelmus, & in subscriptione Concilii Suessionensis habiti anno 866. Remelinus, cui successit Hedilo.

CAP. XX.

ARduico Vesontionensi.] Ita c. & 3. & infra sequentibus capitibus omnia exemplaria, vel cum aspiratione Harduico. ms. hoc loco habent Radvico, quomodo c. legit super lineas, & in Gelbeo.

Pro villa Dedusiaco] Sic ms. etiam infra, sed ibi facit duas dictiones, 3. hoc loco Dudusiaco, infra Dudeciaco. In testamento S. Remigii constanter ab omnibus exemplaribus legitur integrum nomen Duodeciacus, quomodo & infra hoc libro 3. cap seq. villam Duodeciacam, etsi omissa vna litera in ms. legatur solummodo Dudeciaca. Sic & c. 26. in ms. bis legitur Dudeciaco, vbi 3. priore loco habet integre Duodeciaco, quomodo rursus omnia legunt lib. 4. cap. 2. F

Sed & de villa Nouiliaca] &c. De hac supra lib. 2. cap 17. & latius in fragmento Hincmari quod post finem huius operis adiecit Iacobus Sirmondus, quod videtur partem aliquam huius epistolæ continere.

Karolo quoque Ludouici Transrhenensis filio.] Hic est Carolus crassus, filius regis Germaniæ, fratris Caroli Calui.

CAP. XXI.

AD Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta vxore propria, cuidam feminæ copulauerat.] Hic est Lotharius de quo supra ad cap. 5. Et rursum cap. 10. videlicet Lotharii Imperatoris filius. Verum Baronius ad annum 855. quo obiit Lotharius Imp. dicit eum, diuiso regno, Ludouico Italiam dedisse, qui & successit ei in Imperio, Lothario autem regnum quod in Francia possidebat, præterquam Prouinciam, quam Carolo tradidit, & passim anno 862. hunc Lotharium adulterum, vocat regem Galliæ & Francorum, & Sigebertus in Chron. dicto anno 855. dicit eum Lotharingiam tenuisse, & anno 862. quo VValdradam pellicem superduxit, vocat regem Lotharingiæ. Similiter Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Carolo Caluo. Decessit, inquit, Lotharius Imp. relictis liberis Ludouico, Lothario, & Carolo. Hic Prouinciam habuit, secundus Leucorum & Mediomatricum terras, quæ priscum nomen in Lotharingiam vsurarunt. Ludouicus rex Italiæ fuit.] Itaque pro Italiæ substituendum videtur Lotharingiæ. G

Scripsit etiam quædam ad Adrianum Papam.] Inter Hincmari epist. à Cordesio editas vnica est ad Adrianum 13. Eiusdem Adriani ad Hincmarum duæ extant tom. 3. Concil. 33 & 48.

Formoso sedis cuiusdem (scilicet Romanæ) religioso Episcopo.] Intellige suffraganeo, vt exponit Baronius, eadem verba citans anno 891. quo idem Formosus, longe post obitum Hincmari, creatus est summus Pontifex, cum ante esset Episcopus Portuensis. Sic infra lib 4. cap 4 tempore Stephani 5. scribit Fulco Iohanni cuidam Romano Præsuli, quem Baronius anno 897. dicit vnum fuisse ex suffraganeis sanctæ Romanæ ecclesiæ. Idem intellige de Gauderico & Iohanne, de quibus mox sequitur.

Euangelium quoque Nazaræorum sibi ad transscribendum mitti petens.] Huius aliquotiens meminit S. Hieronymus, qui se illud ex Hebræo in Græcum Latinumque sermonem transtulisse scribit in libro de viris illustribus in Iacobo. De quo vide Sixtum Senensem lib. 2. bibl. in hac re sanctæ scribo Hebræorum euangelium. Sic enim alio nomine appellatur. H

Vulfado Bituricensi Archiepiscopo] Is est qui ab Ebone fuerat presbyter ordinatus, de quo toties in superioribus, vt patet ex epistola Karoli regis ad Nicolaum Papam, quæ extat inter Hincmari epistolas à Cordesio editas.

Immoni Nouiomagensi Episcopo.] Hic alias vocatur Hemmo, & subscriptus legitur in Concil. Tullensi anno 859. Vocatus & Eusmo & Eunno, quem occisum à Nordmannis in vrbis suæ direptione anno iam dicto scribit Meyerus.

Prudentio Tricassino.] Hic in catalogo Trecensium Episcoporum est 37. obiit circa annum 864. vt est in Promptuario sacrorum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, auctore seu collectore Nicolao Camuzat. Festum peragitur 9. lectionibus 6. Aprilis. Extat in eodem promptuario sermo eiusdem hoc titulo: Sermo B. Prudentii Episcopi Trecensis de vita & morte gloriosæ virginis Mauræ. Scripsit quoque librum, quo erudite confutat libellum Origenianis & Pelagianis erroribus refertum, quem Ioannes Scotus concinnauerat ex Gotheschalci Orbacensis monachi scriptis. Ei successit Folchricus, deinde Atulfus, siue Otulfus, de quibus infra c. 23.

Æneæ Parisiorum, pro Rothado Suessonico.] Dedit & alias literas ad hunc Æneam pro Bernone clerico, quæ extant apud Baronium anno 912. & responsio Æneæ ad Hincmarum.

A

C A P. XXII.

IN *Synodo Episcoporum decem prouinciarum.*) Hæc est synodus Duziacensis in prouincia Remensi. Fragmentum epistolæ huius Synodi ad Hadrianum Papam ij. edidit Ioannes Cordesius inter Hincmari epistolas. Meminit eiusdem Aimoinus lib 5. c.24. in fine: habita est anno 817. Exstat tom. 3. Concil. parte 2. Et præcedit ibidem Concilium apud Vermeriam palatium habitum viginti Episcoporum, & in villa & palatio Attiniaco, anno 870. quod ex Baronio ibidem illegitimum, & latrocinale fuisse dicitur, & in eo ipsum Hincmarum Laudunensem iniuste depositum. Fuit forte Hincmarus Remensis, (quem paret fuisse vehementem in omnibus suis actionibus, & maximum veteris disciplinæ assertorem) aliquanto seuerior in suum nepotem Hincmarum Laudunensem, defensorem, vt ait Baronius, iurium Romanæ ecclesiæ: sed & iniquum fuisse in eum docet in annalibus ad annum 870. & 871. Vnde pro Hincmaro Laudunensi est epistola 27. Adriani ij. & tres sequentes. Eiusdem reclamatio siue appellatio ad sedem Apostolicam exstat eodem tom. Concil. post epistolam 111. Ioannis viij. & tandem in Trecensi Concilio, sub eodem Ioanne viij. anno 878. suo pristino gradui dicit Baronius fuisse restitutum, & probat ex Adone in fine sui chronici. Verum Aimoinus dicto libro c 37 potius contrarium significat, dum ait: Ioannem Papam dixisse, vt Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus, sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus, si vellet, Missam cantaret, & partem de rebus Episcopii Laudunensis haberet. Certe Nicolaus Papa primus, etsi in litteris ad Hincmarum Remensem datis, quæ exstant tomo 3. Concil. eum in quibusdam reprehendat, in ea tamen epistola, cuius fragmentum citat Iuo 10 suo decreto part. 14. cap. 46 & Grat. 11. q 3 cap. 102. Excellentissimum, præclarum ei præbet testimonium, dicens. Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas: Quia D o c t a D i v i n i t v s sanctitas tua valde nouit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, &c. Eumdem fuisse virum pium, & admodum litteratum testatur Meyerus in Annalibus Flandriæ 885. Facit quoque pro Hincmaro Remensi epistola eiusdem Ioannis viij. quam, quia deest in tomis Conciliorum, hic adscribere placuit a R. P. Iacobo Sirmondo ex bibliotheca S. Remigii prius exscriptam.

B

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei Hincmaro Archiepiscopo Remensi. Quamuis de sanctitatis tuæ iudicio nihil dubitassemus: quia tamen carissimus filius noster Carolus inuictissimus Imperator, à nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam iudicii a beatitudine tua coepiscoporumque suorum in Hincmarum dudum Laudunensem Episcopum prolati Apostolatui nostro retulit, agnouimus iustum fuisse omnino iudicium. Neque enim tantus Princeps nisi veritate fultum quicquam poterat affirmare. Vnde nefas esse duximus eius relationi non præbere fidei incunctanter auditum. Noli ergo iam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam & sine regimine pastorali dimittere, sed indifferenter electum, & de Laudunensis ecclesiæ clero virum idoneum, & in quo omnium vota consentiant, eidem ecclesiæ præfice protinus Episcopum. Cui electioni volumus etiã Missum præfati piissimi Imperatoris interesse, vt sic secta atium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data est Romæ Theodorico iussu Papæ Ioannis, & domini Caroli noui Imper per manus Anastasii Bibliothecarii in Secretario Ecclesiæ S Petri. Anno incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. Non Ianuarii, Indictione 11. & delata est ab eodem Theodorico in ciuitate Remis Hincmaro Remorum Archiepiscopo eodem anno, & eadem indictione v. Idus Martij.

C

Et à Normanno in synodo accusatus) De hoc videatur epistola Adriani 28. & 29.

Municipium Laudunis, &c. ab exordio sui, postquam à Marcobrio pratore, vt produnt historia, conditum fuit.) De eadem re idem Hincmarus in opusc. lv. Capitulorum Cap. xvi. sic ait: Quod (nempe Castellum Laudunense) sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter ciuitates, vel prouinciales sedis nomen & locum non habuit.

D

Olim ab horno habita.) Sic ms. & originale j. orno, quomodo legit m. lib 1. c. 20. horno autem idem est quod hoc anno. Dicitur & hornus, a, um, vt fructus horni, poma horna, id est huius anni.

Locat ad tonsum caput inclinet, qui eis non obediat, sed potius porro obtinat manus inferens.) Sic orig. & j. Phrasis est satis obscura, ms. thomum. Exemplar quo visus est Baronius legit Thomam, & putat restituendum Romam. Pro porro legit, Petro, in ms. obaians legitur. Est autem tomus propriè fragmentum libri abscissum, & pro ipso libro seu volumine imperfecto accipitur.

C A P. XXIII.

S*ynodum apud Pistas agendam.*) Intelligitur Concilium Pistense in loco qui Pistis dicitur ad Sequanam fluuium celebratum anno 863. sub Nicolao primo, quod exstat to. 3. Conciliorum in fine prioris partis. Vnde & supra cap. 21. legitur in omnibus exemplaribus: ad Pistas in Sequana: hoc loco ms. Pestas legit, sed male. Alio nomine Pisciacum & Pissis dicitur quasi Piscatur, quia solet esse piscina totius Franciæ, vt scribit Sebastianus Rouillard in sua Parthenia siue historia ecclesiæ Carnotensis cap. 12. num 9. Gallice *Poissy*.

VValonis Mettensium præsulis.) Sic ms. sed j. Walæ, quomodo vocat eum Aimoinus lib. 5 cap. 41

E

C A P. XXIV.

IN *Parisiacensem parochiam.*) Sic c. in Gallica translatione, pro quo facit quod scribat ad abbatem S. Dionysii iuxta Parisios. c. in Latino & j. Parnacensem, ms. Parnacensem.

C A P. XXV.

M*Agenardo Prapositio.*) ms. Agenardo.

C A P. XXVI.

V*Iro illustrissimo Eberardo.*) m. Ebarardo j. Ebrardo per syncopen.

Rorico Normanno ad fidem Christi conuerso.) Hic Roricus diuersus est à Rollone Nordmannorum ductore, de quo chronicon Cameracense lib. 1. c. 29. qui ad fidem est conuersus & baptizatus an. 912. vt ibidem adnotaui.

C A P. XXVII.

I*Rmintrudis regina.*] Hæc est Caroli Calui prima vxor, quæ ab aliis scriptoribus Hermentrudis appellatur, qua defuncta Richildam duxit.

F

Vt teneantur conuenientiam, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut] &c. Conuenientiam intellige pactum, seu concordatum, aut iuridicam conuentionem. Respicit enim ad pactum orationis Dominicæ, & ad cap. 13. regulæ S. Benedicti, in quo dicitur: vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis, &c.

Quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam imperatrix illa subiernt] m. periculum, j. quantum periculi malum, tam ipsa, quam imperatrix illa subierunt.

C A P. XXVIII.

C*Vius dam fratris Ragamfredi.*] Sic m. hoc loco, & paulo infra. e. Ragemfredi, j. Ragamfredi.

Si vero ipse Comes hoc fieri negauit.] Sic ms. At j. Sic vero comes ipse hoc fieri non rogauit. Sensus ille videtur: Si Comes neget se fecisse.

Aut timore alicuius, vel hortamento de ipso presbytero.] Sic j. verum ms. aut timore alicuius impulsu præsumant inde damnari, vel iuramento de ipso, &c.

G

Malos autem prasciuit tantum, non pradestinauit, nec vt perirent sua prascientia compulit.] Sic j. At ms. addit duas voculas (ad regnum) hoc modo: Non prædestinauit ad regnum, nec vt perirent, &c. Quæ sane lectio vitiosa est, & pro ea dicendum fuisset, ad interitum.

C A P. XXIX.

D*E libro edito à se, qualiter Domini vel Sanctorum sint imagines venerandæ.*] Quod si liber iste exstaret, tum clare constaret, quid de hac re senserit Hincmarus. Certe, catholice sensisse patet ex ipsius opusc. lv. Capitulorum contra Hincmarum Laudunensem cap. xxv. Quod vero Matthias Illyricus ex eiusdem operis cap. xx. locum allegat, quo Hincmarus septimam synodum de imaginibus, quæ est Nicæna 2, damnare videtur: sciendum textum Hincmari corrupte allegare, pro Constantinopoli substituendo Nicæã. Verba quæ allegat habentur in dialogo quarto Alani Capi. c. 28 Item apud Baronium tom. 9. anno 794. At videatur integrum opus ipsius Hincmari quod demum anno præcedenti 1615. Parisiis editum est, vbi sine vlla lectionis varietate, Constantinopoli legitur. Videatur item Alanus loco iam dicto, & cap. seq. & latissime de hac differentia Seuerinus Binius in notis ad Concilium Francofordiense to. 3.

C A P. XXX.

H

A*Nno Dominica incarnationis DCCC.LXXXVII.*] Sic omnia exemplaria, & in hac re magis credendum auctori, quam Sigeberto & Meyero, qui obiisse scribunt Hincmarum anno 885.

SCHOLIA IN LIBRVM IV.

C A P. I.

F*Vlco vir valde nobilis*] Alias Folco, quomodo vbique fere scribit m.

Marino Papa delegans] Hæc est vera lectio, quomodo & infra concorditer legitur, etsi in m. recenti manu superaddita sit littera t, vt legatur Martino, & hi nefaciunt Martinum ij. Sed legendum Marinus Baronius & Binius attestantur, asserentes perperam nominari Martinum secundum.

Pro defensione Frotharij Bituricensis Archiepiscopi.] Hic fuerat Burdegalensis Archiepiscopus, vt patet supra lib. 3. c. 21. & infra hoc eodem cap.

Ad quæ ille respondens.] Recensentur hoc c. decem & amplius epistolæ Stephani VI. Papæ, quarum nulla exstat in epistolis decretalibus, vel in tomis Conciliorum. Sicuti nec vlla exstat Fulconis, quæ hoc c. enumerantur octo vel nouem, & plures cap sequentibus.

A *Quo, diuina vocatione, hominem excedente.*) id est mortuo. Sic infra c. 5. Tunc illis feliciter humana excedentibus. Sic chronicon Cameracense lib. 3. c. 19. Baldricus Episcopus hominem exiuit, id est mortuus est. Videantur quæ ibidem adnotaui.

Sed Odonis regis sui consultu.) Hic Odo, filius Roberti Ducis, fuit tutor regis Caroli Simplicis, posthumi Ludouici Balbi. Vide scholia infra cap. 5.

Synodum conuocare apud VVangionum ciuitatem) ms. Vangionem. Hæc alio nomine VVormatia dicitur à Sigeberto, & aliis. Vnde Luitprandus in libello de vitis pontificum in vita Stephani sexti, dicit eum iussisse synodum conuocari VVormatiam, & titulo VVormatiensis Concilii ponitur tom. 3. Conciliorum parte 2. anno 895. Verba eius sic habent: Hic Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi ecclesia concordantes, Wormatiam ad Synodum venire iussit, vbi Fulconi Remensi Episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandauit.

Qui eorum vicariatione perfuncti disceptandi & deliberandi libertatem possideant) Sic c. At m. virtcatione, quod 2. manus in iustificatione, 3. vicariatione, apud Baronium vicatione, in marg. pro vice. Eodem sensu in epistola S. Radegundis legitur apud Gregor. Turon. lib. 9. hist. Franc. c. 42. epistolæ vicarietate. Sensus est, qui ipsorum vicarias operas subeant, siue vt hodie loquimur, qui sint eorum procuratores cum plena potestate rem absolute componendi. Sequitur enim.

B *Vt nulla vlterius tempore, præcepta finitiua sententia, de hac re necessitatio sit vertere quæstionem.*) Sic legunt c. & r. sed 3. infinitiuo. In ms. perfecta, pro percepta, & m. ne recepto vertere, quomodo etiam vtrumque apud Baronium legitur.

C A P. II.

R*Odomiam videlicet.*) Sic 3. 2. Rodennam, m. Todennam.

Imperatorem quoque VVidonem coronatum eodem anno significans indictione decima.) Videlicet anno 892. quamuis statim à morte Caroli Crassi, id est ab anno (iuxta Reginonem & Baronium) 888. Imperium occupauerit, cum esset dux Spoletanorum, & de eo tota vita sua cum Arnulfo & Berengario duce Foroiuliensi certauerit. Vtrumque, scilicet VVidonem & Arnulfum, obiisse scribit Baron. anno 899. Sigebertus VVidonem anno 901. Arnulfum 902. & Lambertum VVidonis filium 903. Verum certius hæc omnia Baronius, qui Lamberti Imp. obitum assignat anno 910.

C A P. III.

C Q*Vod si audieret, apostolicæ sedis sententiam reformidaret.*) Sic. c. & 3. At ms. Quod si non audiret, apostolicæ &c. Verum in m. recenti manu adiecta est negatio, non. Quare non est dubium, priorem lectionem veram esse.

Item scribit eidem Archiepiscopo (id est Formosus Papa Fulconi.) *pro Berthario quodam presbytero.*) Ita ms. c. & 3. alias Vertario. c. in Gallico hic, & infra Berchario.

C A P. IV.

Q*Vatenus à Zendeboldo Arnulfi regis filio.*) 3. Zendeboldo, quomodo & c. Sigebertus Zuendebaldum nominat. Erat autem filius Arnulfi ex concubina, vt habet idem Sigebertus in Chron 896. vbi scribit eum à patre factum regem Lotharensium, & ab iis peremptum anno 903. vel vt Reg no, 900.

C A P. V.

A*Rnulfo regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli quem paruulum adhuc vnxerat in regem.*) Hic Arnulfus erat filius Carlomanni, qui Carlomannus fuit filius Ludouici Germanici. Hic enim Ludouicus filius Ludouici Pij Imperatoris, dictus Germanicus & Transrhenensis, frater Caroli Calui habuit tres filios, Carolomannum, Ludouicum, & Carolum Crassum, qui fuit Imperator, cui patruo suo in regno potius, quam imperio successit Arnulfus. Vnde D tam à Flodoardo, quam ab aliis scriptoribus sæpius rex appellatur, quam Imperator. Videatur Baron. to. 10. anno 888. Hæc autem quæ sequuntur vsque ad illa verba: Item ad eumdem regem, significans ei de fidelitate, &c. ponit Seuerinus Binius pro gestis Concilii Remensis celebrati anno 892. in quo Carolus simplex filius posthumus Ludouici Balbi ex Adelëide, Francorum regni legitimus successor, à Fulcone Remensi Archiepiscopo vnctus, reiecto Odone Comite Parisiensi, tutore eiusdem Caroli, qui titulum regni Francorum ab obitu Caroli Crassi Imperatoris (qui teste Reginone, quem sequitur Baron. anno Domini 888. ex hac vita migrauit) tyrannice vsurpauit. Sigebertus in Chron anno 890. scribit Carolum Crassum ab optimatibus repudiatum, & in locum eius sublimatum prædictum Arnulfum, & Carolum obiisse anno sequenti: Addens, eodem anno 890. Francos, neglecto Carolo Ludouici Balbi puero vix decenni, regem sibi præfecisse Odonem filium Roberti ducis. Item in eadem synodo de Balduino Comite Flandriæ tractatum est, vt patet ex cap. 6. & 7. sequent. Sigebertus prædicta refert ad annum 894 quo anno sic ait: Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci puerum Carolum duodennem, Ludouici Balbi filium in regnum paternum reuocant, & Remis a Fulcone Archiepiscopo in regem benedici faciunt. Et anno 899 Odo rex Francorum moriens, E obtestans primates, vt Carolum in regno reciperent. Quod pluribus declarat ad eumdem annum 899 Meyerus.

Quod Aschericus ipse.) Sic c. r. & 3. sed m. Addericus, pro quo 2. clericus. quomodo in Baronio legitur to. 10. anno 892. & in Papir. Massono.

Filiorum Godfridi.) ms. Papir. Goffridi 3. Gosfridi.

Quatenus tam de me, quam etiam de sede Remensi, mercedem dignetur habere) Ita r. ms exemplar Baronii, & 3. quod legit de sede, cum alia omittant (de) vt sit dictum phrasi Gallica mercy. id est veniam & indulgentiam dare, alias legitur memoriam, quomodo vertitur in Gallico.

C A P. VI.

F*Rothero Archiepiscopo*) Sic r. & 3. At ms. Flothero Verum illam lectionem præferimus, quia intelligi videtur Frotharius Burdigalensis Archiepiscopus, de quo supra cap. 1. & lib. 3. c 21. qui quoque in tabulis Demochares etiam Frotteriut vocatur, & subscripsit synodo Suessionensi habitæ anno 866. & Trecassinæ anno 867. vbi modo Protarius, modo, addita aspiratione, Frotharius nominatur.

Rostagno Arelatensium Præsule.) Hic sine dubio is est, qui supra lib. 3. c. 21 Rothstagnus appellatur.

Plegmero Archiepiscopo Transmarino.) Hic est qui numero 19. in catalogo Archiepisc. Cantuariensium vocatur Pleimundus.

F *Ad tractandum de peruasione Balduini.*) Inuaserat hic Balduinus Flandriæ Comes monasterium Bertinense ex donatione Caroli Simplicis, de qua re, ex Fulchardo & Ioanne Ipero Molanus in Nat. SS. Belgii die 9. Septemb. & 17. Iunii.

Abbatiam quamdam in huius Heriloni parochia sitam.] Intelligit Cisonium in diœcesi Tornacensi, de qua supra cap. 1. quæ sita dicitur in parochia Heriloni Episcopi Nouiomensis, quia vt ad cap. 5. libri 1. adnotauimus, Tornacensis & Nouiomensis ecclesiæ sexcentis annis vnitæ fuerunt.

Quod impetrauerat à Romana detulerat vrbe.] S. Euerardus Marchio, vt est supra cap. 1. huius libri, corpus S. Calixti Papæ & martyris à Romana sede impetrauit, sed fieri potuit, vt demum filius ipsius Rodulfus, de quo hic est sermo, inde detulerit. Scribunt tamen Iacobus Meyerus in Annal. Flandriæ, & Ioannes Molanus in Natal. SS. Belgii die 14. Octobris, beati Calixti reliquias Cisonium allatas per Euerardum loci fundatorem anno 854. Addit Molanus eas Remis esse, quo delatas fuisse scribitur infra cap. 8. In Epitaphio autem feretri Cisonium delatas legitur anno 854. Quare falli videtur Sigebertus, vel quisquis hoc Sigeberto adtexit anno 884. Hoc tempore Rodulfus quidam corpus sancti Calixti Papæ & Martyris, a Romana vrbe in Franciam transfert.

G *Præmissi Otfridi.*) Sic nominatur infra c. 11. in omnibus exemplaribus, & in tabulis Demochares, atque in Chronico Cameracensi lib. 1. c. 64. Supra tamen hoc cap. ms. legit Bifredus. 3. Otfredus.

Auxilium sibi venia flagitantes ab ipso.] 3. omittit veniæ, forte legendum venire.

C A P. VII.

E*X Synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno DCCC. XCII surgunt eum.* Hæc est Synodus Remensis in qua Carolus Simplex filius Ludouici Balbi in regem Francorum vnctus est, de quo supra notaui ad cap. iiij.

Et alium ad libitudinem suæ voluntatis constituere.] Hoc est, vt infra loquitur c. 20. pro libitu suæ voluntatis. c. & 3. hoc loco legunt libidinem, eodem sensu.

C A P. VIII.

A*B ecclesia tituli S. Agricolæ*] Hæc hodie est S. Nicasij.

C A P. IX.

H*I scilicet, Gibrianus, Helanus.*] &c. Sic ms. Verum Helanus in m. alia manu additus est, cum esset omissus. At c. in Latino & Gallico, & 3 pro eo legunt Tresanus. Vtriusque meminit Ioannes Molanus in additione ad Vsuardum. Illius 8. Maij his verbis: Remis depositio sancti Gibriani confessoris, in ecclesia sancti Remigii quiescentis. Huius 7. Octobris: In pago Remensi, vico, qui vocatur Bussolus, depositio sancti Helani presbyteri & confessoris. Eumdem S. Helanum habet hoc die Petrus Galesinius in suo Martyrologio, ex tabulis Sanctorum ecclesiæ Remensis, & vtrobique sine vlla varietate Helanus appellatur; sicut & in Natal. SS. Belgii Molani die 3. Decembris, vbi distincte recenset Helanum, Tresanum, Germanum, & Veranum. De ætate horum Sanctorum hæc scribit Sigebertus in chron. anno 509. Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Galliam peregrinatus, vrbem Remensem vita & morte sua illustrat.

Francia.] Sic c. r. Sed ms. Frandæ, 3. Franda.

C A P. X.

D*E historia interemptionis seu martyrii Fulconis videatur Molanus in Natalibus SS. Belgii 17. Iunii,* ex chronicis Bertinensium, & consentiunt Sigebertus. Fuit occisus anno 900. vt ibidem dicitur, & consentiunt Sigebertus, Iacobus Gualterus, Meyerus, Baronius in annalibus, & alii, ... quæ ex eo probatur, quia, et patuit supra in fine libri tertii, Hinc... tus obiit anno 882. & Fulco sedit annos 17. tribus mensibus. ...

A cem diebus, vt habet hoc loco epitaphium. Quare fallitur Nicolaus Chesneau dum in Gallica sua editione notat in margine eum obiisse anno 905. Idem probatur ex c. 17. infra. Nam cum successor eius Heriueus, vt est in chronico auctoris, obierit anno 922. die 2. Iulii, & sederit, vt ibidem dicitur, annis 22. demptis diebus 4. oportet eum ordinatum fuisse die 6. Iulii anno 900.

Explorantesque quomodo à metatu suo ad regis colloquium.) &c. Sic omnia exemplaria. Sensus est, quomodo a loco in quo metari solet, vel ex hospitio suo, proficisci soleret. Vnde dicitur infra. Ceteri qui superfuere, bis qui ad hospitalia remanserant. &c. Vtitur eadem voce metatus infra c. 15. vbi significari hospitium ex eo patet, quia quod ibi dicit: Ad metatum suum deduxit, in chronico suo dicit: Duxit eum ad hospitia sua. Item eadem voce vsus est supra lib. 1. c. 20. & lib. 2. c. 3. vbi vide scholion. Quare non recte, reclamantibus omnibus exemplaribus, s. vult corrigi: Quot in comitatu suo. Voce metatus vtitur frequenter Gregor. Turon. in hist. Francorum, vt lib. 3. cap. 8. Ad metatum regressus c. 15. in metato eius. Lib. 5. c. 25. Recedente vero rege ad metatum suum, item ibidem c. 39. Lib. 7. cap. 29. bis Lib. 8. c. 2. Ad metatum nostrum aducnit. Quod postea dicit: In mansione mea, id est domicilio, &c.

C A P. XII.

B *ET sancti Remigij benedictione recepit.*) Hoc enim tributum est meritis S. Remigii, quod is qui corporis eius translationem honorauerat, non amitteret quod ei furto fuerat ablatum.

C A P. XIV.

COnuentus denique Synodales sæpe cum coëpiscopis suæ diœceseos habuit.) Nominatim duos, vnum anno 909. sub Sergio iij. Papa in pago Suessonico apud Troslegium, de quo infra c. 16. vbi ms. legunt Troslcium, & omnia exemplar. c. 19. & 21. Vtroque enim nomine locus appellatus inuenitur, vt illo appellatio sit integra, hæc per abbreuiationem, sicut Heriueus & Herueus. Huius acta summatim ex Baronio habentur to. 3. Conciliorum parte 2. Alterum anno 921. De quo auctor noster in suo chronico, & Seuerinus Binius post synodum ibidem celebratam sub Seulfo, de qua infra c. 19.

Post bellum quod Robertus Comes contra eos Carnotenus gessit.) Sic omnia exemplaria, quod Gallice recte vertit *vers Chartres*, id est versus Carnotum. Vnde s. Carnotenus mutauit in Carnotoienus. Quomodo autem Rollo dux Normannorum Carnotum obsidens, miraculose ab vrbe repulsus fuerit sub annum Domini 908. per camisiam seu interulam B. Mariæ virginis late describit idiomate Gallico Sebastianus Roulliard in sua historia ecclesiæ Carnotensis cap. 7. num 5.

C *Fidem Christi suscipere receperunt.* Ita c. & j. Sed ms. Baron. Papir. & auctor ipse in Chron. ceperunt.

Insuper etiam Romanum Pontificem super eiusce modi negocio consulere studuit. Ad summe consulta., &c. Rescriptum Ioannis 12. Papæ ad Heriueum Archiepiscopum de iis quæ circa Nordmannorum conuersionem facienda forent extat apud Baron. tom. 10 anno 905. & to. 3. Concil. par. 2.

C A P. XV.

SEquenti vero anno.) &c. Deinceps annorum numerus, quem margini adiecit, sumptus est ex Chronico nostri Flodoardi, quod Pithœus edidit inter 12. auctores coëtaneos.

Propter Haganonem consiliarium suum.) Ita j. & c. in Latino & Gallico, m. vero Haganem, ex quo s. fecit Hugonem. Sed eam quam retinuimus lect. onem veram esse constat ex auctore in dicto chronico, vbi constanter ita legit multis locis. Aliam causam defectionis Caroli regis indicat Sigebertus in Chron. anno 920. his verbis: Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes pene primates Franciæ aduersabantur Carolo.

C A P. XVI.

D *DE Erlebaldi Comitis excommunicatione.*) Ita perpetuo legit j. Alioqui varia est lectio etiam in eodem exemplari. ms. in titulo legit Heriboldi, mox in textu m. Herlebaldum, & postea Erbebaldus, s. Heribaldus. Legitur & Erebaldus, Ereboldus, & Erleboldus. Est autem capitis nota cum absolutum fuisse ab excommunicatione post mortem.

C A P. XVII.

TErtia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat.) Factus erat rex die vltima Iunii 922. Hic Robertus, frater Odonis regis, eodem anno, vt scribit Odorannus, & Sigebertus, auxilio Lothariensium, apud Suessionem interfectus est. Sed magis auctori nostro res sui temporis scribenti credendum, qui anno seq. 923. interfectum scribit in suo Chronico.

C A P. XIX.

VItam finisse.) Obiit Seulfus anno 925. expletis in Episcopatu annis tribus, & diebus quinque. Ita auctor in Chronico. Cui conforme est quod de eo legitur infra cap. 35.

C A P. XX.

E *ROdulfus igitur rex.*) De hoc Rodulfo scribit Meyerus anno 890. Eodem anno Burgundiones, Rodulpho Ricardi ducis sui filio, diadema imposuerunt, regemque sibi consalutauerunt. Hic igitur Rodulfus, filius Richardi Marchionis præfecti Burgundiæ, erat rex Burgundiæ, quem Franci, occiso in prælio Roberto rege, socero ipsius anno 923. nolentes redire ad Carolum Simplicem, sibi regem elegerunt, tenuitque regnum Franciæ per duos annos, vt scribit Sigebertus, dicto Carolo in custodia apud Peronam detento. Verum ex cap. sequentibus constat eum regnasse in Francia vsque ad annum 936 quo obiit, vt est infra c. 26. Obiit autem 18. cal. Iunii, atque ita regnauit annos 12. Quod conforme est Roberto Gaguino, Paulo Æmilio, & aliis multis. De hoc ita scribit lib. 2. Annalium Papirius in Carolo Simplice: Rodulphus Richardi filius in matrimonio habebat Emmam Roberti filiam, & Heribertus aliam eius filiam duxerat, socer generique & Hugo filius, auctoritate & gratia, atque opibus multum poterant.

C A P. XXI.

F *HEribertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, eiecit.*) Dolo enim Heriberti captus fuerat anno 923. post occisum Robertum, & liberatus è carcere anno 927. sed anno sequenti iterum in custodiam redactus, in qua obiit anno 929. Hæc ex auctore in chronico. Habet his conformia Sigebertus, sed fallitur in tempore, dum scribit anno 924. eum in custodiam Peronæ a Comite Heriberto detrusum ob necem Roberti Ducis ab eo perempti. Et anno 926. Carolus rex Francorum sub custodia Heriberti exul & martyr moritur. Similiter in tempore fallitur, dum scribit anno 928 Ludouicum filium Caroli in Franciam esse reuersum, cum id demum factum sit anno 936 post obitum Rodulfi regis Burgundiæ.

C A P. XXIII.

NEc non & Arnaldo.) Sic j. alia Arnoldo. Similiter in sequentibus nunc Artoldus, quomodo sæpius c. & j. nunc Artaldus, quomodo frequentius ms. legunt. Item Sigeboldus & Sigebaldus, &c. & infra c. 33. Deroldus & Deraldus.

C A P. XXIV.

DE ordinatione domni Artoldi Episcopi.) Hæc facta est anno 931. & obiit anno 961. pridie Calend. Octobris, vt habet auctor in Chron. atque ita constat 30. annis ecclesiam gubernasse.

C A P. XXV.

G *SYnodus septem Episcoporum apud S. Macram.*) m. Magram s. Mechram. In tom. 3. Concil. ponitur anno 935. sub nomine Concilii Rhemensis, cum sit pagus quidam eiusdem diœcesis, alio nomine *Fismes* dictus, vt annotauit Nicolaus Chesneau. De passione autem S. Macræ virginis habes infra c. 51.

C A P. XXVI.

LVdouico Karoli filio, quem rex Alstannus auunculus ipsius nutriebat.) c. Alstanus, j. Alstranus. In catalogo regum Angliæ apud Ioannem Carionem Adelstanus nominatur: Meyerus Atelstanum vocat. Est autem hic Ludouicus Caroli Simplicis filius, dictus Transmarinus, quia trans mare apud regem Angliæ fuerat enutritus, eo quod matrem haberet filiam regis Anglorum.

Quod pater eius (scilicet Carolus Simplex) S. Remigio tradiderat.) Id est monasterio S. Remigii, vt patet ex verbis sequentibus. Sic & infra cap. seq & alibi accipitur.

C A P. XXVIII.

H *HVgo princeps filius Rotberti.* Hic infra c. 35. & alibi vocatur Hugo Comes, qui dictus est Hugo magnus, Comes Parisiensis, & dux Aquitaniæ, filius Roberti Andegauensis & Parisiensis Comitis, qui in regem fuerat electus, de quo supra cap. 17. Vocatur idem Hugo Dux Francorum, qui Ludouico regi Francorum, filio Caroli Simplicis rebellauit. obiit autem anno 956. Hic ex vxore Auera, quæ filia erat Henrici j. Aucupis, & soror Otthonis primi Imperatoris, quam alii Hauidem nominant, genuit Hugonem Capetum postmodum Franciæ regem, qui extincta stirpe Caroli magni, regnum Francorum obtinuit. Historia describitur apud Aimoinum lib. 5. de gestis Francorum cap. 44. & 45. Erat autem dictus Robertus frater Odonis Regis, vxorem habens sororem Heriberti potentissimi Comitis Aquitaniæ & Veromandiæ, de quo hic est frequens mentio. Vnde Sigebertus in Chron. anno 949. Hugonem Heriberti filium vocat nepotem Hugonis Magni, sicut & auctor noster in Chron. 943.

Mihi quoque ecclesiam Colmisiaci vici abstulit.) In Chronico suo anno 940. ait: ecclesiam quam regebam in Culmisciaco. Vnde colligitur eum aliquando rectorem seu pastorem fuisse loci illius, cuius frequenter meminit in hac historia. Varie autem hoc nomen scribitur, vt adnotauimus ad lib. 1. cap. 12.

A

CAP. XXX.

A Ltemontem castrum occupant] Sic integre scribitur in c. & j. plerique Almontem legunt, tam supra, quam infra.

Postea etiam quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à rege.] Papirius Massonus lib. 2. Annal. Francor. de isto Heriberto Comite sic scribit: [illegible] reliquit, Herbertum, Hugonem illegitimum Rhemorum pontificem, Odonem, Adelbertum, & filiam vnicam Arnolphi Flandri vxorem.

Ambluum castrum cepit.] Ita j. c. Ambleum. ms. Amblidum, Gallice *Ambly*.

CAP. XXXI.

V T filium ipsius, & filium fratris sui sic tapeens idem præsul] Ita c. in Gallico & Latino, & j. sed aliud exemplar, & ms. & auctor in Chronico, et filium hominis ipsius, &c.

CAP. XXXII.

M Onasterij S. Benedicti abbatem.] Sic omnia exemplaria. Quare non recte s. scripsit S. Remigij pro Benedicti. Vt autem adnotauit Nicolaus Chesnæus intelligit abbatem S. Benedicti ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi.

B *Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat.*] Hæc Gerberga soror Ottonis primi Imperatoris fuit regis, (Sic enim sæpe ab Historicis nominatur, quod benedictionem Imperialem, non acceperat, sicuti nec Henricus Auceps pater ipsius) hæc nunquam Gerberga fuerat vxor Gisleberti ducis Lotharingiæ, quo tore-fecto, eam duxit vxorem Ludouicus rex Francorum, vt scribit Sigebertus in chron. anno 943.

CAP. XXXIII.

R Emensem cum Hugone præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem.] ms. post dictione in præsule addunt: & Theobaldus quidam, quod abest a ceteris, & a Chronico, nec videtur illud admittere orationis constructio.

Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam.] Sic c. & r. sed ms. vitiose Deroedo. j. & c. in Gal. Deroldo, quomodo & infra bis c. 35. conformiter in omnibus exemplaribus. Pro Tetbaldo m. habet Theobaldus, ex quo s. fecit Theobaldus, quomodo ms. legit c. 37. In tabulis Democharis legitur Deraldus, quem sequitur Ramboldus, postea Theobudus. Auctor in chronico Deroldum & Tetbaldum legit.

C

CAP. XXXIV.

P Ræsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre.] Ita etiam auctor in chronico, c. legit Brunone, & Gallice vertit *Brunon*, quomodo etiam legi potest in m. sed infra c. 35. apertissime legitur Brunone, quamuis & ibi in Gallico vertatur *Brunon* Verum placet alia lectio, quia de eo omnino loqui videtur, qui paulo post hæc tempora factus est Archiepiscopus Coloniensis, succedens VVicfrido, anno 953 vt habet auctor in chronico, & Sigebertus: qui ab omnibus Bruno appellatur, fuitque frater Othonis primi Imp. Henrici Aucupis Imp. filius.

Misit quoque duobus ad eum deducendum Episcopis] Videlicet Adalberone & Gossino, vt c. sequenti dicitur in libello Artoldi, & exprimit auctor in chronico.

Ex diœcesi Treuirensi atque Remensi] Sensus est, fuisse in illa Synodo Mosomensi vtriusque diœcesis Episcopos, quod c. in Gallico non est assecutus. Nam auctor ipse in chronico ita scribit Anno 948. Synodus prædicta celebratur in ecclesia S. Petri ante prospectum Castri Mosomi a domno Rotberto, ceterisque Treuerensis diœceseos Episcopis, & aliquibus Remensis.

Capitulum XIX. Carthaginensis Concilij de accusatore.] Videtur intelligi Capitulum 9. & 10. Concilij tertij Carthaginensis. Pro quo fecit quod infra c. 35. legatur nonum decimum, vbi facile omitti potuit coniunctio &.

D

CAP. XXXV.

D E synodo apud Engulenheim congregata] Habita est 7. Idus Iunij 948 in ecclesia B. Remigij honore dicata, vt est in chronico auctoris, vbi etiam recenset nomina eorum qui interfuerunt numero 31 Regino lib. 2. chronicorum scribit interfuisse Episcopos 34. Tom. 3. Concil. parte 2. subscripti leguntur 31

Denique posquam domina nostra regina Laudunum, propter absolutionem domni regis, reliquerat.] Sensus patet ex iis quæ dixit auctor supra c. 32. Hugo enim princeps, dictus Magnus, ipsum regem Ludouicum tenebat sub custodia, ipsaque regina Gerberga, eidem Hugoni Laudunum reddiderat, vt reciperet Ludouicum regem. Neque enim aliter absolutio, id est liberatio eius potuit obtineri, vt ait in chronico 948.

Post quarum litterarum recitationem. &c. Sequentia omnia vsque ad finem capituli, & duo capitula sequentia, etiam quo ad verba, eadem sunt in chronico, anno iam dicto.

Lectis capitulis de huiusmodi calumniatoribus.] Intelligere videtur Capitula concilij Carthaginensis, vel Capitula Caroli Magni & Ludouici Pij, in quibus tamen hoc non reperio.

E *Artaldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat*) Multæ enim synodi pro hac causa congregatæ fuerunt, vt patet partim ex superioribus, partim ex Chronico auctoris, & to. 3. Concil parte 2. videlicet Virdunensis, anno 947. Mosomensis 948. idibus Ianuarij, Engelenheimensis 948 septimo idus Iunij, de qua hoc cap. quæ ceteris fuit celebrior. Postremo Romana 949 in qua Agapitus Papa ij. damnationem Hugonis Episcopi apud Engelenheim factam confirmauit.

Ceteris quoque duobus synodo tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis.) &c. Hæc videre est in actis & canonibus decem huius concilij, quæ edita ab Henrico Canisio, adiecta sunt ad finem 2. partis tom. 3. Concil. per Seuerinum Binium. Deest tamen ibidem canon de incestis coniugiis.

CAP. XXXVI.

F Ere quadringentes homines interfecerunt) Ita c. in Gallico & Latino, & j. Verum ms. quadraginta, quomodo legit auctor in Chronico ad annum 948 quo hæc gesta sunt.

VVinefrido Mortuensi) Ita ms. hoc loco, sed infra Huicfridus r. in Gallico vtrobique *VVinefrido*, sed in Latino VVicfredus, sicut & j. In Chronico auctoris duplex quoque lectio est, Vinefredus & VVicfredus. In Chronico manuscr. Moniensi VVyefridus appellatur. Integra dictio videtur esse VVintfredus, ex qua per contractionem factum est Vinefredus & VVicfredus. Quo posteriore nomine viuebat F eodem tempore Coloniensis Archiepiscopus, qui & Wicfridus nominatur infra cap. 42. vbi m. legit Hinefridum, quod s. mutauit in Huicfridum.

CAP. XXXVII.

I Nsistente præcipue Liudulfo capellano regis Othonis.) Hæc vera & integra lectio omnium exemplarium, sed infra variant. Nam c. Liudolfus m. Ludulfus. In chronico Ludulfus & Laudulfus. Est autem sermo de Othone 1. eius nominis Imperatore, qui & Otto magnus dictus est, propter celebres bellorum eius victorias, vt ait Lupoldus Bebenbergius lib. de zelo veterum principum Germaniæ. cap. 2. c. infra Odonis legit. Nam interdum promiscuo pro eodem vsurpantur Ottho, Otho, Odo, Ado, & Vdo.

Nomine Adelonem.) Ita c. & j. sed ms. Adelonius. In Chronico Adelonius, Gallice vertitur *Adelon*.

Acta Synodi Inghelheimensis, de qua supra c. 35. & Treuirensis, de qua hoc cap. & præcedenti, approbauit Agapitus Papa ij. habito Romæ concilio ad S. Petrum, confirmans damnationem Hugonis Episcopi, & excommunicationem Hugonis principis donec Ludouico regi satisfaciat, vt testatur auctor in chronico anno 949. Quod chronicon vlterius extenditur quam hæc historia. Pertingit enim vsque ad annum 966. Porro Artaldus obiit anno 961. pridie Kalendas G Octobris, vt est in eodem chronico, & sequenti anno successit ei Odalricus.

CAP. XXXVIII.

I N honore Mariæ, vel S. Petri constructa tradidit) s. recte notat in margine, vel. poni pro, &. Quod & aliis quibusdam locis contingit, præsertim in summariis capitum.

CAP. XXXIX.

D E Sancto Balderico Abbate.) De hoc Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 16. Octobris: In monte Falconis, beatissimi Balderico confessoris, cuius vita crebris miraculis declaratur.) De eodem Arnoldus VVion lib. 5. ligni vitæ in martyrologio suo monastico, ad eumdem diem, & Ioannes Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib 3 c 152.

CAP. XLI.

D E villa VValeria) Sic r. m. & j quæ videtur vera lectio, pro quo s. Vasseria. c. autem VVasseria In Gallico autem hoc loco vtrumque ponitur, *VValsiere, ou Valliche*, sed infra semper *VValsiere*.

De sede scilicet vrbis Virdunensis S. Vitonum, & S. Agericum) Vterque H fuit Episcopus illius sedis, ille nonus, hic decimus in tabulis Democharis. De illis enim sic habet: 8 S. Videnus, seu Vitonus, eligitur 502. in Concilio Aurelianensi primo, tempore Clodouei to. S. Agericus eligitur 554. Videndus de his Richardus de VVassebourg Archidiaconus Virdunensis lib. 2. Antiquitatum Galliæ Belgicæ, quod opus Gallice conscripsit, qua lingua nominantur *Sainct Venne, & S. Agry*.

Et similiter Rodulcus de VVassero.) c. Rodincus de Vasseio.

Pro villa Gerlanimonte, super Mosellam consistente.) Sic r. c. & j. sed ms. Gelani, quomodo & cap. sequenti tum in titulo, tum in textu legitur etiam in c. sed m. ibi Gelaon. c. & s. Geilani.

Ad quam villam dum saciendi sibi causa.) Sic c. & j. At ms. faciendi. Gallice vertitur, causa accipiendi possessionem, quod Gallice dicimus *saisir & saisine*, id est possessio. Quod recte Latine diceretur sancire, id est confirmare, quia possessio confirmat rem acquisitam.

CAP. XLIV.

S Anctarum Bonæ et Dodæ.) Agit de his Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 24. Aprilis his verbis Remis ciuitate, sanctarum Bonæ & Dodæ. Ex quo, vt apparet, Baronius transscripsit in Romanum Martyrologium ad eundem diem. De iisdem Petrus Galesi-

nus, Felix, & Arnoldus VVion in suis martyrologiis, omnes in eo cor rigendi, quod legant; Bona pro Boua. Nam hanc esse veram lectionem omnia nostra probant exemplaria, tam supra cap 18. quam hoc cap Sic & superius c. 20. legimus Bononem Catalaunicēsem Episcopum, quod non recte s. mutant in Bauonem, & c. in Bononem. Adde quod hæc eadem Sancta lib. 2. c. 10. Boba nominatur in omnibus exemplaribus. Solet autem b in v mutari, aut contra, vt Bibiana, Viuiana, Iobita, Iouita.

CAP. XLVI. & XLVII.

DE *domno Gunthero, & ipsius uxore Berta.*] Varie scribitur hoc nomen in exemplaribus, sed hæc frequentior est, vel pero Gontbertur. Integra pronunciatio est Gondebertus, quomodo legitur supra lib. 1. cap. 4. in fine, vel Gundebertus vt lib 2. c. 10. Hic vero fere Gumbertus vel Gontbertus, sed ms. in titulo cap 47. Gombertus, quo nomine exstat vitæ ipsius historia in vitis Sanctorum Galliæ editis per Parisienses die 29. Aprilis, vbi narratur fuisse frater Niuardi Remensis Episcopi, quod iam dicto cap. 10. testatur etiam Flodoardus. Idem autem videtur esse de quo Molanus in additionibus ad Vsuardum 13. Nouembris: In territorio Remensi, sancti Goberti Confessoris. Sed obstat quod S Gombertus martyr obierit, sicus & S. Berta. De qua Sigebertus in Chron. anno 661. Bertha martyr & Abbatissa sanctitate claret in Gallia. Exstat eius vita, in vitis SS. Galliæ editis à Doctoribus Paris. ad 1. diem Maij.

CAP. XLVIII.

DE *duabus ecclesiis Sancti Hilary Remis*] Hæc est communis & frequentior lectio. sed ms. hoc loco Hillari, & in indice Capitulorum Hilari. Quomodo Baronius Romanum pontificem S. Leonis magni successorem, Hilarum vocat, qui frequentius Hilarius nominatur.

Quod vocaretur Merolilanus.) S. Merolilanus Scotus nunc Remis in ecclesia S Symphoriani quiescit.

CAP. XLIX.

E*Im labuntur humo intraneas.*) Id est intestina, quomodo leg. me. Gallice *entrailles*, c. humi, sed altera lectio verior, vt dictum sit humo, pro in humo. Hæc autem pœna adulteræ constituta est à Deo Num. 5.

CAP. L.

C*Ompositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se fuisse vindicatam*) Restitui fredum pro fretum, etsi hoc etiam modo legatur in excusis Gregorii Turonensis, cuius allegatur locus, sed & in multis alijs corrigendus, vt patebit, si quis ea, quæ hic refert Flodoardus, conferat cum loco eiusdem Gregorii. Certe Pithœus in glossario Capitulorum, verbo freda, & Iacobus du Breol in adnotat ad c. 17. lib. 5. Aimoini citantes eumdem Gregorii locum, fredum legunt Similiter semper numero plurali legitur freda in varijs diplomatibus, quæ exstant in ea chronica Cameracensi lib 1 c. 37. 61. 76 & 107. & in literis fundationis Prioratus S. Martini à Campis apud Parisios datis anno 1060. ab Henrico I. Francorum rege: in fredus Exstaneis Martinianis. In epitome tamen constitutionum Caroli Magni freta, pro freda legitur, in eo Capitulo, quod in libris Capitulorum a Pithœo edit est 30. libri 3. vbi dicitur excepta f.eta, quæ in lege Salica conscripta est. Ad quem locum Vitus Amerpachius: Freta est, quam alio qui fredam & fredum vocant illa secula, &c. Sed cum exemplar ea quo impressæ sunt istæ Constitutiones valde fuerit incorrectum, vix dubium est, quin sit error librarii. Quid autem sit fredum hic indicatur, estque dictio Teutonicæ originis pacem significans, quam Germani dicunt, fred & Frid. nos Teutones *vrede*. Fredas legimus tum alibi, tum in privilegio Caroli Calui, quod exstat in promptuario Tricassino fol. 84.

CAP. LI.

B*Matra virgo sub Rictionaro Præfecto.*) Sic legitur in e. & j. hoc loco & in ms. cap. seq. vt sit vna dictio. At ms. hoc loco Rictio Varo separatis dictionibus, quod magis probat Baronius in notis ad Rom. Martyrologium 6. Ianuarii. Quo die agit de hac virgine etiam Vsuardus. Porro Rictionarus sævissimus fuit Galliarum præfectus seu præses sub Diocletiano & Maximiano, sub annum Domini 300. Martyres sub eo passos complures recenset Baron. tom. 2. Annal. anno 303. vbi mischandum eius quoque refert interitum.

CAP. LII.

D*E sanctis Rufino & Valerio martyribus.*) De his Baronius, Vsuardus, & alii in martyrologiis die 14. Iunii.

CAP. LIII.

S*Vbito cernuatus cecidit.*) Hæc est vera lectio, quam habent c. & j. Sed quia non intellecta, ideirco in aliis exemplaribus est mutata. Vnum enim legit cernatus. Iam. legebatur consternatus, at recentiore manu correctum consternatus, quomodo scripsit s. Est autem cernuus, id est, in partem anteriorem inclinatus, vel in caput ruens. Hinc ad illud Virgilii Æneid. 10 Erectoque incumbit cernuus aruo. ait Seruius: Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quasi in eam partem quam cernimus. Hinc & illud in hymno ecclesiæ:

Tantum ergo sacramentum venere-
mur cernui.

FINIS.

VOCVM QVARVMDAM OBSCVRARVM, AVT BARBARARVM EXPLICATIO ORDINE ALphabetico, quæ in his quatuor libris Flodoardi continentur, siue sint ipsius, siue aliorum, quorum testamentum, vel epistolæ interseruntur. Quæ non sunt auctoris, iis præponitur asteriscus.

A*Binde*, pro inde, id est, ab eo tempore, vel ab eo loco. Vtraque enim significatione vtitur.

* *Acetabulum*, lib. 2. c. 18. in testamento S Remigii accipi videtur vt Num. 7. vbi in Hebræo est scutella. Nomenclator Hadriani Iunii recenset inter mensurās liquorum, & capere dicit cyathum vnum & dimidium.

Æquinoctium, eiusdem nominis Vide indicem nostrum vocum obscurarum in Chronico Cameracensi.

Alodes, idem quod alodium. Vide iam dictum indicem, & Glossarium Petri Pithœi in Capitularia, verbo Alode.

* *Amphibalum*. Vide scholia in cap. 18. lib 2.

Atrium, cœmiterium Gall. *l'atre*.

* *Beneficiare*, in beneficium dare.

Blattea, purpurea. Vide scholia ad cap. 25. lib. 2.

Brandeum, lib. 1. c. 20. & 21. pannus sericus, seu linteum, quo Sanctorum corpora, seu reliquiæ inuoluuntur: vel etiam quod aliunde allatum eorum reliquias contigisset, vt hodie fieri solet. Vide scholia ad cap. 21. lib. 2.

* *Breuiculus*, lib. 3. c. 22 scheda seu schedula, à breui, forma diminutiua, deductum. Sic est in operibus S. Augustini tom. 7. Breuiculus Collationum cum Donatistis, id est, (vt Augustinus alio nomine vocat ibidem, & epist. 158) Breuiarium & breuiatio, seu compendium. Sic iuxta Alciatum & alios lib 7 Codicis titulus 44. est de Sententiis ex breuiculo (pro quo vulgo legitur periculo) recitandis. Ad quem locum Christophorus Hegendorphinus in exegesi titulorum Codicis ita scribit: Hic titulus corrupte legitur Nam pro periculo, breuiculo legi debet: siquidem hic tractatur quomodo sententiæ ex scripto recitari debeant. Breuiculus vero est vox diminutiua a breui, hoc est ab schedula, scriptura, dictaceoque.

* *Cabuta*, seu Cambuta. Vide scholia ad cap. 18 lib 1. Quibus adde pedum pastorale S Burchardi primi Herbipolensis Episcopi fuisse virgam sambuceam, vt est in vita ipsius lib. 2. cap. 1. to. 5. Sarii.

Caraxatum, lib. 1. c. 9. scriptum. Item caraxare, caraxatura, & caraxatores, seu potius per aspirationem charaxatum, &c. Vide Scholia ibidem ad cap. 18.

Cellerarius, lib. 2 c. 12. vel vt j. c. cellarius, idem qui cellarius, quomodo mutauit s. quomodo etiam nunc in Hincmaro legitur, minister cellæ, seu promus, aut promus condus. Vide indicem vocum obscurarum ad Thomam Cantipratanum.

Cernuatus, cernuus. Vide scholia ad cap vt lib. 4.

Comes, nomen officii lib 2. c. 18 & alibi. Hi enim comites cum Missis dominicis iudicia exercebant per singulas prouincias, vt patet ex eodem cap. & ex capitulis Caroli Magni. Vide scholia ad idem cap.

Coniectum, vel um, genus tributi. Vide scholia ad cap. 19. lib 3.

Consuerant, pro consueuerant lib. 2. c. 12.

* *Consultum*, us, consultatio, consilium. Vide scholia ad cap 4. lib 3.

Cors, cortis, pro aula regia, Gal. *Court*. lib. 3. cap. 23. bis in literis Hincmari: aliquando pro curte, vt lib. 2. cap. 17 & lib 2. c 6.

Cors, curtis, id est villa. Capitula Karoli Magni lib. 3 cap. 19. Cortes nostræ remanent desertæ. Vide indicem vocum obs. ad Chron. Cameracense.

Decania, decanatus, lib 3. cap 25. sicut canonia, pro canonicatu.

Decubant, pro decubunt lib. 1. cap 8.

Depactum, pro pactum siue conuicatum.

* *Diaconia*. Vide scholia ad cap. 18 lib. 2.

Domnus, pro domino. Vide notas ad Chron. Cameracenf lib. 1. cap 27.

Emouere, pro mouere, aut dimouere libr. 4. cap 40. Gallice *emouuoir*.

Episcopium, Episcopatus. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam.

Esox, esocis, genus piscis, lib. 2 cap 8 vbi vide scholia.

Eulogiæ. Vide scholia ad cap 11 lib. 2.

Exinde, pro inde, id est ab eo loco, vel tempore. Vtitur Fortunatus in vita S Medardi.

Fiscalini, à fisco dicti lib. 1. cap 20. qui villas regii fisci tenebant: Fiscalio serui leguntur in Aimoino lib. 3. de gestis Francor. cap. 42. & 55. Lib. 3. Capitulorum cap. 16. Fiscalini regii leguntur, & in epitome Constitut. Caroli Magni lege 2. Ripuarense. Homo regius, id est fiscalinus. Vide Pithœi gl. ssarium.

Flasco, lib. 1 cap. 15. genus vasis, Gall *un flascon*. Vtitur voce flasconis B Gregorius lib 2. dialog. cap 18.

Francisca, lib. 1. cap. 13. in penult, quomodo Hincmarus habet in vita S. Remigii, & ipse Flodoardus etiam iam dicto cap. sic & Gregorius Turon. lib. 2. hist. Francorum cap. 27 eamdem describens historiam, bipennem & securem nominat. Aimoinus libr. 1. de gestis

Franc

A Franc.cap. 12. Et cateosa manu franciscam eius terræ deiecit, quæ spata dicitur.

* *Fredum*. Vide scholia ad caput 50. lib. 4. & notas ad caput 37. lib. 1. Chron. Cameracensis.

Frigoritici, lib. 2. c. 14. & lib. 4. c. 44. febricitantes, frigido morbo laborantes. Vtitur eadem voce Fortunatus lib. 1. vitæ S. Radegundis capite 10. quæ exstat apud Surium tom. 4. die 13. Augusti, vbi legitur frigoriticum, & in margine notauit Surius: Frigoriticum, pro febricitante. Gregorius Turonensis libro 5. historiarum Francorum capite 20. Frigoriticis pustulis laborantibus. Idem de Gloria Confessorum capite 64. Frigoritici cæteri quæ infirmi sanantur. Plura vide in indic. vocum obscur. in Chron. Camerac.

Glaucoma, æ, lib. cap. 24. Vtitur Plautus in Milite. Vsitatiùs dicitur glaucoma, atis, item glaucomatum, ti, & significat vitium oculi.

Hochonaculum, vel *hochinaculum* lib. 2. cap. 18. in testamento S. Remigij.

Homo huius aut illius, vt homo Atoulfi, id est vasallus.

Hornò, id est hoc anno, libro primo capite vigesimo. & libro 3. c. 22. vbi vide scholion.

Imaginatum, imaginibus & figuris sculptum & decoratum. Vide scholia ad caput 18. libro primo. Eiusdem vocis fit mentio libro 3. capite 5.

* *In antè* lib. 2. c. 17. id est deinceps, quod alij frequentius dicunt, in antea. Vide indicem vocum obscur. in Chron. Camer. Præter loca ibi notata vtitur Gregorius Turonensis lib. 8. historiar. Fran-

B corum capite 28. & Eutychianus papa 35. quæst. 6. cap. Episcopus. Item Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 89. Ex tunc in antea excommunicatus sit.

Incardinare, instituui, vel constitui in episcopatu vel alia dignitate libro 3. capite 21. Vtitur Adrianus papa 13. epist. 21. Item verbum incardinare, & incardinari frequenter vsurpat Ioannes Diaconus libro 3. vitæ S. Gregorij Papæ cap. 15. & sequentibus pro constituere, & ipse Gregorius Papa in epistolis. Vide Onuphrium Panuinum in libello de interpretatione vocum Ecclesiasticarum in dictione Cardinalis.

Incardinatus, institutus, lib. 3. capite 29. Ivo Carnotensis epistola 231. vbi vide obseruationes Francisci Iuretti, qui multa citat loca Gregorij papæ de eadem voce.

Insigne, pro insigniter lib. 1. c. 10.

Intentio, pro lite seu contentione lib. 2. c. 10.

Intranea, intestina, lib. 4. c. 49. Vide scholia.

Isdem, pro idem, lib. 2. c. 25. lib. 3. c. 13. 17. & 19. quo posteriore loco exemplar c. legit idem.

* *Lacerna*. Vide scholia in cap. 18. lib. 2.

Legatarius, legatus lib. 2. c. 25.

Libitudo, libitus, libido, lib. 4. c. 7. Vide scholia.

C *Lenò*, pro benè, lib. 4. c. vlt.

* *Locarium*. Vide scholia lib. 3. c. 13.

Maior domus, lib. 2. c. 12. præfectus palatij.

Mallus, lib. 2. c. 18. lib. 3. c. 26. Vide notas nostras ad cap. 72. lib. 1. Chron. Cam. & notas Ioannis Busæi ad epist. 4. Hincmari.

Mandare, significare: *remandare*, renunciare, vtrumque phrasi Gallica.

Maniaticus, insanus, à mania Græca voce insaniam significante. Eadem significatione Gerson, & Ioannes Nider in Formicario vtuntur voce maniacus.

Mansionile, lib. 3. c. 26. Videtur idem esse quod mansio, seu habitaculum villicorum.

Mansus & mansum. Vide indicem vocum obscur. ad Chron. Camer. Nicolaus Chesneau mansos vel mansa vertit Gallicè *arpens* vel *arpens de terre*.

Matricula & matricularij. Vide indicem iam dictum. Legitur lib. 2. c. 18. in testamento S. Remigij, & alibi frequenter. Item in Hincmaro epist. 7. c. 35. inter eas quas Busæus edidit.

Matutinorum solemnia, lib. 2. c. 25. Sic olim loquebantur, subaudiendo hymnorum, nunc matutinarum dicimus, videlicet precum. Vide eumdem indicem.

Metatus, us, locus in quo quis metari, tentorium figere, aut hospitari solet. Vide scholia ad caput 5. lib. 2. & ad caput decimum libri quarti.

D *Mirum*, miraculum.

Missaticum, legatio a misso, id est, legato, vel nuncium, Gall. *message*. Legitur apud Hincmarum in opusculo lv. capit. post cap. 55.

Missaticum, idem quod missus, legatus, seu nuncius, vt clare patet ex cap. 28. lib. 3.

Missorium argenteum. in testamento S. Remigij, & lib. 2. cap. 5. missorium argenteum deauratum. Vtroque loco Gallicè vertitur *vaze d'argent*. Gregorius Turonensis lib. 6. histor. Francorum capit. 2. Nobis tes missorium magnum, quod ex auro gemmisque fabricauerat in 50. librarum pondere ostendit. Et lib. 7. c. 4. legitur missorium aureum.

Missus, nuntius, legatus, commissarius. Vide schol. ad c. 18. 2. & indicem vocum obsc. in chron. Camer.

Molendinus, pro molendinum, mola, lib. 2. c. 24. Sic in 2. appendice ad hist. Greg. Turon. in descriptione dedicationis Ecclesiæ Maioris monasterij legitur, molendinos nostros. Vide notas ad chron. Cam. lib. 1. cap. 52.

Necessitosi, lib. 3. c. 26. pauperes, quibus res necessariæ desunt, *necessiteux*. Vtitur Hincmarus epist. 7. c. vlt.

Nomenclator, lib. 3. c. 21. Vide Onuphrium vbi supra.

Nonna, sanctimonialis, lib. 3. c. 27. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: Et quia maritorum expertæ do-

E minatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur, & nonnæ. Ad quem locum Erasmus suspicatur esse vocabulum linguæ Ægyptiacæ. S. Benedictus in regula c. 63. Iuniores priores suos nonnos vocant, quod intelligitur paterna reuerentia. S. Bonifacius Arch. Mogunt. epist. 19. & Capitularia lib. 5. c. 2. & 3. eamdem vocem vsurpant. De eadem plura R. P. Heribertus Rosweydus in suo onomastico rerum & verborum difficiliorum ad Vitas Patrum.

* *Octimber*, pro October. vide sch. ad c. 21. l. 2. Quibus adde ex Beda de ratione temporum, vbi mensis Octobris nomina recensens apud varios: Thesri, inquit, in Hebræo, Paophi apud Ægyptios, Hyperboreteus, apud Macedones, Octimbrios in Græco, (quod procul dubio ex Latino Octimber factum est) October in Latino.

Omnimodis, omnino, omnibus modis. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam.

Pagus, regio, tractus, territorium. Gall. *pays*, vt pagus Laudunensis. Sic teste Petro Diuæo in antiquitatibus Galliæ Belgicæ c. 14. frequenter accipitur a Iulio Cæsare. Multos, inquit, pagos habebant (loquens de Morinis) teste Cæsare: non quidem vicos, (vt nunc pagi nomen accipiunt) sed regiones: in qua significatione Cæsari vocabulum hoc familiare est. Hæc Diuæus.

Pallium, Archiepiscopatus insigne, est fascia ex candida lana contexta, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab vtraque parte dependentes, quatuor purpureas cruces, ante, retro, à dextris, & à sinistris. Vide Onuphrium vbi supra, & Pithœi glossarium in Capitularia.

F *Parisius*, indeclinabiliter l. 2. c. 15. lib. 2. c. 2. & alibi, pro Parisij, orū. Indeclinabiliter vtitur Ivo ep. 16. ad quam vide obseruationes Francisci Iureti.

Parochia, seu *parrochia*, vt in plerumque scribit. Pro diœcesi frequens in scriptoribus mediæ ætatis, & in Canonibus. Interdum tamen sic distinguuntur, vt diœcesis sit totius prouinciæ alicuius Archiepiscopatus, parochia Episcopatus tantum. Vnde Hincmarus in opusc. lv. capitul. cap. 16. B. Remigius sedem Laudunensem in subsellio Remens. metropolis consedere fecit quam a sua parrochia, nō autem à diœcesis prouincia scidit. Idem Hincmarus in epist. 2. ad Nicolaum Papam inter eas quas edidit Ioannes Cordesius: Sed quia non solum diœcesis, verum & parrochia mea inter duo regna, sub duobus regibus habetur diuisa. Item in epist. ad Hadrianum papam: In cuius (nempe Lotharij) parte regni non solum pars diœcesis, verum & pars parrochiæ meæ continetur. Et infra. In cuius regno parrochia, & prouincia mea consistit. Idem denique in epistola ad clerū & plebem Beluacensis Ecclesiæ. Sic etiam de alterius diœcesi Archiepiscopi, vel parrochia Episcopi, &c.

Pedatura vitium, id est pedamentum, statumen. Vnde vitis pedata, & statuminata apud Plin. h. c. palis perticisque firmata. Vide sch. ad c. 28. lib. 1. Deriuatum est a verbo pedare, quod est viti vel alteri arbusculæ fulcimentaculum adhibere.

G * *Pradonare*, pro condonare, Gall. *pardonner*. Legitur in Capitularibus, vt l. 4. c. 37. & alibi, & in Goffrido Abbate Vindocinensi, lib. 3. epist. 19.

Pitacium & pitaciolum, vel vt j. fere per c. pitaculum, lib. 3. c. 22. Fuit titulus opusculi Hincmari Laudunensis Episcopi, nepotis Hincmari Remensis, cui carmen præfixerat ita incipiens.

Iste pitaciolus plane depromit & apte.

Sedem appellandam libere Apostolicam. Quod opusculum latè refellit Hincmarus Remensis prolixo opere lv. Capitulorum, præfixo etiam carmine in hunc modum:

Hoc tibi de titulo, iuuenis Hincmare sacerdos,

Respondere mihi conuenit arte pari, &c.

Namque pitaciolum neutro dixere priores,

Et caput hoc languens cetera fluxa docet, &c. [Alioqui pitacium schedulam significat, seu epistolium. Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore: Pyctacium, vel potius pyctacium Cassiodoro & Lampridio, exigua tabella. πιττάκιον Moschopulo. Belgice *een cleene cedulle*. Pitacium Celso idem quod emplastrum. Glossarium B. Isidori Pictacium, epistola breuis & modica. Pictatiuncula, membrana. De Pitacio plura Heribertus Rosweydus, vbi supra.

Placitum, conuentus publicus, seu conuentus procerum regni, comitia, Gall. *plaide*. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam. & notas Busæi ad epist. 3. & 4. Hincmari. Et notas Iacobi Sirmondi ad ep. 36. lib. 3. Goffridi Vindocinensis Abbatis.

H *Præceptum*, rescriptum principis, vel constitutio regia, priuilegium, litteræ immunitatis. Vide notas nostras ad cap. 85. lib. 1. chron. Cam.

Præstaria & precaria, eadem sunt, vt patet ex lib. 4. c. 11. vbi Nicolaus Chesneau Gallicè interpretatur *vsufruict*. Quid autem sit precaria, vide dictum indicem. Præter loca ibi notata precariarum meminit Ivo epist. 271.

Præsentaliter, pro præsentialiter.

Prauidere, pro prouidere, lib. 4. c. 1. Sic & aliquoties Baldericus in chron. Cam. Vide nostrum indicem vocum obsc.

Precatoria, lib. 2. c. 5. idem quod precaria.

Presbyter, pastor seu parrochus. Vide schol. ad cap. 8. lib. 2.

* *Ptochium*, lib. 1. c. 18. Græce πτωχεῖον, domus mendicorum, seu locus ad recipiendos mendicos. Ibas Edessenus Episcopus in litteris ad Valentinianum & Martianum Imperatores, quæ habentur in Concilio Chalcedonensi act. 11. Sed ego à iuuenili ætate mea vixi cum pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & vlceratos hospitio suscipiebam. Item in eodem Concilio can. 8. Clerici qui præficiuntur ptochodochiis, qui ordinantur in monasteriis, & basilicis martyrum sub Episcoporum, &c. potestate permaneant. Vbi secunda editio sic vertit in tomis Con-

A rihorum habet in prochiis. Tertia quæ est Gentiani Herueti: Clerici prochoitrophiorum. Apud Gratianum 18. q. 2. cap. 10. Quidam monachorum ex correctione Gregorii XIII. legitur vt habes 2. editio: in prochiis, pro quo vitiosè vulgata exemplaria legebant, p-roenuis, ibique adnotatum est prochius esse vocem canonis Græci. De eodem vocabulo Rosvveydus, vbi supra.

Quaque, pro quæcunque.

Quique vel quisque, pro quicumque, lib. 3. frequenter. *Quibusque*, pro quibuscunque.

Quisque, pro quisquis. Franciscus Iuretus in suis obseruationibus ad epistolam 8. Iuonis: Veterstiores dixerunt quisque, pro quisquis, quod plerique non obseruantes sæpe mutarunt & corruperunt in authoribus contra fidem priscarum membranarum. Sic ille. Et probat ibidem citatis exemplis ex Tertulliano, Hilario, & aliis.

Rejutare, renuere, recusare, Gal. *refuser*, lib. 2. c. 19. Votur in eadem significatione Iuo epist. 131. 173. 178. 186. & alibi sæpe.

Regestum, lib. 2. c. 2 vbi vide scholia.

Remandare, renunciare.

Repedare, redire. Lucillius Red sic ac repedasse, vt Romam vitet.

Renadiare, lib. 3. c. 5. 4. dicitur a vas vadis, & Gall. ibidem vertitur debitorem se agnoscere. Legitur eodem libro cap. 28. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam.

Reuestitum, lib. 3. c. 28. indutus paramentis ecclesiasticis, Gal. *reuestu*.
B Aliquando *reuestire*, est in possessioné inducere post priuationem, vt eodem lib. c. 26. & lib. 4. c. 1. Vnde vestitura, de qua voce Pithœus in Glossario.

Rotula & rotulus, lib. 3. c. 11 & alibi, scheda, volumen, scriptum conuolutum. Ibidem cap. 22. rotulam prolixissimam, loquitur Hincmar[p]. Vtitur idem in ope c. IV Cadit. cap. 43. Eandem vocem in rotulus, pro scheda al quoties vsurpat Stephanus Episcopus Parisiensis in epist. præfixa condemnationi aliquot articulorum in fine Petri Lombardi mag. sti I sententiarum. Est autem rotula diminutiuum à rota.

Salarium argenteum, salinum lib. 3. c. 5. vbi ms. male legit salarium lib. c. 23. leguntur duo vasa salaria a rege S. Stephano missa. Vbi aliud forte intelligit.

Sanare, possessionem accipere, Gal. *saisir* Vide schol. ad cap. 41. lib. 4. Verbo saisitus, & resaisitus vtitur Iuo Carn. epist. 101

Senior, dominus, Gal. *seigneur*. Vtitur Hincmarus epist. 1. inter eas quas edidit Busæus, & passim scriptores mediæ ætatis. Vide ind. cem vocum obsc. ad chron. Gam. & Petrum Gregorium lib. 6 syntag. iuris c. II.

Signa ecclesiæ, campanæ. Hinc in pontificali parte 2. titulus est, de benedictione signi seu campanæ. Vide Glossar. Pithœi verbo Signa.

Succunsare eum, vel eos, cum accusatiuo, id est, contra eos irasci.

+ *Suetum* consuetum

C *Sumptorium*, lib. 3. cap. 5 cochlear, vt Gallice vertitur, quo nimirũ vtum ex calice sicto.

Tantitas, exiguitas, prauitas, in prologo auctoris

Theodisca lingua, lib. 4. c. 35. vbi ms. Teutonica, i. Theotisca, id est Germanica.

Theotisce Inter epistolas Hincmari à Cordesio editas, exstat epistola Otfridi monachi ad Luitbertum Archiepiscopum Moguntiacens. & præfatio in librum antiquum lingua Saxonica conscriptum, quæ ibidem vocatur Teudisca, & legitur Aduerbium Theotisce. Item Teudiscæ linguæ exemplum exstat l. 3. hist. Nithardi.

Titulare, inscribere, insignire.

* *Turrusculum*. Vide schol. ad c. 18. l. 2.

Vadatus, lib. 4. c. 19, a verbo vadior, ao, commune, id est, fideiubere pro alio. Vide indicem voc. obsc. ad chron. Cam.

Vadius, l. 3. c. 28 Hoc illi emendare per vadium faciat. Videtur significare idem quod vas vadis, id est, fideiussor Et teste Iacobo Spiegelio in lexico iuris primò dictũ est vadis, deinde per syncopen vas. Vadimonii sponsio est Staudi in tit. c. o. Alii scribunt per duplex W, Wadius, vt l. o. 2. capitul. c. 38. Ab his qui decimas non dant Wadios accipiant. Et l. 3. c. 29. tit. est, de libero homine, qui se loco vadij tradidit. In epitome Constitut. Caroli Magni de lege Ripuarense c. 3. Homo ingenuus, qui multam quamlibet soluere non potuerit, & fideiussores non habuerit, licet ei semetipsum in vadium, & cui debitor est mittere, vsq. dum multam quam debuit persoluerit. Ad quem locum
D notat Vitus Amerpachius: In vadium dare hoc est pignori dare, aut addicere. Vide sub. S. l. a II. Longobard. Plura loca profert Pithœus in gloss. verbo vad i, & verbum vadiare frequens est in legibus Longobardorum

Vasalli aut vassalli, clientes. Vide idem glossar. in dictione Vassi

Vel sæpe ponitur pro, &, præsertim in summariis capit. Quomodo etiam veteri interpres Gallicus, vt lib. 4. c. 19 36. & 38.

Vicarricatio, vices. Vide scholia ad cap. 1. l. 4.

Vicedominus, l. 1. c. 27. vide scholia. Vtitur & aliis locis.

Villa, pro pago, aut ciuitate sæpe accipitur, phrasi Gallica, vt lib. 2. c. 14. Sparnacum villam suam, id est ciuitatem, Gallice *ville*. Nam alibi eundem locum oppidum vocat.

Velum, masculino genere, lib. 2. c. 5 & 5 villa.

Vnguentum, vnguentum, lib. 1. c. 11. ex Hincmaro in vita S. Remigii. Vtitur Petrus.

Vtilissimus, vtilissimus.

FINIS.

E

APPENDIX AD
FLODOARDVM.
STATVTA SYNODALIA ECCLESIAE REMENSIS.

Per Dominum Sonnacium.

CAP. I.

Sine fide (teste Apostolo) impossibile est Deo placere, ideoque mandamus omnibus, vt exactè doctrinam fidei iuxta verbum Dei, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ traditionem teneant, sequanturque. Et quicumque pastores sunt, quæ ad instituendum populum, & gregem pertinent, discant & sciant, & suos ad officia virtutum exci- *Heb. 11.*
tent. F

Fidelibus piè Sacramenta ministrent, semperque adferant quod ad explicandam vtilitatem Sacramenti, & institutionem pertinet. II.

Mercedem non accipiant, sed in Deo confidant, qui dat escam pullis coruorum inuocantibus eum. III. *Psal. 146.*

Baptizaturus sit sobrius, idque honeste expleat, verba attente proferat, & debite de parentibus informet. IV.

Confirmationis Sacramentum habet donum roborantis Spiritus sancti, & vberiorem gratiam profert, ideoque non negligatur. V.

Remissio peccatorum, & expiatio sanguinis Domini nostri Iesu Christi nititur præcipue, & ab eo pendet. VI.

Curet pastor ouem suam, & non negligat: & iniungat interesse Missæ sacrificio diebus solemnibus & Dominicis, agnoscat eius faciem: & si bis absit in anno prohibeatur eidem Ecclesiæ ingressus, & careat pastorali sepultura & consolatione. VII. *Prou. 27.*

G
Nemo tempore quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem. Huius enim interest ouem recognoscere, pro qua suam animam fœnerat Dominus. VIII.

Sacrosanctam Eucharistiam sacerdos celebraturus se præparet, & probet: & vt minimum bis in mense id faciat. IX.

Feratur ægrotis vase honesto, & lumine antecedente, & præeunte: Et quicunque peregrinari volunt, illud ad viaticum suscipiant. X.

Et cur ad mortem condemnatis renuitur? cum iis maxime conducat ad spem & securam ex certi decessus, & præsentis agonis. XI.

Qui ad ordines promoueri volunt, habeant beneficium ad alimoniam sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum & iuratorum. XII.

Nulli tonsura detur, nisi idoneo, & ad sacros ordines postea probabiliter ascensuro. Quid opus enim mittere panem filiorum canibus, & spiritualia mundi amatoribus? XIII. *Matth. 15.*
H

In matrimonio imago extat sacrosancti coniugii inter Christum & Ecclesiam eius: ideoque vinculum est diuinitus firmatum, quod multum confert ad felicitatem rei familiaris, ad pacem inter partes, & ad proles suscipiendas. XIV. *Ephes. 5.*

Extrema vnctio deferatur laboranti & petenti, eumq; pastor in propria sæpius inuisat, & pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, & debite præparando. XV

De clericis, luceant sicut stellæ & perpetuæ claritates in firmamento Ecclesiæ. Non sint ebrii, nugaces, & secularibus immixti. XVI. *Dan. 12.*

Nec mulieres alloquantur, aut domi retineant: viuant in communi, & ædes pauperi patentes inhabitent. XVII.

Suffragia defunctorum omnino seruari præcipimus, & ne Missarum solemnia, præter fundatorum mentem, alio modo connectantur. XVIII.

XIX. Sint Episcopi fideles & assidui verbi Dei dispensatores. In hoc enim eorum charitas dignoscitur, si gregem pascant exemplo & verbo.

XX. Festa absque omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Natiuitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annunciatio B. Mariæ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, natiuitas B. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, assumptio B. Mariæ, eiusdem natiuitas, Andreæ Apostoli, & dies omnes Dominicales.

XXI Ecclesiæ debitè dotentur ad alimoniam pastoris & cleri, vt securius inuigilent super gregem, & de eius salute sint anxii & solliciti.

Hæc statuta accepta ex Maiori monasterio (Gallice Marmonstier) à S. Martino ædificato in suburbiis ciuitatis Turonensis, cùm serùs ad manus nostras peruenissent, visum est appendicis loco adiicere. Etsi enim sint in his quædam, quæ non videntur redolere antiquitatem: vt quod titulum pastoris tribuat parochis, qui ætate Sonnacij & multo post presbyteri tantum aut sacerdotes solent appellari: quod item festum Natiuitatis B. Mariæ inter festa celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno 1017. id primum in Gallia celebrasse dicatur, si Demochari credimus. Verum facile potuit fieri, vt loco presbyteri à recentiori aliquo positum sit nomen pastoris, & festum illud ab aliquo forte adiectum. Scribit tamen S. Hildephonsus (qui eadem ætate vixit cum Sonnacio) in libro de virginitate & parturitione B. Mariæ, Natiuitatem eius ex auctoritate totius Ecclesiæ celebrari & venerari.

Sunt his statutis similia quæ scribit Iesse Ambianensis Episcopus in epistola ad sacerdotes suæ diœcesis, & Constitutio Riculfi Suessionum Episcopi, quæ cum Hincmari opusculis edidit Ioannes Cordesius.

Quæ sequuntur editioni suæ adiecit R. P. Iacobus Sirmondus, quæ nec in nostra deesse voluimus, sed ordine temporis disposita.

De ministris Remensium Ecclesiæ, quos inordinate Ebo Episcopus inuenit, & per deprecationem eorum, inspirante sancto Spiritu, hæc dictauit.

PRæpositum decet cura interior ac exterior. Exterior in rebus & familia saluandis, atque secundum Deum gubernandis, summa cum intentione, & pietate, & beneuolentia. Ibi etiam consistit omnis nutriendi industria, cuncta proficua ingenia laborandi in agris, in vineis, in siluis, in hortis, in diuersis emptionum generibus prouidè procurandis. Insuper & de qualitate necessaria ædificiorum, siue quantitate. Interior vero sollicitudo eius esse debere manifestum est dispensatio fratrum publica, honestè disposita in victu & potu, siue omni subsidio corporali, quod administrat diuina pietas, siue per studium laboris eius, siue de eleemosynis fidelium, necnon & de dono propriæ procurationis publicæ. Cui non minor paret etiam alia dispensatio necessaria in infirmis & senibus, pro diuersitate vniuscuiusque necessitatis. Sequitur autem hinc studium omnem ornatum corporalem ac spiritalem continens fratrum. Corporalem primum in clausura, inde in refectorio, & in dormitorio, in cellario, in coquina, siue in cunctis habitationibus necessariis, necnon in vasculis omnibus. Spiritalem vero zelum talis minister veræ religionis habere debet sanctæ conuersationis nocte ac die Canonicis partitis in horis. Correctionem morum, per grauitatem leuitatis motum deprehendens: vaniloquium secretis in locis & horis suo rigore omnino depellens: omnes negligentias omnium publicè deprehensas in capitulo omnium fratrum iudicio puniens his modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, siue in omnium verberum diuersitate. Cuius etiam prudentissima circumspectio Decanis sibi suppositis inuigilare debet, ne vnus quidem, à maximo vsque ad minimum, absque eius conscientia & licentia vnius diei spatio nequaquam ab officii sui loco desit.

Archidiaconi officium est, gradus Ecclesiasticos summa cum prouidentia ætatum & meritorum ordinare: de tempore in tempore nominibus certis vniuscuiusque officiũ de omni regione præfigere, subtiliterve merito probare, & gratiã S. Sp. vnicuiq; inuestigando ministrare: in omnib. diuinis officiis S. Dei ecclesiæ fideles ministros erudiẽdo & excolendo efficere: festiuitatũ omniũ ac feriarũ, nec non totius anni officia in canticis & lectionibus, non solum litteraturam corrigere, sed spiritalem intelligentiam omni clero in Capitulo tradere, libertates liberorum cum testibus probare, alienorum seruorum ad gradus venire volentium exigere, potestatem etiam habens libertatem Ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere. Pro neglecta lectione aut officio gradus sui à Diacono vsque ad infimum excommunicare: etiam & iuuenculos talibus pro excessibus verberibus arcere: verbum etiam faciendi ad populum in diebus festis prouidere & facere: & sic omnia per ordinem digne vsque ad consecrationem Presbyteri studiosissima intentione veræ religionis perducere. Vinctorum etiam publicæ ciuitatis ex carcere curam in festiuitatibus solennibus Domini gerere, id est, in Natale Domini, in Epiphania, in initio Quadragesimæ, media Quadragesima, in Palmis, in Sabbatho sancto, & in die sancto Paschæ, similiter in Ascensione Domini, & in Pentecoste summa cum diligentia eos excipere, & eis obsequia benignitatis corporalia spiritaliaque, ex diuinis & humanis beneficiis refectionem benedictionis parare.

Chorepiscopi verò ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi regionis sibi commissæ conuersationem corrigere atque dirigere, id est in conficiendis diuinis Sacramentis & baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, pœnitentiam cum discretione caute imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis & benedictionis, & sanctæ vnctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri populos assidua commonitione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, & orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere; pro viuis etiam ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcunque intra Ecclesiam & extra Ecclesiam in claustro & in omnibus habitationib. à maximo vsque ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum Ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, & omnem veram religionem, prior ipse faciendo, omnes facere doceat. Et hunc modum nequaquam, nisi præcipiente Episcopo, de causis subsequentibus excedat de omni iure consecrationis.

Episcopum vero ciuitatis propriæ disponere oportet de consecratione, de confirmatione, de reconciliatione, & de publico indicendo ieiunio, aut aliud aliquid publicturus pro tempore digno Deo debito. Cuius officii summa speculationis hæc est, vt & subtilissime prouidendo insistat qualiter omnium officia studiosissime gubernando ad portum perfectionis dirigat: quibus in causis, nisi missus, Chorepiscopus nullatenus excedat.

Quod præcessit opusculum Ebonis, ex S. Remigii bibliotheca Remis exscripsimus, cum Ioannis VIII. epistola & Decreto electionis Laudunensis, quæ infra sequentur. Proximam vero Notitiam de villa Nouilliaco, cuius auctor Hincmarus ipse videtur, nobis communicauit humanissimus Nicolaus Faber ex bibliotheca, vt aiebat V. C. Claudij Puteani Senatoris Paris. *Iacob Sirmondi annotat.*

(*,*)

A 3 Concilio in fine primæ partis, vbi præcedit & alia epist. eorundem episcoporum ex Concilio Suessionensi (supra anno superiori, cuius paulo superius auctor noster meminit. Hæc autem 2. epistola plene satisfaciunt in qua Nicolaus Papa epistola 46. ipsis iamunserat. Inscriptio paulo plenior est in tomis Conciliorũ, & in opusculis Hincmari nuper editis per Ioannem Lemouicensis ecclesiæ Canonicum. Reuerendissimo & sanctissimo domino Patri, ac vniuersali Papæ Nicolao, Episcopi qui prætérito anno per gratiam Dei, & decretum vestrum apud Suessionicam vrbem cum aliis qui tunc acquieuerunt adesse, viij. Kal. Nouembris, prima indictione apud Trecas conuenimus. Præter litteras Synodales ex Concil. 3 Suessionensi dedit & priuatam epist. Hincmarus ad Nicolaum Papam, qua se excusat, quod non statim Clericos illos restitueret. Exstat apud Baronium dicto anno 866. post epistolam Synodalem. Vtraque missa est per Egilonem Archiepiscopum Senonensem. Vt autem epist. Synodica Trecensis intra hunc cap. non inseritur, sic ex iis quæ habet Flodoardus potuit tunc aliquot locis suppleri ea quæ desunt in tom. Conciliorum, & apud Cordesium.

In suis ordinibus restituere maturaſſemus.) Sic quidem a. & 1. sed errore hic positum, cum vera lectio sit, quam habent m & c maturassemus. Ita enim est in to. Concil. ita in eadem epistola edita per Cordesium, & in epistola Hincmari ad Nicolaum Papam, quæ est ante eas quas Cordesius edidit, & in epistola secundi Concil. Suess. ad
B eundem Nicolaum.

Scripta quoque, quæ hinc à vestra auctoritate directa.) Sic c. 3. Consentit lectio quæ est in to. Concil. nisi quod pro hinc legat huc. At hinc accipi potest, non vt aduerbium loci, sed quæ hinc, id est, de hac re, ma. quæ hinc à vostra auctoritate. Sed priorem lectionem sequitur ea quæ præcedunt & sequuntur.

CAP. XII.

CAnonicam in eum dictum Balduinum & Iudith, secundum edicta B. Gregorij, ab Episcopis depromi sententiam fecit.) id est eorum eos excommunicari. Respicitur autem, vt apparet, ad decretum 10. & 11. Gregorij ij. in synodo Romana cap. Si quis virginem. 36. q. 2. qui cap. raptores virginum & viduarum excommunicari iubentur.

Et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donauit.) Hic Balduinus cognomento Ferreus, primus dicitur creatus Comes Flandriæ seu Comes regni à Carolo Caluo, patre ipsius Iudith. Videatur Iacobus Meyerus in Annalibus Fland. anno 863. Inter epist. Nicolai hæ sunt de causa Balduini 20. 21. 30. 32. & 51. quæ omnes fere sunt ad ipsum Carolum regem vt Balduino parcat. 31. est ad Hermentrudem reginam. Ea quæ sunt ad Hincmarum, quarum meminit hoc
C cap. non castant.

CAP. XIII.

DE causa Rothadi Suessonici Episcopi depositi) Depositus fuit hic Rothadus, siue (vt est perexamque in to. Conciliorum, & bibliotheca Patrum) Rothaldus, auctore Hincmaro congregans aliquot Episcopis in Synodo Silvanectensi anno 863. mense Iunio. Qui, illo in monasterium detruso, alium substituerant, non obstante appellatione ad sedem Apostolicam, a qua postea sedi suæ est restitutus, cum nulli contra eum accusatores Romæ comparuerunt. Nec ipse Odo Bellouacensis Episcopus, qui ab hac Synodo Romam missus fuerat, cum accusaret. De quibus omnibus late videre est epistolam 28. Nicolai Papæ primi, & sequentes vsque ad 44. Quæ eædem epistolæ exstant quoque to. 3. bibliothecæ Patrum 2. editionis. Et certe Hincmarus in sua epistola apologetica, quæ tota hoc capite continetur, scribit se mittere vicarios suos, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothado, itque à vicinis accusatus, ad terminandum, quod non in contemptum sedis Apostolicæ, appellantem Rothadum secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam: sed cum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocaret, iuxta Carthaginenses & Africanos Canones, ac decreta Beati Gregorij, regulariter iudicauimus. Sic ille. Verum id negat Rothados in sua appellatione,
D quæ exstat post epist. 37. Nicolai Papæ, atque in eo videtur præcipua consequentia huius causæ consistere. Exstat totum hoc caput apud Baron. to. 10. anno 861. sed ex vitioso exemplari, eoque vt fatetur Baronius, non sine mendis.

Quosdam Episcoporum regni Lotharij, zelo amaro contra nos ductis quos illorum consilio de VValdrada non adquieuimus.) Lotharius rex, filius Lotharij Imp. repudiata legitima vxore Theutberga, hanc VValdradam concubinam sibi in matrimonium asciuerat, qua de re multæ quoque exstant Nicolai papæ epistolæ, & Hincmari prolixum opusculum de diuortio Hlotharij regis & Tetbergæ reginæ.

Et illos vt se convenderent, locarium ei promitteret) Sic c. & 3. Dicitur autem locarium a loco, vbi locare, id est collocare te possis. Significat, teste Varrone, pretium quod datur in stabulo & taberna. Vnde Gallice vertitur *Moyens de viure.* m. s. & aliud exempla: legeantiocatum, quod idem significare potest quod iocale, Gall. *ioiaux*, sed huic loco non congruit: prior autem lectio & significatio probatur ex iis quæ non multo ante præcedunt.

Et itineris longitudine atque insolubilitate obstrictus) Iter insolubilum vocat, non tutum, Gallice *mal seur*. Quædam exemplaria duo verba faciunt in sol ditate, sed non recte.

Nisi quamdiu vincta sua vllo crimine ab eo suo Pontifice) Scilicet Rigoberto, de quo supra lib. 2. cap. 11. Quæ dictio alia manu super lineas in m. posita est eamque c. & 3 in textum retulerunt.

Quod fur atque sit res & thesaurorum ecclesiæ) Sic c. quæ vera videtur lectio Reliqui. fraudatus.

CAP. XIV.

AD conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocant Synodum vetitam sic) Exstat to. 3. Concil in fine primæ partis, habitum anno 863. mense Iunio, in causa repudio Theutbergæ reginæ à Lothario rege facti. Damnauit illud Nicolaus 1. in Concilio 3. Romano sub ipso habito eodem anno. E

Eandem in Moguntina ciuitate habita Synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis.) &c. Hæc est 3. Synodos Moguntina sub Rabano anno Domini 848. tempore Leonis Papæ 4. de quo eodem anno Baronius, sed ex his Flodoardi scriptis et Gallica lingua solum translatis.

Postea autem à Belgica Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus) Videlicet in Synodo Valentina anno 855. ab Episcopis trium prouinciarum, quæ castat to. 3. Concil. parte 1. & in Synodo Tollensi in suburbio illius vrbis, villa Saponarias dicta, ab Episcopis 12. prouinciarum anno Domini 859. quæ ibidem non integre castat. Videatur Baronius hoc anno in Annalibus. Vtriusque infra meminit auctor cap. 16.

Quæ contra catholicam fidem in veteri hæresi Prædestinatiana &c. dicere videatur) Recte dicit videatur, quia quædam ex his bene intellecta fidei non aduersantur: vt quod secundo loco adfertur, distinguendo de voluntate Dei beneplaciti & signi. Item tertio loco, quod Christus pro omnibus sit mortuus & crucifixus sufficienter, quia pretium fuit sufficiens quod dedit: sed non pro omnibus efficienter, quia non omnibus applicatur. In quem sensum respondit olim S. Prosper ad Capitula Gallorum, & obiectiones Vincentianas. Quod primo loco F affert Hincmarus his verbis: *Dicit (nimirum Gothescalcus) quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam.* Hoc impie ab iis, & a Gothescalco dictum, quia dicebant fatali necessitate ex prædestinatione Dei eos ad peccatum, deinde in mortem compelli, vt constat ex obiectione prima in Capitulis Gallorum, & can. vlt. 2. Concil. Arausicani. & cap. 3. Concil. Valentini, in quo, citato eodem Concil. Arausicano, sic dicitur: Verum aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate, videlicet vt quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus. Legant autem, & apud se perpendant caput sextum eiusdem Concilii Valentini, qui huiusmodi quæstiones hoc seculo suscitarunt. Ceterum de hæresi Prædestinatiana apud veteres rara est mentio sub illo nomine, & recentiores scribentes de hæresibus solum illud adferunt, quod Sigebertus in Chronico anno 415. his verbis: Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & diuina gratia disputantes, asserebant, quod nec pie viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit G quod improbe viuant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos a bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc ille.

Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, ipse vt audacter, ita & peruersius dicit, Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse.) Id quidem minus recte, & improprie dicitur, cum trium personarum in sancta Trinitate non sit nisi vna non trina deitas. Sed eo sensu dici potest trina deitas, quia est in tribus personis. Vnde in ecclesia Romana à trecentis & quinquaginta circiter annis decantatus est ille S. Thomæ hymnus de V. sacramento in quo dicitur: Te trina Deitas, vnaque poscimus. Cumque de eo mutando ageretur in postrema correctione Romani Breuiarij sub Clemente VIII. vt à viris doctis accepi, propter auctoritatem tamen tanti Doctoris, nihil est mutatum. Sic apud Chrysost. to. 3. homil. de S. Ioanne baptista (quæ quidem ipsius non est, sed incerti auctoris) legitur, quod in Patre, filio, & spiritu sancto est triplex & vna diuinitas. Vbi triplex pro trina ponitur. sicut & in hymno Prudentii de cereo paschali, cum ait de Deo: Regnum continuat numine triplex. Nam Deus non recte triplex dicitur, sed trinus, vt do- H cent Scholastici doctores in 1. librum sententiarum dist. 19.

Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit.) &c. Sic omnia exemplaria, estque hæc vera lectio, ideoque in m. male correctum, dictorum, quod secutus est 3. Est autem sensus: Doctorum suorum, id est eorum qui eum docent & instruunt, doctor videri appetit, quos contumaciter mutat de eo quod contra seipsos, & propriam doctrinam doceant.

CAP. XV.

CErtorum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur.) &c. Loquitur de Concilio Valentino, vt patet ex sequentibus, cui interfuerunt in vniuersum 13. aut 14. Episcopi, & inter eos tres Metropolitani, Remigius Lugdunensis, Egilmarus Viennensis, & Rodlandus Arelatensis, quorum tantum nomina initio exprimuntur, cum nomine Ebbonis Gratianopolitani Episcopi. In quo Concilio capite 4. illa habentur quæ contra se dicta esse hac epistola Hincmarus agnoscit, tam de quatuor, quam de 19. capitulis à se collectis.

In Africana & Arausica synodo.) Hæc est 2. synodus Arausicana, quæ etiam hodie castat. In Africa tria de hac re Concilia celebrata sunt, duo Carthagini, vnum Mileui in Numidia, vt patet ex epist. 47. S. Augustini, vbi vnum vocat plenarium totius Africæ Concilium, quod dolendum est non castare, sed eius quædam fragmenta citat Prosper in respons. ad Capitula Gallorum cap. 8. & lib. contra Collatorem. cap. 10.

Valent.

A *Velut epistola Capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit.*] Hic est Ibas Edessenæ ecclesiæ Episcopus, de quo in Concilus, seu potius iudiciis ecclesiasticis Tyrio & Beryteno, & in Concil. Chalcedonensi actione 10. Item Baronius anno 448. qui epistolam quidem ipsius esse ait, sed negauit Ibas se dixisse hæc aut similia verba: Non inuideo Christo facto Deo, si voluero & ipse fieri possum. Et de eo crimine, audita testificatione clericorum Edessenæ ecclesiæ, fuit absolutus.

Tempore diuæ memoriæ Karoli Imperatoris, quando synodus pro cognito infidelitate Felicis est habita.] ms. infelicitate. Loquitur de Carolo Magno, & Felice Vrgelitano Episcopo. Agunt de eodem Felice eiusque errore Annales Francorum a Pithœo editi anno 792. Sigebertus in Chron. 793. Aimoinus lib. 4. c. 83. & 85. Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum, & Paulus Aquilegiensis, qui contra errorem eius librum scripsit, qui extat tom. 4. bibliothecæ Patrum secundæ editionis. Damnata est eius hæresis in synodo Francofordiensi, quæ extat tom. 3. Concil ad annum 794.

Et sic tandem subiecimus illa decem & nouem capitula.] Sic omnia exemplaria nostra, & Concil. Valentinum. Quare 3. vitiose legit decem & sex.

CAP. XVI.

B *AN quia vobis à cana patrum fide*] Sic c. id est antiqua, vt Gallice vetus Chesneao, & eo accedit ms. quod pro à cana, legit, archana. 3. substituit sana. Ita Sidonius Apollinaris carmine 2. Ætas cana patrum, id est prisca ætas, & Isidorus in glossis manuscriptis: Cana fides, antiqua senectus. Et ante hos Virg. 1. Æneid. Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre, Quirinus iura dabunt.

In conuentu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias.] De hoc Concilio adnotaui supra ad cap. 14.

Et in suburbio Lingonicæ vrbis.] Hæc synodus non extat.

Quia non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos, Synodo Capitula ipsa fuere prolata] Sensus est non fuisse prolata, quasi ab ipsis profecta.

Timeo ne committere sit, hoc tacere. Sic restitui ex orig. ipsius Cælestini epist 1. pro cohibere, 3. substituit committere

In villa Rothomagensis Episcopi quæ Melpsa dicitur. Alias Melpha, vel Ancipha, siue Aucipha, vt in ms. 3. Nelpha.

CAP. XVII.

DE synodo sex prouinciarum Galliæ apud Trecas habita. Hæc synodus extat tom 3. Concil. parte 2. parte autem 2. extat epistola Adriani 2. responsoria ad hanc synodum, quæ inter ipsius epistolas est 9. Supra vero cap. 11 huius libri posita est bona pars Synodalis epistolæ eiusdem Concilii Trecensis.

C *Per Actardum venerabilem Nannetensem Episcopum.*] Sic & in tomis Concil. ms. hoc loco, & infra aliquoties Acardum, interdum Actardum, Aretardum, & Artardum Sed prima lectio communior est.

Nicolaus vero Papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit] Hæc epistola apologetica Hincmari bene prolixa extat apud Baronium anno 867. Sed responsio Nicolai non extat.

Dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus.] Hoc sic intelligo, quod nos Latini Chrisma ex aqua fluminis conficiamus. Vnde in editione Romana epist. Decretalium legitur. Quod tamen Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Miror Nicolaum Chesneaum sic transtulisse, quasi Latini esset genitiuus cohærens cum dictione fluminis, addita in margine hac adnotatione: Flumen Latinum est Tybris. Nam & in refutatione decem calumniarum a Græcis obiectarum, quam post eam, quæ hic citatur, Nicolai epistolam apponit Baronius, illud solum dicitur: Quod vtatur ecclesia Occidentalis aqua pro Chrismate, omnium testificatione est manifesta calumnia.] Certe non videntur voluisse Græci dicere totam ecclesiam Occidentalem vti aqua Tybris pro Chrismate, sed fluminis cuiuscumque.

CAP. XVIII.

D *IN visione Bernoldi cuiusdam*] Huic visioni Bernoldi de loco tenebroso & altero lucido similia sunt quæ scribit V. Beda lib. 5. historiæ gentis Anglorum cap. 13. & Leopoldus Babenburgius de zelo veterum principum Germaniæ cap 14. vbi ex Vincentii speculo, & ex historia Francorum agit de Ludouico Pio Imp. in pœnis detento, petente auxilium a Ludouico Germanico filio suo. De quo & Sigebertus in Chron. ao. 875.

Quia si inde certamen habuerunt, cito de ista pœna ero liberatus.] Id est si certamen hoc egerint, sicut in præcedentibus dicitur; Vt ibi quod rex mandaret de pace stabilire possent, agereque certarent.

Item de passione S. Dionysii à Methodio.] &c. Hæc epistola extat apud Surium de vitis Sanctorum die 9. Octobris.

CAP. XIX.

DE coniecto Normannis dando.] Coniectum genus erat tributi à coniaccando dictum, vt patet ex lib. 4. Capitulorum cap. 69. & ex edicto Karoli in Carisiaco anno 881. Vide Glossarium Pithœi, verbo coniectum. Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Ludouico Balbo hæc verba Flodoardi recitans, notat in margine: Coniectum significat annonam.

Ad filios quoque ipsius defuncti regis, Ludouicum & Karolomannum.] Hi fuere filii Ludouici Balbi ex Ansgarde priori coniuge. Ex posteriori, cui nomen Adeleidis, genuit Carolum posthumum, cognomento Simplicem. De illis & infra meminit cap. 24. recensens literas ad Hugonem Abbatem de eodem negocio. Sigebertus in chron. anno 880 filios ex concubina nominat. Verum eos natos esse ex legitimo matrimonio docet Papir. loco iam citato.

E *Post obitum Ragenolini Episcopi.*] Sic & infra constanter cap 23. & 24. legunt ms. v. hoc loco Ragelini. 3. vbique fere Ragenelmi, quomodo & Papirius Mass. lib. 2. Annal. Francor. bis legit. sed cap 23. in Bernone omnia nostra Rainelmi, 3. Raineline. Is est qui in catalogo Tornacensium & Nouiomensium Episcoporum 37 vocatur Raecelinus, aut Raymelinus, & in subscriptione Concilii Suessionensis habiti anno 866. Remelinus, cui successit Hedilo.

CAP. XX.

ARduico Vesontionensi.] Sic c. & 3. & infra sequentibus capitibus omnia exemplaria, vel cum aspiratione Harduico. ms. hoc loco habent Raduico, quomodo c. legit super lineas, & in Gallico.

Pro villa Dudeciaco] Sic ms. etiam infra, sed ibi facit duas dictiones, 3. hoc loco Dudeciaco, infra Dudeciaco. In testamento S. Remigii constanter ab omnibus exemplaribus legitur integrum nomen Duodeciacus, quomodo & infra hoc libro 3 cap seq. villam Duodeciacam, etsi omissa vna littera in ms. legatur solummodo Dudeciaca. Sic & c. 26. in ms. bis legitur Dudeciaco, vbi 3. priore loco habet integre Dudeciaco, quomodo rursus omnia legunt lib. 4. cap. 2.

F *Sed & de villa Nouiliaca*] &c. De hac supra lib 2. cap 17. & latius in fragmento Hincmari quod post finem huius operis adiecit Iacobus Sirmondus, quod videtur partem aliquam huius epistolæ continere.

Karolo quoque Ludouici Transrhenensis filio.] Hic est Carolus crassus, filius regis Germaniæ, fratris Caroli Calui.

CAP. XXI.

AD Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta vxore propria, cuidam feminæ copulauerat.] Hic est Lotharius de quo supra ad cap 3. Et rursum cap. 20. videlicet Lotharii Imperatoris filius. Verum Baronius ad annum 855. quo obiit Lotharius Imp. dicit eum, diuiso regno, Ludouico Italiam dedisse, qui & successit ei in Imperio, Lothario autem regnum quod in Francia possidebat, præterquam Prouinciam, quam Carolo tradidit, & passim anno 868. hunc Lotharium adulterum, vocat regem Galliæ & Francorum, & Sigebertus in Chron. dicto anno 855. dicit eum Lotharingiam tenuisse, & anno 862. quo VValdradam pellicem superduxit, vocat regem Lotharingiæ. Similiter Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Carolo Caluo. Decessit, inquit, Lotharius Imp. relictis liberis Ludouico, Lothario, & Carolo. Hic Prouinciam habuit, secundus Leucorum & Mediomatricum terras, quæ priscum nomen in Lotharingiam mutarunt. Ludouicus rex Italiæ fuit.] Itaque pro Italiæ substituendum videtur Lotharingiæ.

G *Scripsit etiam quædam ad Adrianum Papam.*] Inter Hincmari epist. à Cordesio editas vnica est ad Adrianum 2. Eiusdem Adriani ad Hincmarum duæ extant tom. 3. Concil. 13 & 28.

Formoso sedis eiusdem (scilicet Romanæ) religioso Episcopo.] Intellige suffraganeo, vt exponit Baronius, eadem verba citato anno 891. quo idem Formosus, longe post obitum Hincmari, creatus est summus Pontifex, cum ante esset Episcopus Portuensis. Sic infra lib 4. cap 2. tempore Stephani vi. scribit Fulco Iohanni cuidam Romano Præsuli, quem Baronius anno 897. dicit vnum fuisse ex suffraganeis sanctæ Romanæ ecclesiæ. Idem intellige de Gauderico & Iohanne, de quibus mox sequitur.

Euangelium quoque Nazaræorum sibi ad transscribendum mitti petens.] Huius aliquoties meminit S. Hieronymus, qui se illud ex Hebræo in Græcum Latinumque sermonem transtulisse scribit in libro de viris illustribus in Iacobo. De quo vide Sixtum Senensem lib. 2. bibl. sanctæ verbo Hebræorum euangelium. Sic enim alio nomine appellatur.

H *Vulfado Biturigensi Archiepiscopo*] Is est qui ab Ebone fuerat presbyter ordinatus, de quo toties in superioribus, vt patet ex epistola Karoli regis ad Nicolaum Papam, quæ extat inter Hincmari epistolas à Cordesio editas.

Immoni Nouiomagensi Episcopo.] Hic alias vocatur Hemmo, & subscriptus legitur in Concil. Tullensi anno 859. Vocatur & Emmo & Emino, quem occisum a Nordmannis in vrbis suæ direptione anno iam dicto scribit Meyerus.

Prudentio Tricassino] Hic in catalogo Trecensium Episcoporum est 37. obiit circa annum 864. vt est in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, auctore seu collectore Nicolao Camuzat. Festum peragitur 9. lectionibus 6. Aprilis. Extat in eodem promptuario sermo eiusdem hoc titulo: Sermo B. Prudentii Episcopi Trecensis de vita & morte gloriosæ virginis Mauræ. Scripsit quoque librum, quo erudite confutat libellum Origenianis & Pelagianis erroribus refertum, quem Ioannes Scotus concinnauerat ex Gotheschalci Orbaicensis monachi scriptis. Ei successit Folchricus, deinde Arulfus, siue Otulfus, de quibus infra c. 23.

Æneæ Parisiorum. pro Rothado Suessonico.] Dedit & alias literas ad hunc Æneam pro Bernone clerico, quæ extant apud Baronium anno 862. & responsio Æneæ ad Hincmarum.

A

CAP. XXII.

IN *Synodo Episcoporum decem prouinciarum.*] Hæc est synodus Duziacensis in prouincia Remensi. Fragmentum epistolæ huius Synodi ad Hadrianum Papam ij. edidit Ioannes Cordesius inter Hincmari epistolas. Meminit eiusdem Aimoinus lib 5. c. 54. in fine · habita est anno 817. Exstat tom. 3. Concil. parte 2. Et præcessit ibidem Concilium apud Vermeriam palatium habitum viginti Episcoporum, & in villa & palatio Attiniaco, anno 870. quod ex Baronio ibidem illegitimum, & latrocinale fuisse dicitur, & in eo ipsum Hincmarum Laudunensem iniuste depositum. Fuit forte Hincmarus Remensis, (quem patet fuisse vehementem in omnibus suis actionibus, & maximum veteris disciplinæ assertorem) aliquanto seuerius in suum nepotem Hincmarum Laudunensem, defensorem, vt ait Baronius, iurium Romanæ ecclesiæ: sed & iniquum fuisse in eum docet in annalibus ad annum 870. & 871. Vnde pro Hincmaro Laudunensi est epistola 27. Adriani ij. & tres sequentes. Eiusdem reclamatio siue appellatio ad sedem Apostolicam exstat eodem tom. Concil. post epistolam xx. Ioannis viij. & tandem in Trecensi Concilio, sub eodem Ioanne viij. anno 878. suo pristino gradui dicit Baronius fuisse restitutum, & probat ex Adone in fine sui chronici. Verum Aimoinus dicto libro c. 37 potius contrarium significat, dum ait: Ioannem Papam dixisse, vt Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus, sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus, si vellet, Missam cantaret, & partem de rebus Episcopij Laudunensis haberet.

B

Certe Nicolaus Papa primus, etsi in literis ad Hincmarum Remensem datis, quæ exstant tomo 3. Concil. eum in quibusdam reprehendat, in ea tamen epistola, cuius fragmentum citat Iuo in suo decreto part. 14. cap 46 & Grat. 11. q. 3. cap. 102 Excellentissimus, præclarum ei præbet testimonium, dicens: Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas: Quia DOCTA DIVINITVS sanctitas tua valde nouit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, &c. Eundem fuisse virum pium, & admodum litteratum testatur Meyerus in Annalibus Flandriæ 885. Facit quoque pro Hincmaro Remensi epistola eiusdem Ioannis viij. quam, quia deest in tomis Concil. omnium, hic adscribere placuit a R. P. Iacobo Sirmondo ex bibliotheca S. Remigij prius exscriptam.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei Hincmaro Archiepiscopo Remensi. Quamuis de sanctitatis tuæ iudicio nihil dubitassemus: quia tamen carissimus filius noster Carolus inuictissimus Imperator, a nobis diligentissime percunctatus, circumstantiam iudicij a beatitudine tua coepiscoporumque suorum in Hincmarum dudum Laudunensem Episcopum prolati Apostolatui nostro retulit, agnouimus iustum fuisse omnino iudicium. Neque enim tantus Princeps nisi veritate fultum quicquam poterat affirmare. Vnde nefas esse duximus eius relationi non præbere fidem incunctanter auditam. Noli ergo iam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam & sine regimine pastorali dimittere, sed iuxta decretum electum, & de Laudunensis ecclesiæ clero virum idoneum, & in quo omnium vota consentiant, eidem ecclesiæ præfice protinus Episcopum. Cui electioni volumus etiam Missum prælati piissimi Imperatoris interesse, vt sine secularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data est Romæ Theodorico iussu Papæ Ioannis, & domini Caroli noui Imper. per manus Anastasij Bibliothecarij in Secretario Ecclesiæ S. Petri. Anno incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. Non. Ianuarij, Indictione x. & delata est ab eodem Theodorico in ciuitate Remis Hincmaro Remorum Archiepiscopo eodem anno, & eadem indictione v. Idus Martij.

C

Et à Normanno in synodo accusatus) De hoc videatur epistola Adriani 28 & 29.

Municipium Lauduni, &c. ab exordio sui, postquam à Marcobrio prætore, vt produnt historiæ, conditum fuit.) De eadem re idem Hincmarus in opusc. lv. Capitulorum Cap. xvi. sic ait: Quod (nempe Castellum Laudunense) sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter ciuitates, vel prouinciales sedes nomen & locum non habuit.

D

Olim ab horno habita.] Sic ms. & originale j. tamen, quomodo legit in lib. 1. c. 20. horno autem idem est quod hoc anno. Dicitus & hornus, a, um, vt fructus horni, poma horna, id est huius anni.

Locat ad tomum capiti inclinat, quia eis non obedit, sed potius porro obuiam manum inferunt.) Sic orig. & j. Phrasis est satis obscura, ms. thomum. Exemplar quo vsus est Baronius legit Thomam, & putat restituendum Romam. Pro porro legit, Petro. In ms. obuians legitur. Est autem tomum proprie fragmentum libri abscissum, & pro ipso libro seu volumine imperfecto accipitur.

CAP. XXIII.

S*Ynodum apud Pistas agendam*) Intelligitur Concilium Pistense in loco qui Pistis dicitur ad Sequanam fluuium celebratum anno 863. sub Nicolao primo, quod exstat to. 3. Conciliorum in fine prioris partis. Vnde & supra cap. 21. legitur in omnibus exemplaribus: ad Pistas in Sequana: hoc loco ms. Pestas legit, sed male. Alio nomine Pisciacum & Pistæ dicitur quasi Piscinæ, quia solet esse piscina totius Franciæ, vt scribit Sebastianus Roulliard in sua Parthenia siue historia ecclesiæ Carnotensis cap. 12. num. 9. Gallice *Poissy*.

VValoni Mettensium præsule.) Sic ms. sed j. Walæ, quomodo vocat eum Aimoinus lib. 5 cap 41

E

CAP. XXIV.

IN *Parisiacensem parochiam.*) Sic c. in Gallica translatione, pro quo facit quod scribat ad abbatem S. Dionysij iuxta Parisios. c. in Latino & j. Patriacensem, ms. Parnacensem.

CAP. XXV.

M*Agenardo Præposito.*) ms. Agenardo.

CAP. XXVI.

V*iro illustrissimo Eberardo.*) m. Ebarardo j. Ebrardo per syncopen.

Rorico Normanno ad fidem Christi conuerso.] Hic Roricus diuersus est à Rollone Nordmannorum ductore, de quo chronicon Cameracense lib. 1. c. 29. qui ad fidem est conuersus & baptizatus an. 912. vt ibidem adnotatur.

CAP. XXVII.

I*Rmentrudis regina.*] Hæc est Caroli Calui prima vxor, quæ ab aliis scriptoribus Hermentrudis appellatur, qua defuncta Richildam duxit.

F

Vt tenentes conuenientiam, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut] &c. Conuenientiam intelligit pactum, seu concordatum, aut iuridicam conuentionem. Respicit enim ad pactum orationis Dominicæ, & ad cap. 13. regulæ S. Benedicti, in quo dicitur: vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis, &c.

Quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam imperatrix illa subierint] m. periculum, j. quantum periculi malum, tam ipsa, quam imperatrix illa subierint.

CAP. XXVIII.

C*Uiusdam fratris Ragamfredi.*] Sic m. hoc loco, & paulo infra. r. Ragemfredi, j. Ragaufredi.

Si vero ipse Comes hoc fieri negauit] Sic ms. At j. Sic vero comes ipse hoc fieri non rogauit. Sensus ille videtur: Si Comes neget se fecisse.

Aut timore alicuius, vel hortamento de ipso presbytero.] Sic j. verum ms. aut timore alicuius impulsu præsumant inde damnari, vel iuramento de ipso, &c.

G

Malos autem præsciuit tantum, non prædestinauit, nec vt perirent sua præsumptione compulit.] Sic j. At ms. addit duas voculas (ad regnum) hoc modo. Non prædestinauit ad regnum, nec vt perirent, &c. Quæ sane lectio vitiosa est, & pro ea dicendum fuisset, ad interitum.

CAP. XXIX.

D*E libro edito à se, qualiter Domini vel Sanctorum sint imagines venerandæ.*] Quod si liber iste exstaret, tunc clare constaret, quid de hac re senserit Hincmarus. Certe, catholice sensisse patet ex ipsius opusc. lv. Capitulorum contra Hincmarum Laudunensem cap. xxv. Quod vero Mathias Illyricus ex eiusdem operis cap. xx. locum allegat, quo Hincmarus septimam synodum de imaginibus, quæ est Nicæna ij damnasse videtur: sciendum textum Hincmari corrupte allegare, pro Constantinopoli substituendo Nicæ. Verba quæ allegat habentur in dialogo quarto Alani Capi. c. 18. Item apud Baronium tom. 9. anno 794. At videatur integrum opus ipsius Hincmari quod demum anno præcedenti 1615. Parisiis editum est, vbi sine vlla lectionis varietate. Constantinopoli legitur. Videatur item Alanus loco iam dicto, & cap. seq. & latissime de hac difficultate Seuerinus Binius in notis ad Concilium Francofordiense to. 3.

CAP. XXX.

H

A*Nno Dominicæ incarnationis DCCC. LXXXII.*] Sic omnia exemplaria, & in hac re magis credendum auctori, quam Sigeberto & Meyero, qui obiisse scribunt Hincmarum anno 885.

SCHOLIA IN LIBRVM IV.

CAP. I.

F*Ulco vir valde nobilis*] Alias Folco, quomodo vbique fere scribit m.

Marino Papa delegans] Hæc est vera lectio, quomodo & infra concorditer legitur, etsi in m. recenti manu superaddita sit littera t, vt legatur Martino, & hinc faciunt Martinum ij. Sed legendum Marinum Baronius & Binius attestantur, asserentes perperam nominari Martinum secundum.

Pro defensione Frotharij Bituricensis Archiepiscopi.] Hic Frotarius Burdegalensis Archiepiscopus, vt patet supra lib. 3. c. 21. & infra hoc eodem cap.

Ad quæ ille respondens] Recensentur hoc c. decem & amplius epistolæ Stephani VI. Papæ, quarum nulla exstat in epistolis decretalibus, vel in tomis Conciliorum. Sicuti nec vlla exstat Fulconis, quæ hoc c. enumerantur octo vel nouem, & plures cap. sequentibus.

Qui-

A *Qui, diuina vocatione, hominem excederet.*) id est mortuo. Sic infra c.5. Tunc illis scilicet humana excedentibus. Sic chronicon Cameracense lib. 3. c. 29. Baldricus Episcopus hominem exiuit, id est mortuus est. Videantur quæ ibidem adnotaui.

Sed Odonis regis fuit consultu.) Hic Odo, filius Roberti Ducis, fuit tutor regis Caroli Simplicis, posthumi Ludouici Balbi. Vide scholia infra cap 5.

Synodum conuocare apud VVangionum comitatum) ms. Vangionem. Hæc alio nomine VVormatia dicitur à Sigeberto, & aliis. Vnde Luitprandus in libello de vitis pontificum in vita Stephani sexti, dicit eum iussisse synodum conuocari VVormatiam, & titulo VVormatiensis Concilii ponitur tom. 3 Conciliorum parte 2. anno 890. Verba eius sic habent: Hic Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi ecclesia contendentes, Wormatiam ad Synodum venire iussit, vbi Fulconi Remensi Episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandauit.

Qui eorum vicariatione perfuncti disceptandi & deliberandi libertatem possideant) Sic c. At m. vericatione, quod 2. mutauit in luciscatione, j. vicariatione, apud Baronium vicatione, in marg. pro vice. Eodem sensu in epistola S. Radegundis legitur apud Gregor. Turon. lib. 9. hist. Franc. c. 42. epistolæ vicarietate. Sensus est, qui ipsorum vicarias operas subeant, siue vt hodie loquimur, qui sint eorum procuratores cum plena potestate rem absolute componendi. Sequitur enim.

B *Vt nullo vlterius tempore, praecepta finetenus sententia, de hac re necessarium sit vertere quaestionem.*) Sic legunt c. & r. sed j. infinitesima. In ms. perfecta, pro percepta, & m. nectere pro vertere, quomodo etiam vtrumque apud Baronium legitur.

C A P. II.

R*Odomiam videlicet.*) Sic j. r. Rodomum, m. Todomum.

Imperatorem quoque VVidonem coronatum eodem anno significans indictione decima.) Videlicet anno 892. quamuis statim à morte Caroli Crassi, id est ab anno (iuxta Reginonem & Baronium) 888. imperium occupauerit, cum esset dux Spoletanorum, & de eo tota vita sua cum Arnulfo & Berengario duce Foroiuliensi certauerit. Verumque, scilicet VVidonem & Arnulfum, obiisse scribit Baron. anno 899. Sigebertus VVidonem anno 901. Arnulfum 902. & Lambertum VVidonis filium 903. Verum certius hæc omnia Baronius, qui Lamberti Imp. obitum assignat anno 910.

C A P. III.

C Q*Vod si audiret, apostolica sedis sententiam reformidaret.*) Sic. c. & j. At ms. Quod si non audiret, apostolicæ &c. Verum in m. recentiori manu adiecta est negatio, non. Quare non est dubium, priorem lectionem veram esse.

Item scribit eidem Archiepiscopo (id est Formosus Papa Fulconi.) *pro Berthario quodam presbytero.*) Ita ms. c. & j. alias Vertario. c. in Gallico hic, & infra Berchario.

C A P. IV.

Q*Vatenus à Zendeboldo Arnulfi regis filio.*) j. Zendebaldo, quomodo & c. Sigebertus Zuendebaldum nominat. Erat autem filius Arnulfi ex concubina, vt habet idem Sigebertus in Chron 896. vbi scribit eum à patre factum regem Lotharingiorum, & ab iis peremptum anno 903. vel vt Regino, 900.

C A P. V.

A*Rnulfo regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli quem paruulum adhuc vnxerat in regem.*) Hic Arnulfus erat filius Carlomanni, qui Carlomannus fuit filius Ludouici Germanici. Hic enim Ludouicus filius Ludouici Pii Imperatoris, dictus Germanicus & Transrhenensis, frater Caroli Calui habuit tres filios, Carolomannum, Ludouicum, & Carolum Crassum, qui fuit Imperator, cui patruo suo in regno potius, quam imperio successit Arnulfus. Vnde eum à Flodoardo, quam ab aliis scriptoribus sæpius rex appellatur, quam Imperator. Videatur Baron. to. 10. anno 888. Hæc autem quæ sequuntur vsque ad illa verba: Item ad eumdem regem, significans ei de fidelitate, &c. ponit Seuerinus Binius pro gestis Concilii Remensis celebrati anno 892. in quo Carolus simplex filius posthumus Ludouici Balbi ex Adeleide, Francorum regni legitimus successor, à Fulcone Remensi Archiepiscopo vnctus, reiecto Odone Comite Parisieno, tutore eiusdem Caroli, qui titulum regni Francorum ab obitu Caroli Crassi Imperatoris (qui teste Reginone, quem sequitur Baron. anno Domini 888. ex hac vita migrauit) tyrannide vsurpauit. D Sigebertus in Chron. anno 890. scribit Carolum Crassum ab optimatibus repudiatum, & in locum eius sublimatum prædictum Arnulfum, & Carolum obiisse anno sequenti. Addens, eodem anno 890. Francos, neglecto Carolo Ludouici Balbi puero vix decenni, regem sibi præfecisse Odonem filium Roberti ducis. Item in eadem synodo de Balduino Comite Flandriæ tractatum est, vt patet ex cap. 6. & 7. sequenti. Sigebertus prædicta refert ad annum 894 quo anno sic ait: Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci puerum Carolum duodennem, Ludouici Balbi filium in regnum paternum reuocant, & Remis à Fulcone Archiepiscopo in regem benedici faciunt. Et anno 899 Odo rex Francorum moritur, E obstantibus primates, vt Carolum in regno reciperent. Quod pluribus declarat ad eumdem annum 899 Meyerus.

Quod Ascharicum ipse.) Sic c. r. & j. sed m. Addericus, pro quo 2. clericus, quomodo in Baronio legitur to. 10. anno 892. & in Papir. Massono.

Filiorum Godfridi) ms. Papir. Goffridi j. Gosfridi.

Quatenus tam de me, quam etiam de sede Remensi, mercedem dignetur habere) Ita r. ms. exemplar Baronii, & j. quod legit de sede, cum alia omittant (de) vt sit dictum phrasi Gallica *mercy*. id est veniam & indulgentiam dare, alias legitur memoriam, quomodo vertitur in Gallico.

C A P. VI.

F*Rothero Archiepiscopo*) Sic r. & j. At ms. Flothero Verum illam lectionem præferimus, quia intelligi videtur Frotharius Bituricensis Archiepiscopus, de quo supra cap. 1. & lib. 3. c. 21. qui que in tabulis Demochàris etiam Frotarius vocatur, & subscripsit synodo Soessionensi habitæ anno 866. & Trecassinæ anno 867. vbi modo Frotarius, modo, addita aspiratione, Frotharius nominatur.

Rostagno Arelatensium Præsule.) Hic sine dubio is est, qui supra lib. 3. c. 21. Rothstanus appellatur

Plemundo Archiepiscopo Transmarino.) Hic est qui numero 19. in catalogo Archiepisc. Cantuariensium vocatur Pleimundus.

F *Ad tractandum de peruasione Balduini.*) Inuaserat hic Balduinus Flandriæ Comes monasterium Bertinense ex donatione Caroli Simplicis, de qua re, ex Fulchardo & Ioanne Iperio Molanus in Nat. SS. Belgii die 9. Septemb. & 17. Iunii.

Abbatiam quamdam in huius Heidonis parochia sitam.] Intelligit Cisonium in diœcesi Tornacensi, de qua supra cap. 5. quæ sita dicitur in parochia Heidonis Episcopi Nouiomensis, quia vt ad cap. 5. libri 2. adnotauimus, Tornacensis & Nouiomensis ecclesiæ sexcentis annis vnitæ fuerunt.

Quod impetratum à Romana detulerat vrbe.] S. Eberardus Marchio, vt est supra cap. 1. huius libri, corpus S. Calixti Papæ & martyris à Romana sede impetrauit, sed fieri potuit, vt demum filius ipsius Rodulfus, de quo hic est sermo, inde detulerit. Scribunt tamen Iacobus Meyerus in Annal. Flandriæ, & Ioannes Molanus in Natal. SS. Belgii die 14. Octobris, beati Calixti reliquias Cisonium allatas per Euerardum loci fundatorem anno 854. Addit Molanus eas Remis esse, quo delatas fuisse scribitur infra cap. 6. In Epitaphio autem Euerardi Cisonium delatas legitur anno 855. Quare falli videtur Sigebertus, vel quisquis hoc Sigeberto adiecit anno 884. Hoc tempore Rodulfus quidam corpus sancti Calixti Papæ & Martyris, à Romana vrbe in Emonium transfert.

G *Præmissi Oifredi.*] Sic nominatur infra c. 11. in omnibus exemplaribus, & in tabulis Democharis, atque in Chronico Cameracensi lib. 1. c. 64. Supra tamen hoc cap. ms. legit Erfredm. j. Ortredus.

Antistitum sibi veniam flagitantes ab ipso.] j. omittit veniam, forte legendum veniæ.

C A P. VII.

E*X Synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno DCCC. XCII . arguit eum.* Hæc est Synodus Remensis in qua Carolus Simplex filius Ludouici Balbi in regem Francorum vnctus est, de quo supra notaui ad cap. iiij.

Et alium ad libitudinem suæ voluntatis instituere.] Hoc est, vt infra loquitur c. 20. pro libitu suæ voluntatis. c. & j. hoc loco legunt libidinem, eodem sensu.

C A P. VIII.

A*B ecclesia tituli S. Agricolæ*] Hæc hodie est S. Nicasij.

C A P. IX.

H*I scilicet, Gibrianus, Helanus.*] &c. Sic ms. Verum Helanus in m. alia manu additus est, cum esset omissus. At c. 10 Latino & Gallico, & j. pro eo legunt Tesanus. Vtriusque meminit Ioannes Molanus in additione ad Vsuardum. Illius 8. Maij his verbis: Remis depositio sancti Gibriani confessoris, in ecclesia sancti Remigii quiescentis. Huius 7. Octobris: In pago Remensi, vico, qui vocatur Bursolus, depositio sancti Helani presbyteri & confessoris. H Eumdem S. Helanum habet hoc die Petrus Galesinius in suo Martyrologio, ex tabulis sanctuarii ecclesiæ Remensis, & vtrobique sine vlla varietate Helanus appellatur, sicut & in Natal. SS. Belgii Molani die 5. Decembris, vbi dicit sanctè iacere Helanum, Tresanum, Germanum, & Veranum. De mansione horum Sanctorum hæc scribit. Sigebertus in chron. anno 509. Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Galliam peregrinatus, vrbem Remensem vita & morte sua illustrat.

Francia.] Sic c. r. Sed ms. Franda, j. Franda.

C A P. X.

D*E historia interemptionis seu martyrii Fulconis videatur Molanus in Natalibus SS. Belgii 17. Iunii, ex historicis Bertinensium. Fuit occisus anno 900. vt ibidem dicitur, & consentiunt Sigebertus, Iacobus Guisius, Meyerus, Baronius in annalibus, & alii, idque ex eo probatur, quia, vt patuit supra in fine libri tertii, Hincmarus obiit anno 882. & Fulco sedit annis 17. tribus mensibus, & de-

A ocm diebus, vt habet hoc loco epitaphium. Quare fallitur Nicolaus Chesneau dom. to Gallica sua ed nouc notas in margine eum obiisse anno 905. Idem probatur ex c. 17. infra. Nam cum successor eius Heriueus, vt est in chronico auctoris, obierit anno 922 die 2. Iulii, & sederit, vt ibidem dicitur, annis 22. demptis diebus 4. oportet eum ordinatum fuisse die 6. Iulii anno 900.

Explorantesque quomodo à metato suo ad regis colloquium.) &c. Sic omnia exemplaria. Sensus est, quomodo a loco in quo metari soleret, vel ex hospitio suo, proficisci soleret. Vnde dicitur infra. Ceteri qui superfuere, his qui ad hospitalia remanserant. &c. Vtitur eadem voce metatus infra c. 15. vbi significari hospitium ex eo patet, quia quod ibi dicit: Ad metatum suum deduxit, in chronico suo dicit: Duxit eum ad hospitia sua. Item eadem voce vsus est supra lib. 1. c. 20. & lib. 2. c. 5. vbi vide scholion. Quare non recte, reclamantibus omnibus exemplaribus, s. vult corrig.: Quot in comitatu suo. Voce metatus vtitur frequenter Gregor. Turon. in hist. Francorum, vt lib. 5. cap. 8. Ad metatum regressis. c. 15. in metatu eius. Lib. 5. c. 75. Recedente vero rege ad metatum suum, item ibidem c. 59. Lib. 7. cap. 29. bis Lib. 8. c. 2. Ad metatum nostrum adueniit. Quod postea dicit: In mansione mea, id est domicilio, &c.

C A P. XII.

B *ET sancti Remigij benedictione recepit.*) Hoc enim tributum est meritis S. Remigii, quod is qui ecorporis eius translationem honorauerat, non amitteret quod ei furto fuerat ablatum.

C A P. XIV.

COnuentus denique Synodales sæpe cum coëpiscopis sua diœcesios habuit.) Nominatim duos, vnum anno 909. sub Sergio iij. Papa in pago Suessonico apud Troslegium, de quo infra c 16. vbi ms. legunt Troslcium, & omnia exemplar. c. 19. & 21. Vtroq. enim nomine locus appellatus inuenitur, vt illa appellatio sit integra, hæc per abbreuiationem, sicut Heriueus & Herueus. Huius acta summatim ex Baronio habentur to. 5. Conciliorum parte 2. Alterum anno 921. De quo auctor noster in suo chronico, & Seuerinus Binius post synodum ibidem celebratam sub Seulfo, de qua infra c. 19.

Post bellum quod Robertus Comes contra eos Carnotenus gessit.) Sic omnia exemplaria, quod Gallice recte vertit *vers Chartres*, id est versus Carnotum. Vnde s. Carnotenus mutauit in Carnotinenus. Quomodo autem Rollo dux Normannorum Carnotum obsidens, miraculose ab vrbe repulsus fuerit sub annum Domini 908. per camisiam seu interulam B. Mariæ virginis late describit idiomate Gallico Sebastianus Roulliard in sua historia ecclesiæ Carnotensis cap. 7. num 5.

C *Fidem Christi suscipere receperunt.* Ita c. & j. Sed ms. Baron. Papir. & auctor ipse in Chron. ceperunt.

Insuper etiam Romanum Pontificem super eiuscemodi negocio consulere studuit. Ad cuius consulta.) &c. Rescriptum Ioannis 12. Papæ ad Heriueum Archiepiscopum de iis quæ circa Nordmannorum conuersionem facienda forent extat apud Baron. tom. 10 anno 905. & to. 3. Concil. par. 2.

C A P. XV.

SEquenti vero anno.) &c. Deinceps annorum numerus, quem margini adiicit, sumptus est ex Chronico nostri Flodoardi, quod Pithœus ed dit inter 12. auctores coætaneos.

Propter Haganonem consiliarium suum.) Ita j & c. in Latino & Gallico, m. vero Hagonem, ex quo s. fecit Hugonem. Sed eam quam retinuimus lectionem veram esse constat ex auctore in dicto chronico, vbi constanter ita legit multis locis. Aliam causam derelicti Caroli regis indicat Sigebertus in Chron. anno 920. his verbis: Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes pene primores Franciæ aduersabantur Carolo.

C A P. XVI.

D *DE Erlebaldi Comitis excommunicatione.*) Ita perpetuo legit j. Alioqui varia est lectio etiam in eodem exemplari. ms. in titulo legit Heribolǵi, mox in textu m. Herlebaldum, & postea Erlebaldus, s. Heribaldus. Legitur & Erebaldus, Ereboldus, & Erleboldus. Ex fine autem capitis nota eum absolutum fuisse ab excommunicatione post mortem.

C A P. XVII.

TErtia die feliciter postquam Robertus rex factus fuerat) Factus erat rex die vltima Iunii 922. Hic Robertus, frater Odonis regis, eodem anno, vt scribit Odoranus, & Sigebertus, auxilio Lotharienfium, apud Suessionem interfectus est. Sed magis auctori nostro res sui temporis scribenti credendum, qui anno seq. 923. interfectum scribit in suo Chronico.

C A P. XIX.

VItam finisse) Obiit Seulfus anno 925. expletis in Episcopatu annis tribus, & diebus quinque. Ita auctor in Chronico. Cui conforme est quod de eo legitur infra cap. 55.

C A P. XX.

E *ROdulfus igitur rex.*) De hoc Rodulfo scribit Meyerus anno 890 Eodem anno Burgundiones, Rodulpho Ricardi ducis filio filio, diadema imposuerant, regemque sibi consalutauerunt. Hic igitur Rodulfus, filius Richardi Marchionis præfecti Burgundiæ, erat rex Burgundiæ, quem Fräci, occiso in prælio Roberto rege, socero ipsius anno 923. nolentes redire ad Carolum Simplicem, sibi regem elegerunt, rexitque regnum Franciæ per duos annus, vt scribit Sigebertus, dicto Carolo in custodia apud Peronam detento. Verum ex cap. sequentibus constat eum regnasse in Francia vsque ad annum 936 quo obiit, vt est infra c. 26. Obiit autem 18. cal. Iunii, atque ita regnauit annos 12. Quod conforme est Roberto Gaguino, Paulo Æmilio, & aliis melius. De hoc ita scribit lib. 2. Annalium Papirius in Carolo Simplice: Rodulphus Richardi filius in matrimonio habebat Emmam Roberti filiam, & Heribertus aliam eius filiam duxerat, socer generique & Hugo filius, auctoritate & gratia, atque opibus multum poterant.

C A P. XXI.

F *HErbertus Karolum de custodia, in qua eum detinebat, eiecit.*) Dolo enim Heriberti captus fuerat anno 923. post occisum Robertum, & liberatus è carcere anno 927. sed anno sequenti iterum in custodiam redactus, in qua obiit anno 929. Hæc ex auctore in chronico. Habet his conformia Sigebertus, sed fallitur in tempore, dum scribit anno 924. eum in custodiam Peronæ a Comite Heriberto detrusum ob necem Roberti Ducis ab eo peremptis. Et anno 926. Carolus rex Francorum sub custodia Heriberti exul & martyr moritur. Similiter in tempore fallitur, dum scribit anno 928. Ludouicum filium Caroli in Franciam esse reuersum, cum id demum factum sit anno 936 post obitum Rodulfi regis Burgundiæ.

C A P. XXIII.

NEc non & Arnaldo) Sic j alia Arnoldo. Similiter in sequentibus nunc Artoldus, quomodo sæpius c. & j. nunc Artaldus, quomodo frequentius ms. legunt. Item Sigeboldus & Sigebaldus, &c. & infra c. 33. Deroldus & Deraldus.

C A P. XXIV.

DE ordinatione domni Artoldi Episcopi.) Hæc facta est anno 931. & obiit anno 961. pridie Calend. Octobris, vt habet auctor in Chron. atque ita constat 30. annis ecclesiam gubernasse.

C A P. XXV.

G *SYnodus septem Episcoporum apud S. Macram.*) m. Magram s. Machram. In tom 3. Concil. ponitur anno 935. sub nomine Concilii Rhemensis, cum sit pagus quidam eiusdem diœcesis, alio nomine *Fismes* dictus, vt annotauit Nicolaus Chesneau. De passione autem S. Macræ virginis habes infra c. 51.

C A P. XXVI.

LVdouico Karoli filio, quem rex Alstannus auunculus ipsius nutriebat.) c. Alstanum, j. Alstannus. In catalogo regum Angliæ apud Ioannem Carionem Adelstanus nominatur: Meyerus Atelstanum vocat. Est autem hic Ludouicus Caroli Simplicis filius, dictus Transmarinus, quia trans mare apud regem Angliæ fuerat enutritus, eo quod matrem haberet filiam regis Anglorum.

Quod pater eius (scilicet Carolus Simplex) S. Remigio tradiderat) Id est monasterio S. Remigii, vt patet ex verbis sequentibus. sic & infra cap. seq. & alibi accipitur.

C A P. XXVIII.

H *HVgo princeps, filius Roberti* Hic infra c. 35. & alibi vocatur Hugo Comes, qui dictus est Hugo magnus, Comes Parisiensis, & dux Aquitaniæ, filius Roberti Andegauensis & Parisiensis Comitis, qui in regem fuerat electus, de quo supra cap. 17. Vocatur idem Hugo Dux Francorum, qui Ludouico regi Francorum, filio Caroli Simplicis rebellauit, obiit autem anno 956. Hic ex vxore Aurea, quæ filia erat Henrici j. Aucupis, & soror Othonis primi Imperatoris, quam alii Haiuidem nominant, genuit Hugonem Capetum postmodum Franciæ regem, qui extincta stirpe Caroli magni, regnum Francorum obtinuit. Historia describitur apud Aimoinum lib. 5. de gestis Francorum cap. 44. & 45. Erat autem dictus Robertus frater Odonis Regis, vxorem habens sororem Heriberti potentissimi Comitis Aquitaniæ & Veromandiæ, de quo hic est frequens mentio. Vnde Sigebertus in Chron. anno 949. Hugonem Heriberti filium vocat nepotem Hugonis Magni, sicut & auctor noster in Chron. 943.

Mihi quoque ecclesiam Calmisiaci vict abstulit.) In Chronico suo anno 940. ait: ecclesiam quam regebam in Calmisciaco. Vnde constat eum aliquando rectorem seu pastorem fuisse loci illius, cuius frequenter meminit in hac historia Varie autem hoc nomen scribitur, vt adnotauimus ad lib. 1. cap. 22.

CAP.

A

CAP. XXX.

A*Lstmontem castrum occupant*] Sic integre scribitur in c. & j. plerique Altmontem legunt, tam supra, quam infra.

Post hæc etiam quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à rege.] Papirius Massonus lib. 2. Annal. Francor. de isto Heriberto Comite sic scribit: L[illegible] reliquit, Heribertum, Hugonem illegitimum Rhemorum pontificem, Odonem, Adelbertum, & filiam vnicam Arnulphi Flandri vxorem.

Amblicum castrum cepit.] Ita j. c. Amblecum. ms. Ambladam, Gallice *Ambly*.

CAP. XXXI.

V*T filium ipsius, & filium fratris sui sis capitis idem præsul.*] Ita c. in Gallico & Latino, & j. sed aliud exemplar, & ms. & auctor in chronico, e filium hominis ipsius, &c.

CAP. XXXII.

M*Onasterij S. Benedicti abbatem.*] Sic omnia exemplaria. Quare non recte e scripsit S. Remigij pro Benedicti. Vt autem adnotauit Nicolaus Chesneau intelligit abbatem S. Benedicti ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi.

B *Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat*] Hæc Gerberga soror Otonis primi Imperatoris fuit regis, (Sic enim sæpe ab Historicis nominatur, quod benedictionem Imperialem non acceperat, sicuti nec Henricus Auceps pater ipsius) hæc in quam Gerberga fuerat vxor Gisleberti ducis Lotharingiæ, quo interfecto, eam duxit vxorem Ludouicus rex Francorum, vt scribit Sigebertus in chron. anno 943.

CAP. XXXIII.

R*Emensem cum Hugone præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem.*] ms. post dictionem præsule addunt: & Theobaldus quidam, quod abest a ceteris, & a Chronico, nec videtur illud admittere orationis constructio.

Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam] Sic c. & r. sed ms. vitiose Derordo. j. & c. in Gal. Deroldo, quomodo & infra bis c. 35. conformiter in omnibus exemplaribus. Pro Tetbaldo m. habet Theobaldus, et quo s. fecit Theobaldus, quomodo ms. legit c. 37. In tabulis Demochares legitur Deraldus, quem sequitur Ramboldus, postea Theobaudus. Auctor in chronico Deroldum & Tetbaldum legit.

C

CAP. XXXIV.

P*Ræsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre*] Ita etiam auctor in chronico, c. legit Brunone, & Gallice vertit *Brunon*, quomodo etiam legi potest in m. sed infra c. 35. apertissime legitur Brunone, quamuis & ibi in Gallico vertatur *Brunon*. Verum placet alia lectio, quia de eo omnino loqui videtur, qui paulo post hæc tempora factus est Archiepiscopus Coloniensis, succedens VVicfredo, anno 953 vt habet auctor in chronico, & Sigebertus: qui ab omnibus Bruno appellatur, fuitque frater Othonis primi Imp. Henrici Aucupis Imp. filius.

Missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis.] Videlicet Adalberone & Gosliano, vt c. sequenti dicitur in libello Artoldi, & exprimit auctor in chronico.

Ex diœcesi Treuirensi atque Remensi] Sensus est, fuisse in illa Synodo Mosomensi ex vtraque diœcesi Episcopos, quod c. in Gallico non est assecutus. Nam auctor ipse in chronico ita scribit. Anno 948. Synodus prædicta celebratur in ecclesia S. Petri ante prospectum Castri Mosomi a domno Rotberto, ceterisque Treuerensis diœceseos Episcopis, & aliquibus Remensis.

D *Capitulum XIX. Carthaginensis Concilij de accusatore.*] Videtur intelligi Capitulum 9. & 10. Concilij tertij Carthaginensis. Pro quo facit quod infra c. 33. legatur nonum decimum, vbi facile omitti potuit coniunctio &.

CAP. XXXV.

D*E synodo apud Engulenheim congregata*] Habita est 7. idus Iunij 948 in ecclesia B. Remigij honore dicata, vt est in chronico auctoris, vbi etiam recenset nomina eorum qui interfuerunt numero 31 Regino lib. 2. chronici in ea scribit interfuisse Episcopos 34. Tom. 3. Concil. parte 2. subscripti leguntur 31.

Denique postquam domina nostra regina Laudunum, propter absolutionem domini regis, reliquerat.) Sensus patet ex eo quæ dixit auctor supra c. 32. Hugo enim princeps, dictus Magnus, ipsum regem Ludouicum tenebat sub custodia, ipsaque regina Gerberga, eidem Hugoni Laudunum reddiderat, vt reciperet Ludouicum regem. Neque enim aliter absolutio, id est liberatio eius potuit obtineri, vt ait in chronico 948.

Post quarum litterarum recitationem. &c. Sequentia omnia vsque ad finem capituli, & duo capitula sequentia, etiam quo ad verba, eadem sunt in chronico, anno iam dicto.

Lectis capitulis de huiusmodi calumniatoribus.] Intelligere videtur Capitula concilij Carthaginensis, vel Capitula Caroli Magni & Ludouici P. j. in quibus tamen hoc non reperio.

E *Artaldo vero præsuli, qui omnibus in synodis præsentem exhibuerat*) Multæ enim synodi pro hac causa congregatæ fuerunt, vt patet partim ex superioribus, partim ex Chronico auctoris, & to. 3. Concil. parte 2. videlicet Virdunensis, anno 947. Mosomensis 948. idibus Ianuarij, Engelenheimensis 948 septimo idus Iunij, de qua hoc cap. quæ ceteris fuit celebrior. Postremo Romana 949 in qua Agapitus Papa ij. damnationem Hugonis Episcopi apud Engelenheim factam confirmauit.

Ceteris quoque duabus synodis tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugijs.) &c. Hæc videre est in actis & canonibus decem huius concilij, quæ edita ab Henrico Canisio, adiecta sunt ad finem 2 partis tom 3. Concil. per Seuerinum Binium. Deest tamen ibidem canon de incestis coniugijs.

CAP. XXXVI.

F*Ere quadringentos homines interfecerint*) Ita c. in Gallico & Latino, & j. Verum ms. quadraginta, quomodo legit auctor in Chronico ad annum 948. quo hæc gesta sunt.

VVinefredo Morinensi) Ita ms. hoc loco, sed infra Huicfredus c. in Gallico vtrobique *VVinefrede*, sed in Latino VVifredus, sicut & j. In Chronico auctoris duplex quoque lectio est, Vinefredus & VVicfredus. In Chronico manusc. Moriensi VVyefridus appellatur Integra dictio videtur esse VVinefredus, ex qua per contractionem factum est Vinefredus & VVicfredus. Quo posteriore nomine viuebat eodem tempore Coloniensis Archiepiscopus, qui & Wicfridus nominatur infra cap. 42. vbi m. legit Huicfridum, quod s. mutauit in Huicfridum.

F

CAP. XXXVII.

I*Nsistente præcipue Liudulfo capellano regis Othonis.*) Hæc vera & integra lectio omnium exemplarium, sed infra variant. Nam c. Landulfus, m. Ludulfus, In chronico Ludolfus & Landulfus. Est autem sermo de Othone r. eius nominis Imperatore, qui & Otto magnus dictus est, propter celebres bellorum eius victorias, vt ait Lupoldus Bebenbergius lib. de zelo veterum principum Germaniæ, cap. 2. c. infra Odonem legit. Nam interdum promiscuo pro eodem vsurpantur Ottho, Otho, Odo, Ado, & Vdo.

Nomine Adelonus.) Ita c. & j. sed ms. Adelonius. In Chronico Adelonius, Gallice vertitur *Adelon*.

Acta Synodi Inghelheimensis, de qua supra c. 35. & Treuirensis, de qua hoc cap. & præcedenti, approbauit Agapitus Papa ij. habito Romæ concilio ad S. Petrum, confirmans damnationem Hugonis Episcopi, & excommunicationem Hugonis principis donec Ludouico regi satisfaciat, vt testatur auctor in chronico anno 949. Quod chronicon vlterius extenditur quam hæc historia. Pertingit enim vsque ad annum 966. Porro Artaldus obiit anno 961. pridie Kalendas Octobris, vt est in eodem chronico, & sequenti anno successit ei Odalricus.

G

CAP. XXXVIII.

I*N honore Mariæ, vel S. Petri construxisse traditur.*) s. recte notat in margine, vel, poni pro, &. Quod & alijs quibusdam locis contingit, præsertim in summarijs capitum.

CAP. XXXIX.

D*E Sancto Balderico Abbate.*) De hoc Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 16. Octobris: In monte Falconis, beatissimi Baldrici confessoris, cuius vita crebris miraculis declaratur.) De eodem Arnoldus VVion lib. 3. ligni vitæ in martyrologio suo monastico, ad eundem diem, & Ioannes Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib 3 c. 252.

CAP. XLI.

D*E villa VValcicia*) Sic r. m. & j. quæ videtur vera lectio, pro quo c. Vasficia. c. autem VVasticia. In Gallico autem hoc loco vtrumque ponitur, *VValsice, ou Valliche*, sed infra semper *VValsice*.

De sede scilicet vrbis Virdunensis S. Vitonem, & S. Agericum) Vterque fuit Episcopus illius sedis, ille octauus, hic decimus in tabulis Demochares. De illis enim sic habet: 8 S. Videnus, seu Vitonus, eligitur 502. in Concilio Aurelianensi primo, tempore Clodouei 10. S. Agericus eligitur 554. Videndus de his Richardus de VVassebourg Archidiaconus Virdunensis lib. 2. Antiquitatum Galliæ Belgicæ, quod opus Gallice conscripsit, qua lingua nominantur *Sainct Venne, & S. Agry*.

H *Et sanctum Roduicum de VVassoro.*) c. Rodineus de Vassoio.

Pro villa Gerlanimonte, super Mosellam consecrato.) Sic r. c. & j. sed ms. Gelani, quomodo & cap. sequenti tum in titulo, tum in textu legitur etiam in c. sed m. ibi Gelani. c & s. Geilani.

Ad quam villam diem faciendi sibi causa.) Sic c & j. At ms. faciendi. Gallice vertitur, causa accipiendi possessionem, quod Gallice dicimus, *saisir* & *insine* id est possessio. Quod recte Latine dixeris saisitura, id est confirmatio, quia possessio confirmat rem acquisitam.

CAP. XLIV.

S*Anctarum Bonæ et Dodæ.*) Agit de his Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 24. Aprilis hic verbis. Remis ciuitate, sanctarum Bonæ & Dodæ. Ex quo, vt apparet, Baronius transcripsit in Romanum Martyrologium ad eundem diem. De iisdem Petrus Galesi-

nus, Felix, & Arnoldus VVion in suis martyrologiis, omnes in eo corrigendi, quod legant, Bona pro Boua. Nam hanc esse veram lectionem omnia nostra probant exemplaria, tam supra cap. 38. quam hoc cap. Sic & superius c. 20. legimus Bouonem Catalaunicēsem Episcopum, quod non recte s. mutauit in Baeonem, & c. in Bononem. Adde quod hæc eadem Sancta lib. 2. c. 10. Boba nominatur in omnibus exemplaribus. Solet autem b in v mutari, aut contra, vt Bebiana, Viuiana, Iobita, Iouita.

CAP. XLVI. & XLVII.

DE *domno Gunthero, & ipsius vxore Berta.*] Varie scribitur hoc nomen in exemplaribus, sed hæc frequentior est, vel per o Gontbertus. Integra pronunciatio est Gondebertus, quomodo legitur supra lib. 1. cap. 4. in fine, vel Gundebertus vt lib. 2. c. 10. Hic vero fere Gunthertus vel Gonthertus, sed ms. in titulo cap. 47. Gombertus, quo nomine exstat vitæ ipsius historia in vitis Sanctorum Gallice editis per Parisienses die 29. Aprilis, vbi narratur fuisse frater Niuardi Remensis Episcopi, quod iam dicto cap. 10. testatur etiam Flodoardus. Idem autem videtur esse de quo Molanus in additionibus ad Vsuardum 13. Nouembris: In territorio Remensi, sancti Goberti Confessoris. Sed obstat quod S. Gontbertus martyr obierit, sicut & S. Berta. De qua Sigebertus in Chron. anno 661. Bertha martyr & Abbatissa sanctitate claret in Gallia. Exstat eius vita, in vitis SS. Gallice editis à Doctoribus Paris. ad 1. diem Maij.

CAP. XLVIII.

DE *duabus ecclesiis Sancti Hilarij Remis.*] Hæc est communis & frequentior lectio: sed m. hoc loco Hillari, & in indice Capitulorum Hilari. Quomodo Baronius Romanum pontificem S. Leonis magni successorem, Hilarum vocat, qui frequentius Hilarius nominatur.

Quod vocaretur Meroldianus) S. Meroldianus Scotus nunc Remis in ecclesia S. Simphoriani quiescit.

CAP. XLIX.

E*ius labuntur homo intranea.*) Id est intestina, quomodo legimus. Gallice *entrailles*, c. humi, sed altera lectio verior, vt dictum sit humo, pro in humo. Hæc autem pœna adulteræ constituta est à Deo Num. 5.

CAP. L.

C*Ompositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se fuisse vendicatam*) Retinui fredum pro fretum, etsi hoc etiam modo legatur in excuso Gregorio Turonensi, cuius allegatur locus, sed & in multis aliis corrigendus, vt patebit, si quis ea, quæ hic refert Flodoardus, conferat cum loco eiusdem Gregorii. Certe Pithœus in glossario Capitulorum, verbo freda, & Iacobus du Breul in adnotat. ad c. 17. lib. 5. Aimoini citantes eumdem Gregorii locum, fredum legunt. Similiter semper numero plurali legimus freda in variis diplomatibus, quæ exstant in chronico Cameracensi lib. 1. c. 37. 62. 76. & 107. & in litteris fundationis Prioratus S. Martini à Campis apud Parisios datis anno 1060. ab Henrico I. Francorum rege: in fredis. Bastant in Martinianis. In epitome tamen constitutionum Caroli Magni freta, pro freda legitur, in eo Capitulo, quod in libris Capitulorum à Pithœo editis est 30. libri 3. vbi dicitur excepta freta, quæ in lege Salica conscripta est. Ad quem locum Vitus Amerpachius. Freta est, quam alio qui fredam & fredam vocant illa secula, &c. Sed cum exemplar ex quo impressæ sunt istæ Constitutiones valde fuerit incorrectum, vix dubium est, quin sit error librarii. Quid autem sit fredum hic indicatur, estque dictio Teutonicæ originis pacem significans, quam Germani dicunt, fred & Frid, nos Teutones *vrede*. Fredas legitur tum alibi, tum in priuilegio Caroli Calui, quod exstat in promptuario Tricassino fol. 84.

CAP. LI.

B*Macra virgo sub Rictionaro Præfecto.*) Sic legitur in c. & j. hoc loco & in ms. cap. seq. vt sit vna dictio. At ms. hoc loco Rictio Varo separatis dictionibus, quod magis probat Baronius in notis ad Rom. Martyrologium 6. Ianuarii. Quo die agit de hac virgine etiam Vsuardus. Porro Rictiouarus sæuissimus fuit Galliarum præfectus seu præses sub Diocletiano & Maximiano, sub annum Domini 300. Martyres sub eo passos complures recenset Baron. tom. 2. Annal. anno 303. vbi miserandum eius quoque refert interitum.

CAP. LII.

DE *sanctis Rufino & Valerio martyribus.*) De his Baronius, Vsuardus, & alii in martyrologiis die 14. Iunii.

CAP. LIII.

S*Vbito cernuatus cecidit.*) Hæc est vera lectio, quam habent c. & j. Sed quia non intellecta, idcirco in aliis exemplaribus est mutata. Vnum enim legit ceruatus. Item. legebatur consternatus, at recenti manu correctum consternatus, quomodo scripsit a. Est autem cernuus, id est, in partem anteriorem inclinatus, vel in caput ruens. Hinc ad illud Virgilii Æneid. 10. Erectoque incumbit cernuus aruo. ait Seruius: Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quasi in eam partem quam cernimus. Hinc & illud in hymno ecclesiæ:

Tantum ergo sacramentum venere-
mur cernui.

FINIS.

VOCVM QVARVMDAM OBSCVRARVM, AVT BARBARARVM EXPLICATIO ORDINE ALphabetico, quæ in his quatuor libris Flodoardi continentur, siue sint ipsius, siue aliorum, quorum testamentum, vel epistolæ interseruntur. Quæ non sunt auctoris, iis præponitur asteriscus.

A*Binde*, pro inde, id est, ab eo tempore, vel ab eo loco. Vtraque enim significatione vtitur.

* *Acetabulum*, lib. 1. c. 18. in testamento S. Remigii accipi videtur vt Num. 7. vbi in Hebræo est scutella. Nomenclator Hadriani Iunii recenset inter mensurās liquorum, & capere dicit cyathum vnum & dimidium.

Æquiuocus, eiusdem nominis. Vide indicem nostrum vocum obscurarum in Chronico Cameracensi.

Alodes, idem quod alodium. Vide iam dictum indicem, & Glossarium Petri Pithœi in Capitularia, verbo Alode.

* *Amphibalum*. Vide scholia in cap. 18. lib. 1.

Atrium, cœmiterium. Gall. *l'aitre*.

* *Beneficiare*, in beneficium dare.

Blattea, purpurea. Vide scholia ad cap. 25. lib. 1.

Brandeum, lib. 1. c. 20. & 22. pannum sericeus, seu linteum, quo Sanctorum corpora, seu reliquiæ inuoluuntur: vel etiam quod aliunde allatum cum reliquiis contigisset, vt hodie fieri solet. Vide scholia ad cap. 22. lib. 1.

* *Breuiculus*, lib. 3. c. 22. scheda seu schedula, à breui, forma diminutiua, deductum. Sic est in operibus S. Augustini tom. 7. Breuiculus Collationum cum Donatistis, id est, (vt Augustinus alio nomine vocat ibidem, & epist. 158.) Breuiarium & breuiatio, seu compendium. Sic iuxta Alciatum & alios lib. 7. Codicis titulus 44. est de Sententiis ex breuiculo (pro quo vulgo legitur periculo) recitandis. Ad quem locum Christophorus Hegendorphinus in exegesi tituloram Codicis ita scribit: Hic titulus corrupte legitur. Nam pro periculo, breuiculo legi debet: siquidem hic tractatur quomodo sententiæ ex scripto recitari debeant. Breuiculus vero est vox diminutiua à breui, hoc est ab schedula, scriptura, dictateoque.

* *Cabuta*, seu Cambuta. Vide scholia ad cap. 18. lib. 1. Quibus addo pedum pastorale S. Burchardi primi Herbipolensis Episcopi fuisse virgam sambuceam, vt est in vita ipsius lib. 1. cap. 1. to. 5. Surii.

Caraxatum, lib. 1. c. 9. scriptum. Item caraxare, caraxatura, & caraxatores. seu potius per aspirationem charaxatum, &c. Vide Scholia ibidem ad cap. 18.

Cellerarius, lib. 1. c. 12. vel vt j. c. cellarius, idem qui cellarius, quomodo mutauit s. quomodo etiam nunc in Hincmaro legimus, minister cellæ, seu promus, aut promus condus. Vide indicem vocum obscurarum ad Thomam Cantipratanum.

Cernuatus, cernuus. Vide scholia ad cap. vlt. lib. 4.

Comes, nomen officii lib. 2. c. 18. & alibi. Hi enim comites cum Missis dominicis iudicia exercebant per singulas prouincias, vt patet ex eodem cap. & ex capitulis Caroli Magni. Vide scholia ad idem cap.

Coniectus, vel um, genus tributi. Vide scholia ad cap. 19. lib. 3.

Consuerant, pro consueuerant lib. 2. c. 12.

* *Consultum*, us, consultatio, consilium. Vide scholia ad cap. 4. lib. 3.

Cors, cortis, pro aula regia, Gal. *Court*. lib. 3. cap. 23. bis in litteris Hincmari: aliquando pro curte, vt lib. 2. cap. 17. & lib. 4. c. 6.

Curs, curtis, id est villa. Capitula Karoli Magni lib. 3. cap. 19. Curtes nostræ remaneant defensæ. Vide indicem vocum obs. ad Chron. Cameracense.

Decania, decanatus, lib. 3. cap. 25. sicut canonia, pro canonicatu.

Decubant, pro decubuit lib. 1. cap. 8.

Depactum, pro pactum siue conuentum.

* *Deaconia*. Vide scholia ad cap. 18. lib. 1.

Domnus, pro domino. Vide notas ad Chron. Cameracens. lib. 1. cap. 27.

Emouere, pro mouere, aut dimouere lib. 4. cap. 40. Gallice *esmouuoir*.

Episcopium, Episcopatus. Vide indicem vocum obsc. ad Chron. Cam.

Esox, esocis, genus piscis, lib. 2. cap. 8. vbi vide scholia.

Eulogia. Vide scholia ad cap. 11. lib. 2.

Exinde, pro inde, id est ab eo loco, vel tempore. Vtitur Fortunatus in vita S. Medardi.

Fiscalini, à fisco dicti lib. 1. cap. 20. qui villas regii fisci tenebant: Fiscalini serui leguntur in Aimoino lib. 3. de gestis Francor. cap. 41. & 55. Lib. 3. Capitulorum cap. 16. Fiscalini regii leguntur, & in epitome Constitut. Caroli Magni lege 2. Ripuarense. Homo regius, id est fiscalinus. Vide Pithœi glossarium.

Flasco, lib. 1. cap. 15. genus vasis, Gall. *vn flascon*. Vtitur voce flasconis S. Gregorius lib. 2. dialog. cap. 18.

Francisca, lib. 1. cap. 13. bipennis, quomodo Hincmarus habet in vita S. Remigii, & ipse Flodoardus etiam iam dicto cap. Sic & Gregorius Turon. lib. 2. hist. Francorum cap. 27. eamdem describens historiam, bipennem & securim nominat. Aimoinus libr. 1. de gestis

Franc

A Franc.cap 12. Et ea tensa manu franciscam eius terræ deiecit, quæ spata dicitur.

* *Fredum.* Vide scholia ad caput 50. lib. 4. & notas ad caput 37. lib. 1. Chron. Cameracensis.

Frigoriticus, lib 2.c.14. & lib. 4 c.44. febricitantes, frigido morbo laborantes. Vtitur eadem voce Fortunatus lib. 1. vitæ S. Radegundis capite 10 quæ extat apud Surium tom. 4. die 13. Augusti, vbi legitur frigoriticus, & in margine notauit Surius: Frigoriticus, pro febricitante. Gregorius Turonensis libro 5. historiarum Francorum capite 20. Frigoriticis pustulis laborantibus. Idem de Gloria Confessorum capite 64. Frigoritici cæter quo infirmi sanantur Plura vide in indic. vocum obscur. in Chron. Camerac.

Glaucoma, æ, lib. cap. 24. Vtitur Plautus in Milite. Vsitatiùs dicitur glaucoma, atis, item glaucomatum, i, & significat vitium oculi.

Hochmaculum, vel *hecimaculum* lib. 2, cap. 18. in testamento S. Remigij.

Homo huius aut illius, vt homo Arnulfi, id est vasallus.

Horno, id est hoc anno, libro primo capite vigesimo, & libro 5.c. 22 vbi vide scholion.

Imaginatum, imaginibus & figuris sculptum & decoratum. Vide scholia ad caput 18. libro primo. Eiusdem vocis fit mentio libro 3. capite 5.

* *In antè* lib 2.c. 27. id est deinceps, quod alij frequentius dicunt, In antea. Vide indicem vocum obscur. in Chron Camer. Præter
B loca ibi notata vtitur Gregorius Turonensis lib. 8. historiar. Francorum capite 28. & Eutychianus papa 35. quæst. 6. cap. Episcopus. Item Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 89. Ex tunc in antea excommunicatus fit.

Incardinari, institui, vel constitui in episcopatu vel alia dignitate libro 3. capite 21. Vtitur Adrianus papa ij. epist 11. Item verbum incardinare, & incardinari frequenter vsurpat Ioannes Diaconus libro 3. vitæ S. Gregorij Papæ cap. 15. & sequentibus pro constituere, & ipse Gregorius Papa in epistolis. Vide Onuphrium Panuinium in libello de interpretatione vocum Ecclesiasticarum in dictione Cardinalis.

Incardinatus, institutus, lib. 3. capite 19. Iuo Carnotensis epistola 231. vbi vide obseruationes Francisci Iureti, qui multa citat loca Gregorij papæ de eadem voce.

Insigne, pro insigniter lib 1.c.10.

Intentio, pro lite seu contentione lib 2.c.10.

Intranea, intestina, lib. 4 c.49. Vide scholia.

Isdem, pro idem, lib. 2. c. 25. lib. 3. c. 13 17. & 19. quo posteriore loco exemplar c. legit idem.

* *Lacerna.* Vide scholia in cap. 18. lib. 2.

Legatarius, legatus lib. 1.c 25.

Libitudo, libitus, libido, lib. 4.c.7. Vide scholia.

Loniè, pro benè, lib. 4. c. vlt.

* *Locarium.* Vide scholia lib. 3.c.21.

Maior domus, lib. 2.c.12. præfectus palatij.

Mallus. lib. 2.c 18. lib. 3.c. 26. Vide notas nostras ad cap. 72. lib. 1. Chron. Cam. & notas Ioannis Busæi ad epist. 4 Hincmari.

C *Mandare*, significare: *remandare*, renunciare, vtrumque phrasi Gallica.

Maniaticus. insanus. à mania Græca voce insaniam significante. Eadem significatione Gerson, & Ioannes Nider in Formicario vtuntur voce maniacus.

Mansionile, lib. 3.c. 26. Videtur idem esse quod mansio, seu habitaculum villicorum.

Mansus & mansum. Vide indicem vocum obscur. ad Chron. Camer. Nicolaus Chesneau mansos vel mansa vertit Gallicè *arpens* vel *arpens de terre*.

Matricula & matricularij. Vide indicem iam dictum. Legitur lib. 2. c.28. in testamento S. Remigij, & alibi frequenter. Item in Hincmaro epist. 7. c. 35 inter eas quas Busæus edidit.

Matutinorum solemnia, lib. 2.c.25. Sic olim loquebatur, subaudiendo hymnorum, nunc matutinarum dicimus, videlicet precum. Vide eumdem indicem.

Metatus, *us*. locus in quo quis metari, tentorium figere, aut hospitari solet. Vide scholia ad caput 3. lib. 1 & ad caput decimum libri quarti.

D *Mirum*, miraculum.

Missaticum, legatio a misso, id est, legato, vel nuntium, Gall *message*. Legitur apud Hincmarum in opusculo lv. capit. post cap. 55.

Missaticus, idem quod missus, legatus, seu nuntius. vt clare patet ex cap. 28. lib. 3.

Missorium argenteum, in testamento S. Remigij, & lib. 2. cap. 5. missorium argenteum deauratum. Vtroque loco Gallicè vertitur *vaise d'argent*. Gregorius Turonensis lib. 6. histor. Francorum capit. 2. Nobis ait missorium magnum, quod ex auro gemmisque fabricauerat in 50. librarum pondere ostendit. Et lib. 7. c. 4. legitur missorium aureum.

Missus, nuntius, legatus, commissarius. Vide schol. ad c. 18. 2. & indicem vocum absc. in chron. Camer.

Molendinus, pro molendinum, mola, lib. 2.c.14. Sic in 2. appendice ad hist. Greg. Turon. in descriptione dedicationis Ecclesiæ Maioris monasterij legitur, molendinos nostros. Vide notas ad chron. Cam. lib 1. cap. 52.

Necessitosi, lib. 3.c.16. pauperes, quibus res necessariæ desunt, *necessiteux*. Vtitur Hincmarus epist. 7. c. vlt.

Nomenclator, lib 3 c.21. Vide Onuphrium vbi supra.

Nonna, sanctimonialis, lib. 3. c. 27. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: Et quia maritorum expertæ do-

E minatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur, & nonnæ. Ad quem locum Erasmus suspicatur esse vocabulum linguæ Ægyptiacæ. S. Benedictus in regula c. 63. Iuniores priores suos nonnos vocant, quod intelligitur paterna reuerentia. S. Bonifacius Arch. Moguntinus epist. 19. & Capitularia lib. 5.c.2. & 3. eamdem vocem vsurpant. De eadem plura R. P. Heribertus Rosvveydus in suo onomastico rerum & verborum difficiliorum ad Vitas Patrum.

* *Octimber*, pro October. vide sch. ad c. 21. l. 2. Quibus adde ea Beda de ratione temporum, vbi mensis Octobris nomina recensens apud varios: Thesri, inquit, in Hebræo, Paophi apud Ægyptios, Hyperberetæus, apud Macedones, Octimbrius in Græco, (quod procul dubio ex Latino Octimber factum est) October in Latino.

Omnimodis, omnino, omnibus modis. Vide indicem vocum absc. ad chron. Cam.

Pagus, regio, tractus, territorium. Gall. *pays*, vt pagus Laudunensis Sic teste Petro Diuæo in antiquitatibus Galliæ Belgicæ c. 24. frequenter accipitur à Iulio Cæsare. Multus, inquit, pagos habebant (loquens de Morinis) teste Cæsare: non quidem vicos, (vt tunc pagi nomen acciperent) sed regiones: in qua significatione Cæsari vocabulum hoc familiare est. Hæc Diuæus.

Pallium, Archiepiscopatus insigne, est fascia ex candida lana contexta, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab vtraque parte dependentes, quatuor purpureas cruces, ante,
F retro, à dextris, & à sinistris. Vide Onuphrium vbi supra, & Pithœi glossarium in Capitularia.

Parisius, indeclinabiliter l. 2.c. 25. lib. 2.c.2. & alibi, pro Parisij, orũ. Indeclinabiliter vtitur Iuo ep. 16. ad quam vide obseruationes Francisci Iureti.

Parochia, seu *parrochia*, vt in plerumque scribit. Pro diœcesi frequens in scriptoribus mediæ ætatis, & in Canonibus. Interdum tamen sic distinguuntur, vt diœcesis sit totius prouinciæ alicuius Archiepiscopatus, parochia Episcopatus tantum. Vnde Hincmarus in opusc. lv. capitul. cap. 16. B. Remigius sedem Laudunensem in subsellio Remens. metropolis consedere fecit quam à sua parrochia, nõ autem à diœcesis prouincia scidit. Idem Hincmarus in epist 2. ad Nicolaum Papam inter eas quas edidit Ioannes Cordesius: Sed quia non solum diœcesis, verum & parrochia mea inter duo regna, sub duobus regibus habetur diuisa. Item 10 epist. ad Hadrianum papam: In cuius (nempe Lotharij) parte regni non solum pars diœcesis, verum & pars parrochiæ meæ coniacent. Et infra. In cuius regno parrochia, & prouincia mea consistit. Idem denique in epistola ad clerũ & plebem Beluacensis Ecclesiæ Sic etiam de alterius diœcesi Archiepiscopi, vel parrochia Episcopi, &c.

Pedatura vitium, id est pedamentum, statumen. Vnde vitis pedata, & staminata apud Plin. h. c. palis perticisque firmata. Vide sch. ad c. 12. lib. 2. Deriuatum est a verbo pedare, quod est viti vel alteri arbusculæ fulcimentum adhibere.

G * *Pradonare*, pro condonare, Gall. *pardonner*. Legitur in Capitularibus, vt l. 4.c.37. & alibi, & in Goffrido Abbate Vindocinensi, lib 5. epist. 19.

Pitacium & pitaciolum, vel vt j. fere per c. pitaculum, lib. 3.c.21. Fuit titulus opusculi Hincmari Laodunensis Episcopi, nepotis Hincmari Remensis, cui carmen præfixerat ita incipiens.

Iste pitaciolus plane depromit & apte.

Sedem appellandam libere Apostolicam. Quod opusculum latè refellit Hincmarus Remensis prolixo opere lv. Capitulorum, præfixo etiam carmine in hunc modum:

Hoc tibi dit oculo, iuuenis Hincmare sacerdos,

Respondere mihi conuenit arte pari, &c.

Namque pitaciolum neutro dixere priores,

Et caput hoc languens cetera fluxa docet, &c. [Alioqui pitacium schedulam significat, seu epistolium. Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore: Pyctacium, vel potius pyctacium Cassiodoro & Lampridio, exigua tabella. πιττάκιον Moschopulo Belgicè *een cleene cedulle*. Pitacium Celso idem quod emplastrum. Glossarium B. Isidori Pictacium, epistola breuis & modica. Pictaciuncula, membrana. De Pittacio plura Heribertus Rosvveydus, vbi supra.

H *Placitum*, conuentus publicus, seu conuentus procerum regni, comitia, Gall. *plaids*. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam. & notas Busæi ad epist 3. & 4. Hincmari. Et notas Iacobi Sirmondi ad ep. 36. lib. 3. Goffridi Vindocinensis Abbatis.

Præceptum, rescriptum principis, vel constitutio regis, priuilegium, literæ immunitatis. Vide notas nostras ad cap. 83. lib 1. chron. Cam.

Præstaria & precaria, eadem sunt, vt patet ex lib. 4.c.21 vbi Nicolaus Chesneau Gallicè interpretatur *vsufruict*. Quid autem sit precaria, vide dictum indicem. Præter loca ibi notata precariarum meminit Iuo epist. 271.

Præsentaliter, pro præsentialiter.

Preuidere, pro prouidere, lib. 4.c 1. Sic & aliquoties Baldericus in chron. Cam. Vide nostrum indicem vocum obsc.

Precatoria, lib. 2 c. 5, idem quod precaria.

Presbyter, pastor seu parrochus. Vide schol. ad cap. 8. lib. 1.

* *Ptochium*, lib. 1. c. 18. Græcè πτωχεῖον, domus mendicorum, seu locus ad recipiendos mendicos. Basilianus Episcopus in literis ad Valentinianum & Martianum Imperatores, quæ habentur in Concilio Chalcedonensi act. 11. Sed ego à iuuenili ætate mea vixi cum pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & vlceratos hospitio suscipiebam. Item in eodem Concilio can. 8 Clerici qui præficiuntur ptochodochijs, qui ordinantur in monasterijs, & basilicis martyrum sub Episcoporum, &c. potestate permaneant. Vbi secunda editio siue versio in tomis Con-

A cilitorem habet in prochiis. Tertia quæ est Gentiani Herueti: Clerici prothottophiorum. Apud Gratianum 18. q. 2. cap. 10. Quidam monachorum ex correctione Gregorii XIII. legitur vt habet 2. editio: In prochiis, pro quo vitiosè vulgata exemplaria legebant, parochiis, ibique adnotatum est prochius esse vocem canonis Græci. De eodem vocabulo Rosweydus, vbi supra.

Quaque, pro quæcunque.

Quisque vel quisque, pro quicumque, lib. 3. frequenter. *Quibusque*, pro quibuscunque.

Quisque, pro quisquis. Franciscus Iuretus in suis obseruationibus ad epistolam 2. Iuonis: Vetustiores dixerunt quisque, pro quisquis, quod plerique non obseruantes sæpe mutarunt & corruperunt in authoribus contra fidem priscarum membranarum. Sic ille. Et probat ibidem citatis exemplis ex Tertulliano, Hilario, & aliis.

Refusare, renuere, recusare, Gal. *refuser*, lib. 2. c. 15. Vtitur in eadem significatione Iuo epist. 131. 173. 178. 186. & alibi sæpe.

Regestum, lib. 2. c. 2 vbi vide scholia.

Remandare, renunciare.

Repedare, redire. Lucilius Rediisse ac repedasse, vt Romam vitet.

Renadiare, lib. 3. c. 5. 4. dicitur a vas vadis, & Gall. ibidem vertitur debitorem se agnoscere. Legitur eodem libro cap. 28. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam.

B *Reuestitum*. lib. 3 c. 18. indutis paramentis ecclesiasticis, Gal. *reuestu*. Aliquando *reuestire*, est in possessionē inducere post priuationem, vt eodem lib. c. 26. & lib. 4. c. 1. Vnde vestitura, de qua voce Pithœus in Glossario.

Rotula & rotulus, lib. 3. c. 21. & alibi, scheda, volumen, scriptum conuolutum. Ibidem cap. 22. rotulam prolixissimam, inquit Hincmar. Vtitur idem in opuscul. Cadit. cap. 43. Eandem vocem rotulus, pro scheda aliquoties vsurpat Stephanus Episcopus Parisiensis in epist. præfixa condemnationi aliquot articulorum in fine Petri Lombardi magistri sententiarum. Est autem rotula diminutiuum a rota.

Salarium argenteum, salinum lib. 3. c. 5. vbi ms. male legit solarium lib. c. 23. leguntur duo vasa salaria a rege S. Stephano missa. Vbi aliud forte intelliges.

Sasire, possessionem accipere, Gal *saisir* Vide schol. ad cap. 41. lib 4. Verbo sasitus, & resasitus vtitur Iuo Carn. epist. 101

Sonior, de mutua, Gal. *soigneur*. Vtitur Hincmarus epist. 1. inter eas quas edidit Busæus, & passim scriptores mediæ ætatis. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam. & Petrum Gregorium lib. 6 syntag. iuris vniuersi cap. 11.

Signa ecclesiæ, campanæ. Hinc in pontificali parte 2. titulus est, de benedictione signi seu campanæ. Vide Glossar. Pithœi verbo Signa.

Suscensere eum, vel eos, cum accusatiuo, id est, contra eos irasci.

* *Suctum* consuctum.

C *Sumptorium*, lib 3. cap 5 cochlear, vt Gallice vertitur, quo nimirū vtimur in calice sacro.

Tenuitas, exiguitas, prauitas, in prologo auctoris

Theudisca lingua. lib. 4 c. 35. vbi ms. Teutonica. i. Theutisca, id est Germanica.

Theotisce. Inter epistolas Hincmari à Cordesio editas, extat epistola Otfridi monachi ad Ludbertum Archiepiscopum Moguntiacens. & præfatio in librum antiqua lingua Saxonica conscriptum, quæ ibidem vocantur Teudisca, & legitur Aduerbium Tacoe sce. Idé Teudiscæ linguæ exemplum extat l. 3. hist. Nithardi.

Tundare, tundere, ferire, fustigare.

* *Turriculam*. Vide schol. ad c. 18. l. 2.

Vadatus, lib 4. c. 19. a verbo vador, ari, commune, id est, fideiubere pro alio. Vide indicem voc. obsc. ad chron. Cam.

Vadium, l. 3. c. 28 Hoc illi emendare per vadium faciat. Videtur significare idem quod vas vadis, id est, fideiussor. Sic teste Iacobo Spiegelio in lexico iuris primo dictū est vadis, deinde per syncopen vas. Vadimoniū sponsio est standi in iudicio. Alii scribunt per duplex W. Wadius, vt in 2. capitul. c. 38. Ab his qui decimas non dant Wadios accipiant. Et l. 3. c. 29. tit. est, de libero homine, qui se loco vadij tradidit. In epitome Constitut. Caroli Magni de lege Ripuarense c. 3. Homo ingenuus, qui multam quamlibet soluere non potuerit, & fideiussores non habuerit, licet ei semetipsum in vvadium, & cui debitor est mittere, vsq; dum multam quam debuit persoluet. Ad quem locum

D notat Vitus Amerpachius: In vvadium dare hoc est pignori dare, aut addicere. Vide rub. ll. a ll. Longobard. Plura loca profert Pithœus in gloss. verbo vvadia, & verbum vvadiare frequens est in legibus Longobardorum.

Vasalli aut vassalli, clientes. Vide idem glossar. in dictione Vassi

Vel, sæpe ponitur pro, &, præsertim in summariis capit. Quomodo etiam vetus interpres Gallicus, vt lib. 4. c. 19 36. & 38.

Vicaricatio, vices. Vide scholia ad cap. 1. l. 4.

Vicedominus, l. 1. c. 27. vide scholia. Vtitur & aliis locis.

Villa, pro pago, aut ciuitate sæpe accipitur, phrasi Gallica, vt lib. 1. c. 14. Sparnacum villam suam, id est ciuitatem, Gallice *ville*. Nam alibi eumdem locum oppidum vocat.

Velum, masculino genere, l b. 2 c. 2 & 3 villa.

Vngitus, vnguentatus, lib. 1. c. 21. ex Hincmaro in vita S. Remig. i. Vetus l. ... mias.

Vtilissimus, vtilissimus.

F I N I S.

E

APPENDIX AD FLODOARDVM. STATVTA SYNODALIA ECCLESIAE REMENSIS.

Per Dominum Sonnacium.

Cap. I.

SINE fide (teste Apostolo) impossibile est Deo placere, ideoque mandamus omnibus, vt exactè doctrinam fidei iuxta verbum Dei, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ traditionem teneant, sequanturque. Et quicumque pastores sunt, quæ ad instruendum populum, & gregem pertinent, discant & sciant, & suos ad officia virtutum excitent. *Heb. 11.* F

II. Fidelibus piè Sacramenta ministrent, semperque adferant quod ad explicandam vtilitatem Sacramenti, & institutionem pertinet.

III. Mercedem non accipiant, sed in Deo confidant, qui dat escam pullis coruorum inuocantibus eum. *Psal. 146.*

IV. Baptizaturus sit sobrius, idque honeste expleat, verba attente proferat, & debite de parentibus informet.

V. Confirmationis Sacramentum habet donum roborantis Spiritus sancti, & vberiorem gratiam profert, ideoque non negligatur.

VI. Remissio peccatorum, & expiatio sanguini Domini nostri Iesu Christi nititur præcipue, & ab eo pendet.

VII. Curet pastor ouem suam, & non negligat: & iniungat interesse Missæ sacrificio diebus solemnibus & Dominicis, agnoscat eius faciem: & si bis absit in anno prohibeatur eidem Ecclesiæ ingressus, & careat pastorali sepultura & consolatione. *Prou. 27.* G

VIII. Nemo tempore quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem. Huius enim interest ouem recognoscere, pro qua suam animam fœnerat Domino.

IX. Sacrosanctam Eucharistiam sacerdos celebraturus se præparet, & probet: & vt minimum bis in mense id faciat.

X. Feratur ægrotis in vase honesto, & lumine antecedente, & præeunte. Et quicunque peregrinari volunt, illud ad viaticum suscipiant.

XI. Et cur ad mortem condemnatis renuitur? cum iis maxime conducat ad spem & securitatem certi decessus, & præsentis agonis.

XII. Qui ad ordines promoueri volunt, habeant beneficium ad alimoniam sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum & iuratorum.

XIII. Nulli tonsura detur, nisi idoneo, & ad sacros ordines postea probabiliter ascensuro. Quid opus enim mittere panem filiorum canibus, & spiritualia mundi amatoribus? *Matth. 15.* H

XIV. In matrimonio imago extat sacrosancti coniugii inter Christum & Ecclesiam enati: ideoque vinculum est diuinitus firmatum, quod multum confert ad felicitatem rei familiaris, ad pacem inter partes, & ad proles suscipiendas. *Ephes. 5.*

XV. Extrema vnctio deferatur laboranti & petenti, eumq; pastor in propria sæpius inuisat, & pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, & debitè præparando.

XVI. De clericis, luceant sicut stellæ & perpetuæ claritates in firmamento Ecclesiæ. Non sint ebrii, nugaces, & secularibus immixti. *Dan. 12.*

XVII. Nec mulieres alloquantur, aut domi retineant: viuant in communi, & ædes pauperi patentes inhabitent.

XVIII. Suffragio defunctorum omnino seruari præcipimus, & ne Missarum solemnia, præter fundatorum mentem, ullo modo connectantur.

A XIX. Sint Episcopi fideles & assidui verbi Dei dispensatores. In hoc enim eorum charitas dignoscitur, si gregem pascant exemplo & verbo.

XX. Festa absque omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Natiuitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annunciatio B. Mariæ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, natiuitas B. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, assumptio B. Mariæ, eiusdem natiuitas, Andreæ Apostoli, & dies omnes Dominicales.

XXI Ecclesiæ debitè dotentur ad alimoniam pastoris & cleri, vt securius inuigilent super gregem, & de eius salute sint anxii & solliciti.

Hæc statuta accepta ex Maiori monasterio (Gallice Marmonstier) à S. Martino ædificato in suburbiis ciuitatis Turonensis, cùm serùs ad manus nostras peruenissent, visum est appendicis loco adiicere. Etsi enim sint in his
B quædam, quæ non videntur redolere antiquitatem: vt quod titulum pastoris tribuat parochis, qui ætate Sonnacij & multo post presbyteri tantum aut sacerdotes solent appellari: quod item festum Natiuitatis B. Mariæ inter festa celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno 1017. id primum in Gallia celebrasse dicatur, si Demochari credimus. Verum facile potuit fieri, vt loco presbyteri à recentiori aliquo positum sit nomen pastoris, & festum illud ab aliquo forte adiectum. Scribit tamen S. Hildephonsus (qui eadem ætate vixit cum Sonnacio) in libro de virginitate & parturitione B. Mariæ, Natiuitatem eius ex auctoritate totius Ecclesiæ celebrari & venerari.

Sunt his statutis similia quæ scribit Iesse Ambianensis Episcopus in epistola ad sacerdotes suæ diœcesis, & Constitutio Riculfi Suessionum Episcopi, quæ cum Hincmari opusculis edidit Ioannes Cordesius.

C Quæ sequuntur editioni suæ adiecit R. P. Iacobus Sirmondus, quæ nec in nostra deesse volumus, sed ordine temporis disposita.

De ministris Remensium Ecclesiæ, quos inordinate Ebo Episcopus inuenit, & per deprecationem eorum, inspirante sancto Spiritu, hæc dictauit.

PRæpositum decet cura interior ac exterior. Exterior in rebus & familia saluandis, atque secundum Deum gubernandis, summa cum intentione, & pietate, & beneuolentia. Ibi etiam consistit omnis nutriendi industria, cuncta proficua ingenia laborandi in agris, in vineis, in siluis, in hortis, in diuersis emptionum generibus prouidè procurandis. Insuper & de qualitate necessaria ædificiorum, siue quantitate. Interior vero sollicitudo eius esse debere manifestum est dispensatio fratrum publica, honestè disposita in victu & potu, siue omni subsidio corpo-
D rali, quod administrat diuina pietas, siue per studium laboris eius, siue de eleemosynis fidelium, necnon & de dono propriæ procurationis publicæ. Cui non minor patet etiam alia dispensatio necessaria in infirmis & senibus, pro diuersitate vniuscuiusque necessitatis. Sequitur autem hinc studium omnem ornatum corporalem ac spiritalem continens fratrum. Corporalem primum in clausura, inde in refectorio, & in dormitorio, in cellario, in coquina, siue in cunctis habitationibus necessariis, nec non in vasculis omnibus. Spiritalem vero zelum talis minister veræ religionis habere debet sanctæ conuersationis nocte ac die Canonicis partim in horis. Correctionem morum, per grauitatem leuitatis motum deprehendens: vaniloquium secretis in locis & horis suo rigore omnino depellens: omnes negligentias omnium publicè deprehensas in capitulo omnium fratrum iudicio puniens his modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, siue in omnium verberum diuersitate. Cuius etiam prudentissima circumspectio Decanis sibi suppositis inuigilare debet, ne vnus quidem, à maximo vsque ad minimum, absque eius conscientia & licentia vnius diei spatio nequaquam ab officii sui loco desit. E

Archidiaconi officium est, gradus Ecclesiasticos summa cum prouidentia ætatum & meritorum ordinare: de tempore in tempore nominibus certis vniuscuiusque officiũ de omni regione præfigere, subtiliterve merito probare, & gratiã S. Sp. vnicuiq; inuestigando ministrare: in omnib. diuinis officiis S. Dei ecclesiæ fideles ministros erudiẽdo & excolendo efficere: festiuitatũ omniũ ac feriarũ, nec non totius anni officia in cantibus & lectionibus, non solum litteraturam corrigere, sed spiritalem intelligentiam omni clero in Capitulo tradere, libertates liberorum cum testibus probare, alienorum seruorum ad gradus venire volentium exigere, potestatem etiam habens libertatem Ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere. Pro neglecta lectione aut officio gradus sui à Diacono vsque ad infimum excommunicare: etiam & iuuenculos talibus pro excessibus verberibus arcere: verbum etiam faciendi ad populum in diebus festis prouide- F
re & facere: & sic omnia per ordinem digne vsque ad consecrationem Presbyteri studiosissima intentione veræ religionis perducere. Vinctorum etiam publicæ ciuitatis ex carcere curam in festiuitatibus solennibus Domini gerere, id est, in Natale Domini, in Epiphania, in initio Quadragesimæ, media Quadragesima, in Palmis, in Sabbatho sancto, & in die sancto Paschæ, similiter in Ascensione Domini, & in Pentecoste summa cum diligentia eos excipere, & eis obsequia benignitatis corporalia spiritaliaque, ex diuinis & humanis beneficiis refectionem benedictionis parare.

Chorepiscopi verò ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi regionis sibi commissæ conuersationem corrigere atque dirigere, id est in conficiendis diuinis Sacramentis & baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, pœnitentiam cum discretione cau- G
te imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis & benedictionis, & sanctæ vnctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri populos assidua commonitione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, & orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere, pro viuis etiam ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcunque intra Ecclesiam & extra Ecclesiam in claustro & in omnibus habitationib. à maximo vsque ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum Ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, & omnem veram religionem, prior ipse faciendo, omnes facere doceat. Et hunc modum nequaquam, nisi præcipiente Episcopo, de causis subsequentibus excedat de omni iure consecrationis.

Episcopum vero ciuitatis propriæ disponere oportet de consecratione, de cofirmatione, de reconciliatione, & de publico indicendo ieiunio, aut aliud aliquid publici iuris pro tempore digno Deo debito. Cuius officii summa speculationis hæc est, vt & subtilissime prouidendo insistat qualiter omnium officia studiosissime guber- H
nando ad portum perfectionis dirigat: quibus in causis, nisi iussus, Chorepiscopus nullatenus excedat. *Iacob Sirmondi annotat.*

Quod præcessit opusculum Ebonis, ex S. Remigii bibliotheca Remis exscripsimus, cum Ioannis VIII. epistola & Decreto electionis Laudunensis, quæ infra sequentur. Proximam vero Notitiam de villa Nouilliaco, cuius auctor Hincmarus ipse videtur, nobis communicauit humanissimus Nicolaus Faber ex bibliotheca, vt aiebat V. C. Claudij Puteani Senatoris Paris.

(*.*)

A Flod. lib. 3. cap. 20.

SEQVVNTVR GESTA QVOMOdo D. Hincmarus villam Nouilliacum apud D. Carolum Imperatorem filium Ludouici Imperatoris impetrauit.

An. 765. DEsuncto Pippino Rege VIII. Kalend. Octobris in monasterio sancti Dionysij, filii eius Carolomannus & Carolus secundum dispositionem patris sui, & consilium regni primorum, diuiserunt inter se regnum paternum, & eleuati sunt in reges VII. Id. Octobris Carlomannus in Suessionis, & Carolus in Nouiomo, sicut in Annali regum scriptum habemus.

Anno IV. regni sui infirmatus est Carlomannus infirmitate, qua & mortuus est in Salmuntiaco, & ante obitum suum per præceptum Regiæ suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini Archiepiscopi tradidit villam Nouilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio, & loco sepulturæ, ad Ecclesiam Remensem S. Mariæ, & basilicam sancti Remigij, in qua B & sepultus est. Post cuius obitum Carolus frater eius præcepto, quod habemus, suæ auctoritatis ipsam traditionem confirmauit.

Defuncto Tilpino Archiepiscopo anno XXIII. postquam Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Nouilliacum tradidit, tenuit D. Rex Carolus Remense Episcopium in suo dominatu, & dedit villam nouilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas & decimas ad partem Remensis Ecclesiæ de ipsa villa vsque ad mortem suam persoluit: & defuncto Domino Carolo, sed & ipso Anschero, postquã Carlomannus præfatam villam cum omni integritate Remensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia indeuestituram, sicut prædictum est, per annos XXXVII. habuit. Post obitum domni Caroli, & defuncto ipso Anschero, domnus Ludouicus Imperator donauit ipsam villam Nouilliacum Donato in beneficio. C Qui Donatus, interueniente Bigone, per subreptionem, quasi de fisco Regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem per præceptum domni Ludouici Imperatoris. Et quando Lotharius filius domni Ludouici Imperatoris Casillonem veniens eam expugnauit, Donatus à villa supra Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab Imperatore defecit, & illi motus ad Lotharium confugit, & veniente hostiliter Imperatore Ludouico ad villam quæ Caleiacus dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, & sacramentum ipse & sui ab Imperatore quæsitum illi iurauerunt. Inter quos & Donatus de infidelitate eius comprobatus, ipsi Imperatori quæsitum sacramentum iurauit, & Comitatum Mandunensem, & villam Nouilliacum cum suis appendiciis Imperator ab eo abstulit, & Athoni, qui fuerat ostiarius Caroli Imperatoris in beneficium dedit. Donatus autem in vita Imperatoris Ludouici nec Comitatum recepit, nec de proprietate sua vllam firmitatem promeruit. Post obitum domni Ludouici Imperatoris diuiso regno inter fratres, & pace facta inter eos, & mortuo Atthone, dedit D Car. Calu. Carolus Donato in beneficium Nouilliacum. Processu denique temporis commendauit Donatus filium suum Gozelum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Nouilliacum cum appendiciis suis. Deinde Landrada vxor Donati, sed & filii eorum, pergente Carolo Rege ad obsidendos Normannos, qui in Insula, quæ Oscellus dicitur, residebant, cum aliis defecerunt. Quorum honores & proprietates à Francis auferri, & fiscum redigi iudicatæ sunt. Vnde Landrada, & filii eius eatenus auctoritatem Caroli Regis non obtinuerunt. De quibus rebus anno XX. regni sui Carolus villam fiscalem præcepto suo, quod habemus, Orbacensi Monasterio dedit.

Anno XXXII. regni sui venit D. Carolus Rex gloriosus in basilicam sancti Remigii, vbi ostendi ei locum sepulcri Carlomanni Regis, & præcepta ipsius Carlomanni & Caroli aui de villa Nouilliaco, & auctores sacrorum Canonum, qualiter damnent Spiritus S. iudicio eos, qui eleemosynas defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, qui vt infideles ab Ecclesia abijciendi, & quasi egenum necatores, nec credentes iudicium Dei, E habendi iudicantur. Et reddidit præcepto suæ auctoritatis, quod habemus, Remensi Ecclesiæ ipsam villam cum omnibus, ad se pertinentibus, quam tunc Bernaus post fratrem suum Rotharium in beneficio habebat.

Postea peruenit ad eius notitiam, quod quidam homines de ipsa villa Nouilliaco per subreptionem, tam apud patrem suum, quam & apud eum res & mancipia in proprietatem obtenta tenerent, Landrada scilicet vxor quondam Danati, Cuntharius, Hugo, & VValtrudis, & Elampodus filius eius, Rotbertus, & Boso, misit suos missos ad hoc inquirendum, & inquæstione facta, & veritate, sicut ei dictum fuerat, inuenta, quoniam prædicti ad rationem non venerunt, sic vt banniti fuerunt, iussit vt præcepta Carlomanni & Caroli, sed & suum præceptum coram suis fidelibus in generali placito suo apud Duziacum in causis palatinis legerentur. Vnde fideles eius, tam comites quam Vassi dominici, quorum nomina scripta habemus, sed & cæteri omnes, qui adfuerunt, relectis eisdem præceptis iudicauerunt, vt quicumque de rebus F & mancipiis ipsius villæ Nouilliaci, per cuiuscunque præceptum, vel quocumque modo, post donationem Carlomanni, qua cum omnibus appendiciis suis, vel cum omni integritate, ipsam villam Nouilliacum, sicut tunc in fisco erat, ad Ecclesiam Remensem tradidit, & post confirmationem fratris eius Caroli in proprietatem obtinuit, si commutationem ostendere non posset, qualiter res & mancipia de ipsa casa Dei iuste & rationabiliter commutata fuissent, quia non de fisco Regis, sed de Ecclesiasticis rebus & mancipiis per donationem obtinuit, vt ipsæ res & mancipia, quæ de villa Nouilliaco obtenta fuerunt, ad ipsam casam Dei restituerentur, sicut in præcepto restitutionis ipsius D. Caroli, quod habemus, plenius continetur.

Sed quando D. Carolus Romam perrexit, & D. Ludouicus frater eius ad Attiniacum venit, per quosdam ex nostris apud domnam Richildem Reginam, & apud D. Ludouicum filium D. Caroli Regis obtinuerunt Donati & Landradæ filii, vt villa Nouilliacum cum suis appendiciis G eis consignaretur, non attendentes, quia sicut in Capitulis Augustorum scriptum habetur, tales de Regis proprietate, vt infideles iudicandi sunt, & secundum leges Ecclesiasticas de rebus Ecclesiasticis sacrilegii iudicantur.

Reuersus autem D. Carolus Imperator Remos veniens, cum tale factum audiuit, satis grauiter tulit, & misit suos Missos: qui scilicet dictam villam Remensi Ecclesiæ & aduocato nostro restituerunt, sicut plenius scriptum habemus.

Hic sequebatur epistola hoc titulo: Ioannis VIII. Papæ iussio de ordinando Episcopo in Ecclesia Laudunensi vacante. Quam quia scholiis nostris ad caput vigesimum secundum libro tertio inseruimus, hoc loco prætermittimus.

H

DECRETVM CLERI LAVdunensis de Hedenulfo electo Episcopo.

DOmino Reuerendissimo & Sanctissimo Hincmaro Archiepiscopo, cæterisque nostræ diœceseos sanctis patribus & Episcopis, Clerus Laudunensis cum totius parœciæ plebibus & sibi coniunctis Præsulibus, æternam in Domino Iesu Christo salutem, & pacem. Canonicis regulis & Apostolicis institutionibus statutum esse recolimus, vt quotiens quælibet ciuitas ministerio Pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pastore vacauerit, cum decreto electionis, singulorum petentium manibus roborato, Metropolitanum adire Pontificem debeant, ac de substituendo in loco eius qui decessit pastore petitione supplici commonere: quatenus & ciuitas sollicitudine pastorali destituta proprio recuperetur Pontifice, & qui ordinandus est gratiosius possit accedere. Quia cum de-

A bet ab omnibus obediri, vtique debet & ab omnibus eligi: ne ciuitas non optatum Episcopum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuit habere quem voluit. Hi vero qui ordinaturi sunt, in quem viderint omnium vota propensius concordare, pronius liberiusque illi manus imponere possint.

Quapropter cum decreto nostræ electionis manibus singulorum nostro corroborato ad paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, & in Ecclesia nostra suffraganibus stipendiorum meritis ad onus vsque sacerdotale promotum, vita & moribus ac sancta conuersatione idoneum approbatum, quem per licentiam vestram, fauente Christianissimo Imperatore Carolo, pari consensu ac concordi deuotione, atque vnanima voluntate eligimus, per manus vestras, ac cæterorum vestræ diœceseos sanctorum Episcoporum consecrari, nobisque & Ecclesiæ nostræ doctorem atque Pontificem institui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore pastorem, quem Apostolicæ formæ, qua Episcopum ornatum B. Paulus esse debere B demonstrat, congruere, & sacris non obuiare canonibus, Christi gratia cooperante, confidimus. Oramus sanctam paternitatem vestram nunc & semper in Christo bene valete.

Actum V. Kalend. Aprilis, in basilica sanctæ Mariæ genetricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, Anno incarnationis eiusdem Domini nostri Iesu Christi DCCCLX XVII. regni domni Caroli Imperatoris XXXVII. ac imperii primo, Indictione IX.

APPENDIX HISTORIAE Flodoardi incerti, sed antiqui scriptoris, eiusdem Remensis Ecclesiæ Canonici, qui Flodoardum breuiauerat.

HActenus de Remensibus Archiepiscopis secundum C traditionem Flodoardi, quomodo vnus post alium surrexit, narrationem digessimus. Nunc vero de cæteris, qui post Flodoardi decessum extiterunt, secundum quod à maioribus audiuimus, seu quod in antiquis chartis reperimus, opitulante Deo, prælibato open adnectemus, Præfatus Artoldus, de cuius decessu in libro Flodoardi nihil habetur, Abbatiam sancti Timothei, quæ vsque ad illud tempus Remensium Episcoporum extiterat, sancto Remigio, de cuius cœnobio assumptus fuerat, contulit. Hic autem, cum per triginta annos in multa aduersitate, & aliquando in tranquillitate, Remensem diœcesim gubernasset, vniuersæ carnis viam sine bono ingressus est. Quo defuncto, domnus Odalricus, vir nobilis & honestus, Pontificale onus suscepit: de cuius operibus pauca apud nos monumenta habentur. Liquet tamen, quia ipse Ecclesiæ Remensi villam Vindenissam dedit: Pro cuius largitione beneficii in conuentu Remensi memoria eius annuatim recolitur. Ipso etiam die, pro animæ eius remedio, viginti quatuor pauperibus singuli panes, totidemque vini metretæ, singuli etiam denarii di- D stribuuntur. Prædicta vero villa in terra Comitis Registestensis sita est, quam modo Comes, Guiterus nomine, sub trecensu triginta solidorum tenet. Porro antecessorum suorum tempore, pro commutatione eiusdem villæ, plurima bona Ecclesiæ Remensi collata fuerunt: quod in subsequentibus plenius exponemus. At vero prætatus Antistes Odalricus pro vtilitate commissæ sibi Ecclesiæ fideliter laborauit, maximeque pro restitutione vallis Rodigionis, quam Hugo filius Rogeri Comitis Ecclesiæ Remensi donauerat: sed quidam malefactores de stirpe eius illam peruaserant, & hæreditario iure illam sibi vendicare volebant. Quorum nisui venerabilis Archipræsul Odalricus, vt vir nobilis & potens, viriliter restitit, & prædictam vallam ad ius Ecclesiæ Remensis liberam reuocauit. Quod vt posterorum notitiæ manifestius fiat, prædictæ vallis donationem, & rei gestæ scriptum memoriale huic paginæ assignemus.

VNIVERSIS pene totius Franciæ primatibus liquet, Hugonem nobili prosapia genitum, in primo flore iuuentutis, cum sciret E *sibi superuenisse ab hoc sæculo diem egressionis, licet sua conditionis plurimos inueniri posset heredipetas, Deum toto mentis conamine, eiusque sanctos ex patrimonio fecisse heredes. Qui in primo sua dispositionis exordio beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, Dominæ ac Dominatricis nostræ præsidium inuocans, tradidit ad mensam fratrum, Deo eiusq; intemeratæ Matri in Ecclesia Remensi deuote famulantium, potestatem quamdam vallis Rodigionis à riuulo per medium decurrente vulgo nuncupatam, vt in eadem Ecclesia ipsius bonæ indolis viri haberetur memoria. Vnde & post eius exitum grandis altercatio habita est inter ipsam Ecclesiam & quosdam præfati illustris viri parentum. Quibus vehementer resistente domino ac venerabili Odalrico Antistite, eorum controuersia ad nihilum redacta in nullo potuit proficere. Quapropter non immerito fieri debet censeri, si illeius cuiusquam propaginis petitionibus accommodatur auris.*

Idcirco notum sit omnibus præsentibus scilicet ac futuris sanctæ Remensis Ecclesiæ Canonicis, Monachis, Laicis, vel Nobilibus, quia ipsius venerandi Episcopi neptis, nomine Emma, adiens præsentiam F *prædictorum fratrum, petijt sibi dari eamdem potestatem sub censu decem solidorum denariorum in Assumptione sanctæ Mariæ persoluendorum, duobus etiam filiis Arnulfo & Odalrico, vt quisquis eorum affectu dilectionis illis amicabilius obtemperauerit diebus vitæ suæ, in hæreditate succedere debeat, his ad indominatum prædictorum fratrum retentis, mansionile Sanualdi Curtis nuncupato, cum sylua & dimidio brolio ad ipsum aspiciente: ita duntaxat, vt porci in eodem mansionile degentium, & illi qui sunt porci Canonicorum Remensium, qui sunt tamen familiarium eorum, illuc ducti fuerint, fructus syluæ depascant, hominibus quoque extra potestatem degentibus: de reliquo vero licenter salua potestate faceret velut de proprio. Cuius voluntati cum in nullo rationabiliter refragari posset, quod postulabat obtinuit, factum vero litteris memoriæ tradidit. Actum Remis, anno xiiij. Lothario Rege, Episcopatus domni Odalrici Archiepiscopi sexto. S. Odalrici Archiepiscopi, cuius licentia atq; consensu hoc scriptum factum est, quod & ipse manu propria firmauit, manibusq; nobilium virorum corroborari fecit.*

Præfato Odalrico post septem suscepti regiminis an- G nos ad patres suos apposito, domnus Adelbero Henrici Comitis frater de terra Lothariensium, ad Pontificalem Cathedram, fauore & prouidentia Lotharii Regis, assumptus est. Quisiquidem vir nobilis, honestate morum conspicuus, & Ecclesiasticis disciplinis institutus, religionem Remensis Ecclesiæ timis tepefactam in bonum reparauit statum, & vtilitatibus inibi Deo seruientium instantem operam dedit & impensam. Hic etiam Mosomense Cœnobium à priori dignitate prolapsum in monasticum ordinem reformauit, eiusdemque reformationis tenorem, ne per succedentia tempora immutaretur, huiusmodi auctoritatis suæ priuilegio confirmauit.

Adelbero diuina propitiante clementia sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum fiat vniuersis, cum præsentibus, tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis Episcopio gratia Dei ac benignitate regia contradito, sanctorum quoque loca quadam honore integro reperisse plurimum valentia, quadam vero pristinæ dignitatis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ etiam illa Moso- H *mi cœnobialis locum, antiquitatis studio certatim constructum, ab ex ordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatum, postmodum vero Canonicorum ordine ab Heriueo prædecessore nostro melius informatum, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ digne consecratum, sed nefandis vsibus, vtrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero intercurrentibus malis sinistra cessit fortuna. Quo igitur comperto, manus nostra, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eumdem locum, pro mundi infelicitate, in Canonicali ordine stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem monasticæ religionis vitam, ordinato Abbate Ledaldo, constituit: vt eiusdem loci Religiosi cultores iam rebus delegatis, quam etiam forte delegandis vtentes, continua vota Deo soluentes, sint pro nobis, pro posteris nostris, cæterisque ordinibus iugiter orantes.*

Quocirca paternitatem loco nostri subrogandorum in ista caritate Dei nixius imploramus, quo sub diuini amoris respectu, huius

A *res gesta conducibili negotio consentanea pietatis faueant zelo, idq; liberalis auxilij indeficientis base dignentur curriculis consolari atque fulcire, vt ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, huius præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decreto sanctorum Patrum sub auctoritate Pastorali omnimodis inhibemus imme etiam cum diuini nominis obtestatione omnino interdicimus, ne vnquam huiuscemodi statutum qualibet temeritate ab vllo nostri ordinis violetur: quin potius in reliquum stabile, & inconcussum iure perpetuo idipsum venerabiliter conseruetur. Super laicos in rem hanc iniuria inuehatur, ia eos procul dubio excommunicationis iaculum cum anathemate intorquetur. An. igitur incarnationis Iesu Chr. Domini nostri DCCCCLXXXIII. Prouinciali Synodo mense Maio generaliter congregata apud Montem sanctæ Mariæ, in pago Tardanensi, hoc decretum solemniter recitatum est coram venerandis Episcopis, Abbatibus ceterisque nonnullis fidelibus huius nostræ institutionis pro assensu fauentibus immo etiam collaudantibus, atq; confirmantibus. Quorum videlicet primus ego Adelbero iam præscriptus Archipræsul, eidem Concilio, Deo auctore, Pontificali auctoritate præsidens, manu nostra subscribens idem corroboraui. Sed & ceteri nonsecus*

B *censuerunt manibus impositis solidari.*

Huius etiam Adalberonis tempore de villa Vindenissa inter Manassem Comitem, & Canonicos Remenses conuentio talis facta fuit.

IN nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Notum fiat omnibus tam præsentibus, quam etiam futuris fidelibus, quod Manasses miles potestatem illam, quæ dicitur Vindenissa, à Canonicis Remensis Ecclesiæ, fauente quoque domino Adalberone Archipontifice, totam sibi suæque coniugi Oidela, exceptis etiam Ecclesijs Canonicorum vsibus iure dominij reseruatis, salua rerum commutatione, per precariam efficaciter obtinuerit. Dedit itaque contra idem Manasses competenti modo Canonicorum parti quicquid possidebat in villa Tencanda: hoc est mansos ix. & molendinum, & in Verniaco viij. mansos & dimidium, & in villa Columnnadas duas in Comitatu Remensi. Aliam autem villam nomine

C *Locium, in qua continentur mansi vij. & dimidium, & quarta vna, excepto indominicato manso, & quarta pars Ecclesiæ, pratum, molendinis, & sylua cum mancipijs vtriusque sexus numero lxxi. in Comitatu Castricensi super fluuium Bair. Sed & in villa quæ dicitur Esclem, duas partes de Ecclesia, & quidquid iuris habetur in ea, mansi scilicet v. pratum vnum, cum terris & mancipijs vtriusque sexus in Comitatu Porcensi. ea videlicet ratione alterinsecus stabilita huiusmodi precaria, vt ijdem Canonici pro respectu, & vestitura Tencandam & Verniacum manu sua teneant, cætera vero tam ipse, quam sua coniux prædicta, cum eadem potestate Vindenissa, in sua tantummodo vita libera facultate sibi teneant atque possideant. Vbi vero rebus humanis excesserint, totum illud ex integro prædium, precario dato scilicet rebus, inuiolabili iure sorti Canonicorum iugiter adhærentibus, in manus eorum pro debito legibus ad possidendum redeat. Si quis vero, quod fore non creditur, precariæ isti in posterum vllatenus aduersari tentauerit, illi temeritas stulta prorsus existat inanis & irrita, & sic hæc eadem precaria, maiorum auctoritate constituta legaliter, maneat stabilis & firma: tali videlicet conditione, si ille Manasses omnes res illas e contra redditas iure quieto stabiliter Canonicis solidauerit:*

D *alioquin aut his similia reddat, aut Remensis Ecclesia quod suum est iuste recipiat.*

Actum Remis in sede viii. Idus Nouembris anno xx. regnante domino Lothario Rege Francorum D. Episcopatus autem domini Adalberonis iiij. Dominus Adalbero Archipræsul subscripsit, & firmauit.

Alia quoque conuentio de villa Virtutis inter Heribertum Comitem & Canonicos Remenses tempore præfati Adalberonis stabilita fuit, cuius rei memoria, ne senio temporum obliteraretur, tali scripto roborata fuit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ego Leudo S. Remorum Ecclesiæ Præpositus, omnisque eiusdem loci Canonicorum congregatio. Nolumus latere omnium tam præsentium, quam futurorum industriam, quoniam Heribertus Comes nostræ humilitatis adiens conspectum, petijt dari à nobis sibi nostri iuris cam quæ dicitur villa Virtutis, quam ipse sibi ex persuasione vendicabat: ea videlicet ratione, vt pro vestitu nobis ad præsens ex ea retineremus mansos duos ingenuiles & vestitos, & pro respectu annuatim persoluere libram vnam denariorum Remensis monetæ festiuitate sancti Remigij Kalend. Octobris in diebus tantum vitæ suæ, seclusis vxore sua, & infantibus, cunctisque hæredibus suis. Cuius petitioni fauentes, cum omnium consilio & voto, concessimus illi soli præfatam villam, secundum præscriptam ab eoque determinatam rationem. Quod si de censu negligens extiterit, & emendare renuerit, vsumfructum amittat. Et vt securius in diebus vitæ suæ præfatas res possidere valeat, post discessum vero eius prænominatam villam cum omni integritate nostris vsibus recipere valeamus, sancitum est non solum à nobis, verum etiam ab illo, vt super hoc negotio faceremus cum chirographo mentionis decretum, addentes insuper, vt si qualibet persona post vitæ suæ terminum aliquam nobis inferre conatus fuerit inquietudinem vel iniustitiam, sub maledictionis, & anathematis excommunicatione insolubiliter adstrictus damnetur. fiat, fiat, fiat. S. signum Domini Adalberonis Archiepiscopi confirmantis, & consentientis. E

Cum igitur præmemoratus Adalbero Remensem diœcesim per decem, & nouem annos viriliter gubernasset, & honestæ conuersationis eius bona opinio circumquaque diffunderetur, ad vltimum confectus senio fine bono diem vltimum clausit, corpusque eius in Ecclesia maiori, sub altari, quod in honore sanctæ Crucis consecratum est, sepulturæ traditum fuit: cuius Epitaphium in tabula ærea litteris aureis descriptum, tale adhuc permanet. F

Contulerat natura parens, quæ summa putauit.
Ad meritis cumulum tibi, Præsul Adalbero, cum te.
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi.
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nec prætereundum reor, quod omni anno dies defunctionis eius venerabiliter recolitur, & eleemosyna panis, & vini copiosa pauperibus distribuitur, quæ etiam eleemosyna mandatum Adalberonis nuncupatur. Sciendum quoque est, quomodo istius eleemosynæ sumptus præparetur: videlicet de domo, quæ vocatur Hospitale pauperum, annonæ sextarij iv. de camera frumenti iv. de horreo indominicato annonæ modius vnus, & vinum quod sufficiat. G

Plura non erant in Codice Igniacensi, vnde hæc excerpta sunt.

F I N I S.

SANCTI ODILONIS ABBATIS CLVNIACENSIS OPVSCVLA EX MM. SS. CODICIBVS NVNC primum edita. H

Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Tom. 2.

SAnctus Odilo, qui fertur fuisse diei commemorationis omnium fidelium defunctorum primus institutor, Cluniacensium Abbas, scripsit plures Sermones, qui extant MS. Cluniaci, videlicet.

De Natiuitate Domini Ser. 1. *Dominicæ Natiuitatis sacratissimum diem.*

De Epiphania Domini Ser. 1. *O fraterna charitas.*

De Purificatione B. Mariæ Ser. 1. *Omnipotentis Dei patris omnipotens sermo.*

De incarnatione Dominica, Sermo 1. *Dominicæ incarnationis.*

A De Resurrectione Domini, Sermo III. Quorum primus incipit, *Certissima fiducia est Christianorum.* Secundus, *Quamuis fratres charissimi.* Tertius, *Hodie dilectissimi fratres.*

De Ascensione Domini, Sermo I. *Postquam Dominus Saluator noster.*

De Pentecoste, Sermo I. *Indicibilis, & immensa praesentis diei Maiestas.*

De Natiuitate S. Ioan. Bap. Ser. I. *In exordio vigiliarum Apostolica solemnitatibus.*

De Assumptione B. Mariae, Sermo I. *Congruum satis, & conueniens videtur.*

De S. Cruce, Sermo I. *Post illum singularem.* Vixit saeculo X. & XI.

SANCTI ODILONIS
ABBATIS CLVNIACENSIS
CREDVLITAS.

B AEternam illam, & incircumscriptam summae Diuinitatis vnitatem, sicut sancti Angeli & Archangeli, omnesque Sancti adorant in caelis, adoro, laudo, glorifico, & benedico, credo & confiteor Patrem & Filium, & Spiritum sanctum trinum in personis, vnum in Deitate & substantia, atque sicut sancti Patriarchae, & Prophetae praedixerunt, Angelus Gabriel de caelis ad Virginem missus enarrauit: S. Apostoli denuntiauerunt, Euangelistae euangelizauerunt: Martyres praedicauerunt, Confessores docuerunt, & sanctae Virgines confessae sunt, credo & confiteor illud Verbum, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat; pro mea & totius mundi liberatione & redemptione, ex sacratissima & intemerata Virgine Maria, in veritate nostri corporis, sine humana concupiscentia temporaliter procreatum, & natum, secundum legem Moysi octaua die cum impositione nominis Iesu circumcisum, quadragesimo die in Templo à matre cum hostiis, & muneribus praesentatum, Magis manifestatum, à Ioanne
C baptizatum, in desertis à Diabolo tentatum, nec superatum. Post multa & innumerabilia miraculorum, sanitatum concessa beneficia, & praedicatione Euangelii, statuto, & praeordinato tempore à discipulo proprio traditum, à Iudaeis comprehensum, ligatum, flagellatum, colaphizatum, sputis illitum, spinis coronatum, aceto potatum, crucifixum, mortuum & sepultum, tertia die deuicto Diabolo, & spoliato inferno, à mortuis propria virtute resuscitatum, per quadraginta dies Apostolis in carne, qua crucifixus est, manifestatum, quadragesimo die videntibus eisdem Apostolis, & multis aliis fidelibus, super caelos exaltatum, inde venturum ad iudicandum viuos, & mortuos, & seculum per ignem. Credo etiam Spiritum sanctum, super eundem Dominum nostrum in columbae specie, & super sanctos Apostolos in linguis igneis descendisse, eisque omnium linguarum scientiam distribuisse, & inuictam contra omnium persecutionem inimicorum constantiam dedisse. Credo Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, confiteor vnum Baptisma in remissionem pec-
D catorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen.

In Crucem adorandam.

ORATIO.

IN cuius nomen omne genu flectitur, caelestium, terrestrium, & infernorum, ei nunc mea curuo genua, siue confiteor culpam, patri luminum, possessori omnium spirituum, imperanti tam terrenis, quam caelestibus: tibique inimice humani generis interdico, qui circuis quaerens quem deuores, auerte à me machinas tuas, & occultas insidias: quia mecum est crux Domini, quam semper adoro. Crux mihi refugium, crux mihi via & virtus, crux inexpugnabile signum, crux inuincibile genus armorum. Crux repellit omne malum. Crux effugat tenebras. Per hanc Crucem diuinum aggrediar iter. Crux mihi vita est: mors inimice tibi. Crux Domini nostri sit sublimitas mea, sanguis eius maneat in me redemptio vera. Resurre-

E ctione iustorum firma fides, & spes certa, & illius ad caelos gloriosa Ascensio, sit mihi ad caeleste desiderium quotidiana prouectio, & S. Spiritus in cordibus nostris infusio, sit omnium praeteritorum nostrorum remissio, Amen.

SANCTI ODILONIS
ABBATIS CLVNIACENSIS
SERMONES.

DE NATIVITATE DOMINI Saluatoris.

SERMO I.

DOminicae Natiuitatis sacratissimum diem celebrantes, oportet nos, dilectissimi fratres, ad illam diuinam aeternitatem, &, vt ita dicam, ex Deo Patre immutabilem, & ineffabilem aciem mentis dirigere: in cuius temporali ortu, ea quae in caelis sunt, & quae in terris necessa-
F rio ac singulariter spirituali iubilatione constant exultare. Non immerito ea quae in caelis, & quae in terris sunt, in aduentu Conditoris sui exultare diximus: quia duas ad intelligendum, & laudandum se creaturas, Angelicam videlicet & humanam, in primordio Deum fecisse cognoscimus. Eae verò creaturae Auctori comparatae, licet nihil sint, multo tamen praestantius, & foelicius caeteris creaturis subsistunt, quia vt Creatorem suum laudarent, & cognoscerent, ab ipso specialiter meruerunt. Caetera verò mundi machina, non per se, sed per nos Deum laudat: dum ipsam considerantes, vel eius pulchritudinem, vel artificis miramur sapientiam. Et dum cuncta, quae creata sunt cernimus, in creatoris admirationem sublevamur. Nos verò qui ad cognoscendum, & conlaudandum Deum, ipsius dono gratiae, Angelis socii effecti sumus, nato Domino Christo, & cum Angelis, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis,* cantemus, & cum Pro-
G pheta dicamus. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Ad contemplandum quippe Creatorem suum homo conditus fuerat: vt eius semper speciem quaerendo cerneret, & cernendo quaereret, atque in solemnitate illius amoris, sine defectu permaneret. Postquam enim humanae naturae conditio, suadente apostata Angelo, in primo parente lucem inuisibilium perdidit, & totam se in amorem visibilium fudit, tanto est ab interna speculatione caecata, quanto foris deformiter sparsa: & quae futura erant, si seruare voluisset praeceptum conditoris, carne spiritalis, deserendo auctorem, facta est mente carnalis, Vnde fit, vt nulla nouerit, nisi ea quae corporis oculis, vt ita dixerim, palpando cognoscit, & ea sola cogitet, quae ad animum per imagines corporum trahit. In quibus dum totam se, dilatata mens, prospicit: ab internae intelligentiae subtilitate grossescit. Et quia iam erigere ad summa se non valet, caelesti pulchritudine perdita, in his deformiter libenter iacet. Sed Deus omnipotens, qui hominem ad imaginem suam condidit, noluit illum in sua deformitate
H aeternaliter perire, misit filium suum, qui etiam appareret inter homines speciosus forma prae filiis hominum, vt hominem quem potestate suae diuinitatis mirabiliter reformaret, & de informi forma, formosam in formam transformaret. Suscepit Dominus formam serui, vt reconciliaret nos Deo patri. In nostra carne visibilis voluit apparere, vt ad amorem inuisibilium ipso duce possemus redire. O magnae pietatis indicium! ô ineffabile diuinae misericordiae sacramentum! Omnipotens Deus hominem decreuit redimere, & redimendo homini etiam se corporaliter ostendit, & ipse, vt ita dixerim, fugientis vestigia subsequens, ad redimendum quem amiserat hominem, locus venit. Si n. appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans nequaquam Psalmista dixisset. *Filii seruorum tuorum habitabunt ibi.* Ibi n. non dicimus, nisi cum specialiter locum designamus. Conditor etenim noster, cum sit omnium rerum locus, sed illocalis, veniens in mundum non habuit proprium locum in terris, sicut ipse dixit. *Filius autem homi-*

nunc non habet vbi caput reclinet. Et secundum Lucam Euangelistam, *Positus est in præsepio*, quia non erat integerrimæ
A Genitrici eius *locus in diuersorio.* Quis vidit vnquam tale? Quis audiuit huic simile? Tanta commerat in assumpta humanitate homilitas, quanta in diuina maiestate sublimitas. Quam sublimis in suis, quam humilis in nostris, in præsepio iacebat, in cœlo residebat. Iacens in sinu matris, sedens in dextra patris. Cum esset Dei Patris ante tempora vnicus: factus est Virginis in tempore filius. Non amittens quod erat: factus est quod non erat. Factus est particeps mortalitatis nostræ, vt nos vitæ suæ participes faceret. Hodie impletum est vaticinium illud Esaiæ prophetæ dicentis. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Item ipse apertius. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Item idem ipse Propheta. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis.* Nimis dulce quod natus est: nimiũ salubre quod datus est. Cum audis Christum tibi natum, gaude. Cum audis etiam tibi datum, multo magis lætare. Sed inter patrem & natum, & inter datorem & datum, secundum diuinam naturam non contingat tibi vllam tibi credere differentiam. Vnius enim substantiæ sunt se-
B cundum Deitatis essentiam pater & natus, dator & datus. Tantus est ille qui datus est, quantus & ille à quo datus est. Et qualis est ille qui genitus est, talis & ille à quo genitus est. Non præcessit tempore genitor: non est genitore genitus inferior. Eiusdemque naturæ, potentiæ & maiestatis creditur, & prædicatur Spiritus sanctus, quo superueniente suscepit verbum Dei sanctissimæ & semper virginis vterus, cuius singularem partum vniuersus hodie recolit mundus. Tantæ enim rei tamque diuinissimi mysterij & ineffabilis Sacramenti gratia, non solum in terris exultant iusti: sed etiam summæ Diuinitatis in excelsis tripudiant ministri. Nos ergo licet propriis excessibus grauati, præoccupemus faciem in confessione Domini: & in psalmis iubilemus ei. Adsistamus ei humili deuotione, vt ipse nobis adsit pia miseratione, vt fidenter dicam*. Adest vtique nobis, qui, vt dictum est, natus & datus est nobis. Aderit procul dubio nobis Dominus, idemque
C totus vbique secundum diuinam naturam, omnibus habetur in locis. Qui enim secundum incircumscriptam substantiam semper habet esse, non potest nobis famulantibus non adesse, sicut ipse discipulis suis dixit. Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Si omnibus diebus fidelibus suis se promisit adfuturum, quanto magis die sui natalis nobis erit præsentior, si nostri famulaminis seruitus ei fuerit promptior? Qui per Salomonem loquitur. *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Et iterum. *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio, ante secula ordinata sum.* Et qui per Esaiam dicit. *Cælum & terram ego impleo*, mirabili suæ dispositionis mysterio, natus hodie, ponitur in præsepio. Quem Salomon ostendit ante secula æternaliter exiuisse, Esaias affirmat nullo loco deesse. Ille qui semper est & vbique, non potest nobis deesse. Audenter dixi, non potest, potenter hoc non potest. Talis impotentia, est omnipotentia. Ista impossibilitas, est summa possibilitas. Quam sunt vera &
D fidelia antiquorum vatum testimonia de æternitate Christi, eiusque diuina, & incircumscripta præsentia: ductilis illa cœlestis magni voce concrepat tuba. *Iesus Christus*, inquit, *heri & hodie, ipse & in secula.* Et in alio loco Dauidico vius testimonio. *Tu autem*, inquit, *idem ipse es, & anni tui nõ deficient.* Et ipse Saluator in Euangelio ad Iudæos. *Antequã Abraham fieret ego sum.* Sed quia ante Abraham, & vt verius dicam, ante omnem creaturam semper cum Deo patre esse æternaliter habuit, de semine tamen Abrahæ nasci temporaliter voluit. Abrahæ namq; à Deo patre dictum est. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Huiuscemodi etiam promissionis insigne priuilegium B. Dauid Patriarcha promeruit, cui Deus pater incerta & occulta sapientiæ suæ manifestando, dixit. *De fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Hoc ipsum Hieremias Propheta asserit, vbi dicit: *Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germẽ iustum.* Huius n. nobilissimi germinis magnificentiá & dulcissimi fructus sublimitatẽ, & excellentiam, Esaias Propheta considerans, Sp. S. præuentus prænuntiabat, dicens: *In die illa erit germẽ domini Domini in magnificentia &* E
fructus terræ sublimis. Hi vero duo qui præ cæteris patribus, de aduentu Saluatoris promissionum apertissime acceperunt, in descriptione Dominicæ generationis, secundum Euangelistam Matth. primũ & principalem locum digne promeruerunt, cuius exordium tale. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* His sacris Euangelistæ verbis, conueniunt & Prophetarũ oracula, & Apostolica verba. Quod mediator Dei & hominum ex semine Abrahæ secundũ carnem natus sit, Esaias propheta manifestissime cõmendare studuit, ex persona Dei Patris dicẽs. *Et tu Israel serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te.* Et egregius prædicator in Epist. ad Heb. ita scribit dicens. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et quod de semine Dauid natus sit, ipse doctor egregius, ad Rom. scribens, ita exorsus est, inquiens. *Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo: qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Et ad Timotheum scribens ait. *Memor esto Dominum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meũ.* F
Quisquis ignorantiæ tenebris liberatus, & fidei lumine illustratus, in Euangelio filium Dei, filium Dauid appellauit: non solum spirituale, sed etiam corporale lumen recipere meruit. Vult se Dominus Christus tali nomine vocari, quia scit non esse aliud nomẽ, in quo possimus saluari. Nos ergo, dilectissimi fratres, vt ab ipso qui est saluator mereamur saluari, dicamus omnes, dicamus singuli. Domine fili Dauid, miserere nostri, Amen.

DE EPIPHANIA DOMINI.

SERMO II.

O Fraterna charitas, & Deo grata societas, scire nos oportet, quia præsentis diei festiuitas, quæ de affectu magorũ deuotionem iam declarabat gentiliũ, aliis est etiã decorata mysteriis, ac multiplicib. insignita priuilegiis: & ideo per totũ orbem merito prædicatur celebris. Hodie namq; ministerium virginei partus, & gaudium Domini-
ci natalis declaratur aperte, signo noui & perspicui sideris. Claritas enim Dei, quæ, sicut Euangelium loquitur, nato Christo pastores circumfulsit, de remotis terræ partibus ad præsepium illud hodie Magos adduxit, in quo virgo puerpera Deum infantẽ posuit. Deus est, qui tunc in homine nascebatur, homo est, qui à Deo assumpt*, hodie à Magis adoratur. Miraris fortitan dixisse me Deum in homine natum, vel hominẽ à Deo assumptum. Audi Apostolum dicentem, vas electionis Deo plenum. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* De hoc B. August. ita sentit, & in suis literis scriptũ reliquit. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Deus occultus ex Deo patre. homo manifestus ex homine virgine. Quem cognouerunt pastores, Angelo docente, adorauerunt Magi, stella noua ducente. Quod pastores Angelos vident, Bethleem adeunt, infantem, vt eis dictum fuerat, in præsepio positũ, & pannibus inuolutum inueniunt: ammonet vt illi qui Pastores sunt spiritualium ouium, per cœlestis vitæ contemplatio-
nem, semper Deo adhæreant, & de Pane illo qui in Bethleem natus est, edant, & subditis ipsum panem vitæ ministrent. Quod Magi nouum sydus cernentes ab Oriente H
veniunt, Regem natum quærunt, quærendo cum Maria matre eius inueniunt, & apertis thesauris suis munera offerunt: ammonet vt fideles omnes per sanctæ conuersationis exhibitionem, & actiuæ vitæ sanctam operationem, semper Deo placere studeant.

Succedũt, dilectiss. fratres, spiritualib. gaudiis spiritualia gaudia, sacris iungũtur solemniis sacra solemnia. Inde cumulantur fidelib. (si bene considerent) virtutes & præmia. Doctiss. ille Greg. qui apud Græcos vocatur Theologus, sermonẽ faciens de hac solemnitate, ita inchoauit dicens: Iesus meus, & iterũ mysteriũ. Non ante multũ temporis spatiũ celebrauim* diẽ, in quo die homo fact* exiuit de virginali vtero, *Tanquã sponsus procedẽs de thalamo suo.* hodie illũ celebram* diẽ, in quo semetipsũ manifestauit mundo

In

In illo die cantibus Angelorum est declamatus, in isto die
A Magorum muneribus est honoratus. Sicut in illo die ab Angelis, hominibus bonæ voluntatis, teste Euangelio, est pax annunciata: ita hodie Dauidico asserente oraculo, *Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia.* Si vero rectis corde & iustis, pastoribus videlicet & Magis, Zachariæ & Elizabeth, Symeoni & Annæ, & multis aliis mundi salutem deuotè præstolantibus, adueniente Christo exorta est lux & lætitia; iniustis & iniquis, Herodi scilicet, Scribis & Pharisæis ipsius crudelitati consentientibus, aduenit ingens mœror atque tristitia. Quale fuit gaudium, dilectissimi Fratres, de aduentu Christi iustis, & exultatio, si vultis ad plenum scire, beati Lucæ Euangelistæ fidelissima & sincera præmonstrabit descriptio. Qualis è diuerso accidit iniustis, & iniquis ira & indignatio, hodierna sancti Euangelii facta manifestat lectio. Quam timida fuit de Rege nato, Herodis iniqui & anhela suspicio, testatur ad Magos ipsius nefandi subdola, & formidolosa locutio. Dicebat eis, *Ite, & interrogate diligenter de puero*, &c. Promittit se Christum subdolus adorare, quem occultè
B moliebatur occidere, quærebat impius interficere, per quem omnis iustus desiderat viuere, & sine quo nemo potest subsistere. Multos interimendo perdidit, sed vnum quem quærebat, inuenire non potuit, non intelligens milet, contra se dictum. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et beatus Papa Gregorius adeo concionator festiuus, in Homilia præsentis diei, ad exprobrandam calliditatem Herodis, suorumque similium, ita affatus est dicens. Qui Deum fictè quærunt, inuenire minime possunt. Quomodo ille illusus, Angelo monente, per aliam viam declarat Magorũ redditus. Qualiter post illusionem iratus, paruulorum ac matrum manifestat luctus & gemitus. Quam tumide se extulit contra Dominum, declarat mors preciosa Sanctorum. Quantum sibi malus, quantum suis pessimus, sui suorumque (vt Patrum dicta referam) infœlicissimus demonstrat exitus. Testium Christi lætitiam, & piorum innocentum exultationem & gaudium, Herodis etiam
C iniquorumque omnium pœnas, & interitum Esaias propheta præuidens, breui sententia comprehendit, dicens: Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam defecit qui præualebat. Confusus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem. Quam fœlix vates qui prophetica authoritate impios damnat, & diuina promissione pios remunerat, & vt ita dicam, vtramque partem hominum bonorum & malorum condigno charactere notat. O Propheta mirabilis! qui vt beatus Hieroymus dicit, non tam propheta dicendus est, quam Euangelista, qui etiam omnia nostræ salutis mysteria ad liquidum pandit, alia adhuc futura vaticinando pronuntiat, alia quasi iam peracto Euangelizando prædicat. Virginem parituram promittit, virgam de radice Iesse processuram introducit, paruulum nobis natum asserit, & filium nobis datum ostendit, & quod ipse sit Deus talia ei nomina inferendo perdocuit. Et vocabitur, inquit, nomen eius ammirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri secu-
D li, Princeps pacis. Quod super solium Dauid sedeat, & regnum ipsius in iudicio & iustitia, modo in æternum confirmet & corroboret, aperta voce declarat. Hierusalem hortatur, vt surgat, lumen suum iam sibi venisse denuntiat; iubet vt oculos leuet, & videat, omnes in fide congregatos sibi iam venisse congaudeat: processuras gentes in lumine suo, & Reges in splendore ortus sui clara voce pronuntiat, quod hodie totus mundus impletum concelebrat. Dauid nempe Rex, ex quo (vt Cyprianus victoriosissimus dicit) secundum carnem Christi natiuitas oritur, & qui tantam gratiam meruit, sicut B. Ambrosius scribit, vt ex eius familia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet: in psalmo qui recitatus est, sacratissimos Epiphaniarum dies deuote celebrantib. fauet, & quid vnicuiq; festiuitati prospiciat, plenissime intonat. Dominicæ incarnationis mysteria enarrare cupiẽs, ita exorsus est inquiens. *Descendet sicut pluuia in vellus*, & cet. Præuidens quoq; tempore natiuitatis cum iustitia pacem mundo venturam dicit. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Sciebat enim quia per assumptam humani-
E tatem, decreuit Deus totum sibi subdere mundum. Et dominabitur à mari vsq; ad mare, &c. Et quia non solum Iudæi, sed etiam Gentiles ad fidem vocandi erant, & nigredine peccatorum tecti, ad lucem veritatis conuertendi: subdidit, dicens: Coram illo procident Æthiopes. Sacramentum præsentis diei considerans, voce clara pronuntiat dicens. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent* &c. Adhuc etiam magnitudinem potestatis eius admirans, ait; *Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei.*

In huius enim paupereculæ nostræ declamationis exordio, præfati sumus huius diei festum multis diuinorum mysteriorum priuilegiis consecratum, & vt verum esse sciat vestra fraternitas, multifariè Catholicæ fidei commendat authoritas. Hodie Christus mundo manifestus apparuit, hodie baptismatis sacramentum suscepit, & suscipiendo sua præsentia consecrauit. Hodie vt fides credentium credit, aquas ad nuptias in vinum conuertit. Fit spiritualiter vinum ex aqua, quoniam cessante legis litera,
F fulget per Christum Euangelii gratia. Baptisatur Christus renouatur mundus. Christus baptisatur, vetus homo exuitur, nouus homo induitur. Expellitur ille primus homo de terra terrenus: secundus induitur de cœlo cœlestis. Quando Christus baptisatus est, mysterium sacri baptismatis consecratum est, præsentia totius Trinitatis, vox patris intonuit. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit:* in specie columbæ Spiritus S. apparuit, & sicut solus filius à B. Ioanne baptisari voluit. De hac vero sententia B. Hilarius tam pulchrè scribit, quam sane sentit. Et licet tota Trinitas incarnationem Verbi, & mysterium Baptismi operata sit, tamen solus natus est de virgine, & omnes assumptæ mortalitatis passiones, sine peccato transcucurrit, & secundum diuinitatis naturam semper impassibilis mãsit. Sed vt ad priora redeamus. Est hic dies, vt sæpe diximus, satis per se festiuus, sed ideo nimis perspicuus, quoniam natali Dominico dignoscitur esse contiguus. Cum Deus in puero adoratur, virginei partus honor excolitur. Cum homini Deo munera deferuntur, diuini puerperii
G dignitas adoratur. Dum Maria cum puero inuenitur, vera Christi humanitas, & Dei genitricis prædicatur integritas. Sic enim dicit Euangelista. *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham.* Ea quæ Magi offerunt munera, secreta de Christo produnt Sacramenta. Dantes aurum, Regem prædicant, Thus offerentes, Deum adorant, Myrrham ostendentes, mortalem agnoscunt. Nos ergo ita credam⁹ Christum assumpsisse mortalitatem nostram, vt per eius simplam mortem, duplam nostram cognoscamus abolitam. Quomodo Christus mortalis apparuit, & mortis debitum soluit, habes scriptum in Esaia. *Sicut ouis ad occisionem ductus est.* Et sub persona Hieremiæ de ipso à Iudæis dictum legimus. *Morte turpissima condemnemus eum.* De morte turpissima, id est de morte crucis, Apostolus. *Factus*
H *obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Et in alio loco. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Et, *Quod mortuum est peccato, mortuum est semel.* Et, *Quia mortuus est propter delicta nostra.* Et B. Petrus de passione eius dicit. *Christus passus est pro nobis, qui cum pateretur non comminabatur.* Quomodo Christum Regem esse credamus, diuina authoritate approbamus. Ipse enim de se scribit in psalmo. *Ego autem Rex constitutus sum ab eo*, id est à Deo patre, & Dauid Patriarcha. *Deus iudicium tuum Regi da.* Et quod sit Rex Regum, ipse dicit per Sapientiam. *Per me Reges regnant, & Principes legum iura decernunt.* Et quod verè sit Christus Deus & Dominus, testatur per ipsum conditus totus vndiq; mundus. Ipse enim dicit in Euangelio. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et Apostolus asserit ei à Deo Patre datum *nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur Cælestium, Terrestrium, & Infernorum.* Et in alio loco Apostolus. *Quoniam per ipsum, & in ipso creata sunt omnia. & ipse ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et B. Euangelista. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si omnia per ipsum facta esse, & in ipso constare nos-

A cuntur consequens est, vt aduentum omnia cognouisse credantur. Quid de rationabili creatura, Angelica videlicet & humana dicam? Quæ quantum Creatori suo per cognitionem est vicinior, tantum de aduentu eius extitit lætior. Et non solum illa quæ rationabilis est, Deum in carne venisse cognouit, sed etiam irrationabilis, quibusdam numinibus auctorem suum ipsum esse declarauit, & ei seruitutis obsequium quodammodo præbuit. Et vt pauca de multis dicam, vt maiorum tradit auctoritas, eo nascente cœlum nouum sydus produxit. Pedibus eius mare se calcabile præbuit, ventus eo iubente conticuit, eo moriente terra contremuit. Sol radios lucis suæ retraxit, saxa & monumenta patuerunt, mortui surrexerunt, multi qui tenebantur captiui, ab inferis liberi exierunt. De his Ioannes satis conuenienter Chrysostomus. Omne quod est necessariè famulatur ei, à quo vt esset accepit originem. Idcirco, fratres, de diuinitate Christi tanta diximus, & adhuc dicere volumus, vt dum illum in præsepio positum, pannis inuolutum, humilè hominem inter omnia cernimus, Deum verum & Dominum super omnia esse non dubitemus. Il-
B lud vero singulare nomen Deitatis quod est Deus, multoties in diuinis litteris ad patrem refertur, aliquoties ad filium. Quoties ad patrem refertur, nullo modo mens humana potest colligere, & quod aliquando ad filium referatur, multis testimoniis edocemur. Vnde est illud. *Deus iudex iustus*. Cum dicimus, *Deus iudex iustus*, de filio dictum non dubitamus. Ipse enim dixit. *Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio.* Et in alio loco Psalmista, postquam dixit, *Domine*, addidit, *Deus salutis meæ.* Iesus Saluator, siue salutaris interpretatur. Item scriptura clamat: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Quàm frequenter Christus Iesus, Dominus vocetur, omnis pagina diuina testatur *Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi*, & Psalmista. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Illuminatio nostra est, quia sicut Euangelista dixit. *Ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et sicut B. Petrus Apostolus ait. *Ipse eduxit nos de tenebris in admirabile lumen suum.* Salus nostra est Christus, sicut idem ipse pastor Ec-
C clesiæ dicit, Isaiæ vsus testimonio. *Cum timore fanati sumus* Et B. Petrus. *Domine ad quem ibimus?* Et ipse in alio loco. *Domine bonum est hic esse.* Et Thomas post resurrectionem ei, *Dominus meus & Deus meus.* Sicut sæpissime Christus Iesus Dominus simul & Deus vocitatur, ita aliquando Rex & Deus, aliquando vero Dominus & Rex appellatur. Rex & Deus, in quinto Psalmo, *Rex meus, & Deus meus.* Dominus & Rex, sicut in 32. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

His ergò & aliis fratres dilectissimi, scripturæ diuinæ testimoniis eruditi: si credimus Dominum nostrum Iesum Christum, mediatorem Dei & hominum, Deique & hominis filium in nostra fuisse carne mortalem, & prædicamus illum Regem Regum, & adoramus illum Deum Deorum & Dominum Dominorum, rectè credendo, & bene operando, vitiorum errores declinando, per iustitiæ vias incedendo, carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis mortificando, visibilia contemnendo, inuisibilia concu-
D piscendo, cum illis tribus Magis tres supradictas species munerum, quotidie spiritualiter ad eius portamus præsepium. Cui sit gloria & potestas, honor & imperium, cum Patre & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

DE PVRIFICATIONE S. DEI genitricis Mariæ.

SERMO III.

OMnipotentis Dei Patris omnipotens Sermo, à regalibus sedibus veniens, hominibus homo factus, apparens, indutus amictu corporeo, Mosaicæ legis voluit adimplere decretum, vt anoquæ præuaricationis deleret Chirographum. Sicut enim octaua die sui ortus Dominus noster legaliter voluit à parentibus circumcidi, ita quaterdeno numero dierum deducto, cum legalibus hostiis à matre Virgine voluit in templo præsentari. Cir-
E cumcisio tunc temporis [illegible] ssos purgabat, & legalis oblatio pueris, & matribus purificatione indigentibus, & radice Adæ pollutis purificationem præstabat. Sed nihil horum noster paruulus, nec eius sanctissima & mundissima genitrix indigebat. Verè non indegebat Dei filius legali circumcisione, qui non erat carnali admixtione concretus, sed aduentu Spiritus sancti, & altissimi virtute, Angelo nunciante, in vtero virginali conceptus. Ipse enim est lapis, quem Daniel vidit præcisum de monte sine manibus, Christus videlicet natus, de Iudæorum gente, nullo humano opere interueniente. Non indigebat etiam Dei genitrix purificatione carnali, quæ concepit non operatione virili: sed virtute Altissimi, & illustratione Spiritus sancti. Sed ideo voluit se, suamque genitricem decretis legalibus subdere, ne videretur esse legis contemptor, qui erat vtriusque Testamenti largitor, & conditor. Vigebat enim legis iussio, vt paruulus octaua die circumcideretur, & quadragesimo die, vt dictum est, in templo præsentaretur: & parentes eius pro eo par turturum, aut duos pullos colum-
F barum offerrent, si agnum inuenire non possent. In vtroque vero animali, præfulgebat gratia salutaris mysterij. Turtur (vt illi volunt qui de naturis animalium disputant) castissimum est animal; columba mansuetissimum & patientissimum. Bene pro Christo turtur, siue columba offertur, quia ipse est patientiæ, & mansuetudinis auctor, ipse virginitatis custos, & castitatis amator. Ipse ad nos veniens, ex Virgine verum corpus assumens, virginitatem in matre consecrauit, pro nobis moriens patientiæ nobis exemplum reliquit.

Sistitur hodie, sicut Lucas refert, præsentia carnis puer Iesus Domino, qui nunquam per præsentiam diuini[illegible] à paterno solio discessit. Diues in suo, pauper in nostro, recolitur hodie præsentatus in templo, quod olim sibi præparauerat Dauidis prudentia, & Salomonis industria [illegible] ab illis domum sibi condere decreuit, de quorum stirpe matrem eligere voluit. Conuenienter di[illegible]o-
G rum, sapientissimorum, & fortissimorum omnium Regum propagine generatur Dei genitrix, & semper virgo Maria, quia illum erat paritura, qui est Dei virtus, sicut Apostolus Paulus intonat, & Dei sapientia, & vt ipse Paulus testatur. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Erat enim eadem nostra puerpera, pauper terrena possessione, sed plena cœlesti benedictione. Et progenita stemmate regali, sed pauper adeo stipendio temporali. Pauper rebus, referta diuinis muneribus. In tantum pauper, vt agnum qui pro peccato offerebatur, non haberet: in tantum diues, vt agnum peccata mundi tollentem, salua virginitate generare posset. Vna eademque res fuit; & quod de paupertate matre, & quod de desponsata Virgine, Christus nasci voluit. Vt vi[illegible]licet Virginis partu diuinitas quæ erat in homine, vsque ad tempus præfinitum à Deo, diabolo & mundi principibus celaretur. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quod per necessari[illegible] [illegible]hri-
H stus non crucifigeretur, homo non liberaretur. [illegible] Dei filius paulominus minoratus ab Ang[illegible] [illegible] etiam egenus factus est, vt nos sua paupertate [illegible]. O beata paupertas, quæ nos di[illegible] reddidit! o fœ[illegible]ia, quæ nos locupletes effecit! [illegible] & qu[illegible] est ist[illegible]pertas, quæ ab Angelis nunci[illegible] past[illegible] venera[illegible], à Magis officiosissimè salutatur & [illegible] atur & [illegible] omno genu flectitur: Quales & quant[illegible] diuitias in i[illegible] ucto, grandæuus ille Symeon suscepit & amoratus, in [illegible] ris agnouit, quem postquam vi[illegible] meruit [illegible] ipsum concupiuit videre, n[illegible] in hac vita [illegible] tit viuere? Nisi cognosceret [illegible] senex ille Symeon in Christo, & per Christum posse [illegible] qui [illegible] æternam [illegible]: non tam libenter eo cognito a[illegible] tem. *Responsum acceperat*, vt Lu[illegible] ang[illegible] *à S. sancto non visurum se mortem, nisi videret* [illegible] *ipsum Dominum.* Postquam hic Christum Domini [illegible] Sancti Symeonis [illegible] senex vidit, & [illegible] se cognouit, benedixit Deum [illegible] *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Nos

A Nos ergo dilectissimi fratres, huius sanctissimi senis Symeonis exemplum sequentes, Dominum Christum in mũdum venisse credamus, vlnas sincerissimæ dilectionis aduentus eius memoriam fideliter amplectentes, et vt pote membra capiti coniungamur: ita vt non ab eo separemur, vsque dum eum in templo gloriæ suæ videre mereamur. Vitam quoque istam fallacem & caducam fugientes, ad illam, quæ vera & permanens est, toto mentis desiderio tendamus. Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui est, vt ipse dicit, via, veritas & vita; via, videlicet recte gradientium; veritas, veritatem amantium; vita, bene viuentium. Qui viuit & regnat cum Patre, & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

De Incarnatione Dominica.

SERMO IV.

B Dominicæ Incarnationis, & nostræ reparationis, quod fides fidelium hodierna die recolit, Sacramentum, licet granditate sui, & excellentia humanum & Angelicum excedat intellectum, tamen quicquid de eodem potuit, vel debuit comprehendere, & scire electorum deuotio, totum per antiquos patres veteris videlicet Testamenti Patriarchas, & vates disposuit nunciare, & per Apostolus & Euangelistas, idoneos nouæ legis ministros digna est enarrare diuinæ dignationis Maiestas. Quanta enim, & qualia præfulserunt in serie veteris Instrumenti testimonia, huic sacro mysterio adeo fauentia, & apertissime congruentia, non potest ad plenum colligere nostræ paruitatis ignorantia. Quicquid vero Euangelia, Apostolorum Epistolæ & Actus loquuntur, totum ad homines Christum per Virginem venisse fatetur. Ex dictis igitur maiorum, Catholicorum Doctorum cognoscimus, vtriusque testamenti Patres, licet essent locis & temporibus diuisi, vnanimiter tamen sensisse de gloria
C aduentus Dominici. Et vt hoc sine dubio cognoscamus, beatus Papa Gregorius, ad instar cœlestis syderis, quod septem stellis non simul stantibus, sed simul micantibus, quas diuina pagina Pleiades nominat, diuinos authores ad enarranda nostræ salutis mysteria, etsi discretos locis & temporibus, in vna tamen fide, & veritate refulsisse denuntiat. Hos non solum stellas, sed etiam cœlos, Dauidici sermonis vocat authoritas, dicens: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Hi etenim cœli, hæ stellæ, cæteraque spiritualia & rationabilia astra verbo lucentia, amore ardentia, non à se, sed ab auctore suo habuerunt, vt sermone lucerent, dilectione arderent, & ea quæ de ipsa senserunt, Spiritu sancto docente narrarent. Quorum alii diffusius, alii compendiosius, alii apertius, alii obscurius de diuinis sibi reuelatis mysteriis locuti sunt. Ex quibus sicut inter veteres Patres ad prænuncianda diuina beneficia, insigne quoddam nobilissimus Prophetarum priuilegium obtinuit Esaias, ita ad enarranda incarnati Verbi & Virginei partus, arcana mysteria, principalem locum obtinere
D promeruit Lucas. Hic vir diuinissimus, & vt omnis eius descriptio patefecit, omni sapientia & scientia eruditissimus, non in primis ad ea de quibus magis dicturus erat, & ad quæ ipsius tota tendebat deuotio, ordinem narrationis incipere voluit; sed circumstantia miracula, generationem videlicet Dominici præcursoris & ortum, vitam eius mirabilem, conuersationem sanctam, & inauditam à seculis in victu & vestitu abstinentiam, & in omni genere perseuerantem constantiam, & constantem perseuerantiam & ad reprehendenda vitia, robustissimam liberalitatem. Parentum etiam eius nobilissimam, & sine omni querela iustitiam, ad liquidum describere voluit. Postquã vero de his sufficienter dixisse se credidit, ad differẽda ea quæ in voto habebat, præeunte lumine cœlestis gratiæ, se totum dedit, inquiens: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilæa, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid & nomen virginis Maria.*

E Audiuimus, Fratres, Angelum à Deo Patre ad Virginem missum, audiuimus virginem nouo salutationis famine salutatam, & in ipsa salutatione (vt Euangelium loquitur) fuisse turbatam. Audiuimus Gabrielem Archangelum verbis consolatoriis, ne timeret adlocutum, eo quod inuenisset gratiam apud Dominum, deinde generaturam & parituram asseruit filium, quem præcepit vt vocaret Iesum. Hunc esse magnum, & filium Altissimi, sedem Dauid, & domum Iacob, & Regnum sempiternum sine fine secundum humanitatem adepturum prædixit. Quod semper secundum Diuinitatem, cum Deo Patre, & Spiritu sancto æternaliter antequam mundus fieret, in æterna sua præscientia habuit, & disposuit. Post consolationis officiosissima & iocundissima famina, Virgo sanctissima interrogando, & potius in cunctando cœpit inquirere, quomodo fieri posset, quod Angelus insolitam & inauditam rem, tanta authoritate nuntiare præsumeret: huius rei factum quod natura non habuit, quod exemplo caruit, Spiritu sancto superueniente, & virtute Altissimi obumbrante Angelus fieri posse perdocuit. O inauditum, & admirabile singularis humilitatis exem-
F plum! Ea quæ se Dominum, & Creatorem suum concepisse gaudebat, & de se nasciturum non dubitabat, cum posset se cognoscere sine dispendio suæ sincerissimæ humilitatis, omnium fidelium dominam, non distulit se vocare Domini sui ancillam, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Videte, fratres, humilitatem Virginis, Verbum Dei concipientis. Videte obedientiam Domini ad nos per virginem venientis. Videte claritatem, & dilectionem circa humanum gen⁹, Dei patris: Angelum ad Virginem nomine Mariam, mittentis. Huius nobilissimi nominis prædulcis interpretatio claritudinem meritorum illius, atque virtutum aperta ratione demonstrat. Interpretatur enim Maria stella maris, siue Domina. Merito vocatur Domina, quia Dominum totius Creaturæ salua perpetua sua virginitate, hodierna die concipere, & certo tempore gignere meruit. Cui Deus Pater, vt Dauid Patriarcha testatur in Psalmo, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, & reliqua. De quo idem Propheta. *Domini est terra, & plenitudo eius.* I-
G tem in eodem psalmo *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et vt illum fortem, & potentem credamus, Gabriel Archangelus, qui fortitudo Dei dicitur, nasciturum de virgine euangelizare debuit, quem ad debellandum perditionis principem, & mortis impetum destruendum, velut geminæ gigantem substantiæ, omnipotens Pater vnicum filium suum transmisit. Consequens etenim est, vt Dei genitrix & semper virgo Maria, maris stella vocetur, quia sicut illi, qui inter fluctus maris exercitatione nauigii laborant: stellis sibi Deo auctore famulantibus, ad portum quietis venire desiderant, ita quisquis huius seculi periculoso naufragio, fluctibus perniciosis irruentibus, siue de animæ, siue de corporis vita periclitatur, necesse est ad contemplationem istius stellæ aciẽ mentis dirigat, per cuius meritum, & gratiam posse se ab omni periculo liberari non dubitat. Stellæ enim, vt scitis, diuino nutu ordinantur, quod in nocte luceant, & so- H
lem diei præcedant. Et hæc nostra stella splendida, & matutina adhuc incumbentibus ignorantiæ tenebris, & iam iamq; Deo propitio deficientibus præparabatur, vt per illam ad nos procederet sol iustitiæ Christus Deus noster, de quo scriptum est. *Ecce vir oriens nomen eius.* Hunc, Zacharia propheta testante, promittebat se Deus pater missurum ad illuminationem fideliũ, dicens: *Ecce mitto vobis Orientem seruum meum.* Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Virgo Dominum paritura, ancillam se Domini vocat: Deus Pater hominẽ nasciturũ, seruũ & Orientẽ appellat. In quantum homo, seruus: in quantum Oriens, filius coæternus, consubstantialis & vnicus. De quo Malachias Propheta. *Vobis timentibus Deum, orietur sol iustitiæ.* Et Zacharias in Euangelio. *Visitauit nos Oriens ex alto.* O quanta, qualisq; stella Dei genitrix, & semper virgo Maria extitit! Ea qua illa claritas, illa lux, illudq; lumen, verbum caro factum ad nos processit. Qui non solum, vt Euangelista Ioannes prædicat, *Omnem hominem venientem illuminat*, sed etiam stellas, lunam & solem, & omnem

A Creaturam quam condidit, regit disponit & ordinat. Qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu sancto Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DE RESVRRECTIONE DOMINI.

SERMO V.

CErtissima fiducia est Christianorum, diuinitus promissa resurrectio mortuorum. Hanc enim Veritas repromisit: Veritas autem mentiri non potest. Vera est igitur de Resurrectione corporum promissio veritatis, quia veritas quæ mentiri non nouit, totum necesse est impleat quod promisit. Hanc autem Resurrectionem corporum, vt futuram certissime nouerimus, ipse Dominus nobis in suo corpore dignatus est demonstrare. Resurrexit Christus, vt resurrecturum se non dubitet Christianus. Quod enim præcessit in capite, sequitur in corpore. Nosse autem debemus, dilectissimi fratres, duas esse mortes, & duas resurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur B & secunda. Porro primæ mortis duæ sunt partes. Vna qua peccatrix anima per culpam descendit à Creatore suo, altera qua iudicante Deo, excluditur per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est mors corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem ergo primam, anima boni & mali hominis ad tempus à suo corpore separatur. Per mortem vero secundam, anima solius mali hominis in æternum cum suo corpore cruciatur. Vtraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, quia naturæ transgressio vnumquemque peccati propagine tenebat obnoxium. Venit autem Dei filius immortalis & iustus, & vt moreretur pro nobis, carnē mortalem suscepit ex nobis. In qua carne quia nullum potuit habere peccatum, sine reatu pertulit peccati supplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id est, solius corporis mortem, Dei filius pro nobis accepit, per quam à nobis & dominationem peccati, & pœnam æternæ punitionis abstersit: Hoc ergo Christus nunc in mundo misericorC diter operatur, his quos ad bene viuendum hortatur, donans fidem vt recte credant, tribuens charitatem, vt bonis operibus libenter insistant. In nouissimo vero die, ad hoc eos corpore resuscitare dignabitur, vt eis æternam beatitudinem largiatur. Resuscitati ergo in anima per fidem, dilectissimi fratres, cum iustitia viuamus; vt etiam corpore ad æternam lætitiam resurgamus. Sentiemus primæ resurrectionis munus, quod nobis largitus est Christus, vt cum resurrexerimus corpore, mereamur cum ipso Saluatore sine fine regnare, quando absorbebitur mors in victoriam, & dabitur fidelibus vera vita, veraque lætitia, cum idem omnipotens Deus pro meritis fidei, atque bonorum operum, dabit suis fidelibus regna cœlorum. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

DE EADEM RESVRRECTIONE Domini.

SERMO VI.

D QVamuis, fratres dilectissimi, ad hoc nostra esset intenta deuotio, vt ex nostro ministerio procederet ad vos tenuis quidem, vel exigua verbis simplicibus prolata declamatio, huius tamen diei venerabile Sacramentum, opportunum nobis & conuenientius indicit silentium. Sed cum de tanta ac tali reloqui pertimescimus, dat ausum loquendi singularis iocunditas præsentis diei. Et quia idesse nostri iudicatur officii, licet minus simus idonei, tamen huic sacro conuentui, omnino apparere non debemus ingrati. Inuitat nos ad loquendum vestræ charitatis affectus, ad credendum promptus, ad audiendum deuotus, ad operandum strenuus. Excitant nos ad extollenda hui⁹ excellentissimi festi sacrosancta mysteria, circa sepulchrum Domini, terribilia nimis Angelorum obsequia. Ammonent idipsum sine defectu agere, gestis suis & dictis ordinis verusque sanctissimæ personæ. Inuitant nos ad enarranda huius diei magnalia sanctarum mulierum indefectiua E studia. Sane dum Deum quærimus, vt nostrum desideriū nullus possit mundialis perturbare defectus: hortatus dignissimus discipulorū cursus, visu gratissimus, auditu dulcissimus, visu mirabilis, auditu delectabilis. Sic enim loquitur Euangeliū. *Currebant duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum.* Quis non desideret Christū in dextram patris sedentē quærere, & vt quærendo possit inuenire, spiritualiter currere: cum tantos Apostolos ad sepulchrum eius etiam gressu corporeo delectabiliter recolit cucurrisse? Sed vt ipse nostrum desiderium adiuuet, vnusquisq; nostrum illud de Canticis Canticorū, *Trahe me post te, curremus*, desideranter proclamet: vt postea cum Dauid & Apostolo Paulo bene cucurisse, legitime certasse, cursumq; cōsumasse se gaudeat. Ad quem fine in huiusmodi cursus tendat, suprascripti versiculi lucide pars vltima notat. Postquam dixit. *Trahe me post te, curremus*; addidit, *In odore vnguentorum tuorum.* In odore vnguentorum est currere, virtutū sancto nos refectos odore, semper ad auctorē nostrum gressu mentis inF cedere. Isto vero laudabili cursu currebant hæ deuotissimæ mulieres, quæ, vt Euangelia narrant, à Galilæa Dominum secutæ fuerant, & ad tempus vsq; passionis eius, discipulis etiam discedentibus, ei fideliter adhærebant. In odore vnguentorum eas & spiritualiter, & secundum literā cucurrisse constat, quia vt Dominici corporis vngerēt membra, sicut Marcus testatur, emerunt aromata. Quam peruigil fuit de Dominico corpore sanctarū mulierum, ac sedula inquisitio, manifeste denuntiat, licet sera, certa tamen inuentio. Si vero laudabilis est ab exordio suæ cōuersatio tota erga ipsum Dominum sincerissimæ charitatis affectus: multo laudabilior est circa sepulturam eius, pussimi obsequij famulatus. Legimus in Euangelio secundum Lucam. Dominum Christum in quoddam Castellū ab illis officiosissime susceptum. Et vt S. Euangelista narrat, pro resuscitatione fratris sui Lazari videlicet, fiducialiter inuitatum. Inde ad crucem, verum vsque ad tumulum illæ sequutæ sunt, vt amorem quem viuenti exhibuerant; iam mortuo, si liceret, studio humanitatis impenderent. Si diG gnum admiratione ducimus, quod sanctæ mulieres diligenti cura exequias mortalitatis eius celebrant, cuius doctrina de vitiis ad virtutes, de tenebris ad lucem reductæ fuerant, cuiusq; mirabili potentia fratrem suum Lazarum ex mortuo viuum se recepisse gaudebant: qui sermo, quæ facundia digne possit dicere, quo, vel quali quantoq; affectu pussima eiusdem Dei & Domini genitrix, vt S. Euangelista refert, ante crucem stabat, & pijs oculis expectans non pignoris mortem, sed mundi salutē? Non enim mens concipere, non spiritus vllus agnoscere potest, quo amore, quo desiderio, huc illucq; se vertens, Dominicæ passionis & resurrectionis loca circuiens, quem toto mentis ardore quærebat, videre desideraret. Sciebant illū nō posse fieri legib. mortis obnoxiū, quem S. Dauid præuidit inter mortuos liberū. Sciebat illum à morte nullo modo posse teneri, quē nullo interueniente mortis contagio, salua sua virginitate pro restauratione mūdi sciebat ex se ineffabiliter, & voluisse, & potuisse nasci. Quærebat filiū cum ceteris in sepulchro, sed multum dispari voto, & vt ita dicam, H quantum eius professio à cæterarū proposito; & quanto fœcunda virginitas, à cōtinentiæ bono. Aliæ quærebant vt condirent defunctum, illa credebat à Deo patre iam de morte reductum.

Ideo, fratres, cōstantissimū circa sepulturam Dominicam discipulorū, discipularumq; Christi famulatū, paucis recitare curauimus, vt exemplis eorū nosmetipsos ad enarranda pro modulo Dominicæ resurrectionis gaudia excitaremus. Valde n. indignū est, vt B. Greg. dicit, eo die laudes debitas taceat lingua carnis, quo videlicer die caro resurrexit auctoris. Cōpellit nos etiam pro sui magnitudine aliquid dicere auctoris tanti gaudij præclara resurrectio, de antiquo hoste triumphalis cōgressio. Ex huius cōgressionis nobili mirabiliq; victoria, atriū suū custodiens: fortis ille armatus, fortiore superueniente, fortiter est superatus, arma & spolia in quib. cōfidebat, amisit. Quia inter ipsa initia mūdi, & petijt primus, & perdidit. Ille angelica maiestate subtux⁹, postquam ad imaginē Dei factū

con-

A conpexit, maliuolo liuore prorupit, non primus alte-
rum deiiciens, quam ipse deiectus, captiuus antequam
capiens, perditus antequam perdens: & dum homi-
ni gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id
quod prius fuerat, amisit: & dum vitam mordendo ab-
sorbere appetit, morsus suus, mors ei perpetua fuit,
sicut per prophetiam Oseæ mortis destructor, vitæ lar-
gitor, & fortis bellator dicit. *De manu mortis liberabo eos,*
de morte redimam vos. Et iterum. *Ero mors tua, ô mors, mor-*
sus tuus inferne. Cum ipso igitur mortis auctore, hodie
mors subacta detruditur, hodie per CHRISTVM vita
mortalibus redditur. Seruitus hodie Dæmoniaca pel-
litur, libertas Dominica hodie Christianis conceditur.
Hodie namque diuinæ propitiationis dignatio, singula-
re remedium contulit mundo, cum homini perdito
tenebris mortis circumfuso, resurgente CHRISTO
lux vera refulsit ab alto. Humani etenim generis massa,
quæ in ipsa radice suæ originis liuidi serpentis astutia,
& primi hominis culpa, miserabiliter fuerat corrupta:
B secundi hominis gratia, hodie mirabiliter, & miseri-
corditer est restaurata. Superbiendo deiectus, homi-
nem mortis auctor prostrauit, humiliando seipsum, ho-
minem hodie vitæ largitor erexit. Mortalem nos fecit
priorum parentum male suasa præsumptio, vitæ nos
hodie reddidit, dexteræ cœlestis mutatio. Apostata ve-
ro Angelus ideo irremediabiliter periit, quia nullam
in se peccandi materiam naturaliter habuit, sed pro-
pria sponte contra suum authorem à seipso deceptus
corruit. Homini vero idcirco pietas diuina condo-
luit, quem non proprio tantum, quam alieno instin-
ctu cecidisse cognouit. Vnde pulchre satis sanctus Da-
uid in Psalmo canit. *Cum ceciderit, non collidetur, quia*
Dominus supponit manum suam. Et hæc est illa, quam su-
pra diximus, dexteræ cœlestis mutatio. Vere inquam
dexteræ cœlestis mutatio, quia inter culpam & gra-
tiam diuersus est ordo. Qui per naturam nos edidit,
vitæ nos exules fecit. Qui per gratiam genuit, vitæ con-
sortes effecit.

C Audiamus quid primus homo à paradiso eiectus, au-
diuit. *Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi.* Audiamus
quid Dauid Patriarcha dandam per Christum gratiam
præuidens dixit. *Dominus dabit benignitatem, & terra no-*
stra dabit fructum suum. Audiamus etiam quid Adam ille
mortalis effectus, & authori inobediens, audiuit. Au-
diamus quid latro in cruce pendens, & vitam confitens,
CHRISTI pietate promeruit. Illi, dictum est. *In sudore*
vultus tui vesceris pane tuo. Isti dictum est. *Hodie mecum*
eris in Paradiso. Timeamus quod exigente peccato, in
primo parente commeruimus. Terra es, & in terram
ibis. Diligamus quod operante iustitia, Deo patri à ca-
pite nostro pro nobis dictum esse confidimus. *Pater,*
volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Et in alio loco. *Vbi*
ego sum, illic & minister meus erit. Et illud Apostolicum.
Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis
cum ipso in gloria. Illa videlicet gloria, de qua Propheta di-
D cit in Psalmo. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et nos læ-
temur tot promissionum refecti dulcedine, qui quon-
dam perterrebamur, tantarum minarum auditu formi-
dine. Seruilis abiit timor, diuinus adiit amor. Vetu-
stæ seruitutis recedat trepidatio, nouæ libertatis acce-
dat exultatio. Illa, inquam, exultatio, quam sæpedi-
ctus Propheta venturam sibi decantabat in Psalmo. *Ani-*
ma autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salu-
tari suo. Et quod specialiter ad spem Dominicæ, nostræ-
que resurrectionis pertineat, præcedens sententia & sub-
sequens aperte demonstrat. Antiquo etenim hosti su-
perior versus præcipitem optat, quod ipse humano ge-
neri, per mortem CHRISTI parabat. Subsequens
vero sententia, humani corporis ossa ad laudem Dei in-
troducit clamantia. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis si-*
milis tui? Ac si dicant. Qui cum a mortuis surrexeris,
spem nobis resurgendi donabis. Eripiens inopem de
manu fortiorum eius, egenum simul ac pauperem a di-
ripientibus eum. Propter quorum gemitus & miserias, in

alio Psalmo resurrecturum te esse promittebas. Promi- E
sit Dominus, & impleuit. Mortuus est, & resurrexit.
Mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter
iustificationem nostram. Moriamur pro eo, vt resusci-
temur ab eo. *Si compatimur,* inquit Apostolus, *& conre-*
gnabimus. Credamus Dominum Iesum à Deo patre re-
suscitatum de sepulchro, & gratiam, & salutem inueni-
mus in auxilio opportuno, testante Apostolo Paulo at-
que promittente. Si confessus fueris, & credideris in
corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus
eris. In quem sicut Pastor ille Ecclesiæ beatissimus Pe-
trus dicit. Nunc quoque non videntes creditis, creden-
tes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, re-
portantes finem fidei vestræ, scientes quod non corru-
ptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra
conuersatione, paternæ traditionis, sed pretioso sangui-
ne quasi agni incontaminati & immaculati CHRISTI,
præcogniti quidem ante constitutionem mundi, ma-
nifestati autem nouissimis temporibus, propter vos qui
per ipsum fideles estis in DEVM, qui suscitauit eum à F
mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset
in Domino. Nos igitur tanti auctoris eruditi sententia,
credentes in CHRISTVM exultemus inenarrabili læ-
titia. Sed in hac præcipue Paschali solemnitate, in qua
sicut Apostolorum Princeps dicit. Redempti sumus
de vana nostra conuersatione, incontaminati & imma-
culati agni sacrosancto sanguine. In hoc etiam oportet
nos plurimum gaudere, quia solutum est hodie iugum
captiuitatis nostræ, contritus est hodie malleus vniuer-
sæ terræ *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus in ea,*
& lætemur: quoniam laqueus contritus est, & nos liberati su-
mus. Et secundum Zachariæ vaticinium, de lacu in quo
non erat aqua, in sanguine Testamenti hodie educti
sumus. Hoc ipsum præfigurabat Moyses, aspergens Ta-
bernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine dicens.
Hic sanguis Testamenti quod mandauit ad vos Deus. Omnia
pene in sanguine mundantur secundum legem, & di-
cit quod non fit remissio sine sanguinis effusione: aper-
te demonstrans quia non fieret peccati abolitio, nisi in- G
tercederet DOMINI nostri IESV passio. Et nisi esset
ipse pro peccatis oblatio, per quem nobis datur omnium
peccatorum remissio. O quale sacramentum, quo ve-
niente, cessat omne peccatum! ô quale sacrificium, quo
redolente, fugit omne delictum! ô qualis sacerdos, qui
semetipsum obtulit: vt ingratos seruos à perpetua morte,
sua morte faceret liberos! Factos etiam liberos fratres
vocat, & filios. Eia, fratres dilectissimi, studeamus to-
to mentis affectu esse pacifici: vt mereamur vocari, & es-
se filii Dei Faciamus, prout ipse donauerit, voluntatem
Dei, vt potestate accepta, possimus adoptiui fratres eius
fieri, qui secundum fidem, & confessionem primi Apo-
stolorum Petri, est naturalis, & vnicus filius Dei viui.
Cum quo viuit & regnat per infinita sæcula Deus, in
vnitate Spiritus sancti, qui nos perpetua pace custodiat,
suumque Pascha digna veneratione continue celebrare
concedat. AMEN.

DE EADEM RESVRRECTIONE H

SERMO VII.

HODIE, dilectissimi fratres, Domino nostro Chri-
sto resurgente, atque de subacto tenebrarum Prin-
cipe triumphum victoriæ referente, spes immortalita-
tis mundo reddita est, & quod à seculis difficulo incre-
dulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque di-
uina miseratione, in plenam securitatem conuersum
est. In lætitiam mentes redeant, quoniam tempesta-
te carnalis pressuræ, ac nube discussa cæcitatis anti-
quæ, tranquillitas æternæ quietis, & serenitas diuini
luminis effulserunt. Dandæ DEO laudes, & benefi-
cia eius ac munera tam grandia, vt grandiora esse non
possint, cum gratiarum actione celebranda sunt. Nos
etenim fratres, qui DEVM corde toto & anima, & vir-
tute diligere debemus, necesse est benedictiones eius,

& laudes semper, & vbique cum gloria prædicemus. Sed nunc magis ac magis fieri conuenit, quia ea optatus votis omnium fidelium dies aduenit, & post longe noctis horribilem terræque caliginem, Domini luce radiatus mundus eluxit. Huius enim luminis, perpetuæ videlicet claritatis, aduentum, ipsiusque aduentus sacrosancta mysteria, ab ipso mundi principio, antiquorum Patrum actibus præsignata, ac multiplicibus vaticiniis perorata, veterisque attestationibus promissa, eodemque lumine in homine apparente exhibita: sicut nos colimus, & tenemus in re vera, ita & antiqui Patres colebant in spe certa. Ita enim in spe certa, vt etiam de his quæ credebant & prædicabant, quædam sicut erant ventura nuntiabant, quædam iam percepisse, sibique iam aduenisse, gaudebant. Nonne iam Patriarcha Dauid huius diei lætitiam præsentem se habere credebat, qui dicebat. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea?* Vnde illi aderat in expectatione huius diei tanta lætitia talisque exultatio? Sciebat enim se per huius diei sacramentum, de valle lachrymarum & planctu antiquæ plorationis, transiturum ad æternæ beatitudinis gaudium. Sciebat præterea se sine dubio in spe resurrectionis Christi, conscisso diuturnæ pœnitudinis sacco, vestibus mortalitatis & corruptionis exui, quas primi parentes de pellibus consuerant, & foliis verecundiam suam texerant, & stola immortalitatis & indumento lætitiæ & iocunditatis indui, quæ sibi eloquia diuina promiserant. Dicebat etiam se post reuelatam Dominicæ resurrectionis gloriam, & resurgente Christo nobis in secula sine promissa non posse ad vllam tristitiam compungi, sed diuinis cantibus, & confessione cœlestibus plena laudibus, Domino Deo suo æternaliter cum gloria famulari, & idcirco adiuncta persona suæ omnium fidelium massa exultans, & cantans laudes, & gratias referendo Domino dicebat. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Hoc igitur genus confessionis magis ad prædicandas petit, et misericordias Domini Saluatoris, quam ad detegendas miserias hominis peccatoris, sicut idem Saluator in Euangelio ostendens dicit. *Confiteor tibi pater cæli & terræ*, id est laudo & glorifico te. Et sanctus in Psalmis. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Huius inæstimabilis bonitatis, Dominus Iesus Christus minister & testis, largitor & monstrator factus est. Minister nascendo, testis moriendo, largitor resurgendo, monstrator ascendendo. Est enim ipse summi, & æterni boni, quod idem ipse est, minister cum nascitur, testis dum patitur, largitor cum de morte reducitur, monstrator cum in dexteram patris assumitur.

Hæc sunt quatuor specialia diuini muneris beneficia, ex omnibus Dominicis beneficiis excepta, & per quatuor Euangeliorum libros, & quatuor Euangelicos viros, per quatuor mundi spacia, fidelibus sunt reserata. Hæc cum fideliter credimus, & firmiter retinemus, & digna pro posse veneratione recolimus, quoniam ex his maxime Domini bonitatem cognoscimus, consequens est vt sicut Dauidicus sermo nos ammonet, faciamus. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Mundus sanguine Christi Deo patri reconciliatus, Ecclesia videlicet Catholica per totum mundum diffusa, in seculum misericordiam eius prædicat, dum ab huius sæculi miseriis eiusdem misericordiæ munere se posse liberari non dubitat. Domini misericordiam in æternum omnium plenitudo fidelium prædicat, dum per Christi resurrectionem, quam hodie singulari veneratione deuotissime celebrat, ad gloriam venturæ resurrectionis, & gaudium æternæ beatitudinis peruenire sine dubio sperat, & facie ad faciem gloriam videre sui Redemptoris, hodierna festiuitate de morte resurgentis. Nos ergo confiteamur Domino quoniam bonus est, peccata nostra humiliter accusando, bonitatem illius sublimiter prædicando. Confiteamur quoniam misericors est, misericordias eius sine fine laudando, vt in hoc seculo sua nos bonitate custodiat, & in æternum sua misericordia simul & præsentia perfrui concedat: & præstet vt sicut in carne, quam assumpsit ex Virgine Matre, intuitu fidei cernimus resurgentem, ita in diuinitate quam habet ex Deo patre, facie ad faciem videamus regnantem, cum eodem Deo Patre, & consubstantiali sibi, & coæterno Spiritu sancto, Per omnia secula seculorum. Amen.

DE ASCENSIONE DOMINI Saluatoris.

SERMO VIII.

POstquam Dominus & Saluator noster sacrosancto suæ passionis mortisque triumpho, abolito peccati chyrographo, contrito mortis aculeo, Dæmoniacæ crudelitatis destruxit tyrannidem, humanum genus, quod tenebatur morte captiuum, solus inter mortuos liber, morte subacta reddidit liberum. Corpus vero quod sine peccati discrimine ex virgine sumpsit, quodque pro nobis assumptæ mortalitatis, non necessitate, sed potestate legibus subdidit, ab inferis rediens, Apostolorum conspectibus resurrectionis gloria clarificatum, & vt ita dicam, redimitum ostendit. Mulieri namque se deuotissime requirenti, non absque admirabili ratione, & rationabili admiratione, primum apparere dignatus est. Decebat enim vt sexus, qui primum hominem, Diabolo se fallente, fefellit; eique mortis suggessit interitum: prior hominibus vitæ renuntiaret remedium. Et vt ab excellentioribus argumentum assumam, consequens erat, vt sexus qui Christo nascente sine peccati contagione, saluo suæ virginitatis perpetuæ signaculo extitit præuius, resurgente Christo iustificatus a peccatis perpetuæ salutis fieret nuntius. Apostolorum principi Petro, Dominum apparuisse non est dubium, sed Apostolica relatione & Euangelica descriptione creditur esse certissimum. Voluit ei Dominus præ cæteris Apostolis singulariter apparere, ne desperaret ex negatione. Noluit illum diu remanere suspectum, ne desperaret se posse percipere Apostolici culminis priuilegium. Idcirco illum Dominus cadere permisit, sicut fertur Concionator Gregorius dixit, vt ex conlato sibi munere disceret, qua iter aliis misereri debuisset. Discipulis vero duobus, discipulabusque duabus, ipso die quo surrexit à mortuis apparere voluit, istis, feminæ salutando, Auete dixit: illis secum gradientibus, & de se dubitantibus sacramenta diuinarum scripturarum aperuit, & in fractione panis, se vere resurrexisse perdocuit. Deinde quoties tam sacratissimum, & excellentissimum exigebat officium, generaliter discipulis suis apparuit, eisque pacem, quam per Angelos in mundum veniens venturam prædixit, per semetipsum iam venisse manifestauit dicens. *Pax vobis.* Quibusdam vero discipulis de se dubitantibus, cicatrices vulnerum suorum ostendit, corpusque de morte resumptum, palpabile præbuit, & de cordibus eorum maculas dubietatis extersit. Septem quoque discipulis in piscatione frustra laborantibus Dominus apparere voluit, & quod erat eis difficile, ipse sua corporali præsentia, & maiestate diuina fecit esse possibile, ita vt ad eius nutum, designato numero caperent multitudinem piscium. Quem numerum si videres arithmetica ratione dispositum, scires in eo non mediocriter refulsisse mysterium, quod si ad plenum scire te delectat, apud beatissimum Augustinum satis late patet. Vt enim in Christo Domino veritas patesceret resuscitati corporis, ac sine dubio gloria peractæ resurrectionis: accedit ad cumulum veræ fidei, ac sincerissimæ credulitatis, solennitas dignissimæ resurrectionis. Assum enim piscem & fauum mellis comedit, vt in asso pisce ostenderet se passum: & in fauo mellis à Deo patre vera fide resuscitatum. Nos enim, fratres charissimi, per amaritudinem accerbissimæ passionis, Dominum Iesum Christum peruenisse credimus ad gloriam resurrectionis. Hanc autem resurrectionem Dominici corporis, vt futu-

A ram in nobis certissime nouerimus, ipse in corpore suo dignatus est demonstrare. Resurrexit Christus, vt resurrecturum se non dubitet Christianus. Processu vero temporis, peracto mysterio suæ resurrectionis Dominus Iesus Christus ad cœlos ascendit, vt eo Christianus ascendere se posse confidat, vbi caput suum se præcessisse non dubitat.

Huius etenim Ascensionis Dominicæ nobilitatem & gloriam, veteris instrumenti multo ante multipliciter prænunciauit auctoritas, & ipso ascendente exultans Angelicæ declarauit sublimitas, Euangelicæ etiam descriptionis atque Apostolicæ prædicationis per totum orbem narrauit satis aperte maiestas. Apostolica vero prædicatio, vt dictum est, mysteria supradicta vehementer enarrat, cum beatus Petrus Apostolus, omnium de quibus loquitur, idoneum testem se esse declarans & Apostolica libertate subnixus, vt propositum est, liberalissimo sermone pronunciat dicens. Obe-
B dire oportet Deo magis quam hominibus. Statim subintulit. Et his cum quibus tunc res ipsa gerebatur dixit, Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Deus Principem ac Saluatorem exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israel, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit DEVS hominibus obedientibus sibi. Et in alio loco idem pastus Ecclesiæ, Danidico fretus
† fretus † vaticinio. Dauid igitur, inquit, propheta cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi DEVS, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione CHRISTI, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit DEVS, cui omnes nos testes sumus. Dextera igitur DEI exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœ-
C los. Dicit autem ipse. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Paulus denique prædicator egregius, cum hoc nostræ salutis mysterium auditoribus suis commendare vellet, affectu optantis, & voto orantis, prudentissima & spiritali circumlocutione aggressus est eos dicens. *Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis eius quam operatus est in* CHRISTO, *suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed & in futuro.* Et, *omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius.* Et vt idem Apostolus ad Timotheum scribit. *Columna & firmamentum veritatis.* Et manifeste, *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, iustifica-*
D *tum est in spiritu: apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria,* sicut per Marcum & Lucam descriptio intonat Euangelica. Lucas vero cum ad Theophilum scriberet, dicit se sermonem fecisse *de omnibus quæ cœpit* IESVS *facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.* Et Marcus in hodierna lectione. *Dominus*, inquit, IESVS, *postquam locutus est discipulis suis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris* DEI.

Quomodo vel qualiter præsentis solemnitatis gaudia, ascendente Domino Angelica declarauit sublimitas, non potest ore dicere, non corde concipere humana fragilitas. Sed tamen illud vnum, vt Lucas narrat, testimonium admirabile atque iocundum, officiis Ecclesiasticis adeo testatur recitandum, huic declamatiunculæ dignum duximus inserendum. *Cumque intuerentur Apostoli Dominum euntem in cælum. Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt. Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ascendente Do-
E mino Angeli apparuisse leguntur in vestibus albis, quia humanum genus quod fuerat obtectum tenebris mortiferæ cæcitatis, per gratiam CHRISTI meruit percipere indumentum æternæ iocunditatis, & consortium Angelicæ dignitatis. Instrumenti veteris auctoritatem, vt proposuimus, multo ante multipliciter prænunciasse manifestum est, illis videlicet qui scripturam sanctam & studiose legunt, & fideliter intelligunt. Quid per Enoch scriptura diuina clamat translatum, quid per Eliam, igneo curru transuectum, nisi Dominum CHRISTVM hodierna festiuitate in dextera paternæ maiestatis eleuatum? Sicut ipse per Prophetam in Psalmo dicit ad patrem. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me.* Ecce illud Domini Saluatoris iter assurrectum, sanctus in Psalmo vocari voluit cursum. Quod Dauid cursum vocat, Salomon in Canticis saltus appellat. *Ecce iste venit saliens in mon-*
F *tibus, transiliens colles* Et ille. *A summo cæli egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Hunc enim quem Dauid currentem præcinuit, Salomon salientem præuidit. O prudentissimi vates, ô tantæ prolis felicissimi parentes, cuius meruistis prophetica denunciatione fieri parentes & testes! De vestra namque radice Esaias propheta virgam cum flore processuram prædixit. De quo ipse alias dicit. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium, & eleuabitur super colles.* Et in alio loco. *Erit germen domus Domini magnificentia, & fructus terræ sublimis.* Quem, fratres, intelligere debemus per montem super verticem montium præparatum, nisi mediatorem DEI & hominum, hominem IESVM CHRISTVM, omnium hominum naturam superantem & meritum? Quem per germen Domini magnificum & gloriosum, & fructum terræ sublimem, nisi eundem Dei & hominis filium, hodierna die super cœlos cœlorum, & dignitatem omnium angelorum in dextera
G Dei patris assumptum? Ergo, dilectissimi fratres, omnium vitiorum phantasmata fugientes, cunctarum virtutum charismata diligentes, ipsum, de quo loquimur, toto cordis affectu quæramus, toto mentis ardore diligamus: passibus dilectionis & fidei sequamur, vt per ipsum cum ipso ad eum possimus peruenire, qui per ipsum corruptam generis humani naturam voluit reparare, & reparatam in ipso, hodierna festiuitate ad se dignatus est reuocare. Qui cum eo viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. AMEN.

IN DIE PENTECOSTE.

SERMO IX.

INDESCRIBILIS & immensa præsentis diei maiestas & gloria, verbo præsidente & linguis fauentibus, vi
H propriæ potestatis exigit, vt dicamus pro posse quantum diuina miseratio miseriis humanis consuluit. Scitis quoniam vnumquodque negotium cum fuerit ad finem deductum, exercentes se quodammodo compellit in sese colligere, suumque reuoluere, quid mœroris, quidue lætitiæ in ipso actionis itinere contigit euenisse.

Hoc vero permaxime, vt fiat, ipsa eademque res congruum fore diiudicat, quatenus ereptus liberatori grates referat, & largitori lætitiæ omnibus votis adhæreat, & cum Propheta clamet, & dicat. *Mihi autem Dei adhærere bonum est ponere in Domino Deo spem meam.* Si nostræ mortalitatis defectus, & quotidiana delicta, & dubiæ vitæ præcipites cursus, solicita consideratione ad mentem reducere commonemur, multo magis opera misericordiæ quæ circa nostram salutem, salutis auctor exercuit, summa cum veneratione nos recolere conuenit. Videamus saltus quos pro nobis incarnata diuinitas dedit, cogitemus quid Deus in homine gessit, quid homo à Deo assumptus, temporalis apparens corporaliter pertulit.

Quod

A Quod enim omnia Dominici aduentus mysteria Dei patris sint voluntate peracta, nulli dubium quin firmissime teneat fides Ecclesiastica. Quod & Spiritus sanctus Patri & filio coæternus sit cooperator, & auctor eiusdem filii Dei assumptæ humanitatis, tanti Sacramenti exordium declarat. CHRISTO namque misericorditer ad homines veniente, Spiritus sanctus in virginem superuenit. Christo in patris dextera magnifice residente, Spiritus sanctus super Apostolos descendit, sicut vniuersalis Ecclesia in eodem spiritu congregata: summa cum veneratione hodie deuotissime recolit. Cum enim Dominus ac Redemptor noster, crucis esset addictus supplicio, potatus aceto. *Consummatum est*, dixit. Quod duobus modis à nobis intelligi voluit. Ac si diceret. *Consummatum est*. Videlicet vetus Testamentum, & initiatum est nouum. Siue Consummatum est aduentus mei mysterium, vsque ad hanc quam pro vobis sustineo mortem. In passione siquidem Domini plu- B rima pietatis eius opera fuerunt consummata, nonnulla postmodum etiam consummanda, sicut post triduum præclara Resurrectio: processu vero temporis mirabilis Ascensio; & in igneis linguis super Apostolos hodierna die toto mundo spectabilis spiritalis infusio. Hodie namque Spiritus sancti super Apostolos venientis, manifestissima contestatione, per diuinitatis potestatem completam esse cognoscimus assumptæ humanitatis CHRISTI dispensationem. Si enim, vti præfati sumus, vniuscuiusque negotii causam necessario ad mentem reducimus, conferentes læta cum tristibus, exultantes nos incommoda euasisse, prospera adeptos fuisse, quid tam vtile, quid tam consequens, quam in hac die, in qua Christi corporalia finem suscipiunt, & in qua spiritalia Charismata luce clara patescunt, omnia retro peracta, recapitulando quodammodo recitare pro modulo? Non enim nos putamus vel dicimus, idoneos tantæ rei ministros iactanter, sicut faciebat C beatus Apostolus humiliter ac sapienter, sed ad confirmandam fidem nostram, & ad excitandam deuotionem vestram, nostra paruitas dicere censuit quibus modis, vt supra dictum est, diuina miseratio miseriis humanis consuluit. Natus est CHRISTVS ex incorrupta virgine, vt humana corrupta natiuitas, in spiritalem transferretur originem. Legalem voluit suscipere circumcisionem, vt eiusdem legis se demonstraret auctorem, & nos exemplo eius spiritalibus gaudiis circumcisi, id est cœlestibus disciplinis eruditi: ad fabricam cœlestis ædificii inueniamur idonei. Deinde à Magis adoratus, tres significatiuas suscepit species munerum: vt qui erat pro nobis mortalis effectus, Rex seculorum crederetur & Dominus. Voluit etiam in templo præsentari, turturem & columbam pro se voluit offerri, dans nobis exemplum, vt cum ad altare accedimus, castitatis & innocentiæ cæterarumque virtutum victimas immolemus. Duodennis in Templo matre Virgine nesciente remansit, post paululum studio D feruenti, cuiusque citato requiritur, &, vt Lucas refert, *In medio Doctorum sedens*, non docens, sed discens & audiens inuenitur. Interrogante autem Matre, cur se ignorante remansit, in domo patris sui esse se respondit. Hæc etenim puerilia gesta Catholicæ fidei sunt firmitate subnixa. Cum vero Iesus à matre requiritur, proculdubio verus homo cognoscitur. Dum esse se in domo patris oportere testatur, à cunctis fidelibus verus vnicus Dei filius creditur. In medio doctorum sedens, audiens illos & interrogans, signat vt nullus nisi in perfecta ætate prædicationis officium assumere præsumat.

Sciendum præterea, quod de infantia Saluatoris non plus Ecclesiæ pietas approbat, quam quod diuinus sermo pronuntiat. Infirmitates tamen assumptæ mortalitatis, sicut fides fidelium credit, absque vllo contagio peccati percucurrit, sed Deus occultus in homine, semper impassibilis mansit, & licet Dei filius nullam haberet mundandi vel purificandi necessitudinem, certo tamen die determinato tempore, trigesimo videlicet ætatis suæ anno, illud singulare ac singulariter salutare E mysterium Baptismatis suscepit, suscipiendo sanctificauit, sanctificando cunctis fidelibus vt per illud sanctificarentur, ac si cœleste donatiuum, contradidit. Sed dum baptisandi possibilitatem ministris Ecclesiæ concessit, potestatem baptisandi quasi quoddam insigne sibi vendicans reseruauit, sicut diuina vox B. Ioanni homini magni meriti nuntiauit, quando CHRISTVS ad illum gratia baptisandi venire non distulit. *Super quem videris*, inquit, *spiritum descendentem, & manentem super eum, ipse est qui baptisat.* Ipse etenim amicus sponsi, fidelis humilisque præcursor, quo inter natos mulierum teste Veritate, non surrexit maior. Baptisans & baptismum prædicans sicut sacer Euangelicus sermo describit. Ait enim. *Ego quidem vos baptiso in aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igni.* Quomodo in Spiritu sancto & igni baptisat, hodierna festiuitas satis aperte ac solemniter approbat. Beato F Luca Euangelista in Actibus Apostolorum narrante cognoscimus, quia *apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus.* Idcirco, dilectissimi fratres, de Sacramento Baptismatis, hodie vel modicum dicere libuit, quoniam illud isto in tempore Christiana religio magis ac magis peragere consueuit. Baptisatur CHRISTVS, & non modo iam Patriarcharum prodigiis, non prophetarum oraculis, sed voce patris dilectus filius approbatur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* De quo Psalmista. *Rex dilecti, dilecti.* Et de quo Salomon in Canticis. *Dilectus ex dilectis.* Deinde sancto ducente Spiritu, desertum petiit, exempto † quadragesimali ieiunio, vt († exacto.) pote verus homo esuriit, Diaboli tentamenta diuina virtute superauit, deinde angelico, vt verus Dei filius, vsus ministerio, postmodum, vt Esaias propheta multo ante præcinuit, terram Zabulon, & terram Nephtalim adiit; habitantibus in regione vmbræ mortis, & sedentibus in tenebris lumen veritatis ostendit, semetipsum videlicet qui dixit. *Ego sum lux mundi*, & de quo G sanctus Euangelista. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vocatis discipulis cœlestis disciplinæ perfectionem tradidit eis, octo beatitudinum species disserendo, fontem se totius beatitudinis esse declarauit. Aperta pronunciauit in quibus ædificaremur, obscura proposuit in quibus exercitaremur. Quibusdam vero assumptæ carnis motibus, sed prorsus peccato carentibus hominis filium se esse demonstrans, insolitis miraculorum prodigiis diuinitus adhibitis: Dei filium se esse contestans, & sic humana diuinis, diuina humanis coniungendo, ex duabus substantiis in vna persona prædicatur Christus, Deus verus & homo.

Videamus quomodo diuinitati famulabatur humanitas, vel quomodo humanitati fauebat diuinitas. Lazarum suscitans, quod est Dei, amicum fleuit, quod est hominis, & sic de cæteris. Sed vt de multis pauca referam, Infirmos curans ingemuit: famelicos pascens, H oculos ad cœlum leuauit: discipulos alloquens in montem ascendit: languidos curans, in campestribus stetit. Esuriens, superauit hostem. Excitatus à somno, pontum iubet esse quietum. Sitiens, Samaritanis propinauit salutem. Cum capi voluit, inimicos retrorsum cadere fecit. Moriens, mortem pertulit, & in morte eius omnis creatura congemuit. Morte etenim Christi tenebrescunt lumina cœli, scinduntur velamina templi. Captiuos reddit infernus, rediuiua cadauera tellus. In mortis discrimine hominem agnosce, in virtutis operatione DEVM intellige. Cum enim à mortuis resurrexit, seculo vitam reddidit, suis fidelibus spem resurgendi concessit. In diuinitatis potentia clausis ianuis ad discipulos intrauit, in resumpto corpore stigmata passionis palpabilia monstrat. Ostendens quod in eadem carne sumus resurrecturi, & ampliori gloria sine fine victuri. Et vt nemo diffideret de gloria Resurrectionis, carnem quam DEI filius ex nobis assumpsit, ad cœlos ascendens collocauit in dexteram patris, vt eo nos ascen-

suros

A furos credamus, quo caput nostrum nos præcessisse cognoscimus. Inde fidelibus hodie in Spiritu sancto Dei dilectio mittitur, quæ per Apostolum Charitas nominatur. *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Spiritus etenim Sanctus, patri & filio coæternus & consubstantialis, non sicut minor & nolens transmittitur, sed sicut æqualis propria voluntate à Deo Patre & Filio mittitur, quia sicut Veritas dicit, *Spiritus vbi vult spirat*,

Obmutescant qui in diuinitate Spiritum sanctum minorem esse somniant, & qui inter creaturas creatum esse connumerant. Non potest esse minor, qui totius operis diuini legitur, & creditur esse cooperator. Nec inter creaturas potest connumerari, qui creator & renouator est totius machinæ mundi. Si creatorem, & renouatorem Spiritum sanctum prædico, desideranter propheticis verbis consentio. *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

B Si cooperantem totius diuini operis esse pronuntio, ab auctoritate diuinæ scripturæ non dissentio. Quando DEVS per verbum fabricam mundi condidit, Spiritus sanctus super aquas ferebatur, sicut diuina pagina diuinis lectoribus innotescit. Postquam priore gratia inuidia diaboli primis hominibus adempta, pietas diuina ad agnitionem sui, hominem pereuntem reuocare voluit, Spiritus sanctus Patriarchas edocuit, Prophetas impleuit, Dei filium Virginem parituram Angelo nuntiante obumbrauit, super eundem CHRISTVM baptizatum in specie columbæ visibilis apparuit, idem in igneis linguis super Apostolos hodierna festiuitate descendit; & quos putos homines inuenit, Deos, immo & Dei filios per gratiam adoptionis effecit. Pulchre Spiritus sanctus Deus ac Dominus, creator ac renouator dicitur, quia quos in baptismo diuina regeneratione recreat, remittendo peccata à contagio veteris hominis reuocat, & in secundi hominis speciem renouando commutat. De eodem spiritu per Psalmistam dici-

C tur. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et Salomon de eo. *Omnium artifex docuit me sapientia.* Quia sicut Apostolus dicit. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, Et. *Nemo in spiritu Dei loquens dicit Anathema Iesu.*

O quantus est iste artifex, quam potens, quam efficax, qui sicut cum patre & filio, omnia ex nihilo condidit: ita corrupta potuit reparare cum voluit. In illis Homeliis quas ad gloriam præsentis diei dno illi amplissimæ auctoritatis describunt Gregorii, quædam spiritus opera nitescunt principalia. Ideo principalia, quoniam à tantis auctoribus suo i festiue prolata. Dicunt quoniam Spiritus sanctus Dauid Citharœdum puerum, multiplici sua gratia præditum, prouexit ad regni fastigium Amos agrestem hominem vellicantem siccamina, mirabili potentia ditauit authoritate prophetica. Petrum peritum piscium captione, pastorem fecit totius Ecclesiæ, Matthæum publicum exactorem, Euangelicum fecit esse scriptorem.

D Fecit ex Saulo Paulum, & ex lupo agnum, ex persecutore Doctorem. Fratres, quantum est hominem de Deo loqui? Quid plus dicam? Dicam tamen quod sentio. Quicquid est, quicquid fuit, quicquid vnquam esse bene poterit, huius artificis munere non carebit. Nam quicquid ordinem seruat iustitiæ, quicquid profectum præstat prudentiæ, quicquid virtuti cedit victoriam, quicquid honestam facit temperantiam, quicquid rectum in fide, in spe certum, in charitate perfectum, totum ab illo initium & augmentum percipit, qui præsentem diem, aduentus sui præsentia mirabiliter consecrauit. Cuius nos gratia gratificati, lumine illustrati, consolatione consolati, diligamus Dominum nostrum Iesum Christum, sermones eius seruando, vt digni mereamur fieri dilectione, aduentu & hospitio Dei Patris & Filii, & eiusdem Spiritus Paracleti, ita vt ad nos tota Trinitas veniat, & templum nos gloriæ suæ inhabitando perficiat Deus vnus, viuus & verus qui absque initio & sine fine per infinita secula seculorum viuit & regnat. AMEN.

E

DE ADMIRABILI PRÆCVRSORIS Christi Ioannis Baptistæ Natiuitate.

SERMO X.

ORtum Dominici Præcursoris celebrantes, fratres charissimi, oportet nos fideli deuotione perpendere, quantas ob eius memoriam cum gratiarum actione laudes Deo debemus persoluere. Ad repellandas igitur, & effugandas densissimas ac teteas mortis & ignorantiæ tenebras, quas tenebrarum auctor mundo infuderat, venturum erat lumen illuminans omnem mundum. Idcirco consequens erat, vt illud ineffabile & æternum temporalium & rationabilium numerositas præcederet lucernarum. Patres dico Religionis antiquæ, quorum virtutibus, exemplis, & dictis fideles populi illu-

F minati & docti, discussa perpetuæ cæcitatis caligine, cum illud superueniret, si non ex toto, vel ex parte possent agnoscere. Fuerunt itaque, vt diximus, lucernæ, non à se, nec aliunde, sed ab illo supremo lumine illuminante, cultores videlicet cælestium præceptorum, alii ante legem, alii sub lege, alii vero Iudicum, Regum, & Prophetarum temporibus; Dominicæ Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis mysteria præconantes. Post quos Domini Præcursor Ioannes effulsit, qui omnium Patriarcharum præconia & vaticinia Prophetarum luce perspicua deduxit ad publicum. Hic enim vir sanctus non solum iustus, sed etiam ex parentibus iustis exortus. Iustus in prædicatione, iustus in omni conuersatione, iustus in passione. Cuius natiuitatem, iustitiam & sanctitatem, & omnes sacratissimos actus Gabriel nuntiauit Archangelus, stilus ad plenum descripsit Euangelicus. Dignum valde erat, vt puer tanta præditus dignitate, tali vocaretur nomine. Vt enim maiorum nostrorum testatur auctoritas, siue prudentia, Ioannes interpretatur Dei gratia, siue in quo est gratia. Quantæ

G sanctitatis, quantæque cœlestis gratiæ Domini Præcursor ditatus est munere, humanæ scientiæ sermo non potest dicere. Et quia de eo humanæ scientiæ sermo dicere non valet, quod de eo & ad eum dictum est, silere non debet. Quid præstatur homini tanto, cum de illo tantillus loquitur homo? Quid valet ad hæc exiguitas hominis, quoniam de illo summa & ineffabilis loquitur Trinitas? Loquitur de eo Deus pater in Psalmo, loquitur idem in Euangelio. In Psalmo, *Paraui lucernam Christo meo.* De quo sanctus Euangelista. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* In Euangelio. *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, ipse est qui baptizat.* Quædam vero testimonia, quæ Spiritus sanctus per Esaiam & Hieremiam in Domini Saluatoris persona specialiter intonat, ad præcursorem eius cœleste magisterium & sensus Catholicus conuenienter pertinere denuntiat. Multo etiam apertius ei Spiritus sanctus testimonium perhibuit,

H quo repletus ad aduentum Genitricis Domini clausus adhuc matris vtero, vt Euangelium loquitur, non natura præstante, sed gratia annuente, mirabiliter exultauit. Ipse enim Dominus CHRISTVS, cui testimonium ille perhibuit dicens, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: tempore suæ prædicationis, de illo dicit. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, & quem inter natos mulierum maiorem fuisse dicit, leuitatis vitio & voluptate deliciarum carere innotuit. Prophetam & plusquam Prophetam eum esse asseruit, & quem ipse potentis suæ diuinitatis tantarum virtutum & gratiarum priuilegiis dedicauit, vt mortalium omnium merita excederet, Angelum à Deo vocatum, & ad præparandum iter salutis ante se missum, Prophetæ Malachiæ oraculo referente, perdocuit. Si enim Angelus Græce, Latine dicitur nuncius merito, B. Ioannes appellatus Angelus, qui nascendo de sterili matre, nuntiabat nasciturum de Virgine matre. Prædicando nuntiabat prædicaturum, baptizando baptizaturum, patiendo passurum, eiusque passione genus humanum redempturum. Qui viuit &

A regnat cum Deo Patre & Spiritu sancto, Per omnia secula seculorum. Amen.

IN VIGILIA APOSTOLORVM
Petri & Pauli.

SERMO XI.

IN exordio vigiliarum Apostolicæ solemnitatis illum puerum Citharœdum, Dauid dico Regem potentem, & fortissimum Israeliticæ plebis ducem, qui tanta Dei gratia & prouidentia præditus est, vt ex eius propagine Virgo eligeretur, ex qua Dei filius corpus nostræ redemptionis susciperet, istum tantum ac talem cantantem audistis, & eum eo lætis vocibus & piis affectibus cantastis. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Cœlos audiuimus, firmamentum vidimus. Cœlos gloriam Dei enarrantes, firmamentum annuncians. B Quæramus & videamus qui sunt isti cœli, & quomodo enarrant gloriam Dei, & quod est firmamentum, & qualiter opera Dei annunciat. Non enim introduceret sermo Propheticus gloriam Dei enarrantes cœlos, nec opera Dei annuncians firmamentum, nisi spiritualiter vellet intelligi Apostolos & Apostolicos viros, super fundamentum & firmamentum fidei immobiliter constitutos. Si vero propheticum sermonem ad litteram intelligere volumus, dicamus, quia tunc cœli gloriam Dei enarrant, quando Solem & Lunam & stellas in sese compositas, miro ordine suis temporibus repræsentant, & firmamentum opera Dei annunciat, cum astra cœli in se & lucere & moueri præmonstrat.

Non enim consequenter sic, sed magis intelligere spiritualiter debemus. Figuram vero magis cœli ac firmamentum spiritalium Doctorum possunt retinere, quam gloriam Dei & opera manuum eius ad liquidem demonstrare. Sunt enim hæc elementa muta & irrationabilia, sed C cœlesti virtute & diuina Sapientia rationabiliter & sapienter disposita. Et quia iam prænuntiati Psalmi sensus noster ad literam quæ occidit dignosci non valet, necesse est Spiritus qui viuificat, vt spiritaliter intelligamus, nos spiritualiter doceat. Apertissime enim patet spiritales cœlos, sanctos fuisse & esse Apostolos. Si enim cœlos dicimus quos præstantissimos scimus, in ordine doctorum per diuersa tempora contemporalium suorum, profecto isti sunt cœli cœlorum, isti sunt doctores doctorum, principes populorum, filii excussorum, qui ob meritum magnæ fidei, Abrahæ maximi Patriarchæ effecti sunt filii, de quibus in Psalmo Spiritus sanctus Ecclesiæ loquitur dicens. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram.* Cum enim Petrum & Paulum cœlos dicimus, non ab illo excelso nomine alios Apostolos excludimus. Omnes ergo Apostoli rite vocantur cœli, per quos mundus agnouit doctrinam veræ fidei. Ergo Petrum & Paulum cœlos dicimus, & vtrumquemque illorum firmamentum fatemur.

D Primum videamus qua auctoritate diuinarum litterarum appellantur cœli; qua assertione scripturæ firmamentum dicantur. Deinde quomodo vel qualiter gloriam Dei enarrant, quam alte & profunde opera Dei annuntient, non enim immerito cœli vocantur Apostoli, Domino dicente per Esaiam. *Cœlum mihi sedes est*, & iterum scriptura. *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Et si anima iusti sedes est Sapientiæ, & cœlum sedes Dei est, Anima Petri & anima Pauli, sedes sunt Dei, & sedes sunt Sapientiæ, sicut ipse Paulus asserit, Dominum CHRISTVM Dei virtutem Deique sapientiam esse, &, si super humilem & quietum & trementem verba sua Dominus requiescere se promittit, proculdubio in illis sedem suæ diuinitatis constituit, in quibus sedens & habitans mundum sibi sternit, & per eos fidelibus populis iter salutis ad † viam veræ humilitatis ostendit. Cognouimus scriptura testante Petrum & Paulum spiritales esse cœlos; videamus illos enarrantes Dei gloriam, non nostris, sed

† ac

E eorum ipsorum sacratissimis verbis. Nonne enarrabat Petrus gloriam Dei, quando dicebat se speculatorem factum esse cœlestis ac diuinæ magnitudinis, & accepisse Dominum Iesum à Deo patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Et Hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam cum essemus cum ipso in monte sancto.* Nonne firmamentum erat Petrus cum dicebat. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus?* Cum enim deos adloqueretur stans in medio plebis in firmamento veræ fidei dixit. *Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute. Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam DEVS erat cum illo: & non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Paulus etiam nihilominus cœlum aut firmamentum fuisse & esse F creditur, cum ab eo dictum fuisse legitur. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.* Et in alio loco. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Si quis vult scire vera esse quæ breuiter proposuimus, legat studiosus Actus Apostolorum, & epistolas amborum, & cum eos inuenerit diffusius, abundantius & manifestius gloriam DEI enarrantes, & opera manuum eius annunciantes, credat certissime eos firmamentum fuisse & cœlos. Non est Paulus inferior Petro, quamuis ille Ecclesiæ fundamentum. Nam & hic sapiens Architectus, sciens vestigia credentium fundare G populorum. Nec Paulus, inquam, indignus Apostolorum collegio. Cum primo quippe facile conferendus, & nulli secundus; nam qui se imparem nescit, Dei præueniente gratia fecit æqualem. Ambo à CHRISTO vocati, ambo in CHRISTO fideliter conuersati, ambo à CHRISTO gloriosissime coronati. Alter vocatus de littore, alter appellatus ab æthere. Ille de piscatione, iste de persecutione, & idcirco duplici sunt digni honore, quia simul laborauerunt in verbo & prædicatione. Cæterum fratres, domini, seniores, & Patres, quorum prædicamus initium piæ conuersionis, & fidei & sanctæ conuersationis prouectum; eorum libet & dicere admirabilem & prædicabilem exitum. Scimus etenim Romam (vt ipsa cum toto orbe sibi subdito gloriatur & prædicat) horum prædicatione edoctam, horum sanguine consecratam, horum meritis & præsentia de variis erroribus in vnitatem fidei permutatam. H Fuit in conflictu & congressione sanctorum fides firma, spes certa, & victoriosissima charitas, fuit contra eos impia Neronis crudelitas, & Simonis Magi nefandissima falsitas, horum insectatione Petrus cruci affixus, Paulus capite plexus, alter passus cruce, alter truncatus ense. Idem passionis locus, par & sepulturæ loculus. Meritis fuerunt æquales, & passione pares, cœlestis regni heredes, & CHRISTI coheredes. Qui quos vocauit, vt alter istorum asserit, illos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & magnificauit, & quos magnificauit, illos & glorificauit. Quorum iustitiam enarrantes, & magnitudinem laudando magnificantes, ad illam gloriam mereamur pertingere, ad quam illos hodierna die prædicamus & credimus peruenisse. Amen.

* *
*

DE ASSVMPTIONE DEI GENItricis Mariæ.

Congrue satis & conuenienter videtur à patribus fuisse sancitum, vt in memoria Domini Genitricis, ea recitetur Euangelica lectio, quæ narrat illas duas mente & carne sorores Dominum Iesum excepisse hospitio. Cui enim illa venienti in mundum templum præparauit virtute cœlesti sacratum, & perpetuæ virginitati dedicatum, huic istæ, vt Euangelium loquitur, temporalis habitationis præparauerunt domum, & piæ humanitatis ac sincerissimæ charitatis præbuerunt obsequium. Harum enim vita & actus ita fuerunt mirabiles, & fidelium recordatione celebres, vt diuinarum literarum Catholici & doctissimi tractatores. Martha igitur quæ curam domus gerebat, & tanto talique hospiti eiusque discipulis, quæ necessaria erant præbebat, actiuæ vitæ figuram, vt diximus, præferebat. Per Mariam vero, quæ ad pedes Domini sedens, instantissime sermonis eius audiebat colloquia, vita perspicue præmonstrabatur contemplatiua. Eia fratres charissimi, videamus si domina nostra in domo Domini & Dei Genitrix, & semper Virgo Maria, vtramque vitam ad plenum exercuit, & actiuam vitam laudabilem, quam opere Martha excoluit, & contemplatiuam optimam quam Maria audiendo & eligendo obtinuit. Sane sicut dilectum Domini Ioannem Theologum de humanis & corporalibus actibus Domini Iesu pauca dixisse, & multa de natura diuinitatis eius, & potentia & maiestate dixisse & scripsisse, teste sacratissima serie descriptionis eius cognoscimus: ita Domini Genitricem non adeo fuisse credimus intentã actiuæ conuersationi, quam se totam contulit diuinæ cõspeculationi. Non enim ad actiuam vltra quam matrem Domini decuisse contraxit, sed toto mentis affectu & desiderio, ad vitam contemplatiuam erexit: & ne ex toto esset vitæ exors actiuæ, postquam est electa à Domino, salutata ab Angelo, obumbrata à Spiritu sancto, fœcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter deuium, & abrupta montium veniens vt deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum. Helisabet salutans. Cognouit in spiritu in sinum eius nobile pignus depositum, & his paucis vt diximus, Marthæ compleuit actum. Si Martha fœlix, quæ actiuæ vitæ præferebat figuram quanto magis istæ sacratissimæ, de quibus loquimur personæ extiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum & munerum meruerunt fieri compotes? Quæ maior potest esse felicitas, quam cum in matre Domini, & vt ita dicam in aula regali, in aluo virginali fœcunditas regnat & virginitas? quam cum in fœcunda & vetusta generat & parit sterilitas, & cum ætas senectutis & antiquitatis nomen promeruit nouæ paternitatis? Et vt beatus Hieronymus iocundo sermone prosequitur, Ioannes etiã ad introitum Mariæ exultauit & lusit: & per os Virginis audiebat verba Domini pertonantis, & de vtero matris gestiebat in occursum eius erumpere. Quomodo, quantũ & qualiter officiis & obsequiis speculatiuæ vitæ cum altera Maria se subdidit, Gabrielis Archangeli profiteatur assertio, sermonis Euangelici prosequatur oratio, quia ad hæc narranda nostræ paruitatis deficit sermo. Vnum profecto scimus, quia omnis eius vita & actio intenta semper fuit in Domino. Et sicut de altera Maria dictum est. *Ista optimam partem elegit*, quia prima omnium fœminarum, Deo virginitatem obtulit: idcirco promeruit, vt Dei filius Angelo nunciante, ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet. Diximus eam semper intentam fuisse speculationi diuinæ, sed oportet nos hoc ipsum Catholicis verbis astruere. Vt enim humano vsu loquar, vbi erat corpore, quando à Domino mittebatur Angelus ad eam? vtique in domo parentum. Vbi erat spiritu? vere, vt diximus, in illo diuinæ speculationis intuitu. Quid agebat? Sine præiudicio alicuius irreprehensibiliter viuens, vt suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat, Canticum quod cecinit tympanizans exclamat, *Magnificat anima mea Dominum.* Quid legebat? forsitan occurrebant ei diuinæ Scripturæ testimonia ad illud ineffabile Sacramentum, quod in ea gerebatur, sine dubio pertinentia. Nonne in pignore, quod gerebat, illud impleri posse credebat Mosaicum? *Prophetam* inquit, *suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis.* Et multas alias in aperto cernebat Prophetarum sententias, in quibus tanti sacramenti ac mysterij præmonstrabatur & ad liquidum declarabatur veritas. Nonne ad hoc pertinere videbat illud Iacob Patriarchæ testimonium dicentis. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium?* Quid manifestius quã quod ille fatebatur, Balaam ariolus, ex se falsiloquus, Dei nutu verdicus? *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & exurget homo de Israel.* Sciebat enim Dei Genitrix mater diuinæ contemplationis assumpta, Dauidicis edocta testimoniis, processurum de se Dominum, tanquam de thalamo sponsum eundemque speciosum, vt idem Propheta præcinuit, præ filiis hominum. Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Esaiam Prophetam recolebat dixisse. *Ecce Virgo concipiet & pariet filiũ.* Et, *Egredietur virga de radice Iesse, flos de radice eius ascendet.* Quid apertius? quid iocundius? & Virginem parituram, & virgam de radice Iesse processuram nobilissimus Prophetarum pronunciat.

Placuit igitur inserere huic nostræ declamatiunculæ sententiam Psalmi octogesimi sexti, quam ad memoriã Domini Genitricis, & mysterium Dominicæ Incarnationis, & natiuitatis B. Ambrosius vir per cuncta laudabilis, & verus assertor fidei Catholicæ, adeo festiue voluit exponere, & ideirco, vt dixi, sententiam tanti Pontificis paupercuIo nostro operi apponere volui, vt quod digne non potuit persequi ingenioli nostri paupertas, sententiæ tanti Pontificis nobilitet & commendet auctoritas. Ait enim secundum antiquam interpretationem iam dictus doctissimus doctor. *Mater Syon dicet homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Matrem autem secundum diuinitatem habere non potuit, qui auctor est Matris. Ille factus est non diuina generatione, sed humana. Quia homo factus, Deus natus est. Sic & alibi habes. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* In puero enim nomen ætatis, in filio, plenitudo est diuinitatis. Factus ex matre, natus ex patre. Idem tamen & natus & datus, non diuersum, sed vnum putes. Vnus enim Dei filius, & natus ex patre, & ortus ex Virgine. Distanti ordine, sed in vno concurrit nomine sicut & præsens lectio docet, *Quia & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Homo vtique corpore, altissimus potestate. Etsi Deus & homo diuersitate naturæ idem tamen non alter in vtroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud nobiscum commune, sed in vtroque vnus, & in vtroque perfectus. Non igitur mirandum est quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, fecit ergo Iesum. Eum vtique qui ex corpore nomen accepit, & fecit eum à quo etiam Patriarcha scribit Dauid. *Mater Syon dicet homo & homo factus est in ea*: dissimilis vtique non diuinitate, sed corpore. Nec discretus à Patre, sed exceptus in munere. Huius etenim muneris gratiam Angelo nunciante Virgo Maria Dominum concipiendo promeruit, pariendo obtinuit, & post partum Virgo perpetuo permanens incorruptam possedit. Eiusdem gratiæ muneribus conserta vt fas est credere, omne tempus Dominicæ infantiæ, pueritiæ & adolescentiæ cum ipso peregit, & obsequium maternæ dulcedinis, vt vera mater, vero humanitatis suæ filio ministrauit. Quæ fuerunt illorum inter se colloquia, quam dulcia, quam amabilia, quando in matre fulgebat virginitas, & lætabatur fœcunditas! In filio apparebat humanitas, & latebat diuinitas. Quantum vel quale illud erat Deificum ac virginale consortiũ? non dico nostrum, sed omnium hominum prorsus excedit intellectum. Deinde idem ipse qui erat vnigenitus Virginis matris, cum voluit apparere vnicus Dei Patris, tempore sui baptismatis hoc ipsum ostendit maiestas trinitatis, Cum Pater auditur in voce, Filius videtur in homine Spiritus dignatur est in specie apparere colũbæ. Est enim huius magnitudinis testis, magnus præ cæteris nomine Ioannes à Deo missus. Iste vero tantus homo, qui hactenus erat Dominicæ incarnationis & Natiuitatis ar-

cani mirabiliter conscius, factus est minister mirabilis mysterij huius.

Nos ergo, fratres, vt corde credamus, & ore confiteamur tres denominatiuas & discretas personas, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnius esse diuinitatis, deitatis, dominationis, esseotiæ, simplicisque substantiæ, æqualis etiam maiestatis, virtutis boooris, potestatis, æternitatis, immensitatis & gloriæ, ammoneant nos & doceant veritatis veracissima verba, Prophetarumque, Apostolorum & Euangelistarum veridica testimonia. Et vt in tribus personis summa, simplex, æterna, & incomprehensibilis credatur, confiteatur & adoretur vnitas, summa etiam, simplex, æterna & incomprehensibilis credatur, confiteatur & adoretur Trinitas: inuitet nos sanctarum diuinarum scripturarum sinceritas, & Catholicorum Patrum, eorum videlicet fidelis anctoritas nos doceat, in quorum intellectu & scriptis fidei pietas & veritas noo vacillat. Mysterio itaque baptismtis peracto, ac præsentia totius Trinitatis cõsecrato Dominus Iesus non alieno, sed suo spiritu & propria voluntate desertum petijt, vbi ad teotãdum eum malignus spiritus iouenit. Qui ipsius virtute superatus, Angelis ministrantibus recessit ab eo confusus. Postea à B. Ioanne inuenitur, & ob incomparabilem innoceotiam, ab eo Agnus Dei, mundi peccata tollens, appellatur. Et ne lumẽ diuinitus accensum sub modio poneret, sed nec diutius celaretur, exiuit ad publicum. Et quia totum inuenit mundum peccatis obnoxium; omnibus medicinæ indixit remedium, & in suo aduentu appropinquare dixit regnum cœlorum. Et vt illud Esaiæ impleretur vaticiniũ. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Deinde ipso diuinitatis suæ lumine præeunte, ex diuersis huius vitæ conuersationibus & officiis, vt Euangelia loquuntur, discipulos vocauit, & ex illis duodecim elegit, quos & Apostolos vocauit, per quos humano generi salutis iter ostendit. Quorum sacro eonuentui, & nobili contubernio, semper adhærebat sanctissima Virgo, Cum illis semper habitabat, seseque dominicis conspectibus frequenter præsentari gaudebat. Eam verò optimam partem quam soror Marthæ Maria in spe & figura gerebat, Dei Genitrix in re vera firmissimè retinebat, & cum Apostolis de humanis Christi actibus vt veriùs ac specialius, cognoscebat, veriùs ac specialiter conferebat, vt ab ea discerent qualiter arcanum tanti mysterij & ipsi crederent, & lucidius aliis enarrarent. Et cum opportunum fieret sine omni ambiguitate scriptis mundo transmitterent. Ipsa vero vt sanctus Euangelista Ioannes refert, Domini miraculis nonnunquam interfuit. In his & in cæteris diuinitatis eius operibus & virtutibus, vltra quàm dici potest gloriabatur. Et si Maria quondam peccatrix, cui donando peccata erat propitius, intentè audiebat verba ex ore eius, quanto magis hæc, quæ erat mente & corpore sancta, audiebat ardentius, cuius idem ipse & Dominus erat & filius? Cæterum vt Symeonis iusti prophetia impleretur dicentis. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, tẽpore Dominicæ passionis cũ dilecto discipulo de ea dictum est. *Ecce mater tua.* Circa sepulturam vero Dominicam multo magis quàm mulieres illas sanctas quidẽ dicunt fuisse sollicitam, quorum opinionem, ni fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius Poëta Euangelicus, Orator facundus, scriptor Catholicus.

Si enim scire volumus, quid Genitrix, post Resurrectionem Domini, antequam ipse cœlos asceoderet, agebat: sine dubio loca Dominicæ Natiuitatis, Passionis, sepulturæ & Resurrectionis, frequeorer circuiens, inuisere cupiebat. In eisdem etiam locis lachrymas fundebat, & sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium, Apostolicum videlicet cõtubernium, pasta iotuitu Dominicorũ locorum cũ gaudio remeabat. Credimus eã interfuisse gaudijs Dominicæ Ascensionis, in die sancto Pentecostes cum sanctis Apostolis percepisse eam gratiam Spiritus sancti, quam constat esse plenissimè habere ab ipsa conceptione Christi. Si quis verò adhuc studio pietatis, vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post Ascensionem Domini egerit, quam sanctè & iustè vixerit, & cum quibus habitauerit, soli Deo cognitum esse videtur, & Gabrieli Archangelo, cui eius causa E tota commissa esse prædicatur à Domino, & Angelis sibi conlætantibus, secumque conloquentibus, Ioanni etiam dilecto Domini discipulo qui ab ipsa cruce suscepit in sua sollicitudine & cura, videlicet vt virgo virgini deseruiret, & Domini Matri rependeret seruitutis & dilectionis obsequium, qui eum præ cęteris sua dilectione fecerat dignum. Beatissimo etenim Petro Apostolorum Principi cæterisque Apostolis noo incognita fuit eius purissima vita & actio: sancta quoque & admirabilis & prædicabilis conuersatio. Quippe quia cum eis semper fuit ab ipsorum conuersionis initio, vsque ad illum diem in quo vnigenitus Dei filius, homo ex ea vera fide genitus, à laboribus huius vitæ voluit eripere, & ad gloriam sibi à seculis præparatam, vt creditur & prædicatur, super choros Angelorum dignatus est eleuare.

Huius diei lætitiam hodie totus mundus concelebrat, hodie namque ob venerationem Assumptionis Domini Genitricis Angeli lætantur, Virgines gratulantur, Patriarchæ & Prophetæ Deo gratias referunt, quia præsagia & va- F ticinia sua per eandem Domini Genitricem completa esse cognoscunt, Apostoli & Euangelistæ tripudiant, cum in carne Dominum venisse, & de Virgine natum vera fide scriptis suis pronuntiant. Gloriantur etiam hodie Martyres, Genitricis Domini sui solemnia dignis laudibus celebrantes. Gaudeot summi Pontifices, Confessores & Doctores Catholici, dum per eorum doctrinam fideles Dei credunt & colunt Dei filium suscepisse quod non erat, & oon amisisse quod erat; & Genitricem Domini prædicant Virginem peperisse, & post partum Virginem extitisse. Dicam aliquid plus, si audeo: dicam fideli præsumptiooe, dicam pia temeritate. Totus mundus hodie condigna iubilatione lætatur & gaudet, Tartarus tantummodo vlulat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium & lætitia huius diei, claustris infernalibus inclusis, aliquod remedium & refrigerium præstat. Non audẽt, vt opinor ministri Tartarei hodie attingere suos captiuos, G quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine. De cuius Virginis meritis & gloriosissima hodierna eius Assumptione, diuinæ legis interpres, sanctus videlicet Hierooymus, & alij Doctores egregij talia ac tanta potuerunt & voluerunt dicere, quibus nos nec audemus aliquid, nec debemus adijcere. Et qui ad plenum vult cognoscere gloriam solemnitatis hodiernæ, legat Sermonem quem supradictus Pater Hieronymus edidit, & ad sanctam Paulam, & ad Eustochium filiam eius Virginem: & ad cæteras virgines non solum præsentes, sed etiam ad superuentoturas transmisit. In eodem verò sermone possunt addiscere virgines feminæ, & non solum virgioes feminæ, sed etiam virgines masculi, quomodo debeant virginum virgini, virginaliter ac viriliter militare. Hodie, reuerendissimi Patres & charissimi fratres, domioi & seniores, matres & sorores deuotissimæ, beatæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ celebremus festum, vt per eius singulare meritum, & orationes omnium sanctorum, sanctarumque virginum, pium mere- H amur habere atque propitium Virginis filium, & Virginum sponsum, Dominum nostrum Iesum Christum, Qui viuit & regnat cum Deo Patre, & Spiritu sancto, Per omnia secula seculorum. Amen.

Dei verò Genitrix, quæ hodie ad cœlorum gloriam, super choros Angelorum, & vsque ad summæ diuinitatis præsentiam, assumpta esse creditur, veneratur & colitur, ipsa est, vt quidam ex nostris humili deuotione alloquentes soliti sunt dicere. Tu es enim aula Regalis, forma pudoris, id est verecundiæ, quæ semper est comes indiuidua itiuidua integræ virginitatis, & continuæ castitatis. Tu es enim post Deum causa præcipua humanæ salutis. Tu mater singularis, tu Virgo perennis. Tu mater intacta, tu Virgo fœcunda. Tu mater sine viro, tu Virgo sine exemplo. Tu puerpera sine tuæ integritatis dispendio. Tu tot diuinis muneribus functa, tu tantis muneribus cœlestibus cõpta. Tu tam granditer gratia Dei es referta, vt per florem tui virginalis vteri omnipotens Pater superaret tenebrarum Principem, mortis auctorem, & amoueret à Paradi-

A fi aditu, gladium flammeum atque versatilem: & per eum quem tua generauit virginitas, cœlestis regni fidelibus aperiret portas, quas clauserat hostis antiqui calliditas, & priorum parentum præsumptuosa temeritas. Per has itaque portas, vt credidit fidelium fidei firmitas, assumpsit te ad æternitatis suæ solium cum multitudine Angelorum, occurrens tibi festiue ex te incarnata Diuinitas, sicut vniuerso orbi hodie tuæ gloriosæ Assumptionis repræsentat celebritas. Nos vero ad huius pauperculæ declamationis cumulum, non hymnum, sed ad instar hymnorum, tenuem satis & pauperem composuimus dictionem.

IN EADEM ASSVMPTIONE S. Mariæ. Hymnus.

ADest dies lætitiæ,
Iocundus omni lumine,
B In quo Regina Virgioum
Scandit iter astriferum.
Angelorum præfulgidis
Circumuallata cuneis:
Quamque sanctarum Virginum
Sequitur agmen inclitum.
Vt decet omnes credere,
Cœlesti diademate
Clarus, occurrit obuius
Christus, ex ea genitus.
Vltra Angelorum gloriam
Torum delicti nescium,
Secum ad patris solium
Reportat pignus optimum.
Cœlestis regni ciuitas,
Et eius omnis dignitas,
Parentem sui Principis
Votis honorat congruis.
Cum quibus nos lætissima
Huius diei gaudia
C Concelebremus alacres,
Deum laudando, supplices.
Huius festi clarissima
Prosequemur præconia.
Mentis affectu supplices,
Effectu vocis alacres.

Reliqua desiderantur in MS. sicut & magna pars Sermonis sequentis.

DE NATIVITATE B. MARIAE Virginis.

SERMO XIII.

. . . . . partum. Talibus enim obsequiis, Angelus intentam inuenit, atque salutauit, vtpote Virgo verecunda erubuit, à quo confortata, quæ dicebantur credidit, & credendo auctorem nostræ salutis edidit Iesum Christum D Dominum nostrum, quem Patriarchæ & Prophetæ præuiderunt & prædixerunt de virgine nasciturum. Apostoli viderunt & prædicauerunt vera fide iam de Virgine natum, & ipsum factum esse secundum humanitatem, qui semper erat secundum diuinitatem. Quid erat? Quid factus est? Deus erat, homo factus est. Suscepit humanitatem, non amisit deitatem. Factus humilis, mansit sublimis. Natus est homo, non destitit esse Deus. Natus est paruulus, latens magnus. Qui libēter amplectitur Deum natum, non horret Virginis partum. Dicit Deus creator hominis, filius hominis. Quid est quod te permouet in mea Natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate, ego Matrem de qua nascerer, feci: ego viam meo itineri præparaui atque mundaui. Hanc quam despicis Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cùm eam facerem: potui inquinari cùm ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata maiestas. Si solis radius cloacæ sordes exsiccare nouit, inquinari non nouit, quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinatum occurrit? Quocunque radiauerit, mundare E potest, ipse pollui non potest. Stulte vnde sordes in Virgine, vbi non est concubitus cum homine parte? Vnde sordes in eam quæ nec concupiendo † libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit? Solus ad eam Dominus & fabricator venit, vestem quam non habebat induit, eamque sicut inuenit, clausam reliquit. Sicut ille natus est solus inter mortuos liber, sic istius ex qua natus est, matris pudor solus permansit integer. Eua inobediens meruit pœnam, Maria obediens consequuta est gratiam. Illa gustans prohibitum, maledicta fuit. Hæc credens Angelo est benedicta. Illa nobis mortem contulit: hæc vitam nobis peperit. Quid agis Manichæe? Christi matrem opprimis, nō Christum defendis. Taceat immunda . . . . . quia de mundissima Virgine natus est mundi . . . . Cui est cum Deo Patre & Spiritu sancto æqualis honor . . . F . . nec differens gloria, coæterna maiestas, Per infinita secula seculorum. Amen.

† Concipiendo.

DE EADEM NATIVITATE, Hymnus.

ORitur sydus inclitum,
Illustrans omne seculum:
Per quod dies & tempora
Assumunt vitæ lumina.

Reliqua non extant in MS.

DE INVENTIONE S. CRVCIS.

SERMO XIV.

POst illum singularem & admirabilem, & toto mundo prædicabilem & salutarem, Dominicæ passionis triumphum, & eiusdem Domini nostri Resurrectionis gloriam, G & sacrosancta festa paschalia, dignissimè satis & conuenienter illa dies recolitur celeberrima, in qua Dominicæ passionis ad honorem & gloriam nominis Dei, & ad salutem generis humani reperiuntur insignia. Crux videlicet, in qua nostræ salutis auctor pependit, & claui, quibus confixum est illud sacratissimum corpus, quod ex intemerata Virgine assumere dignatus est Dei filius ante tempora secularia ab ipso Deo Patre ineffabiliter genitus. . . . .

Cætera desunt.

Finis Operum S. Odilonis Abb. Cluniac.

EPISTOLÆ

GERBERTI PRIMO REMORVM, DEIN RAVENNATVM ARCHIEPISCOPI, H

tandemque Romani Pontificis Siluestri secundi.

Ex Bibliotheca Papyrij Massoni nunc primum edita.

OTHONI CAESARI.

EPISTOLA I.

DOMINO suo Othoni Cæsari semper Augusto, Gerbertus quondam liber. Dum regnorum publica perpendo negotia, Serenissimi Domini mei aures propriis occupare expauesco. Loquatur Dominus meus seruo suo propriis Epistolis solito more, vt eius seruitutis fiat exhibitio, tollatur ambiguitas Epistolarum, quæ Cæsaris nostri grauitatem sæpe nobis compertam agentibus, cognitam non repræsentant. Denique signum erit nobis

A vos velle, aut nolle, sententia prolata bene aut non bene. Quantum enim in nobis est, quod possibile est esse, consequens est nos perficere, si vestrum cognouerimus velle. O! dicat Dominus Getebertus Episcopus sententiam nostræ innocentiæ super Brouingo, & Isimbardo, dicant Litefredus & Gerandus, cur eorum beneficium perceperit Rodulfus. Non dicatur maiestatis reus, cui pro Cæsare stare semper fuit gloria, contra Cæsarem ignominia.

Ad eundem Cæsarem. Epist. II.

Serenissimis auribus Domini mei mallem referre læta, quam tristia: Sed cum videam monachos meos attenuari fame, premi nuditate, tacere quomodo potero? Tolerabile quidem hoc malum, si non etiam simul melior spes foret allata? nescio quibus codicibus quos libellos vocant, totum Sanctuarium Domini venundatum est, collecta pecunia nusquam reperitur, apothecæ & horrea
B exhausta, sed in marsupiis nihil est. Quid ergo peccator hic facio? si cum gratia Domini mei fieri posset, satius esset me solum apud Gallos egere, quam cum tot egentibus mendicare apud Italos. Rainerus Francigena nobis intimus, vestrique honoris cupidus, de statu imperij vestri, meæ fidei multa commisit vobis referenda, non autem legato credenda, sed nec chartis inserenda, nisi vestro consultu.

Gereberto Episcopo Terdonensi Epist. III.

O Nostri spes consilij! præsentis mali statum, stultū est dissimulare, loqui inuidiosum, ne odio personarum agi videamur. Si licet Abbati, quibuscunque personis tradere immobilia monasterii libellario nomine, mobilia obtentu eleemosinæ, nec relinquere si qua forte residua sunt eorum hæredem, fieri monachum, specialiter quo spectat noui Abbatis ordinatio? Petroaldi dicuntur fuisse omnia, Abbatis nulla, & ita esse constat,
C quoniam nihil nobis relictum est præter tecta & communem vsum simplicium elementorum. Epistola Domini me iubet Petroaldum coli, tenere quod tenuit, duplicatur pondus parentibus positis in eadem trutina. Vires negotij perpendite, considerate quid amiserim, quid secutus sim, præter gratiam Domini mei, suscipite omnes amici consilio & auxilio, & quid sit faciendum rescribite.

Gerbertus Bosoni in Christo salutem. Epist. IV.

Recedant multa verba, & sequamur facta. Sanctuarium Domini mei, nec pecunia nec amicitia nobis demus, nec si datum est ab aliquo, consentiamus. Fœnū quod vestri tulerunt beato Columbano restituite, si experiri non vultis quid possimus cum gratia Domini nostri Cæsaris, amicorum consilio & auxilio, his conditionibus leges amicitiæ refutamus.

D *Petro Episcopo Papiensi.* Epist. V.

Quod Abbatiam sancti Columbani habere videmus, Italorum nulli gratias agimus, si ante Dominum nostrum à vobis laudati sumus, non indebitas vobis reddimus laudes: mutua exposcitis colloquia, & à rapinis nostræ Ecclesiæ non cessatis. Nostra velut propria militibus diuidistis, qui diuersa in integrū reuocare debuistis. Rapite, prædamini, viros Italiæ contra nos concutite, opportunum tempus nacti estis, Dominus noster bellorum certamine occupatur, nos nec manus paratas eum vincire detinebimus, nec quod eius officij est temere vsurpabimus. Si pace vti potuerimus, seruitiō nostri Cæsaris operam dabimus, cum præsentes tum absentes, sin eius tātum præsentia nostram solabitur inopiam, & quoniam (vt ait Poeta) nunquam tuta fides, & quia finguntur nec visa, nec audita, voluntatem nostram nobis, non nisi scriptis aperiemus, nec vestram aliter recipiemus.

Domina sua Adelaidi semper augusta, Gerbertus. E

Epist. VI.

Cum de beneficiis, & libellariis, ex parte vestrum velle ex voto Domini nostri Cæsaris executi sumus, recordetur Domina mea quod innuerit seruo suo se oraturum pro pluribus, aliter quam fieri possit. Ex quo à vobis discessimus nec Epithonem, nec eius nuntium vidimus. Terram quam nostris fidelibus heri cōcessimus, cras auferemus? At si omnia quæ omnes iubent fiunt, quid sic facimus? & si totū damus, quid detinebimus? Griphoni vbi possumus beneficium nullum concedimus.

Gerbertus quondam scholasticus, Attardo suo salutem.

Epist. VII.

Petitionibus tuis annuimus, nostra vt exequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur, qui Orbacis & apud sanctum Basolum sunt, perscribantur. Fac quod oramus, vt faciamus quod oras. F

Ad Adalberonem Remorum Archiepiscopum.

Epist. VIII.

Mantuæ quid egerim super negotiis vestris, præsens melius explicabo verbis, quam absens scriptis. Clanes librorum quas mitterem ignoraui, propter communem vsum similium earum. Historiam Iulij Cæsaris à Domino Azone Abbate Terdonensi ad rescribendum nobis acquirite, vt quos penes nos habemus habeatis, & quod reperimus speretis, id est octo volumina Boetij de Astrologia, præclarissima quoq; figurarum Geometriæ, alia, quæ non minus admiranda. Fortunam nostram sola vestra conturbat absentia noctesque diesque. G

Gisilberto Abbati. Epist. IX.

Si bene valetis gaudemus, indigentiam vestram putamus nostram, quam patimur vt reueletis, rogamus. De morbis ac remediis oculorum Demosthenes Philosophus librum edidit: qui inscribitur opthalmicus, eius principium si habetis, habemus simulque finem Ciceronis pro rege Deiotaro. Valete.

Ad Cæsarem. Epist. X.

Principiani monasterij duo fratres, velut exules & peregrini, à nobis recepti sunt, qui desolationem sui loci à Laudensi Episcopo, Neophitoque Abbate factam molestissime ferunt simulque referunt se alicui Ecclesiæ minime subiacere debere. Erit ergo vestræ prudentiæ ac pietatis, vt nec Laudensis Ecclesia debito priuetur honore odio pastoris, nec monasterium subiaceat tyrannidi deuastatoris. H

Idem ad eundem. Epist. XI.

Quid ora, caudæque vulpium blandiuntur hic Domino meo? aut exeant de palatio, aut suos repræsentent satellites qui edicta Cæsaris contemnunt, qui legatos eius interficere moliuntur, qui ipsum asino coæquant. Taceo de me quem nouo locutionis genere equum emissarium susurrant, vxorem & filios habentem, propter partem familiæ meæ de Francia recollectam. Dictis abest pudor. O tempora! O mores; vbinam gentium viuo! si patriam sequor sanctissimam fidem relinquo, si non sequor, exulo. Sed potius liceat cum fide in palatio exulare, quam sine fide in Latio regnare.

A *Hugoni suo Gerbertus quondam scholasticus.*
EPIST. XII.

SEcundum amplitudiné mei animi amplissimis honoribus ditauit me Dñs meus. Nam quæ pars Italiæ possessiones beati Columbani non continet? hoc quidem ita ex largitate & beneuolentia nostri Cæsaris, fortuna vero aliter instituit. Secundum amplitudinem, quippe animi mei amplissimis me onerauit hostibus: Nam quæ pars Italiæ meos non habet hostes? Vires meæ impares sunt virib⁹ Italiæ, conditio pacis hæc est, si spoliatus seruio ferire desinent, vestitum districtis persequentur gladiis vbi gladio ferire nequibunt, iaculis verborum appetent. Contemnetur imperialis maiestas, cum in me, tum in seipsam diuisione sanctuarij Domini secundú libellarias leges facta, quia consentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus cognominor. Ipse Cæsar omnium hominum excellentissimus, à furciferis asino coæquatur. O amicorum fidelissime! ne deB seras amicum consilio & auxilio: Recordare quod te orauerim me malle esse militem in Cæsarianis Castris, quam regem in extraneis.

Ad Ecbertum Archiepiscopum Treuirensem.
EPIST. XIII.

VEstram fœlicitatem gloriam existimamos esse nostram. Incommoditaté si quam sustinetis simul patimur. Domini nostri Cæsaris magnanimitatem, intentionem, appetitum bonorum virorum supereminentem cognouistis: proinde si deliberatis an scholasticos in Italiam ad nos vsque dirigatis, consilium nostrum in aperto est, quod laudabitis laudabimus, quod feretis feremus.

Papæ Ioanni. EPIST. XIV.

BEatissimo Papæ Ioanni Gerbertus solo nomine officij Bobiensis Cœnobii Abbas. Quo me vertam? proh C dolor! si sedem Apostolicam si appello, irrideor, nec ad vos propter hostes est veniendi facultas, nec de Italia egrediédi libera potestas. Morari difficile quando nec in monasterio nec extra, quicquam nobis relictum est præter virgam pastoralem & Apostolicam benedictionem. Dominam Immizam quia vos diligit diligimus, per eam nobis & nuntiis & Epistolis significabitis, quicquid nos facere voletis, simulq; nos per eam quicquid de statu & molimine regnorum cognouerimus, vestra interesse. Valete.

Petroaldo Monacho. EPIST. XV.

MAgnam intelligentiam tuam frater, ne turbent fluitantia. Qui te quondam florentem Dominum clamabant & patrem, nunc conseruum habere dedignantur & parem. Sors omnia versat. In dandis & accipiendis, vt monachum decet, & nosti, nostra licentia vtere, ne negligas quod etiam diximus, vt tui memoriam frequentioD rem habeamus.

Geraldo Abbati Aurilacensi. EPIST. XVI.

OCcidit, occidit, mi pater, status Ecclesiarum Domini re sp. periit, sanctuarium Domini peruaditur, populus præda fit hostium. Consule pater quo me conuertam milites quidem mei arma sumere, castra munire parati, sed quæ spes sine rectore patriæ cum fides, mores, animos quorumdam Italorum pernoscamus? Cessimus ergo fortunæ studiaque nostra tempore intermissa, animo retenta repetimus, quibus si placet magistrum quondam nostrum Raimúdum interesse cupimus interim dum Cal. Decembribus Romam iter intendamus.

Ad eundem. EPIST. XVII.

PAter meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vos bene valere cupit, & quia vestram præsentiam non aE dijt, conturbatio regnorum fecit, specialisque contra suam Ecclesiam commotio Heriberti Tricassini, Ottonis Comitis filii Tedbaldi. Quis status regnorum penes vos sit scire cupit, & an Hugo quem vestra lingua Abbicomité dicitis vxoré duxerit. Quæ sua sunt nostra putate, & ne vestra gratis appetat, quid sui vobis placeat significate. Hoc signo, sagum lineum vobis mittit, sicut olim per vestrum Airardum alterum miserat, sed planum. De multiplicatione & diuisione numerorum libellum à Ioseph Hispano editum Abbas Guarnerius penes vos reliquit, eius exemplar in commune sit rogamus. Si diuina beatorum Remigij & Dionysij datur vobis copia videndi, nuntio præmisso vestris alloquiis poterimus condelectari.

Fratribus Bobiensibus. EPIST. XVIII.

SCriptura sancta dicit, Qui ficte domum quærunt, nunquam inuenire mereantur. qui regulam sancti benedicti professi estis, & pastorem deferendum abiecistis, F colla tyrannis sponte subdidistis. Non de omnib. dico tyrannis vestris Ducibus. Ante tribunal Christi quomodo apparere vultis? hæc quidem non causa retinendi honoris scribo, sed sequenda loquens, cura pastorali animam meam crimine libero, non audientes implico, apostolica priuilegia reuoluite, anathemata quæ mihi ostenditis ad memoriam reducite, insuper intelligite quod sacri Canones dicunt. Qui excommunicatis quolibet modo se iunxerit, excommunicatus sit. Videte in quanto periculo res vestræ sitæ sint. Supremus iudex faciat vos sua præcepta cognoscere & ea opere implere.

Rainaudo Monacho. EPIST. XIX.

REcte quidem frater conquereris super Abbatis tui priuatione. O vos in conualibus ante ora luporum absq; pastore, monachi in monasterio absque Abbate! secundum scire tum & posse, bene te velle & facere adG hortor & moneo. Vnius anni tria diuersa imperia super te docent quæ vides, fallacia & inconstantia. Futuram desolationem, non tantum parietum quantum animarum, ingemisce, & de Domini misericordia noli desperare.

Adelaidi Imperatrici EPIST. XX.

MVlta quidem peccata mea ante Dominum, sed cótra Dominam meam, qui vt à seruitio repellar, fidem promissam nunquam violaui, commissa non perdidi, pietatem sine auaritia exercere non putaui. Si erraui circa voluntatem vestram modicum quid, fecit hoc improuidentia, non deliberatio, sint que vobis satis continuatę iam in pœnitentia quadragesimæ, quod certe sic confido esse. Præualuit ad tempus quorumdam mobilium pauperum cæca cupiditas, non præualeat vestra quæ semper fuit circa iustitiam pietas, fauet ad hoc diuinitas, regnaque vobis concilians & reges potentes vestro imperio subdens. Mea sententia hæc est, quam fidem filio Dominæ meæ asseruaui, eam matri seruabo, si nequeo præH sens saltem absens bene loquendo, bene optando, bene orando.

Ecmannio Palatino Monacho. EPIST. XXI.

BEneuolentiam tuam circa me sentiens mi frater, tanti hominis gratulor amicitiá. Dum vere te constantem in fide cum in me tum in his qui se tibi crediderunt liquido deprehensum * neque enim Dominus admirabilis fœminæ te aliter charum haberet. Suscipies igitur onus amici, bona verba suggeres, Epistolas meas benigne interpretaberis, mea negotia tua putabis.

Dominæ Imizæ. EPIST. XXII.

FOelicem me iudico tantæ fœminæ agnitione & amicitia, cuius fidem firmam, constantiam longæuam admirari non sufficiunt Galli mei: & quamuis vestra pru-

A dentia non egeat ammonitione, tamen quia vos conlaborantes & condolentes nostro infortunio, sentimus, Dominum Papam conueniri nuntijs & epistolis vestris volumus, ac nostris: & si quos & specialiter, & in communi habemus fautores & adiutores, vt qui simul tristamur, propitia diuinitate gaudeamus. Dominam meam Theophaniam Imperatricem nomine meo conuenite. Reges Francorum filio suo fauere dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici regem se facere volentis, sub nomine aduocationis velle destruere.

D. Ioanni Papæ. Epist. XXIII.

GRauiter & iniquo animo fero, peruadi sanctuarium Domini creditum mihi à Sancta Romana & Apostolica Ecclesia. Porro quid deinceps stabilietur, siue dissoluitur, quod actū est consensu principis, Episcoporum electione, Cleri, & populi voluntate, postremo omnium B hominum excellentissimi Papæ consecratione? Si præcepta violantur, priuilegia contemnuntur, diuinæ & humanæ leges sustolluntur? Qua spe vos adeundi periculum faciam: ne dedignemini sacris apicibus significare, alioquin ne miremini si his castris me applico, vbi maxima portio legis humanæ, nulla diuinæ: humanitas quippe prima in actiuis, diuinitas secunda in speculatiuis. Fiet hoc mea pusillanimitate, vestra cessante magnanimitate.

Lupito Barchinonensi. Epist. XXIV.

LIcet apud te nulla mea sint merita, nobilitas tamen ac affabilitas tua me adducit in te cōfidere, de te præsumere. Itaque librum de Astrologia translatum à te, mihi petenti dirige, & si quid mei voles in recompensationem indubitatè reposce.

Bonifilio Gerundensi Episcopo. Epist. XXV.

C MVlta quidem authoritas vestri nominis me mouet, cum ad videndum & alloquendum, tum etiam ad obtemperandum, & hoc diu negatum distulit negata libertas ea cum dolore concessa. Domino meo Ottone Cæsare iam non superstite, fas & amicis loqui & eorum imperiis obsequi. Si qua nobis significare voletis vsque ad Calend. Nouemb. Remis, viij. Cal. Ianuar. Romæ erimus si pace vti poterimus. De multiplicatione & diuisione numerorum Ioseph sapiens sententias quasdam edidit, eas pater meus Adalbero Remorum Archiepiscopus vestro studio habere cupit.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis. Epist. XXVI.

LAbefactari Remp. vestram quorundam ignauia cum perhorrescimus, tum erubescimus, & priuilegio amoris nostri circa vos, & communi patriæ cognatione. Pauci ne creati sunt reges, qui nouum filio Domini vestri præpo D nere vultis? fortè quia Græcus vt dicitis more Græcorum conregnantem instituere vultis. Quo recessit sanctissima fides? exciderunt me animo beneficia Ottonum vobis conlata? Magnam intelligentiam vestram reuocate, generositatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis, Si vires vos destituere acclamatis, meliora sententes perquirite, nos fautores, coadiutores in talibus negotiis fore, perpendite. In perturbatione & confusione omnium rerum, quis alterius leuabit onus? postremo si salua dignitate vestri nominis vrbem Treuirorum nitari nō valetis, Remorum vtrique nostrum sit satis, ditioresque erimus quam Eucharus quondam, & Sixtus in vobis rationum ignominiam conferet, * iritum nec liberos efficiet.

Villegisio Maguntino Archiepiscopo ex persona eiusdem. Epist. XXVII.

MAgna, Pater, constantia conlaborandum pro habenda ratione pa●s atque otij. Regnorum perturbatio aliud quidem est quam Ecclesiarum desolatio. Nos E quidem pietas & multa circa nos Ottonum beneficia filio Cæsaris aduersari non sinunt, denique reges nostros ad auxilium promouimus, vniuscuiusque partis pactum, si placet communi cōsensu in sempiternum stabilimus, nihil à vobis nisi salua fidelitate Domini nostri perquirimus. Hæc Domino teste loquimur, & plena fide vestræ prudentiæ committimus, * quod vos Ottones conatus est extinguere cui volet super esse. Mementote illius Tulliani, *Stultum est ab eis fidem exigere à quibus multoties deceptus sis*, simul etiam quod non frustra diuinitas contulit vobis nosse ac posse, quid super his approbetis, & his contraria sentiatis, qui vt faueant & à vobis diffideant tutis significatis rescriptis. Altitudo vestri consilij prouideat rebus beati Remigij vobis vicinis, ne aut prædo rapax eas rapiat, & ne Otto qui debet esse tutor, sit deuastator. In his quoque vestrum velle liceat cognoscere.

F *Ex persona Hierusalem deuastata, vniuersali Ecclesia.* Epist. XXVII.

EA quæ est Hierosolymis, vniuersali Ecclesiæ sceptris regnorum imperanti. Cum bene vigeas immaculata sponsa Domini, cuius membrum me esse fateor, spes mihi maxima parte caput attollendi iam pene attritū. An quicquam diffiderem de te rerum Domina si me recognoscis tuam? quisquam ne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minimè pertinere, vtq; rerum infima abhorrere? Et quamuis nunc deiecta, tamen habuit me orbis terrarum optimam sui partem, penes me Prophetarum oracula, Patriarcharum insignia, hinc clara lumina mundi prodierunt Apostoli, hinc Christi fidem reperit orbis terrarum, apud me Redemptorem suum inuenit. Etenim quamuis vbique sit diuinitate, tamen hic humanitate natus, passus, sepultus, hinc ad cœlos elatus. Sed cū Propheta dixerit, *Erit sepulchrum eius gloriosum*, paganis loca sancta subuertentibus, tentat diabolus reddere ingloG rium. Enitere ergo miles Christi, esto signifer & compugnator, & quod armis nequis, consilij & opū auxilio subueni. Quid est quod das aut cui das? nempe ex multo modicum, & ei qui omne quod habet gratis dedit, nec tam ingratis recepit, & hic eum multiplicat, & in futuro remunerat, per me benedicit tibi, vt largiendo crescat & peccata relaxet, vt secum regnando viuas.

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi, Vualoni eiusque pertinacibus. Epist. XXIX.

HActenus stultitiam vestram patienter tulimus, & quia Synodalia decreta parui penditis, vocati contemnitis, humana diuinis præfertis. Ad conuentū nostrorum fratrum apud Caldonis cortem habendum in Cal. Iulius, vos iterum audiendos vocamus. Eò tamen venire, aut sententiam damnationis eadem die, quo animo vultis, vestris confautoribus expectate.

H *Ex persona Adalberonis Notgero Episcopo Leodiensi.* Epist. XXX.

NE male mereri quæso, mi Pater, de nostra existimetis amicitia fratrem meum G. non ex condicto regē adijsse, & ex condicto quo voluistis nō venisse. Bona quippe deliberatio rapuit, sed occasione læsi pedis fortuna retardauit. Sit ergo, vestræ prudentiæ amici causam agere, pro se stare, de eo vt nostis, & vt æquum est ex fide promittere. Nos quidem rem herilis vestri pueri iuxta quod statuistis effecimus, & si in melius commutaueritis, diuinitate propitia in melius compensabimus. Vestra negotia vt nostra compensabimus. Is quem nostis nobis intimus vobisque fidissimus interpres apud Regiam maiestatem vt decuit fuit, quod expetistis firmiter obtentum sine inimicorum respectu, & quia totum non est credendū chartis, indictum Conuentum vos adire volumus, vestramque præsentiam vsque in iij. Idus Iunias eum præstolari

A faciemus. Opportuno tempori occurrendum, ne cum te subtraxeris fiat importunum.

Controuersia Diederici Episcopi Metensis, contra Carolum.

Epist. XXXI.

Diedericus, seruus seruorum Domini, Imperatorum amator, prolisque tutissimus tutor, Carolo sanguine nepoti, sed fidei impudentissimo violatori. Fidem à nemine vnquam bonorum violatam vt nosti præsente venerando Notegario Episcopo, teque licet non nobilioribus, tamen virtute excellentioribus præsentibus, ante beati Ioannis aram, in sacra verba datam, leuissime transfuga, nec in hanc nec in illam partem fidem habens, cæcus te amor regnandi debilitatum negligere coegit. Et quid mirum si in nepotem pestem tui sordidissimi cordis euomis, qui cruenta manu & ad omnè scelus semper promptissima cum latronum grege & furum manipulo, B dum fratri tuo nobili Francorum regi Laudunum ciuitatem suam, inquam suam, nunquam vtique tuam, dolo malo surripe-res, eumque regno fraudares, & Imperatoriam sororem, regnique sui consortem infamares, tuisque mendacijs cómaculares? Nihil vnquam pensi habuisti, dilatatus, incrassatus, impinguatus, qui non secutus patrum tuorum vestigia, dereliquisti Dominum factorem tuum. Recordare, os tuum impudens quoties digito compescuerim, dum turpia in Remensem Archiepiscopatum, turpiora in Reginam demetiendo serpentino sibilo effudisti. Quid in Laudunensem Episcopum feceris ipse nosti melius, breui tu Lotharensium regni angulo latitans, vanissimoque supercilio te ton præesse iactitans. Quid nepis vtrisque nostrum fœmina, te vero melior cum nobilis indolis filio: quid Apostolorum vicarij ecclesiæ sanctæ ouilis pastores quos tu canino dente noctu & interdiu rodere conaris: quid alij præterea Principes qui nihil tuo iuri debent eidem habeant Dominoque auctore possideant reminisce-C re: & ita tandem inania excutiens somnia, fontemque falsissimo populo debriatam expurgans poteris metiri nil esse quod agis ad nil Diuino nutu deueniendum. Quid moliris? Quorum ergo haud pro merito ascriptus numero ligandi soluendique donatus honore mihi indigno Pastorali virga commissam defensurus Ecclesiam, Ecclesiam dico non aliam quam summi pastoris sanguine redemptam, quam tu diuinum ius contemnens, cum tuis complicibus lacerare, atque dilaniare pro posse tuo contendis horribilem spernens illam Dominicam vocem qua tonatur, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, & aliam de qua eodem modo dicitur, *qui vos spernit me spernit*. Tua hactenus munera curare studens, infudi oleum & vinum, idem mitia secreto per familiares nostros asperis publice miscens ab hinc nisi resipiscas Spiritus sancti gladio qui mihi commissus est, cum tibi computribilibus membris abscindam, atque igni tradam inextinguibili, vt sicut fides tua si non contemneres, esset cum superis, ita D contemnentis sit perpetuo cum inferis. Quando iam confirmatis vectibus & cœlestis Hierusalem clausis portis à virginis filio ipsius ciuitatis sponso dicetur reprobis, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, sic scriptum est, *Væ qui prædaris, nonne & prædaberis?* Caue ne in ea præda inueniaris, in qua quis inuenitur ab æterna hæreditate exsortis redditur.

Infatuauit Dominus Consilium Architofel.

Gerbertus ex persona Caroli.

Epist. XXXII.

Carolus sola Dei gratia si quid est, Diederico hypocritarum ideæ, Imperatorum infidelissimo, proli-sque patricidæ ac in commune hosti Reip. Grauitas siquidem nec fuerat maledicta, tua taciturnitate premere nec pensi habere quod petulantia magis tyranni quam iudicium protulit sacerdotis. Sed ne silentium tuis conuiE ratis videatur facere confessionem, summam tuorum scelerum paucis attingam, & de maximis minima referam. Consilij quoque mei nonnulla prætermittam, vt qui vi inanis vter spiritu intumuisti, meo vt tu desipis incrassatus, impinguatus, dilatatus, pressus pondere detumescas. Cur dominam ducem Beatricem cum filio reguisque Primatibus nobis prætendis delusam. Te miser non sentis, nec quenquam pene fore tuæ coniurationis participem. Non solus nec in angulo fidem integerrimã filio nostri Cæsaris ut tuo, vt tu nocturno mero eructas adsunt mecũ Galliæ Principes, reges Francorum, velis nolis præclarissimi Lotharienses fide deuicti, his est curæ filius Cæsaris, hi nec regnum quærunt eripere, vt tu, nec corregnantem instituere. Tu diuina & humana confudisti iura, deque legibus oscitans vt limax in suo conclaui cornupeta tibi videris. Cur pastorali officio minas intendis? quasi vero tu pastor & non lupus rapax, & potius alter Iudas Apostolus, qui Dominum suum XXX. F perdidit argenteis, & tu Episcopus qui Dominum tuum regem hæredem regni regno priuasti, spe famosissimi quæstus. Parum tibi hoc, pœnas de eo quantum ad te fine carentes veluti de hoste sumpsisti. Siccine Ottonum præmeruerunt beneficia? denique nunquam ad eos fidem habuisse non solus filij causa conuinceris. An cum Lotarium regem Francorum, quem gloriosum vocas, cum maxime oderis, hunc nunquam cum regno pellebas, meque regnare cogebas, fidemne ei & mihi promissam seruabas, mihi promissam dico ante aram quam impudenter nominas. Profecto intelligis quid feceris cótra fratrem meum, in sororem Domini tui me arma parare impellebas, vt omne genus nostrum regium mutuis vulneribus confoderes, tyrannos nomine regum substitueres, cum quibus contempto sacerdotio vacuis aulis incubare posses. Lædere me putas si eos læsisse dicas, quorum gloria glorior, auersa opinione affligor. Verum aliet est, immanitas scelerum tuorum occultare te propria non patitur flagitia, & quamuis purgatione vti velis, G promotionem in personam tuam pallor subinde ac subinde rubor, silentium loquendo subitum, verba subita prioribus nec cohærentia, etiam nec quærentibus ingés tormentum conscientiæ produnt. Erubesce miser, & quod te solum scire putasti, ad omnium notitiam peruenisse cognosce: peccatis tuis innoxios noli commaculare, & vita tua turpissima, aliorum metiri, manibus toties periurio pollutis. Cessa sacrosancta violare, & qui nobis iudicis prior remedium pœnitentiæ, quære publicum. Periurium peregisti, vrbem propriam rapinis exhausisti, depopulatus es Ecclesiam commissam tibi (vt ais) crediram, acquiesco, redde ergo eo quod abusus es custodia Dominæ tuæ quam humiliasti, erepta liberta, imposita seruitute. Et qui pupilla Domini scriberis, pupilli & viduæ lachrymis mensam tuam luxu Euangelici diuitis extruxisti, eiusmodi miserijs montes aureos coaceruasti. Super his infœlix ingemisce priuatim & publice, alioquin audi quid tibi intenditur, *Quoniam H venient aues in te & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, eo quod non cognouisti tempus visitationis tuæ.*

Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo.

Purgatio Gerberti ob controuersiam à se descriptam.

Epist. XXXIII.

Domino & Reuerendissimo præsuli Diederico G. fidelium Cæsaris. O decus Romani imperij! tantum ne rationis patri quondam Reip. deperisse dicemus, vt populus cum pastore, velut ignauum pecus præda sit hostiũ? Generositatem, magnanimitatem, prudentiam vestram, tanquam tres fortissimas Legiones pro domo Israel opponite, decem his Diuinitatem perficite, ne qui fœlicitaté vestram, gloriam existimauimus, nostram si decus im-

A perij amittimus, proinde inglorij reddamus. Et nos quidē hæc dicimus, vt non amonitione egentes, sed vt * inter nostram pro vobis sollicitam interpretemur quo genere, interpretationis nuper vsi sumus, vt controuersia acerrimi hostis, vestram maiestatem exacerbantis, vbi culpam infidi interpretis subisse veremur, dum motibus animorum eius orationem non æquauimus. At si hæc intentio placet deinceps elaborabimus, & amicorum atque inimicorum affectus diligentiùs exprimemus, vt quid sequi, quid vitare debeatis, per nos plena fide pernoscatis. Qua in re vobis lucem, hosti tenebras offudisse gaudemus. Valete.

Vuiligiso Maguntino Archiepiscopo. Epist. XXXIV.

MVlta chartis non credimus, quæ legatis committimus, vt huic Abbati Ayrardo sibi intimo Pater me* Adalberto Remorum Archiepiscopus, vobis per omnia fidus, multa commisit, de statu & pace regnorum vobiscū
B habenda: insuper ea quæ per epistolam vobis significauit sic se habere Dominum testē inuocat, vt sibi sic legato credatis, & quæ vobis placeant si non est aptum scriptis, ei viuis rependite verbis. Sed ô mi pater mœrentis simili de causa mœrentem quibus affabor verbis? Cæsare destituti, prędа hostium sumus, Cæsarem in filio superesse putauimus. O quis perdidit? quis nobis alteram lucem eripuit? agnum matri, non lupo committi oportuit. Me quidem doloris immanitas mihi consulere non patitur, nunc fertur anim* præceps in hostes Italos, qui mea funditus diripiunt: nunc quasi meliora deliberans, terrarum longinqua petit. Sed dum redit Otto, *dumque herent in fixi pectore vultus*, dum Socraticæ disputationes ipsius frequentes occurrunt, refringitur impetus, & peregrinationis meæ tedium apud Gallos vtcunque releuatur. Consule pater, etsi erga maiestatē vestram nulla mea sunt merita, tamen nec defuit nec defectus aberit, si fortuna vt quondam riserit, cum tempus opportunum nacti eritis, & cum Imperatricibus, & cum his
C ad quos referre putabitis, me seruum fidelem Cæsaris ab exilio reuocabitis, qui nihil deliqui nisi quod Cæsaris fidelis extiti. Vos ergo soli onus meum fertis, quod nec amicis Principibus communicare curaui, donec experirer quid per eum quem potissimum iudico fieri posset.

Geraldo Abbati Aurliacensi. Epist. XXXV.

QVantis occupationibus Reipublicæ detineatur noster, vt ita dicamus, fiduciarius Pater Adalbero Remorum Archiepiscopus, & tarditas huius legati indicat, & præsens ab vrbe Remensi absentia. Causa negotiorum continens status regnorum est. Nam dum à Lothariensis regni Primatibus obsides accipit, dum filio Imperatoris parere cogit sub regis Francorum clientela, dumque Henricum in Gallia regnare prohibet, vestro nomini cōuenientia, quæ mitteret non habuit. At si vobis gratum fore senserit, vestem auro textam quam verecunde veterem misit, noua immutabit, quod breuitas temporis nō
D habuit stola insuper Phrygij operis adiuncta cū cæteris eiusdem generis. Statum regni nostri, quidue agat & moliatur ille Hugo Raimundi per vos scire cupit. In commune hoc sentimus, quod vobis ratum, nobis præstantissimum.

Ex persona Adalberonis Vuidoni Abbati Anderuensi Gerbertus. Epist. XXXVI.

FRustra sibi arcem Religionis attribuūt, qui præcipuas religionis partes euertunt. Qui charitatem non habet, qui fidem promissam negligit, is ne religionem tuetur? si fraterna colloquia nobis exhibuistis, & quibuscumque nuntiis lætari fecistis, tanto temporum interuallo, conscientia testis est, arctius sua retinent quam aliena concupiscunt. Ex vestris fratribus quēdam adoptauimus, sed noster qui redire debuit retentus est. Rescribite ergo saltem quid ex his animo sedeat, & si qui nostrorum puerorum penes nos institui possint, & si est, quando id fieri debeat.

E *Roberto Palatino.* Epist. XXXVII.

PLurimum te mei meminisse puto quem dies noctesq; curis priuatis intersero. Itaque & Dominam meam Theophaniam mei recordari, quam semper cupio bene valere, & cum filio feliciter imperare, cuius memoriam vt æquum est frequentem habeo, ad cuius auxilium me quā plurimos Declamatores vt nosti exacuisse Gallia testis est. Ergo tui officij erit rescire & rescribere an in Frácia velue miles succenturiatus pro Castris Cæsaris remanenā, an paratus omne periculum subire vos adeam, an potius ad iter quod tu ex Domina mea bene nouisti, me præparem, vt Papiæ in palatio positum est, simulque non tacebis, vbi, & quando, & quid tu de hac re sentias. Hoc quoque te nosse velim quæcunque in eodem palatio tutis auribus com-
F misi de fide, pietate, stabilitate illius famosi Adalberonis Archiepiscopi erga herilem nostri Cæsaris filium, & fidenter sic se habere iuxta illud scire eius & nosse.

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis.

Epist. XXXVIII.

PEriculosa tempora non omnia committunt chartis quæ fidissimis credunt legatis. Ea quæ per nostrum G. nobis significastis lætitiæ & iucunditatis plena fuerunt, de statu Ecclesiarum Domini atque regnorum, & per quem virum hęc fieri possent. Quem si vt tyrannum tenuimus, sed nunc plenum fidei & sapientiæ miramur. Quæ à nobis de eo cura nobis spopondistis efficere, quæ à nobis de eo ac vobis exposcitis stabilita sunt, & cum maximo silentio vestrorum secretorum, & cum maxima fide nostrorum factorum.

Notegario Episcopo Leodiensi. Epist. XXXIX.

G VIgilasne P P. famosissimæ quondam fidei pro castris Cæsaris, an cœca premente fortuna, & temporis ignorantia, diuina & humana iura pessundari simul non cernis? Ecce palam destituet, cui ob paterna merita fidem deuouisti, deuotam seruare debuisti. Germanum Brisaca Rhenani littoris, Francorum reges clam non adeunt. Hēricus Reip. hostis dictus Cal. Febr. occurrit. Consule mi pater modis omnibus resistendum ne conueniant aduersus Dominum & aduersus Christum tuum. Turba regnās, regnorum perturbatio. Si tutam difficile est excludere partem, delige priorem. Ego quidem cui ob beneficia Ottonis est multa fides, circa herilem filium sic protinus delibero, nominis Henrici alta consilia, Frácorum impetum, sed quem finem habeat non ignoramus, ne consortem regni facias, quem tu semel admissum repellere nequeas.

Stephano Romanæ Ecclesiæ Diacono. Epist. XL.

H DVbia Reip. tempora, mi frater, Gallias me repetere coegerunt, tota Italia Roma mihi visa est, Romanorum mores mundus perhorrescit. In quo nunc statu Roma est, qui Pontifices & Domini rerum sunt: quos exitus habuit ille meus specialiter inquam meus, cui te commisi. Hæc & quæ circa te sint tibi læta obstantibus significare non dubites. Mihi quidem ac nostro Archiepiscopo Suetonios Tranquillos Quintosque Aurelios cū cæteris quos nosti per Guidonem Snessonicum Comitē discrete ac sine lite quis cuius sit remittes, & quæ nomini tuo conuenientia paremus edisces. Ea quoque quæ de Grę corum Imperio, Francorum regno, Italorum molimine certa cognouetis, nos tibi amicos celare non debebis.

Quot nunc hæc * verborum copia, continent sententiarum pondera.

* * *

Adalberoni Episcopo Verdunensi. EPIST. XLI.

NVmerum epistolæ huius ne spectetis, In paucis multa perpendite. Tempora periculosa libertatem tulerunt, dicendi quæ velis dilucidè, cumque fortuna Franciæ proficiat actu & opere, rupta occasione ex tempore fidelissimis conuenimus legatis, pro parte virorum Godefridi, fœdus quod quondam inter se ac inter Ottonem nostrum Cæsarem conuenerat, vos velle innouare promisimus, adiuncto in fœdere filio quo vnico gaudet. Hoc ipsú Cæsarem morientem expetisse persuasimus per dilectissimum sibi filium Godfridi. Hæc itaque res in commune visa est solis nobis & filio Cæsaris, quam cœptam si prouehere vultis vel destituere, otius rescribetis, ausimus in hoc negotio quamuis alicui periculoso, & in tuto otio, quæ molimina, qui ue impetus hac ratione conquieuerint, non facile est dictu.

Ex persona Adalberonis Notegario Episcopo Leodiensi.

EPIST. LXII.

EX condicto siquidem legatum, sed præsentis negotij omni scientia vacuum, frater meus vobis dirigit, ne aut mendacio aut inertia denotetur, XV. Cal. Ianu. Treuirensem Archiepiscopum allocuturi, quod plenius pernoscemus, plenius prudétiæ vestræ quamproximè significare curabimus.

Eidem ex persona Godefridi. EPIST. XLIII.

SEcundum promissa Treuerensis Archiepiscopi, ordinationem A. nostri, iij. Non. Ianuar. inspecturi vbi adhuc decreuerit Ducem itineris vestri, V. Cal. promittemus, & quæ certiora cognouerimus denunciabimus, eo fratrem nostrum venturum dubium habemus.

Eberto Abbati Turonensi. EPIST. XLIV.

CVm mei memoriam frequentem habeatis, inter honesta viri plurimis accepi legatis, magnamq; affinitatis iure amicitiam efferatis, existimatione vestra beatum me fore puto, si sum is qui iudicio tanti viri inueniar dignus amari. Sed quia non is sum qui cum Panetio interdum ab vtili seiungam honestum, sed potius cum Tullio omni vtili admisceam, has honestissimas atque sanctissimas amicitias nulla ex parte suo cuique vtili vacare volo, cumque ratio morum dicendique ratio à Philosophia non separentur, cum studio bene viuendi semper coniunxi studium bene dicendi, quamuis non solum bene viuere præstantius sit eo quod est bene dicere, curaque regiminis absoluta, alterum satis sit sine altero, ac nobis in Rep. occupatis vtraque necessaria. Nam & appositè dicere ad persuadendum, & animos furentium suaui oratione ab impetu retinere summa vtilitas. Cui rei præparandæ Bibliothecam assiduè comparo, & sicut Romæ dudum, ac in alijs partibus Italiæ, in Germania quoq; ac Belgica scriptores, authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adiutus beneuolentia ac studio amicorum comprouincialium, sic identidem apud vos per vos fieri sinite, vt exorem; quos scribi velimus in fine Epistolæ designabimus: scribenti membranam sumptusque necessarios ad vestrum imperium dirigemus, vestri insuper beneficij non immemores. Denique ne plura locum legibus Epistolæ abutamur, causa tanti laboris contemptus malè fidæ fortunæ, quem contemptum nobis non parit sola natura vt multis, sed elaborata doctrina, deinde in otio, in negotio edocemus quid scimus, & addiscimus quod nescimus.

Raimundo Monacho Aurilacensi. EPIST. XLV.

QVanto amore vestri teneamur, nouerunt Latini, ac barbari, qui sunt participes fructus nostri laboris: eorum votum vestram expetit præsentiam. Quippe cum in propatulo sit nos curarum plenos, non ob alterius causam studij loco immoraturos, his curis sola Philosophia vnicum repertum est remedium, cuius quidem ex studijs multa persæpe commoda suscepimus, velut hoc turbulento tempore motum fortunæ refregimus, cum in alios, tum in nos grauiter sæuientis. Etenim cum is status Reip. in Italia esset, vti sub iuga tyrannorum turpiter esset eundum, si profiteremur innocentiam, & si nisi viribus tentaremus, clientelæ vndique forent procurandæ, castra munienda, rapinæ, incendia, homicidia exercenda. Delegimus certius otium studiorum, quam incertum negotium bellorú & quoniam vestigia Philosophiæ dum sequimur non consequimur, impetus tumultuantis animi nó omnes repressimus, modo recurrimus ad ea quæ reliquimus, nunc Hispaniæ principes adimus familiaris nostri Abbatis Guarini adhortatione commoti, hunc sacris literis Dominæ nostræ Theophaniæ Imperatricis semper Augustæ, semper amandæ, semper colendæ prohibemur cœptis, in tanta rerum incóstantia, doloris metus, gaudij appetitus, fidissimi patris Geraldi quem hæc non tangunt specialiter filius Gerbertus sequendorum deposcit sententiam. Valeat, valeat frater Airardus, valeat sanctissimus ordo, me⁹ altor & informator, meique sit memor in sanctis petitionibus, ac Patris A. Archiepiscopi Remorum sibi per omnia deuoti.

Geraldo Abbati. EPIST. XLVI.

AN quicquam melius amicis Diuinitas mortalibus concesserit nescio, si modo ij sunt qui dignè expetiti digneque videantur habiti. Fœlix dies, fœlix hora, qua licuit nouisse virum, cuius nominis recordatio omnes à nobis molestias detorsérit: eius si præsentia vel interdum fruerer, beatiorem me non frustra putarem, quod vt fieret, sedes mihi non ignobiles in Italia collocaueram, sed inuoluit mundum cæca fortuna, quæ premit caligine, an præcipitet, an dirigat me modo tendentem hac, modo illac. Adhærent vultus amici infixi pectore, eum dico qui est Dominus & pater meus Geraldus, cuius deliberatio nostra fiet executio.

Adalberoni vocato Episcopo Verdunensi & Hermanno fratribus.

EPIST. XLVII.

FOelices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile, vester genitor hoc petit, repentinus casus ne vos deterreat, filio Cæsaris fidem quam promisistis inuiolatam seruate, omnia castra ab hostibus tuemini, denique nec Scarponnam nec Hadotis castellum nec quidlibet eorú quæ vobis reliquit, Francis relinquetis, illecti aut vana spe suæ liberationis aut terrore sui cruciatus, aut filij Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filijs dedit. Sentiant iti vobis hostes non se totum cepisse Godefridum, auxilia vndique comparate, liberatores, 17. Calend. Aprilis me interpretem fieri voluit sibi suique fidissimum.

Innominato. EPIST. XLVIII.

OBscuram Epistolam & sine nomine paucis absoluimus, Lotharius Rex Franciæ prælatus est solo nomine, Hugo vero non nomine, sed actu & opere. Eius amicitiam, si in commune expetissetis filiumque ipsius cú filio Cæsaris colligassetis, iam dudum reges Francorum hostes non sentiretis.

Notegario Episcopo Leodiensi. EPIST. XLIX.

SPectabile faciunt nomen vestrum præsentia tempora quibus paucorum laudatur probitas, multorum prædicatur improbitas. Speculatur nunc amicus vester Godefridus, qui amicorum se potius quàm sua amauerint, qui

A vxori ac liberis fidem laturi forent, si se vltima rapuisset dies. Et quia tantus vir de vobis optime sentit, hoc solum indicio esse potest, quanta in vobis eniteat virtus, qui se amant, quique sui sunt. Hortatur & ammonet vt Dominæ suæ Theophaniæ, filioque eius fidem habeant, minime viribus hostium sint infracti, nullo terreantur casu, aderit læta dies quæ patriæ proditores & liberatores vere suppliciis & prœmiis distinguat, disgreget. Fidissimum vobis Adalberonem Remorum Archiepiscopum nullo modo harum rerum conscium facietis, qui quanta prematur tyrannide, testatur Epistolæ ad Archiepiscopos vestros decretæ, in quibus nihil eorum quę voluerunt scripsit, sed quæ tyrannus extorserit oscitanti.

Mathildi Comitissæ. Epist. L.

Deponat Domina mea Mathildis omnem querimoniam, clarissimus vester coniunx Godefridus inter Pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis hoc præcepit. B Exhilarare mentem, quia spiritus tristis exsiccat ossa, consilia turbat. Dominæ Theophaniæ imperatrici semper Augustæ ac filio eius semper August. cum filiis vestris fidem purissimã seruate, pactum cũ Francis hostib. nullum facite, Francorum reges auersamini, castra omnia sic tenete, sic defendite, vt nullam in his habeant partem aduersarii vestri, scilicet neque pro spe liberationis meriti, neque pro terrore peremptionis eius aut filij Frederici. Hæc XI. Cal. Aprilis ad flumen Matronam meæ fidei commisit, quæ vobis plena fide retuli.

Sigefrido Comitis filio, Gerbertus. Epist. LI.

Nimirũ amorem circa parentes vestros, qui nunc exules sunt habentes, eos ad flumen Matronam XI. Cal. Aprilis allocuti sumus. Et quæ Dominam nostram Theophaniam, de sua fidelitate scire voluerunt, per epistulam mandamus. Et quia cum beneuolentia Ottonis C & Heriberti, quorum custodia seruantur, eos alloqui valemus, quæcunque & vos & Domina nostra eis mandare volet, litteris nos habere facietis. Hoc insuper vestræ fidei committimus, quia si Hugonem vobis in amicitiam colligaueritis, omnes impetus Francorum facile deuitare valebitis.

Dominæ Theophaniæ Imperatrici. Epist. LII.

Cvpienti mihi vos adire secundum imperium vestrũ, non frustra renisa est Diuinitas, nam XI. Cal. Aprilis captos Comites allocutus Godefridum, patruumque eius Sigifridum, inter hostium cuneos solus repertus sum vestrarum partium cui fidenter de statu imperij vestri suas sententias concrederent. Scripsi itaque eo cohortorias Epistolas secundum intellectum eorum, coniugibus, liberis, amicis, vt in fide vestra persistent nullo hostium incursu terreantur, eorumque exemplo, si fortuna tulerit, exilium potius eligant pro fide vobis seruanda, quam pa- D triæ solum cum perfidia. Hos ego viros imprimis carissimos habeo, quibus grauius est quod vestra negotia non valent exequi, quam quod captiuitati hostium videntur addicti. Sed quia Principum dissensio interitus regnorum est, Principum vestrorum concordia remedium tantorum malorum nobis fore videtur: *funiculus* quippe *triplex difficile rumpitur.* Noueritis etiam reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quod de vestra fidelitate eis contraria sentiamus, simileque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis Archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidelissimum sibi putant. In his omnibus quid nos velitis facere, etsi inter hostes via patuerit vlla, quo & quando vestram præsentiam possumus adire certius significate nobis, paratis per omnia vobis obtemperare. Res processit vt iam non de sua expulsione agatur, quod tolerabile esset, sed de vita & sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios inciterint. Moles denique oppressionis tan-E ta est, vestrique nominis tanta inuidia, vt suas miserias nullus audeat vobis significare rescriptis, sed hæc tyrannis si inualuerit, locusque ad vos perfugiendi, sibi non frustra de vobis meliora sentient, spem certam habuerit, qui vobis ac filio vestro in quo valuit suffragium meditatus est.

Ex persona Adalberonis Lothario regi. Epist. LIII.

Epistola vestri nominis impressione ignota, signis incognitis, tantummodo per certum nunnum perlata, nobis mœrorem pertulit. Iubet enim ambitum monasterij sancti Pauli penitus auelli, quasi hostilis munitionis castrum, vnde sacerdoti iniungendum non est, quod cuiuis etiam tyranno formidabile esse potest, maximeque cum plurimi sint qui talibus gaudeant, sibi id efficiendi tanta inest voluptas. Porro hunc locum esse aptum hostibus ea res probat, quod natura circa vrbem plures fabricauit aprotes, atque si ita hostibus placuerit ad muniendum expeditiores. Noueritis autem nos vestræ saluti ac fidelitati & semper velle prospicere & semper velle ob-F temperare, diuino respectu ante prælato. Sed quod de vrbium custodia prolonganda imperastis, milites audire nõ sufferunt, suique eos promissi pœnitet, egestate & inopia omnia conficiente.

Treuirensi Episcopo ex persona Adalberonis Epist. LIV.

Priorem Epistolam pro suo imperio Domini mei, me vestræ paternitati misisse minime celare volo, cui omnia debeo et, quoniam quam fideiu Domino meo promisi istis, eam corpus meus prouinciere & seruare paratus fuit, eam à nobis obtinuit licentiam, quam maiorum promulgauit auctoritate. Sed quoniam pacto eius sordui ti fidelitas vestram intelligentiam latet. Hunc ergo Adal. quo modo aut vocabimus aut excommunicabimus: aut vt idẽ faciant alios orabimus? Ergo quia id legibus non valemus, nec ipsi facimus, nec alios vt faciant, hortamur: ne aut nos aut de nobis bene meritos in præcipitium trahere videa-G mur, & quia rex cœlestis dicit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*, nostris legibus puram fidem, purũ seruitutis obsequium semper intendemus, in nullo deuiabim', Domini tamen partes priores faciemus. Sed quoniam quę Domini sunt hoc tempore pauci prouiderunt, si quando legem Domini zelamus, aut perfidia aut alio quolibet vitio denotamur, eoque fit vt ita dicam inter malleum & incudem positis sine iactura animæ & corporis spes euadendi sit difficilis. Si qua ergo vobis sunt viscera pietatis, si semper vos vt fratrem, ac potius vt patrem coluimus, suscipite onus amici consilio & auxilio, vt qui in prosperis de vobis bene sperauimus in aduersis ne desperemus. At ea quę dicimus, non homini sed fidei magni sacerdotis celanda cõfitemur, dum testem adhibemus, terribilem vltorem dupliciter inclamantes his proditis in nostri læsionem.

Idem eidem. Epist. LV.

H Cvm litteris vestris multitudine curarum absoluamur, aliis rursus inuoluimur. Ecce enim de constantia vestri amoris de fide & pietate circa nos gratulamur. Sed quis vestrum intelligentiam eo detorsit, vt quæcumque nostri affines sentiũt eadem putares nos sentire? Dominũ Henricum cur oderim nescio, cur diligam scio. Sed eius dilectionis quis nunc fructus exterior? aliis quippe rebus Diuinitas necessitatem imponit, aliis cæca fortuna interstrepit. Denique tanta mole rerum pressi poetice, sed sapienter dictum putamus, *leuius fit patientia quidquid corrigere nefas: & si fieri quod vis, id saltem velis quod possis.* In votis hinc habemus, brachia peccatorum conterantur, confringat ea Dominus. Vnum est enodationis indigens, qui vestræ matris ac Reginæ olim eram fidissimus interpres cur hoc negotio priuor, potiusque per alios quam per vos plurima resciisco? & quoniam, vt professus sum ac profiteor, omnia vobis debeo, vt male sit vobis timeo. Diuerso quippe modo in commune nobis dictum *qui stat videat ne, A-*

A *ne cadat.* In commune itaque consulendum quod vt fieri possit omnium me participem faciatis, qui vestrorum cõuentur adinueni * eius busech. Id quoque quod regalis potestas Duce Beatrice ac vestris primatibus exigit, si vestram intelligentiam latet & rumor est, diligenter inuestigatum significate, quidue animi vobis in eo sit. Cæterum de vobis vt cepimus optime sentimus & qua fide vobis nostra committimus, eadem vestra suscipimus.

Idem eidem. EPIST. LVI.

GEreberdum Monachum sicut nunquam contra vestium velle, tenere tentauimus, sic ex nostra sententia prima die rogationum vsque Mosomum reducemus. Et quia tanto tempore eo vsi sumus, non erimus apud vos ianri immemores beneficij. Si ergo non placet eum diutius fore nobiscum, illic à vestris suscipiatur, quoniam nostris longius progrediendi facultas non datur, B tum propter hostium copiam, tum propter zelum callide nobis aduersantium.

Obiectio in Adalberonem. EPIST. LVII.

PErfidiæ ac infidelitatis crimine in regiam Maiestatem arguor detineri, eo quod nepotem meum Clericum videlicet meæ Ecclesiæ licentiâ donauerim, quia & palatium adierit & dono alterius regis Episcoparum acceperit, eius regni quod Senior Lotharius rex in proprium ius reuocauerat, quodque gradus Ecclesiasticos ei postmodum contulerim, absque licentia & auctoritate Senioris mei.

Purgatio. EPIST. LVIII.

CVm Senior meus rex Lotharius lothariense regnum non haberet nec reuocaret fratris mei filium, vix C tandem sic obtinui fide interposita, vt si vsus aliquando exposceret sibi suisque absque pertinacia redderem. At cum ageretur vt Senior meus filio Imperatoris aduocatus foret, eaque de causa dati obsides essent fratris mei, crebris legatis filium repetiuit, me segniter accipientem, fidei violatorem increpitans rem suam à multis interturbari eum se statim prodere dicit terribilem iudicem extremi iudicii vltorem spretæ fidei ac consanguinitatis proclamat. Ergo quia Senior meus de reuocatione regni mihi dixerit, sed de sola aduocatione, nec dandi licentiam Clerico interdixerat, sed insuper beneuole consenserat, vt à legatis meis intellexi, si ea facere vellet quæ pater suis spoponderat, & proficiscentem absolueret, & vt id pro quo obsides dati erant sincerissimè conseruaret, fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc vt credimus offert. Gradum Diaconatus ac presbyteratus ei contuli, ne à nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, & ne Ecclesia nostra inuidis pateret, Subdiacono ex se ad Episcopalem apicem assumpto, simulque quod hi gradus, nec Pro- D uincias, nec Ciuitates, nec villas quæ regnorum sunt conferunt, sed quæ potius cœlestis sunt regni. Idem aduersari vitiis, coli virtutes, in quo mihi crimen perfidiæ ac infidelitatis protendebatur. Ostendi, vt arbitror, & me fidem maxime habuisse, & fidelitatem Seniori meo imprimis conseruasse.

Domino Metensi Episcopo Diederico. EPIST. LIX.

QVi actus & dispositio regia in præsenti sit, dubitatio legati Henrici Idibus Maij patefecit cuius in reditu curiositas sciscitandi, & plurima perquirendi, aliud vultu prætendere, aliud mente gerere significauit. Dux Hugo ad sexcentos milites collegisse dicitur, ea fama Conuentum Francorum Compendiaco palatio habitũ V. Idus Maias subito dissoluit ac liquefecit. Interfuerunt de vestris quidem Dux Carolus Comes Reinharius, de nostris Herbertus Trecassinus, sed Otto acriori cura exclusus, adfuit etiam Gibenuinus Episcopus Laudunensis Adalbero frater Gocilo obside pacis, filio fratris Bardæ dato ea conditione euasit, vt quod Sigifridus ac Godefridus facturi sint faciant, quod hoc sit Fran- E cis spes mera, nobis res certa. Tantum superest quam patriam in manibus consilio & auxilio & viribus tenetis, hostibus consilio & auxilio destitutis, tradere ne velitis. Vrbem Virdunensium à paucis prædonibus quiete tueri, inquieto & iniquo animo fero, nisi forte hoc maiori differtur consilio, vt vnde non sperant præcipiti excidio tabescant.

Gerbertus Innominato. EPIST. LX.

REs celanda multis committi non vult. Quod diuerso stilo nobis scribitur aduersis tractari non iniuria putatur. Silentium amici vestri Adalberonis, proprium statum simulque Ecclesiarum Domini, ac palatij Francorum indicat, quod vt potero breuiter accingam. Ego fidelium Cæsaris non immemor, coniuratio in filium Cæ- F saris ac in vos & acta est & agitur non solum à principibus, inter quos Carolus Dux iam non in occulto est, sed etiam à militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo XIV. Calendas Iunij Regem ac Reginam osculatus est, tandem astutia quorumdam, vt in coniuratione tanti viri non minus fore putaretur, quod minime est, nec fore putamus hac tempestate. Sigifridus Comes ad sua redit, Godefridus Comes, si Castri-Lucium cum Hainao Reineto redderet, seque filiumque suum comitatu ac Episcopatu priuaret Verdunensi: De reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret. Finis Theoderici ducis Hugonem ducem respicit, Ottonem Heribertus. Fidum vobis Adalberonem Archiepiscopum pax sequestra nunc tandem conciliat, ex pacto, vt interim instituatur perpetua, qua in re vestrum bonorumque, pro quorum nomine antefertur, nec fieri potest vt quicquam instituatur, quod vestræ suorumque saluti ob- G sistere possit. Latens ac furtiua expeditio nescio quibus vestrorum subito intenditur. Quid trans Rhenum gesseritis nos de vestra salute lætantes non celabitis.

Adalberoni Archiepiscopo Gerbertus. EPIST. LXI.

VT voluistis consultum est mora vestra vsque ad determinatum colloquium in commune laudata: Amicitia Hugonis non segniter expetenda, sed omnino conandum ne bene cœpta male abutamus. Nam quidẽ intelligentia hæc est, sed nescio quotiã pacto frater vester Godefridus atque Rainherius, Gobtheto meo, quẽ Turonium miseram dixerunt, vos præsto adfore, vt si quem nuncium Odo vobis mitteret, & alloqui possetis, & quæ significaret opere adimpleretis. Cæterum dux Hugo nacta occasione ex dissentione Episcopi Parisiensis & Abbatis Gual. Abbatem nostrum Ayardum inter cæteros ad se venire orat, id vt peragat persuasum iri posse confidimus. Colloquio soluto moras omnes soluite, vbique ac viris vos restituite. H

Beatrici Duci ex persona Adalberonis EPIST. LXII.

SVper his quæ certius vobis significari quæritis, nil amplius nouimus quam aut præsentes diximus, aut legatione nostra accepistis. Cæterum vobis liberis amicis ad votum prosperari saluo honore regio & optamus, & sit congratulamur. Nostra negotia vestra putate. Apud ducem Hugonem de vestra mente pura, fide constanti absque hæsitatione præsumite. Denique quod à vobis exigimus suo tempore vestro obsequio impendemus. Imprimis quoque gratias habemus, quod de plurimis à vobis certiores existimus. Meing. Monachum ex petitione Abbatis Rai. diu perquisitum Corbeiam liquisse, Rothomagum adisse audiuimus, in quo si dabitur facultas nostrum ei vt in omnibus exequi conabimur.

Eidem

A

Eidem. Epist. LXIII.

REbus vobis ad votum cedentibus non immeritò cõgratulamur. Et quia ignorata freqnenter per vos addiscimus, vestrumque affectum circa nos sincerum experimur, inter præcipua ponimus. Sed quæ res institutum colloquium Dominarum sic commutauit, vt solus Dux veniat Henricus? id an dolo alterius partis agatur, & qui Principum eo ventura sunt si nouistis, ora nob' nobis plena fide perorabitis.

Idem Duci Beatrici Epist. LXIII.

EXcellentiam acuminis vestri videor videre, pace inter principes stabilita, repub. bene disposita, ac per vos io melius deputata. Vnum tantum est quod plurimos mouet. Treuirensem Archiepiscopum tanto molimine ordi-
B nationem differentem, aut se cum duce & Lothariensi regno manibus Francorum velle tradere, vusq; celare quod Colloquium Verduni habendum verisimile facit, aot his maiora velle machinari, iubetur amico vestro A. ordinationem nepotis destruat. Nam rex aut primas est Treuerensium? factionem Archiepiscopi hoc negocium vndecumque continere videtur. Inuigilet ergo vestra prudentia, & quo se tantarum rerum pondera vergant, perquirite, & an Dux Heoócus fidem vobis seruaturus sit prouidete.

Nithardo Abbati Medelecensi. Epist. LXV.

SEmper quidem plurimorom vtilitati prospiciendum, priuaôsque commodis publica præferenda. Fratrem Gaut. subito eum re omni familiari parata ac paranda redire cogitis, nulla temporis ratione habita. Soli ne tantos motus ciuilis belli non sensistis? qui Domini terũ ac principes esse videmur, itinere frequenti equis amissis comites
C tariores habemus. Tædio monasterij eum nolle redire dixistis, id ne verum sit quoquo modo reducem tenetis. Cõsequitur ergo vt in hoc experiamur paucorum oe commodum, an multorum, sit vobis pretiosius.

Ex persona Adalberonis Notgero Episcopo Leodiensi.
Epist. LXVI.

COllectionem Episcoporum propter quæ significatũ est, non esse factam, tarditati perlatæ Epistolæ imputandum. Disputabitur autem de his in aduentu vestro, & si ita visum fuerit, amplius postmodum priuatim & in commune deliberabitur. Cæterum quia frater meus se suaq; ad vos pertinere putat, multumque spei suæ salutis vobis attribuit, Gualtherum militem à persuasione Vuazonis cohibere debetis, eoque facto & sinistrum rumorem vitabitis, & proprio officiu non defuisse videbimini.

Eidem ex persona eiusdem. Epist. LXVII.

D EI qui cum sapiente rationem instituerit non multa oratione inlaborandum: Quod vestris vi ereptum est restituetur: fidei spondentis amici credite, si id satis non est, obses accipiatur ab his quibus sua rursus institui orauimus, nec differendam propter instantis fori necessitatem, eaque de vobis optime præsumimus. Dum hæc dictauimus obsides ab obsesso castro vt in crastinum reddendo, nos accepisse significauimus. Metis colloquium Dominatum habendum est, vos quàm plurimum interesse optamus. Si relictum vt institutum est, causam effectricem per vos nosse laboramus. Quid priuatim vos scire oportebit priuata docebunt tempora.

Abbati Rainero. Epist. LXVIII.

QVamuis intelligentiam vestram nun lateat artem artium regnum esse animarum: tamen tam occupans in Rep. suggessisse non inutile visum est. Fratrem Menig. quem suaui eloquio, affabilitate paterna transmarina mutare coegistis, hætentem ac dubium quibus valuimus senteotiis vestram mansuetudinem sibi ootam experiri persuasimus. Erit ergo docti viri, more boni medici, mellita proferre, ne primo gustu amaris ingestis antidotis, salutẽ suam formidabundus incipiat expauescere: Hac conditione si placet suscipite, si displicet, ne fortè proditoris fungamur officio, quo velit redire æquo animo ferte. E

Ecberto Archiepiscopo Treuirensi. Epist. LXIX.

NOn exsecutum esse quod ab vrbe Verdunensi de reditu fratris G. mandauimus, acrior cura præsentium tempore effecit, dum & quod nolumus necessitas infert, & quod volumus aufert. Nunc tandem ne bene meritis appareamus ingrati, clementiæ vestræ vt possumus remittimus, hoc votum à solita beneuolentia vestra expetentes, vt expetiatur vestram affabilitatem ob nostram commendationẽ, & si pace vestra fieri potest, ne careat studiis quibus impensius operam dare disposuit. F

Abbati Maiolo Cluniacensi. Epist. LXX.

ETsi vigilanó cura super vestro grege assiduè occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio, interdum medemini. Floriacensis Cœnobij propter reuerentiam patris Benedicti summum locum penes Monachos vt aiunt peruasor occupauit. Si vos taceatis quis loquetur? hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? nos quidem hæc zelo diuini amoris dicimus; & vt nostro examine si probus est recipiatur, si improbus o[illegible]m Abbatum ac monastici ordinis societate, ad pœnam suæ damnationis priuetur. Quod vobis ratum litteris vestris nobis fiet acceptatissimum.

Abbati Geraldo Aurilacensi. Epist. LXXI.

NImium dilecte Deo, ardere velut orbem terrarum vides, & ad omnipotentem manus pro statu Ecclesiarum Domini non erigis. Salutiferum quidem iter charitatisque plenum ad limina beao Geraldi oos habere cupitis, cui voto vtinã faueat Diuinitas, sed id quam difficile factu sit facilè intelligitur, nisi vestra obtineant merita. De rege Ludouicu quis habeatur consulitis, & an exercitus Francorum auxilium Borello laturus sit. Horom primum à oobis minime quæri oportet, quoniam, vt ait Salustius, *omnes homines qui de rebus dubiis consulunt oportet esse remotos ab ira, odio, misericordia.* Alterum suapte natura adesse, & non esse æqualiter vergens, nostra intelligentia magis videtur rendere ad non esse. Organa porro, & quod vobis dirigi præcepistis in Italia conseruantur, pace regnorũ facta vestris obtutibus repræsentanda. Quæ vestri iuris sunt, vt vestra exspectare, desiderabilem præsentiam pij patris, & causa beao Remigij Francorum Apostoli desiderãnbus filiis exhibere, vt nostrum possibile vestro soluatur possibili. G

Stephano Diacono, Non. Martias. Epist. LXXII. H

EXequiis Domini Lotharij Regis occupati, multa tibi quærenti pauca rescripsimus. Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter comitem Gold. de quo in breui meliora sperantur. Quæ penes te tuosque agantur rescribe, atque per hunc legatum libros tua industria oobis rescriptos, consummata charitate remitte.

Nitardo Abbati Medelecensi. Epist. LXXIII.

QVod vestra præsentia interdum nõ perfruimur, turbulentæ Reip. imputatur, vos solum grauia pao putatis, quæque asperrima cæteris sint ignoratis. Sed cum agantur homines dubia sorte, mihique, non nostris, incerto certa quæratur sedes, cur tamdio penes me deposita malè fidæ fortunæ thesaurizatis? & quia vtpote fidissimus fidissimo loquor, maturate iter: nam aut imperia Ot-

tonis

A ronis recolliget aula, aut quantocius omissa diu repetet Hiberia.

Eberto Archiepiscopo ex persona Adalberonis.

EPIST. LXXIV.

QVamuis sciam ex voto meo nulla beneficia vestris meritis respondere posse, æstuat tamen animus,& quod re nequit, sequitur affectu. Priuilegium vestri amoris circa nos sæpe numero nuntiis, sæpe numero rebus ipsis experti sumus: & quoniam sanctas petitiones pro nobis Domino obtulistis, quam non inaniter eas effuderitis testis est beneuolentia Dominæ Augustæ nobis reddita VI. Nonas Martias, qua die gloriosissimus rex Lotharius Francorum clarissimum sidus, mundo subtractus est, is quem caruisse regali gratia putastis, nulla familiaritate B seclusus est.

Ex persona Hemmæ reginæ ad matrem. EPIST. LXXV.

DOminæ Adelaidi Imperatrici semper Augustæ Hemma quondam regina nunc lumine Francorum orbata. Elapsa sunt tempora mearum deliciarum, tempora decoris mei, ô mi Domina, & ô dulcis mater, dum is quo florente florebam, coniugem in perpetuum Viduam fecit. O amara dies VI. Nonarum Martiarum quæ mihi virum eripuit! quæ me in has miserias præcipitauit! Intelligat pia mater gemitum & angustias filiæ doloribus plenæ. Non esse me penitus præoptarem, nisi Diuinitas solatio reliquisset mihi matrem. O quando videbo, quando alloquar! Henricus quidem vestræ præsentiæ ac reginæ in curia Romarici montis, vbi confinium regnorum est, XV. Calend. Iunij, me ac filium meum occurrere voluit. Sed hæc mora nulla annorum mihi est. Noueritis interim Francorum principes mihi ac filio simul fidem sacramento firmasse. In hoc & in reliquis quæ sequenda ac vitanda sint C vestro indicio vtemur. Vt non solum H. reginæ, sed omnium dicamini mater regnorum. Recordamini præterea verborum, vestrorum, quod virum meum præ me dilexeritis, quodque ipse pro me vos amauerit. Prosint animæ eius hi dulces affectus, & quod temporaliter exhibere non valetis spiritualiter recompensetis per Sanctos Patres id est, Episcopos, Abbates, Monachos, ac per seruos Domini quosque religiosissimos.

Epitaphium Regis Francorum Lotharij. LXXVI.

CViusad obsequium coiere duces, bonus omnis,
Quem coluit fate Cæsaribus monimenta doloris
Cæsar Lothari prætendis luce secunda
Terrifici Martis quod eras conspectus in astro.

Epitaphium Ducis Friderici. LXXVII.

D FRancorum placito nomen tulit hic Friderici:
Quem proaui fudere duces à sanguine Regum,
Officio, meritisque Parem sopor vltimus hausit.
Mercurij quum celsa domus tibi Phœbe pateret.

Epitaphium Adalberti Scolastici. LXXVIII.

EDite nobilibus studium rationis adepte,
Dicit Adalbertum te Belgica flore iuuentæ,
Stare diu non passa, tulit fortuna recursus,
Bis senas Febru cum produxisset Apollo.

Epitaphium Ottonis Imperatoris. LXXIX.

CViusad imperium tremuere duces, tulit hostis:
Quem Dominum, populiq; suum nouere parentē,
Otto decus Diuum Cæsar clarissime nobis,
Immeritus rapuit te lux septena Decembris.

Oratio in Verdunensium vrbem. LXXX.

E QVod remedium morbis tuis inueniemus Verdunensium execrata ciuitas? vnitatem sanctæ Domini Ecclesiæ scidisti, sanctissimam societatem humani generis abrupisti. Quid enim aliud egeris cum pastorem tuum voluntate hæreditarij regis, consensu & fauore comprouincialium Episcoporum electum, ac insuper Episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minimè recognoscis? teque velut membrum inutile ac deforme, sine vtilitate corporis, ex oleo in oleastrum inserere tentas? Ideo pastorem non recognoscis, quia regem tuum regno priuate moliris. Non est tui iuris creare nouos reges ac princiF pes, id est, sub insolita transire iuga. Grauissimum est peccatum tuum impia ciuitas, nō confregit aries muros tuos, non fame interfecti milites, nullo telorū genere peruasi sunt. Sanctuarium Domini corrupisti, Sanctuarium Domini peruasisti, ac possides speluncas latronum, facta es hostis humani generis, amici tui obliti virginum, sanctiq; thori obliti consanguinitatis & muneris, & iam in sacris diebus & in sacris locis horrendum lupanar fecerunt te. Altaria Domini calcibus allisa ac ligonibus effossa sunt opes Religiosorum & pauperum, rapinæ & incendijs patuerunt. Reuertere, reuertere ad pacem Ecclesiarum & ad vnitatem regnorum, Ciuitas virtutum expultrix ac vitiorum receptrix & vos si qui estis, Domini pars melior, redite & separamini velut oues ab hædis. Nouimus antesignanos pollutæ ciuitatis, nouimus satellites manipulares, quos diuino gladio feriendos hactenus patientia tulimus, nunc cæcitate mentis pressos & caligine mortis cōsopitos, sententia damnationis ex diuinis legibus promulgata communi omnium bonorum consultu percutimus.

Eberto Abbati Turonensi. EPIST. LXXXI.

G VBi summa religionis norma esse debuit grauissimum esse illapsis crimen non immerito nos promnuus & exterruit. Si quis erit auctor huius correctionis tacentibus cunctis Primatibus vestri ordinis. Nos quidem venerabili Abbati Maiolo super his pauca præscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere scimus. Huic tanto negotio, & vt verius fateamur tantæ audaciæ, vlciscendus à nobis dux designatus est, eius sententiam qui prior nostrum nouerit, alteri sine mora significabit.

Azoni Abbati Deruensi. EPIST. LXXXII.

RVmpe motas omnes mi pater & M. & ij. Cal. Iulij. egredere de Vr Caldeorum. Obtemperandum verearis aspicis ac in fide diu probatis. Noster Adalbero pater patriæ quondā nobis fidus,& nunc fidissimus, morarū impatientis, vestrā expetit præsentiam, nefas absenti signiH ficare ea quæ volumus præsenti dicere. Charissima vobis ac nobis librorum volumina vestrum iter sunt comitata. Hoc tantum dixisse sufficiat.

Bobiensibus. EPIST. LXXXIII.

GErbertus gratia Domini si quid est plurimam salutem dicit dilectissimus sibi filius Bobiensibus vtriusque ordinis Rem dignam vestroque nomini conuenientem penitus egistis, patrem quærendo, patrem visitando, quia iure vos veros filios esse docuistis. Ergo & pro vestra diligentia,& pro fide constanti circa me, nunc absens grates habeo, & mox propitia diuinitate præsens debitas exhibebo. Ego quidem & si iam propemodum in portu cōstiti, vos tamen malignis fluctibus iactari iniquo animo fero. Sed scimus Dominum omnia posse, eumque motum prece pauperum confidimus afflictis opem illico laturum, fore.

A

Hugoni Marchioni. Epist. LXXXIV.

NOn immerito vos plurimi facio & vos & veſtra votis & laudibus effero, qui tam ocenpari mei meminiſſe dignamini. Inret honeſta boc, itaque inter præcipua ponimus, ac proinde ad vos fidem plurimam habemus. & vt noſtri memoria non excidat propenſius oramus, & vt feſſis iam rebus beati Colnmbani ſubueniatis, preces quas valemus abſentes effudimus.

Cononi Italico Marchioni. Epist. LXXXV.

QVamuis officiorum meritis veſtram promereamur gratiam, virtus tamen ac nobilitas veſtri generis ac propria, adducit nos de vobis bene ſentire, meliora ſperare. Quod ſi à paruis maxima iuuari poſſunt, honori veſtro ſtudia noſtra non deerunt in loco & tempore: conſultando, bona verba ſuggerẽdo, vt dum vobis fortuna ô-

B ſetit, ſub veſtris alis noſtra mediocritas requieſcere poſſit.

Ex persona Adalberonis Teophania Imperatrici. Epist. XXXVI.

ETſi hactenns vos ob merita veſtri viri excellentiſſimi Auguſt. Semperque memorandi vt dominam colui, ſpecialia tamen nunc beneficia veſtra, veſtrique filij, & præteritam continent dilectionem, & fidem noſtrã ad vos ac veſtros plurimam augent: fouet noſtra Eccleſia inter præcipuos theſauros pignus veſtræ amicitiæ circa nos. Senoat ergo Beatus Remigius tantæ Dominæ fauorem ſi fieri poteſt in recipiendis rebus amiſſis, cũ propter ſui merita, tum propter noſtra ſi qua placebunt exhibenda ſeruitia. Sentiamus & nos gratiam iam bene fundatam, ſcilicet vt legato & melius ſcripris de pace, & pacis conditione cum noſtro rege habenda dignemini ſignificare nobis per omnia paratis, quantum fas eſt fidem

C ſinceriſſimam exhibere: Sicque ſaluo veſtræ ac noſtræ in commune melius poterimos conſulere.

Conſtantino Scolaſtico Floriacenſi. Epist. LXXXVII.

SApienter & perite ille vir Domini peruaſorem improbandum cenſuit, ſed rem ad ſe minus ſpectare ſignificauit, ipſum ante inſignia honoris infamem, fautores, in religioſos augendam infamiam, ſi ſanctorum priuetur conſortio, caute prudenterque diſſeruit. Matura ergo iter, & XVI. Cal. Sept. nos reuiſe, vt in his omnibus per te plenius inſtruamur, ſimulque læteris animaduerſione noſtra in peroaſorem, & qui te cœnum noſtris putauit in naribus, de ſe dictum exiſtimet, teque tymiama vaporatum redolere perhorreſcar. Comitentur iter tuum Tullianæ opuſcula & de Rep. in Verrem & quæ pro defſenſione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conſcripſit.

D

Ex persona Adalberonis Archiepiſcopi Abbati Maiolo Cluniacenſi. Epist. LXXVIII.

PRæclara quidem exhortatio veſtra in peruaſorem, ſed cum ſcriptum ſit, *qua cœpit Ieſus facere & docere*, cur diuerſa imperia, diuerſa cæli climata prætenditis, vt ei quẽ ... tum ſtatuiſtis, aliis non communicanobis communicetis? Reſtiterunt ſancti patres hæreſibus, nec putauerunt ad ſe non pertinere, quicquid alicubi male geſtum audiere. Vna eſt quippe Eccleſia Catholica toto terrarum orbe diffuſa: Verba veſtra ſunt, imo per vos ſancti Spiritus. Nec erit Chriſti fidelis cui hæc ambitioſa audacia non fiet deteſtabilis: Deteſtamini ergo peruaſorẽ, ſentiat vos ſibi non fauere, nõ ſibi communicare, ac per vos non ſolum quoſque Religioſos veſtri ordinis, ſed etiam ſi fieri poteſt Romani Pontificis ſe maledictis vrgeri, & quomodo rem vt erat cognouiſtis, cognitam ſecundum dignitatem veſtri nominis diiudicaſtis: nos veſtrique omnes

E velut fidiſſimi comites tantum ducem ſequimur, nec vnquam huic perſuaſori ac tam probo improbo adprobabato, veſtro ſine iuſſu communicabimus.

Idem Abbati Ecberto Turonenſi. Epist. LXXXIX.

QVæ morum grauitas vobis inſit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, literæ veſtræ palam fecerunt. Itaque ſtudium pietatis ac ſeueritatis veſtræ, mouit nos ire in veſtram ſententiam, virque ille Domino plenus, ad quem multam fidem habemus. Summouebimus ergo illum perfidum à ſocietate noſtra noſtrorumque iudicio tantorum patrum, iſque nobis habebitur hoſtis, qui in ſententiam reuerendi patris Maioli colendi patris Ecberti dicere non dicenda attentabit. Quod ſi diuinitate propitia fauorem Principum obtinebimus, ad hæc vtilia vtiliora iungemus.

Ad Imperatricem Theophaniam & ad filium Othonem ex persona Adalberonis. Epist. XC.

F

IN qnem cumulum ita furorque regis in nos prorupe-rit, teſtis eſt impetus eius repentinus & inopinatus, vixque ſine multa cæde partim repulſus: qui ſidi inter nuntii erant caſtra diruere quæ ſub veſtro regimine nobis ſunt, imperabant offerre iuſiurandum ſecundum eorum libidinem aut vrbe regnoque excedere: inrerferebant antiquam beneuolentiam Diui Augu. circa nos noſtrumque familiare obſequium. Hæc & his ſimilia propriẽ ſalno inpræſentiarum obſtitere. Ferte ergo certum ſolatium tempore incerto, nec dubia ſpe deludamur qui in conſeruanda fide nunquam dubitauimus. VI. Cal. Apri. Conuentus Francorum inductus eſt, ibique crimine infidelitatis pulſabimur quod Epiſcopum Verdunenſem licentia donauerimus, quodque in presbyterij honorem promouerimus, & vt res fiat impoſſibilis à nobis idem repetendus. Si hæc ita ſe habuerint, veſtri noſtrique fidelis Gerbertus. ac Reinerus ſecundum quod voluiſtis, Nouiomago vobis minime occurrere potuerunt. Sed veſtra

G clementia Coloniæ, quo poſt venturi ſunt quanto ducem aptum itineri eis prouideat. II. Cal. Mart. Ottonem & Heribertum comites alloquemur, iterumque datis obſidibus quos recepimus fratrem meum veſtræ ſeruituo remittere attentabimus. Quibus anguſtiis ob fidem vobis ſeruatam ſemperque ſeruandam premamur, paucis expreſſimus. Salutare veſtrum auxilium veſtra ex parte conſtanti animo expectamus, & vt hoc ipſum hoſtes lateat obſecramus, ne acrior eorum in nos exardeſcat ira.

Raimundo Aurilacenſi Abbati. Epist. XCI.

CLariſſimo patre Heraldo orbatus non totus ſupereſſe viſus ſum. Sed te deſideratiſſimo ſecundum vota mea in partem creato, denuo totus in filiũ renaſcor. Nec ſolus veſtro honore gaudeo, gaudet Pater Adalbero, ſe ſuaque vobis ex animo conferens, tanto arctius,

H quanto amplius luce religionis ac ſcientiæ conlucetis, cuius ob meritum amorem, fere continuum triennium in Francia conſumpſi, ibi dum iras regum, tumultus populorum, regnorumq; diſſidentium æſtus perfero, tanto tædio affectus ſum, vt curam paſtoralitatis ſuſcepiſſe pene me pœniteret. At quoniam Domina mea Theophania imperatrix ſemper Auguſta, VIII. Cal. April. proficiſci me ſecum in Saxoniam iubet eoque quoſdam ex meis monachis & militibus ab Italia conuenire iuſſi, tunc non habeam quod certum ſcribam ſuper organis in Italia poſitis ac monacho dirigendo qui ea condiſcat, præſerõm cum ſine præſentia Dominæ meæ Theophaniæ credere me non auſim fidei meorum militum qui Itali ſunt, nec ſatis ſciam vtrum exercitum ante autumnum in Italiam deducam, an in Germania demoremur, vt quam plurimas copias contra Ludouicum regem Francorum niſi quieuerit, comparemus, qui amicis inquietiſſimis, perniciosiſſimis hoſtibus non

mul-

multum inquietus, quis sit, quidque de eo intelligi oporteat velox exitus comprobabit. Clara indoles diuæ memoriæ Ottonis Cæsaris, pace, inter duces ac principes reducta * grata, proxima æstate legiones militum duxit in Sarmatas quos ea lingua * Guidonos dicunt, ibiq; vi. & xl. vrbes munitissimas sua præsentia ac militum robore cœpit, diruit atq; vastauit. Salutat vos, Airardum, Adalbero Remorum Archiepiscopus, simulque omne collegium Aurelacensis cœnobii, me adiuncto per omnia vobis deuotissimo. Iterum iterumq; valete.

Bernardo Monacho. Epist. XCII.

QVæris dulcissime frater quæ & qualia gerantur à me & an ea sint commoda & incommoda. Huic petitioni an satisfacere paucis possim addubito, quod altius ea rimanti nulla esse videantur, aut si quolibet modo sunt, maximam partem incommodorum secum trahunt. Primum quod in publicis causis versari nunc temeritatis est, quippe vbi diuina & humana confunduntur iura, propter immensam auaritiam perditissimorum hominum, idque solum ius statuitur fore, quod libido ac vis more ferarum extorserit. Ast in priuatis id primo fero, quod amicos in aduersis nulla oppressus calamitate destitui. Sed an memoria dignum sit aliorum iudicio derelinquo, & quod Italia excessi, me cum hostibus Domini ac filij Senioris mei Domini mei Ottonis quolibet modo cogerer pacisci, & quod interdum nobilissimis scolasticis disciplinarum liberalium suauis fructus ad vescendum offero: Quorum ob amorem & iam exacto autumno quandam figuram edidi artis Rhetoricæ depositam in vi. & xx. membranis sibi inuicem connexis & concatenatis in modum * ante longioris numeri, qui fit ex bis xiii. opus sane expertibus mirabile, studiosis vtile, ad res Rhetorum fugaces & caliginosissimas comprehendendas, atque in animo collocandas. Ergo si quisquam vestrum cura talium rerum permouetur & in musica perdiscenda & in his quæ fiunt ex organis, quod prius adimplere nequeo: Si cogo vero certum velle Domini Abbatis Raimundi, cui omnia debeo, per Constantium Floriacensem supplere curabo, est enim nobilis, Scolasticus adprime eruditus, mihiq; in amicitia coniunctissimus. Vale dilectissime frater, meaque semper dilectione mutuo fruere, nostraque bona putato esse communia.

Adalberoni Archiepiscopo. Epist. XCIII.

COrruptissimi temporis est non posse decerni secundum popularem opinionem quid sit magis vtile. Vtile est quod agitis sententia multorum, vtilius cum plures iudicant in vrbe sedere * paucam & ignauissimam prædonum deterrere manum, cum præsentia vestra tum militum numerositate, vestrum fratrem vos debere alloqui censent, audite quæ velint Otto & Heribertus mutua subito exposcentes colloquia, quibus & si nulla inest fides, tamen pro fortuna eis vtendum, certe cum in metu sunt, periculum ipsorum ab eis exiget, quod propria non exegerit fides.

Ad eundem. Epist. XCIV.

OCtauo Cal. Octob. Renher. à responsis, Rhemos rediit, vestra negotia executurus. Eius sententia hęc est, si de fratris fortuna certum finem cognoscere vultis ac nulli mortalium indicanda nisi vobis, iiii. Cal. ad Altomillare fratri ac Comitibus occurrere, nepotem vestrum Hecilonem, ac primos vestri generis consanguineos interim nusquam sinatis abire. Magna res serio agitur. Mosomum & Macerias multitudine militum communite. Dux Cono pro suo Ottone insidias molitur, sed facile remedium penes nos reperietur. Laudunensis Episcopus consilio Ottonis, & Heriberti sibi fauentium ducem adiit, eo loci quem dicunt Dordinguum. Redite, mora sit nulla.

Ex persona Remensium Abbatum fratribus Floriacensibus. Epist. XCV.

NOn immerito nos vnius collegij esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem castissimamq; amicitiam quorumdam fœdat ambitio lasciua, detestabilis audacia, dum per factionem vobis proficiscitur pater quem verissimi non metuant damnare patres, & quomodo vna est Ecclesia Domini, velut charissimæ stellæ relucent in perpetuas ęternitates. An non lucidissima stella venerandus Pater Maiolus? an non præfulgidum sidus Pater Ecberdus? alter in Epistola quam patri nostro venerabili Adalberoni Archiepiscopo nuper direxit querebatur. Eius sententia de prælatura partis vestri inter cetera sic dicit, Persona quæ vobis iam olim infami conuersatione erat famosa, sed huiusmodi arbitra● præter spem habita. Item in eadem post aliquanta, Quantum ergo nostra interest vicinos & contribules adhortari studuimus, si hoc nefas eliminare nequeunt, sanctorum consortio priuandum infamabunt, nec erit Christi fidelis cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis. Facta laudare non possumus, quid futurum sit nescimus. Clamat alter simulq; nos deuotans, inquit, Nec minus nos grauat quod Magistratus ille Cœnobialis, quem stare credimus in vertice religionis, dum vobis submilitat, à vobis discors, nos erroneos iudicare audet. Et quis enim fraudulenta ambitione audeat adprobare, cum Pater B. dicat, omnem exultationem genus esse superbiæ? Item in fine eiusdem Epistolæ, Etsi vobis non videtur fatuũ æterna clausura eius ad nos damnabimus aditum, faciant iudicent Primates vtlibet, nos pauperes Christi fauor aut timor sæcularium ab hac sententia non flectet. Attendite ad hæc ô socij & Commilitones, secernite vos oues Christi ab eo qui non est pastor, sed lupus ouium depopulator, prætendat sibi reges, dulces sæculi, principes qui se fauore solummodo eorum Monachorum principem fecit, nec erubuit se ingerere qui ex humilitate debuerat refugere. Hactenus ignorantia nos deuiasse sufficiat, careat nostro consortio. Qui talium partium damnatur iudicio. Tunc nobis tantum vniatur, cum eorum sententia fuerit reconciliatus, quorum iudicio nostro est nunc consortio priuatus.

Fratribus Blandiniacensibus. Epist. XCVI.

QVi me vobis fratrem adoptastis, orbitatem vestram vt sentiremus magnopere effecistis, virque ille venerabilis memoriæ nos sui memores in æternum honestis obtinuit officijs. Ergo agite, patrem vobis dignum citius exquirite, ne grex Dominicus fluctuet sine pastore, nostra ope si indigetis vtimini, & consilio, & auxilio iuxta vires ac scientiam. Libros nostros festinantius remittite, & si is qui per Claudium rescribi debuit, insuper mittetur, erit res dignissima vobis ac vestra charitate.

Ex persona Hemmæ Reginæ ad matrem Epist. XCVII.

AGgrauatus est dolor meus, ô mi Domina & ô dulce matris nomen, dum coniugem perdidi spes in filio fuit, is factus hostis est. A me recesserunt dulcissimi quondam mei amici ad ignominiam meam, ac totius generis mei. Nefandissima in Laudunensem confixerunt Episcopum, persequuntur eum proprioque spoliare contendunt honore, vt inoratur mihi ignominia sempiterna, quæ sit quasi iustissima causa amittendi honoris mei. Adesto pia mater filiæ doloribus plenæ. Gloriantur hostes mei non superesse mihi fratrem, propinquum, amicum qui auxilium ferre possit. Intendat ad hæc pia Domina, redeat vestra nurus in gratiam. Sit mihi per vos exorabilis, liceatq; suum mihi diligere filium, quem meum patior vt amicum. Astringite mihi Principes vestri regni, proderit eis mea coniunctio. Otto & Heribertus comites potentissimi

A mecum in vestro consilio erunt. Si fieri potest absolute nos curis, & mutuis fruamur colloquis. Sin antiquam sapientiam vestram vndique colligite, Francis vnde non sperant contraria parate, vt in nos grauiter fæuiens eorum refundatur impetus, & interim quid vobis sit faciendum, & scriptis significate & nuntio fidissimo.

Ex persona Laudunensis Episcopi ad Episcopos.
EPIST. XCVIII.

QVamuis regia potestate per quorundam hominum factionem, à propria sede sum ad præsens exclusus, Episcopali tamen officio minime sum priuatus, nec damnant crimina falso illata, quem innocens in hac parte nō remordet conscientia. Sentiat ergo grex pastoris absentiam, sentiam & ego vos meam dolere vicem. Itaque moneo, rogo, oro, obsecro ac pro nomine terribilis semper viuentis Domini obtestor, ne Ecclesiæ meæ quolibet modo, per quamlibet personam, sanctum chrisma tribuatis,
B nec Episcopalem benedictionem, & Missarum solemnia in mea parochia peragatis, quia scriptum est, *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* At si diuina & humana contemnitis iura, nec nostris monitis adquiescitis quamquam diuina vltione sitis feriendi, tamen ad maiorem audientiam Ecclesiasticæ legis vos prouocatum iri perniosçatis.

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi ad Bellouacensem.
EPIST. XCIX.

REspondere scriptis vestris necessarium ad præsens nō duximus, cum ad indictum colloquium de singulo pro modulo vestro accuratius vobis satisfacere possimus. Et quoniam nostrum ob amorem priuata posthabetis negotia, nostrisque sedulo operam datis, inter præcipua ponimus, memori animo recondimus, præstitis non minora recompensaturi beneficia, si se infida retorserit fortuna.

C

Echerdo Archiepiscopo Treuerensi. EPIST. C.

QVantum vtilitatis Reip. contulerit, quantumue collaturа sit pax inter Reges nostros bene fundata, testis est ciuitas Verdunensium sine cæde & sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis in integrum imperio vestro restituta. Testis erit Colonia, rebus sibi diu substractis in integrum restituendis quod vtiq; maturius foret, nisi acrior cura regnorum nuper in conficienda pace longius nos detinuisset propter diuersos mores quorundam nostrorum. Nunc itaque tempus opportunum nacti, obsequio nostro adsumus. Monemus vti Dudo ac Gesilbertus comes rerum Ecclesiæ vestræ peruasores sine dilatione excommunicentur. Moneatur frater ne amicus vester A. Remorum Archiepiscopus super Dudone, Guido Suessonicus Episcopus, super Gesilberto ne filios suæ Ecclesiæ impune vos lædere sinant, sed excommunicatos à vobis excommunicent, donec consequantur à vobis veniam digna satisfa-
D ctione, qui conati sunt sanctuarium Domini hæreditate possidere. Quid Domina nostra Theophania imperatrix semper Aug. insequenti tempore rerum publicarum fractura, quibusue in locis demoratura, & an Saxonum exercitus victor à confuso hoste redierit, significatum iri nobis plena fide oramus, vestra vestrorumq; aucrsa tristi vultu acceptum, prospera iucundissimo animo laturi ac perlaturi.

Echerdo Archiepiscopo Treuirensi. EPIST. CI.

MVltitudine curarum festinatæ legationis, simulque viarum prolixitate pressi desiderabili colloquio vestro magna cum mœstitia priuati sumus. Sed reficit nos præsentia spectabilis viri Folmari, in quo vestra virtus intellecta est, dum eo vtimini ministro, qui voluntatem Domini etiam non monitus laudabiliter expleat. Addicti ergo sumus vestræ seruituti, cum hac & iam plurima dilectione Senioris nostri Adalberonis circa nos, qui earum

E rerum quas scimus participes vos fore per omnia, volui. IIII. Cal. April. Domina dux Beatrix apud palatium Compendiacum hoc effecerat, Calend. Iunii ad montem Falconis Dominæ imperatrici, duci Carolo Rex Ludouicus, Regina Hemma, dux Henricus causa conficiendæ pacis occurrerent. Sed quoniam per ignorantiam Dominæ Theophaniæ Imperat. semper Aug. hoc fiebat, dolum subesse intelligentes, vt per se potius pax fieret, cum soluimus, vtque prius per vos quæ conditio pacis fore experiretur: Quod laudatum est, vestrique itineris socij denominati xv. Cal. Iunii Francorum colloquio nobis occurrendum, ibique si pacem cum rege Senior noster confecerit, pro pace regnorum plurimum elaborabit Magnæ intelligentiæ vestræ pauca suggessisse satis est Cæterum de terra quæ in vestris partibus vi vobis eripitur, monemus ad præsens tacere, postmodum demonstraturi quid exinde facere debeatis.

Adalberoni Archiepiscopo. EPIST. CII.

F QVa fiducia quaue cautela colloquia Ottonis & Heriberti experienda vobis sint prouidete, ne forte propter præsentem obsidionem Caprimontis noua in vos nouis dolis vndecumque comparentur consilia. Mementote sortis Gosfridi Verdunensis Episcopi ob peruasionem castri Luciliburgi.

Dominæ Theophaniæ Imperatrici ex persona Adalberonis Archiepiscopi. EPIST CIII.

XVI. Cal. Iunii fratre meo de inferni tenebris liberato, quædam lux vestri honoris orti visa est. Sed eam lucem ne cæco igne cupiditatis Otto & Heribertus comites corrumpant, summopere elaborandum. Itaque iustas & honestas petitiones fratris mei clementer audietis, cum pro sui merito, tum pro vestra beneuolentia in me: iniustas autem, & quas tyrannus irrationabiliter extorsit in destructionem Ecclesiarum Domini, ac in dedecus vestri generis prudenti consilio deuitabitis. Num villas Verdu-
G nensis Episcopi, quas pro redemptione sua, vna cum filio A. Episcopo inuitus donat Godefridus comes iureiurando in perpetuum, ab Ecclesia alienabitis? num castra in eisdem ad eorum votum extruere patiemini, qui nunc furtiuas delectorum militum contrahunt copias, vt in vos, si apud Caprimontem estis impetum faciant? Nam quia dux Theodoricus Satanacam villam peruasit quasi in vltionem reginæ Iuucruacum oppidum se inuadere simulant, scelus factum si vobiscum paucam persenserint manum. Hæc dixi mentem pro vobis omnino sollicitam habens, & plena fide executurus quæcunque per G. vobis fidissimum significastis, qui hoc sibi donari petit vt vestræ partis fuerit verissimus interpres.

Echerdo Archiepiscopo ex persona Adalberonis Archiepiscopi.
EPIST. CIV.

H DEstinato operi designatas mittimus species, admirabilem formam, & quæ mentem & oculos pascat, frater efficiet fratri, soror sorori. Exiguam materiam nostram, magnum ac celebre ingenium vestrum nobilitabit, cum adiectione vitri tum compositione artificis elegantis.

Fratribus Blandiniacensibus ex Persona Adalberonis.
EPISI. CV.

QVousque abutemini patientia fidissimi quondam, vt putabatur? Caritatem verborum prætenditis, rapinam exercere parati: cur sanctissimam societatem abrumpitis? Quosdam codices nobis vestra sponte obtulistis, sed nostri iuris nostræque Ecclesiæ contra diuinas humanasque leges retinetis. Aut librorum restitutione cum adiuncto charitas redintegrabitur, aut depositum male retentum bene merito supplicio condonabitur.

Eiber-

A

Ecberdo Archiepiscopo Treuerensi. EPIST. CVI.

QVia diu optata consilio non perfruimur, non satis patienti animo toleramus, instamus, casusque interstrepentes reuincere laboramus. Synodus in partib. Rheni vt fama est indicta: nostrorumque Episcoporum cum validiores morbi, tum etiam regia negotia quam vnam volumus interturbant Synodum. Sed ne interim otio torpeamus beati Ottonis suffragia ad præscos expetere in animo est, vnde per vos reditum habere disponimus, vt prolixam disiunctionem nostram ea conuocatione castigemus. Et quoniam per Verdunum iter nobis est, eo crucem vestra scientia vt speramus elaboratam, si fieri potest Calend. Nouembris dirigite, sicque hoc pignus amicitiæ. Ita opus placens dum oculis crebrius ingeretur, indissolubilis amor in dies augmentabitur

B

Ex persona regis Hugonis Siguino Archiepiscopo Senonensi.
EPIST. CVII.

REgali potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia Reip. in consultatione & sententia fidelium nostrorum disponimus, vosque eorum participes fore dignissimos iudicamus. Itaque honeste ac benigno affectu vos monemus, vt ante Kalend. Nouembris, eam fidem quam cæteri nobis firmauerunt, confirmetis ob pacem & concordiam sanctæ Domini Ecclesiæ, totiusque populi Christiani, ne si forte quod non optamus, persuasione quorumdam prauorum diligenter vobis exequenda minus, audiatis sententiam Domini Papæ, cum prouincialium Episcoporum duriorem perferatis, nostraque omnibus nota mansuetudo, iustissimum correctionis assumat zelum regali potentia.

Ecberdo Archiepiscopo Treuirensi ex persona Adalberonis.
EPIST. CVIII.

C

ETsi beneficijs vestris in anima est suo tempore respõdere, tamen vt hæc eadem accumulentur, societas præsumit. Sit ergo nostro obtentu Hidilo, fratris mei presbyter nexu excommunicationis liber, donec in proximo Conuentu causa eius discussa aut innocentem reddat, aut nos ab iniustâ petitione absoluat. Sit etiam is qui relator nostrorum librorum esse debet, sacramento & auso decentissime insignitus. Lator quippe nonnulla quæ placuerint quam citissime rescribemus: ac per eundem latorem voluminum *nullo genere inferius deponemus.

Eidem EPIST. CIX.

OMni difficultate rerum â cœpto itinere interclusi, capetendum censuimus portum salutis. Nam de pluuia montium torrentes coorti nos intercipiunt, campestria sic iuges aquæ vestiunt, vt villis cum habitatoribus sublatis, armentis enectis, terrorem ingerant diluuij renouandi. Spe melioris auræ â physicis sublata refugimus. Itaque ad vos tamquam ad arcam Noe Treuerimque inuisere totis viribus conamur, beati Ott: per vim eatorta obsequia, In beati Petri Apostolorum principis deuotionem relaturi.

D

Ad Comprouinciales. EPIST. CX.

MVlta super statu Ecclesiarũ Domini, multa super publicis priuatisq; negotijs ratiocinaturi, cum nostræ Diocesens confratribus charissimo vos iouitamus affectu, non tantum nostri quantum vestri causa honoris ac vtilitatis, locus loquendi mons sanctæ Mariæ Terdonensis, tempus iii. Iduum Decemb. Valete.

Basilio & Constantino, Imperatoribus Ortodoxis, Hugo gratia Domini rex Francorum. EPIST. CXI.

CVm nobilitas vestri generis, tum etiam gloria magnorum actuum, ad clamorem vestrum nos hortatur & cogit. Hi quippe esse videmini, quorum amicitia

E

nihil dignius in humanis rebus possit existimari. Hanc sanctissimam amicitiam, iustissimamque societatem sic expetimus, vt nec regna nec opes vestras in ea requiramus. Sed hæc conditio quæ nostri iuris sunt vestra efficit, magnoque vsui si placet hæc nostra coniunctio erit, magnosque fructus efferet. Etenim nobis obstantib. nec Gallus, nec Germanus fines locasset Romani imperij. Ergo vt hæc bona fiant perpetua, quoniam est nobis vnicus filius & ipse rex, nec ei parem in matrimonio aptare possimus, propter affinitatem vicinorum regum, filiam sancti Imperij præcipuo affectu quærimus. Quod si hæc petita serenissimis auribus vestris placuerit, aut sacris imperialibus, aut nunciis fidis nos certos reddite, vt per nostros legatos vestra maiestate dignos quæ supererint chartis, compleantur in rebus.

F

Ex persona Regis Hugonis Borello Marchioni.
EPISTOLA CXII.

QVia misericordia Domini præueniens, regnum Francorum quietissimum nobis contulit, vestræ inquietudini quamprimum subuenire statuimus, consilio & auxilio nostro omnium fidelium. Si ergo fidem totiens nobis nostrisque antecessoribus per internuntios oblatã conseruare vultis, ne forte vestras partes adeuntes vana spe nostri solatii deludamur, mox vt exercitum nostrum per Aquitaniam diffusum cognoueritis, cum paucis ad nos vsque properate, vt & fidẽ promissam confirmetis, & vias exercitui necessarias doceatis. Qua in parte si forte manultis, nobisque potius obedire delegistis, quam Ismaelitis, legatos ad nos vsque in Pascha dirigite, qui & nos de vestra fidelitate lætificent, & vos de nostro aduentu certissimos reddant.

Ex persona Adalberonis Archiepiscopi Rothardo Cameracensi.
EPIST. CXIII.

G

HIs litteris acceptis Bal. quem nuper excõmunicauimus excommunicate, ob suam vxorem male derelictam, & quod negligentia diutius est dilatum, obedientia corrigatur: nihilque sibi profuerit Romam adisse, Dominum Papam mendaciis delusisse, cum Paulus dicat, Si quis vobis aliud annunciauerit præterquam accepistis, etiam Angelus, anathema sit. Estote ergo nobiscum diuinarum legum defensores, qui sacerdotalis dignitatis gaudetis esse participes.

Ex persona Adalberonis. EPIST. CXIV.

MOlestia vestra deiecti releuatione releuati sumus, addidimus, etiam et addemus supplicationes quas poterimus & si quid ars medicinæ labori nostro suggeret, quam primaimè dirigemus. Permouemur autem aliquantulum, quod tam sero quæ circa vos essent nobis significatis, & maximè super causa fratris ac nepotis nostri. Mox vt vestra legimus, & vestrum legatũ à palatio accepimus, qui omnia quæ fecissent, ac filium eius regio dono accepisse firmaret, in quo aliud solatiũ nõ habemus, nisi quod milites plurimum ab eo dissentire scimus. Porro & in hoc elaborabimus, & in quibus vestrum velle cognoscemus.

H

Carolo Duci. EPIST. CXV.

SI quid excellentiæ vestræ nostra seruitus conferre potest, in hoc plurimum gaudemus. Et quia nunc ad vos secundum imperium vestrum non venimus, militũ vestrorum bacillacque discurrentium terror effecit. Porro autem si de nostra præsentia curatis, eos mittite quorũ fidei nos credere audeamus, quosque doces itineris cum securitate habere possimus. Et vt intelligatis hæc dici cum magna fide, recordamini consilii vestri, & collocutionis in palatio Ingelheim, & videte si quod promisi vobis de pace inter reges diu quæsita peractum est. Interim fideliter ammoneo, vt Reginam ac Episcopum secundum dignitatem vestram lenissime tractetis: & ne vos concludi inter mœnia vllatenus patiamini.

Abbati Romulfo Senonensi. EPIST. CXVI.

DIuinitate propria bene volentes, vt amplius valea-
tis optamus. Gratia & beneuolentia Principum, v-
ti semper vsi sumus, vtimur, spem bonam in rem conuer-
sam iri, suo tempore expectantes. Vbinam potissimũ mo-
ratori sequenti tempore incertum propter incerta tẽpora.
Operi nostro, quod non paruæ quantitatis fore scripsistis,
quia mensuram voluminis ignorauimus, solidos duos per
clericum quem misistis misimus, idemque si insinuetis fa-
ciemus, donec completo opere dicatis sufficit.

Dominæ Theophaniæ, mittenda pro Episcopatu.
EPIST. CXVII.

SEmper quidem vtilitati vestræ prospicere volumus, ac
prospiciendo gaudemus. Quippe qui nos nostraq; o-
B mnia vestræ seruituti deuouerimus. Ex tanto ergo affectu,
tantoque amore à vestra munificentia præsumimus pete-
re quod scimus per fidissimos nuntios olim nobis conces-
sum esse, id est, si in regnorum confinio quolibet Eccle-
sia vacaret pastore, in ea non alium constituendum, nisi
quem vestræ vtilitati omnino de aptum sano iudicio dele-
gerimus. Et quia omnibus prouincialibus notum Italia ex-
pulsum, sed in fide non ficta perstantem habemus Abba-
tem Gerbertum, hunc Ecclesiæ præfici modis quibus pos-
sumus oramus: qui nobis quidem est verus filius, vobis
vero per omnia obsequentissimus seruus, cuius absentia
& si non grauamur, tamen ob communia beneficia priua-
ta posthabemus. Super his vestrum velle experiri quanto-
cius sacris rescriptis obuiae efflagitamus.

Clero & populo mittenda. EPIST. CXVIII.

MVltum mœroris multumque anxietatis intulit no-
bis acerba mors vestri patris, nostrique dilectissimi
C fratris. Nunc itaque totis pulsandum medullis, Deus vo-
bis patrem, ac nobis idoneum restituat fratrẽ. Sit interim
vestra peruigil cura, vt secundum diuinas, & humanas le-
ges res defuncti Episcopi tam mobiles quam immobiles
futuro reseruentur Episcopo, ne siquid absit male cautum
fuerit in negligentes, cum regalis censura, tum etiam gra-
uior adhibeatur diuina sententia.

Hemma quondam regina Dominæ Augustæ Theophaniæ.
EPIST. CXIX.

PIetas vestri nominis subueniat afflictæ à prędonibus
captiuæ. Et mihi quondam fuit & genus, & dignitas,
ac regum nomen. Nunc quasi sine genere, siue dignitate,
omnibus afficior contumelijs, ancilla captiua crudelissi-
morum hostium facta. Et quomodo ille impius Carolus
vocem meam audiret, qui vestram audire contempsit? &
vos quidem me vestra memoria dignam habuistis, quæ
D fieri circa me velletis imperastis, hicque regiam vrbem
occupauit. Patere alicui non putat suo nomini conuenire,
nolo ei spiritum explicare quo sibi regna inaniter promit-
tit. Hoc tantum oro ne in me fœminam illidatur, dum in
mares tetunditur.

Dominæ Augustæ Theophaniæ. V. I. D. K. V. A. Z.
EPIST. CXX.

BEneuolẽtiam ac affabilitatem vestram circa nos sen-
tientes, obsides à Carolo accipere, & obsidionẽ solue-
re secundum voluntatem vestram voluimus; fidissimam
societatem ac sanctam amicitiam conseruare cupientes.
Porro hic Carolus legatos & imperium vestrum contem-
nens, nec super his acquiescat, nec Reginam relinquit, nec
ab Episcopo vllos obsides accipit: Et hic quidem videat
quid sua sibi prosit pertinacia. Vestram autem amicitiam
ad nos in perpetuum cõfirmare cupientes, sociam ac par-
ticipem nostri regni A. decreuimus vobis occurrere ad vil-
lam Sataniacam vi. Cal. Sept. Et quæ inter vos de bono &
æquo sanxeritis, inter nos ac filium vestrum sine dolo &
fraude in perpetuum conseruari.

Treuerensi V. V. D. K. A. EPIST. CXXI.

NOn temere esse credendum rumoribus cum sæpe si-
tis experti, nunc experimini. Diuina quippe gratia
præueniente, ac precum vestrarum instantia suffragante,
omnibus Episcopi rebus potimur, vt antè nec quicquam
ex tanta fama aliud fuit, nisi quod per mendem occupa-
tis militibus regijs vino & somno, oppidani totis viribus
eruptionem fecerunt nostrisque resistentibus ac eos re-
pellentibus, à mendicis cremata sunt castra, quo incen-
dio omnis apparatus obsidionis absumptus est: quæ dam-
nata viii. Cal. Sept. multiplicius restaurãda sunt. Immen-
sas pro vobis rependimus grates, quod tam præcipuo
affectu nostri generis curam, quod continuari cum san-
ctis petitionibus & optamus & oramus, eadem voto ac
F desiderio vsque in finem protensuri.

Adalbero Archiepiscopus Rem. Carolo duci. EPIST. CXXII.

QVomodo à me consilium quæritis, qui me inter in-
fidelissimos hostes deputatis? quomodo patrem no-
minatis, cui vitam extorquere vultis: denique non sic pro-
merui, sed perditorum hominum dolosa consilia semper
fugi, ac fugio, non de vobis dico: recordamini, quia di-
citis vt recorder quid vobiscum contulerim de vestra sa-
lute, cum primum nos adistis, quid consilij dederim
super adeundis regni primatibus. Nam quis eram vt solus
Regem imponerem Francis? publica sunt hæc negotia,
non priuata. Odisse me putatis regium genus? Testor re-
demptorem meum quod non odi. Quid potissimum vo-
bis sit faciendum quæritis, hoc cum difficile dictu sit nec
satis scio, nec si sciam dicere ausim. Amicitiam meam ex-
poscitis? Vtinam adsit ea dies qua honeste liceat vestris
G interesse obsequiis. Quamuis enim Sanctuarium Domi-
ni peruaseritis, Reginam, cui quæ nouimus iurastis, com-
prehenderitis, Episcopum Laudunensem carceri manci-
paueritis, Episcoporum anathema neglexeritis, taceo de
Seniore meo, contra quem vltra vires negotium suscepi-
stis, tamen beneficij quo erga me vsi estis cum robur ho-
stium subduxistis immemor esse non possum. Plura dice-
rem, & quod vestri fautores imprimis sint deceptores, sed
non est huius temporis. Nam metus est hæc eadem dixis-
se, ac prioribus scriptis vestris non respondisse. Idem est in
causa, quoniam caute tenemus scriptum, *Nusquam tuta fi-
des.* Rationes harum rerum tractare, conferre, communi-
care quolibet modo liceret, si R. K. I. G. H. H. T. Z. V. datis
obsidibus ad nos vsque peruenire posset, cui talia fas esset,
sine quo nihil talium agere possumus & debemus.

Thietmaro Moguntino. EPIST. CXXIII.

LAbore obsidionis in Carolum defatigatus, ac vi febri- H
um grauiter exagitatus, sincerum affectum meum cir-
ca te, dulcissime frater, explicare non satis valeo. Hoc
tantum significo, impera, obsequemur, sitque nostra a-
micitia eadem velle atque eadem nolle. Et quia inter gra-
ues æstus curarum sola Philosophia quasi quoddam reme-
dium esse non potest, vbicumque partes eius imperfectas
habemus, impleat industria vestra. Ad præsens autem re-
scribite totum quod deest nobis in primo volumine se-
cundæ editionis Boëtij in libro peri hermenias, hoc est ab
eo loco vbi scriptum est. *Non currit vero & non laborat. In ver-
bum dico cum significat quidem tempus,* Vsque ad eum locum
vbi dicitur, *ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt &
significant aliquid hic præceptis,* idem parte deficientis com-
mentarij vestri non immemores, fidem in te con-
ceptam non deseremus, quod voletis pro
viribus exequemur.

A

A.H.C.H.I.V.B.Z. Epist. CXXIV.

ANtiquis palatiis meis vsque ad fundamenta dirutis, etiam renascens palatium quod mihi ędificare instituistis, diluuio vestri pene absorptum est. Instamus, ac propriis sumptibus fabricam tanti operis nouis artificibus insignimus, ne vestro superuentu ad suburbana cogamur demigrare cubilia. Huic tam ingenti negotio adhuc dictum a v. spatium attribuite, vestrumque archite&ctum A. remittite, qui cœpta perficiat non meis sumptibus, sicque nos ad perfringendam artem montemque ab ipsis radicibus conuellendum cum totis copiis, si ea voluptas in animo est, expectate.

Incerto. Epist. CXXV.

B

CVm multos nobis natura affinitate iungat, multos affectione, nullus amicitiæ fructus suauior est, quam is qui fundamento nititur charitatis. Nam cuius obsequia aliquando sentimus aut elegantiora vestris ac iucundiora, idemque in tanta perturbatione nostræ Reip. cum perfidiam militum assidue patimur, assiduo oculos ad vos reducimus, vt spes certa est, non frustra solatium relaturi. Et quoniam vos & grauari & defatigari nisi in summa rerum necessitudine nolumus Z.Z.Q.M.B. & si sic iudicatis quæ-uis alium tantum cum militum robore, subsidio & V.Q. O.V.E.X.II. Kal. Octob. & nostri refugæ pertermiti redeant, & hostes nouis ac insperatis copiis iotabescant.

Incerto. Epist. CXXVI.

QVia amissa valetudine releuati estis, non immerito longum mœrorem nobis diminuistis. Gaudemus quippe si gaudetis, tristamur si tristamini. Sic sancta societas votum & idem sentiens manet: nec nos soli dulcem affectum vestrum circa nos sentimus, sentiunt & illi qui admirabile opus crucis à vobis nostro nomini elaboratæ non sine magna oblectatione conspiciunt, in quo pignus amicitiæ æternitatem sibi affectat.

C

Incerto. Epist. CXXVII.

MOlimur, conamur, quod volumus, agimus, quod nolumus, nequimus. Ecce Rai. atque G. quos missum iri ad vos vsque mnuistis, alter solita valetudine fatigatur, alter insolida quidem, sed cum tæ lio sui fioita imperium vestrum exequi minime potuerunt. Exequetur autem R. quam proxime in melius commotatus, cuius obsequiis Her. Comitem adfore iamdudum in animo est, & quia quanto silentio quantaque fide vestra secreta commiserimus nouistis, vices nostras nostrique legati apud comitem Heribertum vos agere rogamus, facturi quidquid prudentiori consilio decreueritis, siouoque foro, vti auditis, relata, inuenta, conferre nobiscum dignemini, obsecramus, vastro per omnia vsuri consilio sapienti.

D

Adelaidi Matri Regnorum. Epist. CXXVIII.

QVibus angustiis Domina Q H. afficiatur, quantoque prematur angore, testis est epistola ipsius ad D.Q.V.M.H.E. iamdudum directa, cuius exemplar vobis mittimus, & vt quicquid actũ sit sciretis, & quam nihil sibi profuerit, & vt causam doli, si tamen dolus est, inuestigetis. Certe clarissimam dominam & matrem regnorum vos hactenus fuisse manifestum est, nostris periculis, si qua ingruerint, credidimus, velle succurrere, nedum filiæ quondam dilectæ sine potestas erepta est siue non est, filiæ non subuenire, in mœstitia est. Hortamur tamen vos explorare apud Carolum per valentes legatos, vtrum velit eam vobis reddere, aut creditam commodare. Videtur quippe ideo illam sic obstinato animo retinere, ne non videatur sine causa cœpisse.

E

V.V.D.A.H.G.I.D.V.I.D. Epist CXX.

QVamuis vos in propriis causis nonerim satis occupati, tamen commune periculum magis sollicitos reddere debet. Scitis quas conuentiones cum O. & H. Comit. habuerimus, & cur fides donauerimus, instant, & promissam amicitiam requirunt. Itaque nunciis eorum respondere debeo de mea ac vestra voluntate III. Non Sep. Mores, studia, dolos, fraudes eorum, inter quos habito scitis. Redite ergo vsque Bublionem vti vobiscum loqui possim, de his quæ mandare nõ possum. Sunt enim res grandes ad vos multum pertinentes, & quia ciuitatem sine forti periculo dimittere non possum, si placet manus Comitis veniet vobis obuiam, quæ vos omni securitate ad nos vsque perducat. Valete & quę vobis cordi, velocius remandate.

Raimundo Monacho. Epist. CXXX.

F

NOn existimes dulcissime frater, vitio meo fieri, quod tandiu fratrum meorum præsentia careo, postquam à te digressus sum crebris itineribus causam patris mei Columbani pro viribus executus sum. Regnorum ambitio, dira, & miseranda tempora fas verterunt in nefas, nulli iure rependitur sua fides. Ego tamen cum sciam omnia ex Domini pendere sententia, quæ simul corda & regna filiorum hominum permutat, exitum rerum patiẽter expecto. Idem quoque facere te & moneo & hortor. Vnum autem interim plurimum exposco, quod & sine periculo ac detrimento tui fiat, & me tibi quam maxime in amicitia constringat. Nosti quanto studio librorum exemplaria vndique conquiram, nosti quod scriptores in vrbibus aut in agris Italiæ passim habeantur. Age ergo, & te solo conscio ex tuis sumptibus, fac vt mihi scribantur M. Manilius de Astrologia, Victorinus de Rethorica, Demosthenes ophtalmicus. Spondeo tibi frater, & certum teneto, quod obsequium fidele hoc, & hanc laudabilem obedientiam sub sancto silentio habebo, & quicquid erogaueris cumulatum remittam, secundum tua scripta, & quo tempore iusseris, tantum significa, cui & tua munera & nostra porrigamus scripta, frequentiusque nos tuis literis lætifica. Nec sit metus ad quemlibet notitiam peruenire, quæ sub nostra deposueris fide.

G

Epist. CXXXI.

QVod beneuolentia vestra secundum dignitatem vestri nominis assidue perfruimur, plurimum cõgaudemus, cum vestri vtilitate, tum vestri honoris prouectione. Lętamur nunc præsentia nepotis A. Verdunensium Episcopi, qui vos habita ratione loci & temporis cum copiis adfore pollicitus est. Itaque etnon dissimilem, quantum ad affectionem animi spectat, magnitudinem vestram vrbi Remorum exhibebitis XII. Cal. Octob. quod & monachum latorem epistolæ celabitis, & rem tuto silentio tegetis, vti occultus ac improuisus ad nos possit esse vester aduentus.

H

Epist. CXXXII.

QVantum Consilij quantumque rationis prouida in mẽte verseris, cum aliis innotuerit, tum casus viarum Caroli manifestius prodiderunt. Sed si enim à prouincia vestra velut bustem propulsare nisi estis, amicorum vestrorum, Hemmæ reginæ, & Episcopi Adalberonis meminisse debuistis, & si velu amicum in regnum sublimare, nihil omnium eorũ obliuisci oportuit, simulque apud infidos maleficia beneficiis non superari. Significate ergo si quid harum rerum in melius per vos commotari possit, & cur indictum colloquium pro pace inter reges neglectum sit, & si saltem futura quies inter eos cõstat. Interea si quicquam beneuolentia promeruimus, multum, petimus multumque oramus, ne multi nostro verbo pro rebus præiudicium fiat. Est quippe ei commune prædium in lite cum Ecclesia, vultque B. sibi cedi in partem ex noui operis

A Capella, quod non possit iure haberi nisi ex æquo facta diuisione. Bene valete, ac nostrum codicem, si placet, per fidum nuncium resignate.

Z.R.B.I. Epist. CXXXIII.

ANxie quidem iamdudum vestra præsentia frustramur, multa vestris consiliis disponenda reseruamus, nostris quam paucorum fidei Reip. negotia sunt committenda. Itaque optamus, monemus, oramus omni affectu charitatis adfore vos Remis X. Cal. Oct. cum pro summis rationibus, quas vobis tantum credere fas est, tum etiam pro habenda oratione O. Siluanectensis Episcopi designati.

Remigio Monacho Treuirensi. Epist. CXXXIV.

BEne qnidem intellexistis de numero, quomodo seipsum metiatur. Semel namque vnus, vnus est, sed non
B idcirco omnis numerus seipsum metitur, vt scripsisti, qui sibi æquus est. Nam cum semel IIII. sint IIII. non ideo IIII. mentiuntur IIII. sed potius duo: bis enim duo, IIII. sunt. Porro in litera quam sub figura x. adnotatam repetisti, x. significat, vnitates quarum sex & IIII. distributæ sesquialteram efficiunt proportionem. Idem quoque in IIII. & duobus perspici licet, vbi vnitas est differentia. Sphæram tibi nullam misimus, nec ad præsens vllam habemus, nec est res parui laboris tam occupatis in ciuilib⁹ causis. Si ergo te cura tantarum detinet rerum, volumen de Achilleidos statu diligenter compositum nobis dirige, vt Sphæram quam gratis propter difficultatem sui non poteritis habere, tuo munere valeas extorquere.

Epist. CXXXV.

SIcut audita peregrinatio vestra mœrorem nobis intulit, ita permutatus rumor dilati itineris quasi fructum lætitiæ importauit. Anxiabatur quippe cum vestri absen-
C tia, tum quod tantæ personæ meritis non respondebant honores. Elaboramus ergo, & quod breuitas temporis non habuit spacio temporis attribuimus, ac munera iuxta vires paramus, vires dicim⁹ quia nostis inter quos habitemus, quanta perfidia quorumdam exagitemur, quia et obsidio Laudunensis vrbis præterita pace sequestra intermissa est Calend. Nouemb. repetenda. Quamobrem sicut monuimus, monemus, & pro solatio militum si indiguerimus, & pro auxilio capti confratris nostri A. vtque B. & G. vestra exhortatione digniores se repræsentent germanos in tanto discrimine rerum.

Epist. CXXXVI.

NE graui & iniquo animo feras iustissimam correctionem Domini, dulcissime frater. Diuinitas quippe non dignatur impios suo flagello æternis cruciatibus reseruans puniendos. Disce constantiam seruare in aduersis. Et si Iob & nostri ordinis antiquos sacerdotes non vales
D imitari, saltem nostri temporis, laicum hominem, tibique affinem, exemplar habeto, Comitem Godefridum. Nos quidem tuæ salutis immemores non erimus, nec quicquam eorum quæ pro te fieri oporteat intentatum relinquemus. Nouerit ergo I. V. Q. omnia quæ circa te sunt, vt legatum nostrum Parisius in festo beati Dionysij certissimum in omnibus reddere possit, vt si obsidio futura est, & non est, alia atque alia restringantur consilia. Vale feliciter, & hoc vnum attende, ne te præcipitem dederis, vt satius fuerit alio modo perijsse, quam per interitum tibi tuisque posteris æternum opprobrium reliquisse. Iterum vale & à I.V.I.Q.Z.H.Z.A. plurimum caue, & à perfido & impostore.

Epist. CXXXVII.

ABsentia militum nostrorum res quam petistis plenum non habuit effectum, est tamen in voto, ac in
E eorum reditu quod poterimus exequemur. Sed si perpetuam pacem rusticis Asinetio patris veniam Com. Cen. & vt ad nos vsque quam proxime, vt & in dudum menta comparentur consilia, & vestra militaris manus digna nobis conferat solatia, iuxta quod per eum significabimus. Hæc tutis auribus committimus propter hostium multiplices insidias.

Epist. CXXXVIII.

GRatulamur meliori habitudine corporis instaurata in vobis, simulq; quod nostram scire voluistis: Nos quidem Domino propitio & beneualemus, & optima quæque votis optamus, nec cœptam amicitiam scienter violare molimur, nec acceptam à nostris iniuriam propulsare, sed à ij. Cal. Ianuar. vsq; ad initium Quadragesimæ, in confinio nostræ Franciæ, Burgundiæ ac Lotharienfis regni occurrere vobis parati sumus sicut designabitis diem
F certum, & locum suo nomine descriptum, vt pax & concordia regnorum, & Ecclesiarum Domino nostro vitio non destituatur.

Epist. CXXXIX.

ERuditio hominis atque puram fidem quæ hodie paucorum est, constanter tenenti, duo verba Christi & nostrum consiliũ aperiens, & propositę quæstioni satisfaciẽs, dicimus autem, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et sine mortuos sepelire mortuos suos.* His animaduersis legitime iniuncta ab Episcopo honestè persequamini: contra fas porro à quolibet prolata deuitabitis, non inhonestè vtantur suo tempore filij tenebrarum, *filij Belial*, nos filij lucis, filij pacis, qui spem in homine velut fœnum arescente, non ponimus, cum patiẽtia expectemus illud prophetæ, *vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani, transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

Epist. CXL.

G BEneficijs liberatoris nostri grates persoluere dignas non sufficimus: etiam membra nostra quæ infernus absorbuisse in vobis visus est, ab eius faucibus erepta, victore Christo lætamur. Verum quod nunc temporis est monemus, vt in nostro colloquio perdiscatis quæ appetenda, quæ vitanda vobis sint, priusquam nostri regni Principum conuentibus misceamini, simul etiam aut literis aut fido nuncio significate virum tuta videatur vobis ad præsens profectio A. H. atque Ra. ad comitem Ottonem, & quo conueniant.

Epist. CXLI.

DIu iua consultando nihil tutius in commune repertum est, quam à collegio vestri Senioris ad præsens abstinere, si fieri potest honeste: Si autem non potestis maiorum causarum summas attingere, nihil nisi euidenter vtile definire bonum est. Porro omnium bonorum fideliter Ra. Feria V. vestrum legatum Siluanectis præstolabitur, & Carnotim profecturus, si laudabitis, & Com- H
pendiacum reuersurus si sic annuetis.

Adalbero Episcopus R. & Scolaris Abbas, Constantino suo.
Epist. CXLII.

COngratulamur tibi dulcissime frater, persuasore atq; honeste monasticæ religionis, ad multorum salutem humanis reb⁹ exemptum. Iusta ergo & si iam patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus eum & nos præsentem tua opera proxime in festo beati Remigij, vt affectus noster à Floriacensibus te faciente paululum abalienatus, te faciente sit plurimum reconciliatus. Quod si hæc omnia fieri nunc possint, liceat nobis & tua perfrui præsentia, si quid vnquam præstitimus quod placuerit, & si dignaris præstare quod placere possit.

A

Epist. CXLIII.

SI eam quam in maximis rebus beneuolentiam sine affectu contulistis, nunc in minimis caussis præstatis, non paruam laudem nec nouum fructum sperare debetis. Laborastis quippe vt liberaremur ab hoste, sed contempti estis modo quia liberauit nos Dominus de ore leonis. Solitam operam impendite vt imperio Senioris ac Dominæ vestræ ille violentus prædo saltem supellectilem nostram reddere cogatur. Non aurum quærimus, nec massas argenti, sed quibus carere dedecus est. Dicimus autem aulæa, tapetia, & ijs similia, simulque petimus nostram fidem non ex eius fide perpendi, qui nihil vnquam spopondit, quod ratum fore decreuerit.

B

Epist. CXLIV.

SIcut Epistola regij nominis quam vobis misimus continet, monemus, rogamus, obsecramus, vt exequi curetis, cum pro vestra beneuolentia circa nos, tum propter pacem Ecclesiæ Domini pace principum prouenturam, nisi forte desiderabili præsentia vestra frustramur, apud fidos infidi ac suspecti habemur.

Parisiensi Episcopo Gerbertus. Epist. CXLV.

ET si omnis Ecclesia Catholica vna atque eadem est, singulis tamen Sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, vbi terminos debeant collocare. Itaque in caussa Roberti Abbatis, ob eam quam seruauimus ac semper vobis seruare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus: primum non esse nostri iuris falcem in alienam messem ponere: in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore: secundum, S. Dionysij cœnobium eius esse reuerentiæ ac dignitatis, vt nullus ibi magistratus debeat deponi aut imponi sine

C comprouincialium quorum interest consensu ac fauore solemni. Tertium proponimus si rem in dilatione ponitis, vestræ mansuetudini suggerendum quicquid honestius & vtilius cum religiosissimis & amplissimis viris inueniemus.

Epist. CXLVI.

DEcimo Cal. Ian. à Rege acceptam Epistolam fraternitati vestræ direximus per R. æquiuocum patri, in qua vester ac fratris mei aduentus in vrbe Remorum expetebatur, V. Cal. Ian. regijs legatis obuiam occurrim, qui ex condicto quidem venerunt, sed vos non inuenerunt. Porro exemplar prioris Epistolæ nostræ nunc mittimus, postulantes datum iri subitum responsum voluntatis propriæ simul & actionis.

Hemma quondam Regina Francorum. Epist. CXLVII.

D

ACerba sunt hæc tempora sacerdos Domini, quibus sanctissima fides vsquequaque rarescit, sed mementote illius quam semper promisistis, quamque à vobis conseruandam credere malim. Moueat vos mea captiuitas, prædonum manus: apud scientem loquor, ego illa Hemma quondam Francorum Regina, quæ tot millibus imperaui, nunc nec vernaculos comites habeo, quibus saltem stipata conuentus adeam tanti Ducis Henrici, nec desiderabili præsentia vestra frui licet caussa captandæ salutis atque consilij. Adsitis ergo nostræ caussæ differendæ non determinandæ vsque ad mutua verba, de castro Q. G. R. dicimus, nec patiamini fratrem vestrum dici proditorem quem hactenus probauimus in fide non ficta permanentem. Interea quoniam rerum nostrarum vt scitis procurator, nec tedij, nec quid ei obuenerit audiuimus, ne vacua inanis redeatis, diu expectatam pecuniam in loculis vestris reficite, mercedem ac gratiam ob merita beneficia relaturi cum ex hoc, tum ex alijs sæpenumero collatis.

E

Gerbertus Scholarius Abbas Remigio Monacho Treuirensi. Epist. CXLVIII.

PRægrauat affectus tuus, amantissime frater, opus Achilleidos, quod bene quidem incepisti, sed defecisti dum exemplar defecit, itaque & nos beneficij non immemores, difficillimi operis incepimus Sphæram, quæ & torno iam sit expolita & artificiose equino corio obuoluta, sed si nimia cura fatigaris habendi simplici fuco interstinctam, circa Martias Cal. eam expecta, nisi forte cum orizonte ac diuersa cœlorum pulchritudine insignitam præstoleris, annum perhorrescas laborem. Cæterum de dato & accepto inter nostros clientes sic iure constitit, vt nihil redderet qui nihil deberet.

F

Epist. CXLIX.

SAtis quidem moleste absentiam vestram ferimus, sed maiori cura premimur ob ignorantiam earum rerum quæ circa vos geruntur. Nam cuius affectuum sumus participes, eius certe progressus & exitus viarum ignorare minime debemus. Festinate ergo & literis planum facere quid communium negotiorum ac priuatorum postmodum egeritis, agatis, mox agere disponatis, simulque significare quid nos facere velitis. In electione Episcopi 2. Idum Feb. habenda, qua die & potius pridie vestra præstolabimur responsa, & quid Ansel. apud Comites egerit, & cur eius nuntium adhuc minime viderimus, & vtrum Regem ac Comites prius conuenire debeamus, & si iter ad iniunctum Colloquium Calæ differre debeamus, & si eo venietis, & cuius fauore hæc & his similia, plenissimam fidem ad vos habentibus plena fide deponite.

G

Epist. CL.

GRatuitæ beneuolentiæ vestræ nullis respondemus meritis, quod enim contulimus aliquando Dignum legatione Roderici, hoc solum superest vt intelligamus quoniam dictum sit, nec cuiuspiam Regis & Episcopi commoda vestris ac Senioris vestri commodis anteferamus. Non satis quippe patet vtrum relictis omnibus quæ possidemus, iubeatis sequi vos ac vestra. An quodam genere loquendi spe consolatoria tantum nos releuare velitis ab impetu sæuientis fortunæ. Rex Hugo Francorum, & qui sedem Remorum ambiunt plurima offerunt, sed non à nobis adhuc recepta sunt, nec sine vestro consultu quicquam agere molimur, ea gratia Regem adire distulimus, ne forte ab eo rapti vestra imperia refugisse videremur ob dulcissimum affectum cari patris mei Adalberonis omnibus mortalibus anteponenda, quæ in vobis quodammodo intueri desiderabile est. Cætera quæ in nobis mentis essent, & quæ fieri circa vos vellemus, Roderico diligenter exequenda commisimus.

Gerbertus salutem sibi scribens sub nomine reuerendi patris A. Verdunensis Episcopi. Epist. CLI.

H

SI de meo statu quæris bona sententia quicunque familiaritatem prætendis, liceat respondere, tua pace me positum in aduersis, virum fortem sequi, non consequi. Cæterum Reip. caussas non significo, quoniam quid scribam nescio. Specialia tamen fratris morbo calculi laborantis plenius exequerer, si inuenta à prioribus intueri liceret, nunc particula antidoti philoantropos ac eius scriptura contentus, tuo vitio imputa si quod paratum est ad salutem, non seruando dietam, verteris in perniciem. Nec me authore quæ medicorum sunt tractare velis, præsertim cum scientiam eorum tantum affectauerim, officium semper fugerim.

Remigio fratri, Gerbertus. Epist. CLII.

ID monumentum ac ea vis erat D. M. & patris mei Adalberonis in caussis pendentibus ex æterno, vt eo in rerum principia resoluto in primordiale chaos putaretur mun-

A dus relabi. In tanta igitur perturbatione, & vt ita dicam confusione mortalium officiorum inuenior, quid operares, quid peteres, incautiua prospexisti. Num in eius modo discrimine republica derelicta demigrandum fuit ad philosophorum commenta, interdum non necessaria? Taceo de me cui nollæ mortes intendebantur: & quod pater A. me successorem sibi designauerat, cum totius Cleri, & omnium Episcoporum, ac quorundam militum fauore, & quod tantum omnium rerum quæ displicerent me authorem fuisse contenderent. Nam amici qui familiaritate B. Patris A. mecum vsi fuerunt, mecumque laborabant, ob romanile lignum deferendi erant. Patere ergo patienter motas necessitate impositas, ac meliora tempora expecta, quibus valeant resuscitari studia iampridem in nobis emortua.

G. Diainorum peritissimo atq; tribus Philosophiæ partibus laureato. Epist. CLIII.

B EO quod amantissimæ vestræ dilectionis, omnibus venerandam nobis adiungi volumus excellentiam, & tanti patroni sempiternam nobiscum stabilitatem adoptamus, quia vestræ doctrinæ disciplinata procelitas nostræ simplicitati semper fuit haud fastidiens authoritas. Attamen vt omni ambage dimota ad vos nudæ veritatis fruamur loquela, iudicauimus, & firmum disposuimus, vt hoc manifestet vobis hæc nostræ voluntatis epistola, quod in hac re summa nostræ adoptionis & singularitatis est petitionis, quarentis nobis indoctis, & male disciplinans vestra solers prouidentia in scriptis, nec non & dictis non prætermissum adhibeat studium correctionis, & in rep. consilium summæ fidelitatis. Huius ergo vestræ voluntatis in non neganda insinuatione, volumus vos Saxonicam rusticitatem abhorrere, sed Græciscam nostram subtilitatem ad id studij magis vos prouocare, quoniam si est qui suscitet illam, apud nos inuenietur Græcorum industriæ aliqua scintilla, cuius rei gratia, huic nostro igniculo vestræ scientiæ flamma abundanter apposita, humili prece C deposcimus, vt Græcorum viuax ingenium Domino adiutore suscitetis, & nos Arithmeticæ librum edoceatis, vt pleniter eius instructi documentis aliquid priorum intelligamus subtilitatis. Quid autem de hac re vobis agendum placeat, quidve displiceat, vestra paternitas literis nobis nuntiare non differat. Valete. Versus nunquam composui, nunc in studio habui, dum in vsu habuero, & in eis viguero, quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina.

Othoni Imperatori. Epist. CLIV.

DOmino & glorioso Othoni semper August. Gerbertus gratia Domini Remorum Episcopus, quicquid tanto Imperatore dignum. Supereminenti beneuolentiæ quia in sempiternum digni vestro iudicamur obsequio, fortasse votis, sed respondere non valemus meritis. Si quo enim tenuis scientiæ igniculo accendimur, totum hoc gloria vestra peperit, patris virtus aluit, aui magnificentia D comparauit. Thesauros ergo vestris non inferimus proprios, sed resignamus acceptos, quos partim assecutos, partim vos quam proxime assecuturos indicio est, honesta & vtilitate ac vestra maiestate digna petitio. Nisi enim firmum teneretis ac fixum, vim numerorum & in se omnium rerum continere primordia, & ex sese profundere, non eorum pleoam perfectamque notitiam tanto festinaretis studio: & nisi moralis philosophiæ grauitatem amplecteremini, non ita verbis vestris custos omnium virtutum impressa esset humilitas: non tamen animi sibi bene conscij, tanta est subtilitas, eius vt ita dicam oratoriam facultatem & à se & à Græcorum fonte profluentem oratorie docuistis: Vbi nescio quid diuinum exprimitur, cum homo genere Græcus, imperio Romanus, quasi hæreditario iure thesauros sibi Græcæ, ac Romanæ repetit sapientiæ. Paremus ergo, Cæsar, Imperialibus edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcunque diuina maiestas vestra decreuerit. Non enim deesse possumus obsequio, qui nihil inter humanas res dulcius aspicimus vestro Imperio.

Otho Augustus Imperator reuerendissimo Papa Gerberto. E Epist. CLV.

QVia diuturitate propria non solum sanguinis linea, verum etiam inter cunctos mortales quadam sui generis eminentia conuertimus affectum, qualitate circa Domini cultum non dispares esse debemus, ideoque nostro animo nostrum metuentes ingenium, hunc Abbatem Petrum vestro commendamus Apostolatui, vtque honesta & vtilia circa suum Monasterium fore agenda, & à se & à nostro legato cognoueritis, cum omni diligentia exequi studeatis, vt dum Martyrum memorias in commune honoramus, eorum beneficia in commune sentiamus. Valete.

Otho gratia Domini Imp. Aug. R. Comiti. Epist. CLVI.

F DIuersa regni negotia interdum cogunt nos incidere diuersa imperia. Hinc est quod Abbatiam S. Vincentij Capuæ tam ob quarundam rerum necessitudines, nuper Iohanni Monacho donauimus, Rotfrido Abbate, nec adiudicato, nec deposito. Proinde respectu misericordia eidem Abbati Rothfrido concedimus cellam S. Mariæ cum omnibus ad se pertinentibus in Marsi Comitatu, in eo loco qui dicitur Apimanici, cum reliquis rebus S. Vincentij in eodem Comitatu positis. Cellam quoque S. Mariæ in partibus Beneuenti in terra Beneuentana sitis. Vnde tibi & Beneuentano Principi præcipimus, vt sicut res vobis vicinæ sunt, ita ob nostram fidelitatem Rotfridum Abbatem eiusdem res tenere sinatis sine vlla contradictione.

Domina Adelaidi semper Aug. Otto gratia Domini Imp. Aug. Epist. CLVII.

G QVia secundum vota & desideria vestra diuinitas nobis iura imperij contulit, felici successu, diuinitatem quidem adoramus, vobis vero grates rependimus. Scimus enim & intelligimus maternum affectum & studia pietatis, quibus rebus obsequio vestro deesse non possumus, proindeque, dum promouemur, vester honor attollitur. Rempu. per vos promoueri, ac promotam feliciter in suo statu regi multum oramus & optamus. Valete.

Reuerendiss. Papa Gerberto Otho gratia Domini semper Imperator Augustus. Epist. CLVIII.

QVia temporis difficultate astrictus vestris votis satisfacere nequeo, vehementi mœrore afficior. Mouetur enim pietatis affectu circa vos, sed matura necessitas suo iure omnia constringens, qualitates Italici aëris, qualitatibus mei corporis quadam sui generis contrarietate opponit. Mutamur ergo solum corpore, vobiscum mansuri mente; vestroque solatio atque subsidio primores Italiæ H delinquimus. Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. Comit. Spoletinis & Camerinis præfectum, cuius octo Comitatus qui sub lite sunt vestrum ob motem tulimus, nostrumque legatum eis ad præsens præfecimus, vt populi rectorem habeant, & vobis eius opera debita seruitia adhibeant.

Adelaidi Reginæ. Epist. CLIX.

DOminæ & gloriosæ Adelaidi Reginæ semper Augustæ Gerbertus gratia Domini Remorum Episcopus, & omnibus suis confratribus & Coepiscopis Remorum Dioeceseos bene valere in Christo. Epistola vestri nominis læta principia pertulit, monita salubria habuit, sed tristi fine conclusa est. Suauem quippe animi vestri affectum circa me ostendit, vt ad propriam sedem reditum maturarem admonuit, sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet. Cognoscite quia si modo huiusce monita impenditis, vtemur nostrorum & rebus & consilijs absque crimine nostri. Me vbi Remorum præsidente, quando non licuit, licet, & licebit vobis vti consilijs, & rebus nihi commissis.

A missis. An melius licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolore & fraude abstulit, ego contra multorũ dolos & fraudes vobis eam multis vigilijs multoque labore conseruaui. Mirum nunc est vestrorum hostium vos nõ sentire insidias. Qui enim auulsum ad vestri regni confusionem suæ sedi restituere quærunt, non sibi hoc tutum fore putãt, nisi me penitus qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse duplici capimus argumento, quia me Remis nuper posito eum absoluere decreuistis, & quia Robertus Abbas vt absolueretur obtinuit, ob cõfirmandum Senioris mei regis Roberti nouum coniugium, vt mihi à Remensibus per litteras significatum est. Accedit ad hoc discrimen fides à præsentibus Corte Calmiciaca à Gibuino Gibuini nepote peruasa. Infinitus credo erat villarum numerus, nec ad possidendum sufficere poterant Remenses, nisi ad colonias obtinendas imitarentur Cathalaunenses. LX*. digno si Arnulphus absoluendus est, & si Gibuinus, & quilibet alius in sede mea intronizandus,
B reditum meum sine capitis mei periculo intelligere non est. Quod ita esse, sed vos minus animaduertere, dubitare nõ debeo. Non enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda, noui animi vestri dulcissimos affectus circa me: Quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quocirca vt mea vobis minimè ingeram, deque me omnino taceam, quem diuina gratia à periculorum immensitate liberauerat, & in quantum ad me solum attinet, in omni felicitate disponit & conseruat, per terribile nomen omnipotentis Domini oro & deprecor Remensi Ecclesiæ desolatæ & attritæ si quolibet modo velitis subueniatis. Quæ quoniam regni Francorum caput est, si deperierit, vt membra sequantur necesse est. At quomodo non deperit, quæ sub nomine duorum quasi inter malleum & incudẽ, disposita, dum eorum neutrum Rectorem approbat, velut inter vndas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tunc eius sine iudicio Ecclesiæ, ad numerum accessent? Neque vero hoc loquor, tanquam augur aut diuinus. Memini & iam meos conspirasse non solum mi-

C lites, sed & clericos, vt nemo mecum comederet, nemo sacris interesset. Taceo de vilitate & cõtemptu, nihil dico de grauissimis iniurijs, sæpè mihi à pluribus illatis, ad hæc vt redeam prouocatis, & vt grauiora patiar, minas superaddit epistola.

Constantino suo Gerbertus Scholasticus.

EPISTOLA CLX.

VIs amicitiæ penè impossibilia redigit ad possibilia. Nam quomodo rationes numerorum abaci explicare contenderemus, nisi te adhortante, ô mi dulce solamen laborum Constantine? Itaque cum aliquot lustra iam transierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerũ habuerimus, quædam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quædam eisdem sententijs. Nec putet Philosophus sine literis hæc alicui arti vel sibi esse cõtraria: Quid enim dicet esse digitos, articulos, minuta, qui auditor maiorum fore dedignatur? Vult tamen videri solus scire, quod mecum ignorat: vt ait Flaccus. Quid cum idem D numerus modo simplex, modo compositus, nũc digitus, nunc constituatur vt articulus? Habes ergo (talium diligens inuestigator) viam rationis, breuem quidem verbis, sed prolixam sententijs, & ad collectionem interuallorũ & distributionem in actualibus geometrici radij secundũ inchoationem & erectionem in speculationibus & actualibus simul dimensiones cœli & terræ plena fide comparatam.

Hæc Epistola præficitur libello suo de Numerorum diuisione, cuius initium est,

De Simplici.

SI multiplicaueris singularem numerum per singularẽ, dabis vnicuique digito singularem, & omni articulo decem, dilertè scilicet & conuersim, &c.

Finis Tomi Decimi.





